
NAZIONALE
8
54 G
9
R. BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II
ROMA

R. P. D. THOMÆ
DELBENE
CLERICI REGULARIS,
S. THEOLOGIÆ PROFESSORIS,

Examinatoris, Sanctæ Romanæ Universalis Inquisitionis Qualificatoris; aliarúmque SS. Congregationum in Urbe Consultoris;

DE OFFICIO S. INQUISITIONIS
CIRCA HÆRESIM:

CUM BULLIS, TAM VETERIBUS, QUAM RECENTIORIBUS, ad eandem materiam, seu ad idem Officium spectantibus; & Locis Theologicis in ordine ad qualificandas Propositiones.

PARS POSTERIOR,

SYNOPSI MATERIARUM, ET INDICE RERUM Notabilium in hoc Volumine contentarum illustrata.

EDITIO ALTERA ACCURATE' EMENDATA.



LUGDUNI,

Sumptibus LAURENTII ARNAUD, PETRI BORDE, JOANNIS, & PETRI ARNAUD.

M. DC. LXXX.

CUM APPROBATIONE ET PERMISSU.



EMIN^{SSIMO}, ET REVER^{SSIMO}

PRINCIPI

MARIO CHISIO

S. R. ECCLESIÆ

GENERALI.

THOM. DELBENE

CLERICUS REGULARIS,

F. P.



USUS non ita pridem quadam mediocris ingenii mei, de Moribus, Christianisque Officiis, *monumenta ad Alexandri Sanctissimi Pontificis, tui (PRINCEPS EXCELLENTISSIME) germani Fratris pedes deferre: aliaque subinde non absimilis argumenti Flavio Cardinali Chisio, aquè Alexandrum Patruum, & Te Patrem insigni virtute promerito nuncupare: Tibi ut hanc etiam Moralium Disputationum partem addicerem, non modò suaderi me, verùm etiam propelli impetu, ac vi quadam sensi. Enimverò qui singularem adeò humanitatem ab ea Maximi, Augustique Fratris Majestate, atque à proxima summa Infula Purpura, nempe Filio, expertus sum; eandem ipsam polliceri à Te mihi, atque à tuo patrocinio posse, facilè intellexi. Insita nimirum CHISIIS immixta animi magnitudini natura facilitas, qua magna fortuna, præstantisque dignitatis lucem ita temperat, ut quantum adeuntes absterret amplitudo ac splendor, tantundem alliciat comitas. Planè ut nemo non videat Tesserarios CHISIORUM Montes à Gentis indole leniter acclives, accessuque faciles: ac Quercus ipsas, abjecta asperitate prorsus omni, abiisse in aurum, ac mores repræsentare tanti*

Generis verè aureos. Quam quidem laudem ipse Tibi potissimùm vendicas (MARI EXCELLENTISSIME) cui nihil à tuis, nihil à Consanguineis fascibus, nihil à fraterni Principatus fastigio fastus, ac supercilii accessit. Eadem vultu, ac fronte, totoque corporis habitu domi, forisque benignitas, idem modestiæ cultus, eadem in omnes benevolentia: videturque profectò in ipsa humanissimi oris dignitate quoddam elucere priscæ comitatis cum recenti Imperio commercium, ac fœdus. Cùm interim privatæ istiusmodi virtuti publicam etiam addas, qua gravissimis negotiis longè par, rem populorum accuratè administras, Ecclesiasticæ ditionis commoda strenuè procuras; Romanorum saluti, felicitatique excubas; arma, pacem moderaris: omnes denique amplissimi muneris, ac Magistratus partes egregiè, ac supra communem solertiam imples. Testis Romana hæc Aula, quæ magnam istam indolem tuam, quantacunque fortunæ, curarumque ingentium capacissimam, propiùs contemplata. Triumphalem illum Virum, septies Consulem, Caium nempe Marium, citra dehonestamenta vitiorum, redivivum, spirantemque in Te cernere gratulatur, populari quadam morum urbanitate, Romanæ rei studio, ardore animi, æquitate, constantia, vi mentis. Hæc me eximiæ humanitatis tuæ opinio, ac virtutum maximarum decora; ut Tibi, excelsoque tuo Nomini labores hosce inscriberem, impulere. Etsi, quando Sanctissimi Pontificis in me, meumque Ordinem beneficentia hæret, hærebitque animo semper, causa haud quidem postrema dedicandi Operis ea fuit, scilicet ut communem Regularium Clericorum in tantum Pontificem, adeòque de re Theatina meritum, observantiam, ac debitum meis studiis, quæcumque ea fuerint, seriò profiterer: atque agnosceres Ipse in hac memoriæ, gratique animi testificatione eò nostrûm omnium vota, studia, preces collimare, ut diu vivat ALEXANDER Optimus, Maximus, ac morum fama, vitæ legibus, Majestate, Sanctitateque Imperii ornet prolixius, fortunetque Sacrorum Principatum, æternamque hanc Vrbem, ac Orbem. Fave igitur (Princeps Excellentissime) dicatamque inclyto Tuo Nomini Scriptionem hanc, ceu tuam complectere. Nempe quod est obsequii in Te mei authoramentum, ac specimen; erit, si benignè excipias, CHISIÆ, Tuaque benevolentiæ monumentum. Vale.

APPRO

APPROBATIO CONSULTORIS Clericorum Regularium.



GREGIUM Opus de Hæresi, & de iis quæ ad hæresim, & sanctum Officium pertinent, in Partem priorem, & posteriorem divisum, dilucidè, doctéque compositum à P. D. THOMA DELBENE, nostræ Congregationis Sacræ Theologiæ Professore, & nomine multiplici claro, publica luce ad omnium utilitatem dignum existimo. Romæ, die decima-octava mensis Julii, anno 1662.

Don THOMAS SERSALIS,
Consultor Cleric. Regul. S. Theolog.
Professor.

APPROBATIO VISITATORIS Galliæ Cisalpinæ.

IUssu Nostri admodum Reverendi Patris D. Angeli Pistachij, Præpositi Generalis Clericorum Regularium attentè, & omni studio lustratus sum *Tractatum in Partem priorem, & posteriorem divisum, de Hæresi, & de iis quæ pertinent ad hæresim, & S. Officium*, nuper compositum à R. P. THOMA DELBENE, nostræ Congregationis Auctore Insigni, jamque satis noto: Et pro veritate testari queo, quod nedum *Benè*, sed *Optimè* Thomas scripserit, & sic seipsum in hoc Opere Thomas superaverit. Siquidem quidquid in præsenti labore reperitur, dilucidè, breviter, & subtiliter, sanam, optimamque doctrinam, Sacris Conciliis, & Canonibus conformem redolet. Quare meo voto totus litterarum Orbis impatienter expectat, ut luci demandetur hoc tam utile, tamque dignum studium. Romæ in nostra Domo Sancti Andreæ de Valle, die vigesima Julii, anno millesimo sexcentesimo sexagesimosecundo.

D. JOAN. BAPTISTA DE DECE,
Clericus Regularis, Galliæ Cisalpinæ Visitator,
& S. Officii de Urbe Qualificator.

LICENTIA PRÆPOSITI GENERALIS
Clericorum Regularium.

HOc Opus *de Hæresi, & de iis quæ ad hæresim*, & *S. Officium pertinent*, in Partem priorem, & posteriorem divisum, à P. D. THOMA DELBENE Theologo Congregationis nostræ compositum, & à Patribus quibus id commisimus, recognitum, & approbatum, ut typis mandetur, quoad nos spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem has litteras manu nostra signatas, & solito nostro sigillo munitas damus. Romæ, in Ædibus Sancti Sylvestri Montis Quirinalis, hac die decima octava mensis Julii, anno 1662.

D. ANGELUS PISTACHIUS
Præpositus Generalis Cler. Regul.

Loco † Sigilli.

D. CAROLUS LOBELLUS
Cler. Regul. Secretarius.

PERMISSIO MAGISTRI
Sacri Palatii Apostolici.

VIDI jussu Reverendissimi P. Raymundi Capisucchi, sacri Palatii Apostolici Magistri, ac maxima cum voluptate accuratè totum perlegi *Tractatum de Hæresi, & de iis quæ ad hæresim, & S. Officium pertinent*, Authore A. R. P. THOMA DELBENE, Clerico Regulari: Et quia illum nedum sacris Canonibus, summorum Pontificum constitutionibus, Oecumenicorum Conciliorum, ac sacrarum Congregationum decretis, & declarationibus in omnibus apprimè consentientem, sed & summa eruditione refertum, & optima, facilique methodo mirè digestum, ac dispositum inveni, dignissimum judicavi, qui ad communem omnium, præsertim moralis Theologiæ studiosorum utilitatem quamprimùm in lucem edatur. In Quir. hac die 31. Julii 1658.

Fr. HIERONYMUS NICOLAIS Notarius,
S. Theol. Lector, I. V. D. ac Parochus S. M. de Pop. Urbis Met.

Imprimatur.

Loco † Sigilli.

P. R. CAPISUCC. Mag. S. A. P.

APPRO

APPROBATIO DOCTORUM,
Sacræ Facultatis Parisiensis.

NOS infrà scripti Doctores Theologi Facultatis Parisiensis fidem facimus, nihil in hoc Opere R. P. D. THOMÆ DELBENE, in quo de iis quæ ad hæresim, & Sanctæ Inquisitionis Officium pertinent, fusè differit, quodque in duos Tomos est distributum, contineri quod Fidei Orthodoxæ adversetur: in cujus rei testimonium lubentes subscripsimus hac die quinta Maii 1662.

Fr. JOAN. ROBE', Ordinis Prædicatorum.

Fr. HUGO NOE' MARCHAND, Ordin. Prædic.

Alia Approbatio.

EGo infrà scriptus Doctor sacræ Facultatis Theologiæ attestor legisse librum cui titulus est, *R. P. D. THOMÆ DELBENE, de Hæresi, & de iis quæ ad S. Officium pertinent*, in quo nec quid contra fidem catholicam, nec contra bonos mores inveni: imò plenum affirmo summa eruditione. In cujus rei fidem approbavi, dignumque qui typis mandetur, judicavi. Datum Lugduni die decima octava Maii 1662.

P. AUTOSERRE Pr.

Consensus Procuratoris Regii.

VIsis supradictis Doctorum attestationibus, librum à R. P. DELBENE, compositum prælo subjici permitto, cum prohibitionibus in hujusmodi casibus requisitis, & consuetis. Lugduni die 7. Maii, 1662.


BOULLIOUD MERMET.

PERMISSIO.

COnclusionibus Procuratoris Regii adhæreo. Lugduni die decimanona Maii, anno 1662.

DUSAUZAY.

SYNOPSIS



R. P. D. THOMÆ DELBENE, TRACTATVS DE IIS QVÆ AD HÆRESIM & Sanctæ Inquisitionis Officium pertinent.

DVBITATIO CXCV.

An, & qui in crimine hæresis sint Iudices, & qua ratione possint in illo procedere.

SECTIO PRIMA.

Supposita.

SVMMARIVM.

1 *Iudices in causis fidei sunt Summus Pontifex, Episcopus, Capitulum Sede vacante, Inquisitor, & Delegati ab ipsis, & præter hos nulli alij.*

2 *Summus Pontifex est iudex omnium supremus, idque est de fide, ita vt ab ipso omnis aliorum iurisdictio spiritualis dependeat.*

3 *Legatus à latere licèt possit in dicto crimine procedere de iure; nihilominus non potest sine speciali Summi Pontificis; vel supremi Tribunalis sanctæ Inquisitionis commissione procedere de consuetudine.*

4 *Iudex præcipuus in dicto crimine est delegatus à Pontifice, qui nomen Inquisitoris retinet, & cognoscere potest non solùm de causa hæresis, sed etiam de omnibus connexis, dependentibus; & incidentibus illius; quia concessa iurisdictione, & cognitione causa principalis, conceduntur etiam emergentia; incidentia, connexa, & dependentia ab illa.*

5 *Episcopus in crimine hæresis est iudex competens, & Summus Pontifex, de quo nulla est difficultas.*

6 *Episcopus negligens super expurgando de sua Diœcesi hæretica prauitatis fermento, Episcopali munere priuari debet, in & locum ipsius alter idoneus substitui.*

7 *Episcoporum olim solùm erat inquirere in hæreticos si inquirebant in non exemptos tanquam iudices ordinarij, & in exemptos tanquam à Summo Pontifice delegati.*

8 *Episcopus quamuis in causa hæresis sit de iure communi iudex competens, debet tamen id facere cum consilio Capituli.*

9 *Episcopus inquirendo contra hæreticos, seruare debet modum, quem seruant Inquisitores.*

10 *Capitulum Sede vacante in crimine hæresis est etiam iudex competens.*

11 *Capitulum Sede vacante in crimine hæresis potest alteri delegare causas, quas cognoscere potest vt iudex competens in dicto crimine.*

12 *Iudex etiam competens in dicto crimine est quilibet alius suprà relatus.*

SVPPONO primò, quod in crimine hæresis; seu in causis fidei iudices enumerati soleant Summus Pontifex, Episcopus, Capitulum Sede vacante, Inquisitor; & Delegati ab ipsis, & præter hos nulli alij. 1

Suppono secundò, quod Summus Pontifex (idque de fide) sit iudex omnium supremus, ita vt ab ipso omnis aliorum iurisdictio spiritualis dependeat. 2

Suppono tertiò, quod Legatus à latere, licèt possit in dicto crimine (cùm vices Summi Pontificis plenissimè gerat) procedere de Iure. Nihilominus non possit sine speciali Summi Pontificis, vel supremi Tribunalis sanctæ Inquisitionis commissione procedere de consuetudine. Doctores quos citat, & sequitur Farinac. *quæstione* 186. *num*. 4. 3

Suppono quartò; quod præcipuus iudex in dicto crimine sit Delegatus à Pontifice, qui nomen Inquisitoris retinet, iuxta textum *in Clement*. 1. §. *Propter, de hæretic*. ibi: *Tam per Diœcesanos Episcopos, quàm per Inquisitores*, &c. Qui Inquisitor cognoscere potest non solùm de causa hæresis, sed etiam de omnibus connexis, dependentibus & incidentibus illius. Eymer. 1. *part. director. num*. 37. & ibi Peña *comment*. 10. *vers. In prædictis omnibus*, Decian. *tract. crim. lib*. 5. *c*. 22. *n*. 12. & alij passim, quos refert, & sequitur Farinac. *de hæres. q*. 186. *num*. 16. 4

n.26. qnia concessa iurisdictione, & cognitione causæ principalis, conceduntur etiam emergentia, Incidentia, connexa, & dependentia ab illa, *l. Nulli, Cod. de iud. & Clement. dispendiosam, eodem titulo.* Vbi Doctores communiter, quos citat, & sequitur Menocb. *de arbitr. lib.1. q.45. n.9.* Qui propterea subdit, & rectè, quod iudex habens liberum arbitrium ad procedendum in causa principali, possit etiam eodem modo procedere in accessoria.

5 Quod autem in crimine hæresis (& quidem de iure communi) sit iudex (scilicet competens) Episcopus (vt omittam Summum Pontificem, de quo non est difficultas) patet *ex Clem. 1. de haret.* & tradunt Imola *ibi, num. 1.* Zabarella *num. 1. & 2.* & alij Canonistæ communiter.

6 Patet etiam secundò ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. *cap. 3.* ibi: *Si quis Episcopus super expugnando de sua Diœcesi hæretica prauitatis fermento negligens fuerit, cùm id certis indiciis apparuerit, Episcopali munere priuetur, & loco ipsius alter substituatur idoneus, qui velit, & possit hæreticam confundere prauitatem.*

Patet etiam tertiò ex antiquioribus Conciliis, v. g. Mileuitano *can. 25.* Toletano XI. *canon. 2.* & aliis.

7 Idque adeò verum est; vt olim inquirere in hæreticos solùm pertinuerit ad Episcopum, qui inquirebat in illos non exemptos, tanquam iudex ordinarius; in exemptos verò, tanquam iudex à Summo Pontifice delegatus: quod etiam facit nunc temporis in illis locis, in quibus non sunt à Summo Pontifice alij Inquisitores constituti.

Et quidem, quod Episcopus in exemptos sit iudex non ordinarius, sed à Summo Pontifice delegatus, patet *ex cap. Ad abolendam, in fine, §. si qui verò, de hæreticis,* ibi: *Si qui verò fuerint, qui à lege Diœcesana Iurisdictionis exempti, soli subiaceant Sedis Apostolica potestati: Nihilominùs in iis, quæ sunt contra hæreticos instituta, Episcoporum subeant iudicium, & eis in hac parte, tanquam à Sede Apostolica delegatis, non obstantibus libertatis suæ priuilegiis, obsequantur.* Et tradunt glossa ibi, *verb. delegatis,* Abb. *num. 1. & 3.* Buttius *num. 12.* Ioan. Andr. *num. 14.* Felin. *num. 3.* Henricus *num. 14.* & alij Canonistæ passim.

Patet etiam secundò *ex cap. Per hoc, de hæret. in 6.* Et tradunt Molina *tom. 5. de iust. disp. 28. num. 3. & director. inquisit. part. 3. q. 4. art. 4. & 5.* Qua de re videri etiam poterunt quæ dicam infrà *sect. 18.*

8 Vbi tamen aduerte, quod (quamuis Episcopus in causa hæresis sit de iure communi iudex competens (vti dicebam) debeat tamen id facere cum consilio Capituli, ex textu *in cit. cap. Ad abolendam, de hæretic.* & notant Hostiensis ibi, *verb. cum consilio, num. 2.* Anchar. *num. 2.* Zabarell. *n. 3.* & Ioan. Andr. *num. 4.* licèt hodiè consuetudine receptum sit, quod in causa hæresis Episcopus non procedat cum consilio Capituli. Qua de re videri poterunt quæ dicam infrà *citat. sect. 18.*

9 Aduerte etiam, quod Episcopus inquirendo contra hæreticos seruare debeat modum, quem seruant Inquisitores, ex textu *in cap. Per hoc, §. finali, de hæret. in 6.* ibi: *Siue autem ordinaria, siue delegata Episcopi potestate procedant, illum in procedendo modum obseruent, quem Inquisitores possunt, & debent per iura communia, vel per speciales concessiones, seu ordinationes Sedis Apostolicæ.* Et notant Syluest. *verb. hæreticus 2. num. 10.* Simanch. *de cathol. instit. tit. 25. num. 4.* Et dicam Ego infrà eadem *sect. 18.*

10 Item secundò, quod in crimine hæresis (& quidem similiter de iure communi) sit iudex (scilicet etiam competens) Capitulum Sede vacante, patet ex dicto *cap. Ad abolendam, de hæretic.* & tradunt Glossa ibi, *verb. Clerici,* Hostiensis *num. 2. & 4.* Abbas *num. 1.* Henricus *num. 4.* & alij Canonistæ communiter.

Patet etiam ex *Clem. 1. §. Propter, de hæret.* ibi: *vel Episcopali Sede vacante super hoc delegato.*

Idque adeò verum est, vt ex dicta Clementina possit Capitulum delegare alteri, qui cognoscat de rebus fidei: & docent Syluest. *verb. hæresis 2. num. 2.* Molina *de iustitia, tract. 5. disp. 28. num. 2.* Et patebit ex iis, quæ dicam infrà dicta *sect. 18.* 11

Item tertiò, quod in crimine hæresis sit iudex (scilicet similiter competens) quilibet alius ex iis, quos suprà dicebam supposito primo, successiuè patebit ex iis, quæ infrà dicentur per sectiones sequentes. 12

SECTIO II.

An Inquisitor sit iudex ordinarius, vel delegatus?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitoris est ex officio cognoscere de crimine hæresis: ex communi, & vera sententia apud omnes.*

2 *Inquisitores in tota Italia non ampliùs eliguntur à Generalibus Ordinum sancti Dominici, & sancti Francisci, iuxta Constitutiones à Pontificibus in fauorem horum Ordinum emanatas, sed ab Eminentissimis Cardinalibus sanctæ, & vniuersalis Inquisitionis Romanæ.*

3 *Inquisitores sicut olim eligebantur à dictis Generalibus, & Prouincialibus, ita poterant ab ipsis remoueri ab officio.*

4 *Inquisitores remouendi ab Officio causa iusta erat ipsorum infirmitas, senectus, negligentia, ignorantia, pecuniarum extorsio, &c.*

5 *Inquisitor licèt secundùm aliquos DD. sit Iudex Ordinarius, probabiliùs tamen non est Ordinarius, sed delegatus.*

6 *Inquisitor, licèt sit delegatus ad vniuersitatem personarum: tamen quia est delegatus ad solam causam hæresis, & illius connexa; ideò non Iudex Ordinarius, sed potiùs delegatus dici debet.*

7 *Inquisitor plura priuilegia ordinaria iurisdictionis habet: Tum quia in causa fidei plures causæ continentur: Tum quia vicariis suas vices committit: Tum quia eius iurisdictio etiam nondum cœpta morte delegantis non expirat.*

8 *Quod multò magis dici debet de Inquisitore Hispaniarum, quia eius officium perpetuum est, &c.*

SVppono, quod ad Inquisitorem ex officio pertineat cognoscere de crimine hæresis: Quæ est communis, & certa sententia apud omnes: quo autem tempore creari cœperint Inquisitores, docet Peña *in 3. part. directorij, schol. 43. & lib. 8. de pæn. hæreticor. in princ.* 1

Suppono secundò, quod (licèt olim in Italia concessum fuerit Summis Pontificibus ex constitutione Innocentii IV. incipiente, *Licèt ex omnibus,* & ex constitutione Alexandri IV. incipiente, *Olim præsertim,* Generali, & Prouincialibus Ordinis sancti Dominici; & ex Constitutione Clementis IV. incipiente, *Licèt ex omnibus,* & ex Constitutione Alexandri IV. incipiente, *Licèt ex omnibus*: apud Peñam inter literas Apostolicas, ius eligendi, & creandi Inquisitores ex ipsorum ordine;) Hodie tamen in tota Italia ij non eligantur ampliùs à Prælatis prædictorum Ordinum, sed ab Eminentissimis Cardinalibus Sanctæ, & vniuersalis Inquisitionis Romanæ. 2

Suppono tertiò, quod (sicut olim Inquisitores eligebantur à Generalibus & Prouincialibus prædictorum Ordinum) ita etiam tunc iidem Inquisitores electi potuerint, ex Constitutione Clementis IV. incipiente *Licèt ex omnibus,* & ex dicta Constitutione Innoc. IV. incipiente, *Licèt ex omnibus,* apud Director. Inquisitor. *part. 3. q. 9.* & apud Peñam ibidem *comment. 58.* remoueri ab officio ex causa iusta ab iisdem Generalibus & 3

Prouincia

Prouincialibus: ita Doctores, quos sequitur directorium vbi suprà *q.* 10. & Peña ibidem *commens.* 59.

4 Causa verò iusta eos remouendi ab Officio erat ipsorum Inquisitorum electorum infirmitas, senectus, negligentia, ignorantia, pecuniarum extorsio, &c. Zecch. *in summa, part.* 1. *tit. de fide, rubric. de hæres. cap.* 11. *n.* 13. & alij, quos sequitur Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 18. *q.* 9. & Ego dicam infrà *sect.* 10. & 11. His suppositis.

5 Respondetur, quod (quamuis Archidiacon. *in cap. Ne aliqui, de hæretic. in* 6. *circa finem*, Bonifacius *in Clem.* 1. *de hæret. n.* 28. Hostiensis *in cap. Ad abolendam, de hæret. n.* 2. Ioan. Ands. *ibidem, n.* 3. Aochar. *num.* 2. Paramus *de origin. Inquisit. lib.* 3. *q.* 2. & *in defens. cap.* 1. *n.* 13. Carrera *in quæstionibus crimin. cap.* 2. *de probat. per testes, q.* 8. *n.* 65. & Portocarrer. *in allegat. pro Iurisdict. Inquisit. n.* 48. putent, quod Inquisitor sit Iudex Ordinarius) Probabilius tamen non sit Iudex Ordinarius, sed delegatus: Syluest. *verb. hæresis* 2. *q.* 1. *n.* 2. Alciatus *in rubrica de offic. ordin. n.* 19. *Direct. Inquisit. part.* 3. *q.* 4. & ibi Peña *comment.* 53. Molina *de Iust. tract.* 5. *disput.* 28. *n.* 4. (qui subdit, quod hodie dicta Inquisitorum iurisdictio valdè accedat ad iurisdictionem Ordinariam, & cum illa ferè in omnibus conueniat; ita vt excludat imperfectiones, & includat perfectiones omnes Iurisdictionis delegatæ, sicque quodammodo sit ordinaria quoad vtilitates Iurisdictionis ordinariæ, delegata quoad vtilitates iurisdictionis delegatæ) Scacc. *de Iudic. cap.* 67. *num.* 5. Nauarr. *consf.* 1. *de Offic. Iudic. delegat. n.* 1. Simanch. *de cath. Instit. tit.* 34. *n.* 4. Butrius *in cap. Legatos, de offic. legat.* Narbona *in* 3. *part. recopilat. lib.* 4. *tit.* 1. *leg.* 20. *gloss.* 22. *num.* 79. Zanard. *in Director. Theol. part.* 2. *precept.* 1. *cap.* 6. Mosconius *de maiest. militant. Eccles. lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 11. Homobon. *de statib. part.* 1. *cap.* 8. Barbosa *in Collect. tom.* 3. *lib.* 5. *tit.* 2. *cap.* 17. *num.* 11. & 12. Torreblanca *de Magia, lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 2. & *seqq.* Sousa *in Aphorism. Inquisit. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 4. & alij passim.

Probatur primò auctoritate, ex textu *in cap. Ne aliqui, de hæret. in* 6. vbi dicitur, quod Officium Inquisitoris sit ab Apostolica Sede commissum. Et quia, vt tale, debebat quoad negotia integra morte delegantis spirare, fauore fidei cautum, vt perpetuò duret: quod necessarium non esset, si Iurisdictionis Ordinariæ Officium foret: Item probatur ex Constitutionibus Vrbani IV. & Clementis IV. apud Peñam in fine directorij, ibi: *Prouidemus igitur ad præsens, personas aliquas circumspectas pro tanto negotio deputari.* Et ex aliis, quæ habentur in eodem *Directorio, part.* 3. *quæst.* 4.

6 Secundò probatur ratione, quia Inquisitor licèt sit delegatus ad vniuersitatem Personarum; tamen quia est delegatus ad solam causam hæresis, & illius connexa: Ideò non Iudex ordinarius, sed potiùs delegatus dici debet; ita Doctores iidem *in loc. suprà citatis.*

7 Non nego tamen, quod iuxta ea, quæ suprà dicebam cum Molina, Inquisitor plura Priuilegia ordinariæ Iurisdictionis habeat. Tum quia in causa fidei plures causæ continentur, ita vt delegatus ad illam causam, delegatus ad vniuersitatem causarum dici possit. Tum quia Vicariis suas vices committit. Tum quia ipsius Iurisdictio, etiam re integra, & nondum cœpta, morte delegantis non spirat.

8 Quod idem multo magis dici debet de Inquisitore generali Hispaniarum; quia eius officium perpetuum est, & in eum, vno mortuo, vel inde per promotionem, aut ascensum ad alia, &c. deposito, alius sufficitur, quod ordinariæ iurisdictionis proprium est.

Ex dictis igitur Inquisitores habent potestatem delegandi suam auctoritatem, & Iurisdictionem, sicque possunt delegare Vicarios seu Commissarios: Quod & docent etiam Glossa *in Clem.* 2. *de hæretic. verb. ipsorum*, & ibi Imola *num.* 1. & 6. Locat. *in Iudic. Inquis. verb. Inquisitor, num.* 4. & Simanch. *de cathol. Institut. tit.* 34. *num.* 29. Quam facultatem Inquisitoribus expresse etiam concessit Clemens IV. in dicta constitutione incipiente: *Licèt ex omnibus* (quæ fuit approbata, & confirmata ab Vrbano IV.) Teste Locato vbi suprà. Item & Clemens VII. & Pius V. Teste Peña *in direct. Inquisit. part.* 3. *q.* 13. *comment.* 62.

SECTIO III.

An Inquisitor non à Sede Apostolica immediatè electus, & institutus, sed ab aliis, qui ad id à Sede Apostolica authoritatem habent, dici debeat à Sede Apostolica delegatus, & ab illa authoritatem habere; an verò ab illis aliis, qui eum eligunt?

SVMMARIVM.

1 *Generalibus, & Prouincialibus Ordinum sancti Dominici, & sancti Francisci concessum fuit priuilegium ab Innocentio IV. Alexandro IV. & Clemente pariter IV. in suis Constitutionibus eligendi, & instituendi aliquos Religiosos Inquisitores pro suis Prouinciis, quibus præerant. Quæ tamen potestas cùm in tota Italia, & Hispania in his Prælatis iam cessauerit, deuenit ad Eminentissimos Cardinales generales Inquisitores totius Orbis pro tota Italia; & ad quendam Præsidem supremi Senatus Inquisitorem generalem electum à Catholico Rege, & à Sede Apostolica confirmatum.*

2 *Inquisitor non à Sede Apostolica immediatè electus, & institutus, sed ab aliis, qui ad id à Sede Apostolica auctoritatem habeat, dici debet à Sede Apostolica delegatus, & ab illa auctoritatem habere, non autem ab illis, qui eum elegerunt, contra nonnullos contrarium sentientes. Quod quidem probatur auctoritate, & ratione; quia Inquisitores particularium inquisitionum nomine Sedis Apostolicæ, & non Inquisitoris generalis sententias contra reos pronunciant.*

3 *Inquisitores isti particularium Inquisitionum non arctantur ad publicandas, & denuntiandas sententias per se ipsos, sed de facto publicant, & denunciant in publico Theatro per alios. Quod nullo modo facere possent, si Sedis Apostolicæ delegati non essent.*

4 *Inquisitores prædicti possunt alios subdelegare, consequenter sunt delegati Sedis Apostolicæ.*

5 *Inquisitoris prædicti iurisdictio etiam re integra, & nondum cœpta non expirat morte, vel depositione generalis Inquisitoris illum eligentis: At si esset subdelegatus, expiraret.*

6 *Inquisitores supremi senatus non sunt delegati Inquisitoris Generalis, sed Summi Pontificis, etiamsi ab Inquisitore generali nominentur, alias non daretur appellatio ad ipsorum Tribunal à sententiis reliquorum Tribunalium.*

7 *Non obstat, quod recipiant illam dependenter ab Inquisitore Generali; quia hoc modo potuit committi, vt meliùs, & securiùs in causa fidei procedatur.*

8 *Neque etiam obstat, quod Inquisitor generalis in electione dicat, quod vices suas committit; quia id est, vt intelligatur quod dependentem ab ipso dictam Iurisdictionem accipiant.*

2 *Barbosa opinio* in l. Prætor, §. 2. n. 65. de Iudic. quæ

ponit discrimen inter Inquisitorem Generalem, & alios Inquisitores, rejicitur; quia vterque est delegatus, & amouibilis: omnes enim recipiunt iurisdictionem à summo Pontifice, mediante sola nominatione Personarum.

1 SVppono enim, quod ab Innocentio IV. Alexandro IV. & Clemente IV. in suis Constitutionibus apud Peñam 3. *par. directorij, quæst.* 3. *comment.* 52. & apud Farinacium *q.* 186. *n.* 40. Generalibus, & Prouincialibus Ordinum sancti Dominici, & sancti Francisci concessum fuerit Priuilegium eligendi, & instituendi aliquos Religiosos Inquisitores pro suis Prouinciis, quibus præerant: Et licèt in tota Italia, & Hispania in his Prælatis iam cessauerit hæc potestas eligendi, & instituendi Inquisitores, deuenerit tamen nunc hodie ad Eminentissimos Cardinales Generales Inquisitores totius Orbis pro tota Italia, & ad quendam Præsidem supremi Senatus Inquisitorum Generalem electum à Catholico Rege, & à Sede Apostolica confirmatum, & approbatum, cui Sedes Apostolica committit potestatem eligendi Inquisitores omnium Tribunalium, & Visitatores Inquisitionum cum ea dependentia, & subordinatione, vt possit eos de loco in locum mutare, vel etiam causa intercedente, deponere, ac punire, & modum procedendi præscribere, & causas, quas voluerit, sibi reseruare; ac denique, vt ad ipsum, tanquam ad superiorem (cùm in ipso tota circa res fidei iurisdictio resideat) ex omnibus Inquisitoribus possit appellari.

2 Quod, cùm ita sit, videntur tales Inquisitores sic nominati, esse delegati Inquisitoris Generalis, non autem Sedis Apostolicæ, à qua solùm subdelegati videntur existere; cùm ab illa non immediatè, sed mediatè iudicandi facultatem recipiant; atque ita tenent complures Doctores, quos sequitur Simanch. *de catholic. Institut. tit.* 34. *numer.* 15. His tamen non obstantibus.

Respondetur, oppositum (quod docent Eymer. 3. *part. directorij, quæst.* 3. & ibi Peña *comment.* 52. *in principio*, Rojas *singul.* 114. *n.* 4. Repertorium Inquisitorum *verbo Inquisitor, vers. An Inquisitores*, Molina *de Iust. & Iur. tract.* 5. *disp.* 28. *num.* 7. Zeeb. *sum.* 1. *par. tit. de fide, rubrica de hæresi, cap.* 11. *n.* 13. & Farinac. *quæst.* 186. *num.* 41.) scilicet quod omnes Inquisitores particulares, etiamsi ab Eminentissimis Cardinalibus supremæ Inquisitionis, vel à Generali Hispaniarum Inquisitore eligantur, Sedis Apostolicæ delegati sint, esse multò probabilius.

Probatur primò auctoritate ex textu *in Clement.* 1. *§. Propter, de hæret. & in cap. Per hoc, de hæretic. in* 6. Vbi Pontifex loquens de Inquisitoribus absolutè, qui cum Episcopis procedere debent, affirmat quod à Sede Apostolica deputati sint; & notant ibi Zabarella *num.* 2. *in* 4. *notabili*, & Imola *in Clement.* 2. *de hæret. num.* 9. Item clariùs ex constitutione Alexandri IV. quæ incipit: *Quod super*, apud Peñam *in fine directorij inter literas Apostolicas*, vbi Pontifex, postquam Priori Ordinis Prædicatorum facultatem concessit in hæreticos procedendi, tam per se, quàm per alios ab ipso electos, illosque (quotiescumque viderit sic expedire) amouendi, & loco illorum alios substituendi, subiungit, ipsi tamen Priori, & aliis sic assumptis, committendi dumtaxat citationes, & examinationes Testium, cùm de huiusmodi crimine, ac circumstantiis eius inquiritur, ac denunciationes sententiarum, quas super his contra quoslibet contigerit fieri, & iis similia faciendi, *conceditur ab eadem Sede facultas.* Ex quibus verbis clarè colligitur, quod æquè Prior, ac alij ab ipso electi, à Sede Apostolica facultatem recipiant.

Secundò probatur ratione, quia Inquisitores particularium Inquisitionum nomine Sedis Apostolicæ, & non Inquisitoris Generalis sententias contra Reos pronunciant; Ergo signum est, quod sint delegati Sedis Apostolicæ, & non alterius.

Confirmatur, quia non arctantur ad publicandas & denunciandas sententias per se ipsos, sed de facto publicant, & denunciant in publico Theatro per alios, quod nullo modo facere possent, si Sedis Apostolicæ delegati non essent. 3

Confirmatur 2. quia hi Inquisitores possunt, vt sequenti sectione dicetur, alios subdelegare, sed subdelegatus non potest alium subdelegare (quia aliàs daretur processus in infinitum, cùm nulla ratio possit esse, quare magis primus, quàm reliqui, subdelegare possit: Processum autem in infinitum Iura abhorrent, & vitari præcipiunt, *l. fideicommissum, §. si quis, ff. de leg.* 3.) Ergo dicendum est, quod hi Inquisitores non sint subdelegati, sed delegati Principis, seu Sedis Apostolicæ. 4

Confirmatur 3. quia iurisdictio Inquisitoris, etiam re integra, & nondum cœpta, non expirat morte vel depositione Generalis Inquisitoris illum eligentis: At si esset subdelegatus, expiraret, vel vt meliùs dicam, In illum iurisdictio transmissa non esset, iuxta textum *in cap. quamuis, de Offic. delegat. in* 6. Ergo dicendum, quod sit delegatus Sedis Apostolicæ, non autem subdelegatus. 5

Confirmatur 4. quia Inquisitores supremi Senatus non sunt delegati Inquisitoris Generalis, sed Summi Pontificis, etiamsi ab Inquisitore Generali nominentur (aliàs non daretur appellatio ad ipsorum Tribunal à sententiis reliquorum Tribunalium, quia ab vno subdelegato ad alium subdelegatum appellari non potest, sed necessariò ad subdelegantem appellari debet.) Ergo idem de reliquis Inquisitoribus dicendum est, quod scilicet & hi etiam sint delegati Summi Pontificis, & ab ipso Iurisdictionem recipiant. 6

Non obstat, quod recipiant illam dependenter ab Inquisitore generali, quia hoc modo potuit committi, vt meliùs & securiùs in causa fidei procedatur.

Neque etiam obstat, quod Inquisitor generalis in electione dicat, quod vices suas committit; quia id dicit, vt intelligatur, quod Iurisdictio concessa, sit ab ipso dependens: Atque hinc patet ad fundamentum aduersariorum. 7

Hinc mihi neque probatur opinio Barbosæ *in leg. Prætor, §.* 1. *num.* 65. *de iudic.* qui ponit discrimen inter Inquisitorem generalem, & alios Inquisitores, asserens, quod ille habeat iurisdictionem ordinariam, hi autem habeant iurisdictionem delegatam, eo quod cæteri Inquisitores sint amouibiles ad nutum Inquisitoris generalis: Mihi, inquam, neque probatur opinio ista Barbosæ, quia etiam Inquisitor generalis est amouibilis ad nutum Summi Pontificis; & præterea (quidquid in contrarium etiam dixerit Simanchas) non rectè dicitur, quod cæteri Inquisitores sint delegati Inquisitoris generalis, & ab eo iurisdictionem accipiant; quia omnes, mediante sola nominatione personarum facta ex commissione Summi Pontificis, accipiunt iurisdictionem à dicto Summo Pontifice, sicuti dicebam, & contra Barbosam docet cum Molina *de Iust. tom.* 5. *tract.* 5. *disp.* 29. *num.* 7. & aliis, alter Barbosa *in Collect. tom.* 3. *lib.* 5. *tit.* 2. *cap.* 17. *num.* 11. & 12. Torreblanc. *de Magia, lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 2. *& seqq.* Sousa *in Aphorism. Inquisit. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 4. Emanoël de Valle *opuscul.* 1. *de Empsalmis, & Incantationibus, sect.* 3. *cap.* 2. *num.* 6. 8

SECTIO

SECTIO IV.

An possit Inquisitor vices suas aliis committere?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitor ex communi Doctorum sententia potest vices suas alteri committere.*

2 *Inquisitor potest non solùm his Commissariis, & Vicariis electis delegare receptiones denunciationum, Inquisitionum formationes, testium examinationes; sed etiam ipsam definitiuam sententiam contra quoscumque Reos, contra nonnullos, quia is est delegatus Sedis Apostolicæ.*

3 *Inquisitor licèt possit, nunquam tamen de facto debet Vicariis, seu Commissariis suis pro sententiis, præcipuè aduersùs relapsos, & impœnitentes pronunciandis vices suas committere; quia cùm de vita hominis agatur, altiori examine, quàm eo, quod per Vicarium fieri potest, opus erit.*

4 *Vicarij, seu Commissarij huiusmodi ab Inquisitore, etiam cum potestate pronunciandi definitiuam sententiam constituti, nullo modo possunt aliis vices suas neque in totum, neque ex parte substituere; quia licèt lex concedat potestatem subdelegandi delegatis à Pontifice, tamen non concedit illam aliis delegatis.*

5 *In causis hæresis secundùm Iuris dispositionem est prouisum per instructionem Hispalensem, vt Inquisitores per seipsos examinent testes. Quod si ex iusta causa alteri id committatur, is qui examinat, faciat relationem Inquisitoribus de forma, & modo, quo talis testis deposuerit.*

6 *Inquisitores debent alteri vices suas committere, si mulierem honestam non deceat de domo sua exire ad testificandum.*

1 RESpondetur affirmatiuè. Est sententia communis Doctorum; & patet, quia ita supponitur *in cap. Vt commissi, §. committendi, de hæretic. in 6. & in Clementina 1. eodem titulo, §. Porrò,* ibi: *Inquisitorum, vel suorum Commissariorum ordinatio refragatur:* & paulò post: *coram dictis Inquisitoribus & substitutis ab eis: & §. vtrùm Inquisitoribus prædictis, ac aliis ad dicti executionem Officij substituendis ab eis:* & *in Clement. 2. eodem tit. de hæretic.* ibi: *Super hoc deputatis Commissariis.* Idipsum patet etiam ex Constitutionibus Clementis VII. & Pij II. apud Peñam *3. part. Directorij, q. 13. n. 62.*

2 An autem Inquisitor possit his Commissariis, seu Vicariis electis non solùm delegare denunciationum receptiones, Inquisitionum formationes, testium examinationes, sed etiam ipsam definitiuam sententiam contra quoscumque Reos?

Respondetur, quod (licèt videatur negandum ex constitutione Vrbani IV. quæ incipit, *licèt ex omnibus,* & refertur à Peña *3. part. Directorij, commentar.* 10. *n. 37.* quatenus ibi solùm concedatur plena facultas ad præparatoria sententiæ, & sic tacitè negari videatur de sententia, (nihilominùs dicendum sit oppositum) quod docent Eymeric. & Peña *loco suprà citato, & q. 15. §. Respondemus, & comment. 61. §. sed iam,* vbi assignat causas, ob quas possit Inquisitor subdelegare; Triuisanus *lib. 1. decis. 66. n. 4. & 5.* Scacc. *de Iudic. tom. 2. lib. 2. a. 9. q. 2. n. 641. & 642.* Molina *de Iust. & Iur. tract. 5. disp. 28. n. 8.* Azor. *p. 1. lib. 8. c. 8. q. 10.* & alij, quos citat, & sequitur Farin. *q. 186. n. 29.*) posse scilicet Inquisitorem substituere non solùm vnum; sed etiam, si id expedire iudicauerit, plures Vicarios, seu Commissarios, quibus integrè vices suas, etiam vsque ad sententiæ definitiuæ probationem, committat.

Probatur; quia Inquisitor, vti sectione præcedenti dicebam, est delegatus Sedis Apostolicæ; sed delegatus potest subdelegare, & alteri vices suas plenè committere, ex textu *in cap. super quæstionum, de Offic. Iudic. delegat.* Ergo.

Aduerte tamen, quod licèt hoc ita sit, nunquam tamen Inquisitor Vicariis, seu Commissariis suis pro sententiis, præcipuè aduersùs relapsos, & impœnitentes pronunciandis, vices suas de facto committere debet; quia cùm de vita hominis agatur, altiori examine, quàm eo, quod per Vicarium fieri potest, opus erit: Quinimò conueniens est, vt neque testium examinatio illis concedatur, nisi forsan in casu vrgenti, v. g. quando neque ipsi testes ad Inquisitores, neque Inquisitores ad testes accedere facilè possunt, sicut in Hispania cautum est per quandam Hispalensem editam ab Alphonso Manriquez Card. *n. 17.* apud Peñam *3. part. directorij, c. 37. comment. 10.* Quapropter in eadem Hispania, teste Molina *citata disp. 28. n. 8.* Commissariis solùm conceditur, quod ex Officio denunciationes recipiant. 3

Aduerte 2. quod huiusmodi Vicarij, seu Commissarij ab inquisitore, etiam cum potestate pronunciandi definitiuam sententiam constituti, nullo modo possunt aliis vices suas, neque in totum, neque in parte substituere. Glossa *in cap. super quæstionum, §. Porrò, verbo transfere, de Offic. Iudic. delegat.* & Glossa *in cap. cùm causam, verb. delegatus, de appellat.* quam sequuntur Peña *3. part. directorij, q. 15. comment. 64.* Molina *loco suprà citato, n. 8.* Azor. *q. 10.* & alij passim; quia, inquiunt ipsi, si Vicarius, seu Commissarius, qui est subdelegatus, posset etiam subdelegare, hic secundus subdelegatus posset subdelegare alium, & sic in Infinitum; quod est absurdum, sicuti præcedenti sectione dicebatur: Ergo. Tum quia, licèt lex concedat potestatem subdelegandi delegatis à Principe, non tamen etiam illam concedit aliis delegatis, vel subdelegatis: Ergo signum est, quod sit quasi personale delegatorum Priuilegium, quod in alios transmitti non potest, iuxta textum *in cap. Priuilegium, de Regul. Iur. in 6.* & iuxta Glossam *in cap. quam sit, de elect. in 6.* quam sequuntur communiter DD. 4

Cæterùm quoad ea, quæ dicebam in aduertendo primo de examinatione testium, videatur præcipuè Cantera *in quæst. crimin. cap. 2. de vera confessione, n. 8.* (vbi inquit, quod in causis hæresis secundùm Iuris dispositionem sit prouisum per instructionem Hispalensem, vt Inquisitores per seipsos examinent testes: quod si ex iusta causa id alteri committatur, is qui examinat, faciat relationem Inquisitoribus de forma, & modo, quod talis testis deposuerit.) Rojas *singul.* ac 4. *n. 7.* (vbi ait, quod testium examinationem Inquisitores alteri non committunt, nisi in duobus casibus; quando scilicet testes legitimè sunt impediti, vel quando non decet, vt Inquisitor ad eos accedat.) Simanch. *de cath. Institut. tit. 64. n. 11. & 13.* (vbi asserit, quod Illustres Personæ, & aliæ honestiores fœminæ non sint facilè ab Inquisitoribus in iudicium trahendæ, sed ad has personas Iudices eant, vel alium mittant: Quod ex dignitate, auctoritate, honestate, aliisque testium qualitatibus constituendum erit;) videatur etiam Scacc. *de iudic. c. 87. num. 15.* 5

Ex quibus apparet, quod Inquisitores debeant alteri vices suas committere, si mulierem honestam non deceat de domo sua exire ad testificandum. 6

SECTIO VI.

An Inquisitoris iurisdictio morte delegantis expiret?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitoris iurisdictio etiam re integra, & nondum cœpta morte delegantis, non expirat, si absolutè institutus fuerit; quia in hoc ob fauorem fidei iurisdictioni ordinariæ comparatur.*

2 *Amplia id procedere non solùm in Inquisitoribus immediatè electis à Summo Pontifice, sed etiam in nominatis ab Eminentissimis Cardinalibus, & à Generali Hispaniarum Inquisitore.*

3 *Inquisitoris iurisdictio in fauorem fidei non expirat morte delegantis, seu concedentis; quinimmò neque expirat iurisdictio Vicarij, seu Commissarij, vel alterius delegati tunc Inquisitoris, etiam quoad negotia nondum cœpta, neque dum orta: & etiamsi talis iurisdictio concessa fuerit cum clausula,* Ad beneplacitum, *seu* vsque ad beneplacitum.

1 RΕsponderetur (si Inquisitor absolutè fuerit institutus) morte delegantis, etiam re integra, & nondum cœpta, non expirat: sed in hoc ob fauorem fidei iurisdictioni ordinariæ comparatur, ex textu *in cap. Ne aliqui, de haret.* in 6. ibi: *Ne aliqui dubitationem sollicitam excitantes, in dubium reuocent, an officium Inquisitionis hæreticæ prauitatis, sollicitudini vestræ inter certos limites ab Apostolica Sede commissos, expiret per mortem Romani Pontificis, qui commisit; præsenti declaramus edicto, ipsum officium non solùm quoad negotia viuente mandatore incœpta, immò etiam quoad integra, & non cœpta, & quod plus est, quantum ad ea quæ tunc nequaquam emerserunt, in fauorem fidei post committentis obitum durare.* Et notat ibi Glossa *verb. non cœpta*, quam sequuntur Director. Inquis. *part. 3. q. 7. & 8.* & Peña ibidem *comment. 56. & 57.* Simanch. *de Cathol. Instit. tit. 34. n. 14.* Læl. Zech. *in summa, part. 1. tit. de fide, cap. 11. n. 13.* Iason *in l. maiorum, n. 10. ff. de iurisd. omn. iudic.* & alij communiter.

2 Et hoc intellige, non solùm de Inquisitoribus immediatè electis à Summo Pontifice, sed etiam de Inquisitoribus nominatis ab Eminentissimis Cardinalibus, ab Episcopis, à Generali Hispaniarum Inquisitore, & ab aliis Summo Pontifice inferioribus; quia sicuti *sect. 3.* dicebam, omnes hi sunt delegati Pontificis, & non alterius. Directorium, Peña, Simanchas, Lælius Zechius *in locis suprà citatis*, & alij, quos citat, & sequitur Farinacius *quæst. 186. n. 20.*

3 Ex dictis igitur in fauorem fidei non expirat iurisdictio Inquisitoris morte delegantis, seu concedentis, v. g. Papæ, vel Inquisitoris Maioris, &c. Quinimmò neque expirat iurisdictio Vicarij, seu Commissarij, vel alterius delegati morte Inquisitoris, etiam quoad negotia nondum cœpta, neque dum orta; & etiamsi delegatus nullam causam inceperit ante mortem delegantis, & etiamsi talis iurisdictio concessa fuerit cum clausula: *Ad beneplacitum*, seu *vsque ad beneplacitum.* Videantur præter alios Decian. *tract. crimin. lib. 5. c. 20. n. 8. & c. 22. num. 5. & 29.* Thom. Triuisan. *lib. 1. decis. 66. n. 7. & seqq.* Simanch. *de cathol. instit. tit. 34. n. 14.* Rojas *singul. 114. n. 3.* Peña *in Director. Inquisit. part. 1. comment. 56. & 57.* Scacc. *de iudic. lib. 1. c. 67. num. 8.* Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 8. c. 18. quæsit. 7.* & Sanchez *de matrim. lib. 8. disp. 28. n. 34.*

SECTIO VII.

An Inquisitoris iurisdictio morte delegantis saltem expiret, si delegatio non ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, sed ad beneplacitum Romani Pontificis facta sit?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitoris iurisdictio quamuis secundùm aliquot DD. morte delegantis expiret, si delegatio non ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, sed ad beneplacitum Romani Pontificis facta sit; non improbabile tamen est oppositum, quia ob singularem fidei fauorem, etiamsi sub verbo Romani Pontificis concedatur: Adhuc tamen ad beneplacitum Sedis Apostolicæ concessa censeri debet.*

2 *Concessio facta ad beneplacitum Principis, expirat morte Principis.*

3 *Iudex quando simpliciter iussit, aliquem esse in possessione, donec sibi placuerit, vel donec beneplacitum suum fuerit, per mortem cessat Iudicis beneplacitum, & possessio, eo quòd voluntas ipsius morte finitur.*

4 *Gratia, quâ Romanus Pontifex alicui concedit, vt beneficia, quæ tempore promotionis obtinebat, possit vsque ad suæ voluntatis beneplacitum retinere, expirat per eius mortem, per quam ipsius beneplacitum omninò extinguitur.*

5 *Princeps cùm post mortem non ampliùs viuat, non potest ampliùs habere beneplacitum, nec dispositionem.*

6 *Voluntas cùm morte finiatur, morte mandantis finitur mandatum, & morte superioris præcipientis præceptum; & morte Principis, vel Iudicis, banni suspensionem concedentis, finitur suspensio talis banni.*

7 *Ideo magis est certum, quando ad beneplacitum subditur pronomen meum, tuum, suum, vel nostrum, &c. cùm tunc magis consideretur persona, quàm dignitas.*

8 *Inquisitoris tamen iurisdictio, etiamsi is electus fuerit cum prædicta clausula ad beneplacitum Romani Pontificis, ob fauorem fidei non expirat eius morte.*

9 *Concessio facta à Principe in fauorem publicum, secundùm aliquos Doctores, non expirat morte Principis; cessat verò si fiat in fauorem, & vtilitatem alicuius Personæ particularis: Hinc index, secundùm istos, non amittit officium morte Principis concedentis, quia non gratiâ sui, sed publici boni constituitur.*

10 *Confessiones audiendi concessa licentia ad beneplacitum, non cessat morte Ordinarij concedentis, neque hîc considerari potest aliquod præiudicium successoris, qui pro libito tales licentias potest reuocare.*

11 *Iurisdictio, Beneficium, Gratia, aut Priuilegium, si concedatur ad beneplacitum Principis, non expresso eius nomine, non expirat morte Principis concedentis; talis enim concessio magis denotat dignitatem, quàm personam.*

12 *Concessio licèt forsan regulariter, si facta fuerit ad beneplacitum Romani Pontificis, cesset per mortem illius, non tamen cessat, si facta fuerit ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, quia Sedes Apostolica nunquam moritur.*

Respondetur,

1 Respondetur quod (quamuis affirment Ioan. Andreas *in cap. Ne aliquis, de hæret. in 6.* & ibi Geminian. *num. 4.* Franch. *n. 2.* Syluester *in Summa, verb. Hæreticus, §. 1. n. 3.* Decian. *tract. crimin. lib. 5. cap. 20. num. 8. vers. fallit tamen*, & alij, quos citat Farinac. *de hæret. q. 186. num. 22.* Moti ex textu *in cap. Si gratiosè, de rescript. in 6.* quatenus ibi delegati ad beneplacitum Sedis morte delegantis non finiuntur, secùs si delegati fuerint ad beneplacitum Romani Pontificis) non improbabiliter tamen adhuc negent Peña *3. parc. Directorij, q. 7. comment. 56. vers. sed vt verum fatear, & comment. 57.* Azor. *part. 1. Institu. moral. lib. 8. c. 18. q. 7.* Sousa *in aphorism. Inquisit. lib. 1. c. 2. n. 5.* & alij; ita vt adhuc iurisdictio sic delegati, nisi in literis delegationis expressum fuerit, morte delegantis non expiret.

Probatur, quia ob singularem fidei fauorem iurisdictio (etiamsi sub verbo Romani Pontificis concedatur) adhuc tamen ad beneplacitum Sedis Apostolicæ concessa censeri debet: aliàs contingere posset casus, in quo hæreses exstirpari non possent; cùm cesset qui poterat hæreticos inquirere, vel inquisitos punire; quod admitti non debet.

2 Objicies: Concessio facta ad beneplacitum Principis, expirat morte Principis. Ergo similiter, cùm quis eligitur Inquisitor ad beneplacitum Romani Pontificis. Consequentia patet à pari.

Antecedens probatur primò ab extrinseco, auctoritate; quia præter alios, quos suprà citabam, sic expressè tenet glossa *in Clement. 1. de probat. verb. Sedis*, & Imola *ibidem, notabil. 1.* & iterum Glossa *in cap. Si gratiosè, de rescript. in 6. verb. sua*, Ioan. Andr. *ibidem, n. fin.* Anchar. *n. 6.* Franch. *n. 7.* Archidiac. *n. 2.* Couarruu. *lib. 3. var. resol. cap. 15. n. 2.* Æneas de Falconibus *tract. de reseruation. q. 4. principal. effect. 6. n. 2.* Anton. Gabriel *lib. 6. commun. opin. tit. de prabend. conclus. 1. num. 20. & seqq.* Puteus *lib. 3. decis. 190. in fine*, Paris. *cons. 119. n. 18. & 20.* Cassador. *decis. 3. n. 1. & 2. de constitut.* Mandosius *in Regul. 1. Cancell. q. 1. & 10. n. 15.* 3 Simonet. *de reseruation. quæst. 147. per totam*: Et fauent Bartolus *in l. concessionis, §. finali, n. 9. ff. de verb. obligat.* & Iason *ibidem, n. 12.* (quatenus aiunt, quod quando iudex simpliciter iussit, aliquem esse in possessione, donec sibi placuerit, vel donec suum beneplacitum fuerit, per mortem iudicis cesset beneficium, & possessio, eo quòd voluntas ipsius morte finiatur, *l. 4. ff. locat.*) & patet *ex d. Clem. 1. de probat.* & *ex d. c. Si gra-* 4 *tiosè, de rescript. in 6.* (quatenus ibi dicitur, quod si gratiosè tibi à Romano Pontifice cõcedatur, vt beneficia, quæ tempore promotionis obtinebas, possis vsque ad suæ voluntatis beneplacitũ retinere, huiusmodi gratia per mortẽ Romani Põtificis, per quã ipsius beneplacitũ omninò extinguitur, hoc ipso quoque extinguatur.)

5 Probatur secundò ab intrinseco ratione, quia (cùm Princeps post mortem non ampliùs viuat) non potest ampliùs habere beneplacitum, nec dispositionem, *cap. vnico, §. final.* ibi: *Sublato Episcopo, ne Sede vacante aliquid immutetur.* Nec (cùm voluntas cesset per mortem) potest ampliùs habere voluntatem, *l. vxor, §. Scæuola, ff. de legat. 3. l. 4. ff. locat.* & *l. Centesimis, §. finali, de verb. oblig.* & docet ibi Ias. *d. §. finali, n. 5.* Glossa *in cap. A nobis, verb. non nisi, de sent. excommun.* Alex. *lib. 1. cons. 136. num. 1.* Hippolyt. *in rubric. de probat. n. 251.* Ancharan. *in cap. Si gratiosè, de rescript. in 6. num. 6.* Geminian. *ibidem, n. 13.* Franch. *num. 9.* Felin. *in cap. ex litteris, n. 10. de constit.* Ant. Gomez *lib. 3. c. 9. de transmis. hæred. num. 2. & cap. 5. de substitut. commiss. num. 27.* Menoch. *de arbitrar. centur. 5. cas. 498. num. 3.* & *de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 40.* & Gabriel. *conclus. 1. de præbend. n. 32. & seqq.*

6 Tertiò probatur à pari; quia (cùm voluntas morte finiatur) morte mandantis finitur mandatum, *l. mandatum, C. mandati*, & *§. rectè, Instit. Per quas personas.* Et ob eandem rationem morte superioris præcipientis finitur præceptum: Decius *in rubric. Cod. de mandat. Princip. n. 11. & 12.* quem sequuntur alij communiter. Et morte Principis, vel Iudicis, banni suspensionem ad beneplacitum concedentis, finitur suspensio talis banni, Decius *consil. 108. num. 2.* Angel. *cons. 217. n. 9. & seqq.* Mascard. *de probat. conclus. 188. n. 29. & 30.* Socinus Iunior *cons. 63. n. 12. lib. 2.* Marsill. *in rubr. Cod. de probat. n. 270.* Tiraquell. *in l. connubial. gloss. 4. n. 8.* Gratus *cons. 92. n. 1.* & Gozadin. *cons. 22. num. 10.* Quod tunc est magis certum, quando ad beneplacitum 7 subditur pronomen *meum, tuum, suum*, vel *nostrum*, &c. cùm tunc magis consideretur Persona, quàm dignitas; Abb. *in d. cap. si gratiosè*, Geminian. *ibidem, n. 11.* & Capyc. *decis. 136. n. 2. & 3.* 8

Respondetur: Transeat pro nunc antecedens (quod scilicet, cùm aliquid conceditur ad beneplacitum Principis, cesset concessio morte Principis.) At hoc fallit in casu nostro (quod scilicet similiter cùm quis eligitur Inquisitor ad beneplacitum Romani Pontificis, cesset authoritas talis Inquisitoris morte Romani Põtificis) ob fauorem fidei singularem, vti suprà dicebam.

Adde, nonnullos Doctores satis probabiliter senti- 9 re, quod quando Princeps aliquid concedit ad beneplacitum, concessio non cesset morte Principis, si concessio fiat in fauorem, & vtilitatem alicuius personæ particularis, Doctores quos sequitur Molina *lib. 1. de primogen. c. 15. n. 24. & seqq.* & Vantius *de nullitat. ex defectu iurisdict. delegat. n. 124.* vbi propterea dicit, quod si Princeps creet aliquem iudicem ad beneplacitum, talis iudex non amittat officium morte Principis 10 concedentis. Et propterea etiam ego Tractat. de Immunit. & Iurisdict. Ecclesiast. dicebam, quod licentia audiendi confessiones concessa ad beneplacitum, non cesset morte Ordinarij concedentis: Quodque non obstet fundamentum Aduersariorum in contrarium, si cum illis dicas, id præiudicare Ordinario successori, quia Ordinarius successor potest omnes tales, & quascumque alias licentias pro libito suo quandocumque voluerit reuocare.

Adde secundò (quod est plus) aliquos alios Docto- 11 res etiam satis probabiliter sentire, quod quando Iurisdictio, Beneficium, Gratia, vel Priuilegium, &c. conceditur ad beneplacitum Principis, non expresso eius nomine, non expiret morte Principis concedentis, eo quòd talis concessio magis denotat dignitatem, quàm personam. Decius *in cap. ex litteris, de constitut. in fin.* Ruinus *lib. 1. cons. 115. n. 5. & 7.* & *lib. 5. cons. 104.* Calderin. *cons. 3. tit. de rescript.* Capyc. *dec. 136. n. 1. & seqq.* (vbi subdit, quod Concilium Neapolitanum sic etiam senserit.) Mascardus *de probat. conclus. 88. verb. Beneplacitum, n. 1. & seqq.* (vbi illam reddit rationem, quod scilicet in dubio magis præsumitur beneplacitum apponi contemplatione dignitatis, quàm personæ) & Ludou. Gomez *in cap. 1. de constit. in 6. n. 2. & seqq.*

At (quidquid sit de his, quæ in dictis addendis ad- 12 debam) in eo conueniunt omnes Doctores, quod licèt forsan regolariter concessio si facta fuerit ad beneplacitum Romani Pontificis, cesset per mortem illius, non tamen cesset, si facta fuerit ad beneplacitum Sedis Apostolicæ; quia Sedes Apostolica nunquam moritur, Ioan. Andr. *in cap. Ne aliquis, de hæret. in 6. n. 2.* Geminian. *ibidem, n. 4.* Franch. *n. 2.* Syluest. *verb. hæreticus 2. n. 3.* & Decian. *in tract. criminal. lib. 5. c. 20. n. 8.*

SECTIO VIII.

A quonam Inquisitoris Iurisdictio reuocari possit?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitoris Iurisdictio absque dubio reuocari potest à Summo Pontifice, qui eam concedit.*

a Inquisi

1 *Inquisitoris Iurisdictio olim poterat reuocari à Generali Sancti Dominici, & S. Francisci respectiuè quoad suos Religiosos, quibus ex Pontificiis Constitutionibus ea concedebatur. At modò quia successerunt Eminentissimi Cardinales in dicta facultate eligendi, ab ipsis reuocari potest, & ab Inquisitore Generali pro Hispania.*

1 RESpondetur: Absque dubio reuocari potest à Summo Pontifice, qui eam concedit; in quo, cùm nulla sit difficultas, Doctores omnes conueniunt.

2 Cæterùm, cùm olim Inquisitores non solùm eligerentur à Summo Pontifice, sed etiam à Patre Generali, & Prouinciali, eiusque Ministris, tam in Ordine Sancti Dominici, quàm Sancti Francisci, meritò ex Constitutione Innocentij IV. quæ incipit *licèt ex omnibus*, & ex altera Constitutione Clementis IV. quæ incipit similiter *licèt ex omnibus*, apud Peñam 3.*part.director.q.9. comment.*58. & apud Farinac. *q.*186.*n.*32. concessum fuit iis superioribus, quod possint, si sic expedire iudicauerint, à se Clericos auctoritate Apostolica remouere: At cùm hodie Inquisitores non eligantur ab iis Generalibus, vel Prouincialibus, sed pro tota Italia eligantur ab Eminentissimis Cardinalibus Vniuersali Inquisitioni Præsidentibus, & pro tota Hispania ab Inquisitore Generali, ab his tantùm à se electi, si sic expedire visum fuerit, de vno loco in alium transferri, vel ab Officio remoueri possunt, Peña & Farin. *in locis suprà citatis*, Azor. *part.* 1. *Instit.moral. lib.*8.*cap.*18.*q.*9. & alij passim.

SECTIO IX.

An sine vlla causa, sed solo libero eligentium arbitrio huiusmodi Inquisitores electi ex vno loco in alium transferri, vel ab officio remoueri possint?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores prædicti licet secundùm aliquos sine vlla causa, sed solo libero eligentium arbitrio ex vno loco in alium transferri possint, vel ab Officio remoueri; probabilius tamen est oppositum, non posse scilicet sine legitima causa ipsis Inquisitoribus inuitis de vno loco in alium mutari, vel ab Officio remoueri, siue ab Eminentissimis Cardinalibus, siue à Generali Hispaniarum Inquisitore; quia in indulto habentur hæc verba: Si ita expedire vobis videbitur. Quæ non important arbitrium plenum, sed arbitrium regulatum Iure, & æquitate.*

2 Expedire, *verbum conuenientiã ipsius Officij continet.*

3 Si ita vobis videbitur, *clausula importat boni viri arbitrium, ac proinde ratione, & lege regulatum.*

4 *Eminentissimorum Cardinalium, & Generalis Inquisitoris Hispaniarum arbitrio licèt commissa sit potestas mutandi, vel remouendi Inquisitores ab ipsis electos, adhuc credendum non est, quod liberum eis sit, prout voluerint facere; sed omninò eorum placitum Iure, & æquitate firmari.*

5 *Ratio remouendi aliquos est conuenientia Officio Inquisitionis.*

6 *Neque obstat, quod Inquisitor Generalis in delegatione dixerit: Vices suas committere, donec ipse non reuocauerit, seu ad suum beneplacitum; quia adhuc non poterunt sine iusta causa ab Officio remoueri.*

1 AFfirmant Doctores, quos sequitur Molina *de iustitia & iur.tract.*5. *disp.*28.*n.*7. *vers.Neque obstat* (quatenus aiunt, huiusmodi Inquisitores esse ad nutum Inquisitoris Generalis amouibiles) & probant, quia in literis electionis huiusmodi Inquisitorum dicitur, quod sint electi *dum nostra voluntas fuerit*. Quæ verba indicare videntur liberum, & absolutum arbitrium, non iure, & æquitate regulatum. Doctores, quos sequitur Menoch. *de arbitr.lib.*1.*q.*7.*n.*2. Sed quoties negotium in pleno, & libero arbitrio alicuius situm est, is expedire illud potest pro voluntate (secluso tamen dolo, nullis legibus subiecta. Doctores, quos sequitur idem Menoch. *loco suprà citato*, *q.*6. Ergo Inquisitores ab Eminentissimis Cardinalibus, vel à Generali Inquisitore electi pro libera voluntate ipsorum eligentium mutari de loco ad locum, vel ab Officio remoueri possunt. His tamen non obstantibus.

Respondetur, multò probabilius esse oppositum (quod docent Eymer. 3.*p.directorij*,*q.*10. & ibi Peña *comment.*59. Zecch. *sum.part.*1. *tit.de fide, rubrica de hæresi*,*c.*11.*n.*13. Vmbertus Locat. *in iudicial. Inquisit. verb.Inquisitor*,*n.*38. Azor. *part.*1 *Instit.moral.lib.*8.*c.*8. *q.*9. *vers.si quæras*, & alij, quos sequitur Farin. *q.*186. *n.*33.) non posse scilicet sine legitima causa huiusmodi Inquisitores inuitos de vno loco in alium mutari, vel ab Officio remoueri, siue ab Eminentissimis Cardinalibus, siue à Generali Hispaniarum Inquisitore.

Probatur, quia in supradictis decretis, in quibus conceditur prædictis personis potestas mutandi de loco in locum, vel remouendi ab Officio Inquisitores electos, semper subduntur illa verba, *Si ita expedire vobis videbitur*. At hæc verba non indicant arbitrium plenum, sed arbitrium regulatum Iure, & æquitate: ergo. Maior & consequentia patent. Minor probatur, quia verbum 2 illud, *expedire*, conuenientiam ipsius Officij continet, iuxta textum *in c.non solùm, de Regular.in* 6. & tradunt Doctores, quos citant, & sequuntur Peña 3.*part. directorij*, *q.* 10. *comment.*59. *vers. quæ autem sine causa*, & Menoch. *lib.*1. *de arbitrar.q.*8.*n.*5. Tum quia alterum 3 verbum illud, *si ita vobis videbitur*, etiam denotat boni viri arbitrium, ac proinde ratione, & lege regulatum; Doctores, quos sequuntur Peña *loco suprà citato*, & Menoch. *cit.q.*8.*n.*2. & *l.si fideicommissaria libertas* 2. *in principio ff. de fideicommiss.libert.* & ex *l.fideicommissa*, *§.quamquam, de legat.*3. Ergo.

Confirmatur, quia tametsi Eminentissimorum Cardinalium, & Generalis Hispaniarum Inquisitoris arbi- 4 trio commissa esset potestas mutandi, vel remouendi Inquisitores ab ipsis electos, adhuc credendum non est, quod liberum illis sit, prout voluerint, facere; sed omninò eorum placitum Iure, & æquitate firmari debet. Doctores, quos sequitur Menoch. *vbi suprà*, *q.*8. *n.*7. & *seqq.præcipuè* 47. Quatenus probat, quod causa ad beneplacitum alicuius commissa, secundùm boni viri arbitrium commissa censeri debeat. Idemque subdunt esse dicendum, si causa eius potestati committitur.

Confirmatur secundò, quia quod ratio aliqua ad 5 hanc mutationem, vel remotionem faciendam requiratur, Officio Inquisitionis conuenientius est: Ergo ita dicendum. Consequentia patet: Antecedens probatur; quia sic Inquisitores magis reuerebuntur, & magis exactè negotia fidei tractabunt, scientes quod non pro libito, sed causa rationabili solùm remoueri possint, & debeant.

Atque hinc patet ad fundamentum in contrario: 6 Neque obstat, quod Inquisitor Generalis v.g. in delegatione dixerit vices suas committere, donec ipse non reuocauerit, seu ad suum beneplacitum, quia adhuc non poterunt sine iusta causa ab Officio remoueri, siquidem concessio facta ad beneplacitum perpetua esse dicitur; ita Doctores, quos sequitur Menoch. *q.*69. Et beneplacitum significat arbitrium boni Viri; sic Doctores, quos sequitur idem Menochius *q.*6.*n.*10. vide quæ dicebam *Tractat.de Immunit.& Iurisdict. Ecclesiast.c.*14. *dubit.*18. *sect.*11.

SECTIO X.

Quænam sint causæ, ob quas Inquisitores ab Officio remoueri possint?

SVMMARIVM.

1 *Tres sunt causa ob quas Inquisitores ab Officio remoueri possunt, impotentia scilicet, negligentia, & iniquitas, maximè pratextu Officij commissa, ita vt qualibet istarum, etiam seiunctim sumpta per se sufficiens sit ad remotionem faciendam.*

2 *Impotentia ideò est causa sufficiens remotionis, quia Officium datur ob exercitium.*

3 *Sub impotentia veniunt infirmitas, senectus, & ignorantia; cùm hac omnia Officio exercendo impedimentum prastent.*

4 *Limita de infirmitate, non intelligi de quacumque, sed de perpetua, vel quasi perpetua.*

5 *Limita de senectute, si rectum iudicium tollat, aliàs non.*

6 *Limita de ignorantia, si tanta sit, vt ignoret ea, qua ad Officium exercendum requiruntur.*

7 *Negligentia sufficiens causa est remotionis, quia in quolibet Officio sufficientem occasionem prabet, vt qui illam in Officio committit, ab Officio remoueatur.*

8 *Negligentia hac non solùm contingit quando quis aduersus Hareticos, aut de haresi suspectos non procedit simpliciter; sed etiam quando non procedit debito tempore, ob quod forsan capiendus aufugit.*

9 *Negligentia qualibet in haresis crimine extirpando grauis censetur, cùm sit crimen valdè graue, & Reipublica Christiana perniciosum.*

10 *Negligentia hac si sit odij, amoris, vel lucri causa, prater debitam remotionem ab Officio, si fuerit Episcopus, ipso facto per triennium ab Officio suspenditur; reliqui verò excommunicationem Pontifici reseruatam incurrunt.*

11 *Episcopus, siue Inquisitor ex quocumque fine, si in hareticis inquirendis, & puniendis negligentia graui negligentes fuerint, fautoriam haresis incurrunt.*

12 *Iniquitas prabet sufficientem occasionem remouendi Inquisitorem ab Officio, quia non meretur Officium retinere qui in Officium delinquit, prasertim in Officium ita sacrum & pium.*

13 *Inquisitor, si pratextu Sancti Officij pecuniam extorqueat, est remouendus ab Officio.*

14 *Pecunia nomine venit qualibet res pretio astimabilis.*

15 *Limita, si iniquitas commissa sit pratextu Officij; quia tunc pracipuè prabet occasionem, vt qui eam committit, remoueatur ab Officio.*

16 *Qualibet grauis iniquitas, seu quodlibet graue crimen sufficiens causa est, vt Inquisitor remoueatur propter magnum scandalum, quod aliis prabet.*

1 REspondetur, quamvis Molina *de Iustit, tom. 5. tr. 5. disp. 28. n. 7.* sentire videatur, quod remoueri, & multò magis de loco ad locum mutari possint ad libitum Inquisitoris Generalis: sunt tamen ex probabiliori sententia Doctorum tres causæ, ob quas Inquisitores ab Officio remoueri possint: Impotentia scilicet, negligentia, & iniquitas, maximè prætextu Officij commissa; ita vt quælibet istarum, etiam seiunctim sumpta, per se sufficiens sit ad remotionem faciendam. Eymer. 3. *part. direct. q. 12. n. 5.* ibid. Peña *comment. 61. & q. 10. comment. 59.* Zech. *sum. part. 1. tit. de fide*, Rub. *de haresi, c. 11. n. 13.* Zanard. *in director. Theolog. part. 2. cap. 6. q. 9. & 19.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 18. q. 9.* & alij communiter, quos citat, & sequitur Farinac. *q. 186. n. 33.* & Ferdinand. de Castro *in oper. moral. tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 12. §. 2. num. 20.*

2 Et primò quoad impotentiam probatur, quia Officium datur ob exercitium. Ergo impotens illud exercere, non est cur illo priuari non debeat.

3 Aduerte tamen, quod sub impotentia comprehendatur infirmitas, senectus, & ignorantia, cùm hæc omnia Officio exercendo impedimentum præstent.

4 Infirmitas tamen non quæcumque, sed perpetua, vel quasi perpetua: Hæc enim sola reddit hominem Officio exercendo ineptum absolutè: Temporalis autem solùm secundùm quid, tempore scilicet limitato, pro quo tempore limitato poterit quis constituere Vicarium, & sic supplere impotentiam, quemadmodum si ob iustam causam pro limitato tempore absens esset.

5 Senectus, si rectum iudicium tollat, aliàs non.

6 Ignorantia, si tanta sit, vt ignoret ea, quæ ad Officium exercendum requiruntur, non enim fas est Inquisitori omnia consultorum consilio remittere, quasi ipse solùm sit Inquisitor, & non Iudex, cùm & ipse scire debeat rationes perpendere, difficultates examinare, & sic quod sciri conformius est, pronuntiare.

7 Secundò quoad negligentiam probatur, quia negligentia in quolibet Officio sufficientem occasionem præbet, vt qui illam in Officio committit, ab Officio remoueatur, ex textu *in cap. si qui Episc. 2. q. 1. in l. vltima, ff. vbi Pupill. educ. deb. & in l. si quis, C. de Prafecto Pratorio*, & docent communiter Doctores, quos citat, & sequitur Clarus *lib. 5. sentent. Iur. §. final. q. 76. vers. Item Iudex*, & Menoch. *de arbitr. lib. 1. q. 55. n. 14.*

8 Aduerte tamen, quod hæc negligentia non solùm contingit quando quis aduersùs hæreticos, aut de hæresi suspectos non procedit debito tempore, ob quod forsan capiendus aufugit, aut aufugere poterat, aut interim hæreses disseminauit.

9 Aduerte 2. quod cùm hoc crimen hæresis sit valdè graue, & Reipublicæ Christianæ perniciosum, quælibet negligentia in illo extirpando grauis defectus censetur, vt propterea meritò occasionem sufficientem semper præbeat ab Officio negligentem remouendi.

10 Aduerte 3. quod si hæc negligentia sit odij, amoris, vel lucri causa, propter debitam remotionem ab Officio, si fuerit Episcopus, ipso facto per triennium ab Officio suspenditor: Reliqui verò excommunicationem Pontifici reseruatam incurrunt, ex textu *in Clem. 1. §. verùm, de hareticis.*

11 Aduerte 4. quod ex quocumque fine, siue Episcopus, siue Inquisitor in hæreticis inquirendis, & puniendis negligentes fuerint negligentia graui, fautoriam hæresis incurrant, ex textu *in cap. qui potest obuiare, 23. quast. 3. & in cap. Quanta, de sontent. excommunicat.* & tradunt communiter Doctores, quos citat, & sequitur Farinac. *quast. 182. num. 24.* & *quast. 186. numero 147.*

12 Tertiò quoad iniquitatem, præsertim si sit commissa prætextu Officij, quod & hæc præstet sufficientem occasionem remouendi ab Officio iniquum, patet quia non meretur Officium retinere, qui delinquit in Officium, præsertim in Officium ita sacrum, & pium. Peña *3. p. directorij, quast. 12. comment. 61. vers. denique*, Menoch. *de Arbit. lib. 1. quast. 55. num. 15.* & alij complures, quos citat, & sequitur Farinac. *q. 186. n. 34.*

13 Hinc sequitur, quod si illicitè pecuniam extorqueas prætextu sancti Officij, dignus efficeris, vt ab Officio remouearis, ex textu expresso *in Clem. 2. de haret.* vbi Pontifex postquam sententiam excommunicationis aduersùs Inquisitores, & Commissarios pecuniam illicitè extorquentes fulminauit, mandat eos ab Officio remoueri, & amotos aliis pœnis arbitrariis puniri.

14 Aduerte 5. quod sub nomine pecuniæ veniat quælibet res pretio æstimabilis. Gloss. *in cit. Clement. 2. verb. Pecunia*, Peña *3. part. directorij, quast. 12. comment.*

comment. 61. vers. nomine pecuniæ, & alij communiter, quos citat, & sequitur Farin. q. 189. n. 139.

Aduerte 6. quod dixerim, *præsertim si iniquitas sit commissa prætextu Officij*, quia tunc iniquitas præcipuè præbet occasionem, vt qui eam committit, remoueatur ab Officio.

16 Cæterùm (cùm Officium Inquisitoris exigat viros prudentia, doctrina, & omni virtute perspicuos, iuxta constitutionem Vrbani IV. quæ incipit *Præ cunctis*, apud Vmbert. Locat. *in Iudicial. inquisit. verbo Inquisitor*, n. 3. & apud Farinac. q. 186. n. 54.) quælibet grauis iniquitas, seu quodlibet graue crimen, præsertim si scandalum generet, sufficiens est, vt à prædicto Officio Inquisitoris iniquus remoueatur.

SECTIO XI.

Quænam sint causæ, ob quas Inquisitores de loco in locum mutari possint?

SVMMARIVM.

1 *Eminentissimi Cardinales Sanctæ Inquisitionis, & Generalis Inquisitor Hispaniarum mutare possunt Inquisitores de loco ad locum pro maiori Officij conuenientia; quia sic expedit potestati gubernatiuæ illis commissæ.*

2 *Neque ad hanc mutationem faciendam opus illis est conuenientiam iuridicè probare: Aliàs rarò possent mutare inuitos.*

1 Respondetur, siue ab Eminentissimis Cardinalibus, siue à Generali Hispaniarum Inquisitore Inquisitores à se electos de loco in locum mutare posse, quamuis hi nullam culpam commiserint; si tamen illis visum fuerit, Officio Inquisitionis, etsi non ei, qui mutandus est, talem mutationem conuenientiorem esse; quia sic expedit potestati gubernatiuæ illis commissæ.

2 Neque ad hanc mutationem faciendam opus illis est conuenientiam iuridicè probare; aliàs rarò possent mutare inuitos, & transferre Inquisitores ad loca infecta, vbi forsan eorum industria necessaria videtur, sicque sequeretur, causam fidei non mediocriter periclitari, quapropter hoc negotium eorum conscientiæ, & prudentiæ relictum est; qui re benè considerata, non odio, sed fidei zelo ducti hanc mutationem facere debebunt, vt v.g. si Inquisitor sit vir multùm aptus ad negotia, & locus, in quo manet, non requirat (sicut requirit locus alter) personam adeò aptam, vel si contra Inquisitorem sint suscitatæ rixæ, & odia capitalia cum periculo scandali; quamuis hæc contra Inquisitorem suscitata sint ob iniustam causam (eo quod scilicet meritò contra aliquos processerit) de meliore inquisitione prouidendus sit, ne puniatur quando præmiari deberet, Zanard. *in direct. Theol. part. 2. c. 6. q. 9. & 19.* Et videri etiam potérit Peña *in direct. Inquisit. part. 3. q. 10. comment. 59.* Zecch. *in sum. tom. 1. tit. de fide, c. 11. n. 13.* & Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 18. quæst. 9.*

SECTIO XII.

Quænam ætas requiratur in Inquisitoribus.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores si non eligantur à Summo Pontifice, spectato Iure communi, requiritur quod attingant quadragesimum annum.*

2 *Amplia id adeò verum esse, vt aliàs electio, vtpotè contra formam præscriptam, & conditionem à Iure requisitam facta nullius sit valoris.*

3 *Excipe Inquisitores Hispaniarum, qui ex speciali Summi Pontificis priuilegio eligi possunt, si vigesimum annum solum attingant.*

4 *Quænam sit ratio, cur in Inquisitore requiratur quadragesimus annus, cùm in Episcopo hoc ipsum Officium exercente sufficiat vigesimus?* Vide ibi.

5 *Ætas 40. annorum, quæ requiritur in Inquisitoribus, non requiritur secundùm probabiliorem sententiam in eorum Vicariis, seu Commissariis, sed sufficit ætas 30. annorum, videlicet quod eos attingant; quia sic expressè decreuit Clemens VII.*

6 *Vicario, seu Commissario rarò committitur integra Inquisitionis potestas.*

7 *Vicarius seu Commissarius quoad alias qualitates debet esse doctus, probus, & ad Officium exercendum idoneus, qualis debet esse Inquisitor.*

8 *In Vicarium, seu Commissarium semper eligi solet Clericus, qui in illa Ciuitate, & Ecclesia aliquam dignitatem præeminentem habeat.*

Respondetur: spectato Iure communi, si Inquisitores non eligantur à Summo Pontifice, requiritur, quod attingant quadragesimum annum. Doctores communiter, ex textu *in Clem. Nolentes, de hæreticis*, ibi: *Statuimus, nullis ex nunc, nisi qui quadragesimum ætatis annum attigerint, Officium Inquisitionis prædictæ committi Inquisitoribus.* Et notat ibi Glossa *verb. Quadragesimum*, Ancharan. *n. 1.* & Imola *n. 1.* 1

Et hoc adeò verum est, vt aliàs electio, vtpotè contra formam præscriptam, & conditionem à Iure requisitam facta, nullius valoris sit, Glossa *in citata Clem. Nolentes, verb. committi*, quam sequuntur ibi communiter Canonistæ, & Moscouius *de maiest. milit. Eccl. lib. 1. part. 1. c. 11.* Homobonus de Bonis *in tr. de statib. part. 1. c. 8.* & alij quos citat, & sequitur Farin. *q. 186. n. 50.* Videantur præter alios Anchar. *n. 2.* & Zabarella *n. 3.* 2

Excipiunt tamen Simanch. *de cathol. institut. tit. 34. n. 12.* & Peña *3. part. directorij, q. 2. comment. 51.* Zanard. *in direct. Theol. part. 1. c. 6. q. 12.* & Rojas *singul. 106. n. 7.* Inquisitores Hispaniæ, qui ex speciali Summi Pontificis priuilegio, inquiunt ipsi, eligi possunt, si vigesimum annum solùm attingant. 3

Ratio verò, cur in Inquisitore requiratur 40. annus, cùm in Episcopo hoc ipsum Officium exercente sufficiat vigesimus, illa est; quia de Episcopi moribus, Doctrina, & prudentia fit ante electionem accurata diligentia, quæ tamen non præmittitur in electione Inquisitoris; Quapropter mirum non est, quare in Episcopo, tanquam in persona aliàs cognita idonea ad Officium Inquisitoris exercendum non requiratur annus quadragesimus, qui tamen requiritur in Inquisitore aliàs idoneo non probato. 4

Dixi, requiri annum quadragesimum in Inquisitoribus, si non eligantur à Pontifice, quia de illis Inquisitoribus tantùm loquitur textus *in dicta Clem. 2.* sicuti constat ex illis verbis: *Committi Inquisitoribus.* Quæ verba explicans Glossa, inquit, *Per Prælatos Prouinciales vel Ministros suorum Ordinum, quibus deputatio talium à Sede Apostolica est commissa*: Quapropter si immediatè eligantur à Pontifice, non videtur necessarium, quod annum 40. attingant, sed in quacumque ætate eligantur, valet eorum electio, etiamsi Pontifex eorũ ætatem ignorauerit. Doctores, quos citat Zanard. *in direct. Theol. part. 1. c. 6. q. 12.* & Farin. *de hæresi, q. 186. n. 51.* subdens, hoc ipsum procedere in Inquisitoribus à Cardinalium S. Inquisitionis Consistorio electis, quia eliguntur de scientia Summi Pontificis.

An autem eadem ætas quadragesimi anni, quæ requiritur in Inquisitoribus, requiratur etiam in Vicariis, seu Commissariis Inquisitorum, & Episcoporum? 5

Respondetur, quod (quamuis affirment Glossa, & Andreas *in dicta Clem. 1. de heret.* eo quòd tales Vicarij, seu Commissarij loco Inquisitorum substituuntur, & substitutus naturam principalis sapere debet, ex textu *in l. Parabolam, cod. de Episc. & Cleric.*) Nihilominus dicendum sit, sufficere quod attingant solùm 30. annum, quia sic expressè decreuit Clemens VII. in Constitutione, quæ incipit: *Cum sit*, apud Peñam in fine directorij, inter litteras Apostolicas, ibi: *Decernimus insuper, vt vestros Vicarios, siue Commissarios instituere valeatis, viros scientia probos, prouidos, aptos, & idoneos: dummodo ætatis vigesimum annum attigerint*, & notant communiter Doctores apud Molinam *de iust. & iur. tract. 5. disp. 38. num. 23.* Peñam *in director. inquisit. part. 3. comment. 61. & 65.* Vmbert. Locat. *in iudic. inquisit. verb. inquisitor, n. 4.* & Azor. *part. 1. lib. 8. cap. 18. q. 4. vers. quares deinde.*

6 Neque mirum esse debet, quod minor ætas requiratur in Vicario, seu Commissario, quàm in Inquisitore; quia raró Vicario, seu Commissario committitur integra Inquisitoris potestas.

7 Cæterùm quoad alias qualitates certum est, quod Vicarius, seu Commissarius debeat esse doctus, probus, & ad Officium exercendum idoneus (qualis debet esse Inquisitor, iuxta Constitutionem Vrbani IV. quæ incipit, *Præ cunctis*, apud Vmbertum Locatum *in iudicial. inquisit. verb. Inquisitor, n. 5.* & nos dicebamus suprà, & tradunt communiter Doctores, Eymer. *3. part. Directorij, quæst. 1.* & ibi Peña *comment. 50.* Vmbert. Locat. *vbi suprà*, & Simanch. *de cathol. instit. tit. 34. rubrica de inquisitor. Apostolic. n. 8. & 10.*)

8 Quapropter in Vicarium, seu Commissarium semper eligi solet Clericus, qui in illa Ciuitate, & Ecclesia aliquam dignitatem præeminentem habeat; Doctores passim vide, quos citat, & sequitur Farin. *q. 186. n. 55.*

SECTIO XIII.

An Inquisitores debeant scientia Theologiæ, vel potiùs Iuris Canonici pollere?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores pollere debent vtraque scientia, Theologia, vt hæreses cognoscant; Iuris Canonici, vt causas, & lites decidere possint:*
2 *quamuis alij putent, quod potiùs scientia Theologiæ pollere debeant; quia ipsi de propositionibus, & factis hæreticalibus iudicare debent. Reliqua verò alia possunt fieri simul cum Notario, & Fiscali.*
3 *Inquisitores secundùm alios potiùs tenentur pollere scientia Iuris Canonici; quia in causis fidei plura vt Iurisperiti, quàm vt Theologi, efficere debent.*
4 *Inquisitor, si simus in Terris propinquis hæreticis, magis expedit bono Religionis, quod polleat Theologia, quàm scientia Iuris Canonici. Secus si simus in Terris ab hæreticis valdè distantibus, & vbi non sunt adeò frequentes casus hæreticales.*
5 *Inquisitoris munus, cùm sit inquirere contra hæreticam prauitatem, videtur quod primariò exigat scientiam, qua cognoscat, & qualificet propositiones, quod spectat ad Theologum: secundariò verò, quod decernat pœnas in foro exteriori, quod spectat ad Iuristam.*
6 *Inquisitor absolutè, & simpliciter debet magis callere Sacram Theologiam, quàm Ius Canonicum, quia ratio ob quam Innocentius IV. & Clemens IV. concesserunt Generalibus S. Dominici, & Sancti Francisci facultatem eligendi Inquisitores suos Religiosos, fuit Doctrina Sacra Theologia; quam hi Ordines profitebantur, & profitentur.*
7 *Theologus insignis vix reperitur, qui non sit etiam excellens Canonista. Et in praxi in Italia Inquisitores eliguntur Sacra Theologia magistri, &c.*

REspondetur, quod pollere debeant vtraque scientia, Theologiæ, vt hæreses cognoscant; Iuris Canonici, vt causas, & lites decidere possint, Azor. *part. 1. instit. moral. lib. 8. cap. 18. q. 3.* & alij, quos sequitur Farin. *q. 186. n. 54.* 1

Quamuis alij putent, quod potiùs scientia Theologiæ pollere debeant; quia ipsi de propositionibus, & factis hæreticalibus iudicare debent, processus autem formare, testes examinare, & de causa iudicare, simul cum perito Notario, Fiscali, & suis Consultoribus explere possunt: Peña *3. part. direct. comment. 50.* & Zanard. *in director. Theolog. part. 2. cap. 6. q. 12.* 2

Alij autem, quod potiùs scientia Iuris Canonici pollere teneantur, quia Inquisitores in causis fidei plura vt Iurisperiti, quàm vt Theologi, efficere debent, Scacc. *de Iudic. lib. 1. cap. 87. n. 10.* & Simanch. *de cathol. Instit. tit. 41. n. 3.* subdens, experientia iam olim in Hispania compertum fuisse, quod longè vtilius, & commodius sit Inquisitores eligi Iuris, quàm Theologiæ peritos. 3

At respondeo distinguendo: si simus in Terris propinquis ad Hæreticos, magis expedit bono Religionis, quod Inquisitor polleat Theologia, quàm scientia Iuris Canonici. Secùs verò, si simus in Terris ab hæreticis valdè distantibus; & vbi non sunt adeò frequentes casus hæreticales. 4

Probatur responsio quoad primam partem, quia cùm ibi sit maius periculum peruersionis, debet esse Inquisitor Theologus, qui tanquam medicus cognoscendo morbos, in hæresum luem salutaria adhibeat antidota; cùm enim sit Theologi, non Iuristæ, decidere quænam sint, vel non sint propositiones erroneæ, seu hæreticæ, Inquisitor magis pollere debet Theologia, quàm Iure Canonico. Quoad secundam partem pariter probatur; quia non est periculum tantæ peruersionis in locis distantibus ab hæreticis, satisque populus deterretur per executionem Iuris Canonici, & alioquin cùm Inquisitores habeant Consultores, si quid dubij occurrerit, possunt Theologos consulere: quod licèt possint etiam facere Iuristæ, attamen cum munus Inquisitoris sit inquirere contra hæreticam prauitatem, videtur quod primariò exigat scientiam, qua cognoscat, & qualificet propositiones (quod spectat ad Theologum;) secundariò verò, quod decernat pœnas in foro exteriori, quod spectat ad Iuristam: & id pro conciliandis his duabus opinionibus. 5

At vt verum fatear, absolutè, & simpliciter debet Inquisitor magis callere Sacram Theologiam, quàm Ius Canonicum. Probatur; quia ratio, cur Innocentius IV. & Clemens IV. concesserint Generalibus Ordinis Sancti Dominici, & Ordinis Sancti Francisci facultatem eligendi Inquisitores suos Religiosos, fuit doctrina, quæ viguit, & viget in his Ordinibus; at hæc fuit, & est Sacra Theologia: ergo simpliciter Inquisitor debet potiùs esse Theologus, quàm Iurista. 6

Addo tamen, quod raró reperitur Theologus excellens, quin sit etiam excellens Canonista, vt videre est ex tam insignibus operibus Theologorum, non solùm Sacra Theologia, verùm etiam Iure Pontificio refertis.

Amplia, in praxi etiam id seruari in Italia, vbi vt plurimùm Inquisitores assumuntur Religiosi Sancti Dominici, & Sancti Francisci, & aliorum Ordinum Sacræ Theologiæ Magistri. Vbi cùm simus in Regione partim subiecta Summo Pontifici, partim etiam Romæ propinquiori, præsumi potest, ita seruari de scientia Pontificis approbatiua. 7

SECTIO

SECTIO XIV.

A quonam Inquisitores, si delinquant (etiam extra crimen hæresis) siue in officio, siue extra, & item siue sint Regulares, siue Clerici sæculares, puniri debeant.

RESpondetur: De hac re dicam infrà, *Sectione 30.*

SECTIO XV.

An Inquisitores, si tradant Curiæ sæculari reum debita pœna puniendum, secuta morte illius, irregulares efficiantur? Vbi etiam, an possint illum sic tradere, & à principio (si sit Religiosus, Nobilis, vel aliqua ratione insignitus) ad carcerem comprehendere, inconsulto supremo Senatu sanctæ Inquisitionis.

RESpondetur: De hac re dixi suprà *Dubit. 162. Petitione 4. per totam.*

SECTIO XVI.

An Inquisitorum iurisdictio sit, non solùm in ordine ad causas fidei, sed etiam aliquando in ordine ad alias causas, tam criminales, quàm ciuiles.

SVMMARIVM.

1 *Iurisdictio Inquisitorum non solùm est in ordine ad causas fidei, sed etiam aliquando in ordine ad alias causas, tam criminales quàm ciuiles, videlicet suorum familiarium, & Officialium, priuatiuè quoad alios. Et alij Iudices si capiant illorum delinquentes, tenentur eos remittere Inquisitorum iudicio.*

2 *Excipe committentes crimen læsæ Maiestatis, rebellionis, seditionis publicæ, proditionis, raptus, mandatorum Regalium despectus, eorumque iudicibus resistentiæ, Ecclesiæ effractionis, seu violationis, sodomiæ, Monasterij incendiarios, & similes, quia expedit, quod tales à Iudice sæculari, qui pœnam mortis imponere potest, iudicentur, ne prætextu exemptionis talia crimina committere audeant.*

3 *Inquisitores quoad causas ciuiles habent iurisdictionem solùm respectu Officialium, qui sunt à secretis.*

4 *Inquisitores habent familiam armatam, vulgò familiares, quorum causæ tam ciuiles, quàm criminales in Inquisitione Valentina ad Inquisitorum cognitionem pertinent, iuxta concordiam nouam, & antiquam initam inter Regiam maiestatem, & sanctam Inquisitionem.*

5 *Idem obseruatur in Regno Siciliæ, vbi Inquisitio formata per Iudices sæculares contra familiares S. Officij dicti Regni nulla est, & inualida; neque enim ciuiliter, neque criminaliter coram Iudice laico conueniri possunt.*

6 *Idem obseruatur in Catalonia, in Regno Aragoniæ, & Maioricarum.*

7 *Viduæ etiam in Regno Siciliæ gaudent priuilegio fori, sicut gaudebant viuente Marito gaudente dicto priuilegio; quia vxor dum viduitatem seruat, licèt non sit reuera, dicitur tamen quodammodo vxor viri, quem priùs habebat.*

RESpondetur affirmatiuè; ita vt scilicet Inquisitores Iurisdictionem etiam habeant in ordine ad causas criminales suorum familiarium, & Officialium priuatiuè, & alij Iudices non possint se intromittere in illis iudicandis, sed possint solùm capere delinquentes; at illos captos teneantur remittere Inquisitorum iudicio. Rojas *singul.* 101. Paramus *de origine S. Inquisit. lib. 3. quæst. 6. num. 27.* Simanch. *de Cathol. instit. tit. 41. rubr. de Ministris, num. 19. & seqq.* Farinac. *quæst. 186. num. 38.* Ioan. de Heuia *in Curia Philippic. part. 3. §. 1. num. 19.* Narbona *in Recopil. lib. 4. tit. 1. leg. 20. gloss. 1. & seqq.* & alij communiter. 1

Excipe tamen committentes crimen læsæ Maiestatis, rebellionis, seditionis publicæ, proditionis, raptus, mandatorum Regalium despectus, eorum Iudicibus resistentiæ, Ecclesiæ effractionis, seu violationis, sodomiæ. Excipe etiam Monasterij incendiarios, & similes; quia expedit, quod tales à Iudice sæculari, qui pœnam mortis imponere potest, iudicentur, ne prætextu exemptionis, hæc tam grauia, & tam Reipublicæ perniciosa crimina committere auderent: ita iidem Doctores *in locis suprà citatis.* 2

Quoad causas tamen ciuiles videtur aliquibus, quod prædicti Inquisitores iurisdictionem habeant solum respectu Officialium, qui sunt à secretis: ita vt hi solùm conueniri, & conuenire debitores possint coram Inquisitoribus, non autem alij Officiales externi: qua de re tamen dixi diffusè *tract. de Immunit. & Iurisdict. Ecclesiast.* 3

Et videri interim potest Rojas *de hæresi. part. 2. num. 422.* vbi ait, quod Inquisitores habeant familiam armatam, vulgò *familiares*, quorum causæ tam ciuiles, quàm criminales in Inquisitione Valentina ad Inquisitorum cognitionem pertinent, iuxta concordiam nouam, & antiquam initam inter Regiam Majestatem, & Sanctam Inquisitionem. Quod etiam obseruatur in 4
Regno Siciliæ, teste Paramo *de origin. Inquisit. lib. 3. q. 6. n. 27.* vbi inquit, quod inquisitio formata per Iudices sæculares contra familiares sancti Officij Regni Siciliæ nulla sit, & inualida, quia isti coram Iudice laïco neque ciuiliter, neque criminaliter conueniri possunt; cum gaudeant foro Sancti Officij, scilicet foro Ecclesiastico, tam ex illius Regni iure municipali, quàm ex Iuris Pontificij decisionibus, priuilegiis, consuetudine immemoriali, & concordatis inter Regem, & Inquisitores anno 1580. initis. Quod & etiam obseruatur in Catalonia, & in Regno Aragoniæ, & Maioricarum, teste Narbona vbi suprà *num. 14. & gloss. 6. n. 2.* qui etiam *num. 75.* ex Paramo, & aliis obseruat, quod in dicto Regno Siciliæ gaudeant priuilegio fori non solùm familiares, sed etiam ipsorum vxores, non tantùm viuente Marito, sed etiam eo mortuo, donec tamen viduitatem seruauerint. Et meritò, quia vxor, dum viduitatem seruat, licet reuera non sit, dicitur tamen quodammodo vxor viri, quem priùs habebat; at vxor facit vnum cum viro, iuxta illud: *Quod Deus coniunxit homo non separet: & erunt duo in carne vna.* Quam doctrinam ego etiam *in dicto tract. de Immunitate, & Iurisd. Eccles.* tradebam de vxoribus Presbyterorum Græcorum, & Religiosorum quorumdam Equitum Militarium. 5 6 7

SECTIO XVII.

An Inquisitorum iurisdictio sit etiam ad reconciliatos, dum habitum pœnitentiæ portant, & generaliter ad quoscumque pœnitentes, dum pœnitentiam exequuntur: ita vt & hi in causis criminalibus & ciuilibus Inquisitorum iudicio subdantur.

SVMMARIVM.

1 *Iurisdictio Inquisitorum secundùm aliquos est etiam ad reconciliatos, dum habitum pœnitentiæ portant, & generaliter ad quoscumque pœnitentes, dum pœnitentiam exequuntur.*

2 *Pœnitentes iste laici, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus, non Ecclesiastico Iudicio, & multò minus iudicio Inquisitorum subduntur, sed à suis iudicibus sicut si pœnitentialem habitum non portarent, iudicari debent; quia textus* in citato cap. Aliud, *nihil obstat.*

3 *Pœnitentes predicti vel sunt actores, vel rei: si actores, debent vocare reum apud suos iudices, neque possunt in hoc variare: si autem rei, conuenire poterunt apud suos Iudices, & sic conuenti non poterunt iudicium subterfugere.*

4 *Pœnitentes predicti, licet sub paupere, & miserabili persona comprehendantur, adhuc conuenire non possunt coram Iudice Ecclesiastico laïca, nisi prius probauerint, quod Iudex sæcularis in administranda Iustitia negligens sit.*

5 *Textus* in cit. cap. Aliud, *non intelligitur de quolibet Pœnitente, sed de Pœnitente solemniter.*

6 *Item secundùm alios intelligitur de Pœnitente aliquo Religioso, qui pœnitentiæ habitum assumpsit, ratione cuius est constitutus Ecclesiastica persona.*

7 *Item intelligitur de Pœnitente actore; quia ibi datur liberum arbitrium eligendi Iudicium, & datur consilium eligendi potius consilium Ecclesiasticum, quàm forense: non autem datur reo optio declinandi Iudicium sæculare.*

8 *Inquisitoribus prohibetur cognitio aliarum causarum ab hæresi, seu quæ hæresim non concernunt.*

9 *Pœnitentes huiusmodi, si Inquisitorum iudicio subderentur, commodum ex delicto reportarent, & occasionem delinquendi.*

10 *Pœnitentes prædicti, dum sunt in perpetuis, vel temporalibus carceribus, si inter se rixati fuerint, vel propter habitum pœnitentiæ inter se conuiciati, possunt puniri ab Inquisitoribus.*

11 *Inquisitores punire possunt eum, qui factis, & verbis ipsos iniuriauerit, & tanto magis quanto sanctius, & venerabilius debet esse ipsorum Officium.*

1 AFfirmant Hostiensis *in summa, tit. de foro compe-tent. §. ex præmissis,* Butrius *in cap. 2. eodem titul. col. 2.* & alij ex textu *in cap. Aliud, de pœnit. distinct. 1.* vbi Pontifex Leo, postquam reprehenderat eos, qui ob negligentiam pœnitentiam sibi impositam exequi differunt, subdit: *Aliud quidem est debita iusta reposcere, aliud propria perfectionis amore contemnere, sed illicitorum veniam postulantes oportet multis etiam à licitis abstinere, dicente Apostolo Multa mihi licent, sed non omnia expediunt. Vnde si quis pœnitens habeat causam, quam negligere fortè non debeat, melius expedit Ecclesiasticum, quàm forense Iudicium adire.* Ex quo testimonio infert Gratianus ibi, generaliter id propter quamcunque causam, tam criminalem, quàm ciuilem intelligi debere, atque adeò pœnitenti expedire, quod potiùs Ecclesiasticum, quàm forense iudicium adeat; & consequenter laicum pœnitentem Ecclesiastico iudicio, & non sæculari subditum esse. His tamen non obstantibus.

2 Respondetur cum Couarruuia *pract. quæst. cap. 34. n. 5. & seqq.* Peña *3. part. directorij, quæst. 97. comment. 146. vers. In altera ergo quæstionis parte,* Simanch. *de Cathol. Instit. tit. 47. rubr. de pœnitent. & conuersis, n. 18. & 19.* Rojas *singul. 98.* Decian. *tract. crimin. lib. 5. cap. 23. n. 15.* & aliis (quos sequitur Cned. *in decret. Gratiani, collect. 34.* & Barbosa *in collect. tom. 5. lib. 5. tit. 7. cap. 9. n. 27.*) pœnitentes istos Laicos, tam in criminalibus, quàm in ciuilibus non Ecclesiastico Iudicio, & multò minùs iudicio Inquisitorum subdi, sed à suis iudicibus, sicut si pœnitentialem habitum non portarent, iudicari debere.

3 Probatur: quia textus *in cit. cap. Aliud* (vnde desumitur fundamentum Aduersariorum) *nihil obstat:* Ergo. Antecedens probatur, quia ibi pœnitenti consilium datur, vt potiùs adeat iudicium Ecclesiasticum, quàm forense; sed hoc consilium his pœnitentibus conuenire non potest, quia vel sunt actores, vel rei: si actores, debent vocare reum apud ipsius rei Iudicem, neque possunt in hoc variare, Doctores communiter ex prædicto *cap. Aliud:* si autem quis eorum pœnitens reus sit, necessariò conueniri debet apud suum iudicem, & sic conuentus non poterit iudicium subterfugere; atque adeò non poterit verificari, quod ipse pœnitens eligere possit Iudicium potiùs Ecclesiasticum, quàm forense.

4 Dices, posse verificari; quia pœnitens Laicus subditus est Iudicio Sæculari, & Ecclesiastico, eo quòd dum est in pœnitentia, videtur esse pauper, & miserabilis persona, ob cuius rationem sub protectione Ecclesiæ constitui videtur, iuxta textum *in cap. 1. & seq. 87. distinct.*

Sed contrà, quia esto talis pœnitens sub paupere, & miserabili persona comprehendatur, adhuc conueniri non potest coram Ecclesiastico Iudice Laicum, nisi prius probauerit; quod Iudex sæcularis in administranda Iustitia negligens sit, iuxta textum *in cap. Nouit, de Iudic.* Probata autem negligentia, & remissione Iudicis sæcularis, tunc poterit coram Iudice Ecclesiastico conuenire, iuxta textum *in cap. ex tenore, de foro competent. & in cap. significantibus, de offic. delegat.* & docet ibi Glossa, quam sequuntur communiter Doctores apud Couarruuiam *pract. quæst. cap. 6. num. 1. vers. Immò & in hoc tractatu:* ergo.

5 Confirmatur, quia multi Doctores (vt Glossa *in suprad. cap. Aliud,* Calderin. *conf. 7. tit. de Iudicib. & Repertor. Inquisit. verb. pœnitentiam pecuniariam,* prædictum textum intelligunt non de quolibet publico pœnitente, sed de pœnitente solemniter, iuxta textum *in cap. finali, 50. distinct.* & differt à pœnitente publico, & priuato ob certos ritus, & ceremonias, quas vt notat Couar. *variar. resol. lib. 2. cap. 10. n. 3.* exercere debet: quæ pœnitentia solemnis iam non est in vsu: ergo.

6 Confirmatur secundò, quia alij Doctores, vt Dominicus, Præpositus, Turrecremata, Peña *3. part. directorij, quæst. 97. comment. 146. vers. denique non obstat,* & Simanch. *de Cathol. Instit. tit. 47. n. 21.* explicant illum textum de pœnitente aliquo Religioso, qui pœnitentiæ habitum assumpsit, ratione cuius est constitutus Ecclesiastica persona; & de hoc prædicti Doctores aiunt, quod si is habeat causam, quam fortè negligere non debeat, possit reum Laicum vocare ad Ecclesiasticum Iudicium, si ipse vocatus consentiat; secus si non consentiat, sed renuat; cùm non possit ratione pœnitentiæ maius priuilegium habere, quàm habeat Sacerdos, qui non potest reum Laicum ad Iudicium Ecclesiasticum vocare, si ille nolit, sed renuat. At ex

hoc

hoc intellectu, seo explicatione prædicti Textus nullo modo infertur, quod pœniteus Laicus Ecclesiæ reconciliatus, & pœnitentiæ iudicialis habitum portans possit conueuiri, vel conuenire coram Iudice Ecclesiastico; cùm Laicus reconciliatus non sit persona Religiosa, neque talis habitus impositio illum Religiosum, vel Ecclesiastieum constituat: Ergo ex prædicto Textu non infertur, quod tales pœnitentes Inquisitorum iudicio subdantur. Vt omittam, quod si hi pœnitentes sunt Ecclesiastici, non sit ratio, cur tam in causis criminalibus, quàm in ciuilibus subdantur Inquisitoribus, & non Episcopo.

7 Quapropter necessariò supponendum est, quod in prædicto textu Pontifex Leo loquatur de pœnitente Actore; quia ibi datur liberum arbitrium eligendi iudicium, & datur consilium eligendi Iudicium potiùs Ecclesiasticum, quàm forense: sed Actori datur liberum arbitrium eligendi Iudicium, aut illud omittendi; non autem datur reo optio declinandi iudicium sæculare, si ad illud pertineat; quia Reus, vel est Laicus, vel Ecclesiasticus; si Laicus, nullo Textu, vel ratione eximitur à Iudice sæculari; si Ecclesiasticus, necessariò subditur Iudici Ecclesiastico. Supposito igitur, quod Leo Pontifex loquatur de Pœnitente Actore, dicendum est, hunc pœnitentem posse quidem debita iusta reposcere, sed quia peccatorum veniam postulat, melius facit, si ab hac petitione se abstineat: siquidem, esto habeat causam, quam forsan non debeat negligere, expedit illi, vt potius Iudicium Ecclesiasticum, quàm forense adeat, idest, vt potius pœnitentiæ Iudicium exequatur, & iudicio forensi, idest exactioni, & petitioni iudiciali, siue per Ecclesiasticum, siue per sæcularem Iudicem faciendæ, non se immisceat, quousque Pœnitentiæ tempus adimpleuerit. Neque mirum videri debet, quod iudicium Ecclesiasticum pro iudicio pœnitentiæ, seu pro executione pœnitentiæ iniunctæ vsurpetur; qua de re Couar. *pract. quæst. cap.3. num.4. vers. Hinc sequitur*: ergo, &c.

8 Secundò probatur ratione, quia Inquisitoribus prohibetur cognitio aliarum causarum ab hæresi, seu quæ hæresim non concernunt, ex textu *in cap. Accusatus, §. sanè, de heret. in 6.* At ex eo, quod Pœnitentium causæ sint agendæ, non efficitur, esse causas hæresis, vel quæ hæresim concernant: ergo ad Inquisitores pertinere non possunt, saltem de Iure communi; neque etiam ex priuilegio, cùm priuilegium non appareat, sed potiùs appareat oppositum, vt patebit ex confirmatione, quæ mox infrà sequetur.

9 Confirmatur, quia si tales Pœnitentes Inquisitorum Iudicio subderentur, commodum ex delicto reportarent (siquidem consequentur à propriis Iudicibus exemptionis priuilegium, quod familiares, & Officiales Inquisitionis ob seruitia exhibita, vel exhibenda consequuntur) & occasionem delinquendi desumerent, dum viderent, quod ipsi ab Inquisitoribus, quibus pro suis excessibus subderentur, puniendi sint: Quæ omnia sunt absurda: ergo.

Atque ex his, quæ mox suprà dicebantur, patet ad fundamentum aduersariorum in contrarium.

10 Interim tamen negari non debet, quod si dicti Pœnitentes, dum sunt in perpetuis, vel temporalibus carceribus, inter se rixati, vel propter habitum pœnitentiæ inter se conuitiati fuerint, Inquisitores possint illos punire. Rojas, & Peña *in locis suprà citatis.* Videri etiam poterit Couar. *Pract. quæst. c.34. n.3.* Simanch. *de cath. Institut. tit.48. n.18.* & Decian. *in Tract. crim. lib.6. cap.23. n.23.* (quidquid in contrarium dixerit Farinac. *de hæres. quæst.186. num.37.*) Vide etiam quæ dicebam suprà *dubit.165.*

11 Et moltò magis negari non debet, quod Inquisitores possint punire eum, qui factis, aut verbis ipsos iniuriauerit. Simanch. *de cathol. Instit. tit.24. n.28.*) quatenus ait: Poterunt etiam Inquisitores punire illos, qui factis, aut verbis ausi fuerint ipsis Inquisitoribus iniuriam facere, & tanto magis, quanto sanctius, & venerabilius esse debet Officium ipsorum, quàm omnium aliorum Iudicum) & Bobadilla *in Politica, tom.1. lib.1. cap.17. num.114.* qui *in Glossa, litera D,* citat etiam Decianum, & Zanchinum.

SECTIO XVIII.

An, & quid possit Episcopus, & Capitulum Sede vacante in ordine ad crimen hæresis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non habens potestatem ad id à Summo Pontifico delegatam, non potest cognoscere in crimine hæresis contra Regulares.*

2 *Legatus à latere de Iure potest cognoscere de hæresi contra omnes, quia vices Summi Pontificis plenissimè gerit: De consuetudine tamen sine speciali commissione id facere non potest, neque quoad alios.*

3 *Episcopus ratione sui muneris est competens Iudex omnium Hæreticorum in sua diœcesi.*

4 *Episcopus respectu suorum subditorum in crimine hæresis est Iudex Ordinarius; quia ex proprio munere id ipsi competit.*

5 *Episcopus respectu exemptorum in crimine hæresis est Iudex delegatus, contra Hostiensem, & Sanchez.*

6 *Delegatio absolutè facta, non personæ, sed dignitati tribuit omnimodam iurisdictionem, & præsentem, & futuram.*

7 *Appellari non potest ab Episcopo delegato ad Archiepiscopum, sed ad Summum Pontificem delegantem.*

8 *Episcopus procedens in crimine hæresis, vel vt ordinarius, vel vt delegatus, seruare debet modum quem seruare possunt, & debent Inquisitores per Iura communia, & speciales concessiones, seu ordinationes Sedis Apostolicæ.*

9 *Episcopus attento Iuris rigore non potest procedere sine consilio Capituli.*

10 *Habens Iurisdictionem quasi Episcopalem est Iudex Ordinarius in rebus fidei, vt sunt Priores, & Abbates exempti, & Capitulum sede vacante.*

11 *Vide quid intelligatur nomine Sedis vacantis.*

12 *Capitulum an sit Iudex delegatus respectu exemptorum, resoluitur negatiuè, contra plures Doctores.*

13 *Capitulum non succedit Episcopo, nisi in his, quæ Episcopo competunt Iure ordinario, non autem ex delegatione.*

14 *Capitulum in exercenda Iurisdictione in causis fidei, non per se, sed per Vicarium ad id specialiter deputatum procedere debet.*

15 *Vicarius constitutus à Capitulo non tenetur requirere consilium vicinorum Episcoporum.*

16 *Iurisdictio Episcoporum, & Inquisitorum stat vtroque modo, scilicet & copulatiuè, & disiunctiuè.*

17 *& 18. Sententia proferenda est coniunctiuè, non disiunctiuè, & ad hoc tenentur adinuicem communicare processum, si dissentiant, negotium per vtrosque instructum remitti debet ad Sedem Apostolicam.*

19 *Episcopus sine Inquisitore, & è contra, non potest procedere ad pœnas, siue ad torturam, seu tormenta disiunctiuè, sub pœna nullitatis Iudicij.*

20 *Episcopus, seu Vicarius, & Inquisitor, de consensu potest etiam disiunctiuè procedere.*

RESpondetur, quòd neque possit Episcopus cognoscere Regulares de crimine hæresis, nisi ad id Episcopus haberet potestatem à Summo Pontifice delegatam. 1

Quod adeò verum est, vt etsi legatus à latere de Iure omnes 2

omnes de hæresi cognoscere potest, quia vices Somini
Pontificis plenissimè gerit, tamen de consuetudine sine
speciali commissione summi Pootificis, vel supremi
Tribunalis sanctæ Inquisitionis id facere non possit,
neque etiam in ordine ad alios: sic Doctores quos ci-
tat, & sequitur Farinac. quæst.186. num.4.

3 Episcopus autem ratione sui muneris est competens
Iudex omnium hæreticorum in sua Diœcesi, Clem.1.
§. propter quod, de hæretic. & tradunt ex communi
Farinac. loco suprà cit. n.5. Azor. part.1.lib.8.cap.18.
quæst.1. Cardinalis de Lugo tract. de fide, disp.24. &
4 Gundisſ. de hæreticis, quæst.7.num.8. Ita tamen vt respe-
ctu subditorum sit Iudex Ordinarius; quia ex proprio
officio, & munere id ipsi competit. Peña 3. part.
direct. quæst.1. comment.50. Farinac. num.6. Simanch.
in Enchiridio, tit. de Episcopis, n.2. & 3. & Decian.
5 tract. crimin. lib.5.cap.21. n.4. At respectu exempto-
rum, contra Hostiensem in cap. Ad abolendam, de hæ-
retic.num.1. & Sanchez de matrim.lib.2. disp.40.n.14.
(qui tenent esse Iudicem Ordinarium ex eo, quod à
Iure ipso generaliter est ei concessa delegatio, & ex alio
capite, quando alicui delegatur Iurisdictio, non ratio-
ne personæ, sed dignitatis, non delegata, sed ordina-
ria Iurisdictio dicitur) sit Iudex delegatus, vt patet
ex cit. cap. Ad abolendam, §. si verò, ibi: Si qui verò fue-
rint, qui à lege Diœcesana iurisdictionis exempti, subja-
ceant soli Sedis Apostolicæ potestati; nihilominùs in iis,
quæ sunt contra hæreticos statuta, Episcoporum subeant
iudicium, & eis in hac parte, tanquam à Sede Apostolica
delegatis, non obstantibus suæ libertatis priuilegiis, obse-
quantur. Et docent ibi Glossa, Ioan. Andreas, Abbas,
Felinus, & alij, quos citat, & sequitur Farinac. q.186.
num.7. Simanch. tit.25. rubr. de Episcopis, num.6.
Zanchin. de hæretic. cap.8.n.3. Decian. cit. n.4. Gun-
disſ. citata quæst.7. num.14. & Carer. tract. de hæret.
6 num.65. Verùm etsi hæc iurisdictio absolutè delegata
sit, quia tamen non est delegata personæ, sed digni-
tati, tam præsentibus, quàm futuris Iurisdictionis or-
dinariæ priuilegiis gaudet quoad delegationem: At
quoad appellationem sortitur naturam Iurisdictionis
7 delegatæ. Vnde non appellatur à sententia interlocuto-
ria Episcopi ad Archiepiscopum, sed ad Pontificem
delegantem. Simanch. tit.6. rubr. de appellat. num.3.
Zanch. cap.28.num.3. & 4. Locat. in Iudicial. Inqui-
sit. verb. Appellare, num.1. & Farinac. quæst.185.
num.240. & quæst.186. num.9.

8 Cæterùm siue Episcopus procedat in crimine hære-
sis potestate ordinaria, siue delegata, seruare debet
modum, quem seruare possunt, & debent Inquisito-
res per Iura communia, & speciales concessiones, seu
ordinationes Sedis Apostolicæ, cap. per hoc, §. final. de
hæret. in 6. & docent ibi Glossa, Geminianus, Fran-
chus (quos citat, & sequitur Farinac. cit. q.186.n.16.)
Syluest. verb. hæreticus 2.n.10. Simanch. tit.25.rubr. de
Episcopis, num.4. & Ioan. Calderinus tractat. de hæret.
rubr. de process. Inquisit. num.1.

9 An autem Episcopus procedere possit sine consilio
sui Capituli?

Respondetur, attento Iuris rigore, negatiuè; quia
in cit. cap. ad abolendam, dicitur, vt id fiat cum consilio
Clericorum; & notant Hostiens. ibi, verb. cum consilio,
n.2. Ioan. Andr. n.4. Anchar. n.2. & Zabarella n.5. At
attenta consuetudine, respondetur affirmatiuè; sic
Doctores, quos sequitur Farinac. cit. q.186.n.14. & seqq.

10 Quod dixi de Episcopo, esse scilicet eum Iudicem
ordinarium in causis fidei, idem dicas de habente Iuris-
dictionem quasi Episcopalem, vt de aliquibus Priori-
bus, & Abbatibus exemptis. Molin. de Iustit. tract.5.
disput.28. num.11.

Idemque etiam dicas de Capitulo Sede vacante. Cle-
ment.1.§. Propter, de hæret. ibi: Vel Episcopali Sede va-
cante, Capituli super hoc delegato: & cit. cap. Ad abolen-
dam, & docent Gloss. ibi, verb. clerici, Host. n.2. & 4.
Abb. n.1. Henric. n.4. Butrius, & alij, quos citat, & se-
quitur Farin. q.186.n.177. Simanch. tit. de Episc. n.6.
Dec. n.13. Carer. n.66. & seqq. Ita vt sicuti non potest
Inquisitor procedere ad decisionem causarum sine Epis-
copo, sic etiam non possit sine Vicario Capituli Sede
vacante, quia Capitulum Sede vacante est etiam (sicut
Episcopus) Iudex Ordinarius in causa hæresis, non
exercendo quidem hanc Iurisdictionem per seipsum, sed
per Vicarium ad id specialiter deputatum, vti patet ex
dict. cap. ad abolendam, de hæret. ibi: Vel Clerici ipsi Sede
vacante, &c. & colligitur ex dicta Clement.1.§. Propter,
de hæresi. Et tenent Bonifac. de Vitalin. in eadem Cle-
ment.1. n.48. & 50. Gundisal. de hæretic. q.7. num.8.
Simanchas, Decianus, & Carer. in locis suprà citatis.

Nomine Sedis vacantis intelligitur non solùm quan- 11
do Sedes vacat absolutè, sed etiam quando Diœcesis
ab Episcopo gubernari non potest, vt si Episcopus ca-
ptiuus esset, vel de Episcopatu prouisus, non admini-
straret ob non expeditas literas; quia tunc quoad ad-
ministrationem dicitur Sedes verè vacare. Glossa in
Clem.1. de hæret. verb. vacante, Bonifac. de Vitalin. loc.
suprà cit. Decian. n.13. Carer. n.66. & Farinac. n.179.

An autem Capitulum Sede vacante sit etiam Iudex
delegatus respectu exemptorum, sicut est Episcopus?

Respondetur, quod (quamvis affirment Socinus
in cit. cap. ad abolendam, n.44. & Zabarella in Clem.1.
de hæreticis, §. duro, n.60. ex eo quod cùm eodem modo
in dict. cap. ad abolendam dicatur, Clericos Sede vacante
esse Iudices in causis fidei, ac est Episcopus, consequens
esse videtur, quod sicut competit Episcopo iurisdictio
delegata respectu exemptorum, sic competat etiam
Capitulo) tamen negandum sit; quia Capitulum non 12
succedit Episcopo, nisi in his, quæ Episcopo competunt
Iure ordinario, non autem ex delegatione; sed Episco- 13
pus, vti suprà dicebam, respectu exemptorum in causa
hæresis non est Iudex Ordinarius, sed delegatus: ergo.
Atque ita docent Abb. in cap. ad abolendam, num.17.
Anchatan. ibidem, n.10. Ioan. Andr. num.15. Zabarella,
§. si qui, Anania num.19. Decian. cap.21. num.14.
Carer. num.66. & Farinac. q.186. num.182.

Cæterùm modus, quem seruare debet Capitulum 14
in exercenda iurisdictione in causis fidei, non est per
se, sed per Vicarium ad id specialiter deputatum, dicta
Clem.1. §. præter, de hæretic. Vbi dicitur, non posse In-
quisitores procedere ad decisionem causarum sine Epis-
copo, vel eius Officiali, vel Capituli Vicario, Sede
vacante. Vbi nota non dici, sine Capitulo, & eius Vi-
cario, sed solùm sine Vicario, seu delegato Capituli
Sede vacante, vt insinuet, Capitulum per se iurisdictio-
nem hanc exercere non posse. Et meritò, quia aliàs
secretum seruari non posset, ac breui tempore causæ
non expedirentur. Syluest. verb. hæresis 2. num.2. Moli-
na de Iust. tract.5. disput.28. num.2. & alij, quos ci-
tat, & sequitur Farinac. cit. q.186. num.180.

An autem talis Vicarius debeat consilium vicino- 15
rum Episcoporum requirere?

Respondetur negatiuè (præterquam quod ita est
in vsu) quia in cit. cap. ad abolendam, solùm dicitur,
hoc consilium requiriri debere, si oportuerit, cuius rei
iudicium Capitulo relinquitur.

Sed, vt quod modò dixi, distinctiùs intelligatur,
vide per extensum cap. per hoc, de hæretic. in 6. Vbi Bo-
nifacius VIII. decernit ex delegatione Inquisitoris ab
Apostolica sede generaliter facta in aliqua Prouincia,
Ciuitate, vel Diœcesi, nihil Diœcesanis Episcopis
derogari, quin & ipsos Diœcesanos Episcopos aucto-
ritate ordinaria, vel delegata procedere posse. Deinde 16
subdit, vt S. Inquisitionis Officium meliùs peragatur,
posse Episcopum, & Inquisitorem communiter, vel
diuisim inquirere, citare, capere, carceri recludere hæ-
reticos, examinare testes, & alia quæ ad sententiam re-
quiruntur; sententiam autem per vtrosque simul profe-
rendam esse. Ad cuius probationem, si diuisim pro- 17
cesserint

cesserint, teneri sibi inuicem communicare Proces-
18 sus, vt per hos possit meliùs veritas indagari; sin au-
tem in sententia ferenda non conuenerint, per vtrosque negotium sufficienter instructum ad Sedem Apostolicam remitti debere. Vide etiam per extensum *Clement. Multorum, de haretic.* vbi Clemens V. vt dictum sanctæ Inquisitionis Officium meliùs procedat, decernit tam per Diœcesanos Episcopos, quàm per Inquisitores à Sede Apostolica deputatos (omni carnali amore, odio, vel timore, ac cuiuslibet commodi temporalis affectu semotis) exerceri, ita vt quilibet de prædictis sine altero citare reos possit, & arrestare, siue capere, ac tutæ custodiæ mancipare, ponendo etiam in compedibus, vel manicis ferreis, si ei visum fuerit expediens, super quo ipsius conscientiam onerat; necnon inquirere contra illos, de quibus pro huiusmodi negotio secundùm Deum, & Iustitiam vi-
19 derit expedire: Duro tamen carceri tradere, qui magis ad pœnam, quàm ad custodiam videatur, vel tormentis expônere illos, vel ad sententiam procedere contra illos, Episcopus sine Inquisitore, vel Inquisitor sine Episcopo Diœcesano, aut eius Officiali, aut Episcopali Sede vacante, Capituli super hoc delegato, si sui ad inuicem copiam habere possint, intra octo dierum spatium, postquam inuicem se requisierint, non possit; & si secus præsumptum fuerit, nullum sit & irri-
20 tum ipso Iure. Verùm si Episcopus, vel eius Capituli, Sede vacante, delegatus cum Inquisitore, vel Inquisitor cum altero eorundem propter præmissa nequeat, aut nolit personaliter conuenire, possit Episcopus, vel eius, seu Capituli, Sede vacante delegatus Inquisitori, & Inquisitor Episcopo, vel eius delegato, seu illi, qui ad hoc per Capitulum Sede vacante fuerit deputatus, super illis committere vices suas, vel suum significare per literas consilium, & consensum.

At quoad omnia, quæ suprà dicebam, vide suprà *sect. 1. per totam.*

SECTIO XIX.

An Vicarius Generalis Episcopi, vel Capituli Sede vacante sit competens Iudex Hæreticorum.

SVMMARIVM.

1 *Vicarius Generalis Episcopi, vel Capituli Sede vacante, non est competens Iudex Hareticorum, nisi ad id specialiter deputetur.*

1 EX dictis sequitur primò, quod Vicarius Generalis Episcopi, vel Capituli Sede vacante, non sit competens Iudex Hæreticorum, nisi ad id specialiter deputetur. Et meritò, quia ob grauitatem criminis requiritur specialis commissio, vt colligitur ex Tridentino *sess. 24 cap. 6. de reformat.* ibi: *Ipsis Episcopis, & non eorum Vicariis sit permissum:* Et docent ex communi Locat. *in indic. Inquisit. verb. Episcopus, num. 6.* Repertor. Inquis. *verb. cognoscere, vers. sed an Vicarius,* Dec. *num. 7.* Farinac. *de haresi, quast. 186. num. 13. & 181.* & Barbos. *de potest. Episcop. 3. part. alleg. 54. num. 85.*

Esset tamen competens, quotiescumque Episcopus constituens Vicarium expressit aliqua de iis, quæ speciale mandatum exigunt, posteaque subdidit generalem huiusmodi clausulam, & omnia alia, quæ nos possumus, & speciale mandatum exigunt. Vide Doctores, quos sequitur Locat. vbi *suprà.*

SECTIO XX.

An iurisdictio delegata generaliter Inquisitori deroget iurisdictioni Episcopi?

SVMMARIVM.

1 *Iurisdictio generaliter delegata Inquisitori pro aliqua Diœcesi non derogat iurisdictioni Episcopi, quia vtique in solidum concessa est.*

2 *Limita si per specialem commissionem Ordinariorum, vel Inquisitorum potestas restricta censeatur ad certas personas.*

3 *Exemptus citatus eodem tempore ab Episcopo, & Inquisitore, potest comparere coram eo, quem maluerit; sed debet protestari de impotentia comparendi coram alio.*

4 *Citatus ab Episcopo tanquam habente iurisdictionem ordinariam, & ab Inquisitore, qui eam habet delegatam, tenetur comparere coram Inquisitore; quia gerit vices Summi Pontificis.*

5 *Iurisdictio delegata ex causa delegationis est maior qualibet alia iurisdictione, contra nonnullos non improbabiliter contrarium sentientes.*

6 *Textus* in cap. finali de Offic. delegat. & in leg. 1. de Offic. eius, *cui mandata est iurisdictio, videntur loqui de delegato, cui demandata est iurisdictio priuatiuè, non autem cumulatiuè cum Ordinario.*

7 *Commissarius electus ab Inquisitore non præfertur Episcopo; secus est si sit electus à Pontifice, licèt sit subdelegatus.*

8 *Inquisitor superior est ordinario, & praualet quoad citationem. Ita dic de Commissario electo à Papa.*

9 *Commissarius siue electus sit à Pontifice, siue ab Inquisitore, est superior Ordinario, & eius citatio praferenda est citationi Episcopi.*

10 *Subdelegatus delegati Summi Pontificis gaudet iisdem Priuilegiis, quibus ipse delegatus, vbi nota, quod delegatus à Pontifice potest subdelegare, aliàs secus.*

11 *Subdelegatus delegati Pontificis, cui concessa est Iurisdictio priuatiuè quoad alios, habet eandem Iurisdictionem.*

12 *Bartolus* in cit. l. Filius, & l. Vicarius, *non loquitur in casu de quo agitur.*

13 *Substitutus iudicis Ordinarij deputatus sine expressa Principis facultate, non gaudet priuilegiis, & Immunitatibus substituentis; secus si ex Principis priuilegio.*

14 *Ordinarij locorum in Regnis Hispaniarum non possunt cognoscere causas sancti Officij Inquisitionis, quia integra iurisdictio est penes Inquisitores, quibus transmittere debent processus ab ipsis fabricatos.*

15 *Inquisitores in Regnis, & Statibus Hispania soli in rebus fidei formant processum aduersus reum, ac proinde soli reum citant, non autem Episcopi. Neque enim ibi permittuntur promulgare edicta contra hareticum.*

16 *Item in dictis Regnis ex recepta consuetudine, & ex priuilegio Summi Pontificis Ordinarij non possunt separatim ab Inquisitoribus de causis hareticalibus cognoscere; sed de huiusmodi causis soli Inquisitores cognoscunt, & Episcopi per se, vel per Vicarios Inquisitoribus assistunt.*

17 *Item neque possunt citare, capere, seu arrestare, vel in carcerem includere reos; sed testium depositiones, vel denunciationes, si apud ipsus aliqua fiant,*

debent transmittere ad Inquisitores, quibus in hac parte est concessa integra Iurisdictio.

18 *Ordinarij si aliud circa hoc efficere aggrediantur, neque desistant, certior fit in Hispania Inquisitor generalis, qui ad eos scribit, vt desistant, atque deinceps simile quid non efficiant, & si non pareant, Pontificem certiorem facit.*

19 *Ordinarij si qua repererint etiam in Regnis Hispaniæ, debent de iis efficere summariam informationem, eamque transmittere ad Inquisitores.*

20 *Ordinarij, si item expediat in dicta Inquisitione, delinquentem circa causas fidei, ne disparcat, vel fugiat, comprehendi, comprehendere illum possunt, quem transmittere debent ad Inquisitores, vel illos certiores facere, vt illum ad suum carcerem adducant.*

21 *Simancbas licet neget assertum Priuilegium Summi Pontificis, concedit tamen ibi sic obseruari ex Regis præcepto, & ex consuetudine.*

22 *Inquisitorum Inquisitionis Hispaniæ iurisdictio in ordine ad eorum Ministros est etiam priuatiua.*

23 *Inquisitores Inquisitionis Hispaniæ exercere possunt aliqua quæ ipsis competunt de Iure, & aliqua quæ ipsis competunt de consuetudine; quia sicut iurisdictio potest acquiri priuilegio, sic etiam acquiri potest consuetudine, cùm consuetudo etiam tribuat iurisdictionem.*

1 SEquitur secundò, quod iurisdictio delegata generaliter Inquisitori pro aliqua Diœcesi non deroget iurisdictioni Episcopi; quia concessa est vtrique in solidum, seu (quemadmodum alij loquuntur) concessa est Inquisitori non priuatiuè, sed cumulatiuè ad Episcopum. Ita vt Episcopus Inquisitor possit in hæreticum inquirere, vel simul, vel diuisim, *ex cap. per hoc, §. verum, de hæretic. in 6.* ibi: *Concedimus, quod per Episcopos, & Inquisitores de facto eodem inquiri valeat coniunctim, vel diuisim.* Et ex Constitutione Vrbani IV. quæ incipit, *licèt ex omnibus*, apud Peñam inter literas Apostolicas: quia, sicuti dicebam, iurisdictio concessa Inquisitori non tollit iurisdictionem de Iure communi Episcopo competentem, *ex d. cap. per hoc*, ibi: *Per hoc, quod negotium hæreticæ prauitatis alicui, vel aliquibus ab Apostolica Sede generaliter in aliqua Prouincia, Ciuitate, vel Diœcesi delegatur Diœcesanis Episcopis, quin & ipsi auctoritate ordinaria, vel delegata, si velint, in eodem procedere valeant, nolumus derogare.* Et ex dicta Constitutione Vrbani IV. & docent Syluest. *verb. hæreticus, §. 2. n. 10.* Rojas *singul. 28. n. 2.* Simanch. *de Cathol. Instit. tit. 25. n. 4.* Gundisal. *de hæretic. quæst. 7. num. 9.* & alij, quos citat, & sequitur Farinac. *tract. de hæresi, quæst. 186. num. 58.*

2 Excipe, si commissio restricta sit ad certas personas, vel certas hæresia causas; quia per talem specialem commissionem Ordinariorum, & Inquisitorum potestas restricta censetur. Gloss. *in cap. per hoc, verb. generaliter, de hæretic. in 6.* & alij communiter Canonistæ ibidem, quos citat, & sequitur Farinac. *citat. quæst. 186. numer. 59.*

An autem citatus ab Episcopo, & Inquisitore eodem tempore, possit comparere coram eo, quem potiùs voluerit, omissa citatione alterius?

Respondetur: si Episcopus procedit ex delegatione (vt quia citatus est exemptus) tunc certum est, quod citatus comparere possit coram illo Iudice, quem maluerit, cùm comparere non possit simul coram vtroque, *part. 1. lib. 8. cap. 14. quæst. 8.* Zecch. *part. 1. sum. tit. de fide, rubr. de hæres. cap. 11. num. 13.* & Farinac.
3 *num. 95.* Quamvis ne videatur mandatum alterius contemnere, expedit (etsi non teneatur) vt comparendo coram vno, coram altero protestetur impotentiam comparendi. Eymer. *3. part. director. quæst. 5. num. 5.*

At si Episcopus, vel qui Episcopalem iurisdictio- 4
nem habet, procedit ex iurisdictione propria, scilicet in subditos, & sibi Iure ordinario subiectos; tunc citatus comparere debet coram Inquisitore, quia Inquisitor, vtpotè delegatus Summi Pontificis, vices Summi Pontificis gerit, & illum repræsentat: Quapropter ei obediendum est, tanquam Summo Pontifici præcipienti, posthabito omni alio Iudice citante: ob quam rationem *in cap. finali de offic. delegat.* dicitur Iurisdictionem delegati in causa delegationis maiorem esse qualibet alia iurisdictione, *& in l. 1. ff. de offic.* eius cui mandata est iurisdictio, dicitur eum, qui mandatam iurisdictionem suscepit, propriam nihil habere, sed eius, qui mandauit, Iurisdictione vti. Atque ita docent cum Eymer. Peña *3. part. director. quæst. 5. num. 4. & 5. commentar. 54.* Simanch. *tit. 34. rubr. de modo procedend.* Paramus *de origine S. Inquisit. lib. 3. quæstione 4. rubr. de form. & ordin. Iudic.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 18. quæst. 8.* & Farinac. *quæst. 186. num. 87. & seqq.* Videatur etiam Zanard. *in director. Theolog. part. 2. cap. 6. quæst. 15.* vbi ait, quod si Episcopus, & Inquisitor compatibilia ad inuicem præcipiant, v. g. quod reus vno die, vel vna hora coram se compareat, & Inquisitor altero die, vel altera hora, reus tenetur vtrique obedire; & si Episcopus primo die citans reum, illum in custodiam conjiciat, sicque ille altero die ad Inquisitorem non eat, Inquisitor possit illum ab Episcopo repetere, & obtinere; tamen si priùs fuerit ab illo citatus: si verò præcipiant incompatibilia, v.g. quod reus eadem hora coram vtroque compareat, vel quod à familia capiatur, altero iubente, quod non capiatur, debeat Inquisitori (tanquam delegato, & maiori quoad hoc Episcopo) obedire.

Quamvis contrarium non improbabiliter sentiant 5
alij, vt Molin. *de Iustitia, tract. 5. disp. 28. num. 17.* quod scilicet citatus possit adhuc comparere coram Iudice ex duobus prædictis quem maluerit; ex eo, quia Episcopus, & Inquisitor quoad hoc pares sunt in Iurisdictione; cùm quilibet ex ipsis in solidum, & independenter ab altero reum possit citare, & examinare, & cùm quando in proferenda sententia iunguntur, & discordant, neuter præualeat alteri, quæ signa sunt æqualis iurisdictionis. Neque obstat textus *in cit.* 6
cap. sanè, & cit. l. 1. quia videntur loqui de delegato, cui demandata est iurisdictio priuatiuè respectu aliorum, non autem de delegato, cui cumulatiuè cum Ordinario, & in subsidium illius conceditur iurisdictio. Quod adeò verum putat Ioan. Rojas, vt censeat, Ordinario potiùs parendum esse; alij verò censeant, dari locum præuentioni, iuxta Clem. 1. de hæreticis, sicque etiam seruari *in Praxi.*

Sed an supposito, quod Inquisitor sit Ordinario su- 7
perior, & sic citatio eius sit præferenda citationi istius, idem de Commissario dicendum sit?

Respondetur ex communi sententia Doctorum, quos citat, & sequitur Peña *3. part. directorij, quæst. 5. comment. 54.* Azor. *part. 1. lib. 8. cap. 18. quæst. 8.* & Farinac. *quæst. 186. numer. 91.* distinguendo: Vel loquimur de Commissario electo ab Inquisitore, vel de Commissario electo à Pontifice. Prior Commissarius non præfertur ex doctrina Bartoli *in l. Vicarius, & l. filius, ff. de legatis.* vbi Vicerector constitutus à Rectore non gaudet priuilegiis, & immunitatibus Rectoris. Posterior autem præfertur, etiamsi tunc subdelegatus sit, quia à Principe est subdelegatus, & sic eandem cum delegato prærogatiuam habet, *ex l. vltima, Cod.* vt dignitatum ordo seruetur, *lib. 12. & l. suggerente, Cod. de Offic. eius*, qui vicem alicuius Iudicis obtinet, & tradit Abbas, & Decius *in citat. cap. sanè*: Quapropter sicut ipse Inquisitor superior est Or- 8
dinario, & præualet eius citatio; sic Commissarius à Pontifice electus superior etiam esse debet, & eius citatio præualere.

His

9 His tamen non obstantibus, probabile etiam mihi videtur, quod in vniuersum Commissarius siue electus sit à Pontifice, siue ab Inquisitore, superior sit Ordina-
10 rio, & eius citatio præferenda citationi Episcopi. Moueor, quia subdelegatus delegati Pontificis Pontificem repræsentat, & vices eius gerit, sicut & ipse delegatus, & sic eisdem priuilegiis gaudet, quibus delegatus.
11 Quod inde probatur, quia si priuatiuè in aliquo casu delegato concessa sit iurisdictio, & si alterum substituat, substitutus procedere poterit cum iurisdictiona
12 priuatiua aliorum, vt poterat ipse substituens, & sic sicut ipse substituens est superior, sic etiam substitutus.
13 Ad illud ex doctrina Bartoli *in citata l. filius, & l. Vicariae*: Respondeo non obstare, quia loquitur in casu longè diuerso. Interim fateor, quod si Iudex ordinarius eligat substitutum extra casum necessitatis, ratione morbi, vel absentiæ, &c. & sine expressa Principis facultate, substitutus non gaudeat priuilegiis, & immunitatibus substituentis. At si ex priuilegio Principis, vt est in casu nostro, eligat substitutum, vt loco ipsius causas cognoscat, & decidat, sentio probabile, quod iisdem Priuilegiis, & immunitatibus gaudeat substitutus. Atque ita docet Molina *de Iustitia, tract. 51 disp. 58 num. 17.* & complures alij, quos citat, & sequitur Maranta *de ordin. Iudic. part. 4. dist. 5. num. 17. & seqq.* & ipsemet Bartol. *in l. nec quidquam, §. vbi decretum, n. 6. & l. obseruare, n. 3. & 5. ff. de offic. Proconsulis.*
14 Quamuis hodie in Regnis, & Statibus Inquisitionis Hispanicæ hæc quæstio locum non habeat. Quia ibi
15 (sicuti mox infrà dicam) soli Inquisitores in rebus fidei formant Processum aduersus reum, ac proinde soli Inquisitores sunt, qui reum citant, non autem Episcopi; quod inde confirmatur, quia Episcopi ibi non permittuntur contra hæreticum edicta promulgare. Ergo multò minùs ibi permittentur eum, vt coram ipsis compareat, citare: vide Doctores, quos infrà citabo. Videatur etiam Sousa *in Aphorismis Inquisit. lib. 1. cap. 2. num. 15.* vbi inquit, quod si Episcopus procedat auctoritate delegata, & citet pro tempore incompatibili simul cum Inquisitore, possit citatus eligere coram quo comparere velit secundùm Iuris vigorem. In regno tamen Lusitaniæ probabilius sit, quod debeat se præsentare Inquisitori.
16 In Regnis igitur, & Statibus Inquisitionis Hispaniæ hæc quæstio locum non habet; quia ex recepta consuetudine, quin (vt alij sentiunt) ex priuilegio Summi Pontificis, non possunt Ordinarij separatim ab Inquisitoribus de causis hæreticalibus cognoscere, sed de huiusmodi causis soli Inquisitores cognoscunt, & Episcopi per Vicarios Inquisitoribus assistunt; sicque non
17 possunt Ordinarij citare, capere, seu arrestare, vel in carcerem includere reos, sed testium depositiones, vel denunciationes, si apud ipsos aliquæ fiant, debent transmittere ad Inquisitores, quibus in hac parte concessa integra iurisdictio, & Ordinariis sublata. Molin. *tom. 5. tract. 5. de Iustit. disp. 58. num. 15. & 13.* (quatenus ait, in Hispaniis esse receptum, vt soli Inquisitores contra reos circa fidei negotium Processus forment, & ipsi soli contra delinquentes procedant, vtque rei iussu Inquisitorum comprehendantur, & in solo
18 Inquisitorum carcere detineantur. Quod si Ordinarij aliud circa hoc efficere aggrediantur, nec desistant, certior fit Inquisitor Generalis, qui ad eos scribit, vt desistant, vtque deinceps simile quid non efficiant; quia fidei negotio id non expedit. Et si non parerent, Inquisitor Generalis Pontificem certiorem faciet; quin neque Ordinariis permittitur, vt proferant edicta, quæ ad negotium fidei pertinent; quia expedit huiusmodi denunciationes fieri à solis Inquisitoribus, & Commissariis ab ipsis deputatis, propter eandem rationem. Additque, in eisdem Hispaniis esse literas Apostolicas, quibus præcipitur, vt prædicta Episcopi, & alij Ordinarij Inquisitoribus relinquant, & in iis se non intromittant; si quæ verò Ordinarij repererint, debeant de iis efficere summariam informationem, eamque transmittere ad Inquisitores; si item expediat, delinquen- 19
tem circa causas fidei, ne dispareat, vel fugiat, comprehendi, comprehendere illum Ordinarij possint, sed 20
transmittere debeant ad Inquisitores, vel illos certiores facere, vt illum ad suum carcerem adducant.) Param. *de origin. Inquisitor. c. 10. n. 97.* Rodericus Acuña *quæst. 2. de Confess. sollicitant. num. 1.* Ioan. Valerus *in differentiis vtriusque fori, verb. hæresis, different. 3. num. 1.* Peña *in director. part. 3. quæst. 55. commentar. 101.* Barbos. *in collectan. tom. 3. lib. 5. tit. 5. capit. 17. num. 3.* Sousa *in Aphorism. Inquisit. lib. 5. num. 11.* Et ex parte Simancha *de Cathol. instit. tit. 25. num. 5. & 6.* & Azor. *lib. 8. instit. moral. cap. 18. quæst. 8.* Quate- 21
nus (licèt negent Priuilegium Summi Pontificis) concedunt tamen, ibi sic obseruari ex præscripto Regis, & ex consuetudine. Videri etiam poterunt Riccius *part. 3. decis. 279. num. 1.* Bobadilla *in Politica, tom. 1. lib. 5. cap. 17. num. 75.* & Portocarrer. *in cit. allegat. de iurisd. Inquisit. num. 49.* vbi subdit, quod iurisdictio 22
Inquisitorum Inquisitionis Hispaniæ in ordine ad eorum Ministros sit etiam priuatiua.
Ex dictis sequitur, quod prædicti Inquisitores Inqui- 23
sitionis Hispaniæ exercere possint aliqua, quæ ipsis competunt de Iure, & aliqua, quæ ipsis competunt de consuetudine; quia sicuti Iurisdictio potest acquiri priuilegio, sic etiam acquiri potest consuetudine, cùm consuetudo etiam tribuat iurisdictionem, vt docet Molina *cit. disput. 58. num. 14.* vbi propterea ait: *Neque iam nunc Ordinarij audirentur, si aliud vellent, consuetudine in his Regnis tribuente iurisdictionem Tribunali Inquisitionis circa hæc, & circa alia rationabilia, vsu & consuetudine recepta.* Decian. *lib. 4. cap. 57. num. 6.* Surd. *cons. 465. num. 4.* Gratian. *discept. forens. cap. 184. n. 25.* Sayr. *de censur. lib. 19. cap. 6. n. 31.* Natta *cons. 98. num. 4.* Ambros. *de immunit. cap. 14. num. 1.* Menoch. *cons. 115. num. 65. vol. 2.* & alij, quos sequitur Portocarrer. *in eadem alleg. pro iurisdict. Inquisit. num. 54. & 25.* Præsertim quia talem opinionem confirmat Philippus II. in quadam Epistola apud dictum Portocarrerum *num. 13.* & Philippus III. in quadam Epistola directa ad omnes Proreges anno 1603. apud eundem Portocarrerum *num. 50. 54. 29. & 43.* Et eandem opinionem confirmat etiam Paulus III. in quadam Bulla apud Sousam *in Aphorism. inquisit. lib. 4. cap. 3. num. 5.*

APPENDIX

Ad ea, quæ suprà dicebantur.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus attento iure communi quatuor per se potest sine Inquisitore, & è contra Inquisitor sine Episcopo, scilicet inquirere, citare, arrestare, seu capere, ac tuta custodia reum mancipare.*

2 *Episcopus sine inquisitore, & è contra, tria non potest, scilicet torquere, sententiare, & ad carcerem arctum reum condemnare; quod si secus præsumptum fuerit, nullum sit, & irritum ipso iure.*

3 *Limita quoad sententiam locum non habere, quod certus non possit sine altero in sententia absolutoria; sed tantùm in condemnatoria.*

4 *Limita 2. vt locum non habeat quoad sententiam condemnatoriam, nedum quoad torturam, si Episcopus à Diœcesi absens sit, vel reperiri non possit, vel intra octo dies cum Inquisitore conuenire noluerit.*

5 *Episcopus potest absque inquisitoris interuentu terminare causas superstitionum, incantationum, veneficiorum,*

ciorum, librorum prohibitorum, & blasphemiarum, si heresim manifestè non sapiant.

6 *Inquisitor solus è contra potest sine Episcopo procedere in causis lamiarum, ex vi Constitutionis Alexandri VI. quamuis Inquisitio Hispanica seruet, vt in causis hæreticorum.*

1 ATrento tamen Iure communi, quatuor per se potest Episcopus sine Inquisitore, & è contra Inquisitor sine Episcopo, scilicet inquirere, citare, attestare, seu capere, ac tutæ custodiæ reum mancipare. Tria verò non potest vnus sine altero, scilicet tor-
2 quere, sententiare, & ad carcerem arctum (qui magis ad pœnam, quàm ad custodiam videatur) reum condemnare, sicuti patet *ex Clement. Multorum, in princ. de hæretic.* vbi sic habetur, & paulò post ibi: *Vt negotium Inquisitionis huiusmodi eo prosperetur felicius, quo deinceps eiusdem labis indago solemnius, diligentiùs, & cautiùs peragetur, ipsum tam per Diœcesanos Episcopos, quàm per Inquisitores à Sede Apostolica deputatos (omni carnali amore, odio, vel timore, ac cuiuslibet commodi temporalis affectione semotis) decernimus exerceri; sic quod quilibet de prædictis sine alio citare possit, & arrestare, seu capere, ac tuta custodia mancipare, ponendo etiam in compedibus, vel manicis ferreis, si ei visum fuerit faciendum, super quo ipsius conscientiam oneramus, necnon inquirere contra illos, de quibus pro huiusmodi negotio secundùm Deum, & iustitiam videbitur expedire, reos tamen tradere carceri arcto, qui magis ad pœnam, quàm ad custodiam videatur, vel tormentis exponere illos, aut ad sententiam procedere contra eos, Episcopus sine Inquisitore, aut Inquisitor sine Episcopo Diœcesano, aut eius Officiali, vel Episcopali Sede vacante, Capituli super hoc delegato, si sui ad inuicem copiam habere valeant, intra octo dierum spatium, postquam se inuicem exquisierint, non valebit; & si secùs præsumptum fuerit, nullum sit, & irritum ipso iure.* Et quidem, quod vnus sine altero procedere ad sententiam non possit, etiam ante istam Clementinam cautum erat *in cap. Per hoc, de hæretic. in 6.* ibi: *Et nisi hoc casu Inquisitores in sententia prolatione Diœcesanis, vel è contra duxerint deferendum, per vtrosque simul sententia proferatur.* Et habetur in Constitutione Vrbani IV. quæ incipit, *licet ex omnibus*, apud Peñam inter literas Apostolicas, & docent Rosella *verb. Hæreticus, n. 49.* Syluest. *eodem verb. Hæreticus 2. n. 10.* Clarus *in Pract. crimin. §. hæresis, n. 5. Direct. Inquisit. part. 3. q. 47. n. 1.* & Peña *ibidem, comment. 96.* Petr. Gregor. *Syntagm. Iur. lib. 33. cap. 7. n. 5.* & Simanch. *de Cathol. instit. tit. 34. n. 21. 37. & 38.* Qui rectè subdunt, quod *in dicta Clement. 1. §. Propter, de hæreticis*, subdatur, quod prædicta sic seruanda sint, vt si secùs quid præsumptum fuerit, nullum sit, & irritum ipso Iure.

3 Limita ex non improbabili sententia nonnullorum (scilicet quod Episcopus non possit sine Inquisitore, vel è contra Inquisitor sine Episcopo ferre sententiam) vt locum non habeat in sententia absolutoria, sed tantùm in condemnatoria; quia sententiam absolutoriam, inquiunt ipsi, potest vnus ferre sine altero, moti ex eo, quia quod feratur sententia simul ab Episcopo, & Inquisitore, est in fauorem rei (ad vitandum scilicet eius grauamen in sententia) quæ ratio finalis omninò cessat, quando sententia est absolutoria. Vide tamen quæ dicam *infrà sect. 28.*

Limita 2. vt locum non habeat etiam quoad senten-
4 tiam condemnatoriam, nedum quoad torturam, &c. (si scilicet Episcopus à Diœcesi absens sit, vel reperiri non possit, vel intra octo dies cum Inquisitore conuenire noluerit, vt habetur *in Clement. 1. de hæretic.* Et tradunt Eymeric. *part. 3. directorij, q. 49.* vbi etiam Peña, Sousa *in Aphorismis Inquisit. lib. 1. cap. 3. num. 8. & 10.* & Catena *de Offic. inquisit. part. 1. tit. 4. §. 2. num. 15.* Quia propter absentiam vnius iudicis non debet impediri cursus causarum huius Tribunalis, in quo cum summa æquitate proceditur, vt propterea, siue vnus tantùm compilet processum, siue diuisim procedant, compilato processu, priusquam ad torturam, vel sententiam deueniant, inuicem debeant communicare, & vnus alterum requirere in ordine ad procedendum, & expectare iuxta terminum à Iure præfixum. Vide etiam quæ dicam infrà, *sect. 30.*

Cæterùm potest Episcopus absque interuentu In- 5
quisitoris terminare causas superstitionum, incantationum, veneficiorum, librorum prohibitorum, & blasphemiarum, si hæresim manifestè non sapiant, ex textu *in cap. accusatus, de hæretic. in 6.* & docet Abbas *in cap. 1. de sortileg. n. 4. vers. Et aduerte*, & teste Francisco Leo *in Thesauro for. Ecclesiast. tit. de sortileg.* declarauit Sacra generalis Congregatio Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis die 2. Decembris, anno 1602. Vide tamen quæ dicam infrà *sect. 70.* ex Bulla Sixti V. contra sortilegos in fauorem Inquisitorum prolata.

Et è contra potest Inquisitor solus sine Episcopo 6
procedere in causis lamiarum, ex vi Constitutionis Alexandri VI. quæ incipit, *cùm acceperimus*, apud Peñam inter literas Apostolicas, & notat idem Peña *in addit. ad Lucernam Inquisit. tract. de strygib. vers. quod si quæras*, & Catena *in Offic. Inquisit. part. 2. tit. 15. §. 19. n. 170.* Quamvis (vt dicam infrà *dub. 206. sect. 7.*) tutius, & decentius sit oppositum, & Inquisitio Hispanica seruet, vt in causis hæreticorum.

SECTIO XXI.

An Inquisitor, & Episcopus procedentes diuisim, teneantur ad inuicem sibi communicare Processus.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitor, & Episcopus procedentes diuisim, formando diuersum, & distinctum processum, tenentur ad inuicem sibi ipsos communicare.*

2 *Communicatio processus fieri debet non solùm in fine litis, sed etiam quando vnus non potest commodè procedere, nisi viso processu, & visis actis alterius, & postulat sibi præberi.*

3 *Episcopus non potest procedere ad torturam rei sine Inquisitore, secùs fortasse ad torturam testis, & è contra.*

4 *Communicatio Processuum facienda est, ne imprudenter procedant non visis indiciis, & probationibus ad torturam.*

5 *Communicatio Processuum in casibus prædictis cessat hodie in Regnis Hispaniarum.*

SEquitur 3. quod Inquisitor, & Episcopus proce- 1
dentes diuisim, diuersum scilicet, & distinctum formando Processum, teneantur ad inuicem sibi communicare Processus, vt sic veritas clariùs elucescat, & sententia sine errore proferatur, iuxta citatum textum
in cap. per hoc: Quæ tamen communicatio facienda 2
est non solùm in fine litis, quando nihil superest faciendum, nisi sententiam definitiuam proferre, sed etiam quando vnus non potest commodè procedere, nisi viso processu, & visis actis alterius, & postulat sibi præberi.
In quo casu tamen semel tantùm, ne fraudi locus de- 3
tur, in toto negotio copia dari debet, iuxta textum *in extrauag. 1. de hæretic.* inter communes. Vnde cùm ad torturam rei (quamvis non sic fortasse ad torturam testis, vt docent Peña, Farinacius, Molina, & Decia-
nus in locis mox infrà citandis, Inquisitor sine Episco- 4
po, & è contra, procedere non possit) communicatio processuum facienda est, ne imprudenter procedant, non visis indiciis, & probationibus ad torturam. Peña

3. part.

3. part. direct. quæst. 53. comment. 102. Farinac. *de hæres. quæst. 186. n. 86.* Molina *de Iustitia, tract. 5. disp. 28. num. 11.* Decian. *tract. crimin. lib. 5. cap. 21. n. 23.* Locat. *verb. Tortura, n. 9.* Campeg. *in Addit. ad Zanch. tract. de hæresic. cap. 8. lit. F, verb. Processum,* Repertor. Inquisit. *verb. communicare, §. sed quomodò.* Videri etiam poterunt quæ dicebam *sect. 5.*

5 Quamvis hodie in Regnis, & statibus Inquisitionis Hispaniæ etiam hæc communicatio Processuum cesset; cùm ibi solùm Inquisitores processus faciant, & illis factis, Ordinarios vocent, quibus eos ostendunt, & ex iis sententiam simul cum Inquisitoribus Ordinarij proferunt, Peña *q. 52. comment. 101.* & Molina *disp. 28. n. 14. in fine.*

SECTIO XXII.

An possit Inquisitor sine Ordinario, vel è contra, tradere reum carceri?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitor sine Ordinario, & ordinarius sine Inquisitore, etiamsi separatim procedant, non possunt tradere reum carceri duro, qui magis ad pœnam, quàm ad custodiam reputetur.*

2 *Reus Sancti Officij, qui existens in uno carcere, potest communicare cum aliis, potest custodiri duriori carcere.*

1 SEquitur secundò, quod non possit Inquisitor sine Ordinario, neque Ordinarius sine Inquisitore, etiamsi separatim procedant, tradere reum carceri duro, qui magis ad pœnam, quàm ad custodiam videatur, *cit. Clement. 1.*

2 Hinc tamen non inferas, quod reus Inclusus in carcere seuero à fuga, expositus tamen aliorum communicationi, non possit in alium durum, & strictum carcerem mutari; quia tunc non ad pœnam, sed ad rationabilem, & debitam custodiam mutatur. Molina *cit. disp. 28. n. 13. vers. mihi verò,* & alij, quos citat, & sequitur Farinac. *q. 186. n. 75.*

SECTIO XXIII.

An possit Inquisitor sine Ordinario, vel è contra, reum tormentis subjicere, vel condemnare?



SVMMARIVM.

1 *Inquisitor non potest sine Ordinario, vel eius Officiali, vel delegato Capituli sede vacante, & è contra, reum tormentis subjicere, vel condemnare.*

2 *Confessio rei facta in tormentis ei inflictis ab Inquisitore sine licentia Ordinarij, & è contra, licèt ratificata, non nocet confitenti.*

1 SEquitur quintò, quod neque possit Inquisitor sine Ordinario, vel eius Officiali, vel Episcopali sede vacante, Capituli super hoc delegato, aut è contra, reum tormentis subjicere, vel condemnare: Ita vt si secùs
2 fiat, sit irritum ipso Iure, *cit. Clem. 1.* Vnde fit, quod si reus in huiusmodi tormentis confiteatur, confessio sic facta, etiamsi fuerit ratificata, illi non noceat, vtporè contra Iuris ordinem extorta: sic Doctores, quos citat, & sequitur Farinac. *n. 71. & seq.*

SECTIO XXIV.

An possit Inquisitor sine Episcopi consensu, vel eo absente, sine consensu Vicarij, reum hæreticum beneficiis, vel dignitatibus Ecclesiasticis ante hæresim obtentis priuare?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitor sine Episcopi consensu, vel eo absente, sine consensu Vicarij, & è contra, non potest priuare reum hæreticum beneficiis, vel dignitatibus Ecclesiasticis ante hæresim obtentis.*

2 *Limitatur à nonnullis non procedere, si dignitates sint sæculares.*

3 *Ampliatur etiam vt requiratur consensus Episcopi, vel è contra, licèt dignitates sint sæculares.*

SEquitur sextò, quod neque possit Inquisitor sine Episcopi consensu, vel eo absente, sine consensu Vicarij, &c. reum hæreticum beneficiis, vel dignitatibus Ecclesiasticis ante hæresim obtentis priuare; quia id facere, esset quædam hæretici condemnatio, & pœnæ impositio, quæ ab Inquisitore solo fieri non potest, *cit. Clem. 1. & c. vt commissi, de hæret. in 6.* ibi: *Priuandi præterea vel priuatos nunciandi dignitatibus, aut aliis beneficiis Ecclesiasticis, de Diœcesanorum, vel eis absentibus, Vicariorum suorum consilio.* Et docent ibi Glossa, & Doctores communiter, quos citat, & sequitur Farinac. *n. 77.* Simanch. *tit. 46. rubr. de pœnis, n. 71.* & Sanchez *c. 18. n. 6.* Hinc referunt Glossa *in cit. cap. Vt commissi,* 2
Archidiacon. n. 4. Decian. *c. 11. n. 25.* & Farinac. *num. 78.* Si dignitates sæculares sint, nullum esse necessarium Episcopi, vel eius Vicarij consilium. At id verum esse arbitror ex vi, & dispositione *cit. cap. Vt commissi,* vbi solum consilium, non item consensus videtur requisitus, non item ex vi, & dispositione *cit. Clement. 1. & cit. cap. Per hoc, de hæret. in 6.* Vbi ad quamlibet hæreti- 3
ci priuationem ab Inquisitore faciendam non solum consilium, sed consensus Episcopi requiritur; cùm ibi expresse caueatur, ne contra hæreticum, nisi Episcopo requisito, sententia proferatur.

SECTIO XXV.

An possit Inquisitor sine Episcopo, vel è contra, suspectum vehementer de hæresi cogere abiurare?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitor attento iure communi non potest sine Episcopo, & è contra suspectum vehementer de hæresi cogere abiurare.*

2 *Abiuratio est ignominiosa reo, & eius consanguineis, illumque reddit obnoxium morti, si in crimen abiuratum incidat.*

3 *Abiuratio censetur grauissima pœna.*

4 *Abiuratio non est contra reum, quatenus purgat suspicionem; est tamen contra reum, quatenus reddit illum infamem, & relapsi pœnæ subiectum.*

5 *Tortura non est contra reum, quatenus purgat indicium; est tamen contra ipsum, quatenus infert dolorem.*

6 *In Regnis Hispaniarum ius commune non habet lo-*

cum, & est correctum quoad hoc per contrariam consuetudinem.

1 SEquitur septimò, quod attento Iure communi, ne-
que possit Inquisitor siue Episcopo, vel è con-
tra Episcopus sine Inquisitore suspectum vehemen-
ter de hæresi cogere abiurare; quia cum hæc abiu-
ratio sit ignominiosa reo, & eius consanguineis,
2 illumque reddat obnoxium morti, si in crimen abiu-
ratum incidat, censetur grauissima pœna (quam
propterrà reus conatur euitare magis, quàm torturam.)
3 At ad pœnam condemnare reum non potest Inquisi-
tor sine Episcopo, nec è contra, vt patet ex dictis su-
4 prà: ergo, &c. Tum quia esto abiuratio non sit contra
reum, qua parte per illam purgat suspicionem, est tamen
contra reum, qua parte reddit illum infamem, & re-
5 lapsi pœnæ subiectum; sicut tortura, licèt non sit
contra reum, qua parte per illam purgat indicia, est
tamen contra reum, qua parte illi infert dolorem, &
tamen ad torturam reum condamnare non potest In-
quisitor sine Episcopo, nec è contra Episcopus sine
Inquisitore. Ergo sic est. Atque ita ex probabiliori
& magis in vsu recepta sententia docet Molina *de iu-
stitia, tract. 5. disp. 28. n. 16.* Azor. *part. 1. lib. 8. c. 18.
q. 16.* Paramus *lib. 3. q. 4. rubr. de expedit. processus in
causis fidei, n. 2.* & multi alij, quos citat & sequitur
Farinac. *q. 186. n. 79.* & Peña *in 3. part. directorq de 2.
modo terminandi processum fidei, n. 144. & q. 48. com-
ment. 97. vers. An autem,* & alij contra Campegium *in
Addit. ad Zanch. tract. de haret. cap. 8. lit. L, vers. defi-
nitiuam* (cuius tamen opinionem in puncto Iuris pro-
babiliorem vocat Peña *in locis suprà cit.*) videatur
etiam Sousa *in Aphorism. Inquis. lib. 1. cap. 5. n. 5.* vbi ait,
esse vsu receptum, quod Inquisitor imponat abiuratio-
nem, & purgationem sine Episcopo; quod si alicubi
sit talia consuetudo legitimè præscripta, ego quidem
illam non damnarem.
6 Dixi, *attento Iure communi*; quia in Regnis, & Stati-
bus Inquisitionis Hispanicæ certum est, id non posse
fieri, nedum non esse vsu receptum, sed Ordinarium
ab Inquisitore vocandum esse, vt patet ex dictis suprà.
Vide tamen quæ dicebam suprà *dubit. 47. Petitione 5.*

SECTIO XXVI.

An possit Inquisitor sine Episcopo, vel è contra, indicere hæretico pœnitenti abiurationem?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitor sine Episcopo, & è contra, non potest hæretico pœnitenti indicere abiurationem; quia si reincidat, est grauissima pœna.*
2 *Captus à Mauris Professus Mahometanam sectam, postea aufugiens, si sponte ad Tribunal Sancti Officij accedat, & manifestando delictum petat absolutionem, potest ab Inquisitore sine Ordinario reconciliari, quod tamen non probatur rationibus ab Auctore in contrarium allegatis.*

1 SEquitur octauò, quod à fortiori neque possit Inquisitor sine Episcopo, vel eius delegato, nec è contra, indicere hæretico pœnitenti abiurationem, quia cum hæc abiuratio indicatur per sententiam, qua declaratur reus fuisse hæreticus, & ex vi illius omnia bona confiscentur, & morti subiectus reddatur, si reincidat, est grauissima pœna, ad quam ex dictis non potest Inquisitor sine Ordinario, nec Ordinarius sine Inquisitore reum condemnare.
2 Excipit Molina *cit. disp. 28. n. 16.* si quis captus à Mauris Mahometanam sectam Professus fuerit, & postea aufugiens, spontè ad Tribunal Sancti Officij accedat, delictum suum manifestans, & pœnitentiam petens: Hunc enim ait posse ab Inquisitore sine Ordinario reconciliari; quia secretò reconciliatur, & hæreses abiurat: Tum quia nulla est dubitatio, quin talia ad reconciliationem sit admittendus; quæ videtur esse causa, ob quam præsentia Ordinarij non expostuletur. Sed exceptio mihi non probatur; quia talis abiurans, etiamsi non coram Populo, sed solùm in Tribunali abiuret, subditur pœnæ mortis, si reincidat, & declaratur excommunicationem contraxisse, eiusque bona Fisco esse addicta, quæ grauissima pœna est, & sic non est cur ab Inquisitore, vel ab Episcopo solùm imponi possit, contra textum *in cit. Clem. 1. & cit. cap. Per hoc.* Neque valet dici, nullam dubitationem esse, quin talia ad reconciliationem sit admittendua; quin etiam nulla dubitatio est, quin pœnitens hæreticus publicus ad reconciliationem admittendus sit, & tamen hinc non sequitur, quod in sine Ordinario ab Inquisitore, vel è contra ad reconciliationem admitti possit. Vide tamen quæ dicebam suprà *dubit. 47. petitione 5.*

SECTIO XXVII.

An si de facto Inquisitor sine Episcopo, vel è contra, reum ad abiurationem coëgerit, sic abiurans maneat subiectus pœnæ relapsi?

SVMMARIVM.

1 *Abiurans de facto de mandato Inquisitoris sine Episcopo, & è contra, non manet subiectus pœna relapsi.*
2 *Quod irritum, & inane est nullum præstat effectum.*
3 *Abiurationis legitima effectus est pœna relapsi.*
4 *Opinio Peña reijcitur.*

SEquitur nonò, quod si de facto (remota scilicet con- 1
suetudine legitimè præscripta in contrarium) Inqui-
sitor sine Episcopo, vel è contra Episcopus sine Inqui-
sitore reum ad abiurationem coëgerit, sic abiurans
non maneat subiectus pœnæ relapsi, *cit. Clement. 1. de
hæret. §. duro,* vbi postquam Pontifex dixerat, non
posse Inquisitorem sine Episcopo, vel è contra, ad sen-
tentiam contra reos procedere, subdit: *non valebit, &
si secus præsumptum fuerit, irritum sit, & inane.* At quod 2
irritum, & inane est, nullum præstat effectum: ergo ta-
lis abiurationis sententia reum obnoxium pœnæ re- 3
lapsi non subdit, qui est effectus legitimæ abiurationis.
Quare non placet quod in contrarium docet Peña *3. p.* 4
direct. q. 47. comment. 97. vers. Rursùs dico, non debere
scilicet id fieri, vtpote Iure prohibitum: valere tamen,
si fiat, asserendo esse de genere eorum, quæ tenent, licèt
fieri prohibeantur: Neque placet quod in contrarium
quoad vltimam partem docet Zanard. *in direct. Theol.
part. 2. cap. 6. quæsit. 13. non posse scilicet Inquisitorem
sine Episcopo indicere abiurationem, vel è contra; quia
abiuratio pœna quadam est, & condemnatio: Ad condemnandum autem vterque requiritur, sicque puto esse vsu receptum apud Inquisitores, & Episcopos; quod si tamen abiuratio coram vno illorum tantùm facta fuerit, tenet, neque est repetenda, quia expressè non est aliud sancitum*; sic ille. Non placet, inquam, quod in contrarium docet iste Auctor quoad vltimam partem, quod scilicet abiuratio, si coram vno illorum tantùm facta fuerit, teneat, neque sit repetenda; quia expressè non est aliud sancitum *in dicta Clement. 1. de hæret. §. duro,* per illa verba: *Non valebit, & si secus præsumptum fuerit, irritum sit, & inane,* sicuti dicebam. Videatur etiam præter Peñam, & Zanardum Farinac. *de hæret. q. 186. n. 79.*

At

At de abiuratione videantur, quæ dicebam suprà *dubit. 171. per totam.*

SECTIO XXVIII.

An possit Inquisitor sine Ordinario, vel è contra, reum absoluere?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitor sine Ordinario, & è contra, non potest reum absoluere, siue per sententiam diffinitiuam, siue interlocutoriam diffinitiuæ sententiæ vim habentem.*

2 *Inquisitor antequam sententiam proferat contra reum, debet Episcopum requirere, & inter se communicare processus, & examinare, vtrum reus sit condemnandus, necne.*

3 *Inquisitor si sine Ordinario, & è contra absolueret, sequerentur multa absurda.*

4 *Inquisitor quod nullam possit sine Ordinario proferre sententiam, & è contra, cauetur in cap. Per hoc, de hæretic. in 6. Vbi absolutè loquitur textus de quacunque sententia, tam contra reos, quàm pro reis danda.*

5 *Quorum est eadem Iuris disciplina, eiusdem sunt potestatis.*

6 *Opinio quod Inquisitor possit in cæteris sententiis præter condemnationem procedere sine Ordinario, & è contra, licèt ab aliquibus censeatur in puncto Iuris probabilior, tamen contrarium seruari debet in praxi.*

7 *Episcopus de Iure antiquo poterat absoluere sine Inquisitore.*

8 *A iure antiquo non est recedendum, nisi in quantum iure nouo correctum illud inuenitur.*

9 *Episcopus, licet non explicitè, implicitè tamen de iure nouo, non potest proferre sententiam absolutoriam sine Inquisitore.*

10 & 11. *Communicatio necessaria inter Episcopum, & Inquisitorem habuit pro ratione impulsiua querelas de vexationibus factis ab Inquisitoribus per excessus eorum Commissariorum: At pro ratione finali habuit cauere ab errore in iudicando.*

12 *Bulla Vrbani IV. incipiens:* Præ cunctis, §. si verò, & Clement. Cùm sicut, *declaratur: quia licet limitatè loquantur, attamen rationibus allatis in quacumque sententia requirunt prædictam communicationem.*

13 *Argumentum à contrario sensu non est leue in iure, quando contrarium est conforme dispositioni iuris antiqui.*

14 *Vide quid seruetur in Regnis Hispaniarum circa prædicta.*

15 *Inquisitor Inquisitionis Hispaniæ nulla consuetudine seorsim ab Episcopo profert sententiam absolutionis.*

16 *Varia Doctorum sententia circa secundam absolutionem conciliantur cum distinctione, quia absoluere reum de hæresi stat dupliciter: Primò quando ex Processu non resultat eum esse conuictum, confessum, vel indiciis sufficientibus ad torturam indiciatum de hæresi. Secundò quando est conuictus, confessus, vel grauiter, itaue torquendus sit, de hæresi indiciatus. Si prius, vterque potest reum absoluere: si posterius, vnus non potest sine alio.*

17 *At sententia simpliciter negatiua tutior est.*

Sequitur decimò, quod neque possit Inquisitor sine Ordinario, aut eius delegato, &c. vel è contra, reum absoluere, siue per sententiam diffinitiuam, qua is absoluitur simpliciter, siue per sententiam interlocutoriam vim sententiæ diffinitiuæ habentem, qua similiter is
2 absoluitur à tortura, vel alio actu, & pœna. Quia antequam Inquisitor proferat contra reum sententiam, debet Episcopum requirere, & inter se communicare processus, & examinare vtrum reus sit condemnandus, an
absoluendus: Et sic vtriusque assistentia est necessaria, 3
non tam pro actu sententiæ, quàm pro antecedentibus ad ipsam, ne scilicet error aliquis in iudicando com-
mittatur: Tum quia si valida esset sententia diffinitiua, 4
qua solus Inquisitor, non requisito Ordinario, vel è contra, absolutè absoluit, vel qua absoluit à tortura, &c. sequeretur, quod cùm simul in iudicando procedunt, & inter se discordant, debet prænalere sententia absolutoria, vtpote quæ non est contra reum, non autem deberet negotium remitti Pontifici, contra Textum *in cit.
cap. Per hoc*, vt mox infrà dicetur. Tum quia *in cit. c. Per* 5
hoc, de hæret. in 6. absolutè cauetur de qualibet sententia, tam contra reos, quàm pro reis danda per Episcopum, & Inquisitorem, simul eam proferri debere: Tum quia licet *cit. Clem. 1.* explicitè loquatur solùm de sententia condemnatoria (quod scilicet ab Inquisitore solùm, non requisito Ordinario, vel è contra, talis sententia proferri non possit) indirectè tamen loquitur etiam de qualibet sententia ob communicationem, & examinationem processuum requisitam; & quia condemnare, & absoluere, vtpote contraria (quorum est eadem iuris disciplina) eiusdem sunt potestatis, *l. qui condemnare, ff. de re iudicata.*

Atque ita (licèt contraria opinio ab aliquibus ex 6
ipsis concedatur in puncto Iuris probabilior) seruandū esse in praxi (nisi alicubi sit consuetudo in contrarium legitimè præscripta) docent Simanch. *tit. 3. rubrica de absolut. n. 9. & in Enchirid. viol. relig. tit. 31. rubr. de absolut. n. 2.* vbi ait contrariam opinionem esse iam à foro reiectam.) Rojas *singul. 27. n. 7.* Locat. *q. 29.* Mandos. *in addit. ad Repertorium Inquisit. verb. Inquisitor, I. C.* Zechius *sum. p. 1. tit. de fide, c. 11. rub. de hæres. n. 14.* Carer. *tract. de hær. n. 72.* Azor. *part. 1. lib. 8. c. 18. q. 16.* (vbi tamen inquit, contrariam opinionem congruere magis cum iure, sed hanc esse tutiorem) & Peña *3. p. q. 48. comment. 97. vers. Ex hic omnibus* (vbi tamen concedit, contrariam opinionem esse magis communem, & in puncto iuris probabiliorem) contra Glossam *in cit. Clement.* Eymer. & alios Doctores, quos citat idem Peña *loco suprà cit.*) Item contra Clarum *in tract. crim. §. hæresis, n. 5. vers. sed si quis, in fine,* Carrerium *in praxi,* Farinacium *q. 186. n. 60.* & Molinam *de iustitia, tr. 5. disp. 29. num. 15.* Sousam *in aphorism. Inquisit. lib. 2. cap. 37. num. 2.* & Carenam *de Offic. Inquisit. part. 1. cap. 4. §. 2. n. 10.* qui contrarium tenent ob rationem, quam dicebam *suprà sect. 20. in Appendice.*

Objicies: Iure antiquo potest Episcopus sine Inqui- 7
sitore solus absoluere. Ergo & potest solus Iure nouo. Consequentia probatur, quia Iure nouo prohibetur solùm sine Inquisitore sententiam condemnatoriam, non item absolutoriam proferre, vt constat *ex dicta Clem. 1.*
ibi 1 *Neque ad sententiam procedere contra reos.* Et 8
ex alio capite à iure antiquo recedendum non est, nisi in quantum iure nouo correctum illud inuenitur, *l. Sancimus, Cod. de testament. l. Præcipimus, de appellat. Auth. de non alien. aut permut. reb. Ecclesiast. §. finali, cap. Ad nostram, de Regular.* Ergo, &c.

Respondetur, concedo antecedens: At nego conse- 9
quentiam, & ad probationem respondeo: Iure nouo prohibetur solùm sine Inquisitore sententiam condemnatoriam, non item absolutoriam proferre, explicitè, concedo: implicitè, nego.

Objicies secundò, tota ratio, ob quam dicta Clemen- 10
tina prohibitum fuit Episcopo sine Inquisitore, vel è contra, reos duro carceri tradere, tormentis subjicere, sententia condemnare, &c. fuit satisfacere querelæ de vexationibus factis ab Inquisitoribus prætextu Inquisitionis Sancti Officij, in cuius exercitio metas Iurisdictionis sibi commissas excedebant. At hæc satisfactio cessat, cum reus absoluitur: Ergo, &c.

Respondetur,

11 Respondetur, distinguo antecedens: Tota ratio fuit satisfacere querelæ de vexationibus factis ab Inquisitoribus prætextu Inquisitionis S. Officij; impulsiua concedo: Tota ratio finalis, nego: Nam ratio finalis, vt dicebamus, fuit ne error in iudicando committatur.

12 Objicies 3. In Bulla Vrbani IV. incip. *Præ cunctis*, §. *si verò*, *& in Clem.* 7. incipiente: *Cum sicut*, expressè dicitur, *Contra huiusmodi exemptos vsque ad sententiam diffinitiuam, ad quam ferendam, si fuerit condemnatoria,*
13 *cum consensu Ordinarij procedatis*. Ergo tacitè insinuatur, si absolutoria sit, consensum Ordinarij non requiri. Et confirmatur quia argumentum à contrario sensu non est leue in Iure, quando contrarium dispositioni Iuris antiqui conforme est.

14 Respondetur, nego consequentiam ob rationes dictas, ex quibus etiam patet ad confirmationem.

Cæterùm in Regnis, & Statibus Inquisitionis Hispaniæ, tam sententia diffinitiua, qua reus absoluitur absolutè, quàm interlocutoria, vim sententiæ diffinitiuæ habens, qua similiter reus absoluitur à tortura, vel alio actu, & pœna, *non potest ab Inquisitore sine Episcopo, vel eius delegato, &c. vel è contra proferri*; quia sic expressè cauetur in instructionibus datis particularibus Inquisitoribus, quas ipsi obseruare tenentur; cum iuxta illas ab inquisitore generali Iurisdictionē acceperint.

15 Vide DD. & præcipuè Simanch. *in loco suprà cit.* Vbi rectè negat, in Tribunali Inquisitionis Hispaniæ vigere consuetudinem, quod Inquisitor seorsim ab Episcopo sententiam absolutionis proferat, quāvis vigere illam, affirmet Molina *de iustitia, tom. 5. tract. 5. disp. 28. n. 15.*

16 Vide etiam quoad ea, quæ suprà dicebam, Zanardum *in direct. Theol. part. 2. c. 6. q. 15.* quatenus ait; quoad sententiam absolutoriam multi tenent, quod Inquisitor, & Episcopus vnus possit sine altero reum de hæresi absoluere, vt Ioan. Andreas, Paulus, Cardinalis, & Abbas. Alij verò negant, vt Ancharanus, Aretinus, & Coccinus: Videtur autem potiùs distinguendum, quia absoluere reum ab hæresi stat dupliciter. Primò, quando ex processu non resultat, eum esse conuictū, confessum, vel indicijs sufficientibus ad torturam de hæresi indiciatum; secundò, quādo est conuictus, confessus, vel grauiter, ita vt torquendus veniat, de hæresi indiciatus. Si prius, vterque potest seorsim reum absoluere, quia non est inuentus reuera, & in effectu reus, nec aliud contra ipsum manet agendum. Si posterius, vnus non potest sine altero reum absoluere, seu relinquere, quia torquendus est, & tortura nō potest inferri ab vno sine altero: Tum quia sumus in negotio graui, in quo est postulanda congregatio, & ad viriora procedendum.

17 At adhuc standum arbitror nostræ priori sententiæ negatiuæ simpliciter.

SECTIO XXIX.

An possit Inquisitor sine Episcopo; vel è contra pœnitentiam ab Inquisitore, & Episcopo simul impositam relaxare, vel mutare?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitor sine Ordinario non potest, vel è contra, mutare pœnas, seu relaxare reis condemnatis, quia ad eas imponendas vterque simul debuit concurrere.*

2 *Inquisitor generalis in Hispaniarum Regnis ex speciali Summi Pontificis priuilegio potest delinquentibus pœnitentias impositas mutare, & relaxare.*

1 SEquitur vndecimò, quod neque possit Inquisitor sine Diœcesano, vel è contrà, pœnitentiam carceris, triremis, portationis vestis cruce signatæ ab Inquisitore, & Diœcesano simul impositam relaxare, vel mutare; quia ad eam imponendam vterque simul debuit concurrere, *c. vt commissi, de hæret. in 6.* Ergo alter sine altero non potest eam relaxare, vel mutare. Consequentia probatur, quia frustra vtriusque auctoritas ad illam imponendam expostularetur, si quilibet postea disiunctiuè posset eandem relaxare, vel mutare; quin & fraudi occasio daretur in agendo, siquidem quilibet posset consentire condemnationi, quam iniustam reputat sub prætextu, quod statim eam reuocaret. Doctores quos refert, & sequitur Farin. *q. 186. num. 76.* & Batiola *in Aphorism. lit. P, verb. Pæna, §. 15.* vbi subdit, quod hodie etiam ex decreto vrbis de mandato Vrbani VIII. id fieri non possit, nisi scilicet, vti dicebam, cumulatiuè, idest consentiente Episcopo, & Inquisitore.

Quapropter non est ampliùs amplectenda opinio Zanch. *tract. de hæret. c. 21. n. 2.* asserentis, quod Inquisitores circa laicos possint mitigare, & mutare pœnas, petito consilio Episcopi, quāuis non obtento consensu illius; secus verò circa Clericos, quo casu debent requirere consilium, & expectare consensum Episcopi.

Quapropter (inquam) non est ampliùs amplectenda opinio ista Zanchini; quia hodie etiam ex dicto decreto Vrbani VIII. Inquisitoribus denegatur potestas minorandi pœnas sine consensu Episcopi, sicuti suprà dicebam. 2

In Regnis tamen, & Statibus Inquisitionis Hispaniæ ex speciali Summi Pontificis priuilegio potest Inquisitor Generalis solus pœnitentias delinquentibus impositas mutare, & relaxare, Farin. *loco suprà cit.* Rojas *singul. 155. n. 5. & part. 2. de hæret. n. 200. & 381.* Peña *in direct. p. 3. comment. 108. & 145.* & Simanch. *tit. 16. rubr. de custod. reor. n. 20.* Videri etiam poterit instructio Hispalensis *c. 7.* & instructio Toletana *c. 9.*

Quapropter hodie Inquisitores Inquisitionis Hispaniæ in depositione vestis crucibus signatæ dispensare non possunt, sed id ad solum Inquisitorem Generalem spectabit, vt in specie ex Simancha rectè adnotauit Peña *loco suprà citato, comment. 108.*

SECTIO XXX.

An, & quantum se extendat potestas Inquisitoris, & Episcopi?

SVMMARIVM.

1 *Episcopus si fuerit de hæresi suspectus, inquirendum est contra ipsum, & si fuerit conuictus de ea, potest deponi, & degradari.*

2 *Inquisitores non possunt procedere contra Episcopum de hæresi suspectum, & processum formare; sed id pertinet ad solos Eminentissimos Cardinales Congregationis generalis Sancti Officij, qui soli in causa hæresis procedunt, & processus formant contra Episcopos, & contra Cardinales, & omnes exemptos, & iudicant non absolutè, & formaliter, sed consulto Summo Pontifice.*

3 *Inquisitores multò minùs possunt per sententiam condemnare Episcopum de hæresi suspectum, illum declarando hæreticum, & aliquibus pœnis punire.*

4 *In iisdem Regnis nullus Hæreticus, etiam consentientibus Inquisitoribus, & Episcopis, potest brachio sæculari relaxari, nisi consulto supremo Inquisitore, eiusque Senatu.*

5 & 6. *Inquisitor discordans ab Episcopo, & è contra in quocunque actu Iudicij, spectato iure communi debet transmitti negotium instructum ad Summum Pontificem; secus est in Regnis Hispaniarum; nam negotium remittitur ad generalem Inquisitorem.*

7 *Inquisitores cùm dissentiunt, & causa in Senatu S. Inquisitionis definitur, sententia subscribere se debent omnes, etiā illi, qui contrariā, vel diuersā opinionem*

tuebantur

tuebantur. Et quid faciendum sit, si in Prouincia sint tres Inquisitores dissentientes, vt in Regno Siciliæ.

8 *Appellatur in Inquisitione Romana ab Inquisitore, & ab Episcopo ad Papam. In Inquisitione autem Hispanica apellatur à priuatis Inquisitoribus ad Generalem Regnorum Inquisitorem: Idque seruatur in praxi fundata in Priuilegio Pontificio.*

9 *Inquisitor, & Ordinarius non solùm de hæresi, sed etiam de omnibus connexis, dipendentibus, & incidentibus illius cognoscere possunt.*

10 *Concessa iurisdictione, & cognitione causæ principalis conceduntur etiam accessoria, iuxta illud: Accessorium sequitur naturam sui principalis.*

11 *Prælati in causa hæresis contra subditos suos nullo modo cognoscere possunt, sed id totum Inquisitoribus, & Episcopis est remissum.*

12 *Inquisitor subordinatus in Regnis Hispaniarum nullum Religiosum, nullumque Nobilem, vel aliqua ratione insignem comprehendere potest, quin priùs Inquisitorem generalem, eiusque supremum Senatum de iudicijs certiorem reddat; secus si adsit periculum fugæ, vel alterius grauis mali.*

13 *Priuilegia diuersarum Religionum recensentur concessa à Summis Pontificibus superioribus Regularibus procedendi contra Fratres in causa hæresis. Daturque præuentio contra ipsos & Inquisitores.*

14 & 15 *Inquisitor Generalis non potest procedere contra Episcopum, nisi de expressa Sedis Apostolicæ concessione; debet tamen certiorare Pontificem de eo quod ei innotuit.*

16 *Episcoporum nomine veniunt etiam Episcopi Titulares, veniunt etiam electi, & à Sede Apostolica confirmati, etiamsi consecrati non sint. Secus electi & & nondum à Sede Apostolica confirmati.*

17 *Inquisitor potest recipere dicta testium contra Episcopos, vt ea ad Pontificem transmittat.*

18 *Inquisitor potest carcerare Episcopum suspectum de fugâ, si clarè cognitus sit Hæreticus; & multo magis si clarè dilatione carcerationis periculum sit in mora, & ipsum ad Pontificem mittere.*

19 *In dubio standum est pro lege prohibente.*

20 *Episcopus potest procedere contra alium Episcopum, si in illius Diœcesi hæresim committat, vel de hæresi suspectus reddatur.*

21 *Summus Pontifex, cùm dat facultatem Inquisitoribus, vt possint procedere contra quascumque personas cuiuscumque dignitatis, adhuc non possunt ex vi talis facultatis procedere contra Episcopum, nisi expressè, & specialiter detur ipsis facultas, vt possint procedere etiam contra Episcopum.*

22 *Inquisitores in crimine hæresis an possint procedere contra Principes, Duces, &c. At non contra Episcopos; quin ij, vtpote Patres fidei, sunt quoad hoc in superiori ordine ad Principes sæculares.*

23 *Episcopi quãuis ordinariè accusari non debeant, præsertim à subditis, si tamen fuerint de hæresi suspecti, possunt ab omnibus accusari, denunciarique Inquisitoribus: At non per hoc sunt ipsis subiecti.*

24 *Inquisitores licet non possint procedere contra Episcopos, tenentur tamen de hoc monere Summum Pontificem; & è contra.*

25 *Hæresis Episcopi, vel Inquisitoris quando est notoria, potest vnus de hæresi alterius testes sumere, & omnia ad Summum Pontificem referre, & multò magis si ad Sedem Apostolicam recursus facilis non sit.*

26 *Inquisitores debent in hoc prudenter se gerere.*

27 *Inquisitor, & Episcopus non possunt procedere contra Nuncios, & alios Sedis Apostolicæ Officiales, nisi de facultate expressa Summi Pontificis: Potest tamen vterque contra eos, dummodò Episcopi non sint, inquirere, & informationem transmittere ad Summum Pontificem.*

28 *Nunciorum nomine veniunt Legati Sedis Apostolicæ.*

29 *Officialium Sedis Apostolicæ nomine veniunt signati à Sede Apostolica ad aliquas causas Sedem ipsam Apostolicam, eiusque dignitatem spectantes, non item signati ad causas particulares inter partes decidendas.*

30 *Inquisitores, & Episcopi non possunt procedere contra alios Inquisitores, & Episcopos, quia par in parem non habet imperium; secus est, si remoueantur ab Officio Inquisitoris.*

32 *Item si Inquisitores particulares non sint delegati à Sede Apostolica.*

33 *Commissio facta ab Inquisitore generali Inquisitori particulari est modificata, & reuocabilis ad libitum.*

34 *Episcopi quod possint procedere contra Inquisitores est opinio multorum Doctorum, maximè quando hæresis est manifesta, sed reprobatur.*

35 *Episcopi contra Inquisitores possunt tantùm informationes capere, & ad Sedem Apostolicam transmittere.*

36 *Inquisitores, si Clerici sæculares sint, electi à Cardinalibus Sanctæ Romanæ Inquisitionis, etiam extra crimen hæresis, siue delinquant in Officio, siue extrà, puniri debent ab ipsis.*

37 *Inquisitores electi à generali Inquisitore Hispaniarum, ab eo, & etiam à supremo Senatu, etiam extra crimen hæresis, siue similiter delinquant in Officio, siue extra, puniri possunt.*

38 *Inquisitores Regulares non possunt puniri à suis Prælatis, idemque dic de Consultoribus, si delinquant in proprio Officio, nedum in crimine hæresis.*

39 *Inquisitores Regulares si delinquant extra proprium Officium, & contra regularem obseruantiam, à suis Prælatis coerceri, & puniri possunt.*

40 *Limita dummodò pœna, qua puniuntur, eos non remoueatur à proprij Officij exercitio directè, aut indirectè.*

41 *Prælati Religionum, ne Inquisitores indirectè retrahantur ab exercitio sui Officij, possunt assumere informationes, & eas transmittere ad supremum Sancti Officij Tribunal.*

42 *Inquisitores in causa hæresis, licèt non possint procedere contra Episcopos, possunt tamen contra Generales Religionum, sed debent cautè.*

SVppono, quod Episcopus, si fuerit de hæresi suspectus, possit contra ipsum inquiri, & si fuerit de ea conuictus, possit deponi, & degradari, ex *c. Nouatianus, q. 1. c. Hæretici, c. Didicimus, cap. Quicumque, 24. q. 1.* Et colligitur *ex cap. si quis, cap. Paulus, 2. q. 7.* (vbi etiam pro aliis delictis deponitur Episcopus) & ex Constitutione Pauli IV. *Cùm ex Apostolatus officio*, apud Peñam, vbi dicitur, quod Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, & Cardinales, si fuerint de hæresi conuicti, etiam pœnis in Iure contra hæreticos latis puniendi sint. 1

Quamvis autem, vti dicebam, possit inquiri contra Episcopum, non tamen, vti dicam, conceditur Inquisitoribus, vt ipsi contra Epicopum de hæresi suspectum procedant, & Processum forment, sed id pertinebit ad solos Eminentissimos Cardinales Inquisitionis Romanæ generalis Inquisitores, qui soli in causa hæresis procedunt, & processus formant contra Episcopos, & contra Cardinales, & omnes alios exemptos; Non tamen de istis iudicant absolutè, & finaliter, non consulto Summo Pontifice, & Constitutione Pij IV. *Romanus Pontifex*, apud Peñam inter literas Apostolicas: Et videri poterit præter alios Suarez *de fide, disp. 10. sect. 4. n. 25.* 2

Et multò minùs conceditur Inquisitoribus, vt ipsi Episcopũ de hæresi suspectum per sententiá condemnent, illum declarando hæreticum, & pœnis aliquibus puniant, sed id pertinebit ad solum Romanum Pontificem, *c. Accusatus, cap. Quamvis, 3. q. 6.* & tradunt Rosella *verb. hæret. n. 3.* Syluester *eod. verb. hæreticus 2. n. 13.* 3

Repertor. Inquisit. *verb. Episcopus*, *& ibi* Mandosius *lit C*, & Rojas *singul.* 55. His suppositis.

4 Respondetur, & dico primò, quod in Regnis, & Statibus Inquisitionis Hispaniæ nullus Hæreticus, etiam consentientibus Inquisitoribus & Episcopis, Brachio sæculari relaxari, nisi consulto supremo Inquisitore, eiusque Senatu possit, vt habetur *in quadam Madriliana instructione*, c.66. apud Peñam 3.p. *direct.* q.50. *comment.*96. Molin. *tract.* 5. *disp.* 28. n. 14. *prope finem*, in his verbis: *Verumtamen in causis grauissimus* (qualis vtiq; est causa vitæ) *non debêt Vota Inquisitoris Ordinary & Consultorū executioni mandari, etiamsi fuerint cōformia, inconsulto Senatu, atque sic solitum est, & iussum fieri.*

5 Dico 2. quod cum inquisitor, & Ordinarius discordant in his ad quæ ambo simul concurrere debent, spectato Iure communi, Pontifex sit consulendus, eique causa cum summaria Informatione sit remittenda, *c. Per hoc, de hæret. in* 6. ibi: *In qua* (scilicet sententia) *ferenda, si non conuenirint, per vtrosque negotium sufficienter instructum ad Sedem Apostolicam remittatur.* Neque obstat, quod Textus loquatur solùm de sententia diffinitiua; quia id est ex eo, quod illo tempore ad solam sententiam diffinitiuam Inquisitor, & Episcopus concurrere tenebantur. Vnde cum ex *Clem.* 1. non solùm ad sententiam diffinitiuam, sed etiam ad interlocutoriam, torturæ, carceris durioris, & in pœnam condemnationis ambo concurrere teneantur, consequens est, quod si in aliquo ex his discordent Episcopus, & Inquisitor, causa etiam talis ad Summum Pontificem remittenda sit, Locat. *in Prax. Inquisit. verb. Tortura*, §. *sed pono quod Episcopus*, Eymer. q.50. Peña *ibid. comment.* 99. *vers. tam illud*, Molin. *de Iustitia*, *tract.* 5. *disp.* 28. n. 14. Farinacius q. 188. *num.*.. & alij, quos sequitur Barbosa *in collect. tom.* 3. *lib.* 5. *tit.* 2. c. 57. n. 15. Quatenus expresè ait, quod discordantibus Inquisitore, & Episcopo in prolatione sententiæ, seu in alio actu, quem quicumque ex ipsis solus expedire non potest, consuli debeat Sedes Apostolica.

6 Quamvis in locis Inquisitionis Hispanicæ ex speciali Pontificis priuilegio (cùm id sit in præiudicium Ordinariorum) Inquisitori generali, eiusque Senatui remittatur, & provt eis videbitur, executioni mandetur.
7 Simanch. *tit.* 25. n. 5. *& tit.* 60. *cap.* 10. (vbi subdit, quod cum Inquisitores dissentiunt, & causa in Senatu Sanctæ Inquisitionis defertur, sententiæ subscribere se debeant omnes, etiam illi, qui contrariam, vel diuersam opinionem tuebantur: At si forsan in Prouincia quapiam, vt in Regno Siciliæ, sint tres Inquisitores, & vnus eorum cum Episcopo, vel cum Episcopi Vicario sentiat, alij autem duo Inquisitores ab illis dissentiant, remittenda sit causa ad Senatum; si verò duo Inquisitores cum Ordinario consentiant, sententia protinus ferenda sit, non expectato iudicio Senatus) Molina *loco suprà cit. circa finem*, (vbi citat Rojas, & Peña) Freytas *de confess. sollicit.* q. 15. n. 20. & alij. Videri etiam poterit instructio Toletana anno 1561. *n.* 66.

8 Et quod modò diximus seruatur in praxi in omni appellatione, vt scilicet in Inquisitione Romana appelletur ab inquisitore, & ab Episcopo ad Papam: in Inquisitione autem Hispanica appelletur à priuatis Inquisitoribus ad Generalem Regnorum Inquisitorem, Peña *in direct. Inquisit. part.* 3. *comment.* 21. n. 116. Param. *de origin. Inquisit. lib.* 3. q. 4. n. 101. Bariola *in floribus Inquisit. part.* 2. *comment.* 315. §. 12. & Martinus Real *in allegat. pro Iur. S. Officij, conclus.* 1. n. 508. Et satis colligitur ex *dicta instructione Toletana anni* 1561. n. 81.

Quæ praxis fundatur in priuilegio Pontificis, præsertim Clementis VII. vt patet ex eius Bulla data Romæ die 16. Iunij, anno 1525.

9 Dico tertiò, quod Inquisitor, & Ordinarius cognoscere possint de hæresi modo, quo suprà dicebatur, ita vt etiam cognoscere possint de omnibus connexis, dependentibus, & emergentibus, seu incidentibus illius, Eymer. 3. p. n. 37. *in fine*, Peña *ibid. comment.* 10. *vers. in prædictis omnibus* (vbi explicat, quæ in hac materia sint connexa, emergentia, dependentia, &c.) & Farin. *de
hæres. quæst.* 186. *num.* 26. Et probatur, quia concessa 10
Iurisdictione, & cognitione causæ principalis, conceduntur emergentia, seu incidentia, connexa, accessoria, & dependentia ab illa, *l. nulli*, *C. de Iud. & Clem. dispendiosam*, *eod. tit.* & docent communiter Doctores ibi, Aretin. *cons.* 83. Decius *in c. Pastoralis, de appellat.* n. 4. Menoch. *de arbitr. lib.* 1. q. 45. n. 9. & Decian. *in tract. crim. lib.* 5. c. 22. n. 12. & c. 25. n. 13. vbi sequens Decium *cons.* 167. n. 5. 6. & 15. aduertit, quod (cùm Inquisitor habeat Iurisdictionem limitatam) non possit cognoscere de emergentibus, dependentibus, &c. si non attingant hæresim immediatè.

Dico quartò, quod (cùm dixi, Inquisitorem posse 11
cognoscere in causa hæresis omnes existentes in sua Prouincia, & Episcopum posse cognoscere omnes existentes in sua Diœcesi, siue sæculares illi sint, siue Religiosi, seu aliàs exempti, iuxta textum *in cap. Vt officium*, §. *denique*, *de hæret. in* 6. *cap. Accusatores*, & *cap. ad abolendam, de hæret.* & iuxta *Director. Inquisit. pars.* 3. *quæst.* 28. Peñam *ibidem, comment.* 77. Zecchium *in sum. part.* 1. *tit. de fide, rubr. de hæresi*, *cap.* 11. *num.* 13. Rojas *singul.* 163. Suarez *de fide*, *disput.* 20. *sect.* 4. *num.* 27. & alios communiter, hoc ita intelligendum sit, vt hodie non possint Prælati in causa hæresis contra subditos suos vllo modo procedere, sed id totum Inquisitoribus, & Episcopis remissum sit ex Constitutione Pauli V. provt videre est apud Farinacium
cit. quæst. 186. *num.* 128. In locis tamen Hispanicæ 12
Inquisitionis sancitum est, quod Inquisitores particulares nullum Religiosum, nullumque Nobilem, vel aliqua ratione insignem comprehendant, quin priùs Inquisitorem generalem, eiusque supremum Senatum, missis ad eos indiciis, certiores faciant, & quod probationibus habitis contra talem reum, & ex eorum præscripto procedatur, & non aliter. Simanch. *cit.* q. 34. *num.* 33. Peña 3. *part. comment.* 77. & Molina *disp.* 28. *num.* 18. qui tamen excipiunt, & rectè, nisi sit periculum fugæ, vel alterius grauis mali.

Cæterùm quoad Religiosos in materia hæresis va- 13
riæ sunt Summorum Pontificum Constitutiones apud Peñam inter literas Apostolicas; siquidem Alexander IV. decreuit, quod Inquisitores haberent potestatem inquirendi contra omnes Religiosos hæreticos: Pius II. concessit Generali Religionis Sancti Francisci, quod ipse posset inquirere contra Fratres suæ Religionis de hæresi suspectos. Innocentius VIII. prohibuit omnibus Inquisitoribus, ne inquirerent contra Fratres Sancti Francisci. Sixtus IV. statuit, ne Inquisitores S. Dominici inquirerent contra Fratres Sancti Francisci, vel è contra. Clemens VII. in Constitutione (quæ incipit: *cùm sicut*) decreuit, quod Inquisitores possent inquirere contra omnes Religiosos de hæresi suspectos, & reuocauit omnia Priuilegia in contrarium à suis Prædecessoribus priùs concessa. Pius IV. sanciuit in Constitutione (quæ incipit: *Pastoris æterni*) quod Inquisitores possent inquirere contra omnes Religiosos hæreticos, vel de hæresi suspectos, dummodo à suis superioribus præuenti non fuerint, quodque possent punire eos, non obstantibus quibuscumque in contrarium Constitutionibus: Hodie tamen, vti dicebam, & notat præter alios Zanard. *in Direct. Theolog. part.* 2. c. 6. *quæsit.* 23. extat Constitutio Pauli IV. in qua prohibetur Prælatis Regularibus, quod cognoscant de causis hæreticalibus suorum subditorum, quodque puniant eos: & Nauarrus *consil.* 1. *de hæret.* ait, quod Prælati Regulares nullam habeant Iurisdictionem cognoscendi causas suorum subditorum in crimine hæresis, quodque ea consuetudine longissimi temporis talis potestas sit Episcopis, & Inquisitoribus reseruata.

Dico

14 Dico quintò, quod ab hac vniuersalitate personarum, quas cognoscere possunt modo, quo suprà dicebatur, Inquisitor, & Episcopus:

15 Primò excipiuntur Episcopi, contra quos neque potest procedere Inquisitor etiam Generalis, nisi de expressa Sedis Apostolicæ concessione, sed si quid is sciuerit, debet Pontificem certiorem facere, vt quid faciendum sit, prouideat, *cap. Inquisitores, de haret. in 6.* ibi: *Inquisitores prauitatis ab Apostolica Sede seu alio, vel alios quibuslibet deputati de huiusmodi crimine inquirere contra Episcopos nequeunt, aut eius pratextu procedere contra eos*: Et docent Gundisaluus *tract. de haret. q. 7. n. 15.* & Decian. *in tract. crim. lib. 5. c. 21. n. 5.* Zanard. *in Direct. Theol. part. 2. q. 22.* Molina *de instit. tract. 5. disp. 28. a. 19.* Acuña *de Confessar. solicit. q. 12. num. 7. & 11.* Barbos. *de potest. Episcop. part. 5. allegat. 112. n. 14.* & alij.

16 Nomine verò Episcoporum veniunt Episcopi etiam Titulares; quia hi verè sunt Episcopi: veniunt etiam electi, & à Sede Apostolica confirmati, etiamsi consecrati non sint; quia & hi verè Iurisdictionem Episcopalem habent, non sic electi, sed nondum à Sede Apostolica confirmati, Simanch. *tit. 25. a. 31. & seqq.* Molina *a. 19.* Sanch. *de matrim. lib. 8. disp. 2. n. 11.* & Acuña vbi suprà.

17 Potest tamen Inquisitor contra Glossam *in dicto c. Inquisitores, verb. Apostolica*, & ibi Monachum, Archidiaconum, & alios dicta testium contra Episcopos recipere, vt ea ad Pontificem transmittat; quia non alia via potest scire, vel inuenire, Episcopos esse hæreticos, aut de hæresi suspectos, vt teneatur eos Summo Pontifici denuntiare, Suarez *de fide, disp. 20. sect. 4. n. 25.* Simanchas *n. 8.* Molina *n. 19.* Peña *3. part. q. 27. n. 76.* Farin. *a. 110.* Dec. *lib. 5. c. 33. a. 1.* & Læl. Zecch. *in summa, part. 1. tit. de fide, rubr. de haresi, cap. 11. n. 13.* Et quia qui non est Iudex, potest excipere in reum testimonia, vt ea ad proprium Iudicem mittat, *l. 3. in principio, ff. de re militar. l. Diuus Adrianus, ff. de Custodia reorum, l. 1. C. de exhibend. reis, & cap. cum Matthaus, vers. Volumus, de hareticis.*

18 Item potest Inquisitor Episcopum suspectum de fuga (si clarè cognitus sit hæreticus, & multò magis, si clarè dilatione carcerationis periculum sit in mora, vt quia interim alios seducit) carcerare, & ad Pontificem mittere; quia tunc ex epicheia casus censetur exceptus, Simanchas, Molina, Peña, Farinacius, Decianus & alij Doctores *in locis suprà cit.*

19 Dixi, *si clarè cognitus sit hareticus, vel clarè periculum sit in mora*; quia in dubio standum est pro lege prohibente.

20 Dixi secundò, quod Inquisitor non possit contra Episcopum procedere alius Episcopus, si in ipsius Diœcesi ille hæresim committat, vel de hæresi suspectus reddatur; siquidem tunc ex delegatione iurisdictionem habere videtur, iuxta textum *in cit. cap. ad abolendam*, & docent Farin. *n. 122.* Decian. *cap. 21. n. 5.* Repert. Inquisit. *verb. Episcop. vers. ad secundum*, & Gundisaluus *tract. de hareticis, q. 7. n. 16.*

21 Vbi aduerte primò, quod (vti dicebam) quando Summus Pontifex dat facultatem Inquisitoribus, vt possint procedere contra quascumque personas cuiuscumque dignitatis, adhuc non possint ea vi talis facultatis procedere contra Episcopum, nisi expressè, & specialiter detur ipsis facultas, vt possint procedere etiam contra Episcopum, *ex dicto cap. Inquisitores, de haret. in 6.* ibi: *Nisi in literis commissionis Apostolica, quod hoc possint, contineatur expressè.* Et ex Tridentino Concilio *sess. 14. c. 5. de reformat.* & tradunt Albert. *in repert. c. 11. part. 1. de haret. in 6. q. 15. n. 2.* Syluest. *verb. haresis 2. n. 13.* Simanch. *in Enchirid. tit. 8. n. 11.* Peña *cit. comment. 76.* Suarez *de fide, disp. 20. sect. 4. n. 25.* & Acuña *cit. q. 12. n. 13. de Confessar. sollicit.*

22 Objicies: Inquisitores in crimine hæresis possunt procedere contra Reges, Princeps, Duces, &c. *ex cap. Vt officium, §. Denique, de haret. in 6. & ex constitutione* Vrban. IV. *Pra cunctis*: & tradunt Director. Inquisit. *part. 3. q. 31.* & ibi Peña *comment. 8.* Paramus *lib. 3. q. 5. n. 24.* Simanch. *de cathol. instit. cap. 34. n. 32.* & Carer. *de haret. n. 85.* Ergo multò magis contra Episcopos.

Respondetur: Transeat antecedens (quamuis ex directorio & Peña *loco suprà citato*, Molina *de institut. tract. 5. disp. 28. n. 22.* Suarez *de fide, disp. 20. sect. 4. n. 24.* Cenedo *collect. 14. n. 2.* & Azorio *tom. 1. lib. 8. c. 18. q. 13.* cum supremis Principibus cautè sit agendum, & consulendus Papa; eùm alioquin infelices exitus sequi consueuerint:) At nego consequentiam; quia Episcopi, vtpote Patres fidei, sunt quoad hoc in superiori ordine ad Principes sæculares.

23 Instabis: Episcopi (quamuis ordinariè accusari non debeant, præsertim à subditis) si tamen fuerint de hæresi suspecti, possunt ab omnibus accusari, ex secunda Synodo Romana sub Simmacho Papa, apud Simancham *de cathol. instit. c. 24. n. 7.* Ergo possunt Inquisitoribus denuntiari.

Respondetur: Concedo totum, antecedens scilicet, & consequens: At nego, quod per hoc sint subiecti Inquisitoribus, iuxta ea quæ suprà dicebam.

24 Aduerte secundò, quod (licèt vti etiam dicebam, ordinariè non possint Inquisitores in causa hæresis procedere contra Episcopum, nisi expressè, & specialiter detur ipsis facultas, vt possint procedere etiam contra Episcopum) tamen teneantur de hoc monere Summum Pontificem, *ex d. cap. Inquisitores, de haret. in 6.* ibi: *Si tamen Inquisitores ipsi Episcopos, vel alios superiores Pralatos, sine sint, vel innocerint circa crimen hareseos commisisse, aut eos de hoc diffamatos existere, vel suspectos, id tenebuntur Sedi Apostolica denuntiare.* Et tradunt Repert. Inquisit. *verb. Episcopus, vers. Ad secundum.* Locat. *in iudiciali Inquisit. verb. Inquisitor, n. 15.* & Decian. *in tract. crimin. lib. 5. cap. 21. n. 5.*

25 Quin (vti etiam dicebam) quando hæresis Episcopi, vel Inquisitoris esset notoria, potest vnus de hæresi alterius testes sumere, & omnia ad Summum Pontificem referre: vide Doctores, quos sequitur Locat. *vbi supr.* Et multò magis quando hæreses prædicaret, & ad Sedem Apostolicam recursus facilis non esset; quia tunc potest illum capere, donec Summus Pontifex certior factus fuerit, Peña *in Direct. part. 3. q. 27. comment. 76.* Zecch. *in sum. p. 1. de fide, rubr. de haref. c. 11. n. 13.* & Suarez *de fide, disp. 20. sect. 4. a. 25.* sicut etiam potest illum capere quando esset periculum, ne fugam arriperet, & priùs Summus Pontifex consuli non potest, Repert. Inquisit. *cit. vers. Ad secundum*, Simanch. *c. 34. n. 32.* Gundisaluus *tr. de haret. q. 7. n. 15.* Peña *vbi supr.* & Acuña *de Confessor. solicit. q. 12. n. 10.* Et Colligitur *ex Auth. de defens. Ciuit. §. Audierit, in princ. collat. 3.*

25 Aduerte tertiò, quod Inquisitores in hoc debeant prudenter se gerere: sic Doctores communiter, quos sequitur Peña *dicto comment. 76. vers. Caterum*, & Acuña *loco suprà citato.*

27 Secundò excipiuntur Nuntij, & alij eiusdem Sedis Apostolicæ Officiales, contra quos non potest neque Inquisitor, neque Ordinarius procedere, nisi de facultate expressa Summi Pontificis: Potest tamen vterque contra eos (modo Episcopi non sint) inquirere, & se informare, vt informationes ad Summum Pontificem transmittat, iuxta textum in Extrauag. Ioan. XXI. cùm Matthæus, *de haret.* Albertinus *c. 1. q. 7. n. 4.* Repert. Inquisit. *verb. Inquisitores, in principio.* Simanch. *de cathol. instit. c. 34. n. 36.* Peña *in Direct. part. 3. comment. 36. vers. Item quod*, Acuña *de confessor. solicit. q. 12. n. 8.* Zanard. *in direct. Theol. part. 2. c. 6. quasit. 21.* Molin. *de instit. tract. 5. disp. 28. n. 20.* Decian. *tom. 1. lib. 5. cap. 23. num. 10.* Suarez *de fid. disp. 20. sect. 4. n. 26.* Sancius *in select. disp. 11. n. 33.* & Simanch. *de cathol. institut. tit. 34. n. 36.*

28 Nomine autem Nunciorum veniunt Legati Sedis
29 Apoſtolicæ, *cap. Nobiliſſimus, 97. diſt.* & nomine Offi-
cialium Sedis Apoſtolicæ veniunt ſignati à Sede Apo-
ſtolica ad aliquas cauſas Sedem ipſam Apoſtolicam,
eiuſque dignitatem ſpectantes, non item ſignati ad cau-
ſas particulares inter partes decidendas; quia hi non
negotium Sedis Apoſtolicæ, ſed priuatarum perſona-
rum agunt; & ſic meritò priuilegiis Officialium Sedis
Apoſtolicæ non gaudent, Peña *q. 25. comment. 75.* &
Molina *cit. diſp. 28. n. 20.* & videri etiam poterit præter
alios Cened. 3. *part. collect. 14. n. 1. & 2.*
30 Tertiò excipiuntur Inquiſitores, contra quos nec alij
Inquiſitores, nec Epiſcopi poſſunt procedere, quia ſunt
à Sede Apoſtolica delegati, & par in parem non habet
imperium, Suar. *de fide, diſp. 29. ſect. 4. n. 16.* Eymer.
& Peña *q. 30. comment. 79.* Molina *n. 21.* Azor. *tom. 1.
lib. 8. c. 18. q. 14.* & Læl. Zecch *in ſum. part. 1. tit. de fid.
rubr. de hæreſ. c. 21. n. 15.* & multò minùs Inquiſitores
dominicani poſſunt ſe intromittere prætextu cuiuſcum-
que hæreſis contra Inquiſitores Franciſcanos, vel è
contra. Eymer. & Peña *loc. cit.* Repert. Inquiſit. *verb. In-
quiſitor, verſ. Nota quod Inquiſit.* & Farin. *q. 186. n. 126.*
31 Quod tamen iuxta Geminianum *in cap. Inquiſito-
res, de hæret. in 6. n. 5.* Franchum *ibid. n. 1.* Rojas *ſin-
gul. 109.* & alios communiter intellige, donec officium
Inquiſitoris durat, quia ſi à tali officio remoueantur (vt
in Inquiſitione Hiſpanica ab Inquiſitore generali re-
mouētur) poterit tunc Inquiſitor, & Ordinarius contra
32 illos procedere. Quinimò ſi Inquiſitores particulares
non ſint delegati à Sede Apoſtolica, ſed ſubdelegati ab
Inquiſitore generali (vt non improbabiliter contra Ey-
mericum & Peñam *q. 3. comment. 57. in principio,* Loca-
tum *verb. Inquiſitor, n. 5.* Repertorium *eodem verbo, verſ.
An Inquiſitores,* Rojam *ſingul. 114. n. 4. & tract. de hæ-
reſ. part. 1. n. 138.* Molinam *diſp. 28. n. 7.* & Farinacium
33 *q. 186. n. 41.* ſentit Simanchas *tit. 34. n. 15.* motus ex eo,
quia Inquiſitor generalis in aſſignandis particularibus
Inquiſitoribus modum ſeruat, dicendo: Committimus
vobis vices noſtras, donec ad nos duxerimus eas re-
uocandas) poterit Inquiſitor generalis eos in carcerem
mittere, & punire, Molina, & alij *in locis ſuprà cit.*
34 Dixi, *contra Inquiſitores nec Epiſcopi poſſunt proce-
dere,* quia (licèt contrarium affirment Zanch. *de hære-
ticis, c. 8. n. 9.* Repertor. Inquiſit. *verb. Epiſcopus, verſ. 1.*
Mandoſ. *ibid. Addit.* Decian. *tract. crimin. lib. 5. cap. 21.
n. 6.* Gundiſaluus *tract. de hæret. q. 7. n. 17.* Rojas *ſin-
gul. 109.* Calderinus *tract. de hæret. c. 8. n. 9.* Locatus
35 *verb. Inquiſitor, n. 13.* & alij, quorum tamen aliqui, vt
Repertorium Inquiſit. & Rojas meliùs limitant, ſi hæ-
reſis ſit manifeſta, ſecus ſi ſit occulta) tamen ita di-
cendum eſt (ſcilicet nullo modo contra Inquiſitores
epiſcopos poſſe, niſi vt ſuprà dicebam, in caſu per
epicheiam excepto, procedere, ſed ſolùm poſſe infor-
mationes capere, & eas ad Sedem Apoſtolicam tranſ-
mittere.) Ratio, quia durante Inquiſitoris officio ſunt
Apoſtolicæ Sedis Officiales, & ſic comprehenduntur
ſub Extrauaganti Ioannis XXII. in qua cauetur, aduer-
sùs Nuncios, Officialéſque Sedis Apoſtolicæ non poſſe
Ordinarius procedere in crimine hæreſis, niſi tantùm
recipiendo informationes, & eas ad Sedem Apoſtoli-
cam tranſmittendo. Vide Eymericum *in director. In-
quiſit. part. 3. q. 30.* & *ibi* Peñam *comment. 79.* Mando-
ſium *in Addit. ad Repertor. Inquiſit. verb. Epiſcopus,
lit. B, & verb. Inquiſitor, lit. D,* Azorium *part. 1. lib. 8.
cap. 18. q. 14.* Molinam *diſp. 28. n. 21.* & Farinacium
q. 186. n. 124. & 131.

Cæterùm olim Legatus Pontificis habebat Iuriſdi-
ctionem in Inquiſitores ex Conſtitutione Vrbani IV.
apud Locatum *in indic. Inquiſit. verb. Legatus, n. 2.* Ho-
die tamen ſine ſpeciali facultate Pontificis, vel ſupre-
mæ, & generalis Inquiſitionis Romanæ in rebus ad
Sanctæ Inquiſitionis officium pertinentibus Pontificis
Legati ſe ingerere non ſolent.

PETITIO PRIMA.

A quonam autem Inquiſitores, ſi delinquant, etiam 36
extra crimen hæreſis, puniendi ſint?

Reſpondetur diſtinguendo: Si Inquiſitores ſint Cle-
rici ſæculares à Cardinalibus Sanctæ Romanæ Inqui-
ſitionis electi, ab his, etiam extra crimen hæreſis, ſiue
delinquant in officio, ſiue extra, puniri debent, quia his
ſunt ſubiecti. Si ſint electi à Generali Hiſpaniarum In- 37
quiſitore, ab hoc, huiuſque ſupremo Senatu, etiam ex-
trà crimen hæreſis, ſiue ſimiliter delinquant in offi-
cio, ſiue extra, puniri poſſunt, ob eandem rationem, &
ob commiſſionem à Sede Apoſtolica ipſi factam, vt
teſtatur Peña *3. p. Directorij, q. 12. comment. 61. verſ. in
Hiſpania.*

At ſi Inquiſitores ſint Religioſi, idemque dico de 38
Conſultoribus (licèt ſi delinquant in proprio officio,
nedum in crimine hæreſis, puniri non poſſint, quidquid
ſit in contrarium de iure communi *ex clem. 2. §. qui
equidem, de hæret.*) à propriis Prælatis Regularibus,
cùm quoad hoc etiam ſint ab illis exempti. Director.
Inquiſ. *p. 3. q. 11. & 12.* & *ibi* Peña *comment. 60. & 61.*
Rojas *tract. de hæretic. part. 5. num. 418.* Peyrin. *in
Priuileg. Minimor. tom. 1. Conſtitut. Sixti IV. §. 11.
num. 49.* Decian. *in tract. crimin. lib. 5. cap. 52. num. 33.*
Moſconius de *Maieſt. Militant. Eccleſ. lib. 1. part. 1.
c. 11. ex conſtitutione* Alexandri IV. *Catholica fidei,* &
ex Conſtitutione Clemētis IV. apud Peñam inter literas
Apoſtolicas, ſed tunc ſolùm puniri poſſint à Cardina-
libus Vniuerſalis Inquiſitionis Romanæ, & in Hiſpa-
niis à Generali Inquiſitore: ita Doctores, quos ſequi-
tur Peña *cit. comment. 61.* & Peyrin. *cit. §. 11. n. 49.*

Tamen ſi delinquant extra officium, & contra re- 39
gularem obſeruantiam (cùm in hac ratione Religionis
ſuis Prælatis Regularibus ſubdantur) à ſuis Prælatis
Regularibus coërceri, & puniri poterant, Eymeric.
quæſt. 11. n. 1. Locat. *verb. Inquiſitor, n. 40.* & videri
etiam poterit Peña *loco ſuprà citato,* Decian. *c. 22. n. 33.*
& Farin. *q. 186. n. 128.*

Quod tamen intellige, dummodò non puniantur 40
pœna, quæ aliquo modo retardare poſſit proprij offi-
cij exercitium, quia in ſupradictis Conſtitutionibus
eximuntur à Prælatorum ſuorum Regularium obe-
dientia Inquiſitores & Conſultores in ſuo officio exer-
cendo, itavt ipſis Prælatis Regularibus grauiter iniun-
gatur, ne dictos Inquiſitores, & Conſultores ab exer-
citio ſui officij directè, vel indirectè impediant: At ſi
poſſent eos, extra officium delinquentes, quomodo-
cumque punire, poſſent conſequenter indirectè eorum-
dem officium impedire contra intentionem Summi
Pontificis in dictis Conſtitutionibus: ergo, &c. Vide
Farinacium *loco ſuprà cit. n. 132.* vbi ait, quod licèt In-
quiſitores teneantur ſuis Superioribus Regularibus
obedire in his, quæ Regulæ obſeruantiam, & alia, per
quæ directè, vel indirectè Sanctum Officium non im-
peditur, reſpiciant; & propterea in delictis extra offi-
cium commiſſis per eoſdem ſuperiores poſſint moneri,
& reprehendi, non tamen poſſint dicti ſuperiores eos
punire, & ab eorum officio per indirectum retrahere:
Quamvis poſſint contra eoſdem informationes aſſume-
re, illaſque ad ſupremum Tribunal tranſmittere, expe-
ctando quod ſibi ab eodem Tribunali ſupremo man-
detur: aliàs eſſet inuenta aperta via impediendi Offi- 41
cium Sanctæ Inquiſitionis per indirectum, contra id
quod in citatis Conſtitutionibus Summi Pontifices
cauere curarunt. Vide etiam quæ dicebantur *in tract.
de immunitate Eccleſiaſtica, cap. 4. dub. 14. & 15.* vbi
dicebam, à quonam Iudice puniendi ſint cæteri Inqui-
ſitorum, ac Epiſcoporum familiares, & Officiales, tam
ſimiliter in cauſis criminalibus extra crimen hæreſis,
quàm etiam in cauſis ciuilibus.

PETITIO II.

An ſicut *ex c. Inquiſitores, de hæret. in 6.* non poſſunt 42
Inquiſitores procedere cōtra Epiſcopos in cauſa hære-

ſis

sia (cùm delictum hæresis Episcoporum sit reseruatum Summo Pontifici, vti dicebam) sic neque possint procedere in eadem causa contra Generales Religionum?

Respondetur (licèt affirment Nauar. *cap. 5. de for. compet. n. 5.* Peña *in director. Inquisit. part. 3. comment. 73.* Hieron. Rodriguez *in compendio quæst. Regular. resol. 73. num. 1.* & Emanuël Rodriguez *in quæst. regul. tom. 1. quæst. 81.*) Probabiliùs negent alij, quos sequitur Alberic. *in cap. 1. quæst. 7. de hæretic. in 6.* Freytas *in Addit. ad Tractatum Roderic.* & Acuña *de Confessar. sollicit. quæst. 12. numer. 20.* Quia exceptio *in dicto cap. Inquisitores*, excipit tantùm Episcopos: Ergo extendi non debet ad Generales Religionum, ex Regula *in l. siquidem, §. final. ff.* de pœna legat. *Exceptio firmat regulam in contrarium.*

43 Non debent tamen facilè Inquisitores de facto procedere contra generales Religionum, si scandalum sequatur, sed debent certiorem facere summum Senatum sanctæ Inquisitionis. Zanard. *in direct. Theolog. part. 2. cap. 6. quæst. 13.* & Peyrin. *in priuileg. Minimor. tom. 2. Constit. 9. Pauli V. §. 1. num. 1.* Ex quo non sequitur, quod prædicti Generales Religionum habeant idem priuilegium, quod habent Episcopi: quidquid insinuare videantur Peña, Hieronymus Rodriguez, & Emanuël Rodriguez *in locis suprà citatis.*

SECTIO XXXI.

An Inquisitor teneatur requirere Episcopum, & è contrà, quotiescumque vnus sine altero non potest procedere?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitor tenetur requirere Episcopum, & è contra, quoties vnus sine alio non potest procedere.*

2 *Requisitio Inquisitoris ab Episcopo, & è contra, semel tantùm fieri debet.*

3 *In requisitione non requiritur expressio temporis octo dierum; quia hoc tempus ab ipso Iure præscribitur, & currit à puncto requisitionis.*

4 *Requisitio fieri potest per Nuncium, vel per Epistolam, vel ad domum, quia in Iure non præscribitur forma, & ita qualibet sufficit.*

5 *Requisitus debet accedere ad locum, vbi est requirens, & Processus formatus; secus si vterque diuisim processerit, quia tunc communis locus est eligendus, nisi obstet consuetudo in contrarium.*

6 *Episcopus in Regnis Hispaniarum requisitus ad locum Inquisitoris accedit.*

7 *Alter nolens, aut impeditus accedere, potest alteri committere vices suas, vel per literas significare suum consilium, & consensum.*

8 *Requisitus si non potuerit, vel noluerit conuenire, neque vices suas intra octo dies à puncto requisitionis commiserit, vel suum consilium, & consensum significauerit, requirens poterit statim ad sententiam procedere.*

9 *Exceptio impotentia conueniendi, seu significandi, &c. ob infirmitatem reprobatur.*

10 *Requisitus admitti debet etiam octo diebus transactis, dummodo re integra accedat, secus re non integra.*

11 *Causa iam iudicata non debet iterum iudicari.*

12 *Inquisitor Episcopum, & è contra tenentur solùm requirere, quando requisitus haberi potest, alias secus.*

13 *Copia requisiti tunc dicitur haberi non posse, si sit absens extra Prouinciam, vel expectetur nullo relicto delegato.*

14 *Capitulum non est requirendum, nisi Sede vacante, non autem per Episcopi absentiam; nam Sedes tunc non dicitur vacare.*

15 *Sedes Episcopalis tunc dicitur quasi vacans, quando Episcopus captus est, seu literæ non sunt expeditæ.*

SEquitur duodecimò, quod Inquisitor teneatur re- 1
quirere Episcopum, & è contra, quoties vnus sine
altero non potest procedere, *cit. Clem. 1.* quæ tamen 2
requisitio semel facienda est, quia ibi non cauetur plo-
ries facienda. Item non requiritur exprimi, vt intra 3
octo dies requisitus compareat; quia hoc tempus ab
ipso Iure præscribitur, & currit à puncto requisitionis:
Glossa *in cit. Clementina, verb. requisiuerint*, & com-
muniter Canonistæ, quos citat, & sequitur Decius
cap. 29. num. 6. Farin. *quæst. 486. n. 98. & seq.* Locatus
verb. expectare, vers. & sufficit, & Campegius *in Addit.
ad Zanchinum, tractatu de hæreticis, cap. 8. lit. D, verb.
torquere.* Item requisitio fieri potest per Nuncium, vel
per Epistolam, & ad domum; quia in Iure non præ- 4
scribitur forma, & sic quælibet sufficit: ita Doctores
suprà citati, qui subdunt, requisitum debere accedere 5
ad locum, vbi est requirens, & Processus formatus;
secus si vterque diuisim processerint, quia tunc com-
munis locus eligendus est, nisi obstet consuetudo in
contrarium.

Quamvis in Regnis, & Statibus Inquisitionis His- 6
panicæ semper Episcopus, vel eius Officialis requisitus
ad locum Inquisitoris accedat; quia in dictis Regnis,
& Statibus, sicuti dicebam, solùm Inquisitores Pro-
cessus fabricant.

Quod si Episcopus requisitus ab Inquisitore, vel è 7
contra Inquisitor requisitus ab Episcopo (vbi Episcopi
independenter ab Inquisitoribus procedunt) noluerit,
vel non potuerit conuenire, poterit vnus alteri commit-
tere vices suas, vel per literas significare suum consi-
lium, & consensum, *citata Clemen. 1.* Vnde infertur,
alterutrum ex his duabus rebus sufficere, cùm appo-
natur particula *vel*, & meritò; quia vices commit-
tere non deseruit, si consilium & consensus significe-
tur. Accedit, quod alioquin requisitus procederet in
causa, tum per se, ratione consilij, & consensus; tum
per alium ex delegatione facta; & sic procederet quasi
duplici voto, quod nemini concessum videtur. Glossa
in citata Clementina, vers. consensum; quidquid in con-
trarium dixerit Bonifacius de Vital. *num. 70.* & Fari-
nac. *num. 107.*

At si requisitus non potuerit, vel non voluerit con- 8
uenire, neque vices suas intra octo dies à puncto re-
quisitionis commiserit, vel suum consilium & consen-
sum significauerit, requirens poterit statim ad senten-
tiam procedere, *citata Clement. 1.* & tradunt Glossa
verb. consensum, in fine, Eymeric. *part. 3. direct. quæst. 49.*
vbi etiam Peña, Sousa *in Aphorism. Inquisit. lib. 3. cap. 3.
n. 8. & 10.* Carena *de Officio Inquisit. part. 1. tit. 4. §. 2.
n. 15.* & communiter Doctores, quos refert, & sequitur
Farinac. *n. 108.* qui limitat, nisi impotentia conue-
niendi, vel significandi consilium, & consensum ex
infirmitate proueniat, sed minùs rectè; quia textus *in
dicta Clement.* indefinitè dicit, si requisitus intra octo
dies non potuerit, aut noluerit; & sic non est cur re-
stringatur ad impotentiam, v. g. ex absentia, & exclu-
datur impotentia ex infirmitate: Præsertim quia facultas 9
procedendi in tali casu, quo requisitus non potuerit
conuenire, est in fauorem fidei, vt scilicet causæ reorum
citiùs expediantur, & sic ex quacumque causa impoten-
tia proueniat, censenda est facultas esse concessa.

Quod si transactis illis octo diebus, requisitus con- 10
ueniat, vel consensum significet, vel vices committat,
admitti debet, si res sit integra; quia terminus ille
non ad excludendum, & priuandum iurisdictione re-
quisitum concessus est, sed ne impediatur negotium
fidei, quod non impeditur, si requisitus admittatur
cùm sententia lata non est: quamvis si sententia lata 11
adueniat, non poterit significare suum consensum, vel
committere vices, quia non debet causa iterum iudi-

cati, cùm iam verè indicata sit; ita Doctores, quos citat, & sequitur Farinac. *num.* 150. *& seqq.* Repertor. Inquisitor. *verb. Inquisitor*, & Squillacensis *tract. de fide Catholica, cap.* 40. *num.* 1.

12 Cæterùm obligatio Inquisitoris requirendi Episcopum, & è contra, procedit solùm quando requisitus haberi potest; secus si haberi non possit, iuxta textum *in citata Clementina*, ibi: *Si sui adinuicem copiam ha-*
13 *bere valeant*. Dicitur autem copiâ requisiti non haberi, si fuerit absens extra Prouinciam, vel Diœcesim, nullo relicto delegato. Bonifacius de Vital. *in dicta Clementina* 1. *num.* 65. Quinetiam etsi fuerit intra Prouinciam, vel Diœcesim, sed adhuc nimis absens ab Inquisitore, arbitrio prudentis viri. Locatus *verb. expectare, vers. idem fiat*, & alij, quos citat, & sequitur Farin. *q.* 186. *num.* 96. in quo vtroque casu requirendum non est loco Episcopi Capitulum; quia Capitulum, seu potiùs
14 dicam, delegatus Capituli loco Episcopi requirendus non est, nisi solùm Sede vacante, vel quasi vacante. At ex sola prædicta absentia non est Sedes vacans, vt
15 de se constat: Neque quasi vacans, cùm quasi vacans solùm sit ex captiuitate Episcopi, vel quando non sunt pro Episcopatu expeditæ literæ, Imola *in citata Clementina* 1, *de hæreticis, num.* 14. Vitalin. *num.* 65. *&* 75. Zabarella *num.* 11. *in* 14. *quæstione*, Locatus *verb. expectare, vers. si autem*, & Farinac. *n.* 66. Sed in ordine ad omnia, quæ dixi in præsenti dubitatione, vide quæ dicebantur suprà *sect.* 20. in Appendice, & quæ dicebantur *cap.* 8. *dubit.* 26. *& cap.* 20. *dubit.* 2. *sect.* 2. *in Tractatu de immunitate, & Iurisdictione Ecclesiastica*.

SECTIO XXXII.

Quas pœnas incurrant Episcopi, & Inquisitores, si ex malitia, seu ex fraude falsò contra aliquem de hæresi procedant, vel ex odio, seu rancore, aut lucro contra Hæreticum omittant procedere?

SVMMARIVM.

1 *Episcopi, si ex malitia, seu ex fraude falsò contra aliquem de hæresi procedant, seu ex odio, amore, aut lucro contra hæreticum omittant procedere, suspenduntur ab Officio per triennium: Alij verò incurrunt excommunicationem ipso facto.*

2 *Excommunicatio prædicta non potest absolui, nisi per Papam; secus in articulo mortis, & tunc satisfactione præmissa.*

3 *Episcopi, & Inquisitores prædicti non incurrunt prædictas pœnas, si omittant procedere non ob prædictas causas, sed ob timorem, vel ob scandala, aut maiora incommoda vitanda.*

1 RESpondetur: Episcopi suspenduntur ab Officio per triennium: Alij verò incurrunt excommunicationem ipso facto. *Clem.* 1. *§. verùm, de hæreticis.* Et tradunt ibi Glossa verb. fraudulenter, Bonifacius *num.* 7. *&* 11. Imola *num.* 3. Syluest. *verb. hæreticus* 2. *num.* 13. Director. Inquisit. *part.* 3. *quæst.* 24. *num.* 2. & Peña *ibidem comment.* 73. Simanch. *de Instit. tit.* 34. *num.* 40. & alij communiter.

2 Aduerte tamen hîc, quod in eadem Clementina dicatur: *A qua quidem excommunicatione qui eam incurrerint, non possint nisi per Romanum Pontificē, præterquam in articulo mortis, & tunc satisfactione præmissa, beneficium absolutionis obtinere, nullo in hac parte priuilegio suffragante.* Simanch. *de Cathol. instit. tit.* 34. *num.* 40. & Peña *in direct. Inquisit. part.* 3. *comment.* 73.

3 Aduerte 2. quod è contra Episcopi, & Inquisitores prædicti non incurrant prædictas pœnas, si omittant procedere non ob prædictas causas, sed ob timorem, vel ob scandala, aut maiora incommoda vitanda. Glos. *in eadem Clement. verb. Obtenta*, Imola *ibidem, num.* 17. Anch. *§. sanè, n.* 11. Bonif. de Vital. *n.* 162. Vmbert Locat. *in Prax. Inquis. verb. Inquisitor, n.* 19. & alij passim.

SECTIO XXXIII.

Quas pœnas incurrant Inquisitores, si extorqueant pecuniam prætextu sanctæ Inquisitionis.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores si extorqueant pecuniam prætextu Officij sanctæ Inquisitionis, ipso facto subiacent excommunicationis sententiæ, à qua non possunt absolui, præterquam in mortis articulo, donec illis, à quibus extorserint, plenè satisfecerint.*

2 *Inquisitores in hoc delinquentes poterant olim puniri à suis Prælatis Religiosis.*

3 *Inquisitores prædicti pecuniam extorquentes prætextu sancti Officij, non solùm ipso facto excommunicationem incurrunt, sed etiam Officio priuantur, & aliis pœnis arbitrio superiorum puniuntur.*

4 *Inquisitores comprehenduntur sub hac excommunicatione Clementina secunda.*

5 *Excommunicatio quod lata sit, censendum non est in dubio Iuris excommunicationis contra Inquisitores. Quod dubium videtur esse in præsenti casu, quia lex non obligat, nisi sit sufficienter publicata: At non est recedendum à sententia contraria, quæ est communis.*

6 *Episcopi è contra non comprehenduntur sub dicta excommunicatione; nam in dicta Clementina 2. non explicantur Episcopi, sicut explicantur alij, & pœnæ sunt potiùs restringendæ, quàm ampliandæ.*

7 *Non obstat, quod Episcopi veniant nomine Inquisitorum, quia nominatim solent explicari.*

8 *Episcopi comprehenduntur nomine Inquisitorum in potentia, non actu; & ideò non refert an plus delinquant, vt in pœnalibus comprehendantur; quia excommunicatio, sicut irregularitas, non incurritur, nisi in casibus in Iure expressis.*

9 *Excommunicatio, sicut irregularitas, vel alia similis pœna, non extenditur de casu ad casum, etiam ex maioritate, nedum ex identitate rationis.*

10 *Prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem in suis Territoriis non comprehenduntur sub eadem excommunicatione, neque etiam ipsorum Vicarij, seu Commissarij ad peragenda ea quæ pertinent ad Officium sanctæ Inquisitionis in sua Diœcesi destinati; quia in dicta Clementina, neque etiam isti explicantur.*

11 *Vicarij Capituli è contra Sede vacante comprehenduntur in dicta Clementina, non tamen similiter ipsum Capitulum Sede vacante: Illi enim explicantur, non istud.*

12 *Commissarij omnes Inquisitorum comprehenduntur Episcoporum, & Capitulorum Sede vacante ad negotia sanctæ Inquisitionis destinati, quia omnes etiam isti ibi explicantur.*

13 *Per Commissarios autem intelliguntur Vicarij, siue sint Vicarij, siue eorum substituti, vel delegati; quamvis etiam ad tempus, vel ad aliquam causam particularem.*

14 *Pecuniæ nomine, quæ prætextu Officij sanctæ Inquisitionis extorquetur, intelligitur omne id, quod est pecuniâ æstimabile.*

15 *Excommunicatio prædicta non incurritur, sicut neque Simonia,*

Simonia, vsura, vel assassinium, &c. si extorqueatur mutuum; quia mutuum non est pecunia æstimabile: & tunc non extorquetur pecunia simpliciter, cùm sit animus illam reddendi. Secùs si non reddatur, & tanquam si esset data vsurpetur.

16 *Excommunicatio prædicta vt incurratur, requiritur vt pecunia extorqueatur non solùm illicitè, sed etiam crimen concussionis: Hinc non incurritur, si pecunia, vel quid aliud tanquam munus quoddam etiam illicitè offeratur, & recipiatur.*

17 *Excommunicatio prædicta neque incurritur, si pecunia, vel quid aliud etiam illicitè offeratur, & recipiatur, ne Inquisitus à prædictis personis rigorosè tractetur; quia ad hanc incurrendam requiritur etiam crimen concussionis.*

18 *Neque incurritur, si pecunia etiam illicitè, & per metum concussionis extorqueatur prætextu pecuniæ mutuò datæ, vel prætextu alicuius reò creditæ, vel quocunque alio prætextu quantumvis iniusto; quia tunc non extorquetur prætextu sancti Officij.*

19 *Excommunicatio lata* in dicta Clementin. 2. de hæretic. *non est simpliciter reseruata Papæ, & absolutè, sed potest illa ab inferioribus Papâ absolui, dummodo planè satisfiat illis, à quibus pecuniâ fuerit extorta, nullis remissionibus super hoc valituris.*

20 *Excommunicatio prædicta potest absolui ab aliis inferioribus Papâ, licet prius facta non fuerit realis satisfactio, dummodo tamen adsit impotentia restituendi, & præstita fuerit cautio, qua præstari potuerit.*

21 *Notarij, & Officiales Inquisitorum debent illis, si in extorquenda pecunia deliquerint, denunciare.*

22 *Prælati Regulares* ex dicta Clementina 2. de hæreticis, *quando fuerint negligentes in puniendis Inquisitoribus suis, scilicet Regularibus pecuniam extorquentibus, Episcopi tenentur eorum negligentiam Sedi Apostolicæ denunciare.*

23 *Inquisitores quicunque si quid quoad Officium sanctæ Inquisitionis delinquant, à solis Cardinalibus Romanæ Inquisitionis hodie sunt puniendi.*

1 Respondetur: *In Clementina 2. de hæretic.* sic legitur: *Inquisitoribus, & tam ipsorum, quàm Episcoporum, seu Capitulorum Sede vacante super hoc deputatis Commissariis quibuscunque districtiùs iniungentes, ne prætextu Officij Inquisitionis quibuscunque modis illicitis ab aliquibus pecuniam extorqueant: quod si secus fecerint, excommunicationis sententiæ eos subiacere decernimus ipso facto, à qua non possint absolui, præterquam in mortis articulo, donec illis, à quibus extorserint, plenè satisfecerint de pecunia sic extorta, nullis priuilegiis, pactis, aut remissionibus super hoc valituris*: Et tradunt ibi Glossa *vers. Nota quod Inquisitor*, Imola *num. 2.* Ancharan. *num. 1.* Locat. *in Indic. Inquisit. verb. Inquisitor*, & alij passim.

2 Vbi aduerte, quod Inquisitores in hoc delinquentes potuerint olim puniri à suis Prælatis Religiosis, *ex dicta Clement. 2. §. qui equidem, de hæret.* sed hodie non possint; quia hodie quoad ea, quæ pertinent ad S. Officium, tantùm puniri possunt ab Eminentissimis Cardinalibus Romanæ, & Generalis Inquisitionis, iuxta ea quæ dicebam suprà *sect. 30.* & docent communiter Doctores apud Pēñam *part. 3. director. q. 12. comment. 61.*

3 Aduerte 2. quod prædicti Inquisitores, & ipsorum Commissarij prætextu Officij sanctæ Inquisitionis pecuniam extorquentes non solùm ipso facto excommunicationem incurrant, sed etiam Officio priuentur, & aliis pœnis arbitrio superiorum puniantur, *ex eadem Clement. 2.* ibi: *Qui equidem Prælati, Inquisitores, & Commissarij prædictos reos inde repertos ab Officiis amouere, & amotos aliàs punire, seu corrigere teneantur*; & tradunt ibi Glossa *verb. valeant*, Imola *num. 9.* Anchar. *num. 8.* & alij communiter.

Aduerte 3. quod sub hac excommunicatione Clementinæ 2. comprehendantur Inquisitores. Glossa *in dicta Clementina, notab. 2.* Imola *ibidem*, Ancharanus *num. 5. notab. 3.* Bonifacius *in principio*, Angel. *verbo excommunicatio 7. cas. 42. num. vnico*, Rosella *verb. excommunicatio 5. cas. 5.* Syluest. *verb. excommunic. 9. cas. 42. num. 81.* Cajetan. *eodem verb. excommunicatio, cap. 4.* Armilla *cas. 20. num. vnico*, Tabiena *excommunicatio 5. cas. 4. quæst. 16.* Nauarrus *cap. 27. num. 142.* S. Anton. *3. part. tit. 24. cap. 8.* Suarez *tom. 5. disput. 23. sect. 5. num. 24.* & alij communiter. 4

Quamvis nonnulli dubitent, quatenus aiunt, quod clausula non incipiat ex *Inquisitoribus*, sed prior clausula finiatur ibi, & altera incipiat ex *& tam ipsorum*, cùm post *Inquisitoribus*, apponatur punctum: Quapropter ex dicta Clementina non constat, quod lata sit excommunicatio contra Inquisitores, quinimmò ex contextu literæ dubium est: At in dubio Iuris de excommunicatione non est censendum, quod lata sit excommunicatio; quia lex non obligat, nisi sit sufficienter promulgata, vt propterea communiter dicatur, quod in dubio Iuris nemo debeat se censere excommunicatum, vel irregularem, &c. Quinimmò etiam in dicto dubio Iura volunt, quod reus sit absoluendus, *Regula cùm sunt, ff. de Regul. iur.* ibi: *Cùm iura Partium sunt obscura, reo fauendum potiùs est, quàm actori*, vbi Glossa ait, *Actore non probante crimen, reus est absoluendus*, quod etiam habetur *in cap. vnico, verb. cùm enim, vt Eccles. Benef.* ibi: *Iuris est explorati, quod actore non probante, is qui conuenitur, etiamsi nihil præstiterit, debeat absolui*. Cùm igitur dubium sit de excommunicatione lata in dicta Clementina contra Inquisitores, non est dicendum, quod sub ea comprehendantur Inquisitores. 5

At adhuc à sententia contraria, quæ est communis, non videtur recedendum.

Aduerte 4. quod è contra sub dicta excommunicatione non comprehendantur Episcopi. Glossa *in eadem Clement. 2. de hæret. verb. Commissarij*, Imola *ibid. n. 5.* Bonifacius *num. 41. & seqq.* Cardinalis *verb. Inquisitoribus, num. 1.* Angel. *in summa, verb. excommunicatio 7. cas. 42.* Syluest. *eodem verbo excommunicatio 9. cas. 42. num. 81.* S. Anton. *3. part. tit. 24. cap. 8.* Repertor. Inquisit. *verb. extorquere, vers. 1.* & Suarez *tom. 5. disp. 23. sect. 5. num. 24.* Quia ibi non explicantur Episcopi, sicut explicantur alij, & pœnæ ex alio capite sunt potiùs restringendæ, quàm ampliandæ. 6

Non obstat, si dicas: Episcopi comprehenduntur ibi sub nomine Inquisitorum. 7

Respondetur enim, quod Episcopi nominatim solent explicari: Accedit, quod cùm explicantur ibi Commissarij, explicantur Commissarij Inquisitorum, & Episcoporum: quod signum est, sub nomine Inquisitorum non comprehendi ibi Episcopos.

Neque obstat 2. si dicas: Episcopi in extorquendo pecuniam prætextu Officij Inquisitionis plus delinquunt, quàm ipsi Inquisitores. Ergo sub excommunicatione lata contra Inquisitores comprehenduntur etiam Episcopi. 8

Respondetur enim: Transeat antecedens, at distinguo consequens. In potentia sufficienter (quasi sufficiens ratio sit, quod possint comprehendi etiam Episcopi) concedo: Actu, nego; quia excommunicatio (sicut irregularitas, vel alia similis pœna) non incurritur, nisi in casibus Iure expressis: Quapropter dici solet, quod excommunicatio (sicut irregularitas, vel alia 9
similis pœna) non extendatur de casu ad casum, etiam ex majoritate, nedum ex identitate rationis.

Aduerte 5. quod sub eadem excommunicatione neque comprehendantur Prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem in suis territoriis, neque etiam ipsorum Vicarij, seu Commissarij ad peragenda ea, quæ pertinent ad Officium sanctæ Inquisitionis in sua 10

Diœcesi destinati, quia in dicta Clementina neque
11 etiam isti explicantur, sicut alij. Et cùm materia sit
odiosa, verba sunt potiùs strictè interpretanda, vt suprà
dicebam. Comprehenduntur autem è contra Vicarij
Capituli Sede vacante; quia Vicarij Capituli Sede va-
cante explicantur, non tamen similiter Capitulum
Sede vacante explicatur: sic Doctores, quos suprà ci-
12 tabam, præcipuè Bonifacius *in dicta Clem.* 2. *num.* 41.
Comprehenduntur etiam omnes Commissarij Inquisi-
torum, Episcoporum, & Capitulorum Sede vacante, ad
negotia sanctæ Inquisitionis destinati; quia omnes
13 etiam isti ibi explicantur: Per Commissarios autem in-
telliguntur Vicarij. Glossa *in dicta Clem.* 2. *de hæretic. verb. ipsorum*, Syluest. *in sum. verb. excommunic.* 9. *cas.* 42.
n. 81. S. Anton. 3. *part. tit.* 24. *cap.* 8. & Suarez *tom.* 5.
disp. 23. *sect.* 5. *n.* 24. Quod est verum, siue sint Vicarij,
siue eorum substituti, vel delegati. Tabiena *in sum. verb.
excom.* 5. *cas.* 4. *q.* 16. *n.* 18. & Nauar. *c.* 27. *n.* 142. Quam-
vis etiam ad tempus, vel ad aliquam causam particu-
larem, quia omnes isti dicuntur propriè Commissarij:
ita Doctores, quos sequitur Suarez *loco suprà citato.*

14 Aduerte 6. quod sub nomine pecuniæ, quæ prætex-
tu Officij sanctæ Inquisitionis extorquetur, intelliga-
tur omne id, quod est pecuniâ æstimabile. Glossa *in
dicta Clement.* 2. *de hæretic. verb. pecunia*, Imola *ibid.
num.* 6. Cardinalis *ibidem etiam, verb. Inquisitoribus, vo-
cab.* 2. Bonif. *num.* 63. & 64. Nauar. *in summa, cap.* 27.
num. 142. Syluest. *verb. excommunicatio* 9. *cas.* 42.
num. 81. Tabiena *eodem verb. excommun.* 5. *cas.* 4. *q.* 17.
n. 18. Angel *verb. excommun.* 7. *cas.* 42. *n. vnico*, Cajetan.
eodem verbo, cap. 4. Armilla *cas.* 20. *num. vnico.* S. Anton.
3. *part. tit.* 24. *cap.* 8. Suarez *tom.* 5. *disput.* 23. *sect.* 5.
n. 25. & Bonacina *tom.* 3. *disp.* x. *quæst.* 10. *punct.* 10.

15 Hinc non incurritur hæc excommunicatio (sicut
neque incurritur Simonia, vsura, vel assassinium, &c.)
Si extorqueatur mutuum, quia mutuum non est pecu-
niâ æstimabile; quia tunc non extorquetur pecunia
simpliciter, cùm sit animus illam reddendi; quod si
posteà illa non reddatur, sed tanquam si esset data, vsur-
petur, tunc incurritur hæc excommunicatio (sicut &
incurritur simonia, vsura, vel assassinium, &c.) Cùm tunc
pecunia verè extorqueatur, nedum recipiatur. Vide Do-
ctores, quos sequitur Suarez, & Bonac. *locis suprà citat.*

16 Aduerte 7. quod ad hoc, vt prædictæ personæ præ-
dictam excommunicationem incurrant, requiratur vt
pecunia extorqueatur, non solùm illicitè, sed etiam
per crimen concussionis.

Hinc non incurritur hæc excommunicatio, si pecu-
nia, vel quid aliud, tanquam munus quoddam etiam
illicitè offeratur, & recipiatur: ita Doctores, quos se-
quitur Armilla, Suarez, & Bonacina *ibidem*: quod est
verum quamvis offeratur, & recipiatur prætextu Offi-
17 cij sanctæ Inquisitionis, sic iidem Doctores, quos sequi-
tur Suarez, & Bonacina *locis suprà citatis.* Nec etiam
incurritur hæc excommunicatio, si pecunia, vel quid
aliud etiam illicitè similiter offeratur, & recipiatur,
nec Inquisitus à prædictis personis rigorosè tractetur;
quia ad hanc excommunicationem incurrendam re-
quiritur etiam crimen concussionis, vti dicebam, &
tradunt Glossa *in dicta Clementina* 2. *de hæretic. verb.
Officij*, Imola *ibidem, num.* 6. & alij passim: quod cri-
men concussionis committitur tantùm, cùm Officialis
aliquid à suis subditis extorquet, metum illis, si id non
dederint, inferendo.

Requiritur etiam, vt pecunia extorqueatur non so-
lùm illicitè, & per metum concussionis, sed etiam ex-
torqueatur prætextu Officij sanctæ Inquisitionis.

18 Hinc neque incurritur dicta excommunicatio, si pe-
cunia etiam illicitè, & per metum concussionis extor-
queatur prætextu pecuniæ mutuò datæ, vel prætextu
alterius rei creditæ, vel quocumque alio prætextu,
quantumvis iniusto, quia tunc non extorquetur etiam
prætextu Officij sanctæ Inquisitionis, vti vult Textus
allegatus: ita Doctores, quos sequitur Suarez, & Bo-
nacina in eisdem locis, quæ suprà citabam.

Aduerte 8. quod excommunicatio lata *in dicta Cle- 19
mentina* 2. *de hæretic.* non sit Papæ simpliciter, & ab-
solutè reseruata, sed possit illa ab inferioribus Papa
absolui, dummodo plenè satisfiat illis, à quibus pecu-
nia fuerit extorta, nullis remissionibus super hoc vali-
turis: Et consequenter dummodò priùs facta fuerit
realis satisfactio. Glossa *in eadem Clement.* 2. Imola *ibi-
dem, num.* 99. & Zabarella *ibidem etiam verb. Inquisito-
ribus, num.* 5. Quamvis contrarium (scilicet dictam
excommunicationem esse Papæ reseruatam) teneant
Director. Inquisit. *part.* 3. *q.* 24. *num.* 3. & Peña *ibidem,
commentar.* 73.

Potest etiam dicta excommunicatio ab inferioribus 20
Papâ absolui, tamen si priùs non facta fuerit realis sa-
tisfactio, dummodò tamen adsit impotentia restituen-
di, & præstita fuerit cautio, quæ præstari potuerit. Syl-
uest. *verb. excommunicatio* 9. *cas.* 42. *num.* 81. S. Antonin.
3. *part. tit.* 24. *cap.* 8. & Nauar. *in sum. cap.* 27. *n.* 142.

Aduerte 9. quod *in dicta Clementina* 2. *de hæretic.* 21
præterea habeatur, quod Notarij, & Officiales Inqui-
sitorum debeant illos, si in extorquenda pecunia deli-
querint, denunciare, ibi: *Notarij verò & Officiales dicti
Officij, necnon fratres & socij Inquisitorum, & Commis-
sariorum ipsorum, qui dictos Inquisitores, aut Commissa-
rios secretò nouerint talia commisisse* (scilicet pecuniam
prætextu Officij sanctæ Inquisitionis extorsisse) *si
indignationem Dei, & Apostolicæ Sedis vitare voluerint
& offensam, ipsos grauiter arguere, & corrigere studeant
in secreto: Quod si taliter ea scinerint, vt ea probare va-
leant, si sit opus, hoc Prælatis Inquisitorum, & Commissa-
riorum eorundem, ad quos id pertinebit, nunciare sollicitè
debeant.* Qua de re videatur Glossa *ibi, verb. corrigere,
& verb. secretò*, Imola *num.* 1. & 9. Anchar. *num.* 7.
& Repertor. Inquisit. *verb. extorquere.*

Aduerte 10. quod in eadem Clementina etiam ha- 22
beatur, quod quando Prælati Regulares fuerint negli-
gentes in puniendis Inquisitoribus (suis scilicet Re-
gularibus) pecuniam extorquentibus, Episcopi tenean-
tur in virtute sanctæ Obedientiæ eorum negligentiam
Sedi Apostolicæ denunciare, & notant *ibi* Imola
num. 1. & 9. Anchar. *num.* 10. & Zabarella *num.* 4.

Quamvis hodie id locum non habeat, quia Inqui- 23
sitores quicumque, si quid quoad Officium sanctæ In-
quisitionis delinquant, à solis Romanæ Inquisitionis
Cardinalibus puniuntur, vti suprà *sect.* 3. dicebam, &
tradunt Læl. Zecchius *in sum. part.* 1. *tit. de fide, rubr.
de hæres. cap.* 11. *n.* 13. Axor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 18. *quæst.* 9.
(quatenus ait: *Hodie tamen vt in Directorio Inquisito-
rum habetur, part.* 3. *q.* 9. comment. 59. *Nulla sunt Prælato-
rum partes: Nam Reuerendi Cardinales in vniuersa
Republica Christiana ex causa, re maturiùs considerata,
per Italiam Inquisitores remouent, mutant, ac de vno loco,
cùm expedit, in alium transferunt*) & alij communiter.

SECTIO XXXIV.

Quisnam sit post Bullam Pij IV. tenor Bullæ Pauli V. in qua fit reuocatio facultatum Superioribus quorumcunque Ordinum, & Religiosorum quoquo modo concessarum cognoscendi causas suorum subditorum ad Officium sanctæ Inquisitionis hæreticæ prauitatis quomodolibet pertinentes?

SVMMARIVM.

1 *Pius IV. in sua Bulla* 51. *contra Religiosos ab Inquisitoribus procedi posse decreuerat, dummodò ab eorum Superioribus*

superioribus non esset prauentum.

2 *Pius IV. in eadem sua Bulla 51. quascumque facultates cuiuscumque Ordinis Pralatorum cognoscendi Regularium causas ad Officium sancta Inquisitionis pertinentes reuocat, & eas Ordinariis denunciari mandat.*

3 *Causas pendentes coram dictis superioribus ad Inquisitores, & Ordinarios remittit.*

4 *Acta omnia ad eosdem transmitti iubet.*

5 *Contrauenientibus pœnam imponit.*

6 *Clausulas Bulla praseruatiuas apponit.*

7 *Item derogatorias.*

8 *Formam, & effectum eius publicationis prascribit.*

9 *Transsumptis credi mandat.*

10 *Tenor pradicta Bulla exscribitur de verbo ad verbum.*

11 *Causa, qua pertinent ad Officium, seu Tribunal sancta Inquisitionis, & de quibus per hanc Bullam prohibentur superiores Regulares cognoscere, sunt in primis causa haresis, & praterea omnes alia quocumque modo ad haresim pertinentes; quia hoc Tribunal principaliter contra haresim erectum se extendit ad omnia crimina, qua quocumque modo ad haresim pertinent. Vide ibi que numerentur.*

12 *Item causa Religiosorum matrimonium siue publicè, siue secretò contrahentium, quia isti tales sunt suspecti de haresi.*

13 *Item causa eorum, qui non ordinati celebrant Missam, vel audiunt confessiones.*

14 *Item causa eorum, qui in confessione, vel occasione, & pratextu confessionis solicitant, etiamsi confessio non sequatur, & etiamsi solicitatio pro aliis fiat.*

15 *Superiores Regularium si in loco habeant Iurisdictionem quasi Episcopalem, possunt procedere in causis Inquisitionis contra Regulares suos, ita tamen vt non possint per se solos exercere illos actus, quos neque Episcopi exercere possunt sine Inquisitoribus contra subditos suos, sed eum seruare debent modum, quem seruant iidem Episcopi.*

16 *Superiores Regulares si ignoranter, vel bona fide absque prasumptione exerceant aliquem actum ex actibus in hac Bulla prohibitis, non incurrunt pœnas in illa statutas; quia ad illas incurrendas requiritur prasumptio, scilicet quod scienter, & volentes exerceant talem actum.*

17 *Generalibus Pralatis, & superioribus in hac Bulla iniungitur sub excommunicationis pœna lata sententia, priuationis quarumcunque dignitatum, seu Pralaturarum, Officiorum, & vocis actiua, & passiua, ac perpetua inhabilitatis, vt debeant denunciare suos de haresi infectos, vel suspectos, etiam in actu visitationis.*

18 *Dispositio pradicta non afficit subditos, & superiores, qui prasunt Monasteriis, seu Conuentibus cum sola administratione, absque vlla iurisdictione; quia Bulla loquitur gradatim descendendo à Generalibus ad superiores, & vltimo loco ad Pralatos.*

19 *Superior Regularis quando audit aliquem de suis esse de haresi infectum, vel suspectum, sufficit vt eum, à quo audit, moneat, quod denunciet, sicque iuret, vt is à quo audit, denunciationem faciat, quia sic satisfacit fini & intentioni legis.*

20 *Oppositum non est omnino improbabile: obligatio enim denunciandi est personalis, & non transferibilis in alium.*

21 *Superior Regularis non hoc ipso ac aliquid audit de haresi, vel de haresis suspicione, statim tenetur siue per se, siue per alium denunciare, sed debet prius considerare, an verisimile sit, &c.*

22 *Superior Regularis non obligatur prasenti Bulla ad denunciandum siue per se, siue per alium Nouitios, si fortè hi sint de haresi infecti, vel suspecti, quia Bulla loquitur solùm de Professis Fratribus & Religiosis, quales non sunt nouitij.*

Dixi *post Bullam Pij IV.* quia Pius IV. in sua Bulla 1
51. (de qua sub tomo 2.) contra Religiosos ab
Inquisitoribus procedi posse decreuerat, dummodò ab
eorum Superioribus non esset præuentum, §. 1. qui 2
idem Pontifex Pius IV. in eadem sua Bulla 51. quas-
cumque facultates cuiuscumque Ordinis Prælatorum
cognoscendi Regularium causas ad Officium sanctæ
Inquisitionis pertinentes reuocat §. 2. Et eas Ordina- 3
riis denunciari mandat §. 3. Et pendentes coram dictis 4
superioribus ad Inquisitores, & Ordinarios remittit 5
§. 4. Et omnia Acta ad eosdem transmitti iubet §. 5. 6
Contrauenientibus pœnam imponit §. 6. Clausulas 7
huic Bullæ præseruatiuas apponit §. 7. Derogatoriasque 8
§. 8. Formam, & effectum eius publicationis præ- 9
scribit §. 9. Et transsumptis credi mandat §. 10. His
suppositis.

Respondetur: Tenor prædictæ Bullæ Pauli V. est sequens.

PAVLVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

10 Romanus Pontifex ea interdum, quæ à Prædecessoribus suis, temporum, & rerum qualitate id tunc exposcente, prouidè pro hæresum exstirpatione sancita sunt, nouis emergentibus rationibus reuocat, & immutat, aliaque desuper disponit, & ordinat, prout in Domino salubriter conspicit expedire.

§. 1. Dum siquidem Fel. rec. Pius Papa IV. Prædecessor noster sua perpetuò valitura Constitutione statuit, ordinauit, & declarauit, quod ex tunc deinceps in omnibus Christiani Orbis partibus Inquisitores hæreticæ prauitatis, tam generales, quam in quibusuis Prouinciis, Ciuitatibus, Oppidis, Terris, & locis pro tempore deputati particulares, contra omnes quorumcunque Ordinum, etiam exemptorum, etiam Mendicantium Professores, & Religiosos, ac etiam alios quoscumque quouis modo priuilegiatos, & exemptos, de hæresis crimine quomodolibet suspectos, aut culpabiles, dummodò ab eorumdem Professorum, & Religiosorum superioribus, vel Prælatis in causis huiusmodi præuenti non fuissent, iuxta facultates Officij Inquisitionis ipsius prauitatis inquirere, & procedere, ac culpabiles, & delinquentes repertos, secundùm canonicas sanctiones castigare, atque punire possent, & valerent, ac aliàs prout in literis ipsius Prædecessoris latiùs continetur.

§. 2. Cùm autem rerum vsu compertum sit, occasione præuentionum huiusmodi nonnulla interdum impedimenta orta esse, quominùs causæ huiusmodi ea qua decet diligentia cognoscantur. Nos de consilio Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium contra hæreticam prauitatem generalium Inquisitorum illa de medio tollere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac matura deliberatione, hac nostra etiã perpetuò valitura Constitutione omnia, & quæcunque Priuilegia, Indulta, facultates, & concessiones Generalibus, Superioribus, & Prælatis quorumcunque Ordinum, siue Mendicantium, siue Clericorum Regularium cuiusuis Ordinis, & Instituti, etiam in dicta Constitutione non expressorum, & quantumvis exemptorum, & quocumque nomine nuncupentur, per dictum Pium ac quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, & Sedem Apostolicam concessa, approbata, & innouata, & quantumuis etiam longissimo tempore obseruata, causas ad dictum Officium quouis modo spectantes cognoscendi, & terminandi, seu in illis quoquo modo se intromittendi; quorum omnium, & singulorum tenores, etiamsi de illis specialis, & expressa mentio habenda esset, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò cassamus, reuocamus, & abolemus, ipsisque Generalibus, Superioribus, & Prælatis, vt de cætero quouis quæsito colore, vel prætextu præuentionis, vel consuetudinis,

& præscriprionis innumetabilis, seu cognoscendi, an delatiooes huiusmodi calomniosæ sint, necne in eisdem causis, tam motis, quàm mouendis, quoquo modo se intromittere, seu immiscere, deounciationes recipere, testes eaaminare, processus conficere, causas pias cognoscere, definire, vel rerminare minimè audeant, seu præsumsnt, simili auctoritate distiictiùs inhibemus.

§. 3. Volentes, & expresè maodantes, vt ipsi Religiosi possinr, & debeant omnes, etiam Ordinum huiusmodi Professores de hæresi suspectos, Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus liberè denunciare, absque eo quod superiores prædicti personas denuociandas, & causas perquirere, vel quoquo modo id impedire, vel retardate audeanr, seu præsumant.

§. 4. Insuper omnes, & quascumque causas ad dictum Officiom quomodolibet spectanres, & pertinentes coeam Generalibus, Superiotibus, & Prælatis huiusmodi in quibuscunqoe locis eaistentibos, ac contra quoscumqoe Religiosos, vt præfertut, exemptos motas, & pendentes, ad nos harum serie auocamos, easqoe omnes in statu, & terminis, in quibus de præsenri reperiuntut, ipsius prauitatis Ioquisitoribus, vel Ordinariis locorum viciniotibus termioandas committimus.

§. 5. Prætereà ipsis Generalibus, Superiotibus, & Prælatis pati auctoritate præcipimus, atque mandamus, vt omnes Processus, & acta causarum huiusmodi Inquisitoribus, seu Ordinariis prædictis respectiuè remittant, & consignent, necnon Professores, Fratres, & Religiosos supradictos, quos hæresis labe infectos, vel suspectos, etiam in visitatione, esse nouerint, absque alia consultatione cum propriis Superioribus facienda, eisdem Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus respectiuè denuocient.

§. 6. Quod si Generales, aliique prædicti præsentibus literis non paruerint, eos omnes priuationis quarumcunque dignitatum, seu Prælatuearum, vel Officiorum suorum Otdinum, ac vocis actiuæ, & passiuæ, perpetuæque inhabilitatis ad easdem, necnon contra fauiores hæreticorum, & impeditores Officij statutas, & inflictas pœnas, aliasque censuras Ecclesiasticas, etiam excommunicationis maioris latæ sententiæ, à qua oisi à nobis, vel à Romano Pontifice pro tempore existente, prætetqoam in mortis articolo, absolutionis beneficium valeant obtinere, eo ipso incuerisse.

§. 7. Necnon præsentes literas, licèt Generales, Superiores, & Prælari prædicti, aur quicumque alij quauis auctoritate, dignitate, vel Officio, seu honore fulgentes, in præmissis quomolibet inteesse habentes, vel habere prætendentes, ad hoc vocati non fuerint, semper, & perpetuò validas, & efficaces existere, suosque plenarios, & integros effectos sortiri, & obtinere, ac ab omnibus inuiolabiliter obseruari, sicque per quoscumque Iudices, & Commissarios quaois auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, sublara eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere: irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quauis aoctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus.

§. 8. Non obstantibus prædictis, ac quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinum, & Institutorum quorumconque iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia robotaris Statutis, & Consuetudioibus, Priuilegiis quoque indulria, & literis Apostolicis, etiam mare magnum, vel aliàs quomodolibet nuncupatis, eisdem Ordinibus, eorumque Generalibus, Superioribus, & Prælatis, ac personis, etiam per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Sedem prædictam, & per nos quouis modo concessis, confirmatis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, quibus, ac aliis omnibus, quæ præsentibus quomodnlibet obstare possent, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac indiuidua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia axquisita forma ad hoc seruaoda foret, eorum tenores pro plenè, & sufficienter præsentibus expressis, & totalitee insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, & specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis qoibuscumqoe.

§. 9. Vt autem præsentes literæ ad omnium notitiam deducantur, néve aliquis ignoraotism earum prætendere, aur contra eas se excusare valeat, illas in Valvis S. Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum Basilicarum de vrbe, oecnon Cancellariæ Apostolicæ, ac Acie campi Floræ, demore affigi, & publicari, earumque exempla inibi affiaa dimitti, ac post publicationem huiusmodi omnes, & singulos, quos concernunt, & concernent in futurum, perinde arctеor, & afficiāt, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent.

§. 10. Quodque earum transsumptis etiam impressis, Notarij publici manu subscriptis, & sigillo alicuius Prælari, seu personæ in dignitate Ecclesiastica Constitotæ munitis eandem prorsùs fidem in Iudicio, & extra, vbique Gentium, & locorum adhiberi volumus & mandamus, quæ eidem originalibus literis adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ: & nihilominùs vt ad maiorem notitiam singulorom, & qoorumcunque Religiosorum prædictorum præsentes deueniant, etiam volumus, & in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus Generalibus, Superioribos, & Prælatis prædictis, vt in primis proximis futuris Capitolis, seu Congregationibus Prooincialibus, vel Generalibus cuiuscomque Prouinciæ, tam in Italia, quàm extra, præsentes nostras literas legi, & publicari faciant, & procurent.

§. 11. Nulli ergo omninò horum liceat hanc paginam nostræ cassationis, reuocationis, absolutionis, inhibitionis, mandatorum, euocationis, commissionis, præceptorum, decreti, declarationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei aosu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, iodignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eios se nouerit incuesurum.

Datum Romæ apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicæ M. DCVI. Kal. Septembris, Pontificatus nostri anno 2.

Vbi aduerte, quod causæ quæ pertinent ad Officium, 11
seu tribunal sanctæ Inquisitionis, & de quibus per hanc Bullam prohibentur superiores Regulares cognoscere, sint in primis causæ hæresis, & præterea omnes aliæ quocumque modo ad hæresim pertinentes; quia hoc Tribunal principaliter contra hæresim erectum, se extendit ad omnia crimina, quæ quocumque modo ad hæresim pertinent: Quales sunt v. g. fautorum, receptorum, defensorum eios (qui sit hæreticus) apostatarum à fide, schismaticorum, suspectorum de hæresi, blasphemantium hæreticaliter, magorum, sortilegorum (quorum sortilegia hæresim sapiont) & aliæ huiusmodi, quæ quocumque modo ad hæresim relationem habent. Item causæ Religiosorum matrimonium 12
siue publicè, siue secretè contrahentium; quia isti tales sunt suspecti de hæresi. Item ex Bulla a. Gregorij XIII. 13
(quæ incipit *Officij nostri*) & ex Bulla Clementis VIII. (quæ incipit *etsi alias*) causæ eorum, qui non ordinati celebrant Missam, vel audiunt confessiones. Item ex Bulla 4. Gregorij XV. causæ eorum, qui in Confessione, vel occasione, & prætextu Confessionis sollicitant, etiamsi confessio non sequatur, & etiamsi sollicitatio pro aliis fiat; quia omnes istæ causæ, & similes aliquam hæresis suspicionem important.

Aduerte

15 Aduerte 2. quod si superiores Regulares in loco habeant iurisdictionem quasi Episcopalem, possint procedere in causis Inquisitionis contra Regulares suos, ita tamen vt non possint per se solos exercere illos actus, quos neque Episcopi exercere possunt sine Inquisitoribus contra subditos suos, sed eum seruare debeant modum, quem seruant Episcopi; quia superiores Regulares sicuti ratione iurisdictionis quasi Episcopalis habent auctoritatem in Tribunali sanctæ Inquisitionis, & possunt procedere contra cæteros, ita etiam poterunt procedere contra proprios subditos.

16 Aduerte 3. quod si superiores Regulares ignoranter, vel bona fide absque præsumptione exerceant aliquem actum ex actibus in hac Bulla prohibitis, non incurrant pœnas in illa statutas; quia ad illas incurrendas requiritur præsumptio, sicque quod scientes, & volentes exerceant talem actum (vti patet ex verbis eiusdem Bullæ, ibi: *Quoquo modo id impedire vel retardare audeant, seu præsumant.*) Ergo cum dicta Bulla puniat præsumentes, non punit procedentes ignoranter, vel bona fide. Innocentius *in cap. à nobis 1. vers. Adde quod dicimus, de sent. excommunic.* Angel. *verb. ignorantia, num. 4. & verb. excommunicatio 7. num. 3.* Sylnest. *verb. ignorantia, quæst. 8.* Nauar. *in summa, cap. 27. num. 274. vers. tertiodecimò,* Rodriguez *part. 1. summa, cap. 155. num. 3.* Auendaňus *de exequend. mand. lib. 1. cap. 4. num. 38.* Dian. *in practica, cap. 26. lit. C, vers. Primò quod eius.* Rota *decis. 438. num. 4. part. 4. recent. & in Oscen. Archidiacon. die 18. Maij, anno* 1605. coram Lancellotto.

17 Aduerte 4. quod in hac Bulla iniungatur sub excommunicationis pœna latæ sententiæ, necnon priuationis quarumcunque dignitatum, seu Prælaturarum, Officiorum, & vocis actiuæ, passiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis Generalibus, Prælatis, & superioribus, vt debeant denunciare suos, quos (quamvis in actu visitationis) de hæresi infectos, vel suspectos repe-
18 rerint. Quæ Bulla consequenter non afficit subditos, quin neque superiores, qui præsunt Monasteriis, seu Conuentibus cum sola administratione absque vlla Iurisdictione, vide Doctores communiter, quos sequitur Bonacina *disp. 2. de censur. in particul. quæst. 9. punct. 7. num. 6.* Quia Bulla loquitur gradatim descendendo à Generalibus ad superiores, & vltimo loco ad Prælatos: ergo solùm loquitur de Prælatis iurisdictionem habentibus; cùm hi Prælati (qui sunt cæteris inferiores, inter eos, de quibus Bulla loquitur) vltimum locum teneant.

19 Aduerte 5. quod quando superior Regularis audit aliquem de suis esse de hæresi infectum, vel suspectum, sufficiat vt eum, à quo audit, moneat quod denunciet, sicque curet vt is, à quo audit, denunciationem faciat; quia sic superior Regularis satisfacit fini, & intentioni legis, præsertim quia cùm ipse nihil aliud sciat, quàm quod audiuit, ipsius denunciatio maiorem notitiam non parit. Vide Doctores quos sequitur Bonacina *disp. 2. de censur. in particulari, quæst. 9. punct. 7. num. 7.*

20 Quamvis non omninò improbabile sit oppositum, quod tenent alij moti ex eo, quia (cùm ipsi superiori Regulari committatur denunciatio) obligatio denunciandi est personalis, vt propterea illam in alium transferre non possit.

21 Aduertie 6. quod superior Regularis non hoc ipso, ac aliquid audit de hæresi, vel de hæresis suspicione, statim teneatur siue per se, siue per alium denunciare, sed debeat priùs considerare, an verisimile sit quod audit (qualitatem scilicet personæ referentis, & personæ relatæ, & alia huiusmodi considerando.) Ita vt adsit sufficiens fundamentum procedendi, seu inquirendi contra personam denunciandam; quia (cùm Pontifex prohibeat superiorem Regularem procedere in causis Inquisitionis, velitque eum siue per se, siue per alium denunciare) consequens est, quod Pontifex intendat obligare superiorem Regularem ad denunciandum tantùm quoad eos casus, in quibus Pontifex prohibet, prædictum superiorem Regularem procedere; sicque quando aliàs posset prædictus superior Regularis procedere, atque adeò quando adest sufficiens fundamentum ad procedendum, si non prohiberetur prædictus superior Regularis procedere.

Aduerte 7. quod præsenti Bulla non obligetur su- 22
perior Regularis ad denunciandos, siue per se, siue per alium, Nouitios, si forsan hi sint de hæresi infecti, vel suspecti: vide Doctores, quos sequitur Bonacina *punct. 7. num. 3.* Quia Bulla loquitur solùm de Professis, Fratribus, & Religiosis (quales non sunt Nouitij; cùm nondum sint de corpore Religionis, seu membra Religionis.) Ergo Bulla non afficit superiorem Regularem in ordine ad Nouitios, respectu quorum consequenter non adest ipsi superiori Regulari hæc specialis obligatio ad denunciandum, sed superior Regularis eodem modo se gerere potest cum Nouitiis, ac cum cæteris, qui non sunt de corpore Religionis, seu membra Religionis.

SECTIO XXXV.

Quæ sit causa finalis prohibendi Prælatis Regularibus, ne cognoscant causas ad Officium, seu Tribunal sanctæ Inquisitionis pertinentes?

SVMMARIVM.

1 *Causa finalis prohibendi Prælatis Regularibus, ne cognoscant causas ad Officium, seu Tribunal sanctæ Inquisitionis pertinentes, est ne huiusmodi causæ absque debita diligentia tractentur: Multùm enim interest Christianæ Reipublicæ, quod fides pura, & illibata seruetur.*

Respondetur: Est, ne huiusmodi causæ absque de- 1
bita diligentia tractentur, sicuti patet ex eadem Bulla ibi: *Cùm autem rerum vsu compertum sit, occasione præuentionum huiusmodi nonnulla interdum impedimenta orta esse, quominùs causæ huiusmodi ea, qua decet, diligentia cognoscantur, &c.* Quia cùm multùm intersit Christianæ Reipublicæ, quod fides pura, & illibata seruetur, necesse fuit, vt causæ omnes, ex quibus præiudicium aliquod ipsi sequi possit, sedulò, & cum maxima diligentia tractarentur. Videatur præter alios Peña *Director. Inquisitor. part. 3. comment. 77. verb. Illustrissime.*

SECTIO XXXVI.

An Regulares recurrentes ad S. Officium, vel ibi testificantes, possint à suis superioribus grauari?

SVMMARIVM.

1 *Regulares recurrentes ad sanctum Officium, vel ibi testificantes non possunt à suis superioribus grauari, ex decreto Pij V. quod refertur.*

2 *Superiores Regulares per decretum non prohibentur imponere subditis regulares pœnas, quas iuxta Regulam, & Religionis consuetudinem incurrunt, si contra regularem disciplinam delinquant, quia intentio Pontificis est prouidere tantùm indemni-*

tati eorum, in quorum fauorem disponit in hoc decreto.

3 *Intentio Pontificis non est relaxare disciplinam regularem, qua quidem relaxaretur, si subditi non possent regulariter puniri, &c.*

4 *Superior Regularis si in his punitionibus regularibus modum excedat, præsumitur quod velit molestare, cùm talis excessus sit quidam praua voluntatis effectus.*

5 *Regularis delinquens notoriè, & cum scandalo extra claustra, instante Episcopo apud superiorem Regularem vt puniatur, puniri debet, quia in isto casu instantia Episcopi, & dispositio legis excludit præsumptionem, quod superior puniat animo molestandi.*

6 *Episcopus enim in isto casu prætendit causam, vel excessum exhibendo delictum, non superior regularis.*

1 RESpondetur negatiuè: Atque ita decreuit Pius V. per hæc verba.

Sanctissimus D. N. Pius Papa V. in generali Congregatione sancti Officij, consulens libertati ipsius sancti Officij, & indemnitati recurrentium ad illud, vel in eo testimonium perhibentium, statuit, & decreuit, vt Regulares quorumuis, etiam Mendicantium Ordinum persona qua pro tempore ad Officium sanctæ Inquisitionis pro quocumque fidei negotio recurrerint, seu confugerint, vel in eo testimonium perhibuerint veritatis, aut alias quomodolibet deposuerint, nequaquam à suis superioribus per quinquennium continuum à die recursus, seu depositionis huius molestari, vel ex quacumque causa, vel excessibus prætensis personarum istarum, & de debitis propterea pœnis, seu pœnitentiis eisdem imponendis, nisi ipsi Illustrissimi Cardinales Inquisitores Generales certiores facti fuerint, vel eis clarè notificatum, & ab ipsis Cardinalibus desuper responsum fuerit.

2 Petes, an per hoc decretum superiores Regulares prohibeantur imponere subditis pœnas regulares, quas iuxta regulam, & Religionis consuetudinem incurrunt, si contra disciplinam regularem delinquant?

Respondetur negatiuè, quia intentio Pontificis est prouidere tantùm indemnitati eorum, in quorum fauorem deponit in hoc decreto (ne scilicet grauari possint, vti patet ex *molestari*.) At dum pro transgressoribus contra Regulam regulariter puniuntur, non molestantur, neque grauantur, sed (cùm punitio regularis tendat ad profectum ipsorum) perficiuntur. Ergo, &c.

3 Confirmatur, quia intentio Pontificis non est relaxare disciplinam regularem, quæ quidem relaxaretur si subditi non possent regulariter puniri, præsertim quia capturent occasiones adeundi Officium sanctæ Inquisitionis, vt hoc prætextu se à disciplina regulari subducant. Ergo.

4 Aduerte tamen hîc, quod si superior Regularis in his punitionibus regularibus modum excedat, præsumatur quod velit molestare, cùm talis excessus sit quidam prauæ voluntatis effectus.

5 Petes 2. quid dicendum, si quis ex Regularibus delinquat notoriè, & cum scandalo extra claustra: & Episcopus iuxta dispositionem Concilij Tridentini *sess. 25. cap. 14. de Regularib.* & iuxta Constitutionem Clementis VII. *suscepti muneris*, die 18. Martij anno 1596. instet apud superiorem Regularem, quod puniatur, an in isto casu possit puniri?

Respondetur affirmatiuè, quia in isto casu instantia Episcopi, & dispositio legis excludit præsumptionem, quod superior Regularis puniat animo molestandi. Ergo cessat finis huius decreti.

6 Confirmatur, quia in isto casu non superior Regularis prætendit causam, vel excessum, sed Episcopus illi exhibet delictum puniendum: At decretum procedit quando ipse superior Regularis prætendit causam, vel excessum (vti constat ex illis verbis: *Ex quacumque causa, vel excessibus prætensis personarum istarum.* Ergo.

SECTIO XXXVII.

An in causis sanctæ Inquisitionis omnia debeant gratis expediri?

SVMMARIVM.

1 *In causis sanctæ Inquisitionis omnia debent gratis expediri.*

2 *Ministris sanctæ Inquisitionis, si pro expensis non sit sufficienter prouisum, possunt imponi reis pœna pecuniaria, quæ in necessitates Officij eiusdem sanctæ Inquisitionis impendantur: Non tamen ea imponuntur, nisi re communicata cum supremo Tribunali.*

RESpondetur affirmatiuè: Atque ita decreuit Clemens VIII. per hæc verba. 1

Sanctissimus D. N. volens ac intendens prouidere, vt causæ, & negotia quouis modo spectantia ad sanctam Inquisitionem, cognoscantur, & expediantur omni, qua decet, integritate, amotis quibusuis sordibus, ac pecuniariis solutionibus, statuit, & decreuit, vt in posterum omnes Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, ac quiuis Ecclesiarum Prælati, seu inferiores Ordinarij, eorumque Vicarij, & Officiales, in causis, & negotiis sancti Officij pro examine testium, seu principalium reorum, pro sportulis sententiarum, pro quouis decreto, seu actu, seu quacumque expeditione, nihil omninò exigant, & recipiant, etiam à sponte dantibus, sed gratis omnia expediant.

Ac eorum Secretarij, Cancellarij, & Notarij pro scripturis Processuum, Informationum, seu repetitionis Testium fisci, quas mittunt ad sanctam, & vniuersalem Inquisitionem Romanam, nihil penitùs exigant, sed gratis illas mittant.

Insuper mandauit omnibus supradictis, eorumque Vicariis, & Officialibus, vt cùm aliquid eis significatur nomine supradictæ Inquisitionis, quamprimùm literas rescribant, & negotia debitæ executioni demandent.

Et hoc decretum tam ipsi Prælati inuiolabiliter obseruent, quàm ab aliis obseruari curent, & eius exemplaria in eorum Cancellariis affixa retineri, vt omnibus notescat, & in Archiuiis registrari faciant sub pœna indignationis Sanctissimi Domini nostri, & aliis arbitrio Sanctitatis suæ infligendis.

In generali Congregatione sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico apud sanctum Petrum coram sanctissimo Domino, ac Illustrissimis & Reuerendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus aduersus hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus, nonis Ianuarij 1601.

Quintilianus Adrianus Notarius.

Aduerte tamen hîc, quod si pro expensis non sit sufficienter prouisum Ministris sanctæ Inquisitionis, possint imponi reis pœnæ pecuniariæ, quæ in necessitates Officij eiusdem sanctæ Inquisitionis impenduntur; Farin. *de hæres. q. 193. n.* 108. Sousa *in Aphorism. Inquisit. lib. 3. cap.* 28. *num.* 1. *&* 2. & alij, quos sequitur Carena *quæst. 3. ad consil. Fulgos. num. 6.* Qui rectè subdit, quod huiusmodi pœnæ pecuniariæ non soleant imponi, nisi re communicata cum supremo Tribunali, vt sic cognoscant rei, quod dùm cum tanta maturitate proceditur, in hoc Tribunali salus animarum solùm intendatur. 2

SECTIO

SECTIO XXXVIII.

An si reus sanus, & in iudicio nondum confessus, petat Confessarium, debeant Inquisitores eum illi concedere?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores an debiant concedere reo sano, & in iudicio nondum confesso Confessarium, est opinio satis pro vtraque parte probabilis, hoc est tam pro affirmatiua, quàm pro negatiua.*

1 RESponderur (quamvis satis probabiliter affirment nonnulli ex eo, quod rei saluti expediat, vt Deo reconcilietur, quæ reconciliatio prætetea erit medium ad reconciliationem cum Ecclesia; & ex eo, quod poterit interim Confessarius exhortari reum, vt deferat errores suos & integram veritatem tam de se, quàm de aliis, vtque tædio carceris, vel spe celerioris liberationis, vel metu tormentorum sibi, vel aliis falsum crimen non imponat, Zanard *in Director. Theolog part. 3. c. 86.* & Peña *in Director. Inquisit. part. 3. comment. 25. §. Diximus huc vsque de agrotantibus*, qui subdunt tamen, quod non possit Confessarius dictum reum absoluere priusquam ab Excommunicatione fuerit absolutus, & Ecclesiæ reconciliatus.) Adhuc satis probabiliter etiam docent oppositum, ita Doctores, quos sequitur Piasecius *in praxi, part. 3. c. 4. art. 6. n. 7.* (non debere scilicet concedi reo Confessarium, nisi post confessionem ipsius iudicialem; itavt ante istam, pendente causa, non sit admittendus hæreticus reus ad audiendam Missam, neque illi concedendus Confessarius, nisi in periculo mortis, si fuerit tunc conuersus) sic Doctores, quos sequitur Piasecius *in praxi, part. 2. c. 4. art. 6. n. 7.* & probant; quia sic tutius esse demonstrat praxis, & tradit instructio Toletana anno 1561. *n. 71.*

SECTIO XXXIX.

An possint Inquisitores habere familiam armatam?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores possunt habere familiam armatam, licentiamque armorum possunt dare non solùm Officialibus destinatis ad denunciandos, vel capiendos hereticos, & ad comitandos ipsos Inquisitores; sed etiam cateris Ministris, qui quacumque alia ratione Officio S. Inquisitionis inseruiunt.*

2 *Domini temporales si impediant supradictis, seu supradicta familia armata arma deferre, possunt à pradictis Inquisitoribus tanquam turbatores Officij Sancta Inquisitionis puniri.*

1 REspondetur affirmatiuè, *ex Clement. Nolentes, §. porrò, de haret.* & ex iis quæ diffusè dicebam *in tractatu de immunit. & Iurisd. Eccles.* videri etiam præter alios poterit Zanardus *in Director. Theolog. part. 2. cap. 6. q. 15.* Duard. *in Bull. Cæn. lib. 2. canon. 1. quæst. 33. n. 54.* Peña *in Director. Inquisit. part. 3. q. 56. comment. 103.* (vbi rectè subdit, quod hanc armorum licentiam possint Inquisitores dare non solùm Officialibus destinatis ad denunciandos, vel capiendos hæreticos, & ad comitandos ipsos Inquisitores; sed etiam dare cæteris Ministris, qui quacumque alia ratione Officio Sanctæ Inquisitionis inseruiunt, quales sunt Aduocati, Notarij, Custodes, Consultores, &c.) Simanch. *de cathol. instit. tit. 34. n. 53. & tit. 41.* Campeg. *in Addit. ad Zanchinum, tract. de haret. cap. 31. lit. A,* & Rojas *singul. 21. n. 8.*

Ex quibus sequitur, quod si Domini temporales impediant supradictis, vel prædictæ Inquisitorum familiæ armatæ arma deferre, possint à prædictis Inquisitoribus, tanquam turbatores Officij Sanctæ Inquisitionis puniri. Glossa *in cap. statutum, verb. indirectè, de haret. in 6.* Zabatella *in Clement. 1. §. Porrò, n. 9. eod. tit.* & Peña *loc. suprà cit.* 2

SECTIO XL.

An possint Inquisitores citare, & capere reum in alieno Territorio, sine literis subsidialibus Dominorum?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores possunt citare, & capere reum in alieno Territorio sine literis subsidialibus Dominorum; quia haresis est crimen merè fori Ecclesiastici, quod priuatiuè quoad laicos competit Inquisitoribus, vt propterea assensus eorum neque de Iure, neque de vrbanitate requirendus sit.*

2 *Idem dicas saltem in Inquisitione Hispanica quoad Dominos spirituales, quales sunt Episcopi, & Inquisitores; quia potest Iudex quando loca sunt sub eodem Praside, citare per proprium Nuncium.*

3 *Inquisitores in praxi Inquisitoribus, & Episcopis solent mittere literas requisitorias.*

REspondetur affirmatiuè, & quidem quoad Dominos temporales patet, quia hæresis est crimen merè fori Ecclesiastici, quod priuatiuè quoad laicos competit Inquisitoribus, quibus subditi sunt non solùm Iudices prædictorum Dominorum, sed etiam ipsimet Domini. 1

Vt propterea assensus eorum neque de Iure, neque etiam de vrbanitate requirendus sit, sed solùm in auxilium, ad quod præstandum tenentur sub pœna excommunicationis, vti suprà dicebam. 2

Idemque dicas (saltem in Inquisitione Hispanica) quoad Dominos spirituales, quales sunt Episcopi, & Inquisitores; quia potest Iudex, quando loca sunt sub eodem Præside, citare per proprium Nuncium. At omnes Episcopi, & Inquisitores sunt Pontificis Iudices delegati, qua ratione Pontificis, & non alterius Imperio subduntur: Ergo, &c. Poterunt igitur Inquisitores non solùm verbaliter, sed etiam realiter citare, & capere reum in alieno Territorio, & mandare quod ad seipsos transmittantur libri, vel alia huiusmodi ad causam necessaria.

Quamvis in praxi soleant Inquisitores Inquisitoribus, & Episcopis mittere literas requisitorias. 3

Videantur Simanch. *de cathol. institut. tit. 2. n. 13. & 14.* & Scaccia *de Iudic. lib. 1. cap. 23. n. 4. & 5.* Videantur etiam, quæ diffusè dicebam *in tractatu de immunitate Ecclesiastica.*

SECTIO XLI.

An possint Inquisitores accipere munera (saltem esculenta, & poculenta, quæ scilicet intra paucos dies consumuntur) spontè sibi oblata?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores in Hispanica Inquisitione non possunt accipere munera, etiam esculenta, & poculenta,*

quæ intra paucos dies consumuntur, sponte sibi oblata, adeo vt si contrafecerint, incurrant excommunicationem, priuantur Officio, & teneatur reddere duplum, & aliis pœnis puniuntur. Idque etiamsi accipiant ab Officialibus, & Ministris.

2 *Minister si sciuerit, quod alius Minister donum acceperit, teneatur sub eisdem pœnis illum Inquisitoribus reuelare.*

1 RESpondetur negatiuè, Peña *in Direct. Inquisit. part. 3. comment. 153.* Simanch. *de cath. instit. tit. 34. n. 45.* Mosconius *de Maiest. milit. Eccl. lib. 1. part. 2. c. 11.* Scaccia *de Indic. lib. 1. c. 87. n. 12.* (quatenus expressè ait, quod in Hispania non possint Inquisitores, vel alij Sancti Officij Ministri accipere munera, neque etiam esculenta, & poculenta: Adeo quod si contrafacerent, incurrerent excommunicationem, priuarentur officio, tenerentur reddere duplum, & aliis punirentur pœnis: Quod procedit, subdit ipse, etiamsi acciperentur ab iis-
2 dem Officialibus Sanctæ Inquisitionis: Quinimò si Minister sciuerit, quod ab iis Minister donum acceperit, tenebitur sub eisdem pœnis illum Inquisitoribus reuelare: (quamvis alibi, vbi huiusmodi Constitutiones prohibitiuæ non extant, ab Inquisitoribus esculenta, & poculenta accipi consueuerint) & alij passim.

SECTIO XLII.

An possint Inquisitores inquirere, & punire quempiam, si in sortilegio immiscuerit Sacramentalia? Vbi etiam si immiscuerit Sacramenta? Vbi etiam, si in sortilegio non immiscuerit neque Sacramentalia, neque Sacramenta?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores secundùm probabiliorem sententiam possunt inquirere, & punire quempiam, si in sortilegio immiscuerit Sacramentalia, Sacramenta, & etiamsi non immiscuerit neque Sacramentalia, neque Sacramenta: Est enim hæreticale, manifestamque hæresim sapiens sortilegium, cui immiscentur Sacramentalia, siue etiam sola verba sacra.*

2 *Idem magis dicendum est, si sortilegio immisceantur Sacramenta; eis enim abuti sapit hæresim, possuntque abutentes puniri ab Inquisitoribus.*

3 *Sortilegium, in quo sacrum oleum immiscetur, secundùm aliquos non sapit hæresim, atque adeo non pertinet ad iurisdictionem Inquisitorum, nisi in dicto sortilegio auxilium Dæmonis imploretur.*

4 *Inquisitores possunt etiam inquirere secundùm probabiliorem sententiam contra committentem sortilegium, cui non immiscet neque Sacramentalia, neque Sacramenta, si reuelet præsentia, vel præterita occulta, quæ naturaliter scire non potest nisi per operam Dæmonis. Vt si v.g. reuelet, vbi sit res aliqua furto sublata; est enim iste talis interrogandus ab Inquisitoribus, & si fuerit confessus, aut conuictus, est coërcendus, tanquam habens cum Dæmone commercium sibi de omni iure interdictum.*

5 *Amplia multò magis id procedere, si inuocetur, vel consulatur ad ea, quæ Dæmon per naturam suam facere non potest, vt si v.g. inuocetur, aut consulatur ad futura libera.*

1 RESpondetur quoad primum, quod quamvis præter Campegium, & Vmbertum Locatum, de quibus dicam mox infrà in Corollario, negent Ghirlandus *de sortileg. q. 10. n. 15. & seqq.* & Torrebianc. *in lib. 5. de Magia, cap. 8. num. 15.* Quia non est hæreticale, seu hæresim sapiens sortilegium, cui immiscentur solùm Sacramentalia; probabilius tamen affirmant Zanard. *in Direct. Theol. p. 3. c. 64.* Martin. Delrio *in disquisit. magicis, lib. 5. sect. 15. §. dico 3.* Peña *in Direct. Inquisitor. part. 2. q. 42. comment. 67.* Scaccia *de Indic. lib. 1. c. 12. n. 34.* Sesse *tom. 4. dec. 463. n. 9. & dec. 464. n. 12.* Floronus *de casib. reseru. part. 2. cas. 1. n. 49.* Bellochius *in prax. Theol. moral. 1. part. q. 1. n. 55.* Raphaël de la Torre *in 2. 2. S. Thom. q. 96. art. 4. disp. 2.* & alij communiter.

Probatur, quia potiùs manifestè est hæreticale, manifestamque hæresim sapiens sortilegium, cui immiscentur siue Sacramentalia, siue etiam sola verba sacra (vt psalmus aliquis Dauidis, Euangelium, Symbolum fidei, Pater noster, Aue Maria, vel alia verba Sacræ Scripturæ, vel sanctæ Orationes, vel cerei, qui vocantur Agni, vel aliæ res sacratæ, vt vestes Sacerdotales, aut similes, vel Reliquiæ Sanctorum, &c.) cum realiter hoc ipso, quod quis tales, vel similes res admiscet sortilegio, manifestè significet se credere, quod prædictæ res ad maleficiorum operationem vim habeant.

Ex dictis sequitur, quod idem etiam, quin multò magis dicendum sit à maioritate rationis, si sortilegio immiscuerit Sacramenta; præsertim quia in Glossa *verb. saperent, §. sanè, c. Accusatus,* dicitur quod Sacramentis abuti sapiat hæresim, & possit Inquisitor puniре tales abutentes quando abutuntur Sacramento Altaris ad faciendum incantationes, vel sortilegia, vel quando rebaptizant aliquem, vt propterea idem dicendum sit si abutantur aliquo alio ex septem Sacramentis, à paritate rationis. Bernardus Comensis *in Lucerna Inquisit. verb. Sacramentis abuti,* Ricc. *in Praxi, tom. 1. resol. 224. n. 11.* Martin. Delrio, Zanardus, Peña, Genuensis, & etiam Raphaël de la Torre *in locis suprà cit.* 2

Quamvis contrarium sentire videantur Campeg. *in addit. ad Zanchinum, c. 22. lit. C, in verb. Inquisitor, vers. Pro his intelligendis, in fine,* & Vmbert. Locat. *in prax. Inquis. verb. Sacerdos, n. 4.* vbi subdunt, quod sortilegiũ, in quo Sacrum oleum immiscetur, non sapiat hæresim, atque adeò non pertinet ad Iurisdictionem Inquisitorũ nisi in dicto sacrilegio auxilium Dæmonis imploretur ad ea, quæ de sui natura Dæmon facere non potest. 3

An autem idem (scilicet quod & Inquisitores possint inquirere) dicendum sit, si quis per sortilegium, cui non immiscet neque Sacramentalia, neque Sacramenta, reuelet præsentia vel præterita occulta, quæ naturaliter scire non potest, nisi per operam Dæmonis, vt si v. g. reuelet vbi sit res aliqua furto sublata, vel quid in eadem hora, vel die gestum sit in loco valde distanti. 4

Respondetur quod (quamvis negent Scacc. *de Indic. lib. 1. c. 12. n. 40.* Acuña *de Confessor. solicit. q. 5. n. 34.* & alij complures, quos citat, & sequitur Farin. *de hæresi, q. 181. n. 54.* quatenus aiunt, quod diuinationes, & sortilegia per se sumpta, etiamsi pactum expressum vel tacitum interueniat cum dæmone super his, quæ ab ipso effici possunt naturaliter, cuiusmodi est reuelatio eorum quæ nobis sunt occulta, nõ pertineant ad Iurisdictionẽ Inquisitorum, si nulla detur aliunde admixtio hæresis, veluti Dæmonis adoratio.) Probabilius tamen affirment alij, quos sequitur Simancb. *de cath. instit. tit. 21. n. 15.* & videri etiam poterit Sesse *loco suprà cit. decis. 468. n. 18.* scilicet quod & iste talis sit interrogãdus ab Inquisitoribus, & si fuerit confessus, vel conuictus, sit coërcendus tanquam habens cum dæmone commerciũ sibi de omni Iure interdictum. Quia licet in dicto casu nulla detur aliunde admistio hæresis, veluti dæmonis adoratio, inducitur tamen manifestus sapor illius, saltẽ si dæmon inuocetur nõ imperatiuè, sed deprecatiuè. Et multò magis si inuocetur, vel cõsulatur ad ea, quæ Dæmõ per naturam suã facere non potest: vt si v.g. inuocetur, vel consulatur ad futura libera (siue interna, siue etiam externa) præsertim supernaturalia, vel etiam ad præsẽtia, vel præterita libera occulta, quales sunt cogitationes, intentiones, vel volitiones hominis, præsertim

super

supernaturales, iuxta ea quæ dicebam in primam partem S. Thomæ tractat. de Angelis.

At de his omnibus vide quæ dicam infrà *dub. 229. sect. 6. 7. & 8.*

SECTIO XLIII.

An possint licitè Inquisitores promittere impunitatem reo, si verum fateatur?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores non possunt licitè promittere impunitatem reo, si verum fateatur, contra nonnullos oppositum tenentes; non enim debent promittere impunitatem, seu gratiam ipsi facturos, sed quod cum ipso egerint benigniori modo, quo poterunt.*

1 RESpondetur (licèt affirment nonnulli, quos sequitur Flaminius Carrbarius *in practic. interrogandi reos, lib. 2. c. 1. n. 27.* ex eo quod habeant Inquisitores in remittendis, & temperandis pœnis potestatem ampliorem, quàm habent cæteri Iudices, *ex c. Vt commissi, de heret. in 6.* tradunt Doctores, quos citat, & sequitur Barbos. *in collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 12. n. 9.* & videri etiam poterit Cantera *in quæst. crimin. c. 1. de vera confession. n. 9.* vbi testatur, per Consilium Sanctæ Inquisitionis in quadam causa cuiusdam relapsi fuisse determinatum, vt iste talis ex eo, quod Inquisitor ei misericordiam promiserit, Curiæ sæculari non relaxaretur) probabilius tamen negent alij, quos sequitur Scaccia *de Iudic. lib. 1. cap. 87. n. 25.* (vbi probat, quod non debeat Inquisitor promittere reo impunitatem, seu ipsi gratiam facturum, sed quod cum ipso aget benigniori modo, quo poterit, præsertim si relapsus non sit) Peña *in direct. Inquisitor. part. 3. comment. 13. n. 206.* (vbi rectè tradit, quod in quibusdam pœnis possint Inquisitores gratiam facere, & quomodo quoad hoc debeant se gerere cum reis) & Simanch. *de cathol. instiut. tit. 13. n. 12.* videri etiam poterunt quæ dicebam suprà *dubit. 153. sect. 4. circa finem.*

SECTIO XLIV.

An possint Inquisitores procedere contra Papam in hæresi repertum.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores non possunt procedere contra Papam in heresi repertum, quia sunt eo inferiores, vtpote Papæ delegati non possunt procedere contra suum superiorem, eumque iudicare; quapropter tunc cognitio spectabit ad Concilium generale.*

2 *Concilium generale Papam hereticum poterit citare, examinare, & eum, si in heresi obduratum repererit, à suo gradu Pontificatus ejicere; quia tunc ipso facto immediatè à Christo Domino deponitur, & potestate priuatur.*

3 *Papa etiam vt persona priuata secundùm aliquos Theologos non potest esse, neque vnquam fuit hereticus formaliter, sed tantùm materialiter.*

1 RESpondetur negatiuè, quia inferior (quales respectu Papæ sunt Inquisitores, vtpote Papæ delegati) non potest procedere contra suum superiorem, eumque iudicare. Quapropter tunc cognitio spectabit ad Conci-
2 lium generale, quod Concilium generale poterit Papam citare, examinare, & eum, si in hæresi obduratum repererit, à suo gradu Pontificatus ejicere; quia tunc ipso facto immediatè à Christo Domino deponitur, & potestate priuatur, Caietan. *de authorit. Papæ, cap. 18. & 19.* Sotus *in 4. dist. 22. q. 2. art. 2.* Canus *de locis Theolog. lib. 4. cap. vltimo, ad argum. 12.* Corduba *lib. 4. q. 11.* & alij communiter, quos sequitur Zanardus *in director. Theolog. part. 2. c. 6. q. 20.* Quemadmodum posita electione Cardinalium, tanquam conditione sine qua non, tunc ipso facto similiter immediatè à Christo assumitur, & potestate donatur. Eisdem enim causis, quibus res efficitur, destruitur, vti dicebam *in 1. p. S. Thomæ, disp. 1. quæst...*

Quamvis Suarez *de fide, disput. 10 sect. 6. n. 11.* Bel- 3
larmin. *lib. 4. de Summo Pontifice, cap. 8. & 11.* Pighius *lib. 4. Hierarch. Eccles. cap. 8.* & Simanch. *de cathol. Instiut. tit. 12. n. 14.* putent, quod Papa (etiam vt persona priuata) non possit esse, neque vnquam fuerit hæreticus formaliter, sed tantùm materialiter, ex inaduertentia scilicet, vel ignorantia: Etsi contrarium teneant Sotus *vbi suprà*, Canus *ibidem de locis, lib. 6. c. 12.* Castrus *de iust. haret. punit. lib. 1. c. 6. & lib. 2. c. 22.* Turrecremata *lib. 2. c. 10.* & Turrianus *tom. 1. in 2. 2. disp. 16. dub. 1.*

At quid ego de hac re sentiam, vide quæ diffusè dicebam in primam partem S. Thomæ, *cit. disp. 1. q. 29.* vide etiam quæ dicebam suprà *dubit. 154. petition. 12. corollar. 6. in obiectionibus circa finem.*

SECTIO XLV.

An possint Inquisitores punire eum, qui dederit consilium reo incarcerato, etiam iustum, ipsis insciis.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores possunt punire eum, qui dederit consilium reo incarcerato, etiam iustum, ipsis insciis, non tamen vt fautorem hereticorum, sed pœna arbitraria ab ipsismet Inquisitoribus deputanda.*

RESpondetur affirmatiuè, non tamen vt fautorem
hæreticorum, sed pœna arbitraria ab ipsismet In- 1
quisitoribus deputanda: ita Doctores, quos sequitur Loeat. *in prax. Inquisitor. cas. 10. Plucentia*, & Freytas *in Addit. ad tractat. de confessor. sollicit.* Roderic. Acuña *q. 22. n. 28.*

SECTIO XLVI.

An debeant Inquisitores quamprimùm expedire causas reorum?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores debent quamprimùm expedire causas reorum, in causis enim fidei quanta fieri potest breuitate procedi debet, neque causa suspenduntur spe futurarum probationum.*

RESpondetur affirmatiuè, ita Doctores passim, quos 1
sequitur Simanchas *de cathol. Instit. tit. 44. n. 31. & 33.* quatenus ait: In causis fidei quanta fieri potest breuitate procedatur, nec eæ differantur, vel suspendantur spe futurarum probationum; quia forsan nunquam superuenient, & interim rei opprimuntur, ipsorumque bona dissipantur, & dilabuntur; quapropter vitandum est, quod solent facere quidam Inquisitores, qui vt reos quamplures simul puniant, complurium causas iamdudum conclusas diutiùs differunt, atque suspendunt. Videatur etiam præterea instructio Vallisolet. *anni 1488. n. 30.*

SECTIO

SECTIO XLVII.

An, & quibus modis possint Inquisitores terminare processum.

RESpondetur: de hac re vide, quæ dicebam suprà *dubit.* 192. *sect.* 2.

SECTIO XLVIII.

An possint Inquisitores procedere, & punire eum (siue laicum, siue etiam Clericum, v.g. indoctum) qui disputat de fide in casu à iure prohibito?

RESpondetur: de hac re vide, quæ dicebam suprà *dubit.* 154. *petit.* 5.

SECTIO XLIX.

An possint Inquisitores punire, tanquam hæreticum eum, qui negat conclusionem Theologicam?

RESpondetur: de hac re vide, quæ dicebam suprà *dubit.* 13. *sect.* 9.

SECTIO L.

An possint Inquisitores procedere contra Magistratum ipsorum mandatis non obedientem?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores possunt procedere contra Magistratum ipsorum mandatis non obedientem; quia sic faciendo Magistratus est de haresi suspectus, vt propterea possit apprehendi, & sua iurisdictione priuari.*

1 REspondetur affirmatiuè, quia Magistratus Inquisitorum mandatis non obediens, & eis auxiliū præstare recusans, est de hæresi suspectus, vt propterea possit apprehendi, & sua iurisdictione priuari. Quapropter tenetur sine mora Inquisitorum literas, & mandata exequi, eorumque Officium non impedire. Videatur textus *in cap. Ne aliqui*, §. *compescis*, *de haret. in* 6. Glossa *in c. vt Inquisitionis, eodem titulo*, Ioan. Andreas, & Franchus *ibidem*, Peña *in 3. part. direct. q.* 36. *comment.* 83. *vers. sed Canonista*, *& comment.* 85. *vers. sed paucis*, *& comment.* 88. *vers. Ergo*, Calder. *tract. de hares. rubr. de pæn. haretic. q.* 10. Vmbert. Locat. *in Indic. Inquisit. verb. Iudex, num.* 57. *&* 66. Rebuff. *tom.* 2. *ad leges Gallia, tit. de literis requisitoriis*, *n.* 20. Menoch. *de prasumpt. lib.* 1. *prasumpt.* 6. *n.* 31. Mendez de Castro *in praxi Lusitana, lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 36. Simaneh. *de cath. institut. tit.* 23. *n.* 9. *& tit.* 36. *n.* 3. Lucern. *Inquisit. verb. Impedientes, n.* 1. Bobadilla *in Politica, tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 17. *n.* 81. Azeued. *in recop. lib.* 4. *tit.* 1. *leg.* 15. *n.* 7. & Farin. *de heres. q.* 186. *n.* 161. *& seqq.* Videantur etiam quæ dicebam suprà *dubit.* 44. *in Addend. circa finem*, *& dub.* 46. *petit.* 18. & dicam infrà *dubit. sequenti, n.* 11. *& seqq.*

SECTIO LI.

An gaudeant Inquisitores fructibus præbendarum, & distributionibus? Vbi etiam an excusentur à residentia parochiali?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores gaudent fructibus Prabendarum, & distributionibus ex priuilegio quodam in fauorem fidei à Paulo III. & Pio V. ipsis concesso.*

2 *Item secundùm aliquos excusantur etiam à residentia Parochiali; secus tamen est secundùm sententiam probabiliorem.*

RESpondetur quoad primum affirmatiuè; quia habentur Inquisitores in suis præbendis, & dignitatibus pro præsentibus, & residentibus; sicque percipiunt integros fructus suarum Præbendarum simul cum distributionibus quotidianis, ex priuilegio quodam in fauorem fidei à Paulo III. & Pio V. ipsis concesso. Rojas *singul.* 96. *& de haret. part.* 2. *n.* 420. Garcias *de benefic. tom.* 1. *part.* 3. *c.* 2. *n.* 356. (vbi testatur, quod sic declarauerit Sacra Cardinalium Congregatio) Armendariz *in recopil. leg.* Nauar. *lib.* 2. *tit.* 23. *leg.* 2. §. 2. *n.* 7. & Ceuall. *in pract. commun. opinion. q.* 185. *n.* 12. 1

2 Videri etiam poterit Cenedus *in quast. Canonic. q.* 1. *num.* 28. & Spino *in specul. test am. gloss.* 3. *princip. n.* 78. Qui propterea subdunt, quod & excusentur etiam Inquisitores à residentia parochiali. Quamuis contrarium teneat Santarell. *var. disp. part.* 1. *q.* 11. *n.* 4. & Gonzalez *in Regul.* 8. *Cancel. glossa* 6. *n.* 265. *& gloss.* 13. *n.* 164. vbi sic testatur de praxi.

SECTIO LII.

An possint Inquisitores prohibere, ne filij hæreticorum exerceant Officia publica?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores possunt prohibere, ne filij hareticorum exerceant Officia publica; ij enim efficiuntur inhabiles ad Officia publica, putà Magistratus, Pratoriatus, Notariatus.*

2 *Inquisitores quotiescumque dubitatur quid veniat nomine Officij publici, à quo haretici, ipsorumque descendentes excluduntur, debent hoc explicare simul cum Episcopo.*

3 *Hareticorum filij multò magis sunt inhabiles ad recipiendum beneficia Ecclesiastica, itavt hanc inhabilitatem incurrant ipso iure, & collatio Beneficij ipsis facta sit irrita.*

4 *Hareticorum filij hanc inhabilitatem ipso iure incurrunt non solùm in ordine ad recipiendum beneficia Ecclesiastica, sed etiam in ordine ad recipiendum pensiones.*

5 *Hareticorum filij, & nepotes ad hoc vt incurrant pradictas pœnas irregularitatis, & inhabilitatis ad recipiendum beneficia Ecclesiastica, & pensiones, non requiritur sententia condemnans Parentes ipsos esse hareticos, sed satis est, si per euidentiam facti, vel per propriam confessionem Parentum in iudicio constet, eos fuisse hareticos, vel etiam fautores, defensores, aut receptatores hareticorum.*

6 *Hareticorum filij etiamsi ante Parentum haresim nati fuerint, non omninò improbabiliter incurrunt pradictas pœnas; quia pœna infamia, &c. imponitur filiis in punitionem, & odium Parentum, qua ratio aquè militat in natis ante haresim paternam.*

7 *Hareticorum eorum filij, qui licèt traditi fuerint curia*

sæculari

sæculari pænituerunt postea, & catholici mortui sunt, non omninò improbabiliter prædictas pœnas incurrunt: non enim dictus relapsus dici potest incorporatus Ecclesiæ, cùm ea ei deneget audientiam.

8 *Hæreticus dicitur reincorporatus Ecclesiæ, quando reincorporatur ei per solemnem, & iuridicam absolutionem, & admittitur ad iuridicè implendam pœnitentiam, & non traditur Brachio sæculari.*

9 *Non obstat, quod talis relapsus sit absolutus in Sacramento Confessionis, quia talis absolutio solùm valet quoad forum internum, vt scilicet possit recipere Sacramentum Eucharistiæ.*

10 *Pœnæ supradictæ locum habent etiam in filiis spuriis, & illegitimis, quia ij sunt verè filij, quales non sunt adoptiui.*

11 *Hæreticorum filij spontè reuelantes hæresim paternam ob laudabile factum in fauorem fidei, non incurrunt prædictas pœnas, etiamsi geniti fuerint post delictum parentum, & multo magis si ipsorum parentes non fuerint condemnati tanquam hæretici, sed solùm tanquam suspecti de hæresi.*

12 *Hæreticorum filij, neque priuantur beneficiis obtentis ante hæresim parentum, contra plures Doctores, quia id nullo Iure habetur; & pœnæ non sunt amplianda sed potiùs restringendæ; formula solita seruari in proferenda sententia contra hæreticos, & eorum filios non obstante, quia per eam Inquisitores non volunt aliquid certi definire.*

1 RESpondetur affirmatiuè, quia *ex cap. quicumque, & cap. statutum, de hæret. in 6.* filij hæreticorum efficiuntur inhabiles ad Officia publica, quales sunt v.g. Magistratus, Prætoriatus, Notariatus, &c. sic Doctores communiter, quos sequitur Suarez *de fide, disput. 24. sect. vltima, num. 6.* Videri etiam poterit instructio Vallisolet. *anni* 1488. *num.* 11.

2 Vbi aduerte, quod quotiescumque dubitatur, quid veniat nomine Officij publici, à quo hæretici, ipsorumque descendentes excluduntur, id explicare pertineat ad Inquisitores, vel ad Inquisitores simul cum Episcopo: vide Doctores, quos sequitur Peña *in direct. part. 3. comment. 8.* & Narbona *in recopil. lib. 4. tit. 1. leg. 20. gloss. 20. num.* 108.

3 Aduerte secundò, quod multò magis filij hæreticorum sint inhabiles ad recipiendum beneficia Ecclesiastica, ita vt hanc inhabilitatem incurrant ipso Iure, & collatio beneficij ipsis facta sit irrita, *cap. 2. de hæretic. in 6.* Et videri poterit præter alios Rojas *de hæretic. part. 2. num. 336. & seqq.* Peña *in direct. Inquisit. part. 3. comment. 63.* Simanch. *de Cathol. instit. tit. 9. & tit. 29.* & Ricciull. *de Iure person. lib. 5. cap. 29. num. 2.*

4 Aduerte tertiò, quod prædicti filij hanc inhabilitatem ipso Iure incurrant non solùm in ordine ad recipiendum beneficia Ecclesiastica; sed etiam in ordine ad recipiendum pensiones. Garzias *de benef. tom. 2. part. 11. cap. 10. §. 1. num. 74.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 38. num. 35.* & Ricciullus *vbi suprà.*

5 Aduerte quartò, quod ad hoc, vt filij, & nepotes etiam hæreticorum incurrant prædictas pœnas irregularitatis, & inhabilitatis ad recipiendum beneficia Ecclesiastica, & pensiones, non requiratur sententia condemnans parentes ipsorum esse hæreticos, sed satis sit, si vel per euidentiam facti, vel per propriam confessionem parentum in Iudicio constet, prædictos parentes fuisse hæreticos, vel etiam fautores, defensores, aut receptatores hæreticorum. Suarez *de censur. disput. 43. sect. 3. num. 2.* Sanchez *cit. lib. 2. moral. cap. 27. num. 28.* & Saytus *de censur. lib. 6. cap. 10. num. 40.*

6 Aduerte quintò, quod non omninò improbabiliter contra Doctores (quos citat, & sequitur Sanchez *cit. cap. 17. n. 14* & Torreblanc. *de magia, lib. 3. cap. 12. n. 48.* & sequitur Sayr. *suprà, dub. 176.*) prædictas pœnas incurrant prædicti filij hæreticorum, etiamsi ante parentum hæresim fuerint nati. Tolet. *lib. 1. cap. 69. num. 4.* Rojas *de hæret. part. 2. n. 336. & sing. 68. n. 3.* Peña *in director. part. 3. comment. 163.* Suarez *de fide, disp. 43. sect. 3. n. 2.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 13. post quæsitum 8. & tom. 2. lib. 6. cap. 4. quæsit. 3.* Barbosa *in collectan. tom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 15. n. 3.* & Ricciul. *de Iure person. lib. 5. cap. 30. num. 27.* (qui duo vltimi Doctores subdunt sic determinasse sacram Rotam Romanam in vna Conchen. Pensionis, die 6. Martij anno 1599. coram Peregrino) quia pœna infamiæ, si tamen forsan est (qua de re vide *suprà dub. 174. & 178. petit. 3.*) priuationis officiorum & beneficiorum, pensionum, &c. in casu nostro, imponitur filiis in punitionem parentum, vt parentes sic puniri à delicto remoueantur. Glossa in extrauag. vnica Ioannis XXII. *de pœnis, §. filij eius, vers. quomodolibet*, sicque in dicto casu nostro filij puniuntur in odium parentis, *l. quisquis, Cod. ad leg. Iuliam Maiest. c. 2. §. credentes, de hæret. in 6.* (cùm parens acriùs puniantur in filiis, quàm in seipsis, *l. isti quidem, ff. de eo quod met. caus.*) Sed istæ rationes militare videntur etiam in filiis hæreticorum natis ante hæresim parentum, quin multò magis (cùm multò magis parens affligatur videre filium adultum, sæpè etiam in dignitate, & in bonis constitutum, gradu & statu suo dejici, quàm filios infantes, vel nondum natos; præsertim quia contingere potest, quod parens post hæresim nullos ampliùs filios suscipiat:) ergo, &c.

Aduerte sextò, quod non omninò improbabiliter 7
etiam contra Toletum *lib. 1. cap. 69. n. 3.* Surdum *conclus. 346. n. 24.* Repert. Inquisit. *verb. filij, §. nunc*, Henriquez *lib. 14. cap. 5. n. 4.* & alios, quos citabam, & sequebar suprà *dub. 174. Coroll. 8. & dub. 175. Corollar. 1.* prædictas pœnas incurrant filij etiam eorum hæreticorum, qui licèt traditi fuerint Curiæ sæculari, pœnituerint postea, & catholici mortui sint, Peña *in direct. part. 3. quæst. 15.* Simanch. *de Cathol. instit. tit. 29. n. 17.* Decian. *in tract. crimin. lib. 5. cap. 45. num. 3.* Bursat. *lib. 3. cons. 289. num. 16. & 17.* Suarez *in 3. part. tom. 5. disp. 45. sect. 3. num. 4.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 13. quæst. 8. & tom. 2. lib. 6. cap. 4. quæst. 3.* Param. *de origin. Inquisit. lib. 3. q. 9. num. 209.* Riccinl. *de Iur. person. lib. 5. cap. 30. num. 32. & 33.* (vbi tamen ex Cantera pro nostra priori sententia fuisse decisum in Inquisitione Conchensi fatetur.) Auila *de censur. part. 7. disput. 4. dub. 1.* & alij, quia *ex cap. statutum* (quos suprà *dubit. 174. Corollar. 8. & dub. 175. Corollar. 1.* pro nostra priori sententia citabam) ne filij incurrant pœnas parentum hæreticorum, requiri videtur, quod pater fuerit emendatus, & quod prætereà reincorporatus Ecclesiæ; sed supradictus relapsus non potest dici reincorporatus Ecclesiæ, cùm ei deneget Ecclesia audientiam, *cap. super, eodem tit.* Et cùm hæreticus dicatur reincorporatus Ec- 8
clesiæ, quando reincorporatur ei per solemnem, & iuridicam absolutionem Ecclesiæ, & admittitur ad iuridicè implendam pœnitentiam, & non traditur brachio sæculari, sicuti docet præter alios Gemin. *in d. cap. statutum, n. 5.* Archidiac. *in cap. accusatus, eodem tit. n. 7.* Ergo, &c.

Neque obstat, quod talis relapsus sit absolutus in Sa- 9
cramento Confessionis, quia talis absolutio solùm valet quoad forum internum, vt scilicet possit recipere Sacramentum Eucharistiæ. Gloss. *in c. super eo, de hæret. in 6. verb. deneganda*, Paramus *cit. lib. 3. q. 9. n. 209.* Dec. *lib. 5. cap. 56. n. 7.* & Azorius *tom. 1. lib. 8. cap. 14. quæsit. 7.*

Aduerte septimò, quod pœnæ (quas suprà dicebam) 10
locum habeant etiam in filiis spuriis, & illegitimis. Ioan. Andr. *eodem. cap. statutum, n. 4.* Anchar. *n. 1.* Franch. *n. 4.* Geminian. *num. 4.* Surd. *cons. 286. in 6.* Suarez *de censuris, disp. 43. sect. 3. num. 11.* Menoch. *de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 33. numer. 11.* Graff. *in decis. lib. 2. cap. 11. n. 19.* Riccinl. *de iur. person. lib. 5. cap. 30.* & alij, quos citabam suprà *dubit. 178.* Quia filij spurij, & illegitimi sunt verè filij (quales non sunt adoptiui.) Quapropter prædictas pœnas non incurrunt, iuxta ea,

quæ dicebam suprà *dubitat.* 173. & ex alio capite non debent ob turpitudinem esse melioris conditionis, quàm sint alij filij veri, legitimi scilicet, & naturales.

11 Aduerte octauò, quod è contra prædictas pœnas ob laudabile factum in fauorem fidei, non incurrant filij spontè reuelantes hæresim Parentum, etiamsi prædicti filij fuerint geniti post delictum eorumdem Parentum, sicuti patet *ex cap. vt Inquisitionis, de hæretic. in* 6. Et tradunt Tabiena *verb. hæreticus, num.* 6. Armilla *verb. hæresis, num.* 5. Castrus *de hæretic. punit. lib.* 2. *cap.* 26. Peña *in director. part.* 2. *comment.* 15. Simaneh. *de Cathol. Instit. tit.* 29. *n.* 46. *&* 47. Rojas *singul.* 12. *n.* 5. & alij passim.

Quod multò magis dicendum erit, si ipsorum Parentes non fuerint condemnati tanquam hæretici, sed solùm tanquam suspecti de hæresi. Zanchin. *de hæretic. cap.* 28. *n.* 3. Vmbert. Locat. *in prax. Inquisit. verb. filij, n.* 4. Decian. *in tract. crim. lib.* 5. *c.* 45. *n.* 5. & alij communiter.

12 Aduerte nonò, quod similiter contra Geminianum *in cap. vt commissi, §. priuandi, de hæretic. in* 6. *num.* 4. & ibi Dominicum *num.* 4. Ioan. Monachum ante *num.* 1. Franchum *in cap. felicis, num.* 6. *de pœnis in* 6. Tabienam *verb. hæreticus, num.* 6. Graffium *in decis. lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 11. Gutierrez *in quæst. canonic. lib.* 2. *cap. vltim. num.* 38. Flaminium *de resignat. benefic. lib.* 3. *quæst.* 3. *num.* 34. Garziam *de beneficiis, tom.* 2. *part.* 11. *cap.* 10. *num.* 72. *&* 73. Peregrinum *de iur. fisc. lib.* 3. *tit.* 10. *n.* 2. Gundisaluum *de hæretic. quæst.* 23. *n.* 2. Decianum *in tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 20. *num.* 5. & *cap.* 45. *n.* 6. & alios, filij hæreticorum non priuentur beneficijs obtentis ante hæresim Parentum. Toletus *lib.* 1. *cap.* 69. *n.* 4. Ledesma *in summa, tom.* 2. *tract.* 1. *cap.* 6. *conclus.* 17. *difficult.* 2. Clarus *lib.* 5. *§. hæresis, num.* 6. Simanchas *de cathol. Institut. tit.* 29. *num.* 20. *& in Enchirid. tit.* 63. *n.* 9. Surdus *consil.* 386. *n.* 5. Ricciull. *de Iur. person. lib.* 3. *cap.* 26. *circa finem* (vbi sic Clementem VIII. consultis Sancti Officij Cardinalibus determinasse testatur.) Zechius *in summa, tom.* 1. *titul. de fide, cap.* 11. *num.* 16. Paramus *de origin. Inquisit. lib.* 3. *quæst.* 8. *num.* 203. *&* 204. Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 13. *quæsit.* 8. Suarez *de fide, disput.* 24. *sect.* 3. *num.* 5. & Hojeda *de incompatib. benefic. cap.* 13. *num.* 100. Videri etiam poterit Repertor. Inquisit. *verb. filij, vers. nunc quæritur,* Couarruu. *lib.* 2. *var. cap.* 8. *num.* 4. Peña *in director. part.* 3. *comment.* 163. Rojas *singul.* 24. *& singul.* 66. *num.* 3. Rebuff. *in prax. de mod. amittend. benefic. num.* 23. Azeued. *in recopilat. lib.* 8. *titul.* 3. *leg.* 1. *num.* 204. & Maiolus *de irregularit. lib.* 5. *cap.* 47. Quia quod filij hæreticorum priuentur beneficiis obtentis ante hæresim Parentum, nullo Iure habetur: Ergo huiusmodi pœna sine textu expresso non est imponenda; cum pœnæ non sint ampliandæ, sed potiùs restringendæ.

Non obstat, quod Inquisitores proferunt sententiam condemnantem hæreticos, ipsorumque filios, & efficientem eos inhabiles ad habendum, tenendum, & possidendum dignitates, beneficia, & Officia, tam Ecclesiastica, quam sæcularia: quæ verba aptè comprehendunt tam beneficia obtenta, quàm obtinenda.

Respondetur enim, vt alibi dicebam, Inquisitores vti tali formula ordinaria, in qua tamen nihil certi de hoc est alicubi statutum; ideoque per eam non volunt quidquam definire, sed discutiendum, & definiendum relinquunt Theologis, & iurisperitis.

At de pœnis filiorum, & nepotum, tam diuinæ, quàm humanæ læsæ Maiestatis crimen hominis committentis, vide quæ diffusè dicebam supra *dub.* 171. *vsque ad dub.* 178.

SECTIO LIII.

An possint Inquisitores verba, vel facta dubia interpretari in sensu bono?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores debent interpretari verba, vel facta dubia in sensu bono; quia in dubio quilibet præsumitur bonus.*

2 *Dicens, quod Deus est vnus, intelligendus est quoad naturam, non autem quoad personas. Et quod est trinus, quoad personas, non quoad naturam. Et quod Deus non faciat malum, intelligendus est de malo culpæ, non autem de malo pœnæ. Et quod sola fides sufficit, intelligendum erit de formata, non autem de informi.*

3 *Limitanisi contra proferentem verba dubia, vel facta dubia facientem militet aliqua sinistra suspicio, præsertim ratione qualitatis personæ, vt si v. g. sit de genere Maurorum, Hæreticorum, vel ex aliqua Prouincia infecta, quia tunc potiùs in dubio præsumi debet pro hæresi, & reus vrgente nimia suspicione potest torqueri.*

Respondetur iuxta ea (quæ dicam infrà *dubit.* 198. *sect.* 11. *in Corollariis, n.* 2. *& seqq.* loquendo de dubia testium depositione) affirmatiuè (nisi contrarium confiteatur reus, vt propterea ipsius intentio quoad hoc diligenter ab Inquisitoribus perquirenda sit) & tradunt Decian. *in tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 37. *n.* 6. *&* 47. Menoch. *lib.* 2. *consil.* 82. *num.* 10. Riminald. *consil.* 686. *num.* 6. *lib.* 4. Peña *in director. part.* 3. *comment.* 111. Albertin. *de agnoscend. quæst.* 34. *num.* 48. *&* 49. Rojas *de hæretic. part.* 1. *num.* 200. *& part.* 2. *n.* 164. *&* 165. & alij, quos citabo *dicta dubit.* 198. *sect.* 11. *in Corollariis, num.* 2. *& seqq.* Et ratio est, quia in dubio quilibet præsumitur bonus; & factum, præsertim delictum, non præsumitur, nisi demonstretur, vti diffusè probabam *in tract. de conscientia dubia, ex l.* 2. *de Probationibus; & aliis iuribus.* 1

Quapropter, si quis dixerit: Deus est vnus, intelligendus erit quoad naturam (quod est Catholicum) non autem quoad Personas (quod est hæreticum) item ob eandem rationem si quis dixerit: Deus est Trinus, intelligendus erit quoad personas, non autem quoad naturam. Item si dixerit: Deus non facit malum, intelligendus erit de malo culpæ (quæ est propositio Catholica) non autem de malo pœnæ (quæ est propositio hæretica) & è contra. Item si dixerit: Sola fides sufficit, intelligenda erit formata, seu cum operibus, non autem informis, seu sine operibus, & sic de aliis, &c. 2

Nisi contra eum, qui verba dubia dixerit, vel facta dubia fecerit, militet aliqua sinistra suspicio, præsertim ratione qualitatis personæ (vt si v. g. sit de genere Iudæorum, Maurorum, hæreticorum, vel ex aliqua Prouincia infecta) quia tunc potiùs in dubio præsumi debebit pro hæresi, adeò quod si nimis vrgeat suspicio, vel nimis vrgeant indicia, talis reus torqueri debeat; cum de ipsius Animæ salute tractetur, vt in tortura confiteatur, & Ecclesiæ reconcilietur. Videatur præter alios supra citatos Rojas *vbi suprà, n.* 205. *& n.* 375. Nauarr. *lib.* 5. *consil.* 6. *&* 7. *de hæret.* & Simanch. *de cathol. Instit. tit.* 54. *num.* 21. *&* 22. Videantur etiam omninò quæ dicam infrà *eadem dubit.* 198. *sect.* 11. *in Corollariis, n.* 2. *& sequentibus.* 3

SECTIO LIV.

An debeant inquisitores circa declarationem propositionum, vel actionum vocare qualificatores? Vbi etiam quid si ipsi Inquisitores sint Theologi?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores circa declarationem propositionum, vel actionum vocare debent qualificatores, iuxta regulam, Standum est Peritis in Arte.*

2 *Inquisitores si sint Theologi, poterunt per seipsos cognoscere, vtrum dictum, vel factum sapiat heresim, necne. Quamuis semper in praxi vocari soleant qualificatores.*

1 RESpondetur quoad primum affirmatiuè, iuxta Regulam quod standum sit Peritis in Arte, & docent communiter Doctores, quos sequitur Freytas *in Addition. ad tract. de Confessor. solicit. q. 5. n. 42.* & Rojas *de heret. part. 1. n. 204. & 384.* quatenus expressè ait, quod in exponendis verbis dubiis, & in agnoscendis factis, aut dictis Catholicis, vel suspectis, vel hæreticis, &c. vocandi sint Sacræ Theologiæ Periti (qui vulgò qualificatores vocantur) & eorum assertionibus omnimodam Inquisitores fidem habere debeant; quodque sic iam sit in vsu, & consuetudine diu receptum. Videri etiam poterit Martinus Delrio *in disquisit. magic. lib. 5. sect. 15. axiom. 1.* & Instructio Toletana anni 1561. *n. 1.*

2 Quod si Inquisitores sint Theologi, poterunt & ipsi Inquisitores etiam propter dictam rationem cognoscere, vtrùm dictum, vel factum sapiat hæresim, necne. Quamuis semper in praxi vocari soleant qualificatores iuxta supradictam instructionem Toletanam, & iuxta ea, quæ suprà dicebam.

SECTIO LV.

An possint inquisitores dispensare super irregularitate contracta ex delicto hæresis?

RESpondetur: de hac re vide suprà *dubitat. 72. num. 14.*

SECTIO LVI.

An possint inquisitores procedere contra blasphemantes?

RESpondetur: de hac re dicam infrà *dubit.* 218. *sect. 15. & in eius Corollariis, n. 1.*

SECTIO LVII.

An possint inquisitores sub obedientia præcipere Clero & Populo, quod in ipsorum sermonibus adsint?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores possunt sub obedientia precipere Clero, & Populo, vt in eorum sermonibus adsint.*

2 *Inquisitorum preceptum sub pœna Excommunicationis precipientium, vt omnes adeant Templum ad audiendum edictum fidei, obligat sub mortali, quia est ad exaltationem fidei, &c.*

RESpondetur (quamuis negent nonnulli cum Angelo *in sum. tom. 1. verb. Inquisitor, n. 9.*) Meliùs tamen etiam sub pœna Excommunicationis, affirment Rojas *de heret. part. 2. n. 425.* Simanch. *de cath. inst. tit. 34. n. 24.* Repertor. Inquisit. *verb. predicare, n. 2.* (vbi testatur de praxi, & consuetudine) & Alphonsus Narbona *in recopil. lib. 4. tit. 2. leg. 20. gloss. 22. n. 65.* & satis colligitur *ex cap. Vt commissi, de hereti. in 6.* ibi: *conuocandi etiam Clerum, & Populum.* Vnde à fortiori rectè deducit Aulla *de censur. part. 2. cap. 5. disput. 1. dub. 3.* 1

quod Inquisitorum præceptum sub pœna Excommunicationis præcipiens, vt omnes adeant Templum ad audiendum edictum fidei, obliget sub mortali; quia est ad exaltationem fidei, & ad finem, vt sciant homines, quæ sint ipsis Inquisitoribus denuncianda. 2

SECTIO LVIII.

An, & quomodò debeant Inquisitores examinare reum?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores debent primò interrogare reum de Genere suo, de Parentibus, de Natione, & Patria, de educatione, & disciplina, bonitate, prauitate, societate, amicitia, moribus, & verbis. An sciat, quare sit captus, an habeat suspectos aliquos, &c.*

2 *Inquisitores debent intra primos dies captura benignè suadere illi quod velit veritatem dicere, possuntque dum examinatur, humile sedile concedere, & hoc vt magis quietum animum habeat.*

3 *Inquisitores debent ad habendum indicia de statu ipsius inquirere ab ipso consueta catholica Religionis, quas deuotiones habeat, quando & cui confessus sit, si communicauerit, si Ecclesias frequentauerit, &c.*

RESpondetur cum Zanardo *in direct. Theolog. part. 3. cap. 87.* & aliis communiter; debent primò Inquisitores interrogare reum de Genere suo, de Parentibus, de Natione, & Patria, de educatione, & disciplina, de bonitate, & prauitate, de societate, & amicitia, de moribus, & verbis, an sciat quare sit captus, an habeat suspectos aliquos, & quos, & qua de causa, cætera superflua, & aliena prorsùs omittendo. 1

Secundò debent intra primos capturæ dies benignè suadere illi, quod velit veritatem dicere, possuntque, dum examinatur, humile sedile concedere, ad hoc vt magis quietum animum habeat. 2

Tertiò debent ad habenda indicia de statu ipsius inquirere ab ipso consueta Catholicæ Religionis, quas deuotiones habeat, quando, & cui confessus sit, si communicauerit, si Ecclesias frequentauerit, & quas preces soleat Ecclesia in præcipuis diebus fundere, & similia, quæ prout notissima, apud omnes Christianos sciuntur. Videatur etiam præter Zanardum *loc. suprà cit.* instructio Toletana anni 1561. num. 15. *& seq.* 3

SECTIO LIX.

An possint Inquisitores permittere, quod Iudices laici secum assistant in causis fidei?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores non possunt permittere, quod iudices laici secum assistant in causis fidei; quia laici*

de causis fidei nullo modo possunt cognoscere, seque intromittere, nisi habeant priuilegium Summi Pontificis, & tunc vt sint certi, quod iustè proceditur, non tamen vt dent votum in causa fidei.

1 RESpondetur negatiuè cum eodem Zanardo *in Director. Theolog. part. 1. pracept. 1. cap. 6. q. 29.* & aliis passim; quia Iudices laici de causis fidei (cùm omninò, vtpotè spirituales, sint extra sphæram, & iurisdictionem ipsorum) nullo modo possunt cognoscere, seque intromittere, nisi adsit priuilegium Summi Pontificis (vt in dominio Veneto) & tunc, non vt dent votum decisiuum in causa fidei, propter rationem dictam, sed solùm vt sint certi, quod iustè contra hæreticos proceditur.

SECTIO LX.

An possint Inquisitores procedere non solùm in hæreticas, sed etiam in alias inferioris notæ propositiones?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores possunt procedere non solùm in hæreticas, sed etiam in alias inferioris notæ propositiones.*

2 *Qualificandi, & censurandi propositiones qualis modus.*

3 *Episcopi licèt ex Concilio Tredentino procedere possint contra propositiones temerarias, scandalosas, & seditiosas, non tamen id possunt priuatiuè quoad Inquisitores, quia Concilium non adimit eis potestatem delegatam in easdem propositiones procedendi, cùm Episcopi procedant contra eas tanquam Ordinarij.*

1 RESpondetur affirmatiuè cum Lorca *in 2. 2. Sancti Thomæ, q. 11. art. 2. disp. 40. n. 1.* & aliis communiter & patet ex Concilio Constantiensi *sess.* 8. vbi damnantur errores Vviclephi sub hac forma verborum; [Præfatos Articulos Sancta Synodus sæpiùs examinari fecit, quibus examinatis, fuit repertum, aliquos, & plures ex ipsis fuisse, & esse notoriè hæreticos, & à Sanctis Patribus reprobatos; alios non catholicos, sed erroneos, & scandalosos, alios blasphemos, alios piarum aurium offensiuos, nonnullos eorum temerarios, & seditiosos.] Sub eadem forma verborum damnarunt etiam Pius V. Gregorius XIII. & Vrbanus VIII. propositiones Michaëlis Baij.

2 De modo autem qualificandi, seu censurandi propositiones vide quæ diffusè dicebam *1. p. Sancti Thomæ, disp. 1. q. 49.* Videri etiam poterit Canus *lib. 12. de locis, cap. 11.* Bannez *in 2. 2. quæst. 11. art. 2.* Castrus *lib. 1. de iusta hæretic. punit. cap. 3.* Valentia *tom. 3. disp. 1. q. 11. punct...* Zanard. *in direct. Theolog. part. 1. præcept. 1. c. 3. §. 26.* Albertinus *de agnoscend. q. 61.* Simanch. *de cath. Instit. tit. 54.* Corduba *in quæstionar. lib. 1. quæst. 17.* Param. *de origin. S. Inquisit. lib. 3. q. 3. num. 105. & seqq.* Suarez *de fide, disput. 19. sect. 2. num. 6. & 7.* Turrian. *tom. 1. in 2. 2. disp. 55. dub. 3.* Conioch *de actibus supernatural. disp. 18. dub. 8. num. 136. & seqq.* Tanner. *tom. 3. disput. 1. q. 8. dub. 5. num. 97.* Turrecremat. *lib. 4. part. 2. cap. 11.* & Ricciul. *tract. de Iur. person. lib. 5. cap. 8.*

3 Cæterùm, quamuis Concilium Tridentinum sæpè dicat, quod Episcopi contra prædictas propositiones procedant, temerarias (quæ scilicèt sunt contra communem Patrum, vel Ecclesiæ opinionem, vt v. g. contra Durandum, quod Deus, tanquam causa prima non concurrat immediatè, sed solùm mediatè cum causis secundis, vel quod B. Virgo non sit in Cœlum assumpta simul cum corpore) scandalosas (quæ scilicet licèt possint habere bonum sensum, generant tamen scandalum) seditiosas (quæ scilicet generant seditionem, vel schisma) & alias supradictas: Per hoc tamen Concilium non adimit Inquisitoribus potestatem in easdem propositiones procedendi delegatam; quia delegatus est maior Ordinario, & Concilium sic dixit propter duo. Primum, quia vbique sunt Episcopi, in multis autem locis non sunt Inquisitores, & ideò voluit hoc Episcopis proponere, vt ipsi sciant quod vbi non sunt Inquisitores, ad ipsosmet pertineat contra tales propositiones procedere: secundum, quia Episcopi contra dictas propositiones procedunt tanquam Ordinarij, Inquisitores autem tanquam delegati, & causæ fidei ab ambobus communiter definiuntur; & ideo (cùm tales causæ spectent ad fidem, quia ex inordinatis propositionibus incurritur hæresis) loquens Concilium de Episcopis, intelligitur etiam esse loquutum de Inquisitoribus.

SECTIO LXI.

An possint Inquisitores procedere contra Confessarium tempore Iubilæi, si non expressè excipiatur hæresis, absoluentem in foro conscientiæ ab hæresi.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores non possunt procedere contra Confessarium absoluentem in foro conscientiæ ab hæresi tempore Iubilæi, si expressè ea non excipiatur; quia in dicta causa absoluit ab hæresi ex opinione omnino improbabili, contra aliquos Doctores.*

2 *Inquisitores consueuisse punire Confessarium sic absoluentem, non constat, & de Iure non procedit.*

RESpondetur (quamuis ex Couarruuia affirmet Vasquez *in 3. p. tom. 4 tract. de excomm. dub. 19. num. 15. & 26.* & Homobon. *in consultationib. moral. vol. 1. part. 4. respons. 19.*) Meliùs tamen negent alij, quia Confessarius in dicto casu absoluit ab hæresi ex opinione non omninò improbabili: Ergo puniri non debet ab Inquisitoribus. Antecedens patet ex iis quæ dicebam suprà *dub. 59.* Consequentia probatur, quia res quæ culpa caret, in damnum vocari non debet, *c. 2. de constit.* Et nemo puniri debet sine culpa; cùm nemo sit dignus pœna, nisi propter culpam, *c. satis peruersum, dist. 56. c. inuentum, 16. q. 7. & l. si putatur, ff. ad leg. Aquil.* 1

Quapropter rectè dixit Molfesius *in summa, tom. 1. tract. 7. c. 21. n. 63.* Quod autem quidam dicunt, Inquisitores punire consueuisse Confessarium sic absoluentem, non constat, & de Iure non procedit. 2

SECTIO LXII.

An possint Inquisitores procedere contra Confessarium dicentem Pœnitenti, quod ipsi reuelet complicem, aliàs non possit, neque velit eum absoluere?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores non possunt procedere contra Confessarium dicentem Pœnitenti, quod ipsi reuelet complicem, aliàs se non posse, neque velle ipsum absoluere; quia controuersum est inter Doctores, an reuelare complicem in confessione Sacramentali, sit proximum infamare, contra alios oppositum asserentes.*

RESpondetur, quamuis affirment Medina *in summa, lib. 2. cap. 4. §. 6.* & Lopez *in instructione Confessor. part. 1. cap. 27. §.* condemnamus quoque; quapropter & putant talem Confessarium Inquisitoribus esse denuncian- 1

denunciandum, quià hæresis est asserere, quod pœnitens teneatur talem circumstantiam confiteri: Nam sequeretur exinde non esse illicitum, proximum infamare.) Meliùs tamen neget Coriolanus *tract. de casib. reseruat. part. 1. sect. 3. art. 9. n. 3.* & Villalob *in summa, tom. 1. tract. 9. difficult. 39. num. 9.* Quia licèt sit hæresis asserere, non esse illicitum proximum infamare, tamen controuersia inter Doctores est, an reuelare Complicem in confessione sacramentali sit proximum infamare.

SECTIO LXIII.

An possint Inquisitores procedere contra confessarium frangentem sigillum confessionis?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores non possunt procedere contra confessarium frangentem sigillum confessionis, contra aliquos DD.*
2 *Excipe nisi habeat errorem in intellectu.*

1 REspondetur (quamuis affirment nonnulli, quos sequitur Alphons. de Leone *de Offic. confessar. tom. 1. recollect. 22. num. 12. cas. 3.*) Meliùs tamen negent alij, ita vt iuxta Textum *in cap. omnis vtriusque sexus, de pœnit.* solùm debeat deponi ad Officio sacerdotali, & detrudi in arctum Monasterium ad agendam pœnitentiam: Quæ duo requirunt etiam adhuc Iudicis sententiam. Conioch. *de sacram. disp. 9. dub. 4. n. 70.* Et videri etiam poterunt Menoch. *de arb. lib. 2. centur. 5. cas. 414.* & Barbosa *in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 38. c. 12. n. 15.*

2 Excipe, nisi prædictus confessarius habeat errorem in intellectu, iudicando v.g. non esse illicitum frangere sigillum, vel aliter malè sentiendo de Sacramentis Ecclesiæ, vel si sit solitus frangere sigillum; quia tunc vltrò concedo, quod possint Inquisitores procedere contra talem confessarium; cùm tunc in primo, & secundo casu adsit hæresis, & in tertio suspicio hæresis.

SECTIO LXIV.

An possint Inquisitores procedere contra communicantem in maioribus, vel pluribus Hostiis.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores possunt procedere contra communicantem in maioribus, vel pluribus hostiis, ad hoc vt diutiùs corpus Christi duret in stomacho, quia contra Caietanum, & Canum Eucharistia non causat gratiam toto tempore, quo est in stomacho, neque toto tempore, quo manducatur, aliàs esset melioris conditionis qui communicat sub vtraque specie, quàm sub vna tantùm.*

1 RExpondetur affirmatiuè ex sententia nonnullorum, quos sequitur Fernandez *in disp. Theolog. de Sacrament. tit. de Eucharistia, disp. 2. part. 1. dub. vnico, n. 1.* & Ioan. de la Cruz *in Direct. conscient. part. 2. de Sacrament. Eucharistiæ, q. 4. conclus. 2.* Quatenus ait: Ex dictis patet contra Caietanum, & Canum, quod Eucharistia non causet gratiam toto tempore, quo est in stomacho, sicuti neque toto tempore quo manducatur; aliàs esset melioris conditionis, non solùm qui communicat in speciebus Panis, & Vini simul, sed etiam qui communicat sub maioribus, vel pluribus hostiis, aut manducat diutiùs, aut stomachum habet debiliorem: quod est falsum, & punitur per Inquisitores, tanquam suspectus, qui multùm solicitus est communicare sub maioribus, vel pluribus hostiis, ad hoc vt diutiùs Corpus Christi duret in stomacho.

SECTIO LXV.

An possint Inquisitores procedere contra dicentem, quod ex priuilegio confessi Religiosis ab Episcopo approbatis, iterum posteà teneantur debito tempore eadem peccata confiteri suis Parochis, vt adimpleant præceptum Innocentij III. *in cap. omnis vtriusque sexus?*

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores possunt procedere contra dicentem, quod ex priuilegio confessi Religiosis ab Episcopo approbatis, iterum posteà teneantur debito tempore eadem peccata confiteri suis Parochis, vt adimpleant præceptum Innocentij III.* in cap. Omnis vtriusque sexus, de pœn. *post extrauagantem Ioannis XXII. quæ incipit,* Vas electionis, *opinio contraria Canonistarum non est ampliùs tenenda.*

1 REspondetur affirmatiuè. Miranda *in Manual. Prælat. tom. 1. q. 45. art. 3.* Zanard. *in direct. Theol. part. 1. de Sacram. pœn. c. 24.* Alph. de Leone *in tract. de Offic. & potest. confess. tom. 2. recollect. 10. n. 101.* Ioan. de la Cruz *de stat. Relig. lib. 2. c. 6. dub. 1. concl. 3.* Pereg. *in compend. Priuileg. tom. 1. verb. communic. §. 11.* & Naldus *in summa, verb. Confessarius, n. 19.* Quia (sicuti testatur Miranda loco suprà citato, & constat ex quadam extrauaganti, quæ incipit *Vas electionis*) quidam qui pertinaciùs supradictam opinionem tenebat, anno 1322. per Ioannem XXII. vocatus Romam compulsus fuit suum errorem reuocare. Tùm quia (sicuti notat Ioan. de la Cruz *vbi suprà*) Sixtus IV. commisit Inquisitoribus hereticæ prauitatis tale delictum punire: Quapropter opinio prædicta (quam priùs tenuerant Henricus de Gandauo, Hostiensis, Archidiaconus, Ioan. Monachus, & alij, quos refert Adrianus *in 4. q. 5. de confessione*) non est ampliùs tenenda.

SECTIO LXVI.

An possint Inquisitores procedere contra prædicantem, quod Animæ defunctorum non detineantur in Purgatorio vltra decem, vel viginti annos?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores possunt procedere contra Prædicantem, quod animæ defunctorum non detineantur in Purgatorio vltra x. vel xx. annos; quia licèt ea opinio fuerit nonnullorum grauium Theologorum, & alioquin videtur incerta, & voluntaria, est nunc periculosa, & erronea.*
2 *Item est contra mentem, & morem Ecclesiæ, quæ pro defunctis, & pro certa anima celebrat Anniuersaria.*
3 *Item retrahit fideles ab operibus satisfactoriis, & Missis offerendis pro defunctis.*
4 *Item quidam Prædicator, qui talem sententiam prædicauerat, compulsus est se retractare.*
5 *Item quidam Innocentius Papa ex Surio detinendus est in Purgatorio vsque ad diem Iudicij.*

F 3 6 *Item*

6 *Item mirus videri non debet rigor Dei, si ab anima etiam iustu exigat longas pœnas.*

1 SVpposito, quod hanc opinionem tenuerint Sotus *in 4. dist. 19. quæst. 3. art. 2.* Conradus *in Respons. cas. conscient. tom. 1. q. 118.* Ioan. de la Cruz *in Director. conscientia, part. 2. de Sacram. Pœnit. quæst. de Indulgentiis, dub. 2. conclus. 3.* & Viuoldus *in candelabro aureo iussu superiorum emendato, tit. 10. de Purgatorio, n. 16.* subdens etiamsi nulla esset Indulgentia, propter immensam Dei misericordiam, & propter tormentorum (quæ longè superant tormenta huius vitæ) grauitatem, & acerbitatem circa animas iustas; contrariam tamen sententiam tenent Bellarmin. *de Purgatorio, lib. 2. cap. 9.* Conineh *de Sacrament. disp. 11. dub. 4. n. 38.* Molfes. *in summa, tom. 1. tract. 1. cap. 26. n. 110.* Loriehius *in Thesauro, verb. Purgatorium, num. 8.* & alij communiter. Difficultas igitur est, an prior sententia Soti, & aliorum censuram aliquam mereatur. His suppositis.

Respondetur (quamuis Suarez *in 3. part. tom. 4. disp. 46. sect. 4. n. 6.* & quidam alij negent, quatenus aiunt, priorem sententiam Soti, & aliorum esse tantùm incertam, & voluntariam) Probabilius tamen affirmant Naldus *in summa, verb. anima, n. 2.* (quatenus priorem sententiam Soti, & aliorum vocat periculosam, & erroneam) & Henriquez *lib. 7. cap. 16. n. 4.* (quatenus dictam priorem sententiam Soti, & aliorum vocat temerariam.

2 Probatur, quia dicta prior sententia Soti, & aliorum est contra mentem, & morem Ecclesiæ, quæ pro defunctis, & pro certa anima celebrat Anniuersaria, Missas, & Officia vltrà viginti annos: quapropter videtur esse sententia temeraria.

3 Secundò, quia retrahit fideles ab operibus satisfactoriis, & Missis offerendis pro defunctis. Quapropter videtur etiam quodammodo impia.

4 Tertiò, quia (sicut testatur Henriquez *loco suprà cit.*) de facto quidam insignis Prædicator, qui talem sententiam prædicauerat, compulsus est à sanctæ Inquisitionis Senatu se retractare.

5 Quartò, quia (sicuti notat ex Surio idem Henriquez in Glossa *litera L.*) de facto quidam Innocentius Papa detinendus est in Purgatorio vsque ad diem Iudicij.

6 Quintò ratione; quia mirus videri non debet rigor Dei, si ab anima, etiam iusta, quæ propriè non satisfacit, sed satispatitur, exigat longas pœnas, sicuti pro vno mortali exigit æternas. Vt omittam, quod anima, quæ satispatitur in Purgatorio, purgetur ad summum bonum, ad summa præmia gaudiorum, ad Beatitudinem æternam, vti summa, & quàm maxima purgatio conuenit.

SECTIO LXVII.

An possint Inquisitores procedere contra lacerantem, seu deturpantem cedulones, in quibus aliquis declaratur excommunicatus.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores possunt procedere contra lacerantes cedulones, in quibus aliquis declaratur excommunicatus, quia tales lacerantes præsumuntur suspecti de hæresi.*

1 REspondetur affirmatiuè: vide Doctores communiter, quos sequitur Homobon. *in consult. moral. part. 4. respons. 16. vol. 1.* Quia iste talis præsumitur suspectus de hæresi, sicque de facto occasione casus contingentis in Curia Archiepiscopali Salernitana fuit Romæ decisum.

SECTIO LXVIII.

An possint Inquisitores indicere abiurationem de vehementi, & punire, tanquam credentem hæreticorum eum, qui bis hæreticorum concionibus, seu conuenticulis adsistit.

REspondetur: de hac re vide suprà *dubit. 154. Petitione 3. in Corollario.*

SECTIO LXIX.

An possint Inquisitores reum pro quibuscumque delictis; etiam grauissimis, carceri inclusum apud Iudices sæculares, petere ab illis ob negotium fidei, & illi teneantur transmittere?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores possunt petere reum pro quibuscumque delictis etiam grauissimis carceri inclusum apud iudices sæculares, ob negotium fidei, & illi tenentur transmittere.*

2 *Excipe, nisi reus dolosè se gesserit, vt si quis v.g. nunquam priùs de hæresi suspectus, postea damnatus ad mortem aliquid hæreticale faciat, vel dicat, vt eo prætextu mors ipsius differatur, quia tunc non erit transmittendus ad inquisitores.*

REspondetur affirmatiuè ex Constitutione Pij V. 1 qua de re Peña *in addit. ad tract. de strygis*, Simano. *in fine tract. de Cathol. Instit.* Et videri etiam poterit Ioseph. Sesse *de Inhibitione, c. 30. n. 52. & 53.* Et ratio est, quia causa fidei est in superiore ordine ad quascumque alias causas, ita vt eis omnibus anteferri debeat.

Excipe, nisi Reus dolosè se gesserit, vt si quis v.g. 2 nunquam priùs de hæresi suspectus, posteà damnatus ad mortem aliquid hæreticale faciat, vel dicat, vt eo prætextu mors ipsius differatur; quia tunc transmittendus ad Inquisitores non erit, cùm dolus, vel fraus nemini patrocinari debeat. Rojas *singular. 107. n. 5.* & alij passim.

SECTIO LXX.

An possint inquisitores procedere contra superstitiosum?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores possunt procedere contra superstitiosum, & contra sacrilegos, contra facientem Breuia cum characteribus, seu literis ignotis, contra dicentem quasdam orationes ad sanandum infirmum ex quadam credulitate, fabricantem imagines cereas, facientem maleficia cum capillis, &c.*

2 *Bulla Sixti V. contra sortilegos in fauorem iurisdictionis Inquisitorum tribuit Inquisitoribus facultatem nedum procedendi contra aliàs superstitiones, sed etiam contra diuinationes, cumulatiuè tamen cum Episcopis.*

3 *Inquisitores iure dicta Bulla Sixti V. possunt, & tenentur se intromittere circa superstitiones saltem hæresim sapientes, etiam non manifestè.*

4 *Superstitiones puræ, quæ scilicet nullo modo hæresim sapiunt,*

piunt, non pertinent ad Inquisitores, etiam per Bullam prædictam Sixti V.

5 *Incantationum, sortilegiorum, &c. cognitio in terminis eiusdem Bullæ Sixti V. non pertinet ad Inquisitores priuatiuè quoad Ordinarios; quia in dubio semper est euitanda Iuris correctio, & Bulla præfata est odiosa Ordinariis.*

6 *Episcopi possunt cognoscere causas superstitionum, incantationum, veneficiorum, & blasphemiarum, & si non sapiant manifestè hæresim, absque interuentu Inquisitorum illas decidere, definire, & terminare.*

1 RESpondetur affirmatiuè ex Bulla Sixti V. contra sortilegos, & docent Doctores communiter, quos citat, & sequitur Riccius in *Praxi, tom. 1. resol. 423.* v.g. possunt procedere contra facientem breuia cum characteribus, seu literis ignotis; Item contra dicentem quasdam orationes (etiam remota omni circumstantia vana, si eas dicat ex certa credulitate, secùs si dicat ex deuotione ad piè impetrandum, quamuis cum quadam fide, & credulitate) pro sanandis infirmis; Item contra fabricantem imagines cereas cum quibusdam puncturis ad amorem, odium, vel infirmitatem inducendam. Item contra facientem maleficia cum capillis, clauis, lapidibus, vel ferramentis, quæ posteà euomentur ab ore maleficiati: Item contra aspicientem speculum, vel phialam cum candela, & aqua benedicta, & dicentem aliqua verba pro reperiendis furtis, vel pro sciendis secretis: Item contra spretorem campanarum, vt quidam olim, qui nocte Sabathi sancti abstulit malleolos à quibusdam campanis, illos suspendendo in arbore nucis; cùm spretio, despectio, seu contemptus campanarum sit vnus de erroribus Saracenorum, seu Turcarum. Vide quæ diffusè dicam *infrà dubit. 219. per totum, & dubit. 227. & seqq. vsque ad 230. exclusiuè.*

2 Et circa Bullam Sixti V. contra sortilegos in fauorem Iurisdictionis Inquisitorum prædictam aduerte cum Doctoribus (quos sequitur Emanuel de Moura *opusc. de Ensalm. & Incantationib. sect. 3, cap. 1. num. 47.* contra Sanchez *lib. 2. moral. cap. 38. num. 92.* & alios) quod minùs verum sit, Bullam prædictam Sixti V. non tribuere Inquisitoribus iurisdictionem super alias superstitiones, quàm super diuinationes; quia ea intelligi potest, quod committat talem iurisdictionem Inquisitoribus, & Ordinariis cumulatiuè, simultaneè tamen more aliorum delictorum, de quibus Inquisitores cognoscunt; cùm illa verba: *tam, & quam,* talem sensum patiantur.

3 Aduerte 2. quod spectato Iure dictæ Bullæ Sixti V. possint, & teneantur Inquisitores se intromittere circa superstitiones, saltem hæresim sapientes, etiam non manifestè, sicuti patet ex verbis eiusdem Bullæ, per quæ verba submittuntur ipsis Inquisitoribus omnes Incantationes, & similes superstitiones. Quod saltem intelligendum est de superstitionibus hæresim sapientibus, etiam non manifestè (quidquid in contrarium sentire videatur Suarez *de Religione, tom. 1. lib. 5. cap. vltimo, n. 12.*) cùm Pontifex addat: *Etiamsi in plerisque his casibus procedere* (scilicet Inquisitores) *non valebant, &c.* Valebant autem in omnibus hæresim sapientibus manifestè: Ergo, &c.

4 Quod si sint superstitiones puræ, quæ scilicet nullo modo hæresim sapiant, tunc concedo cum Suarez, & aliis, eas non pertinere ad Inquisitores (etiam per Bullam Sixti V. prædictam) licèt hæ rarissimæ sint.

5 Aduerte 3. quod in terminis eiusdem Bullæ Sixti V. non spectet ad Inquisitores, incantionum, sortilegiorum, &c. cognitio priuatiuè ad Ordinarios; quia in dubio semper est euitanda iuris correctio. Tum quia Bulla Sixti V. est odiosa Ordinariis; Ergo iurisdictio per dictam Bullam Sixti V. Inquisitoribus concessa est restringenda ad cumulatiuam iurisdictionem. Vide quæ diffusè dicebam suprà *sect. 20.*

Vide etiam Iosn. Franciscum Leo *in libro de Sortileg. cap. 8.* vbi expressè ait, quod ex Constitutione Sixti V. contra sortilegos possunt quidem Inquisitores cognoscere de sortilegiis, non tamen priuatiuè quoad Episcopos, imò possunt Episcopi causas superstitionum, incantationum, veneficiorum, & blasphemiarum cognoscere, & si non sapiant manifestè hæresim, absque interuentu Inquisitorum illas decidere, definire, & terminare, per textum *in cap. Accusatus, de hæretic. in 6;* sicque censuit sacra generalis Congregatio Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis, die 21. Decemb. 1602. licèt enim per dictam Constitutionem Sixti V. fuerit Inquisitoribus collata iurisdictio cognoscendi de causis sortilegiorum, superstitionum, veneficiorum, & incantationum (etiam quod alias de istis criminibus non cognoscerent) non tamen per hoc restricta fuit Ordinariis facultas, quin liberè possint in causis prædictis, vt priùs (dummodò manifestè hæresim non sapiant) procedere; cùm id ex Iuris communis dispositione illis competat. 6

SECTIO LXXI.

An possint Inquisitores per illa verba in cap. Accusatus: *Non se intromittant, sed relinquant suis iudicibus puniendos:* relinquere reum simpliciter, & non remittere illum iudicibus, vt ab illis puniatur?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores possunt per illa verba in cap. Accusatus,* non se intromittant, sed relinquant suis Iudicibus puniendos, *relinquere reum simpliciter, & non remittere illum iudicibus, vt ab illis puniatur.*

2 *Iudex ad quem punitio spectabit, poterit, & tenebitur causæ cognitionem assumere, & constito ipsi, quod Tribunal sancti Officij propterea tantùm reum dimiserit, poterit procedere contra illum.*

3 *Sortilegium committentis punitio regulariter pertinet ad Inquisitores; quia vix non miscet, vel credit aliquid sapiens hæresim.*

RESpondetur affirmatiuè, quia dicta verba *in dicto cap. Accusatus,* faciunt sensum, vt si prima facie non appareat in sortilegio suspicio hæresis, non possint Inquisitores causā cognoscere, sed teneantur relinquere rem intactam aliis Iudicibus, si verò prima facie suspicio hæresis apparuerit; & posteà præuio examine inuentum fuerit, talem suspicionem hæresis non subesse, tenentur dimittere reum impunitum, quantumuis constet ipsis de delicto; sicuti quando propter blasphemiam, quæ videbatur hæreticalis, reus capitur, & posteà præuio examine reperitur blasphemasse quidem, sed non hæreticaliter, tenentur reum dimittere, non quidem remittendo illum ad alios Iudices, vt illum puniant pro tali delicto, sed illum relinquendo simpliciter, iuxta prædictum verbum *relinquant,* idest, dimittant, & non impediant. 1

Iudex tamen, ad quem punitio spectauerit, poterit, & tenebitur causæ cognitionem assumere; & constito ipsi, quod Tribunal sancti Officij propterea tantùm reum dimiserit, quia delictum non qualificabatur suspicione hæresis, poterit procedere contra reum illum. 2

Cæterùm, quia vix qui sortilegium committit, non miscet vel credit aliquid sapiens hæresim, regulariter illius punitio pertinet de Iure ad Inquisitores, quorum etiam de Iure nouo per dictam Bullam Sixti V. contra sortilegos iurisdictio magis in hoc ampliatur, sicuti dicebam *sect. præcedent.* 3

SECTIO LXXII.

An possint Inquisitores in dubio, vtrum sortilegium sapiat hæresim, manifestè se intromittere?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores, si loquamur de Iure nouo, possunt in dubio, vtrum sortilegium sapiat hæresim manifestè, se intromittere, contra nonnullos; quia Iudex etiam delegatus cognoscit an sua sit iurisdictio, &c.*

1 RESpondetur affirmatiuè, si loquamur de Iure nouo Bullæ Sixti V. contra sortilegos, sicuti patet ex dictis suprà *sect.* 70. & 71. si verò loquamur de Iure antiquo *per cap. accusatus, §. sanè, de hæretic. in 6.* (quamuis negent cum Glossa ibi nonnulli Doctores, quos refert Barbosa *in collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 8. n. 24.*) Probabilius tamen affirmant adhuc Simanch. *de cathol. Institut. tit. 40. n. 2.* & Rodericus Acuña *in tract. de confessar. sollicit. q. 5. n. 13.* quia Iudex, etiam delegatus cognoscit, an sua sit iurisdictio. Tum quia, si contraria aduersariorum opinio esset vera, sequeretur quod Inquisitorum cognitio facilè subuerti posset, asserente quolibet, sortilegia, incantationes, vel diuinationes, &c. non sapere hæresim manifestè; Dicendum igitur est, quod in dubio, an sortilegia, incantationes, vel diuinationes, &c. sapiant hæresim manifestè, possint Inquisitores se intromittere ad cognoscendum, an sapiant hæresim manifestè.

SECTIO LXXIII.

An possint, & debeant Inquisitores interrogare testem, vtrum sit de genere Saracenorum, vel Iudæorum, &c.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores possunt, & debent interrogare testem, vtrum sit de genere Saracenorum, vel Iudaeorum, &c. contra nonnullos negantes ex eo, quod nemo teneatur detegere turpitudinem suam. Quod quidem non refragatur; quia quando agitur de fide contra descendentem ex Saracenis, vel Iudæis est maxima præsumptio.*

1 RESpondetur (quamuis negent nonnulli, quia nemo teneatur detegere turpitudinem suam, sicque loquens de testibus notauit Bartolus *in l. 1. ff. de offic. assessor.* & Felin. *in cap. cùm causam, de testibus, num. 44.* vbi testatur de communi) probabilius tamen in crimine hæresis in fauorem fidei affirmant alij, quos sequitur Cantera *in quæst. crimin. cap. 2. de ver. confessionib. num. 41.* vbi testatur de praxi.

Probatur; quia quando agitur de fide, contra descendentem ex Saracenis, vel Iudæis, &c. est maxima præsumptio, quod (cùm sit de tali genere) non dicat veritatem contra eos, qui sunt de eodem Genere, sicuti experientia docet. Vide textum *in cap. quia verisimile, de præsumpt.* & quæ ibi tradunt Doctores.

SECTIO LXXIV.

An possint Inquisitores ad instantiam fiscalis recipere testem ad perpetuam rei memoriam, vt posteà, si dictus testis fuerit absens, vel missus ad triremes, &c. Faciat fidem contra reum ad capturam, torturam, & reliqua?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores possunt ad instantiam fiscalis recipere testem ad perpetuam rei memoriam, vt postea si dictus testis fuerit absens, vel missus ad triremes, &c. Faciat fidem contra reum ad capturam, torturam, & reliqua, contra nonnullos negantes: at probabilius est oppositum in fauorem fidei, præsertim si testis deposuisset verisimile.*

RESpondetur, quamvis negent nonnulli, ex Glossa 3. *in cap. quoniam frequenter, vt lit. contest.* vbi ea declarans textum, scilicet (vt ibi dicitur) posse recipi testem ad perpetuam rei memoriam, etiam lite non contestata, ait id intelligi debere in causis ciuilibus, non autem in criminalibus: vnde infertur, quod testis receptus in iudicio summario non faciat fidem in iudicio plenario, si simus in criminalibus, etiam exceptis, eo quòd sit receptus ante litem contestatam, iuxta etiam doctrinam Bartoli *in l. finali, ff. de quæst.* Felin. *in cap. 2. de testibus, & aliorum.* Probabiliùs tamen in crimine hæresis in fauorem fidei (si dictus testis deposuerit verisimilia, & dederit rationem sui dicti, præsertim si, licet minima, præsumptio sit contra reum) affirmant alij, quos sequitur Cantera *in quæst. crim. cap. 2. de probat. per testes, quæst. 1. n. 46.* vbi subdit, sic aliquando fuisse practicatum, & resolutum *per cap. in fidei fauorem, de heret. in 6.* si scilicet dictus testis deposuisset verisimilia, & dedisset rationem sui dicti, præsertim si, licèt minima, præsumptio sit contra reum (vti suprà dicebam) qua de re vide etiam infrà *dub. 198. sect. 10. & 11.* 1

SECTIO LXXV.

An possint Inquisitores ex indiciis, & præsumptionibus indubitatis punire reum pœna ordinaria?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores possunt punire reum ex indiciis, & præsumptionibus indubitatis pœna ordinaria, quamvis negent Doctores communiter ex doctrina Angeli, Innocentij, & aliorum docentium in tali casu quempiam non affici pœna ordinaria delicti: at oppositum non est omninò improbabile ob fauorem fidei, cum quis fecerit exempli gratiâ aliquam ceremoniam Saracenorum, vel Iudaeorum, ex qua resultat indicium, & præsumptio indubitata, &c.*

RESpondetur (quamvis negent Doctores communiter ex doctrina Angel. *in l. 2. de furtis*, Innocentij *in cap. quia verisimile, de præsumpt.* Ananiæ *consil. 59. col. 2.* & aliorum docentium, quod quando quis condemnatur ex indiciis, & præsumptionibus, non afficiatur in criminalibus pœna delicti ordinaria, iuxta ea quæ dicam infrà *dubit. 198. sect. 20. corollar. 5.*) non omninò improbabiliter tamen in crimine hæresis in fauorem fidei affirmant nonnulli, quos sequitur Cantera *in quæst. crim. cap. 2. de probat. per testes, quæst. 1. num. 60.* 1

n.60. v.g. si quis fecerit aliquam ceremoniam Saracenorum, vel Iudæorum, &c. cùm sit de genere eorum; quia resultat eainde indiciũ, & præsumptio indubitata, quod illam ceremoniam fecerit propter obseruationem illius legis, vel sectæ; sicque fit, quod si fuerit negatiuus pertinax, pœna hæresis ordinaria afficiatur, per textum *in cap. Ad abolendam, de heret.*

SECTIO LXXVI.

An possint Inquisitores cognoscere ensalmos, & punire ensalmatores?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores possunt saltem cumulatiuè cum Episcopis cognoscere ensalmos, & punire ensalmatores, etiam quando manifestè non sapiunt heresim, stante Constitutione Sixti V. contra sortilegos.*

2 *Ensalmorum delictum minùs rectè dictum fuisse per aliquos esse mixti fori respectu Iudicis secularis, etiam quando manifestè saperet heresim.*

1 RESpondetur affirmatiuè, saltèm cumulatiuè ad Episcopos, etiam quando manifeste non sapiunt hæresim, stante Constitutione Sixti V. contra sortilegos, & stante responsione Pauli V. qui de hac re consultus respondit per hæc verba: *Seruetur ius commune;* & docet (quod est iuxta ea, quæ dicebã suprà *sect.70.*) Hier. Llamas *in 3. part. method. c. 3. tit. incantatores, §. ad secundum,* & Moura *opusc. de incantationib. & ensalm. sect. 3. cap. 1. per totum,* vbi etiam testatur de praxi.

2 Hinc sequitur, minùs rectè dixisse Malleum maleficarum, *p. 3. q. 1.* & Valentiam *tom. 2. disp. 6. q. 13.* quod ensalmorum delictũ sit mixti fori respectu Iudicis sæcularis, etiam quãdo manifestè saperet hæresim; quia, sicuti dicebã, pertinet ad Inquisitores saltè cumulatiuè ad Episcopos, priuatiuè autem ad Iudicem sæcularem, ex textu *in c. Accusatus, de heret. in 6.* qui non intelligitur de solis hæreticis formaliter, sed etiam de quibuscumque dictis scilicet, vel de factis de hæresi suspectis: ita DD. quos suprà citabam, præcipuè Moura *n. 33.*

SECTIO LXXVII.

An possint Inquisitores examinare reuelationes mulierculárum, & aliorum?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores possunt examinare reuelationes mulierculárum, & aliorum; quia suspecta sunt, an sint à Deo, vel à dæmone.*

2 *Reuelationes quomodò cognoscantur, an sint à Deo, vel à dæmone.*

1 RESpondetur affirmatiuè, quia suspectæ sunt, an sint à Deo, vel à dæmone. Richard. de S. Victore, quem citat, & sequitur Moura *opusc. de incantat. & ensalm. sect. 2. cap. 3. n. 19.* & Simanch. *de cathol. Instit. tit. 21. n. 25. & seq.*

2 Ad cognoscendum autem, verum sint à Deo, vel à dæmone, videri poterunt quæ dicam infrà *dub. 227. sect. 4.* Raphaël de la Torre *in 2. 2. S. Thomæ, tom. 2. q. 95. art. 2. disp. 3. per totam.*

SECTIO LXXVIII.

An possint Inquisitores procedere contra Ægyptias, quæ bonam, vel malã fortunam, inspectis manibus, diuinare prætendunt?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores procedere possunt contra Ægyptias, quæ bonam, vel malam fortunam, inspectis manibus, diuinare prætendunt; quia cùm sine fundamento loquantur, suspecta redduntur.*

RESpondetur affirmatiuè, quia cùm sine fundamento loquantur, suspectæ redduntur; vide Doctores, quos sequitur Villadiego *in Politica, cap. 5. §. 20. n. 30.* quando autem qui eas inducit, vt sibi bonam, vel malam fortunam diuinent, peccet mortaliter, vel venialiter, vide infrà *dub. 223. sect. 2. n. 5.* 1

SECTIO LXXIX.

An habeant potestatem Inquisitores circa exemptos quoad corpora, Imagines, Vota, vel Tabellas, &c. quæ locis publicis, aut priuatis appenduntur?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores habent potestatem circa exemptos quoad corpora, Imagines, Vota, vel Tabellas, &c. quæ locis publicis, vel priuatis appenduntur.*

RESpondetur affirmatiuè ex Constitutione Vrbani VIII. die 2. Octobris, anno 1625. apud Tambur. *de Iur. Abb, tom. 1. disp. 15. q. 7. n. 53.* quæ in fine sic habet: Vt autem præmissa diligentiùs obseruentur, tam Ordinariis, quàm hæreticæ prauitatis Inquisitoribus districtè præcipimus, vt in sua quisque Diœcesi, vel Prouincia sedulò peruigilet, ne sine approbationibus prædictis Imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, reuelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliáve contra superiùs disposità fiant; transgressores verò, si Regulares fuerint, priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, &c. 1

SECTIO LXXX.

An si reus nihil testibus opposuerit, teneantur adhuc Inquisitores inquirere de vita, conditione, & qualitate testium contra dictum reum.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores, si loquamur de rigore Iuris, si reus nihil testibus opposuerit, non tenentur adhuc inquirere de vita, conditione, & qualitate testium contra eum: secus tamen est de æquitate Iuris.*

2 *Reus inquisitus de quadam heresi formali, cùm nihil cuidam testi opposuisset, instabat Fiscus vt torqueretur: At quia testis interim inuentus fuit criminosus, pro illa heresi non fuit ad torturam appositus.*

3 *Exceptiones in causa heresis non admittuntur, nisi tales, quæ illum penitus refellant, vt inimicitia capitales, &c. quia cætera fidem testis eleuant, sed eam prorsus non tollunt.*

RESpondetur (si loquamur de rigore Iuris) negatiuè; 1 quia Fiscus, qui producit testes, habet præsumptionem Iuris pro se; cùm quilibet præsumatur bonus, sicque quilibet testis præsumatur idoneus, atque omni exceptione maior. Glossa *in c. 1. de testib.* aliique communiter. Quapropter standum est dicto testium, si nihil contra illos opponatur, sicuti patet *ex c. Præsentium, de testib.* Quapropter etiam in Tribunali S. Inquisitionis licèt ad condemnandum reum necesse sit, quod testes sint omni exceptione maiores, nihilominus Fiscus hoc non articulat, neque probat, testes ad sui instantiam productos, tales esse (quidquid in contrarium dixerit Ciazzius *in discept. animal. discept. 22. num 27.* vbi ex quibusdam ait, quod vbi requiritur testis omni exceptione maior, de necessitate Fiscus articulare, & probare debeat, testem esse talem, aliàs probatio non releuet.

Si verò loquamur de æquitate (licèt hoc, vti dicebam, in Tribunali S. Inquisitionis de facto non seruetur.) Respondetur affirmatiuè, debere scilicet Inquisitores, etiamsi contra testes nihil opponatur, inquirere de vita, conditione, & qualitate eorum (præsertim in causa fidei, in qua nomina testium non reuelantur reo) ad hoc possit ipse iudex, visa testium conditione, & qualitate, adhibere, vel non adhibere fidem testistibus ad condemnandum reum; vide Doctores, quos sequitur Albertin. *in cap. 1. de heret. in 6. q. 16. n. 28. & seqq.* Campeg. *in Annot. ad Zanchinum, c. 13. lit. B, vers.* de aliis verò, & Simanc. *in Enchir. tit. 35. n. 25.* & alij.

2 Qui subdunt quod propterea olim (& quidem rectè) in vna consultatione reus inquisitus de quadam hæresi formali, quia nihil opposuerat contra testem, Fiscus instabat, quod esset torquendus, eo quod testis ex dictis suprà censeretur idoneus, & omni exceptione maior, cùm reus aduersus illum nihil opposuerit; At quia testis interim inuentus fuit criminosus, reus pro illa hæresi non fuit ad torturam appositus.

3 Subdunt 2. quod contra testem in causa hæresis non admittantur exceptiones, nisi sint tales, quæ illum penitùs refellant (vt inimicitiæ capitales, coniurationes, subornationes, & similia) quia cæteræ fidem testis eleuant, & eam protsùs non tollunt.

SECTIO LXXXI.

An teneantur Inquisitores in crimine hæresis (sicuti tenentur alij Iudices in aliis criminibus, saltem non exceptis) priusquam interrogent reum, manifestare illi statum causæ, seu processus, scilicet infamiam, indicia, vel semiplenam probationem, &c. contra ipsum extare, vt intelligat quod legitimè interrogetur, sicque teneatur respondere ad mentem interrogantis, atque adeò dicere veritatem?

Respondetur: de hac re dicam infrà *dub. 217. Petitione 2. prope finem.*

SECTIO LXXXII.

An debeant Inquisitores punire, tanquam hæreticum, facientem ritus hæreticales, vel proferentem verba hæreticalia, sed negantem intentionem?

Respondetur: de hac re dixi suprà *dub. 193. sect. 3. num. 4. & seqq.*

SECTIO LXXXIII.

An possint Inquisitores in crimine hæresis reum, qui est absolutus, superuenientibus nouis indiciis iterum inquirere, examinare, & condemnare, etiam pœna ordinaria?

Respondetur: de hac re vide suprà *dubitat. 194. sect. 8. & 9.*

SECTIO LXXXIV.

An possint Inquisitores condemnare reum, vt publicè abiuret de leui?

Respondetur: de hac re dixi suprà *dubitat. 171. Petitione 5.*

SECTIO LXXXV.

An possint Inquisitores procedere contra retinentes, & legentes hæreticorum libros, necromanticorum pentacula, &c.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores possunt procedere contra retinentes, & legentes hæreticorum libros, necromanticorum pentacula, &c. quia tales vel præsumuntur hæretici, vel sunt suspecti de hæresi vehementer, vel saltem leuiter, iuxta qualitatem delicti, & personarum.*

2 *Pœnitentia imponi debet modò grauis, modò leuis, pro qualitate delicti, & delinquentis; & aliquando post abiurationem imposita fuerunt ieiunia, orationes, & peregrinationes.*

3 *Retinentes, & legentes hæreticorum libros, necromanticorum pentacula, &c. nisi obstet delicti, & delinquentis qualitas, quæ scilicet contra delinquentem suspicionem de hæresi inducat vehementem, abiurant de leui, contra nonnullos Doctores tenentes eos abiurare de vehementi.*

4 *Id maximè procedit, si reus tortus sit super intentione, & complicibus, & neget intentionem, & vsum.*

5 *Retinentes, vel legentes libros hæreticorum, necromanticorum pentacula, puniri etiam possunt arbitrio Inquisitorum pœna amissionis, & publicationis omnium librorum Fisco applicanda, atque aliis pœnis grauioribus, corporisque afflictiuis, Iudæi, & alij Infideles in Terris Christianorum commorantes.*

6 *Idemque dic de Typographis, & Bibliopolis, seu Mercatoribus, qui libros, & codices Thalmudicos, Cabalisticos, & alios nefarios similes retinent, habere, legere, scribere, vel exemplare, &c. ausi fuerint.*

7 *Inquisitores punire etiam possunt legentes, & retinentes Astrologiæ iudiciariæ libros, qui de futuris contingentibus, & actibus liberis tractant.*

8 *Item punire possunt retinentes, seu legentes libros ab ipsis Inquisitoribus prohibitos, etiamsi non sint libri hæreticorum.*

Respondetur affirmatiuè, quia tales vel præsumuntur hæretici, ita vt debeant abiurare de formali (sicuti volunt nonnulli, quos sequitur Carrer. *tract. de hæret. n. 125.* Etsi minùs rectè, nisi in casu quo constet quod libri sint compositi ab illo, in cuius potestate reperiuntur, vel in casu quo ille sit obnoxius illis libris, eo quòd scilicet teneat, quod tenent illi libri) vel sunt suspecti de hæresi vehementer, aut saltem leuiter, itavt debeant abiurare de vehementi, aut saltem de leui, iuxta qualitatē delicti, & personarum, sicuti volunt ex communi doctorum sententia Albert. *q. 28. n. 25. & 26.* Simanch. *tit. 28. n. 24.* Azor. *tom. 1. lib. 8. c. 16. quæst. 10.* Zanch. *de hæret. c. 7. n. 7. &* 8. Bursat. *lib. 2. cons. 90. n. 10.* Martin. Delrio *in disquisit. magic. lib. 5. sect. 27.* Sousa *in Aphor. Inquis. lib. 1. c. 21. n. 37.* Zech. *in sum. tom. 1. tr. de hæresi, c. 11. n. 5.* Param. *lib. 3. q. 9. n. 147.* Metolla *tom. 1. disp. 1. c. 2. diffic. 6. n. 573.* Carrer. *in quæst. crim. cap. 1. de hæret. n. 64.* & Peña *in Direct. Inquisit. p. 2. comment. 3.* 1

quatenus ait: Falconius, & Archidiaconus purgationem talibus admonent inducendam, quam interdum ex causa imponi posse, non dubito; hoc tamen sit certum, pœnitentiam esse imponendam nunc grauiorem, nunc verò leuiorem pro qualitate delicti, & delinquentis: Nos aliquando post abiurationem ieiunia, orationes, & peregrinationes imponi vidimus. 2

Regulariter tamen prædicti rei (nisi obstet delicti, & delinquentis qualitas, quæ scilicet contra delinquentem suspicionem de hæresi vehementem inducat) abiurant de leui; vide DD. quos sequitur Suarez *tract. de fide, disp. 24. sect. 2. n. 4.* 3

Quamvis contrarium (quod scilicet abiurent de vehementi) teneant Farin.*de haeres.q.*180.*n.*9. Merolla *cit. disp.*2.*c.*2. *diffic.*6. *n.*373. & tenere videtur etiam
4 Genuens. *in Prax. Archiepisc.c.*18.*n.*14. vbi ait: Anno 1599. fuit rescriptum à sacra generali Inquisitione verbis, quod torqueretur super intentione, siue credulitate, & vsu quidam doctor bonae famae, qui scienter penes se retinuerat pentaculum, & cum fuisset tortus, & non confessus, abiurauit de leui pro retentione: Et *c.*68. *n.* 14. vbi inquit: in Curia (si apud aliquem reperiantur haereticorum libri, necromanticorum pentacula, & similes scripturae continentes haeresim, vel apostasiam, & tortus super intentione, & complicibus neget intentionē,& vsum) solet pro retentione tantum abiurare de leui,& ipsi iniungi poenitentia salutaris:Et si sit exterus, expellitur ex Dioecesi arbitrio Curiae.
5 Vbi aduerte, quod etiam ab Inquisitoribus arbitrio suo puniri possint poena amissionis, & publicationis omnium librorum Fisco applicanda, atque alijs poenis grauioribus, corporisque afflictiuis Iudaei, & alij Infi-
6 deles in terris Christianorum commorantes (idemque dicas de Typographis, & Bibliopolis, seu Mercatoribus) qui libros,& codices Thalmudicos,Cabalisticos, & alios nefarios similes retinere,habere,legere,scribere, vel exemplare, aduehere, donare, commutare, aut aliàs quomodolibet distrahere, vel alienare ausi fuerint, Peña,Azorius,Farinacius, & alij, quos sequitur Sousa *in Aphor. Inquisit. lib.* 1.*cap.*21.*num.*52.*ex Bulla Clementis VIII.*
7 Aduerte 2. quod etiam ab Inquisitoribus puniri possint legentes,& retinentes Astrologiae iudiciariae libros, qui de futuris contingentibus, & actibus liberis tractant,ita Doctores communiter ex Bulla Sixti V.& ex Bulla Vrbani VIII.die 1.April.anno 1631.edita.
8 Aduerte 3. quod similiter etiam ab inquisitoribus puniri possint legentes, & retinentes libros ab Inquisitoribus prohibitos, etiamsi non sint libri haereticorum: vide Doctores passim, quos sequitur etiam Sousa *in Aphor.Inquis.lib.*1.*c.*31.*n.*46.*&* 54. & Sesse *tom.*4. *decis.*464. *n.*24.

At de his, & similibus vide diffusius suprà *dub.*46. *Petitione* 25.

SECTIO LXXXVI.

An possint Inquisitores procedere contra conspurcantes, & percutientes Imagines sacras?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores possunt procedere contra conspurcantes & percutientes Imagines sacras, contra nonnullos id negantes, etiamsi hoc, & huiusmodi fiant ex iracundia, cùm id sapiat haeresim.*

2 *Conspurcantes, & percutientes, &c. praedicti, quamvis si Catholici sint non abiurent de formali, abiurant tamen de leui, vel de vehementi iuxta qualitatem facti, & personae delinquentis.*

3 *Delinquentes praedicti interdum puniri debent à Iudicibus Ecclesiasticis dura,& vltrice sententia: saepè etiam poenitentia publica, vel ieiuniis, eleemosinis, & orationibus,vel ictibus fustium, vel mulcta pecuniaria, iisdemque poenis puniri possunt ab Inquisitoribus.*

4 *Inquisitores si reperierint, praedictos delinquentes habuisse errorem intellectus, poterunt procedere contra eos, sicut procedunt contra alios haereticos, seu de haeresi suspectos, & si pertinaces, atque impoenitentes fuerint, Curiae saeculari morte puniendos relinquere.*

5 *Committens huiusmodi horrendum delictum,siue haereticalem animum fateatur, siue non, ob facti qualitatem tradi debet Curiae saeculari vltimo supplicio puniendus: non enim debet tantùm delictum impunitum manere, & semper timeri potest, quod conuersio fuerit ficta.*

Respondetur (quamvis negent Ghirland. *de sortileg. q.*10. *n.* 12. & Torreblanc. *de magia, lib.*3. *cap.*8. *num.*17. Ex eo quod id facere licèt sit grauissimum delictum, non tamen sit factum haereticale, vt propterea pertinere non possit ad Inquisitores,) meliùs tamen affirmant Zech. *in sum. tom.* 1. *cap.*11. *num.*5. Martinus Delrio *in disquisit. magic. lib.*5.*sect.* 16.§.*Sacerdotes*,Carrer. *tract. de haeret. num.*49. Ioseph. Sesse *tom.*4.*decis.*448. *num.* 19.Raphaël de la Torre *in* 2.2. *S.Thomae,q.*96.*art.*4.*disp.*2. (quatenus inter alia sortilegia, quae haeresim manifestam sapiunt, possit hoc ipsum, si scilicet quis Crucem, vel imaginem alicuius Sancti conculcet: Idque etiamsi conculcatio, direptio, vel inhonoratio fiat ex iracundia; cùm id sapiat haeresim de imaginibus sacris explodendis. Ricc. *in Prax. tom.* 1.*resol.*423 Bellochius *part.* 2.*q.* 1.*n.*73.Zanardus *in Direct.Theolog.part.* 3.*c.*6., Genuens. *in Praxi,c.*18. *num.* 12. & Lazarius *tract.de blasphemia,q.*6. Qui tamen duo postremi Doctores huiusmodi factum adeò haereticale esse putant, vt velint eius cognitionem pertinere tantùm ad Inquisitores; subdantque sic determinatum olim fuisse in supremo Regio Consilio Hispaniarum. 1

Aduerte tamen, quod tales delinquentes (quamvis, si Catholici sint, non abiurent de formali) abiurant saltem de leui,vel de vehementi,iuxta qualitatem facti, & personae delinquentis: vide Doctores,quos sequitur Zanardus *in loc. suprà cit.* quia (quamvis aliqui tenuerint,hos non debere abiurare,eo quòd maiestatem confiteantur, & solùm ex odio,& prauo animo offendant.) Nihilominùs quia ab indiciis prauae credulitatis non longè recedunt (cum malè de omnipotentia, iudicio, & iustitia Dei sentire videantur) & faciunt id, quod hostes fidei nostrae facere solent, debet propterea ipsis indici abiuratio (si non de formali, casu quo catholici sint) saltem de leui, vel de vehementi, sicuti diceebam. 2

Aduerte 2. quod praeterea praedicti delinquentes interdum dura, & vltrice sententia (quemadmodum Gregorius X. in Concilio Lugdunensi decreuit) saepè etiam poenitentia publica, vel ieiuniis, eleemosinis, & orationibus, vel ictibus fustium,vel mulcta pecuniaria puniri debent à Iudicibus Ecclesiasticis, eisdemque etiam poenis puniri possunt ab Inquisitoribus: Ad quorum Officium ampliùs pertinebit vt inquirant, vtrum intellectus error in dictis delinquentibus intercesserit, quem si in illis intercessisse reperierint, vel suspicati fuerint, non secus aduersus illos poterunt procedere, atque possunt aduersus alios quoslibet haereticos, vel de haeresi suspectos, itavt possint aduersus illos etiam tormentis, abiuratione, purgatione canonica,& aliis arbitrariis poenis procedere, eosdemque, si illos pertinaces, atque impoenitentes reperierint, Curiae saeculari morte puniendos relinquere. Simanch. *tit.*27.*n.*20.*&* 21. & Genuens. *in Praxi,c.*18.*num.*12. quatenus ait, quod percutientes, abradentes,vel deturpantes imagines Sanctorum, sint per Inquisitores puniendi; neque obstat, quod poena mortis (si scilicet pertinaces,atque impoenitentes non sint) non puniantur (prout per Iudices saeculares puniretur) quia satis est, quod sufficienter puniantur aliis poenis, scilicet fustigationis, triremis, carceris, infamiae, exilij, & aliis, quas ius Canonicum admittit. 3 4

Aduerte 3. quod si quis praedictorum delinquentium publicè huiusmodi horrendum delictum commiserit (siue haereticalem animum fateatur, siue non) ob facti qualitatem tradi debeat Curiae saeculari vltimo 5

supplicio puniendus: Etsi hæreticalem animum fateatur, & misericordiam petat, etiam hoc non obstante, post reconciliationem ad vnionem Ecclesiæ, debet eidem Curiæ sæculari tradi similiter puniendus: Quia tale, & tantum delictum non debet impunitum manere, & semper timeri potest, quod conuersio fuerit ficta: vide DD. quos sequitur Sousa *in Aphor. Inquis. lib. 1. cap. 42. n. 16.* qui rectè subdit, quod & in tali casu prædictus reus torqueri debeat super complices.



DVBITATIO CXCVI.

Quanam ratione iudex sæcularis in causa hæresis se gerere debeat?

SVMMARIVM.

1 *Bonifacius VIII. primò approbat leges Frederici Imperatoris in deuotionem Ecclesiæ promulgatas*, in cap. vt Inquisitionis, de hæret. in 6. *quatenus illæ Dei & Ecclesiæ suæ honorem promouent, & hæreticorum extirpationem prosequuntur, & Canonicis statutis non obsistunt.*

2 *Idem secundò monet vniuersas sæculi potestates, & temporales Dominos, quod Inquisitoribus in inuestigandis, & capiendis hæreticis pareant.*

3 *Item mandat tertiò prædictis Potestatibus, quod condemnatos ab Episcopo, vel Inquisitore, sibique ad pœnam inferendā relictos, sine dilatione debita pœna puniendos recipiant, remota qualibet appellatione.*

4 *Item districtius prohibet, ne de hoc crimine, vtpote Ecclesiastico, quoquo modo cognoscant, neve delinquentes à carcere liberent, neve condemnatoriam sententiam retardent.*

5 *Præsumentes contra supradicta quid facere, vel omittere, excommunicatione innodantur, & si in illa per annū persistiterint, tanquā hæretici condēnandi sunt.*

6 *Iudex sæcularis in cognitione huius criminis, vtpote Ecclesiastici, nulla ratione neque directè, neque indirectè se intromittere potest.*

7 *Princeps, Magistratus, & Iudices sæculares non possunt condere statuta, quibus præscribatur modus procedendi, vel puniendi crimen hæresis, si diuersus sit ab illo quem Ecclesia obseruat.*

8 *Præscribere modum procedendi in crimine hæresis, cùm sit crimen Ecclesiasticum, spectat ad iurisdictionem Ecclesiasticam.*

9 *Statuta Laicorum Ecclesiasticam iurisdictionem concernentia quousque à Romano Pontifice non approbantur, nulla, & inualida sunt.*

10 *Principes sæculares si condiderint statuta, quæ solùm augeant, & promoueant talem procedendi, & puniendi modum, firma, & valida erunt, cùm tunc non in Ecclesiasticæ iurisdictionis diminutionem, sed potiùs in illius augmentum cedant.*

11 *Magistratus, & Iudices sæculares non possunt examinare causas, & processus hæreticorum qui sibi à Iudicibus Ecclesiasticis puniendi committuntur; quia hoc esset expressè contra prohibitionem supradicti textus.*

12 *Iudices sæculares tenentur debita pœna, scilicet pœna mortis, hæreticos sibi puniendos commissos omninò punire; quia talis est pœna aduersus illos per leges Imperiales à Summis Pontificibus approbatas constituta, quam pœnam tenentur etiam statim, & absque vlla dilatione in dictos hæreticos exequi.*

13 *Iudices prædicti tenentur statim, & sine vlla dilatione prædictam pœnam in hæreticos exequi, si illa intra sex dies per ipsos Iudices executioni mandetur, ex rescripto Innocentij VIII.*

14 *Iudices sæculares ab Inquisitione in auxilium pro capiendis hæreticis illisque custodiendis vocati, tenentur fauorem præstare.*

15 *Iudices sæculares, si auxilium hoc præstare recusauerint, vel sententiam ab Inquisitore latam executionē mandare distulerint, pœna excommunicationis, & aliis pœnis pro qualitate contumaciæ, vel dilationis arbitrariis ad id cogendi sunt.*

16 *Iudices sæculares prædicti sententiam ab Inquisitore latam exequi recusantes, vel in hæreticis puniendis præstare fauorem omittentes, cùm requisiti fuerint, etiam fautoriæ suspecti redduntur, vt proinde aduersus ipsos, tanquam aduersus fautores procedi possit.*

SVpponο, quod licet olim Iudex sæcularis causam hæresis cognoscere potuerit de iure ciuili, sicuti patet *ex §. si vero crimen, Auth. de sanctiss. Episcop. ex l. 1. §. finali, C. de summa Trinit. & ex l. quicunque, §. vltimo, C. de hæret.* Hodie tamen prohibeatur de iure canonico sub pœna excommunicationis ipso iure incurrenda, sicuti patet *ex c. vt Inquisitionis Offic. §. Prohibemus, de hæret. in 6.* ibi: [Prohibemus quoque districtiùs Potestatibus, Dominis Temporalibus, & Rectoribus, eorumque Officialibus supradictis, ne ipsi de hoc crimine, cùm merè sit Ecclesiasticum, quoquo modo cognoscant, vel iudicent:] Et ex Constitutione Iulij III. quæ incipit, *Licèt à diuersis*, apud Peñam inter literas Apostolicas, vbi excommunicatio reseruatur Summo Pontifici. Et notat Clarus *in pract. crim. §. hæresis, n. 4.* Castro *lib. 1. de iust. hæret. punit. c. 23.* Simaneh. *de cathol. instit. tit. 36. n. 1.* & Scaccia *tract. de Iudic. caus. cap. 53. n. 2.* His suppositis.

Respondetur: de hac re satis constat, præcipuè ex 1
textu *in cit. cap. vt Inquisitionis, de hæret. in 6.* vbi Pontifex Bonifacius VIII.

Primò approbat leges Frederici Imperatoris in deuotionem Ecclesiæ promulgatas, quatenus illæ Dei, & Ecclesiæ suæ honorem promouent, & hæreticorum extirpationem prosequuntur, & Canonicis statutis non obsistunt.

Secundò monet vniuersas sæculi Potestates, & tem- 2
porales Dominos, quod Inquisitoribus in inuestigandis, & capiendis hæreticis pareant.

Tertiò mandat prædictis Potestatibus, quod con- 3
demnatos ab Episcopo, vel Inquisitore, sibique ad pœnam inferendam relictos, sine dilatione pœna debita puniendos recipiant, remota quslibet appellatione, vel proclamatione.

Quartò districtiùs prohibet, ne de hoc crimine, vt- 4
pote merè Ecclesiastico, quoquo modo cognoscant, neue delinquentes à carcere liberent, neue condemnatoriam sententiam retardent.

Quod si contra supradicta quid facere, vel omittere 5
præsumpserint, excommunicatione innodantur; & si in illa per annum persistiterint, tanqu.. hæretici condemnandi sunt.

Ex his sequitur, quod non possit sæcularis iudex in 6
cognitione huius criminis, vtpote merè Ecclesiastici, neque directè, neque indirectè (seu quod idem est) neque principaliter, neque incidenter, se intromittere: quod expressè definitur *in cit. c. vt inquisitionis*, ibi: [Prohibemus, ne ipsi de hoc crimine, (cùm merè sit Ecclesiasticum) quoquo modo cognoscant, vel iudicent.] Quæ verba, *quoquo modo*, omnem cognitionem, etiam incidentem excludunt; Glossa ibi, quam sequuntur communiter DD. Paris. *consil. 2. n. 107. lib. 4.* Simanch. *de cathol. instit. tit. 36. rubr. de iudicibus sæcularibus, n. 1.* & Farin. *q. 186. n. 154.*

Sequitur 2. quod non possint Principes, Magistratus, 7
& iudices sæculares condere statuta, vel decreta, quibus præscribatur modus procedendi, vel puniendi crimen hæresis, si diuersa sint ab illis, quæ Ecclesia tradit, & obseruat; quia hoc esset de crimine hæresis cognoscere, & in alienam Messem falcem mittere, contra textum

tum expressum *in cap. statutum Ciuitatis*, *in cap. accusatus*, *§. Sacerdotes*, *& in cap. vt Inquisitionis, in principio, de hæretic. in 6.* & contra textum *in cap. quæ in Ecclesiarum, de Constitutionibus*; & tradunt Pans. *vbi suprà n. 104.* Bossius *tit. de hæret. n. 13. & 14.* & alij passim.

8 Confirmatur, quia præscribere modum procedendi in crimine hæresis, cùm sit crimen merè Ecclesiasticum, spectat ad iurisdictionem Ecclesiasticam; ergo non possunt Iudices sæculas condere statuta vel decreta, quibus talis modus procedendi præscribatur.

9 Confirmatur secundò, quia statuta, vel decreta laïcorum Ecclesiasticam iurisdictionem concernentia, quousque à Romano Pontifice non approbantur, nulla, & inualida sunt, ex textu *in cit. cap. vt Inquisitionis, in principio, & in cit. cap. quæ in Ecclesiarum, de constitutionibus*, & notant cum Glossa ibi communiter Doctores, quos citat, & sequitur Dec. *tract. crim. lib. 5. cap. 26. n. 4.* Ergo cùm statuta, vel decreta præscribentia modum procedendi in crimine hæresis Ecclesiasticam iurisdictionem concernant, si à Iudicibus laïcis fiant, ea sunt nulla, & inualida erunt; & multò magis, si directè, vel indirectè Officium sanctæ Inquisitionis impediant.

10 Quapropter subditi non debebunt obedire dictis statutis, vel decretis, vtpote contra Ecclesiæ Catholicæ leges promulgatis; & Inquisitores poterunt contra sic statuentes, vel decernentes procedere sub pœna excommunicationis, & aliis pœnis contra fautores hæreticorum impositis. Eymer. *in director. part. 3. q. 34.* & Peña *ibidem, comment. 83.* Zancb. *de hæret. cap. 31. n. 6.* Vmbert. Locatus *in prax. Inquisit. verb. Domini temporales, n. 5. & verb. Ordinario, n. 1.* Zanardus *in direct. Theolog. part. 1. præcept. 2. cap. 6. q. 28.* & alij, quos sequitur Barbos. *in collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 10.* Quin & poterunt sic statuentes, vel decernentes cogere, quod prædicta statuta, vel decreta reuocent, ex Bullis Alexandri IV. Innocentij IV. & Vrbani IV. apud eosdem Doctores, quos *suprà* citabam.

Dixi, quod non possint Principes, Magistratus, & Iudices sæculares condere statuta, vel decreta, quibus præscribatur modus procedendi, vel puniendi crimen hæresis, si diuersa sint ab eis quæ Ecclesia obseruat, & multò minus condere statuta, vel decreta, quibus directè, vel indirectè impediatur Officium sanctæ Inquisitionis, adeò vt talia statuta, vel decreta nulla, & inualida sint; quia si conderent statuta, vel decreta, quæ solùm augeant, & promoueant talem procedendi, & puniendi modum, firma, & valida forent, cùm tunc non in Ecclesiasticæ iurisdictionis diminutionem, sed potiùs in illius augmentum cederent; Quapropter laïcorum statuta, vel decreta pœnas per ius Canonicum hæreticis impositas augentia, vel ab Ecclesiasticis Iudicibus impositas obseruari mandantia, firma, & valida esse, diffusè probabam *in tractatu de immunitate, & iurisdictione Ecclesiastica, cap. 8.* & tradunt Peña *3. part. directorij, quæst. 86. comment. 135. vers. de Principibus sæcularibus*, Decian. *tract. crim. lib. 5. cap. 25. num. 2.* & alij communiter, quos citat, & sequitur Farinac. *de hæres. quæst. 186. num. 157.*

Qua simili ratione possunt Principes, Magistratus, & Iudices sæculares punire hæreticum laïcum aliis pœnis præter eas, quæ Iure Canonico imponuntur, dummodò eis non sint contrariæ, neque eas impediant modo, quo suprà dicebam, & tradunt Peña, Decianus, & alij, quos *suprà* citabam.

11 Sequitur tertiò, quod non possint Magistratus, & Iudices sæculares examinare causas, & Processus hæreticorum, qui sibi à Iudicibus Ecclesiasticis puniendi committuntur, quia hoc esset expressè contra prohibitionem supradicti textus *in cap. vt Inquisitionis*, quatenus ibi expressè ipsis mandatur, quod reos sibi relictos recipiant, indilatè pœna debita puniendos, & quod de tali crimine, vtpote Ecclesiastico, quoquomodo non cognoscant, nec iudicent, nec sententiæ executionem adimplere detrectent, vel alias directè, vel indirectè impediant; at si reos sibi commissos, & eorum causas iterum examinare possent, non dicerentur recipere reos pœna debita puniendos, sed potiùs examinandos, vt puniantur, vel à punitione liberentur. Item iam latæ sententiæ executionem adimplere detrectarent, ac tandem de hæresis crimine verè cognoscerent: Quod omninò ipsis ibi prohibetur, & tradunt cum Glossa *ibidem*, in verbo indilatè, communiter Canonistæ, quos citat, & sequitur Peña *3. part. directorij, q. 36. comment. 85. vers. sed Canonistæ*, Calderin. *tract. de hæret. rubr. de pœn. hæretic. num. 10.* & Farinac. *de hæresi, q. 186. n. 161.*

Sequitur quartò, quod teneantur Iudices sæculares debita pœna (scilicet pœna mortis) hæreticos sibi puniendos commissos omninò punire, quia talis est pœna aduersus illos per leges Imperiales à summis Pontificibus approbatas constituta: quam pœnam tenentur etiam prædicti Iudices statim, & absque vlla dilatione in dictos hæreticos exequi, *ex citato textu in cap. vt inquisitionis, §. prohibemus, de hæret. in 6.* & ex constitutione Martini V. *inter cunctas*, apud Peñam *inter lit. Apostol.* 12

Aduerte tamen, quod prædicti Iudices dicentur statim, & sine vlla dilatione prædictam pœnam in hæreticos exequi, si illa intra sex dies per ipsos Iudices executioni mandetur, ex rescripto Innocentij VIII. (quod incipit, *dilectus filius*, apud Peñam *3. part. direct. q. 36. comment. 85. vers. ex quibus declaratur*, & apud Farinac. *de hæresi. q. 186. num. 162. & seqq.*) ibi: [Id eisdem Officialibus sæcularibus sub excommunicationis pœna, & aliis censuris Ecclesiasticis præcipiatis, atque mandetis, vt infrà sex dies, postquam legitimè fuerint requisiti, sine aliqua dictorum Processuum per vos agitatorum visione, sententias per vos latas contra huiusmodi hæreticos promptè exequantur, appellatione remota:] Et tradunt Peña, & Farinac. *in locis suprà citatis*, & Decian. *pract. crim. Canonic. cap. 144. num. 2.* 13

Sequitur quintò, quod Iudices sæculares à Iudice Ecclesiastico in auxilium pro capiendis hæreticis, (idemque dicas de fautoribus, defensoribus, receptatoribus, &c. & de omnibus aliis suspectis) illisque custodiendis requisiti teneantur (milites scilicet dando) fauorem præstare, ex supradicto textu *in c. vt inquisitionis*, & ex constitutione Innocentij IV. *tunc potissimè*, & altera *ex commissis*, ex constitutione Vrbani IV. *licèt ex omnibus*, ex constitutione Alexandri IV. *Dum ad studium*, & ex constitutione Martini V. *inter cunctas*, apud Peñam *inter literas Apostolicas*; & apud Farinacium *q. 186. num. 160.* & probat etiam Vmbert. Locat. *in Iudic. Inquisit. verb. Iudex, num. 67.* & ex aliis Pontificiis Constitutionibus. 14

Sequitur sextò, quod Iudices sæculares, si auxilium hoc præstare recusauerint, seu in eo præstando contumaces, vel negligentes fuerint, possint honore priuari, & aliis pœnis pro delicti qualitate coërceri, & præterea ipso Iure sint excommunicati; & si in excommunicatione per annum persistitérint, tanquam hæretici sint condemnandi, sicuti patet *ex cit. c. vt Inquisitionis Officium, §. finali, de hæret. in 6. & ex cap. ad abolendam, §. penult. & ex cap. excommunicatus, §. moneantur, de hæret.* & docent præter alios Vmbert. Locat. *in iud. Inquis. verb. Iudex, n. 16.* & Dec. *in pract. crim. lib. 5. cap. 25. n. 1.* 15

Sequitur septimò, quod si sententiam à Iudice Ecclesiastico latam executioni mandare distulerint, pœna excommunicationis, & aliis pœnis pro qualitate contumaciæ, vel dilationis, & arbitrariis ad id cogendi sint, iuxta ea quæ dicebam suprà, & tradunt Ioan. Andr. *in cit. cap. vt Inquisitionis, n. 1.* Franch. *n. 3.* & alij communiter, quos sequitur Peña *3. part. director. quæst. 36. comment. 88. vers. Ergo Inquisitor*, & Farin. *q. 186*

Vt omittam, quod & prædicti Iudices sæculares, si cùm requisiti fuerint, sententiam à Iudice Ecclesiastico latam exequi recusent, vel ad hæreticos puniendos fauorem præstare omittant, etiam fautoriæ suspecti reddantur, vt 16

vt proinde etiam aduersùs ipsos, tanquam aduersùs hæreticorum fautores, procedi possit. Vide DD. quos sequitur Peña *cit. comment. 85. vers. sed paucis*, Campeg. *in addition. ad Zanchin. tract. de hæret. cap.* 8. & Farinac. *cit. q.* 186. *n.* 164. & patet ex Constitutione Alexandri IV. *Ad audientiam nostrum*, & ex Constitutione Innocentij VIII. *dilectus filius*, apud Peñam inter literas Apostolicas; nec possunt differre sententiæ executionem sub prætextu, quod sententia à Iudice Ecclesiastico contra hæreticum lata sit iniusta, quia nullo modo possunt se intromittere in cognitione causarum hæreticalium, vti dicebam, & docent Repertor. Inquisit. *verb. executio*, & *ibi* Mandos. *in addit. lit. B*, Vmbert. Locat. *in Iudic. Inquisit. verb. Iudex, n.* 57. *&* 66. & Sim. *de Cath. inst. tit.* 23. *n.* 9. *& tit.* 36. *n.* 5. *& seqq. & in Enchirid. tit.* 66. *n.* 3. ex dicta Constitutione Alexandri IV. *Ad audientiam nostram*, & dicta Constitutione Innoc. VIII. *dilectus filius*.

At de hac dubitatione vide etiam, quæ dicam infrà *dubit.* 208. & quæ dicebã suprà *dub.* 44. *in addendis circa finem, & dub.* 46. *pet.* 18. *& dub. præcedenti, sect.* 50.



DVBITATIO CXCVII.

An Iudex sæcularis, si cognoscat hæreticum falsis testibus esse condemnatum, possit sententiam exequi (sicque Innocentem, vt talem cognitum, probatum tamen nocentem, condemnare) vel possit à sententia supersedere?

SVMMARIVM.

1 *Iudex sæcularis si malitiam cognoscat euidenter absque vlla tergiuersatione, & absque vlla Processus visione, tenetur ab executione sententiæ abstinere; quia satis probabile est innocentem, vt talem cognitum, condemnari non posse: At si malitiam non cognoscat euidenter, sed altiori examine ad id opus fuerit, tenetur sententiam exequi, quia ipse non potest examinare Processum, &c.*

2 *Idem dic, si euidenter constet de nullitate, ob non seruatum ordinem Iuris, vel quia sententia lata fuit à Iudice incompetente, & iurisdictionem nullam prorsùs habente, quia tunc non ex auctoritate publica, sed ex propria priuata delatus condemnatur. Quod ex se est iniquum, proindeque executor ab executione sententiæ supersedere tenetur.*

3 *Iudex sæcularis, si nullitas sententiæ ex se euidenter non appareat, nullo poterit modo executionem sententiæ contra hæreticum differre prætextu nullitatis; neque etiam poterit recipere probationes etiam ad effectum supersedendi à sententiæ executione, & causam superiori remittendi.*

4 *Iudex sæcularis non potest cognoscere iniustitiam, vel nullitatem sententiæ per scientiam publicam, sed necessariò illam cognoscere debet per scientiam priuatam; & hæc scientia priuata sufficit, vt is non possit ad sententiæ latæ executionem procedere, procederet enim ad executionem ex se iniusta; & iniqua actione, qualis est innocentem vita priuare.*

5 *Textus* in cap. Pastoralis, §. quia verò, de offic. & potest. Iudicis delegati, *non obstat; debet enim merus executor ex illo textu exequi sententiam iniustam delegati, si ea solùm sit iniusta in iis, quæ condemnatus cedere potest; at cùm in priuatione vitæ cedere iste non possit, non potest ille in tali casu, si iniusta sententia lata sit, illam executioni mandare.*

6 *Executor non tenetur sententiam latam exequi, si nouerit illam nullam, vt si lata esset auctoritate falsarum literarum, seu quòd Iudex falsis instrumentis, vel aduersarij dolo iurisdictionem vsurpauerit, in quo casu etiam supersedere debet ab executione, si in continenti hæc coram executore objiciantur.*

7 *Quod tamen intelligi debet in aliis criminibus ab hæresi distinctis, cùm in crimine hæresis nulla cognitio iudicialis à laico haberi possit.*

1 Respondetur: de hac re satis dixi tractatu *de Comitiis, seu Parlamentis, dub.* 4. *editione* 1. *& cap.* 2. *dubitat.* 4. *sect.* 38. *editione* 2. Nunc tamen, quantum spectat ad præsentem casum, dicam breuiter.

Si Iudex sæcularis malitiam cognoscat euidenter, absque vlla tergiuersatione, & absque vlla Processus visione, tenetur ab executione sententiæ abstinere; quia satis probabile est ex dictis ibi, innocentem, vt talem cognitum (esto nocens probatus sit) condemnari non posse: at si malitiam non cognoscat euidenter, sed altiori examine ad id opus fuerit, tenetur sententiam exequi, quia ipse Iudex sæcularis non potest examinare Processum, neque potest prætextu iniustæ condemnationis executionem retardare.

2 Et quod dixi de iniusta sententia ob innocentiam delata, idem dico, si euidenter constet de nullitate sententiæ ob non seruatum ordinem Iuris, vel quia sententia lata fuit à Iudice incompetente, & iurisdictionem nullam prorsùs habente, quia tunc non ex authoritate publica (cùm nulla adsit) sed ex propria priuata delatus condemnatur: Quod ex se est iniquum, vt proinde executor ab executione sententiæ supersedere teneatur.

Sic in vtroque casu Doctores, quos citat, & sequitur Decianus *tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 25. *num.* 3. *&* 4. Repertor. Inquisitor. *verbo executor, vers. ex prædictis*, & Brunus *tract. de hæreticis, part.* 4. *cap.* 15. *num.* 10. *& seqq.*

3 At si nullitas sententiæ ex se euidenter non appareat, nullo modo Iudex sæcularis poterit executionem sententiæ contra hæreticum differre prætextu nullitatis; neque etiam poterit probationes, etiam ad effectum supersedendi à sententiæ executione, & causam superiori remittendi, recipere: Quia licèt hoc in aliis delictis (cùm incontinenti probationes offeruntur) fieri possit, sicuti docent Doctores, quos sequitur Nauarrus *in cap. cùm contingat, in primo remedio, num.* 7. *&* 8. *de rescript.* Diaz *cap.* 154. *n.* 14. & Farinacius *q.* 97. *num.* 91. In crimine tamen hæresis, ob fauorem fidei, fieri prohibitum esse videtur ex rescripto Innocentij octaui suprà citato, & tradunt ita Doctores, quos citat, & sequitur Simanch. *de Cathol. instit. tit.* 36. *num.* 7. & Farinac. *quæst.* 97. *num.* 108.

4 Objicies ex aduersariis (quatenus omninò contendunt, Iudicem sæcularem, quantumcunque cognoscat iniustitiam, vel nullitatem sententiæ Iudicis Ecclesiastici, non posse ab eius executione abstinere) quia Iudex sæcularis, inquiunt ipsi, vel cognoscit iniustitiam ex actis, vel aliunde: ex actis cognoscere non potest (cùm apud ipsum facta non fuerint, neque ipse possit illa examinare) quod si ea, vt priuatus legit, ex ipsius scientia, vtpote priuata, moueri non potest ad sententiæ executionem suspendendam; cùm in executione sententiæ gubernari non debeat ob scientiam priuatam, sed publicam (sicuti Iudex in sententiæ prolatione non mouetur ex priuata scientia, sed ex publica, quam scilicet constituunt testes, & probationes;) ergo, &c.

Respondetur: concedo antecedens, at nego consequentiam; concedo enim, Iudicem sæcularem executorem non posse cognoscere iniustitiam, vel nullitatem sententiæ per scientiam publicam, ob rationem iam dictam, sed necessariò illam cognoscere debere per scientiã priuatam; at hæc scientia, seu cognitio priuata sufficit, vt non possit Iudex sæcularis executor ad sententiæ latæ executionem procedere, quia procederet ad executionem

rationem ex se iniustæ, & iniquæ actionis, qualis est innocentem vita priuare: Neque hoc honestare potest scientia publica (cùm illa in errore fundetur, & veritati contraria euidenter cognoscatur) sicuti præceptum Regis bellum iniustum incuntis, honestare non potest pugnationem militis euidenter scientis, quod bellum illud à Rege initum iniustum sit.

5 Objicies secundò textum *in cap. pastoralis, §. quia verò, de offic. & potest. Iudic. delegat.* vbi Innocentius III. sic habet: [Quia verò sæpè contingit, quod executio sententiæ Ordinario demandatur, quæsiuisti an si ipsam iniustam esse cognouerit, debeat eam executioni mandare, an sit ei potiùs supersedendum? Attendentes itaque, quod non cognitio, sed executio tantùm demandatur eidem, respondemus quod cùm Ordinarius teneatur obsequi delegato, etsi sciat sententiam illam iniustam, exequi nihilominùs tenetur eandem, nisi apud eum efficere possit, vt ab hoc onere ipsum absoluat.] Ergo cùm Iudici sæculari solùm executio, & nulla cognitio demandetur, sequitur quod iste etiamsi cognoscat sententiam aduersus hæreticum latam iniustam esse, debeat nihilhominùs similiter illam exequi.

Respondetur: Textum hunc non obstare, concedo enim cum Glossa *in supradicto textu, verbo etsi sciat,* quod debeat merus executor exequi sententiam iniustam delegati, si ea solùm sit iniusta in iis, quæ condemnatos cedere potest. At cùm in priuatione vitæ cedere iste non possit, non potest ille in tali casu, si iniusta sententia lata sit, executioni illam mandare: sic, inquam, Glossa ibi, quatenùs ait: [Non semper obediendum est Iudici, si euidenter iniquum est mandatum illius; siue contra Ius, *cap. quod culpatur, 23. quæst. 1.* secus si alràs fuerit iustum, *cap. lex æterna, & cap. cùm Minister, 23. quæst. 5.* Quia hoc præceptum iam non dicitur iniquum, sed iustum ex Iuris rigore, & exequendum: Nam ex quo sententia lata est, licèt iniusta, & contra Ius litigatoris, à qua non est appellatum, elapso decennio, de Iuris rigore mandanda est executioni, *argum. legis vltima, Cod. vt lit. pendent.* spontanea enim appellationis omissio turpitudinem purgat, quæ sententiæ inerat, *argument. leg. si ob turp. ff. de condict. ob turp. caus.* vel si appellauit secundò, & succubuit, & hoc etiam de rigore Iuris introductum est, ne lites protrahantur, &c. Ergo iuxta Glossam *loco suprà citato*, supradictus textus loquitur tantùm de sententia iniusta, scilicet lata contra Ius litigatoris, cui Iuri ipse cedere potest; secus de sententia iniusta, quæ ex se iniquitatem continet, qualis est vita priuare Innocentem sic taliter cognitum.

6 Accedit, quod in eodem loco dixerat Glossa, quod executor non teneatur sententiam latam exequi, si nouerit illam nullam, vt si lata esset authoritate falsatum literarum, eo quòd Iudex falsis instrumentis, vel aduersarij dolo iurisdictionem vsurpauerit, in quo casu etiam supersedere debet ab executione, si incontinenti hæc coram executore objiciantur. Poterit enim illa recipere, vt causam superiori referat.

Quod tamen ex dictis intelligi debet in aliis criminibus ab hæresi distinctis, cùm in crimine hæresis nulla cognitio iudicialis à laïco haberi possit, vti suprà diceliam.

DVBITATIO CXCVIII.

DE TESTIBVS IN CAVSA Hæresis.

Vt autem in hac Dubitatione enucleandà distinctiùs procedamus, sit

SECTIO PRIMA.

Quinam possint esse testes in causa fidei, seu in crimine hæresis?

SVMMARIVM.

1 *Hæresis in crimine compelli possunt ad iurandum de dicenda veritate omnes quacumque polleant auctoritate, & dignitate.*

2 *Inquisitores possunt citare testes de crimine delatos de vna Diœcesi ad aliam.*

3 *Episcopi etiam, & Inquisitores possunt in causa hæresis citare testes similiter, etiamsi testes sint extra suam Diœcesim.*

4 *Testes in crimine hæresis, cùm sit valdè graue, & valdè Reipublica perniciosum, vt faciliùs puniri, & extirpari possit, omnes aliàs inhabiles admittuntur, exceptis tamen inimicis capitalibus.*

5 *Testes primò excommunicati, criminosi, infames, criminum socij, admittuntur ad testificandum in crimine hæresis.*

6 *Testes secundò periuri, licèt periurij pœnitentiam non egerint, admittuntur, quia licèt periurus cùm de veritate suspectus sit, à testimonio repellatur, fauore tamen fidei, quoties ex circunstantiis, & indiciis vera deponere colligitur, ad testimonium contra se, & contra alios admittitur.*

7 *Periurus quilibet non admittitur ad testimonium dicendum, sed solùm ille, qui primò veritatem celauit, & posteà Zelo fidei eam manifestare intendit; quia huius tantum periurij testimonium valere conceditur* in cap. Accusatus, de hæreticis.

8 *Testes tertiò Iudæi admittuntur aduersùs Christianos Iudaizantes, vel quicumque alio modo à fide apostatantes, ne crimen hoc hæresis adeò graue defectu probationum impunitum relinquatur.*

9 *Testes quartò admittuntur ob eandem rationem Hæretici contra fideles.*

10 *Textus* in cap. dubius, de hæret. non obstat, *quia ex eo non infertur, quod illis credendum non sit omnino, id est nullo modo, seu nulla ratione; sed solùm infertur, quod credendum non sit omninò, id est integrè, plenè, & perfectè.*

11 *Hæreticus extra delictum hæresis, & simile aliud delictum graue (vt crimen læsæ Maiestatis humanæ, &c.) regulariter non potest esse testis contra fidelem.*

12 *Testes quintò admittuntur domestici, familiares, & consanguinei aduersùs alios domesticos, familiares, & consanguineos, idque etiam in aliis criminibus exceptis: Quinimò & seruus aduersùs Dominum, pater aduersùs filium, & filius aduersùs Patrem, vxor aduersùs maritum, & maritus aduersùs vxorem.*

13 *Testes huiusmodi cùm contra sibi coniunctos testimonium ferant, à suspicione alieni redduntur: & domestici meliùs, quàm alij, domesticorum mores, & facta cognoscunt, & sic meliùs per illos, quàm per alios domesticorum crimen probari potest.*

14 *Dome*

14 *Domestici, & familiares admittuntur ad testimonium ferendum in crimine hæresis; item affines, & consanguinei: Vxor contra maritum, & è contra. Item seruus, quamuis regulariter seruus non possit esse testis contra Dominum suum, quia cùm hoc crimen occultè committatur, magis per eos, quàm per exteros cognosci potest, &c.*

15 *Domestici, & familiares, & cæteri supradicti non tamen similiter admittuntur ad testimonium ferendum in fauorem illius, qui de hæresi fuit inquisitus, vel accusatus, quamuis in fauorem admitti probabiliter, & forsan probabilius possint, quando essent viri valdè digni, & virtute insignes.*

16 *Testimonium falsum proferentes contra consanguineos grauiori pœna puniendi sunt, quàm qui contra extraneos, quia contra carnem suam sæuire videntur.*

17 *Testes sextò in dicto crimine hæresis admittuntur minores 14. annorum, quin & cuiuscunque alterius minoris ætatis, dummodò fuerint doli capaces, quinimò & ad id cogi, & torqueri possunt.*

18 *Testes item septimò admittuntur mulieres, quæ licèt repellantur à testimonio ferendo in causa sanguinis, eo quòd ob fragilitatem sexus ipsarum testimonium infirmum præsumatur, non est sic in crimine hæresis, & aliis criminibus exceptis.*

1 SVppono, quod in crimine hæresis ad iurandum de dicenda veritate compelli possint omnes, quacumque polleant authoritate, & dignitate. Archidiaconus *in cap. vt Officium, de hæret. in 6. n. 9.* Ioan. Andr. *ibid. n. 2.* Syluest. *verb. Hæreticus 1. num. 7.* Directorium Inquisit. *part. 3. quæst. 62.* & ibi Peña *comment. 51. verf. quantùm ad primam conclusionem,* & constat *ex cap. Peruenit, de testibus cogendis* (vbi dicitur, quod testes in causis Ecclesiasticis cogendi sint ad dicendam veritatem medio iuramento, alioquin testimonium non valeret) constat etiam *ex cap. excommunicamus, §. adjicimus, de hæreticis* (vbi habetur, quod Archiepiscopus, vel Episcopus Parochiam, in qua fama fuerit, hæreticos habitare, circumeat, & ibi tres, vel plures boni testimonij viros, vel etiam, si expedire videbitur, totam viciniam iurare compellat; si qui verò ex eis iuramenti religionem obstinatione damnabili respuentes, iurare fortè voluerint, ex hoc ipso tanquam hæretici reputentur) & ex aliis textibus.

2 Suppono secundò, quod Inquisitores possint testes, aliosque de hæresi delatos citare de vna Diœcesi ad aliam. Director. Inquisit. *part. 3. q. 74.* & *ibi* Peña *commentar. 123.* Rojas *singul. 95.* & Simanch. *de Cath. inst. tit. 34. n. 24. ex cap. vt Officium, §. denique, de hæret. in 6.* (vbi præcipitur Inquisitoribus, quod procedant contra quoscumque de hæresi delatos, cuiuscumque sint conditionis, dignitatis, vel Religionis, etiam non obstante constitutione de duabus dictis in Concilio generali edita, quæ refertur *in cap. nonnulli, de rescript. & in cap. statutum, eit. in eodem in 6.*) & *ex cap. vt commissi, de hæret. in 6.* (vbi dicitur: & contra illos, quos in Prouincia, in qua vobis Inquisitionis Officium est commissum hæresis crimen constiterit commisisse, licèt ad alias partes se transferendos duxerint, procedendi) & ex aliis Iuribus.

3 Suppono tertiò, quod Episcopi etiam, sicut & Inquisitores, possint in causa hæresis citare testes, tamen si testes sint similiter extra suam Diœcesim; quia huiusmodi priuilegium non est concessum intuitu personæ, sed intuitu Officij sanctæ Inquisitionis. Peña *cit. comment. 123.* & Farinac. *de hæres. q. 188. §. 1. num. 4.* qui subdunt, quod non teneantur Episcopi, & Inquisitores mittere processum ad Episcopum, ex cuius Diœcesi testes sunt citandi: subdunt etiam, quod non debeant Episcopi, & Inquisitores in iudicium ad ferendum testimonium nobiles personas, & illustres mulieres trahere; sed Inquisitores debeant potiùs illas adire, vel alteri examen committere. His suppositis.

Respondetur (cùm crimen hæresis valdè graue, & valdè Reipublicæ perniciosum sit) vt faciliùs puniri, & exstirpari possit, qui aliàs inhabiles sunt, in testes admittuntur, exceptis inimicis capitalibus: ita Doctores communiter (vt videre est apud Repert. Inquisit. *in verbo Exceptiones, vers. item solùm, & in verbo testis, vers. nota,* & apud Rosellam *verb. hæreticus, num. 31.* Armillam *verb. hæresis, n. 10.* Peñam *in director. part. 2. comment. 13. de Inquis. part. 3. comment. 114. & comment. 119.* Zechium *in sum. tom. 1. tit. de fid. cap. 11. num. 14.* Simancham *de Cath. inst. tit. 64.* Rojas *sing. 147.* Mascardum *lib. 2. concl. 762. n. 52.* Gundisalvum *de hæret. q. 18. n. 10. & seqq.* & Vmbertum Locatum *in iudicial. Inquisit. verb. exceptio, n. 4.* & quidem, quod (quamvis ordinariè inhabiles, quales sunt excommunicati, periuri, infames, criminis socij, seu complices, & alij similes non admittantur ad testificandum, *cap. 1. de except. cap. testimonium, de testib. cap. licèt de probat. & cap. testes 2. q. 7.*) tamen in fidei fauorem admittantur. Patet *ex cap. in fidei, de hæret. in 6.* ibi: [In fidei fauorem concedimus, vt in negotio Inquisitionis hæreticæ prauitatis excommunicati, & participes, vel socij criminis admittantur, præsertim in probationum aliarum defectum contra hæreticos, credentes, fautores, receptatores, & defensores eorum, si ex verisimilibus coniecturis, & ex numero testium, aut personarum, tam deponentium, quàm eorum, contra quos deponitur, qualitate, aut aliis circumstantiis sic testificantes falsa non dicere præsumantur;] & notant *ibi* Glossa *verb. Excommunicati,* Gemin. *ibidem, n. 1.* & docent Repert. Inquisit. Rosella, Armilla, & alij *in locis suprà citatis.* 4

Admittantur igitur primò excommunicati, criminosi, infantes, criminum socij, seu complices, qui aliàs erant inhabiles, ex citato textu expresso *in cap. in fidei fauorem, de hæret. in 6.* & docent ex communi Doctores, quos suprà citabam. Videri poterunt etiam Mascard. *de probat. vol. 2. concl. 856. n. 8.* Feder. de Senis *cons. 252. n. 4.* & Gundisal. *tract. de hæretic. quæst. 13. num. 20.* 5

Admittuntur secundò periuri (licèt periurij pœnitentiam non egerint) si vera dicere præsumantur, ex textu *in cap. accusatus, §. licèt, de hæretic. in 6.* ibi: [Licèt verò periuri à testimonio, etiam post pœnitentiam repellantur, si tamen ij, qui coram Inquisitoribus iurantes, tam de se, quàm de aliis, super facto hæresis dicere veritatem, eam celando deierent, & postmodum velint corrigere dictum suum, contra se, ac alios suos complices deponendo: Nam cùm crimen huiusmodi sit exceptum, si ex manifestis indiciis apparuerit, tales non animi leuitate, vel odij fomite, seu pecuniæ corruptione, sed fidei orthodoxæ zelo dictum suum velle corrigere, & nunc quæ priùs tacuerant, reuelare in fauorem fidei, nisi aliud obsistat, stari debet tam contra se, quàm contra alios attestationibus eorundem.] Et notant ibi præter alios Ioan. Monach. *n. 1.* Franch. *n. 2.* & Director. Inquisit. *3. part. q. 65.* quia licèt periurus (vti dicebatur) cùm de veritate suspectus sit, à testimonio dicendo repellatur, fauore tamen fidei, ex circumstantiis, & indiciis vera deponere colligitur, ad testimonium dicendum contra se, & contra alios admittitur. Canonistæ communiter *in cit. cap. accusatus,* quos sequitur Peña *in cit. 3. part. directorij, quæst. 65. comment. 114.* & Farinacius *quæst. 188. num. 82. & seqq.* Vide etiam *infrà in aduertendo 5. 6. & 7.* 6 5

Periurus verò regulariter non admittitur ad testimonium ferendum, vel quia est infamis, vel quia ineptum est testimonium illius, qui modò affirmat, modò negat: ita Doctores *in cap. testimonia, de testibus.*

Cæterùm ad testimonium dicendum non admittitur quilibet periurus, sed solùm ille, qui primò veritatem celauit, & postea zelo fidei eam manifestare intendit, quia huius tantùm periuri testimonium valere conceditur *in supradicto cap. accusatus.* Quapropter 7

propter si in alio casu quis periurus extiterit, vel de falso damnatus fuerit, eius testimonium, etiam in crimine hæresis non admittetur, quia in hoc crimine hæresis, seu in hac causa fidei non omnes inhabiles admittuntur, sed tantùm illi, qui à Iure conceduntur admitti: aliàs si indifferenter omnes admitterentur, non leui periculo calumniæ fideles innocentes exponerentur, Decianus *tract. crim. lib. 5. cap. 35. n. 54.* Repert. Inquisit. *verb. testes, vers. sed potissimum*, Zanchin. *tract. de haeret. cap. 14. n. 5.* Peña *part. 3. direct. comment. 114. vers. Postremò*, & alij passim, quos citat, & sequitur Farinac. *cit. q. 188. n. 77. & seqq.* vide etiam quæ dicentur *in aduertendo 5. 6. & 7.*

8 Admittuntur tertiò Iudæi aduersus Christianos Iudaizantes, vel quocunque alio modo à fide apostatantes; ne crimen hoc hæresis adeò graue defectu probationum impunitum relinquatur, ex textu expresso *in c. contra Christianos, de haeret. in 6.* ibi: [Per Christianos, seu Iudæos conuicti:] & tradunt *ibi* cum Glossa, Ioan. Monacho *n. 2.* & Probo *n. 9.* communiter Canonistæ, quos citat, & sequitur Mascard. *de probat. num. 9. & 10.* Peña *2. part. direct. comment. 13. ad cap. contra Christianos*, & Farinac. *de haeres. q. 184. num. 124.* Vide etiam quæ dicentur infrà *in aduertendo* 8.

9 Admittuntur quartò ob eandem rationem hæretici contra fideles: communiter etiam Canonistæ, quos sequitur Lælius Zechius *in summa, part. 1. tit. de fide, rubr. de haeres. cap. 12. num. 14.* Farinac. *de haeresi, quaest. 188. §. 7. num. 116.* Peña *in director. Inquisit. part. 3. quaest. 68. comment. 117.* Simanchas *de Cathol. instit. tit. 64. num. 43.* & Conradus Brunus *lib. 5. de haeretic. cap. 10.*

10 Obiicies contra id (quod modò, & numero præcedenti dicebatur) textum *in cap. dubium, de haereticis*, quatenus ibi dicitur: Nec eis omninò credendum est qui fidem veritatis ignorant.

Respondetur, textum hunc non obstare; quia ex eo non infertur, quod illis credendum non sit omninò, id est, nullo modo, seu nulla ratione; sed solùm infertur, quod credendum non sit omninò, idest, integrè, plenè, & perfectè; vt propterea testimonium eorum non sit plenum, & perfectum, seu non faciat probationem plenam, & perfectam; sed solùm sit imperfectum, seu faciat probationem aliqualem, seu imperfectam, saltem ad inquirendum, præsertim in delictis atrocibus; & sic de facto seruatur in praxi. Mascard. *de probat. conclus. 857. num. 9.* Simanch. *de Cathol. inst. tit. 64. rubrica de testibus, num. 43. & seqq.* Peña *3. part. direct. quaest. 68. comment. 117. vers. quantum verò*, Farin. *quaest. 186. num. 116.* Vide etiam quæ dicentur infrà *in aduertendo 9.*

11 Cæterùm extra delictum hæresis, & simile aliud delictum graue (vt crimen læsæ Maiestatis humanæ, &c.) Hæreticus regulariter non potest esse testis contra fidelem, *leg. quoniam, Cod. de haeret.* ibi: [Sancimus contra orthodoxos quidem litigantes nemini hæretico esse in testimonio communionem, siue vtraque pars orthodoxa sit, siue altera:] & notant *ibidem* Glossa, Albetic. *num. 1.* & Odofred. *num. 1.* Idem patet *ex cap. ipsa pietas, 23. quaest. 4.* ibi: [Qui enim diuina testimonia non sequuntur, pondus humani testimonij prodiderunt;] & *ex cap. Excommunicamus 6. §. credentes, de haeretic.* vbi sermo est de defensore, seu fautore hæreticorum, & notat ibi Hostiens. *num. 19.* Ioan. Andreas *num. 15.* Socin. *numero 39.* & Ananias *num. 6.* Vide etiam quæ dicam infra *in aduertendo 9.*

12 Admittuntur quintò domestici, familiares, & consanguinei aduersus alios domesticos, familiares, & consanguineos (alique etiam in alijs criminibus exceptis; quinimò & seruus aduersus Dominum, pater aduersus filium, & filius aduersus Patrem, vxor aduersus Maritum, & Maritus aduersus vxorem, ex texto in *l. vltima, Cod. ad leg. Iul. Maiestat.* Sic enim Ecclesia hoc crimen ita graue, & ita Reipublicæ perniciosum in suis filiis omninò præcauere, & si commissum fuerit, punire intendit. Ne igitur ipsa probationibus careat; testes, qui aliàs repelluntur, admittit.

Accedit, quod tales testes, cùm contra sibi coniunctos testimonium ferant, à suspicione alieni redduntur. Accedit etiam, quod domestici meliùs quàm alij domesticorum mores, & facta cognoscunt, & sic meliùs per illos, quàm per alios, domesticorum crimen probari potest, *l. consensu, Cod. de repudiis, & cap. tertio loco, de probat.* & tradunt Gundisaluus *tract. de haereticis, quaest. 13. numer. 11.* Bernard. Diaz *regul. 746.* Simanch. *de Catholic. Institut. titul. 64. numer. 49.* Rojas *singul. 183. & singul. 197.* Mascard. *de probat. lib. 2. conclus. 857. numer. 22.* Peña *3. part. Directorij, quaest. 70. commentar. 119. vers. harum sententia* (vbi explicat etiam, qui dicantur familiares) & alij, quos citat, & sequitur Farinac. *quaest. 188. numer. 143.* 13

In crimine igitur hæresis, vel simili alio crimine graui admittuntur ad testimonium ferendum domestici, & familiares. Gundisaluus, Bernardus Diaz, Peña, Simanch. *in locis suprà citatis.* Item affines, & consanguinei. Simanch. & Mascard. vbi suprà. Item filius contra Patrem, & Pater contra filium, Mascard. *num. 18.* & Peña *cit. comment. 119.* Item vxor contra Maritum, & Maritus contra vxorem. Eymeric. *cit. part. 3. quaest. 70.* & *ibi* Peña. Item seruus (quamuis regulariter seruus non possit esse testis, contra Dominum suum, *l. penult. Cod. qui accusare non possunt*) contra Dominum. Rojas *singul. 183.* & alij. 14

Ratio autem, cur prædicti admittantur ad testimonium ferendum, & possint esse testes modo vt suprà, est tum ob criminis atrocitatem, & deformitatem; tum quia meliùs per domesticos, & familiares hoc crimen (cùm ordinariè occultè committatur, & occulta magis per domesticos, & familiares cognoscantur; *leg. consensu, §. sin autem, Cod. de repud. & cap. tertio loco, de probat.*) quàm per extraneos cognosci potest, quin etiam domesticorum, & familiarium testimonium est ad probandum magis efficax, quia domestici, & familiares non censentur id facere ex odio, vel ex aliqua alia praua affectione, sed ex zelo fidei, & veritatis, vti dicebam.

Non tamen prædicti domestici & familiares admittuntur similiter ad testimonium ferendum in fauorem illius, qui de hæresi fuit inquisitus, vel accusatus, *cap. filij, de haeretic. in 6. circa finem*, ibi: [Non autem per vxores, filios, familiares, vel de suis aliquos; sed per testes alios fide dignos, & specialiter fidei zelatores,] & notant *ibidem* Glossa. Ioan. Andr. *num. 1. & 2.* Idem etiam habetur in constitutione Alexandri IV. (quæ incipit Ex parte) apud Peñam inter literas Apostolicas: adeò verò prædicti domestici, & familiares in fauorem non admittuntur, quia esset magnum periculum, ne mentirentur ex amore ergà suos domesticos, affines, vel consanguineos; & ne contraherent ex huiusmodi attestatione magnam infamiam, & ne etiam priuarentur bonis patrimonialibus, &c. 15

Quamvis in fauorem admitti probabiliter, & forsan probabiliùs possint, quando essent viri valdè digni, & virtute insignes, qui mentiri non præsumerentur, præsertim si alia indicia de reorum innocentia haberentur. Bald. *in l. Parentes, Cod. de testibus, num. 1.* Marsil. *in l. 1. §. ad quaestionem, ff. de quaest. n. 7. & 25.* Abbas *in cap. literas, de praesumpt. n. 8.* & Felin. *in cap. cùm oporteat, de accus. n. 3.* & meritò, quia semper veritati locus esse debet, *l. imperatores, ff. de probat.* vbi communiter Doctores.

Vnde infertur, quod grauiori pœna puniendi sint illi, qui falsum testimonium proferunt contra consanguineos, 16

guineos, quàm qui contra extraneos; quia cùm quis falsum testimonium profert contra consanguineum, contra carnem suam sæuire videtur. Vide Doctores, quos sequitur Peña *in director. part. 3. q. 7. comment. 119. vers. horum sententia, & vers. ex priori verò ratione*, & Simanch. *de Cath. instit. tit. 64. num. 49.* Vide etiam quæ dicam infrà *sect. 8.*

Admittuntur sextò Minores 14. annorum, quin & cuiuscunque alterius minoris ætatis (dummodò fuerint doli capaces) quinimò & ad id cogi, & torqueri possunt, ex textu *in l. de minore, in principio, ff. de quæstion.* quia si hoc in crimine læsæ Maiestatis humanæ procedit, multò magis in crimine læsæ Maiestatis diuinæ procedere debebit: ita Doctores, quos sequitur Farinac. *de hæresi, q. 188. n. 57.* & Mascard. *loco suprà citato, concl. 462. n. 5.* vbi tamen subdit, quod Minor deponere debeat cum authoritate tutoris, aliàs nullius valoris sit ipsius testimonium, ex textu *in l. Clarum, Cod. de authorit. præstand.* Quamvis id hodie in praxi non seruari testetur Farinacius *vbi suprà, quæst. 54. num. 24.*

Admittuntur septimò mulieres (quæ tamen si à testimonio in causa sanguinis ferendo, eo quòd ob fragilitatem sexus ipsarum testimonium infirmum præsumatur, repellantur, iuxta textum expressum *in cap. forum, vers. finali, de verbor. significat.* & iuxta textum *in cap. mulierem, 33. q. 5.* Quod tamen intelligi debet, si ad instantiam accusatoris producte in testem; secùs si à Iudice ex officio examinatæ fuerint. Glossa, & Canonistæ communiter *in cap. quoniam, de verb. signific.* quos sequitur Mascard. *lib. 2. concl. 762. num. 21.* & Farinac. *q. 59. n. 9.*) In crimine tamen hæresis, & in aliis criminibus exceptis admittuntur, ex texto *in cap. tanta, & in cap. per tuas, de simonia*, & ibi Glossa, & Canonistæ communiter, quos citat, & sequitur Mascard. *loco suprà cit. num. 22.* & Farinac. *num. 10.*

ADVERTENDA.

SVMMARIVM.

1 *Inhabiles, quales sunt excommunicati, periuri, infames, criminis socij, seu complices, & alij similes non admittuntur ordinariè ad testificandum; admittuntur autem in fauorem fidei; at non sufficiunt ex iis tantùm duo ad faciendam plenam probationem, & sic ad inferendam pœnam ordinariam, sed solùm ad inferendam pœnam extraordinariam.*

2 *Numeri appellatione intelliguntur duo.*

3 *Textus* in cap. in fidei fauorem; *tantùm dicit, quod testes in fauorem fidei, alioquin inhabiles, admitti possunt ad testificandum, non autem quod duo sufficiant.*

4 *Criminis socij licèt admittantur ad alterius hæresim probandam, debent tamen præstare iuramentum de veritate dicenda, quia socius criminis licèt in persona sua sit reus; nihilominus deponendo contra alium est testis; contra Marcum Antonium Blancum dicentem, ipsum non debere deponere contra alium testem cum iuramento.*

5 *Criminis socij alioquin criminosi, infames, & inhabiles, admittuntur in crimine hæresis, & tanquam testes, & tanquam accusatores, ex probabiliori sententia.*

6 *Testes excommunicati, infames, & alij inhabiles admittuntur in crimine hæresis ad testificandum contra hæreticos, non autem pro hæreticis; contra nonnullos tenentes oppositum, & quidem probabilius.*

7 *In causa fidei speciale est, quod stetur posteriori dicto testis, licèt in aliis causis regulariter magis stetur priori dicto.*

8 *Limita quando verisimilius est ex coniecturis, quod verum sit dictum posterius.*

9 *Amplia in causa fidei speciale esse, vt stetur potiùs posteriori dicto testis, non solùm quando deponens testificatur contra se, & contra complices suos, sed etiam quando testificatur contra alios.*

10 *Item intelligitur, quando in posteriori dicto quis delictum detegit, non verò si illud neget, cùm tamen in priori dicto delictum manifestauerit: nam in tali casu testis præsumitur fuisse corruptus, & subornatus, & ideò priori dicto potiùs stari debebit.*

11 *Quamvis oppositum aliquando in fauorem innocentis non sit omninò improbabile, saltem de æquitate testis requiritur, vt torqueatur ad hoc, vt stetur non priori, sed potiùs posteriori dicto.*

12 *Iudæus contra Christianum ordinariè non potest esse testis; idemque dic de omnibus infidelibus.*

13 *Neque facilè neophytus, non multò priùs ad fidem conuersus, contra Christianum recipitur in testem.*

14 *Iudæus potest tamen esse testis contra alterum Iudæum.*

15 *Iudæus potest esse testis contra Christianum transeuntem, vel redeuntem ad Iudaismum, non tamen in dicta causa fidei admittitur Iudæus testis in fauorem Christiani.*

16 *Hæreticus in contractibus, & vltimis voluntatibus admitti potest in testem.*

17 *Limita si in eo loco, vbi conficitur Testamentum vel contractus, non inueniantur Catholici, sed solùm hæretici; quamvis non omninò improbabile sit, quod absolutè hæreticus admitti testis in contractibus, & in vltimis voluntatibus de Iure ciuili possit, non autem de Iure Canonico, eo quòd sit excommunicatus.*

18 *Hæreticus potest esse testis in grauissimis delictis, vt in crimine læsæ Maiestatis diuinæ, & humano.*

19 *Hæretico potest etiam fides adhiberi, si verisimile deponat, quia semper veritati locus esse debet.*

20 *Hæreticus similiter potest esse testis contra alium hæreticum.*

ADuerte tamen hic, quod (quamvis inhabiles, 1
quales sunt excommunicati, periuri, infames, criminis socij, seu complices, & alij similes, non admittantur ordinariè ad testificandum, admittantur autem in fauorem fidei, sicuti suprà dicebam.) non tamen duo ex dictis personis sufficiunt ad faciendam probationem plenam, & sic ad inferendam pœnam ordinariam, sed solùm ad faciendam probationem aliqualem, & sic ad inferendam pœnam extraordinariam seu mitiorem, vel ad indicium torturæ. Locatus *in Iudic. Inquisit. verb. complices, num. 1.* (quatenus ait, quod complices in crimine hæresis admittantur quidem ad inquirendum, non tamen ad torturam, & ad condemnationem;) Mascard. *de probat. conclus. 857. num. 32.* & Montemar *in prax. Archiepiscop. cap. 184. num. 11.*

Non obstat si dicas: *In cap. in fidei fauorem, de hæretic. in 6.* dicitur, quod prædictæ personæ, alioquin in aliis delictis inhabiles, admittendæ sint ad testificandum in causa fidei, seu in crimine hæresis, & possint esse de numero testium; at appellatione *numeri* intelliguntur duo, *l. vbi numerus, ff. de testibus, & cap. pluralis locutio, de Regul. Iur.* Ergo duo ex dictis personis, 2
quæ in aliis delictis sunt inhabiles, erunt sufficientes ad faciendam probationem plenam in crimine hæresis.

Respon

3 Respondetur enim, negò consequentiam, quia solùm ibi dicitur, quod in fauorem fidei testes, alioquin inhabiles, admitti possint ad testificandum; non tamen etiam dicitur, quòd duo sufficiant: illorum autem verborum, *de numero testium*; sensus est, ac si diceretur de multitudine testium. Aretinus *in cap. finali, de testibus in fine*, & Palatius *in rubr. in allegat. de hæres. §. vltimo*. Quapropter aliæ coniecturæ requiruntur ad condemnandum, & non sufficiunt duo ea prædictis testibus.

4 Aduerte secundò, quod (quamvis socij criminis admittantur ad alterius hæresim probandam, *cap. in fidei fauorem, de haretic. in 6.* & tenent Gundisaluus *de haretic. quæst. 15. num. 10.* Federic. de Senis *consil. 252.* Mascard. *de probat. conclus. 857. numero 8.* & alij, quos citabam suprà *in principio præsentis sectionis, num. 2.*) debent tamen præstare iuramentum de dicenda veritate: ita vt si illud non præstent, fides ipsis habenda non sit. Clar. *in pract. crim. §. final. quæst. 21. vers. quæro numquid*, Peña *in direct. part. 3. quæst. 64. comment. 113. vers. sed de socio*, & Marsil. *in pract. crimin. §. diligenter, num. 62.* quia socius criminis licèt in persona sua sit reus, nihilominùs deponendo contra alium est testis; & testi non habetur fides, nisi præstito iuramento, *l. iurisiurandi, Cod. de testibus*.

Quidquid in contrarium dixerint quidam (quos sequitur Marcus Antonius Blanc. *tract. de indici.*) quatenus aiunt, quod socios criminis non debeat deponere contra alium socium cum iuramento.

5 Aduerte tertiò, quod cùm dicitur, socios criminis, aliosque criminosos, infames, & inhabiles admitti in crimine hæresis, licet Glossa *in cap. in fidei fauorem, de haretic. in 6. verb. Inquisitionis*, Ioan. Andreas *ibidem, num. 3.* Geminian. *num. 7. & 8.* Syluest. *verb. hæreticus 2. num 6.* & Mascard. *de probat. conclus. 857. num. 10.* intelligant, istos admitti tanquam testes, non tamen tanquam accusatores: probabilius tamen est, quòd prædicti criminosi, infames, & inhabiles possint in fauorem fidei admitti, non solùm tanquam testes, sed etiam tanquam accusatores. Archidiacon. *in dicto cap. in fidei fauorem, num. 2. verb. Inquisitionis, num. 3.* Rojas *sing. 188. num. 6. & seqq. & sing. 191. num. 3.* Carrer. *tract. de hæret. num. 120.* & alij, quia militat eadem ratio, vt propterea idem etiam dicendum sit in alijs delictis grauibus, & enormibus.

6 Aduerte quartò, quod cùm similiter dicitur, testes excommunicatos, infames, periuros, & alios inhabiles admitti ad testificandum in causa fidei, intelligendum est, istos admitti contra hæreticum, seu ad probandum quod aliquis sit hæreticus, non autem admitti etiam in fauorem alicuius de hæresi inquisiti, vel accusati; quia in hoc casu prædicti testes inhabiles à testimonio ferendo repelluntur. Repert. Inquis. *verb. testes, vers. item in illis*, Gigas *de crim. læs. Maiest. lib. 2. rubrica quomodo, & per quos crimen læsæ Maiest. probetur, q. 17.* Farinac. *q. 188. num. 81.* Ioan. Rojas *sing. 188. num. 9. & 10. in tractatu de hæret. part. 2. num. 177. assert. 46.* & alij, quos sequitur Bossius *in tit. de hæret. num. 31.*

Quamvis Anton. Gomez *tom. 5. var. cap. 12. rubr. de probat. delicti, num. 25.* & alij, quos refert Farinacius *quæst. 62. num. 97.* teneant oppositum, & quidem satis probabiliter, quinimò & forsan probabiliùs, iuxta ea, quæ dicam infrà *sect. 7.*

7 Aduerte quintò, quod licèt in alijs causis magis stetur priori dicto testis, quàm posteriori. Innocent. *in cap. præterea, de testib. cogend.* Abbas *in cap. venient 2. de testib.* & Decius *cons. 174. n. 7. & cons. 189.* Tamen in causa fidei speciale est, vt stetur potiùs posteriori dicto testis. Glossa *in cap. accusatus, §. licèt, de hæret. in 6.* Ioannes Monachus *ibidem, num. 7.* Archidiacon. *num. 4.* Rosella *verbo hæreticus 2. num. 31.* & Syluest. *eodem verb. hæreticus 2. num. 6.*

Quod tamen intellige, quando verisimilius est ex coniecturis, quod verum sit dictum posterius, *ex citato cap. accusatus*, ibi: [Si ex manifestis indiciis apparuerit, tales non animi leuitate, aut odij fomite, seu corruptione pecuniæ, sed zelo fidei orthodoxæ dictum suum velle corrigere;] & notant Paris. *cons. 2. num. 78. lib. 4.* Mascard. *de probat. concl. 857. num. 6.* Zanchin. *de hæret. cap. 14. num. 5.* Director Inquisit. *part. 3. q. 65.* & ibi Peña *comment. 114.* Gundisaluus *de hæret. q. 13. num. 12.* Barbos. *in collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 8. n. 17.* & Couar. *lib. 2. var. resol. cap. 13. num. 9.* Et patet etiam ex constitutione Alexandri IV. (quæ incipit, *Quod insuper*) apud Peñam inter literas Apostolicas. 8

Aduerte sextò, quod cùm dixi, in causa fidei speciale esse, vt stetur potiùs posteriori dicto testis, intelligitur non solùm quando deponens testificatur contra se, & contra complices suos (vti clarè habetur *in dicto c. accusatus, §. licèt, de hæret. in 6.*) ibi: *contra se, & alios complices deponendo*, iunctis verbis præcedentibus, *tam de se, quàm de alijs super facto hæresis, &c.* Sed etiam quando testificatur contra alios; vti tenent Doctores, quos sequitur Peña *in 3. part. directer. q. 65. comment. 114. vers. Rursus hac sententia*, & clarè etiam indicatur *in cit. cap.* per illa verba: [Stari debet tam contra se, quàm contra reliquos attestationibus eorundem.] Item intelligitur, quando in posteriori dicto quis delictum detegit, non verò si illud neget, cùm tamen in priori dicto delictum manifestauerit, quia tunc non posteriori, sed priori dicto standum erit (vti indicatur *in eodem cap. accusatus, §. licèt, de hæret. in 6.* ibi: *etiam celando*, & paulò post: *At modò, quæ prius catuerint reuelare*, & notant Repert. Inquis. *verb. testes, vers. sed ponamus*, Zanchin. *tract. de hæret. cap. 14. num. 5.* Peña *in 3. part. direct. q. 65. comment. 114. vers. postremò*, Barbos. *loc. suprà cit.* Decian. *tract. crimin. lib. 5. cap. 35. num. 54.* & Farinac. *quæst. 188. n. 77. & seqq.*) Nam in tali casu testis præsumitur fuisse corruptus, & subornatus, & ideò priori dicto potiùs stari debebit. 9 10

Vide Arelatanum *de hæretic. notab. 13.* (quatenus ait, quod si testis dixerit vnum in Iudicio, postea autem ex interuallo dixerit aliud in eodem Iudicio, stetur primo dicto, non autem secundo, in crimine tamen hæresis speciale sit in fauorem fidei, quod stetur vltimo dicto; quapropter licèt testis primò dixerit, aliquem esse innocentem, postea verò dicat, eum esse nocentem, & hæreticum, statur vltimo dicto, quamvis vtrumque dictum fuerit iudiciale, & iuratum) & Triuisan. *lib. 2. decis. 39. num. 15.* (quatenus inquit, quod in causis fidei sancitum sit, inter duo dicta iurata standum esse dicto, quod fidei fauorem concernit.) Vide etiam quæ dicebam suprà *in principio præsentis sectionis, num. 6.*

Quamvis Simanchas *titul. 64. num. 59. & 60.* & Martinus Delrio *in disquisit. magic. lib. 5. sect. 5.* velint, quod Inquisitores debeant etiam stare secundo dicto, tamen si testis neget hæresim, quam de aliquo in primo dicto confessus fuerat, quia in iudicio, inquiunt ipsi, seruari debet æqualitas, & in crimine tam graui non debet esse fauorabilior detectio hæresis, quàm liberatio innocentis, dummodò scilicet iuxta suprà dicta constet similiter, reuocationem primi dicti factam esse non leuitate, odio, vel pretio, sed zelo Catholicæ fidei, & probitatis, adducta etiam probabili causa suæ reuocationis, seu correctionis primi dicti, quorum Doctorum opinio, si non de rigore Iuris, saltem de æquitate, non est omninò improbabilis.

Aduerte septimò, quod ad hoc vt stetur non priori, sed potiùs posteriori dicto, requiritur vt torqueatur testis; ita Doctores, quos sequitur Peña *in direct. part. 3. quæst. 65. comment. 114. vers. vt autem*, Montemar. *in pract. Archiepiscop. cap. 84. num. 11.* 11

Aduerte octauò, quoad Iudæos, quod Iudæus contra Christianum ordinariè non potest esse testis, *l. quoniam, Cod. de hæret.* ibi: *Velis etiam, qui Iudaicam super-*

quod inimicus sæpè non verum dicere, quin & falsum deponere præsumitur, cùm non ex zelo iustitiæ, sed ex vindicta procedere credatur, iuxtà textum *in cit. cap. si testes 4.q.3. in cit. cap. meminimus, in cit. c. repellantur, & in cap. cùm oporteat, de accusat.*

2 Confirmatur, quia inimicus ob inimicitiam repellitur ab accusando, *cap. per tuas, & c. licet, de simonia.* Ergo multò magis ob inimicitiam repelli debet à testificando, cùm magis nocere possit in testificandò, quàm in accusando. Vide quæ dicebam suprà *dub. 182. circa finem.*

3 Aduerte tamen, quod à testificando non repellatur quilibet inimicus, sed solùm inimicus capitalis; quia cùm hoc crimen hæresis sit valde graue, & valde grauibus pœnis puniatur, non præsumitur falsum testificari testis, nisi qui grauiter à testificato offensus fuerit. Vide Doctores, quos mox infrà citabo.

4 Aduerte 2. quod (cùm pro qualitate inimicitiæ semper præsumptio facultatis oriatur) fit quod propterea, licet testimonium inimici non capitalis admittatur, admittatur tamen tanquam infirmum. Parisius *cons. 1. n. 46. & seq. lib. 4.* Zechius *in sum. part. 1. tit. de fide, rubr. de hæresi, c. 11. n. 14.* Eymer. *3. part. Direct. rubr. de defension. reorum, q. 118. vers. 1.* & *ibi* Peña *comment. 28. vers. illis tamen exceptionibus, & q. 67. comment. 116. vers. causas verò.* Decian. *tract. crimin. lib. 3. c. 35. n. 10.* Vmbert. Locat. *in iudicial. Inquisit. verbo inimicitia, n. 3.* Campeg. *in addit. ad Zanch. tract. de hæret. c. 13. in verbo conspiratores,* & alij quos sequitur Farinacius *q. 188. num. 100.*

5 Aduerte 3. quod cùm dixi, testimonium inimici capitalis non admitti, debeat intelligi de inimico capitali vero, non autem de suspecto, qualis est qui cum inimico meo amicitiam strictam, parentelam, subiectionem vel confœderationem contraxit: Talis enim, si videbitur Inquisitori (v. g. si adsint probabiles coniecturæ, quod non ducatur ad testificandum ex odio, sed ex zelo fidei, & veritatis) admitti poterit, tametsi de illius fide multùm diminui debeat, Zanchinus Calder. *tract. de hæret. Rubric. de iis, quæ pertinent ad executionem Officij, n. 8. & seq. & in Rubr. de materia Process. Inquisit. n. 6. & 7.* Campeg. *loco suprà citato, c. 31. vers. testium quoque impedimentum,* & alij quos citat, & sequitur Farin. *q. 188. n. 107.* & Sousa *in Aphorism. Inquisit. lib. 2. cap. 10. n. 8.*

Quamvis alij, & forsan ex probabiliori, sentiant oppositum ex eo, quia qui cum meo inimico amicitiam strictam, parentelam, subiectionem vel confœderationem contraxit, vnus cum illo factus est, ac proinde easdem qualitates accepisse videtur; idemque de vtroque præsumi debet. Hieron. Gabriel *lib. 1. cons. 178. num. 8. & 24.* & Peña *in comment. 116. vers. Item præsumuntur,* quatenus ibi probat, quod à testimonio ferendo repellatur primò, qui cum inimicis meis commoratur, *cap. Accusatoribus, 3. q. 5. cap. Cùm oporteat, & cap. Repellantur, de accusat.* Secundò amicus intimus inimici mei, quia verè est meus inimicus. Tertiò qui affinitatem cum inimicis meis contraxit, ex Baldo, & aliis *in l. liberi, C. de inoffic. Testament.*

A testimonio igitur ferendo probabiliùs repelluntur, qui ex inimico capitali descendunt; quia tales præsumuntur inimici, *l. Arleta, §. dat remissionem, ff. de excus. tutor.* & tradunt Anton. Gomez *tom. 3. var. resol. c. 21. n. 14.* Angel. *cons. 248.* *Alex. cons. 24. lib. 2.* & Marsil. *in l. 1. §. præterea, ff. de quæst. n. 103.* Item repelluntur etiam qui cum inimicis eius, contra quem ferunt testimonium, commorantur, *dicto cap. Accusatoribus, 3. q. 3. dicto cap. Cùm oporteat, & dicto c. Repellantur, de accusat.*

6 Cæterùm quisnam dicatur inimicus capitalis? Arbitrio Iudicis relinquitur, cùm à Iure capitalium inimicitiarum causæ non sint præscriptæ, sicuti rectè præter alios adnotauit Felinus *in cap. Cùm oporteat, de accus. n. 5.* Marian. Socc. *in cap. Repellantur, de accusat. n. 23.* Videri poterit etiam Peña *citato comment. 116.* Giaxxius *in discept. crim. discept. 34. c. 1. n. 1.* & Læl. Zech. *sum. part. 1. tit. de fide, rubr. de hæresi, c. 11. n. 14.* Et quidem capitalium inimicitiarum causa censetur, v. g. si quempiam offenderis vulnerando, vel percutiendo manu, baculo, vel virga, &c. Alexand. *cons. 99. lib. 1.* & Anton. Gomez *tom. 3. var. c. 8. n. 1.* Item secundò, si quempiam graui contumelia affeceris, Marsil. *in l. 1. §. præterea, ff. de quæst. & cons. 3.* Item tertiò, si cuipiam litem intuleris de omnibus bonis, vel de maiori parte eorum. Alex. *cit. cons. 99.* Ananias *in cap. Cùm oporteat, de accusat. n. 6.* & Alb. *in cap. 1. de Iudic. n. 3. & in cap. Repellantur, de accus. n. 4.* Item quartò, si quempiam volueris afficere, vide DD. quos sequitur *Director. Inquisit. part. 3. q. 118.* Item quintò, si cuipiam comminatus fuerit mortem. Glossa *in cap. licet, ff. de recept. arbitr. verb. capitales,* & Ananias *in cit. cap. Cùm oporteat, de accusat. num. 7.* quod intellige, si minas executioni mandare potueris, vel si quod minatus es, adimplere consueueris. Alex. *cons. 14. num. 3. lib. 3.* & Grammat. *cons. 57. n. 8.* Item sextò, si cuiuspiam consanguineum occideris. Soc. *in dicto cap. repellantur, de accusat. n. 14.* & Marsil. *in l. 1. §. præterea ff. de quæstion.* Item septimò, si quempiam de crimine capitali accusaueris, Glossa *in l. 3. verbo capitale, ff. de recept. arbitr.* & Zabarella *in cap. Cùm oporteat, de accusat. n. 52.* quia omnia hæc, quæ vsque adhuc dixi, censentur capitalium inimicitiarum causæ, & indicia sufficientia.

7 Aduerte 4. quod cùm dixi, excludi inimicum capitalem, excludatur etiam reconciliatus, reconciliatione scilicet recenti, ob timorem, ne adhuc in animo reliquias inimicitiæ conseruet, & occasione accepta vindictam sumat falsum deponens. Secus si fuerit reconciliatus reconciliatione antiqua, & benè fundata. Quia tunc nulla est inimicitiæ suspicio rationabilis, & consequenter nulla est causa, ob quam à testimonio ferendo repellatur, Alexand. *cons. 99.* Grammat. *cons. 57.* Aleiat. *tract. de præsumpt. regul. 2. præsumpt. 11.* Rojas *singul. 199. n. 4.* Mascard. *de probat. lib. 2. concl. 857. n. 47.* Peña *cit. comment. 116. circa finem,* & alij (quos sequitur Farin. *q. 54. n. 59. & q. 188. n. 105.*) ex textu *in cap. Accusatores 1. 3. q. 5.* ibi: [Accusatores, & testes esse non possunt, qui antè hesternam diem, aut nudiustertius inimici fuerint, ne irati nocere, vel læsi se vlcisci velint.]

8 Quandonam autem dicatur reconciliatio recens, vel antiqua, & benè fundata, relinquitur arbitrio Iudicis, Campeg. *de testib. regul. 23. in 3. fallentia,* Mascard. *lib. 1. de probat. concl. 809. n. 10.* Peña *loco suprà citato,* Clarus *in Practica, §. final. q. 24. vers. sed quid,* & Farin. *cit. q. 54. n. 62.*

9 Cæterùm hæc reconciliatio nunquam præsumitur, quapropter allegandi incumbit onus probandi, quia semel inimicus probatus, in inimicitia perseuerare præsumitur, *l. incipiens, C. famil. Erciscund.* & ibi Bald. Decian. *tract. crimin. lib. 3. cap. 23. n. 86.* Menoch. *de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 42. n. 7.* & alij passim.

10 Aduerte 5. quod vt inimicus capitalis à testimonio ferendo repellatur, non debeat esse inimicitia à parte procurata; quia si procurata fuit ad appellandum testem, qui crimen manifestaturus erat, non debet illi prodesse: cùm iustum non sit, quod ex sua iniquitate commodum reportet. Mascard. *de probat. lib. 2. conclus. 857. n. 34.* Peña *3. part. Directorij, comment. 116. circa finem, vers. rursus non procedunt,* & alij multi, quos citat, & sequitur Farinacius *q. 54. n. 64.*

11 An autem inimicitia sit procurata per fraudem à parte, relinquitur arbitrio Iudicis: vide Doctores, quos citat, & sequitur idem Farin. *ubi suprà, n. 65.*

12 Cæterùm nunquam creditur testi dicenti, partem inimicitiam procurasse: debet enim id aliunde, quàm ex suo dicto probari: Rota, quam citat, & sequitur Crescentius *decis. 3. n. 5. & 6. in tit. de testibus.*

SECTIO III.

An supradicti testes, aliàs inhabiles, non solùm admittantur ad probandum delictum, sed etiam ad probandum alia adminicula, seu circunstantias cum delicto connexas?

SVMMARIVM.

1 *Testes supradicti alias inhabiles secundùm aliquos non solùm admittuntur ad probandum delictum, sed etiam ad probandum alia adminicula, seu circunstantias cum delicto connexas, ex eo quod asserant admissos ad probandum delictum, admitti debere etiam ad probandum omnia illa, sine quibus delictum esse non potest.*

2 *Qui dat formam, dat consequentia ad formam, & vno concesso, conceduntur omnia illa sine quibus id esse non potest, alias videtur diminuta, quinimmò inutilis concessio.*

3 *Testes predicti alias inhabiles admittuntur ad probandum delictum, & adminicula, seu circumstantias solùm illius intrinsecas, delictumque inferentes; secus verò ad probandum adminicula, seu circumstantias extrinsecas negotio, pro quo ipsi admittuntur, etiamsi necessariò præsupponantur delicto.*

4 *Hæresis, quæ punitur ab Ecclesia, non potest committi, nisi à baptizato: quo supposito, licèt testes criminosi, & aliàs inhabiles admittantur ad probandam hæresim, non tamen admittuntur ad probandum baptismum; quia baptismus nihil commune habet cum hæresi.*

5 *Infames admittuntur ex Bartolo ad probandum Rectorem cuiusdam Prouinciæ non admisisse successorem Regem, ac proinde læsæ Maiestatis humanæ crimen commisisse; non tamen admittuntur ad probandum esse successorem illum Regni legitimum, cùm tamen id necessariè præsupponatur ad committendum crimen læsæ Maiestatis humanæ.*

6 *Infames si ex statuto admittantur secundùm Baldum ad probandum adulterium, non inde infertur etiam, quod admittantur ad probandũ matrimonium adesse.*

7 *Delicti substantialia nullo modo dici debent illa, quæ in alio genere præsupponuntur delicto; sed solùm illa, quæ præsupponuntur delicto, tanquam illatiua illius; esse autem baptizatum non infert hæresim, neque illius est pars, neque successio in regno infert rebellionem subditorum, neque matrimonium infert adulterium; contra regulam citatam; quod concesso vno, conceduntur etiam ea, sine quibus id esse non potest.*

1 AFfirmant Salicetus *in Auth. si dicatur, n. 11. C. de testibus*, Angel. *in l. famosi, n. 3. ff. ad leg. Iul. Maiest.* Gigas *de crimin. læs. Maiest. lib. 2. rubr.* quomodò & per quos crimen læsæ Maiestatis probetur, *quæst. 5. per totam*, & alij quos sequitur Bossius *in tit. de crimin. læs. Maiest. num. 114.* quatenus aiunt, testes admissos ad probandum aliquod delictum admitti debere ad probandum etiam omnia illa, sine quibus delictum esse non potest; quia omnia illa (inquiunt ipsi) sunt substantialia delicto.

2 Confirmantur, quia qui dat formam, dat consequentia ad formam, & vno concesso, conceduntur omnia illa, sine quibus id esse non potest: aliàs videretur diminuta, quinimmò inutilis concessio, ex textu *in l. 1. §. Iurisdictio, ff. de Iurisd. omn. Iudic. & in l. ad rem mobilem, ff. de Procurator.* sed crimen hæresis (quod punitur ab Ecclesia) non potest esse, nisi v. g. à baptizato: Ergo concesso infamibus, vt possint esse testes in hoc crimine, conceditur etiam, vt possint testificari omnia illa, sine quibus tale crimen esse non potest: His tamen non obstantibus,

Respondetur: Prædictos testes, aliàs inhabiles, admitti ad probandum delictum, & adminicula, seu circumstantias solùm illius intrinsecas, delictumque inferentes; secùs verò ad probandum adminicula, seu circumstantias extrinsecas negotio (pro quo ipsi admittuntur) etiamsi necessariò præsupponantur delicto: vide Doctores, quos sequitur Sousa *in Aphor. Inquis. lib. 2. cap. 13. num. 7.* Narbona *in Recapit. part. 2. leg. 2. gloss. 7. num. 6. & 7.* Farinac. *lib. 2. Praxis, tit. 6. & q. 56. de testibus, n. 78. & seqq. & q. 62. n. 69.* 3

Exempli gratia hæresis (quæ punitur ab Ecclesia) 4
non potest committi, nisi à baptizato, sicuti dicebam: quo supposito, dico: licet testes criminosi, & aliàs inhabiles, admittantur ad probandam hæresim, non tamen admittuntur ad probandum baptismum; quia baptismus nihil commune habet cum hæresi, cùm ex baptismo non inferatur hæresis, neque è contra: benè tamen admittuntur ad probandum indicia, ex quibus infertur hæresis, v. g. ad probandum familiaritatem cum hæreticis, conuenticula secreta, & alia huiusmodi; cùm hæc delictum inferant, & sint de intrinseca substantia illius.

Confirmatur ex Bartolo *in l. quæstionibus, ff. ad l. Iul.* 5
Maiest. quatenus ibi ait, infames admitti quidem ad probandum, Rectorem cuiusdam Prouinciæ non admisisse successorem Regem, ac proinde læsæ Maiestatis humanæ crimen commisisse; non tamen admitti ad probandum, esse successorem illum regni legitimum: Cùm tamen esse successorem illum legitimum, necessariò præsupponatur ad crimen læsæ Maiestatis humanæ committendum.

Confirmatur secundò ex Baldo *in Auth. si testis pro-* 6
ducti, n. 7. C. de testibus, quatenus ibi docet, quod si Statuto admittantur infames ad probandum adulterium, non inde infertur, quod admittantur etiam ad probandum, matrimonium adesse; cum tamen sine matrimonio adulterium adesse non possit.

Et ratio horum omnium est, quia sicuti dicebam, nec successio in Regno infert rebellionem subditorum, nec matrimonium infert adulterium, nec cum his delictis aliquid commune habent.

Atque hinc patet ad fundamentum aduersariorum 7
in contrarium; quia ex dictis nullo modo substantialia delicti dici debent illa, quæ in alio genere præsupponuntur delicto, sed solùm illa, quæ præsupponuntur delicto, tanquam illatiua illius; esse autem baptizatum non infert hæresim, neque illius est pars; Neque successio in Regno infert rebellionem subditorum; Neque matrimonium infert adulterium: Quapropter ex concessiona facta testibus aliàs inhabilibus, vt testentur de hæresi, de rebellione, de adulterio, &c. non conceditur testari etiam de illis sic præsuppositis.

Hinc etiam patet ad confirmationem; quia aduersùs dicta non pugnat vulgaris Regula illa: Quod scilicet concesso vno, concedantur etiam ea, sine quibus id esse non potest; quia intelligitur Regula solùm de iis quæ sunt in eodem genere, & quæ se mutuò inferunt, vti suprà dicebam.

SECTIO IV.

An prædicti testes, aliàs inhabiles, admittantur in hoc crimine hæresis, etiamsi non via Inquisitionis, sed via accusationis procedatur?

SVMMARIVM.

1 *Testes prædicti aliàs inhabiles non admittuntur secundùm aliquos in hoc crimine heresis, etiamsi*

via

via accusationis procedatur; quia à testimonio ferendo excluduntur.

2 *Accusatio non est fauorabilis, quemadmodum est Inquisitio, consequenter priuilegium concessum pro Inquisitione non debet extendi ad accusationem.*

3 *Item quia si in accusatione tales testes admitterentur, eorum admissio non tam esset in fauorem fidei, quàm in fauorem accusatoris.*

4 *Testes prædicti aliàs inhabiles, quod admittantur in hoc crimine hæresis, etiamsi via accusationis procedatur, est probabilius; quia non videtur Pontifex voluisse restringere priuilegium admittendi testes inhabiles in crimine hæresis, ad casum, in quo via inquisitionis proceditur, aliàs hoc expressisset.*

1 NEgant Glossa *in cit. cap. in fidei fauorem, verbo Inquisitor*, Ioan. Andreas *ibid. num.* 3. Franch. *n.* 3. Geminian. *n.* 7. Decian. *tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 15. *n.* 2. Repert. Inquisit. *verbo testes, vers. nota distinctionem*, Mascard. *de probation. lib.* 2. *conclus.* 817. *n.* 3. & alij, quos sequitur Farinacius *de hæres. q.* 188. *n.* 78. & Barbosa *in collect. tom.* 3. *lib.* 5. *tit.* 2. *cap.* 5. *n.* 8.

Probant, quia prædicti testes, aliàs inhabiles, à testimonio ferendo excluduntur, *cap. testes,* 2. *q.* 7. *cap. testimonium, de testib. cap. licèt, de probat. & cap.* 1. *de præscription.* Ergo in tantum admitti poterunt, in quantum ipsis à lege concessum fuerit: *At in supradicto c. in fidei fauorem, de hæret. in* 6. solùm conceditur, cùm iudex procedit via inquisitionis, vti constat ex illis verbis: *In negotio Inquisitionis*: Ergo, cùm sit à regula generali, exceptio non debet extendi ad viam accusationis, seu cùm via accusationis proceditur.

2 Confirmatur; quia accusatio non est fauorabilis, quemadmodum est Inquisitio, ex textu *in cap. si quis Episcopus,* 2. *quæst.* 7. Ergo priuilegium concessum pro Inquisitione non debet extendi ad accusationem.

3 Confirmant 2. quia si in accusatione tales testes admitterentur, eorum admissio non tam esset in fauorem fidei, quàm in fauorem accusatoris, cui ius fauere non intendit: Ergo. His tamen non obstantibus

4 Respondetur: Probabiliùs affirmant Archidiaconus *in cit. c. in fidei fauorem, n.* 2. Carrer. *tract. de hæret. n.* 120. Rojas *singul.* 188. *num.* 6. *& seqq. & singul.* 191. *n.* 3. Gundisaluos *de hæret. q.* 130. *n.* 17. Farinacius sibi contrarius *q.* 162. *n.* 86. Sousa *in Aphor. Inquisit. lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 6. & alij complures, quos refert Mascard. *lib.* 1. *conclus.* 857. *n.* 31.

Probatur, quia priuilegium admittendi testes inhabiles in crimen hæresis non videtur voluisse Pontifex restringere ad casum, in quo via Inquisitionis proceditur; aliàs hoc expressisset; & ex verbis supradicti textus in fauorem fidei hæc restrictio non colligitur: Ergo non est, cur priuilegium in fidei fauorem concessum, limitari debeat ad casum in quo via Inquisitionis in negotio Inquisitionis proceditur, cùm possit illud intelligi de quocumque modo procedendi, seu quocumque modo procedatur. Quod autem ex verbis supradicti textus in fidei fauorem hæc restrictio non colligatur, patet; quia Pontifex inquit *ibi*: in fidei fauorem concedimus, vt in negotio Inquisitionis hæreticæ prauitatis excommunicati, & participes, vel socij criminum ad testimonium admittantur: At cùm inquit, *in negotio Inquisitionis*, quid commune dixit, siue via accusationis procedatur; quia quocumque modo Inquisitor procedat, hæreticam prauitatem inquirit; & in

5 negotio Inquisitionis versatur: Ergo, &c.

Atque hinc patet ad fundamentum aduersariorum, & ad primam confirmationem: patet etiam ad secundam, quia licèt id quodammodo sit in fauorem accusatoris, principaliter tamen est in fauorem fidei, cui ius fauere intendit; sicque in vtroque casu videtur eadem ratio in fidei fauorem.

SECTIO V.

An prædicti testes inhabiles in hoc crimine hæresis excepto admitti debeant absque tortura.

SVMMARIVM.

1 *Testes prædicti inhabiles regulariter ad testificandum licet admittantur in crimine hæresis ob fauorem fidei, secundùm aliquos tamen torqueri debent, licèt leuiter: At oppositum est probabilius, videlicet admitti debere ad testimonium dicendum sine vlla tortura, quotiescumque ex officio examinantur, vel in fauorem fidei ipsi ex propria conscientia exactè deponunt; quia non videtur iustum torquere testes, quorum non interest testimonium, & bono communi, & Republicæ fauent.*

2 *Item daretur occasio, ne quis esset qui testimonium ferret.*

3 *Textus* in l. ob carmen, ff. de testibus, *non obstat; quia loquitur de teste producto à parte in sui fauorem, vel ab accusatore pro sua intentione fundanda; quopropter vltra inhabilitatem, quam habet, suspectus de veritate redditur.*

4 *Testes prædicti in praxi ex communi stylo sacræ Inquisitionis non torquentur.*

5 *Testes supradicti, vtpote inhabiles, à testimonio ferendo regulariter repelluntur: At in criminibus exceptis, & in causis fidei propter Religionis fauorem, ne tam graue crimen hæresis impunitum remaneat, admittuntur, etiamsi sponte, & sine tormentis testimonium tulerint.*

6 *Testes prædicti aliquando, spectata eorum improbitate, torqueri possunt, & debent.*

NEgant ex communi sententia Glossa *in c. cùm, de accus. & in c. per tuas, de simonia*, Bart. *in l. cunctos populos, C. de summa Trinit. & fide Cathol. n.* 12. (quatenus ait, quod testes infames, seu infamia facti, seu infamia iuris, non admittantur nisi in subsidium, & cum tormentis) Marsil. *cons.* 109. *n.* 13. *& seq. & in pract. crimin. §. diligenter, n.* 61. *&* 62. Genuens. *in pract. Archiep. c.* 68. *n.* 11. (quatenus inquit, quod licèt secundùm Simancham testi socio criminis sit adhibenda fides, etiam sine tormentis, praxis tamen se habeat in contrarium, quod scilicet torqueatur aliquantulum ad validandam ipsius depositionem contra socium, Riccius *part.* 3. *decis.* 293. Triuisan. *lib.* 2. *decis.* 19. *n.* 7. Zanard. *in Direct. Theolog. part.* 3. *c.* 94. (quatenus plus asserit quod scilicet duo socij criminis faciant indicium ad torturam, dummodo cum aliquibus indiciis deponant, & dictum suum in tormentis sustineant.) Queued. *de iudic. & tert. part.* 2. *c.* 5. *n.* 10. Narbona *in Recop. part.* 2. *lib.* 8. *tit.* 12. *leg.* 2. *gl.* 5. *n.* 36. *&* 40. Cathario. *de interrogat. reor. lib.* 4. *c.* 2. *n.* 13. Caballus *centur.* 1. *cas.* 32. & specialiter loquens de crimine hæresis, Campeg. *in Addit. ad Zanch. tr. de hæret. c.* 9. *lit. C, in verbo Inquisitores, vers. adsunt insuper,* Clar. *pract. crimin. q.* 21. *vers. suam etiam,* Martin. Delrio *disquisit. magic. lib.* 5. *q.* 11. *& eod. lib.* 5. *sect.* 3. *vers. sed quosdam,* Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 13. *part.* 4. *vers. cæterùm*: Ergo generaliter loquens de quolibet crimine excepto. Farin. *de testib. q.* 56. *n.* 57. *& q.* 62. *&* 72. *n.* 23. *& seqq.* quamvis omnes hi DD. subdant, esse tamen hos testes solùm leuiter torquendos, & Valentia cum nonnullis aliis sentiat, sufficere torturæ timorem. His tamen non obstantibus.

Respondetur: Probabilius esse oppositum (quod docent Simanch. *de cathol. instit. tit.* 64. *rubr. de testibus, n.* 37. *& seqq.* Anton. Gomez *lib.* 3. *var. resol. cap.* 13. *n.* 16. Auendan. *resp.* 31. *n.* 8. Freytas *in addit. ad tract.*

de

de confess. sollic. q. 4. n. 42. & 43. Anton. de Ballis *tract. var. lib. 1. q. 26. n. 6.* vbi sic testatur de praxi, & fatetur Caballus *vbi suprà, & cas. 84. n. 11. & 12.* dicens, quod licèt non valeat dictum socij sine tortura, tamen in multis locis non seruetur in praxi: Item Peña *3. part. Directorij, q. 64. comment. 113. vers. illa est etiam,* vbi licet contrariam sententiam asserat esse veram, hanc tamen dicit esse benigniorem, & fauorabiliorem fidei, ac proinde sequendam: Item Rojas *tract. de hæret. part. 2. n. 153.* Decian. *in tract. crim. lib. 5. c. 35. num. 1.* Scaccia *tract. de Indic. c. 82. n. 2.* Mascard. *de probat. lib. 2. concl. 857. n. 3.* & Læl. Zech. *sum. part. 1. tit. de fide, rubr. de hæret. c. 11. n. 14.*) Prædictos scilicet testes excommunicatos, infames, criminosos, criminis socios, vel ex quocumque alio capite similiter inhabiles, admitti posse, & regulariter admitti debere ad testimonium dicendum sine vlla tortura, quotiescumque ex officio examinantur, vel ipsi in fauorem fidei, & ex propria conscientia coacti deponunt.

Probatur, quia non videtur iustum torquere testes, quorum non interest testimonium, & qui bono communi, & Reipublicæ fauent.

2 Confirmatur, quia aliàs tales testes, si scirent testimonium suum non admitti, nisi priùs tormentis examinentur, & firmentur, à testimonio dicendo retraherentur, quod in graue Reipublicæ, & Religionis detrimentum cederet.

3 Objicies ex aduersariis textum *in l. ob carmen, §. si ea rei conditio, ff. de testibus,* à Iure Canonico *in c. illi qui, 5. q. 5. in cap. in primis, 2. q. 1. & in c. si testes, 4. q. 3.* approbatum, vbi expressè dicitur: [Si ea rei conditio sit, vbi arenarium testem, vel similem personam admittere cogimur, sine tormentis testimonio illius credendum non est.]

Respondetur, textum hunc, & quidem à Iure Canonico pluries approbatum, non obstare; quia loquitur de teste producto à parte in sui fauorem, vel ab accusatore pro sua intentione fundanda: Hic enim testis, quem iudex admittere cogitur, credi meritò non debet absque tortura; quia ipse non partes iudicis, sed partes rei, vel accusatoris agit: Quapropter vltra inhabilitatem, quam habet, suspectus de veritate redditur. Et ideò mirum non est, si habeat suspicionem illam tormentis purgare; secus verò dicendum est de teste ex officio iudicis examinato, & qui zelo Fidei, & Reipublicæ testimonio dicendo se offert.

4 Atque, hos testes sine tortura regulariter admitti, vniuersalis Inquisitionis praxim esse, præter alios fatetur etiam Farin. *q. 188. n. 68.* Quamvis in aliquo casu, arbitrio Iudicis, torqueri posse, leuiter tamen, concedant Rojas, Scaccia, Mascardus, Læl. Zech. *in locis suprà citatis,* & alij quos mox infrà citabo.

5 Testes igitur prædicti, qui (vtpote inhabiles) à testimonio ferendo regulariter repelluntur, at in criminibus exceptis, & in causis fidei propter religionis fauorem (ne tam graue crimen hæresis impunitum remaneat) *ex cap. in fidei fauorem, de hæres. in 6.* admittuntur, faciunt siue maius, siue minus contra nominatum reum indicium; spectatis personarum qualitatibus, aliisque circumstantiis (etiamsi sponte, & sine tormentis testimonium tulerint) propter rationes quas suprà dicebam.

6 Quamvis non inficier, quod aliquando, arbitrio Iudicis, vti etiam dicebam, spectata testium infamium improbitate, & varietate, torqueri possint, quin etiam & debeant. Peña *in direct. Inquis. part. 3. q. 46. comment. 113.* Rojas *de hæreticis, part. 2. n. 153.* Simanch. *de cathol. instit. tit. 64. n. 37.* Anton. Gomez *var. resolut. lib. 3. cap. 12. num. 16.* Sigismund. Scaccia *tom. 1. lib. 1. c. 82. num. 2.* Sousa *in Aphorism. Inquisit. lib. 1. cap. 13. num. 15.* & alij quos mox suprà citabam; sicque (quod scilicet dicti testes ordinariè non torqueantur) seruatur in Tribunali Inquisitionis Hispanicæ; sicque etiam, teste Aloysio Riccio *part. 2. decis. 268.* seruatur in Curia Archiepiscopali Neapolitana.

SECTIO VI.

An prædicti testes, aliàs inhabiles (infames scilicet, criminosi, socij criminis, excommunicati, &c.) admittantur solùm in defectum aliarum probationum; secus si veritas aliter haberi possit?

SVMMARIVM.

1 *Testes prædicti, aliàs inhabiles, &c. licèt secundum aliquos admittantur solùm in defectum aliarum probationum, oppositum tamen est probabilius in fidei fauorem.*

2 *Aduerbium, præsertim, in textu* in fidei fauorem, de hæretic. in 6. *est ampliatiuum, & denotat illos in omni casu admittendos esse, præsertim in illo: Explicat enim casum minus dubitabilem, & inuoluit, seu supponit casum magis dubitabilem.*

3 *Aduerbium, præsertim, in textu* in cap. literas, de restitutione spoliat. *facit eundem sensum.*

4 *Testes infames, & aliàs inhabiles admittuntur, cùm veritas aliter haberi non potest de iure communi.*

AFfirmant nonnulli, quos sequitur Eymer. *3. part. director. q. 69.* & Martin. Delrio *disquis. magic. lib. 5. sect. 5. §. possunt in hac causa;* quia solùm in tali casu eorum admissio necessaria reputatur. His tamen non obstantibus.

Respondetur omninò oppositum, cum Syluestro *verb. Hæreticus, §. 2. n. 6.* Repertor. Inquis. *verb. testes, vers. est tamen,* Scaccia *de indic. tom. 1. lib. 1. cap. 82. n. 2.* Decian. *tract. criminal. lib. 5. cap. 35. num. 1.* Simanch. *de cathol. Instit. tit. 35. rubr. de testibus, num. 17.* Vmbert. Locat. *in iudicial. Inquisit. verb. excommunicati, num. 4.* Farinac. *de hæres. q. 188. §. 5. num. 74.* & aliis dicendum esse, prædictos scilicet testes admitti, siue aliæ probationes adsint, siue non adsint, seu deficiant. 1

Probatur, quia in citato textu *in fidei fauorem, de hæretic. in 6.* Pontifex ait: [In fidei fauorem hos admitti posse, præsertim in defectum aliarum probationum:] sed aduerbium, *Præsertim,* est ampliatiuum, & denotat, illos in omni casu esse admittendos, præsertim in illo: Ergo. Minor probatur, quia aduerbium *præsertim,* seu *maximè,* explicat casum minùs dubitabilem, & innoluit, seu supponit casum magis dubitabilem; vide Doctores communiter, quos citat, & sequitur Gutier. *lib. 1. canonic. quæst. cap. 20. n. 5. & seqq.* Barbosa *in tract. de dictionibus vsufrequent. dict. 277. n. 4.* & Sanchez *de matrimon. lib. 2. disp. 39. n. 6.* 2

Confirmatur, quia ex textu *in cap. literas, de restit. spoliat.* (vbi de conscio impedimenti consanguinitatis, præsertim in gradibus prohibitis lege diuina deciditur, quod debitum reddere non possit,) Doctores apud Sanchez vbi suprà deducunt, quod neque debitum reddere possit, si impedimentum sit ex gradibus prohibitis lege humana: Ergo à pari idem similiter in casu nostro dicendum erit. 3

Confirmatur 2. quia testes infames, & aliàs inhabiles, admitti (cùm veritas aliter haberi non potest) de iure communi statutum est *in cap. veritas 2. de testib. & in cap. finali, de testib. cogend.* & tradunt communiter Doctores, quos citat, & sequitur Farinac. *q. 62. n. 50.* Ergo si dicti testes in casu nostro solùm admitterentur, in defectum aliarum probationum hos admitti, non esset specialis fauor fidei, contra textum *in cap. in fidei fauorem, de hæretic. in 6.* 4

Atque hinc patet, quid dicendum sit ad fundamentum aduersariorum in contrarium.

SECTIO

SECTIO VII.

An prædicti testes, aliàs inhabiles, admitti etiam possint in defensionem hæretici, si ab ipso inducantur?

SVMMARIVM.

1 *Testes aliàs inhabiles, contra nonnullos contrarium sentientes, admitti etiam possunt in defensionem hæretici, si ab ipso inducantur, licèt non faciant plenam fidem, præsertim cùm defensio aliter haberi non possit: Quia si admittuntur ob fauorem Fidei, & Actoris ad probandum crimen, non est cur admitti non possint, & debeant in fauorem delinquentis.*

2 *Frater in crimine hæresis admittitur ad purgationem fratris; cùm tamen de iure ciuili, & canonico domestici omnes à testimonio in fauorem ipsorum domesticorum repellantur.*

3 *Textus* in cit. c. in fidei fauorem, de hæreticis in 6. *non obstat; quia fauor fidei est, prædictos testes aliàs inhabiles admitti etiam, dum esse possint aliæ probationes.*

1 NEgant iuxta ea (quæ dicebantur suprà *sect. 1. Adnotand. 4.* ex satis probabili sententia aliquorum) Rojas *singul. 188. n. 9. & 10.* (vbi sic inquit: ad defensionem hæreticorum testes inhabiles, & minùs idonei non admittuntur; Idque innuere videtur textus *in cap. in fauorem fidei*, de qua conclusione est casus expressus *in c. Filij, vel hæredes, in fine, eod. tit.* ibi: [Non tamen per vxores, filios, familiares, vel de suis aliquos, sed per testes alios fide dignos:] Idque etiam expressè habetur *in Directur. part. 3. cap. 70.*) *& in tract. de hæres. part. 2. assert. 46. n. 177.* Ioseph. Sesse *tom. 4. decis. 477. n. 35.* Malleus Maleficar. *tom. 1. part. 3. q. 4.* Gundisaluus *de hæret. q. 13. n. 24.* Zecch. *in sum. tom. 2. tit. de hæret. cap. 11. n. 14.* Gigas *de crimine læs. Maiest. lib. 2. rubr. Quomodo, & per quos crimen læsæ Maiest. probet. q. 17.* Repert. Inquisit. *verb. testes, vers. an illi testes inhabiles,* Farin. *q. 188. n. 81.* & Bossius *tit. de hæret. n. 3.* His tamen non obstantibus.

Respondetur: Probabiliùs affirmant Sousa *in Aphorism. Inquisit. lib. 2. cap. 13. num. 8.* (vbi ait, quod testes Inhabiles admittuntur, etsi non plenè, ad defensionem rei in crimine hæresis, dummodò inde non sequatur pœna parti accusanti.) Anton. Gomez *tom. 3. variar. cap. 12. rubr. de probat. delict. n. 23.* & alij, quos refert idem Farin. *q. 62. n. 97.* prædictos testes scilicet admitti (etsi non plenè) in defensionem rei, præsertim quando defensio aliter haberi non potest.

Probatur, quia si admittuntur ob fauorem Fidei, & Actoris ad probandum crimen, non est cur admitti non possint, & debeant etiam in fauorem delinquentis ad eius innocentiam probandam, præsertim quando aliunde illa probari non potest, vti suprà dicebam.

2 Confirmatur, quia *in cap. literas, de præsumpt.* admittitur in crimine hæresis Frater ad purgationem fratris; cum tamen de iure ciuili, & canonico omnes domestici à testimonio in fauorem ipsorum domesticorum repellantur, ex textu *in l. testes, ff. de testib. & in cap. si testes, §. testes 4. q. 3.* Ergo sic, &c.

3 Obijcies textum *in cit. cap. in fidei fauorem, de hæret. in 6.* vbi in fauorem fidei conceditur, prædictos testes admitti ad testimonium contra hæreticos, credentes, fautores, defensores, & similes: Ergo per argumentum à contrario sensu admitti non possunt pro ipsis hæreticis, credentibus, fautoribus, defensoribus, & similibus.

Respondetur, textum hunc non obstare; & sic nego consequentiam; quia fauor fidei est, prædictos testes aliàs inhabiles, admitti etiam, dum esse possint aliæ probationes; at in defensionem hæretici solùm in defectum aliarum probationum.

SECTIO VIII.

An in defensionem hæretici admitti possint etiam familiares, consanguinei, & domestici, si pro ipso reo & hi similiter inducantur?

SVMMARIVM.

1 *Testes familiares, consanguinei, & domestici admitti etiam possunt in defensionem hæretici, si pro ipso reo & hi similiter inducantur, contra plures Doctores si probatæ vitæ sint, & maximè si cum alio teste, qui omni exceptione sit maior, coniungantur, licèt admitti non possint tanquam testes integri, sed diminutæ veritatis, seu non integræ opinionis; quia nullo Iure reperiuntur exclusi.*

2 *Textus* in cap. Filij, de hæret. in 6. *non obstat; quia intelligitur, quod prædicti testes non sint admittendi tanquam testes integri, & plena fide digni, vel quod non sint admittendi ad reprobationem aliorum testium, &c.*

3 *Quod multò magis procedit si tractetur de reprobandis testibus omni exceptione maioribus, quia tunc absque dubio testes reprobatorij similis qualitatis esse debent.*

NEgant Rosella *verb. hæreticus 3. n. 29.* Sylu. *eodem verb. hæreticus 2. num. 16.* & alij quamplures Doctores, quos citat, & sequitur Mascard. *de probat. lib. 2. conclus. 857. n. 24.* Crottus *de testibus, n. 104.* & Farin. *de hæresi, q. 188. n. 149.* ex textu *in c. filij, de hæret. in 6.* vbi de eo (qui tempore mortis consolationem ab hæreticis postulauit, quem non esse tunc sanæ mentis, filij, vel hæredes probare conabantur) dicitur, casu quo id probandum sit, non per vxores, filios, familiares, vel de suis aliquos, sed per testes alios fide dignos, & specialiter fidei zelatores probandum esse; & notant *ibi* Glossa & Ioan. Andr. *n. 1.* Idem etiam habetur in Constitutione Alexandri IV. (quæ incipit *ex parte*) apud Peñam inter literas Apostolicas; quia ij ob consanguinitatem, amicitiam, vel subiectionem (cùm sua intersit, delinquentem à delicto liberari) præsumuntur, quod sint veritatem occultaturi: Ideò igitur admittuntur, quia esset magnum periculum, ne mentirentur ex amore erga suos domesticos, affines, vel consanguineos; & ne contraherent ex huiusmodi attestatione magnam infamiam, & priuarentur etiam bonis patrimonialibus, &c. His tamen non obstantibus 1

Respondent cum Baldo *in l. parentes, num. 1. C. de testibus,* Marsilio *in l. 1. §. ad quæstionem, n. 7. & 25. ff. de quæstionib.* Felino *in cap. cum oporteat, n. 3. de accusat.* Abbate *in cap. literas, n. 8. de præscript.* Campegio *de testibus, regul. 5. in 9. fallentia,* Læl. Zech. *sum. part. 1. tit. de fide, rubr. de hæresi, cap. 11. num. 14.* Peña *3. part. Director. comment. 119. vers. Et quamuis* (vbi admittit testes domesticos, si probatæ vitæ sint, & maximè si cum alio teste, qui omni sit exceptione maior, coniungantur) Mascard. *de probat. lib. 2. concl. 857. n. 27. & 28.* Farinacio *de hæresi, q. 188. n. 150. & de testibus q. 54. n. 118. & q. 55. n. 73.* & aliis, probabilius esse, quod familiares, & consanguinei, & domestici in defensionem delinquentis (licèt admitti non possint tanquam testes integri propter rationem suprà dictam) admitti tamen possint tanquam testes diminutæ veritatis, seu non integræ opinionis, saltem si sint viri valde digni, qui non præsumantur mentiri.

Probatur, quia nullo Iure reperiuntur exclusi, quin potiùs *in cit. c. literas, de præsumpt.* reperiuntur admissi sicuti suprà *sect. præcedenti,* dicebam: Ergo. Vide etiam quæ dicebam suprà, *sect. 1. n. 8.*

2 Neque obstat textus *in cap. filij*, qui ab aduersariis in contrarium citabatur; quia intelligitur, quod prædicti testes (etiamsi fuerint valdè digni, qui non præsumantur mentiri) non sint admittendi tanquam testes integri, & digni plena fide, sicuti dicebatur; vel quod non sint admittendi ad reprobationem aliorum testiū, quibus probatum fuerat, defunctam sanæ mentis fuisse, cùm hæreticorum more in extremis consolationem postulauit: In hoc enim casu familiares consanguinei, & domestici à testimonio dicendo repelluntur: Cùm reprobatorij testes esse debeant omni exceptione maiores, ex textu *in c. 1. de exception.* & tradit ibi Glossa, quam sequuntur Rota *tit. de rescript. in antiquis, dec.* 22. Speculat. *in tit. de testib. reprobatoriis, in princ.* Riminald. *cons.* 809. *n.* 70. *lib.* 7. & alij communiter.

3 Quod multò magis locum habet, si tractetur de reprobandis testibus omni exceptione maioribus; quia tunc absque dubio testes reprobatorij similis qualitatis esse debent, ex textu *in l. nihil tam naturale, de regul. iur.* Absordum enim est, quod quilibet astringatur probare causam per testes omni exceptione maiores, & aduersarius possit illos reprobare per testes diminutæ veritatis, seu non integræ opinionis. Non igitur ex supradicto textu *in cap. Filij*, sequitur quod innocentia rei non posit probari vllo modo, sed solùm sequitur, quod non possit probari reprobando testes legitimos, quibus malitia rei probata fuerat.

Vide præter Doctores supracitatos Simancham *in Enchirid. tit.* 35. *n.* 24. vbi (postquam dixerat, consanguineos, familiares, & domesticos, si pro reo adducantur, admittendos esse, etsi non vt testes integros, sed vt testes diminutæ veritatis) subdit, id non procedere, quando consanguinei admittuntur ad probandas exceptiones contra testes Promotoris Fiscalis; quia tunc, inquit ipse, consanguinei intra quartum gradum nec ad probandas defensiones obliquas, seu indirectas admittendi sunt.

SECTIO IX.

Quanam ratione in crimine hæresis examinari debeant testes, de quibus vsque modò locuti sumus?

SVMMARIVM.

1 *Testes aliàs inhabiles, &c. in crimine hæresis examinari debent ea ratione, vt omnes (exceptis inimicis capitalibus) ad testificandum, si ad cognitionem veritatis expedire Inquisitori visum fuerit, compelli possint, etiam frater aduersus fratrem, & filius aduersus patrem, & vxor aduersus maritum.*

2 *Amplia id ita verum esse, vt nemo vocatus se defendere possit ex eo quod extra terminos Iurisdictionis Inquisitoris vltra duas dietas existat; quia fauore fidei priuilegium insertum* in cap. nonulli, de rescript. *testibus est sublatum.*

3 *Cautè tamen & prudenter tunc agendum est, præsertim cum viris Illustribus, qui potiùs rogandi sunt quàm trahendi.*

4 *Inquisitor, si examinare debeat mulierem honestam, & religiosam, quam non decet domo exire, & in Iudicium trahi, conuenientius est, quod ad eam accedat, vel alteri, qui eam examinet, vices committat.*

5 *Testis extra Inquisitoris Iurisdictionem existentis vocatio seu citatio fieri debet per literas requisitionis ab Episcopo, vel Inquisitore illius Diœcesis, ne videatur Iurisdictio eorum offendi: In qua tamen requisitione non est opus illi ad Inquisitorem, vel Episcopum requisitum processum transmittere.*

6 *Testes in hoc crimine hæresis examinari possunt lite non contestata, & parte non citata.*

Respondetur: Ea ratione, vt omnes (exceptis inimicis capitalibus) ad testificandum, si ad cognitionem veritatis expedire Inquisitori visum fuerit, compelli possint, etiam frater aduersus fratrem, & filius aduersus patrem, & vxor aduersus maritum, & è contra: vide Doctores communiter apud Farinacium *q.* 188. *n.* 2. Et videri poterit etiam Michaël Iustinianus in suis Constitutionibus Ecclesiasticis. 1

Vbi aduerte id, quod dixi, adeò verum esse, vt nemo se defendere possit vocatus ex eo, quod extra terminos Iurisdictionis Inquisitoris vltra duas dietas existat (in quo casu testis ad comparendum compelli non potest, ex textu *in c. nonnulli, de rescript. & in c. statutum, eod. tit. in* 6.) Quia fauore fidei hoc Priuilegium testibus est sublatum, & Inquisitoribus, vel Episcopis in causa fidei procedentibus concessum, vt possint testem, quantumcumque distantem vocare, citare, & ad comparendum compellere, iuxta textum *in c. vt officium, §. denique, de hæret. in* 6. (vbi præcipitur Inquisitoribus, quod procedant contra quoscumque de hæresi delatos, cuiuscumque sint conditionis, dignitatis, Ordinis, vel Religionis, etiam non obstante Constitutione de duabus dietis in Concilio generali edita, quæ refertur *in c. nonnulli, de rescript. & in cap. statutum, eod. tit. in* 8. & iuxta textum *in c. vt commissi, de hæret. in* 6. vbi dicitur: [Et contra illos quos in Prouincia, in qua vobis Inquisitionis Officium est commissum, hæresis crimen constiterit commisisse, licet ad alias partes se transferendos duxerint, procedendi.] Et docent Eymer. 3. *p. direct. q.* 74. & *ibi* Peña *comment.* 123. Rojas *sing.* 95. Sim. *de cath. inst. tit.* 34. *rub. de Inquis. Apostol. n.* 124. & alij passim. 2

Et quod dixi adeò verum est, vt Episcopi etiam, sicut & Inquisitores, possint in causa hæresis testes euocare, quamvis testes sint extra suam Diœcesim, quia tale priuilegium non est concessum Inquisitoribus ratione personæ, sed ratione Officij sanctæ Inquisitionis, Peña *in Director. Inquis. part.* 3. *quæst.* 74. *comment.* 123. & Farinac. *de hæres. q.* 188. §. 1. *n.* 4. qui iuxta ea, quæ mox infrà dicam, subdunt, quod Episcopi, & Inquisitores non teneantur mittere processum ad Episcopum, ex cuius Diœcesi testes euocant: Subdunt 2. iuxta ea, quæ mox infrà etiam dicā, quod non debeant in Iudiciū ad ferendum testimonium personas nobiles, & mulieres illustres, vel similes alias personas trahere, sed debeāt potiùs Inquisitores illas adire, vel alteri examē cōmittere. 3

Aduerte 2. quod cautè tamen, & prudenter tunc agendum sit, præcipuè cum viris Illustribus, qui potiùs rogandi sunt, quàm trahendi: vide Doctores, quos sequitur Peña, & Farinacius *locis suprà citatis*.

Aduerte 3. id quod modò dixi, adeò verum esse, vt aliquando (v. g. si sit Mulier honesta, vel Religiosa, quam non decet domo exire, & in iudicium trahi) conuenientius sit, quod Inquisitor ad examinandum testem potiùs accedat, vel alteri vices committat; quam illum committere posse, extat rescriptum Vrbani IV. quod incipit, *licèt ex omnibus*, & tradunt Doctores, quos sequitur Peña *loco suprà cit. comment.* 10. & Farinac. *q.* 188. *n.* 20. *& seqq.* 4

Aduerte 4. quod hæc vocatio, vel citatio testis extra Inquisitoris Iurisdictionem existentis fieri debeat per literas requisitorias ab Episcopo, vel Inquisitore illius Diœcesis, ne videatur Iurisdictio istorum offendi; in qua tamen requisitione non est opus illi ad Inquisitorem, vel Episcopum requisitum processum transmittere, sed eo ipso, quod Inquisitor dixerit, pro causa fidei expedienda sibi opus esse hoc, vel illo teste, tenetur Episcopus, vel Inquisitor requisitus testem transmittere, aliàs censebitur Inquisitoris officium impedire: sic Peña *cit. comment.* 123. *vers. neque Episcopus*, & alij quos sequitur Farin. *cit. q.* 188. *n.* 4. 5

Aduerte 5. quod testes in hoc crimine hæresis examinari possint lite non contestata, & parte non citata; quia in tali causa non adstringitur Inquisitor seruare 6

formam

formam iudicialem, sed potest procedere simpliciter, & de plano, *cap. finali, de haret. in 6.* & docent Peña *3. part. directorij, comment. 19. in cap. veritatis, de dol. & contum.* Marsil. *pract. crimin. §. diligenter, n. 158.* Rojas *singul. 125.* Simaoch. *de Cathol. instit. tit. 64. rubrica de testib. n. 15.* & alij quos citat, & sequitur Farin. *q. 188.*

SECTIO X.

An testes examinati, lite non contestata, & parte non citata, probent aduersùs delinquentem?

SVMMARIVM.

1 *Testes examinati, lite non contestata, & parte non citata, in hoc Tribunali sancti Officij probant aduersus delinquentem, contra aliquos, qui videntur sentire contrarium; quia aliàs nullus esset fidei factus fauor, cùm in qualibet causa dicti testes inuent ad inquirendum.*

2 *Testes, parte non citata, examinati, ex sententia satis recepta, & practicata repetendi non sunt, saltem si inquisitus annuerit eorum examinationi, & repeti non quæsiuerit.*

3 *Limitant aliqui Doctores, vt intelligatur quando inquisitus est potens, & ob eius potentiam aliquod damnum testibus euenturum timetur, ob quam rationem nomina testium non publicentur.*

4 *Limitatio prædicta reijcitur, quia probabilius est, quod etiam remota inquisiti potentia, non requiratur citatio rei ad valorem depositionis testium antea facta, sed solùm, vt ipse opponat, si quid habeat aduersus talem depositionem.*

1 R
Espondetur, quod quamvis videantur negare Peña, & Farinacius *in locis suprà citatis*, quatenus aiunt, debere testes, vt contra Inquisitum probent, repeti parte citata, alioquin solum iuuare ad inquirendum. Probabilius tamen sit oppositum (quod docent Rojas *singul. 125. & singul. 196.* Simanch. *de cathol. instit. tit. 64. rubr. de testibus, n. 15. 16. & 28. & in Enchir. tit. 35. n. 8.* Mascard. *lib. 1. in præfatione, q. 5. num. 41.* Caotera *in quæst. crimin. cap. 2. de probat. per testes, q. 1.* Paris. *consf. 2. n. 165.* Decian. *tract. crimin. lib. 5. cap. 20.* & alij quos refert Farin. *q. 72. n. 215. & seq. & de haresi, q. 188. n. 24.* videatur etiam Peña *in Direct. part. 2. comment. 19.*) sic scilicet examinatos testes non solùm iuuare ad inquirendum, sed etiam probare contra reum, iuxta ea, quæ dicebam suprà *dubit. 195. sect. 74.* cum Cantera *loc. suprà cit. n. 46.*

Probatur, quia (vt omittam, Inquisitores in causis suis procedere simpliciter, & de plano) aliàs nullus esset fidei factus fauor, cùm in qualibet causa testes examinati, parte non citata, & lite non contestata, iuuent ad inquirendum specialiter contra reum. Neque hinc inferas, posse reum ex talium depositione citatione condemnari; quia ad condemnationem non solùm requiritur probatio delicti, sed etiam requiritur probatio delicti ab Inquisito non infirmata, ad cuius effectum necessaria est citatio.

2 Confirmatur, quia satis recepta, & practicata sententia est, quod testes, parte non citata, examinati repetendi non sint, saltem si Inquisitus annuerit eorum examinationi, & repeti non quæsiuerit. Vide DD. quos citat, & sequitur Farinac. *cit. q. 72. n. 149. & de haresi, cit. q. 188. n. 27. vers. contrarium 1.* Ergo signum est, quod valeat depositio testium, parte non citata.

3 Limitant tamen Paris. *loco suprà citato*, Rojas *vbi suprà, n. 6.* Decian. *cap. 35. n. 15.* & alij quos refert Farin. *cit. q. 72. n. 116.* vt intelligatur quando inquisitus est potens, & ob eius potentiam aliquod damnum testibus euenturum timetur, ob quam rationem nomina testium non publicantur.

4 At hæc limitatio mihi minùs probatur; & cum Simanch. *loco suprà citato*, Repert. Inquisit. *verb. testes, vers. Item nota*, Calderin. *tract. de haret. rubr. de materia Process. Inquisit. n. 2.* & aliis, probabilius videtur, quod etiam remota Inquisiti potentia, non requiratur citatio rei ad valorem depositionis testium antea factæ, sed solùm vt ipse opponat, si quid habeat aduersus talem depositionem.

SECTIO XI.

An testes examinati, parte non citata, debeant post citationem iterum examinari? Vbi etiam an stari debeat potiùs dicto priori ipsorum, si fuerint varij in dicendo?

SVMMARIVM.

1 *Testes examinati, parte non citata, debent post citationem iterum examinari, si Inquisitus & citatus aliquid opposuerit, vel dederit interrogatoria, quibus veritas ampliùs inuestiganda sit; quia si ij non satisfaciant oppositionibus, & interrogationibus Inquisiti, multùm infirmatur depositio priùs facta.*

2 *Testes examinati non debent ampliùs examinari, si Inquisitus & citatus nihil contra eos, aut eorum dicta opposuerit.*

3 *Testes prædicti examinati ex officio iudicis repeti possunt, & de facto sæpè repetuntur in criminalibus, quoties de graui Inquisiti præiudicio tractatur.*

4 *Testes examinati quando iterum examinantur, debent primam depositionem, quin ipsis legatur, vel ostendatur, summariè referre; adeo quod non satisfaciant, si se generaliter referant ad priora dicta.*

5 *Testis potest deponere, prout nunc recordatur, solùm in casu, quo longum tempus inter primam, & secundam depositionem processit; addens ex integro, se remittere ad priorem depositionem, & per illam velle hanc secundam posteriorem corrigi, si forsan in aliquo fuerit illi contraria.*

6 *Testes cùm ex propria instantia examinandi sunt, vel ipsorum examen repetendum est, debent coram Notario, & duobus discretis, & Religiosis viris examinari: Quod si Notarius deficiat, potest Notarij defectus duobus alijs honestis viris suppleri, quorum vnus debeat scribere, & alter scripta subscribere.*

7 *Vsus obtinuit, quod testes examinentur in præsentia Notarij, & Fiscalis tantum; viri enim prædicti non sunt de præcepto adhibendi, sed tantùm de consilio.*

8 *Notarius si deficiat, eius defectus suppleri potest duobus viris honestis, quorum scilicet vnus debet scribere, & alter scripta subscribere: Neque opus est, vtrumque dicta testium scriptis mandare.*

9 *Reus cùm neget crimina obiecta, tunc accusatione à Procuratore Fiscali post admonitiones facta, testes iterum sunt ab Inquisitoribus vocandi, iterumque interrogandi. Quod fieri solet, non ostenso illis priori testimonio, vt rectiùs intelligi possit, vtrum vera, vel falsa deponant; & etiam si reus dicat, se habere velle testes pro ratificatis.*

10 *Limita id non habere locum, vtpote inhumanum, si longum tempus sit elapsum; cùm testis tunc prioris dicti possit ob memoriæ fragilitatem esse penitùs oblitus.*

11 *Testimonia posteriora si cum prioribus congruentia non fuerint, tunc testibus legenda sunt priora testimonia, sicque testes interrogandi, cur illa variauerint, & modestè monendi, vt in veritate persistant.*

R
Espondetur, quod debeant post citationem iterum examinari, si inquisitus, & citatus aliquid opposuerit, 1

vel dederit interrogatoria, quibus veritas amplius inuestiganda sit, Peña *2.p.direct.comment.19.ad c.veritatis, de dol.& contum.* Simanchas, Rojas, Genuensis, Bobad. Lud. Miranda, Suar. de Paz *in locis infrà citandis*, Scaccia *tract.de iudic.c.98.n.7. vers.si loquimur*, & alij communiter, quos citat, & sequitur Farin. *q.188.n.25.*

Probatur, quia si oppositionibus, & interrogationibus inquisiti non satisfaciant testes, ipsorum depositio priùs facta multùm infirmatur: Ergo vt depositiones factæ probent in iudicio, & firmæ permaneant, debent iterum testes examinari.

2 Dixi [quod debeant post citationem iterum examinari, si inquisitus, & citatus aliquid opposuerit, vel dederit interrogatoria, quibus veritas amplius inuestiganda sit;] quia secus dicendum erit, si Inquisitus & citatus nihil horum fecerit, vel Fisci testes pro repetitis habuerit: Nam tunc iterum eos examinari, seu eorum examen repeti necesse non est, cùm ipsorum depositio in tali casu nullo modo infirmetur. Vide Doctores communiter, quos citat, & sequitur Farin. *q.72. n.149.& de hæresi q.188. n.27.* & Genuensis *in praxi Archiep. cap.68.n.4.*

3 Aduerte tamen, quod ex officio iudicis repeti possint, & de facto sæpè repetantur in criminalibus, quoties de graui inquisiti præiudicio tractatur: vide DD. quos citat, & sequitur idem Farinac. *de hæresi, citata q.188.n.27.& q.73.n.9.*

Videri etiam possunt Archidiac. *in cap.vt officium, §.verùm, de hæret.in 6.n.9. Direct. Inquisit.part.3.q.62.n.3.* & Peña *comment.111. vers. quod autem*, & Simanchas, & Rojas *infrà*, Suar. de Paz *in praxi, tom.1.p.5.c.3.q.4.§.9.n.3.& seqq.* (vbi ait, non sufficere, quod reus habeat testes pro repetitis) Bobadilla *in Politica, lib.3.c.25.n.53.* Lud. Mirand. *de ordin.iudic.tom.1.q.18.art.7.circa finem*, & Genuens. *cit.cap.68.n.3.* & videri etiam poterunt, quæ dicam *infrà Corollar.1.*

4 Aduerte 2. quod quando testes iam examinati iterum examinantur, seu iterum examini subijciuntur, debeant primam depositionem (quin ea ipsis legatur, vel ostendatur) summariè referre, adeò quod non satisfaciant, si se generaliter referant ad prima dicta; quia licèt in aliis depositionibus, ob variationis periculum euitandum id fieri possit, iuxta doctrinam Bartoli *in l.eos qui diuersa, ff.de fals.n.6.* In crimine tamen hæresis vbi ex testium depositione Inquisitus tam graue damnum percipit, & facilè vitare non potest (eo quòd ipsi nomina testium non publicentur, neque copia illorum concedatur) necesse est, in secundo examine ita deponere, ac si tunc primò examinati fuissent, vt sic veritas meliùs cognoscatur, Rojas *sing.206.* Genuens. *in prax. Archiep.cap.68.n.3.& 4.* Simanch. *in Enchir. violatæ Religionis, tit.35. rubr. de testibus, num.10.* & alij, quos sequitur Farin. *q.188.n.35.*

5 Aduerte 3. quod solùm in casu, quo longum tempus inter primam, & secundam depositionem præcessit, possit testis deponere prout tunc recordatur, addens ex integro se remittere ad priorem depositionem, & per illam velle hanc secundam posteriorem corrigi, si forsan in aliquo fuerit illi contraria; quia tunc ratione præsumptæ obliuionis id admitti meritò potest: vide Doctores, quos sequitur Rojas, & Farinac. *locis suprà citatis.*

6 Aduerte 4. quod cùm testes ex prima instantia examinandi sunt, vel ipsorum examen repetendum est, debeant coram Notario, & duobus discretis, & religiosis viris examinari; quod si Notarius deficiat, potest Notarij defectus duobus aliis honestis viris suppleri, ex textu expresso *in c vt officium, §. verùm, de hæret. in 6.* ibi: [Verùm, quia in tam graui crimine cum multa oportet cautela procedi (vt in reos sine vllo proferatur errore duræ, ac dignæ seueritas vltionis) volumus & mandamus, vt in examinatione testium, quos recipi super crimine prædicto, ipsumque contingentibus oportuerit, adhibeatis duas religiosas, & discretas personas, in quarum præsentia per publicam, si commodè poteritis, personam, aut per duos viros idoneos fideliter eorumdem dispositionem testium conscribantur.]

Nomine autem Religiosorum virorum intelliguntur viri honesti (qui scilicet zelo Religionis commendentur, siue Clerici, siue Laïci sint) qui si in fine depositionis, & posteà per Notarium lecti, & à teste confirmati assistant, satisfacient dispositioni supradicti textus, Eymer. *3.parte direct. rubr. quot personæ esse debeant in examinatione testium, n.81.* & *ibi* Peña *comment.20.*

Quamvis raro ad examinationem rei, & testis tales viri adhibeantur, sed vsus obtinuerit, quod in præsentia Notarij, & Fiscalis tantùm examinentur: Quapropter Eymericus *loco suprà citato, q.63.* & *ibi* Peña *comment.112.* putant, tales viros solùm ex consilio, non autem ex præcepto adhibendos esse. Vide quæ dicam infrà *Corollario 2.* 7

Dixi: [Si Notarius deficiat, eius defectum suppleri posse duobus viris honestis,] quorum scilicet vnus debet scribere, & alter scripta subscribere; neque opus est vtrumque dicta testium scriptis mandare. Vmbert. Locat. *in iudic. Inquisit. verb. Inquisitor, n.29.* & alij quos citat, & sequitur Peña, & Farin. *in locis suprà cit.* 8

Cæterùm quoad ea, quæ suprà dicebam, vide præcipuè Simancham *de cathol.instit.tit.64.num.24.& 25.* Vbi iuxta ea, quæ dicebam, ait quod cùm reus negat crimina obiecta, tunc accusatione à Procuratore Fiscali post admonitiones factas, testes iterum sunt ab Inquisitoribus vocandi, iterumque interrogandi: quod fieri solet non ostenso illis priori testimonio, ad hoc vt rectiùs intelligi possit, verum vera, vel falsa deponant: Mendacem enim oportet esse memorem, quamuis in aliis causis aliud, ne testis anceps periurium subire cogatur, fieri debeat; subditque iuxta etiam ea, quæ dicebam, quod (cùm in hac posteriori testium examinatione persistat totum ferè testimoniorum pondus) licèt reus dicat se habere velle testes, vt vulgò dicitur, pro ratificatis, nihilominùs iudex eosdem iterum examinare, & interrogare debeat, ne fortè pereat rei defensio, cui reus ne nominatim quidem renunciare potest. 9

Quam tamen Simanchæ sententiam iuxta etiam ea, quæ dicebam, quoad primam partem (si longum tempus sit elapsum) inhumanam vocat Rojas *sing.106.n.2.* quatenus inquit, in crimine hæresis debent testes iterum suum dictum deponere, non ostenso, vel exhibito priori dicto ad mentem quorumdam Doctorum, quorũ sententia inhumana videtur, si longũ tempus esset elapsum, cũ testis tunc prioris dicti possit ob memoriæ fragilitatẽ esse penitùs oblitus. Ideoque cautus testis dicat, quod si apparuerit se aliter dixisse in alia priori examinatione, quàm in ista posteriori, ex tunc corrigat dictum suum posterius, illudque reducat ad dictum suum prius, cùm tunc temporis meliùs rei memoriam habuerit. 10

Vide Simancham *tit.24. num.24.* vbi inquit, quod si posteriora testimonia cum prioribus congruentia non fuerint, tunc testibus legenda sint priora testimonia, sintque testes interrogandi, vbi illa variauerint, & modestè monendi, vt in veritate persistant: Et postremò, quidquid responderint, sit scribendum, & testes varij, ac vacillantes in custodiam mittendi, & si causa sic deposcerit, torquendi, & puniendi. 11

Vide etiam Instructionem Toletanam anni 1561, *n.4.* vbi habetur, quod in ratificatione testium Procurator Fiscalis non possit esse præsens.

COROLLARIA.

SVMMARIVM.

1 *Testes in crimine hæresis possunt pluries examinari, si confusè deposuerint, & de causa scientiæ minus plenè requisiti fuerint.*

2 *Testium*

2 *Testium dicta, quando sunt obscura, & ambigua, tunc accipiendus est sensus, qui delictum excludat, quia delictum factum non præsumitur, præsertim in dubio, nisi demonstretur.*

3 *Dubia in meliorem partem sunt interpretanda, semperque in dubiis benigniora sunt præferenda, &c.*

4 *Verba tum quis protulit, & de illis apud Inquisitorem accusatur, si ea habere possint duplicem sensum, scilicet hæreticum, & catholicum, interpretanda sunt quod habeant sensum catholicum in fauorem delinquentis, quia in causis capitalibus probationes debent esse omninò euidentes.*

5 *Limita in eo tantùm procedere, qui vir probus habetur, quia tunc in eius verbis obscuris, & ambiguis præsumendum est non esse delictum; at secus si esset fama, quod sit hæreticus, vel esset ex illis locis in quibus hæreses grassantur.*

6 *Testes quandiu confusè deposuerunt, possunt etiam post publicatas attestationes iterum interrogari, quia dictum obscurum habetur pro non dicto.*

7 *Amplia, id esse verum etiam post publicatas attestationes: Possunt enim non solùm interrogari illi testes, qui priùs confusè deposuerunt, sed etiam recipi, & examinari de nouo alij testes, non solùm vt reus defendatur, sed etiam vt puniatur, & pleniùs delictum probetur.*

8 *Testes, vel reus quando examinantur in causa fidei, seu in crimine hæresis, præter secretarium necessariò requiritur, vt adsint duæ personæ discretæ, & religiosæ.*

9 *Personarum Religiosarum nomine quinam in hoc casu intelligi debeant.*

10 *Laici probi, qui scilicet Religionis zelo commendantur, sumendo hoc nomen paulò latiùs, etiam Religiosi appellantur, sufficeréque laicos probos, etiam data copia Religiosorum, & Clericorum, tenet auctor. Hæc solemnitas tamen hodie non est in vsu in supremo Romanæ sanctæ Inquisitionis Tribunali.*

11 *Solemnitas adhibendi dictas personas Religiosas est in vsu in Tribunali supremo sanctæ Inquisitionis Hispaniarum, vbi adsunt semper quinque personæ, videlicet Iudex, testis, scriba, seu Notarius, & duæ personæ Religiosæ.*

12 *Episcopi in recipiendis testibus contra hæreticum, an teneantur adhibere has duas personas Religiosas, alij affirmant, & alij negant.*

1 EX dictis igitur habetur primò, quod testes in crimine hæresis possint pluries examinari. Archidiac. *in cap. vt Officium, §. verùm, de hæret. in 6. num. 9.* (quatenus inquit, quod Inquisitor debeat esse sollicitus, vt si testes confusè deposuerint, & de causa scientiæ minus plenè requisiti fuerint, quod iterum eos inquirat, quia de iure id fieri potest: sic Directorium Inquisitor. *part. 3. quæst. 62. num. 3.* & ibi Peña *comment. 112. vers. quod autem*, & alij passim.

2 Cæterùm quando testium dicta sunt obscura, & ambigua, tunc accipiendus est sensus, qui delictum excludit, *l. si quis intentione, ff. de iudic.* & docent S. Thom. *2. 2. q. 60. art. 4.* Innocentius *in cap. dudum, de elect.* Bald. *cons. 98. col. 2. circa finem, lib. 2.* Alex. *cons. 188. lib. 7.* Aymon. *cons. 9. n. 20.* Albertin. *tract. de agnosc. assert. q. 7. & q. 29. n. 19. & q. 34. n. 48. & seqq.* & Rojas *tract. de hæret. part. 1. n. 190. & seqq.* Quia factum, præsertim delictum (cum in dubio quilibet præsumatur bonus) non præsumitur, nisi demonstretur, vti diffusè in tractatu de conscientia dubia probabam.

3 Et ideò dubia in meliorem partem sunt interpretanda, *cap. 2. de Regul. Iur. & l. meritò, ff. pro socio.* Item semper in dubiis benigniora sunt præferenda, *l. semper, ff. de Regul. Iur.* Item in re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus est iustum, quàm tutum, *l. proximè, ff. de his quæ in testament.* Item in benigniorem partem leges sunt interpretandæ, *l. benignius, ff. de legibus.* Item in ambigua voce est accipienda significatio, quæ vitio caret, *l. in ambiguis, ff. eodem.* Item verba non sunt accipienda capriosè contra proferentem, *leg. Proculus, ff. de vsufruct. & l. insula, ff. de præscript.*

Vnde cum quis protulit verba, & de illis apud Inquisitorem accusatur, & illa possunt habere duplicem sensum, scilicet hæreticum, & catholicum, interpretanda sunt, quod habeant sensum catholicum in fauorem deliquentis, *l. fauorabiliores, ff. de regul. iur.* & tradunt Peña *cit. comment. 111. vers. sed etiam*, Menoch. *cons. 82. n. 15. lib. 1.* Riminald. *cons. 686. num. 69. lib. 4.* Gabriel *cons. 178. lib. 1.* Decian. *in tract. crimin. lib. 5. cap. 37. n. 6. & 47.* Albertin. *tract. de agnosc. assert. q. 34. num. 48.* Rojas *tract. de hæretic. part. 1. num. 200. & num. 366. & part. 2. num. 164.* Archidiac. *in cap. 2. de hæret. in 6.* & Castro *lib. 2. de iust. hæret. punit. cap. 9.* (quatenus hi duo postremi Doctores expressè aiunt, quod dicta, quæ sunt æquiuoca, & multiplicem habent sensum, non debent dici hæretica) quia in causis capitalibus probationes debent esse omninò euidentes, *l. vnica, Cod. de probat.* & verba, vel facta hæreticalia, de quibus aliquis iudicari debeat, oportet quod sint clara, certa, & non ambigua: Nam alioquin (cùm in dubio standum sit pro reo) non inducerent delicti probationem, *l. neque natales, Cod. de probat. l. non hoc, Cod. vnde legitim. & cap. in præsentia, de probat.* 4

Quod tamen intellige de eo, qui vir probus habetur, quia tunc in ejus verbis obscuris, & ambiguis præsumendum est, non esse delictum; at secus si esset fama, quod sit hæreticus, vel esset ex illis locis, in quibus hæreses grassantur. Peña *loco suprà citato*, Simanchas *de Cathol. instit. tit. 54. n. 21. & 22.* & Rojas *tract. de hæret. part. 1. num. 205. & num. 279.* iuxta textum *in l. quod si nolit, §. qui mancipia, ff. de ædilit. edict.* Vbi dicitur [seruos bonos esse, qui nationis non infamatæ, quosdam malos videri, quia ex natione sunt, quæ magis infamis est.] At de hoc vide etiam quæ dicebam suprà *dub. 195. sect. 53. & 54.* 5

Habetur secundò, quod testes, quando confusè deposuerunt, possint etiam post publicatas attestationes iterùm interrogari, *cap. clamor, de testib.* & docent Ioan. Andr. *in cap. vt officium, de hæret. in 6. num. 2.* Geminian. *ibidem, in §. verùm, num. 7.* Mascard. *de probat. concl. 857. n. 37. vol. 2.* Syluest. *verb. hæreticus 2. n. 7.* & alij passim, quia dictum obscurum habetur pro non dicto. Glossa *in cap. si testes, §. in testibus, verb. simpliciter 4. q. 3.* 6

Quod adeò verum est, vt etiam post publicatas attestationes non solùm possint iterum interrogari illi testes, qui priùs confusè deposuerunt, sed etiam possint recipi, & examinari de nouo alij testes. Soccin. *regul. 497. fallent. 6. 10. & 11.* Rojas *singul. 12.* & Peña *loco suprà cit. comment. 111.* Idque non solùm, vt reus defendatur, sed etiam vt puniatur, & pleniùs delictum probetur: ita Doctores, quos sequitur Simanch. *de Cath. instit. tit. 64. n. 50. & seqq.* 7

Habetur tertiò, quod quando examinantur testes, vel rei in causa fidei, seu in crimine hæresis, necessariò requiratur, vt adsint duæ personæ discretæ, & religiosæ, *dicto cap. vt officium, de hæret. in 6.* quod suprà citabam. 8

Nomine autem personarum Religiosarum, quæ requiruntur in examinatione testium, nonnulli (vt Franch. *in dicto cap. vt officium*) volunt, quod intelligantur personæ verè, & propriè Religiosæ, quæ scilicet tria vota Religionis substantialia (nempe paupertatem, castitatem, & obedientiam) in Religionibus à summo Pontifice approbatis emiserint. 9

Alij verò (vt Simanch. *de Cathol. instit. tit. 64. n. 8.*) volunt, quod sub nomine personarum Religiosarum intelliguntur etiam Clerici sæculares.

Alij (vt Peña *in direct. Inquis. part. 3. q. 63. vers. & quamquam*) probabiliùs iuxta ea, quæ suprà dicebam, volunt, quod intelligantur etiam laici probi (qui scili- 10

cet Religionis zelo commendentur) .qoia laici probi sumendo hoc nomen paulò latiùs etiam Religiosi appellantur *in cap. finali de reb. Eccl. non alienan. & in cap. Ecclesia sancta Maria de constit.* & ex alio capite, quamvis in materia odiosa, & pœnali verba propriè, & strictè sint accipienda, *cap. statutum, de elect. in 6.* In materia tamen fauorabili (qualis est materia nostra de fide) latè accipi possunt.

Limitant hanc Peñæ sententiam Piasecius *in praxi, part. 2. cap. 4. art. 6. n. 4.* & Genuens. *in prax. Archiep. cap. 68. num. 1.* si clerici reperiri non possint , ita vt tunc tantùm laici probi adhiberi debeant.

At ego probabiliùs absolutè puto, quod etiam data copia verè Religiosorum, & Clericorum, sufficiant laici probi, quales suprà dicebam. Accedit, quod (vt aiunt Zechius *in summa, tom. 1. de haret. cap. 11. n. 15.* & Scaccia *de Iudic. lib. 1. cap. 87. n. 16.*) hodie magna ex parte fiunt processus in Tribunali sanctæ Inquisitionis absque præsentia personarum Religiosarum, & tales processus approbantur à suprema, & generali Inquisitione Romana : Quapropter satis probabiliter cum eodem Peña vbi suprà subdunt, quod duæ personæ Religiosæ debeant interesse, si sit potiùs quid de consilio, quam quid de præcepto, iuxta ea, quæ suprà etiam dicebam.

11 Quamvis in Tribunali S. Inquisitionis Hispaniæ quoad recipiendos testes adsint semper quinque personæ, Iudex, testis, scriba, seu Notarius, & duæ personæ Religiosæ. Religiosæ , inquam , non verè , sed quæ Religionis zelo commendentur, vti suprà dicebam. Paramus *de origin. Inquisit. lib. 3. q. 4. num. 50.* & videri etiam poterit Menoch. *vol. 2. cons. 149.*

12 An autem Episcopi similiter in recipiendis testibus contra hæreticum teneantur adhibere dictas duas personas Religiosas ? Negant quidam , quos sequitur Repertor. Inquisit. *verb. Excommunicatio testium* , quia d. *cap. vt officium, §. verùm, de haret. in 6.* loquitur de solis Inquisitoribus, affirmant autem alij, quos sequitur Peña *in direct. part. 3. quest. 63. comment. 112.* quia in vtrisque, tam scilicet in Inquisitoribus , quàm in Episcopis est eadem ratio.

Cæterùm an stari debeat potiùs dicto priori testium, si fuerint varij in dicendo ? Respond. vide quæ dicebam suprà *sect. 1. n. 6. & in eius aduertendis §. 6. & 7.*

SECTIO XII.

Quanam ratione testium , & accusantium, vel denunciantium facta depositio reo publicari debeat ? Vbi etiam an consultoribus sint publicanda nomina testium , & sit legendus per extensum totus processus, sitque licitum inter se de scitis in Congregatione extra Congregationem discurrere ?

SVMMARIVM.

1 *Testium , & accusantium , vel denuntiantium nomina reo de heresi publicari non debent ex constitutionibus Innocentij IV. Vrbani IV. Pij IV. ex consilio Biturricensi , & decreto Eminentiss. sancta Romana Inquisitionis.*

2 *Idem probat ratione , ex eo enim sequi possent multa incommoda , & vix reperiretur qui vellet Inquisitoribus hareticos denunciare , vel contra eos testimonium proferre. Quod redundaret in maximum fidei Catholica detrimentum.*

3 *Textus* in cap. finali de hæret. in 6. *vbi conceditur, quod in crimine heresis publicentur testes , sicut in alijs criminibus , non obstat : Nam circumscripta potentia rei inquisiti , & cessante periculo testium, & accusatorum, contrarium decidi videtur.*

4 *Textus pradictus est abrogatus per consuetudinem, vel intelligi debet cessante periculo , non absolutè.*

5 *Confrontatio testium cum ipso delinquente multò minus fieri debet. Et si quandoque fiat in generali Inquisitione Romana, fit ex permissione Sacra Inquisitionis, & solum in aliquo casu graui, & quando nullum testibus , & accusatoribus , vel denunciantibus periculum imminet.*

6 *Testium confrontatio quamvis rec fieri expediat in alijs delictis, non tamen sic similiter expedit in crimine haresis.*

7 *Limita quando testes sunt socij criminis , & quando prudentis iudicis arbitrio omne testium periculum cessauerit.*

8 *Inquisitor tamen si putauerit cessare iam omne periculum confrontandi testes, adhuc non debet ad recognitionem , & confrontationem deuenire sine consensu Episcopi, & peritorum, qui si cum ipso in hac re non conuenerint , consulere debebit maiores Inquisitores.*

9 *Inquisitor, licèt nomina testium , & accusantium , vel denunciantium publicari non debeant , potest sub pracepto silentij , & sub pœna excommunicationis ea aliquibus Theologis , & Iurisperitis , vt sententia prudentius feratur , publicare.*

10 *Consuetudo licèt obtinuerit in aliquibus Inquisitionibus, vt nomina testium consultoribus non manifestentur, nisi in aliquo casu , contrarium tamen seruatur in Inquisitione Hispanica, in qua passim manifestantur consultoribus nomina pradictorum testium.*

11 *Consuetudo licèt obtinuerit in aliquibus Inquisitionibus , vt consultoribus tantùm summa processus manifestetur, contrarium tamen etiam seruatur in dicta Inquisitione Hispanica.*

12 *Consultores si de causis fidei auditis inter se , non audientibus alijs, qui non sunt consultores, discurrant, quamvis extra Congregationem non incurrant pœnam violati secreti , quia sic illi loquendo, illud non violant, quin non omninò improbabiliter, postquam est publicatus processus, & lecta sententia, poterunt dicere votum , quod in dicta causa dederint , quia agitur de re iam publicata.*

SVppono quod testium , & accusantium, vel denunciantium nomina reo de hæresi publicari non debeant. Rosella *verb. hareticus, n. 48.* Simanch. *de Cathol. inst. tit. 64. n. 26. & seqq. & in Enchirid. tit. 35. n. 13. & seqq.* Repert. Inquis. *verb. accusatio, vers. sed an accusatorum nomina, & verb. nomina, vers. tunc videndum est,* Calder. *tract. de haret. rubr. de materia processuum Inquisit. n. 1.* Locat. *in Iudic. Inquisit. verb. aduocatus, n. 1. & verb. defensiones, n. 1. & verb. testis, n. 93.* Gundisal. *tract. de haret. quast. 10. num. 4. & q. 14. num. 1.* Zanchin. *tract. de haret. cap. 9. n. 6.* & *ibi* Campeg. *n. 7.* Dec. *in tract. crim. lib. 5. cap. 35. n. 16.* Peña *in direct. part. 3. q. 75. comment. 124.* Ioan. Rojas *sing. 208.* Læl. Zech. *in sum. part. 1. tit. de fide, rubr. de haref. c. 11. n. 14.* Clar. *in prax. q. 49.* Miranda *in ordin. Indic. tom. 2. q. 26. art. 14. concl. 1.* Scacc. *de Iudic. lib. 1. c. 87. n. 18.* Mattio. Delrio *in disquis. magic. lib. 5. sect. 15.* Homob. *de statib. part. 1. c. 6.* Moscon. *de maiest. milit. Eccles. lib. 1. part. 1. cap. 11.* Queued. *de indic. & tortur. cap. 10. n. 15.* Barbosa *in collectan. tom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 20. n. 6. & seqq.* & alij communiter. 1

Primò ex constitutione Innocentij IV. (quæ incipit *cùm negotiū fidei*) apud Peñam *in 2. part. direct. pag. 115.* ibi : [Sanè volumus, vt nomina tam accusantium prauitatem hæreticam, quàm testificantium super ea, nullatenùs publicentur propter scandalū, vel periculum, quod ex publicatione huiusmodi sequi possit , & adhibeatur dictis huiusmodi testium nihilominùs plena fides.]

Secundò ex constitutione Vrbani IV. (quæ incipit

Pra

pra cunctis) apud eundem Peñam *eadem* 3. *parte directorij, pag*. 138. ibi : [Quod si testibus , quos à vobis recipi, vel ab alio, licèt extra, super eodem crimine hæresis examinari contigerit , ex publicatione nominum eorundem videtis periculum imminere , ipsorum nomina non publicè, sed secretò tantùm, aliquibus personis prouidis, & honestis, religiosis, & aliis ad hoc vocatis, de quorum consilio ad sententiam, vel condemnationem procedi volumus, exprimantur. Et sic non obstante, quod illis , contra quos huiusmodi testes deposuerint, eorum nomina non fuerint publicata ad cognitionem Iudicis instruendam , adhibeatur plena fides testium depositionibus eorundem.

Tertiò ex constitutione Pij IV. (quæ incipit, *Cùm sicut*) apud Peñam *inter literas Apostolicas*, ibi : [Mandatur Inquisitoribus , vt personas , quæ Schismaticos, seu Hæreticos reuelauerint, seu contra eos deposuerint, & testificauerint , publicare , seu reuelare minimè teneantur, & si ab eodem Inquisitore aliqua ipsorum testium dicta publicari contingat, ita truncata, & secreta publicentur , vt cognitio nominum , & cognominum ipsorum testium ad aliquam notitiā deuenire non possit.

Quartò ex Concilio Bitaronensi, *cap*. 10. ibi : [Illud autem caueatis secundùm prouidam Sedis Apostolicæ voluntatem, ne testium nomina signo, vel aliquo verbo publicentur.]

Quintò ex quadam instructione Toletana edita anno 1561. *n*. 39. & ex quadam altera priori instructione Hispalensi edita anno 1486. *cap*. 16. apud Peñam 3. *part. direct. comment*. 124. ibi : [Quoniam constat, quod ex publicatione nominum , & personarum ipsorum testium, qui deponunt super hæresis crimine, possunt incurrere in graue damnum, & periculum personarum, & bonorum, vt experientia demonstrauit, Domini decreuerunt , quod Inquisitores possint non publicare nomina , vel personas testium , qui contra hæreticos deposuerunt.]

Sextò ex quodam decreto Eminentissimorum Cardinalium Sanctæ Romanæ Inquisitionis, edito 1566. 24. Maij , apud Locatum *post indic. Inquisit. inter decreta sancti Officij*, vbi prohibetur (ne publicentur testium nomina , nec iterum publicentur aliæ circumstantiæ , propter quas deueniri possit in cognitionem testium) in his verbis : *Illustrissimi* Cardinales Inquisitores generales in Congregatione ordinaria decreuerunt, dari nuda testium dicta, prout hucusque obseruatum fuit , absque nominum publicatione , aliarumque circumstantiarum, propter quas possit deueniri ad ipsorum testium notitiam ; & quoad responsiones testium super reì interrogatoriis, pariter decreuerunt , non esse illas dandas, si ex illarum publicatione deueniretur in notitiam , quinam fuerint testes ipsi.

Septimò ex ratione , quia ex eo sequi possent multa incommoda , & vix reperiretur qui vellet Inquisitoribus hæreticos denunciare, vel contra eos testimonium proferre , quod in fidei Catholicæ detrimentum quam maximum redundaret. Quapropter in instructione Matritiana quadam edita anno 1561. *cap*. 72. apud Peñam 3. *part. director. comment*. 25. *n*. 101. *lit. C*, dicitur : [Quamvis in aliis Tribunalibus soleant Iudices ad delictorum veritatem indagandam conciliare testes cum delinquentibus ; in iudicio tamen Inquisitionis id neque debet, neque consuetum est fieri ; quia præterquam quod ex hoc videtur secretum, quod circa testes habere præcipitur, experientiâ notum est, quod si quandoque id factum sit , non est exinde sequutus bonus effectus, immò secuta sunt quamplurima incommoda.]

Et ideò consuetudinem esse , quod non publicentur nomina testium , & accusantium , vel denunciantium, testantur (præter alios Doctores, quos suprà citabam) Repertor. Inquisit. *verb. nomina, vers. nunc videndum*, & Paramus *de origine sancta Inquisit. lib*. 3. *quæst*. 4. *in rubr. de expeditione Processus* , *num*. 48.

Non obstat, si dicas, *in cap. finali, de haret. in* 6. conceditur, quod in crimine hæresis publicentur, sicuti in aliis criminibus, nomina testium , & accusantium, vel denunciantium : Nam circumscripta potentia rei inquisiti , & cessante periculo testium , & accusatorum, contrarium decidi videtur in his verbis : [Iubemus tamen, quod si accusatoribus, vel testibus in causa hæresis interuenientibus , seu deponentibus, propter potentiam personarum, contra quas inquiritur, videant Episcopi, vel Inquisitores graue periculum imminere, si contingat fieri publicatio nominum eorum, ipsorum nomina non publicè, sed secretò, omissis aliis, exprimantur : sicque non obstante quod illis, contra quos huiusmodi deposuerunt , nomina ipsorum non fuerint publicata, adhibeatur ad cognitionem Iudicis instruendam plena fides depositionibus testium eorundem.] 3

Accedit Bulla Pauli III. vbi postquam Pontifex mandauit in copiis indiciorum reis ante torturam tradendis nomina testium esse exprimenda, subdit posteà, *præterquam in crimine hæresis* , iuxta Iuris dispositionem ; sed circumscripta potentia inquisiti , & cessante periculo testium, & accusatorum, ius disponit (vti patet *ex dicto cap. finali*) in crimine etiam hæresis publicari nomina testium , & accusatorum : ergo , circumscripta potentia inquisiti, & cessante periculo testium , & accusatorum, ea publicari debebunt.

Respondetur enim (vt omittam posse dici, quod talis textus sit iam abrogatus per consuetudinem in contrarium, & per dictam Constitutionem Pij IV. in illis verbis : *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis*) distinguo antecedens (conceditur, quod in crimine hæresis publicentur , sicuti in aliis criminibus, nomina testium , & accusantium , vel denunciantium) absolutè, nego (quia ibi apertè dicitur, quod nomina testium, & accusantium , vel denuntiantium non debeant publicari , quando adest aliquod periculum, quod ferè semper adesse censetur, quotiescumque prædicta nomina publicantur) cessante periculo, concedo, scilicet quod tunc prædicta nomina in crimine hæresis, sicut in aliis criminibus, publicari possint ; & ita tenet Glossa *in dicto cap. finali, verb. statuta*, Ioan. Andr. *ibid. num*. 1. Geminianus *n*. 3. & 5. Ioannes Monach. *num*. 4. Rosella *verb. hæreticus* 3. *num*. 48. Syluest. *eodem verbo hæreticus* 3. *num*. 10. Repertor. Inquisit. *verb. nomina*, Locat. *in Iudic. Inquisit. verb. testis, num*. 93. Direct. Inquisit. *part*. 3. *in rubr. de defens. reor. & quæst*. 75. *num*. 1. Carrer. *tract. de hæret. num*. 122. & Squillac. *tract. de fide Cathol. cap*. 27. *num*. 6. 4

Hinc multò minùs fieri debet testium , & accusantium, vel denunciantium conuentio, seu (vt ita dicam) confrontatio cum ipso delinquente ; & quidem in generali Inquisitione Romana nunquam hæc reconuentio, seu confrontatio fieri solet , nisi ex peculiari Eminentissimorum Cardinalium in vniuersa Republica Christiana Generalium Inquisitorum, & solùm in casu aliquo graui , & quando nullum testibus , & accusantibus, vel denunciantibus periculum imminet , & tunc solùm etiam coràm ipsis Inquisitoribus. Ioan. Rojas *singul*. 94. Director. Inquisit. *part*. 3. *num*. 101. (quatenus ait, posse testium nomina explicari, quando periculum deponentibus non imminet , & facie ad faciem affrontari, vt sic cum rubore, & verecundia hæreticus, seu delatus veritatem fateatur , per textum *in l. si postulauerit*, *§. quæstioni, ff. ad leg. Iul. de adulter*. ibi : [Quæstioni interesse iubentur reus , vel rei , & Patroni eorum , & qui crimen detulerit :] & per textum *in cap. vltimo, §. cessante, de hæret. in* 6. ibi : Cessante periculo testium nomina publicentur, vt reus possit plenius se defendere) & ibi Peña *commem*. 25. *num*. 101. & *comment*. 48. *lit. C, num*. 109. Repertor. Inquisit. *verb. pro isto solertè*, *§. sequuntur cautela, vers*. 3. *cautela*, & Simanch. *in Enchirid. tit*. 55. *num*. 16. Videri etiam poterit instructio Tolet. *anno* 1561. *num*. 72. 5 6

Quamvis

6 Quamvis igitur (vti dicebam) confrontatio teſtium cum reo fieri expediat in aliis delictis, *ex dicta l. ſi poſtulauerit, §. quaſtioni ff. ad leg. Iul. de adult.* Non tamen ſit ſimiliter expedit in crimine hæreſis: ita Doctores *in locis ſuprà cit.* cum citata inſtructione Toletana anno 1561. *n.* 72. & cum Genuenſi *in prax. Archiep. c.* 68. *n.* 6.

7 Qui iuxta ſupradicta limitat in duobus caſibus, primò quando teſtes ſunt ſocij criminis; ſecundò quando prudentis iudicis arbitrio omne teſtium periculum ceſſauerit, vt ſi v.g. reus ſit homo vilis, parum curans, an bonã, vel malam famã habeat, vt meretrix, & ſimiles infames.

8 At adhuc Seaccia *de Iudic. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 19. vult, quod tamen ſi putauerit Inquiſitor, ceſſare iam omne periculum confrontandi teſtes, adhuc non debeat ad recognitionem, & confrontationem deuenire ſine conſenſu Epiſcopi, & peritorum, qui ſi cum ipſo in hac ratione conuenerint, conſulere debebit maiores Inquiſitores. Quandoquidem etiam in ſupremo Senatu generalis Inquiſitionis nunquam fit talis recognitio, ſeu confrontatio, niſi re cognita, & decreto interpoſito per Cardinales Inquiſitores Generales: Quod ſignum eſt, debere Inquiſitores in re tam periculoſa cautè procedere: ſic Seaccia *loco ſuprà cit.* qui & ſubdit, quod quando dicta recognitio, ſeu confrontatio fit, fieri non debeat reo videnti teſtem. Vide etiam quæ dicam infrà in difficultatis reſolutione, *num.* 5. *& ſeqq.*

9 Cæterùm, quamvis etiam (vti dicebam) teſtium, & accuſantium, vel denunciantium nomina publicari non debeant, poteſt tamen Inquiſitor ſub præcepto ſilentij, & ſub pœna excommunicationis ea aliquibus Theologis, & Iuriſperitis, vt ſententia prudentiùs feratur, publicare, *cap. finali, de haret. in* 6. & notat ibi Gloſſa *verb. abſente*, Gemin. *ibidem, n.* 1. Ioan. Monach. *n.* 1. Franch. *n.* 1. *&* 3. & Sylu. *verb. hareticus* 2. *n.* 10. Et patet ex dicta conſtitutione Vrbani IV. *Præ cunctis*, apud Peñam *loc. cit.* quia tunc ceſſare videtur periculũ quod dicebam.

10 Adde quod (licèt conſuetudo obtinuerit in aliquibus Inquiſitionibus, vt nomina teſtium iuxta ea, quæ ſuprà dicebam, conſultoribus non manifeſtentur, niſi in aliquo caſu. Peña *in direct. part.* 3. *comment.* 126. Campeg. *in addit. ad Zanchinum, tract. de haret. c.* 15. *lit. A*, Bariola *in Aphoriſm. lit. T, verb. teſtis*, §. 8. Figueroa *in notis margin. ad Zanchinum vbi ſuprà, in fauorem fidei*, ad alliciendum ſcilicet teſtes, vt ſic faciliùs, & ſecuriùs contra hæreticos deponerent, cùm ſcirent, quod ipſorum nomina non ſolùm reis, ſed nec etiam conſultoribus manifeſtantur) contrarium tamen ſeruetur in Inquiſitione Hiſpanica, in qua paſſim manifeſtantur conſultoribus nomina teſtium prædictorum. Eymer. *in direct. Inquiſit. part.* 3. *q.* 80. Souſa *in Aphoriſm. lib.* 2. *c.* 6. *n.* 76. ex textu *in cap. ſta uta, §. iubemus, de haret. in* 6. vbi etiam præter alios Aochatanus *num.* 1.

11 Adde ſecundò, quod (licèt etiam conſuetudo obtinuerit in aliquibus Inquiſitionibus, vt conſultoribus tantùm ſumma proceſſus manifeſtetur, Figueroa *loco ſuprà cit. c.* 15. *in addit. lit. A.*) Contrarium tamen etiam ſeruetur in eadem dicta Inquiſitione Hiſpanica, in qua paſſim etiam per excuſum à ſecretario S. Officij legitur conſultoribus totus proceſſus. Eymer. *in director. Inquiſit. part.* 3. *q.* 79. & ibi Peña *comment.* 128. Lucerna Inquiſit. *verb. Inquiſitor*, §. 21. Zanardus *in director. Theolog. part.* 2. *precept. cap.* 6. *q.* 42. Paramus *de origin. Inquiſit. lib.* 3. *q.* 4. *n.* 56. Et habetur in inſtructione Toletana anni 1561. *n.* 41. quin & habetur etiam *in cit. cap. finali, §. iubemus, de haret. in* 6.

12 Adde tertiò, quod conſultores, ſi de cauſis fidei auditis inter ſe, non audientibus aliis (qui non ſunt conſultores) diſcurrant, quamvis de iis diſcurrant extra Congregationem, non incurrant pœnas violati ſecreti; quia ſic illi loquendo illud non violant; quin non omninò improbabiliter, poſtquam eſt publicatus proceſſus, & lecta ſententia, poterunt dicere votum, quod in dicta cauſa dederunt, quia agitur de re iam publicata, quamvis peccare poſſint, ſi exinde alij deueniant in cognitionem eorum conſultorum, qui contra delinquentem votarunt, quia ſic aperiretur via ad rixas, odia, &c. ita Doctores, quos ſequitur Zanard. *loco ſuprà cit.* His ſuppoſitis, ſit

DIFFICVLTATIS reſolutio.

SVMMARIVM.

1 *Teſtium depoſitio reo publicari debet in hoc Tribunali Sancti Officij, ſuppreſſis nominibus teſtium, & delatorum.*

2 *Reo dari non debet copia cognominum teſtium, neque aliquarum depoſitionis circumſtantiarum, ex quibus in notitiam aduersùs ipſum deponentium deuenire poſſit.*

3 *Idque procedit quoties ex hac publicatione teſtibus, vel delatoribus periculum timetur, quia ſi periculum non timetur, publicari reo nomina debent.*

4 *In praxi tamen periculum ſemper præſumitur, etiamſi reus inquiſitus potens non ſit, & aliàs teſtes occultarent delicta, &c.*

5 *Teſtes non ſunt cum reo confrontandi in hoc Tribunali Sancti Officij, ne à delicto manifeſtando fauore fidei remoueantur.*

6 *Inquiſitor imprudentiſſimè ſe gereret, ſi teſtes renuentes confrontare compelleret extra duplicem caſum: primò ſi teſtis eſt ſocius criminis. Secundò cùm dubium eſt de falſitate teſtium.*

7 *Inquiſitor hoc facere debet cum magna prudentia, & cautela, & omninò præcauere omne periculũ teſtium.*

1 RESpondetur, quod teſtium, & accuſantium, vel denunciantium facta depoſitio reo publicari debeat, ſuppreſſis nominibus prædictorum teſtium, & accuſantium, vel denunciantium: ita Doctores communiter, quos ſuprà citabam, & præcipuè Eymer. 3. *part. direct. n.* 119. & *ibi* Peña *comment.* 29. Læl. Zecch. *in ſum. part.* 1. *tit. de fid. rub. de hareſ. c.* 11. *n.* 14. & Farin. *de hareſ. q.* 188. *n.* 7. ex textu expreſſo *in c. finali, de haret. n.* 6. & ex aliis iuribus, quæ ſuprà citabam, & hoc ob fauorem fidei, ne teſtes remoueantur à depoſitione criminis adeò grauis, & adeò Reipublicæ pernicioſi, ſicuti dicebam.

2 Ex his infertur, quod reo dari non debeat copia cognominum teſtium, neque aliquarum depoſitionis circunſtantiarum, ex quibus in notitiam aduersùs ipſum deponentium deuenire poſſit: ita Doctores iidem, quos ſuprà citabam, & præcipuè etiam Eymericus, Peña, Læl. Zech. & Farinac. *in locis citatis.*

3 Aduerte tamen, id quod dixi, procedere quoties ex hac publicatione teſtibus, accuſantibus, vel denunciantibus periculum timetur, quia ſi periculum non timeatur, publicari (ſicut in aliis iudiciis) reo nomina debent, ex iis, quæ ſuprà dicebam, & ex eodem expreſſo textu *in dicto cap. finali, de haret. in* 6.

4 Quamvis hodie vſus obtinuerit, quod ſemper, etiamſi reus inquiſitus potens non ſit, hoc periculum præſumatur, quia ſaltem eius conſanguinei, vel eius ſocij, & complices potentes eſſe poſſunt ad vindicandum. Accedit periculum grauis detrimenti adeſſe Religioni, quod ſcilicet teſtes occultent delictum, quod aliàs manifeſtarent, ſi ſcirent ſe publicandos non eſſe. Accedit ſecundò, vt tota ratio dubitandi, & omnis ſcrupulus Inquiſitorum auferatur, extare ſupradictam conſtitutionem Pij IV. Cum ſicut, vbi decernitur, quod nunquam Inquiſitores teneantur nomina teſtium delato publicare. Peña 3. *part. direct. q.* 75. *comment.* 224. *verſ. tamen ſi verò*, Rojas *tract. de hareticis part.* 2. *n.* 29. Repert. Inquiſ. *verb. omnia, verſ. nunc videndum*, Paramus *de origin. S. Inquiſit. lib.* 3. *q.* 4. *rubr. de expedit. proceſſ. num.* 48. & alij, quos ſequitur Farinac. *cit. q.* 188. *num.* 12.

Sequitur

Sequitur secundò à fortiori, quod testes non sint cum reo confrontandi, quia esto in aliis iudiciis & causis hæc confrontatio, vt reus sic faciliùs conuincatur, & veritatem negare non audeat, sæpè sæpiùs expediens sit, iuxta textum *in l. si postulauerit, §. quæstioni, ff. ad l. Iul. de adulter.* ibi: [Quæstioni interesse iubentur reus, reaue, & patroni eorum, & qui crimen detulerit,] & innata alia iura, quæ suprà citabam, fauore tamen fidei, ne propterea testes, vel alij à delicto manifestando remoueantur, expediens non est, quin potiùs expediens est contrarium, eos scilicet ab hac confrontationis obligatione liberari. Peña *3. part. direct. comment.* 23. *n.* 101. *& comment.* 48. *num.* 109. & alij, quos citat, & sequitur Farinac. *de hæret. cit. quæst.* 188. *n.* 28.

6 Quapropter prædicti Doctores affirmant, quod imprudentissimè se gereret Inquisitor, si testes renuentes confrontare compelleret; extra duplicem casum.

Primò cum testis est simul socius criminis, quia tunc ratione societatis in delicto, & non ratione testimonij, confrontare compelleretur. Neque in hac compulsione graue inconueniens sequi videtur, cùm testis seipsum simul condemnet, & reus teneatur deponentem manifestare. Peña *3. part. direct. comment.* 48. *vers. sit secundum axioma*, Martin. Delrio *disquis. magic. lib.* 5. *in* 2. *append. q.* 39. & Farinac. *d. q.* 188. *n.* 30.

Secundò cùm dubium est de falsitate testium, neque apparet via, qua dubium tollatur, & veritas elucescat, quia tunc poterit Inquisitor, ne innocens condemnetur, ad confrontationem testes compellere.

7 Aduerte tamen, quod Inquisitor hoc facere debeat cum magna prudentia, & cautela, & omninò præcauere omne periculum testium. Quapropter Peña, & Farinac. *in locis suprà citatis* aiunt, hanc confrontationem (cùm sit res grauissima) faciendam non esse ab Episcopo sine Inquisitore, vel è contra; quinimò in generali totius orbis Inquisitionis Tribunali nunquam de facto fieri, nisi ex decreto Eminentissimorum Cardinalium ibi præsidentium. Vide etiam quæ dicebam suprà in supposito, & quæ dicebam *dubit.* 192. *sect.* 30.

SECTIO XIII.

An, & in quantum probent testes, aliàs inhabiles, vt excommunicati, criminosi, socij criminis, Iudæi, & hæretici contra Christianum Catholicum, de quibus suprà sect. prima dicebamus?

SVMMARIVM.

1 *Testes aliàs inhabiles, vt excommunicati, criminosi, socij criminis, Iudæi, & hæretici, probant quidem delictum contra Christianum Catholicum; sed non integrè, quia licèt fauore fidei ij admittantur ad testificandum, admittuntur tamen vt falsitatis dicendæ periculo semper subiecti.*

2 *Reus duplici teste contesto sociis criminis, aut aliàs inhabilibus, non potest ad pœnam ordinariam condemnari, etiamsi concurrant indicia, & circunstantiæ, quibus præsumi potest eos veritatem deponere.*

3 *Testis vnius inhabilis depositio rarò sufficit ad torturam, nisi aliis adminiculis, & præsumptionibus grauibus adiuuetur, quamvis depositio duorum sufficiat ad torturam, vel condemnationem extraordinariam.*

4 *Delictum neque etiam probatur plenè, integrè, & perfectè, licèt cum teste aliàs inhabili concurrat testis alter omninò integer, & fide dignus, quia ex dignitate vnius non reparatur defectus alterius.*

5 *Testis vnus valdè dignus, & alter testis infamis, seu minùs idoneus, & minùs dignus, licèt faciant probationem plenam, eo quòd fides excellens vnius supplet defectum alterius, in crimine tamen hæresis, vt etiam in aliis causis criminalibus, huiusmodi duo testes non sufficiant, sed ambo debent esse probatæ fidei.*

6 *Testes prædicti inhabiles admittuntur contra reum, quando ex verisimilibus coniecturis falsa dicere non præsumuntur.*

Respondetur, quod probent quidem, sed non integrè. Aretin. *in cap. finali, de testibus, circa finem*, Palacius *rubrica in alleg. de hæresi, §. vltimo*, Locatus *in iudicial. Inquisit. verbo complices, num.* 1. quatenus ait, quod complices in crimine hæresis admittantur quidem ad inquirendum, non tamen ad torturam, vel condemnationem. Genuensis *in prax. Archiep. c.* 84. *n.* 11. Peña *3. part. direct. q.* 64. *comment.* 113. *vers. cæteris tamen*, Rojas *sing.* 191. *n.* 3. Mascard. *de probat. lib.* 2. *concl.* 857. *n.* 38. Farinac. *q.* 188. *n.* 83. & alij communiter. 1

Probatur, quia licèt fauore fidei tales testes, aliàs inhabiles, ad testificandum admittantur, admittuntur tamen vt falsitatis dicendæ periculo semper subiecti, cùm hoc periculum, quod est intrinsecum, per admissionem purgari non possit.

Non obstat si dicas: *In cap. in fidei fauorem, de hæret. in* 6. *dicitur*, quod prædicti testes, alioquin in aliis delictis inhabiles, admittendi sint ad testificandum in causa fidei, seu in crimine hæresis, & possint esse de numero testium. At appellatione numeri intelliguntur duo, *l. vbi numerus, ff. de testib. & cap. pluralis locutio, de reg. iuris*: Ergo duo ex dictis testibus, qui in aliis delictis sunt inhabiles, erunt sufficientes ad faciendam probationem plenam in crimine hæresis.

Respondetur enim, nego consequentiam, quia ibi solùm dicitur, quod in fidei fauorem testes, alioquin inhabiles, possint admitti ad testimonium ferendum, non tamen dicitur, quod duo sufficiant ad probandum; & illorum verborum, *de numero testium*, sensus est, ac si diceretur, de multitudine testium. Aretinus, & Palac. *in locis suprà citatis*; & ideò aliæ coniecturæ requiruntur ad probandum, & sic ad condemnandum, & non sufficiunt duo ex prædictis testibus.

Hinc sequitur, quod duobus testibus contestibus, v. g. sociis criminis, aut aliàs inhabilibus, non possit reus ad pœnam ordinariam condemnari, etiamsi concurrant indicia, & circunstantiæ, quibus præsumi potest, eos veritatem deponere, quia huiusmodi indicia, & circunstantiæ requiruntur, vt ipsorum dictum admitti possit, non autem requiruntur, vt probent integrè: ita Doctores iidem *in locis suprà citatis, ex textu in cap. in fidei fauorem, de hæreticis in* 6. 2

Quapropter depositio vnius testis inhabilis rarò sufficit ad torturam, nisi aliis adminiculis, & præsumptionibus grauibus adiuuetur, quamvis depositio duorum sufficiat ad torturam, vel ad condemnationem extraordinariam, & depositio trium, vel quatuor sufficiat ad condemnationem ordinariam, quia multitudine deponentium reparatur ipsorum inhabilitas: ita Doctores, quos citat, & sequitur Palacius, Genuensis, Rojas, Peña, Mascardus, & Farinacius vbi suprà, ex quibus videatur præcipuè Peña *in direct. part.* 3. *q.* 64. *comment.* 113. Mascard. *de probat. lib.* 2. *concl.* 857. *n.* 38. Martin. Delrio *in disquis. magic. lib.* 5. *in append.* 2. *q.* 12. 13. 14. *&* 15. Farin. *de hæres. q.* 188. *n.* 83. & Sousa *in aphorism. Inquisit. lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 13.) contra Ciazzium *in discept. crimin. discept.* 17. *n.* 46. *& seqq.* & nonnullos alios (qui simpliciter volunt, quod testis inhabilis non possit suppleri per alios testes inhabiles, quia quod nihil est, supplementum non recipit, *l. sed si manente, ff. de precar.* Et quia, vt testium inhabilitas suppleatur ex dicto alterius, necesse est, quod testis supplens non sit inhabilis, vt tenent Aymon. *cons.* 99. *n.* 10. & Corn. *lib.* 2. *cons.* 172. *n.* 20. Et quia ex pluribus imperfectis non potest oriri perfectum, Bec. *cons.* 85. *n.* 20. & contra nonnullos etiam alios, qui moderatiùs volunt, quod hæreticus damnandus non sit ad pœnam ordinariam ex testimonio solùm trium, vel etiam quatuor testium 3

inhabilium, quia cùm hodie regulariter non damnetur hæreticus ad pœnam ordinariam, nisi contra ipsum adsint tres testes contestes omni exceptione maiores, consequens est, quod damnandus non sit ex testimonio solùm trium, vel etiam quatuor testium inhabilium, sed plures propterea ad id requirantur: in quo casu, sicut etiam in nostro, quem suprà dicebam (vt *ex cap. in fidei fauorem, de hæretic. in 6.* adnotarunt Rojas *sing. 188. n. 11. & sing. 200. n. 3.* Peña *in director. part. 3. comment. 113.* Zechius *in sum. tom. 1. cap. 11. de hæresi, num. 14. vers. admittuntur*, Martin. Delrio *in appendic. 2. ad disquisit. magic. lib. 5. q. 12. in fine*, & Binsfeldius *de confess. malef. memb. 2. concl. 7.*) numerus testium supplet ipsorum defectus, etiam ad effectum, vt dicantur omni exceptione maiores, & etiamsi omnes patiantur aliquas exceptiones. Greg. XV. *dec. 351. num. 4. & 5.* & Cæs. de Grass. *decis. 175. n. 9.* licèt quoad hoc vltimum dissentiant Bursat. *cons. 321. n. 32. lib. 3.* Cacher. *cas. 64. numero 30.*

Ad ea verò, quæ dicebat Ciazzius cum nonnullis aliis, respondetur ad primum negando, quod testis inhabilis sit nihil, quia in causa fidei admittitur, & facit fidem, licèt aliqualem. Ad secundum dicendo, quod vt testium inhabilitas suppleatur ex dicto alterius, necesse sit, vt testis supplens non sit inhabilis, vel etiam disjunctiuè, vt adsit quid æquiualens, quod in casu nostro est pluralitas testium, licèt inhabilium. Ad tertium concedendo, quod ex pluribus imperfectis non possit oriri perfectum, si illa plura imperfecta non se adiuuent adinuicem, & non confluant ad vnum. At secus si aliter, vt est in casu nostro, cum prædicti testes inhabiles supponantur non singulares testes, sed contestes.

4 Sequitur secundò, quod (quidquid in contrarium sentire videantur Pitigianus *in pract. crim. canon. part. 2. c. 1.* & Ghislerius *de iud. regul. cap. 17. num. 46.*) neque etiam delictum probetur plenè, integrè, & perfectè, tamen si cum teste aliàs inhabili concurrat testis alter omninò integer, & fide dignus, quia ex dignitate vnius non reparatur defectus alterius, licèt reparetur, si cum depositione vtriusque concurrant aliæ circumstantiæ & indicia: ita Doctores, quos citat, & sequitur Bernard. Diaz *in regul. 752.* Peña *3. part. direct. q. 64. comment. 113. vers. sit iam tertium.* Pottel. *in dub. regul. verb. testis, num. 10.* Sousa *in Aphoris. Inquis. lib. 2. c. 19. n. 2.* & Fa-
5 rin. *q. 188. n. 69.* quia (licèt in multis causis vnus testis valdè dignus, & alter testis infamis, seu minùs idoneus, & minùs dignus faciant probationem plenam, eo quòd fides excellens vnius suppleat defectum alterius, vt adnotat Bald *in l. si quis ex argentariis, §. 1. ff. de edendo*, aliique Doctores ibidem, & Iason *in l. cunctos populos, Cod. de sum. Trinit. & fid. cathol. n. 53.*) In crimine tamen hæresis, sicut etiam in aliis causis criminalibus, huiusmodi duo testes non sufficiunt, sed ambo debent esse probatæ fidei, Bernard. Diaz, Peña, & Farinac. *vbi suprà*, quia in criminalibus probationes debent esse claræ, & certæ, nisi casu quo crimen esse commissum, indicia, & coniecturæ aliæ concurrant, quia tunc huiusmodi indicia, & coniecturæ adiuuant testimonium alterius testis minùs habilis, seu minùs digni, *cit. cap. in fidei fauorem, de hæret. in 6.* ibi: [At aliis circunstantiis sic testificantes falsa non dicere præsumantur.]

6 Cæterùm prædicti testes inhabiles admittuntur contra reum, quando (sicut habetur *in cap. in fidei fauorem, de hæret. in 6.*) ex verisimilibus coniecturis, & ex testium numero, aut personarum, tam deponentium, quàm earum, contra quas deponitur, qualitate, & aliis circunstantiis sic testificantur, vt falsa dicere non præsumantur. Menoch. *de arbitr. lib. 2. cas. 474. n. 58.* Mascard. *de probat. lib. 1. concl. 158. n. 3.* Martinus Delrio *in disquis. magic. append. 2. lib. 5. q. 1.* Hippol. de Marsil. *cons. 74. num. 13.* & alij passim.

SECTIO XIV.

An, & in quantum probent testes habiles, & fide digni, sed singulares?

SVMMARIVM.

1 *Testis singularis dicitur is, cuius depositio contestem non habet, seu cuius depositio cum nullius alterius depositione coniungitur.*

2 *Testium singularitas triplex est, obstatiua, adminiculata, seu cumulatiua, & diuersificatiua.*

3 *Singularitas obstatiua est, cùm vnius dictum obstat, seu repugnat dicto alterius.*

4 *Singularitas adminiculata, seu cumulatiua est, cum dictum vnius fauet, seu patrocinatur dicto alterius.*

5 *Singularitas diuersificatiua est, cum ex testium depositionibus diuersus actus in specie, & in substantia colligitur.*

6 *Testis vnicus, & singularis non sufficit ad hoc, vt quis condemnetur pœna ordinaria hæreticis imposita.*

7 *Testes, si sint singulares singularitate obstatiua, nihil probant, quia sibi inuicem aduersantur, & dictum vnius infirmat dictum alterius.*

8 *Testes si sint singulares singularitate adminiculata, seu cumulatiua, sibi inuicem adiuuant, & licèt non probent delictum concludenter, probant tamen illud aliquantulum inefficaciter.*

9 *Idem dic; licèt non ita efficaciter, si testes sint singulares singularitate diuersificatiua, quia ex dicto vnius non confirmatur, sed potiùs adiuuatur dictum alterius.*

10 *Testes si sint singulares singularitate cumulatiua, vel diuersificatiua, licèt delictum non probent plenè, vt reus condemnari possit ad pœnam ordinariam, probant tamen ita vt is possit subjici quæstionibus, & condemnari ad pœnam extraordinariam.*

11 *Testes singulares probant ad inquirendum de aliquo, an sit hæreticus, non tamen ad condemnandum, quinimò si cum teste singulari adsit etiam fama, quod aliquis sit hæreticus, vel alterius criminis reus, & fama fuerit sufficienter probata, adhuc reus non condemnabitur pœna ordinaria.*
Item neque si testes singulares sint viri valdè digni, nobiles, & egregiæ qualitatis.

12 *Testes in dubio, an deponant de diuersis actibus, vel de vno tantùm, si in loco, & tempore conueniant, præsumuntur de vnico tantùm actu deponere, ac proindè esse contestes, non autem testes singulares, quia pluralitas actuum non præsumitur.*

SVppono, quod testis singularis dicatur, cuius deposi- 1
tio contestem non habet. Vnius depositio cum nullius alterius depositione coniungitur, sed ab omni alia alterius depositione disjungitur. Baldus *in l. de quibus, ff. de legib. n. 37.* quem sequuntur Peña *loco suprà citato, q. 72. comment. 121. vers. testis verò singularis*, Farinac. *de testib. q. 64. n. 26. & seqq.* & alij communiter. Vide etiam quæ dicam infrà *sect. 20. corollar. 1.*

Suppono secundò, quod triplex sit testium singulari- 2
tas, obstatiua, adminiculata, seu cumulatiua, & diuersificatiua. Bald. *in cap. licèt causa, de probat. n. 11.* quem sequuntur Peña *cit. comment. 121. vers. sed quo apertius*, Rojas *de hæret. 2. part. assert. 6. n. 122.* Farinac. *cit. q. 64.*
n. 4. & alij passim. Obstatiua singularitas est, cùm vnius 3
dictum obstat, seu repugnat dicto alterius, è contra verò
adminiculata, seu cumulatiua singularitas est, cum di- 4
ctum vnius fauet, seu patrocinatur dicto alterius, vt si te hæresim commisisse vnus deponat se vidisse; alter deponat, se audiuisse: in hoc enim casu dictum vnius
fauet, seu patrocinatur dicto alterius. Diuersificatiua 5
singularitas

singularitas est, cùm ex testium depositionibus diuersus actus in specie, & in substantia colligitur, vt si vnus deponat, te hæresim commisisse tali loco, & tempore; quia tunc horum testium depositiones diuersas hæreses commissas arguunt, aliàs si prædicti testes solùm de vnico, eodemque actu vellent deponere, sibi ipsi obstarent, & singularitatem obstatiuam in suis depositionibus inuoluerent: ita Doctores communiter, quos citat, & sequitur Peña, & Farinac. *vbi suprà*, Paramus, & Rojas *de hæreticis, part.*2. *num.*122.

6 Suppono tertiò, quod vnicus, & singularis testis non sufficiat ad hoc, vt quis condemnetur pœna ordinaria hæreticis imposita. S. Thom. 2.2. *q.*70. *art.*2. Syluest. *verb. hæreticus* 1. *num.*6. Archidiac. *in cap. vt officium, de hæret. in* 6. *num.*8. & 9. Ioan. Andr. *ibidem, num.*1. Gemínian. *num.*6. Director. Inquisit. *part.*3. *quæst.*72. & *ibi* Peña *comment.*121. quia (cùm reus sit in possessione suæ famæ, & suorum bonorum, & cùm melior sit conditio possidentis) vnicus, & singularis testis non debet esse sufficiens ad hoc vt reus priuetur hac possessione: tum quia in aliis delictis vnicus, & singularis testis (cùm vnicus & singularis testis dicatur nullus testis) non probat: ergo multò minùs probabit in crimine hæresis, vbi requiruntur probationes clariores, & certiores, cùm in criminalibus probationes luce clariores esse debeant, *l. sciant, C. de probat.* Si igitur reus vnicum, & singularem testem contra se tantùm habet, propter suum delictum condemnari non debebit. His suppositis.

7 Respondetur, & dico primò, testes, si sint singulares singularitate obstatiua, nihil probant, quia sibi inuicem aduersantur, & dictum vnius infirmat dictum alterius, ac proinde minùs probant plures, quàm vnus tantùm: ita Doctores communiter, quos citat, & sequitur Rojas *tract. de hæreticis*, 1. *part. assert.*6. *num.*151. & Farinac. *quæst.*64. *num.*41.

8 Quod si testes sint singulares singularitate adminiculata, seu cumulatiua, sibi inuicem adiuuant; & sic licèt quidam non probent delictum concludenter, probant tamen illud (etsi aliquantulum inefficaciùs) quia testis deponens de auditu coadiuuat deponentem de visu, & deponens de fama coadiuuat deponentem de facto: ita Doctores communiter, quos citat, & sequitur Farinacius *quæst.*64. *n.*156. & *seqq.*

9 Idemque (licèt non ita efficaciter) dicendum, si testes sint singulares singularitate diuersificatiua, quia ex dicto vnius non infirmatur, sed potiùs adiuuatur dictum alterius: ita Doctores, quos citat, & sequitur Peña 3. *part. directorij, comment.*121. *vers. vltima est diuersificatiua.* Farinacius *vbi suprà*, *num.*113. & Gabriel *tit. de testibus, lib.*1. *concl.*2. *num.*9.

10 Dico secundò, testes (si sint singulares singularitate cumulatiua, vel diuersificatiua) licèt delictum non probent plenè, vt reus condemnari possit ad pœnam ordinariam; probant tamen ita, vt reus subjici possit quæstionibus, & condemnari ad pœnam extraordinariam, & vt ipsi possit indici purgatio, quia delictum ex ipsorum depositionibus est plusquam semiplenè probatum. Calder. *tract. de hæret. rubr. de sentent. Inquisit. n.*1. Parisius *lib.*4. *consil.*2. *num.*93. Menoch. *lib.*1. *consil.*82. *num.*166. Mascard. *de probat. lib.*1. *concl.*856. *num.*12. & *seqq.* Peña *citato comment.*121. *circa finem*, & alij, quos citat, & sequitur Farinac. *quæst.*64. *numero* 218. & *de hæresi quæst.*188. *num.*163.

11 Item testes singulares probant ad inquirendum de aliquo, an sit hæreticus, non tamen ad condemnandum, Paris. *vbi suprà*, *num.*92. & Mascard. *num.*22. Quinimò, si cum teste singulari adsit etiam fama (quod aliquis sit hæreticus, vel alterius criminis reus) & fama fuerit sufficienter probata, adhuc reus non condemnabitur pœna ordinaria. Gloss. *in cap. veniens* 1. *de testib. verb. illorum*, Simanch. *de Cathol. instit. tit.*51. *num.*3. Albertin. *de agnoscend. assert. q.*34. *num.*8. & Gundisaluus *tract. de hæret. quæst.*13. *num.*9. quia in causis criminalibus plures probationes imperfectæ non sunt sufficientes ad faciendam vnam probationem integram, & perfectam. Gloss. *loco suprà citato*, quam cum Claro *in pract. crimin. q.*63. *vers. tu scis*, sequuntur communiter Doctores.

An autem testes singulares, si sint viri valdè digni, nobiles, & egregiæ qualitatis, faciant plenam probationem contra reum?

Respondetur (licèt affirment nonnulli, quos sequitur Hippol. de Marsiliis *in tract. crimin. §. diligenter, n.*17.) meliùs tamen negant alij, quos sequitur Caniera *in quæst. crimin. cap.*2. *de probat. per testes, quæst.*5. *num.*3. & Campeg. *in addit. ad Zanchinum, cap.*13. *lit. C.*

Dico tertiò, in dubio (an testes de diuersis actibus, 12
vel de vno tantùm deponant) si in loco, & tempore conueniant, præsumuntur de vnico tantùm actu deponere, ac proinde esse contestes, non autem testes singulares, quia pluralitas actuum non præsumitur, ex textu *in cap. cum Ioannes, de fide instrument.* At si in loco, & tempore discordent (cùm ex tali discordia, seu diuersitate diuersitas actuum inferatur) præsumuntur de pluribus actibus testari, & non de vno, ac proinde esse testes singulares, non autem contestes: ita Doctores communiter, quos citat, & sequitur Farinac. *citata quæst.*64. *num.*317. & *sequentibus.*

SECTIO XV.

An si duo testes omni exceptione maiores (quorum vnusquisque de actu hæreticali diuerso deponat) aduersùs Petrum, vnus v.g. se audisse, Petrum negasse Christum Messiam; alter se audisse, Petrum negasse Mariam Virginem, vel Sanctorum cultum, &c. Petrus de hæresi conuictus reddatur, ita vt ad pœnam ordinariam condemnari possit?

SVMMARIVM.

1 *Testes duo omni exceptione maiores si aduersùs quempiam deponant; secundùm aliquos Doctores, talis reus redditur de hæresi conuictus, vt ad pœnam ordinariam condemnari possit, quia huiusmodi testes licèt concludenter non probent aliquam hæresim in specie, probant tamen in genere.*

2 *Testes duo omni exceptione maiores, si aduersùs quempiam deponant, probabilius est, quod non probent, quia non potest esse genus, nisi sit in aliqua specie, neque species nisi sit in aliquo indiuiduo.*

3 *Nemo potest condemnari, & puniri tanquam hæreticus, nisi saltem duobus legitimis testibus fuerit de hæresi conuictus.*

4 *Testis singularis, quod aliquis vir patrauerit miracula, v.g. direxerit claudum, si alter etiam diceret, quod illuminauerit cæcum, non plenè probaret, quod dictus vir probus miracula fecerit.*

5 *Ad plenè probandum aliquod delictum graue necessariò requiruntur testes contestes simpliciter, & non sufficiunt testes contestes in genere, & secundùm quid.*

6 *Vt quis condemnetur de graui crimine (quale est crimen hæresis) requiruntur graues probationes.*

7 *Non possunt Inquisitores vnire duas semiplenas probationes ad condemnandum reum pœna ordinaria.*

AFfirmant Zanchin. *tract. de hæret. cap.*13. *num.*6. 1
Locat. *in iudic. Inquis. verb. testis, n.*59. Sagouiens. *de hæretic. capite* 12. & Philippus Porcius *lib.*1. *commun. opinion. regul.*34. *vers. contrariam opinionem.*

videri etiam poterit Menoch. *conf.* 82. *n.* 138. *lib.* 1. & Ant. Gom. *tom.* 3. *cap.* 12. *n.* 12. *verf. fecus tamen eft.*

Probat, quia huiusmodi testes, licet concludenter non probent aliquam hæresim in specie, probant tamen in genere (cùm probent, prædictum reum hæreticum esse, siquidem per quamlibet hæresim hæreticus constituitur, & cùm omnes hæreses sint connexæ, & ad inuicem inter se colligatæ, *cap. excommunicamus* 1. *de heret.* & *cap. accusatus, eod. tit. in* 6.) in qua generalitate conueniunt, & contestes esse videntur, quod multò magis locum habet, si propositiones hæreticales prolatæ, vel actus hæreticales commissi ad vnam eandemque sectam pertineant, vt si v.g. vnus testis deponit, reum ex obseruatione legis antiquæ Sabbatum custodisse, alter verò testis deponat, reum se circuncidi permisisse, quia tunc de tali secta conuictus esse videtur. His tamen non obstantibus.

Respondetur, probabiliùs negant Caietan. 2. 2. q. 70. *art.* 2. Conrad. Brun. *lib.* 4. *de heret. cap.* 9. Albertin. *de agnoscend. assert.* q. 34. n. 10. Petr. de Aragon. 2. 2. q. 70. *art.* 2. Mynsinger. *centur* 2. *obseruat.* 100. Simanch. *de Cath. inst. tit.* 51. & 64. *num.* 69. & *seqq.* Peña 3. *part. directi comment.* 121. *verf. caterùm omissa.* Clar. q. 53. n. 14. Mascard. *de probat. concl.* 856. *n.* 13. *vol.* 2. Cantera *in quæst. crim. cap.* 2. *de vera confess. n.* 17. Scaccia *de Indic. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 10. *n.* 527. Zanard. *in direct. conf. part.* 3. *cap.* 113. *n.* 11. Flores de Mena *quæst. var. lib.* 3. *q.* 22. *n.* 45. Sayrus *in clau. reg. lib.* 12. *cap.* 21. *n.* 16. Menoch. *vol.* 2. *conf.* 149. *n.* 17. & 44. Moris *in empor. Iur. part.* 1. *tit.* 11. *in preludiis, n.* 31. Miranda *de ordin. Iudic. q.* 23. *art.* 4. *conf. vnico, in fine,* & Ignatius de Villar. *in sylua respons. lib.* 1. *resp.* 15. *n.* 58. & alij, quos citat, & sequitur Rojas *tract. de heret.* 2. *part. assert.* 6. *n.* 142. & *seqq.* vbi contrariam sententiam appellat periculosam.

2 Probatur, quia à parte rei non potest esse genus, nisi sit in aliqua specie, neque species, nisi sit in aliquo indiuiduo: Ergo reus non potest probari hæreticus in genere, quin probetur aliquo actu in indiuiduo hæresim commisisse (cùm indiuidua tantùm sint à parte rei, & sensibilia, & sic de his tantùm possit testimonium deponi) sed reus concludenter de nullo actu hæreticali in indiuiduo conuincitur per duos prædictos testes (vt casus supponit) ergo nunquam redditur sufficienter ex eorum testimonio de hæresi conuictus, ita vt ad pœnam ordinariam (benè tamen ad extraordinariam, vel ad torturam) condemnari possit.

Confirmatur, quia per testes singulares nulla species hæresis est plenè probata, cum ex pluribus diuersis non resultet vnum integrale, *l. sancimus,* §. *si quis autem, Cod. de donat.* & *l. vsura, C. de vsur.* cum plura imperfecta, si scilicet non adiuuent ad inuicem, & non confluant ad idem, non faciant vnum perfectum, *l. vnica, C. qui à tut. se excus.* Ergo ex huiusmodi probatione non benè deducitur, quod Petrus sit condemnandus tanquam hæreticus.

3 Confirmatur 2. quia nemo potest condemnari, & puniri tanquam hæreticus, nisi saltem duobus legitimis testibus fuerit de hæresi conuictus: at Petrus per tales testes de nulla fuit hæresi conuictus: Ergo condemnari non potest tanquam hæreticus.

4 Confirmatur 3. quia si velles probare, quod vir aliquis probus miracula fecerit, & vnico teste probares, quod is sanauerit, & erexerit claudum, altero teste probares, quod illuminauerit cæcum, per tales testes non plenè probares, quod dictus vir probus miracula fecerit (vt benè præter alios probat Alex. de Imola *conf.* 164.) Ergo idem dicendum erit in casu nostro, sicque quod ad plenè probandum aliquid requirantur saltem duo contestes, non solùm in genere, & secundum quid, sed etiam in specie, & simpliciter, vt benè præter alios notat Salicet. *in l. testium, Cod. de testibus, num.* 16.

5 Confirmatur 4. quia ad plenè probandum aliquod delictum graue necessariò requiruntur testes contestes simpliciter, & non sufficiunt testes contestes in genere, & secundùm quid, cum hi potiùs sint testes singulares, Bald. *in l.* 1. *de testib. n.* 14. & *conf.* 57. *vol.* 1. Ias. *conf.* 81. *num.* 3. *vol.* 3. Abbas *conf.* 42. *num.* 2. & *seqq. lib.* 1. Feder. de Senis *conf.* 162. & Calcan. *conf.* 9. *n.* 3. ergò multò magis ad plenè probandum delictum hæresis necessariò etiam requiretur, quod testes sint contestes simpliciter, & non satis erit, quod sint contestes in genere, & secundùm quid, cum potius hi sint testes singulares, vt dicebam.

Confirmatur 5. quia ad hoc, vt quis condemnetur de crimine graui (quale est crimen hæresis) requiruntur clarissimæ probationes: at huiusmodi testes, licet plures, vtpotè singuli circa obiecta singula diuersa, & singuli seiunctim sumpti circa diuersa, licèt plures, facilè decipi possint, sicut facilè decipi non possunt sumpti coniunctim circa idem numero obiectum) non efficiunt tales probationes. Ergo per illas reus condemnari non poterit tanquam hæreticus. Vide etiam quæ dicam infrà sect. sequenti circa finem. 6

Atque hinc patet primò ad fundamentum in contrarium aduersariorum.

Patet secundò, quod non possint Inquisitores iuxta ea, quæ dicebam suprà *dubit.* 193. *sect.* 4. vnire duas semiplenas probationes ad condemnandum reum pœna ordinaria. Simanch. *de cathol. instit. tit.* 51. *num.* 3. & *in Enchirid. tit.* 34. *num.* 3. Sousa *in Aphorism. Inquis. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 10. Anton. Queued. *de indic.* & *tortur. part.* 1. *cap.* 6. *num.* 2. Peña, Farinacius, & alij quos suprà citabam, quia cum quælibet semiplena probatio sit in suo ordine diuersa, non potest cum alia coniungi, sicuti & suprà etiam dicebam. 7

Quamvis contrarium in fauorem fidei teneant Vmbert. Locat. *in praxi, verb. testis,* & Ioseph. Sesse *in decis. Regni Aragonia, tom.* 4. *decis.* 477. *num.* 24. Eo quòd (cum ambæ semiplenæ probationes in causa hæresis tendant ad eundem finem) possunt inter se coniungi. Quod quidem ex dictis est minùs verum, sicque non sunt sufficientes ad condemnandum reum pœna ordinaria, nisi forsan quando simul cum duabus semiplenis probationibus essent alia indicia, sicuti præter alios tenet Cantera *in quæst. crim. cap.* 2. *de probat. per testes, quæst.* 5. *num.* 2. citans pro sua sententia Ripam.

Dixi, *nisi forsan quando simul cum duabus semiplenis probationibus essent alia indicia;* quia regulariter praxis Inquisitionis, præsertim Hispanicæ, non condemnat hæreticum ad pœnam ordinariam ex duabus semiplenis probationibus, etiamsi adsint alia indicia.

SECTIO XVI.

An si duo testes deponant, quempiam aliquam hæresim specialem commisisse, deponant tamen de loco, & tempore diuerso, dici debeant contestes, ita vt plenè probent, & sic reus ad pœnam ordinariam condemnari possit?

SVMMARIVM.

1 *Testes duo si deponant, quempiam aliquam hæresim specialem commisisse, deponant tamen de loco, & tempore diuerso, licèt secundum aliquos dici debeant contestes, ita vt plenè probent, & sic reus ad pœnam ordinariam possit condemnari, probabilius tamen est oppositum, quod probatur & Iure, & ratione, quia testes deponentes de hæresi commissa diuerso loco, non deponunt de eodem numero actu, sed de diuerso.*

2 *Testium discordantia de loco & tempore non est extrinsica*

trinseca hæresi quoad eius indiuiduationem, sed intrinseca, licèt sit extrinseca quoad speciem.

3 *Testes prædicti essent testes singulares singularitate diuersificatiua, quia si de vno tantùm numero homicidio vellent deponere, sibi ipsis obstarent, & fidem tollerent.*

4 *Testis vnus si probaret, reum vestem Titio subripuisse die Lunæ, & alius testis probaret die Martij sequenti apud ipsum reum vestem retentam vidisse, plenè, integrè, seu concludenter de furto probarent, etiamsi de diuersis actibus deponerent; quia probarent de eodem actu continuo, non diuerso.*

5 *Testes deponentes, se per foramen vnum post alium adulterium, copulam, vel alium actum vidisse, plenè, integrè, & concludenter probant, quia ex quo vident vnum actum continuatum, simul vidisse dicuntur.*

6 *Testes vt sint contestes, debent de eodem facto speciali testari: Quapropter si vnus testetur de vno furto, vel de vna hæresi, alius verò testetur de alio furto, vel de alia hæresi, non efficiunt plenam criminis probationem.*

7 *Amplia neque efficere testes plenam probationem si testentur de eadem propositione hæretica, diuerso tamen loco, vel tempore asserta.*

8 *Testes singulares testantes de actibus diuersis diuerso loco, vel tempore commissis, licèt non efficiant contra reum probationem plenam, efficiunt tamen præsumptionem magnam, & plusquam semiplenam probationem.*

9 *Limita ad locum habere in causis criminalibus (in quibus fortiores probationes requiruntur) quia in causis ciuilibus testes testantes de pluribus factis particularibus ad vnum eundemque finem tendentibus, absque dubio sufficere possunt ad probationem plenam.*

10 *Stylus diuersus Inquisitionum, scilicet Lusitana, Hispana, & Romana.*

1 RESpondetur, quod (quamuis affirment Salicet. *in l. testium, c. de testib. n.* 16, vbi ait: [Secus si ambo deponunt de eadem specie hæresis; licèt vnus dicat, se audiuisse in vno loco, alter in alio, quia tunc videtur dicendum, quod species illa sit plenè probata. Nam in tali casu locus non pluri ficat hæresim sæpiùs firmatam, & recensitam, & continuatam;] Lessius *de iust. lib.* 2. *c.* 40. *dub.* 4. *n.* 33. vbi inquit: [Si duo de hæresi asserta deponant, & solùm in tempore discrepent, plenè probant; quia in substantia delicti conueniunt, & quamvia non sit idem numero actus, tamen quia est idem numero significatum, habetur pro eodem actu, immò discrepantia temporis facit ad maiorem fidem:] Albert. *tract. de agnosc. assert. q.* 14. *n.* 2. Simanch. *in Enchirid. tit.* 37. *n.* 8. *& de cathol. instit. tit.* 51. *n.* 3. *& tit.* 64. *n.* 75. *& seqq.* vbi addunt pro se S. Thomam 2. 2. *q.* 70. *art.* 2. Riminald. *lib.* 1. *cons.* 7. Sousa *quæst. vnica, de testib. singularib. sect.* 2. *n.* 11. *post Aphor. Inquisit.* Mirand. *de ordin. iudic. tom.* 1. *q.* 17. *art.* 8. *concl.* 5. Villalob. *in sum. tom.* 2. *tract.* 17. *difficult.* 3. *n.* 6. Conradus Brunus *lib.* 4. *de hæret. cap.* 9. *circa finem*, & alij quorum sententiam probabilem vocat Ioseph. Aldrete *de relig. discipl. tuend. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 29.) probabilius tamen negent Rojas *tract. de hæret. part.* 2. *assert.* 6. *n.* 145. vocans contrariam sententiam periculosam, Mascardus *de probat. lib.* 2. *concl.* 856. *n.* 13. Peña 3. *part. direct. comment.* 121. *vers. omissa igitur*, tenentes cum Caietano, & Soto, S. Thomam huius esse sententiæ, Palac. Rubios *in alleg. quoad materiam hæresis, §.* 12. Albert. *de agnosc. assert. q.* 34. *n.* 12. Farin. *q.* 64. *n.* 217. *vers. si verò*, Freytas *in addit. ad tract. de confess. sollicit.* Scacc. *de iudic. tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 10. *n.* 327. Acuña *q.* 22. *n.* 25. Flores de Mena *var. quæst. lib.* 1. *q.* 33. *n.* 44. Layman. *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 6. *cap.* 4. *n.* 5. & Aldrete *loc. suprà cit.*

Probatur authoritate ex textu *in cap. de parentela* 2. 35. *q.* 6. & ex textu *in cap. Nihilominus* 3. *q.* 9. ibi: [Nè eorum voces, tanquam plurium, admittantur, quos temporum quidem diuersitas simul interfuisse prohibuit:] Et notant ibi cum Glossa communiter Canonistæ, & alij quamplures Doctores, quos refert & sequitur Farin. *citata q.* 64. *n.* 72.

Secundò probatur ratione, quia testes deponentes de hæresi commissa diuerso loco, & tempore, non deponunt de eodem numero actu, sed de diuerso (cùm impossibile sit, eundem numero actum, v. g. eandem numero propositionem hæreticalem longo tempore continuari) sed testes deponentes de diuerso numero actu sunt testes, non contestes simpliciter, sed solùm secundùm quid, & sic potiùs testes singulares, iuxta ea quæ dicebam *sect.* 14. & 15. Ergo non plenè, integrè, seu concludenter probant, itavt reus ad pœnam ordinariam condemnari possit.

Et quidem quod prædicti testes non sint contestes simpliciter, sed solùm secundùm quid, & sic potiùs testes singolares, docent Bald. *cons.* 39. *lib.* 3. *& cons.* 459. *lib.* 4. Ias. *cons.* 131. *lib.* 1. Paulus Castrens. *cons.* 137. *& cons.* 151. *lib.* 2. Anch. *cons.* 64. *& cons.* 147. Abb. *cons.* 98. *lib.* 2. Cynus *in l. testium, q.* 60. *de testib.* Archid *in cap. Nihilominus*, 3. *q.* 9. & Crauetta *in tract. de antiq. temp. part.* 4. *n.* 157. quatenus hi Doctores omnes aiunt, quod in huiusmodi testes cadat singularitas diuersificatiua, quæ (sicuti dicebam *citata sect.* 14.) tunc est, quando vnus testis aliquid esse dictum, vel factum, deponit de vno loco, & tempore, alius verò idipsum esse dictum vel factum, deponit de alio loco, & tempore.

Objicies: vterque testis concordat in vna, & eadem hæresi, discordat tamen in loco, & tempore; quæ discordantia videtur esse extrinseca, ac proinde insufficiens infirmare testimonium ipsorum: Ergo plenè, integrè, seu concludenter probant, vt reus ad pœnam ordinariam possit condemnari.

Respondetur: nego consequentiam, quia licèt diuersitas temporis, & loci extrinseca sit hæresi quoad speciem, non tamen extrinseca, sed intrinseca est hæresi quoad eius indiuiduationem, cùm pro varietate temporis, & loci diuersa numero hæresis constituatur. Inde rectè ex Aymone, Albertin. & aliis dixit Farinac. *loco suprà citato, n.* 80. non obstare tempus, & locum non esse de substantia hæresis, neque esse articulata, quia sufficit, quod tempus, & locus inducat diuersitatem hæresis (scilicet quoad indiuiduationem) vt depositiones sint non contestes, sed singulares.

Instabis: Illi duo testes, vel deponent de eodem actu hæreticali, vel de diuersis. Si primum, iam sunt contestes; si secundum, cum huiusmodi actus ad eundem finem tendant, & ad eandem hæresim pertineant, testes æquiualenter de eodem actu deponunt, & sic sunt adhuc contestes. 3

Respondetur: deponunt de diuersis actibus, etsi tales actus ad eundem finem tendant, & ad eandem hæresim (scilicet in specie) pertineant, sicut si vnus testis deponeret de homicidio commisso hoc die, & alius deponeret de homicidio commisso die antecedenti: deponerent namque de diuersis homicidiis, & sic essent non contestes, sed testes singulares, singularitate scilicet diuersificatiua, quia si de vno tantùm numero homicidio vellent deponere, sibi ipsis obstarent, & fidem tollerent.

Vrgebis: si vnus testis probaret, reum vestem Titio subripuisse die Lunæ, & alius testis probaret die Martij sequenti apud ipsum reum vestem retentam vidisse, plenè, integrè, seu concludenter de furto probarent, etiamsi de diuersis actibus deponerent; quia in eadem materia, & in eadem specie furti conueniunt: ergo sic & in casu nostro. 4

Respondetur: concesso antecedens, illos scilicet duos testes plenè, integrè, seu concludenter furtum probare, quia probarent de eodem actu continuo, non de diuerso

Cùm retentio eiusdem rei sit idem actus continuus, cum prima illius vsurpatione, quotiescumque autem testes deponunt de eodem actu continuo, non testes singulares, sed contestes dicuntur, ex Glossa *in cap. nihilominus, 3. q. 9. verbo simul*, quam sequuntur communiter DD. quos citat, & sequitur Fariнac. *q. 64. n. 90. & seqq.* Peña *citato comment. 121. vers. Postremò illud hoc loco*, Mascard. *de probat. lib. 1. concl. 59. n. 17.* & Anton. Gomez *tom. 3. de probat. delicti, c. 12. n. 18.* quatenus comprobant, quod testes deponentes se per foramen vnum post alium adulterium, copulam, vel alium actum vidisse, plenè, integrè, & concludenter probent: Quia ex quo vident vnum actum continuatum, simul vidisse dicuntur: At in nostro casu, cùm in tam diuerso tempore, & loco eadem numero hæresis continuari non possit, fit quod sic deponentes de diuersa numero hæresi deponant; atque adeò quod non contestes, sed testes singulares sint.

6 Ex iis igitur, quæ mox suprà, & præcedenti sectione dicebam, testes vt sint contestes, debent de eodem facto speciali testari: Quapropter si vnus testetur de vno furto, vel de vna hæresi, alius verò testetur de alio furto, vel de alia hæresi, non efficiunt plenam criminis probationem, quæ sufficiat ad condemnandum reum pœna ordinaria (quidquid in contrarium dixerint alij, quod scilicet testes singulares testantes de diuersis actibus specificis, vt de diuersis propositionibus hæreticis, plenè probent crimen hæresis in genere) quia cùm per huiusmodi testes singulares plenè non probetur crimen hæresis in specie, neque etiam plenè probatur crimen hæresis in genere; cum genus non existat, nisi in specie, & genus non nisi per intellectum abstrahatur à specie.

7 Quin etiam, si testes testentur de eadem propositione hæretica, diuerso tamen loco, vel tempore asserta, neque etiam efficiunt probationem plenam, cùm reuerà adhuc non sint contestes testantes de eodem facto speciali, ideoque faciliùs contingere possit, quod ambo testes decipiant, & mentiantur.

8 Concedo tamen, quod testes singulares testantes de actibus diuersis diuerso loco, vel tempore commissis (licet non efficiant contra reum probationem plenam, seu perfectam) efficiant tamen præsumptionem magnam & probationem plusquam semiplenam (quæ sufficiat ad torturam, quinimmò interdum etiam ad pœnam extraordinariam.) Caietan. *2. 2. q. 70 art. 2.* Clarus *q. 53. n. 19.* Minsing. *cent. 3. obseru. 76.* Farin. *q. 37. n. 34.* & Francisc. Brunus *de indic. & tortur. pars. 1. q. 8. n. 6.*

9 Idque in causis criminalibus (in quibus fortiores probationes requiruntur) quia in causis ciuilibus testes testantes de pluribus factis particularibus ad vnum, eundemque finem tendentibus, absque dubio sufficere possunt ad probationem plenam, seu perfectam, vt si v. g. in controuersia de possessione iuris decimandi vnus testis testetur de vino, alius de oleo viso à se decimari; vide DD. quos sequitur Gaill. *lib. 1. obseru. 66.* quin & in causa criminali, si plures testes testentur de diuersis indiciis ad vnum, eundemque effectum tendentibus, v. g. vnus (scilicet cum iuramento) testetur de viso egressu è loco delicti, alius de viso ense, alius de viso sanguine, alius de fuga, alius de fama publica; &c. Interdum efficere poterunt probationem plenam, & perfectam, seu talem, per quam iudex plenè, & perfectè informetur ad sententiam ferendam, Minsingerius *vbi suprà, obseru. 116.* Albertin. *de agnosc. assertion. heret. q. 25. n. 20.* Planeus *de indic. & tortur. n. 368.* & Farin. *q. 86. n. 72.* Videri etiam poterunt, quæ dicam *infrà sect. 20. per totam.*

Dico igitur, quod etiamsi reus pluribus testibus singularibus idoneis vrgeatur, adhuc pœna ordinaria condemnari non possit: Quapropter si in negatiua per aliquod tempus persistat, expectandum, & inquirendum erit, an testes per omnia concordes haberi possint: Interim torqueri debebit, qui si nihil confiteatur, debet abiurare de vehementi, & condemnari ad triremes, vel ad carcerem perpetuum, non autem poterit relaxari, tanquam negatiuus, Curiæ sæculari. Scaccia *de iudic. lib. 2. cap. 9. dub. 10. n. 527.* Peña *in Director. Inquisit. part. 3. comment. 121.* & alij passim.

Cæterùm ex diuersitate opinionum, quas suprà dicebam, ortum est discrimen inter stylum, seu praxim Inquisitionis Hispanicæ, & Inquisitionis Lusitanæ; Quia in Inquisitione Hispanica hæreticus nunquam condemnatur ad pœnam ordinariam ex testibus singularibus, secùs autem in Inquisitione Lusitana, Fernand. *in examin. Theolog. part. 1. c. 19. §. 10. n. 19.* quatenus ait, quod crimen hæresis, Iudaismi, Lutheranismi, &c. sufficienter probetur per plures actus singulares tendentes ad eundem finem: Ideoque testes de his criminibus singulariter testificati, verè habeantur concordes, sicque probet praxis Inquisitionis Lusitanæ, eo quòd aliter non satis esset proximum bono communi: Posset enim vnus hæreticus cum singulis successiuè inficere totam vrbem, & Iudæus cum singulis successiuè Iudaïzare, modo quo non posset conuinci. Quamvis contrarium seruet Inquisitio Hispanica ex eo, quod iuxta ea, quæ suprà dicebantur, nulla species perfectè probatur, nisi in aliquo singulari indiuiduo.) Sousa *q. vnica, de testib. singularib. post Aphor. Inquisit.* & alij. 10

Idem quod seruat Inquisitio Hispanica, seruat etiam Inquisitio Sicula, quin & etiam Inquisitio Romana. Farinac. *q. 64. n. 218.* Mascard. *lib. 2. concl. 856. n. 25. & 26.* & Freytas *in tract. de Confess. sollicit. q. 22. n. 24. & 64.* subdens, quod omnis alia Inquisitio sequi debeat stylum, seu praxim Inquisitionis Romanæ, non condemnando scilicet reum ad pœnam ordinariam ex testibus singularibus.

SECTIO XVII.

An si vnus testis deponat, reum hæresim commisisse tali loco, & tempore, & alius deponat de eadem hæresi absolutè sine signatione loci, & temporis (quia illorum non recordatur) tales testes sint contestes?

SVMMARIVM.

1 *Testes sunt contestes, sed non integrè, & plenè, si testis vnus deponat, reum hæresim commisisse tali loco, & tempore, & alius deponat de eadem hæresi absolutè sine signatione loci, & temporis, quia illorum non recordatur.*

2 *Testis enim deponens de delicto sine signatione loci, & temporis, conuenit cum deponente de eodem delicto, facta loci, & temporis signatione, consequenter quoad substantiam sunt contestes.*

3 *Ad integritatem probationum nihil speciale habere debet vna depositio ab alia.*

4 *Testi deponenti in ciuilibus licet necessarium non sit signare locum, & tempus, præsertim si sit antiquum, nec de illis interrogetur; est tamen necessarium in criminalibus, vbi clariores probationes requiruntur.*

Respondetur, quod sint contestes, sed non integrè, ideoque non plenè delictum probent, vt reus ad pœnam ordinariam condemnari possit. 1

Prior pars (quod scilicet sint contestes) est Crotti *de testib. p. 7. n. 321.* & aliorũ, quos sequitur Farin. *q. 64. n. 74.* Et probatur, quia testis deponens de delicto sine signatione loci, & temporis, conuenit cum deponente de eodem delicto, facta loci, & temporis signatione (cùm vterque de eodem delicto deponat:) Ergo in tali depositione quoad substantiam sunt contestes. 2

Posterior pars (quod scilicet non sint contestes integrè) 3

tegrè) est eorundem Doctorum, quos citat, & sequitur idem Farinac, *loco suprà citato, num. 107.* Et probatur, quia ad hanc integritatem nihil speciale habera debet vna depositio ab alia; sed vna depositio signat locum, & tempus, quod alia non signat: Ergo.

4 Confirmatur, quia licèt in ciuilibus necessarium non sit testi deponenti signare locum, & tempus (præsertim si sit antiquum, nec de illis interrogetur) in criminalibus tamen (vbi clariores probationes requiruntur) necessarium id est: Aliàs testi deponenti de delicto, loco, & tempore non signato, fides integra non habetur: itavt ex huiusmodi defectu tale ipsius testimonium non sit plenum, vt ex illo reus ad pœnam ordinariam condemnari possit.

SECTIO XVIII.

An duo testes deponentes de eadem hæresi commissa eodem loco, & tẽpore, si in verbis discordent (v.g. vnus deponat reum tali loco & tempore dixisse sacras imagines venerandas non esse; alius deponat, reum dixisse, inutilem, vel abolendum esse vsum sacrarum Imaginum) plenè probent, itavt reus exinde conuictus censeatur, & sic ad pœnam ordinariam condemnari possit?

SVMMARIVM.

1 *Testes duo deponentes de eadem heresi commissa eodem loco & tempore, licèt in verbis discordent, plenè probant, itavt reus exinde conuictus plenè censeatur, & sic ad pœnam ordinariam condemnari potest, contra nonnullos contrarium sentientes: Quod probatur tam ex Iure, quàm ex doctrina Doctorum, & ratione.*

2 *Testes duo plenè probant, si vnus deponat, quod Titius promisit Seio duos solidos; alter vero quod promisit vigintiquatuor denarios, nisi interrogati fuerint de qualitate vocis, & verborum formalitate.*

3 *Diuersitas non consistit in naturalitate verborum quoad heresim, sed in formalitate.*

4 *Depositio facta per eadem formalia verba falsitatis suspicionem arguit.*

5 *Testium modica contrarietas, seu diuersitas eorum fidem non infirmat.*

6 *Testes non dicuntur contestes, cùm inferunt facti identitatem; & tunc dicuntur singulares, cùm inferunt facti separationem.*

7 *Sententia contraria locum habere poterit, si testes de verborum formalitate fuerint examinati, & vnus de aliis, & alter de aliis verbis deponat.*

1 RESpondetur, quod quamvis quidam, quos sequitur Albert. *tract. de cognoscend. assertion. Cathol. q. 34. num. 47.* negent; quia hæresis verbis commissa in verbis consistit: At in verbis huiusmodi testes non sunt conformes: Ergo non sunt contestes, atque adeò non plenè probant, seu conuincunt, vt propterea reus ad pœnam ordinariam condemnari possit. Probabilius tamen affirment Glossa *in c. dudum, de conuers. coniug. verb. substantia, & in cap. cùm Ecclesia, de caus. possess. & propriet. verb. vacillare,* Simancb. *de Cath. Instit. tit. 64. n. 53.* Baldus *in l. testium, n. 13. C. de testib.* Ias. *in l. qua extrinsecus, n. 5. ff. de verb. oblig.* Anton. Gabriel *lib. 1. commun. conclus. tit. de testib. concl. n. 64.* Gemin. *in c. nobilemiaus, 3. q. 9.* Sotus *de iustitia, lib. 5. q. 7. art. 2. ad 1.* S. Thomas 2. 2. *q. 70. art. 2.* Mascard. *concl. 856. n. 18.* Rojas *tract. de heret. 2. p. assert. n. 132. & sing. 204. n. 8. & seqq.* Peña 3. *p. Direct. q. 72. comment. 121. vers. verum tamen,* & Farin. *q. 64. num. 70. & seqq. vsque ad 107. & q. 65. n. 22.*

Probatur primò authoritate ex textu *in c. nihil obstat, de verb. signific.* ibi: [Nihil obstat narrandi diuersitas, vbi eadem dicuntur;] *& ex l. qui sententiam, C. de pœnis, & l. quicumque, §. ideircò, C. de heret.* [Et virtus, & substantia verborum minimè in illorum superficia consistit, sed in sensu, & intentione;] *cap. intelligentia, cap. præterea, de verb. signif. & cap. Marcion, 1. q. 1.* Et nihil refert, quod aliquid ex æquipollentibus fiat, *l. nulliter, ff. ad Senat. consul. Trebell. & l. si mater, C. de Instit. & substit. sub condit. facien.*

Confirmatur ex Doctrina Baldi *in c. Bone, de elect.* 2
quatenus ibi ait, quod si sint duo testes, quorum vnus deponit, quod Titius promisit Seio duos solidos, alter verò, quod promisit 24. denarios, *vtique* tales testes sint contestes, & sufficienter probent, nisi interrogati fuerint de qualitate vocis, & verborum formalitate.

Probatur 2. ratione, quia ea verba, licet materialiter sint diuersa, formaliter tamen sunt eadem; quia 3
eundem sensum, eandemque significationem habent, (in qua significatione verborum consistit *cap. intelligentia, & cap. præterea, de verb. signific.*) Ergo testes de illis deponentes non sunt diuersi, sed potiùs similes, & conformes formaliter.

Confirmatur, quia depositio facta per eadem formalia verba falsitatis suspicionem arguit, ex textu *in l. 3. §. 1. ff. de testib.* ibi: [Vnum, eundemque præmeditatum sermonem.] Et docent S. Thom. 2. 2. *q. 70. art. 2. ad 2.* (quatenus ait: Quinimmò aliqua discordia in testibus facit testimonium credibilius, vt Chrysostomus dicit super Matthæum; quia si in omnibus concordarent, etiam in minimis, viderentur ex condicto eundem sermonem proferre; quod tamen prudentiæ Iudicum relinquitur discernendum.) Sotus *de inst. lib. 5. q. 7. art. 1. ad 1.* Hippolit. *in rubr. C. de probat. n. 358.* Franc. Curt. *de testib. n. 29.* Rojas *tract. de heres. part. 2. assert. 6. n. 131.* Mascard. *lib. 2. de probat. concl. 745. n. 16.* & alij complures, quos sequitur Farin. *q. 65. n. 24.* Ergo discordia in cortice verborum cum omnimoda conuenientia in sensu infirmare non potest, sed potiùs credibilius reddit testimonium deponentium. S. Thom. *cit. q. 70. art. 2. ad 2.* argumentum. Sotus *cit. lib. 5. q. 7. art. 2.* ad primum argumentum; & alij, sequitur Peña *citato comment. 121. circa finem.*

4

Confirmatur 2. quia modica testium contrarietas, 5
seu diuersitas, fidem eorum non infirmat. Vide Doctores, quos citat, & sequitur Mascard. *de probat. lib. 3. concl. 1361. n. 5.* & Farin. *q. 65. n. 34.* Ergo neque diuersitas, de qua loquimur. Consequentia probatur, quia nulla potest esse minor diuersitas, & extra rei substantiam, quàm diuersitas materialis verborum.

Confirmatur 3. quia tunc testes dicuntur contestes, 6
cùm inferunt facti identitatem, & tunc dicuntur singulares, cùm inferunt facti separationem. Vide Doctores, quos citat, & sequitur Viuian. *in communib. opinionib. verb. testes singulares, n. 5.* & Foller. *in pract. crimin. verbo idem quod commisit falsitatem, n. 28.* sed in casu nostro, testes non inferunt separatam, sed potiùs vnam eandemque hæresim: Ergo.

Atque hinc patet ad fundamentum sententiæ con- 7
trariæ, quæ quidem locum habere potest, si testes de verborum formalitate fuerint examinati, & vnus de vnis verbis, alius de aliis deponeret; quia in tali casu (cùm tunc in substantia depositiones sint discordes) nihil probarent, iuxta doctrinam Baldi, quam suprà dicebam, & sequuntur Mascard. *de probat. conclus. 856. n. 19. volum. 2.* Roland. *cons. 33. num. 12. & seq. lib. 2.* Riminaldus *cons. 549. num. 7. lib. 3.* & Farin. *quest. 64. num. 77. & seqq.* Albert. *tract. de agnoscend. assertionib. quest. 34. num. 47. & q. 35. n. 7.* Marsil. *in rubr. Cod. de probat. num. 383.* Peña *comment. 121. in fine,* Quemd. *in locis argument. legal. in loco ab æquipollentibus, n. 14.* Geminian. *consil. 142. n. 6.* Oldrad. *cons. 210. num. 6.* Anton. Butrius *in cap. nihil obstat, n. 2. de verb. signific.*

Quamvis

Quamvis contrarium etiam in hoc velit Ioan. Rojas *tract. de haret. part. 2. assert. 6. n. 131.* Quia verba non suut (vt ait Bald. *in l. quicumque, n. 17. Cod. de seru. fugitiu.*) intelligenda grammaticaliter, & Iudaïcè, sed iuridicè.

SECTIO XIX.

An ex his tribus, vel quatuor testibus singularibus omni exceptione maioribus (quorum quilibet de sua propositione, vel actu speciali deponit) reus sufficienter censeatur conuictus, itavt ad pœnam ordinariam condemnari possit?

SVMMARIVM.

1 *Reus sufficienter non censetur conuictus, itavt ad pœnam ordinariam condemnari possit, si ex tribus, vel quatuor testibus singularibus omni exceptione maioribus, quorum quilibet de sua propositione, vel actu hæreticali deponit, contra aliquas Doctores contrarium sentientes; quia non potest quis integrè, & plenè probari hæreticus, quin de illo integrè, & plenè probetur hæresis.*

2 *Iudex non potest ferre sententiam in reum, nisi reus spontè crimen suum fuerit confessus, vel nisi de crimine suo fuerit conuictus.*

3 *Iudex prohibetur ex Concilio Biterrensi aliquem condemnare sine confessione propria, vel sine probationibus apertis, & dilucidis.*

4 *Probationes plures in criminalibus in sua specie imperfectæ non faciunt vnam probationem perfectam.*

5 *Depositio vnius testis cum depositione alterius testis non coniungitur, cùm sint de re omnino distracta.*

6 *Probatio perfecta in aliis criminibus non constituitur ex multitudine testium singularium, consequenter multo minus in crimine hæresis.*

7 *Testes singulares singularitate diuersificatiua mutuò se adiuuant, & dispositionem probabiliorem faciunt: At talis maior firmitas, & probabilitas non extrahit primam depositionem à probatione imperfecta, quam habet; sed illam in suo modo imperfectè probandi relinquit.*

8 *Testes tot spectata vita non est credibile, quod falsum deponant; & ideò delictum ita probatum præsumitur verè esse commissum: Quapropter reus illud negans torqueri debet, & postquam fuit tortus, si adhuc in negatiua persistat, abiurare debet de vehementi, & insuper condemnari poterit ad aliquam arbitrariam pecuniariam pœnam, vel ad pœnam carceris, aut triremis, iuxta delicti, personæ, & testium qualitatem.*

1 RESpondetur, quod (quamvis affirment Socin. *lib. 2. cons. 262.* Caccialup. *in repet. l. admonendi, ff. de iureiur. col. 39. vers. patet igitur,* Hippol. Marsil. *sing. 114. & in l. 1. §. ad quæstionem, ff. de testib.* Paul. Castrens. *in dicta l. admonendi, & in l. Lucius, ff. de his, qui notant. infam.* Marsil. *cons. 1. n. 71.* Tiraq. *de pœn. temper. caus. 51. num. 106.* Simanch. *tract. de haret. tit. 64. n. 77.* Brunus *tract. de indic. & tortur. part. 1. quæst. 2. n. 6.* & Cæpolla *cons. 3. circa finem.*) Probabilius tamen negent Peña *3. part. Directorij, comment. 121. vers. Atque vt in hac, de testibus, part. 7. num. 326.* Rojas *tract. de haret. part. 2. assert. 6. n. 146.* Bertoius *in cap. licèt causam, num. 45. de probat.* Farinac. *q. 64. n. 305.* Caietan. *2. 2. q. 70. art. 1.* & Sotus *de iustit. lib. 5. q. 7. art. 2. ad 1.* Quatenus hi duo postremi Doctores absolutè, & vniuersaliter aiunt, quod ob dicta plurium testium singularium non possit reus puniri pœna ordinaria.

Probatur, quia non potest quis integrè, & plenè probari hæreticus, quin de illo integrè, & plenè probetur hæresis: At cùm testes sunt singulares, non potest plenè probari hæresis: Ergo. Maior patet. Minor probatur; quia non potest probari hæresis, nisi probetur actus hæreticalis: Ergo si integrè, & plenè non probetur vllus actus hæreticalis, fit quod neque integrè, & plenè probetur hæresis. Vide quæ dicebam *suprà sect. 15. & 16.*

Confirmatur, quia *ex cap. 1. 2. quæst. 1.* non potest iudex ferre sententiam in reum, nisi reus sponte crimen suum fuerit confessus, vel nisi de crimine suo fuerit conuictus: At in casu nostro non est conuictus: Ergo. Minor probatur, quia non potest dici reus conuictus, nisi contra ipsum probetur crimen per testes quoad omnia idoneos, & quoad omnia contestes inter sese conuenientes: at in casu nostro non probatur contra eum crimen hæresis per testes quoad omnia contestes (cùm vnus testis crimen fuisse commissum dicat in vno tempore, & loco; alius autem, illud esse commissum dicat in alio tempore, & loco:) Ergo, &c. 2

Confirmatur 2. quia ex Concilio Biterrensi *cap. 11.* prohibetur Iudex aliquem condemnare sine confessione propria, vel sine probationibus apertis, & dilucidis (*cùm satius sit,* inquit Concilium, *relinquere facinus impunitum, quam condemnare innocentem.*) At in casu nostro probationes non sunt apertæ, & dilucidæ: Ergo. Minor probatur, quia testes, licet plures (cùm singuli de singulis diuersis obiectis deponant, facilè decipi possunt; non sic si plures deponant de vno, eodemque obiecto simul sumpti, vt propterea communiter Doctores dicant, quod reus condemnari debeat de crimine graui, nisi testes contra ipsum deponentes planè, & plenè in omnibus sint contestes, seu inter sese conuenientes. 3

Confirmatur 3. quia in criminalibus plures probationes in sua specie imperfectæ (quales sunt in casu nostro, sicuti dicebam) non faciunt vnam probationem perfectam. Gloss. *in cap. veniens, 1. de testib. verb. illorum,* Bartol. *in l. si quis ex argentariis, §. 1. ff. de edend.* Simanch. *in Enchirid. tit. 34. n. 5.* Ioan. Rojas *tract. de haret. part. 2. assert. 6. num. 147.* & Albertin. *tract. de agnosc. assertion. quæst. 25. num. 21.* Item plura imperfecta non faciunt quid vnum integrum, *l. sancimus, §. si quis autem, Cod. de donat. & l. vsura, C. de vsur.* Ergo ex huiusmodi probationibus, tanquam imperfectis, & diuersis, non conficitur vna probatio perfecta, integra, & plena; atque adeò ex eis non plenè conuincitur, quod aliquis sit hæreticus, vt ad pœnam ordinariam condemnari possit; quia si in aliis delictis, ad hoc, vt reus conuincatur, & ad pœnam ordinariam condemnetur, necessariò requiruntur probationes perfectæ, integræ, & plenæ; sicque apertæ, & dilucidæ, & vt dicitur *in l. vltima, C. de probation. & in l. addictos, C. de appellat. & in cap. sciant cuncti, 2. quæst. 8.* luce meridiana clariores, multò magis necessariò id requiritur in crimine hæresis, in quo agitur de re grauissima; & ex cuius condemnatione nascuntur non solùm contra reum, sed etiam contra rei consanguineos grauissima incommoda in vita, fama, honore, bonis, dignitatibus, &c. Et in quo non manifestantur reo nomina testium, vt propterea defensio rei diminuatur, & obtruncetur; quia licèt quilibet testis sit probatæ fidei, & virtutis, incertum tamen est, quid à reo possit illis objici, vt propterea per dicta talium testium non planè, & plenè hæresis probetur, & rei defensio diminuatur, & obtruncetur. Posset enim fortasse reus (vti dicebam) aliquid contra illos objicere, propter quod illorum testimonium vel non admitteretur, vel saltem debilitaretur. 4

Confirmatur

5 Confirmatur 4. quia depositio vnius testis cum depositione alterius testis non coniungitur (cùm sint de re omninò distincta:) Ergo si prima depositio in se imperfecta est, & delictum plenè non probat; ex adiutorio alterius, quæ de alia re distincta deponit, perfecta reddi non potest. Et huc spectat supradicta communis illa doctrina Glossæ *in cap. veniens 1. de testibus, verb. illorum*, & Bartol. *in l. si quis ex argentariis, §. 1. ff. de edendo*, quam tradunt passim Doctores, quatenus aiunt ex pluribus imperfectis probationibus criminalibus non coalescere vnam perfectam, sed omnes semper imperfectas remanere, *argumen. l. vnica, Cod. qui à curat. se excusar. & l. sancimus, §. si quis autem, Cod. de donat.*

6 Confirmatur 5. quia (sicuti dicebam) in aliis criminibus non constituitur perfecta probatio ex multitudine testium singularium: Ergo multò minus in crimine hæresis, quia sicuti etiam dicebam, in crimine hæresis tot, & tam graues pœnæ concurrunt, & vberiores atque clariores probationes, propter obtruncatam scilicet, & diminutam defensionem rei, cui nomina testium non publicantur, requiruntur, cùm sæpè sæpiùs testes, qui aliàs reputantur omni exceptione maiores, iudicarentur inhabiles, & defectuosi, si manifestarentur reo, qui illis objicere poterat defectum, qui nobis non est notus, sed prorsus ignotus.

7 Objicies: Testes singulares, singularitate scilicet diuersificatiua, mutuò se adiuuant, & depositionem probabiliorem faciunt: Ergo ex hoc adminiculo, & adiutorio integrè delictum probare possunt.

Respondetur: Concedo antecedens, sicque depositiones singulares se mutuò aliqua ratione adiuuare, quatenus quælibet magis firma, & probabilis redditur ex consortio alterius. At talis maior firmitas, & probabilitas (cùm à causa extrinseca, scilicet ab alia depositione extrinseca oriatur) non extrahit primam depositionem à probatione imperfecta, quam habet, sed illam in suo modo probandi imperfecto relinquit; ideoque ex multitudine depositionum singularium, quæ imperfectæ sunt, nunquam vna probatio integra, & perfecta consurgit, vti suprà dicebatur.

8 Instabis: Non est credibile, quod tot testes spectatæ vitæ falsum deponant. Præterquam quod sequeretur, quod posset hæreticus plures de populo peruertere, & ad suam falsam opinionem trahere, quin posset conuinci, si vnumquenque scilicet solum seorsim peruerteret; quod magnum videtur inconueniens.

Respondetur: Concedo antecedens, sicque delictum ita probatum præsumi verè esse commissum; quapropter reus illud negans torqueri debet: quod si postquam fuerit tortus, adhuc in negatiua persistat, abiurare debet de vehementi, ob vehementem delicti præsumptionem, quæ per torturam in hoc casu purgari satis non potuit. Et insuper condemnari poterit ad aliquam arbitrariam pecuniariam pœnam, vel ad pœnam carceris, aut triremis, &c. iuxta delicti, & personæ, & testium, quos contra se habet, qualitatem. Qua condemnatione satisfit inconuenienti, quod subdebatur. Peña *citato comment.* 121. *vers. quoties quis*, Mascard. *de probat. lib. 2. concl.* 856. *num.* 25. & 26. & alij complures, quos citat, & sequitur Farin. *q.* 64. *num.* 218. & *seqq.*

SECTIO XX.

An duo testes contestes omni exceptione maiores (qui scilicet nullam exceptionem patiuntur, iuxta *cap. licet, de testibus*) plenè probent delictum hæresis, ita vt reus ad pœnam ordinariam condemnari possit?

SVMMARIVM.

1 *Hæresis delictum probatur per testes.*
2 *Testes duo contestes omni exceptione maiores plenè probant delictum hæresis, ita vt reus ad pœnam ordinariam condemnari possit.*
3 *Textus* in cap. præsul, 5. quæst. 4. *vbi ad condemnandum Cardinalem, si sit Episcopus, requiruntur 72. testes, si Presbyter 44. si Diaconus Vrbis Romæ 27. si Subdiaconus, Acolytus, Exorcista, Lector, vel Hostiarius, septem, non obstat; quia loquitur de Cardinali, cui ob illius eminentem dignitatem hæc prærogatiua debetur.*
4 *Textus prædictus non loquitur de testibus fide dignis, sed de testibus inhabilibus.*
5 *Capituli Præsul, cicati dispositio emanauit ad reprimendam malitiam aliquorum improborum hominum, qui aduersus Cardinalem, & Clericos Romanæ Ecclesiæ prosiliebant, accusantes eos, vt sic ab officio remouerentur.*
6 *Capituli Præsul, citati dispositio ex consuetudine iam recepta omninò cessauit.*
7 *Textus* in cap. excommunicamus, de hæret. *non obstat; quia ibi non est sermo, quomodo debeat hæresis probari, sed quomodo debeat inquiri.*
8 *Diligentia Inquisitorum supplet id, quod defensionis adimitur reo in non explicandis ei nominibus testium.*
9 *Testes duo sufficiunt ad condemnandum de hæresi, si sint omnino integri, bonæ fidei, seu omni exceptione maiores.*
10 *Testes infames, excommunicati, criminosi, & alij similes in fauorem fidei admittuntur ad hoc, vt possit inquiri de hæresi, non vt possit condemnari.*
11 *Reus, licet spectato rigore iuris ex duorum omni exceptione maiorum testimonio conuinci, & ad pœnam ordinariam condemnari possit; nihilominus si delinquens sit probatæ vitæ, de facto ad pœnam ordinariam condemnari non debet, sed ad id exequendum oportet ad minus adesse tres, vel quatuor testes.*
12 *Rei defensio valdè minuitur in hoc crimine hæresis, cùm in eius præsentia testes non examinentur, neque ei eorum nomina manifestentur, quibus forsan poterat ipse aliquem defectum objicere, ob quem eorum testimonium non leuiter infirmaret.*
13 *Reus probatæ vitæ conuictus ex testimonio duorum testium omni exceptione maiorum, licet de facto non debeat ad pœnam ordinariam condemnari, potest tamen ad pœnam extraordinariam arbitrio Iudicis.*

SVppono, quod delictum hæresis probetur per testes, vt patet ex dictis, & *ex cap. vt officium, §. verùm, in principio, ex cap. accusatus, §. licèt, de hæretic. in 6. & ex cap. Cùm ad sedem, §. nos prioris, de testibus.* Hoc supposito. 1

Respondetur, quod quamuis negent Guido Falcon, postea Papa Clemens IV. in consultationibus ad Inquisitores hæreticæ prauitatis, *q. 15. cap. 18.* vbi inquit: [Durum mihi videtur, hominem bonæ opinionis, & famæ ad voces duorum testium de tanto crimine condemnari.] Archidiacon. *in cap. vt officium, cit. §. verùm,* 2

num.4. Ioan. Andr. *ibidem, verbo testium, num.1.* Direct. Inquisit. *part.3.q.71.* S. Antoninus *part.3.tit.18.cap.2.* §.5. Tabiena *verb. Inquisit.n.37.* Ioan. Rojas *tract. de hæreticis, part.2. assert.4.num.103.* vbi ait: [Non audeo in tam graui crimine, in quo truncata est, & diminuta reorum defensio, duobus tantùm testibus, etiam legitimis, quempiam condemnare.] Calderin. *tract. de hæreticis, rubr. de materia processuum Inquisitionis, num.10. & in rubr. de sentent. Inquisit. num.1.* Zanchin. *tract. de hæret. cap.13.n.5.* Ostiens. *in summa, tit. de hæres. §. qualiter, vers. vt autem.* Ioan. Lopez *in allegat. hæretic. §.13. in princip.* Albertinus *tract. de agnosc. assert. q.34.num.3.* Conrad. Brun. *lib.4. de hæret. cap.9.* Acuña *de confess sollicit. q.23.n.7.* Malleus Malefic. *tom.1. part.3. quæst.2.* Spatharius *in Prax. Regul. tract.7. cap.14.n.2.* & Barb. *in collectan. tom.3. lib.5. tit.2. cap.5.n.5.* Probabilius tamen affirment Ananias *in cap. excommunicamus, §. Adjicimus, de hæretic.* Socem. *in cap. excommunicamus 1. eod. tit. n.27.* Syluest. *verb. hæresis 2. q.4.* Zabarell. *in Clem. 1. de hæret. §. verum, q.1. num.5.* Peña *in Direct. Inquisit. part.3.q.71. comment.120.* (Vbi inquit, contrariam sententiam non esse contemnendam, & esse tutiorem, & securiorem; vt si scilicet homo videatur spectatæ virtutis, & probitatis, non condemnetur ad voces duorum testium, nisi alia adsint adminicula, & indicia; quia tunc condemnari quidem poterit: Quod multò magis dicendum erit de homine malæ famæ, istum scilicet hominem malæ famæ, duobus testibus legitimis conuictum, condemnari posse; subditque paulò post, fatendum tamen esse, quod liberum sit iudicibus fidei propter communem sententiam, & propter iura duos tantùm testes idoneos in quauis causa postulantia, & propter communem etiam vsum sancti Tribunalis Inquisitionis ad voces duorum testium idoneorum reos huius criminis condemnare.) Gundisalu. *tract. de hæret. q.13.n.9.* Villadiego *tract. de hæret. q.13.n.9.* Ambros. de Vignate *tract. de hæret. q.13.* Repertorium Inquisit. *verbo testes, vers. per quos,* Carerius *in practica criminal. n.162.* Ioan. Rojas *singul.165.n.8.* Decianus *in tract. crimin. lib.5. cap.35.n.6.* Bossius *tit. de hæret. n.4.* Boër. *decis.342. n.4.* vbi testatur communem opinionem, Iul. Clar. *in pract. lib.5. §. hæresis, n.20. vers. habetur etiam.* Simanch. *in Enchirid. tit.34. n.5. & de Cath. instit. tit.51. rubr. de probat. n.8. & tit.64.n.36.* Læl. Zecch. *part.1. tit. de fide, rub. de hæresi, cap.11.n.14.* Ceuall. *in commun. contra commun. q.721.n.1.* vbi dicit, esse receptissimam sententiam, Anton. Gomez *tom.3. var. cap.12. n.9.* Farinac. *q.63. n.255. & seqq. & de hæresi, q.188. n.55.* Cantera *in quæst. crimin. cap.1. de hæret. n.61.* Lessius *de iust. lib.2. cap.30. dub.4. num.35.* Aldrete *de relig. discipl. tuend. lib.1. cap.14. num.13.* Torreblanc. *de Magia, lib.3. cap.17. num.70.* & alij communiter.

Probatur ea textu *in cap. nullam, §. sed hoc, in fine 2. quæst.4.* ibi: [Duorum, vel trium testium quilibet iure conuinci, & damnari poterit, iuxta Euangelium dicens, in ore duorum, vel trium stet omne verbum:] A qua regula generali nullibi reperitur exceptum crimen hæresis: Ergo, &c.

Confirmatur, quia Tribunal sanctæ Inquisitionis procedit cum magna cautela, & consideratione: Ergo propterea non videtur reus debita sua defensione destitutus.

3 Objicies textum *in cap. præsul, 2.q.4.* vbi ad condemnandum Cardinalem, si sit Episcopus, requiruntur 72. Testes, si Presbyter 44. si Diaconus vrbis Romanæ 72. si Subdiaconus, Acolytus, Exorcista, Lector, vel Hostiarius, septem.

4 Respondetur: Textum hunc non obstare, primò quia textus solùm loquitur de Cardinali, cui ob illius eminentem dignitatem hæc prærogatiua debetur, vt scilicet non ita facilè condemnari possit. Secundò, quia non loquitur de testibus fide dignis, sed de testibus inhabilibus, qui cùm à testimonio repellantur, mirum non est, si in tam magno numero ad plenam fidem aduersus Cardinalem faciendam expostulentur. Quod autem prædictus textus de testibus inhabilibus loquatur, patet *ex citato cap. nullam,* ibi: [Sed hoc particulari priuilegio de Clericis Romanæ Ecclesiæ intelligitur, vel propter improbitatem quorumdam, qui cùm non sint spectatæ vitæ, & scientiæ in accusationem Ministrorum Dei repentè prosiliunt; quorum verò vita adeò laudabilis est, vt omnibus imitanda appareat, de quorum assertione nulla dubitatio nasci poterit, eorum testimonio duorum, vel trium quilibet iure conuinci,
& damnari poterit.] Ex quibus verbis clarè constat, 5
quod dispositio *cap. præsul,* emanauerit ad reprimendam malitiam aliquorum improborum hominum, qui aduersus Cardinales, & Clericos Romanæ Ecclesiæ prosiliebant, accusantes eos, vt sic ab officio remouerentur. Ac proinde de his testibus talis magnus numerus
ad Cardinalem conuincendum expostulatur. Tertiò 6
quia ex consuetudine diu recepta iam supradicta dispositio *citati cap. præsul,* omninò cessauit, Decius *in cap. at si Clerici, de Iudic. in 6.* Clarus *pract. crimin. §. final. q.66. vers. debet etiam scire,* & alij communiter Doctores, quos citat, & sequitur Farinac. *q.63.n.244.*

Objicies 2. Textum *in cap. excommunicamus, 1. §. 7*
Adiicimus, de hæret. vbi statuitur, quod iudex tres, aut plures boni testimonij viros, vel etiam si expedire videbitur, totam viciniam iurare compellat: Ergo.

Respondetur: Neque hunc textum obstare, quia ibi non est sermo, quomodò debeat hæresis probari, sed quomodo debeat hæresis inquiri, seu quomodo debeant hæretici inquiri generaliter; quia iudex (inquit textus) generalem hanc inquisitionem debet facere per duos, vel tres viros, vel per omnes homines totius viciniæ, & Parochiæ.

Objicies 3. testes, quorum nomina (vt in casu nostro 8
de praxi) non manifestantur reo, respectu rei non sunt testes idonei, & omni exceptione maiores, cùm per ignorantiam eorum non possit objicere aduersus eos: Ergo.

Respondetur: Nego antecedens, quia in Tribunali sanctæ Inquisitionis diligentia Inquisitorum supplet abundanter id, quod defensionis adimitur reo in non manifestandis ei nominibus testium.

Aduerte tamen hîc, quod cùm dixi, sufficere duos 9
testes ad condemnandum aliquem de hæresi, id intelligendum sit, dummodo testes sint omninò integri, bonæ fidei, seu omni exceptione maiores, ita vt nulla exceptione repelli possint. Albertin. *tract. de agnoscend. assertion. quæst.34. num.3. & seqq.* Simanchas *de Cathol. institut. tit.51. num.9. & tit.64. num.36. & in Enchirid. tit.34. num.5.* Peña *in Director. Inquisit. part.3. q.71. commentar.120.* Mascard. *probation. conclus.855. n.8. vol.2.* Gabriel *cons.178. num.29.* Ioannes Lopez *in allegat. hæretic. §.13. & §.14.* Ioan. Rojas *singul.164. num.11. & singul.188. num.1. & 2. & in tract. de hæret. part.2. num.86.* Bossius *tit. de hæretic. num.4.* Menoch. *cons.82. num.163. lib.1.* & Decian. *in tract. crimin. lib.5. cap.35.n.6.*

Non obstat, si dicas: in fauorem fidei admittuntur 10
testes infames, excommunicati, criminosi, fœminæ, minores, & alij similes (qui in aliis delictis repelluntur) ergo non necessariò requiritur, quod tales testes sint omninò integri, bonæ fidei, seu omni exceptione maiores, qui nulla exceptione repelli possint.

Respondetur enim, distinguo Antecedens: In fauorem fidei admittuntur testes infames, excommunicati, criminosi, fœminæ, minores, & alij similes, ad hoc vt possit inquiri de hæresi, concedo; Ad hoc, vt possit probari hæresis; subdistinguo, ita vt probetur per ipsos hæresis probatione integra, plena

plena, & perfecta, nego: Ita vt probetur per ipsos hæresis, probatione aliquali, & imperfecta, concedo.

21 Aduerte secundò, quod licet, spectato rigore Iuris, ex duorum, omni exceptione maiorum testimonio, reus conuinci, & ad pœnam ordinariam condemnari possit, vti suprà dicebam; nihilominus, si delinquens sit probatæ vitæ, de facto ad pœnam ordinariam condemnari non debeat, sed ad id exequendum conueniat ad minus tres, vel quatuor testes adesse (sicut obseruat Inquisitio Hispanica) vel saltem aliqua indicia, & circumstantias, quibus præsumatur, delictum esse commissum, Eymer. *3. part. Direct. quæst. 71.* & ibi Peña *comment. 20.* (quatenus asserit: non possumus diffiteri liberum esse Iudicibus fidei, & ob communem sententiam, & ob iura duos solùm testes idoneos in quavis causa postulantia, & ob communem vsum sacri Tribunalis Inquisitionis, ad voces duorum testium idoneorum reum huius criminis condemnare;) Negatiua tamen sententia valde benigna est, & secura, quæ tunc potissimùm non esset contemnenda, quando reus insignis probitatis communiter haberetur, & integræ famæ, & incorruptæ vitæ: Tunc enim non esset incongruum, vel differre supplicium, donec aliæ forsan accederent coniecturæ, & probationes, vel mitiùs punire. Et hac etiam ratione videntur locuti huius opinionis assertores. Rojas *de heretic. pars. 1. num. 103.* (quatenus inquit: Ego non auderem in tam graui crimine duobus tantùm legitimis testibus quempiam condemnare, nisi delatus esset malæ opinionis, & famæ, vel alia adminicula contra eum concurrerent: Quo casu communis Doctorum opinio esset tenenda) & Farinacius *de hæresi, quæst. 88. §. 3. n. 18.* (quatenus ait: Nec contra sententiam nostram faciunt Doctores pro opinione negatiua citati; quia concordandi sunt, vt scilicet loquantur, quando testes non sunt omni exceptione maiores, v.g. criminosi, impuberes, vel fœminæ, &c. Vel quod loquantur in casu, quo delatus est vir alioquin bonæ famæ; secus autem si esset malæ famæ, & vitæ, puniri poterit ab Inquisitoribus, tanquam hæreticus, ex delatione duorum testium, dummodò sint contestes, & omni exceptione maiores (vt præter Doctores etiam citatos tenet etiam Malleus Malefic. *tom. 1. part. 3. quæst. 2.*) quod tamen adhuc dictum sit in rigore loquendo; cùm hodie praxis Inquisitionis, præsertim Hispaniæ, regulariter non condemnet Hæreticum ad pœnam ordinariam, nisi per tres testes contestes, idoneos, seu omni exceptione maiores, vti suprà dicebam.

22 Ratio autem est, quia tenera in hoc crimine hæresis valde minuitur defensio rei; cùm in eius præsentia testes non examinentur, neque ei illorum nomina manifestentur, quibus forsan vel omnibus, vel alterutris poterat ipse aliquem defectum objicere, ob quem eorum testimonium non leuiter infirmaret, sicuti præcedenti sectione dicebam: Quapropter Peña *loco suprà citato, commen. 121. in princ.* nonnullos Doctores referens, rectè dixit, duos illos testes vix duos esse, eo quòd, vigente necessitate, ordo truncatur, reo scilicet non manifestantur nomina testium quibus, vel omnibus, vel alterutris aliquem is defectum forsitan objicere poterat, vti dicebam. Vide etiam quæ dicebam *dubit. 195. sect. 10. & sect. 12.*

23 Dixi, duobus testibus omni exceptione maioribus reum probatæ vitæ conuictum non debere condemnari ad pœnam ordinariam; quia quod debeat condemnari arbitrio Iudicis ad pœnam extraordinariam, dubium non est, ita vt in hoc omnes prorsus Doctores conueniant.

COROLLARIVM I.

Quinam sit testis singularis, & quantamnam testimonium illius fidem faciat?

SVMMARIVM.

1 *Testis singularis est ille, qui in depositione sua non habet alium testem, qui sibi per omnia sit concors, & contestis.*

2 *Testes contestes sunt qui per omnia, saltem quoad significatum, seu substantiam, sunt sibi concordes.*

3 *Testimonium, seu dictum vnius testis singularis idonei sæpè dat iustam, & probabilem causam credendi.*

4 *Testimonium, seu dictum vnius testis singularis in causis non iudicialibus, nec tertiæ personæ præiudicantibus, v.g. cùm quæritur, an moribundus quæsiuerit absolutionem, an infans sit baptizatus, &c. sufficit ad credendum. Idemque dic de impedimento matrimonij, non autem de eiusdem contractus rescissione, cùm tunc requiratur plena probatio.*

5 *Testis vnus singularis de visu, qui sit omni exceptione maior ordinariè in externo iudiciali foro facit tantùm probationem semiplenam, quæ tamen in criminalibus sufficit ad torturam, dummodo testis deponat de ipso crimine; secus enim si deponat de indicio criminis.*

6 *Testis qui minùs alioquin idoneus est, si in subsidium adhibeatur, non facit probationem semiplenam, sed solum indicium, quod iunctum cum aliis indicijs sufficere potest ad torturam.*

Respondetur ex dictis, quod testis singularis sit ille, 1
qui in depositione sua non habet alium testem, qui sibi per omnia sit concors, & contestis. Practica Papiens. *in forma oppos. contra testes, vers. sunt que etiam singulares, num. 1.* Mascard. *de probat. conclus. 856. num. 20.* Peña *in Direct. Inquis. part. 3. q. 75. commentar. 121. vers. testis verò,* Sayr. *in claui regia, lib. 12. cap. 21. n. 15.* & alij communiter, iuxta ea, quæ dicebam suprà *sect. 14.* Quapropter è contra testes contestes sunt, qui per omnia, saltem quoad significatum, seu substantiam sunt sibi concordes, iuxta ea, quæ suprà etiam ex communi sententia doctorum dicebam *sect. 18.*

Vbi aduerte, quod testimonium, seu dictum vnius 2
testis singularis idonei sæpè dat iustam, & probabilem causam credendi. Gloss. *in l. Titio fundus, ff. de condit. & demonstr.* quam Glossam præter alios sequitur Nauarr. *lib. 2. consil. 1. de testib. & attestat. n. 2.* (quatenus ait, quod si vnus testis singularis idoneus deponat, per 40. annos beneficium sine residentia personali pacificè obtentum fuisse, nouus beneficiatus via præscriptionis, modò fama, vel testimonium in contrarium non adsit, in tutum lo conscientia credere possit) *& in summa, c. 22. n. 82.* quatenus inquit, quod licèt testimonium seu dictū vnius testis singularis fide digni sufficiat, vt iustè quis credere possit, iuxta Glossam *in cit. l. Titio fundus*; non tamen afferat necessitatem credendi, quia ad id requiruntur saltem duo testes, *cap. cùm à nobis, de testibus.*

Aduerte 2. quod interdum è contra ad credendum 3
sufficit testimonium, seu dictum vnius testis singularis, vt in causis non iudicialibus, nec tertiæ personæ præiudicantibus (v.g. cùm quæritur, an moribundus quæsiuerit absolutionem, an infans sit baptizatus, an Ecclesia sit consecrata, &c.) Item in iis causis, in quibus agitur de impediendo peccato, modò ius parti non sit acquisitum, v. g. in denunciatione impedimenti ad matrimonium contrahendum, iuxta *cap. prætorea 5. de sponsalib.* vel in denunciatione inhabilitatis ad ordines, ad officium, vel beneficium Ecclesiasticum obtinendum, &c. sin verò matrimonium fuerit contractum, vel electio, aut collatio officij, vel beneficij fuerit

facta, tunc ad rescindendum, vel ad irritum declarandum quod factum est, requiritur plena, seu perfecta probatio per duos saltem testes, *argument. cap. super his, de accusation.* & docet præter alios Nauarrus *lib. 5. consil. 22. ad quartam quæst. de Simonia, edit. 2.*

5 Aduerte 3. quod vnus testis singularis de visu (qui sit omni exceptione maior) ordinarie in externo iudiciali foro facit tantùm probationem semiplenam (quæ tamen etiam in criminalibus sufficiat ad torturam.) Glossa *in l. si quis, verb. conuictus, Cod. ad leg. Iud. maiest.* Clar. *q. 22.* & Mynsinger. *centur. 6. obser. 97.* Dummodò tamen testis deponet de ipso crimine; secus si deponat de indicio criminis, quantumuis propinquo: Talis enim depositio tantum efficiet probationem semiplenam solius indicij, seu signi, non tamen commissi criminis, nisi plures testes singulares de diuersis indiciis, iisque propinquis, testentur. Quia quæ non iuuant singula, iuuant iuncta, iuxta ea quæ dicam *infrà Corollar. 4. circa finem.*

6 Aduerte 4. quod testis (qui minùs alioquin idoneus est) si in subsidium (quia scilicet alij testes haberi non possunt) vel ad auertendum malum in criminibus perniciosis, & exceptis ad testificandum adhibeatur, non facit probationem semiplenam, sed solùm indicium, quod iunctum cum aliis indiciis sufficere possit ad torturam; vide Doctores communiter, quos sequitur Clarus *q. 22. n. 3.*

COROLLARIVM II.

Quinam sint testes omni exceptione maiores?

SVMMARIVM.

1 *Testes omni exceptione maiores sunt, qui per omnia sunt idonei, ita vt nulla exceptione repelli possint.*

2 *Testimonium testis omni exceptione maioris vt vim habeat, requiritur quod quilibet de suo testimonio rationem probabilem reddat.*

3 *Testes omni exceptione maiores sunt, qui per omnia sunt idonei, ita vt nihil iure opponi possit, cur non sit ipsis fides adhibenda.*

4 *Testes minus idonei sunt, contra quos aliquid vel ex natura rei, vel ex dispositione iuris opponi potest.*

5 *Mulier in causis criminalibus de iure canonico ob sexus fragilitatem, & ingenij mutabilitatem repellitur à testificando; de iure tamen ciuili admittitur in omni causa, præterquàm in testamento.*

6 *Minor 20. annis in causis criminalibus repellitur à testificando: testimonium tamen ipsius facit indicium sufficiens ad capiendam informationem, non tamen ad inferendam torturam; si tamen iste sit pubes, admittitur simpliciter in ciuilibus.*

7 *Homo vilis, & inops repellitur à testificando in criminalibus; quia facilè præsumitur, quod pecunia corrumpi possit, secùs si sit honesta, & probata vita.*

8 *Consanguineus, & affinis etiam collateralis vsque ad 4. gradum repellitur in criminalibus, qui tamen interdum, si sit probata vita, vel adsint indicia de innocentia rei, admitti possunt ad defendendum reum.*

9 *Domesticus tam in causis criminalibus, quàm in causis ciuilibus repellitur eodem modo quo consanguineus, seu affinis.*

10 *Periurus, qui in aliqua causa falsum cum iuramento deposuit, pariter repellitur, quia semel malus semper præsumitur malus in eodem genere mali.*

11 *Excommunicatus, criminosus, & infamis infamia iuris, qualiscumque de aliquo crimine damnatus, repellitur pariter à testimonio: Repellitur etiam infamis infamia facti, sed tamen interdum admitti potest in subsidium.*

12 *Infamis infamia iuris repellitur simpliciter à testimonio; quia testimonium in iudicio ferre numeratur inter actus legitimos, à quibus infamis arcetur: Repellitur etiam ordinariè infamia facti in causa criminali, vel ardua.*

13 *Paganus, Iudæus, & apostata à fide repellitur contra Christianum.*

14 *Socius criminis item repellitur; quia facilè alium nominabit, vel ob spem veniæ, vel ob odium.*

15 *Socius criminis in criminibus exceptis hæresis, læsæ maiestatis humanæ, falsæ monetæ, maleficio, seu sortilegio, Sodomia, furto famoso, & in criminibus, quæ non possunt sine socio perpetrari, sicut etiam quicumque alius ex prædictis testis inhabilis non omnino improbabiliter admittitur vt testis idoneus faciens non solùm sufficiens indicium ad torturam, sed etiam semiplenam probationem.*

16 *Testes duo inhabiles quando in prædictis criminibus exceptis admittuntur vt habiles, etiãsi sint contestes multò probabilius non plenè, & integrè probant.*

17 *Inimicus eius contra quem testimonium profertur etiã in criminibus exceptis, qualia sunt supradicta, repellitur à testificando, debet tamen esse inimicus grauis.*

18 *Testis minùs idoneus etsi non probet semiplenè, facit tamen aliquod indicium, quod coniunctum cum aliis sufficit ad torturam inferendam, nisi repellatur ob subiectionem, vel reuerentiam, vt seruus, libertus, & filius; quia tunc nullum indicium facit; similiter si repellatur ob inimicitiam, vel quòd sit receptus ante litem contestatam, vel parte non citata.*

19 *Testes minùs idonei non faciunt vllum indicium, si tempore depositionis pars opposuerit exceptionem inhabilitatis.*

20 *Testes minùs idonei, quando delictum est commissum eo loco, vel tempore, vbi copia testium haberi non potest, admittuntur tanquam idonei; at non ita vt duo ex istis integrè probent, & sint sufficientes ad condemnandum reum pœna ordinaria.*

21 *Testium alter si sit fide valde dignus, potest supplere defectum, qui est in altero teste minùs idoneo, & minùs digno, ita vt simul efficiant plenam, & integram probationem, & sic sufficientes sint ad inferendam reo pœnam ordinariam. At si simus in crimine hæresis, &c. probabilius est oppositum.*

22 *Nemo in causa propria testis admittitur: diciturque causa propria ea, cuius emolumentum, vel damnum ad aliquẽ suo nomine, seu per se, & directè pertinet.*

23 *Iudex debet ex officio testes prohibitos repellere.*

24 *Testes præsertim in causis ciuilibus minùs idonei reputantur ex eo, quia contra eos reus excipere potest.*

Respondetur ex dictis etiam, quod testes omni exceptione maiores sint, qui per omnia sunt idonei, ita vt nulla exceptione repelli possint, *cap. licet, de testib.* & docent Gloss. *in cap. 1. de consanguinit. & affinit. verb. maiores,* Bald. *in l. optimam, Cod. de contrah. & commit. stipulat. n. 8.* Decius *consil. 429.* Palatius *in allegat. de hær. §. 13.* Mascard. *de probat. concl. 855. n. 10. vol. 2.* Peña *in Direct. Inquisit. part. 3. q. 71. comment. 120.* Albertin. *tract. de agnoscend. assert. q. 34. n. 4. & seqq.* Ioan. Rojas *tract. de hæret. part. 2. assert. 4. n. 88.* & alij passim.

Ad hoc verò, vt & istorum etiam testimonium vim habeat, necessariò requiritur, quòd quilibet de suo testimonio rationem probabilem reddat. Simanch. *de Cathol. instit. tit. 51. n. 6.* Mascard. *de probat. concl. 855. n. 12. vol. 2.* & alij communiter. 2

Testes igitur omni exceptione maiores sunt, qui per omnia sunt idonei, ita vt nihil iure opponi possit, cur non sit ipsis fides adhibenda, seu cur non sint ipsi ad testificandum admittendi: Testes minùs idonei sunt contra quos aliquid vel ex natura rei, vel ex dispositione iuris opponi potest. Et quia omnes, qui habent perfectum vsum rationis sunt idonei, nisi in ipsis 3 4

ipsis sit aliquid, ob quod velit iua eos censeri minùs idoneos, Syluest. *verb. testis, quæst.* 1. Farinacius *q.* 53. *num.* 1, & colligitur *ex l.* 1. *ff. de testibus*; ideò videndum est, quinam Iure repellantur (quamuis in criminibus exceptis, vt in crimine hæresis, in fauorem fidei admittantur, vti dicebam suprà *sect.* 1.) Vt sic intelligatur, quinam testes sint omni exceptione maiores.

5 Repellitur igitur primò in causis criminalibus de Iure Canonico mulier, ob sexus fragilitatem, & ingenij mutabilitatem, *cap. forum, sub finem, de verb. signif. iuncta Glossa, & cap. Mulierem,* 33. *q.* 5. & dicebam *suprà sect.* 1. de iure tamen ciuili admittitur in omni causa, *l. ex eo, ff. de testib.* & ex communi docet Abb. *in cap. quoniam, de testib. n.* 2. Gomez *cap.* 12. *n.* 13. Farinac. *q.* 59. *n.* 17. & Clarus *q.* 24. *n.* 4. Præterquam in testamento, *l. qui testamento, §. mulier, ff. de testam.* & docent communiter Doctores, quos sequitur Gomez *cit. cap.* 12. *n.* 13.

6 Repellitur secundò in causis criminalibus minor 20. annis, *l. in testimonium, ff. de testib.* Testimonium tamen istius facit indicium sufficiens ad capiendam informationem, non tamen (quidquid in contrarium dixerit Syluest. *verb. testis, q.* 1.) ad inferendam etiam torturam, si tamen iste sit pubes (id est maior 14. annorum, vel suprà, & fœmina duodecim, vel similiter suprà) admittitur simpliciter in ciuilibus, iuxta *l.* 3. *de testib. §. lege Iulia,* & docent Syluester, Gomez *in locis suprà citatis,* Farinac. *q.* 58. *n.* 1. & 10. Deinde in crimine excepto, & valdè pernicioso depositio puberis ætate minoris aliquod indicium facit: ita Doctores, quos sequitur Binsfeld. *de confess. malefic. membr.* 2. *concl.* 6. *circa finem.*

7 Repellitur tertiò homo vilis, & inops; quia facilè præsumitur, quod pecuniâ corrumpi possit, multò magis si de illo, iudicis arbitrio, suspicio sit, quod de facto pecuniâ corruptus sit, secùs si sit honestus, & probatæ vitæ, *l.* 3. & 4. *ff. de testib.* Vbi communiter Doctores, item Abb. *in cap. si qui testium, in fine de testib.* Syluest. *verb. testis, q.* 1. & Farinac. *q.* 57. *n.* 1.

8 Repellitur quartò consanguineus, & affinis, etiam collateralis (scilicet, vt notat præter alios Gomez *vbi suprà, n.* 15. vsque ad quartum gradum,) *ex l.* 3. *ff. de legib. ex cap. similiter,* 5. *q.* 5. & *ex cap. absens* 2. *caus.* 3. *quæst.* 9. Qui tamen consanguineus, & affinis interdum (cùm scilicet est probæ vitæ, vel adsunt indicia de innocentia rei) admitti potest ad defendendum reum, eiusque innocentiam probandam, vti dicebam *supra, sect.* 1. & 8. Et vti habet vsus, teste Claro *q.* 24. *n.* 12. admitti etiam potest in causis ciuilibus, si eæ non arduæ, & multum præiudicantes sint; Mascard. *vol.* 1. *concl.* 68. *n.* 10. & Farinac. *q.* 53. *n.* 24.

9 Similiter & eodem modo (quo repelluntur consanguineus, & affinis) repellitur domesticus, tam in causis criminalibus, quàm in causis ciuilibus, iuxta *l. testes, ff. de testibus, l.* 1. *§. ad quæstionem, ff. de quæstionib. l. etiam, Cod. de testib.* & *cap. si testes,* 4. *q.* 3. Domestici autem alicuius dicuntur non solùm vxor, filij, serui, sed etiam liberti, famuli conductitij, & alij familiares, saltem si iis aliquo modo is imperare possit, iuxta *l. respiciendi, ff. de pœnis*; & docet præter alios Abbas *in cap. in literis, de testib. n.* 5. in subsidium tamen (si scilicet veritas aliter haberi non possit, v.g. in causa adulterij) domestici testes etiam admittuntur: ita Doctores communiter *in l. consensu, Cod. de repud.* quos sequitur Farinac. *q.* 55. *n.* 54.

10 Repellitur quintò periurus, qui aliqua causa falsum cum iuramento deposuit; quia qui semel periurauit, censetur facilè secundò periuraturus, iuxta Regulam illam: Semel malus semper præsumitur malus in eodem genere mali. Vide quæ dicebam *suprà cit. sect. prima.*

11 Repellitur sextò excommunicatus, criminosus, & infamia infamia Iuris, qualis est quicumque de aliquo crimine est damnatus. Repellitur etiam infamis infamia facti, sed tamen interdum admitti potest in subsidium (quando scilicet aliter veritas attingi non poterit) quamuis cum tortura: ita Doctores, quos sequitur Clarus *vbi suprà, n.* 13. Videri etiam poterunt quæ dicebam *suprà sect.* 5.

Et quidem repellitur simpliciter infamis infamia Iuris, vti constat *ex cap. licet,* & *cap. testimonium, de testib.* quia testimonium in iudicio ferre, numeratur inter actus legitimos, à quibus infamis arcetur. Repellitur etiam ordinariè infamis infamia facti in causa criminali, vel ardua. Ita Doctores, quos sequitur Conatrun. *in quæst. pract. cap.* 8. *n.* 1. Interdùm tamen admittitur, in defectum scilicet, si aliter veritas cognosci non possit eo quod v.g. crimen ex sua natura sit occultum, vel in occulto loco commissum. Clar. *quæst.* 24. *num.* 23. Farinac. *q.* 56. *n.* 56. & Binsfeld. *de confess. malef. membr.* 2. *concl.* 6. §. 5. Huiusmodi autem infamis testimonium nullam fidem meretur sine tortura, sicuti habetur *in l. ob carmen, ff. de testib.* Quamuis id non vbique obseruetur, teste Binsfeldio *cit. membr.* 2. *concl.* 5. Potiò in causa ciuili non ardua admittitur infamis infamia facti, quamuis quà talis minorem fidem faciat. 12

Repellitur septimò Paganus, Iudæus, & apostata à fide contra Christianum, *cap. non potest, & seqq.* 2. *q.* 7. ibi: [Qui enim diuina testimonia non sequuntur, pondus humani testimonij perdiderunt;] sicut ex Sancto Augustino refertur *in cap. ipsa pietas,* 23. *quæst.* 4. admittitur tamen in crimine hæresis, in crimine Læsæ Maiestatis humanæ, & in aliis criminibus exceptis, vti dicebam suprà *sectione prima.* 13

Repellitur octauò socius criminis, *l. finali, Cod. de accusation. l. quoniam, Cod. de testibus, cap. veniens* 1. *de testibus, & cap. de confessis,* vbi id docent Abbas, & Gomez *lib.* 3. *resol. c.* 12. *n.* 16. iuxta ea quæ dicebam *cit. sect.* 3. quia facilè alium nominabit, eo quòd vel illius priuilegio veniam speret, vel eo quòd illum eodem supplicio puniri odio desiderat, vt habetur *in dicta l. finali.* 14

In criminibus tamen exceptis (vt hæresi, in crimine læsæ Maiestatis humanæ, falsæ monetæ, in maleficio, seu sortilegio, sodomia, furto famoso, & etiam ex Gomezio *num.* 16. in criminibus, quæ non possunt sine socio perpetrari) socius criminis (sicut & quicumque alius ex prædictis testis inhabilis) admittitur vt testis idoneus, quapropter in huiusmodi criminibus exceptis non omninò improbabiliter depositio socij criminis non solùm erit sufficiens indicium ad torturam, sed etiam erit semiplena probatio; ita vt accedente aliò socio, qui idem deponat, sit plena probatio, & possit reus condemnari ad pœnam ordinariam (dummodo hæc depositio fiat à socio criminis, tanquam à teste, scilicet cum iuramento, & citata parte, cui etiam detur copia depositionis, vt possit se defendere.) Cynus *in l. vltima, Cod. de accusation.* Butrius, Imola, Abb. *in c.* 1. *de confessis,* Gomez *var. resol. tom.* 3. *cap.* 12. *n.* 18. Blanch. *de indic. ad leg. final. de quæst. num.* 378. & 379. Guido de Susanna *de indic. num.* 24. Caballus *cent.* 1. *cas.* 84. *num.* 7. & Pitigian. *in pract. crimin. part.* 2. *cap.* 1. §. 7. *socius criminis.* 15

Quamuis multò probabilius ex iis, quæ dicebam *cit. sect.* 1. & 13. duo testes inhabiles (quando in prædictis criminibus exceptis admittuntur, vt habiles) etiamsi sint contestes (cùm vtriusque testimonium fidem faciat, sicuti alterius hominis vilis, infamis, aut suspecti) non plenè, & integrè probent, vt reus condemnari possit ad pœnam ordinariam, sed tantùm ad mitiorem, & extraordinariam. 16

Repellitur nonò (& etiam in criminibus exceptis, vt in probanda hæresi, simonia, crimine læsæ Maiestatis, & similibus, in quibus alij testes minùs idonei, & minùs habiles, quos dicebam, admittuntur) inimicus eius, contra quem testimonium profertur, *cap. per tuas, de simonia,* & *l.* 3. *ff. de legib.* & dicebam suprà *cit. sect.* 1. & 2. *per totum.* Debet tamen esse inimicus grauis, vt si 17

v.g. præcesserit inter eos iniuria, vel lis super causa capitali, vel super magna parte bonorum, arbitrio Iudicis, vt *ibidem* dicebam, & docent Clar. §. *final. q.* 24. *n.* 5. Binsfeld. *de confess. malefic. membr.* 1. *concl.* 6. *corollar.* 6. §. *dies*, Gomez 3. *resol. cap.* 12. *n.* 14. & Farinac. *q.* 53. *n.* 5. & constat etiam *ex cap. per tuas* 1. *de simonia.*

18 Cæterùm quoad omnia, quæ vsque adhuc dicta sunt, aduerte primò, quod etsi testis minùs idoneus non probet semiplenè, faciat tamen aliquod indicium, quod coniunctum cum aliis sufficiat ad inferendam torturam, nisi repellatur ob subiectionem, vel reuerentiam (quam debet accusatori) vt si sit seruus, vel libertus, vel filius, quia tunc nullum indicium facit, similiter si repellatur ob inimicitiam, similiter etiam si repellatur, eo quòd sit receptus ante litem contestatam, vel parte non citata, quia in hoc casu (sicuti habetur *in cap. quoniam, vt lit. non contest. non procedat.*) attestationes non valent, præter quàm in casibus *ibidem*, vt in Glossa, exceptis. Vide quæ dicebam suprà *sect.* 10. & 11. *per totas.*

19 Aduerte secundò, quod quidam Doctores (quos sequitur Gomez vbi suprà, *num.* 20.) tenent, testes minùs idoneos non facere vllum indicium, si tempore depositionis pars opposuerit exceptionem inhabilitatis. At contrarium videtur probabilius, & in praxi receptum.

20 Aduerte tertiò, quod testes minus idonei (quando delictum est commissum eo loco, vel tempore, vbi testium copia haberi non potest, v.g. in campo, silua, cubiculo, monte, vel nocturno tempore) admittantur tanquam idonei, *cap. finali, de testib.* at non ita tamen, vt duo ex istis, licet contestes, integrè probent, & sint sufficientes ad condemnandum reum pœna ordinaria, sed tantùm mitiori, & extraordinaria, iuxta ea quæ dicebam mox *supra, & citata sect.* 1. *&* 13.

21 Aduerte quartò, quod si alter testium sit fide valdè dignus, possit supplere defectum, qui est in altero teste minùs idoneo, & minùs digno, ita vt simul efficiant plenam, & integram probationem, & sic sint sufficientes ad inferendam reo pœnam ordinariam. Iason *in l. cunctos populos, Cod. de summa Trinit. & fid. cathol. in 2. lectura, num.* 53. & Baldus *in l. si quis ex argentariis*, §. 1. *ff. de edend.* Et quidam alij Doctores ibidem: at (si simus in crimine hæresis, vel in aliis criminibus grauibus) probabilius est oppositum, vti dicebam iam *suprà, & eadem sect.* 1. *&* 13.

22 Aduerte quintò, quod in causa propria nemo admittatur testis, *l. nullus, ff. de testib.* Propria verò causa dicitur ea, cuius emolumentum, vel damnum ad aliquem suo nomine, seu per se, & directè pertinet, *l.* 1. §. *propria causa, ff. quand. appelland. sit.* Et ideò Prælatus & Clericus in causa suæ Ecclesiæ testes esse, non prohibentur, iuxta *cap. insuper, de testib. & cap.* 3. *loco, de probat.* & docet ibi præter alios Abbas *num.* 2. quia tunc, & in tali casu non censentur moueri proprio commodo.

23 Aduerte sextò, quod Iudex debeat ex Officio testes prohibitos repellere; quæ est sententia communis Doctorum.

24 Aduerte septimò, quod interdum testes, præsertim in causis ciuilibus, minùs idonei reputentur ex eo, quia contra eos reus excipere potest: v. g. quod sint familiares, consanguinei, vel domestici actores, &c. si verò reus non excipiat, nihil obstat, quin Iudex eorum testimonium admittat; ita Doctores communiter, inter quos præsertim Abb. *in cap. Bona, n.* 9. *de postulat. Prælat. & in cit. cap.* 3. *loco, de probat. n.* 5. vbi subdit, quod propter defectum testium surgentem ex natura rei admittuntur testes alioquin minùs idonei.

COROLLARIVM III.

Quotnam testes in causis criminalibus requirantur, & sufficiant? Vbi etiam, an Iudex possit condemnare reum ex priuata scientia, vel certè non citatum, aut non auditum?

SVMMARIVM.

1 *Nemo condemnari potest, nisi Iudici de crimine, & criminis auctore constet per publicam scientiam; quia cum Iudex iudicia exerceat ex publica potestate, sententia ipsius, præsertim condemnatoria, procedere debet ex publica scientia. Quod tribus modis constare potest.*

2 *Iudex vt reum condemnare possit, sufficiunt duo testes fide digni, & omni exceptione maiores, ita vt ad condemnandum vnus non sufficiat.*

3 *Respublica potest Principi sapienti, & iusto dare potestatem condemnandi cum vno teste, vel etiam sine teste reum ex propria, & particulari scientia.*

4 *Respublica non potest dare potestatem Principi, vt etiam, quando ipse alia ratione de crimine non est certus, ex dicto vnius testis possit similiter condemnare reum, quia ex vno teste non habetur certitudo sufficiens ad inferendam pœnam mortis, vel mutilationis.*

5 *Testes duo sufficiunt, quia similiter sic de iure gentium receptum est.*

6 *Ius Canonicum, vel Ciuile in aliqua causa requirit plures, quàm duos testes, vt ad condemnandum Episcopum Cardinalem, 72. Presbyterum Cardinalem 64. & Diaconum Cardinalem 27. reliquos Clericos 7. quia isti quòd alios corrigant, sæpè sunt in magna inuidia. Hoc tamen Ius hodie in praxi non seruatur, &c.*

7 *Testium duorum, vel trium numerus est etiam de Iure positiuo, quamuis in noua lege hoc Ius non obliget; quia omnia præcepta legis veteris, quæ parte continent ius positiuum, per mortem Christi Domini cessarunt.*

8 *Non obstat illud* Matth. 18. *vbi Christus Dominus ait, quod frater peccans corripiatur coram vno, vel duobus testibus: nam per hoc innuit id esse consentaneum, & legi veteri, & nouæ.*

9 *Testes duo prædicti de Iure Canonico, & Ciuili requiruntur præter accusatorem, & præter id, quod vicem accusatoris supplet.*

10 *Furans fructus ex hortis, vel ligna ex syluis; puniri solet ex testimonio vnius custodis; & ad castigationem aliquam leuem, qua fit absque infamia, potest quidem interdum testis vnius sufficere, qui sit simul accusator; at non sic est sufficiens ad pœnam grauem, cui coniuncta sit infamia,*

11 *Testes duo in omni causa, tam Ecclesiastica, quàm sæculari, tam ciuili, quàm criminali ad plenam probationem contra aliquem, præter actorem, vel accusatorem, de Iure Canonico, & Ciuili requiruntur,*

12 *Testes duo idonei sufficiunt etiam ad condemnandum Sacerdotem, si non de Iure, saltem de consuetudine.*

13 *Testimonium laicorum in criminalibus contra Clericum non admittitur vt sufficiens ad probationem plenam, cum laici Clericis infesti esse soleant, nisi crimen sit exceptum.*

14 *Testis de Iure Canonico, & Ciuili debet esse distinctus ab accusatore, quin etiam à denunciatore, non tamen in quibusdam causis, vt cùm agitur de peccato impediendo.*

15 *Testes*

15 *Testes duo quamuis requirantur de Iure canonico, & ciuili, non tamen de Iure naturali, vel gentium; quia accusator non requiritur vt ipse ex se referat vllam probationem, vel confirmationem criminis, sed solùm vt excitet iudicem ad cognoscendam causam, quam ipse accusator probat.*

16 *Crimen quando est manifestum, & author criminis prorsus occultus, si accedant duo testes, potest is absque dubio condemnari, & tamen nullus est, qui eum in particulari accuset.*

17 *Accusator à teste distinctus neque requiritur de Iure diuino positiuo, quia ex sacris scripturis vt quis possit ad mortem condemnari, solùm requiruntur duo testes.*

18 *Iudex inferior nullo modo potest condemnare reum ex priuata scientia, idest sine testibus, quia is dispensare non potest in legibus ad ordinem Iuris pertinentibus, vtpotè non ab ipso, sed ab eius superiore constitutis.*

19 *Iudex supremus, seu princeps non potest condemnare reum ex priuata scientia, sine sine testibus, secundùm probabiliorem sententiam contra plures Iuristas; quia vt sententia feratur ex publicis probationibus, non est merè de iure positiuo, in quo princeps potest dispensare, sed est ius gentium, quod apud omnes est receptum, & sub cuius obligatione Respublica suam potestatem in principem transtulisse censetur.*

20 *Princeps non habet maiorem potestatem eâ, quam Respublica in ipsum transtulit.*

21 *Iudex sicut ex publica potestate, ita etiam ex publica scientia iudicare debet.*

22 *Iudex quod solus nouit, censetur adhuc occultum in iudiciis humanis; si enim secus esset, tolleretur reo iusta sui defensio, cùm possit se defendere quamdiu crimen non est probatum.*

23 *Item vsurparetur in eum potestas iudicandi, cùm solus Deus sit Iudex occultorum.*

24 *Supremi principis assertio licet in Testamentis, Contractibus, & aliis causis ciuilibus possit æquiualere pluribus testibus; non tamen in causis criminalibus, quando saltem agitur de aliquo condemnando ad pœnam mortis, vel mutilationis, præsertim si probationes sint in contrarium.*

25 *Supremi principis assertio ex sententia contraria est etiam probabilis, quod in criminalibus possit æquiualere pluribus testibus, præsertim si crimen sit atrox, ita vt valde expediat, quod reus puniatur, & ex alio capite non conueniat, quod diuulgetur ob infamiam commissam, vel aliam iniuriam grauem principe illatam.* Vide ibi exemplum.

26 *Princeps quando non agitur de puniendo crimine, sed de euitando in posterum aliquo malo, quod Reipublica, vel innocenti intentatur, potest ordinariè, si alia ratio non suppetat, reum interfici iubere; quia tunc non agit vt iudex, sed vt quilibet priuatus.*

27 *Princeps quantumuis certus sit de crimine, non potest similiter ordinariè condemnare reum non citatum, & non auditum; quia contrafacere esset reo auferre arma, quibus se iure posset defendere.*

28 *Princeps quamuis ordinariè non possit condemnare reum sine citatione, & defensione, potest tamen his omissis eum condemnare in quibusdam casibus, & primò quando quis machinatur Reipublicæ, vel etiam homini priuato perniciem.*

29 *Item quando si iuridicè procedatur, adest periculum rebellionis, vel alterius grauis turbationis, vt si reus esset valdè potens.*

30 *Item quando crimen est publicum; sic enim latro, vel miles, cum bellum geritur, repertus in crimine fragranti, interdum sine vlla defensione, vel processu statim ad modum belli suspenditur.*

31 *Item quando crimen est etiam notum soli Principi, & tribus aliis, ita vt possit iuridicè probare: quo casu potest etiam occultè sine citatione, & probationibus reus interfici, si publicè sine graui aliquo incommodo puniri non possit.*

32 *Prædicta locum habent non solùm in condemnatione ad mortem, verùm etiam in priuatione bonorum, &c.*

Svppono, quod nemo condemnari possit, nisi iudici de crimine, & criminis Authore constet per publicam scientiam; quia cum iudex iudicia exerceat ex publica potestate, sententia ipsius præsertim condemnatoria procedere debet ex publica scientia; crimen autem per publicam scientiam tribus modis constare potest: *Primò*, si iudex cum tribus, vel quatuor aliis reum deprehendat in fragranti crimine. *Secundò*, si ipse reus fateatur crimen suum in iudicio. *Tertiò*, si testibus in eodem iudicio conuincatur. Hoc supposito. 1

Respondetur ex dictis etiam, quod requirantur, & sufficiant duo testes fide digni, & omni exceptione maiores; ita Doctores communiter, & satis colligitur *ex l. vbi numerus, ff. de testib. ex cap. licet vniuersis, eodem titulo, & ex cap. cum esses, de testament.* Vide etiam quæ dicentur infrà *dub. 106. Petit. 1. in principio.* 2

Dixi, quod duo requirantur, ita vt ad condemnationem vnus non sufficiat, quia sic Iure gentium receptum est; Et meritò, quia vnum peruerti, vel falli, aut fallere, est facile: At duos peruerti, & effici, vt conformiter loquantur, & nunquam se falsitas prodat, est valde difficile. 3

Non obstat, quod quidam dicunt, id esse de Iure naturæ, quia Ius gentium (eo quòd ratio naturalis omnes gentes ius huiusmodi docuit) passim vocatur ius naturale, non scilicet propriè, & primæuum, seu primarium; sed impropriè, seu secundarium: propriè igitur loquendo, quod aiebam, non est vniuersim de Iure naturali, scilicet primæuo, seu primario; quia posset (vt infrà dicam) Respublica Principi sapienti, & iusto dare potestatem condemnandi cum vno teste, vel etiam sine teste, reum ex propria, & particulari scientia: Quod adeò verum est, vt probabile sit, Principem (vt etiam infrà dicam) hanc potestatem habere de facto, saltem in quibusdam casibus. 4

Non tamen poterit Respublica dare potestatem Principi, vt etiam (quando ipse alia ratione de crimine non est certus) ex dicto vnius testis possit, similiter condemnare reum; quia ex vno teste non habetur certitudo sufficiens ad inferendam pœnam mortis, vel mutilationis, nisi fortè testis sit summæ fidei, & authoritatis; & hac ratione est propriè de Iure naturæ, scilicet primæuo, seu primario, vt sint duo testes, idest, non sint pauciores, quàm duo testes. 5

Dixi secundò, quod duo testes sufficiant; quia similiter sic de Iure gentium receptum est, non quòd ius gentium præcipiat, vt duo sufficiant, sed quòd non requirat plures, sicque reum ex duobus testibus condemnari permittat. 6

Hinc non obstat, quin ius Canonicum, vel Ciuile in aliqua causa possit requirere plures, quàm duos testes; sic ius Canonicum ad condemnandum Cardinalem Episcopum requirit testes 72. ad condemnandum Cardinalem Presbyterum requirit 64. ad condemnandum Cardinalem Diaconum requirit 27. ad condemnandos reliquos Clericos requirit septem, vti patet *ex c. præsul, 2. q. 5.* Et ratio est, tum quia isti, eo quòd alios corripere debeant, apud multos sæpè sunt in magna inuidia: tum quia ex istorum damnatione existimationi, & reuerentiæ, quæ debetur Ministris Ecclesiæ, multùm detrahitur; quamuis hodie hic numerus testium in praxi non seruetur, vti præter alios adnotauit Iulius Clarus *q. 66.* sic etiam ius ciuile in testamentis clausis requirit septem testes, in testamentis apertis, & in codicillis requirit quinque; quamuis in criminalibus sufficiant duo (sicuti dicebam) quia in testamentis, & codicillis, & aliis vltimis voluntatibus plures sunt insidiatores, & testator mortuus non potest suam mentem explicare.

Vbi

7 Vbi aduerte primò, quod hic numerus testium sit etiam de Iure diuino positiuo, sicuti patet *ex Deuter.* 17. ibi: [In ore duorum, vel trium testium peribit, qui interficietur; nemo autem occidatur, vno contra se dicente testimonium:] *& ex cap.* 19. ibi: [Non stabit vnus testis contra aliquem, quidquid illud peccati, & facinoris fuerit, sed in ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum.]

Quamuis in noua lege hoc Ius (nisi quatenùs continet id, quod est de Iure naturæ) non obliget; quia omnia præcepta veteris legis, qua parte continent Ius positiuum, per mortem Christi Domini cessarunt.

8 Non obstat illud *Matthæi* 18. vbi Christus Dominus ait, quod frater peccans corripiatur coram vno, vel duobus testibus; vt (quemadmodum subdit) *in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.*

Respondetur enim, quod per hæc Christus Dominus solùm vult innuere, id esse consentaneum & legi veteri, & rationi naturali; cùm possit quis, si neget se malè fecisse, per duos, vel tres testes satis conuinci.

9 Aduerte secundò, quod de Iure Canonico, & Ciuili duo prædicti testes requirantur præter accusatorem, vel præter id, quod vicem accusatoris supplet; quia Iudex non potest procedere sine accusatore vero, vel ficto.

10 Non obstat, si dicas: qui furatur fructus ex hortis, vel ligna ex syluis, &c. puniri solet ex testimonio solius custodis: Ergo non requiruntur duo testes; quinimò sufficit vnus, qui sit simul & accusator, & testis.

Respondetur enim (vt omittam, quod ad castigationem aliquam leuem, quæ sit absque infamia, irrogandam, posse quidem interdum vnum testem, qui sit simul accusator, sufficere; quemadmodum fieri solet in scholis inter scholares, & inter filios, & seruos eiusdem Patrisfamilias: at ad pœnam nihilominùs grauem, cui coniuncta sit infamia, requiruntur duo testes præter id, quod supplet vicem accusatoris) nego antecedens; quia testimonium solius custodis absque aliis indiciis, si reus neget, non sufficit ad condemnandum, sed solùm ad examinandum, & inquirendum.

11 Breuiter igitur ex dictis, in omni causa tam Ecclesiastica, quàm sæculari, tam ciuili, quàm criminali ad plenam probationem contra aliquem, præter actorem, vel accusatorem, de Iure Canonico, & Ciuili requiruntur, & sufficiunt duo testes, si sint idonei, & omni exceptione maiores, sicuti constat etiam *ex cap. licèt, de testib. ex l. vbi numerus, ff. eodem, & ex l. Iusiurandum, Cod. eodem*, & consentit lex vetus *Deuter.* 17. & 19. quam vt consuetudine gentium confirmatam, immò & vt etiam Iuri naturali valdè conformem, allegauit Christus Dominus Matth. 18. *In ore duorum vel trium testium stet omne verbum.* Et ratio, sicuti dicebam, est quia plerumque vnus homo peruerti potest, sed non tam facilè duo peruertuntur saltem vt in omnibus, & per omnia conformiter loquantur, & falsitas aliquo modo se non prodat, vti videre est in duobus senibus Susannæ *cap.* 13. *Danielis*; & videri poterit præter alios Petrus Nauarra *de restitut. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 199. & Simanch. *de cathol. instit. tit.* 64. *n.* 32.

12 His adde, quod etiam ad condemnandum Sacerdotem, vel Episcopum (si non de Iure, propter *cap. Præsul,* 2. *q.* 5. *&c.*) saltem de consuetudine sufficiunt similiter duo testes idonei, sicuti notauit Gratianus *in cap.* 1. *eadem q.* 1. Iul. Clar. *in §. finali, q.* 66. & alij, quos sequitur Farinac. *q.* 63. *n.* 235. & 244.

13 Laicorum tamen testimonium contra Clericum in criminalibus communiter, vt sufficiens ad probationem plenam, non admittitur, sicuti constat ex textu *in cap. de cætero, de testib.* cùm laici Clericis infesti esse soleant, præterquàm si crimen sit exceptum, sicuti præter alios notauit ibi Glossa *verb. suam*, vel etiam in subsidium, quando scilicet crimen aliter probari non potest, vt si verbi gratia commissum fuerit in agro coram solis Laicis. Abbas *in cit. cap. de cætero, num.* 3. & alij, quos sequitur Farinac. *q.* 61. *n.* 107.

14 Debet autem etiam ex dictis de Iure canonico, & ciuili testis esse distinctus ab accusatore, quin etiam à denunciatore; non tamen in quibusdam causis (vt cùm agitur de peccato impediendo, v.g. ne persona inhabilis ad officium, beneficium, vel Ordines admittatur, aut ne cum impedimento matrimonium contrahatur, vel Professio emittatur, &c.) Tunc enim denunciator etiam in testem admittitur. Abbas *in cap. iurauit, n.* 2. *de probation.* Mascard. *vol.* 1. *conclus.* 26. *n.* 7. & alij, quos sequitur Farinac. *q.* 60. *n.* 72. *argumento cap. in omni negotio, de testib. & attest.* Item in causis leuibus, & non infamantibus creditur denuncianti Officiali sine altero teste. Mascard. *vbi suprà, num.* 9. & Farinac. *etiam vbi suprà, num.* 74.

Cæterùm quamuis de Iure canonico, & ciuili duo testes præter accusatorem, vel præter id, quod vicem accusatoris supplet, requirantur, non tamen requiruntur similiter de iure naturali, vel gentium, neque de iure diuino positiuo.

15 Non quidem de iure naturali, vel gentium, quia accusator non requiritur, vt ipse ex se offerat vllam probationem, vel confirmationem criminis, sed solùm vt excitet iudicem ad cognoscendam causam, quam ipse accusator probat Iudici solùm per testes, ita vt tota cognitio, & certitudo criminis commissi fit ex testibus: At de iure naturali, vel Gentium non requiritur, quod iudex aliunde excitetur ad cognitionem causæ, sed hoc constitutum est tantùm de iure positiuo ad coërcendam malignitatem, qua alioquin iudex posset vti, si sponte sua, vel relatione alicuius priuati extraiudicialiter facta, posset nulla infamia præcedente causas inchoare: Ergo.

16 Confirmatur, quia quando crimen est manifestum, & author criminis prorsus occultus, si accedant duo testes, potest is absque dubio condemnari, & tamen tunc nullus est, qui eum in particulari accuset, nisi fortè Fiscalis, qui tamen non sit aliunde, quàm ex illis duobus testibus deponendus; cùm quod dicatur crimen notorium vicem accusatoris supplere, in tantum sit verum, in quantum instar accusatoris excitat iudicem, vt procedat ex officio: Ergo.

17 Neque etiam quidem de iure diuino positiuo requiritur accusator à teste distinctus; quia *Deut.* 17. & 18. solùm requiruntur duo testes, vt quis possit ad mortem condemnari: *& Matth.* 18. is qui corripit fratrem, & postea illum denunciat Ecclesiæ, vocatur testis, vt patet ex verbis Christi Domini ibi: [Corripe eum inter te, & ipsum solum: si te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum:] Si enim adhibes vnum, iam estis duo testes; si adhibes duos, iam estis tres. Ergo ipse, qui accusat, vel denunciat, si deponat eo modo, quo testis debet, est testis, & satis huic alter accedit.

18 Aduerte 3. quod iudex inferior nullo modo possit condemnare reum ex priuata scientia, id est sine testibus; quia iudex inferior dispensare non potest in legibus ad ordinem iuris pertinentibus, vtpote non ab ipso, sed ab ipsius superiore constitutis; quarum vna est, vt nemo condemnetur non citatus, & non auditus: altera, vt nemo condemnetur sine testibus, iuxta illud *Deuter.* 17. [In ore duorum, vel trium testium peribit, qui interficietur:] Quinimò neque dispensare potest in aliis legibus minoribus, quamuis merè sint de iure positiuo, verbi gratiâ, quod accusatio non fiat in scriptis, vel quod reo non detur ad respondendum certus terminus. Ratio est, quia inferior, vti dicebam, dispensare non potest in legibus sui superioris.

19 An autem iudex supremus, seu Princeps saltem, possit

possit condemnare reum ex priuata scientia, seu sine testibus?

Respondetur, quod quamvis, etiam contra fidem allegationum, & actorum, affirment Bartolus, Cynus, & alij *in l. 1. Cod.* vt quæ desunt Aduocatus partium Iudex suppleat, Alberic. *in l.illicitas, §.veritas, ff. de offic.præsid.* Felin. *in cap.pastoralis,§.quia verò,* & Couarrun. *lib. 1. variar.cap.1.n.7.* Probabilius tamen negent Caietan. *verb.homicidium, in princ.* Sotus *de Iust. lib.5.q.1. art.3.* & Nauarr. *cap.25. n.9.* & colligitur ex S.Thoma *2.2.quæst.67. art.3. ad 3.* vbi ait, eundem hominem non posse esse simul iudicem, accusatorem, & testem.

Primò, quia vt sententia feratur ex publicis probationibus,& allegationibus,non est merè de Iure positiuo,in quo Princeps possit dispensare, sed est de Iure gentium, quod apud omnes est receptum, & sub cuius obligatione Respublica suam potestatem in Principem transtulisse censetur (itavt si Princeps id non obseruet, in Tyrannidem declinare videatur ; cùm nihil videatur magis tyrannicum,quàm condemnare,vel absoluere, contra publicas probationes, & allegationes iudiciorum :) ergo, &c.

20 Confirmatur,quia Princeps non habet maiorem potestatem ea, quam Respublica in ipsum transtulit, (cùm omnis Principis potestas sit à Republica,) At Respublica nusquam gentium hanc potestatem in Principem transtulit (vt scilicet pro suo iudicio reos possit absoluere, tanquam innocentes, vel damnare, tanquam nocentes,contra publicas probationes, & allegationes ; cùm id esset ei dare licentiam tyrannizandi exercendi :) ergo.

21 Secundò, quia Iudex, sicut ex publica potestate, ita etiam ex publica scientia iudicare debet (cùm actus publicus procedere debeat à publica potestate, & potioria, tanquam à causa sibi commensurata :) ergo.

22 Tertiò, quia quod solus Iudex nouit, censetur adhuc occultum in iudicijs humanis, itavt reus negare possit (in sensu tamen vero, scilicet æquiuocando) si de tali crimine interrogetur : Ad hoc enim per omnes ipse ius habet ; cùm non teneatur, nisi iuridicè interrogetur, ad mentem iudicis respondere :) ergo gratuis iniuria ipsi fieret, si de tali crimine puniatur.

23 Confirmatur, quia tolleretur ei iusta sui defensio, cùm possit se defendere quamdiu crimen non est probatum; & maximè si non poterit probari.

Confirmatur secundò; quia vsurparetur in eum potestas iudicandi,cùm solus Deus sit Iudex occultorum, *cap.erubescant, dist. 32. cap.consuluisti, 2.q.4. & cap.tua nos, de simonia* :in quibus locis est sermo de occulto, quòd (quamvis in opus externum prodierit) testibus probari non potest.

24 Non obstat, si dicas : Principi supremo non minùs credendum est, quàm duobus,vel tribus testibus : ergo illius scientia,& assertio æquiualet scientiæ,& assertioni publicæ, quæ in duobus testibus esse censetur.

Respondetur enim, quod licet supremi Principis assertio in testamentis,contractibus,& alijs causis ciuilibus possit æquiualere pluribus testibus, non tamen in causis criminalibus, quando saltem agitur de aliquo condemnando ad pœnam mortis, vel mutilationis, præsertim si probationes, & allegationes sint in contrarium, & quamvis minùs incommodi sit posse absoluere, quàm posse condemnare ex scientia priuata, tamen adhuc ex probabiliori sententia absoluere non potest ex potestate publica : tum quia hæc potestas non est ipsi necessaria ad liberationem innocentis ; sufficit enim, si impediat progressum iudicij, vel apud Populum cùm iuramento testetur innocentiam rei, eo quòd v. g. tali tempore cum viderit tali loco, cum talibus, &c. Tum quia absolutio iudiciaria procedere debet ex notitia publica, secundùm formam iuris apud omnes receptam : potest tamen dici, ab-

soluere authoritate priuata, quia indicat, & testatur, reum non esse condemnandum, & fides haberi debet Principi, vtpote fide dignissimo, sed hoc nihil aliud est, quàm defendere innocentem authoritate priuata : Quod cuilibet priuato, qui id posset, licitum etiam foret.

Aduerte secundò,quod & sententia contraria (sicuti dicebam) sit etiam probabilis, præsertim si crimen sit atrox, itavt valdè expediat, quod reus puniatur, & ex alio capite non conueniat, quod diuulgetur ob infamiam coniunctam, vt si quis v. g. consanguineæ Principis vim intulerit, vel aliam iniuriam grauem Principi fecerit, solusque Princeps id nouerit ; quia in tali casu censetur consentire Respublica, quæ quod Princeps in dicto, vel simili casu ex priuata scientia reum condemnet, vel absoluat, possit consentire, probatur ; quia potest Respublica cedere iuri, quod habet in famam circa occulta, & potest etiam cedere iuri, quod habet, vt de occultis non possit ab homine condemnari, & vtrumque totum hoc ius cooferre in Principem ; ergo tunc Princeps absque vlla iniuria poterit de occultis, quæ ipse certò nouerit, condemnare, vel absoluere ; & quamvis hæc cessio Iuris esset contra rectam, & prudentem administrationem, eo quod Princeps ex malitia, vel ignorantia facilè posset peruersè iudicare, & cum magna Reipublicæ iactura hoc Iure abuti (quod non esset, si Princeps foret eius sapientiæ, & sanctitatis, vt neque falli ; neque fallere facilè posset,) tamen non esset contra iustitiam, quia quilibet potest cedere Iuri suo,ergo Princeps sic absoluendo, vel puniendo ex priuata scientia (si subesset causa digna, quæ talem pœnam mereatur) non delinqueret. 25

Aduerte quintò,quod quando non agitur de puniendo crimine, sed de euitando in posterum aliquo malo (quod Reipublicæ,vel innocenti intentatur) possit ordinariè Princeps, si alia ratio non suppetat, reum interfici iubere, quia tunc Princeps non agit vt Iudex, authoritate publica puniens, sed vt quilibet priuatus, se, vel rem sibi commissam Iure naturali defendens. 26

Aduerte sextò, quod Princeps,quantumvis certus sit de crimine, non possit similiter ordinariè condemnare reum non citatum, & non auditum. Est communis sententia Doctorum, & videri etiam poterunt quæ dicam *inf. à dubio 216. petit. 1. in principio* : Probatur, quia contrafacere esset reo auferre arma,quibus se Iure potest defendere, crimen scilicet negando (si est occultum) vel excusando eo modo, quo poterit : quod est de iure gentium, quin videtur esse de iure naturali, ex textu *in Clement. Pastoralis, circa finem*, ibi : *De crimine graui delato facultas defensionis*, quæ à iure naturali prouenit, adimi non valet,cùm illa tollere Imperatori non licuerit, quæ Iuris naturalis existunt : Quamvis sæpè sæpius in vtroque Iure id, quod propriè est de Iure gentium, dicatur esse de Iure naturali ; scilicet non primæuo, seu primario, sed secundario, sicuti suprà dicebam. 27

Dixi, *ordinariè*, quia in quibusdam casibus potest Princeps condemnare reum, tametsi eum non citatum, neque auditum. 28

Primò, quando quis machinatur Reipublicæ, vel etiam homini priuato perniciem, quæ secus auerti non poterit, sicuti dicebam *in 5. Aduertendo* ; sed hoc non tam est punire crimen commissum,quàm impedire malum impendens, sicuti dicebam *ibidem*.

Secundò, quando si iuridicè procedatur, adest periculum rebellionis, vel alterius grauis turbationis (vt si reus esset valdè potens,) Archidiaconus, & alij Canonistæ, quos citat, & sequitur Syluester *verb. homicidium 1. quæst.2.* & Nauarr. *in summa, capite 25. numero 10.* Tunc tamen debet eius causa, nisi sit omninò euidens, priuatim discuti, & examinari. 29

M Tertiò,

30 Tertiò, quando crimen est publicum; ita Doctores, quos sequitur Nauarr. *loc. supr. cit.* sic latro, vel miles, cum bellum geritur, repertus in crimine fragranti, interdum sine vlla defensione, vel processu, statim ad modum belli suspenditur: Quia factum publicum, seu notorium est loco accusatoris, & testium, nec relinquit reo ius vllum, vt se in iudicio defendat.

31 Quartò, quando crimen est etiam notum soli Principi, & tribus aliis, itavt possit iuridicè probari: Quo casu potest etiam occultè sine citatione, & probationibus reus interfici, si publicè sine graui aliquo incommodo puniri non possit; quia quando crimen sic probari potest, reus non habet iustam vllam defensionem in iudicio. Gregor. Lopez, & alij, quos citat, & sequitur Aragonius *q. 67. art. 2.* Petr. Nauarr. *n. 192.* Couarruu. *lib. 1. var. cap. 1. n. 7.*

32 Aduerte 7. quod ea quæ vsque adhuc dicta sunt de non condemnando reum ex priuata scientia, & de non condemnando reum non citatum, & non auditum (etsi præcipuè locum habent in condemnatione ad mortem, vel ad mutilationem. Tamen propter easdem rationes locum etiam habeant in priuatione bonorum, vel officiorum perpetuorum, in carcere, exilio, & simili pœna graui: ità DD. quos sequitur Nauarr. *loco suprà cit.*

COROLLARIVM IV.

Quidnam requiratur, vt duo testes plenè, seu integrè probent?

SVMMARIVM.

1 *Testes duo vt plenè, seu integrè probent, requiritur vt deponant iurati; quia absque iuramento facilius est mentiri, quàm cum iuramento.*

2 *Item requiritur, quod deponant de eodem numero facto, quia alioquin non erunt testes contestes.*

3 *Testis vnus si deponat de vna propositione heretica asserta ab alio, & alius de alia, non plenè, seu integrè probatur, quod iste sit hæreticus, &c.*

4 *Probatio tamen huiusmodi est plusquam semiplena; quia amba sunt semiplena.*

5 *Testes duo si de eadem heresi asserta deponant, & solùm in loco, vel in tempore discrepent, adhuc plenè non probant; quia licèt sit idem numero obiectum, non tamen est idem numero actus.*

6 *Testes duo vt sint contestes, debent testari de eodem facto speciali.*

7 *Testes si deponant de eadem propositione heretica, diuerso tamen loco, vel tempore asserta, neque adhuc efficiunt probationem plenam, sed solùm præsumptionem magnam.*

8 *Idem dic in causis criminalibus, in quibus probationes efficaciores requiruntur; quia in causis ciuilibus testes de pluribus factis particularibus ad vnum finem tendentibus deponentes sufficere possunt ad probationem plenam, seu perfectam.*

9 *Item requiritur, quod testes sensu externo perceperint.*

10 *Item quod sint omni exceptione maiores.*

1 RESpondetur ex communi sententia Doctorum.

Requiritur primò, quod deponant iurati. Patet *ex c. tuis quæst. de testib.* Vbi Abbas ait: Ne Episcopo quidem, vt testi, creditur in alterius præiudicium, nisi iurato. Patet etiam *ex c. nuper, eod. tit.* ibi: Nullius testimonio, quantumvis Religiosus existat, nisi iuratus deposuerit, in alterius præiudicium credi debet. Et ratio est, quia absque iuramento facilius est mentiri, quàm cum iuramento, propter reuerentiam debitam Deo optimo maximo; & ex alio capite veritas in iudiciis certissimo modo debet inuestigari: debent igitur testes esse iurati, alioquin iis non creditur in præiudicium alterius, *l. iurisiurandi, C. de testib. & attestat. c. de testibus, cap. tuis, & cap. nuper, eod. tit.* nisi ille, cuius interest, iuramentum sponte remittat, *cit. cap. tuis, iuncta Glossa, verbo Remittatur.* Porrò iurare debent, quod nulla falsitate adiecta, dicturi sint totam veritatem, quam in causa præsenti nouerint, *cap. Hortamur, 3. q. 9.* & docent communiter Doctores.

Requiritur secundò, quod deponant de eodem nume- 2
ro facto; quia alioquin non erunt testes contestes, sed testes singulares, quorum alter non confirmat dictum alterius, sed vterque suum solùm; & sic erit tantùm probatio per vnum testem: quapropter conuenire debent etiam in tempore, & loco; quia ex diuerso tempore & loco colligitur non esse idem numero factum, de quo deponunt; quod si vnus exprimat certum diem, alter dicat, se non recordari diem, valet; secùs tamen si exprimat alium diem, quia tunc putaretur aliud numero factum, nisi ipsum sit tale, vt non possit bis fieri.

Hinc sequitur, quod si vnus testis deponat de vna 3
propositione hæretica asserta ab aliquo, & alius de alia, non plenè, seu integrè probetur, quod iste sit hæreticus; quia neutra hæresis est plenè, seu integrè probata: sicut enim nemo potest probari, quod sit adulter, aut fur, nisi per duos testes probetur vnum, idemque factum externum; sic etiam nemo potest probari, quod sit hæreticus, nisi per duos testes probetur vna, eademque hæresis asserta. Caietan. *2. 2. q. 70. art. 2.* Clar. *q. 53. n. 19.* Minsinger. *centur. 2. obseru. 100.* Mascard. *vol. 2. concl. 856. n. 13.* Arnald. Albert. *tract. de cognosc. assert. cathol. q. 34. n. 6.* & Simanch. *de cathol. instit. tit. 51. n. 3.* (quidquid in contrarium dixerint Gomez *lib. 3. resol. c. 12. n. 12.* Zanchin. Vgolinus *tract. de heret. c. 13. n. 6.* & alij apud Ioan. Rojas *tract. de heret. assert. 6. n. 139.*) Quia quod ipsi dicunt, hæresim continere multas species, ac proinde si vnus testis deponat de vna hæresi, & alius de alia, plenè probetur crimen in genere, quod ex speciebus resultat; idem etiam dici posset de furto, & aliis criminibus: continent enim & ista multas species, seu facta, ex quibus resultat, aliquem esse furem, aut adulterum, &c.

Dicendum tamen quidem est, quod huiusmodi pro- 4
batio sit plus quàm semiplena, quia ambæ sunt semiplenæ, sed quia sunt de factis diuersis, non possunt facere vnam plenam, etsi vna alteri adiuncta nouum indicium, seu suspicionem adiungat.

Quod si etiam duo testes de eadem hæresi asserta 5
deponant, & solùm in loco, vel in tempore discrepent, adhuc non plenè probant. Farinac. *q. 64. n. a 16.* & alij apud Mascardum *loco suprà cit. n. 20.* (quidquid in contrarium dixerint alij cum Simanch. *vbi suprà*) quia licèt sit idem numero significatum, idem numero obiectum, seu eadem numero hæresis obiectiua, non tamen est idem numero actus, seu eadem numero hæresis formalis, sicque per omnia prædicti duo testes non sunt testes contestes. Vide quæ diffusiùs dicebam suprà *sect. 14. 15. 16. 17. 18. & 19.*

Debent igitur, vt sint contestes, testari de eodem fa- 6
cto speciali: quapropter, vti dicebam, si vnus testetur de vno furto, vel de vna hæresi, alius de alio furto, vel de alia hæresi, non efficiunt plenam criminis probationem, quæ sufficiat ad condemnandum reum pœna ordinaria (quidquid in contrarium dixerint aduersarij, scilicet quod testes singulares de diuersis actibus specificis, nempe de diuersis propositionibus hæreticis assertis deponentes, probent crimen hæresis in genere) quia cùm ex dictis per huiusmodi testes singulares plenè non probetur hæresis in specie, sequitur quod neque etiam plenè probetur hæresis in genere, cùm genus non existat, nisi in speciebus, à quibus per intellectum solummodò abstrahitur, seu præscinditur.

Quin etiamsi testes deponant de eadem proposi- 7
tione hæretica, diuerso tamen loco, vel tempore asserta, adhuc neque efficiunt probationem plenam, quia adhuc

reuera

reuera non sunt contestes de eodem facto deponentes: ideoque faciliùs contingere potest, quod vterque decipiat, & mentiatur.

Non nego tamen, quod testes singulares de diuersis actibus diuerso loco vel tempore commissis deponẽtes, licèt contra reum non efficiant probationem plenam, seu perfectam, efficiant tamen præsumptionem magnam, & plusquam probationem semiplenam (quæ propterea sufficiat ad torturam, quin & interdum ad pœnam extraordinariam inferendam, Caietanus 2. 2. *q.70.art.2.* Minsing. *cent.3.obseru.76.* Brun. *de indic.& tort.part.1.q.2.n.6.* Clar. *q.53.n.19.* & Far. *q.37.n.34.*

8 Idque iuxta mox dicta in causis criminalibus (in quibus probationes efficaciores requiruntur) quia in causis ciuilibus testes de pluribus factis particularibus ad vnum finem tendentibus deponentes (vt si v.g. in controuersia de possessione Iuris decimandi vnus testis deponat de auena, alius de tritico, alius de hordeo viso à se decimari) sufficere possunt ad probationem plenam, seu perfectam: ita Doctores, quos sequitur Gaill. *lib.2. obseru.66.* Quin & in causa criminali (si plures testes de diuersis indicijs ad eundem effectum tendentibus deponant, v.g. vnus, cum iuramento scilicet deponat de viso egressu è domo occisi, vel è loco delicti, alius de viso sanguine, alius de fuga, alius de fama publica, &c.) interdum etiam efficere possunt probationem plenam, seu perfectam, scilicet talem, per quam animus Iudicis plenè, seu perfectè informetur, Minsing. *vbi suprà, obseru.166.* Mateus Anton. Planc. *de indic.& tortur.n.368.* Arnal. Albert. *de cognosc.assert. heret. q.23.n.20.* & alij quos sequitur Farinac. *q.86. n.72.* & colligitur *ex l.3.ff.de testib.* Videri etiam poterunt quæ dicebam suprà *corollar.1.*

9 Requiritur 3. quod sensu externo perceperint, *l.solam, Cod.de testib.* (vbi Glossa communiter recepta) & *c.si testes, §.solam 4.q.3.* v.g. quod viderint quempiam furantem, vel occidentem audiuerint blasphemantem, vel detrahentem. Palpauerint rem quantam, & palpabilem, gustauerint liquorem, vel quid simile: olfecerint odorem, vel fœtorem, &c quia non possunt esse certi de facto externo, nisi per aliquem sensum: quapropter si solùm audiuerint ab aliis (cùm tunc sit dictũ de dicto) non probant plenè, sed solùm faciunt indicium ad inquirendum ab illis. Debent igitur testes deponere de sensu; si enim deponant de auditu, ideoque non de ipso crimine, sed de fama criminis, vel de alio indicio, licèt duo, vel plures sint, non ostendunt crimen esse commissum, sed tantùm afferunt criminis indicium, quod interdum sufficit ad probationem semiplenam. Bartol. *in l.vltima, ff.de quæst.* & Nauarr. *in cap.quis aliquando, §.non tibi dico, n.22.dist.1. de pœnitentia.*

10 Requiritur quartò, quod sint omni exceptione maiores: Qua de re vide *suprà in corollario 2.*

COROLLARIVM V.

An possint Inquisitores per præsumptiones condemnare aliquem pro hæretico?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores non possunt per præsumptiones condemnare aliquem pro hæretico; quia licèt ex aliquibus præsumptionibus, & indiciis fieri possit vna integra, & perfecta probatio in causis ciuilibus; non tamen potest similiter in causis criminalibus.*

2 *Præsumptiones, & indicia in fauorem fidei secundum aliquos sufficiunt ad condemnandum, quando ea plenè probantur: At secus est secundum sententiam Auctoris, quia probationes in crimine hæresis non solùm debent esse sufficientes, sed etiam luce meridiana clariores ad condemnandum hæreticum in pœna ordinaria, non autem extraordinaria.*

3 *Inquisitores per præsumptiones, & indicia plenè probata poterunt condemnare hæreticum ad pœnam extraordinariam, vt triremis, fustigationis, exilij, carceris, &c. contra alios putantes non posse nisi ad pœnam extraordinariam pecuniariam, non autem extraordinariam corporalem.*

Respondetur negatiuè, quia licèt ex aliquibus præ- 1
sumptionibus, & indiciis fieri possit vna plena, integra, & perfecta probatio in causis ciuilibus: ita Doctores cum Glossa *in l.2.ff.de excusat.tutor.* non tamen potest similiter in causis criminalibus: ita Doctores iidem cum Glossa *in cap.veniens 1.de testib.*

Et quamvis in fauorem fidei putent nonnulli, quod 2
præsumptiones & indicia sufficiant ad condemnandum quando dictæ præsumptiones, & indicia plenè probantur, & adducunt pro se textum *in l.2.circa fin.C.de hæretic.* & Innocentium *in cap.sicut, de simonia*: Et videri etiam poterit Vmbert. Locat. *in praxi Inquisit.verb.hæreticus, n.22.* & Repert. Inquisit. *verb. Probationes.*

His tamen non obstantibus, contrarium tenendum arbitror; quia probationes in crimine hæresis (cùm in ipso de maiori periculo tractetur) non solùm debent esse sufficientes, sed etiam luce meridiana clariores: atque ita tenent Zanch. *de hæret. c.13. n.4.* Menoch. *cons.82.n.16.* Riminald. *cons.686. n.46. lib.6.* & Simanch. *de cathol.instit. tit.50.n.21.& tit.51.n.2.& in Enchirid.tit.34.n.1.* Videri etiam poterit Paris. *cons.2. n.101.& seqq.lib.4.* Dec. *in tract.crim.lib.5.c.35.n.20.* & Paramus *de orig. Inquisit. lib.3.q.6.* & videtur etiam decisum *in cap. literas, de præsumptionibus.*

Quod tamen intellige quoad condemnandum hæreticum in pœna hæresis ordinaria, non autem extraordinaria, Simanch. *cit.tit.50.n.21.& cit.tit.51.n.12.* Albert. *de agnosc.q.34.n.56.& 57.* Peña *in direct.p.2.comment.80.* & Gundisaluus *de hæret.q.13.n.21.& 22.*

Quapropter poterunt Inquisitores per præsumptio- 3
nes, & indicia plenè probata condemnare hæreticum ad pœnam extraordinariam, vt triremis, fustigationis, exilij, carceris, &c. Quamvis alij cum Menoch. *cit. cons.82.n.144.* putent, quod non possint, nisi ad pœnam extraordinariam pecuniariam, non autem ad pœnam prædictam extraordinariam corporalem. Sed quoad supradicta vide quæ dicebam suprà *dub.192.sect.40. petit.14.& dub.193.sect.4.& dub.195.sect.75.* & quæ dicam *infrà dubit.227.petit.4.*

SECTIO XXI.

Quanam pœna testis, si in Tribunali Sanctæ Inquisitionis falsum deposuerit, puniri debeat?

SVMMARIVM.

1 *Testis falsus grauiter delinquit, & obnoxius est Deo, Iudici, & Innocenti.*

2 *Testis falsus dicitur non solùm is, qui mendacium dicit, sed etiam qui veritatem occultat.*

3 *Testis falsus est etiam is, qui propositionem hæreticalem, quam aliquis recitando, referendo, vel interrogando protulit, testatur illum affirmando protulisse; quia falsa est talis depositio, & crimen illi reuera non commissum imponit.*

4 *Testis falsus ab Inquisitore torqueri, & puniri debet, si in Tribunali Sanctæ Inquisitionis falsum deposuerit, & cur?*

5 *Inquisitor quod habeat hanc potestatem, est iam consuetudine receptum.*

6 *Inquisitor habet autem hanc potestatem ex rescripto Leonis X. incipiente*, Intelleximus.

7 *Inquisitor ex propria Iurisdictione sibi per delegationem concessa potest torquere, & punire reum.*

8 *Inquisitor licèt de Iure communi non possit sine Episcopo, neque Episcopus sine Inquisitore torquere reum: Nihilominus quilibet ipsorum per se potest torquere testem.*

9 *Testis si ex teste efficiatur reus, & sic veniat puniendus, non potest castigari ab Episcopo sine Inquisitore, neque è contra ab Inquisitore sine Episcopo.*

10 *Inquisitor per se, vel Episcopus per se potest hunc testem falsum torquere, & punire: Primò si torqueri debet non vt reus, sed vt testis pro depositionis scilicet factæ firmitate; quia quilibet illorum potestatem habet inquirendi, & examinandi veritatem, quovsque causa in statu sententiæ constituatur.*

11 *Inquisitor, & Episcopus, vterque simul possunt hunc testem falsum torquere, & punire, si torqueri debet vt reus, nec potest vnus sine altero; quia sic expresse deciditur* in Clem. 1. de hæreticis.

12 *Inquisitor, si loquamur de punitione, non potest sine Episcopo hunc testem falsum torquere, & punire, ex rescripto Leonis X.*

13 *Rescriptum prædictum Leonis X. directum ad Inquisitores Aragoniæ, non videtur extendendum ad alios Inquisitores, quia præiudicat iurisdictioni tam Inquisitorum, quàm Ordinariorum.*

14 *Testis falsus non est tradendus brachio sæculari pœna mortis puniendus ab Inquisitoribus particularibus, inconsulto supremo Senatu S. Inquisitionis.*

1 SVppono primò, quod testis falsus grauiter delinquat, & vt dicitur *in cap. 1. de crimin. falsi*, falsidicus testis obnoxius est tribus personis: Deo, cuius præsentiam contemnit: Iudici, quem mentiendo decipit: innocenti, quem falso testimonio lædit.

2 Suppono secundò, quod testis falsus dicatur non solùm is, qui mendacium dicit, sed etiam qui veritatem occultat. Simanch. *de cath. inst. tit. 64. n. 89.* Læl. Zech. *in summa, pars. 1. tit. de fide, rubr. de hæres. cap. 11. n. 14.* Peña *in direct. Inquis. part. 3. q. 73. comment. 122. vers. falsum autem testem*, & alij DD. communiter, quos refert, & sequitur Farinac. *q. 67. n. 220.* ex textu *in cit. cap. 1. de crim. fals.* ibi: [Vterque reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit; quia & ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat.]

3 Suppono tertiò, quod testis falsus sit etiam is, qui propositionem hæreticalem, quam tu recitando, referendo, vel interrogando protulisti, testetur te affirmando protulisse; quia falsa est talis depositio, & crimen tibi reuera non commissum imponit. Simanch. *de cathol. instit. tit. 64. rubr. de testibus, n. 89.* & Peña *3. part. director. q. 37. comment. 122. vers. nec modò sunt*, & alij communiter, quos citat, & sequitur Farinac. *q. 188. n. 42.* His suppositis.

4 Respondetur, quod testis falsus ab Inquisitore torqueri, & puniri possit.

Probatur; quia licèt inter Doctores controuersum sit, an delegatus possit testem, alioquin sibi non subditum, si in suo tribunali delinquat, punire; ex communiori tamen sententia Couarruuiæ *pract. quæst. cap. 18. n. 8.* Peñæ *loco suprà citato, vers. quantum ad primum*, Farinacij *q. 67. n. 50. & seqq.* & aliorum potest, si sit delegatus Principis: ergo à fortiori poterit Inquisitor, qui non solùm est delegatus Principis, scilicet Pontificis, ad vnam causam, sed etiam ad plures causas criminales.

5 Confirmatur, quia quod Inquisitor hanc potestatem habeat, est iam consuetudine receptum, de qua consuetudine testantur Peña *loco suprà citato*, & Farinacius *cit. q. 188. n. 40.*

6 Confirmatur secundò, quia quod similiter Inquisitor dictam potestatem habeat, extat rescriptum Leonis X. incipiens, *Intelleximus*, de quo mentionem facit Peña *in fine directorij inter literas Apostolicas*, & Farinacius *vbi suprà.*

7 Et quidem quod Inquisitor testem falsum ex propria Iurisdictione sibi per delegationem concessa torquere, & punire possit, tenent in crimine Speculat. *tit. de teste, n. 44.* Abbas *in cap. 1. de crimin. fals. n. 9.* Direct. Inquis. *part. 3. q. 73.* & *ibi* Peña *comment. 122. vers. quantum ad primum.* Læl. Zech. *in sum. p. 1. tit. de fide, rubr. de hæres. c. 11. n. 14.* & alij quos sequitur Farin. *de hæres. q. 188. §. 2. n. 40.* Quia Inquisitores, & Episcopi possunt per se solos inquirere in causa fidei, & testes examinare: ergo etiam poterunt efficere ea omnia, quæ ad talem Inquisitionem requiruntur (inter quæ requiritur testes torquere, & punire) nam cui est concessus finis, censetur etiam eidem esse concessa media; & cui est concessa facultas aliquid efficiendi, censetur etiam eidem esse concessa facultas faciendi ea, quæ ad talem facultatem exercendam necessaria sunt, *cap. præterea, c. prudentia, verb. explorasi, de offic deleg. & l. 2. ff. de iurisd. omn. iud.*

Et quamvis (vt infrà dicam) de Iure communi non 8
possit Inquisitor sine Episcopo, neque Episcopus sine Inquisitore torquere reum, nihilominus quilibet ipsorum per se, sine altero, potest torquere testem: *Director. Inquisit. 3. p. q. 73.* & *ibi* Peña *comment. 122. vers. Alterum est.* Tabiena *verb. Inquisit. n. 36.* Zanch. *tract. de hæret. c. 14. n. 3.* & *ibi* Campeg. *vers. ex his iam*: Quia (sicuti dicebam) quilibet ipsorum per se in crimine hæresis potest inquirere, & expedire ea, quæ ad plenam causæ cognitionem necessaria sunt: ergo si necesse fuerit (ad hoc vt plena causæ cognitio habeatur) torquere testes, poterit quilibet ipsorum per se id efficere.

Quod si contigerit, vt ex teste efficiatur reus, tunc 9
Inquisitor non poterit sine Episcopo, neque Episcopus sine Inquisitore reum torquere: *Director. Inquis. part. 3. in 12. modo terminandi processum fidei, n. 209. & q. 73.* & *ibi* Peña *comment. 122. vers. ad tamen*, & alij passim, iuxta ea, quæ mox infrà dicentur.

PETITIO.

An solus Inquisitor, vel solus Episcopus possit hunc testem falsum torquere, & punire?

Respondetur, & dico primò, iuxta ea, quæ mox su- 10
prà dicebam, si torqueri debet non vt reus, sed vt testis, pro depositionis scilicet factæ firmitate, sine dubio quilibet illorum in causa procedens prædictum testem falsum torquere potest, quia quilibet illorum potestatem habet inquirendi, & examinandi veritatem, quovsque causa in statu sententiæ constituatur: constat autem, quod ad hunc effectum necessaria sit sæpè testis tortura: Ergo sequitur, quod quilibet illorum prædictum testem falsum torquere possit.

At si torqueri debet vt reus (quod contingit, cùm 11
specialiter contra ipsum de nouo formatur processus) tunc vterque simul, scilicet Inquisitor, & Episcopus, torquere debet, neque potest vnus sine altero; quia sic expressè deciditur *in Clem. 1. de hæret. §. propter, vers. duro tamen tradere carceri*, & habetur in præcepto Leonis X. apud Peñam *loc. suprà cit.* & docent Eymer. *3. p. Directorij, q. 73. n. 4.* Peña *cit. comment. 122. vers. alterum est*, & alij quos suprà citabam.

Dico secundò: si verò de punitione loquamor (li- 12
cèt spectato rigore Iuris possit Inquisitor sine Episcopo, vel è contra, testem coram se notoriè, & manifestè falsum punire pœna extraordinaria, quia quilibet Principis delegatus in causa criminali hanc potestatem habet, Couarr. *pract. c. 18. n. 8.* Clar. *in pract. §. final. q. 38. vers. sed quæro nunquid*, Farinac. *q. 67. num. 48. & 49.* & de quolibet delegato delicta puniendi iurisdictionem habente, Facbin. *cap. 9. lib. 26.* ex textu *in l. nullum, C. de testib.*) Nihilominus quia existit rescriptum Leonis X. (quod incipit, *Intelleximus*) ad Inquisitores Aragoniæ remissum apud Peñam *cit. comment. 122. circa finem* (in quo cauetur, ne possit Inquisitor sine Episcopo hunc testem falsum damnare) dicendum est, quod ita in praxi obseruari debeat. Vide Doctores communiter,

niter, quos sequitur Peña *loco suprà citato*, & Farinac. *quæst.* 188. *num.* 41.

13 Cæterùm, cùm supradictum Leonis X. rescriptum iurisdictioni ordinariæ, & delegatæ quodammodo præiudicet, limitat enim Inquisitori, & Episcopo testes falsos puniendi potestatem, quam ius illis integram concedit. Ideò ad alios Inquisitores, & Episcopos, præter deputatos Aragoniæ (de quibus solis, teste Peña vbi suprà, prædictum rescriptum loquitur) extendendum non esse, aliquibus Doctoribus videtur.

14 Aduerte tamen, quod (si interdum contingat, testem falsum sæculari Iudici morte puniendum tradi) debeat id ab Inquisitoribus particularibus, consulto supremo Senatu fieri, & non aliter, quia cùm agatur de vita hominis, quæ est res valdè grauis, & in iure hac pœna testem falsum afficiendum esse, non ita certum sit, expedit ne cuiuslibet Inquisitionis particularis iudicio negotium committatur. Salzedo *pract. cap.* 93. *vers. in Romana*, Peña *cit. comment.* 122. *vers. iam quamuis*, & alij, quos sequitur Farinac. *q.* 188. *n.* 53.

SECTIO XXII.

An testis falsò hæresim alicui imponens, pœnâ mortis damnari, & Curiæ sæculari tradi debeat?

SVMMARIVM.

1 *Testis falsò hæresim alicui imponens pœna mortis puniri debet, & Curiæ sæculari tradi; quia in aliis causis testis falsum alicui imponens punitur eadem pœna, qua puniretur testificatus, si verum esset crimen, quod ipsi objiciebatur.*

2 *Leo X. in citato rescripto remisit Inquisitoribus punitionem testis falsi pro qualitate criminis, & circumstantiarum, etiam vsque ad traditionem, & remissionem faciendam brachio sæculari, & hoc absque periculo irregularitatis.*

3 *Doctrina prædicta, videlicet quod testis falsus puniendus sit eadem pœna, qua puniri deberet testificatus, si crimen obiectum esset verum, non potest verificari, nisi cum falsò alicui hæresim imponit; nam si imponat crimen aliquod inferius, minori pœna est puniendus.*

4 *Testis falsus in crimine hæresis ex consuetudine iam recepta punitur pœna arbitraria, quæ rarò, vel ferè nunquam ad pœnam mortis; sed solùm ad pœnam fustigationis, vel triremis, vel ad vtramque pœnam simul extenditur.*

5 *Testis falsò hæresim alicui imponens pœna mortis damnari, & Curiæ sæculari tradi debet, si ob ipsius falsam depositionem testificatus, vt negatiuus condemnatus fuit, & obiit: ita vt in hoc casu testis falsus nullo modo admitti debeat ad pœnitentiam, sicut hæreticus admittitur ad reconciliationem.*

6 *Testis falsò hæresim alicui imponens, si veritas tamen manifestetur, priusquam testificatus mortis pœnam subiret: Probabilius etiam est, attento rigore iuris, quod non debeat pœna mortis puniri; quia pœna talionis, saltem in foro Ecclesiastico non est in vsu.*

7 *Neque in hoc casu est textus aliquis in iure, qui cogat illi mortis pœnam imponi.*

8 *Nulla differentia est, saltem attento iuris rigore inter testem falsò imponentem hæresim alicui de hæresi nunquam damnato, & inter testem falsò imponentem hæresim alicui iam de illa damnato; quia in vtroque casu testificatus, si in forma maneret falsi testis depositio, morti tradendus erat; at non ita secundùm Authorem. Vide ibi.*

9 *Testis falsus si se ipsum deferat, & complices, si fortè habeat, plenè manifestet, mitiùs cum ipso agendum est: ita vt nullo modo morti tradi, sed solùm carceri, vel exilio, vel triremi damnari debeat.*

10 *Testis falsi depositio, si ex aliquo capite nulla fuit, non ob inde falsi pœnam integrè effugiet; sed solùm ordinariam; extraordinariam enim arbitrio iudicis omninò subire debebit, quia verè iniuriam irrogare tentauit, falsitatem commisit, & iudicium offendit.*

11 *Testi falsò mandans, iubens, vel pretio, aut alio modo persuadens, vt falsum deponat, eadem pœna punitur, qua in crimine hæresis punitur testis falsus, quia per ipsum non stetit, quod nocumentum ob suum falsum testimonium proximo illatum non fuerit.*

12 *Testis falsus cum in causa fidei punitur, debent simul interuenire Episcopus, & Inquisitor.*

13 *Testis falsus in crimine hæresis non admittitur ad pœnitentiam, sicut admittitur hæreticus, nisi spontè se ipsum ad Inquisitores deferat, séque falsum dixisse confiteatur.*

Respondetur affirmatiuè, & quidem quod vniuer- 1
saliter, seu in omni causa, testis falsus pœna talionis puniri debeat, docent Alex. *cons.* 55. *lib.* 7. Iason *in l. eis lege, n.* 5. *Cod. si contra ius, vel vtil. publ. & in §. item si quis postulante, n.* 54. *inst. de action.* Soccin. *cons.* 185. *lib.* 2. Corset. *singul.* 52. Guido Pap. *decis.* 44. Nellus *tract. de testibus, §. falsus testis, num.* 231. Bald. *in cap.* 1. *§. iniuria, de pace iuramento firmanda, in vsib. feud. & in l.* 2. *Cod. de reb. credit.* Conar. *in cap. quamuis, de pactis lib.* 6. *part.* 1. *§.* 7. *num.* 6. Petr. Dueñas *regul.* 26. *vers. quod tamen*, & Bernard Diaz *in pract. crim. canonic. cap.* 87. *ex l.* 1. *§. præterea, ff. de sicariis*, vbi dicitur, quod testis, si falsum deponat in causa homicidij, puniendus sit tanquam homicida.

Quod autem specialiter, seu in causa hæresis, testis falsus puniri debeat etiam pœna talionis, & sic Curiæ sæculari tradi cum publicatione bonorum, docent Salzedo *tract. in addit. ad Bernard. Diaz, cap.* 93. *vers. hic sanè*, Rojas *tract. de hæret. part.* 2. *assert.* 8. *num.* 156. *& seqq.* Læl. Zecb. *in summa, part.* 1. *de fide, rubr. de hæresi, cap.* 11. *num.* 14. Simanch. *de Cath. instit. tit.* 64. *rubr. de testib. num.* 86. *&* 90. *& in Enchirid. tit.* 38. *num.* 2. *&* 3. & Anton. Gomez *in l. Tauri* 83. *num.* 8.

Probatur, quia in aliis causis testis falsum alicui imponens punitur eadem pœna, qua puniretur testificatus, si verum esset crimen, quod ipsi objiciebatur, *ex cit. textu in l.* 1. *§. præterea, de sicariis*, ibi: [Qui falsum testimonium dolo malò dixerit, quo quis publico iudiciò rei capitalis damnaretur:] Et ex textu *in cap. fatis hinc, in fine,* 33. *q.* 5. vbi postquam dictum fuerat, virum falsò accusantem de adulterio vxorem suam, non debere pœna mortis damnari, subditur: [In aliis autem falsis eum, qui testimonio falso cuiquam nocuerit, quod si probaretur, ius sit occidi, eadem plecti iubemus pœna, qua fuerat, si verum esset, testis plectendus:] Et concordat lex Regia 83. Tauri: Ergo & in causa fidei testis crimen alteri falsum imponens pœna mortis damnari debet; cùm talis sit pœna, quæ testificato imponeretur, si crimen, quod ipsi objiciebatur, verum esset.

Probatur 2. ex rescripto Leonis X. apud Peñam 2
part. 3. *Directorij, q.* 73. *comment.* 122. *vers. postremò Leonis*, vbi Pontifex Inquisitoribus remittit punitionem testis falsi pro qualitate criminis, & circumstantiarum, etiam vsque ad traditionem, & remissionem faciendam brachio sæculari, & hoc absque periculo alicuius pœnæ, seu censuræ Ecclesiasticæ, & absque periculo etiam irregularitatis: at nullus potest esse casus, in quo hæc pœna testi falso imponenda sit, nisi cum is, de quo ipse deponit, illam, si verum esset crimen, quod objiciebatur, subire debebat: Ergo in tali casu testis falsus pœna mortis puniri debet.

Probatur 3. ratione, quia crimen hæresis grauius

est aliis criminibus, *cap. vergentis, de haret.* cùm reus propter tale crimen priuetur vita, fama, & cæteris bonis, & descendentes ipsius etiam exinde maximsm incurrant infamiam.) Ergo testis, qui falsum deponit in hac materia, puniri debet pœna grauiori, quàm si falsum deponat in alia materia, vt per se patet. Et probant, præter alios, Simanch. *in Enchirid. tit.* 38. *num.* 1. & Peña *in Direct. Inquisit. part.* 3. *q.* 73. *comment.* 122. *vers. ad primum.* At si falsum deponant in alia materia, pœna mortis puoitur: Ergo, &c.

Confirmatur, quia in Tribunali sanctæ Inquisitionis reo non publicantur nomina testium, & denunciantium: ergo testis falsus in hac materia puniri debet grauiùs, quàm testis falsus in alia materia, cùm reus, non publicatis sibi nominibus testium, & denunciantium, vix possit suam innocentiam tueri; sicque detur improbis maior ansa imponendi falsum, seu ferendi testimonium falsum: Ergo puniri debet pœna mortis.

ADVERTENDA.

3 Aduerte tamen, quod dixerim, testem falsum pœna mortis puniendum esse, casu quo testificatus illam, si verum esset crimen, quod ipsi objiciebatur, subire debebat, quod verificari non potest, nisi cùm falsò hæresim alicui imponit: Nam si imponat crimen aliud inferius, ob quod testificato pœna mortis imponenda non esset, clarum est, quod neque testi talis pœna imponenda sit, sed alia mitior, v.g. fustigationis, triremis, exilij, vel pecuniæ, &c. arbitrio prudentis Iudicis. Peña *cit. comment.* 122 *vers. cæterum, & vers. quod si leniter nocuerit,* Læl. Zech. *in sum.* 1. *part. tit. de fide, rubr. de haresi, cap.* 11. *n.* 14. Simanch. *de Cathol. instit. tit.* 64. *rubr. de testib. n.* 90. *&* 91. & alij, quos sequitur Farinac. *quæst.* 188. *num.* 51.

4 Aduerte 2. quod iam consuetudine receptum sit, testem in crimine hæresis falsum, pœna arbitraria puniri, quæ tarò, vel ferè nunquam ad pœnam mortis, sed solùm ad pœnam fustigationis, vel triremis, vel ad vtramque pœnam simul extenditur. Director. Inquisit. *part.* 3. *rubr. de forma procedendi, & condemnandi falsos testes, num.* 209. vbi inquit, quod falsus testis in crimine hæresis puniri consueuerit ad pœnam perpetui carceris, & ad standum ligatis manibus, & capite discooperto, & in camisia vsque ad horam prandij in scala, seu porta Ecclesiæ, & ibi Peña *comment.* 48. *lit. E,* idem Direct. *part.* 3. *quæst.* 73. *num.* 2. *&* 4. & ibi Peña *comment.* 122. *vers. sed iam,* Simanchas *tit.* 74. *num.* 91. Sousa *in aphor. Inquisit. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 24. Bariola *in aphor. lit. T, vers. testis,* §. 8. Zanchin. *tract. de haret. cap.* 14. *n.* 1. & ibi Campeg. *in addit. lit. A, vers. ex his;* Repertor. Inquisit. *verb. testes, vers. nunc videndum est,* Salzedo *cap.* 93. *vers. in Romana quidem Curia,* & alij, quos sequitur Farinacius *cit. q.* 188. *num.* 39. (vbi ait, quod in supremo vrbis, totiusque Christianæ Reipublicæ sanctæ Inquisitionis Tribunali regulariter falsus testis pœna mortis non puniatur, sed vel, vt suprà dicebam, fustigetur, vel ad triremes transmittatur, vel simul ad vtramque pœnam condemnetur) *& de testibus, q.* 67. *num.* 29. Et ratio esse potest, quia is, cui falsò hæresis crimen imponitur, etiamsi verum esset crimen impositum, mortem necessariò non subiret, sed pœnitens illam, nisi relapsus sit, euitare posset: Ergo testi falso non est pœna mortis absolutè imponenda, sed alia mitior, æqualis illi, quam hæreticus verus, & pœnitens subire debebat.

5 Aduerte 3. quod valdè probabiliter (consulto tamen supremo Inquisitionis Senatu, iuxta ea, quæ dicebam *suprà sect.* 21. *in fine*) pœna mortis tamen damnari, & Curiæ sæculari tradi debeat testis falsò alicui hæresim imponens, si ob ipsius falsam depositionem testificatus, vt negatiuus, condemnatus fuit, & obiit; ita vt in hoc casu, sicuti tradunt Baldus, Cynus, Ioan. Andreas, & Abbas *in cap. excommunicamus* 2. *de haretic.* Peña 3. *part. director. comment.* 122. *circa finem, vers. quæsitum est,* & Farinac. *q.* 188. *num.* 43. Talis testis falsus admitti non debeat ad pœnitentiam, sicut hæreticus admittitur ad reconciliationem.) Simanch. *tit.* 64. *n.* 90. *&* 91. Peña *cit. comment.* 122. *vers. illi verè.* Salzed. *in addit. ad pract. criminal.* Diaz, *cap.* 93. *lit. B,* & alij complures, quos citat, & sequitur Farinacius *de testib. q.* 67. *num.* 14. *&* 21. Ratio, quia in dicto casu prædictus testis non solùm vt testis falsus, sed vt verè homicida puniri debet; idemque dicendum arbitror, si testificatus in carcere existens obiret, quia & in hoc casu etiam testis falsus videtur, quod sit causa mortis testificati.

Aduerte 4. quod si testis falsò hæresim alicui impo- 6
nat, veritas tamen, priusquam testificatus mortis pœnam subiret, manifestetur, probabilius, etiam attento rigore Iuris, sit quod tunc testis talis non debeat pœna mortis puniri, quia pœna talionis, saltem in foro Ecclesiastico, non est vsu recepta.

Accedit, quod præterea in hoc casu non est textus, 7
qui cogat illi mortis pœnam imponi; quia textus *in citato cap. satis hinc,* præterquam quod non est Pontificis, sed Augustini, non probat, quod prædictus testis puniri debeat eadem pœna, qua puniendus erat testificatus, si de facto testificatus illa punitus non fuit; Quinimmò dictus textus potiùs indicat contrarium in illis verbis, *Cùm qui testimonio falso cuiquam nocuerit:* quæ verba nocumentum non attentatum, sed nocumentum cum effectu denotant: Quod & clariùs indicat etiam rescriptum Leonis X. quatenus ibi conceditur facultas liberè procedendi sine timore irregularitatis aduersus eos, qui vel tacendo verum, vel deponendo falsum, vel instigando ad hanc falsam depositionem occiderunt, vel membro aliquo mutilarunt, vel bonis suis omnibus, aut maiori parte exspoliarunt, &c. Ex quibus verbis clarè colligitur, quod textus de teste cum effectu damnificante solùm loquatur: Obstare tamen videtur lex regia 83. Tauri. At cùm illa in crimine hæresis, vtpote Ecclesiastico, disponere non possit, sequitur quod in hoc crimine pœna mortis, quando cum effectu in testificatum executa non est (licèt exequenda foret, si verum esset crimen, quod objiciebatur) in testem falsum neque exequenda sit.

Atque ita nobiscum sentiunt complures Doctores, quos citat, & sequitur Farinac. *quæst.* 188. *num.* 48. *& q.* 67. *num.* 16. *& seqq.* vbi loquens generaliter de teste deponente falsum in causa capitali, in qua effectus non est secutus, affirmat quod talis testis pœna capitali puniri non debeat; quia ex consuetudine iamdiu recepta affectus, non sequuto effectu, non punitur eadem pœna, qua punitur effectus: cùm non videatur iustum, quod testis deponens falsum, ob cuius depositionem falsam nullum testificato damnum illatum est, puniatur eadem pœna, qua punitur testis deponens falsum, ob cuius depositionem falsam testificato pœna mortis obuenit. Quamvis contrarium sentire videantur Bartolus *in l. si quis legatum, ff. ad leg. Cornel. de falsis,* Salicet. *in l.* 1. *Cod. de sepulchro violato.* Iulius Clarus *in §. falsum, vers. tu scis,* & Peña 3. *part. direct. quæst.* 73. *comment.* 122.

Aduerte 5. quod (saltem attento Iuris rigore) nulla 8
differentia sit inter testem falsò imponentem hæresim alicui de hæresi nunquam damnato, & inter testem falsò imponentem hæresim alicui iam de illa damnato; quia in vtroque casu testificatus, si firma maneret falsi testis depositio, morti tradendus erat. Siquidem in vtroque casu mori debebat, vt impœnitens negatiuus, cùm secundùm probabilem sententiam nemo crimen hæresis non commissum licitè fateri possit: Ergo si testis falsò imponens hæresim alicui aliàs damnato, morte puniendus est, etiam eadem morte puniri debet testis falsò imponens hæresim ei, qui

nunquam

nunquam de illa damnatus fuit; quamvis hoc, vt verum fatear, in imponente falso hæresim illi, qui aliàs de hæresi fuit damnatus, efficaciùs procedat; cùm iste nolla via, nisi falsitas detegeretur, à morte liberari possit, quia siue hæresim impositam neget, siue illam fateatur, mortem prædictam euitare non potest, quandoquidem in vno casu damnaretur vt negatiuus, in altero damneretur vt relapsus: At testificatus de hæresi, aliàs de illa nunquam damnatus, retinet adhuc aliquam viam euadendi mortem, si scilicet crimen fateatur, quod an fieri possit, dicam infrà *dubit.* 200, 201. *&* 202.

9 Aduerte 6. quod si testis falsus se ipsum deferat, & complices (si fortè eos habeat) plenè manifestet, mitiùs cum ipso agendum sit: ita vt nullo modo morti (nisi solùm in casu, quo testificatus mortem subiisset) tradi, sed solùm carceri, vel exilio, vel triremi damnari debeat. Simanchas *de Cathol. inst. tit.* 64. *num.* 95. *& in Enchirid. tit.* 38. *num.* 6. *&* 7. Læl. Zecch. *in sum. part.* 1. *tit. de fide, rubr. de hæresi, cap.* 11. *num.* 14. Peña 3. *part. director. comment.* 122. *circa finem, vers. multis modis*, & alij, quos citat, & sequitur Farinac. *citat. quæst.* 188. *num.* 43.

10 Aduerte 7. quod si ex aliquo capite testis falsi depositio nulla fuit (eo quòd deponendo v.g. non iurauerit, vel ob aliam causam, &c.) non ob inde falsi pœnam integrè effugiat, iuxta ea quæ dicebam in aduertendo 4. sed solùm ordinariam. Extraordinariam enim, arbitrio iudicis, omninò subire debebit, quia verè iniuriam irrogare tentauit, & falsitatem commisit, & iudicium offendit. Vide Doctores communiter, quos citat, & sequitur Farinac. *q.* 67. *§.* 6. *num.* 159.

11 Aduerte 8. quòd eadem pœna (qua in crimine hæresis punitur testis falsus) puniatur etiam ille, qui testi, vt falsum deponat, mandat, iubet, vel pretio, aut alio modo persuadet. Simanch. *de Cathol. inst. tit.* 64. *n.* 96. *& in Enchirid. tit.* 38. *n.* 8. Læl. Zecch. *in summa, part.* 1. *tit. de fide, rubr. de hæresi, cap.* 11. *num.* 14. Ignat. Lopez *in addit. ad Diaz in pract. crimin. canon. cap.* 93. *lit. B*, & Peña 3. *part. director. q.* 75. *comment.* 122. vbi subdit (& tenent Bartol. *in l. si quis legatum, ff. ad leg. Cornel. de fals.* Salicet. *in l.* 1. *Cod. de sepulchro violato*, & Iulius Clarus *in §. falsum, vers. an scis*) quod testis falsus, quamvis ipsius depositio ex eo quod deponendo iuramentum non adhibuerit, adhuc puniatur, etsi mitiùs, iuxta ea, quæ dicebam suprà *in aduertendo* 4. *&* 7. quia per ipsum non stetit, quod nocumentum ob suum falsum testimonium proximo illatum non fuerit. Vide quæ dicam infrà *sect.* 24. *per totam.*

12 Aduerte 9. quod cùm testis falsus in causa fidei puniatur, debeant simul Episcopus, & Inquisitor interuenire. Direct. Inquisit. *part.* 3. *in* 12. *modo processum fidei terminandi, n.* 29. & ibi Peña *comment.* 122. *vers. illa etiam est*, & patet ex iis, quæ dicebam suprà *sect.* 21. *& ex rescripto Leonis X. apud Peñam loco citato*, ibi: [Et quod si aliquis testis falsum deponeret in dicto Inquisitionis officio, per iudices Ecclesiasticos ordinarios Diœcesis, in qua falsum huiusmodi committeretur, & per dictæ hæreticæ prauitatis Inquisitores in eadem Diœcesi pro tempore deputatos simul, ita vt alius sine alio procedere non posset, puniretur.]

13 Aduerte 10. quod testis falsus in crimine hæresis ad pœnitentiam (sicut admittitur hæreticus) non admittatur, nisi spontè seipsum ad Inquisitores deferat, seque falsum dixisse confiteatur, & tunc adhuc puniatur, quamvis mitiùs, iuxta ea quæ dicebam suprà *in aduertendo* 6. Et videri poterit etiam Peña *in eodem comment.* 122. *vers. cùm verò*, Læl. Zecch. *in summa, part.* 1. *tit.* 64. *num.* 94. *& in Enchirid. tit.* 38. *num.* 6. *&* 7. & Ioannes Rojas *in tract. de hæret. part.* 2. *assert.* 8. *num.* 156.

SECTIO XXIII.

An pœna mortis puniri, & Curiæ sæculari tradi debeat testis falsus pro defensione rei, seu qui falsum deponit pro defensione rei, negando v.g. hæresim, quam reum commisisse, rectè nouit?

SVMMARIVM.

1 *Testis falsus pro defensione rei, seu qui falsum deponit pro defensione rei, negando v.g. hæresim, quam reum commisisse, rectè nouit, licèt nonnulli affirment quod puniendus sit pœna mortis, & tradendus Curiæ sæculari; probabilius tamen est, quod puniendus sit pœna arbitraria, quæ tamen non accedat ad pœnam mortis, nisi fortè contingeret aliquis casus extraordinarius, ex quo graue damnum Reipublicæ immineret, quia nullibi reperitur, quod pœna mortis imponatur testi, si in defensionem rei falsum deposuerit.*

2 *Qui occultat hæresim grauiùs delinquit, quàm qui deponit falsum, illam imponendo; cùm ille offendat diuinam Maiestatem, iste autem humanam: at non inde sequitur, grauiùs esse puniendum; quia sæpè contingit, grauiora peccata leuioribus pœnis humanis puniri, vel quia ea non sunt ita frequentia, vel quia non reputantur Reipublicæ ita perniciosa.*

3 *Qui occultat veritatem, delinquit contra fiscum, & Rempublicam, & dignus est grauiori pœna, quàm qui delinquit contra priuatum.*

4 *Qui est causa alicui damnationis temporalis, pœna mortis punitur, consequenter multò magis puniri debet qui est causa damnationis æternæ.*

5 *Processus formari potest contra huiusmodi testem falsò hæresim occultantem, de crimine fautoriæ, sicque tanquam hæreticorum fautor condemnari.*

Respondetur, quod quamvis simpliciter affirment Peña 3. *part. direct. comment.* 122. *vers. par ratio eorum*, Læl Zecch. *Summa part.* 1. *tit. de fide, rubr. de hæresi, cap.* 11. *num.* 14. *vers. quod si testes*, & complures alij. Probabilius tamen sit, quod si testis pro defensione rei falsum deponat, negando v.g. hæresim, quam reum commisisse, rectè nouit, & ipse illam reuelare obligatus est, pœnâ arbitrariâ (quæ tamen non accedat ad pœnam mortis, nisi fortè contingeret aliquis casus extraordinarius, in quo ex falsa depositione testis, & occultatione veritatis graue damnum Reipublicæ immineret,) solùm puniri debeat. Simanchas *de Cathol. instit. tit.* 64. *rubr. de testib. num.* 90. *ex quadam instructione Toletana*, & alij complures, quos citat; & sequitur Farinac. *q.* 188. *n.* 49. & loquens generaliter de testibus: idem Farinac. *quæst.* 67. *num.* 18. 1

Probatur, quia nullibi cautum reperitur, quòd pœna mortis imponatur testi, si in defensionem rei falsum deposuerit; si quidem rescriptum Leonis X. suprà *sect. præcedenti* allegatum, in quo Pontifex æqualiter de depositione falsa contra reos, vel in fauorem illorum loquitur, hanc pœnam illis non imponit, sed solùm pœnam arbitrariam vsquè ad relaxationem brachio sæculari, quam relaxationem non est necesse, quod intelligatur deberi omnibus, sed sufficit, si intelligatur deberi illis, qui sua falsa depositione causa fuerunt, vt aliquis morti iniustè traderetur. Textus autem *in l.* 1. *§. præterea, ff. de sicariis*, & textus *in cap. satis hinc*, 33. *q.* 5. (quos citata sectione præcedenti adducebam.) expressè loquuntur de teste deponente falsum contra reum, non autem de teste falsum deponente in defensionem rei, seu pro reo: Ergo ex huiusmodi depositione falsa

non

non est, cur dicatur, inferendam esse tali testi pœnam tam grauem, sed solùm pœnam fustigationis, vel triremis, vel vtramque simul.

2 Objicies, qui occultat hæresim grauiùs delinquit, quàm qui deponit falsum, illam imponendo (cùm ille offendat diuinam Maiestatem, iste autem humanam:) Ergò grauiùs puniri debet.

3 Confirmatur, quia qui occultat veritatem, delinquit contra fiscum, & Rempublicam, sicque ex textu *in auth. multò magis, C. de Sacrof. Eccles.* dignus est grauiori pœna, quàm qui delinquit contra priuatum: Ergo.

4 Confirmatur 2. quia qui est causa alicui damnationis temporalis, pœna mortis punitur: Ergo multò magis pœna mortis puniri debet, qui est causa pluribus damnationis æternæ, vt est in casu nostro, cùm qui occultat veritatem, causa sit, vt hæreticus defensus, & alij per ipsum morte perpetua damnentur, & vita æterna priuentur: Ergo, &c.

Respondetur ad argumentum principale; nego consequentiam, quia sæpè contingit, grauiora peccata leuioribus pœnis humanis puniri, vel quia grauiora illa peccata non sunt ita frequentia, vel quia non reputantur Reipublicæ ita perniciosa, sicuti patet in periurio, & sacrilegio, quæ leuiori pœna, quàm homicidium, vel adulterium, puniuntur; cùm tamen sint grauiora peccata, & directè diuinam Maiestatem offendant. Vt omittam, non esse ita certum, quòd grauiùs diuinam Maiestatem offendat ille, qui per falsam depositionem hæreticum occultat, quàm qui Catholicum hæreticum reputari facit, cùm iste non solùm hominem, sed etiam Deum, & Rempublicam valdè grauiter offendat.

5 Aduerte tamen, quod contra huiusmodi testem falsò hæresim occultantem possit formari processus de crimine fautoriæ; sicque tanquam hæreticorum fautor condemnari; illa tamen tunc non erit condemnatio ob præcisam falsitatem, sed potiùs ob fauorem, & auxilium ex illa hæretico tributum.

SECTIO XXIV.

An quod dicebam de teste falso, idem dicendum sit de corrumpente precibus, vel pretio testem, vt falsum deponat?

SVMMARIVM.

1 *Dicta de teste falso pariter dici debent de corrumpente precibus, vel pretio testem vt falsum deponat. Idemque dic de mandante, vel persuadente ad falsum testimonium, vel etiam de mandante alicui, vt testem corrumpat, quia omnes hi falsitatis causa esse videntur efficaciores, & principaliores.*

1 REspondEtur affirmatiuè; idemque dico de mandante, vel persuadente ad falsum testimonium, vel etiam de mandante alicui, vt testem corrumpat. Læl. Zech. *sum. part. 1. tit. de fide, rubr. de hæres. cap. 11. n. 14. vers. quod si testes,* Simanch. *de Cathol. inst. tit. 64. rubr. de testib. num. 96. & in Enchirid. tit. 38. n. 8.* Peña 3. *part. directi comment.* 122. *vers. atque hoc ipsum.* Salzed. *pract. cap. 93. vers. & quod de testib.* Locatus *in prax. Inquis. in casibus Placentiæ discussis, casu 5.* Sousa *in aphor. Inquis. lib. 2. cap. 8. num. 28.* & alij communiter, quos citat, & sequitur Farinac. *q. 188. n. 44.*

Probatur primò ratione, quia omnes hi falsitatis causæ videntur esse efficaciores, & principaliores.

Secundò probatur authoritate ex citato rescripto Leonis X. ibi: [Qui ad talia committenda minis cogunt, vel pecunia alliciunt, &c. & paulò post, aut alium ad falsum deponendum, aut verum tacendum induxisse, &c.] Vide quæ dicebam suprà *sect. 22. aduertendo 8.*

PETITIO.

An, & quomodò procedendum sit contra falsum testem?

SVMMARIVM.

1 *Testis falsus in crimine hæresis, tam in Romana, quàm Hispanica Inquisitione regulariter non punitur pœna talionis, neque traditur Curiæ sæculari, contra aliquos Doctores id asserentes ob rationem, quæ vrget imponendi tales pœnas, ne cùm non publicentur nomina testium, maior occasio præbeatur improbis ferendi falsum testimonium; punitur tamen grauius, quàm in aliis criminibus puniendus sit, verbi gratia fustigatione publica, & triremium, mitra infami, exilio, & carcere etiam perpetuo.*

2 *Excipe, nisi quis ex eadem falsa testificatione fuerit morte affectus, vel combustus, quia tunc probabiliter talis testis puniendus erit pœna talionis. Inquisitores tamen inferiores id facere non possunt, inconsulto supremo Inquisitionis Senatu, quia tam grauis pœna sine lege expressa canonica, prætextu cuiuslibet opinionis huius, vel illius Doctoris facilè imponenda non erit, cùm Constitutio Leonis X. non sit vbique recepta.*

3 *Testis falsus prædictus, siue puniendus sit, siue non, non debet abiurare; secus tamen si testimonium fuerit falsum in fauorem hæretici, ratione fautoriæ, &c.*

4 *Inquisitores possunt procedere non solùm contra testem falsum, sed etiam contra eum, qui precibus, minis, pretio, vel quocumque alio modo corruperit testem, vt falsum in sacro Inquisitionis Tribunali contra quempiam deponeret, contra Bertu Zelum, &c.*

5 *Inquisitores possunt etiam procedere eisdem pœnis contra mandantes, vel corrumpentes testem falsum.*

6 *Filij, & nepotes testis falsi (etiam in casu, quo testis falsus ob pœnam talionis combustus fuerit) non subduntur eisdem pœnis, quibus subduntur filij, & nepotes hæreticorum.*

REspondetur ex dictis suprà *sect. 21. 22. 23. & 24.* quod (licèt Antonius Gomez *in l. Tauri 83. n. 8.* Rojas *de hæres. part. 2. n. 156.* Zechius *in summa, tem. 1. de hæres. cap. 11. n. 14.* & alij, quos citabam *sect. 22. n. 1.* putent, quod falsus testis condemnandus sit pœna talionis, tum ex Constitutione Leonis X. in qua decernitur, quod testis falsus, qui innocentem tanquam hæreticum opprimere voluerit, Curiæ sæculari tradendus sit. Tum ex ratione, quia in crimine hæresis maior, quàm in aliis criminibus, vrget ratio, vt imponatur pœna talionis, cùm in crimine hæresis nomina testium reo non publicentur; sicque maior ferendi falsum testimonium ansa improbis præbeatur) contrarium tamen regulariter, tam in Inquisitione Romana, quàm in Hispanica practicatur. Vide Doctores communiter, quos citabam *sect. 22. aduertendo 2.* ex quibus videatur præcipuè Sousa *in Aphor. Inquisit. lib. 2. cap. 8. num. 27.* vbi expressè ait, quod testis falsus in crimine hæresis grauiùs, quam in aliis criminibus puniendus sit, regulariter tamen Curiæ sæculari non tradatur, sed in publicum spectaculum, ligatis manibus, & pedibus, discooperto capite in camisia producatur, fustigetur, ad triremes mittatur, aliisque pœnis, vt mitra infami, exilio, & carcere, etiam perpetuo, puniatur; & Bariola *in aphorism. lit. T, verb. testis, §. 8.* vbi inquit, quod ex inueterata consuetudine testis falsus in sancto Officio ad tempus condemnetur. 1

Dixi, *regulariter*, quia si ex falsa testificatione quis fuerit morte affectus, vel combustus, tunc valdè probabiliter

babiliter falsus testis poniendos erit pœna talionis: ita Doctores, quos citabam *citata sect. 22. aduertendo 3.*

Quod tamen ab Inquisitoribus inferioribus faciendum erit consulto supremo Inquisitionis Senatu, & non aliter: *ita* Doctores, quos citabam *sect. 22. in fine*, ex quibus videatur præcipuè Farinac. *quæst. 158. n. 51.* & Salzed. *in addit. 6. ad practicam criminalem* Diaz, *cap. 93. lit. B.* vbi ait, quod in Romana Curia supremus, & generalis Inquisitionis Senatus testem falsum sæculari Curiæ tradere non soleat, sed cum aliis pœnis puniat: quapropter quotiescumque talis casus euenerit, inferiores Inquisitores, inconsulto supremo Inquisitionis Senatu, non debent testem falsum Curiæ sæculari puniendum tradere. Atque adeò si testis falsus de vera, & formali hæresi deposuerit contra quempiam (qui vt hæreticus negatiuus combustus fuit, cuiusque bona publicata fuerunt) & inferiores Inquisitores pro tam graui crimine iudicauerint, ad condignam punitionem testem falsum sæculari Curiæ esse tradendum, debent consulere generalem Inquisitionis Senatum, quia tam grauis pœna sine lege expressa Canonica, prætextu cuiuslibet opinionis huius, vel illius Doctoris facilè imponenda non erit, cùm Constitutio illa Leonis X. non sit vbique recepta, neque Pontifex Leo voluerit vt ea, tanquam lex vniuersalis, obseruaretur: Si igitur inferiores Inquisitores cum propria auctoritate punire voluerint, pœna perpetui carceris, vel condemnatio ad triremes ei, producto priùs in publicum spectaculum, imponenda erit.

5 Aduerte tamen hic, quod dictus testis falsus in omni casu (siue reus Curiæ sæculari tradatur, siue aliis pœnis, vt suprà, puniatur) minimè abiurare debeat; quia in omni casu non cadit abiuratio: Secus si pro defensione rei falsum coram Inquisitoribus (negando scilicet hæresim, quam reus reuera commiserat) deposuerit; quia tunc tanquam fautor hæreticorum, debebit abiurare fautoriam pro qualitate suspicionis, & vt plurimùm puniri pœna extraordinaria, verbi gratiâ fustigationis, aut triremis, vel loco triremis, si fuerit fœmina, carceris, aut exilij, vel vtraque simul: ita Doctores, quos sequitur Simanch. *tit. 64. num. 90.*

4 Aduerte 2. quod Inquisitores possint procedere non solùm contra testem falsum, sed etiam contra eum, qui precibus, minis, pretio, vel quocumque alio modo corruperit testem, vt falsum in sacro Tribunali Inquisitionis contra quempiam deponeret: ita Doctores, quos citabam *sect. 22. aduertendo* 8. *& sect. 24.* (quidquid in contrarium minùs rectè dixerit Bertazolus *cons. 62. vol. 1.* vbi vult, quod licet Inquisitores possint procedere contra testem falsum, non tamen possint procedere contra mandantes, vel corrumpentes testem, vt falsò coram ipsis Inquisitoribus deponat, quia sic expresse decreuit Leo X. in sua Constitutione edita die 14. Decembris, anno 1518. ibi: [Aut alium ad falsum deponendum, &c.] Tum quia est eadem ratio, quinimmò maior, cùm is qui mandat, vel corruperit testem, vt falsum testimonium coram Inquisitoribus deponat, animum nocendi priùs habuerit, & alium ad tantum scelus impulerit, aut saltem induxerit.

5 Aduerte 3. quod Inquisitores ob easdem iam dictas rationes possint etiam contra dictos mandantes, vel corrumpentes testem falsum procedere eisdem pœnis, quibus procedere possunt contra ipsum testem falsum: vide Doctores, quos adducebam *locis suprà citatis*, & hoc colligitur etiam ex Concilio Bituricensi, *cap. 26.*

6 Aduerte 4. quod filij, & nepotes testis falsi, etiam in casu quo testis falsus ob pœnam talionis combustus fuerit, non subdantur eisdem pœnis, quibus subdantur filij, & nepotes hæreticorum: quà de re tamen dicam commodiùs *sect. sequenti.*

SECTIO XXV.

An quod suo loco dicebam de filiis, & nepotibus hæreticorum, idem dicendum sit de filiis, & nepotibus falsi testis in crimine hæresis condemnati?

SVMMARIVM.

1 *Dicta de filiis, & nepotibus hæreticorum, dicè non debent de filiis, & nepotibus falsi testis in crimine hæresis condemnati, quia hi non redduntur infames, neque obnoxij aliis pœnis, quibus redduntur filij, & nepotes hæreticorum; quia nullibi id in iure reperitur cautum.*

Respondetur negatiuè; ita vt filij, & nepotes falsi testis in crimine hæresis, etiam in effectu ad pœnam mortis condemnati, & in effectu etiam combusti, non reddantur infames, neque obnoxij aliis pœnis, quibus redduntur filij, & nepotes hæreticorum. Læl. Zech. *cit. c. 1. 1. n. 14. vers. quod si testes falsum deponunt*, Simanch. *de cath. instit. tit. 64. rubr. de testib. num. 92. & in Enchirid. tit. 36. num. 5.* Peña *cit. comment. 122. circa finem, vers. postremò quæsitum est*, Sanchez *lib. 2. moral. cap. 27. num. 25.* & alij passim, quos refert, & sequitur Farinac. *cit. q. 188. num. 54.* & Sousa *in aphor. Inquisit. lib. 2. cap. 8. num. 51.* 1

Probatur, quia nullibi id in iure reperitur cautum, & ex alio capite pœnæ potiùs restringi, quàm ampliari debent, *cap. odia, de regul. iuris in 6. & cap. pœna, de pœnitentia dist. 1.* Præsertim, quia neque militat eadem ratio (tùm magis delinquat hæreticus, quàm falsus testis) & consequenter filij, & nepotes testis falsi non sunt ita grauiter puniendi, sicut filij, & nepotes hæreticorum. Tum etiam, quia non est vsu receptum, quod filij, & nepotes testis falsi afficiantur eisdem pœnis, quibus afficiuntur filij, & nepotes hæreticorum.

Sed vt cætera, quæ ad materiam de testibus in communi pertinent, sciantur, sint petitiones sequentes.

PETITIO I.

An, & in quibus casibus, iudice præcipiente, vel iuramentum deferente, tenearis testari, vel denunciare?

SVMMARIVM.

1 *Testis, vel denunciator Iudice præcipiente, vel iuramentum deferente, tenetur denunciare primò, si auctor laboret infamia criminis.*

2 *Secundò, si de auctore crimen sit semiplenè probatum, quia tunc crimen incipit esse publicum non minùs, quàm per infamiam.*

3 *Tertiò, si quamvis auctor infamia criminis non laboret, & crimen de auctore non sit semplenè probatum, tamen ab eo bono publico immineat damnum in futurum.*

4 *Quartò, si procedatur via accusationis, & crimen plenè probari possit; quia & in hoc casu testis citatus testari tenetur.*

5 *Obligatus in conscientia ad denunciandum, seu ad accusandum sine præcepto Iudicis; tenetur sponte id agere, si videat testimonium suum esse necessarium.*

6 *Testis, iudice præcipiente, tenetur veritatem sibi cognitam aperire, & de crimine testari, si Iudex competens legitimè, iustè, seu iuridicè interroget.*

7 *Testis legitimè interrogatus, vel examinatus, &c. si tergiuersari,*

giuersari, variare, vel veritatem per malitiam celare velit, interdum torqueri potest.

8 *Testis qui per errorem, vel obliuionem falsum deposuit, debet suum testimonium, seu dictum ante sententiam latam reuocare.*

1 RESpondetur: Teneris primò, si auctor laboret infamia criminis, iuxta ea, quæ dicebam suprà *dubitat. 185. petit. 3.* ex communi sententia Doctorum.

2 Secundò, si de authore crimen sit semiplenè probatum, quia tunc crimen incipit esse publicum, non minùs, quàm per infamiam: Ergo si teneris testari posita infamia, teneberis etiam testari posita semiplena probatione, cùm iam cesset ratio (cur possis excusari) scilicet infamatio rei de crimine occulto.

3 Tertiò, si (quamvis author infamia criminis non laboret, & crimen de authore non sit semiplenè probatum) tamen ab eo immineat bono publico, vel etiam personæ priuatæ damnum in futurum (quod alia ratione, quàm per Iudicem, auerti non potest) quia tunc etiam charitas absque præcepto Iudicis obligat ad spontè testandum, & denunciandum. In his tribus casibus Iudex habet auctoritatem præcipiendi testificationem, & denunciationem; vnde si præceperit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & tu non obedieris, incurres excommunicationem; quia tenebaris obedire; quin & spontè teneris ex charitate absque præcepto Iudicis in tertio casu, sicuti dicebam, & præter alios dicit Nauar. *cap. 17. num. 34. & seqq. & cap. 25. num. 46. & 47.*

4 Quartò, si procedatur via accusationis, & crimen plenè probari possit; quia & in hoc casu etiam tu testis citatus testari teneberis, vti colligitur *ex l. inuitus, ff. de testib. à contrario sensu.* Et probatur, quia si in hoc casu tu testis cogi non posses testari, nemo auderet accusare: non enim posset, nolente teste, probare; & sic videretur calumniator, quod in damnum publicum redundaret.

5 Adde, quod quando quis accusauit, vel denunciauit, eo quòd in conscientia ad hoc obligaretur, tunc teneris etiam spontè sine præcepto Iudicis te in testem offerre ex charitate, iuxta ea, quæ suprà dicebam, & docet Nauarrus *cit. cap. 25. num. 47.*

6 Quod tamen intellige, si vides testimonium tuum esse necessarium, ad damnum scilicet innocentis proximi vitandum.

Breuiter igitur, iuxta ea, quæ dicebam, teneris veritatem tibi cognitam aperire, & de crimine testari, si Iudex competens legitimè, iustè, seu iuridicè (eo quòd scilicet hominis infamia, semiplena probatio, iusta accusatio, criminis denunciatio, vel alia ad testes examinandos sufficientia indicia præcesserint) interroget, examinet, vel testimonium exigat: sic D. Thomas 2. 2. *q. 70. art. 1.* Gabriel *in 4. dist. 15. q. 6. art. 2. concl. 7.* & alij communiter; & patet *ex titulo lib. 2. decret. de testib. cogend.* & probatur etiam ratione, quia iusto superioris præcepto obediendum est.

7 Adde, quod si legitimè interrogatus, vel examinatus, &c. tergiuersari, variare, vel veritatem per malitiam celare velis, interdum etiam torqueri possis: sic Clar. *quæst. 25.* & alij passim, quos sequitur Farinac. *quæst. 66. num. 96. & seqq.*

8 Adde 2. quod si falsum, quamvis per errorem, vel obliuionem, &c. deposueris, debeas tuum testimonium, seu dictum, si te prodesse posse speres, ante sententiam latam reuocare, saltem ad hoc, vt non sis testis integer, seu omni exceptione maior. Nauar. *cap. 25. numero 40. iuxta Textum in cap. præterea, de testibus cogend.*

PETITIO II.

An, & in quibus casibus, Iudice præcipiente, vel iuramentum deferente, è contra non tenearis testari, vel denunciare?

SVMMARIVM.

1 *Testis, vel denunciator in aliquibus casibus, etiam Iudice præcipiente, non tenetur testari, & primò si nouerit delictum ex confessione Sacramentali, etiamsi inde Republica salus penderet.*

2 *Secundò, si nouerit sub secreto consilij, vel auxilij petendi causa ad salutem animæ, vel corporis personæ delinquentis, vt si sit aduocatus, medicus, obstetrix, vir Doctus, vel valdè notus; alioquin enim auerteretur homo à petendo consilio.*

3 *Iudex licèt legitimè inquirat, vt officio suo, & Reipublicæ satisfaciat: Tamen testis, qui modo recensito nouit, non tenetur, nec potest patefacere, quin id vergeret in damnum publicum communitatis, cùm auerteretur in futurum à consiliis; secus tamen est, si testificatio, vel denunciatio necessaria sit ad damnum aliquod publicum, vel priuatum auertendum, quia tunc promissio secreti, etiam iuramento firmata, obligationem non induceret.*

4 *Consiliarius, qui accepit sub sigillo secreti, vt consilium, vel remedium misero delinquenti adhiberet, non tenetur reuelare, quando Iudex iuridicè interrogat, si nescit testem notitiam accepisse cum pacto iusti secreti; quia tùc non præsumitur Iudex vellere ad reuelandũ obligare, nisi agatur de malo in futurũ impediendo.*

5 *Testis non tenetur tertiò reuelare, si notitiã criminis per iniuriam accepit, v.g. literas aperiendo, vel hominem per vim, aut per metum ad reuelandum compellendo.*

6 *Testis neque tenetur testificari, si auctor non laboret infamia criminis, neque damnum timeatur in futurum; quãvis nonnulli putent, quod in tali casu contra iustitiã non sit, si testetur, vel denũciet, modo tamen crimẽ non sit ita occultum, quin aliquo modò possit probari.*

7 *Neque contra iustitiam est secundùm alios, si quando crimen est publicum, & auctor occultus, sed contra reum, si solum quis viderit deponere.*

8 *Testis quartò non tenetur testari, si procedatur via accusationis, vt putet delictum non posse probari, quod solùs cum accusatore nouerit. Potest tamen testari, si velit, & faciet semiplenam probationem, qua reus poterit subjici torturæ.*

9 *Neque sextò tenetur si ex testificatione, seu denunciatione aliquod notabile damnum sibi, vel suis imminens, quia non tenetur cum tanto incommodo.*

10 *Nec septimò tenetur manifestare, si quid acceperit via iustæ cõpensationis, cũ nõ potuerit aliter suũ obtinere.*

11 *Neque tenetur manifestare, si nouerit ab aliis, de quibus non recordatur, vel ab authoribus incertis, vel ab iis, qui non sunt fide digni. Neque expedit, vt reuelet eos, qui fide digni non sunt, quia reus exponeretur periculo iniustæ pœnæ, & infamiæ.*

12 *Amplia etiamsi audiueris à fide dignis, si tamen ipsi etiam testari sint.*

13 *Persona exempta, vel priuilegiata neque coguntur esse testes, v.g. Clerici coram Iudice sæculari; admittuntur tamen valentes.*

14 *Parentes contra liberos neque coguntur esse testes, vel liberi contra parentes.*

15 *Denũciare, vel accusare nõ tenetur, qui nõ potest probare.*

16 *Denunciare, testari, vel reuelare cùm quis iuratus non tenetur, nec iuratus tenetur, modò iuramentũ restrinxerit interna restrictione, quæ casũ præsentẽ excludat.*

17 *Iurans sine huiusmodi restrictione tenetur reuelare, vt iuramento satisfaciat.*

RESpondetur, non teneris primò, si noueris ex confessione Sacramentali, quin immò tunc nulla ratione potes, etiamsi inde Reipublicæ salus penderet: 1
vide

vide Doctores communiter, quia sigillum confessionis Sacramentalis, vtpote spirituale, est in superiori ordine ad omne temporale.

2 Secundò, si noueris sub secreto consilij, vel auxilij petendi causa ad salutem animæ, vel corporis personæ delinquentis (vt si sis aduocatus, medicus, obstetrix, vir doctus, aut valdè amicus, &c.) quia tunc non potes testari, nec denunciare: Tamen si de authore criminis sit infamia, vel semiplena probatio, vel via accusationis procedatur. Nauar. *cit. cap.* 25. *n.* 46. Molina *de iust. tract.* 4. *disp.* 5. *n.* 3. Corduba *lib.* 1. *q.* 33. *dub.* 2. & alij quos sequitur Petr. Nauar. *de restit. lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 122. (quamvis contrarium sentiant alij cum Abbate *in cap. intimauit, de testib. n.* 3. & cum Soto *de secreto, membr.* 2. *q.* 7. *concl.* 4.) quia non debet obesse, quod consilij, vel auxilij petendi causa quis se alteri bona fide patefecerit; alioquin auerteretur homo à petendo consilio, quæ res vergeret in damnum publicum communitatis.

3 Non obstat, si dicas cum aduersariis: Iudex habet ius inquirendi, dum est infamia, vel semiplena probatio, &c. Ergo tu, qui nosti, teneris patefacere, etiamsi sub iuramento promiseris secretum seruare; cum tua promissio, & tuum iuramentum non possit iuri Iudicis præiudicare.

Respondetur enim: nego consequentiam, quia (licèt Iudex legitimè inquisat, vt officiò suo, & Reipublicæ satisfaciat) tu tamen, qui sic nosti, (sicut etsi ex confessione Sacramentali nouisses) non teneris, nec potes patefacere ob rationem dictam, quia scilicet id vergeret in damnum publicum communitatis, cùm tunc multò magis bono publico communitatis expediat, vt potius taceatur, quàm vt quidquam pateat; quapropter in hoc casu datur quædam species belli vtrimque iusti; dum iudex iustè à teste petit, & testis iustè Iudici denegat. At si testificatio, vel denunciatio ad damnum aliquod publicum, vel priuatum auertendum necessaria sit, vltro concedo, quod promissio secreti (etiam iuramento firmata) obligationem non inducat, quia nullum iuramentum promissorium in damnum iniustum testis redundans obligationem inducit; ac proinde in tali casu patefacere illum tenesis, non secus ac si non promisisses, nec iurasses.

4 Et quidem teneris, si acceperis sub sigillo secreti, vt consilium, vel remedium misero delinquenti adhiberes, quando iudex iuridicè interrogans nescit te notitiam cum pacto iusti secreti accepisse, quia tunc non præsumitur Iudex velle te ad reuelandum obligare, nisi agatur de malo in futurum impediendo, cùm alioquin miseris hominibus omne iustum solamen, consilium, vel remedium intercluderetur.

At si Iudex, secretum tibi (Aduocato, vel Medico, &c.) commissum esse sciens, vel suspicans, legitimè inquirat, eo quòd scilicet præcesserit criminis infamia, vel semiplena probatio, &c. Tunc licet Abbas, Sotus, & quidam alij simpliciter putent, quod veritatem aperire debeas, quia vt inquiunt ipsi, priuatum pactum de secreto tegendo, etiam iuramento firmatum, non potest Iuri Magistratus præiudicare. Id tamen tantùm verum mihi videtur, si ponamus, quod crimen occultum ex alio capite scires, vt si v. g. socius criminis, vel casu interueniens te in nullo casu reuelaturum, etiam iuramento, promiseris; quia tunc non potuisti etiam tali iuramento, seu tali promissione iurata præiudicare judici, quominùs illo juridicè interrogante, manifestare tenearis. Ita Doctores, quos sequitur Molina *de iustitia, disp.* 5. *num.* 8. Sin verò notitiam criminis merè præteriti, & in futurum non perniciosi acceperis ab ipsomet criminoso cum pacto, ac valuti onere reticendi, ex huiusmodi pacto nullum Magistratui, vel Reipublicæ damnum, seu præiudicium infertur; cùm si tale pactum reticendi expressum, vel tacitum non interuenisset, criminis notitiam non habuisses: quapropter, cum huiusmodi pactum in se de iure naturali iustum sit, ex probabiliori sententia Doctorum iudex non potest illius manifestationem tibi imperare. Vide Doctores, quos sequitur Molina *loco suprà citato, n.* 3. rectè subdens, quod & idem dicendum sit, si tu, cui sub secreto crimen commissum est, personæ tertiæ (quamvis iniustè, & nullo interposito pacto) manifestes, quia sicuti tu reuelator Iniuriam intulisti rem secretam manifestando, sic tertia illa persona iniuriam augeret, & extenderet vlteriùs rem eandem reuelando.

Tertiò, si notitiam criminis, vel alterius secreti per iniuriam (v. g. literas aperiendo, vel hominem per vim, aut per metum ad reuelandum compellendo) acceperis, quia tunc Iudici etiam legitimè interroganti manifestare iustè non poteris; cùm non minùs ex delicto, quàm ex voluntario pacto contrahatur iustitiæ obligatio ad damnum alicui datum non extendendum, sed potiùs, quantum fieri poterit, resarciendum. Vide Doctores, quos sequitur Molina *loco suprà citato, num.* 5. 5

Quartò, si author non laboret infamia criminis, nec damnum timeatur in futurum (vt si v. g. per secretam correctionem corrigendus speretur) non teneris, quando proceditur via Inquisitionis, contra illum testari, nec denunciare, etiamsi tu cum duobus, vel tribus aliis id noueris: ita Doctores, quatenus cum Petro Nauarra *de restit. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 219. inquiunt, quod si crimen sit occultum, ita vt nulla publica de eo indicia adsint, quamvis fortè duobus, vel tribus cognitum fuerit, hoc casu non teneatur quis de eo testificari, nisi crimen perniciosum sit: Et quatenus docent, quod iudex tunc non possit inquirere, vel si possit, id non sit ex eo, quod iurisdictionem in criminosum occultum habeat, sed ex eo, vt satisfaciat Reipublicæ, quæ vt criminosi exterreantur, sicque se à committendis criminibus contineant, exigit fieri diligentem inquisitionem, non tamen exigit patefieri criminosos. Quapropter & hîc etiam datur quædam species belli vtrimque iusti, sicuti suprà dicebam. Ita ex communi sententia Doctorum præter alios docent Syluest. *verb. Inquisitio, n.* 7. *& verb. correctio, n.* 6. Armilla *eodem verbo Inquisitio, n.* 10. & Petr. Nauarra *de restit. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 168. 6

Quamuis nonnulli putent, quod in tali casu contra iustitiam non sit, si testeris, vel denuncies. Modò tamen crimen non sit ita occultum, quin aliquo modo possit probari; quia qui (inquiunt ipsi) probare potest, propter bonum publicum communitatis, ius testandi, & accusandi, vel denunciandi habet, cùm sic ad criminosos exterrendos, & coërcendos expediens sit. Vide quæ dicebam *suprà dubit.* 184. *petit.* 1.

Addunt alij, quod neque contra iustitiam sit, si quando crimen est publicum, & author occultus, contra eum (etiamsi solus videris, seu noueris) tanquam testis cum iuramento deponas; quia efficies probationem semiplenam, qua posita, Iudex etiam ad torturam ex officio procedere potest. Vide quæ dicebam *citata dub.* 184. *petit.* 2. 7

Quintò, si procedatur via accusationis, & tu testis eo quòd solus cum accusatore noueris, putes rem non posse probari, non tenesis testari, quia tunc accusator, nisi forsan id ad malum impediendum fuerit necessarium, non potest accusare. Potes tamen testari, si velis, & efficies semiplenam probationem, poteritque iudex contra reum, eum torturæ subjiciendo, ex officio procedere, quia consuetudine receptum est, quod nec accusatio Inquisitionem, nec Inquisitio accusationem impediat, quodque hæc duo remedia possint in principio, medio, & fine totius causæ simul concurrere, & alterum alteri succedere, seque ad inuicem adminiculare, & coadiunare. Videri poterit præter alios Gomez *tom.* 3. *cap.* 13. & Iulius Clarus *lib.* 5. *pract. criminalis, q.* 3. 8

Sextò, si ex testificatione, vel denunciatione aliquod notabile damnum tibi, vel tuis immineat, neque teneris, quia non teneris testari, vel denunciare cum tanto incommodo, nisi sic (eo quòd crimen Reipublicæ per- 9

nicioſum ſit, & alia ratione impediri non poſſit) exigat bonum publicum, quod præferri debet priuato. Nauar. *cap.* 25. *n.* 50. Couar. *quaſt. pract. cap.* 18. & alij paſſim.

10 Septimò, ſi iudex quærat, quiſnam quid acceperit, neque teneris, quia & in tali caſu pateſacere non teneris eum, qui (cùm non poſſet aliter ſuum obtinere) cauſa iuſtæ compenſationis accepit. Vide Doctores communiter, quos ſequitur Nauar. *cap.* 17. *num.* 115. & Petrus Nauar. *de reſtit. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 226. quia præceptum ſuperioris procedit ex præſumptione alicuius iniuſtitiæ, quæ in caſu noſtro locum non habet.

Si igitur ſcias Titij factum, de quo interrogaris, à peccato, & pœna alienum eſſe (vt ſi v. g. ſicuti dicebam, Titius rem alienam abſtulit gratiâ compenſandi, vel graui neceſſitate ductus, aut ſi ex ignorantia, vel inaduertentia hominem pro fera occidit) manifeſtare quidquam non debes, quia ſicuti etiam dicebam, interrogatio iudicis procedit ex præſumptione commiſſæ culpæ, ſecundùm quam Iudicis intentionem rectè negas factum Titij tibi cognitum eſſe, ſicut & Titius ipſe negare poteſt in eodem ſenſu, etiam iuratus, vt mox infrà dicam circa finem petitionis præſentis.

11 Octauò, ſi noueris ab iis, quos non recordaris, vel ab authoribus incertis, vel ab iis, qui non fide digni, neque teneris teſtari, vel denunciare. Vide Doctores communiter, quos ſequitur idem Nauar. *cap.* 24. *n.* 46. quia hoc perinde eſt, ac ſi non noſſes.

Quod adeò verum eſt, vt neque expediat, vt reueles eos, qui dixerunt, ſi fide digni non ſint, quia reus exponeretur periculo iniuſtæ pœnæ, & infamiæ, quandoquidem fortaſſe iudex, qui neſcit fidem eorum infirmam, eis credet, & ex eorum teſtimonio reo pœnam inferet.
12 Similiter neque teneris teſtari, vel denunciare, etiamſi noueris ab iis, qui ſunt fide digni; ſi tamen hi teſtati fuerunt vel denunciauerunt, aut teſtabuntur, vel denunciabunt, quia tunc ſupra illos tu nihil authoritatis addes, ſicque quid inutile erit; ad actum autem inutilem nemo tenetur.

13 Adde iis, quæ dicebantur, quod neque coguntur eſſe teſtes perſonæ exemptæ, vel priuilegiatæ, v.g. Clerici coram iudice ſæculari, *l. inuiti, ff. de teſtib. & cap. ſi teſtes, §. item lege Iulia* 4. *q.* 3. Admittuntur tamen volentes, Gloſſa *in cit. l. inuiti, verſ. non licet*, quam Gloſſam ſequuntur alij Doctores communiter. Deinde dictæ perſonæ teſtificari etiam debent in aliorum teſtium, ac probationum defectum; Clerici tamen coram ſuo Iudice Eccleſiaſtico, vel eo conſentiente, coram Iudice ſæculari, Gloſſ. *in cap. quanquam, verb. coram ſe*, 14. *q.* 2. & alij paſſim, quos ſequitur Gayll. *lib.* 1. *obſeru.* 100. *n.* 16.

14 Adde 2. quod eſſe teſtes neque etiam cogi, & admitti poſſunt parentes contra liberos, vel liberi contra parentes, *l.* 5. *Cod. de teſtib.* exceptis delictis atrocibus (vt hæreſis, læſæ Maieſtatis, veneficiorum) ſi alij teſtes haberi non poſſent, Clar. *q.* 24. *num.* 22. Nauar. *cap.* 24. *num.* 50. Binsfeldius *de confeſſ. malef. memb.* 2. *in principio*, & alij, quos ſequitur Farinac. *q.* 54. *num.* 171. Nec etiam ordinariè eſſe teſtes cogi poſſunt frater contra fratrem, Gener contra Socerum, vel Socer contra Generum, *l. lege Iulia, ff. de teſtib.* quamuis in criminibus exceptis, & interdum in ſubſidium tales perſonæ eſſe teſtes cogi poſſint.

Cæterùm aduerte hîc, quod omnia quæ dixi, deſeruiant pro Monitoriis, & excommunicationibus, in quibus Doctores, iuxta ea, quæ mox ſuprà dicebam, excuſant etiam à teſtando, & reuelando conſanguineos, & affines vſque ad quartum gradum, ex eo, quia expedit bono communi, ne ſuſcitentur, & gignantur rixæ, & inimicitiæ inter conſanguineos, & affines.

15 Aduerte 2. quod ſi non poſſis probare (vt ſi ſolus noueris) non teneris, etiamſi ſuperior præcipiat, denunciare, vel accuſare. Nauar. *cap.* 17. *num.* 136. & alij communiter: quod intellige de denunciatione, vel accuſatione, quæ fit tanquam iudici, & in ordine ad punitionem) ſi tamen agatur de teſtando, ſatis eſt ſi noueris, quia vt teſtis non teneris probare.

Aduerte 3. quod in omni caſu, in quo non teneris 16
teſtari, denunciare, vel reuelare iniuratus, neque etiam tenearis iuratus, modò iuramentum tuum reſtrinxeris interna reſtrictione, quæ caſum præſentem excludat; vt ſi Iudice præcipiente, iures te dicturum veritatem, quam noſti, mente reſtringas, *quatenus iure teneor*, quia quotieſcumque, iudice præcipiente, non teneris teſtari, denunciare, vel reuelare, iudex tibi non poteſt obligationem imponere, quod ſecundùm mentem ipſius iures. Quapropter æquiuocando, abſque eo quod committas mendacium, poteris in alio ſenſu tibi commodo iuramentum proferre. Cauere tamen debebis, ne deprehenſa veritate à iudice, periurus puteris, & falſi pœna plectaris.

Aduerte 4. quod ſi ſine huiuſmodi reſtrictione iu- 17
raueris, tenearis, vt iuramento ſatisfacias, reuelare quidquid ſine peccato reuelare poteris.

PETITIO III.

An tenearis ratione falſi teſtimonij ad compenſationem damni, quod exinde ſequitur?

SVMMARIVM.

1 *Teſtis qui vel ſciens, vel ex ignorantia craſſa culpabili falſum dixit teſtimonium, ratione cuius alter iniuſtè damnum patitur, tenetur ad compenſationem illius inſolidum, quia per iniuriam eſt cauſa efficax totius damni.*

2 *Teſtis ad nihil tenetur, ſi reus iam erat de crimine conuictus, licèt teſtimonium ſit falſum, quia etſi eſt iniurius, non tamen eſt cauſa damni efficax.*

3 *Teſtis ſi ſuo falſo teſtimonio fuit ſolùm cauſa augmenti pœnæ, vel damni, tenetur ſolùm ad illud augmentum compenſandum.*

4 *Teſtis ſi ob ſuum falſum teſtimonium alter plectendus ſit pœna capitis, vel mutilatione membrorum, quamuis ſubiturus ſit ipſemet talem pœnam, ſi profuturum putet, tenetur ſe retractare, quia tenetur cum pari damno ſuo damnum, quod alteri iniuſtè parauit, impedire.*

5 *Quilibet magis tenetur conſulere vitæ ſuæ, quàm vitæ alterius, quando cætera ſunt paria, ſeu quando ſumus in cauſa pari innocentiæ.*

6 *Ad falſum teſtimonium dicendum qui alios induxit, ex iuſtitia tenetur eos monere, vt dictum falſum teſtimonium ſuum retractent, quod ſi noluerint retractare, debent, ſi profuturum putet, totam ſuam malitiam Iudici manifeſtare, etiamſi immineret periculum vitæ.*

7 *Secus dic de illo, qui falſum teſtimonium dixit ex ignorantia, inaduertentia, vel obliuione non damnabili, ſaltem non mortifera.*

8 *Item is probabiliter non tenetur in iſto caſu cum periculo vitæ ſuæ dictum ſuum retractare.*

Reſpondetur, quod ſi vel ſciens, vel ex ignorantia 1
craſſa culpabili dixeris falſum teſtimonium, ratione cuius alter iniuſtè damnum patitur, tenearis ad compenſationem illius inſolidum: ita Doctores cõmuniter, & probatur, quia per iniuriã es cauſa efficax totius damni. Hinc ſequitur, quod ſi reus iam erat per alios teſtes conuictus, & falſum teſtimonium tuum accedens nihil effecit, ad nihil tenearis, quia licèt iniuriam reo facias, non tamen es cauſa efficax damni, cùm damnum ſufficienter ex prioribus teſtimoniis iam illatum cenſeatur.

Sequitur 2. quod ſi tamen falſum teſtimonium tuum accedens effecit, vt reus maiorem pœnam, vel maius damnum pateretur, tenearis ſolùm quoad augmentum pœnæ, vel damni; quia ſolùm quoad augmentum pœnæ, vel damni cauſa efficax fuiſti.

Sequitur

4 Sequitur tertiò, quod si falsum testimonium tuum effecit, vt reus mortem, vel mutilationem passurus sit, tenearis illud (si sic profuturum putes) quamvis ipse similis pœnæ periculum subeas, retractare: ita DD. etiam communiter, & probatur, quia quilibet damnum, quod alteri iniustè parauit, tenetur (etiam cum pari damno suo, sicuti patet in restitutione honoris, famæ, vel pecuniæ, &c.) impedire, ne sequatur; cùm in pari damno melior esse debeat conditio Innocentis.

5 Non obstat, si dicas: quilibet magis tenetur consulere vitæ suæ, quàm vitæ alterius: Ergo non teneris consulere vitæ alterius cum periculo vitæ tuæ.

Respondetur enim, id verùm esse quando cætera sunt paria, seu quando sumus in causæ pari innocentia; vt si vita alterius sit in periculo sine culpa tua, secùs autem si sit in periculo culpâ tuâ.

6 Sequitur quartò, quod si alios ad falsum testimonium dicendum induxeris, ex iustitia tenearis eos monere, vt dictum falsum testimonium suum retractent; quod si noluerint retractare, teneris (si sic profuturum putes, vt innocens liberetur) totam malitiam tuam (quamvis exinde tibi certa mors immineret) iudici manifestare, ob rationem dictam. Videri poterit præter alios Petrus Nauarra *de restitut. lib.* 2. *c.* 3. *n.* 253.

7 Sequitur quintò, quod si tamen falsum testimonium dixeris ex ignorantia, inaduertentia, vel obliuione non damnabili, saltem non mortifera (ratione cuius fit, quod aliquis damnetur) ad compensationem damni, probabiliter non tenearis; quia tunc non teneris ratione rei acceptæ (cum nihil exinde habeas) neque teneris ratione iniustæ damnificationis (cùm non deliqueris saltem mortiferè, sicuti suppono:) Atqui probabiliter non teneris ad compensationem damni, si non deliqueris mortiferè (cùm obligatio compensationis, vel æstimationis sub peccato mortali, seu graui, non possit oriri, nisi ex iniuria graui, & cùm aliàs tale damnum censeatur quasi fortuitò illatum, sicuti diffuse putabam in tractatu de radice restitutionis, & pœnarum, vt excommunicationis, & irregularitatis, quæ oritur ex delicto:) ergo, &c. Videatur Caietan. 2. 2. q. 70. *art.* 4. & Petr. Nauarr. *loco suprà cit.*

8 Sequitur sextò, quod & probabiliter non tenearis in isto casu cum periculo vitæ tuæ dictum tuum testimonium retractare. Caietan. *ibidem*, nisi fortè dicas, quod non retractando (cum aduerteris) aduertenter continues iniuriam, atque adeò sic incipias formaliter contra iustitiam operari.

PETITIO IV.

An tenearis ad compensationem damni, si nolis testari, vel occultes veritatem?

SVMMARIVM.

1 *Testis non tenetur ex eo, quod non se obtulit ad testificandum ad aliquam compensationem, quia non tenetur se offerre ex iustitia.*

2 *Neque etiam simpliciter tenetur, si nolit testari, vel reuelare, quando graue damnum sibi vel suis immineret; quia tunc etiamsi superior præcipiat, nisi sic postulet bonum publicum, quod præferri debet priuato, simpliciter non tenetur cum tanto incommodo testari.*

3 *Testari nolens, vel se occultans ne non testetur, non tenetur ad compensationem damni defectu testificationis reo, vel accusatori secuti, si fugiat, vel se occultet priusquam citatio, vel iudicis præceptum legitimè fuerit ei denunciatum, quamvis sic faciendo peccauerit contra charitatem.*

4 *Neque est improbabile, prædictum non teneri ad præfatam damni compensationem, si fugiat, vel se occultet, &c. vt testificandi actum declinet, postquam citatio, vel præceptum iudicis legitimè fuerit ei insinuatum; quamuis similiter peccare possit contra charitatem: Neque enim ob id censetur iniustus, sed solùm inobediens, & contumax.*

5 *Obligatio, qua quis lege iustitiæ tenetur in gratiam proximi aliquam functionem suscipere, non oritur præcisè ex præcepto superioris, sed ex acceptatione illius qui illam suscipit, vt de Tutore, & Curatore, & similibus liquet.*

6 *Neque omnino improbabile est, non teneri ad compensationem damni prædicti, si etiam postquam fuerit legitimè citatus, compareat, & à iudice præsente interrogatus, non tamen respondeat, neque curet de dicenda veritate, quia ex dictis non tenetur ex iustitia.*

7 *Citatus, vel iussus citari non tenetur testimonium proferre ex iustitia, sed solùm ex obedientia.*

8 *Iudex si præciperet proferre aliquam scripturam ad causam spectantem, eam lacerans, & occultans tenetur ad restitutionem damni inde secuti: At non sic si à Iudice præcipiente testari nolit, ob disparitatem assignatam.*

9 *Testis tenetur dicere veritatem ex obedientia, & virtute Religionis, si iurauerit eam dicere; quia per huiusmodi iuramentum non intendit ius vllum iustitiæ conferre in illum.*

SVppono, quod non tenearis ex eo, quod te non obtulisti, quia non teneris ex iustitia te offerre, quamvis interdum tenearis ad hoc ex charitate: vt si v.g. testimonium tuum ad innocentem liberandum, vel ad accusatorem (qui propter bonum publicum accusare tenebatur) à talionis pœnæ periculo eripiendum, vel ad quid simile aliud fuerit necessarium: ita Doctores communiter, quos sequitur Nauarr. *cap.* 15. *n.* 17. 1

Suppono secundò, quod neque etiam simpliciter tenearis, si nolis testari, vel reuelare, quando graue damnum tibi, vel tuis exinde immineret, quia tunc (etiamsi superior præcipiat, nisi sic postulet bonum publicum, quod præferri debet priuato) simpliciter nó teneris cum tanto incommodo testari, vel reuelare. Vnde potens vel citatus non comparere, vel si compareas, aliqua arte, vel æquiuocatione, &c. te eximere, & iudicis interrogationem eludere, vel euitare: Sotus *de secreto, membr.* 2. *q.* 7. *dub.* 3. Nauarr. *c.* 25. *n.* 50. & alij communiter. 2

Difficultas igitur est, si nullum damnum notabile tibi, vel tuis immineat, & à iudice citeris, vel iussus sis citari, an in tali casu (si fugias, vel te occultes, vel aliquo artificio iudicis interrogationem eludas, vel euites) ad compensationem damni tenearis? 3

Respondetur, quod quamvis affirment Sotus *de iust. lib.* 5. *q.* 7. *art.* 1. Nauarr. *c.* 25. *n.* 41. & alij communiter, probabilius tamen sit oppositum, te non teneri scilicet ad compensationem damni defectu testificationis reo, vel accusatori secuti, si fugias, vel te occultes, priusquàm citatio, vel præceptum iudicis legitimè tibi fuerit denunciatum, quamvis sic faciendo potueris grauiter peccare contra charitatem, quia non obligaris præcepto superioris, priusquam illud debito modo fuerit tibi insinuatum. Vnde si conspectum superioris vites, ne ab illo præceptum aliquod accipias, non obligaris præcepto, quamvis malefeceris, si huiusmodi artificium adhibeas. Similiter, si fugias, vel te occultes, ne à magistratu Tutor, vel Curator pupilli instituaris, non peccas contra iustitiam: quamvis sic faciendo similiter peccare possis contra charitatem.

Quinimò non est improbabile, te neque teneri ad cōpensationem dāni prædicti, si fugias, vel te occultes, vel fraude aliqua alia (vt si dicas, reum tibi esse inimicum) testificandi actum declines, postquam citatio, vel præceptum iudicis legitimè fuerit tibi insinuatum (quamvis & sic faciendo peccare possis similiter, vti dicebam, contra charitatem) quia citatio illa, vel præceptum illud iudicis non imponit tibi ad te sistendum, & ad testificandum obligationem iustitiæ, sed solùm obligationem obedientiæ. Non enim (etiamsi tunc fu- 4

gias, vel te occultes, sicque non compareas) censetis iniustus, sed solùm inobediens, & contumax; quemadmodum similiter, si iussus à superiore totelam suscipere, nolles obedire; vel falso aliquo prætextu te excusares, non esses in superiorem, aut in pupillum iniurios, sed solùm esses in superiorem inobediens, vel contumax, &
5 io pupillum parum pius: & ratio à priori est, quia obligatio, qua quis lege iustitiæ tenetur in gratiam proximi aliquam functionem suscipere, non oritur præcisè ex præcepto superioris, sed ex acceptatione illius, qui illam suscipit: Iste enim acceptando functionem, implicitè illam promittit, sicque se ad illam obligat, & alteri ius ad illam exigendam tribuit: cùm nemo possit alteri dare ius ad functiones liberas, nisi qui earum est dominus: Quapropter (cùm nemo sit dominus tuarum functionum, præter te) nemo absque te, seu absque consensu tuo alteri ius ad illas dare poterit, vti dicebam: Quapropter

6 Neque omninò improbabile est, te non teneri ad compensationem damni prædicti, si etiam postquam fueris legitimè citatus, compareas, & à Iudice præsente interrogeris, non tamen respondeas, neque iures de dicenda veritate: Quia ex dictis respondere, & iurare de dicenda veritate non teneris ex iustitia, sed solùm ex obedientia; cum iudex ex dictis etiam præcepto suo non possit ad respondendum, & iurandum de dicenda veritate imponere tibi obligationem iustitiæ, sed solùm obligationem obedientiæ. Vnde si nolueris respondere, vel iurare, puniri quidem poteris, tanquam inobediens, seu contumax; non tamen teneris ad compensationem damni defectu testificationis tuo, vel accusatori secuti, sicuti dicebam.

7 Objicies: Hoc ipso, quo citatus es, vel iussus citari, misso ad te publico nuncio, teneris testimonium proferre: ergo.

Respondetur: distinguo antecedens: teneris ex iustitia, nego: teneris ex obedientia, concedo.

8 Instabis, si Iudex tibi præciperet, vt proferas aliquam scripturam, quæ ad aliquam causam pertinet, & tu eam occultes, vel laceres, ad compensationem damni inde secuti ex iustitia teneris: ergo si præciperet, vt proferas tuum testimonium, quod similiter ad aliquam causam pertinet, & tu non proferas, ad compensationem damni inde secuti similiter ex iustitia teneberis.

Respondetur, nego consequentiam, & disparitas est, quia scriptura est res externa, de qua Respublica, si causa rationabilis subsit, potest disponere, sicuti de aliis bonis externis, non sic de actibus internis, vti dicebam.

9 Vrgebis: saltem ex iustitia teneberis dicere veritatem, si te dicturum veritatem iuraueris.

Respondetur: nego antecedens, sed solùm teneberis ex obedientia, & virtute religionis; quia per huiusmodi iuramentum non intendis ius vllum iustitiæ conferre in illum, cuius causa iuras; cùm non intendas aliquid ei promittere, sed solùm iurare hoc futurum, scilicet quod sis dicturus veritatem, quam nosti. Secus si promiseris; quia tunc vltro concedo, quod tenearis non solùm ex obedientia, & virtute Religionis, sed etiam ex iustitia.

PETITIO V.

An interrogatus ab Inquisitoribus in causa fidei, si sis de genere Saracenorum, vel Iudæorum, &c. tenearis respondere ad mentem illorum?

Respondetur: de hac re dixi suprà *dubit. 191, sect. 73.*

DVBITATIO CXCIX.

De reo Hæretico.

An si reus hæresim fateatur, & posteà confessionem factam reuocet, à Iudicibus fidei possit condemnari?

SVMMARIVM.

1 *Reus in Tribunali S. Inquisitionis potest esse vel Hæreticus, vel ob fautoriam de hæresi suspectus,*

2 *Reum sæpè contingit hæresim fateri, & posteà confessionem factam reuocare.*

3 *Reus si hæresim fateatur, & postea confessionem factam non reuocet, absque dubio condemnari potest; quia talis delicti nulla potest clarior probatio dari, quam illa, quæ habetur ex ore proprio delinquentis.*

4 *Confessio sola in aliis delictis, si de corpore delicti non constet, ad condemnandum reum insufficiens videtur: at in crimine hæresis nulla de corpore delicti probatio requiritur, sed vt illud probatum esse censeatur, sufficit sola confessio delinquentis.*

5 *Confessio hæc debet esse specialis, scilicet quæ sufficienter hæresim aliquam declaret, aliàs non erit sufficiens, vt reus possit condemnari; quapropter si quis solùm generaliter diceret, se hæreticum fuisse, nisi hæresim etiam declaret, confessio insufficiens erit.*

6 *Reus si confessionem factam reuocet in continenti, & in præsentia Iudicis, non potest ex prima illa confessione damnari; quia tunc credendum est ex lapsu linguæ, vel ex metu, vel ex alia causa extrinseca prædictam confessionem fecisse.*

7 *Confessio si iam fuerit à Iudice, vel à Fiscali acceptata, tunc si reus eam reuocet, errore probato; valida est reuocatio; itavt neque ex prima illa confessione facta reus possit condemnari.*

8 *Reus tunc debet non solùm probare errorem, sed etiam probare causam, quare sic errauerit: quod sufficienter probabit, si probet metum, vel à Iudice, vel ab alio extrinseco sibi illatum fuisse.*

9 *Reuocatio confessionis, si neque fiat in continenti, neque errore probato, nullius est valoris, contra aliquos contrarium sentientes, quia prima illa confessio semper firma permanet, quoties error in ea commissus non ostenditur.*

10 *Reus in Tribunali S. Inquisitionis quocumque tempore, & modo confessionem reuocet, licèt non afferat causam probabilem, nec satis idoneam, admittitur tamen eius reuocatio, & siue pro ipso, siue contra ipsum extremæ confessioni statur: Hæc enim est, quæ efficit, vt reus pœnitens, vel impœnitens videatur; nihilominus oppositum probabilius est, videlicet nullius valoris esse huiusmodi reuocationem sponte factam, errore non probato.*

11 *Impœnitens est, qui confessionem iam factam, non probato errore, neque probata causa erroris reuocat; quia tunc semper in ipso præsumitur dolus, & malitia, vt sic scilicet pœnas debitas euadat, quapropter tradendus erit Curiæ sæculari.*

12 *Idem dic de cuiuslibet delicti confessione in genere loquendo.*

13 *Limita, nisi reus reuocet aliqua nõ benè cõtra ipsũ probata, ad excusandos cõplices, affines, vel amicos, &c. quin etiã benè, vel plenè probata, dummodo confessus sit, & confiteatur contra seipsum hæresim consummatam, vel alia, de quibus non erat testificatus; in hoc enim casu reus rarò relaxandus erit Curiæ sæculari.*

14 *Reus de hæresi, si factam confessionem post adimpletã pœnitentiam reuocat, debet arbitrio Inquisitorum tanquam contrarius puniri, & nonnunquam addita comminatione grauioris pœnæ, si deinceps eandem*

temeritatem

temeritatem commiserit, fustibus castigari, si in reuocatione non persistat; si autem persistat, tradendus erit Curiæ sæculari.

1 SVppono, quod reus in Tribunali S. Inquisitionis possit esse vel Hæreticus, vel ob fautoriam de hæresi suspectus. De Hæretico,& ob fautoriam de hæresi suspecto,qua ratione aduersus istos possint Inquisitores procedere, patet ex iis, quæ suis locis de Inquisitione, Accusatione, Denunciatione, & pœnis Hæreticorum dicebam. Nunc pro complemento materiæ, ad aliaa difficultates soluendas procedemus.

2 Suppono 2. quod sæpè contingat, reum hæresim fateri, & postea confessionem factam reuocare.

3 Suppono 3. quod si reus hæresim fateatur,& postea confessionem factam non reuocet, absque dubio possit condemnari, quia talis delicti nulla potest clarior probatio dari, quàm illa, quæ habetur ex ore proprio delinquentis, *cap. Vestra, cap. finali, de cohabit. Clericor. & mulier, & l. 1. C. de confess.*

4 Et quamvis in aliis delictis sola Confessio,si de corpore delicti non constet, ad condemnandum reum insufficiens videatur, *l. 1. §. item illud, ff. ad Senat. Syllan.* vbi Bartolus, & Bald. *in auth. sed nono Iure, C. de seru. fugitiuis*, Angelus,& alij Iuristæ communiter *in l. 1. C. de confess.* In hoc tamen hæresis delicto (cùm potiùs interiùs,quàm exteriùs consumetur) nulla de corpore delicti probatio requiritur, sed vt illud probatum esse censeatur, sufficit sola delinquentis confessio: sic Mascard. *de probat. lib. 1. concl. 859. n. 1. & seqq.* Rojas *tr. de haret. 2. p. n. 255.* Peña *3. p. director. tit. de defens. reor. comment. 18. in princ. vers. & quamquam*, Simanch. *de cathol. instit. tit. 13. rubr. de confess. n. 1.* & alij passim, quos citat, & sequitur Farinac. *q. 188. n. 73.*

5 Aduerte tamen, quod hæc confessio debeat esse specialis, scilicet quæ sufficienter hæresim aliquam specialem declaret, aliàs sufficiẽs non erit, vt reus possit condemnari: quapropter si reus solùm generaliter diceret, se hæreticum fuisse, nisi hæresim etiam declaret, hæc confessio sufficiens non erit, vt reus tanquam hæreticus condemnetur, quia forsan proceder ex errore, quo putet hæresim esse, quæ verè hæresis non sit (quamvis hæc ratio conuincere non videatur, quia tunc si non hæresis materialis, hæresis tamen formalis intercedit, quæ sola adhuc æquè punibilis videtur) secus si diceret, se Caluinistam, vel Lutheranum esse, quia tunc exprimit errores, quibus iam priùs assensus fuit; sic Dec. *tract. crim. lib. 5. c. 35. n. 29.* Rojas *tr. de haret. 2. p. n. 268.* Simanch. *de cath. inst. tit. 13. n. 3. & seqq.* & alij complures, quos sequitur Farin. *loc. supr. cit. n. 74.* His suppositis.

6 Respondetur distinguendo: si reus confessionem factam reuocet in continenti, & in præsentia Iudicis, (etiam non probato errore) talis confessio reo non nocebit, neque reus ex tali confessione condemnari poterit, quia tunc credendum est, quod ex lapsu linguæ, vel ex metu, vel ex errore, vel ex alia causa extrinseca prædictam confessionem fecerit. Ita DD. passim, quos sequitur Rojas *tr. de haret. 2. p. n. 260.* & Farin. *q. 81. n. 348.*

Et in continenti dicitur reuocatio facta, si reus adhuc sit in præsentia Iudicis, vel dicebam suprà, & notat Gloss. *verb. incontinenti, cap. præterea, de testib.* Secus si intra triduum, vt voluerunt aliqui, Vide Doctores, quos suprà citabam.

7 Si autem confessio facta iam fuerit à Iudice, vel à Fiscali acceptata, tunc si reus eam reuocet, errore probato, valida est reuocatio: itavt neque ex prima illa confessione facta reus possit condemnari, ita Simanch. *de cathol. instit. tit. 13. n. 13. & seqq.* & alij quos citat, & sequitur Farin. *de heresi, q. 188. n. 75.*

8 Aduerte tamen, quòd debeat tunc reus non solùm probare errorem, sed etiam probare causam, quare sic errauerit, quod sufficienter probabit, si probet metum, vel à Iudice, vel ab alio extrinseco sibi illatum fuisse, vel si probet præcessisse multum tempus, ita vt tunc obliuio rationabiliter præsumi possit: ita Doctores, quos citat, & sequitur Farin. *de haref. q. 81. n. 344.*

Quod si autem reuocatio neque fiat in continenti, 9 neque errore probato (licèt nõnulli, quos sequitur Cantera *quæst. crim. rub. de haret. c. 1. n. 70.* putent, quod talis reuocatio adhuc efficax sit ad infirmandam primã confessionem, itavt neque ex dicta prima confessione reus possit Curiæ sæculari tradi, nisi forsan constaret, quod is ex malitia reuocationem fecerit, quia prima cõfessio, inquiunt ipsi, eatenus ad sic confessum condemnandum efficax est, quatenus in suo robore, & firmitate permanet, at ex reuocatione facta minuitur eius firmitas, cùm tota firmitas confessionis ex approbatione confitentis proueniat: ergo tota eius firmitas ex eiusdem reprobatione destruitur. 10 Vnde & Simanch. *tit. 13. n. 14.* ait, quod in Iudicio S. Inquisitionis quocumque tempore & quocumque modo reus confessionem reuocet, licèt nec afferat causam probabilem, nec satis idoneam, admittitur tamen ipsius reuocatio, & siue pro ipso, siue contra ipsum extremæ confessioni statur: Hæc enim est, quæ efficit, vt reus pœnitens, vel impœnitens videatur, & hoc iure vtimur.) Nihilominus multò probabilius esse arbitror oppositum (quod docet Farin. *cit. q. 183. n. 75.*) scilicet quod nullius valoris sit confessionis sponte factæ, errore non probato, reuocatio, itavt tali reuocatione non obstante, possit, & debeat reus sic confessus Curiæ sæculari, tanquam impœnitens tradi, si vel ipsam confessionem factam non approbet, & criminis pœnitentiam petat, vel errorem in præcedenti confessione commissum non ostendat.

Probatur, quia prima illa confessio semper firma permanet, quoties error in ea commissus non ostenditur (cùm nemo contra se testimonium falsum dicere præsumatur.) Quapropter qui confessionem factam errore non probato, neque causa erroris allegata reuocat, audiri non debet: Alàs nullus hæreticus confessus posset condemnari, quia quilibet ante condemnationem ipsius confessionem factam possit reuocare: vnde patet ad argumentum aduersariorum in contrarium.

11 Atque ita nobiscum sentiunt Rojas *de haret. part. 2. assert. 25. n. 265.* Ioseph. Sesse *tom. 4. dec. 472. n. 7.* Treulsaons *lib. 2. dec. 35.* quatenus ait, quod impœnitens est, qui confessionem iam factam, non probato errore, neque probata causa erroris, reuocat. Quia tunc semper in ipso præsumitur dolus & malitia, vt sic scilicet pœnas debitas euadet. Quapropter tradendus erit Curiæ sæculari; & Sousa *in Aphorism. Inquis. lib. 2. cap. 48. n. 22.* quatenus inquit, quod impœnitens, & negatiuus censetur, qui hæresim confessus, factam confessionem posteà ante adimpletam pœnitentiam reuocat, non probans causam talis reuocationis. Quapropter si non resipiscat, tradendus est Curiæ sæculari; & alij Doctores passim.

12 Atque ita etiam de cuiuslibet delicti confessione in genere loquendo, nobiscum similiter sentiunt Carrer. *pract. crim. tract. 1. de appell. §. tertius casus, n. 23.* Paris. de Puteo *de sindicat. verb. tertius, c. 8. n. 1. vers. & si confessionem reuocat*, & alij complures, quos citat, & sequitur Farinacius *q. 81. n. 344.*

13 Aduerte tamen hîc, quod libenter admitterem opinionem Canteræ casu quo reus reuocat aliqua non benè contra ipsum probata, ad accusandos complices, affines, vel amicos: &c. quin etiam benè, vel plenè probata, dummodo confessus sit, & confiteatur contra seipsum hæresim consummatam, vel alia, de quibus non erat testificatus; in hoc enim casu reus rarò relaxandus erit Curiæ sæculari (quod nota pro hæreticis diminutis,) quia tunc reus (cùm contra seipsum in re graui, qualis est hæresis formalis, testificatus sit) præsumitur res illas ex alia causa, non autem ex malitia reuocare.

14 Aduerte 2. quod qui de hæresi factam confessionem post adimpletam pœnitentiam reuocat, debeat arbitrio Inquisitorum tanquam temerarius puniri, & nonnunquam

quam (addita comminstione grauioris pœnæ, si deinceps eandem temeritatem commiserit) fustibus castigari. Quod tamen intellige, si in reuocatione non persistat: Nam, si persistat tanquam impœnitens, tradendus erit Curiæ sæculari: DD., quos sequitur Sousa *in Aphorism. Inquis. lib. 1. c. 48. n. 23.*

DVBITATIO CC.

An reus hæresim testibus probatam fateri teneatur?

SVMMARIVM.

1 *Reus tenetur hæresim testibus probatam fateri, si verè eam commisit, Iudice legitimè interrogante; quia tenetur in aliis delictis ex communi sententia Doctorum. Consequenter multò magis in crimine hæresis.*

2 *Excipe casum, quo reus ex confessione pœnam mortis sibi imponendam videret, & negando delictum talem pœnam euitaret, quia tunc si doleat de peccato, & ab incursa excommunicatione absolutionem impetrandi aliam viam habeat, non improbabiliter poterit in respondendo amphibologia uti, ut pœnam mortis euitet.*

3 *Reus si testibus contestibus conuictus esset, & propterea tanquam negatiuus damnaretur, tenetur sub mortali crimen commissum fateri publicè, itaut nequeat alia via à peccatis absolui.*

4 *Neque obstat, quod reus in aliis delictis non teneatur post condemnationem delictum prius negatum confiteri; quia ex illorum negatione non præbet scandalum, vti præbet in negatione hæresis.*

1 RESpondetur affirmatiuè, si verè eam commisit, Iudice legitimè interrogante: ita Doctores communiter, quos citat, & sequitur Lessius *de iustitia & Iure, lib. 2. cap. 31. dub. 3. n. 16.*

Probatur, quia reus (si simus in simili casu) in aliis delictis tenetur ex communi sententia Doctorum veritatem fateri: Ergo multò magis in crimine hæresis.

2 Excipe casum, quo reus ex confessione pœnam mortis sibi imponendam videret, & negando delictum talem pœnam euitaret, Quia tunc si doleat de peccato, & ab incursa excommunicatione absolutionem impetrandi aliam viam habeat, non improbabiliter poterit in respondendo amphibologia vti, vt pœnam mortis, quam dicebam, euitaret: ita Doctores iidem, quos citat, & sequitur Lessius *loco suprà cit.*

3 At si reus testibus contestibus conuictus esset, & propterea tanquam negatiuus damnaretur; tenetur sub mortali crimen commissum fateri publicè, itavt nequeat alia via à peccatis absolui: sic ex probabiliori docent DD., quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 3. moral. c. 7. n. 41.* Ratio, quia media illa confessione reus euitare potest mortem sibi imminentem, quam si commodè potest (cùm non sit Dominus vitæ) euitare tenetur. Et dato, quod euitare non possit, eo quòd sit relapsus, vel quia non præsumitur ex vero corde (cùm tardè ad pœnitentiam accesserit) conuerti, euitat tamen, ne æstimetur impœnitens, & pertinax è vita decedere, ad quam existimationem non leue fundamentum præbet: Ergo tenetur hoc scandalum euitare.

4 Neque obstat si dicas, quod reus in aliis delictis non teneatur post condemnationem delictum prius negatum confiteri: Ergo sic & in casu nostro. Non obstat, inquam, quia ex illorum negatione non præbet scandalum, vti præbet in negatione hæresis, neque testibus Iudici, vel alteri tertio damnum infert: ita Doctores iidem, quos sequitur Sanchez *loco suprà cit.*

DVBITATIO CCI.

An si reus falsis testibus conuictus sit, & propterea damnetur, possit ad euitandam mortem crimen sibi falsò impositum fateri?

SVMMARIVM.

1 *Reus si falsis testibus conuictus sit, & propterea damnetur, non potest secundum aliquos ad euitandam mortem crimen sibi falsò impositum fateri, quia fatendo crimen non commissum mentitur: at mentiri semper est peccatum.*

2 *Quis non potest pro tuendo honore effundere diuitias alienas, sicut potest suas: sic etiam non potest quis fateri crimen hæresis non commissum, quia est effundere honorem aliorum, & non tantùm proprium, videlicet filiorum, nepotum, & consanguineorum.*

3 *Reus in casu, de quo agitur, potest probabiliùs fateri ad euitandam mortem crimen hæresis sibi falsò impositum; quia rationes superiùs allatæ non conuincunt.*

4 *Reus rectè potest crimen non commissum sine mendacio fateri, si subintelligat, se illud commisisse non verè, sed præsumptiuè, & in æstimatione aliorum.*

5 *Reus ex tali confessione criminis non infamat filios, nepotes, & consanguineos, quin potiùs minuit eorum infamiam, quæ ex condemnatione ipsius rei ob probationem testium illis proueniret.*

6 *Reus si moriatur hæreticus negatiuus, quilibet præsumit illum impœnitentem, & hæreticum è vita decedere: ac proinde cuilibet scandalum præbet.*

7 *Quilibet tenetur, cùm commodè potest, vitam suam conseruare, & crimen sic probatum fatendo conseruat vitam suam, quam crimen negando perderet.*

NEgant Sotus *lib. 4. de iustitia & Iure, q. 2. art. 3. concl. 4.* Couarr. *lib. 1. var. c. 2. n. 8.* Peña *3. p. direct. n. 210. comment. 48. vers. Quamobrem*, & alij multi. 1

Probant, quia reus fatendo crimen non commissum mentitur: At mentiri semper est peccatum mortale: Ergo.

Secundò, quia licèt pro tuendo honore possit quis effundere diuitias, & pro tuenda vita effundere honorem, vtpote quid inferioris ordinis (quod intelligitur cum effundit honorem, & diuitias proprias; secus si honor, & diuitiæ sint alterius) sed qui crimen hæresis sibi imponit, non solùm effundit honorem proprium, sed etiam honorem filiorum, nepotum, & consanguineorum. Ergo ex hoc capite non potest quis crimen falsum hæresis sibi imponere. His tamen non obstantibus. 2

Respondetur, non omninò improbabile esse oppositum; quia rationes supradictæ non conuincunt: Non enim conuincit prima; quia rectè potest reus crimen non commissum sine mendacio fateri, si subintelligat, se illud commisisse non verè, sed præsumptiuè, & in æstimatione aliorum. Neque conuincit secunda, quia ex tali confessione criminis reus non infamat filios, nepotes & consanguineos, quin potiùs minuit eorum infamiam, quæ ex condemnatione ipsius rei, ob probationem testium illis proueniret: Quandoquidem si condemnaretur vt negatiuus, filij, & nepotes ab officiis, & beneficiis exclusi manerent: secus autem, si facta criminis confessione ad pœnitentiam recipiatur. Ergo potiùs talis confessio vtilitatem, quàm detrimentum aliis affert. 3 4 5

Confirmatur: Quia si moriatur negatiuus, quilibet præsumit illum impœnitentem, & hæreticum è vita decedere, ac proinde cuilibet scandalum præbet: At si fatetur, & ad pœnitentiam recipitur, hoc scandalum tollit: Ergo potest crimen fateri. 6

Confirmatur 2. quia quilibet tenetur, cum commodè potest, vitam suam conseruare. Sed crimen sic probatum 7

fatendo

fatendo conseruat vitam, quam crimen negando perderet, & tali confessione, sicuti dicebam, nullum sibi, neque consanguineis damnum infert: Ergo non solùm crimen sic probatũ fateri potest, sed etiã teneri videtur.

Atque hinc patet ad rationem aduersariorum in contrarium.

DVBITATIO CCII.

An reus ob vitanda grauia tormenta possit hæresim non commissam, semiplenè tamen probatam, fateri, & misericordiam postulare?

SVMMARIVM.

1 *Reus ob vitanda grauia tormenta potest hæresim non commissam, semiplenè tamen probatam fateri, & misericordiam postulare; quia potest sibi imponere crimen homicidij, vel furti, licèt morte condemnandus sit, consequenter etiam hæresim.*

2 *Non obstat infamia, quæ ex tali non vera confessione consanguineis prouenit, & scandalum, quod præbet seipsum delinquentem efficiendo: quia frequenter infamia non est tantæ considerationis, quanta sunt tormenta, & dolores, quos reus negando sustineret. Et aliàs scandalum non videtur sequi, & si quid fuit, reparatur per pœnitentiam.*

3 *Charitas contra quam ad summum is peccaret, quinimò & iustitia non videtur eum tam graui damno, & dolore obligare.*

4 *Reus, vel delinquens sic reputatus, licèt crimen sibi falsò impositum approbare posse videatur ad vitanda grauia tormenta; debet tamen in approbatione vitare mendacium; amphibologia scilicet vtendo.*

5 *Limita si reus sit Religiosus, vel valdè Nobilis; quia tunc atrocissima tormenta sustinere teneri videtur, ne Religionem, vel familiam valdè nobilem, falso crimine sibi imposito, macularet.*

1 RESpondetur ex non improbabili sententia Doctorum (quos citat, & sequitur Lessius *de iust. & iur. lib. 2. c. 11. dub. 7. n. 41.*) affirmatiuè.

Probatur, quia potest reus sibi imponere crimen homicidij, vel furti, tamen si eatode morti damnandus sit. Ergo idem in crimine hæresis dicendum erit. Præcipuè cùm reis ea illius criminis confessione, si ea animo, & corde efficiatur, non mors, sed vita conceditur. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia non tenetur homo cum tanto dolore, & labore vitam, & honorem suum conseruare, sicuti non tenetur membrorum sectionem sustinere, vt vitam conseruet. Neque illud est, hominem seipsum occidere, sed potiùs ab vna continua occisione liberare. Iudici autem, & testibus (cum ipsi, si reus crimen fateatur, intentum habeant) iniuriam non infert. Ergo non est cur reus non possit id licitè facere.

2 Dices, reum id licitè non posse facere, seu talem confessionem illicitam esse: Tum ob infamiam, quæ consanguineis prouenit: Tum ob scandalum, quod præbet, seipsum delinquentem efficiendo.

Respondetur. Nego antecedens, quia sæpesæpiùs infamia, quæ exinde alijs prouenit, non est tantæ considerationis, quantæ sunt tormenta, & dolores, quos reus negando sustineret. Accedit, quod reus imponendo sibi falsum crimen, non videtur directè consanguineos infamare, & ius illorum lædere, aliàs cùm ipsummet crimen committeret, contra iustitiam consanguineorum honori debitam peccaret, & sic in confessione explicare deberet, quos consanguineos habeat, vt sic plenè iniustitia facta cognosceretur; Quod nemo dixerit. Non igitur contra ius consanguineis debitum, crimen falsum fatendo peccat, sed ad summum cõtra cha-

3 ritatem sibi & illis debitã. At hæc charitas, quinimò & iustitia, non videtur cum tam graui damno, & dolore obligare, sicuti nõ obligat proprio honori. Ergo neque alieno. Scandalum autem ex huiusmodi confessione nõ videtur sequi: Tum quia complures putare possunt, reum delictum confessum fuisse, non quia illud commiserit, sed quia tormenta, & dolores timuerit: Tum etiam quia, si ex confessione delicti aliquod scandalum sequitur, & aliis occasio præbetur id ipsum committendi, per pœnitentiam, & dolorem illius sufficienter reparatur. Ergo ex nullo capite apparet, quod reus licitè id nõ possit facere, seu licita nõ sit delicti prædicti confessio.

Aduerte tamen; quod licèt reus, seu delinquens sic reputatus, crimen sibi falsò impositum approbare licitè posse videatur ob vitanda grauia tormenta, quæ dicebam; debeat tamen in approbatione vitare mendacium, amphibologia scilicet vtendo. 4

Aduerte secundò, quod limitarem, si scilicet reus sit Religiosus, vel vir valdè Nobilis; quia tunc atrocissima tormenta sustinere teneri videtur, ne Religionem, vel familiam valdè nobilem falso crimine sibi imputato, seu imposito macularet, cùm bonum commune, etiam cum vitæ dispendio, conseruare, & illæsum custodire teneri videatur. 5

DVBITATIO CCIII.

Quonam modo procedatur contra hæreticum absentem?

SECTIO I.

Dubitationis Resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Reus absens in hoc Tribunali S. Officij, si delictum non sit plenè probatum, citatur publicè in Ecclesia, vt intra spatium 30. dierum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ compareat: Quæ citatio tribus vicibus fit, in qua odem tempus assignatur, & in qualibet illarum denuò eius contumacia accusatur.*

2 *Reus sic citatus, termino transacto in excommunicationem incidisse declaratur, & annus integer expectatur an compareat, qui si non comparuerit, tanquam hæreticus contumax damnatur, eiusque effigies, seu statua Curiæ sæculari comburenda traditur, & eiusdem bona à die testificationis Fisco applicantur.*

3 *Rei absentis contumacis delictum si plenè probatum sit, ad eius condemnationem annus non expectatur, sed accusata eius contumacia in Tribunali, ad sententiam publicam proceditur.*

4 *Rei prædicti ad defensionem admittitur excusator, allegans reum sic citatum non potuisse intra terminum signatum comparere, & pro qualitate excusationum solet per quatuor menses circiter prorogari terminus ad comparendum.*

5 *Rei prædicti absentis bona in tertium possessorem translata, quamquã de rigore iuris sequestrari nõ debeant, si tamen paulò ante citationẽ fuga præcesserit, & quæ bona sint, facilè probari possit, sequestrari debent.*

6 *Reus si fugit tempore, quo captura exequenda erat, sequestrantur bona pro derelicto habita, vel quæ in potestate vxoris, vel filiorum reperiuntur, &c.*

7 *Reus contumax si intra annum moriatur, & eius delictum plenè, & concludenter probatum non sit, sed contra illum tanquam contra suspectum procedebatur, tunc sistendum est, neque vlteriùs ad condemnationem deueniendum, nisi superueniant clara, & legitimæ probationes.*

8 *Citatio facienda contra contumacem absentem in crimine hæresis continere debet causam, vt scilicet compareat ex causa fidei; quamvis sufficere in tali casu; quod reus citetur ad comparendum coram Inquisitoribus volentibus ab ipso quædam scire, satis probabiliter teneant aliqui Doctores.*

9 *Citatio facta contra contumacem absentem, si is non compareat, vt sufficiat ad condemnandum, requiritur, vt expressè contineat, vt idem contumax compareat ad respondendum, quid sentiat de fide.*

10 *Contumax si post annum compareat, debent saltem ex misericordia, & begnitate Inquisitores illum audire, etiam quoad bona confiscata. Et sic seruatur in Tribunali S. Generalis Inquisitionis, non solùm quoad bona, sed etiam quoad personam, si sponte compareat, & innocentiam suam plenè probet, vt sic reus ad*
12 *conuersionem magis alliciatur. Contra nonnullos tenentes oppositum, quod quidem est de rigore Iuris: Excepto si de innocentia, vel de legitimo impedimento plenè constiterit; quia quando bona ob contumaciam hæretici absentis publicantur, elapso iam anno transeunt in rem iudicatam.*

1 RESpondetur: cùm contra absentem proceditur, si delictum non sit plenè probatum, seu is non sit de hæresi conuictus, sed solùm inuentus de hæresi leniter suspectus, citatur ad modum infrà explicandum, publicè in Ecclesia, vt infrà spatium 30. dierum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ compareat, & sit hæc citatio tribus vicibus, vti dicebam *dub.* 185. & docent Rojas *sing.* 29.*n.* 2. Simanch. *de cath. inst. tit.* 14.*n.*6.*&* *in Enchir.n.*3.*&* 4. Paramus *de origine Inquis. lib.*3.*q.*4.*n.*65. & alij communiter, quamuis ad minus duas esse necessarias, velint Carrer. *n.*128. Locat. *in prax. Inquis. verb. sententia, n.*25. & Dec. *in tr. crim. lib.*5.*c.*39.*n.*9.*&* 17. In qua idem tempus assignatur, & in qualibet illarum non comparentis contumaciam accuset fiscalis, & petat literas, seu libellos aggrauatorios, quibus
2 denuncietur eius contumacia: Quo termino transacto, reus in excommunicationem incidisse, declaratur. Et vt compareat, per annum integrū expectatur. Quod si post annum integrum non comparuerit, tanquam hæreticus contumax condemnatur, eiusque statua, vel effigies Curiæ sæculari comburenda traditur, eiusdemque bona (sicuti infrà dicam) à die testificationis Fisco applicantur: ita DD. communiter, quos *num. seq.* citabo.

3 At si delictum absentis contumacis plenè (propria scilicet confessione facta, euidentia, vel testium legitima productione) sit probatum, & is legitimè citatus non compareat, est tradēdus Curiæ sæculari, tanquam verus hæreticus contumax, & impœnitens, peremptoriè tamē est citādus ad omnia, & singula iudicij acta, vt infrà 30. dies compareat, aliàs quod ipsius causa vsque ad finalem sententiam iudicabitur: in singulis autē edicti terminis fiscalis libellum accusatoris edat; & cùm terminus fuerit elapsus, ad sententiam publicam proceditur, eiusque statua, vel effigies cōburitur; non enim in tali caso ad eius condemnationem annus expectatur, sed sicuti dicebam, accusata eius contumacia in Tribunali, ad sententiam publicā proceditur. Simanc. *in Enchir. tit.*46.*n.*5. Peña *in direct. p.*3.*commem.*49.*&* 91. Farin. *q.*190.*c.*12.*n.*21. Sousa *in Aph. Inq. lib.*2.*c.*49.*n.*1.*& seqq.* & alij passim.

4 Aduerte tamen, quod ad huius rei defensionem admittatur excusator allegans, reum sic citatum non potuisse intra terminum signatum comparere, & pro qualitate excusationum soleat per quatuor menses circiter prorogari terminus ad comparendum.

Quinimò in eodem dicto crimine hæresis admittitur pro absente citato Procurator comparens, vt defensor innocentiæ: dummodo res sit dubia, & reus sit tantùm de hæresi suspectus; quia si verè sit hæreticus, & de eius hæresi in processu constiterit, tunc Procurator non admittitur vt defensor, sed solùm ad excusandam rei contumaciam, & ad allegandas absentiæ causas, propter quas aliquando Inquisitores solent prorogare terminum ad comparendum, vti dicebam, & videri poterit etiam Simanch. *tit.*52.*n.*4. Farin. *q.*185.*§.*7.*n.*98.*&* 99. Sousa *in Aphor. Inquis. lib.*2.*c.*49.*n.*7.

5 Aduerte secundò, quod eiusdem rei absentis bona in tertium possessorem translata, quanquam de rigore Iuris sequestrari non debeant, si tamen paulò ante citationem fuga præcessit, & quæ bona sint, si facilè probari 6
potest, sequestrari debeant: At si fugit reus tempore, quo captura exequenda erat, sequestrantur bona pro derelicto habita, & quæ in potestate vxoris, & filiorum reperiuntur. Quod si hæc discerni non poterunt, sequestrantur omnia, quæ in eius domo repericorunt, quia omnia illa rei fugientis esse præsumuntur.

Aduerte 3. quod & eiusdem rei absentis bona propter contumaciam, iuxta ea, quæ dicebam *dub.*137. publicari debeant, non à die, quo per sententiam contumax declaratur, sed à die, quo testes deponunt, eum in hæresim incidisse, quia ex tunc bona rei Fisco affecta fuerunt. Farin. *vbi suprà*, Menoch. *conf.*185.*n.*8. Peregr. *de iur. fisc. lib.*5.*tit.*1.*n.*176. Less. *de iust. lib.*2.*c.*29.*dub.*8.*n.*64. Sayr. *in clauf. reg. lib.*3.*c.*9.*n.*30. & Azor. *tom.*1.*lib.*5.*i.*7.*q.*2.*&* *lib.*8.*c.*12.*quæsit.*2.

Quamvis contrarium velint Molin. *de iust. tom.*1.*disp.*95. Henriq. *lib.*13.*c.*56.*n.*2. Vasquez *in* 1.2.*q.*96.*art.*5.*disp.*170.*c.*3.*per totum.* Gabriel Quemada *in quæstion. fiscal. q.*8.*per totam*, Sanch. *lib.*2.*moral. c.*22.*n.*35. Auila *de censur. p.*1.*dub.*7. & Simanch. *tit.*9.*n.*26. Quatenus expressè ait, quod bona illius, qui deficit in purgatione, vel propter contumaciam est condemnatus, non publicantur, nisi à die quo hæreticus esse præsumitur, non autem à tempore, quo testes deponunt, illum fuisse hæreticum: vbi subdit etiam, quod sic ex interpretatione benigna receptum sit: quod quidem ex benignitate, tametsi non de iure, propter ea, quæ supra dicebam, non omninò mihi improbatur. 7

Aduerte 4. quod si reus contumax moriens intra annum, & eius delictum plenè, & concludenter probatum non est, sed contra illum, tanquam contra suspectum, procedebatur, tunc sistendum sit, neque vlteriùs ad condemnationem deueniendum, nisi superueniant claræ, & legitimæ probationes: ita DD. quos citat, & sequitur Farin. *q.*197.*n.*103. si autem transacto contumaciæ anno obiit, condemnari poterit, vt infrà ex communi sententia Doctorum dicetur. 8

Aduerte 5. quod citatio facienda contra contumacem absentem in crimine hæresis continere debeat causam, vt scilicet compareat ex causa fidei. Angel. *verb. hæret. n.*1. Dec. *in tract. crim. lib.*5.*c.*32.*n.*8. & alij, quamvis sufficere in tali casu, quod reus citetur ad comparēdum coram Inquisitoribus volentibus ab ipso quædam scire, satis probabiliter teneant Simanch. *de cath. inst. tit.*43.*n.*12. Peña *in direct. Inquis. p.*3.*comment.*33. & Paramus
*de orig. Inquisit. lib.*3.*q.*4.*n.*34. Quod si tamen Inquisitores post citationem sic generaliter factam intendant contra reum non comparentem procedere ad condemnandum illum tanquam contumacem, tunc requiratur alia citatio, in qua expressè citetur ad comparendum quid sentiat de fide, iuxta ea, quæ dicebam diffusiùs *cit. dub.*185. & docent communiter DD. quos sequitur Seaçe. *de iudic. lib.*1.*c.*43.*n.*9. 10

Aduerte 6. quod si contumax post annum, quin & post ipsius statuam combustam compareat, debeant, saltem ex misericordia, & benignitate, Inquisitores illum audire non solùm quoad personam, præmissa scilicet abiuratione, prout fuerit de iure, nisi sit relapsus, sed etiam quoad bona confiscata. Scaccia *c.*98.*n.*34. & alij quos sequitur Farin. *de hæresi, q.*85.*n.*109. sicque in tribunali S. generalis Inquisitionis Romanæ, teste Farin. *loco suprà cit.* seruatur quod scilicet, vti dicebam, quandocumque contumax sponte comparuerit, semper audiatur & quoad personam, & etiam quoad bona, ad hoc vt sic reus ad conuersionem magis alliciatur.

Quamvis contrarium, quod quidem est de rigore iu- 11
ris, teneat Simanc. *de cath. inst. tit.*2.*c.*22. Quatenus ait, quod is, qui intra annum præsentiam sui fecerit, audiri debeat, ne bona sua publicentur: Post annum autem, quāvis audiatur, nihilominus bona ipsius publicentur,

excepto

excepto si de innocentia, vel de legitimo impedimento suo plenè constiterit: Idemque tenent Peña *in direct. Inquisitor. p. 3. comment. 49.* Rojas *sing. 145. n. 5.* Sousa *in Aphor. Inquis. lib. 2. c. 49. n. 7.* Paramo *de origin. Inquis. lib. 3. q. 4. n. 47.* & Sanchez *tom. 1. moral. lib. 2. c. 10. n. 7.* moti ex eo, quia quando bona ob contumaciam hæretici absentis publicantur, elapso iam anno, transeunt in rem iudicatam, vt propterea comparens postea, non sit circa illa audiendus, nec illa amplius recuperet, nisi quemadmodum dicebam, comparens innocentiam, vel iustum impedimentum suum plenè probauerit. Sicque in Inquisitione Hispanica seruatur. At de his vide etiam, quæ suprà *dub. 140.* & quæ dicam infrà *dub. 211.*

SECTIO II.

Quonam modo Iudici denunciandus sit hæreticus, vel similis alius delinquens?

RESpondetur: de hac re vide, quæ dicebam suprà *dub. 15. vsque ad 25.* & quæ dicam infrà *dub. vltima de Confessario ad Venerem pœnitentes incitante, sect. 13.*

SECTIO III.

In quibus casibus hæreticus, vel quicumque alius delinquens (si fuerit bannitus) possit à potestate Ecclesiastica, vel à potestate sæculari capi, bonis spoliari, & occidi in territorio alieno?

RESpondetur: de hac re satis dixi *tract. de immunit. & iurisd. Ecclesiastica, c. 9. dub. 35. sect. 6. per totam.* Vide etiam quæ dicebam suprà *dub. 195. sect. 40.*

DVBITATIO CCIV.

Quonam modo procedatur contra hæreticum defunctum?

SVMMARIVM.

1 *Delinquentis morte licèt extinguantur omnia crimina, non tamen extinguitur crimen hæresis, sicut neque crimen læsæ Maiestatis.*

2 *Hæreticus defunctus vt damnetur, requiruntur claræ & dilucidæ probationes, quod scilicet ille in hæresi decesserit; quia hæreticus viuus damnari non potest, nisi legitimè confessus, vel conuictus, consequenter multò magis defunctus.*

3 *Neque condemnari poterit, vt de hæresi suspectus, quia talis condemnatio de hæresi suspecti post mortem non reperitur in Iure.*

4 *Hæresis defuncti plenè, & sufficienter probatur. Primò si illam viuens confessus fuerit, & illius pœnitentiã non demonstrauerit; quia tunc tanquam pertinax, qui noluit Ecclesiæ reconciliari, condemnari debet.*

5 *Item si in carcere existens seipsum interfecerit, quia illa est quædam criminis confessio.*

6 *Item probatur testibus, qui debent esse omni exceptione maiores, aliàs plenè & concludenter non probabunt.*

7 *Inquisitus si pendente processu mortuus fuerit, eius memoria, nisi aliunde plenè, & concludenter hæresis probata fuerit, damnari non potest, quia infamatus de hæresi hæreticus non est.*

8 *Hæresis sufficienter probatur eo quod probetur extitisse quis contumax per annum in excommunicatione ob causam fidei, & sic mortuus fuisse, contra nonnullos oppositum sentientes; quia illa probatio viuente delinquente, sufficeret ad illum tanquam hæreticum condemnandum.*

9 *Post mortem non proceditur aduersus fautores, defensores, vel receptatores hæreticorum; quia hi non sunt hæretici, sed solum de hæresi suspecti; crimen autem hæresis tantum post mortem delinquentis puniendum seruatur.*

10 *Hæretici memoria condemnari non potest, nisi priùs citentur filij, & hæredes, siue sint præsentes, siue absentes, siue certi, siue incerti, quorum interest; quia iusta defensio nemini denegatur.*

11 *Filijs, & hæredibus danda est copia indiciorum, & accusationum, vt se defendant, quia nullus aptior modus defunctum defendendi reperiri potest, quam probationes in contrarium infirmando.*

12 *Filij, & hæredes prædicti non tenentur comparere per se, sed sufficit, si compareant per Procuratorem, ita vt & sic comparendo audiri debeant.*

13 *Quilibet de populo volens hæreticum defunctum defendere, admitti potest, & debet ad illius defensionem, quia talis vtiliter gerit negotium Ecclesiæ, & Religionis, contra nonnullos contrarium sentientes.*

14 *Appellatio cuiuslibet pro morti damnato admitti solet, consequenter etiam & hæc defensio.*

15 *Neque is de populo dicitur Hæretici defensor, quia non constat, si non sit condemnatus, quod defunctus fuerit hæreticus.*

16 *Reus defunctus facta citatione, & processu quàbreuissimè fieri poterit formato, statim absolui, vel condemnari debet: Et Inquisitores causam in suspenso habere non possunt, quia id cederet in grauissimum præiudicium filiorum, consanguineorum, & hæredum.*

17 *Inquisitores nunquam debent defunctum citare, & causam contra eius memoriam prosequi, nisi habeant plenam, & dilucidam probationem, quod ille in hæresi decesserit.*

18 *Inquisitores, spectato Iuris rigore, non impediuntur aduersus prædictum hæreticum defunctum semiplenè probatum inquirere, & causam agere, etiamsi aduersùs illum viuentem instituta fuerit Inquisitio, & processu pendente obierit, possint ij prosequi.*

19 *Causa dum interim formatur, donec sententia accessorit, possessores non debent bonorum sequestrationem pati, quia ipsi non deliquerunt, & cum ritè possederunt, non debent in casu dubio illorum vsu priuari.*

20 *Reus debet damnari formato processu, si hæresis est plenè probata, eiusque bona, licèt ad tertium possessorem deuenerint, debent fisco applicari, eiusdem ossa, si ab ossibus Catholicorum discerni poterunt, exhumari, & eandem effigies, seu statua comburi.*

21 *Hæresis si non sit plenè probata, neque iudicetur, quod breui tempore probanda sit, reus absolui debet, ne fama detrimentum patiatur, néve ipsius filij, & hæredes aliquo modo grauentur.*

22 *Hæreticus si in extremis signa contritionis exhibuerit, & ob temporis angustiam absolui non potuerit, eius memoria damnari non debet, sed potiùs debet ad reconciliationem admitti.*

SVppono, quod licèt morte delinquentis extinguantur omnia crimina, *l. 1. C. si reus, vel accusatus mortuus fuerit, l. pupillum, §. in hæredem, ff. de regul. iur. l. defuncto, ff. de public. iudic. & l. 1. C. vt ex delicto defunctorum,* non tamen extinguatur crimen hæresis, sicut nec crimen læsæ Maiestatis humanæ, *l. Manichæos, §. 2. C. de hæret.* ibi: [In mortem quoque Inquisitio extendatur; nam si in criminibus maiestatis licet memoriam accusare defuncti, non immeritò & hic debet subire tale iudicium.] Item *l. vltima, C. ad leg. Iul. maiest.* Item *c. final. 24. q. 3. ex c. accusatus, §. in eo verò, & cap. filij, de hæret. in 6.* & docent communiter DD. quos citat, & sequitur Farin. *q. 10. n. 137.* Hoc supposito, 1

Respondetur, vt hæreticus defunctus damnetur, requiruntur claræ, & dilucidæ probationes, quod scilicet ille in hæresi decesserit, Vmbert. Locat. *in Iudic. Inquisit. verb. Cadauera, n. 1. & verb. filij, n. 13.* Peña *3. p. direct. comment. 92. vers. & ratio quidem,* Simanch. *de cathol.* 2

instit.tit.18.rubr.de defunctis,n.13.& tit.46.rub.de pœnis,n.77. Rojas *de haret. p.2.n.30.* & alij passim, quos refert; & sequitur Farin. *q.197.n.104.* Quidquid in contrarium dixerit Dec. *in tr.crim.lib.5.c.57.n.6.& 9.*

Probatur, quia hæreticus viuens damnari non potest, nisi legitimè confessus, vel conuictus de hæresi fuerit: Ergò multò minùs defunctus, qui ius defendendi se non habet.

3 Dices: licèt damnari non possit vt hæreticus, damnari tamen poterit vt de hæresi suspectus: Ergo.

Respondetur: Nego antecedens, quia in supradictis textibus solùm conceditur condemnatio aduersùs hæreticum, non item aduersus de hæresi suspectum, & infamatum: quod vlterius etiam patet, quia *ex citato cap. accusatus*, proceditur ad confiscationem bonorum, quæ suspecto de hæresi conuenire non potest: Tum quia suspiciones hæresis morte delinquentis extinguuntur, *ex dicto cap.accusatus,* & docent DD. *in locis suprà cit.* videatur præcipuè Simanch. *de cathol.instit.tit.4.n.5.*

4 Aduerte tamen, quòd hæresis plenè, & sufficienter probetur:

Primò, si illam viuens confessus fuerit, & illius pœnitentiam non demonstrauerit; quia tunc, tanquam pertinax qui noluit Ecclesiæ reconciliari, condemnari debet.

5 Ad huiusmodi probationem reducitur, si in carcere existens seipsum interfecerit; quia illa est quædam criminis confessio: credi namque debet, quod ex conscientia criminis se interfecerit, & quod pœnitentiam de illo facere noluerit, sic Simanch. *de cathol. inst.cit. tit.18.n.31.* Peña *3.p.director. comment.42. vers. quod ipsum in eo,* Gundisaluus *de haret.q.25.n.1.* & alij quos refert, & sequitur Farin. *q.197.n.90.*

6 Secundò probatur testibus, qui debent esse omni exceptione maiores, alias plenè, & concludenter non probabunt, iuxta ea quæ dicebam suprà *dub.198.* Sicque intelligitur instructio Toletana anni 1561.*n.61.* sicuti videre est apud Rojas *de haret. p.2.n.10.*

7 Hinc sequitur, quod si pendente processu mortuus fuerit Inquisitus, eius memoria (nisi aliunde plenè, & concludenter hæresis probata fuerit) damnari non possit, quia infamatus de hæresi, hæreticus non est: Tum quia eo ipso, quod malitia defuncti plenè probata non sit, hæres defuncti innocentiam illius probasse censetur: Decianus, Simanchas, & alij, quos citat, & sequitur Farin. *q 197.n.98.*

8 An autem hæresis probetur sufficienter, eo quòd probetur extitisse quis contumax per annum in excommunicatione ob causam fidei, & sic mortuus fuisse,

Respondetur, quod quamvis nonnulli negent, quia talis non est verè hæreticus, sed solùm per fictionem iuris: Ergo lex eximens crimen hæresis à generali regula, qua omnia delicta morte deliquentis extinguuntur, de vero delicto hæresis, & non præsumpto intelligi debet; probabilius tamen sit oppositum, quod docent Clar. *pract.§.haresis,n.19.vers.item de crimine.* Decian. *tract.crim.lib.5.c.57.n.6.* & Farin.*q.197.n.93.* scilicet quod sic hæresis sufficienter probatur.

Ratio, quia illa probatio, viuente delinquente, sufficeret ad illum tanquam hæreticum condemnandum, & declarandum: ergo non est cur & ipso mortuo, non sufficiat, cùm iam à iure illa contumacia tanquam legitima probatio hæresis, & non tantùm suspicionis de hæresi, admissa sit.

9 Sequitur 2. quod post mortem non procedatur aduersus fautores, defensores, vel receptatores hæreticorum, &c. quia tales non sunt hæretici, &c. sed solùm de hæresi suspecti: Crimen autem hæresis tantùm post mortem delinquentis puniendum seruatur (vti suprà dicebam:) Ergo nec istorum crimen etiam. Et patet vlteriùs ex textu expresso *in cap.accusatus, §.si vero, de haret. in 6. ibi:* [Eius hæredibus non est satisfactio pro extincto iam crimine iniungenda.] Et docent communiter DD. Simanch. *de cathol.instit.tit.4.rubr. de accus.n.5.* Peña *3.p.director. comment.92. vers. alterum caput.* Dec. *tract.crim.lib.5.cap.51.n.35.* Farinac. *q.197.n.104.* & Acuña *in decretis Gratiani, part.2. distinct.23.c.14.n.6.*

Aduerte secundò, quod hæretici memoria condemnari non possit, nisi priùs citentur filij, & hæredes (siue sint præsentes, siue absentes, siue certi, siue incerti), quorum interest, quia iusta defensio nemini denegatur. Ergo cùm filij, & hæredes ex condemnatione defuncti, tam in fama, quàm in bonis, quibus spoliantur, grauissimum damnum recipiant, citari debent, vt si velint inquisitum defendere, allegare possint, si quid in illius defensionem habeant. 10

Cæterùm, vt filij, & hæredes hoc facere possint, dari debet ipsis copia indiciorum, & accusationum, quia nullus aptior modus defunctum defendendi reperiri potest, quàm probationes in contrarium infirmando; ita Peña *3.p.director.comment.95. circa finem.* Dec. *tract.criminal. lib.5. cap.57. n.8.* & alij quos sequitur Farin. *q.197. n.106.* videatur etiam instructio Toletana anni 1561.*n.61.* 11

Aduerte tertiò, quod dicti filij & hæredes non tenentur comparere per se, sed sufficit si compareant per Procuratorem, ita vt & sic comparendo audiri debeant, ità Simanch *in Enchir.tit.43.rubr.de Procurator. n.3.* & alij quos sequitur Farin. *loco suprà cit.n.83.* Solùm à defensione hæretici defuncti (qui in extremis ab hæreticis consolationem expostulauit) excluduntur filij, domestici, & hæredes; nisi velint probare, quod ille, cùm id fecit, mentis compos non fuerit; iuxta textum *in c.filij, de haret.in 6.* quæ prohibitio ad aliam quamcunque defensionem non extenditur. Decianus, & alij quos citat, & sequitur Farin. *q.197.n.111.* 12

An autem quilibet de populo volens hæreticum defunctum defendere, admitti debeat?

Respondetur, quod quamvis Rojas *singul.39.* & alij negent, quia si filius, consanguineus, vel hæres defuncti non est, illius defuncti condemnatio sua non interest. Ergo illius defuncti partes assumens, videtur quod fiat hæreticorum fautor, & defensor. Multò probabilius tamen sit oppositum, quod docet Peña *3.part. directorij, q.92. vers.eo termino elapso, & seqq.* Decian. *tract.crim. lib.5.cap.27.n.31.* Simanch. *de cathol.instit. cap.18.n.15,& in Enchirid.tit.62.n.8.* Gundisaluus *de haret.q.12.n.9.* & Farin. *q.197. n.108.* quod scilicet quilibet de populo volens hæreticum defunctum defendere, admitti possit, & debeat ad illius defuncti defensionem. 13

Probatur, quia talis de populo vtiliter gerit negotium Ecclesiæ, & Religionis: cùm enim Ecclesia suis edictis citet ad comparendum eos, qui hæreticum defunctum defendere velint, & casu quo nullus compareat, ex officio signet defensorem, sequitur quod qui de populo assumit officium defensionis defuncti, negotium Ecclesiæ, & Religionis faciat, & non proprium.

Confirmatur, quia cuiuslibet appellatio pro morti damnato admitti solet: Ergò & hæc defensio admitti debebit, cùm vtraque in charitate fundetur. 14

Atque hinc patet ad argumentum in contrarium, non enim iste talis de populo (vt argumentum contendebat) dici poterit hæreticorum fautor, & defensor, quia vsquequò defunctus condemnatus fuerit, non constat, ipsum hæreticum fuisse: sed solùm constat ipsum, ipsiusque filios, consanguineos, & hæredes in summo periculo grauissimi damni versari: quod si iustè aduerti potest, charitas petit vt aduertatur: sic Peña, Decianus, Simanch. & Farin. *loco suprà cit.* 15

Aduerte quartò, quod facta citatione, & processu, quâ breuissimè fieri potest, formato, reus defunctus statim absolui, vel condemnari debeat, & Inquisitores causam 16

in

in suspenso habere non possint, quia id cederet in grauissimum præiudicium filiorum, consanguineorum, & hæredum, qui matrimonia, & contractus interim celebrare impedirentur; cum nullus auderet contrahere cum illis, quorum ascendens periculum damnationis subit, & quorum contractus periculum rescissionis, quorumque diuitiæ periculum confiscationis subeunt; ita Doctores, quos sequitur Peña *citato comment.* 92. *vers. obseruandum etiam confer ex quadam instructione Abulensi.*

17 Aduerte 5. quod nunquam tamen Inquisitores debeant defunctum citare, & causam contra eius memoriam prosequi, nisi plenam, & dilucidam probationem, quod ille in hæresi decesserit, habeant: sic Peña 3. *part. Directⁱ. comment.* 92. *vers. in hac causa.* Simanch. *de cath. inst. tit.* 18. *rub. de defunctis, num.* 12. Rojas *tract. de haeret.* 2. *part. num.* 30. *ex quadam instructione Granatensi, & Madrilliana,* & alij, quos citat, & sequitur Farinac. *quæst.* 197. *num.* 120.

18 Quamvis, spectato iuris rigore, non impediantur Inquisitores aduersus prædictum hæreticum semiplenè probatum inquirere, & causam agere; ita vt si aduersus illum viuentem instituta fuerit Inquisitio, & processu pendente obierit, possint Inquisitores prosequi; quia semper censetur prosequi causam aduersus hæreticum, aliàs si semper causa defuncti ante citationem hæredum plenè probari deberet, frustratoriè ad eius defensionem hæredes citarentur. Ita Decian. *tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 57. *num.* 6. *& seq.* Farinac. *quæst.* 197. *num.* 99. & alij.

19 Aduerte 6. quod interim tamen, quo causa formatur (donec sententia accesserit) possessores non debeant bonorum sequestrationem pati; quia ipsi non deliquerunt; & cùm ritè possederint, non debent in casu dubio illorum vsu priuari. Sic Peña *citato comment.* 92. *vers. tamen si verò,* & alij quos citat, & sequitur Farinacius *quæst.* 197. *num.* 102.

20 Formato autem processu, si hæresis est plenè probata, reus debet damnari, eiusque bona, licèt ad tertium possessorem deuenerint, debent fisco applicari, eiusdemque ossa, si ab ossibus Catholicorum discerni poterunt, exhumari, & exhumata simul cum statua, vel effigie comburi: vide Doctores communiter, quos citat, & sequitur Farinac. *q.* 197. *num.* 92. *& seqq.* videri etiam poterit Peña *citato comment.* 92. *circa finem*, qui rectè subdit, sententiæ formam optimam esse, quæ deducitur ex illa, quæ lata fuit in Concilio Constantiensi *sess.* 8. aduersus Ioannem Vvicler hæreticum.

21 Quod si hæresis non est plenè probata, neque iudicatur, quod breui tempore probanda sit, reus absolui debet, ne famæ detrimentum patiatur, neve ipsius filij, & hæredes aliquo modo grauentur; quia in hac absolutione nullum Ecclesiæ, neque fisco sequitur inconueniens; Quandoquidem superuenientibus nouis probationibus, & his iunctis cum iis, quæ priùs erant in processu, poterit sic absolutus condemnari. Vide Doctores, quos sequitur Peña *cit. comment.* 92. *vers. quod si fortassis.*

22 Aduerte 7. quod semper adhuc locutus sim de hæretico, si sic decesserit; quia si in extremis signa contritionis exhibuerit, & ob temporis angustiam absolui non potuerit, eius memoria damnari non debet, sed potiùs debet ad reconciliationem admitti. Vmbertus Locatus *in iudiciis Inquisit. verbo cadauera, numero* 1. *& verb. Inquisit. num.* 25. & alij, quos sequitur Farinac. *quæst.* 193. *num.* 20. *&* 21. ex textu *in cap. à nobis* 2. *de sentent. excommunic.* & ex textu *in cap. filij, de haret. in* 6. ducto argumento à contrario sensu.



DVBITATIO CCV.

Per quantum temporis præscribatur, ne contra defunctum hæreticum procedi possit ad eius memoriam damnandam, & statuam, vel effigiem comburendam?

SVMMARIVM.

1 *Ius procedendi contra defunctum hæreticum præscribitur secundùm aliquos per quinquennium, per vicennium, per tricennium, per quatricennium, & tandem per nullum tempus: at probabilius præscribitur per quatricennium, quia ius confiscandi bona hæreticorum præscribitur per quatricennium.*

2 *Rejiciendi sunt Doctores illi, qui inter damnationem memoriæ defuncti, & confiscationem bonorum differentiam constituunt; quia confiscatio bonorum est accessoria memoriæ defuncti condemnatæ.*

3 *Hæreticorum bona non præscribuntur à possessoribus per spatium quinquennij, tametsi applicanda sint fisco sæculari; quia ad præscriptionem bonorum hæreticorum requiritur spatium 40. annorum, standumque est circa id Iuri Ecclesiastico.*

Respondetur, quod quamvis, vt videre est apud 1
Decianum *tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 57. *numero* 12. Peñam 3. *part. Directorij, comment.* 92. *vers. His ita positis, & sequentibus,* Farinac. *q.* 197. *num.* 112. *& seqq.* & alios, nonnulli putent, præscribi per quinquennium, alij per vicennium, alij per tricennium, alij per quatricennium, seu per annos quadraginta, alij tandem per nullum tempus; probabilius tamen sit, præscribi per quatricennium, seu per annos 40. sic Rojas *tract. de haeret.* 2. *part. num.* 193. *& singul.* 50. Mascard. *de probat. lib.* 1. *concl.* 112. *num.* 29. & alij, quos sequitur Farinacius *quæst.* 10. *num.* 82. *vers. in dic.*

Probatur, quia cùm (sicuti suprà suo loco dicebam) ius confiscandi bona hæreticorum præscribatur per quatricennium, seu per annos quadraginta, & hoc ius sit accessorium memoriæ defuncti damnatæ, fit quod & toto illo tempore defuncti memoria damnari, & statua, vel effigies comburi possit.

Hinc sequitur, quod rejiciendi sint Doctores illi, 2
qui inter damnationem memoriæ, combustionemque statuæ defuncti, & confiscationem bonorum differentiam constituunt, vt sunt Felinus *cap. cum nobis, de præscript. num.* 52. & Baiardus *ad Iul. Clar. §. hæresis, n.* 27. qui docent, damnationem memoriæ, combustionemque statuæ defuncti præscribi per quinquennium, & confiscationem bonorum præscribi per quatricennium, & vt sunt Peña *cit. comment.* 92. *vers. His ita positis,* Graffius *lib.* 2. *decis. cap.* 11. *n.* 12. Couar. *in* 4. *decretal. part.* 2. *cap.* 6. *n.* 16. Simanch. *de cath. inst. tit.* 18. *num.* 24. Acuña *in decret. Gratiani, part.* 1. *dist.* 23. *cap.* 14. *n.* 6. Azor. 3. *part. inst. moral. lib.* 1. *cap.* 18. *vers. nihilominus,* & Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 22. *n.* 22. qui etsi tolerabilius, & forsan etiam non omninò improbabiliter, tenent è contra, confiscationem bonorum per quatricennium, iuxta textum *in c.* 2. *de præscript. in* 6. damnationem autem memoriæ, combustionemque statuæ defuncti præscribi per nullum tempus, ex eo quia, inquiunt ipsi, citatus textus loquitur tantùm de præscriptione quoad sola bona hæreticorum.

Probatur, quia (vt omittam, quod hæc distinctio, teste Farinacio *q.* 197. *num.* 116. nec iure, nec ratione fundetur) confiscatio bonorum, vti dicebam, est accessoria memoriæ defuncti condemnatæ; ita vt super confiscatione bonorum non requiratur specialis sen-

sentia, sed eo ipso, quo memoria defuncti damnatur; bona illius maneant fisco applicata, & liberè possint à fisco occupari: Ergo si memoria defuncti non nisi infrà quinquennium damnari potest, neque confiscatio bonorum vltra quinquennium locum habebit: vel è contra, si memoria defuncti semper damnari potest, etiam bonorum confiscatio, quæ illi accessoria est, semper locum habere debebit. At de hac re, præter Doctores suprà citatos, videatur etiam Rojas *singul.* 90. Zanchin. *de haret.cap.* 24. *num.* 5. & ibi Campeg. *lit. B.*

3 Ex his sequitur contra Gloss. *in l. Manichaos, verb. subire, Cod. de heret.* Bartolum *in l. 2. Cod. de apostatis,* & alios, quod bona hæreticorum non præscribantur à possessoribus per spatium quinquennij (tamen si applicanda sint fisco sæculari, sicuti præter alios voluit Couar. *in 4. Decretal, part. 2. cap. 6. n. 16.* Gomez *lib. 3. var. cap. vltim. num. 5.* & Quemada *in quaest. Fiscali, q. 16. consil. 2. & 3.*) Quia sicuti dicebam, ad præscriptionem bonorum hæreticorum *ex cap. final. de prascript. in 6.* requiritur spatium 40. annorum: Et in præscriptione circa bona hæreticorum (quamvis non etiam aliorum delinquentium) standum est Iuri Ecclesiastico, non autem Iuri ciuili, juxta ea quæ dicebam *dub. 134. sect. 3.* vbi & subdebam conditiones ad dictam præscriptionem necessarias. Videri etiam poteris Glossa *in dicto cap. finali de prascript. verb. hares,* Dominicus *ibid. §. si post mortem, num. 4.* Abbas *in cap. cum nobis, eodem tit. num. 8.* Felinus *ibidem, num. 15.* Syluest *verb. hareticus 1. num. 14.* Tabiena *eodem verbo, num. 12.* Molina *de iust. & iur. tom. 1. disp. 3.* Gundisalous *de hareticis, quaest. 22.* & Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 7. quaest. 16.*

PETITIO I.

An delicta (loquendo de delictis aliis in communi) per aliquod tempus, saltem inter Regulares, præscribantur?

SVMMARIVM.

1 *Delicta etiam inter Regulares per aliquod tempus non prascribuntur, quia publice interest, quod delicta puniantur, cum expediat Reipublica, ne maneant impunita.*

2 *Non est aperienda via fraudibus, & delictis, quorum pœna timeri debet, vt supplicium vnius esse possit exemplum multorum.*

3 *Potest quis puniri multoties, quotiescumque scilicet, cum puniri potuerit maiori pœna, punitus sit pœna minori: consequenter multò magis, si nulla vnquam pœna punitus fuerit.*

4 *Statutum, quo cauetur, delicta post aliquod tempus non esse punienda, si infra illud tempus non sint punita, etiamsi reperiatur in aliqua Religione, non est validum, vtpote contra ius canonicum, & ius ciuile.*

5 *Statutum si per principem sit confirmatum, non solum Laicorum, sed etiam Regularium, sustineri debet, ita vt minus ius commune ladatur.*

6 *Delicta stante statuto inducente prascriptionem, nunquam prascribuntur quoad hoc, vt non possit semper Pralatus ex officio Iudicis, per viam scilicet Inquisitionis procedens, delicta punire, ne de crimine infamatus in administratione diuinorum cum aliorum scandalo, & contra bonum commune toleretur: At non potest Pralatus per viam accusationis ad instantiam partis delictum punire.*

7 *Pralatus Religionis, stante statuto, quod delicta post aliquod tempus sint prascripta, adhuc potest procedere per viam Inquisitionis tantum ex officio, prasertim si per multos annos delictum non punuerit, vt aliquo modo impeditus, quia ex Regula Iuris impedito non currit tempus. Et multò magis si impeditus fuerit dolo, vel fraude, quia dolus, & fraus nemini debet patrocinari.*

RESpondetur negatiuè, Syluest. *verb. prascriptio 2. q. 2. & 3.* Spinatius *tract. 3. cap. 5. n. 1.* Diaz *in pract. cap. 150.* vbi Salzedo, Azor. *3. part. lib. 1. cap. 20. q. 5.* Glossa, Decius, Bossius, Nauarrus, quos refert, & sequitur Rodriq. *tom. 2. quaest. Regul. art. 11.* & Pagnin. *tom. 1. de subdito, q. 1. §. 4.* Qui duo postremo loco citati Doctores expressè aiunt, quod si Religiosus quindecim abhinc annis conuictus fuerit de aliquo delicto, de quo tunc non fuerit punitus, adhuc de eo nunc possit puniri. 1

Probatur, quia publicè interest, quod delicta puniantur, cùm expediat Reipublicæ, ne maneant impunita, *l. ita vulneratus, §. quod si quis, vers. cùm neque impunita, ff. ad leg. Aquil. l. licitatio, §. quod illicitè, ff. de publican. l. congruit, ff. de offic. Prasid. & l. Stichus, §. tamen si, ff. de solution.* Tum quia non est aperienda via fraudibus, & delictis; vide Doctores communiter, quos sequitur Bartholomæus Perrettus *ad extrauag. ambitiosè, de reb. Eccles. non alienand. num. 3.* & Barbos. *axiom. 68. n. 2.* cùm delicti pœna timeri debeat ad hoc, vt supplicium vnius possit esse exemplum multorum, *l. 1. Cod. ad leg. Iul. repet.* vnde est illud dictum commune: *Oderunt peccare mali formidine pœna, c. irrefragabili, §. caterùm,* vbi Glossa *verb. metu pœna, de offic. Ordinar.* Tum quia (sicuti constat ex ipso Iure) potest quis puniri multoties, quotiescumque scilicet cùm puniri potuerit maiori pœna, punitus sit pœna minori, *l. cùm ex vno, ff. de action. & obligat. l. qui seruum, & l. quoties, §. 1. eodem tit. l. 1. ff. ad legem Aquil. & l. si vulnerato, ff. de vi bon. rapt. cap. attendendum, 17. q. 4. & cap. et si Clerici, de Iudic.* Ergo multò magis id dicendum erit, si nulla vnquam pœna punitus fuerit. 2 3

Hinc sequitur, quod si alicubi, etiam in aliqua Religione, statutum existat, vt si per tot, vel tot annos delictum non fuerit punitum, ampliùs non puniatur, tale statutum, vtpotè contra ius Canonicum, & ciuile, non sit validum: quod si per principem statuta talis loci, vel talis Religionis confirmantem, vt validum aliquo modo sustineri possit, sustineri tantùm debeat, ita vt quam minimè potest, ius commune lædatur. Vide Doctores vbi suprà, præcipuè Peyrinom *loco cit. §. dico 3.* qui de similibus statutis loquens rectè ait, delicta nunquam præscribi quoad hoc, vt non possit semper Prælatus ex officio Iudicis, per viam scilicet inquisitionis procedens, delicta punire, ne de crimine infamatus in administratione diuinorum cum aliorum scandalo, & contra bonum commune toleretur, stante tamen statuto in contrarium, non posse Prælatum per viam accusationis ad instantiam partis delictum punire. Quamvis secùs per viam Inquisitionis ex officio, sicuti dicebatur, præsertim si Prælatus, etiam per multos annos delictum non puniuerit ex eo, quod impeditus fuerit aliquo modo, quia tunc intrat Regula, quod impedito non currat tempus, *l. 1. §. finali, C. de annal. except. & cap. quia diuersitatem, de concess. prabend. & cap. final. de elect.* Et videri poterit præter alios Tiraquell. *de retract. lignag. §. 3. gloss. 4. num. 6. & §. 35. gloss. 4. num. 29.* Et multò magis, si impeditus fuerit dolo, vel fraude; quia tunc intrat altera Regula, quod scilicet dolus, & fraus nemini debeat patrocinari, *l. is qui dolo, ff. de rei vendic. l. nec ex dolo, ff. de dolo, & l. 3. ff. de transact.* 4 5 6 7

PETITIO II.

Quando, & quomodo in crimine hæresis Inquisitores procedere debeant ad carcerandum reum?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores in crimine hæresis cùm infamiam inferat, casu quo fuga rei non timeatur, procedere non debent ad eum carcerandum, nisi adsint sufficientia indicia ad torquendum: Et quando denunciatus est vir grauis, priusquam carceretur, iniungendum est vni ex consultoribus, vt secretè se informet à Parocho denunciati de vita, & moribus, & ab aliis personis fide dignis.*

2 *Inquisitores rarò procedunt ad citationem verbalem, & quando citant, non inserunt in citatione causas delicti, sed in genere citant ad subjiciendum se examini super nonnullis mouentibus mentem ipsius Curiæ tangentibus sanctam fidem.*

3 *Ad rei capturam plena delicti probatio, vel maxima indicia, vel vehementes suspiciones in hoc sancto Tribunali præcedere debent.*

4 *Testimonium vnius viri omni exceptione maioris sufficit ad carcerandum; secus si accusatus sit vir nobilis, vel bonæ famæ, quia in tali casu requiruntur plures testes.*

1 RESpondetur: In crimine hæresis, cùm infamiam inferat, Inquisitores (casu quo fuga rei non timeatur) procedere non debent ad eum carcerandum, nisi adsint sufficientia indicia ad torquendum. Zanard. *in Direct. Theolog. part. 3. cap. 83.* Boer. *decis. 215. n. 34.* Simanch. *in Enchirid. tit. 25. n. 2.* Acuña *tract. de conf. solicit. q. 4. n. 17.* Cantera *in quæst. crim. cap. 5. de probat. per testes, q. 1. n. 60.* vbi testatur, quod sic seruetur in Inquisitione Hispanica. Genuens. *in prax. Archiepisc. cap. 68. n. 3.* vbi testatur, quod sic etiam seruetur in Inquisitionibus Italiæ; subditque quod cùm carceratio in causis sanctæ fidei irroget sæpè infamiam, Curia nunquam procedit ad capturam, nisi saltem adsint indicia ad torturam: & nonnunquam, quando denunciatus est vir grauis, priusquam carceret, solet dicta Curia injungere vni ex consultoribus, vt secretò se informet à Parocho denunciati, vel ab aliis personis fide
2 dignis, quomodo viuit, & moribus se gerat. Rarò autem procedat ad citationem verbalem, & quando citat, non inserit in citatione, vt in aliis citationibus fieri debet, causam delicti, sed citat in genere ad subjiciendum se examini super nonnullis mouentibus mentem ipsius Curiæ tangentibus sanctam fidem. Peña *in director.*
3 *Inquisit. part. 3. comment. 13.* vbi ait, quod ad rei capturam plena delicti probatio, vel maxima indicia, vel vehementes suspiciones præcedere debent; quia ex leuibus suspicionibus non est ad eam, si rei fuga non timeatur, deueniendum. Et licèt soli Inquisitores possint capturam decernere, tutius tamen est, quod maturo consultorum consilio, tùm ob delictum omnium grauissimum, tum ob famam, quæ propter solam capturam grauiter offenditur, rem istam aggrediantur. Rojas *de hæret. part. 2. assert. 1. n. 22.* vbi inquit, quod testimo-
4 nium vnius viri omni exceptione maioris sufficiat ad carcerandum: Secus si accusatus sit vir nobilis, vel bonæ famæ, quia in tali casu requiritur, quod adsint plures testes, vel indicia. Adeò vt propterea velint nonnulli, quod Inquisitores etiam Sacerdotem in causa hæresis non debeant incarcerare ex delatione vnius testis, & debeant semper considerare circunstantias, & qualitates testis, & rei. Videatur præter Doctores citatos etiam instructio Toletana anni 1561. *num. 5.*

PETITIO III.

An puniri debeat tanquam hæreticus, faciens ritus hæreticales, vel proferens verba hæreticalia, sed negans intentionem.

RESpondetur: de hac re dixi suprà *dub. 193. sect. 3. num. 4. & sequentibus.*

PETITIO IV.

An qui fuit absolutus in causa fidei, superuenientibus nouis indiciis, iterum possit inquiri, examinari, & condemnari, etiam pœna ordinaria?

RESpondetur: de hac re dixi *citata dubitat. 193. sect. 8. & 9.*



DVBITATIO CCVI.

Quonam modo procedatur aduersus dæmonem adorantes, aduersus lamias, stryges, sagas, magas, maleficas, seu veneficas?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitor aduersus dæmonem adorantes, lamias, stryges, sagas, magas, maleficas, seu veneficas, non debet procedere ad capturam, & ad iudiciarium processum, nisi adsit verisimile commissi criminis indicium, & non sola delatio personarum infamium, vel sola infamia à talibus orta.*

2 *Item debet iuxta numerum delationum, & grauitatem indiciorum ad torturam ipsarum deuenire, & grauiùs, vel sæpiùs quàm indicia exigant, non torqueat.*

3 *Inquisitor in crimine hæresis, cui propter grauitatem crimen maleficij æquiparatur, solet ad torturam esse pronior, cùm sit crimen valdè perniciosum, suâ naturâ occultum, & plerumque plena probatione destitutum.*

4 *Indicia grauia, si persona sit magni nominis, familiæ, vel dignitatis, requiruntur in crimine maleficij, præsertim ad processum specialem instituendum.*

5 *Tortura vt inferatur de crimine suspecto, requiruntur indicia talia; quibus Iudicis animus planè inclinetur ad existimandum hominem noxium esse.*

6 *Lamiarum aliqua, si dæmoni cultum exhibeat ex affectu dæmonem reuerendi, absque errore intellectus (etsi hæretica non sit) quia tamen est verè idololatra, incurrit præter bonorum confiscationem alias pœnas aduersus hæreticos latas. Secùs si cultum dæmoni exhibuerit ex metu, vel auaritia, vel ex alio affectu, quia tunc pœnam excommunicationis non incurrit, cùm non sit verè idololatra.*

7 *Lamiæ vt capiantur, requiruntur indicia, & probationes clariores, quàm in aliis delictis ob periculum falsitatis, quod vt experientia docet, frequenter contingere solet, ex dæmonis enim illusione videntur adesse earum complicibus in Congregatione quam habent, multi viri probi, qui reuera non sunt; quapropter ex complicum depositione non capitur reus, Vbi vidè quæ dicuntur de illusione dictarum lamiarum.*

8 *Lamiarum istarum aliqua si seipsam detulerit, & dæmoni cultum exhibuisse, illique credidisse, & à nostra fide ex animo apostatasse fassa fuerit, ad reconciliationem secretam admittitur, eius bona non confiscantur, neque habitus pœnitentialis imponitur. Vbi quod si bis, vel ter relabatur, licèt de rigore iuris tradenda sit brachio sæculari, in Hispania tamen admittitur ad reconciliationem.*

9 *Delinquens absoluitur ad cautelam, si spontaneè confiteatur.*

fiteatur in congregatione lamiarum dæmonem adorasse, absque tamen apostasia à fide.

1 RESpondetur, ita vt officium Iudicis in processu contra istaa sit. Primò, vt nullam ea ipsis capiat, & ad iudiciarium processum trahat, nisi adsit verisimila commissi criminis indicium, & non sola delatio personarum infamium, vel sola infamia à personis vilibus, & improbis orta, sine probabili causa, vel coniectura aliqua. Vide Doctores communiter, quos sequitur Farin. *lib.* 5. *q.* 47.

2 Secundò, vt iuata numerum delationum, & grauitatem indiciorum ad torturàm ipsorum deueniat, & grauiùs, vel sæpiùs, quàm indicia exigunt, non torqueat.

Cæterùm ex Rojas *tract. de hæret. assert.* 31. *num.* 169. Binsfeld. *de conf. malef. membr.* 2. *concl.* 5. §. *hac quæstio*,
3 Mart. Delrio *lib.* 5. *sect.* 5. *circa finem*, & aliis communiter in crimine hæresis (cui propter grauitatem crimen maleficij æquiparatur) Iudices ad torturam solent esse promiores, cùm sit crimen valdè perniciosum, sua natura occultum, & plerumque plena probatione destitutum, *argumento l. Diuus, ff. de quæst.* ex quibus Doctoribus subdunt nonnulli, quod dicta crimina adeò detestabilia, & parniciosa sunt, vt licèt interdum contingat, quibusdam prauis hominibus ea denunciantium malitia iniuriam fieri, potiùs id permittendum sit, quàm vt per Magistratus dissimulationē bonum publicum pericliretur.

4 Nihilominùs tamen iuxta ea, quæ dicam infrà *aduertendo* 2. dicendum mihi videtur, quod in crimina maleficij, præsertim ad processum specialem iustituendum requirantur indicia grauia (quæcumque persona sit illa, contra quam talis processus instituitur) & requirantur indicia grauiora, si persona sit magni nomi-
5 nis, familiæ, vel dignitatis. Ad torturam autem de crimine suspecto infrendam requirantur *ex l.* 1. *ff. de quæstionib.* semper indicia talia, quibus Iudicis animus plenè inclinetur ad existimandum hominam noxium esse: ita vt nihil aliud deesse videatur, quàm ipsius rei confessio: vida Doctores, quos sequitur Martinua Delrio *lib.* 5. *sect.* 3. §. *ad assumendas.* Vide etiam quæ dicebam suprà *dubit.* 192. *sect.* 8.

6 Aduerte tamen hîc, quod si lamiarum, vel sagarum istarum aliqua dæmoni cultum exhibeat ex affectu dæmonem reuerendi absque errora intellectos (etsi hæretica non sit) quia tamen est verè idololatra, incurrit præter bonorum confiscationem, alias pœnas aduersus hæreticos latas *ex Extrauag. Ioannis XXII.* quæ incipit, *super illius specula*, apud Penam 2. *part. Direct.* *q.* 43. *num.* 9. (quamvis nonnulli putent, extrauagantem istam non esse vsu receptam.) Quod si cultum dæmoni exhibuerit ex metu, vel auaritia, vel ea alio affectu, pœnam excommunicationis non incurrit, quia non est tunc verè idololatra, sicuti dicebam, & docent Doctores, quos sequitur Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 7. *n.* 10.

7 Aduerta 2. quod ad capturam istarum requirantur indicia, & probationes clariores, quàm in aliis delictis, ob periculum falsitatis, quod vt experientia docet, sæpà sæpiùa contingere solet: Quapropter ex depositiona præcisa complicum, qui testentur, quod quis adfuerit in Congregatione istarum lamiarum dæmonem adorantium, quodque is ibi & dæmonem adorauerir, non capitur reua, quia sæpè per illusionem dæmonis aliqui probi viri in hac Congregatione adesse videntur; cùm tamen reuera non adsint, quin & ipsæ lamiæ etiam sæpè sæpiùs existimant corporaliter adesse, cùm tamen & ipsæ etiam solùm in repræsentatione adsint. Vide Doctores, quos citat, & sequitur Farinac. *q.* 185. *n.* 152. & *q.* 188. *n.* 76. vnde si simul cum complicum depositione non constet de aliquo actu exteriori (v.g. de nece alicuius hominis, vel alicuius animalia) vel apud testificatum non appareant aliqua vnguenta, & animalia immunda, vt bufones, vel angues, ex quibus vehemens præsumptio criminia oriatur, nunquam reua captura traditur, saltem iuxta practicam Inquisitionis Hispaniæ ea quadam instructione Madrilisna, quæ est 15. & 20. circa lamias.) Vide etiam quæ dicebam suprà *dubit.* 192. *de tortura*, *sect.* 8.

Aduerte 3. quod (si lamiarum istarum aliqua se 8
ipsam detulerit, & dæmoni cultum exhibuisse, illique credidisse, & à nostra fide ax animo apostatassa fassa fuerit) ad reconciliationem secretam admittatur, eius bona non confiscentur, nec ei habitus pœnitentialis imponatur, iuxta prædictam practicam Inquisitionia Hispaniæ ex quadam instructione Madriliana anni 1613. quæ est 14. circa lamiaa: Quod si post hanc abiurationem relabatur, quamvis de rigore iuris, tanquam relapsa, brachio sæculari tradi deberet; nihilominùs in Hispania iuxta supradictam instructionem ad reconciliationem, & bis, & ter admittitur: Si verò sic delinquens in minori ætate, v.g. ante 12. vel 14. annum fuerit, solùm ad cautelam absoluitur. Esto in aliis dalictis, si fuerit doli capax, absolutà absoluatur, iuxta supradictam instructionem Madrilianam.

Aduerte 4. quod si delinquens, & sponsaneè confi- 9
tena, sa in congregatione lamiarum dæmonem adorantium, absque tamen apostasia à fide, adfuissa fateatur, tunc ipsius absolutio ad cautelam & abiuratio Commissariis remitti soleat.

PETITIO I.

An reus de maleficio condemnari possit pœna mortis ob multiplicatas personarum infamium denunciationes, tametsi ipsemet reus crimen tale confessus non fuerit?

SVMMARIVM.

1 *Reus de maleficio condemnari potest pœna mortis ob multiplicatas personarum infamium denunciationes, licèt ipse crimen confessus non fuerit, contra Martinum Delrio, & Farinacium, quia harum personarum depositio indicium aliquod facit, eoque maius quo plurium personarum infamium denunciationes, testimonia, seu depositiones simul concurrunt.*

2 *Denunciationes, testimonia, seu depositiones plurium, vt ad condemnatoriam sententiam persona non confessa sufficiant, debent ij esse contestes, id est de eodem facto particulari testificari.*

RESpondetur, quamvis Martin. Delrio *lib.* 5. *sect.* 15. 1
& alij, quos sequitur Farinac. *q.* 43. *num.* 59. & 62. negent. Probabilius tamen affirmant Gomez 3. *resolut.* *cap.* 12. *n.* 18. Binsfeld. *de confess. malef. memb.* 2. *conclus.* 7. & alij complures.

Probatur, quia licèt denunciatio, testimonium, seu depositio personæ infamia minùs probet; tamen indicium aliquod facit, eoque maius, quo plurium personarum infamium denunciationes, testimonia, seu depositiones simul concurrunt: Ergo fieri potest, quod tot personæ, v.g. quindecim, vel sexdecim lamiæ, seu sagæ da proprio crimine confessæ, aliam tanquam sociam perseueranter denuncient, vt exinde oriatur indicium moraliter certum, seu indubitatum, quod in criminibus exceptis, & ex sua natura occultis plenæ, seu perfectæ probationi æquiualere possit.

Cæterùm, vt denunciationes, testimonia, seu depo- 2
sitiones plurium ad condemnatoriam sententiam personæ non confessæ sufficiant, debent ij esse contestes, idest testificati de eodem facto particulari, sicuti suprà *dubit.* 197. *sect.* 14. 15. 16. & *seqq.* ex communi sententia Doctorum dicebam: ita vt huiusmodi depositiones, seu denunciationea personarum infamium, quamvis multiplicatæ, si sint solæ, vel non aliis grauioribus indiciis, aut testimoniis confirmatæ, ad condemnatoriam sententiam prædictæ personæ, seu prædicti rei non sufficiant.

PETITIO II.

An condemnatus ad ignem debeat viuus comburi, vel priùs ſuſpendi, ſeu ſtrangulari?

SVMMARIVM.

1 *Reus intelligitur quod comburatur viuus, ſi lex ob aliquod crimen ita iubeat. Et iudex ita exequi debet, niſi ſit ſupremus, qui poſſit in lege diſpenſare.*

2 *Condemnatus ad ignem apud Chriſtianos non comburitur viuus, ne incidat in deſperationem, &c.*

3 *Excipe niſi in crimine ſit pertinax, atque adeò impœnitens perſeueret maleficus.*

1 RESpondetur: ſi lex ob criminis atrocitatem iubeat ut reus igne comburatur, intelligitur quod comburatur viuus. Iulius Clarus *§. final. quæſt. 99. n. 7.* Couarruuias *2. reſolut. cap. 10. n. 9.* Binsfeld. vbi ſuprà, *membr. 2. concluſ. 7. dubit. 4.* & alij communiter: Quapropter iudex hoc legis præſcriptum exequi debet, niſi ſit iudex ſupremus, qui ſcilicet in lege diſpenſare poſſit, vel niſi propter circumſtantias ex epicheia quadam, legis rigorem in caſu particulari aliquo mitigandum eſſe arbitretur: vide Doctores, quos ſequitur Farinacius *in pract. criminal. q. 17. n. 5.*

2 Quamuis apud Chriſtianos conſuetudo ſit, quod ad ignem condemnatus non comburatur viuus, ne in deſperationem, vel in aliud graue peccatum incidat, ſicque impœnitens moriatur.

3 Excipe niſi in crimine pertinax, atque adeò impœnitens perſeueret maleficus, aut hæreticus; quia tunc meritò viuus comburi debebit; cùm ceſſet ratio, cur pœna iure decreta mitigari debeat.

PETITIO III.

An & in quantum lamia ſeu ſaga, ſi in carcere moriatur, de crimine infamari, vel damnari poſſit?

1 *Crimen, eiuſque pœna ordinariè non extinguuntur; id tamen locum non habet in criminibus exceptis, qualia ſunt crimen hæreſis, de quo reus conuictus, vel antea confeſſus, etiam poſt mortem damnari, eiuſque bona confiſcari poſſunt: Ideoque ſagæ, ſeu lamiæ, &c. in quibuſdam locis, ſi in carcere moriantur, ſolent comburi in loco publico. Idemque dic de aliis delictis grauiſſimis.*

2 *Lamia ſeu ſaga ſi in carcere decedat priuſquam crimen confeſſa ſit, vel fuerit conuicta, in loco ſacro ſepeliri debet, & ſic de aliis.*

3 *Excipe 1. niſi reus in carcere ſibimet ipſi mortem dederit; quia tunc cadauer ipſius igne comburi, vel furca ſuſpendi debet; ſecus ſi antequam moriatur, de crimine doleat, etiamſi mortem ſibi intulerit.*

4 *Excipe 2. ſi iudex permittens, vt cadauer ſepulturæ tradatur, tamen proteſtetur quod litem contra reum cœptam proſequi velit, citatis ad defenſionem iis, quorum intereſt, quamuis hoc ius agendi contra defunctum duret tantùm per quinquennium.*

1 RESpondetur, quamuis ordinariè crimen, eiuſque pœnæ morte extinguantur, *l. 1. & 2. Cod. ſi reus, vel accuſator mortuus ſit, & l. Lucius, ff. de Iur. fiſc.* Nihilominus id locum non habet in criminibus exceptis, qualia ſunt verbi gratia crimen hæreſis, *l. Manichæos, Cod. de hæretic.* crimen apoſtaſiæ, *l. hi qui, Cod. de apoſtat.* crimen maleficij, quippe quod hæreſi æquiparatur, crimen læſæ maieſtatis, *l. vltima, Cod. ad leg. Iul. maieſt.* crimen deſertæ militiæ, *l. defunctorum, Cod. de re militar. lib. 12. &c.* Quapropter in eiuſmodi criminibus reus conuictus, vel antea confeſſus, etiam poſt mortem, damnari, eiuſque bona confiſcari poſſunt. Gloſſa *in citat. l. 1. Cod. ſi reus, vel accuſator,* Clarus *citat. §. finali, q. 55. n. 14.* Gomez *3. reſolut. cap. 1. n. 8.* & alij paſſim. Ideoque in quibuſdam aliis locis conſuetudo eſt, quod in tali caſu lamia, ſeu ſaga, ſi in carcere poſt iuridicam criminis confeſſionem, vel conuictionem moriatur, in loco publico comburatur: quod idem in aliis grauiſſimis criminibus, vt hæreſis, læſæ maieſtatis, Sodomiæ, & latrocinij, etiam fieri conſueuit, vt ſcilicet cadauer rei in aliquo ex his crimine notoriè deprehenſi, confeſſi, vel conuicti, poſt ipſius mortem comburatur, vel ſuſpendatur; vide Doctores, quos ſequitur Gomez *citat. c. 1. n. 81.* & Iul. Clar. *vbi ſuprà, n. 15.*

2 Cæterùm ſi lamia, ſeu ſaga in carcere decedat priuſquam crimen confeſſa, vel de eo conuicta ſit, in loco ſacro, ſi aliud non obſtat, ſepeliri debet: Tantum abeſt, quod ipſius cadauer comburi, vel ipſius memoria, ſeu fama publicè damnari poſſit.

3 Excipe, niſi reus in carcere ſibimetipſi mortem dederit; quia tunc cadauer ipſius igne comburi, vel furca ſuſpendi iure, & meritò poterit; cùm tunc crimen tali pœna, ſicuti ſuppono, dignum ipſo facto confiteri cenſeantur. Couarruuias *2. reſolut. cap. 2.* Gomez *citat. cap. 1. num. 79.* Menoch. *de arbitrar. caſ. 285.* & Martin. Delrio *lib. 5. cap. 19.* quod adeò verum eſt, vt (tamen ſi ſaga, verbi gratiâ, ſibimetipſi mortem inferens antequam moriatur, de crimine doleat, & crimen confiteatur, quinimmò & ſacram Euchariſtiam accipiat) adhuc nihilominus iudex conſuetudinem ſequi poſſit, vt ſcilicet prædictæ ſagæ, tanquam crimen ſuum confeſſæ, cadauer comburatur, memoria, ſeu fama publicè damnetur, & bona confiſcentur; cùm pœnitentia illa, vtpote ſacramentalis, & ſecreta, foro externo nihil præiudicet.

Excipe 2. ſi iudex permittens, vt cadauer ſepulturæ tradatur, tamen proteſtetur, quod litem contra reum cœptam proſequi velit, citatis ad defenſionem iis, quorum intereſt, ſicut & in crimine hæreſis etiã paſſim ſeruatur, Doctores quos ſequitur Mart. Delrio *loco ſup. cit.*

4 Quamuis hoc ius agendi contra defunctum duret tantùm per quinquennium de iure ciuili, ſicuti colligitur *ex l. ſi quis defunctum, Cod. de apoſt.* & docet Gloſſa *in l. Manichæos, verb. ſubire, Cod. de hæret.* Quam Gloſſam præter alios ſequitur Clar. *q. 51. n. 24.* & Gomez *3. reſol. cap. 1. n. 81.* quid autem ſeruandum ſit de iure canonico, vide Textum *in cap. 2. de præſcript. in 6.* & quæ dicebam ſuprà *dubit. præcedenti.*

PETITIO IV.

An & quid dicendum ſit de praxi quorumdam iudicum, qui iam promulgata ſententia vnius lamiæ ſeu ſagæ, aliam extra, vel intra carcerem defunctam interdum nominant, quod v.g. hæc alia fuerit ſocia, vel magiſtra artis magicæ; cùm tamen de hoc crimine neque confeſſa, neque conuicta fuerit.

SVMMARIVM.

1 *Praxis quorumdam iudicum, qui promulgata ſententia vnius lamiæ, ſeu ſagæ, aliam extra, vel intra carcerem defunctam interdum nominant, quod v. g. hæc alia fuerit ſocia, vel magiſtra artis magicæ, cùm tamen de hoc crimine neque confeſſa, neque conuicta fuerit, videtur eſſe iniqua, quia iniquum eſſe videtur, quod talis per publicam ſententiam ſic infametur.*

2 *Praxis prædicta tolerari potest, si vehementia, & quasi indubitata adsint indicia.*

1 Respondetur: Praxis hæc videtur esse iniqua; quia iniquum esse videtur, quod talis mulier per publicam sententiam veluti damnata, sic infametur.

Quamuis si vehementia, & quasi indubitata adsint indicia (vt si verbi gratia sex, vel septem lamiæ, seu sagæ cum debitis circumstantiis, & coniecturis constanter asserant, quod dicta mulier fuerit socia, vel magistra talis artis magicæ, tolerari possit prædicta praxis, vt scilicet tunc in promulgatione nominent eam vt talem, si de hoc crimine priùs publicè infamata fuerit.

PETITIO V.

An, & cur plures viris mulieres cum dæmone paciscantur, & maleficia sectentur?

SVMMARIVM.

1 *Mulieres sunt proniores, quàm sint viri ad ineundum pactum cum dæmone, & maleficia sectanda, tum ob defectum iudicij, tum ob maiorem curiositatem, & ad libidinem maiorem proclinitatem, & sexus fragilitatem; &c.*

1 Respondetur (vt omittam, quod non primus vir, scilicet Adam, sed prima mulier, scilicet Eua, decepta fuerit à serpente) mulieres ob defectum iudicij citiùs, quàm viri, credunt, & faciliùs quàm viri decipiuntur: Sunt etiam viris curiosiores, ad libidinem proniores, atque animo infirmiores; ita vt propterea animi mœstitiam, & passiones ægriùs ferentes, faciliùs quàm viri, quodlibet quantumlibet impium dæmonis auxilium, & solatium admittant. Simanch. *de cathol. instit. tit.* 37. *num.* 1. Grillandus *tract. de sortileg. quæst.* 7. *num.* 11. & Binsfeldius *in rubrica Cod. de malef. & mathemat.*

Cætera quæ pertinent ad materiam de lamiis, seu sagis, vide infrà *dubitat.* 216. *petit.* 11. *vsque ad* 15.

PETITIO VI.

An Inquisitor propter cædes infantium tradere debeat stryges, seu lamias iudici sæculari?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitor propter cædes infantium non semper, sed solùm in quibusdam casibus debet tradere stryges, seu lamias iudici sæculari.*

1 Respondetur cum Peña *in paralipom. ad tract. de strygibus Bernardi Comensis, & in notis ad Ambrosium de Vignate, quæst. de strygibus, art.* 20. §. *si verò, &c.* Quatenus hic ait, quod (quamuis auctor mallei maleficarum, & Syluester teneant, quod & tenet Ambrosius de Vignate *loco citato*, lamias ob infanticidia, etiam in primo lapsu, tradi posse Curiæ sæculari, sicque aliquando obseruatum fit in certis Inquisitionibus particularibus, præsertim Pedemontanis, vbi quampluri mùm pestis ista inualuerat) non tamen consueuit hoc sanctum Officium illas tradere, nec aliter illas punire, quàm sacri Canones puniri mandant apostatas à fide Christiana.

Quamuis, si iudex sæcularis illas priùs Officio sanctæ Inquisitionis consignasset, suspensa aliorum criminum cognitione, tunc expedita causa hæresis, Officium sanctæ Inquisitionis debeat, & soleat eidem iudici illas restituere, de quo & extat particularis constitutio Pij V. apud eundem Peñam.

Quamuis etiam aliquando obseruatum sit, quod propter infanticidiorum frequentiam, & aliquas alias circumstantias aggrauantes, lamiæ facta abiuratione consignentur de mandato sanctissimi iudici sæculari, qui processum formabit de nouo super iisdem infanticidiis, vt quos reperierit culpabiles, puniat secundùm iura. At de hac re vide etiam, quæ dicam infrà *dubit.* 219. *sect.* 6.

PETITIO VII.

An possint Inquisitores soli, non requisitis Diœcesanis, procedere in causis strygum, seu lamiarum; secùs ac fit in causis hæreticorum, vt per textum *in cap. per hoc, de hæret. in* 6. *extrauagant. ex eo, de hæreticis, & Clement.* 1. *eodem titulo?*

SVMMARIVM.

1 *Possunt Inquisitores soli, non requisitis Diœcesanis, procedere in causis lamiarum, secùs ac fit in causis hæreticorum; contrarium tamen est tutius, atque decentius, & Inquisitio Hispanica seruat, vt in causis hæreticorum.*

Respondetur cum Peña *in Paralipom. ad tract. de strygibus Bernardi Comensis*, tutius, atque decentius esse, quod Inquisitores, non soli, sed requisitis Diœcesanis, procedant in causis strygum, seu lamiarum (sicut in causis hæreticorum) & quod similiter non soli, sed requisitis Diœcesanis, conficiant processus secundùm iuria dispositionem in textibus, quos suprà dicebam. 1

Quamuis si Inquisitores soli, non requisitis Diœcesanis velint procedere, id Inquisitores possint facere, & id quod soli, non requisitis Diœcesanis (siue condemnando, siue absoluendo) procedentes fecerint, atque decreuerint, sit validum ex Constitutione Alexandri VI. directa ad Angelum de Vetona Inquisitorem apud eundem Peñam vbi suprà.

Inquisitio tamen Hispanica seruat, quod Inquisitores simul cum Episcopo in causis contra stryges, seu lamias procedant, sicut in causis hæreticorum.



DVBITATIO CCVII.

Quonam modo procedatur contra Iudæos, Mauros, aliosque Infideles non baptizatos?

SVMMARIVM.

1 *Iudæi, Mauri, & alij fideles non baptizati, cùm sint extra Ecclesiam, videntur non posse puniri à Iudicibus fidei; secùs tamen est, quando delinquunt aduersus nostram legem; tunc enim à Iudicibus fidei puniri possunt.*

2 *Iudæus, Maurus, vel alius infidelis non baptizatus, si Ecclesias violet, Sacramenta contemnat, vel irridat,*

rideat, blasphemias in Christum iactet, puniri debet pro qualitate criminis.

3 *Item si Christiano persuadeant, vt fidem abneget, vel abnegantes recipiant, fauoremque hæreticis præstent, ne à fidelibus capiantur, puniri debent, tanquam hæreticorum fautores, pœna scilicet arbitraria, fustigationis, triremis, exilij, vel pecuniæ, nec non & alia pœna grauiori.*

4 *Iudæus, Maurus, aliusque Infidelis non baptizatus, si in iis, quæ sunt nostra, & suæ fidei communia, errauerit, negando videlicet non esse Deum, &c. potest puniri à Iudicibus fidei, præsertim ex Constitutione Gregorij XIII. Item ratione, quia nostram fidem offendit.*

5 *Res istius delicta vt puniri possint, debent esse commissa in præsentia Christianorum.*

6 *Contingere potest, aliquem non esse baptizatum, & tamen vt talem communiter reputari.*

7 *Iudæus, Maurus, vel quicunque alius Infidelis, quando puniendus est, ab Inquisitore simul, & ab Episcopo puniri debet.*

1 RESpondetur: Tales, quamuis (cùm sint extra Ecclesiam) à iudicibus Fidei puniri non posse videantur, quia tamen id solùm verum est quando aduersus suam legem, & non specialiter aduersus nostram delinquunt, sequitur quod à prædictis iudicibus Fidei, (ad quos pertinet illam immaculatam custodire, & à quibuscumque contrariis defendere) puniri possint, & debeant. Eymer. 3. *part. Direct. quæst.* 46. & ibi Peña *comment.* 69. *vers. tertium est, & sequentibus, & comment.* 71. Rojas *tract. de hæreticis, part.* 1. *n.* 557. *& seqq.* Riminaldus *consil. crimin. diuers.* 83. *n.* 4. *lib.* 2. Campeg. *in addition. ad Zanchinum, tract. de hæreticis, quæst.* 9. *n.* 12. Azor. *instit. moral. part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 22. *rubrica de obstinata Iudæorum perfidia, q.* 12. Simanch. *tit.* 35. *per totum.* Cantera *in quæst. criminal. cap.* 1. *de hæretic. num.* 72. Sousa *in Aphorism. Inquisit. lib.* 1. *cap.* 37. *n.* 18. *& seqq.* Scortia *in Bullas Pontific. theor.* 347. Ricciull. *de iur. person. lib.* 1. *cap.* 52. *n.* 7. & alij passim, quos sequitur Farinac. *quæst.* 178. §. 6. *num.* 143. *ex cap. contra Christianos, de hæreticis in* 6. *ex extrauaganti Gregorij XI.* quæ incipit: *Admodum dolenter audiuimus & ex Constitutione Gregorij XIII.* quæ incipit: *Antiqua Iudæorum improbitas*: apud Peñam *in fine Directorij, inter literas Apostolicas.*

2 Hinc sequitur, quod si quis Iudæus, Maurus, aliusque Infidelis non baptizatus Ecclesias violat, Sacramenta contemnit, vel irridet, blasphemias in Christum iactat, puniri debeat pro qualitate criminis.

3 Sequitur secundò, quod si Christianis persuadet, vt fidem abnegent, ipsius ritus sequantur, vel abnegantes, & ipsius ritus sequentes recipit, & abscondit, alium Iudæum impedit, ne baptismum suscipiat, vel fauorem hæreticis præstat, ne ab Inquisitoribus capiantur, puniri debeat tanquam hæreticorum fautor, pœna scilicet arbitraria priuationis communicationis cum Christianis, fustigationis, triremis, exilij, vel pecuniæ, necnon & alia pœna grauiori (prout Inquisitoribus visum fuerit) etiam vsque ad relaxationem brachio sæculari; sic Doctores *in locis suprà citatis ex supradictis Iuribus, & Constitutionibus.* Videri poterunt etiam Zabarella *in Clementina* 2. §. *Inquisitoribus, n.* 7. *de hæreticis,* & Syluest. *verb. hæreticus* 2. *num.* 4.

4 An autem, si Iudæus, Maurus, aliusque Infidelis non baptizatus, in iis, quæ sunt nostræ, & suæ fidei communia (*v. g.* Deum esse neget, vel dæmones adoret, & inuocet, vel eis sacrificia offerat) à Iudicibus fidei etiam puniri possit?

Respondetur, quod (quamuis nonnulli negent) contrarium tamen (quod docent Peña 2. *part. Directorij, quæst.* 46. *comment.* 71. *post principium,* Cantera *in quæst. criminalibus, rubric. de hæreticis, cap.* 1. *n.* 72. Azorius *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 22. *quæst.* 12. & Farinacius *quæst.* 178. *n.* 146.) dicendum sit, nempe prædictum reum à Iudicibus fidei etiam puniri posse.

Probatur primò authoritate ex citata Constitutione Gregorij XIII. vbi (cùm recensentur casus, in quibus Inquisitores possunt aduersus Iudæos, aliosque Infideles procedere) primo loco ponitur is, de quo nunc agimus, per hæc verba: [Si quis Iudæus, aut Infidelis in his, quæ circa fidem cum illis nobis sunt communia, veluti Deum vnum, æternum, omnipotentem, Creatorem omnium visibilium, & inuisibilium, & similia, non esse asseruerit, prædicauerit, vel priuatim alicui insinuauerit, Inquisitorum hæreticæ prauitatis iudicio subjacebit, &c.

Secundò probatur ratione; quia sic delinquendo nostram fidem offendit: Ergo Iudicibus fidei, ad quos, vti dicebam, pertinet illam immaculatam custodire, & à quibuscumque contrariis defendere, competet offensorem punire, & media offensoris punitione audaciam aliorum reprimere, & compescere.

Aduerte tamen, quod hæc istius rei delicta, vt sic 5.
censeantur malo suo exemplo Christianos mouere, in præsentia Christianorum fieri debeant, aliàs non videtur esse specialis offensio, & oppugnatio nostræ fidei, neque locus defensioni. Eymeric. *citata quæst.* 46. & Peña *citato comment.* 71. *vers. si ergo, in fine,* vbi subdit formam abiurandi tales errores.

Aduerte secundò, quod contingere possit, aliquem 6.
non esse baptizatum, & tamen cùm inter Christianos nutritus sit) talem communiter æstimari: qui quidem si aduersus nostram fidem delinquit (etsi hæreticus non sit) tamen tanquam hæreticus (ita vt si pœnitens misericordiam expostulauerit, reconciliandus sit) puniri debeat; quia offendit Religionem nostram, quam exteriùs saltem profitetur. Simanch. *de cathol. institut. tit.* 31. *rubric. de hæretic. n.* 5. Azor. 1. *part. lib.* 8. *cap.* 9. *q.* 3. *vers. si quæras,* & alii, quos sequitur Farinac. *q.* 178. *num.* 135.

Aduerte tertiò, quod quoties Iudæus, Maurus, vel 7.
quicumque alius Infidelis non baptizatus puniendus est, ab Inquisitione simul cum Ordinario puniri debeat, ita vt ab vno sine altero puniri non possit, *iuxta Clement.* 1. §. *duro, de hæretic.* & docent Peña 2. *part. Directorij, quæst.* 44. *commentar.* 69. *vers. illud hic non est omittendum,* & alij quos citat; & sequitur Farinacius *citata, q.* 179. *n.* 147.

PETITIO I.

In quibus casibus possint Inquisitores procedere contra Iudæos, Mauros, & alios Infideles non baptizatos, ex citata Bulla Gregorij XIII. edita anno 1581.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores possunt procedere contra Iudæos, Mauros, & alios Infideles non baptizatos, ex Bulla Gregorij XIII. edita anno 1581. primò si negent quæ circa fidem communia habent cum Christianis, vt si negent, Deum esse vnum, æternum, omnipotentem, Creatorem omnium, vel si id alicui etiam priuatim insinuent.*

2 *Item si inuocent dæmonem, consulant, ei immolent, vel thus, & fumigationem offerant.*

3 *Item si huiusmodi nefaria verbo, facto, exemplo, vel alio modo Christianum doceant, vel ad ea perpetranda perducant.*

4 *Item si blasphemias hæreticales proferant de Christo, & de B. Virgine,*

5 *Item si Christianum aliqua modo ad impias sectas, superstitiones, vel hæresim sollicitent,*

6 *Item si aliquem à Fidei, vel Baptismi susceptione post eius declaratam voluntatem aliquo modo retrahant.*

7 *Item si hæreticos, vel apostatas à fide scienter recipiant, alant, commeatu iuuent, associent, deducant, vel id fieri curent.*

8 *Item si deferant libros prohibitos & retineant.*

9 *Item si Christianas in derisionem habeant, sacram Hostiam, Crucem, Christum Dominum conspuant, &c.*

10 *Item si Christianas nutrices teneant, vel eas quando communicant, cogant effundere lac in cloacas, vel latrinas vno, aut pluribus diebus.*

1 RESponderur (vt *ex* §. 2. *prædicta Bulla*) si prædicti Iudæi, Mauri, vel alij Infideles non baptizati negent, quæ circa fidem communia habent cum Christianis; vt si negent, Deum esse vnum, æternum, Omnipotentem, Creatorem omnium, vel si id alicui etiam priuatim insinuent.

2 Secundò (vt *ex* §. 3.) si dæmonem inuocent, consulant, ei immoleut, vel rhus, & fumigationem offerant.

3 Tertiò (vt *ax* §. 4.) si verbo, facto, exemplo, vel quouis alio modo nefaria huiusmodi facinora christianum doceant, vel ad ea perpetranda, perducere conentur.

4 Quartò (vt *ex* §. 3.) si Christum esse purum hominem, vel peccatorem; aut Mariam Dei Matrem non esse Virginem, vel similes illis blasphemias hæreticales proferant.

5 Quintò (vt *ex* §. 6.) si auxilio, consilio, opere, fauore Christianum à fide ad impias sectas, superstitiones, vel hæresim sollicitent,

6 Sextò (vt *ex* §. 7.) si aliquem, post eius nutu, verbo, facto, vel alio quocumque modo declaratam voluntatem, à fidei, vel baptismi susceptione retrahant, dehortentur, vel quouis modo impediant.

7 Septimò (vt *ex* §. 8.) si hæreticos, vel apostatas à fide scienter receptent, alant, commeatu iuuent, associent, deducant, vel associandos, & deducendos curent, defendant, aut quomodulibet iis auxilium, consilium, fauorem deferant, vel ne ab eisdem perpetrata facinora inuestigari possint, operentur.

8 Octauò (vt *ex* §. 9.) si prohibitos libros deferant, retineant, aut diuulgent, vel ad id operam suam conferant.

9 Nonò (vt *ex* §. 10.) si Christianos in derisione habeant, sacram Hostiam, Crucem, Christum Dominum conspuant, vel quid simile, ouem v.g. agnum, vel aliud quid Cruci affigentes, vel appendentes, efficiant.

10 Decimò (vt *ex* §. 11.) si Christianas nutrices teneant, vel eas, quando communicant, vno, aut pluribus diebus lac in cluacas, vel latrinas effundere cogant.

PETITIO II.

Quibus pœnis prædicti Iudæi, Mauri, vel alij infideles non baptizati prædicta delicta perpetrantes puniantur?

SVMMARIVM.

1 *Iudæi, Mauri, vel alii infideles non baptizati prædicta delicta perpetrantes, puniuntur pœna priuationis communicationis cum Christianis, pecuniæ, carceris, exilii, fustigationis & triremis.*

2 *Delictum prædictorum si sit atrox contra fidem, puniri potest pœna etiam maiori, ac relinqui Curiæ sæculari, quæ tamen extendi potest vsque ad mortem.*

3 *Pœna, quæ imponi debet prædictis Infidelibus, est arbitraria, maior, vel minor pro qualitate delicti.*

RESpondetur ex dictis: Puniuntur pœna priuationis communicationis cum Christianis, pecuniæ, carceris, exilij, fustigationis, & triremis. 1

Atque sic tradit Peña *in Direct. Inquisit. part. 2. comment. 69.* vbi subdit, quod si delictum sit atrox contra fidem perpetratum, puniri possint pœna etiam maiori, ac relinqui Curiæ sæculari; quia quoticscumque pœna relinquitur arbitrio Iudicis, si crimen sit atrox, Iudex extendere potest arbitrium etiam vsque ad mortem (quod & docent Calderin. *tract. de hæreticis, cap. 36. n. 4.* Repertorium Inquisit. *verb. Iudæus, §. sed circa prædicta,* Zancbin. *de hæretic. cap. 36. num. 4.* & *ibi* Campegius, & Farinac. *de hæres. quæst. 168. num. 146.* Item & Sousa *in Aphor. Inquis. lib. 1. cap. 37. num. 29.* Quatenus similiter ait, quod pœna, quæ prædictis Infidelibus imponi debet, sit arbitria, maior, vel minor pro qualitate delicti, pœna scilicet priuationis communicationis cum Christianis, pecuniæ, carceris, verberum, remigandi, etiam in perpetuum, & tradi quoque Curiæ sæculari pœna mortis puniendos, ex constitutione Gregorij XIII. 2 3

Et quidem in specie, quod Inquisitores possint procedere contra Turcas, quoticscumque adiuuant, vel consulunt Christianum ad apostatandum, vel ad suos ritus sequendos, tradit Eymeric. *in Director. Inquisit. part. 2. q. 45. num. 3.* & Zech. *in summa, tom. 1. cap. 11. de hæreticis, num. 13.* & patet ex Bulla Gregorij XI. apud Eymericum *vbi suprà,* & Scottia *in Bullas Pontifi. um, epitom. 27. theorem. 73. 74. & 75.*

PETITIO III.

An Iudæi, &c. ab Inquisitoribus puniri possint, præter pœnas supradictas, pœna aliqua abiurationis, si scilicet delinquant in iis, quæ sunt nostræ, & ipsorum fidei?

SVMMARIVM.

1 *Iudæi, &c. præter pœnas prædictas puniendi sunt publicè pœna abiurationis, si scilicet delinquant in iis, quæ sunt nostra, & ipsorum fidei.*

2 *Forma, qua abiurauit quidam Iudæus Barcinonæ anno 1371. recensetur.*

3 *Quilibet Iudæus, &c. abiurare debet sub hac forma, si similis casus accurrat.*

RESpondetur affirmatiuè. Eymeric. *in Director. Inquisitor. part. 2. q. 46. n. 16.* & Peña *ibidem,* & Vmb. Locat. *in prax. Inquisit. verb. inuocare, §. vltimo,* vbi subdit sic in facti contingentia practicatum esse Barcinonæ anno 1371. vbi Episcopus, & Inquisitor publicè abiurare fecerunt, & per sententiam ad perpetuum carcerem condemnarunt quendam Iudæum conuictum, & confessum, quod dæmonem inuocauerit, eique sacrificauerit. 1

Publicè tamen abiurare fecerunt sub hac forma: Ego N. sacrosancta Dei lege posita coram me, & manibus meis tacta, iuro, me credere corde, & profiteor ore illam veritatem, ac fidem, quam lex Dei sacrosancta docet, ac in primis Deum esse inuocandum, solumque adorandum, & per consequens detestor eum errorem, qui dicit dæmonem esse inuocandum, eique diuinum honorem tribuendum. 2

Sub simili forma abiurare debebit similis reus iuxta qualitatem errorum, quos contra fidem committit: Non enim similis reus iurat super Euangelia, quibus non credit, neque abiurat hæresim, quæ in ipsum non cadit, seu in ipso locum non habet. 3

PETITIO IV.

An Iudæi, &c. ab Inquisitoribus puniri possint, si ad Saracenos, vel ad alios infideles transiuerint?

SVMMARIVM.

1 *Iudæi, &c. ab Inquisitoribus puniri possunt, si ad Saracenos, vel ad alios infideles transiuerint, contra nonnullos oppositum tenentes; quia sic de facto transeunt ad aliam sectam, in cuius ritu continentur contraria iis, quæ ipsi circa fidem nobiscum tenent.*

1 RESpondetur (quamuis negent Romanus *in singular.* 784. Decianus *lib. 5. cap. 11. n. 34.* Sousa *in Aphor. Inquisit. lib. 1. cap. 37. n. 27.* & Farinac. *de hæresi q. 178. n. 132.*) Melius tamen affirmant alij, quos sequitur Campeg. *in addition. ad Zanchinum de hæretic. cap. 36. lit. B, in fine*; quia sic de facto transeunt ad aliam sectam, in cuius ritu continentur contraria iis, quæ ipsi Iudæi circa fidem nobiscum tenent.

Confirmatur; quia ex supra citata Bulla Gregorij XIII. *in §. 20.* expressè tribuitur Inquisitoribus potestas contra Iudæos negantes, quæ habent communia circa fidem cum Christianis: At Iudæi transeuntes ad sectam Saracenorum, necesse est, quod negent multa, quæ habent communia circa fidem cum Christianis: Ergo, &c. Quapropter arbitror, quod post supradictam Bullam contrarium teneri non possit. Quamuis contrarium tenuerint alij, præsertim ante illam, sicut ex supradictis habetur.



DVBITATIO CCVIII.

Quonam modo procedatur aduersùs fauentes hæreticis, aduersùs impedientes, vel vsurpantes Officium Sanctæ Inquisitionis, & aduersùs non reuelantes Hæreticum?

SVMMARIVM.

1 *Fauor si præstitus sit Hæreticis, quatenus tales sunt, contrahuntur pœnæ fautoribus imposita, videlicet excommunicatio, & aliæ arbitrio Iudicis pro qualitate criminis imponendæ, vt pecuniæ, triremis, & similium, & de leui abiurent: Secùs autem si fauor præstitus sit Hæreticis, non quatenus hæretici sunt, sed quatenus consanguinei, & amici.*

2 *Idem quod dictum est de fautoribus, dici etiam debet de impedientibus Sanctæ Inquisitionis Officium; quia & isti etiam sunt Hæreticorum fautores, & de hæresi suspecti.*

3 *Hæreticum captum, qui de manibus Ministri eripere ausus fuerit, vel ne capiatur impedierit, vel aliquo modo auxilium, consilium, vel fauorem ad liberandum præstiterit, siue id faciat vi, & armis, siue clamoribus, & monitionibus, quibus auditis fugit delinquens, perpetuò cum publicatione bonorum relegatur.*

4 *Pius V. huic crimini imposuit etiam pœnam mortis, & confiscationis bonorum, ac reliquas omnes pœnas, quibus rei Læsæ Maiestatis humanæ afficiuntur. Quamuis de facto hæc pœna mortis ob hoc crimen præcisè nunquam imponatur, nisi vulneratio alicuius Ministri Sanctæ Inquisitionis sequatur.*

5 *Fingens se hæreticum, cum reuera non sit, substituendo videlicet se in loco hæretici capiendi, vt ipsum saluet, cùm ita sit verè fautor Hæreticorum, iisdem pœnis est puniendus.*

6 *Sanctæ Inquisitionis Tribunali item subiectus est etiam qui vsurpat officium Inquisitoris, Notarij, vel alterius Ministri; quia sanctissimi huius Tribunalis iurisdictionem offendit.*

7 *Si Officium quis vsurpauerit, vt se ab aliquo periculo, in quod incidit, liberaret, & alteri non obfuit, leuiter reprehensione aliqua verbali in Tribunali facta, & pœna aliqua pecuniaria, vel exilio per aliquot annos puniri debet.*

8 *At si Officium Inquisitionis vsurpauit, vt aliquos teneret, vel pecunias extorqueret, vel aliud crimen perpetraret, debet in actu publico produci, ibique ipsius sententia legi, quæ quidem debet esse pecuniæ, vel fustigationis, vel triremis, pro qualitate delicti.*

SVppono, quod si fauor præstitus sit hæreticis, quatenus tales sunt, contrahantur pœnæ fautoribus impositæ, videlicet excommunicatio, & aliæ arbitrio Iudicis pro qualitate criminis, vt pecuniæ, triremis, fustigationis, & similium, & etiam abiurationis de vehementi, quam præcesserit tortura: quod si autem fauor præstitus sit hæreticis, non quatenus hæretici, sed quatenus v.g. consanguinei, affines, vel amici sunt, non contrahantur prædictæ pœnæ, sed aliæ, quæ sunt multò leuiores (vt dicam infrà, & dicebam suprà *dubit. 167. & sequentibus*) Peña *2. part. directorii, quæst. 53. commentar. 78. vers. secundò, & seqq.* & Farinac. *q. 185. n. 10.* vbi subdit modos cognoscendi, qui fautores hæreticorum dicantur, qui verò non. 1

2 Et quod dixi de fauentibus, idem dicas de impedientibus Officium Sanctæ Inquisitionis, quia & isti similiter etiam sunt hæreticorum fautores, & de hæresi suspecti; quin grauius quibuscumque aliis fautoribus delinquunt, sicque grauiùs puniri debent. Idemque etiã dicas de non reuelantibus hæreticos. His suppositis.

Respondetur, & dico primò: *Ex cap. statutum, de hæret. in 6. & ex constitutione Vrbani, & Innocentii IV.* (quæ incipit *Ad extirpanda*) & ex constitutione Clementis IV. (quæ incipit etiam *Ad extirpanda*) apud Peñam inter literas Apostolicas, qui hæreticum captum de manibus Ministri eripere ausus fuerit, vel ne capiatur impedierit, vel aliquo modo auxilium, consilium, vel fauorem ad liberandum præstiterit (siue id faciat vi, & armis, siue clamoribus, & monitionibus, quibus auditis, fugit delinquens) perpetuò cum publicatione bonorum relegatur.

4 Quin & huic crimini Pius V. in quadam sua constitutione, quæ incipit *Si de protegendis*.) præcedentium confirmatoria apud Peñam *loco suprà citato*, & apud Farinacium *de hæreticis quæst. 182. n. 96.* pœnam mortis, & confiscationis bonorum, ac reliquas omnes pœnas, quibus rei Læsæ Maiestatis humanæ afficiuntur, imposuit. Quamuis de facto hæc pœna mortis ob hoc crimen præcisè nunquam imponatur, nisi in aliquo casu raro, & extraordinario, in quo simul cum hæretici defensione occisio, seu grauis alicuius Ministri Sanctæ Inquisitionis vulneratio coniungatur. Tunc enim sic delinquens Curiæ sæculari traditur. Esto fateatur se hæreticum esse, pœnitentiam expostulet, & ad reconciliationem admittatur.

5 Ad idem est, qui fingeret, se esse hæreticum illum, qui capiendus quæritur, & loco illius se submitteret, vel alium submitti faceret, vt sic hæreticum à potestate Sanctæ Inquisitionis liberet: Hic enim etiam tanquam hæreticorum fautor, & Sanctæ Inquisitionis Officij impeditor puniri debet, ita vt ex supradictis Innocentij IV. & Clementis IV. constitutionibus, qui sic se supponit, carceri perpetuo mancipetur; qui verò alterum submittit, publicatis bonis omnibus, in perpetuum

relegetur. Et suppositus, si fuerit in dolo, carceri perpetuo mancipetur: ita Doctores, quos sequitur Farinacius *quæst. 182. n. 98.*

6 Dico secundò: Huic Sanctæ Inquisitionis Tribunali subiectus est etiam, ita vt à prædicto Tribunali etiam puniri possit, qui vsurpat officium Inquisitoris, Notarij, vel alterius Ministri; quia Sanctissimam huius tribunalis iurisdictionem offendit: Ergo meritò ab eius Iudicibus puniri potest, & debet.

7 Quanam autem pœna puniatur?

Respondetur si officium vsurpauit, vt se ab aliquo periculo, in quod incidit, liberaret, & alteri non obfuit, leuiter (reprehensione aliqua verbali secretò in tribunali facta, & pœna aliqua pecuniaria, vel exilio per aliquot annos) puniri debet: ita Doctores, quos sequitur Menoch. *de arbitr. lib. 2. cas. 306. n. 14. & seqq.* Quatenus docent falsitatem, quæ nemini nocuit, nec nocere potest, non pœna falsi, sed aliqua pœna extra ordinaria puniri debere.

8 At si officium Inquisitionis vsurpauit, vt aliquos terreret, vel pecunias extorqueret, vel aliud crimen perpetraret, debet in actu publico produci, ibique ipsius sententia legi.

Cæterum sententia solet esse pecuniæ, vel fustigationis, vel triremis, pro qualitate delicti. Simanch. *de cath. Institut. tit. 46. & in Enchirid. cap. vltimo, num. 15.* & præter alios Clarus *lib. 5. receptarum sententiarum, tit. ad leg. Cornel. testament.* Quatenus ait: Qui insignibus altioris Ordinis vtuntur, militiamve confingunt, quo quem terreant, vel concutiant, humiliores capite puniuntur, honestiores in insulam deportantur.

COROLLARIVM I.

Quid dicendum in specie de fautoribus, defensoribus, & receptatoribus hæreticorum, &c.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores procedunt contra fautores, defensores, & receptatores hæreticorum, &c.*

2 *Dicta de fautoribus hæreticorum, propter eandem rationem dici debent de defensoribus, & receptatoribus.*

3 *Fautores, defensores & receptatores pro qualitate circumstantiarum, indiciorum, & personarum abiurant de leui, vel vehementi, propter leuem, vel vehementem hæresis suspicionem, quam contraxerant.*

4 *Delinquentes prædicti, si abiurent de vehementi, eo quòd incurrerint hæresis suspicionem vehementem, dicuntur verè fautores hæreticorum, & torquendi prius sunt.*

5 *Abiuratio fautoria, sicut etiam impedimenti, fieri potest dupliciter: Primò in genere, abiurando omnes hæreses, quando fautoria se habet indifferenter, Secundò in particulari, si fautoria se habeat erga hunc, & non illos.*

6 *Abiuratio generalis in aliquo casu sufficere potest non expressis particularibus erroribus, & hæresibus, quia qui generaliter alicui fauet, vel etiam nulli fauendo Officium Sanctæ Inquisitionis impedit, in nullam specificam, & particularem hæresim videtur consentire, & ideo nullam in specie hæresim abiurare poterit.*

7 *Inquisitores contra huiusmodi reum debet inquirere etiam adhibitis tormentis (si sic causa ipsius, & conditio postulauerit) an cum eo familiaritatem habeat, & cur ei auxilium præstiterit: si enim fauor tendit in fauorem personæ, non erroris, sufficit generalis abiuratio; si verò in fauorem erroris, requiritur abiuratio specifica.*

8 *Fautores, defensores, & receptatores prædicti, &c. propter pœnas prædictas possunt etiam arbitrio Inquisitorum puniri pœna pecuniaria, exilio, carcere, fustigatione, triremi, aliisque pœnis corporalibus pro qualitate criminis, etiam si opus fuerit, vsque ad confiscationem bonorum, contra Caueram, & Farinaciam.*

9 *Titulus consanguinitatis, affinitatis, vel amicitiæ, &c. non excusat prædictos fautores, defensores, & receptatores hæreticorum à prædictis pœnis, quæ latitudinem & diuisibilitatem habent in totum, sed solùm ex parte pro maiori, vel maiori consanguinitatis, affinitatis, vel amicitiæ coniunctione.*

10 *Lex secunda,* ff. de receptatoribus, *locum habet in fautoribus, defensoribus, & receptatoribus consanguineorum, affinium, vel amicorum, &c. qui mitiùs puniendi sunt, contra Repertorium Inquisitorum* verbo Receptatores, §. *sed tamen receptatores, & alios, qui afferunt prædictos æquè puniendos esse, ac alios receptantes hæreticos non consanguineos, &c. propter criminis immanitatem.*

11 *Opinio asserentium, quod neque leuiter prædicti fautores, defensores, vel receptatores consanguineorum, affinium, vel amicorum, &c. puniendi sint, reiicitur.*

12 *Idem etiam procedit in casu dubij, si scilicet dubium sit an fauens, defendens, vel receptans hæreticum, consanguineum, affinem, vel amicum, &c. id præstiterit ob dictam coniunctionem sanguinis, &c. an ob hæresis crimen.*

13 *Fautores, defensores, vel receptatores consanguineorum, &c. etiam in dubio ad summum; præsertim si sint bonæ famæ, abiurare debent de leui, puniti leuiter.*

14 *Delinquentes prædicti etiam in dubio, an contrahant pœnam excommunicationis latam in Bulla Cœnæ contra fautores, defensores, vel receptatores hæreticorum, satis probabiliter, quia ad incurrendam fautoriam requiri videtur intentio formalis fauendi, defendendi, vel receptandi hæreticum, quà hæreticus est; quamuis contrarium etiam satis probabiliter, & forsan probabilius, teneant Suarez, & alij.*

15 *Fautores, defensores, vel receptatores, &c. hæreticorum, quicumque sint, non contrahunt prædictas pœnas, nisi effectu secuto, secundùm probabiliorem sententiam, licèt alia opposita non sit improbabilis.*

Respondetur: Aduersus istos procedunt Inquisitores, vti patet *ex Bullis Pontificiis in principio citatis, & ex cap. statutum, de hæretic. in 6.* & tradunt communiter Doctores, quos suprà sequebar, & sequitur Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. canon. 1. q. 33. n. 4.* 1

Vbi aduerte, quod dicitur de fautoribus hæreticorū, propter eandem rationem dicendum sit de defensoribus, receptatoribus, & è contra: ita Doctores comm. quos sequitur Sousa *in Aphor. Inquis. lib. 1. c. 25. a. 16.* 2

Aduerte 2. quoad abiurationem, quod prædicti delinquentes (cum pro qualitate circunstantiarum, indiciorum, & personarum incurrant suspicionem leuem, vel vehementem) abiurent de leui, vel de vehementi: ita DD. communiter, quos sequitur Peña *in Director. part. 2. comment. 76. lit. G.* Quatenus ait Receptatores hæreticorum abiurationis pœnitentiam patiuntur propter hæresis suspicionem, quam contraxerunt. An autem hæc abiuratio fieri debeat tantum de leui, vel de vehementi, qualitas personarum, & genus Receptationis demonstrabunt. 3

Aduerte 3. quod si abiurent de vehementi, eo quòd scilicet incurrerint hæresis suspicionem vehementem, dicantur verè fautores hæreticorum, & torquendi prius sint. Ita Doctores iidem communiter, quos supra citabā. 4

Aduerte

5 Aduerte quartò, quod abiuratio fautoriæ (sicut etiam impedimenti) fieri possit dupliciter. Primò in genere, abiurando omnes hæreses; & hoc quando quis fauet, defendit, vel receptat, &c. indifferenter. Secundò in particulari, quando fauet, defendit, receptat, &c. hos, & non illos, v.g. Lutheranos, & non Caluinistas. Zanard. *in direct. Theolog. part. 3. cap. 34.* Peña *in direct. Inquis. loc.*
6 *suprà citato, comment. 79.* (quatenus inquit: In aliquo casu sustineri potest abiuratio generalis, non expressis particularibus erroribus, & hæresibus; quia qui generaliter alicui fauendo, vel etiam nulli fauendo officium sanctæ Inquisitionis impedit, in nullam specificam, & particularem hæresim videtur consentire; & ideò nullam in specie hæresim abiurare poterit, sed in genere dicet, se detestari omnem hæresim, cuius suspicionem fauendo, vel impediendo officium sanctæ Inquisitionis contraxit; inquiratur tamen interim à reo, qui fauit, vel impediuit officium sanctæ
7 Inquisitionis, adhibitis etiam tormentis, si sic causa ipsius, & conditio postulauerit) an cum eo familiaritatem habeat, & cur ei auxilium præstiterit; quia si auxilium præstitum potiùs videatur tendere in fauorem personæ, quàm erroris, sufficiet generalis abiuratio fautoriæ, vel impedimenti eo modo, quo suprà dicebam; quod si secus fuerit, & aliqua alia concurrant, ex quibus oriatur suspicio, quod is qui præstitit auxilium, eosdem illos errores, quos profitetur ille, cui præstitit auxilium, sentiat, & teneat. Tunc præter generalem fautoriæ, & impedimenti abiurationem cogendus erit ad abiurandum in particulari, seu ad abiurandos errores particulares.) Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. canon. 1. q. 33. n. 34.* & alij passim.

8 Aduerte quintò, quoad alias pœnas, quod præter pœnas enumeratas à Pontifice *in cap. Excommunicamus §. Credentes, de hæretic.* (quas non incurrunt, nisi per annum in excommunicatione notati insorduerint, sicuti dicebam *dub. 33.* & præter pœnas enumeratas à Farinacio *de hæresi, q. 182.* & à me *dub. 34.*) prædicti fautores, defensores, receptatores, &c. possint etiam arbitrio Inquisitorum puniri pœna pecuniaria, exilio, carcere, fustigatione, triremi, aliisque pœnis corporalibus pro qualitate criminis, etiam si opus fuerit, vsque ad confiscationem bonorum, ex constitutione Pij V. *Si de protegendis.* In qua clarè contra supradictos delinquentes infligitur talis pœna, quamuis hanc pœnam confiscationis bonorum contra fautores, defensores, & receptatores hæreticorum non admittat Cantera *in quæst. crimin. cap. 1. de hæretic. num. 55. circa finem*, & Farinacius *de hæresi, q. 182. num. 55.*

9 Aduerte sextò, quod titulus consanguinitatis, affinitatis, vel amicitiæ, &c. prædictos fautores, defensores, & receptatores hæreticorum non excuset à prædictis pœnis (quæ latitudinem, & diuisibilitatem habent) in totum, sed solùm ex parte, pro maiori, vel minori consanguinitatis, affinitatis, vel amicitiæ, &c. coniunctione, iuxta Textum *in l. 2. de Receptatorib.* vbi Iurisconsultus de Latronum receptatoribus loquens ait, [Eos, apud quos affinis, vel cognatus latro conseruatus est, neque absoluendos, neque seuerè admodùm puniendos esse; non enim par est eorum delictum, & eorum, qui nihil ad se pertinentes latrones recipiunt.] Graffius *in decis. part. 1. lib. 4. cap. 18. num. 35.* quatenus inquit: Licèt mitiùs puniantur consanguinei, vxores, amici, fratres, patres, filij & similes personæ receptantes hæreticos sibi coniunctos, non tamen excusantur à tota pœna, & per consequens non sunt penitus immunes à delicto. Peña *in direct. Inquisit. part. 2. comment. 81. lit. P*, quatenus asserit: Consanguineorum, & coniunctorum ratio haberi debet; quia filius receptans patrem, vxor virum, frater fratrem, leuius puniendi sunt, quàm si remotiores, seu alios non vsque adeò coniunctos receptassent, vel defendissent. Zanard. *in direct. Theol. p. 2. præcept. 1. c. 5. q. 21. circa finem*, Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. canon. 1. q. 29. n. 11.* & alij, quos citat, & sequitur Sousa *in Bull. Cœn. cap. 2. disp. 10. num. 4. & seqq.*

Hinc mihi minùs probatur opinio Repertorij Inquisitorum *verb. Receptatores, §. Sed tamen receptantes*, Ghirlandi *tract. de sortileg. q. 9. n. 2.* & ex parte Villadiego *tract. de hæretic. q. 16. circa finem*, qui volunt quod prædicta doctrina, & prædicta *lex 2. ff. de receptatorib.* locum non habeant in fautoribus, defensoribus, & receptatoribus consanguineorum, affinium, vel amicorum, &c. propter criminis immanitatem, sicque tales non mitiùs, sed æquè puniendi sint ac cæteri, qui scilicet fauent, defendunt, vel receptant hæreticos non consanguineos, non affines, non amicos. 10

Hinc etiam mihi minùs probatur opinio eorum, qui è contra volunt, quod neque leuiter prædicti fautores, vel receptatores consanguineorum, affinium, amicorum, &c. puniendi sint, vt præter alios vult Simanch. *titul. 15. num. 20.* quatenus asserit, quod filius, vxor, & frater receptantes patrem, maritum, & fratrem hæreticum, sint immunes omninò à pœna; Minùs, inquam, etiam mihi probatur opinio istorum, quia sicuti dicebam, sunt & hi puniendi, licèt mitiùs, propter rationes, & auctoritates, quas iam suprà adducebam. Vide etiam quæ dicebam suprà *dub. 31.* 11

Aduerte septimò, quod & hoc idem dicendum sit in casu dubio, si scilicet dubium sit, an fauens, defendens, vel receptans hæreticum consanguineum, affinem, vel amicum, &c. id præstiterit ob consanguinitatis, affinitatis, vel amicitiæ coniunctionem, an ob hæresis crimen; quia tunc etiam & talis puniendus erit mitiùs, iuxtà ea quæ dicebam suprà: Cùm præterquam quod in dubio standum est pro reo, & partes rei sunt fauorabiliores, & pœnæ restringendæ, negari non possit, quod consanguinitas, affinitas, vel amicitia, &c. quam maximè moueat, & trahat, sicque præsumptio esse debeat in mitiorem partem. Vide Simancham, & Graffium *locis suprà cit.* Vide etiam quæ dicebam *cit. dubit. 31.* 12

Hinc sequitur, quod fautores, defensores, vel receptatores consanguineorum, affinium, vel amicorum, &c. etiam in dubio, ad summum, præsertim si sint bonæ famæ, abiurent de leui, & puniantur leuiter, vt verbi gratia pœna pecuniaria, carcere, vel exilio, &c. 13

Sequitur secundò, quod prædicti delinquentes, etiam in dubio, modo quo suprà dicebam, satis probabiliter non contrahant pœnam excommunicationis latæ in Bulla Cœnæ contra fautores, defensores, vel receptatores hæreticorum. Lorca *in 2. 2. sancti Thomæ, q. 11. artic. 4. disput. 48. n. 6.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 15. quæst. 4.* Duardus *in Bull. Cœn. lib. 2. canon. 1. quæst. 29. & quæst. 31. num. 21.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 10. num. 5.* Scortia *in Bull. Pontific. epitom. 9. theorem. 27.* Megal. *in 3. part. lib. 3. cap. 1. quæst. 1. n. 27.* & Peyrinus *in Priuileg. Minimor. tom. 2. constitut. 9. Pauli V. §. 2. num. 7.* Præsertim quia ad incurrendam fautoriam, requiri videtur intentio formalis fauendi, defendendi, vel receptandi hæreticum quà hæreticus est, vti colligitur ex *cap. Accusatus, §. Sacerdotes, de hæretic. in 6.* ibi: cùm non sit dubium, eos ipsa facere in fauorem hæreticæ prauitatis. 14

Quamuis contrarium, etiam satis probabiliter, & forsan probabiliùs teneant Suar. *de fide, disp. 24. sect. 1. n. 9.* Sousa *in Bull. Cœn. cap. 2. disp. 10. n. 5.* iuxta ea, quæ dicebam diffusè *dubit. 28.* & iterum *ibidem, corollar. 2. in fine.*

An autem fautores, defensores, vel receptatores, &c. hæreticorum, quicumque fautores, defensores, vel receptatores sint, contrahant supradictas pœnas, licèt effectus fautoriæ, &c. secutus non fuerit? 15

Respondetur, quod quamuis satis probabiliter affirment Castr. *lib. 1. de iust. hæretic. punit. cap. 17.* Sayrus *tom. 1. Thes. lib. 3. cap. 5. n. 4.* Graff. *lib. 4. decis. c. 16. n. 34.*

Suarez

Suarez *de fide, disp.* 24. *sect.* 1. *n.* 14. Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *canon.* 1. *quæst.* 31. *n.* 2. & Megal. *in* 3. *part. lib.* 3. *cap.* 1. *q.* 2. *n.* 2. Probabilius tamen negent alij, quos sequitur Farinac. *de hæres. q.* 182. *n.* 108. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 10. *n.* 9. & Bonacina *tom.* 3. *in Bull. Cœn. disput.* 1. *q.* 2. *punct.* 3. *n.* 3. iuxta ea quæ dicebam diffusè *dubit.* 26. *corollar.* 1. & *dub.* 29. *per totam.*

COROLLARIVM II.

Quid dicendum in specie de impedientibus Officium sanctæ Inquisitionis?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores procedunt etiam contra impedientes officium sanctæ Inquisitionis, ex Bulla Pij V. edita anno 1569. quæ incipit Si de protegendis, & renouata ab Vrbano VIII. ex qua quidem tales impedientes puniuntur vt rei læsæ Maiestatis, & excommunicantur, etiam non secuto effectu.*

2 *Inquisitores non possunt inferre dictas pœnas in quoscumque, sed solùm in eos, qui commiserint ea, quæ continentur in dicta Bulla, ex odio, vel contemptu sanctæ Inquisitionis; secus si ex alia causa, verbi gratia ex precibus, pretio, consanguinitate, affinitate, vel amicitia, &c. & ex ea causa se id fecisse per claras probationes demonstreat.*

3 *Inquisitores sunt Iudices quoad iniurias in dicta Bulla Pij V. contentas, & sibi, vel suis Ministris illatas.*

4 *Bulla prædicta Pij V. cùm lata fuerit ob publicam vtilitatem, latè interpretanda est.*

5 *Perterrefacientes ministros sanctæ Inquisitionis, denunciatores, vel testes, incurrunt prædictas pœnas contentas in Bulla Pij V. si perterrefactio sit formalis, scilicet in actu sancti Officij, & circa ea, quæ spectant ad sanctum Officium, non autem facta propter alias causas priuatas, sitque talis, quæ inducat metum in Virum constantem.*

6 *Pœnæ prædictæ vt actu infligantur, consuli debet Senatus Cardinalium super negotiis fidei deputatorum.*

7 *Mortis pœna vt actu infligatur, debet simul cum defensione hæretici interuenire occisio, vel grauis vulneratio alicuius Ministri sanctæ Inquisitionis.*

8 *Impedientes Officium sanctæ Inquisitionis sunt de fide suspecti vehementer, sicque abiurare debent de vehementi, & prius torqueri, dummodo tamen impediant ex odio, vel contemptu sanctæ Inquisitionis; secus si impediant ex precibus, pretio, consanguinitate, affinitate, vel amicitia, &c. quia tunc ex dictis abiurare, & puniri debent saltem de leui satis probabiliter.*

1 REspondetur, aduersus istos etiam procedunt Inquisitores, vti patet *ex dictis*, & *ex Bullis Pontificum in principio citatis*, & ex *cap. Statutum, de hæretic. in* 6. Et tradunt communiter Doctores, quos sequitur Peña *in direct. Inquis. part.* 2. *comment.* 79. & *p.* 3. *comment.* 83. & 85. & Sousa *in Aphorism. Inquisit. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 7.

Et quidem quoad hoc quammaximam auctoritatem tribuit Inquisitoribus Pius V. in Bulla quæ incipit *Si de protegendis*, edita anno 1569. in qua Pontifex §. 2. 3. & 4. quoscunque, & cuiuscumque sint sæculares dignitatis, & gradus, qui aliquem ex Inquisitoribus, Aduocatis, Procuratoribus, Notariis, Testibus, Accusatoribus, Denunciatoribus, aliisque Ministris sanctæ Inquisitionis officij offenderint, vel offendere tentauerint, renuerint, deiecerint, perterrefecerint, eorumque fautores, & complices, aut Ecclesias, Ædes, carceres aliasque res, siue publicas, siue priuatas, sancti Officij aut Ministrorum inuaserint, incenderint, expilauerint, libros, literas, exempla, scripturas, aliaque instrumenta diripuerint, aut alio quocumque modo exportauerint, suppresserint, vel etiam inermes fuerint causa vt hæc fierent, vel res, aut personas seruari, defendiuè prohibuerint, vinctum extraxerint, emiserint, capi vetuerint, fugiendi facultatem dederint, receptauerint, occultauerint, aut eadem causa cœtum, concursumque fecerint, etiamsi effectus secutus non sit, excommunicat ipso facto, reseruata Pontifici absolutione, eosque declarat reos læsæ Maiestatis, priuatos perpetuò dominijs, feudis, honore, dignitate, tradendos sæculari Iudicio puniendos, bonis, rebusque omnibus Fisci iuribus applicatis, vt de reis læsæ Majestatis, & hæreticis constitutum est. Idemque etiam de omnibus Ecclesiasticis decernit. Quam Pij V. Bullam renouat Vrbanus VIII.

2 Aduerte tamen hîc, quod dictas pœnas non possint Inquisitores inferre in quoscunque, sed solùm in eos, qui quæ continentur in dicta Bulla commiserint ex odio, vel contemptu sanctæ Inquisitionis; secus si ex alia causa, verbi gratia ex precibus, pretio, consanguinitate, affinitate, vel amicitia, &c. & ex ea causa se id fecisse per claras probationes demonstrent, vti colligitur ex verbis ipsius Bullæ, ibi: [Nemo autem expurgationem habere, aut causam aliam proponere, vel prætendere possit, qui tantum nefas in contemptum, & odium sanctæ Inquisitionis officij admiserit, nisi contrarium per claras probationes docuerit se fecisse.] Farinac. *de hæresi*, *q.* 182. *n.* 80. & Sousa *in Aphorism. Inquisit. lib.* 1. *cap.* 28. *n.* 9. Videri etiam poterit Scortia *in Bull. Pontific. epitom.* 106. *theorem.* 278.

3 Aduerte secundò, quod ipsimet Inquisitores sint Iudices quoad iniurias in dicta Bulla Pij V. contentas, & sibi, vel suis Ministris illatas. Simanch. *tit.* 34. *num.* 29. Zanchin. *de hæretic. cap.* 32. *num.* 1. & alij communiter.

4 Aduerte tertiò, quod eadem Bulla Pij V. (cùm lata fuerit ob publicam vtilitatem) latè interpretanda sit. Sic Doctores, quos sequitur Ricc. *in dec. tom.* 1. *dec.* 74. *num.* 4.

5 Aduerte quartò, quod (cùm ea dicta Bulla Pij V. easdem pœnas incurrat perterrefaciens Ministros sanctæ Inquisitionis, denunciatores, vel testes, &c.) hæc perterrefactio debeat esse formalis, scilicet in actu sancti Officij, & circa ea quæ spectant ad sanctum Officium, non autem facta propter alias causas priuatas. Itemque debeat esse talis, quæ possit inducere metum cadentem in constantem Virum: debeat verbi gratiâ, esse de re graui, & per virum qui sit potens, & qui verba, minasque ad facta deducere consueuerit: vide Dores, quos sequitur Zanard. *in direct. Theolog. p.* 2. *præcept.* 1. *cap.* 5. §. 23.

6 Aduerte quintò, quod vt infligantur actu prædictæ pœnæ, consuli debeat Senatus Cardinalium super negotiis fidei deputatorum. Doctores passim.

7 Aduerte sextò, (quod vt infligatur actu pœna mortis) debeat iuxta ea, quæ suprà dicebam, simul cum defensione hæretici interuenire occisio, vel grauis vulneratio alicuius Ministri sanctæ Inquisitionis: tunc enim sic delinquens Curiæ sæculari relaxatur, esto se hæreticum esse fateatur, & pœnitentiam exposcat, & ad reconciliationem admittatur.

Hæc dixerim in terminis Bullæ Pij V. *Si de protegendis.*

8 At in genere loquendo dico, quod qui impediunt Officium sanctæ Inquisitionis, sint de fide suspecti vehementer, sicque abiurent de vehementi, & priùs torqueantur. Peña *in direct. Inquisit. part.* 2. *comment.* 79. Locat. *in Prax. Inquisit. verbo Suspicio, n.* 11. Campegius *in Addit. ad Zanchinum de hæretic. cap.* 20. *littera A, verbo Suspicio*, & alij communiter.

Dummodò tamen illud ex odio, vel contemptu sanctæ Inquisitionis; secus si impediant, verbi gratiâ ex precibus, pretio, consanguinitate, affinitate, vel amicitia,

citia,&c.quia tunc, licèt adhuc possit contra ipsos procedi, non tamen poterit procedi tanquam contra suspectos de fide vehementer, vel fautores hæreticorum, sed solùm tanquam perturbatores Officij Sanctæ Inquisitionis, sicque pœnis leuioribus, Bonifac. de Vitalinis *in Clem.* 1. *de haret.* Zabarell. *ibid.* §. *verùm, num.*7. Peña *in direct. part.*2. *quast.*56. *comment.*82. *vers. & quamquam ex sententia*, Duard. *in Bull. Cæn. lib.*2. *canon.*1. *q.*33.*n.*28. & Bariola *in Aphor. Inquis. lit. I, verb. impeditores Sancti Officij.* Vide etiam quæ dicebam suprà *dub.*171. *positione* 3.

Quamvis quod adhuc contra ipsos possit procedi tanquam suspectos de fide, saltem leuiter, sicque adhuc similiter ipsi possint puniri pœnis saltem leuioribus, iuxta textum *in l.*1. *ff. de receptatorib.* vbi receptans consanguineum non liberatur à pœnis, sed punitur mitiùs, etiam probabiliter teneant alij, quos sequitur Sousa *in Aphorism. Inquis. lib.*1. *cap.*28. *numero* 17.

Et tunc debent prædicti delinquentes abiurare in genere impedimentum, & fautoriam pro qualitate suspicionis: ita Doctores, quos sequitur idem Sousa *cit. cap.*28. *num.*19. eo tamen modo, quo explicat Peña *in director. Inquis. part.*2. *comment.*79. *lit.C*, & Duard. *in Bull.Cæn. lib.*2.*comm.*1.*q.*33.*n.*34. Et videri etiam poterit Zanard. *in direct. Theolog. part.* 2. *precept.*1. *cap.*5. §.23.

Debent etiam abiurare saltem de leui; sicque (sicuti dicebam) puniri pœnis, saltem leuioribus, secundùm arbitrium Iudicis pro qualitate criminis, vt verbi gratia pœna pecuniæ, carceris, exilij, non tamen triremis, fustigationis, & similium (vt volunt aliqui) nisi forsan in casu, quo circunstantiæ fuerint valdè aggrauantes.

COROLLARIVM III.

Quid dicendum in specie de non denunciantibus, vel non reuelantibus hæreticos?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores procedunt etiam contra non denunciantes & non reuelantes hæreticos, tanquam contra suspectos vehementer de hæresi, & tanquam hæreticorum fautores, secundum sententiam Castri, Deciani, & Peña.*

2 *Opinio prædictorum auctori non probatur, & videtur quod prædicti non solùm non sint suspecti de hæresi vehementer, sed nec etiam forsitan suspecti leuiter, sicque nullo modo sint puniendi pœnis latis contra fautores hæreticorum, sed aliis pœnis leuioribus ad arbitrium Inquisitorum, tanquam solùm inobedientes ipsorum mandatis, omissa abiuratione etiam de leui.*

3 *Limita tamen si concurrant aliæ circunstantiæ, ex quibus oriatur, vel augeatur contra non denunciantes, vel non reuelantes suspicio de hæresi.*

4 *Primò si qui non denunciat, vel non reuelat hæreticum, voluntariè cum eo conuersatur, & ei nimis familiaris, & amicus sit.*

5 *Vxor tamen quia necessariò conuersatur, etiamsi non reuelet, de hæresi suspecta non est, contra Peñam.*

6 *Secundò si qui non denunciat, vel non reuelat, teneatur ex Officio, vt Ministri, seu familiares S.Officij, &c. vel ex speciali præcepto, vt testis iustè, & legitimè ab Inquisitoribus interrogatus; quia tunc etiam est de hæresi suspectus vehementer, & tanquam hæreticorum fautor puniri debet.*

7 *Qui non tenetur denunciare, vel reuelare ex officio, sed solùm ex præcepto, videtur immunis à fautoria; non enim facit contra iustitiam talia omittendo, sed solùm peccat contra fidem, vel obedientiam.*

REspondetur: Aduersùs istos etiam procedunt Inquisitores, vti etiam patet ex dictis, & tradunt etiam communiter Doctores: Adeò quod tales esse de hæresi suspectos vehementer, & tanquam hæreticorum fautores esse puniendos pœnis latis contra fautores hæreticorum, teneant Castro *de iust. hæreticor. punit. lib.*2. *cap.*23. Dec. *lib.*5. *cap.*41. *n.*25. Peña *in director. part.*2. *comment.*78. & Zanard. *in direct. Theolog. part.*3. *cap.*134. Qui tamen id limitat in viris nobilibus, quos tantùm vult esse de hæresi suspectos leuiter, atque adeò etiam leuiter puniendos. 1

At hæc sententia Castri, Deciani, Peñæ, &c. mihi minùs probatur; & videtur, quod prædicti non solùm non sint suspecti de hæresi vehementer, sed nec etiam forsan suspecti leuiter, sicque nullo modo sint puniendi pœnis latis contra fautores hæreticorum, sed aliis pœnis ad arbitrium Inquisitorum leuioribus, tanquam solùm inobedientes ipsorum mandatis, omissa abiuratione etiam de leui; vel ad summum tanquam de hæresi suspecti solùm leuiter, sicque etiam puniendi similiter aliis pœnis ad arbitrium Inquisitorum leuioribus, adiuncta tamen prætereà abiuratione de leui, Rojas *singul.*3. *n.*18. & Suarez *de fide, disp.* 20.*sect.*4. *num.*18. 2

Limita tamen cum Rojas, & Suarez *in locis suprà citatis*, quod modò dixi, si concurrant aliæ circunstantiæ, ex quibus oriatur, vel augeatur contra non denunciantes, vel non reuelantes suspicio de hæresi, vt verbi gratia: 3

Primò, si qui non denunciat, vel non reuelat hæreticum, voluntariè cum eo conuersetur, & ei nimis familiaris, & amicus sit; quia tunc contra non denunciantem, vel non reuelantem orietur suspicio de hæresi vehemens, vel violenta. Rojas, & Suarez *ibidem*. 4

Dixi, *si voluntariè cum eo conuersetur, &c.* vt excludam vxorem: Hæc enim licèt semper conuersetur cum viro, quia tamen necessariò conuersatur cum eo, & non denunciandi, vel non reuelandi eum causam habet, si non denunciet, vel non reuelet, de hæresi suspecta non est: quidquid in contrarium tenuerit Peña *in director. part.*3. *comment.*160. 5

Secundò, si qui non denunciat, vel non reuelat, teneatur ex Officio, vt Ministri, seu familiares Sancti Officij, Fiscus, &c. vel ex speciali præcepto, vt testis iustè, & legitimè ab Inquisitoribus interrogatus, &c. denunciare, vel reuelare; quia tunc etiam est de hæresi suspectus vehementer, & tanquam hæreticorum fautor puniendus, Suarez *de fide, disp.*24. *sect.*1.*n.*6. Megal. *in* 3.*p. lib.*3.*c.*1.*q.*2.*n.*33. Simanch. *lib.*2.*moral.c.*10. *n.*15. & Sousa *in Bull.Cæn. cap.*2. *disp.*11.*cap.*6.& 7. *& in Aphorism. Inquis. lib.*1. *cap.*25.*n.*7.& 8. quatenus expressè sic ait: Personæ priuatæ, si à Ministris requirantur ad fauorem, vel auxilium præstandum contra hæreticos, & cùm possint, præstare prætermittant, fautores hæreticorum sunt; & qui testimonium contra hæreticos ferre nolunt, vel veritatem occultant, vel diminutè manifestant, cùm ad veritatem dicendam ab Inquisitoribus adstringantur, fautores etiam dicuntur, & alij, quos sequitur Farin. *de hæres. q.*182. §.2.*n.*36. videri etiam poterit Ioseph Sesse *tom.*4.*dec.*474.*n.*17. & videri etiam poterunt quæ dicebam *dub.*25. & 27. *per totas* 6

Aduerte tamen hîc, quod cum Farinacio, & aliis liberabam *in citata dub.*25.& *cit. dub.*27. non omninò improbabiliter à fautoria hæresis eum, qui non denunciat, vel non reuelat, si solùm teneatur denuntiare, vel reuelare ex speciali præcepto, non tamen ex Officio; quia cùm non teneatur ex officio, non videtur in omittendo talem fauorem, vel auxilium aduersùs 7

iustitiam, sed solùm aduersos fidem, vel obedientiam peccare, sicque non videtur fautor hæreticorum esse; cùm ipsi, sicuti dicebam, non incumbat ex Officio fauorem, vel auxilium præstare, & hæresim extirpare.

At de his omnibus quæ vsque adhuc dicta sunt *in præsenti dubitatione per totam*, vide quæ diffusè dicebam *dubit. 25. & seqq. vsque ad dubitationem 34. inclusiuè.*



DVBITATIO CCIX.

Quonam modo procedatur contra reum secundam vxorem, prima viuente, ducentem?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores procedunt priuatiuè quoad Iudices contra reum secundam vxorem, prima viuente, ducentem.*

2 *Binas nuptias contrahentium culpa de iure communi spectat ad vtrumque Iudicem, Ecclesiasticum scilicet, & sæcularem: at ex declaratione Summi Pontificis spectat tantùm ad Inquisitores.*

3 *Bigamus quando est præuentus à Curia sæculari, debet remitti ad Curiam Ecclesiasticam, Inquisitorem scilicet, qui ipsum super intentione torquet, & abiurare facit; deinde tenetur illum remittere ad Curiam sæcularem, quæ ipsum punit pro bigamia; quando autem est præuentus à Curia Ecclesiastica, in totum punit ipsa Curia Ecclesiastica.*

4 *Contra reum secundam vxorem, prima viuente, ducentem, tanquam de hæresi suspectum, & malè de matrimonij Sacramento sentientem procedunt Inquisitores, siue secundum matrimonium palam, siue secretò contrahatur; quia id licèt ex parte diminuat, non tamen tollit totaliter suspicionem.*

5 *Quod etiam procedit, etiamsi secundum matrimonium aliàs sit inualidum; quia in præsenti non tam punitur matrimonium in effectu, quàm matrimonium in affectu.*

6 *Reus vt effugiat hoc iudicium, probare tenetur, quod ignoranter processerit; quam ignorantiam non sufficienter probat ex eo, quod multo tempore coniux primus absens fuerit; quia insuper probare debet, quod certum nuncium de morte illius habuerit.*

7 *Criminis huius pœna in Italia, & in aliis locis est arbitraria, & reus abiurat de vehementi. In Hispania tamen de leui, & si sit plebeius, flagellis caditur, & per quinquennium triremi condemnatur; si verò Nobilis, punitur aliis pecuniariis, & exilio.*

8 *Reus prædictus, si priusquam testificatus sit, seipsum Inquisitoribus deferat, & crimen manifestet, mitius punitur, itavt secundùm aliquos, dum illius causa agitur, non est in carcere secreto recludendus.*

9 *Et hæc locum habent tam in viro ducente vxorem, quàm in vxore ducente virum.*

10 *Consulens aliquem vt binas nuptias contrahat; incurrit supradictas pœnas, propter eandem rationem.*

11 *Habens vnam vxorem, si deueniat ad actum proximum contrahendi cum alia, verbi gratia faciendo contractum dotis, vel denunciationes in Ecclesia, denunciandus, & iisdem ferè pœnis puniendus est, contra aliquos Doctores.*

12 *Binas nuptias scienter contrahens, quamuis nullam vxorem carnaliter cognoscat; quia tamen iam contraxit de facto duplex matrimonium, est suspectus de fide, sicque subiectus Inquisitoribus. Secus autem si contraheret sponsalia cum duabus.*

13 *In hoc crimine priusquam procedatur ad capturam delinquentis, procedere debet plena probatio, vt scilicet constet, delinquentem vno, eodemque tempore duas vxores habere, adeò quod licèt ipsemet delinquens seipsum detulerit, adhuc tamen per legitimos testes delictum debeat probari.*

14 *Coniugatus, qui sine vxoris licentia in sæculo degentis suscepit Ordines sacros, propter eandem rationem incurrit prædictas pœnas. Vbi etiam habenda est ratio, qualisnam Nationis sit delinquens.*

15 *Ad huiusmodi crimen reducitur propter sacrilegium, quod in tali casu committitur, si Religiosus, siue laicus, siue Clericus sit, vel si Clericus Sacris Ordinibus initiatus ducat vxorem: quapropter vt vehementer suspectus de hæresi, ut de vehementi debet abiurare.*

16 *Qui in Societate Iesu vota biennij emisit, sicut & qui professus est aliam Religionem, supradictas pœnas incurrit, si matrimonium postea contrahat, præterquam quod matrimonium est irritum.*

17 *Item est etiam suspectus de fide, & sic Inquisitoribus subiectus, qui matrimonium scienter contraxit cum hæretica.*

SVppono, quod contra talem reum procedant Inquisitores priuatiuè quoad Iudices sæculares. Henriquez *lib. 11. cap. 2. num. 3.* Guttierrez *in quæstionib. canonic. lib. 2. cap. 8. num. 1.* Scaccia *de iudic. caus. lib. 1. cap. 12. num. 55.* Freytas *in addit.* ad Acuñam, *cap. 1. n. 32.* Homobon. *in examin. Ecclesiast. part. 2. tract. 11. cap. 7. quæst. 12.* Bobadilla *in Politica, lib. 2. cap. 17. n. 152. in glossa littera A,* Barbosa *de potestat. Episc. part. 3. allegat. 40. num. 44.* & Sousa *in Aphorism. Inquisitorum, lib. 1. cap. 35. numero 18.* quatenus cum Simanch. *de cathol. instit. tit. 40. num. 2. & 3.* rectè ait, quod de iure communi culpa contrahentium binas nuptias spectet ad vtrumque Iudicem, Ecclesiasticum scilicet, & sæcularem. Nunc autem ex declaratione Summi Pontificis ad Inquisitorem Lusitaniæ spectet ad solos Inquisitores. 1 2

Quamvis Genuensis *in praxi Archiepiscop. cap. 68. numero 11.* asserat, quod ex litteris Congregationis Sancti Officij, quæ in tali Curia conseruantur, quando Bigamus est præuentus à Curia sæculari, debeat remitti ad Curiam Ecclesiasticam, Inquisitorum scilicet, vt adnotauit Farinacius *loco infrà citando*, quæ ipsum super intentione torquet, & abiurare facit, deinde tenetur illum remittere ad Curiam sæcularem, quæ ipsum punit pro bigamia: Quando verò est præuentus à Curia Ecclesiastica, in totum puniat ipsa Curia Ecclesiastica, & non possit amplius se intromittere Curia sæcularis. His suppositis. 3

Respondetur: aduersùs istum reum, tanquam de hæresi suspectum, & malè de matrimonij Sacramento sentientem, procedunt Inquisitores. Rosella *verb. hæreticus, num. 6.* Geminian. *in cap. Accusatus, §. sanè, de hæret. in 6.* Castro *lib. 2. de iust. hæretic. punit. cap. 1.* Simanch. *de cathol. instit. tit. 40. num. 2. & in Enchir. tit. 12. num. 5.* vbi subdit sic seruari in Hispania, Repert. Inquisit. *verb. hæreticus, & verb. contrahens, vers. 1.* Graff. *lib. 5. decis. cap. 18. num. 16.* Brun. *de hæret. lib. 1. cap. 2.* Couarr. *Epitome de sponsalibus, 2. part. cap. 7. §. 3. num. 6.* Albertinus *tract. de agnoscendis assertionibus, quæstione 23.* Menochius *de præsumption. lib. 5.* 4

lib. 5. præsumpt. 6. num. 37. Peña 3. part. direct. quæst. 56. comment. 81. vers. de eo, Rojas singul. 98. num. 4. Farinacius quæst. 178. num. 68. & sequentibus, & alij communiter, quos suprà citabam.

Et hoc procedit, si secundum matrimonium palam, siue secretò contrahatur; quia id, licèt ex parte diminuat, non tamen totaliter tollit suspicionem. Squillacens. de fide Cath. cap. 25. n. 2. Campeg. ad Zanchinum, cap. 35. Vmbert. Locat. in indic. Inquis. verb. Hæreticus, num. 12. & verb. suspicio, num. 27. Salzed. in practic. crimin. cap. 80. lit. C, vers. ne illud, & alij, quos refert, & sequitur idem Farinacius de delict. carnis; quæst. 140. n. 24. Quamvis, quod Inquisitores non possint procedere in hoc casu, si scilicet quia secretò duas vxores habeat, teneant nonnulli cum Repertorio Inquis. verb. contrahens, & verb. pertinax, sed minùs rectè, sicuti patet ex dictis.

5 Procedit etiam, tametsi secundum matrimonium aliàs (vt quia erat consanguinea, vel Religiosa, vel alio impedimento ligata) sit inualidum, quia in præsenti non tam punitur matrimonium in effectu, quàm matrimonium in affectu. Albertinus de agnosc. assertionibus Catholicis, quæst. 23. n. 10. & alij, quos refert, & sequitur idem Farin. citata quæst. 140. n. 25. ex textu in l. cùm qui duas, Cod. ad leg. Iul. de adulteriis, in authent. incestas, Cod. de incest. nupt. & in cap. nuper, de bigamis.

6 Hinc iste reus, vt effugiat hoc iudicium, probare tenetur, quod ignoranter processerit, quam ignorantiam non sufficienter probat ex eo, quod multo tempore coniux primus absens fuerit; quia insuper probare debet, quod certum nuncium de morte illius habuerit, iuxta textum in cap. in præsentia, de sponsalibus. Vel probare tenetur, quod primum matrimonium nullum fuerit; & quousque hoc probet, Inquisitorum iudicio subditur ob hæresis suspicionem, nullitate autem matrimonij probata, cessat Inquisitor, & succedit Episcopus; qui sic contrahentem, eo quòd absque Ecclesiæ declaratione nullitatis primi matrimonij secundum matrimonium contrahere ausus fuerit, punire debet, iuxta textum in c. cùm apostolica, de sponsalibus, & docent Doctores, quos sequitur Farinac. de hæresi, quæst. 188. n. 72.

7 Aduerte tamen, quod in Inquisitione Romana huius criminis pœna sit arbitraria, & reus torqueatur, & abiuret de vehementi. Peña citato commem. 81. vers. de eo, Farinacius de hæresi, quæst. 178. n. 68. Piasecius in praxi, part. 2. cap. 4. art. 6. n. 9. Genuens. cap. 18. num. 11. & cap. 68. num. 13. Naldus in sum. verb. vxor, num. 2. Ricc. in addit. ad instit. canonic. lib. 4. tit. 2. Ricciul. de mr. person. lib. 1. cap. 11. num. 19. & 30. & Bariosa in aphorism. lit. V, verb. vxor, §. 2. quatenus ait, quod si quis ducat vxorem, priore viuente, id spectet ad sanctum Officium, & ex decreto vrbis confessus, vel conuictus, præmissa tortura, in forma abiuret de vehementi coram Congregatione, & transmittatur ad remum per quinquennium, vel per septennium, pœnitentiis salutaribus iniunctis arbitrio Inquisitorum.

In Inquisitione Hispanica tamen non torquetur, & abiurat tantùm de leui, & si Plebeius est, flagellis cæditur, & per quinquennium triremi condemnatur; si verò nobilis, vel mulier, aliis pœnis pecuniariis, & exilio punitur. Farinacius loco suprà citato, num. 74. Simanch. de cath. instit. tit. 40. num. 6. Suarez de fide, disp. 24. sect. 2. n. 4. Moura de incantationib. opuscul. 1. sect. 3. cap. 3. n. 8. Salzed. in addit. ad pract. crimin. Diaz, cap. 8. lit. B, Humada in l. si sancta, tit. 6. part. 1. ad textum n. 3. & Sousa in aphorism. Inquisit. lib. 1. cap. 35. n. 20. & de confess. sollic. tract. 2. cap. 13. concl. 3. num. 11. Quia talia vt plurimùm præsumitur contrahere binas nuptias ex luxuria, vel ex desiderio lucrandi dotem; quamvis secus, si reus esset ex Prouincia infecta hæresi Caluini, vel Lutheri; quia in tali casu (cùm contra ipsum augeatur suspicio, redditur enim suspectus quilibet respectu Prouinciæ suæ, sicuti præter alios rectè adnotauit Ioseph. Sesse in decis. Regni Aragon. tom. 4. decis. 452. num. 4. etiam in Inquisitione Hispanica abiuraret de vehementi, & torqueretur super intentione: sic Doctores, quos sequitur idem Moura citato cap. 13. num. 9.

8 Aduerte secundò, quod dictus reus, si priusquam testificatus sit, se ipsum Inquisitoribus deferat, & crimen manifestet, mitiùs puniatur; ita vt nonnulli putent, quod dum ipsius causa agitur, non sit in carcerem secretum recludendus, sed in aliqua particulari domo retinendus; putent etiam, quod quamvis plebeius sit, non flagellis cædi, neque triremi, sed exilio, & alia aliqua pœna pecuniaria condemnari debeat: idemque dicunt de eo, qui probat, quod aliqua de morte prioris coniugis ratione ductus, eo quòd verbi gratià, diu is absens fuerit, secundum matrimonium contraxerit.

9 Aduerte tertiò, quod hæc, quæ dicebam, tam in viro ducente vxorem, quàm in vxore ducente virum locum habeant. Simanch. de Cathol. institut. titul. 40. num. 5. Farinacius quæst. 178. num. 73. & alij communiter.

10 Aduerte quartò, quod easdem supradictas pœnas propter eandem rationem incurrat is, qui consulit aliquem, vt binas nuptias contrahat. Vide Doctores, quos sequitur Moura de incantationib. opuscul. 1. sectione 3. cap. 6. num. 11. qui subdit, se sic vidisse in praxi positum, quod scilicet eadem pœna damnaretur mater consulens filiam, vt secundò nuberet, ac ipsa filia; quia non minor contra matrem sic consulentem suspicio non benè sentiendi de matrimonio habebatur, ac contra filiam.

11 Aduerte quintò, quod etiam sit denunciandus, & eisdem ferè pœnis subdatur is, qui habens vnam vxorem deuenit ad actum proximum contrahendi matrimonium cum alia (verbi gratià faciendo contractum dotis, vel denunciationes in Ecclesia, &c.) propter attentatum scilicet secundum matrimonium; quapropter in Inquisitione Romana abiurat de leui, & punitur exilio, vel carcere, & aliis pœnis arbitrariis, & torquetur etiam priùs super intentione.

Quamvis contrarium teneant alij, quos sequitur Sousa in aphorism. Inquisit. lib. 1. cap. 55. num. 6. quatenùs ait, quod contrahens matrimonium cum prima, & sponsalia cum secunda, non sit suspectus de fide, sicque non possit puniri ab Inquisitoribus, sed solùm ab Ordinario.

12 Aduerte sextò, quod etiam sit suspectus de fide, sicque subiectus inquisitoribus is, qui scienter contrahit binas nuptias, quamvis nullam vxorem carnaliter cognoscat; quia iam contraxit de facto duplex matrimonium. Albertinus de agnosc. quæst. 23. num. 49. & sequentibus, & Farinac. de delict. carn. quæst. 140. parte 1. num. 24. & 30. Secus autem, si contraheret sponsalia cum duabus, quamvis ambas eas carnaliter cognoscat; quia in tali casu non est suspectus de fide, sicut in primo, cùm in tali casu non contrahat matrimonium, sicut in primo; & suspicio contra fidem oriatur in homine ex contracto matrimonio.

13 Aduerte septimò, quod priusquam in hoc crimine procedatur ad capturam delinquentis, præcedere debeat plena probatio; vt scilicet constet delinquentem vno, eodemque tempore duas habere vxores, adeò quod licèt ipsemet delinquens seipsum detulerit, adhuc tamen per legitimos testes delictum debeat probari; vel testimonium authenticum de libro Parochi, vbi adscribi solet, desumi. Testes autem satis est, si deponant, quod vicinia mulierem habuerit pro vxore, illamque reus tractauerit tanquam vxorem, eundo scilicet, & redeundo, atque in vna eademque domo simul viuendo cum illa.

14 Aduerte 8, quod easdem supradictas pœnas propter

similem, & æquiualentem rationem incurrat coniugatus, qui sine licentia vxoris in sæculo degentis suscipit Ordines sacros. Vbi etiam habenda est ratio, qualisnam nationis sit delinquens: Nam si esset nationis infectæ de tali hæresi (cum tunc, vti suprà dicebam, contra ipsum augeatur suspicio) etiam in Inquisitione Hispanica, abiuraret de vehementi, & torqueretur super intentione. Cantera *de haret. cap.1. n.71.* & Farinacius *quæst.183. num.71.*

15 Aduerte 9. quod præter sacrilegium, quod in tali casu committitur, ad huiusmodi crimen reducatur si Religiosus (siue laicus, siue clericus sit) vel si clericus sacris Ordinibus initiatus ducat vxorem; quapropter & iste etiam ab Inquisitoribus punitur eisdem pœnis, quibus punitur binas nuptias contrahens, quin & punitur pœnis grauioribus ob grauiorem suspicionem hæresis Lutheranæ. Cantera *quæst.crimin.cap.1.de haret. num.70. & 71.* Directoc. Inquisit. *part.2. q.49.* & ibi Peña *comment.74.* Param. *de origin. Sancta Inquisitionis, lib.3. quæst.10. num.75.* Hieronym. *Rodriq. in compend. quæst. regul. resol.93. num.1.* Mousa *de incantat. opuscul.1. sect.3. cap.3. num.9.* Ioseph. Sesse *tom.4. decis.449. num 3. & 9.* Sousa *in aphor. Inquisit. lib.1. cap.8. n.16.* Peyrin, *in priuileg. Minim. tom.2. constitut.9. Pauli V. §.1. num.10.* Alphons. de Leone *de potest. confess. part.1. recoll.22. n.15. cas.24.* & alter Rodriquez *in quæst. regul. tom.3. q.1. art.1.*

Quapropter, vtpotè suspectus de hæresi vehementer, in Inquisitione Romana, sicut contrahens binas nuptias, torquetur, & abiurat de vehementi. Cantera *in quæst.crimin. cap.1. de haretic. num.71.* & Simancb. *in Enchirid. tit.12. num.1.* In Inquisitione verò Hispana non torquetur, neque abiurat de vehementi, sed solùm de leui, nisi personæ & circunstantiæ talis qualitatis concurrant, vt etiam necesse sit eum torqueri, eique abiurationem de vehementi imponi, & augeri pœnam ad triremes, vt si v.g. Clericus, vel Religiosus esset de Prouincia infecta talis hæresis; quia tunc (cùm contra ipsum augeatur suspicio, iuxta ea, quæ suprà dicebam in aduertendo primo) etiam in Inquisitione Hispanica abiurat de vehementi, & torquetur super intentione.

16 Aduerte decimò, quod supradictas pœnas incurrat is, qui in Societate IESV vota biennii emisit, si (sicut & qui professus est aliam Religionem) matrimonium postea contrahat; præterquam quod & matrimonium, quod contrahit, est etiam irritum.

17 Aduerte vndecimò, quod etiam sit suspectus de fide, sicque etiam subiectus Inquisitoribus is, qui matrimonium scienter contrahit cum hæretica. Glossa *in cap. decreuit, de haret. in 6.* Geminian. *ibid. n.1.* Ioan. Andr. *num.1.* Franch. *num.1.* & Cantera *in quæst.crim. cap.1. de haret. num.1.*



DVBITATIO CCX.

Quonam modo procedatur contra reum non Sacerdotem (siue laicum scilicet, siue etiam Ecclesiasticum) Missam celebrantem, vel Sacramentum Confessionis administrantem?

SVMMARIVM.

1 *Contra reum non Sacerdotem Missam celebrantem, vel aliud Sacramentum ministrantem proceditur tanquam contra de hæresi suspectum; quia crimen falsi in re grauissima, Officium scilicet, & Iurisdictionem Sacram à se prorsus alienam vsurpando committit; secus si non animo vsurpandi id fecerit, sed tantùm irridendi, quia tunc tantùm vt irrisor est puniendus.*

2 *Reus non Sacerdos Missam celebrans, vel aliud Sacramentum ministrans punitur pœna mortis, & brachio sæculari traditur, vbicunque constitutiones Pontificia vsu recepta fuerint.*

3 *Constitutiones prædicta in Inquisitionibus Hispania, quoad pœnam mortis, & consignationis brachio sæculari non videntur vsu recepta, sed solùm delinquens pœna arbitraria punitur.*

4 *Pœna arbitraria prædicta solùm est, quod reus in actu publico abiuret de leui, flagellis cædatur, triremi condemnetur, & ab ordinibus perpetuò priuatus sit: quin aliquando hæc pœna minuitur, & in exilium, & pecuniam commutatur, &c.*

5 *Inquisitores aduersus non Sacerdotes Missam celebrantes possunt, & debent procedere per pœnas grauissimas; quia licèt in Iure id non sit cautum, est tamen cautum in Bullis prædictis, sicque eos degradatos Sacris Ordinibus Curiæ sæculari puniendos tradere debent.*

6 *Bulla prædicta quoad traditionem Curiæ sæculari in Inquisitione Hispanica non sunt vsu recepta: Puniuntur enim ibi dicti criminosi solummodo pœna arbitraria, non abiurant de vehementi, neque torquentur super intentione, nisi sint in regione suspecta de tali hæresi.*

7 *Bulla prædicta violantur, si non Sacerdos, siue scilicet laicus, siue etiam Ecclesiasticus vnam tantùm Missam celebret, non autem etiam si indutus vestibus Sacerdotalibus, postea tamen non celebret; quia ea loquuntur de celebrantibus, &c.*

8 *Inquisitores possunt punire dictum crimen cumulatiuè cum Episcopis, non autem priuatiuè.*

9 *Sacerdos verus si ex eo, quod sit in peccato mortali non consecret, & verba consecrationis proferat super aliam hostiam iam consecratam, vel non consecratam ostendat populo, &c. potest ab Inquisitoribus puniri; quia proferendo super hostiam consecratam talia verba, facit iniuriam Sacramento, & eleuando hostiam non consecratam præbet populo causam idololatrandi.*

10 *Item Inquisitores procedere possunt per pœnas grauissimas contra non Sacerdotes, siue laicos, siue etiam Ecclesiasticos audientes confessionem Sacramentalem, & meritò, quia ij sic facientes approbant Ministros huius Sacramenti non esse solos Sacerdotes, sed etiam alios, eosque laicos, cum Luthero, & Vuiclefo, & aliis hæreticis.*

11 *Bulla prædicta neque in hoc crimine sunt vsu recepta quoad traditionem Curiæ sæculari in Inquisitione Hispanica, sed in ea rei talis criminis puniuntur pœna arbitraria, nisi sint de regione suspecta talis hæresis: vbi vide de conditione delinquentium, & de genere pœnarum quibus puniuntur.*

12 *Sacerdos simplex audiendo confessiones, vel suspensus ab audiendis confessionibus, quamvis confessionem audiat, & absoluat, non incurrit dictas pœnas, quia Bulla loquuntur de non Sacerdotibus.*

13 *Non Sacerdos, siue Ecclesiasticus, siue etiam laicus, neque dictas pœnas incurrit, si audiat confessiones ex indispositione pœnitentis, vel ex quacunque alia causa non absoluat; quia hæ Bulla requirunt actum consummatum.*

RESPONDETUR: Aduersus istum, tanquam de hæresi 1
etiam suspectum, præsertim quia crimen falsi in re grauissima, officium scilicet, & iurisdictionem Sacram à se prorsùs alienam vsurpando committit, procedunt Inquisitores. Menoch. *de arbitr. lib.2. cas.320. n.13. & seqq.* Bernard. Diaz *pract. crimin. cap.12. n.3.* Salzedo *in loco suprà citato,* Peyrin. *in priuileg. Minim. tom.2.*

conclus.

conclus. 9. Pauli V. §. 2. *n.* 22. Vallens. *in pract. iur. canonic. lib.* 5. *tit.* 28. *n.* 2. Scortia *in Bull. Pont. epitom.* 162. *theoremat.* 403. *& de Sacrificio Missa, lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 10. Aldret. *de relig. discipl. lib.* 2. *c.* 20. *n.* 14. Zypæus *in iur. Pont. lib.* 5. *tit. de Cleric. non ordinat. celebrant.* Francisc. Leo *in thesauro for. Eccles. part.* 3. *c.* 4. *n.* 58. Moura *de incant. opusc.* 1. *sect.* 3. *c.* 3. *n.* 9. Homobon. *in consult. p.* 1. *resp.* 150. *vol.* 1. Barbos. *de potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 110. *n.* 18. & Sousa *de confessar. sollicit. tract.* 9. *c.* 1. *n.* 1.

Solùm dubitatur, si ex intentione ludendi, vel irridendi hæc Sacramenta ministraret, & talis intentio omnibus adstantibus nota fieret, quia tunc non videtur, tam vt alienæ, & sacræ Iurisdictionis vsurpator, quàm vt irrisor puniendus.

2 Quanam autem pœna puniendus sit?

Respondetur: pœna mortis, & brachio sæculari tradendus, vbicumque Pontificiæ Constitutiones vsu receptæ fuerint; quia sic expressè statuit noster Paulus IV. in sua Constitutione edita anno 1557. & in altera edita anno 1559. apud Salzedum *loco suprà cit.* sicque etiam statuit Gregorius XIII. Sixtus V. Clemens VIII. in sua Constitutione, quæ incipit *etsi alias*, apud Farinacium *q.* 193. *num.* 39. & nouissimè Vrbanus VIII. qui & statuit, quod minores 25. annis, etiamsi tale crimen committant, tradi debeant Curiæ sæculari. Et meritò, quia est scelus omnium grauissimum, quale veteres Pontifices nunquam committendum præsumpserunt; & propterea forsan, vti dixit Bernardus Diaz *cit. c.* 12. *in princ.* Rodriquez *tom.* 2. *q.* 28. *art.* 2. & Scortia *de sacrific. Missa, lib.* 2. *c.* 6. *n.* 10. huic crimini pœnam non imposuerint.

3 Dixi, *vbicumque Pontificia Constitutiones vsu recepta fuerint*; quia in Inquisitione Hispanica quoad pœnam mortis, & relaxationis Curiæ sæculari ob huiusmodi crimen non videntur vsu receptæ, sed solùm sic delinquens pœna arbitraria punitur. Bernard. Diaz *loco suprà citato*, Menoch. *vbi suprà, cas.* 320. *n.* 14. & alij; quos infrà citabo.

4 Quæ pœna arbitraria regulariter solùm est, quod reus in actu publico abiuret de leui, flagellis cædatur, dummodò non sit Religiosus, vel sacris Ordinibus initiatus; quia de iure pro nullo delicto Religiosus, vel sacris Ordinibus initiatus flagellis cæditur, seu flagellatur, sicuti docent communiter DD. triremi condemnetur, & ab Ordinibus perpetuò priuatus sit.

Quin aliquando hæc pœna minuitur, & in exilium & pecuniam commutatur; vt si delinquens sit Vir Nobilis, & in actu specialem malitiam non commiserit; vel si sit ita rusticus, vt non tam ex malitia, quàm ex aliquali ignorantia processisse videatur: Vel si sit adolescens simplex, qui ex simplicitate fingens se sacerdotem, alterius confessionem v. g. excipiat, vt posteà illum irrideat.

5 At loquendo in specie de non sacerdotibus (siue scilicet laïcis, siue etiam Ecclesiasticis) Missam celebrantibus, dico quod aduersus tales criminosos possint, & debeant Inquisitores procedere per pœnas grauissimas; quia licèt id in iure non sit cautum, eo quod, vti dicebam, veteres patres non putauerint, quemquam tale, & tantum facinus esse attentaturum; est tamen cautum in Bullis prædictis, in quibus decernunt Pontifices, quod Inquisitores dictos criminosos Ordinibus Ecclesiasticis (si quos habent) degradatos, tanquam Ecclesiæ misericordia indignos, Curiæ sæculari morte puniendos tradant. Vide DD. quos suprà citabam.

6 Quamvis quoad traditionem istam Curiæ sæculari dictæ Bullæ non sint vsu receptæ in Inquisitione Hispanica. Vide DD. alios, quos etiam suprà citabam, & præter illos Sousa *in Aphor. Inquis. lib.* 1. *c.* 32. *n.* 12. vbi ait, quod dictæ Inquisitioni Hispaniæ dictam pœnam traditionis Curiæ sæculari dictis criminosis imponendam præceperit quidem Vrbanus VIII. per epistolam Cardinalis Mellini ad Inquisitorem Generalem Lusitaniæ, die 5. Martij, an. 1621. nunquam tamen in praxi positam viderit Acuña *tract. de confessar. sollicit. q.* 13. *n.* 10. vbi inquit, quod Conimbricæ in actu publico anno 1610. viderit abiurasse de leui quendam, qui ad Diaconatum tantùm promotus Presbyteratum exercebat. Freytas. Additionator *ibid. n.* 30. vbi asserit, quod Pinciæ anno 1615. Laïcus, qui Missas celebrare consueuerat, post fustigationem per plateas ad triremes condemnatus fuerit. Moura *de incant. opusc.* 1. *sect.* 4. *cap.* 3. *n.* 9. *& prius sect.* 3. *cap.* 3. *n.* 9. vbi asserit, quod dicti criminosi mittendi sint ad triremes, vel ad carceres perpetuos, aut saltem per plurimos annos, si scilicet interuenerit aliqua circumstantia, quæ criminis grauitatem, si non ex toto, saltem ex parte diminuat, & alij complures.

Puniuntur igitur in Inquisitione Hispanica dicti criminosi pœna solùm arbitraria, & non abiurant de vehementi, neque torquentur super intentione, nisi sint de regione suspecta de tali hæresi; quia tunc cùm contra ipsos augeatur suspicio, etiam in Inquisitione Hispanica abiurant de vehementi, & torquentur super intentione, sicuti *dubit. præcedenti* dicebam de contrahentibus binas nuptias.

Aduerte tamen hîc, quod ad violationem dictarum 7
Bullarum sufficiat, si non Sacerdos (siue scilicet Laïcus, siue etiam Ecclesiasticus) vnam tantùm Missam celebret: Non autem sufficiat, si vestibus sacerdotalibus induatur celebrare intendens, postea tamen non celebret, quia dictæ Bullæ loquuntur de celebrantibus. Quin ex non omninò improbabili sententia nonnullorum dictas Bullas neque violat is, qui non Sacerdos vestibus sacerdotalibus indutus Missam celebrare incipiat, at non perficiat, neque verba consecrationis proferat; quia non videtur, quod in tali casu consummetur delictum: Quamvis contrarium satis probabiliter teneant alij, quos sequitur Sousa *in Aphor. Inquis. lib.* 1. *cap.* 32. quia & in tali casu etiam is Missam celebrare dicitur.

Aduerte 2. quod huiusmodi crimen non sit com- 8
missum Inquisitoribus priuatiuè ad Episcopos, sed cumulatiuè ad illos.

Aduerte 3. quod etiam verus Sacerdos (si ex eo 9
verbi gratiâ, quod sit in peccato mortali, non consecret panem, vel vinum,) ideoque habens ante se hostiam consecrandam, extrahat è tabernaculo particulam consecratam, & verba consecrationis proferat non super hostiam, quam eleuando ostendit populo, sed super particulam consecratam, quam extraxit, possit ab Inquisitoribus puniri; quia & proferendo verba consecrationis super particulam consecratam infert iniuriam Sacramento, & quia eleuando hostiam non consecratam præbet populo causam idololatrandi. Vide DD. quos sequitur Bariola *in Aphor. litt. S, verb. Sacerdos*, §. 12. vbi subdit, quod sic determinauerit Congregatio sancti Officij Mediolanensis die 30. Aprilis, an. 1627. & videri etiam poterit Lucerna Inquisit. *verb. Sacerdos, & ibi* Peña *in Additionibus.*

Et loquendo in specie de non sacerdotibus (siue sci- 10
licet similiter Laïcis, siue etiam Ecclesiasticis) audientibus confessionem, dico quod etiam aduersus tales criminosos possint, & debeant Inquisitores procedere per pœnas grauissimas, itavt prædicti criminosi, tamen si sint vere pœnitentes, adhuc non reconcilientur, sed Curiæ sæculari morte puniendi tradantur, sicuti patet ex Bullis, & Doctoribus supracitatis: Et meritò etiam, quia præter rationes suprà adductas, is qui sic facit, facto ipso cum hæreticis nostri temporis (vt cum Luthero *apud Roffensem art.* 13. & Vvicleffo *apud Vvaldensem tom.* 2. *c.* 135. *&* 145.) contra Concilium Florentinum in literis vnionis, & contra Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 6. approbat, ministros huius sacramenti non esse solos Sacerdotes, sed etiam alios, eosque laïcos.

11 Quamvis similiter quoad istam traditionem Curiæ sæculari prædictæ Bullæ neque in hoc crimine sint vsu receptæ in Inquisitione Hispanica; sed in ea rei talis criminis puniuntur similiter pœna arbitraria; & similiter non abiurant de vehementi, neque torquentur super intentione, nisi iuxta ea, quæ dicebam *dub. præcedenti, de contrahentibus binas nuptias*, sint de regione suspecta de tali hæresi; quia tunc eùm contra ipsos augeatur propterea suspicio, etiam in Inquisitione Hispanica abiurant de vehementi, & torquentur super intentione. Vide Doctores, quos suprà citabam, & præter illos Sousa *in Aphor. Inquis. lib. 1. c. 32. n. 13. & c. 33.* quatenus ait, quod si fictus Sacerdos fuerit laïcus, & homo vilis, fustibus cæditur, dummodò scilicet ex dictis non sit Religiosus, vel sacris ordinibus initiatus, & ad triremes mittitur, & aliquibus spiritualibus pœnis afficitur; si verò fuerit vir honestus, & Religiosus, damnatur ad triremes: Quod si fuerit talis, qui ad triremes mitti non debeat, mittitur in exilium; & si fuerit aliquo ordine initiatus, ab eo suspenditur, saltem per totum tempus, quo durat exilium: quod si crimen habuerit aliquas circunstantias aggrauantes, afficitur aliis pœnis grauioribus, secundùm qualitatem circunstantiæ aggrauantis; & abiurat de leui, & non torquetur super intentione, nisi scilicet (vti pluries dicebam) sit de regione suspecta de tali hæresi, propter eandem pluries etiam dictam rationem.

12 Aduerte tamen hic, quod dictas pœnas in dictis Bullis decretas non incurrat Sacerdos simplex, vel etiam approbatus, ab audiendis tamen confessionibus suspensus, quamvis confessionem audiat, & absoluat; quia dictæ Bullæ loquuntur de non sacerdotibus, non autem de Sacerdotibus. Sousa *de confessor. sollicit. tract. 1. c. 9. n. 5. & in Aphor. Inquis. lib. 1. cap. 33. n. 6.* & Acuña *de confessor. sollicit. q. 13. n. 15.*

13 Aduerte 2. quod neque dictas pœnas incurrat non Sacerdos, siue scilicet Ecclesiasticus, siue etiam Laïcus, si audiat confessiones, at ex indispositione pœnitentis, vel ex quacumque alia causa non absoluat. Rodriquez, & Sancius, quos sequitur Acuña *cit. q. 13. n. 14.* quamvis contrarium, ex eo quod contra dictas Bullas confessionem audit, teneant Freytas *de confess. sollicit. q. 13. n. 36.* & Sousa *in Aphor. Inquis. lib. 1. cap. 33. n. 3. & de confess. sollicit. tract. 1. c. 9. n. 3. & seqq.* quia per audire confessionem tantùm non videtur delictum consummate, cum Sacramentum confessionis non consummetur, nisi per absolutionem; quapropter è contra dictas pœnas incurret, si confessiones audiat, & absoluat, quamvis audiat peccatorum confessionem solùm generalem, non tamen specialem, vel quamvis audiat solùm vnam confessionem, aut vnum solum peccatum, non tamen omnia peccata. Sed quoad hæc vide quæ dicebam suprà *dub. 162. in Corollariis, n. 21. & 22.*



DVBITATIO CCXI.

Quonam modo procedatur contra per annum in excommunicatione insordescentem?

SECTIO I.

Dubitationis Resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicatio duplex datur, vna ob fidem: altera extra fidem.*

2 *Excommunicatus ex causa criminali, v.g. periurij, violationis Monasterij, irreligionis, &c. si per annum in excommunicatione insorduerit, habetur pro conuicto, & pro confesso, itavt iudex statim possit ad sententiam procedere; quia illa contumacia loco propriæ confessionis succe[dit].*

3 *Idem dic de excommunicatione etiam in causa ciuili; quia si perseuerantia in excõmunicatione hunc effectum operatur, multò magis debet eundem operari in causa ciuili, vbi nõ requirũtur ita claræ probationes.*

4 *Annus, vt hoc verum sit, requiritur primò, quod computetur non à die excõmunicationis incursæ, sed à die, quo reus nominatim fuerit excõmunicatus, vel taliter declaratus; quia ex illo die tantùm claues Ecclesiæ grauiter contemnere, & contumax fieri censetur.*

5 *Excipe, nisi reus fuerit notoriè excommunicatus; quia tunc notorietas excommunicationis declarationi succedit. At id fieri posse non videtur; quia licèt excommunicatio notoria sit, potest tamen excommunicatus intra annum absolutionem obtinere.*

6 *Annus item secundò requiritur, quod sit continuus.*

7 *Item tertiò requiritur, quod integro illo anno excommunicatus potuerit comparere, & respondere iudici; & tamen non comparuerit, neque responderit iudici, quia si impeditus fuit, contumax non censetur; qualiscumque enim impedimenti causa excusat à contumacia.*

8 *Excommunicatus si iudicem quæsiuerit vel satisfactionem obtulerit, & absolutionem postulauerit, contumax non censetur.*

9 *In excommunicatione declaratus, & per annum integrum sic perseuerans, nullo ostenso impedimento, vel satisfactionis signo, licèt pro conuicto habeatur, tamen non impeditur, quin innocentiam allegare, & probare possit: quod probatur authoritate & ratione, quia contumacia non est confessio vera, & clara, sed à iure præsumpta.*

10 *Contumacia hæc ad illum effectum solùm efficax est, vt accusator, Fiscus, vel Actor à probandi accusationem, vel actionem à se propositam onere releuetur; quia loco probationis lex subrogauit fictam hanc excommunicati confessionem.*

11 *Textus* in canon. rursus, q. 3. *non obstat; quia intelligi debet, cùm pluries requisitus per annum suam innocentiam probare neglexit: Tunc enim lex meritò illum à probatione repellit.*

12 *Excommunicatus hic etiam ex causa, quæ ad fidem non pertinet, & per annum in excõmunicatione insordescens, redditur suspectus de hæresi, ex Concil. Trid.*

13 *Amplia id verum esse, non solùm in excommunicatione lata ob causam criminalem, sed etiam in excommunicatione lata ob causam ciuilem; quia contumacia vniformis est, imò maior esse videtur in causa ciuili.*

14 *Suspicio tamen hæc est leuis, sufficiens nihilominus ad indicendam purgationem, & cogendum excommunicatum, vt respondeat; non tamen sufficiens ad torturam.*

15 *Inquisitores iam ex recepta consuetudine non solent aduersus excommunicatum per annum, & amplius in excommunicatione insordescentem procedere, si excommunicatus fuerit ex causa fidei, quia alias excommunicatus ordinario iudici puniendus remittitur.*

16 *Perseuerans per annum in excommunicatione non ex causa fidei, non reputatur hæreticus, sed solùm leuiter suspectus de fide: Ex consuetudine tamen Inquisitionis Romanæ non procedunt Inquisitores contra huiusmodi excommunicatum, contra Ianuensem.*

17 *Inquisitio Hispanica procedit non contra quoscumque insordescentes per annum in excommunicatione, sed tantùm contra insordescentes per annum ex causa fidei, & is si citatus non compareat, condemnatur tanquam hæreticus, non verus, sed præsumptus.*

18 *Idem dicendum de fautoribus, defensoribus, & receptatoribus hæreticorum, & quocumque modo Officium sanctæ Inquisitionis impedientibus, vel se purgare recusantibus.*

19 *Suspectus*

19 *Suspectus leuiter de fide, si ob eam causam citatus ut respondeat, intra terminum assignatum negligit respondere, illa lenis suspicio transit in vehementem, & si postea in illa negligentia per annum perseuerat, suspicio vehemens transit in violentam.*

20 *Excommunicatus ille dicitur ob causam fidei, qui ut respondeat de fide, sub excommunicatione ipso facto citatus fuerit, & respondere, seu comparere noluerit. Hac tamen citatio necessariò supponit citatum de haeresi suspectum, non tamen suspicione quacumque, sed suspicione probabili.*

21 *De fide responsurus, si sine suspicione probabili sub excommunicatione citatus in tali excommunicatione per annum persistat, non redditur de haeresi violenter suspectus, neque vti haereticus condemnari potest.*

22 *Suspectus sic de fide citari debet cum assignatione termini ad respondendum, quia non sufficit sola citatio, neque sufficit assignatio termini, sed vtraque requiritur.*

23 *Citatus ad respondendum de fide, si per annum integrum, nullo allegato impedimento respondere neglexerit, habetur pro confesso, & debet condemnari tanquam haereticus.*

24 *Excommunicatus praedictus ad hoc ut tanquam haereticus condemnetur, si facilè capi non potest, debet specificè citari ad respondendum de fide, & ad se purgandum de suspicione ex insordescentia sua.*

25 *Annus verò debet esse continuus, & cum facultate, seu potestate comparendi per spatium totius illius anni incipientis non à die excommunicationis incursa, sed à die sententiae, vel declinationis, &c.*

1 SVppono, quod detur duplex excommunicatio, vna ob fidem, altera extra fidem. Abbas *in cap. grauem, de poenit, n.7.* Menoch. *de arbitr. lib.2. cas.416.* Eymer. *2. part. Directorij, q.47. num.6.* & ibi Peña *comment.72.* & alij communiter, quos citat, & sequitur Farinac. *de haeresi, quaest.182. §.2.* Hoc supposito,

2 Respondeo, & dico primò. Excommunicatus ex causa criminali, v. g. periurij, violationis Monasterij, irreligionis, &c. si per annum in excommunicatione insorduerit, habetur pro conuicto, & pro confesso, ita vt Iudex statim possit ad sententiam procedere. Salzed. *pract. crimin. cap.116. num.4.* Ripa *in cap.1. de iudic. num.73.* Decian. *lib.5. cap.17. vers.34* Roman. *singul. 307.* & eius Addit. Marant. *de ordin. iudic. part.6. tit. de contumac. num.35.* Menoch. *loco suprà cit. num.11. & sequen.* Farinac. *vbi suprà, n.14.* & alij passim.

Probatur, quia illa contumacia loco propriae confessionis succedit: Ergo sicut ex propria confessione lis contestatur, ita & ex huiusmodi contumacia. Vide Doctores iisdem *in locis suprà cit.* & *expresso textu in cap. rursùs, in cap. quicumque, 11. quaest.3.* & *in cap. cùm contumacia, de haeret. in 6.*

3 Et quod dixi de excommunicatione ex causa criminali, idem dico de excommunicatione ex causa ciuili; quia si perseuerantia in excommunicatione ex causa criminali hunc effectum operatur, multò magis eum operari debet in excommunicatione ex causa ciuili, cùm in hac causa non requirantur ita clarae probationes, sicut requiruntur in causa criminali, iuxta textum *in l. fin. C. de prob.* & tradunt Salzed. *loco suprà cit. n.9.* Menoch. *n.32.* & Couar. *cap. alma, part.1. §.7.* Etsi contrarium, quamvis per multos annos quis in excommunicatione perstiterit pro causa ciuili, sentiant Ripa *cap.1. de iudiciis, n.77.* Gratian. *discept. forens. cap.119. n.2.* & alij.

4 Aduerte tamen, quod vt hoc verum sit, requiratur primò, quod annus computetur, non à die excommunicationis incursae, sed à die, quo reus nominatim fuerit excommunicatus, vel taliter declaratus, quia ex illo die tantùm claues Ecclesiae grauiter contemnere, & contumax fieri censetur, Albertin. *in rubr. de haeretic. q.13. n.35.* & *sequent.* & alij, quos sequitur Farinac. *vbi suprà, n.28.* qui tamen excipiunt, nisi reus fuerit notoriè excommunicatus; quia tunc (inquiunt ipsi) notorietas excommunicationis pro declaratione succedit. Et 5
quidem id mihi probaretur, si fieri posset: at fieri posse non videtur, quia licèt delictum, & excommunicatio notoria sint, potest tamen excommunicatus intra annum absolutionem obtinere: Ergo quod contumacia integro anno duret, constare non poterit, nisi sit contumacia aduersus sententiam ab homine latam.

Secundò requiritur, quod annus sit continuus, *ex* 6
cap. cùm contumacia, de haeret. in 6. ibi: *Per annum*, cùm dictio, *per*, continuationem denotet, vt colligitur *ex leg. Vrbana familia, §. pernoctare, ff. de verb. significat.* & docent Archidiacon. *in cap. contumacia, de haeret. in 6. num.2.* Franchis *ibidem, num.2.* Gemitian. *num.9.* Nauar. *cons.7. de haeret.* & *cons.34. num.2.* & *consil.36. de irregul. num.1.* Menoch. *de arbitr. cas.416. n.55.* Simanch. *de Cathol. instit. titul.14. rubr. de contumacia, num.13.* Rojas *singul.60. num.3.* & alij, quos citat, & sequitur Farinac. *vbi suprà, num.29.* Videri etiam poterit Cardinalis Seraphinus *decis.1285. numero 4.* & *seqq.* vbi subdit, quod sic declarauerit Sacr. Congregatio Concilij Tridentini. Videri etiam poterunt Couar. *in cap. alma, part.1. §.7. num.13.* Peña *in part.3. directorij, commentar.47. §. quod si is,* & Vgolinus *de censur. tabul.1. cap.14. §.3. num.2.* vbi notant, quod totus annus debeat esse lapsus ad praedictum effectum.

Tertiò requiritur, quod integro illo anno excom- 7
municatus potuerit comparere, & respondere iudici; & tamen non comparuerit, nec responderit Iudici, quia si impeditus fuit, contumax non censetur. Simanch. *citat. tit.14. numero 10.* Scacc. *de iudic. cap.98. num.27.* Salzed. *cap.116. num.12.* Locat. *in iudicial. Inquisit. verb. Catholica, cap.25. num.2.* & Farinac. *de haeresi, quaest.192. §.2. num.21.* & *22.* vbi rectè subdunt, 8
quod qualiscumque impedimenti causa excuset à contumacia; subdunt etiam rectè, quod si excommunicatus iudicem quaesiuerit, vel satisfactionem obtulerit, & absolutionem postulauerit, contumax non censeatur.

Dico 2. licèt in excommunicatione declaratus, & 9
per annum integrum, nullo ostenso impedimento, vel satisfactionis signo, sic perseuerans, pro conuicto, & pro confesso habeatur, tamen non impeditur, quin innocentiam allegare, & probare possit. Menoch. *de arbitrar. lib.2. cas.416. num.36.* Salzed. *cap.116. num.10.* & alij complures, quos sequitur Farinac. *vbi suprà, num.23.*

Probatur primò auctoritate ex textu *in l.2. Cod. de requirend. reis*, vbi banniti habentur tanquam confessi, & conuicti, & nihilominus ad innocentiam suam probandam admittuntur.

Secundò probatur ratione, quia contumacia non est confessio vera, & clara, sed à iure praesumpta: At aduersus confessionem fictam, & praesumptam admittitur probatio. Vide Doctores, quos citat, & sequitur Neuizan. *consil.60. num.2.* & *sequent.* Et innocentiae probatio (tametsi lata fuerit sententia) nunquam censetur exclusa. Decius *in cap. ex parte 2. numero 7. de offic. delegat.* & *in cap. quoniam, num.4. de probationib.* quem sequuntur communiter Doctores.

Hinc sequitur, quod haec contumacia ad illum ef- 10
fectum solùm efficax sit, vt accusator, fiscus, vel actor à probandi accusationem, vel actionem à se propositam onere releuetur; quia loco probationis, quam ipsi exhibere debebant, lex subrogauit fictam hanc excommunicati confessionem. Vide Doctores, quos citat, & sequitur Salzed. *cap.116. num.10.* Menoch. *de arbitr. lib.2. cas.416. num.36.* & Farinac. *vbi suprà, num.23.*

Objicies textum *in cap. rursùs 11. q.3.* vbi dicitur, quod

quod per annum insordescens audiri non debeat.

Respondetur cum Salxedo *loco suprà cit. n.* 11. Menoch. *num.* 41. & aliis, textum hunc non obstare, quia intelligi debet, cùm pluries requisitus per annum suam innocentiam probare neglexit. Tunc enim lex meritò illum à probatione repellit.

12 Dico tertiò, hic excommunicatus (etiam ex causa, quæ ad fidem non pertinet) & per annum in excommunicatione insordescens redditur suspectus de hæresi, (ita vt contra ipsum procedere possint Inquisitores, iuxta Decretum Tridentini Concilij *sess.* 25. *c.* 3. *de reform.* & docent Rojas *sing.* 60. *n.* 2. Simanch. *tit.* 27. *n.* 4. Fuscus *de visit. lib.* 1. *c.* 29. *n.* 2. Azeued. *lib.* 8. *tit.* 5. *leg.* 1. *n.* 2 cz. Ssyt. *de censur. lib.* 2. *c.* 10. *n.* 10. Guttier. *in canon. quæst. lib.* 1. *c.* 12. *n.* 20. & Barbos. *in collect. Doctor. tom.* 2. *lib.* 5. *tit.* 7. *c.* 15. *n.* 12. Quapropter, cùm supradictus excommunicatus censeatur malè sentire de fide, interrogari debebit quid sentiat de potestate Ecclesiæ.

13 Quod ex satis probabili sententia Doctorum non solùm verum est in excommunicatione lata ob causam criminalem, sed etiam in excommunicatione lata ob causam ciuilem, quia contumacia vniformis est, immò maior esse videtur in causa ciuili (vtpotè leuiori, & quæ regulariter minùs retardare debet excommunicatum à comparendo) quàm in causa criminali. Tum quia Concilium in supradicto decreto statuens, quod non solùm ob causam criminalem, sed etiam ob causam ciuilem excommunicatio ferri possit, statim subiungit. [Excommunicatus quicumque, si post legitimas monitiones, &c. indurato animo censuris annexus, in illis insorduerit, procedi posse contra eum tanquam de hæresi suspectum.] Ergo comprehendit Concilium tam excommunicatum ex causa criminali, quàm excommunicatum ex causa ciuili, & docent Menoch. *vbi suprà, n.* 52. *& seqq.* & alij quos citat, & sequitur Farinac. *de hæresi, q.* 192. *§.* 1. *n.* 23. Quamvis contrarium sentiant Sayr. *de censur. lib.* 2. *c.* 10. *n.* 4. Gonzal. *in regul.* 8. *Cancell. gloss.* 15. *n.* 106. qui subdit, quod ita decisum fuerit à Rota Romana in vna Segouiensi insordescentiæ, die 5. Iunij, anno 1598. coram Seraphino, vbi rejicitur Menochius, & Salxedus, quos suprà citabam pro priori contraria sententia, & Barbos. *in collect. tom.* 3. *lib.* 5. *tit.* 2. *c.* 6. *n.* 6. (qui subdit etiam; quod contumax in excommunicatione per annum insordescens habeatur quidem suspectus de hæresi, beneficiisque priuetur: at si sit excommunicatus pro crimine tantùm; secus si pro causa ciuili) & alij complures.

14 Aduerto tamen, quod suspicio hæc sit leuis, sufficiens nihilominùs ad indicendam purgationem, & cogendum excommunicatum, vt respondeat; non tamen sufficiens ad torturam. Eymer. 2. *part. directorij, q.* 47. *n.* 7. & ibi Peña *comment.* 72. Læl. Zecch. *in summa, part.* 1. *tit. de fide, rubric. de hæresi, cap.* 11. *num.* 13. & alij.

15 Aduerte secundò, quod iam ex recepta consuetudine (licèt possint) non tamen soleant Inquisitores aduersus excommunicatum per annum, & ampliùs in excommunicatione insordescentem procedere, nisi excommunicatus fuerit ex causa sola fidei: Alias enim excommunicatus ordinario Iudici puniendus remittitur. Scaccia *tract. de Iudic. cap.* 98. *n.* 36. Graff. *in decis. part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 14. *n.* 4. Peña, Læl. Zecchius, & Farinac. *in locis suprà citatis*; Zenard. *in direct. Theolog. part.* 2. *præcept.* 1. *cap.* 5. *§.* 48. *in fine*, Graff. *in decis. part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 14. *n.* 4. & Acuña *de confess. sollicit. quæst.* 24. *n.* 65.

16 Idemque refert Sousa *in aphor. Inquis. lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 6. quatenus ait, quod perseuerans per annum in excommunicatione non ex causa fidei, non reputatur hæreticus, sed solùm leuiter suspectus de fide; ex consuetudine tamen Inquisitionis Romanæ non procedunt Inquisitores contra huiusmodi excommunicatum, quamvis contrarium referat Genuens. *in Prax. Archiepiscop. cap.* 68. *num.* 8. expressè asserens, quod procedant etiam contra insordescentes per annum in excommunicatione, non ex causa fidei, imponantque ei pœnitentiam salutarem, & abiurationem de leui.

17 At (quidquid sit de tali consuetudine Inquisitionis Romanæ in aliquibus locis) in Inquisitione Hispanica tamen est talis consuetudo, quod scilicet non procedant, sed procedant tantùm contra insordescentem in excommunicatione ex causa fidei, itavt iste iuxta ea (quæ mox dicam) si citatus ad respondendum de fide, contumax fuerit per annum in excommunicatione insordescens, tanquam hæreticus, non verus, sed præsumptus, condemnetur.

18 Idemque dicendum de fautoribus, defensoribus, hæreticorum receptatoribus, & quomodocumque officium sanctæ Inquisitionis impedientibus, vel se purgare recusantibus. Peña *in director. Inquisit. part.* 3. *comment.* 172. Scaccia *de Iudic. lib.* 1. *cap.* 98. *num.* 4. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *cas.* 374. *num.* 10. Farin. *de hæres. q.* 192. *num.* 14. & Sousa *in aphorism. Inquis. lib.* 1. *cap.* 27. *n.* 1. *&* 2. ex textu claro *in cap. cùm contumacia, de hæret. in* 6. quem mox infrà citabo.

19 Et ex ratione, quia (vt etiam mox infrà cum Eymer. *in director. part.* 3. *quæst.* 47. dicam) si quis suspectus est leuiter de fide, & ob eam causam citatus, vt respondeat, intra terminum assignatum negligit respondere, illa leuis suspicio transit in vehementem. Et si posteà prætereà in illa negligentia perseuerat per annum, suspicio vehemens transit in violentam, *ex dicto cap. cùm contumacia*; quapropter tanquam hæreticus condemnabitur.

20 Aduerte tertiò, quod ob causam fidei dicatur excommunicatus ille, qui quod respondeat de fide, sub excommunicatione ipso facto citatus fuerit, & respondere, seu comparere non voluerit; hæc tamen citatio necessariò supponit citatum de hæresi suspectum, non tamen suspicione quacumque, sed suspicione probabili. Gemin. *in cap. cùm contumacia, de hæret. in* 6. *num.* 8. & alij, quos citat, & sequitur Farinac. *de hæres. quæst.* 192. *num.* 126.

21 Quapropter si sine suspicione probabili responsurus de fide sub excommunicatione citatus in tali excommunicatione per annum persistat, non redditur de hæresi violenter suspectus, neque vti hæreticus, condemnari potest, Geminianus, & alij Canonistæ *in supradicto cap. cùm contumacia*, quos refert, & sequitur idem Farinac. *num.* 26.

22 Citari autem debet sic suspectus de fide cum assignatione termini ad respondendum; quia non sufficit sola citatio, neque sufficit sola assignatio termini, sed vtraque requiritur. Hostiens. *in cap. excommunicamus* 2. *de hæret. numero* 9. *&* 10. & alij, quos sequitur Farinacius *citata quæst.* 192. *num.* 27.

23 Dico quartò, si citatus ad respondendum de fide per annum integrum, nullo allegato impedimento, respondere neglexerit, habetur pro confesso, & debet condemnari tanquam hæreticus. Eymericus *loco suprà citato, & quæst.* 56. *num.* 5. Menoch. *de arbitrar. lib.* 2. *cas.* 374. *num.* 10. Scaccia *de Iudic. cap.* 98. *numero* 4. Salzed. *cap.* 116. *conclus.* 5. & Farinacius *quæst.* 192. *num.* 14. & alij complures (quos infrà corollario primo citabo) *ex textu expresso in citato cap. cùm contumacia, de hæret. in* 6. ibi: [Cùm contumacia in causa, præsertim fidei, suspicioni præsumptionem adjiciat vehementem, si suspectus de hæresi vocatus à vobis, vt de fide respondeat, excommunicationis vinculo, pro eo quod parere subterfugit, aut contumaciter se absentat, per vos fuerit innodatus, quam si per annum animo sustineat pertinaci, ex tunc velut hæreticus condemnetur;] Et meritò, quia qui de fide leuiter est suspectus, & ob eam causam, vt respondeat, est citatus, si intra terminum assignatum respondere neglexit, illa suspicio leuis transit in vehementem, si autem in illa negligentia per annum persistit, suspicio vehemens transit in violentam, *ex dicto cap. cùm contumacia.* Ergo condemnari potest, & debet,

debet vt hæreticus; vide Doctores iisdem in locis suprà citatis.

25 Aduerte tamen, quod prædictus excommunicatus ad hoc, vt tanquam hæreticus condemnetur, si facilè capi non potest, debeat specificè citari ad respondendum de fide, & ad se purgandum de suspicione orta ex insordescentia sua; & licèt forsan vna citatio sufficiat in tali casu, tutius tamen sit, quod triplex præmittatur.

26 Annus verò debet esse continuus, & cum facultate, seu potestate comparendi per spatium totius illius anni incipientis non à die excommunicationis incursæ, sed à die sententiæ, vel declarationis, vel (vt alij volunt) notorietatis. Vide quæ dicebam suprà *num. 4. & seqq.*

SECTIO II.

Per quantum temporis spatium post annum huius contumaciæ iudex expectare debeat, vt reum condemnet, seu declaret esse hæreticum præsumptione iuris, & de iure?

SVMMARIVM.

1 *Iudex vt reum condemnet, seu declaret esse hæreticum præsumptione iuris, & de iure, secundùm aliquos post annum expectare debet per triennium, vel per biennium; sed id relinquitur arbitrio iudicis, quia nullo textu cauetur: & alioquin in iure decernitur, quod iudex statim post lapsum annum contumaciæ reum condemnare possit.*

2 *Textus* in cap. cùm bonæ memoriæ, de ætat. & qualitat. & in cap. grauem, vltimo de pœnis, *non obstant; quia referunt quod factum sit, non autem inducunt dispositionem.*

3 *Iudex rectè faceret, si elapso aliquo tempore post annum, iterum citaret contumacem ad allegandam quare tanto tempore in excommunicatione insorduerit, &c.*

1 NOnnulli Doctores ex Abbate *in cap. 1. num. 23. de iudic.* putant, quod iudex expectare debeat per triennium, vel per biennium. His tamen non obstantibus,

Respondetur, quod id relinquatur arbitrio iudicis; quia nullo textu caueatur in iudice hæc expectandi obligatio; quinimò ex suprà *cit. cap. cum contumacia, de hæret. in 6.* manifestè colligitur, quod iudex statim post lapsum annum contumaciæ reum condemnare possit; cùm sic denotet verbum illud, *Ex tunc*: Eymeric. *2. part. directorij, q. 47. n. 6.* Menoch. *lib. 2. de arbitr. cas. 476. n. 65.* & Salzed. *cap. 116. circa finem.*

2 Objicies textum *in cap. cùm bonæ memoriæ, de ætat. & qualitat.* vbi ob perseuerantiam triennalem Clericus priuatus fuit beneficiis; & textum *in c. grauem, vlt. de pœnis*, vbi biennium videtur in laïco expostulatum.

Respondetur, textus hos non obstare; quia referunt quid factum sit, non autem inducunt dispositionem. Vide Doctores eosdem, quos suprà citabam.

3 Aduerte tamen, quod rectè faceret iudex, si elapso aliquo tempore post annum, iterum citaret contumacem ad allegandum, quare tanto tempore in excommunicatione insorduerit; quod si huic vltimæ citationi reus adhuc contumax fuerit, tunc ampliùs ipse non expectans, eum tanquam hæreticum condemnaret, Menoch. Salzedo, & alij, quos sequitur Farinac. *q. 192. num. 22.*

SECTIO III.

An si excommunicatus, elapso anno contumaciæ, priusquam sententia pronunciata, vel executioni mandata fuerit, compareat, debeat tunc vti hæreticus condemnari?

SVMMARIVM.

1 *Excommunicatus, si elapso anno contumaciæ, priusquam sententia pronunciata, vel executioni mandata fuerit, compareat, si comparendo non solùm purget criminis obiecti suspicionem, sed etiam se legitimè impeditum fuisse, omnem pœnam effugiet.*

2 *Excommunicatus si probet innocentiam respectu criminis obiecti, non tamen respectu contumaciæ, adhuc non debet condemnari tanquam hæreticus, neque in pœna corporali, neque in confiscatione bonorum, sed solùm est puniendus pœna arbitraria, quæ contumaciæ culpam adæquet.*

3 *Item si innocentiam integrè non probauerit, sed adhuc suspectus de hæresi permanserit, adhuc solùm abiurare debet, & pœna solùm arbitraria puniri; quia pœnam hæresi statutam non incurrit fictus hæreticus, seu de hæresi suspectus, sed solùm qui vt talis conuictus est.*

1 REspondetur distinguendo: si tunc iste talis comparendo, non solùm purget criminis obiecti suspicionem, sed etiam (quia probat se legitimè impeditum fuisse) probet contumaciam, omnem pœnam effugiet, Salzed. *vbi suprà, conclus. 5. versic. Immò*, & alij; quia pœnam subire debebat, vel ob crimen obiectum, vel ob contumaciam: Ergo si vtrumque purgat, nullam pœnam subire debet.

2 Si autem probat innocentiam respectu criminis obiecti, non tamen respectu contumaciæ, adhuc non debet condemnari tanquam hæreticus, neque in pœna corporali, neque in confiscatione bonorum, sed solùm puniri pœna arbitraria, quæ contumaciæ culpam adæquet; quia tunc, facta probatione in contrarium, cessat præsumptio hæresis.

3 Quinimmò, si innocentiam integrè non probauerit, sed adhuc suspectus de hæresi permanserit, adhuc solùm abiurare debet, & pœna solùm arbitraria puniri; quia pœnam hæreticis statutam non incurrit fictus hæreticus, seu de hæresi suspectus, sed solus qui vt talis conuictus est, *c. accusat. §. porrò, de hær.* & docent Salzed. *c. 116. n. 16.* Zanchin. *tract. de hær. c. 25. de confisc. bonor.* & alij, quos sequitur Menoc. *cons. 159. vol. 2. n. 16.* Vide etiam quæ dicebam suprà *dub. 140. 185. 203. & 210.*

SECTIO IV.

Quid dicendum si excommunicatus, priusquam labatur annus contumaciæ, sic suspectus, & citatus decesserit?

SVMMARIVM.

1 *Excommunicatus, si priusquam labatur annus contumaciæ, sic suspectus, & citatus decesserit, non debet condemnari tanquam hæreticus, neque puniri confiscatione bonorum; quia tunc decessit solùm leuiter, vel vehementer suspectus, non autem conuictus de hæresi.*

2 *Excommunicatus si in dicto casu in processu apparuerint plenæ, & concludentes probationes, potest tunc condemnari tanquam hæreticus, & pœnis hæretici puniri; quia tunc non ob contumaciam, sed ob delictum plenè probatum condemnatur.*

1 RESpondetur, quod adhuc excommunicatus in tali casu non debeat condemnari, tanquam hæreticus, neque puniri in confiscatione bonorum; quia tunc decessit solùm leuiter, vel vehementer suspectus, non autem conuictus de hæresi. Decian, *tract. crimin. lib. 5. cap. 32. num. 10.* Simanch. *de cathol. instit. tit. 14. rubr. de contumac. num. 4.* & alij communiter, quos citat, & sequitur Farinac. *q. 192. num. 36. & seqq.* & Sousa *in Arbor. Inquis. lib. 1. cap. 17. num. 1. & 2.*

2 Aduerte tamen, quod si in processu apparuerint plenæ, & concludentes probationes, possit tunc excommunicatus condemnari tanquam hæreticus, & pœnis hæretici puniri; quia tunc non condemnatur ob contumaciam, sed ob delictum plenè probatum: Neque contumaciâ ad condemnationem opus erat.

SECTIO V.

An hæresis probetur sufficienter, eo quòd probetur extitisse quis contumax per annum in excommunicatione ob causam fidei, & sic mortuus fuisse?

RESpondetur: de hac re dixi suprà *dub. 104.*

SECTIO VI.

Corollaria.

SVMMARIVM.

1 *Qui propter causam spectantem ad fidem citatus, & non comparens excommunicatus fuerit, si per annum in tali excommunicatione permanserit, debet haberi ut hæreticus, ex iuribus citatis.*

2 *Excommunicatus propter hæresis crimen, si per annum in excommunicatione permanserit, ipso iure absque alia sententia condemnatoria habendus est ut hæreticus.*

3 *Lex huiusmodi, licèt sit ciuilis, ab Ecclesia fuit approbata, & propterea vim habet ac si à potestate Ecclesiastica lata fuisset.*

4 *Requiritur tamen sententia declaratoria.*

5 *Item requiritur, ut prius citetur ad se purgandum de suspicione, quod scilicet sit hæreticus, eo quòd per annum in excommunicatione insorduerit.*

6 *Qui per annum propter crimen hæresis permansit in excommunicatione, non debet, si petit absolutionem, condemnari ut hæreticus.*

7 *Condemnatus de hæresi, & à iustitiæ ministris captus, si probet se fuisse legitimè impeditum, & propterea non potuisse se iudici præsentare, nulla debet pœna puniri.*

8 *Excommunicatus qui fuit in causa fidei, si elapso anno posteà se præsentet coram Inquisitore, debet si nondum fuerit declaratus hæreticus, ad respondendum admitti in ea causa, ob quam citatus, & excommunicatus fuit.*

9 *Quin & debet etiam admitti, si compareat, postquam fuit declaratus hæreticus, vel eius statua, seu imago combusta.*

10 *Excommunicatus ex alio delicto, quàm ex delicto hæresis, si in excommunicatione illa per annum permansit, non debet haberi, neque condemnari tanquam hæreticus, sed solùm tanquam suspectus de hæresi; quia censetur malè sentire de fide, & de potestate Ecclesiæ.*

11 *Permanens in excommunicatione per annum, etiam pro aliis criminibus præter hæresim, cogi potest ad purgationem subeundum; quod si recuset, & pertinaciter in ea permanserit, tunc condemnari poterit ut hæreticus.*

12 *Praxis est, ut si in excommunicatione etiam per annum ex aliis delictis præter hæresim insorduerit quispiam, non procedatur contra eum, tanquam contra suspectum de hæresi.*

EX dictis habetur 1. quod qui propter causam spectantem ad fidem (ut si fuerit citatus ab Inquisitoribus ad dicendum quid de fide sentiat, vel si impedierit Officium sanctæ Inquisitionis, & fuerit contumax, nec accedere voluerit) est (prius scilicet citatus, & non comparens) excommunicatus, & si per annum in tali excommunicatione permansit, debeat haberi ut hæreticus. Patet *ex cap. cum contumacia, de hæret. in 6.* (quod suprà adducebam.) Patet etiam *ex c. ut Inquisitionis officium, in fine, de hæret. in 6.* ibi: [Quam si per annum animo sustinuerit pertinaci, ex tunc velut hæreticus condemnetur;] & tradit Gloss. *in cap. excommunicamus 1. de hæret. in 6. verb. condemnentur.* Quatenus ait: [Ex eo, quod quis in excommunicatione propter crimen hæresis permanserit per annum, inducitur vehementissima suspicio, quod is sit hæreticus. Hostiens. *in eod. cap. excommunicamus, n. 2. & seqq.* Quatenus inquit: [Ex hac contumacia persistendi in excommunicatione per annum propter crimen hæresis oritur præsumptio iuris, & de iure, propter quam tollitur omnis defensio, & crimen hæresis sufficienter probatur.] Et Hostiensis *in sum. de hæret. §. qualiter deprehendatur, n. 4.* quatenus asserit: [Licèt aliqui Canones loquantur de iis, qui per biennium, vel triennium perseuerant in excommunicatione; satis tamen est, si per annum perseuerent, quia Canones solùm narrant factum prout contigit, non verò quod necessariò requiratur tempus biennij, vel triennij;] Idemque tradunt etiam Ancharanus *num. 4.* Ioan. Andreas *num. 3.* Ananias *num. 3.* Henric. *num. 3.* Butrius *num. 7. & 12.* & alij Canonistæ communiter *in cit. cap. excommunicamus 1. de hæret. in 6.* Socinus *in c. per tuas, de sent. excommun. n. 30.* Isernia *de Feudis, tit. de statu, & consuetudine contra libertatem Ecclesiast. n. 10.* Couarr. *in cap. alma, part. 1. §. 7. n. 11.* Clarus *in §. hæresis, n. 21. vers. hæc autem conclusio,* Peña *3. part. Direct. comment. 49. §. Quod si u.* Rojas *singul. 60. num. 3.* Vgolin. *de censur. tabul. 1. cap. 14. §. 3. num. 2.* Menoch. *de arbitr. cas. 416. n. 6.* Villadiego *de hæret. q. 9. in princ.* Scaccia *lib. 1. de iudicial. caus. cap. 98. n. 36.* Salzedo *ad Diaz, cap. 116. n. 12.* Simanch. *de cathol. instit. tit. 2. n. 9. & tit. 24. n. 2.* Grassius *decis. lib. 4. cap. 14. n. 4.* & Sayrus *de censur. lib. 2. cap. 10. num. 11.*

Neque mirum est, quod debeat haberi ut hæreticus; tum quia propter causam hæresis citatus fuit, tum quia iudicium recusauit, & fugam arripuit; tum quia per annum in excommunicatione permansit.

Adeò quod qui propter hæresis crimen excommunicatus fuit, & per annum in excommunicatione permansit, debeat haberi ut hæreticus ipso iure, absque alia sententia condemnatoria. Authent. *Gazaros, Cod. de hæret.* ibi: [Ita quod si sic per annum permanserint, ex tunc eos sicut hæreticos condemnamus:] Et notant ibi communiter Doctores. 2

Non obstat, si dicas: Huiusmodi lex est ciuilis: Ergo vim non habet; cùm id pertineat ad potestatem Ecclesiasticam. 3

Respondetur enim, nego consequentiam; quia prædicta lex ciuilis ab Ecclesia approbata fuit, & propterea vim habet, ac si à potestate Ecclesiastica lata fuisset. Abbas *in cap. excommunicamus 1. de hæret. n. 11.* Ancharan. *ibidem, num. 4. & 5.* Hostiens. *num. 7. & 8.* Soccin. *num. 14.* Butrius *num. 17.* Ioan. Andreas *n. 4.* Ananias *num. 6.* & alij Canonistæ passim.

Requiritur tamen sententia declaratoria. Vide Doctores, quos sequitur Peña *in direct. part. 3. tit. 13.* de modo terminandi processum, & Scaccia *tract. de iudic. causar. cap. 98. num. 10.* 4

Requiritur

5 Requiritur tamen etiam, vt priùs citetur ad se purgandum de suspicione, quod scilicet sit hæreticus, eò quòd per annum in excommunicatione insorduerit. Syluest. *verb. hæreticus* 1. *num.* 1. Angelus *eodem verb. num.* 1. Tabiena *num.* 2. Director. Inquisit. *part.* 2. *q.* 47. *num.* 7. Peña *ibidem, comment.* 52. *lit. G.* Repert. Inquisit. *verb. contumacia, vers. nota quod*, & Zanchin. *tract. de hæreticis, cap.* 9. *num.* 3. Videri etiam poterit Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *cas.* 416. *n.* 69. vbi ait, quod iudex, priusquam condemnet prædictum reum tanquam hæreticum, debeat illum citare ad comparendum, & ad allegandam causam, quare non debeat declarari excommunicatus.

6 Habetur 2. quod qui per annum propter crimen hæresis permansit in excommunicatione, non debeat (si petiit absolutionem) condemnari vt hæreticus. Geminianus *in cap. cum contumacia, de hæret. in* 6. *n.* 11. Franchis *ibidem, num.* 2. & Ioan. Andreas *verb. pertinacia.* Videri etiam poterit Nauarrus *cons.* 7. *de hæret. num.* 7. vbi inquit, quod qui per annum permansit in excommunicatione, non possit, si infra annum petiit absolui, declarari tanquam suspectus de hæresi.

7 Habetur 3. quod si de hæresi condemnatus, & à iustitiæ ministris captus probet, se fuisse legitimè impeditum, & propterea non potuisse se iudici præsentare, nulla debeat pœna puniri. Vide Doctores, quos sequitur Lopez *in addit. ad Diaz in pract. crimin. c.* 116. *num.* 12.

8 Habetur 4. quod qui in causa fidei fuit excommunicatus, & elapso anno postea se præsentat coram Inquisitore, debeat si nondum fuerit declaratus hæreticus, admitti ad respondendum in ea causa, ob quam citatus, & excommunicatus fuit. Salzedo ad Diaz *in citato cap.* 116. *num.* 12. Peña *in direct. part.* 3. *comment.* 174. Scaccia *lib.* 1. *de iudic. causar. cap.* 18. *num.* 95. & alij communiter.

9 Quin & debeat etiam admitti, si compareat, postquam fuit declaratus hæreticus, vel eius statua, seu imago combusta. Flamin. Charrar. *de execut. sent. capt. bannit. cap.* 2. *num.* 278. *& seqq.* Salzed. *loco suprà citato*, Peña *in direct. part.* 3. *comment.* 46. *vers. adueniente autem, & vers. postremò illud*, Simanch. *de cathol. instit. tit.* 2. *n.* 20. & Decian. *lib.* 5. *cap.* 33. *num.* 13. iuxta ea quæ docet Glossa *in cap. excommunicatus* 1. *§. qui autem, de hæret.*

10 Habetur 5. quod si ex alio delicto, quàm ex delicto hæresis fuit excommunicatus, & in excommunicatione illa per annum permansit, non debeat haberi, neque condemnari tanquam hæreticus, sed solùm tanquam suspectus de hæresi. Tridentinum Concilium *sess.* 25. *cap.* 3. *de reformat. in fine*, ibi: [Excommunicatus verò quicumque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solùm ad Sacramenta, & communionem fidelium non recipiatur, sed si obdurato animo censuris annexus in illis insorduerit, etiam contra eum tanquam de hæresi suspectum procedi possit.]

Et docet Abbas *in cap. grauem, de pœnit. num.* 4. *& in cap. excommunicamus* 1. *de hæret. num.* 6. quatenus ait, quod qui pro aliis criminibus præter hæresis crimen fuerit excommunicatus, & per annum in ea excommunicatione permanserit, non sit habendus tanquam hæreticus, sed tanquam conuictus de illo crimine, propter quod fuit excommunicatus. Albertin. *in rubric. de hæreticis*, *in* 6. quatenus loquit, quod qui permanet in excommunicatione per annum, similiter pro aliis criminibus præter hæresim non sit habendus tanquam hæreticus, sed tanquam suspectus de hæresi. Idemque docent Director. Inquisit. *part.* 2. *q.* 47. *num.* 6. *&* 7. Peña *ibidem, comment.* 72. *lit. C, vers. quidam verò*, Lælius Zech. *in sum. part.* 1. *tit. de fide, rubric. de hæret. cap.* 15. *num.* 13. Rojas *singul.* 62. *num.* 2. Paulus Fuscus *de visitatione, lib.* 1. *cap.* 29. *num.* 2. Azeuedo *lib.* 8. *titulo* 4. *leg.* 1. *num.* 213. Didacus Perez *lib.* 8. *tit.* 19. *leg.* 9. Rebuff. *in praxi, titulo Forma & declaratio nouæ praxis, §. Téque absoluentes, num.* 19. Vgolinus *de censur. tabul.* 1. *cap.* 24. *§.* 3. *num.* 3. Lopez *in instructione, part.* 2. *tit.* 2. *de excommunicat. cap.* 12. *vers. quod si talis*, Maiol. *de irregular. lib.* 3. *cap.* 21. *n.* 12. Grassius *lib.* 5. *cap.* 76. *num.* 8. Sayrus *de censuris, lib.* 2. *cap.* 10. *numero* 10. Locatus *in iudic. Inquisit. verb. excommunicatio, num.* 2. Paulus Ghirlandus *in tract. de hæretic. q.* 8. *n.* 4. Montemar. *in practica Archiepiscop. cap.* 84. *num.* 8. & Scaccia *tract. de iudic. caus. cap.* 98. *n.* 36.

Ratio, quia permanens in excommunicatione per annum, etiam pro aliis criminibus præter hæresis crimen, censetur malè sentire de fide, & de potestate Ecclesiæ: Ergo poterunt Inquisitores contra eum procedere, & inquirere quid de fide, & potestate Ecclesiæ sentiat. Couarr. *in cap. alma, part.* 1. *§.* 7. *n.* 10. *vers.* 4. *est considerandum.* Guttierrez *lib.* 1. *quæst. canonic. c.* 12. *n.* 20. Salzedo *ad Diaz in praxi, cap.* 110. *n.* 12. Vgolinus *loco suprà citato, n.* 4. Auffter. *decis.* 365. *& volum.* 1. *commun. opinion. cap.* 3. Simanch. *de cathol. instit. tit.* 27. *n.* 4. & alij.

Hinc sequitur, quod permanens in excommunicatione per annum, etiam pro aliis criminibus præter hæresim, cogi possit ad purgationem subeundam, sicut adnotarunt Sayr. *vbi suprà, n.* 10. Vgolin. *num.* 3. & Rubeus *in repetit. cap. per vestras, in princ. §.* 18. *n.* 24. *de donat. inter vir. & vxor.* quam si subire noluerit, sed pertinaciter adhuc in excommunicatione permanserit, tunc eum tanquam hæreticum, condemnandum esse putant. Vide Doctores, quos sequitur Diaz *in praxi, citat. cap.* 110. *n.* 12. & Bossius *in praxi, verb. casus, vers. excommunicati*, & colligitur *ex cap. excommunicamus* 1. *§. qui autem, de hæret.* 11

Quamvis hodie (sicuti suprà *sectione* 1. dicebam) saltem in Inquisitione Hispanica praxis sit, vt contra excommunicatum pro aliis criminibus præter hæresim, nedum pro causa ciuili (etiamsi in excommunicatione per annum, & ampliùs insorduerit) contra talem tanquam contra quempiam suspectum de hæresi non procedatur, sed is iudici ordinario puniendus remittatur. 12

SECTIO VII.

An ei, qui per annum in excommunicatione persistit, prosit absolutio, quæ datur à Papa in impetrationibus gratiarum, & collationibus beneficiorum ad effectum gratiæ consequendæ? Vbi etiam, an eadem absolutio prosit irregulari?

SVMMARIVM.

1 *Absolutio ab excommunicatione, quæ datur à Papa in impetrationibus gratiarum, & collationibus beneficiorum ad effectum gratiæ consequendæ, non prodest ei qui per annum in excommunicatione persistit.*

2 *Excipe nisi Papa sciuerit hunc per annum in excommunicatione perstitisse.*

3 *Absolutio prædicta vt illi non prosit, requiritur vt per annum continuum in excommunicatione persliterit.*

4 *Item absolutio prædicta non extenditur ad censuras incursas post ipsas litteras Apostolicas.*

5 *Item non valet nisi ad effectum præsentium dumtaxat consequendum.*

6 *Absolutio prædicta neque prodest irregulari: quapropter collatio beneficij facta irregulari valida non est.*

RESpondetur, & dico 1. Dicta absolutio non prodest ei, qui per annum in excommunicatione persistit. Est communis Doctorum sententia, quam præter alios 1

sequitur Felinus *in cap. Apostolica, in princ. de except. nib. in 6.* Nauarrus *in sum. c. 27. n. 22. & in cap. ita quorundam, de Iudæis, notabil. 11.* Boërius *decis. 290. num. 3.* Puteus *decis. 128. lib. 4.* Roland. *vol. 1. cons. 46. num. 37.* Rebuff. *in praxi, part. 3. tit. Forma nouæ prouisionis, vers. Teque absoluentes, n. 10.* Henriquez *lib. 13. cap. 13. §. 3. & in glossa lit. F,* Sayt. *de censur. lib. 2. n. 6. & seqq.* Auila *de censur. part. 2. cap. 6. disp. 5. dub. 2. conclus. 4.* Garcias *de benefic. part. 7. c. 13. n. 61.* & patet *ex regula 65. de infar descembus.*

2 Excipe, nisi Papa sciuerit, hunc per annum in excommunicatione perstitisse. Vide Doctores, quos sequitur Auila *loco suprà citato.*

3 Aduerte tamen, quod vt illi prædicta absolutio non prosit, requiratur quod ipse per annum continuum in excommunicatione perstiterit. Vide Doctores, quos sequitur Rebuffus *vbi suprà, n. 12.*

4 Aduerte 2. quod prædicta absolutio, seu clausula: *Teque à quibuscumque, &c.* non extendatur ad censuras incursas post ipsas literas Apostolicas, sed solùm ad censuras de præsenti, sicuti patet ex illis verbis: *Si quibus quomodolibet innodatus existis.*

5 Aduerte 3. quod prædicta absolutio, seu clausula non valeat, nisi ad effectum præsentium duntaxat consequendum: Quapropter qui sic ab excommunicatione est absolutus, non poterit celebrare, nec diuinis interesse, nec alia Sacramenta ministrare. Vide Doctores quos sequitur Zerola *in praxi, part. 1. verb. Ordo, §. 4. circa finem,* & Philiarchus *part. 1. lib. 3. cap. 26.*

6 Dico 1. Neque prædicta absolutio, seu clausula: *Teque à quibuscumque, &c.* prodest irregulari; quapropter collatio beneficij facta irregulari valida non est, quamvis in collatione beneficij dicta clausula ponatur, Nauarrus *cons. 17. de cleric. excommunic. & cons. 48. de sent. excommun. in fin.* Guttier. *lib. 2. quæst. canon. c. 5. n. 94.* Roderic. *in sum. tom. 1. cap. 19. n. 5.* Flaminius Parisius *de resignat. benefic. lib. 4. q. 3. n. 40. & 41. & lib. 8. q. 7. n. 112.* Saytus *de censuris, lib. 2. cap. 5. n. 6. & lib. 6. cap. 2. n. 22.* Vega *part. 1. sum. cap. 36. cas. 15.* & Rota *in vna Curzonen. Canonicatus, 25. Maij, anno 1601. & 22. Martij anno 1602.* quatenus inquit: Irregularis non potest impetrare beneficium, quamvis in impetrationibus gratiarum sit solita apponi clausula, *Et cum absolutione ad effectum præsentium duntaxat.* Irregularis enim non potest gaudere hac clausula; quia irregularitas non est censura, *cap. quærenti, de verb. signific.* Et propterea quando quis absoluitur à censuris, non censetur dispensatus in irregularitate; & quando in Iubilæis, & Bullis datur facultas absoluendi à pœnis, & censuris, &c. non datur propterea facultas dispensandi in irregularitate. Nauarr. *in sum. cap. 27. n. 194. & 250.* Salzedo *ad Diaz, cap. 26.* Molina *de iust. tract. 3. disp. 80.* Auila *de censur. part. 2. dub. 5. & p. 7. disp. 1. dub. 1.* Lopez *in instruct. tom. 2. p. 1. c. 62. & p. 3. cap. 8.* Suarez *tom. 5. de censur. disp. 1. sect. 3. n. 4. & seqq. & disp. 40. sect. 5. n. 3.* Henriquez *lib. 7. cap. 13. n. 6. & lib. 14. cap. 17. n. 4.* Philiarchus *part. 1. lib. 4. cap. 6.* Vgolin. *de censur. tabul. 1. cap. 10. §. 4. n. 11. & cap. 16. n. 2.* Zerola *in praxi Episcop. part. 1. verb. irregularitas, §. 13.* Saytus *de censur. lib. 1. cap. 1. n. 18. & lib. 6. cap. 2. n. 33.* & Magister Sacri Palatij *in indic. libror. expurg. in Emanuele Sà,* vbi ait, quòd nullo modo tenenda sit sententia quorundam affirmantium; quia in contrarium est praxis Curiæ Romanæ, & omnis Canonistarum doctrina, quæ optimo nititur fundamento, quod scilicet potestas absoluendi extendi non possit ad irregularitatem; cùm irregularitas non per absolutionem, sed per dispensationem tollatur.

DVBITATIO CCXII.

Quonam modo procedatur contra eum, qui pœnitentias ab Inquisitoribus sibi impositas non exequitur, v. g. saccum benedictum portare omittit, vel aliquo modo sub vestibus tegit?

Respondetur; de hac re dixi suprà *dub. 165.*

DVBITATIO CCXIII.

Quonam modo procedatur contra Inquisitores (etiam extra crimen hæresis) delinquentes, siue delinquant in officio, siue extra officium; & siue sint Regulares, siue solùm Clerici sæculares?

Respondetur: de hac re dixi suprà *dubitat. 195. sectione 30.*

DVBITATIO CCXIV.

Quonam modo procedatur contra Inquisitorum familiares, vel officiales, siue in causis criminalibus, siue in causis ciuilibus contra illos disceptatio sit? Item quonam modo procedatur contra exorcizantes, si exorcizando superstitionem, quæ in adiuratione repetitur, committant, vel admisceant?

Respondetur: Quoad primum vide quæ dicebam *dubit. 195. sect. 6.* Quoad secundum vide quæ dicebam *tractatu de iuramento, circa finem, titulo de adiuratione.*

DVBITATIO CCXV.

Quonam modo procedatur contra reconciliatos (seu dum habitum pœnitentiæ gestant) & generaliter contra quoscumque sancti Officij pœnitentes, dum sancti Officij pœnitentias exequuntur, tam similiter in causis criminalibus, quàm etiam in ciuilibus?

Respondetur: de hac re dixi *eadem dubitat. 195. sect. 17.*

DVBITATIO CXVI.

Quonam modo procedatur contra nostræ religionis hostibus cibaria, arma, equos, vel bellica tormenta transmittentem, vel transferentem?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores in Hispania procedunt etiã contra nostræ Religionis hostibus arma, equos, vel bellica tormenta transmittentem, tanquã contra fautorẽ Hæreticorum.*

2 *Criminis*

2 *Criminis huius causa conclusa simul cum Ordinario, pronunciatur sententia, qua regulariter non in actu publico, sed in Tribunali tantùm pronunciatur, nisi casus esset grauis, & extraordinarius.*

3 *Delinquentis huius pœna est, vt si sit vilis homo, fustibus cadatur; sin minus exilio, & pecunia in ea quantitate, qua equi, & arma valebant, puniatur.*

4 *Delinquens prædictus, quamuis antiquitus abiuraret de leui, nunc non solet abiurare.*

1 RESpondetur: Contra istum, etiam ob hæresis suspicionem in Hispanica Inquisitione procedunt Inquisitores: Videtur enim, quod iste sic delinquens, fautor sit hæreticorum; quapropter dum ipsius causa agitur, in carcerem secretum includitur: sic DD. communiter, quos sequitur Cantera *in quæst. crimin. cap. 1. de hæretic. num. 68. in fine*, & Bobadilla *in Politica, tom. 1. lib. 2. cap. 17. num. 69.*

2 Aduerte tamen, quod istius causa conclusa simul cum Ordinario (quod semper intelligitur) pronuncietur sententia, quæ regulariter in Tribunali tantùm pronunciatur, & non in acto publico, nisi in aliquo casu graui, & extraordinario.

3 Aduerte secundò, quod istius delinquentis pœna sit, vt (si est vilis homo) fustibus cædatur; sin minùs, exilio, & pecunia in ea quantitate, qua cibaria, equi, & arma valebant, puniatur: & insuper omnia illa bona, quæ diccbam, confiscentur; quæ si iam fuerint transmissa, vel translata, pœna pecuniaria duplicetur.

4 Aduerte tertiò, quod prædictus delinquens, quamuis antiquitus abiuraret de leui, nunc non soleat, cùm id ampliùs in vsu non sit.

Aduerte quartò, quod omnia supradicta procedant, quia portat talis delinquens cibaria, equos, vel arma, &c. in terras infidelium, vel hæreticorum transmittere, vel transferre lucrandi, & negotiandi causa; quia si id faceret animo adiuuandi infideles, vel hæreticus in bello contra Christianos, in tali casu ex circunstantiis delicti, & qualitate personæ, tanquam fautor, & defensor infidelium, vel hæreticorum posset ab Inquisitoribus puniri, & iuxta suspicionis gradum torqueri, & ad publicè abiurandum cogi, & ad alias pœnas arbitrarias etiam condemnari.



DVBITATIO CCXVII.

Quonam modo procedatur contra sodomiæ crimen committentem?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores in Hispania procedunt contra sodomiæ crimen committentes, quicumque illi sint, ex particulari Summi Pontificis priuilegio. Et aperitur ipsis via ad huius criminis cognitionem ex depositione vnius testis, etiam complicis. Vbi vide, quomodo processus formetur casu quo maximè reus neget.*

2 *Sodomita in Hispania, si in Tribunali sancti Officij delictum fateatur, & sit maior viginti quinque annis, Curiæ sæculari relaxatur in actu publico: si non fateatur, & delictum probatum sit tribus testibus, etiam singularibus, quantumuis neget, Curiæ sæculari iuxta legem Regiam relaxatur.*

3 *Sodomita in Hispania in Tribunali sancti Officij si minor sit viginti quinque annis, flagellis cæditur, & ad triremes condemnatur.*

4 *Cæsaraugustæ de hoc delicto, sicut & de causis omnibus fidei simul cum Inquisitoribus cognoscit Ordinarius Ecclesiasticus.*

5 *Barcinonæ simul cum Inquisitoribus cognoscit Iudex sæcularis.*

6 *Bestialitatis ob delictum in Tribunali sanctæ Inquisitionis Hispanicæ nunquam animal crematur.*

7 *Reus in tali crimine neque abiurat de leui, sed si conuictus fuerit, vel delictum confessus, Curiæ sæculari in actu publico relaxatur.*

8 *Reus, si virile membrum intus posuerit, quamvis extra semen effuderit, adhuc punitur pœna ordinaria sodomiæ.*

RESpondetur, & contra istum, quicumque ille sit, in Inquisitione Hispanica ex particulari Pij IV. Gregorij XIII & Clementis VII. priuilegio procedunt Inquisitores. Henriquez *lib. 13. cap. 24. num. 2. in glossa l. r. P*, Narbona *in Recop. lib. 4. tit. 1. leg. 20. gloss. 8. n. 3.* Salzed. *in addit. ad prax. crim. Bernardi Diaz, cap. 86.* Emanuel Moura *de incantat. opuscul. 1. sect. 3. cap. 1. n. 6.* Barbos. *de potest. Episcop. part. 2. allegat. 40. n. 45.* Sousa *in aphor. Inquisit. lib. 1. cap. 59. num. 10.* Ioseph. Sesse, & Freytas *in locis infrà citandis.* 1

Vbi aduerte, quod aperitur ipsis Inquisitoribus via ad huius criminis cognitionem ex depositione vnius testis, etiam complicis: qua depositione facta, reus, si adsint aliquæ aliæ præsumptiones de delicto commisso, comprehenditur, in carcere secretò includitur, & examinatur; si neget, vocatur testis, & in testis præsentia conuinci procuratur; quod si in negatione persistat, & testis rationes vrgentes sint, subjicitur torturæ, quam si vincat, liber dimittitor. Si verò delictum fateatur, 2
& viginti quinque annis maior sit, Curiæ sæculari relaxatur in actu publico; si delictum tribus testibus, etiamsi singulares sint, comprobetur, Curiæ sæculari iuxta legem Regiam anno 1598. editam, quantumvis neget, relaxatur: si viginti quinque annis minor sit, 3
flagellis cæditur, & ad triremem condemnatur.

Aduerte secundò, quod Cæsaraugustæ de hoc deli- 4
cto, sicut & de causis omnibus fidei, simul cum Inquisitoribus cognoscit Ordinarius Ecclesiasticus. Barcino- 5
næ verò simul cum Inquisitoribus cognoscit Iudex sæcularis. Nunquam ob bestialitatis delictum animal in 6
Tribunali sanctæ Inquisitionis crematur, fortè ne huius occasione à denunciando nonnulli retardentur.

Aduerte tertiò, quod in tali crimine reus non abiu- 7
ret, neque etiam de leui; non enim redditur suspectus de hæresi, sicuti redditur Confessarius sollicitans, ideoque contra illum non procedunt Inquisitores in Italia; sed si fuerit conuictus, vel delictum confessus, Curiæ sæculari in actu publico relaxatur: ita Doctores, quos sequitur Emanuel Moura *in loc. suprà cit.* Quamvis alij, quos sequitur Freytas *in addit. ad tractat. de Confessor. sollicit. quæst. 24. num. 136.* velint, quod non possit ab Inquisitoribus sodomita reus Curiæ sæculari relaxari, nisi fuerit incorrigibilis; si verò delictum fuerit attentatum, & non consummatum, flagellis cæditur, & ad triremes mittitur.

Aduerte quartò, quod reus, si virile membrum intus 8
posuerit, quamvis extra semen effuderit, adhuc punitur pœna ordinaria sodomiæ. Vide Doctores, quos sequitur Ioseph Sesse *in decis. Regni Aragon. decis. 475. num. 5. tom. 4.* Quod ego cum Sousa *in aphorism. lib. 1. cap. 59. num. 63.* libenter admitterem forsan, si id non intelligant pro vno actu, sed pro pluribus actibus huiusmodi repetitis; cùm tunc (quod deficit ad complementum actus sodomitici) suppleatur ex repetitione plurium actuum huiusmodi in fraudem legis.

Sed vt sciantur cætera, quæ pertinent ad materiam de reo in communi, aduocato, procuratore, & Confessario, & ad materiam de appellationibus etiam in communi, sint petitiones sequentes.

PETITIO I.

An sit contra iustitiam, si reus, aduocatus, vel procurator occultum crimen testis ad eius testimonium infirmandum aperiat? Vbi etiam de citatione rei, & de probationibus contra reum, tam in causa ciuili, quàm in causa criminali.

SVMMARIVM.

1 *Reus, actore non comparente, instare potest, quod Iudex causa cognita condemnet actorem in expensis factis in comparendo.*

2 *Amplia id etiam locum habere in accusatore, & etiam in reo, si peremptoriè citatus contumaciter non compareat. Idemque de aliis damnis emergentibus dicendum est, remissa qualibet alia citatione, nisi contumax sufficienter caueat de iudicio sisti.*

3 *Reus si ad trinam, & peremptoriam citationem nec per se, nec per procuratorem, nulla legitima causa impeditus compareat, per Iudicem in bona rei potest missio fieri, alioquin excommunicatio inferri.*

4 *Reus, actore contumaciter non comparente, debet expediri, & per testium receptionem, & per sententiam definitiuam, etiam lite nondum contestata; contumacia enim actoris intolerabilior est contumaciâ rei.*

5 *Citatio per quam reo præsenti datur copia se defendendi, & ad obiecta respondendi, adeò Iure naturali, & Iure gentium necessaria est, vt sine ea processus Iudicij, & lata sententia irrita censeatur; secus si constet, quod nulla reo defensio competere possit.*

6 *Reus de atroci crimine, nulla illi legitima exceptione, vel defensione competente iuridicè conuictus, si assignatis defensionibus periculum esset, vt iustitiæ cursus impediretur, potest per Principem interdum puniri in bonum Reipublicæ.*

7 *Probationes fieri debent post litis contestationem, & post iuramentum de calumnia, si id exactum fuerit, quæ in causa ciuili variæ sunt, nempe per testes, per instrumenta, vel libros antiquos, item per famam, indicia, seu præsumptiones.*

8 *Reus, actore non probante, absoluitur, neque cogi potest ad edendum propria instrumenta contra seipsum, id namque nimis durum est; secus si sint instrumenta communia.*

9 *Emphyteuta cogi potest à Domino, si non negat se esse emphyteutam, ad edendum emphyteusis instrumenta.*

10 *Instrumentum, seu scriptura duplex est, scilicet publica, & priuata, & quænam vtraque sit.*

11 *Instrumentum, seu scriptura publica dicitur quæ per publicam manum, scilicet Tabellionis, legitimè confecta est, & ideò publicam fidem facit.*

12 *Acta Iudicij apud Iudicem conscripta à duobus testibus publicam etiam fidem faciunt.*

13 *Protocolla à Notario, vel simili persona in publicis actibus scripta sine alia obsignatione, seu subscriptione; si nulla tamen fraudis suspicio subsit, & de rebus magni momenti non agatur, publicam fidem similiter faciunt ex consuetudine.*

14 *Item libri censuales, & similes antiqua scriptura publicam etiam fidem faciunt.*

15 *Instrumentum, seu scriptura priuata dicitur, quæ à priuato homine, qui nullam publicam auctoritatem habet, confecta est, quæ quatenus non sit munita testibus, probat contra actorem.*

16 *Mercatorum libris saltem in minoribus debitis, æquum est vt fides habeatur.*

17 *Iudex ad hoc, vt in causa criminali reum condemnare possit, requirere debet maiorem notitiam, eamque publicam, & iudicialem, quæ crimen in iudicio publicum, seu notorium reddatur. Tale enim fit per ipsius rei confessionem, & per testium legitimas depositiones. Vel quando à Iudice coram tribus, vel quatuor testibus criminosus in fragranti crimine reperitur.*

Non est contra iustitiam, si reus, aduocatus, vel procurator occultum crimen testis ad eius testimonium infirmandum aperiat, si crimen illud sit periurij falsi, ob quod incurritur ipso facto excommunicatio; quilibet enim potest se defendere eodem genere armorum, quo impugnatur.

18 *Potest tamen hoc esse contra charitatem ratione grauitatis criminis obiecti, etsi reus alia ratione minùs noxia possit testem repellere.*

19 *Reus non videtur peccare contra iustitiam, etiamsi testis crimen occultum aperiat, quia habet ius testem repellendi quouis modo magis idoneo potuerit, cum is hoc ipso, quod vult testari, videatur cedere iuri suo, & permittere reo, quod omni modo commodiori se defendat, dummodo non excedat debitum moderamen.*

20 *Reus si de crimine, quod iuridicè probari non potest, fuerit accusatus, non peccat contra iustitiam negando crimen, quin neque asserendo accusatorem calumniari, seu mentiri; quia qui accusat de crimine, quod non potest probare, præsumitur calumniator, ac proinde censetur etiam mentiri.*

21 *Idem dic de illo, qui etiam extra iudicium negat se fecisse, vel dixisse aliquid illicitè ab alio patefactum, si inde infamia, vel offensio nascatur.*

22 *Reus tenetur saltem ex charitate respondere, & se tueri modo minùs accusatori offensiuo, vt si verbi gratiâ, de crimine occulto accusetur, sufficit crimen negare abstinendo à verborum asperitate.*

23 *Reus, quando aliter potest licitè eius crimen aperire, fit iniuriosus negando crimen, quia sine sua culpa detector infamatur.*

SVpposito, quod cùm Iudex officium suum actori non impertiatur, nisi imploratus, si actor aduersarium ad certum tempus citari faciens, tempore constituto non compareat, reus præsens instare potest, 1
quod Iudex causa cognita actorem condemnet ad expensas, quas reus citatus in comparendo facere debuit, *l. eum quem, ff. de iudic.* Quod locum etiam habet 2
in accusatore, quin & in reo, si peremptoriè citatus contumaciter non compareat, quod scilicet etiam ad expensas actoris condemnari debeat, *cap. ex literis, de dolo, & contumacia*, quin & omnia alia emergentia damna, siue actor, siue reus contumax parti aduersæ præstare cogitur, *l. sancimus, Cod. de Iudic.* Neque ad alteram citationem deueniri oportet, nisi contumax sufficienter caueat de iudicio sisti, *cap. 1. de dol. & contum.* 3
circa finem. Demùm si reus ad trinam, & peremptoriam citationem nec per se, nec per procuratorem, nulla legitima causa impeditus, compareat, per Iudicem in bona rei potest missio fieri, alioquin excommunicatio inferri, *c. vna, vt lit. non contest.* &c. & docent etiam Doctores communiter cum Glossa *in cap. 1. verb. rationabili causa, de procuratorib.* Sin verò actor contumaciter non compareat, possunt reo præsente, testes recipi, potestque ad sententiam definitiuam, etiam lite non contestata, procedi, *cap. causam quæ, iuncta glossa verbo ad domum, de dol. & contumac.* & Abb. *ibidem, num. 15.* vbi subdunt, quod contumacia actoris sit intolerabilior contumaciâ rei. 4

Porrò citatio, per quam reo præsenti datur copia se defendendi, & ad obiecta respondendi, adeò Iure naturali, & Iure gentium necessaria est, vt sine ea processus Iudicij, & lata sententia irrita censeatur, excepto, si constet, quod nulla reo defensio competere 5
possit,

possit. Abbas *in cap. dilecti, de iudic. n. 6.* Minsinger. *centur. 2. obseru. 91.* Gaill. *lib. 1. obseru. 48. & 49.* Nauar. *in sum. cap. 25. n. 10. & lib. 2. cons. 5. num. 3 de appellat.* Petr.
6 Nauar. *lib. 2. de restit. cap. 3. n. 192.* & alij communiter, vbi inquiunt, quod si reum de atroci crimine, nulla illi legitima exceptione, vel defensione competente, iuridicè conuinci posse certum sit; at verò ad euitandum graue malum iuridico processui necessariò supersedendum esse existimetur; tunc absque eo ad condemnatoriam sententiam, eiusque executionem interdum Princeps procedere sine dubio possit. Vide quæ dicebam suprà *dub. 198. sect. 20. corollar. 3.*

7 Suppono secundò, quod post litis contestationem, & post iuramentum de calumnia, si id exactum fuerit, deuenitur ad probationes, quæ in causa ciuili variæ sunt, nempe per testes, *l. 3. ff. de testibus.* Item per instrumenta, vel libros antiquos, *cap. cum causam, cap. vltimo, de probat. & cap. cum Ioannes, de fid. instrument.* ibi: Instrumentorum fides, & depositiones testium in litibus exercendis eandem vim obtinent. Item per famam, indicia, seu præsumptionem, *vt cap. cum causam.*

8 Quod si huiusmodi probationibus actor causam suam probabiliorem reddere non potuerit, reus (etsi nihil præstiterit) obtinebit, *c. vlt. §. fanè, de iureiurand.* Et cogi non poterit, quod propria instrumenta actori edat, *cap. 1. de probat. & l. 1. & 4. Cod. de edend.* quia nimis durum est, quod quis contra se producere debeat ea, quibus ab aduersario oppugnetur, *l. nimis graue, Cod. de testib.* secus si sint instrumenta communia. Ad hæc enim edenda Iudex, petente vna parte, alteram cogere debebit, *cap. perpetuis, de fid. instrum.* Quapropter si certum sit, nec alter neget se emphyteotam esse, cogi
9 potest à Domino, quod instrumenta emphyteuticos edat. Doctores communiter *in tract. de emphyteusi.*

10 Porrò instrumentum, seu scriptura, est publica, vel priuata.

11 Instrumentum, seu scriptura publica dicitur, quæ per publicam manum, scilicet Tabellionis, legitimè confecta est, *cap. 2. de fid. instrum.* & ideò publicam fidem
12 facit. Publicam etiam fidem faciunt acta iudicij apud Iudicem conscripta à duobus testibus, qui publicè Notarij fidem supplere possunt, *cap. quoniam, de probat.*
13 Quinimò publicam fidem similiter ex consuetudine faciunt Protocolla à Notario, vel simili persona in publicis actibus scripta sine alia obsignatione, seu subscriptione, si tamen nulla fraudis suspicio subsit, & de rebus magni momenti non agatur. Publicam etiam fi-
14 dem faciunt libri censuales, & similes antiquæ scripturæ, sicuti colligitur *ex cap. ad audientiam, de præscript.* & docet præter alios Abbas *ibi, n. 15. & in cap. cum causam, de probat.* & Minsinger. *centur. 6. obseru. 26.*

15 Instrumentum autem, seu scriptura priuata dicitur, quæ à priuato homine, qui nullam publicam authoritatem habet, confecta est, & huiusmodi scriptura si sit sola, & testium subscriptione, vel, &c. non munita, probat contra authorem suum, non item pro ipso, *l. rationes, & l. Exemplo, ff. de probat.* quatenus ibi dicitur, quod ex scriptura propria creditoris debitum non ostendatur, & docent passim Doctores, præsertim Abb.
16 *in c. postulationem, n. 30. de postulat. Prælator.* vbi tamen subdit æquum esse, quod rationibus Mercatorum, saltem in minoribus debitis, fides etiam pro ipsis (sicut & contra ipsos, habeatur; quia alioquin Officium eis à publico Magistratu creditum, cum tacito mandato, quod codicem rationum conficiant, ipsis damnosum esset. Requiritur tamen hîc iudicis arbitrium, vtrum scilicet fraus subesse possit.

17 In causa criminali maior notitia, eaque publica, seu iudicialis, qua crimen in iudicio publicum, seu notorium reddatur, requiritur ad hoc, vt Iudex reum condemnare possit. Duobus autem modis crimen in iudicio notorium redditur. Primò, si reus crimen in iudicio sit confessus. Secundò, si reus de crimine in iudicio sit conuictus: Quæ conuictio plerumque fit per testes. Præter hos duos modos ordinarios datur tertius extraordinarius, quo ad condemnationem etiam deuenitur, si scilicet Iudex præsentibus tribus, vel quatuor criminosum in fragranti crimine deprehendit: ita Doctores communiter, quia *de manifesta, & nota pluribus causa non sunt quærendi testes, cap. de manifesta, 2. quæst.* vide etiam quæ dicebam suprà *citata dub. 198. sect. 20. corollar. 3.* His suppositis

Respondetur negatiuè, si crimen illud, quale ex Claro *q. 24.* & aliis communiter est crimen periurij, crimen falsi, crimen ob quod incurritur ipso facto excommunicatio, si nondum sit absolutus, & crimen ob quod incurritur infamia Iuris, vel facti, vt si alibi de aliquo crimine sit infamis, valent ad eius testimonium infirmandum, præsertim si alius modus illius repellendi non sit commodus. Sot. *de iust. lib. 5. q. 7. art. 3.* & alij passim.

Probatur, quia quilibet potest cum iusto moderamine, eodem scilicet genere armorum, quo oppugnatur, se defendere: Et aliter, cùm ipse sit inuasor, & hoc ipso, quo testatur, vel accusat, spontè huic periculo se exponat, non potest de iniuria queri: Ergo.

Aduerte tamen hîc, posse quod dixi, esse contra cha- 18
ritatem. Primò, si crimen quod testi obijcitur, sit graue, ob quod capite plectendus sit, causa verò rei non sit magni momenti; & præterea testis non se ingessit spontè, sed coactus à iudice.

Dixi: *Et præterea testis non se ingessit spontè, sed coactus à Iudice*; quia si spontè se ingessit, & non coactus à Iudice, non est habenda tanta ratio iacturæ testis, sed sibi imputet testis illam iacturam, quam per alterius exceptionem incurrit.

Secundò, si reus alia ratione minùs noxia possit testem repellere, vt si sit inimicus ipsius rei, vel consanguineus, aut affinis actoris, aut de eius familia, vel si sit mente parum compos, vel impubes, vel in causa criminali nondum vigiti annorum, vel pauper, &c.

Dices, quotiescumque reus potest aliter testem re- 19
pellere, videtur quod si reus testis crimen occultum aperiat, peccet contra iustitiam: Ergo. Antecedens probatur, quia si reus alia ratione minùs noxia se potest defendere, non habet ius vtendi defensione nocentiore; quemadmodum qui potest minori incommodo inuasorem repellere, non potest in eum grauem læsionem inferre.

Respondetur; nego antecedens, quia reus habet ius testem repellendi quouis modo magis idoneo potuerit; cùm testis, hoc ipso quod vult testari, videatur cedere iuri suo, & permittere reo, quod omni modo commodiori se defendat; quamvis in illo modo teneatur non excedere debitum moderamen. Quemadmodum qui armis inuaditur, non tenetur ex iustitia fugam arripere, vel inuasorem clamoribus terrere, præsertim quando hæc decorè facere non potest, sed poterit faciendo id, quod ad euasionem est necessarium, armis se defendere; quamvis aliquando possit ex charitate obligari, quod adhibeat modum suauiorem, seu mitiorem.

COROLLARIA.

Quidnam dicendum, si reus accusatori calumnia, seu mendacij crimen impingat.

Ex dictis sequitur, quod reus, si de crimine, quod 20
iuridicè probari non potest, fuerit accusatus, non peccet contra iustitiam negando crimen, quin neque asserendo accusatorem calumniari, seu mentiri. Syluest. *verbo restitutio 3. q. 3.* Nauar. *c. 18. n. 49.* & alij, quos sequitur Petr. Nauarra *de iustit. lib. 2. cap. 4. n. 348.* quia ex S. Thom. *2. 2. q. 69. art. 2.* reus se potest tueri quacunque via, modò non dicat mendacium. At dum asserit talem accusatorem calumniari, seu mentiri, non dicit mendacium; Ergo. Minor probatur, quia qui accusat de crimine

mine, quod non potest probare, præsumitur calumniator (quam sequuntur communiter Doctores) ac proinde censetur etiam mentiri, præsertim cum contra dictamen conscientiæ suæ loquatur, cumque falsum in iudicio præsumatur, quod non potest probari.

21 Idem dicas de illo, qui etiam extra iudicium negat se fecisse, vel dixisse aliquid, quod tu illicitè patefecisti, vnde illi infamia, vel offensio nasceretur, vt v.g. sub secreto commisit aliquid, vel tanquam amico ex confidentia tibi communicauit, & tu id alteri referas, vnde ille grauiter offenderetur; quia tunc, si ille de tali re interrogaretur, posset (æquiuocando scilicet, ne mendacium committat) negare, se talem rem commisisse, vel dixisse; negando enim vtitur iure suo, cùm quilibet ius habeat sua occulta facta, vel dicta, vnde sibi infamia, vel offensio nasceretur, tegendi, quantuncumque tegere potuerit, quod si tibi iniquo, & iniusto delatori aliquod exinde incommodum sequatur, id ipse tibi imputare debebis; vide Doctores *in locis suprà citatis*, præsertim Petrum Nauarra *cap.4. num.348.*

22 Sequitur secundò, quod reus, saltem ex charitate teneatur respondere, & se tueri modo, quo quam minimè accusatorem offendat, vt si v.g. de crimine occulto accusetur, solummodo crimen neget, abstinendo se à verborum asperitate, qua calumniæ, vel mendacij crimen impingat accusatori, quia contra charitatem est, si proximo maius malum inferat, quàm ad sui defensionem necessarium fuerit.

23 Sequitur tertiò, quod quando alter poterit licitè rei crimen aperire, tunc ei fieret iniuria à reo, si reus negaret crimen, quia sine sua culpa is à reo infamaretur vt calumniator, & mendax.

PETITIO II.

An reus à Iudice interrogatus teneatur semper veritatem fateri, & an semper de calumnia iurare? Vbi etiam quid dicendum in crimine hæresis, vel in quocunque alio crimine excepto?

SVMMARIVM.

1 *Iurare de calumnia est iurare se in omni litis parte veritatem dicturum.*

2 *Iuramentum de calumnia quinque importat, & quæ ea sint.*

3 *Iudex non interrogat reum iuridicè, seu iuris ordine seruato, quandocumque interrogat de crimine occulto, de quo contra ipsum neque est fama, neque sunt indicia competentia, neque est probatio semiplena, quæ requiruntur ad imponendam obligationem reo ad fatendum crimen.*

4 *Delictum quamdiu est ita occultum, vel incertum, vt reus possit se probabiliter defendere, & obiecta depellere, & contra ius natura imponere in foro conscientiæ obligationem illud in suam perniciem confitendi, cùm huiusmodi præceptum sit nimis durum, & fragilitati humanæ parum consentaneum.*

5 *Reus à Iudice interrogatus non tenetur veritatem fateri, vel de calumnia iurare, si Iudex non interroget eum iuridicè, seu iuris ordine seruato, tum ex Iure scripto, tum ex ratione; quia non potest Iudex reo hanc obligationem imponere, & propterea poterit is eludere aliqua arte, seu æquiuocatione Iudicis mentem.*

6 *Id etiam verum est, etiamsi reus dubitet, an Iudex interroget ipsum iuridicè, seu iuris ordine seruato.*

7 *Amplia id procedere etiam in teste, qui se habet tanquam quid accessorium ad reum; nemo enim tenetur cum graui suo, vel alterius incommodo superiori obtemperare; nisi certò sciuerit, quod is legitimè præcipiat, & obligandi authoritatem habeat.*

8 *Iudex vt legitimè procedat, & obligare possit reum ad fatendum, vel iurandum, tenetur aperire reo statum causæ, probationes, indicia, & testes, vt sic reus videat iuridicè contra se procedi, sicque legitimè interrogari, vtque sic, si quid contra habeat, possit in suì defensionem opponere, & excipere.*

9 *Reus non secundum iuris ordinem examinatus de crimine, cum scilicet neque infamia laboret, neque semiplena probatio, vel expressa indicia existant, non tenetur illud fateri, sed potest amphibologia aliqua celare.*

10 *Nec obstat, quod reus in tali casu dissimulans veritatem intelligat exinde iudicem, accusatorem, vel denunciatorem calumniæ notam esse incursurum; quia nullus videtur dolo facere, qui iure suo vtitur.*

11 *Amplia id habere locum, non solùm in iudicio, sed etiam extra iudicium, in consuetudine scilicet familiari, vt si v.g. Titio secretum aliquod commiseris, quod publicè ignorari tua interfit.*

12 *Negans occultum crimen in tali casu ex charitate debet, quatenùs possibile est, denunciatoris famæ consulere, dicendo quod is probabili aliqua ratione deceptus sit.*

13 *Reus si rationabiliter dubius sit, an Iudex secundùm ordinem iuris interroget, suum crimen commissum fateri neque tenebitur; quia licèt in dubio plerumque pro superiore standum sit; non tamen id procedit quando præceptum est graue.*

14 *Idem probabiliter dicas etiam de teste, quamuis de eius præiudicio non agatur; is enim se habet accessoriè ad reum, & ita sequi debet eius conditionem.*

15 *Non tenentur Inquisitores in crimine hæresis (sicuti tenentur alij iudices in aliis criminibus non exceptis) antequam interrogent reum manifestare illi statum processus, vt intelligat quod legitimè interrogetur, sicque teneatur dicere veritatem.*

SVppono, quod de calumnia iurare, sit iurare se in 1
omni litis parte veritatem dicturum. Quapropter iuramentum de calumnia, ex Gloss. *in c.1. de iuram. calum.* quinque hæc importat. Primò, reum putare, se bonam 2
causam tueri. Secundò, se interrogatum à iudice veritatem non celaturum. Tertiò, se scienter falsas probationes non adhibiturum. Quartò, se litem fraudulenter non prorogaturum. Quintò, se nihil promisisse, vel deinceps causa litis alicui, nisi quod iura permittunt promissurum: quamvis hæc omnia quinque non sint semper iuranda, præsertim reo in causa criminali.

Suppono secundò, quod Iudex non interrogat reum 3
iuridicè, seu iuris ordine seruato, quandocumque interrogat reum de crimine occulto, de quo contra reum neque est fama, neque sunt indicia competentia, neque est probatio semiplena; siquidem vt reo possit imponi à iudice obligatio ad fatendum crimen, requiritur vt illud aliquo modo ad notitiam publicam deductum fuerit, vel per idonea indicia, vel per semiplenam probationem, adeò quod reo non suppetat probabilis ratio celandi, seque defendendi. Quia quandiu delictum est 4
ita occultum, vel incertum, vt ipse possit se probabiliter defendere, & obiecta depellere, contra ius naturæ est, vt ipsi imponatur in foro conscientiæ obligatio ad illud in suam perniciem fatendum, cùm huiusmodi præceptum sit nimis durum, & fragilitati humanæ parum consentaneum: vix enim quis illud esset seruaturus. Tum quia Iudex non potest iudicis potestatem publicam exercere, nisi procedat ex scientia etiam publica, proportionata prædictæ potestati iudicia publicæ, sicuti suprà *dubit.198. sect.20. corollar.3.* probabam. His suppositis

Respondetur, reus à iudice interrogatus non tenetur veritatem fateri, vel de calumnia iurare, si Iudex non 5
interroget reum iuridicè, seu iuris ordine seruato. S. Thom. *2.2.q.69.art.1.* Caietan. *ibid.* Scot. *in 4. dist.15. q.4. art.3.* Maior *q.8.* Gabriel *q.6. art.2. concl.6.* Angel.
verbo

verb. Confessio delicti, q. 1. Syluest. *eodem verb.* Henricus *quodlib. 1. q. 34.* Sot. *de iust. lib. 5. q. 6. art. 2.* Petr. Nauar. *de restit. lib. 2. cap. 4. n. 136.* Aragon. *in 2. 2. q. 69. art. 2.* Miranda *in ord. iud. q. 18. art. 1. concl. 5.* Nauar. *in sum. cap. 25. n. 33.* Bern. Diaz *in praxi crim. cap. 126.* & *ibi* Salzedus Analos *in direct. part. 2. cap. 14. num. 30.* & Suar. de Pax *in prax. tom. 5. part. 5. cap. 3. n. 14.*

Probatur auctoritate *ex cap. cum oportens, ex cap. Inquisitionis, & ex cap. qualiter & quando, de accusat.* Ex quibus clarè colligitur quod dicebam.

Probatur secundò ratione, quia non potest tunc Iudex (cùm ius tunc hanc potestatem ipsi non concedat) reo ad crimen fatendum, vel ad iurandum obligationem imponere: Ergo non tenebitur tunc reus veritatem fateri, vel de calumnia iurare, sed poterit mentem iudicis aliqua arte, vel æquiuocatione eludere, sicque ad mentem illius non respondere.

6 Et quod dixi, verum est (etiamsi reus dubitet, vtrùm Iudex interroget ipsum iuridicè, seu Iuris ordine seruato, quod scilicet neque in tali casu dubio teneatur reus Iudici ad mentem ipsius Iudicis veritatem fateri, vel de calumnia iurare. Idemque dicere de teste qui se habet

7 tanquam quid necessarium ad reum. Adrian. *quodlib. 2.* Caiet. *cit. q. 69. art. 1.* Sot. *de secreto, memb. 3. q. 2. concl. 2.* Sà *de reo, n. 1.* & alij contra Paludanum *in 4. dist. 19. q. 4. circa fin.* quia nemo tenetur cum graui suo, vel alterius incommodo superiori obtemperare; nisi certò sciuerit, quod is legitimè præcipiat, & obligandi auctoritatem habeat, cùm nemo teneatur tantum onus suscipere ab eo, de quo dubitat, an possit imponere; sed in tali casu potiùs standum sit pro reo, quàm pro superiore, quamuis secus, si nullum exinde incommodum timeatur.

8 Ex dictis sequitur, quod vt Iudex legitimè procedat, & obligare possit reum ad fatendum, vel ad iurandum, teneatur aperire reo statum causæ, seu processus, probationes, indicia, & testes, vt sic reus videat iuridicè contra se procedi, seque legitimè interrogari, vtque sic, si quid contrà habeat, possit in sui defensionem opponere, & excipere. Vide Doctores *vbi sup.* præsertim Caiet. *dict. q. 69. art. 1. in 2. casu, notab. 2.* Nau. *c. mensuram, §. non tibi dico, dist. 1. de pœnit. & in rub. de iudic. n. 59.* Clar. *q. 64. n. 23.* & Suar. de Paz *cit. cap. 3. num. 14.*

9 Reus igitur non secundùm iuris ordinem examinatus de crimine (cuius scilicet neque infamia laborat, neque semiplena probatio, vel expressa indicia existunt) non tenetur illud fateri, sed potest illud amphibologia aliqua celare: quapropter, vti dicebam, debet Iudex aperire reo causæ, seu processus statum, scilicet testes de infamia, vel alia contra eum indicia, vt ei appareat, quod Iudex contra ipsum iuridicè procedat, & de crimine examinandi ius habeat, alioquin reus suum crimen commissum fateri non tenebitur.

10 Neque obstat, quod reus dissimulans veritatem (eo quòd non legitimè examinatur) intelligat exinde Iudicem, accusatorem, vel denunciatorem calumniæ notam esse incursurum.

Respondetur enim, id non obstare; quia *nullus videtur dolo facere, qui iure suo vtitur, reg. 55. digestorum*, vt propterea, si quia ius habet aliquid agendi, non debeat ei imputare damnum, quod ex actione eius per accidens alteri contingit: At in casu nostro quilibet ius habet celandi suum crimen occultum, de quo illegitimè accusatur, vel interrogatur: ergo potest illud celare. Nihilo obstante, quod exinde alter calumniæ, vel mendacij suspicionem sit incursurus.

11 Quod non solùm locum habet in iudicio, sed etiam extra iudicium, in consuetudine scilicet, seu conuersatione familiari, vt si v. g. Titio secretum aliquod commiseris, quod publicè ignorari tua interesit, postea verò Titius secretum illud non sine tua iniuria aliis patefaciat, poteris rem totam dissimulare, vel amphibologia aliqua negare: nihil obstante, quod Titius mendacij suspicionem sit incursurus; quia huiusmodi incommodum Titius debet imputare sibi ipsi, non tibi, qui Iure tuo celandi factum occultum tuum vsus es. Doctores, quos sequitur Petr. Nauar. *de restit. lib. 2. cap. 4. num. 34.*

Debes tamen ex charitate, si crimen tuum occultum celes, vel neges, quatenùs possibile est, denunciatoris famæ consulere, dicendo v. g. quod is perperã ab aliis informatus, vel quod probabili aliqua ratione deceptus sit. 12

Quin etiam, vt contra Paludanum dicebam, si reus rationabiliter dubius sit, an Iudex secundùm ordinem iuris interroget, suum crimen commissum fateri, neque tenebitur, quia licèt in dubio plerumque pro superiore standum sit, non tamen similiter, quando præceptum est graue, quod proinde subditus in dubio, an iustum sit, necne, suscipere non tenetur, sed potiùs pro libertate, vel incolumitate sua stare poterit: Et quamvis non idem dicendum videatur esse de teste, cùm de eius præiudicio non agatur, nihilominus est probabilius oppositũ, quod docet præter alios Sot. *loc. sup. cit.* non solùm quia testis se habet accessoriè ad reum, & sic sequi debeat conditionem rei, sed etiam, quia si Iudex inquirat de re graui, v. g. de homicidio commisso, maius nunc periculum subest iniusti supplicij inferendi, si iudex ius requirendi non habeat, quàm æstimari debeat incõmodum, quod ex criminis punitione proueniet, si ius inquirendi habeat. 13 14

Cæterùm tamen si reus suum crimen occultum prodere non teneatur, nihilominùs si ad sustinendam criminis iustam vindictam vltrò prodere velit, opus virtutis, per se loquendo, exercebit, Petr. Nauar. *de restit. lib. 2. cap. 4. num. 134.* & alij communiter.

An autem teneantur Inquisitores in crimine hæresis, sicuti tenentur alij Iudices in aliis criminibus, scilicet non exceptis, antequam interrogent reum, manifestare illi statum processus, nempe infamiam, indicia, vel semiplenam probationem esse contra ipsum, vt intelligat quod legitimè interrogetur, sicque teneatur respondere ad mentem interrogantis, atque adeò fateri veritatem. 15

Respondetur, ad id non teneri Inquisitores; quia in criminibus exceptis, vt sunt hæresis, crimen læsæ maiestatis, vel proditio ciuitatis, &c. non est necesse, quod reo à iudicibus ius suum, quod habent ipsum interrogandi, reueletur. Non enim requiritur ad reum, vel testes interrogandos tanta infamia, & tanta solemnitas in his criminibus exceptis, quãta requiritur in aliis criminibus priuatis, seu non exceptis; cùm in criminum exceptorum inquisitione procedi possit simpliciter, de plano, & absque strepitu, figuraque Iudicij, *c. fin. de hæret. in 6.* & docent DD. quos sequitur Peñ. *in prax. crim. cap. 12. §. 5. num. 13.*

PETITIO III.

An reus à Iudice interrogatus teneatur veritatem fateri, vel de calumnia iurare, saltem si Iudex interroget iuridicè, seu Iuris ordine seruato?

SVMMARIVM.

1 *Reus à Iudice interrogatus iuridicè, seu iuris ordine seruato, ex non improbabili sententia non tenetur veritatem fateri, etiamsi non solum in causa capitali, sed in alia causa, in qua tamen imponatur pœna valdè grauis, & spes sit euadendi, contra plures Doctores sentientes oppositum etiam in causa capitali, & etiam si reus non iurauerit, sed tantùm absque iuramento præceptum superioris habuerit. Quandiu enim adest spes euadendi, præceptum illud fatendi crimen est valdè difficile, & imbecillitati humanæ parum accommodatum, & proinde etiamsi iurauerit, non tenetur fateri veritatem non improbabiliter.*

2 *Nemo cogi potest ad testificandum contra sanguine coniunctum, & nemo tenetur denunciare, vel testari quotiescunque exinde graue sibi damnum timet. At nemo cuiquam magis est sanguine coniunctus, quàm ipse sibi,*

bi, nec maius potest esse damnum, quàm damnum vitæ, vel alterius rei similis.

3 *Superiori quilibet tenetur obedire legitimè, seu iuris ordine seruato præcipienti, si non simus in causa capitali, vel in alia simili graui, secùs autem si simus in causa capitali, vel graui: fieri enim potest, quod iudex habeat ius interrogandi causa boni publici, & tamen alter non teneatur ad mentem illius respondere ob summum ius vitæ, vel alterius rei grauis defendendum.*

4 *Carceratus, qui est in periculo vitæ ob dictam rationem, potest licitè fugere de carcere, etiamsi Iudex, & leges præcipiant ne fugiat, & fugientem licitè puniant.*

5 *Seruus bello captus ob summum ius suum libertatis recuperandæ potest licitè fugere, etiamsi dominus præceperit ne fugiat, & fugientem licitè puniat.*

6 *Citatus potest licitè aliquando non comparere, etiamsi Iudex præceperit, quod compareat, & non comparentem tanquam contumacem licitè puniat.*

7 *Iuramentum de calumnia (quatenùs pertinet ad reum) duo principaliter inuoluit: Alterum, quod reus putet se bonam causam habere: Alterum, quod non neget id, quod credat esse verum.*

8 *Iuramentum de dicenda veritate à reo exigere ne Iudex posset, secundùm Gomesium valdè expediret, quod summus Pontifex præciperet, vel Princeps supremus legem conderet, propter magnum periculum periurij in causa capitali, & graui.*

9 *Clerici, qui tenent concubinas, compellendi non sunt ad eas abiurandas propter periculum periurij, sed censuris cogi debent.*

10 *Glossa* in cap. Clericos, de cohabit. Clericor. & mulierum, *reijcitur, & cur?*

11 *Coniux in actione rerum amotarum cogitur facto diuortio iuramentum emittere: at non inde sequitur, quod reo in causa capitali, seu graui dandum sit iuramentum de veritate dicenda; mulieri enim in tali casu datur iuramentum ad terminandam litem, &c.*

12 *Iudex etiam si reus non teneatur veritatem fateri, non tamen exigendo iuramentum perperam agit, quia datur hîc quædam species belli ex vtraque parte iusti.*

13 *Neque eludetur iustitia multa, si reus non teneretur veritatem fateri, quia non admittimus hoc in omni causa, sed tantum in capitali, vel graui.*

14 *Confessarius in casu, de quo loquimur, non debet multùm vrgere reum ad confitendum crimen, sed debet illum absoluere, quia is sequitur in tali casu sententiam non omninò improbabilem, vel saltem talem, quæ ab aliquibus Doctoribus non improbabilis iudicatur, & hactenus de falsitate clarè conuicta non est.*

15 *Reus post latam à Iudice sententiam, siue absolutoriam, siue condemnatoriam, non tenetur confiteri crimen, quod antea licèt iniustè in iudicio negauerat.*

16 *Reus licèt crimen suum occultum non teneatur fateri, si tamen illud ad sustinendam iustam criminis vindictam vltrò fateri velit, opus virtutis exercet.*

17 *Iudex vt possit reo in causa criminali iuramentum deferre, requiruntur ea indicia, siue ea probationes, quæ sufficiunt ad torturam, quia iuramentum est spiritualis quædam tortura.*

18 *Idem dic de obligatione confitendi crimen, quia non minus est imponere hanc obligationem confitendi, quàm imponere necessitatem iurandi.*

19 *Veritatem occultare, seu mentiri in iudicio quoad quid parui momenti, non est peccatum mortale, si scilicet sit contra iuramentum promissorium tantùm, & non assertorium etiam, paruitas enim materiæ excusat à peccato.*

20 *Iudex si quærat de facto, quod absque peccato saltem mortali reus perpetrauit, tam reus, quàm testis, non tenentur respondere ad mentem iudicis interrogantis. Vide ibi exempla, quæ afferuntur.*

COROLLARIVM I.

21 *Iudex non potest reum infamatum, vel etiam conuictum de vno crimine, examinare de aliis criminibus, quæ nec sua natura antecedenti, vel consequenti, nec iudicis connexa sunt. Itavt v. g. reus in furto deprehensus non debeat examinari de homicidio, nisi in loco, in quo furtum commisit, homo occisus fuerit.*

22 *Amplia id etiam habere locum in criminibus eiusdem generis, si similiter connexa non sint, itavt reus conuictus de vno homicidio non debeat examinari, cùm alias aliud homicidium commiserit.*

23 *Consuetudo secularium Iudicum in crimine furti præsertim improbatur, qui reum deprehensum in vno, mox sine vlla dubitatione examinant de aliis alibi commissis furtis, quorum nullum indicium habent, quia id non est secundùm ius.*

24 *Excipe, si reus infamatus fuerit de crimine sæpiùs commisso, v. g. vt famosus homicidiarius, famosus fur, vel famosus latro.*

25 *Iudex ex indiciis, quæ iniustè, seu contra iuris ordinem est assecutus, non potest vlteriùs procedere, v.g. ad torturam, neque ex testimoniis, vel rei confessione, quam similiter iniustè, seu contra Iuris ordinem extorsit, vlteriùs procedere ad condemnationem, sed omnia acta erunt irrita, & nulla.*

26 *Captura si iniusta, & non sufficientibus indiciis nixa fuit, non iustificatur per subsequentem legitimam probationem, vel rei confessionem, quia sic ordo processus iudiciarij peruersus foret; quamuis in tali casu supremus Iudex qui non consensit in iniuriam, ex tali notitia moueri possit ad processum nouum instituendum, non secus, ac si alius primaeus occulti criminis confessionem per iniuriam extorserit.*

27 *Reus si vltrò non coactus, nec obligatus crimen suum, vel alterius coram proprio Iudice manifestauerit, puniri potest, quia per huiusmodi confessionem crimen fit publicum, quamuis etiam in hoc casu debeat Iudex indicia, seu vestigia criminis, si illud sit facti permanentis indagare. Spontanea enim criminis confessio sufficiens non est ad reum condemnandum pœna capitali, nisi aliunde constiterit crimen commissum fuisse.*

COROLLARIVM II.

28 *Iudex non potest reum confessum interrogare de sociis criminis, si hi nulla indiciorum suspicione, vel infamia laborent: Nemo enim, inquit lex, super proprio crimine confitentem, de conscientia scrutetur aliena, quod in vtroque Iure receptum est.*

29 *Excipe, nisi crimen sit tale, quod necessariò, & ex sua natura (vt sodomia) vel saltem communiter sine socio non committatur; quamuis si socius criminosus omnino occultus sit, & testibus, vel indiciis aliis conuinci non posse videatur, reus conuictus neque teneatur, neque iure possit de illo testari.*

30 *Excipe, nisi crimen sit tale, quod vergat in perniciem publicam, vt hæresis, monetæ falsificatio, proditio, crimen læsæ Maiestatis, veneficium, latrocinium, & de consuetudine etiam furtum.*

31 *Excipe, nisi crimen sit tale, quod vergat etiam in perniciem alicuius priuatæ personæ, vt v.g. si aliqui coniurauerint in homicidium committendum, quamuis quia reus est persona vilis, & infamis, eius confessio, seu testificatio non efficiat probationem semiplenam, nisi insuper accesserit aliud indicium, vel alterius rei in tortura confessio.*

32 *Fœminis ob sexus fragilitatem non æquè ac maribus fides adhibetur, & proinde vt aliquis tanquam criminis socius capi, & torqueri possit, trium vel quatuor fœminarum consentiens, seu conformis denunciatio requiritur.*

Respondetur, quod (quamvis affirment S.Th. 2. 2. *q.* 69. *art.* 1. Caiet. *ibidem*, Paludanus *in* 4. *dist.* 19. *quæst.* 4. *circa finem*, Gabriel *dist.* 15. *q.* 6. *art.* 2. *concl.* 6. Maior *q.* 18. Henricus *quodlib.* 1. *q.* 33. Sotus *de secreto, membr.* 2. *q.* 7. Nauar. *cap.* 25. *num.* 53. Couarruuias *quæst.* 1

quæst. pract. q. 23. Gomez *tom.* 3. *cap.* 12, *n.* 5. & alij communiter. Etiamsi simus in causa capitali, & etiamsi reus non iurauerit, sed tantùm absque iuramento præceptum superioris habuerit, non omninò improbabiliter tamen negent Abbas *in cap. cum super, de confessis, col. penult.* Angel. *verb. confessio delicti, n.* 1. Syluest. *eodem verbo, q.* 1. Armil. *n.* 8. Petr. Nauar. *lib.* 2. *de restit. cap.* 4. *n.* 136. *& seqq.* Sà *verb. reus*, & alij recentiores, etiamsi non simus in causa capitali, sed in alia causa, in qua tamen imponatur pœna valdè grauis, vt damnatio ad triremes, vel ad perpetuum carcerem, vel confiscatio bonorum; secus si imponatur pœna solùm excommunicationis, quia hæc facilè tollitur, quandiu tamen (eo quòd intelligit reus, crimen plenè probari non posse, ideoque nisi se prodat) spes est euadendi: si enim spes euadendi non sit, vt si videat, crimen suum facilè plenè posse probari, tunc tenebitur reus veritatem fateri, etiamsi non iurauerit, sed tantùm præceptum superioris habuerit, quia cessat tunc ratio celandi, & aliàs tenetur superiori legitimè, seu iuris ordine seruato præcipienti obtemperare.

Probatur, quia quandiu spes est euadendi, eo quòd nondum sit rei crimen plenè probatum, vel facilè plenè probandum, præceptum illud fatendi crimen est valdè difficile, & conditioni, seu imbecillitati humanæ parum accommodatum (cùm vix in tali casu quis crimen suum sit confessurus ob naturalem propensionem maximam seruandæ propriæ vitæ, & corporis integritatis. At præceptum (sicut & lex, quæ propterea dicitur non obligare cum periculo mortis, vel cum alio magno incommodo) vt obliget, debet esse conditioni, seu imbecillitati humanæ accommodatum: Ergo.

2 Confirmatur, quia nemo cogi potest ad testificandum contra sanguine coniunctum (vt habetur ex *l.* 4. *ff. de testib. & ex l.* 5. *C. eod.*) & nemo tenetur denuntiare, vel testari, quotiescunque exinde graue sibi damnum timet, vti dicebam *dub.* 181. *petit.* 5. At nemo cuiquam magis est sanguine coniunctus, quàm ipse sibi, nec maius potest esse damnum, quàm damnum vitæ, vel alterius rei similis. Ergo non tenetur contra se crimen fateri, sed poterit (vt mendacium euitet, etiamsi iurauerit) adhibita conuenienti restrictione mentis æquiuocare, sicque mentem iudicis ipsum interrogantis eludere.

3 Objicies ex aduersariis: Quilibet tenetur obedire superiori legitimè, seu iuris ordine seruato præcipienti (cùm in tali casu ex eo, quod Iudex habet ius eliciendi veritatem ob bonum publicum, reus, si eam occultet, faciat contra ius, & auctoritatem prædicti superioris præcipientis) at superior quotiescunque secundùm ordinem iuris reum interrogat, vel iuramentum ei defert, legitimè præcipit: ergo reus tenetur tunc illi præcipienti obedire, dicendo veritatem.

Respondetur, distinguo maiorem: si non simus in causa capitali, vel in alia simili graui, concedo: si simus in causa capitali, vel in alia simili graui, nego; quia fieri potest, quod Iudex, vt officio suo fungatur, habeat ius interrogandi causa boni publici, & tamen aliter non teneatur ad mentem illius respondere ob summum ius vitæ, vel alterius rei grauis defendendæ, per quod licitè
4 potest celare ea, per quæ vita, vel alia res grauis ipsi eripietur; sicut ob rationem iam dictam, qui est in periculo vitæ, potest licitè fugere de carcere, etiamsi Iudex, &
5 leges præcipiant, ne fugiat, & fugientem licitè puniant, vti dicam *infrà pet.* 6. Et seruus bello captus ob summum ius suum libertatis recuperandæ potest licitè fu-
6 gere, etiamsi Dominus præceperit ne fugiat, & fugientem licitè puniat (vti dixi suprà ex communi sententia Doctorum.) Et citatus potest licitè aliquãdo non comparere, etiamsi judex præceperit, quod compareat, & non comparentem, tanquam contumacem, licitè puniat, vti dicebam *sup. dub.* 198. *sect.* 25. *petit.* 4. Nihil enim repugnat ex dictis, quod Iudex habeat ius inquirendi veritatem à reo, & reus habeat ius celandi: quo casu, quamuis possit Iudex præcipere, præceptum tamen ipsius non obligat, neque fit ad obligãdum, sed ad id inducendum, vel terrendum reum, quod veritatem fateatur; itavt detur quædam species belli ex vtraque parte iusti, vti dicebam *suprà loc. cit.* Non igitur est improbabile, quod reus in casu, de quo loquimur, etiamsi iurauerit, non teneatur fateri veritatem; ac proinde Sacerdos non debeat tunc eum in Sacramento Pœnitentiæ cogere, quod crimen fateatur, quandiu scilicet est spes euadendi; secùs si talis spes non sit, vti mox suprà dicebam.

Objicies secundò: *in l.* 2. *C. de iureiur.* propter calumniam dando, habetur *Partes debere iurare de calumnia.* Quod iuramentum ex glossa *in cap.* 1. *de iuram. calumnia*, quatenus pertinet ad reum, duo principaliter inuoluit: vnum quod reus putet, se bonam causam habere: alterum quod non negauerit id, quod credit esse verum, seu quod interrogatus à Iudice dixerit id, quod putat esse verum. 7

Respondetur, vt omittam, ad mentem Gomezij *tom.* 3. *cap.* 12. *num.* 5. & aliorum, valdè expedite, si summus Pontifex præciperet, vel Princeps supremus legem conderet, ne Iudex in causa capitali, vel alia graui simili possit à reo exigere iuramentum de dicenda veritate propter magnum periculum periurij, iuxta textum *in cap. Clericos, de cohabit. Clericor. & mulier.* vbi dicitur, 8
Clericos, qui tenent concubinas, non esse compellendos ad eas abiurandas propter periculum periurij, sed censuris cogendos. Cùm multò maius periculum sit in reo quoad causam capitalem, vel aliam grauem simi- 9
lem, per iuramentum calumniæ, ibi (quidquid dixerit glossa) non intelligi iuramentum de dicenda veritate, sed iuramentum de non agendo calumniosè, seu quod reus non committet calumniam in causa, cùm ibi non requiratur, quod reus iuret, se in omni litis parte veritatem dicturum, sed solùm quod putans, se bona instantia vti, ad reluctandum venerit, & quod causa Patrocinij Iudicibus nihil dederit, vel promiserit. 10

Instabis: *In l. Marcellus, §.* 1. *ff. rerum amotarum*, cogitur coniux, contra quem actio instituitur, quod in actione rerum amotarum, facto diuortio, iuramentum emittat: ergo sic, &c. 11

Respondetur: nego consequentiam, quia id intelligitur de iuramento, quod parti à parte defertur ad terminandam litem, & ad recuperandum suum, vel sibi debitum, quod pars ex iustitia debet restituere: Nos autem hîc loquimur de iuramento, quod à Iudice reo defertur in causa criminali, vel in alia graui simili.

Objicies tertiò: si reus non teneretur crimen commissum fateri, Iudex tunc perperam ageret, eum ad id per iuramentum, ac torturam compellendo. 12

Respondetur, nego sequelam antecedentis; quia sicuti dicebam, datur hîc quædam species belli ex vtraque parte iusti.

Objicies quartò: multa iudicia eluderentur, cùm criminaliter condemnari non posset, nisi vel crimen sit confessus, vel de crimine per claras probationes sit conuictus, *l. vltim. Cod. de probat.* Quod plerumque haberi non posset, si reus veritatem fateri non teneretur: at hoc vergit in magnum Reipublicæ detrimentũ: ergo. 13

Respondetur: Transeat maior, at distinguo minorem, si quod dixi, diceretur in omni causa, concedo: si quod dixi, diceretur solùm in causa capitali, vel in alia graui simili, ob rationes dictas, nego.

Cæterùm, quidquid sit de veritate huius sententiæ, in eo tamen conueniunt primò Doctores, quod Confessarius in casu, de quo loquimur, non debeat multùm vrgere reum ad confitendum crimen, sed debeat illum absoluere; quia sequitur reus in tali casu sententiam non omninò improbabilem, vel saltem talem, quæ ab aliquibus Doctoribus non improbabilis iudicatur, & hactenus de falsitate clarè conuicta non est: videatur præter alios Sotus *de iust. lib.* 6. *q.* 5. *art.* 2. *col. penultima*, & Sà *verbo iudicialis actus de reo, num.* 6. 14

15 Conueniunt secundò, quod post latam à iudice sententiam, siue absolutoriam, siue condemnatoriam, cesset in reo obligatio confitendi crimen, quod antea, licèt iniustè, in iudicio negauerat, quia *finito iudicio, finitur etiam obligatio rei.*

16 Conueniunt tertiò, quod (licet reus crimen suum occultum non teneatur fateri) si tamen illud ad sustinendam iustam criminis vindictam vltrò fateri velit, opus virtutis exerceat, per se loquendo Videatur Petr. Nauar. *de restitut. lib. 2. cap. 4. n. 134.*

ADVERTENDA.

17 Aduerte 1. quod vt iudex possit reo in causa criminali iuramentum deferre, requirantur ea indicia, seu eæ probationes, quæ sufficiant ad torturam, DD. præsertim Couar. *quæst. pract. q. 23.* quia iuramentum est spiritualis quædam tortura; cùm hominem (saltem non datum in reprobum sensum) non minùs vrgeat ad veritatem dicendam iuramentum, quàm vrgeat tortura.

18 Idemque dicas de obligatione confitendi crimen, quia non minùs est imponere hanc obligationem confitendi, quàm imponere necessitatem iurandi: Quapropter ex simplici infamia, si nullum aliud adsit indicium, reo non potest imponi confitendi crimen obligatio, quia infamia non facit semiplenam probationem, sed solùm supplet vicem accusatoris, vti dicebam *suprà dub. 185. petit. 3. & 4.*

19 Aduerte 2. quod occultare veritatem, vel mentiri in iudicio quoad quid parui momenti, non sit peccatum mortale, si scilicet sit contra iuramentum promissorium tantùm, & non assertoriū etiam, vt si mentiaris circa aliquam circumstantiā facti, vnde status causæ non pendet; quia materiæ paruitas excusat in præceptis à mortali.

20 Aduerte 3. quod si Iudex quærat de facto, quod absque peccato, saltem mortali, perpetrasti, tu reus (idemque dicas de teste, cum sit ad reum accessorius) non tenearis respondere ad mentem iudicis interrogantis. V.g. occidisti Titium, qui te inuaserat, cum moderamine iusto, seu inculpatæ tutela, seu absque notabili excessu, non teneris fateri, tametsi de te sparsa sit infamia, illum occidisse, quia Iudex solùm quærit de occisione criminosa, & ex alia parte, si tu fatereris, & non posses probare, propter necessariam tui defensionem illum occidisse, ex falsa præsumptione de homicidio condemnareris. Similiter si tu non es Author criminis, non teneris fateri aliquas circumstantias, ex quibus oritetur vehemens suspicio, quod tu fueris author illius criminis: v.g. non teneris fateri, tuum esse gladium, te ibi, vel tunc temporis fuisse, &c. quia licèt iudicis interrogatio iuridica sit, procedit tamen ex falsa præsumptione. In his igitur, & similibus casibus poteris, adhibita (ad hoc, vt mendacium euites) conuenienti mentis restitutione negare quidquid tibi detrimentum, vel præiudicium inferre poterit. Vide Nauarrum *in c. Humanæ aures 2. q. 5.* Salonium *q. 69. art. 2.* & alios passim.

COROLLARIVM I.

An Iudex possit reum infamatum, vel etiam conuictum de vno crimine, examinare de aliis criminibus, quæ nec sua natura, scilicet antecedenter, vel consequenter, nec indiciis connexa sunt?

21 Respondetur ex dictis suprà negatiuè, ita vt v.g. reus deprehensus in furto non debeat examinari de homicidio, nisi in loco, in quo furtum commisit, homo occisus fuerit. Adrianus *quodlib. 11. difficult. 2.* Caiet. 2. 2. *q. 69. art. 2.* Nauarrus *in rubrica de iudic. n. 62.* Sotus *de iustit. lib. 5. q. 6. art. 2.* Petr. Nauarra *de restitut. lib. 2. cap. 4. n. 170. argum. cap. Inquisitionis, §. tertia, de accusat.* & alij communiter contra Paludanum *in 4. dist. 19. q. 4. circa fin.* & Syluestrum *verbo Inquisitio, 1. q. 3. dicto 4.*

22 Quod etiam propter eandem rationem locum habet in criminibus eiusdem generis. Si similiter, vt suprà dicebam, connexa non sint: ita vt v.g. reus infamatus, vel etiam conuictus de vno homicidio, non debeat examinari, num alias aliud homicidium commiserit, si de hoc nulla indicia fuerint.

Probatur, quia Iudex non potest inquirere de crimine, nisi illud aliquo modo, tanquam personæ publicæ cognitum habeat: At non quia vnum crimen hominis cognitum habet, aliud etiam propterea cognitum habebit, vel præsumptione quadam colligere poterit, si aliquo modo, vt suprà dicebam, connexa non fuerint: Ergo.

23 Hinc mihi non probatur consuetudo, præsertim in crimine furti, sæcularium iudicum, qui reum deprehensum in vno, mox sine vlla dubitatione examinant de aliis alibi commissis furtis, quorum nullum indicium habent; quia id, vti fatetur præter alios Clarus *q. 64. n. 45.* & Binsfeld. *de confess. malef. memb. 2. in princ.* non est secundùm ius; excepto si reus infamatus fuerit de crimine sæpiùs commisso, v. g. vt famosus homicidiarius, famosus fur, vel famosus latro; quia tunc quidem reus in vno homicidio, furto, vel latrocinio deprehensus, vel illud confessus, poterit de aliis similibus criminibus interrogari: sic Doctores, quos rectè sequitur Petrus Nauarra *loco suprà cit. n. 71.* 24

25 His, quæ dicebantur, adde quod non possit Iudex ex indiciis quæ iniustè, seu contra iuris ordinem et affecutus, vlteriùs procedere, v.g. ad torturam, neque ex testimonio, vel rei confessione, quam similiter iniustè, seu contra iuris ordinem extorsit, vlteriùs procedere, v.g. ad condemnationem, sed omnia acta erunt irrita, & nulla: Quapropter eoe captura, si iniusta, & non sufficientibus indiciis nixa fuit, iustificatur per subsequentem legitimam probationem, vel rei confessionem; quia sic ordo processus iudiciarij peruertus foret, Gloss. & Doctores *in l. penultima, ff. de quæstionib.* Clar. *q. 55. n. 13.* Mynsingerius *cent. 3. obseruat. 8.* Binsfeld. *vbi suprà, memb. 2. concl. 7.* Martinus Delrio *lib. 5. sect. 1. 1.* & alij, vbi subdunt, quod rei confessio sine sufficientibus indiciis extorta, licèt sexcenties fuerit ratificata, adhuc sit nulla. Quamuis in tali casu supremus Iudex, qui non consensit in iniuriam, ex tali notitia moueri possit ad processum nouum instituendum, non secus ac si aliàs priuatus occulti criminis confessionem per iniuriam extorserit, iuxta ea quæ dicebam *sup. dub. 185. petit. 6.* 26

27 Adde secundò, quod si reus vltrò, non coactus, nec obligatus, crimen suum, vel alterius coram proprio iudice manifestauerit, puniri possit; quia per huiusmodi confessionem crimen fit publicum. Doctores communiter *in cap. at si clerici, de Iudiciis.* Quamuis etiam in casu debeat Iudex indicia, seu vestigia criminis, si illud sit facti permanentis, indagare, v. g. si reus confessus fuerit, quod hominem occiderit, debeat curare, quod cadauer exhumetur, & inspiciatur, Clar. *cit. q. 55. n. 11.* & Mynsingerius *cent. 3. obseru. 81.* quatenus ait, quod spontanea criminis confessio sufficiens non sit ad reum condemnandum pœna capitali, nisi aliunde etiam constiterit, quod crimen commissum fuerit.

COROLLARIVM II.

An Iudex possit reum confessum interrogare de sociis criminis, si hi nulla indiciorum suspicione, vel infamia laborent?

28 Respondetur negatiuè, *ex l. vltima, Cod. de accusat.* ibi: Nemo super proprio crimine confitentem de conscientia scrutetur aliena: Quod in vtroque Iure receptum esse, habetur *in cap. 1. de confess.* & docet ibidem præter alios Abbas *n. 4.* Henric. *quodlib. 9. q. 25.* Clar. *q. 21. n. 7.* Martinus Delrio *lib. 5. disquis. sect. 3.* Binsfeld. *de confess. malef. memb. 2.* Sotus *membr. 2. q. 6. concl. 4.* Nauar. *cap. 18. n. 59.* Gomez *3. resol. cap. 12.*

29 Excipe, si crimen sit tale, quod necessariò, & ex sua natura, vt sodomia, vel saltem communiter sine socio non committatur;

committatur Tunc enim iudex potest reum confessum, vel conuictum interrogare de sociis. Vide DD. quos sequitur Gomez *loco suprà cit.* Quamvis si socius criminosus omninò occultus sit, & testibus, vel indiciis aliis conuinci non posse videatur, reus conuictus neque teneatur, neque iure possit de illo testari. Vide DD. quos sequitur Petrus Nauarra *de restit. lib. 2. c. 4. n. 173.*

30 Excipe 2. si crimen sit tale, quod vergat in perniciem publicam, vt est hæresis, monetæ falsificatio, proditio, crimen læsæ maiestatis, veneficium, latrocinium, vt etiam furtum, licèt non de iure, sed solùm de consuetudine. Sotus, & Binsfeldius *in loc. suprà cit.*

31 Excipe 3. si crimen sit tale, quod vergat in perniciem etiam priuatæ personæ, vt si v.g. aliqui coniurauerint in homicidium committendum. Quamvis, quia reus est persona vilis, & infamis, eius confessio, seu testificatio non efficiat probationem semiplenam, nisi insuper accesserit aliud indicium, vel alterius rei in tortura confessio: Tunc enim erit hæc sufficiens præsumptio ad capiendum, examinandum, & torquendum socium. Clarus *quæst. 21. n. 8. & q. 22. n. 3.* & alij communiter: Præterquam quod fœminis ob sexus fragilitatem non æquè ac maribus fides adhibeatur; vt proinde, vt aliquis tanquam criminis socius capi, & torqueri possit,
32 trium, vel quatuor fœminarum consentiens, seu conformis denunciatio requiratur. Mascard. *de probation. vol. 1. concl. 462. n. 27.* Gomez *cit. c. 12. n. 18.* & Binsf. *vbi suprà, membr. 2. concl. probat. 5.* quod etiam in praxi obseruatur in processu super crimine veneficij, vel simili alio.

PETITIO IV.

An iudex possit aliquando ex solis indiciis condemnare reum ad pœnam ordinariam? Vbi etiam quid dicendum in causa fidei?

SVMMARIVM.

1 *Iudex potest aliquando ex solis indiciis condemnare reum ad pœnam ordinariam.*

2 *Reus infamatus de simonia, si non possit se purgare, condemnari debet, perinde ac si crimen de ipso esset probatum.*

3 *Clericus si defecerit in purgatione hæresis, condemnari debet, quia tunc punitur vt conuictus, & ab officio, & beneficio depositus detruditur in monasterium ad pœnitentiam faciendam.*

4 *Item Officialis fugiens tempore syndicatus, quia tunc habetur pro confesso.*

5 *Item si alicui ter denunciaueris, ne tuam vxorem alloquatur, & postea reperiatur alicubi cum ea loqui; quia tunc puniri poterit pœna adulterij ordinaria.*

6 *Iudex potest ex solis indiciis condemnare reum ad pœnam ordinariam aliquando, & in quibusdam casibus, quia ex communi sententia Doctorum ordinariè, & regulariter non potest, etiamsi indicia illa faciant indicium indubitatum, vt ex eo resultet violentissima præsumptio, seu suspicio: Non enim inde habetur probatio luce meridiana clarior, quæ requiritur in criminalibus.*

7 *Holophernes licèt amore captus, malus homo, post epulas lætus, & vino plenus Iudith mulierem pulchram nimis, cui etiam Dominus gratiam contulerat, solam sponte consentientem, & de nocte in cubiculo clausam habuerit, nihil tamen turpe, vel obscœnum in illam commisit.*

8 *Reus tamen tali casu potest condemnari ad pœnam extraordinariam mitiorem, prout iudex arbitratus fuerit, & causa postulauerit.*

1 Respondetur affirmatiuè, ex Gomez *cap. 12. n. 25.* aliquando, & in quibusdam casibus.

2 Primò, si reus sit infamatus de simonia, & non possit se purgare; quia tunc condemnari debet perinde ac si crimen de ipso esset probatum, *cap. de hoc, de simonia.*

Secundò, si quis Clericus defecerit in purgatione hæresis; quia tunc punitur vt conuictus, & ab officio, & beneficio depositus, detruditur in monasterium ad pœnitentiam faciendam, *cap. inter sollicitudines, de purgation. canonic. circa finem.* 3

Tertiò, si quis Officialis fugerit tempore syndicatus; quia tunc habetur pro confesso, *l. consiliarius, C. de Assessor.* 4

Quartò, si alicui ter denunciaueris, ne tuam vxorem alloquatur, & postea reperiatur alicubi cum illa loqui; quia tunc puniri poterit pœna adulterij ordinaria, sicuti decernitur *in Nouella Constitut. 117. Iustin. c. 15.* 5

Dixi, quod iudex possit ex solis indiciis condemnare reum ad pœnam ordinariam aliquando, & in quibusdam casibus; quia ex communi sententia Doctorum ordinariè, & regulariter (qua de re satis dicebam suprà *dub. 192. sect. 40. Petit. 14. & dub. 143. sect. 4. & dubit. 197. sect. 40. Coroll. 5.*) non potest, etiamsi indicia illa faciant indicium, quod DD. appellant indubitatum: Ita vt ex tali indicio capiatur contra reum violentissima præsumptio, seu suspicio, v.g. si quis visus sit cum gladio cruento, facie pallida, fugere de domo, quæ solùm vnum exitum habeat, & in qua aliquis recenter occisus reperiatur: Esse enim potest, quod alius homicidium illud fecerit, vel quod si ipse fecerit, causa defensionis naturalis fecerit. Item si quis in eodem lecto decumbens inueniatur: Holophernes enim *cap. 13.* Iudith, licèt amore captus, malus homo, post epulas lætus, & vino plenus Iudith mulierem pulchram nimis, cui etiam Dominus gratiam contulerat, solam, sponte consentientem, & de nocte in cubiculo clausam habuerit, nihil tamen turpe, vel obscœnum in illam commisit. Et ratio est, quia adhuc per huiusmodi indicia non habetur de crimine certitudo, quæ haberi debet in criminalibus, in quibus propterea requiruntur probationes luce meridiana clariores, *ex l. absentem, ff. de pœnis,* & ex Bartolo cum cæteris Iuristis *ibidem.* 6 7

Potest tamen reus tunc condemnari ad pœnam extraordinariam minorem, prout iudex arbitratus fuerit, & causa postulauerit. Vide Doctores, quos sequitur Clarus *q. 21. n. 40.* vbi subdit, quod sic etiam sit receptum in praxi, & positum in arbitrio iudicis, vt talem reum vel ad pœnam extraordinariam condemnet, vel ad grauem torturam submittat; quamvis in puncto iuris probabiliùs oppositum tenuerim *dub. 192. sect. 3.* contra Clarum. 8

Cæterùm quid dicendum in causa fidei? Vide suprà *dub. 195. sect. 73.*

PETITIO V.

An reus condemnatus secundùm allegata, & probata teneatur semper obedire sententiæ iudicis?

SVMMARIVM.

1 *Reus condemnatus secundùm allegata, & probata, non tenetur semper obedire sententiæ iudicis, si scilicet sententia sit iniqua, eo quòd v. g. nitatur falso fundamento, falsæ præsumptioni, seu falsis probationibus, & cur.*

2 *Reus si per talem sententiam sit aliqua re, vt hæreditate, vel legato, &c. priuatus, vel pecunia punitus, in conscientia non tenetur ad solutionem, nisi non obediendo sententiæ exinde maius malum, vel scandalum timeat.*

3 *Sententia etiam fauorabilis, per quam alieni applicantur bona, si constet eam falsæ præsumptioni niti, non*

 et

est attendenda; nullum enim ius tribuit ad res, seu bona illa retinenda in foro conscientia.

4 *Respublica, vel princeps potest disponere de bonis subditorum, eaque aliis applicare: At non est causa rationabilis, vt alter amittat revera rem suam, & in foro conscientia eam cedere teneatur, vel vt is, cui res illa applicata est, non teneatur restituere, si possit, & noverit sententiam falsa præsumptione niti, licèt sit causa rationabilis, vt tribuat iudici auctoritatem iudicandi secundùm allegata, & probata; quia in primo casu hoc ad bonum publicum non est aliquo modo necessarium.*

5 *Præmissus de beneficio, vel officio à legitimo collatore, quo privatus est alter per sententiam secundùm allegata, & probata prolatam, satis probabiliter non tenetur ad restitutionem, etiamsi sententiam falso fundamento, falsa præsumptioni, seu falsis probationibus niti noverit.*

6 *Ratio, quam adducunt, quia condemnatus non appellando acquievit sententiæ, renititur, quia solum probat esse præsumendum in foro conscientia sententiam fuisse iustam.*

7 *Respublica, & Ecclesia in tali casu privant eum absolutè beneficio, vel officio, & illud applicant alteri, cui postea confertur, idque facere possunt, cùm hæc sint bona communia, in quibus multò maiorem potestatem habeat, quàm in bonis privatorum, & ob alias etiam rationes hîc recensitas.*

8 *Præmissus de tali beneficio, seu officio à legitimo collatore potest illud retinere; quia resignando non potest alteri prodesse, & præterea non tenetur ei fructus restituere; quia si potest retinere titulum, & præstare officium, poterit etiam retinere fructus, cum fructus sequantur titulum, & debeantur propter officium. Neque tenetur alia ratione compensare, cùm causa non sit talis privationis.*

9 *Amplia dicta de beneficiis Ecclesiasticis, etiam in officiis sæcularibus, cum & hæc similiter sint etiam bona communia.*

10 *Reus condemnatus secundùm allegata, & probata licèt non teneatur obedire sententia iudicis, si ea sit iniusta, eo quòd scilicet nitatur falsa præsumptioni, falso fundamento, seu falsis probationibus, non tamen poterit contra iudicem, qui processit iuris ordine servato, aut contra eius ministros, ne illi sententiam talem exequantur, se per vim aliquam defendere, quia exinde grave scandalum, & gravis perturbatio in Republica sequeretur.*

11 *Reus secundùm nonnullos in hoc casu licitè potest, si scandalum absit, & alioquin innocens morte plectendus sit, mera defensione vti, quia iudex, præsertim si iniquitatem causa noverit, ipsiusque ministri, cùm reus pœna dignus non sit, non habeat verum ius invadendi, sed solùm præsumptum, seu putatiuum, & in opinione.*

12 *Sententia ista vix in praxi est consulenda propter scandalum præcipuè, quod vix abesse potest. Secus si sciretur iudex servato iuris ordine non processisse; tunc enim potest reus licitè se defendere.*

1 RESpondetur negatiuè, si scilicet sententia sit iniqua, eo quòd v.g. nitatur falso fundamento, falsæ præsumptioni, seu falsis probationibus. Ita vt in tali casu non teneatur in conscientia obedire prædictæ sententiæ iudicis, quamvis illa lata fuerit secundùm ordinem iuris. Est sententia communis Doctorum, &c.

Probatur, quia sententia est veluti lex quædam alicui priuatim imposita, sed lex quando ex eius obseruatione sequeretur id, quod est contrarium fini legis, non obligat: Ergo cum finis sententiæ sit, quod vnicuique tribuatur quod suum est, si ex eius obseruatione contrarium sequeretur, neque obligabit.

2 Hinc sequitur, quod si reus per talem sententiam sit aliqua re, vt hæreditate, aut legato, &c. priuatus, vel pecunia punitus, in conscientia non teneatur ad solutionem, nisi non obediendo sententiæ exinde maius malum, vel scandalum timeat.

Sequitur 2. quod si tibi talis res fuerit applicata, 3
& tibi constiterit, sententiam falsæ præsumptioni niti, rem illam retinere non possis, sed restituere tenearis; quia res illa non est tua, sed alterius: Innocentius *in cap. quia plerique, de immunit. Ecclesiast.* & alij, quos sequitur Scotus *de iust. lib. 3. q. 4. art. 5.*

Obijcies: Respublica, vel princeps potest vti patet 4
in præscriptione, disponere de bonis subditorum, eaque aliis applicare: At hîc est causa rationabilis, vt scilicet seruetur publica forma iudiciorum. Ergo.

Respondetur, distinguo minorem: Est causa rationabilis, vt tribuat iudici auctoritatem iudicandi secundum allegata, & probata, & exequendi etiam iudicatum contra priuatam scientiam suam, concedo: vt alter amittat revera rem suam, & in foro conscientiæ eam tibi cedere teneatur; vel vt tu, cui res illa est applicata, non tenearis eam restituere, si possis, & noueris sententiam falsæ præsumptioni niti, nego; quia hoc ad bonum publicum nullo modo est necessarium, aut expediens: Non enim ad bonum publicum est necessarium aut expediens, vt v.g. Fiscus possit sibi vindicare bona illius, quem idem fiscus per calumniam, & per falsos testes de crimine læsæ maiestatis, seu diuinæ, seu humanæ, vel de incestis nuptiis esse conuictum certò nouerit. Vel vt tu possis retinere legatum, aut hæreditatem, &c. quam per calumniam, & per falsos testes tibi esse adiudicatam certò scieris.

Quamvis si quis esset priuatus beneficio, vel officio 5
per sententiam secundùm allegata, & probata prolatam, & illud tibi à legitimo collatore esset collatum, satis probabiliter putent Glossa *in c. 1. de concess. præb.* Abbas *ibid.* & Innocentius *in cap. quia plerique, de immunit. Eccles.* te non teneri ad restitutionem, etiamsi sententiam falso fundamento, falsæ præsumptioni, seu falsis probationibus niti certò noueris. Et probatur 6
primò, quia hoc ipso (probant ipsi) quo condemnatus non appellauit, acquieuit sententiæ, sicque sententia transiuit in rem iudicatam, iuxta textum *in cap. quoad consult. de sent. & re iudic. & in c. cùm dilectus, de elect.*

At hæc ratio non conuincit; quia solùm probat, esse præsumendum in foro externo, sententiam, eo quòd condemnatus non appellauerit, fuisse iustam: Et ideò postea illum (si repetat beneficium) non esse in iudicio admittendum; non tamen probat, beneficium (si tibi constiterit, quod ille dicto beneficio iniustè priuatus fuerit) te iustè retinere, quapropter meliùs

Secundò probatur ex eo, quia Respublica, & Ecclesia 7
in tali casu priuant eum absolutè beneficio, vel officio, & illud applicant tibi, cui posteà confertur, quod Respublica, & Ecclesia, cum hæc sint bona communia, in quibus multò maiorem potestatem habent, quàm in bonis priuatorum, facere poterunt: Et ex alio capite subest causa rationabilis sic faciendi, quia quotiescumque constiterit de innocentia rei, facilè poterit reo alia ratione prouideri, conferendo scilicet ei aliud beneficium, vel officium. Tum quia quamdiu non constat publicè, quod reus fuerit innocens, restitutio est impossibilis, cum beneficium non possit restitui, nisi per collatorem; Collator autem nollet restituere, vel quia de rei innocentia sibi non constat, vel quia nollet videri contra iudicis sententiam fecisse, vel quia ipsemet est iudex, qui reum beneficio, vel officio priuauit.

Quapropter tu, cui tale beneficium, vel officium est 8
collatum, potes illud retinere, quia resignando non potes alteri prodesse. Et præterea non teneris ei fructus restituere, quia si potes retinere titulum, & præstare officium, poteris etiá retinere fructus; cum fructus sequantur titulum, & debeantur propter officium. Neque teneris alia ratione compensare, quia tu causa non es,

cur

cur alter sit beneficio, vel officio priuatus: vnde ille queri non poterit, quod sibi à te iniuris facta fuerit.

9 Et quod dixi de beneficiis, & officiis Ecclesiasticis (eo quòd sint bona communia) idem similiter dico de officiis sæcularibus; cùm & hæc similiter sint etiam bona communia.

10 Cæterùm (licèt reus condemnatus secundùm allegata, & probata non teneatur obedire sententiæ iudicis, si ea sit iniusta, eo quòd scilicet nitatur falsæ præsumptioni, falso fundamento, seu falsis probationibus, vti dicebam) non tamen poterit contra iudicem (si iudex seruato iuris ordine processerit) aut contra eius ministros, ne illi sententiam talem exequantur, se per vim aliquam defendere. S. Thomas 2. 2. q. 69. *art*. 4. quem cum Soto *de iust. lib*. 5. *q*. 6. *art*. 4. sequuntur alij communiter; quia exinde graue scandalum, & grauis perturbatio in Republica sequeretur: omnes enim illum iudicarent crimen maiestatis committere, sicque omnes concurrerent ad ipsum opprimendum: quod si è contra benè illi contingeret, ad exemplum ipsius eodem modo cæteri improbi homines operarentur: quod in damnum commune Reipublicæ quam maximè redundaret.

11 Nonnulli (quos citat Couarr. *lib*. 1. *var. cap*. 2. *n*. 13. putant, quod in hoc casu licitè possit reus (si scandalum absit, & alioquin innocens morte plectendus sit) mera defensione vti; quia iudex (præsertim si iniquitatem causæ nouerit) ipsiusque ministri (cùm reus pœna dignus non sit) non habent verum ius inuadendi, sed solùm præsumptum, seu putatiuum, & in opinione: Ergò licitè poterit aduersus eos mera defensione vti, sicut qui inuaditur ab innocente furioso licitè potest contra illum (etiam cum illius læsione, & morte, si aliter illius vim declinare non poterit) se defendere, eo quòd ille ius inuadendi non habeat. Similiter quando erratur à iudice, vel ab eius ministris in persona rei, seu delinquentis.

12 At sententiam istam istorum Doctorum vix in praxi consulerem, propter scandalum præcipuè, quod vix abesse posset. Quòd si autem iudex seruato iuris ordine non processisset, idque sciretur, vltrò concedo, quod reus possit tunc licitè se defendere, & docet præter alios S. Thomas *loco suprà citato*.

PETITIO VI.

An reus licitè possit fugere ex carcere post sententiam? Vbi etiam an licitè possit effringere vincula, & carcerem, siue post, siue etiam ante sententiam.

SVMMARIVM.

1 *Reus ante sententiam licitè è carcere fugere potest, nisi iurauerit se permansurum; quia non coniicitur in carcerem, vt ibi sponte permaneat, sed vt ibi detineatur, donec ipsius causa discussa fuerit. Neque ex iustitia tenetur de damno custodi carceris, cùm vtatur iure suo.*

2 *Reus licitè potest fugere ex carcere etiam post sententiam, si per eam condemnatus fuerat ad mortem, vel mutilationem, vel etiam aliam grauem pœnam corporalem. Non enim potest ei præcipi, vt cum tanto detrimento permaneat in carcere.*

3 *Nemo condemnari potest ad faciendum aliquid, vnde ipsi mors, mutilatio, vel aliquod graue corporis detrimentum sequatur.*

4 *Reus licèt possit facere aliquid, vnde per accidens, seu ab alio sibi mors, vel mutilatio, &c. inferatur, v. g. permanere in carcere, ascendere scalas, præbere ceruicem ad ictum gladij, &c. Non potest tamen ad hæc facienda sic condemnari, vt in quouis casu ad ea obligetur, seu teneatur; si enim ostenderetur spes euadendi, posset etiam sub patibulo, vel ictu gladij fugam capescere.*

5 *Limita nisi bonum publicum aliter exigat, vt si v. g. ciuitas sit in periculo, quia pars expono debet pro toto.*

6 *Reus etiam post sententiam potest in suprà dicto casu effringere vincula, & carcerem, contra aliquos DD. cùm enim licitus est finis, licita etiam sunt media.*

7 *Reus non tenetur permanere in carcere, sed iudicis est curare, quod ille cautè ibi detineatur.*

8 *Præceptum in casu prædicto manendi in carcere esset nimis durum, oblata occasione euadendi.*

9 *Carceris effractor grauiter punitur, scilicet pœna capitali; sed non peccat sic fugiendo in opinione omnium; vel peccat sic fugiendo, si fuga, & effractio carceris coniungatur cum vi illata custodi, vel aliis ministris iustitiæ. Secùs è contra.*

10 *Reus effringens vincula, & carcerem, non tenetur de damno carceris effracti ratione iniustæ actionis, quasi damnum proueniat ratione alicuius iniuriæ illatæ; sed tenetur ratione tacitè contractus, quia reus cùm iustè detineatur in carcere, videtur tacitè consentire in compensationem damni, si quod fugiendo inferat directè, & per se Reipublicæ; secus si iniustè detineatur.*

11 *Reus in carcere iustè etiam detentus, si occasione fugæ, carcere effracto ab ipso, alij etiam fugiant, nō tenetur ad compensandum damnū aliorum, quia per accidens est, quod ex facto ipsius huiusmodi damnum sequatur.*

COROLLARIA.

12 *Reus post sententiam non potest licitè fugere, si dānatus fuerit ad carcerem temporaneum, quia pœna ista non est ita grauis, vt is qui ob sua crimina iustè ad eam damnatus est, non debeat eam sponte subire, sicut pecuniariam pœnam soluere, ad tempus exulare, &c.*

13 *Reus etiam post sententiam licitè potest fugere, dānatus ad seruitutē duram; secùs si illa esset tolerabilis.*

14 *Reus etiam post sententiam licitè potest fugere, si damnatus sit ad carcerem perpetuum grauem; secùs si carcer esset laxus, & commodus.*

15 *Reus etiam post sententiam licitè potest fugere, si damnatus sit ad triremes.*

16 *Idem dic, si damnatus sit ad exilium graue; secùs si non esset graue.*

Dixi: An reus licitè possit fugere ex carcere post 1 sententiam; quia ante sententiam suppono, quod absque dubio licitè possit fugere, nisi forsan iurauerit se permansurum. Vide Doctores communiter, quos sequitur Couarruuias *lib*. 1. *var. cap*. 2. *n*. 11. Et ratio est, quia reus non coniicitur in carcerem, vt ibi sponte permaneat, sed vt detineatur, donec ipsius causa discussa fuerit. Nec obstat, quod ex fuga ipsius custodi carceris, vel alteri damnum sequatur; quia reus iure suo vtitur, & custos carceris sibi ipsi imputet, si cautiùs reum non custodierit; debet tamen ex charitate reus considerare, an tanti sua intersit fugam arripere, vt damnum illud proximi secundùm legem charitatis curare non debeat. Hoc supposito,

Respondetur: Reus licitè potest fugere ex carcere, 2 etiam post sententiam, si per sententiam condemnatus fuerit ad mortem, vel mutilationem, vel etiam aliam grauem pœnam corporalem. S. Thomas 2. 2. q. 69. *art*. 4. Caietanus *ibid*. Couarr. *loco suprà citato*, Sotus *de iustitia, lib*. 5. *q*. 6. *art*. 4. & alij passim.

Probatur, quia non potest præcipi reo cum obligatione, vt cum tanto detrimento suo permaneat in carcere: tale enim præceptum esset valdè durum, & imbecillitati humanæ parum accommodatum.

Confirmatur, quia (vt inquit S. Thom. *vbi suprà*) 3 nemo condemnari potest ad faciendum aliquid, vnde ipsi mors, mutilatio, vel aliud graue corporis detrimentum sequatur: At vt inquit idem S. Thomas ibidem, sponte permanere in carcere in tali casu est facere aliquid, vnde mors, mutilatio, vel graue corporis detrimentum sequatur: Ergo, &c.

Vbi

4 Vbi aduerte, quod licèt possit quia facere aliquid (vnde per accidens, seu ab alio sibi mors, vel mutilatio, &c. inferiur) v.g. permanere in carcere, ascendere scalas, præbere ceruicem ad ictum gladij, & similia: Nemo tamen possit ad hæc facienda sic códemnari, vt in quouis casu ad hæc facienda obligetur, seu teneatur: Quia si ostenderetur spes euadendi, posset reus, etiam sub patibulo, vel ictu gladij fugam capessere; cum tantùm cuilibet iuris sit ad vitam conseruandam, vt nulla potestate humana (si vitæ conseruandæ spes, & copia ostendatur) obligari possit ad eam non conseruandam:
5 Nisi bonum publicum aliter exigat (vt si v. g. ciuitas sit in periculo) quia pars exponi debet pro toto. Quotiescumque tamen talis causa non subest, nimis durum, & parum moribus humanis consentaneum esset huiusmodi præceptum. Vnde fit, quod lege humana statui non possit, vt reus ad mortem, vel mutilationem, vel etiam aliam grauem pœnam corporalem condemnatus, si euadendi spem habeat, non possit fugam capessere. Vide Doctores, quos sequitur Sotus *loco suprà citato*; quidquid in contrarium, de talis præcepti possibilitate loquendo, dixerit Caietanus *cit. q. 69. art. 4.*

6 An autem reus possit, etiam post sententiam, in supradicto casu effringere vincula, & carcerem?

Respondetur, quod quamvis negent Syluest. *verb. accusatio, n. 11.* Henric. *quodlib. 9. q. 25.* & alij, quos sequitur Cou. *lib. 5. var. c. 2. n. 14.* Probabilius tamen affirment Caiet. & Sotus *vbi sup.* & Nauar. *c. 17. n. 102.* Itavt quotiescumque reus licitè potest fugere ex carcere, licitè etiam possit effringere vincula, & carcerem.

Probatur, quia cui est licitus finis, licita etiam sunt media: Ergo cui licita est fuga, licita etiam sunt media ad eam capessendam necessaria, sicque omnia eiusdem fugæ impedimenta tollere, ac remouere. Neque hoc est vim inferre potestati publicæ, quia potestas publica non est in vinculis, & carcere, sed solùm inest iudici, & iustitiæ ministris (quibus propterea, quando iusta est rei condemnatio, vim inferre non licet) secùs est de vinculis, & carcere: quod inde patet, quia si reus per sententiam in pœnam objiceretur leoni deuorandus, licitè posset pro viribus contra eum se defendere.

7 Confirmatur, quia reus (vti dicebam) non tenetur permanere in carcere, sed iudicis est curare, quod illic cautè ibi detineatur; cùm propterea compedes, & catenæ sint ferreæ, & carcerea firmi.

8 Confirmatur 2. quia (vti etiam dicebam) huiusmodi præceptum, oblata occasione euadendi, esset nimis durum, & conditioni humanæ parum consentaneum, & accommodatum.

9 Objicies: Carceris effractor grauiter punitur, scillicet pœna capitali (sicuti probat Couarr. *loco suprà citato*:) Ergo peccat reus sic fugiendo, seu sic fugam attentando: si enim non peccaret, tam grauis pœna esset iniqua, & iniusta.

Respondetur: distinguo consequens: *Ergo peccat reus sic fugiendo, &c.* peccat in opinione omnium, nego: peccat in opinione aliquorum, quos forsan legislatores secuti sunt in isto casu, concedo. Vbi respondetur secundò aliter distinguendo consequens: *Ergo peccat reus sic fugiendo, &c.* si fuga, & effractio carceris coniungatur cum vi illata custodi, vel aliis ministris iustitiæ, iuxta textum *in l. penult. ff. de custodia, & exhibit. in l. 1. ff. de effractorib.* concedo: Si non coniungatur cum vi illata custodi carceris, vel aliis ministris iustitiæ, sed sit sola, & seiuncta à tali vi illata, nego. Vel respondetur tertiò: Nego simpliciter consequentiam, & probationem consequentiæ; quia licèt culpa non sit in tali fuga, tamen, vt faciliùs rei possint detineri in carcere, ob bonum commune Reipublicæ pœna aliqua constitui potuit, non quidem mortis (nisi fortè vis illata esset carceris custodi, vel aliis iustitiæ ministris, vti dicebam) sed mitior pro arbitrio iudicis, quia pœna effractionis carceris reuera non est pœna capitis, sed longè mitior, & arbitraria. Vide DD. quos sequitur Gomez *tom. 3. cap. 9. n. 11.* quidquid in contrarium dixerit Couarr. *loco suprà citato.*

10 Objicies 2. si licitè posset reus effringere vincula, & carcerem, non teneretur de damno carceris effracti inde secuto; sed tenetur, vt etiam docent Caietanus, & Sotus *vbi suprà*: Ergo, &c.

Respondetur vt omittam, quod talis damni compensatio vix sit in vsu, distinguo minorem. Tenetur ratione iniustæ actionis, quasi damnum proueniat ratione alicuius iniuriæ illatæ, nego: Tenetur ratione taciti contractus, concedo; quia reus, cùm iustè detineatur in carcere, videtur tacitè consentire in compensationem damni, si quod fugiendo inferat directè, & per se Reipublicæ, quæ iuste detinet: Et ideò meritò Respublica poterit à reo exigere compensationem talis damni. Non enim par est, vt reus per fugam suam per se, & directè inferat damnum Reipublicæ, quæ iustè detinet.

Secùs, quidquid in contrarium dixerit Salonius *q. 69. art. 4.* si iniustè detineat; quia tunc reus (cum per iniuriam à Republica, seu à Reipublicæ ministris detinetur) poterit vti iure suo, & effringere vincula, & carcerem absque animo compensandi damnum quod Respublica ex illa effractione patitur, eo quòd Respublica tunc non habeat ius reum sic detinendi; sicut si quia detineatur à persona priuata, licitè poterit tunc effringere parietem loci, vbi detinetur, & non tenebitur ad damnum, quod ex tali effractione sequitur.

11 Secùs etiam si occasione fugæ rei, carcere effracto, etiam alij, qui detinebantur in carcere, fugam arripiant; quia & in tali casu etiam reus, quamvis iustè detineretur in carcere, non tenebitur ad damnum, quod exinde Reipublicæ, vel Actori contingit, cum ex ipsius facto illorum fuga per accidens sequatur; & ipse non teneretur illorum fugam impedire, vel propter illorum fugam vitandam iure suo non vti. Vide Doctores, quos sequitur Salonius *vbi suprà.*

COROLLARIA.

12 Ex dictis sequitur, quod post sententiam reus licitè non possit fugere, si damnatus fuerit ad carcerem temporaneum, quia pœna ista non est ita grauis, vt reus qui ob sua crimina iustè ad eam damnatus est, non debeat eam sponte subire; sicut pecuniariam pœnam soluere, ad tempus exulare, ad tempus in hospitali seruire, ad tempus in monasterium inclusus manere, & similia.

13 Sequitur 2. quod è contra, etiam post sententiam licitè possit fugere, si damnatus sit ad seruitutem duram, secùs si illa esset tolerabilis; quamvis nonnulli, quos sequitur Salonius *citata q. 69. art. 4.* probabiliter teneant quod absolutè, seu generatim licitè possit fugere; sicut seruus bello captus, præsertim cùm seruitus sit mors quædam ciuilis.

14 Sequitur 3. quod etiam post sententiam licitè possit fugere, si damnatus sit ad carcerem perpetuum grauem, secus si carcer esset laxus, & commodus. Vide DD. quos sequitur Salonius *vbi suprà*, ob rationem dictam: Tum quia reus ad carcerem damnatur, non tam vt ibi sponte maneat; quàm vt ibi vi detineatur; quamvis contrarium; & quidem satis probabiliter, teneant Caiet. *cit. q. 69. art. 4.* Sotus *vbi suprà*, & Couarr. *n. 14.*

15 Sequitur 4. quod etiam post sententiam licitè possit fugere, si damnatus sit ad triremes; ob eandam etiam rationem: Tum quia reus ad triremes damnatur, non tam vt ibi sponte maneat, quàm vt ibi vi similiter detineatur.

16 Sequitur 5. quod etiam post sententiam licitè possit fugere, si damnatus sit ad exilium graue: Secùs si non esset graue; præsertim cùm pœna exilij ad differentiam pœnæ carceris, & triremis, non possit executioni mandari, nisi per spontaneam actionem rei.

Quid autem dicendum sit de Religioso à suis superioribus ad suprà dictas pœnas damnato? Vide infrà *dubit. 236. sect. 23.*

Quid

Quid autem etiam dicendum de detento in carcere causa hæresis, vel suspicionis de illa? Vide *suprà dub. 163.*

PETITIO VII.

An alij licitè possin, reo fugam è carcere, & carceris, ac vinculorum effractionem consulere, & ad hoc auxilium præstare?

SVMMARIVM.

1 *Reo licitè potest suaderi fuga è carcere, & eiusdem carceris effractio, quia quod alteri facere licitum est, licitum est etiam alteri idem consulere.*

2 *Amplia probabiliter posse etiam quem licitè ministrare reo instrumenta ad effringendum carcerem, & vincula, contra nonnullos; si enim potest quis alteri consulere finem, non est cur ei licitè non possit porrigere media, & vel maximè, quia consilium non est aliud, quàm speciale quoddam instrumentum.*

3 *Ostendere reo viam, & modum, quo possit fugere, non est minus auxilium quàm præbere instrumenta.*

4 *Quisque potest licitè præbere instrumentum ei, qui illo licitè vtitur, nisi ob aliquam causam peculiarem prohibeatur?*

5 *Præbens instrumenta ad effringendum carcerem, licèt grauiter puniatur in foro fori, non tamen exinde sequitur quod sit peccatum, & cur?*

6 *Reus licèt non possit prohiberi ne fugiat ob summum ius, quod habet in vitam, & corpus suum, potest tamen aliis prohiberi, ne ei vel fugam suadeant, vel instrumenta præbeant, quia alij non habent ad hæc tantum iuris.*

7 *Nemo licitè potest iuuare reum ad effringendum exteriùs carcerem, vel vincula, quia ad id solus reus ius habet, propter maximum incommodum.*

1 RESpondetur affirmatiuè (ita vt cuicumque licitum est fugere è carcere, & carcerem, ac vincula effringere, licitè possim ei fugam è carcere, & carceris, ac vinculorum effractionem consulere. Caietan. & Sotus *in locis suprà citatis*, & alij communiter.)

Probatur; quia quod tibi licitum est facere, non est, cur tibi licitè non possim suadere, & author esse, vt facias, nisi ratione officij prohibear; sicut prohibentur iustitiæ ministri, qui cum ex officio, ne reus fugiat, curare teneantur, contra iustitiam Reipublicæ debitam operarentur, si fugam è carcere, & carceris, ac vinculorum effractionem suaderent.

2 Et quod dixi, adeo est verum, vt etiam probabiliter (quamuis contrarium sentiant nonnulli cum Soto *de iustitia, lib. 5. q. 6. art. 4.*) licitè possim porrigere ei instrumenta, quibus carcerem, & vincula effringat. Caietan. & alij quos sequitur Salonius *dicta q. 69. art. 4.*

Probatur; quia si licitè possum alicui consulere finem, non est cur ei licitè non possim porrigere media ad finem consequendum necessaria.

Confirmatur ad hominem contra aduersarios; quia licitum est per ipsos dare consilium. At consilium non est aliud, quàm spiritale quoddam instrumentum. Ergo.

3 Confirmatur 2. quia licitum est etiam per ipsos ostendere viam, & modum, quo reus possit fugere, & meritò, cum totum hoc spectet ad consilium. At hoc non est minus auxiliari, quàm præbere instrumenta. Ergo, &c.

4 Confirmatur 3. quia non est cur licitè non possim præbere instrumentum ei, qui licitè vtitur, nisi ob aliquam causam peculiarem prohibear, iuxta ea, quæ suprà dicebam, præsertim cum id non sit publicam custodiam violare; quandoquidem non adiuuo reum ad effringendum carcerem, vel vincula, neque porrigo reo instrumenta, quibus ille iniustè vsurus sit. Ergo, &c.

5 Non obstat, si dicas: si probarer instrumenta reo præbuisse, grauiter punirer: Ergo est peccatum.

Respondetur enim, concedo sequelam antecedentis; at nego consequentiam per instantiam, quia etiam ipse reus fugiens, & consultor fugæ, & effractionis carceris, & vinculorum grauiter puniretur, & tamen fugere, & hæc consulere licitum est, etiam in aduersariorum sententia.

6 Aduerte tamen, quod quamuis reo non possit, ita vt in conscientia obligetur, prohiberi, ne fugiat, ob summum ius, quod habet in vitam, & corpus suum, tamen possit aliis prohiberi, ne reo vel fugam suadeant, vel instrumenta præbeant; quia alij non habent tantum iuris ad hæc, quantum habet reus, neque illis huiusmodi præceptum est ita durum, sicuti est reo, ob rationem dictam.

Hinc sequitur, quod neque licitè possim iuuare reum ad effringendum exteriùs carcerem, vel vincula, quia ad id solus reus ius habet, propter maximum incommodum, quod ipsi imminet in vita, vel in corpore, ad quod ius summum habet, vti dicebam. Accedit, quod alioquin nihil posset esse satis firmum, & tutum ad reos custodiendos; quod in maximum Reipublicæ detrimentum redundaret.

PETITIO VIII.

An Aduocatus, vel Procurator licitè possit tueri causam, seu partem actoris, si hæc sit minùs probabilis, quàm illa rei? Vbi etiam in fine, an licitè possit tueri causam dubiam?

SVMMARIVM.

1 *Aduocatus, siue Procurator, si vtraque pars est quasi æquè probabilis, potest licitè tueri quamcumque partem voluerit, siue rei, siue Actoris.*

2 *Aduocatus, siue Procurator, licèt pars rei sit minùs probabilis, quàm pars Actoris, possunt tueri partem rei, quia in dubio standum est pro reo.*

3 *Aduocatus, siue Procurator licitè possunt tueri causam Actoris, si causa aliquo modo sit verè probabilis, contra nonnullos.*

4 *Aduocatus solùm præcipitur deserere causam desperatam.*

5 *Aduocati, siue Procuratoris officium est partis, quam defendit veritatem dilucidare, & eius causa merita iudici præsentare: quod licitè fieri potest, quando causa est aliquo modo probabilis.*

6 *Aduocati, siue Procuratoris officium non est definire, seu ius inter partes litigantes dicere, sed solùm vni partium litigantium assistere, seu patrocinium præstare.*

7 *Quod quis potest per se ipsum, potest per alium. Hinc est, quod si vna pars potest per seipsam contestari litem cum alia parte aduersa, idem possit etiam per Aduocatum, siue per Procuratorem.*

8 *Verum non semper est à parte rei id quod videtur probabilius; imò à parte rei sæpè est verum, quod videtur minùs probabile.*

9 *Causa probabilior non est semper iure potior reipsa, sed est iure potior in prima apparentia, quapropter is, cuius causa est probabilis, licèt minùs, non tenetur eam deserere.*

10 *Bellum alteri inferre non potest is, cuius causa est minùs probabilis: At non ex hoc sequitur, quod non possit aduersus eum litem suscipere; quia per litem fit inquisitio veritatis, sed illatio belli est executio sententiæ.*

11 *Aduocatus, vel Procurator (nisi alicubi obstet ius municipale) inter causas in communi probabiles, modo vnius, modo alterius partis patrocinium suscipere potest: Idque etiam in diuersis articulis & instantiis, patrocinando nunc pro vna parte in causa principali, & nunc pro altera in causa appellationis.*

12 *Aduocatus, vel Procurator arctatus est defendere eam causam, quam defendendam prius suscepit, eo quòd allegans contraria, non sit audiendus. At id intelligi debet, si alleget contraria facta, non autem si alleget contraria iura.*

13 *Ius municipale plurimarum ciuitatum de facto prohibet Aduocatum, vel Procuratorem vnius partis litigantis causa suscepta, alteram partem in eadem causa patrocinari, & non solùm in eadem instantia, sed etiam in diuersa.*

14 *Aduocatus, vel Procurator potest de rigore nondum cœpta lite; & nondum factis actibus pro contraria parte patrocinari, si salarium solutum non habeat. Quamuis indecens sit, vt propter hoc partem susceptam relinquat.*

15 *Aduocatus, vel Procurator, quamuis plerumque possit causam susceptam relinquere, quam aduertit iniustam esse, & pro altera parte patrocinari, dummodo secreta non aperiat; plerumque tamen id ratione scandali facere non debet, nec magistratus permittere.*

16 *Aduocatus, vel Procurator, etiam in causa criminali sanguinis, vel in causa magni honoris, vel magni momenti, vt maioratus insignis, aut possessionis omnium bonorum, &c. causam minùs probabilem, aliqualiter tamen probabilem potest defendere. Ratio enim de minoribus, quod possit, æquè probat de maioribus.*

17 *Aduocatus, vel Procurator causam quantumuis leuiter probabilem, dummodo tamen aliqualiter probabilis sit, licitè potest defendere; quia sicut in hoc casu cliens eam potest attentare, ita Aduocatus, &c. defendere.*

18 *Aduocatus, &c. licitè potest patrocinari non solùm pro opinione quacumque, vel leniter probabili, relicta probabiliori, sed etiam in causa sanguinis, magni honoris, vel amissionis omnium bonorum, sententia in oppositum nil refragante. Regula enim quibus nititur, putà In dubio fauendum est reo, In dubio melior est conditio possidentis, habent locum in ordine ad iudicem, non in ordine ad Aduocatum, &c. qui merita causæ tantùm proponit.*

1 SVppono ex communi sententia Doctorum, vt videre est apud Sotum *de iust. lib. 5. q. 8. art. 3.* & alios mox infrà citandos, quod si vtraque pars est quasi æquè probabilis, possit tueri Aduocatus, vel Procurator quamcunque partem voluerit, siue scilicet rei, siue Actoris; quia in tali casu vterque, siue scilicet reus, siue actor, ius habet tentandi, si forsan sibi causa adiudicetur in iudicio.

2 Suppono 2. quod si pars rei est quidem minùs probabilis, quàm pars Actoris, est tamen aliquo modo probabilis, possit Aduocatus, vel Procurator tueri partem rei; quia reus tunc, cum partes rei sint fauorabiliores, quapropter in dubio dicitur, standum esse pro reo, potest se tueri. His suppositis.

3 Respondetur, quamuis nonnulli cum Soto *loco suprà citato, art. 5.* Syluest. *verb. Aduocatus, q. 13.* & Valentia *2. 2. disp. 5. q. 15. punct. 14. concl. 1. & 2.* putent, Aduocatum, vel Procuratorem licitè non posse tunc tueri causam actoris, si inde graue damnum impenderet reo; quia id, inquiunt ipsi, esset contra charitatem: Quod quidem interdum poterit esse verum, quando scilicet causam vincere, seu obtinere actori parum prodest, & reo multùm obest, ordinariè tamen, si causa aliquo modo sit verè probabilis, licitè potest Aduocatus, vel Procurator, quamcunque voluerit, siue scilicet Actoris, siue rei, partem tueri. Nauarrus *cap. 25. n. 28.* Sayrus *lib. 1. cap. 11. n. 17.* Vasquez *disp. 64. c. 1.* Sanchez *lib. 1. moral. cap. 9. n. 51. & 52.* Salas *p. 2. q. 21. tract. 8. disp. 64. cap. 1.* Sanchez *lib. 1. moral. cap. 9. n. 51. & 52.* Salas *p. 2. q. 21. tract. 8. disp. unica, sect. 11. n. 104.* Guttierrez *canon. quæst. lib. 1. c. 13. n. 24.* Lorca *in p. 2. tom. 1. lib. 2. c. 17. q. vltima,* Burgos de Paz *in proœm. leg. Tauri, n. 709. & seq.* Villalobos *tom. 1. tract. 1. difficult. 2. n. 3.* Turrianus *in 2. 2. tom. 2. q. 71. art. 3.* Perez *certam. 10. scholast. dub. 2. cap. 15. n. 67. & seqq.* Ioan. Sancius *in select. disp. 44. n. 54.* & alij communiter.

4 Probatur 1. auctoritate *ex cap. si virgo 34. q. 2. & ex l. rem non nouam, §. patroni, Cod. de iudic.* vbi solum Aduocatus præcipitur deserere causam desperatam.

5 Probatur 2. ratione; quia officium Aduocati, vel Procuratoris est, partis quam defendit, veritatem dilucidare, & eius causæ merita iudici præsentare: At hoc, quando causa est aliquo modo probabilis, non est cur licitè fieri non possit, cum sæpè, quod tibi probabilius videtur, aliis, & iudici probabilius non videatur; & reuera forsan ita non sit à parte rei: ergo. Quapropter Aduocatus, vel Procurator à iudice non petet sententiam in fauorem actoris contra reum, casu quo iudex illam non potest ferre, sed solùm iudici ius actoris repræsentat, vt ipse examinet, & videat, an possit pro actore ferre sententiam, quam Aduocatus, vel Procurator putat, quod dictus iudex possit pro illo ferre; cum pars, quam Aduocatus, vel Procurator defendit, habeat ius probabile, & forsan in aliorum opinione probabilius, & forsan etiam verum à parte rei.

6 Confirmatur, quia officium Aduocati, vel Procuratoris non est definire, seu ius inter partes litigantes dicere, sed solùm vni parti litigantium assistere, seu patrocinium præstare, vnde patet disparitas ad argumentum de iudice, qui in iudicando sequi debeat opinionem probabiliorem. Ergo Aduocatus, vel Procurator, si clientis causam manifestè iniustam non iudicet, sed aliquo modo probabilem putet, licitè poterit etiam apud iudicem defendendam suscipere, quamuis contrariam multò probabiliorem, & multò faciliùs obtinendam arbitretur.

7 Confirmatur 2. quia in tali casu potest vna pars cum altera aduersa parte litem contestari, & propositis iuribus, & rationibus suis, iudicis dirimentis sententiam postulare: At quod quis potest per seipsum, potest per alium, *ex regula iuris 68. in 6.* Et consequenter poterit etiam per Aduocatum, vel Procuratorem; cùm ius permittat, quod Aduocatus, vel Procurator sit vtriusque litigantis partis veluti Vicarius, aut substitutus.

8 Confirmatur 3. quia sicuti dicebam, non semper à parte rei est verum id, quod videtur probabilius; immò sæpè à parte rei est verum id, quod videtur minùs probabile: Ergo, tametsi Aduocatus, vel Procurator iudicauerit causam rei esse probabiliorem, poterit tamen bona fide tueri causam actoris, licèt minùs probabilem, & allatis rationibus, quæ pro tali causa faciunt, subiicere se iudicis determinationi.

9 Obiicies: Ea pars est iure potior, cuius causa est probabilior: At iniustum est agere contra eum, qui maius ius habet: Ergo.

Respondetur, distinguo maiorem (*ea pars est iure potior, cuius causa est probabilior*) est iure potior in prima facie, seu in prima apparentia, concedo: Est iure potior semper reipsa, nego: Quapropter is, cuius causa est probabilis, licèt minùs, non tenetur eam deserere, eo quòd causam aduersæ partis probabiliorem iudicauerit; sed poterit afferre rationes, quæ pro causa sua faciunt, & totam determinationem relinquere iudici, qui forsan aliter iudicabit.

10 Instabis: Cuius causa est minùs probabilis, non potest alteri bellum inferre: Ergo neque poterit aduersus eum litem suscipere.

Respondetur: Concedo antecedens, at nego consequentiam: Et disparitas est, quia per litem fit inquisitio veritatis, cuinam reipsa plus iuris competat, & decisio relinquitur Iudici, cuius est vtriusque partis merita, & rationes expendere; sed illatio belli est executio sententiæ, vnde supponit sententiam esse latam, vel debere ferri in fauorem illius, qui bellum infert: Cuius autem ius est minùs probabile, non debet pro illo, sed potiùs contra illũ sentẽtia ferri, ac proinde nõ potest ille bellũ mouere.

Au

An autem iudex teneatur semper sequi sententiam probabiliorem in iudicando? Diai *in tractatu de conscientia probabili, dubit at. 2. & in tractatu de conscientia dubia, dubit. 33.*

11 Ex dictis sequitur, quod licitè possit Aduocatus, vel Procurator, nisi alicubi obstet ius municipale in contrarium, inter causas in communi probabiles, modò vnius, modò alterius partis patrocinium suscipere, idque etiam in diuersis articulis, & instantiis, modò v.g. patrocinando pro vna parte in causa principali, & modò pro altera in causa appellationis, &c. Ioan. Andreas *in cap. disciplina, dist. 46.* Præpositus *ibidem;* Speculator *tit. de Aduocatis*, & alij.

Et hoc adeò verum est, vt id licitè possit Aduocatus, vel Procurator, etiam in vna, eademque numero causa, & instantia, quia (cùm pro vtraque parte adsit probabilitas, neque appareat ex qua parte tenera sit iustitia) nun est cur vtramuis partem pro libito defendere licitè non possit, vti patet ex dictis.

12 Non obstat, si dicas: Aduocatus, vel Procurator astrictus est defendere tam causam, quam defendendam priùs suscepit, eo quòd allegans cõtraria non sit audiendus, *l. 1. Cod. de furtis, & l. cum procura, Cod. de liber. caus.*

Respondetur enim, id intelligi, si alleget contraria facta, non autem si alleget contraria iura.

13 Dixi, *Nisi alicubi obstet ius municipale in contrarium*; quia de facto prohibetur Aduocatus, vel Procurator vnius partis litigantis causa suscepta, alteram partem in eadem causa patrocinari, *l. 13. tit. 16. lib. 2. nouæ compil.* & non solùm in eadem instantia, sed etiam in diuersis, vti probat Salas *vbi suprà, sect. 12. n. 19.* Burgos de Paz *in proem. leg. Tauri, n. 410.* & Azeued. *in dictam l. 13.*

14 qui tamen subdit *in l. 17. n. 5. & 6.* quod Aduocatus, vel Procurator de rigore possit, nondum cœpta lite, & nondum factis actibus pro contraria parte patrocinari, si salarium solitum non habeat, quamuis indecens sit, quod dictus Aduocatus, vel Procurator vbi non solutum salarium partem susceptam relinquat, & in alteram, nisi adsit iudicis licentia, defendendam se inflectat.

15 Cæterùm ex dictis, quamuis attento iure naturæ, & iure positiuo in communi, non autem attento iure municipali quorumdam locorum, absolutè loquendo possit Aduocatus, vel Procurator deprehendens, iniustam esse causam, quam defendendam priùs susceperat, ea derelicta, dummodo secreta, quæ cum expresso, vel tacito pacto reticendi excepit, non aperiat; pro parte aduersa licitè patrocinari, plerumque tamen id ratione scandali non debeat facere, nec magistratus permittere, Gutierrez *lib. 1. quæst. q. 30.* & alij, quos citat Farinacius *lib. 1. tit. 1. praxis criminalis, q. 4. n. 16.*

16 Sequitur 2. quod licitè possit Aduocatus, vel Procurator (etiam in causa criminali sanguinis, vel in causa magni honoris, vel in alia causa magni momenti, vt maioratus insignis, aut possessionis omnium bonorum, &c.) causam minùs probabilem, aliqualiter tamen probabilem defendere: sic contra Sotum *de iustitia lib. 5. q. 8. art. 5.* Bannez *2. 2. q. 71. art. 4. in primam partem dub. 6.* Salonium *2. 2. q. 62. art. 3. contr. 2.* Aragonium *ibid.* Mascardum *lib. 6. de contractibus, cap. 8.* Burgos de Paz *num. 421.* & alios docent Vasquez, Salas, Lorca, Turrianus, Sanchez, Villalobos, & Perez *in locis suprà citatis.* Quia ideò Aduocatus, vel Procurator licitè potest causam minùs probabilem, aliqualiter tamen probabilem defendere in rebus minoris momenti, quia solùm ipsius officium est merita sui clientis allegare, & ea iudici examinanda præsentare, & si iusta fuerint, persuadere, & rogare, quod pro suo cliente sententiam ferat: At hæc ratio æquè probat, siue causa sit criminalis, siue ciuilis: Item siue sit causa minoris, siue maioris momenti; Item siue pars aduersa non possideat, siue possideat: Ergo, &c.

17 Sequitur 3. quod licitè possit Aduocatus, vel Procurator causam, quantumuis leuiter probabilem (dummodo tamen aliqualiter probabilis sit) defendere; quia hoc ipso, quod causa aliqualiter probabilis est, ex dictis absolutè potest Aduocatus, vel Procurator eam defendere, sicuti potest clieus candem attentare: Quoties cumque enim potest quis litem contra aliquem mouere, poterit etiam contra eundem, contra quem litem mouit, Aduocatum, vel Procuratorem habere, sicuti suprà dicebam, & præter alios docet Vasquez *loco suprà cit. n. 4.* quidquid in contrarium dixerint alij cum Sanchez *vbi suprà, n. 54.*

Sequitur 4. quod licitè possit Aduocatus vel Procurator patrocinari (non solùm pro opinione quacumque, vel leuiter probabili, relicta probabiliori, & etiam in causa sanguinis, vel magni honoris, vel amissionis omnium bonorum; quia scilicet, vti dicebam, officium Aduocati vel Procuratoris non est definire causam, sed tantùm proponere merita causæ. Tum quia, vti etiam dicebam, si cliens potest litigare, potest etiam Aduocatus, vel Procurator litem illam patrocinari. Vasquez, Turrianus, Sanchez, Perez, Villalobos, & alij in locis suprà citatis contra Sotum, Bannez, Solonium, Aragonium, Mercadum, & Burgosium de Paz *vbi suprà.* Item contra Ioannem de la Cruz *part. 1. præcept. 8. art. 5. dub. 1. concl. 2.* & Malderum *in p. 1. q. 19. art. 6. dub. 6. concl. 3.* qui contrarium tenet ex eo, quia in dubio fauendum est reo, & quia in dubio melior est conditio possidentis. Ad quorum rationes tamen respondetur ex dictis, quod eæ locum habeant in ordine ad iudicem, quia definit causam; non autem in ordine ad Aduocatum, vel Procuratorem, qui tantùm proponit merita causæ) sed etiam possit patrocinari pro causa dubia, ob easdem rationes, quia scilicet præter alias rationes Aduocatus, vel Procurator non definit, sed solùm proponit quæ sui clientis ius confirmare possunt: At hæc iudici proponere in causa dubia non est quid iniustum, seu quid satis rationabile; cum non parum iuuet, vt à iudice causa meliùs expendatur. Malderus *loco suprà citato, circa finem.* Lorca *cit. membr. 2.* Et videri poterit etiam Syluest. *verb. Aduocatus, quæst. 10.* Angelus *eodem verbo, num. 17.* Armilla *n. 20.* S. Anton. *part. 2. tit. 1. cap. 19. §. 8.* & Nauarrus *cap. 25. n. 28.* 18

PETITIO IX.

An Aduocatus, vel Procurator aliquando teneatur de damno?

SVMMARIVM.

1. *Aduocatus, vel Procurator tenetur de damno, quando ex imperitia, vel negligentia ipsius cliens iustam causam amisit; lege enim iustitia tenetur suo clienti diligentiam præstare pro conditione causæ. Secus dic si cliens id fecerit.*
2. *Aduocatus, vel Procurator tenetur de damno, quando tuetur causam quam aduertit esse iniquam, seu iniustam, non solùm suo clienti, si eum bona fide procedentem de iniquitate, seu iniustitia causæ non monuerit, sed etiam parti contrariæ, si ei damnum obuenerit.*
3. *Cliens si monitus sit de causæ iniustitia, & nolit desistere, Aduocatus, vel Procurator debet illum deserere, non tamen aduersæ parti secreta causæ manifestare, nisi forsan ad graue proximi aliquod damnum vitandum id necessarium esset.*
4. *Aduocatus, vel Procurator non potest inducere partem ad transactionem, si transactio cum damno partis futura esset; transactio enim locum habet solùm in causa dubia.*
5. *Aduocatus, vel Procurator tenetur causam dubiam suscipiens, ante omnia diligenter inspicere merita causæ, quam si improbabilem, seu manifestè iniustam reperierit, nullo modo potest eam defendendam suscipere,*

& multò minùs clientem suum ad litem mouendam inducere, alioquin tanquam concausa tenebitur parti læsæ de damno.

6 *Aduocatus, vel Procurator paratus ad defendendam quamcunque causam, siue scilicet probabilem, siue improbabilem, iustam, siue iniustam, absoluendus non est.*

7 *Aduocatus, vel Procurator tenetur 2. post diligentem causæ inspectionem sincerè aperire clienti, quantam probabilitatem, quantamque spem vincendi causam habeat, quia si falsa promissione, vel inani spe victoria clientem ad litem mouendam induxit, tenebitur de damno etiam clienti, nedum parti aduersæ litiganti, casu quo is cognita veritate litem moturus, vel prosecuturus non fuisset.*

8 *Aduocatus, vel Procurator, si bona fide, vel probabili ignorantia ductus suscepit defendendam causam, quam postea ex aliquo accidenti, vt ex instrumento noniter reperto, vel ex ipsius clientis confessione iniustam deprehendit, potest nihilominus salarium suscipere. Secus si ob imperitiam, vel aliam causam suscepit.*

9 *Aduocatus, vel Procurator tamen in criminalibus, qui reum fraudibus contra fiscum defendit, non tenetur ad compensandum emolumentum, quod ad fiscum ex damnatione rei spectasset, quia nec ipse reus, qui est principalis, ad illud compensandum tenetur; pœna enim non debetur, nisi secuta sententia.*

10 *Aduocatus, vel Procurator Fisci etiam non improbabiliter, neque ad illud compensandum tenetur contra communem sententiam Doctorum se fundantium in eo, quod teneatur ex officio fisci commoda curare. At non improbabile est prædictum non esse eius officium, sed vt leges seruentur, & legum violatores puniantur.*

11 *Aduocatus vel Procurator in criminalibus, si reum ita defendat, vt accusator, cum non potuerit conuincere illum, damnatus sit ad pœnam talionis, non tenetur ad compensationem talis damni, nec efficitur irregularis, quia hoc damnum per accidens, & præter intentionem contingit.*

1 RESpondetur: Tenetur de damno, quando ea imperitia, vel negligentia ipsius cliens iustam causam amisit, quia lege iustitiæ tenetur Aduocatus, vel Procurator suo clienti diligentiam præstare pro conditione causæ; laborare scilicet magis, si causa sit difficilis, vel magni momenti, quàm si sit causa facilis, vel parui momenti. Item similiter ex officio tenetur esse instructus conuenienti peritia, quia pro idoneo Aduocato, vel Procuratore se gerit, & tanquam talis stipendium exigit.

2 In vtroque casu tamen Aduocatus, vel Procurator non tenetur de damno, si scilicet cliens id sciuerit; quia tunc (cùm scienti, & volenti iniuria non fiat) censetur cedere iuri suo.

3 Item tenetur Aduocatus, vel Procurator de damno, quando tuetur causam, quam aduertit esse iniquam, seu iniustam: Tenetur tunc, inquam, de damno, & suo clienti, si eum bona fide procedentem, de iniquitate, seu iniustitia causæ non monuerit; & tenetur etiam parti contrariæ, si parti contrariæ damnum obuenerit, (vt expensarum factarum, & eorum omnium, quæ per litem amisit) quia horum omnium Advocatus, vel Procurator est causa, vel committendo, vel omittendo, contra debitum officij.

4 Hinc sequitur, quod si cliens monitus sit de causæ iniustitia, & nolit desistere, Aduocatus, vel Procurator debeat illum deserere, non tamen aduersæ parti secreta causæ manifestare, nisi forsan ad graue aliquod proximi damnum vitandum id necessarium esset; quia tunc deberet iudici aperire, vt prouideat, & occurrat; cùm quilibet ex charitate teneatur, si sine suo damno poterit proximi damnum impedire, vnde in statu peccati reperiuntur Aduocati, vel Procuratores, qui parati sunt quamcunque causam, siue scilicet fuerit iusta, siue iniusta, defendendam suscipere.

Sequitur 2. quod non possit Aduocatus, vel Procurator inducere partem ad transactionem, si transactio cum damno partis futura esset; quia ex S. Thoma 2. 2. *q. 7. art. 3. ad* 2. Syluestro *verb. Aduocatus, n.* 16. Nauar. *cap.* 25. *n.* 28. & aliis passim transactio solùm in causa dubia locum habet: vnde grauiter peccant Aduocati, vel Procuratores, & consiliarij, qui dum in successu litis aduertunt, quod vna pars iniustam causam habeat, inducunt alteram ad compositionem faciendam. 4

Sequitur 3. quod teneatur aduocatus, vel Procurator causam dubiam suscipiens, ante omnia diligenter inspicere merita causæ, quam si improbabilem, seu iniustam manifestè reperierit, nullo modo potest eam defendendam suscipere, & multò minùs clientem suum ad litem mouendam inducere; alioquin tanquam concausa tenebitur parti læsæ de damno. S. Thomas 2. 2. *q.* 62. *art.* 7. *& q.* 71. *art.* 3. *in corpore.* Quapropter, vti suprà dicebam, absolui non potest, qui paratus est defendendam suscipere quamcunque causam, siue scilicet probabilem, siue improbabilem, seu siue iustam, siue iniustam. Teneatur 2. post diligentem causæ inspectionem sincerè aperire clienti, quantam probabilitatem, quantamque spem vincendi causam habeat, quia si falsa promissione, vel inani spe victoriæ clientem ad litem mouendam inducit, tenebitur de damno, etiam clienti, nedum parti aduersæ litiganti, casu quo cliens, cognita veritate, seu cognita dubietate causæ, litem moturus, vel continuaturus non fuisset. Syluest. *verb. Aduocatus, q.* 10. Salas *sect.* 11. *n.* 103. Sanchez *n.* 51. Vasquez *cap.* 1. *n.* 3. & Ioannes Sancius *n.* 540. Teneatur 3. si causæ dubiæ patrocinium suscepit, paratus esse, si in progressu temporis iniustam eam esse reperierit, quamprimùm ab eius patrocinio desistere. S. Thomas 2. 2. *q.* 71. *art.* 3. *ad* 2. quem sequuntur Doctores alij communiter. 5 6 7

Quod aduocatus ægrè ferre non debet; quia à principio cauere debebat, ne susciperet causam dubiam, cuius vincendæ spes nulla, vel valdè tenuis esset. Ioan. Maior *in* 4. *dist.* 15. *q.* 28. §. 5. *infertur.* Gabriel *q.* 6. *art.* 2. & alij passim.

Cæterùm, si aduocatus, vel Procurator bona fide, vel probabili ignorantia ductus suscepit defendendam causam, quam postea ex aliquo accidenti; vt ex instrumento nouiter reperto, vel ex ipsius clientis confessione iniustam deprehendit, potest nihilominus salarium percipere. Secus si suscepit ob imperitiam, vel aliam causam culpabilem, quia tunc sibi imputare debet, si in eam defendendam tempus, & laborem insumpserit. Syluest. *verb. Aduocatus, q.* 2. Armilla *eod. verbo, n.* 18. & alij communiter *arg. l. prætor, ff. de vacat. & excusat. muner.* 8

Vbi aduerte, quod Aduocatus, vel Procurator rei tamen, qui reum fraudibus contra fiscum defendit, non teneatur ad compensandum emolumentum, quod ad fiscum ex damnatione rei spectasset, si reum ipse sic non defendisset; quia non ipse reus, qui est principalis, ad illud compensandum tenetur; eo quòd non nisi secuta sententia, fisco pœna debetur: Ergo nec compensatio; & quamuis Aduocatus, vel Procurator fraudibus istis, quatenus scilicet peruertit iudicium publicum, iniuriam faciat Reipublicæ, huiusmodi tamen iniuria non obligat ad restitutionem; quia non est contra iustitiam particularem, sed solùm contra legalem; qualis etiam est iniuria, quam eidem Reipublicæ facit reus falsum testem subornans, vt ipse reus dictam pœnam effugiat. 9

Et quod dixi, adeò verum est, vt etiam non improbabiliter ad illud compensandum neque teneatur Aduocatus, vel Procurator Fisci (quamuis alij ex communi sententia Doctorum sentiant, quod dictus Advocatus, vel Procurator teneatur compensare fisco emolumentum talis pœnæ, si causam fisci negligenter, aut minùs fideliter egerit, moti ex eo, quod Aduocatus, vel Procurator Fisci ex officio tenetur fisci commoda curare.) 10

curare.) Quia contrarium ex contrario fundamento videtur non omnino improbabile, officium scilicet Advocati, vel Procuratoris Fisci non esse curare, vt fiscus mulctis, & confiscationibus locupletetur, sed vt leges seruentur, & legum violatores puniantur. Ergo cùm Aduocatus, vel Procurator Fisci non teneatur ex iustitia causam Fisci prosequi, vt Fiscus bona rei acquirat, non tenetur ad restitutionem; etiamsi Fisci causæ prosequutionem negligenter, aut minùs fideliter omiserit. Præsertim cùm fiscus ad bona illa rei, non (nisi secuta damnatione, vel criminis declaratione) ius propinquum habeat. Vide quæ dicebam *suprà dubit.* 134.

11 Aduerte secundò, quod (si clienti intentetur actio criminalis, & eius Aduocatus, vel Procurator eum ita defendat, vt accusator, cùm ita non potuerit conuincere reum, damnatus sit ad pœnam talionis) Aduocatus, vel Procurator clientis non teneatur ad compensationem talis damni, quod contingit accusatori, nec efficiatur irregularis. Couarr. *in clement. si furiosus, part.* 2. §. 5. *n.* 5. & alij, quos sequitur Salonius *q.* 71. *art.* 3. *controu.* 1. (quidquid in contrarium dixerint alij cum Nauarro *cap.* 27. *n.* 209.) Quia hoc damnum per accidens, & præter intentionem dicti Aduocati, vel Procuratoris contingit accusatori, cuius causam dictus Aduocatus, vel Procurator non tenebatur iuuare. Idemque dicas de reo, si ex eius negatione contingat, quod accusator similiter puniatur.

PETITIO X.

An Aduocatus, vel Procurator teneatur sub mortali pauperibus patrocinari gratis?

SVMMARIVM.

1 *Aduocatus, vel Procurator tenetur sub mortali pauperibus patrocinari gratis, si simus in extrema necessitate pauperis; quia quilibet tenetur sub mortali extremè egenti impendere illud, quo ipse instructus est, si ipse similiter non eget. Vide ibi plura exempla.*

2 *Limita, dummodo ipse Aduocatus, vel Procurator aliquo modo superfluum suo statui habeat, scilicet dummodo præter illam operam, quæ ipsi necessaria est ad statum suum sustentandum, aliquid temporis, vel industriæ supersit.*

1 RESpondetur affirmatiuè, si simus in extrema necessitate pauperis, v.g. si vita ipsius, vel ipsi coniunctorum, vt Patris, Matris, vxoris, prolis, &c. pendeat ex patrocinio, vel si imponatur ipsi crimen, ob quod, vti dicebam, sit plectendus capite, aut spoliandus omnibus bonis, & coniiciendus in extremam paupertatem, nisi defendatur, ita vt tunc, si putetur nemo alius illi patrocinaturus, quilibet Aduocatus, vel Procurator teneatur sub mortali ei patrocinari gratis: est communis sententia Doctorum cum S. Thoma 2. 2. *q.* 71. *art.* 1. Et videri poterit Gregorius *homil.* 9. *in Euangel. circa finem.*

Probatur, quia quilibet tenetur sub mortali extremè egenti impendere illud, quo ipse instructus est, si ipse similiter non eget, v.g. si pauper extremè eget cibo, tenetur sub mortali pauperi subuenire de cibo, qui habet cibum; qui verò non habet cibum, sed pecuniam, non tenetur, nisi in defectum illius, qui habet cibum, & non præbet cibum (cùm tunc aliter non possit obtineri cibus.) Si extremè eget pecunia, tenetur sub mortali subuenire de pecunia, qui habet pecuniam. Si extremè eget opera Medici, vel Chirurgi, tenetur sub mortali operam suam gratis præstare Medicus, vel Chirurgus, & non tenetur sub mortali diues soluere pro eo pecuniam, nisi Medicus, vel Chirurgus ex sua malitia noluerit aliter operam suam præstare, cùm tunc pauperi ad suam vitam sustentandam necessaria sit pecunia: ergò idem dicendum erit de Aduocato, vel Procuratore, cuius patrocinio pauper extremè eget.

Et quod dixi adeò verum est, vt etiam Aduocatus, vel Procurator teneatur similiter sub mortali pauperibus patrocinari gratis, si simus in graui necessitate pauperis (v.g. si putetur iniustè damnandus ad triremes, ad publicam flagellationem, ad durum carcerem, vel exilium, &c.) modò ipse Aduocatus, vel Procurator aliquo modo superfluum suo statui habeat; scilicet modò præter illam operam, quæ ipsi necessaria est ad statum suum sustentandum, aliquid temporis, vel industriæ supersit. Syluester *verb. Aduocatus, n.* 11. Sotus *de iust. lib.* 5. *q.* 8. *art.* 1. & alij communiter, quidquid in contrarium dixerit Nauarrus *cap.* 25. *n.* 20. & Caietanus *in S. Thomam* *bic. q.* 71. *art.* 1. quatenùs ibi ait, quod in tali casu Aduocatus, vel Procurator teneatur solùm sub veniali.) 2

Probatur, quia quilibet quotiescumque superfluum habet, tenetur sub mortali subuenire proximo, etiamsi simus in graui necessitate, sicut habet communis sententia Doctorum, & consentit idem Caietanus *in S. Tom.* 2. 2. *q.* 32. *art.* 5. *dub.* 5. ergo, &c.

Cæterùm in hac materia vix locum habet communis necessitas, quia causæ iudiciales sunt ordinariè magni momenti respectu pauperum, vel certè non sunt pauperes.

PETITIO XI.

An & quomodo Confessarius se gerere debeat cum reo, vel cum saga vltrò ad Sacramentum Confessionis accedente?

SVMMARIVM.

1 *Confessarius quomodo se gerere debeat cum reo, vel cum saga vltro ad Sacramentum Confessionis accedente, disquiritur, vbi enumerantur peccata, de quibus interrogari debet.*

2 *Confessarius de quonam admonere debeat sagam, ad amussim recensetur.*

RESpondetur: Interroget Confessarius eam, an ex animo fidei Christianæ renuntiauerit, diabolum adorauerit, falsa de Deo, & æternitate crediderit; quia tunc est peccatum hæresis contra fidem. Item an rebus sacris abusa fuerit; quia tunc est peccatum sacrilegij contra Religionē. Item an alicui in bonis corporis, vel fortunæ nocumentum intulerit, quia tunc est peccatum iniustitiæ contra iustitiam. Item an in bonis corporis nocumentum intulerit Clericis, vel Religiosis; quia tunc præter peccatum iniustitiæ contra iustitiam, est censura excommunicationis. Item an alios seduxerit, & an hi in tali crimine persistant, quia tunc tenetur eos ad viam veritatis reducere, vel si reduci nolint, tenetur eosdem Inquisitori deferre; quamuis deferre non teneatur, si exinde sibi probabiliter in suspicionem, & capturam veniendi periculum timeat. Videatur Martinus Delrio *disquis. magic. lib.* 6. *sect.* 3. §. *quoad interrogatoria.* 1

Moneat etiam eam Confessarius (ad hoc, vt è potestate dæmonis, cum quo pactum iniit, eripiatur) quod abiurato dæmone, fidem, ac spem in Deum, qui peccatores omnes ad se inuitat, & volentes recipit, confidenter concipiat; Item quod frequenter peccata sua confiteatur, frequenter Fidei catholicæ professionem repetat, frequenter Symbolum Apostolicum recitet: Crucis signum, sacras imagines, Sanctorum Reliquias, Aquam, Agnos Dei, & similia benedicta, quæ ad dæmonem repellendum vim maximam habent, cum deuotione adhibeat. Videatur Bartholomæus Spinæus *de strygibus, quæstion.* 32. 2

PETITIO XII.

An, & quomodo Confessarius se gerere debeat cum reo, vel cum saga à Iudice capta, vel condemnata?

SVMMARIVM.

1 *Confessarius, si consuetudo non sit in contrarium, poterit etiam ante iudiciale examen reum, vel sagam adire, eamque ad contritionem de peccatis disponere, & ad patientiam, & obedientiam exhortari.*

2 *Confessarius coram saga, vel alio reo non debet improbare, vel in dubium reuocare sententiam iudicis, ne reus inde capiat occasionem lamentationis. Officium enim Confessarij non est talia iudicare, sed illum ad veram pœnitentiam disponere, &c.*

3 *Confessarius si reus, vel saga ei crimen confiteatur, statim, vti suprà dictum est, interroget de peccatis, & peccatorum circunstantiis, postea disponat ad veram pœnitentiam, proposita Dei magna Misericordia, &c. horteturque etiam ad fortiter sustinenda supplicia corporis breuiter duratura, &c.*

4 *Reus, vel saga, si asserant se innocentes Confessario, sed metu tormentorum confessum id, quod non fecit, tunc Confessarius exemplo Sanctorum Martyrum eum consolari poterit, &c.*

5 *Reus, vel saga, si crimen suum in iudicio confessus fuerit, interroget eum Confessarius, an socios iudici manifestauerit, quia ad id in conscientia tenetur, vt perniciosa crimina à Magistratu extirpari possint. Quod si innocentes nominauerit, vrgeat ad retractandam denunciationem, modò spes sit, vt Iudex credat.*

6 *Iudex attendere, & æstimare non debet reuocationem denunciationis post latam sententiam condemnatoriam personæ denunciantis, quando persona hæc supplicio proxima asserit innocentem esse personam à se denunciatam, nam denunciatio in tormentis facta, & postea coram Iudice, atque Notario ratificata, præsumptionem veritatis inducit.*

7 *Nemo morte instante suæ salutis immemor censetur, sed reuocatio personæ mox morituræ, præsertim si animo perturbato sit, non efficit præsumptionem certam.*

8 *Reus, vel saga si constanter Confessario dicat, quod personam innocentem denunciauerit, suadere, nedum permittere Confessarius illi poterit coram populo dictam retractationem; quia ea sine dubio aliqualiter debilitat denunciationem priorem.*

9 *Confessarius non tenebitur, quinimò minùs rectè operabitur, querimonia scilicet, vel scandali occasionem præbendo, si post rei, vel sagæ mortem significet iudici, quod ea in extremis denunciationem iam factam reuocauerit; quia præterquam quod Iudex eam non acceperat, Sacramentale Confessionis sigillum violares, non habita prius à pœnitente licentia.*

1 RESPONDETVR: si consuetudo non sit in contrarium, qua de re vide, quæ dicebam *suprà dubit.* 195. *sect.* 38. poterit Confessarius, etiam ante iudiciale examen, reum, vel sagam adire, eamque ad contritionem de peccatis disponere, & ad patientiam, atque ad obedientiam magistratui debitam exhortari.

2 Caueat tamen, ne coram reo, vel saga modum procedendi, vel sententiam iudicis reprehendat, vel in dubium reuocet, ne occasionem præbeat lamentationis, quam facilè arripere consueuit quicunque reus. Accedit, quod Officium Confessarij non est talia iudicare, sed reum ad veram pœnitentiam disponere, ad patientiam, & mortem ipsam, si sic opus fuerit, fortiter tolerandam exhortari, eiusque peccatorum confessionem, si facere voluerit, audire.

3 Porrò si reus, vel saga Confessario crimen fateatur, statim illam Confessarius, vti suprà dicebam, interroget de peccatis, & peccatorum circumstantiis, postea disponat ad veram pœnitentiam, proposita magna Dei misericordia, per quam id iam consecuta sit, vt è faucibus dæmonis eripiatur, alioquin in æternum cum illo gehennæ pœnas passura. Hortetur etiam ad fortiter subeundum supplicia corporis breui tempore duratura, per quæ pro suis peccatis satisfaciat, atque alterius vitæ pœnas in æternum duraturas redimat, sin verò reus, vel saga in iudicio confessa, Confessario constanter asseueret, se innocentem esse, sed metu tormentorum confessam fuisse, si eam Confessarius verum dicere hîc & nunc arbitretur, præsertim quia in foro confessionis interno credendum est reo, non solùm contra se, sed etiam pro se dicenti; tunc consolari eam poterit asserendo, quod etiam martyres innocenter passi fuerint, quodque pœna hæc ei ad meritum, atque ad aliorum suorum peccatorum satisfactionem deseruiat: interim verò sciat, quod Deus non irridetur; ideoque caueat, ne si falsò innocentem se esse asseueret, cum dæmone gehennæ pœnas subeat in æternum. 4

Denique, si reus, vel saga crimen suum in iudicio confessa fuerit, interroget eam Confessarius, an socios iudici manifestauerit; quia ad id, vt perniciosa crimina à Magistratu extirpari possint, in conscientia tenetur; sin autem reus, vel saga asserat, quod per odium, vel per tormentorum metum innocentes iudici denuntiauerit, vrgeat eam Confessarius, vt falsam denunciationem coram iudice, quamvis timeat, quod ob variationem, & inconstantiam noua tormenta subitura sit, retractet: sic DD. quos sequitur Petr. Nauarr. *de restitut. lib.* 2. *c.* 3. *n.* 251. Modò tamen spes aliqua sit, quod Iudex huiusmodi retractationem simplicem, & extraiudicialem contra priorem iuratam, & iudicialem dispositionem crediturus sit; siquidem ordinariè Iudex stare solet Confessioni, vel denunciationi criminis semel iudicialiter factæ, licèt hæc postea post aliquod tempus reuocata fuerit. Abb. *in cap. sicut, de testib. n.* 1. Couarr. 2. *resol. c.* 73. Menochius *de arbitr. iudic. quæst. cas.* 108. & alij quos sequitur Binsfeldius *de confess. malef. membr.* 2. *concl.* 5. Excepto si deponens de crimine postea errorem suum alleget, & eius probabilem rationem afferat. Abb. *cap. præterea, de testib. cogend. n.* 4. Couarr. *loco suprà citato, n.* 8. Menoch. *n.* 7. Martinus Delrio *lib.* 5. *sect.* 5. *circa finem.* Vbi subdit quod si ea manifestis indiciis appareat, quod testis, vel denunciator nō ex leuitate, & perturbatione animi, neque ex precibus vel suasionibus testimonium suum retractet, non solùm in hoc crimine, de quo loquimur, sed etiam in crimine hæresis à iudice audiri debeat, ex text. *in cit. cap. sicut.* 5

6 An autem Iudex attendere, & æstimare debeat reuocationem denunciationis post latam sententiam condemnatoriam personæ denuntiantis, quando persona hæc supplicio proxima asserit, innocentem esse personam, quam in iudicio falsò denunciauit?

Respondetur negatiuè: Martinus Delrio *lib.* 5. *disq. magic. sect.* 5. *n.* 5. Binsfeldius *cit. memb.* 2. *concl.* 5. §. *videtur quod elidat*, & alij communiter.

Probatur, quia denunciatio in tormentis facta, & postea coram iudice, atque Notario ratificata, vtpotè iudicialis, & solemnis, præsumptionem veritatis inducit: ergo non eliditur per subsequentem reuocationem extraiudicialem, & nō solemnem, quæ postea subsequitur.

7 Non obstat, si dicas: Nemo morte instante suæ salutis immemor censetur: sic DD. communiter *in l. vlt. Cod. ad leg. Iul. repetundar.* Ergo magna præsumptio est, quod reuocatio sit vera, per quam propterea elidatur denunciatio priùs facta.

Respondetur enim, nego consequentiam, quia denunciatio, vel reuocatio personæ mox morituræ, præsertim si animo perturbato sit, sicuti plerumque esse consueuit, non efficit præsumptionem certam, ex textu *in l. si quis, §. 1. ff. ad Senatuscons. Syllan.* vbi dicitur, quod

vulnerato

vulneratn non creditur, si mox decessurus dicat, quod à Titio percossus fuerit; nisi id aliter ex aliis capitibus vlteriùs probari queat.

8 Nihilominùs si reus, vel Saga constanter Confessario dicat, quod personam innocentem denunciauerit, suadere, nedum permittere Confessarius illi poterit, quod publicè coram Populo talem denunciationem retractet. Tùm ad pacationem suæ conscientiæ maiorem, Tùm quia talis reuocatio à mox morituro facta sine dubio aliquatenùs debilitat denunciationem priorem, itavt si alia etiam indicia prædictæ falsæ denunciationis accedant, contra denunciatam personam procedi non debeat.

9 Ex his sequitur, quod Confessarius non tenebitur, quinimmò minùs rectè operabitur, querimoniæ scilicet, vel scandali occasionem præbendo, si post rei, vel Sagæ mortem, seu supplicium significet Iudici, quod ea in extremis denunciationem iam factam reuocauerit, quia Iudex, vti dicebam, huiusmodi reuocationem non acceptat, plus fidei habendo iudiciali priùs legitimæ factæ denunciationi, cùm per eam quodammodo ius iam acquisiuerit, quàm extraiudiciali, sibique non probatæ reuocationi, quæ posteà subsequitur.

Adde quod Confessarius sacramentale Confessionis sigillum violaret, si non habita priùs à Pœnitente licentia, iudici, vel alteri cuicumque significaret innocentiam personæ denunciatæ, eo ipso scilicet significans iniuriam personæ denuncianis: quapropter, si in aliquo casu, eo quòd scilicet alia etiam indicia innocentiæ habeantur, Confessarius consultum arbitretur, vt Iudicem de hac re admoneat, debet de hac re, ne fractor sigilli sacramentalis efficiatur, licentiam à Pœnitente priùs obtinere, vt id faciat licitè, & absque peccato.

PETITIO XIII.

An, & quomodo se gerere debeat Confessarius, si reus vel saga coram ipso Confessario constanter asserat, se sagam non esse, sed metu tormentorum falsò crimen sibi in iudicio imposuisse?

SVMMARIVM.

1 *Confessarius si reus, vel saga coram ipse constanter asserat se sagam non esse, sed metu tormentorum falsò sibi crimen imposuisse, si alia peccata sua rectè confiteri, ideoque sincerè agere videatur, tenetur illum absoluere; quia in foro interno credendum est reo tam contrà se, quàm etiam pro se.*

2 *Confessarius debet eandem monere, vt considerato dedecore, quod sibi, & familiæ suæ infert, & etiam vitæ detrimento, confessionem suam coram Iudice omnino retractet, dummodo spes aliqua sit, quod Iudex ei crediturus sit.*

3 *Confessarius, si saga propter metum, ne in ipsam priora tormenta repetantur, licèt per falsam confessionem crimen falsum sibi imposuerit, &c. persuaderi non finat, vt retractet, sed potiùs vult mori, vrgere eam non debet ad retractandum cum periculo priorum tormentorum; quia tunc sequi potest probabilem sententiam Angeli, & aliorum.*

4 *Contraria sententia Auctori ab intrinseco videtur probabilior; quia qui causam suæ mortis posuit, tenetur eam tollere, si possit, alioquin sui ipsius homicida erit.*

5 *Crimen falsò alteri imponens, ob quod ille morte puniendus est, in sententia omnium est homicida.*

1 Respondetur: si saga, vel reus in tali casu alia peccata sua rectè confiteri, ideoque sincerè agere videatur, tenetur eam Confessarius absoluere; præsertim quia, sicuti dicebam, in foro confessionis interno credendum est reo, tam contra se, quàm etiam pro se dicenti.

At verò debet eandem Confessarius monere, vt considerato dedecore, quod sibi, & familiæ suæ infert, & considerato etiam vitæ detrimento, cuius sibi ipsi causa existit, confessionem suam prædictam coram Iudice omninò retractet: dummodò spes aliqua sit, quod ipsi Iudex confessionem suam prædictam retractare volenti crediturus sit, cùm Iudex stare soleat confessioni semel iudicialiter extra metum tormentorum confirmatæ, non obstante, quod satis probabilia argumenta commissæ falsitatis appareant, alioquin enim manis, & frustratoria esset reuocatio, quæ nihil profutura putatur. Doctores communiter, inter quos præcipuè Simanch. *de cathol. instit. tit. 13. n. 27.* 2

3 Cæterùm, si reus, vel saga, quæ sibi per falsam confessionem falsum crimen imposuit, ob quod pœna mortis afficienda erit, sibi propter metum, ne in ipsam priora tormenta repetantur, persuaderi non finit, vt retractet, sed potiùs vult mori, quàm priorum tormentorum repetitionis periculum subire, Confessarius eam vrgere non debet, quod cum tali periculo retractet; quia tunc sequi potest probabilem sententiam Angeli *verb. detractio, §. 7.* Soti *lib. 5. de Iust. q. 10. art. 2.* Toleti *lib. 5. c. 66.* Sà *verb. Infamare*, & aliorum tenentium, quod reus in tali casu retractare sub peccato mortali non teneatur.

4 Quamuis ab intrinseco, propter rationes scilicet, probabilior mihi videatur contraria sententia Couar. *1. resol. c. 2. n. 8.* Molin. *de Iust. tract. 4. disp. 37. concl. 15.* & Nauar. *c. 18. n. 92.* Qui meritò contrarium tenent ex eo, quia qui causam suæ mortis posuit, tenetur eam tollere, si possit, alioquin sui ipsius homicida erit, quemadmodum qui posuit ignem, ex quo intelligit, quod oriturum sit incendium, nisi extinguat ignem, si possit, tanquam incendiarius damnabitur, sed qui sibi falsò crimen imposuit, ob quod morte puniendus est, is causam suæ occisionis posuit. Ergo tenetur eam tollere, si possit, retractando scilicet crimen, quod sibi falsò imposuit.

5 Confirmatur, quia qui falsò crimen imposuit alteri, ob quod ille morte puniendus erit, in sententia omnium homicida est alterius: ergo & qui falsò crimen imposuit sibimetipsi, homicida erit suimetipsius; cum suæ vitæ, quidquid sit de sua fama, Dominus non sit, sicuti neque vitæ alienæ Dominus est.

PETITIO XIV.

An, & quomodò se gerere debeat Confessarius, si ex confessione sacramentali prospicere se arbitretur, quod reus, vel saga, crimen metu tormentorum confessa, reuera innocens sit, an scilicet in tali casu ipse confessarius tanquam internuncius, & Aduocatus personæ confessæ, Iudicem de ea re monere debeat?

SVMMARIVM.

1 *Confessarius etiamsi ex sacramentali confessione prospicere se arbitretur, quod reus, vel saga metu tormentorum crimen confessa, quod non patrauit, sit innocens, non debet de ea re monere Iudicem, quia huic retractationi extraiudiciali fides non habetur, & ne alij rei, & verè nocentes sumant occasionem tegendi sua peccata, & foueant sacrilegium. Violaret enim sigillum confessionis.*

Respondetur negatiuè; quia, sicuti suprà dicebã, Iudex huic retractationi extraiudiciali post publicam rei confessionẽ, vel conuictionẽ, fidem vllam non habet. 1

Confirmatur, quia si sciatur, quod confessarius intercedat pro reo, quem ipse innocentem esse ex confessione sacramentali suspicatur, alij verè nocentes exinde occasionem

casionem sumerent delicta sua Confessario non detegendi cum graui Sacramenti sacrilegio, & cum graui suarum animarum detrimento.

Confirmatur secundò, quia si Confessarius plures reos, vel sagas audire consuetus, de vnius, non item de aliorum innocentia contestaretur, hoc ipso tacitè aliorum nocentiam confirmaret, sicque Sacramentale Confessionis sigillum violaret.

PETITIO XV.

An, & quomodo se gerere debeat Confessarius cum reo, vel cum saga, quæ in carcere moritura est) in ordine ad viaticum, vel Sacram Eucharistiam, & sepulturam?

SVMMARIVM.

1 *Reus, vel saga ad mortis supplicium ducenda, si pœnitens, & confessa fuerit, absque dubio ad sacrum viaticum admitti debet.*

2 *Reus, vel saga, quæ in carcere moritura est, de crimine valdè suspecta, si crimen, siue sit torta, siue non torta propter corporis scilicet infirmitatem, vel prægnantiam, &c.) non confiteatur, Sacra Eucharistia non est priuanda, casu quo eam petierit, & Sacramentaliter confessa sit; cui enim conceditur Sacramentum Pœnitentiæ, concedi debet etiam viaticum.*

3 *Idem dic, si reus, vel saga crimen in tortura confessa sit, sed postea illud in publico iudicio retractauerit.*

4 *Idem si reus, vel saga coram iudice, & Notario extra torturam crimen confessa sit, postea tamen allatis falsitatis indiciis, reuocauerit, quia sic priorem confessionem expurgasse censetur.*

5 *Confessionis semel factæ expurgandi consuetudo in quibusdam locis per tres torturas, non obstat; est enim parum iuri conformis, cum tortura priores criminis præsumptiones expurget.*

6 *Reus, & saga licèt crimen confessa, vel secundum externi fori præsumptiones conuicta; si tamen coram Confessario post seriam admonitionem crimen constanter neget in foro conscientiæ credenda est, ideoque à peccatis absoluenda, & sacro viatico ante diem mortis, seu supplicij secretò munienda. Sed si post Sacramentalem confessionem se innocentem esse palam dixerit, sacro viatico donanda non est, propter scandalum.*

7 *Sepultura Ecclesiastica, sicut reo, vel sagæ denegari non debet Sacrum Viaticum, si indicio adhuc pendente decessura in carcere putetur, etiam deneganda non est, si de crimine neque sufficienter conuicta, neque crimen confessa fuerit; talis enim consuetudo eam denegandi, tantum habet locum in damnato.*

8 *Sepulturam Ecclesiasticam consuetudo denegandi improbari non potest contra reum, vel sagam crimen confiteri recusantem, si grauissima, atque indubitata indicia adsint, cum tamen eidem Sacramentaliter confessæ Sacrum Viaticum negari non debeat, & tu?*

9 *Sacra Eucharistia si deferatur ad reum, vel sagam, vel ad aliam infamem personam, deferri debet cum solemnitate minori, hoc est sine pulsu campanæ, & magno comitatu per plateas.*

10 *Idem dic de sepultura Ecclesiastica, ut non omninò clanculum, sed cum cæremoniis saltem substantialibus.*

11 *Pro condemnatis, & supplicio mortis affectis per amicos, & consanguineos priuatim orandum, & sacrificia offerri curandum est, modò non constet eos impœnitentes decessisse, &c.*

1 LOquor de reo, vel saga in carcere moritura, non autem de reo, vel saga ad mortis supplicium ducenda, seu ventura; Huic enim, si pœnitens, & confessa fuerit, absque dubio Sacrum Viaticum negari non debet: ita Doctores, quos sequitur Binsfeld. *de confession. malef. membr. 2. concl. 7. dub. 5.* Hoc supposito.

Respondetur: si reus, vel saga de crimine valdè su- 2
specta crimen, siue sit torta, siue non torta, propter corporis scilicet infirmitatem, vel in vtero fœtum, &c. non confiteatur, Sacra Eucharistia, casu quo eam petierit, & Sacramentaliter confessa sit, priuari non debet; quia ex communi sententia Doctorum cui conceditur Sacramentum Pœnitentiæ, concedi debet & Viaticum.

Quod etiam locum habet, si reus, vel saga crimen 3
in tortura confessa sit, sed postea illud in publico iudicio reuocauerit; quia confessio in tortura, nisi postea ratificetur, alicuius momenti non est.

Item & locum habet, si reus, vel saga coram iudice, 4
& Notario extra torturam crimen confessa sit, postea tamen, allatis falsitatis indiciis (ob quæ Iudex propter variationem, & inconstantiam in reum, vel sagam noua tormenta intulit, & ea reus, vel saga constanter pertulit) reuocauerit; quia sic reus, vel saga priorem confessionem expurgasse censetur. Vnde si postea in dicta retractatione, seu innocentiæ contestatione reus vel saga perseueret, non debet reus, vel saga in mortis periculo constituta Sacramentis priuari.

Non obstat, quod in quibusdam locis consuetudo 5
sit, vt confessio semel facta, non nisi per tres torturas expurgetur.

Respondetur enim (vt omittam, quod consuetudo hæc parum iuri conformis sit; cùm tortura priores criminis præsumptiones expurget; ita Martin. Delrio *lib. 5. sect. 9. §. cæterum,* Farinac. *q. 4. n. 26. & q. 40. n. 2.* & alij communiter) extendi saltem illa non debet ad Sacramentorum subtractionem, quia Sacramenta morituro negari non possunt, nisi constet, quod is sit in statu peccati mortalis: at reus, seu saga, quæ crimen semel confessa, postea retractauit, non constat, quod sit in statu peccati mortalis, scilicet falsæ, & pertinacis reuocationis, alioqnin enim Iudex non debuisset eam iterum torturæ subjicere, cùm tortura tantùm in causa dubia ad cognoscendam veritatem adhibenda sit, ergo, &c.

His quæ dicebam, adde quod licet reus, vel saga, 6
crimen confessa, vel secundùm externi fori præsumptionem conuicta sit; si tamen coram Confessario post seriam admonitionem crimen constanter neget, in foro conscientiæ credenda sit. Ideoque à peccatis absoluenda, & Sacro Viatico ante diem mortis, vel supplicij munienda, iuxta ea, quæ dicebam suprà *petit. 12.*

Dixi, *coram Confessario*, scilicet in secreto, quia si post Sacramentalem Confessionem se innocentem esse; palam dixerit, Sacro viaticodonanda non est, propter scandalum, cùm tunc quidem publicè præsumatur mendax, & pertinax, atque adeò impœnitens.

Adde secundò, quod sicut reo, vel sagæ denegari 7
non debet Sacrum Viaticum si iudicio adhuc pendente decessura in carcere putetur, ita etiam eidem decedenti denegari non debet sacra sepultura, si de crimine neque sufficienter conuicta, neque crimen confessa fuerit; quia consuetudo illa denegandi sepulturam reo vel sagæ, etiamsi ante mortem Sacramentis donata fuerit, locum tantùm habet in damnato, vel in eo, cuius memoria, etiam post mortem, damnari poterit. At eius, qui crimen nec confessus, nec de crimine sufficienter conuictus est, memoria damnari non potest. Ergo, &c.

Cæterùm, si contra reum, vel sagam crimen confi- 8
teri recusantem grauissima, atque indubitata indicia adsint, improbari non potest prædicta consuetudo, quod scilicet tunc propter violentam criminis præsumptionem ei decedenti sacra sepultura denegetur. Non tamen sic similiter eidem Sacramentaliter confessæ

Sacrum

Sacrum Viaticum denegari debebit; quia iudicia, & præsumptiones illæ fori externi transferri non debent ad internum conscientiæ examen, quod soli iudici spirituali, seu soli Confessario committitur.

9 Adde tertiò, quod si Sacra Eucharistia deferatur ad reum, vel sagam, vel ad aliam eiusmodi personam infamem, deferri illa debeat cum solemnitate minori (itavt pulsus campanæ per plateas, & magnus Comitatus omittatur) non tamen omninò clanculum, quia id cederet in irreuerentiam Sacramenti.

10 Similiter si reo, vel sagæ, vel alteri eiusmodi personæ infami, in carcere decedenti, vel supplicio mortis affectæ, sacra sepultura concedatur, debebit id fieri cum solemnitate minori, sine scilicet exequiis publicis, non tamen (sicut de Sacra Eucharistia dicebam) omninò clanculum, seu furtiuè, sed cum ceremoniis, saltem præcipuis, & quasi substantialibus, nempe in rituali præscriptis.

Interim poterunt consanguinei, & amici pietatis opus exercere, scilicet pro condemnatis, & supplicio mortis affectis priuatim orare, sacrificia offerre, vel offerri curare; modò non constet, vel vehemens præsumptio sit, quod impœnitentes decesserint.

Cætera, quæ pertinent ad materiam de lamiis, seu sagis, vide *suprà dubit. 206. per totam.*

PETITIO XVI.

An rata debeat esse rei confessio (quam Iudex per fictam immunitatis promissionem, vel aliam simulationem extorsit) itavt secundùm talem confessionem reus damnari possit?

Respondetur: De hac re dixi *suprà dubit. 185. Petit. 6. Corollar. 1.*

PETITIO XVII.

An & quantam immunitatem præstet reo saluusconductus, seu publica fides, & securitas eundi ad certum aliquem locum, & exinde redeundi?

Respondetur: De hac re dixi *eadem Petitione 6. Corollario 2.* & diffusè priùs *dub. 154. sect. 4.*

PETITIO XVIII.

An & à quo iudice (originis scilicèt, domicilij, vel delicti) debeat criminis reus iudicari, & puniri?

Respondetur: De hac re dixi *citata dubitat. 185. Petit. 11.*

PETITIO XIX.

An & quid sit appellatio, & quando fieri possit: vbi etiam quotuplex sit, & quos effectus producat?

SVMMARIVM.

1 *Appellatio est prouocatio à sententia, vel à quocumque alio superioris grauamine ad alium maiorem iudicem, seu Magistratum.*

2 *Appellari non potest à Summo Principe, cum is non habeat Superiorem, ad quem prouocetur; potest tamen supplicari.*

3 *Appellari neque potest ab illo, cui Summus Princeps causam delegauit, remota appellatione; quia Summus Princeps est supra leges.*

4 *Inferior, seu Superiorem recognoscens, quamvis sit legatus Summi Pontificis, vtpotè subditus legibus, non potest causam committere, appellatione remota, vel alium iuris ordinem immutare.*

5 *Appellari non potest in eadem causa, nisi bis, itavt qui tertiò appellans non audiatur.*

6 *Appellari neque potest ab arbitris, si ij consensu partiũ fuerint electi, quia tũc sibimetipsi imputare debebit.*

7 *Appellatio instituta est, tanquam remedium ad iustam defensionem, & vt præsidium innocentiæ, non autem ad defensionem iniquitatis.*

8 *Appellationi non est deferendum, si causa, confessione ipsius appellantis præcedente, vel alio quocumque modo notoria est.*

9 *Appellans à sententia lata contra absentem ob veram contumaciam non auditur.*

10 *Appellatio duplex est, iudicialis, & extraiudicialis.*

11 *Appellatio iudicialis est de iis, quæ circa iudiciũ contingunt, quamvis de iure ciuili non nisi à sententia diffinitiua, non verò à sententia interlocutoria appellare possit, nisi grauamẽ per diffinitiuã reparari queat.*

12 *Appellatio extraiudicialis est, quæ extra iudicium interponitur ob aliud quodcumque grauamen illatum, vel inferendum, vt si v.g. beneficium alteri in tuum præiudicium collatum sit, &c.*

13 *Appellationi vtrique, tam iudiciali quàm extraiudiciali illud commune est, quod intra decem dies à lata sententia, vel à quocũque alio grauamine fieri debeat.*

14 *Grauatus à grauamine extraiudiciali (cùm illud in rem iudicatam non transeat) etiam post decennium auditur, si per modum querelæ adeat superiorem officium eius implorando.*

15 *Sententia in iudicio lata (si intra decem dies per appellationem suspensa non fuerit, transit in rem iudicatam, idest tribuit ius plenum parti litiganti, nisi de sententia iniquitate certò constet.*

16 *Superior ex Officio inquirere poterit, an ex obseruatione sententiæ peccatum immineat parti, pro qua iudicatum fuit, vt si beneficium Ecclesiasticum alicui non canonicè adiudicatum fuerit.*

17 *Coniux si à sententia pro valore matrimonij lata appellet, & ostendat matrimonij impedimentum adesse, semper audiri debet.*

18 *Idem dic in causa diuortij quoad vinculum, & ostendat è contra matrimonij impedimentum non adesse.*

19 *Excipi etiam solent causæ publicæ, scilicet ad Rempublicam pertinentes, in quibus tota sententia propter instrumenta postea de nouo reperta, ex causa rationabili retractari potest.*

20 *Appellationi similiter vtrique, tam iudiciali, quàm extraiudiciali, illud etiam commune est, vt si rationabili causa fiat, ordinariè producat effectum suspensiuum, & deuolutiuum.*

21 *Effectus suspensiuus præcipuè locum habet in appellatione iudiciali, præsertim à sententia diffinitiua; talis enim appellatio omninò suspendit iudicis iurisdictionem quoad illam causam.*

22 *In appellatione extraiudiciali reuocantur, & rescinduntur acta, seu attentata post eam, quandò veritas causæ à iudice appellationis cognita fuerit.*

23 *Effectus deuolutiuus consistit in eo, quod Iudex, ad quem appellatur, priorem iudicẽ inhibere, & ipse ad se deuolutam causam cognoscere, & definire possit.*

ADVERTENDA.

24 *Appellatio interdum non operatur effectum suspensiuum, vt cùm appellatur à sententia excommunicationis, vel similis censuræ, quæ si absolutè in aliquem inflicta fuerit, executionem rei iudicatæ secum trahit; operatur tamen effectum deuolutiuum.*

25 *Apellatio à sententia excommunicationis declaratoria operatur etiam effectum suspensiuum, itavt interim excommunicatus non sit necessariò euitandus.*

26 *Litteræ, seu apostoli instanter peti debeat à iudice, à*

 qua

quo intra triginta dies à die lata sententia, si infrà decennium appellatum fuerit, aliaquin qui appellauit, spectato iure cammuni, renunciasse appellationi censetur. Eaque dicuntur vel dimissaria, vel refutatoria: Et quanam sint.

27 *Litera seu apostoli in appellatione extraiudiciali instituta pets salent, si sit qui eas dare possit, alias non.*

28 *Appellare si quis non possit in prasentia iudicis, appellare tamen potest coram Notario, vel coram duobus viris honestis, qui Notarij vicem supplent.*

29 *Appellationis finienda totū tempus est annus, sin verè impedimenti causa contingeret, est biennium, &c.*

30 *Appellans si appellationem suam non prosequatur, Iudex, ad quem causa deualuta fuit, in ea procedere potest, quia nema cum alterius praiudicio consilium suum mutare potest.*

31 *Iudex secundùm ius canonicum si parti litiganti suspectus sit, v.g. quia parti litiganti est consanguineus, recusari potest, & tunc ex communi consensu statuendi sunt arbitri, qui de iustitia huius recusationis videant.*

32 *Appellationi similis est querela simplex, qua ad superiorem interdum defertur ab denegatam iustitiam ab inferiore iudice debitè requisita, modo causa cœpta non fuerit.*

33 *Iudex si negligens fuerit, litem suam facit, & ad damna parti lasa illata candemnari debet, &c.*

34 *Appellans iniustè, scilicet vt tempus exequenda sententia differat, tenetur ad expensas litis, & ad alia damna.*

35 *Superior etiam peccat, si deferat appellationi, qua nulli probabili rationi nititur, sed manifestè friuola, & iniusta est. Quapropter in tali casu pars aduersa instare poterit, quod Iudex ad quem, causam prosequatur ad maiorem confirmationem causa sua, &c.*

36 *Dicta de appellatione extra, & intra Iudiciū, & de iudicis suspecti recusatione, locum etiā habent in causis Regularium, modò manifestum sit, quod hi, nō tamen leuiter grauētur, alioquin negabitur eis appellatio, ne se subtrahant ab obedientia, quam voto promiserunt.*

1 RESpondetur, & dico primò, appellatio est prouocatio à sententia, vel à quocumque alio superioris grauamine ad alium maiorem Iudicem, seu magistratum: sic communiter Doctores *ex cap. placuit, 2. q. 9.*

2 Hinc sequitur, quod appellari non possit à Summo Principe; cùm is non habeat Superiorem, ad quem prouocetur, iuxta textum *in l. 1. ff. à quibus appell. non licet*: Potest tamen ad eundem Summum Principem humiliter supplicari, sicuti *alibi* dicebam.

3 Sequitur secundò, quod appellari neque possit ab illo, cui Summus Princeps causam delegauit, remota appellatione, *cit. l. 1. §. vlt. c. super, de offic. iudic. delegat. & c. Pastoralis, de appell.* quia Summus Princeps est su-
4 pra leges: Non tamen potest inferior, seu superiorem recognoscens, quamvis sit Legatus Summi Pontificis, vtpotè subditus legibus, causam committere appellatione remota, vel alium iuris ordinem immutare. Abbas *in c. 1. de rescript. n. 1.* & alij communiter.

5 Adde quod appellari non possit in eadem causa, nisi bis, ita vt quis tertiò appellans non audiatur, *cap. dilecta, cap. sua, de appell. & l. vnica, C. ne liceat in vna causa, &c.* ne detur processus in infinitum.

6 Adde 2. quod neque possit appellari ab arbitris, si ij consensu partium fuerint delecti, *l. 1. C. de arbitr.* & docent præter alios communiter S. Thom. 2. 2. *q. 69. art. 3. ad* 2. quia tunc sibimetipsi imputare debebit.

7 Dico 2. appellatio instituta est tanquam remedium ad iustam defensionem, & vt præsidium innocentiæ, non autem ad defensionem iniquitatis, *cap. cùm speciale, §. porrò, de appellat.*

8 Hinc sequitur, quod si causa, confessione ipsius appellantis præcedente, vel alio quocumque modo notoria sit, appellationi non sit deferendum, *cit. §. Porrò.* Et est sententia communis Doctorum.

Sequitur 2. quod si contra absentem ob veram contumaciam sententia lata fuerit, appellans à tali sententia non audiatur, *l. 1. C. quorum appellationes non recipiantur*, & *ibi* communiter Doctores. 9

Dico 4. appellatio est duplex, vna iudicialis, altera extraiudicialis. Doctores passim cum Glossa *super titulo de appell.* 10

Appellatio iudicialis est de iis, quæ circa iudicium contingunt, quamvis de iure ciuili non nisi à sententia diffinitiua, non item à sententia interlocutoria appellari possit, *l. ante, C. quor. appell. &c.* Præterquam si sententiæ interlocutoriæ grauamen per appellationem à sententia diffinitiua reparari non queat, ex Tridentino Concil. *sess. 13. c. 1. de reform. & sess. 24. c. 20. de reform.* 11

Appellatio extraiudicialis est, quæ extra iudicium interponitur ob alium quodcumque grauamen illatum, vel inferendum: vt si v. g. beneficium alteri in suum præiudicium collatum sit, *c. concertationi, de appell. in 6. vel vt electio, collatio beneficij, &c.* indebitè non fiat, *c. considerauimus, & c. cùm nobis, de elect.* Vel vt postulatio alicuius ad Prælaturam ob bonum publicum admittatur, aut aliqua dispensatio concedatur, cuius petendæ iusta causa subsit, ideoque indebitè denegetur, in quo casu etiam ad superiorem eius, qui iniustè denegat, querelam deferre poteris. Abbas *in cap. bona 1. n. 14. de postul. Prælat. & in cap. Pastoralis, eod. tit.* & alij, quos sequitur Sanchez *de matrim. lib. 3. disp. 10. q. 3.* 12

Dico 4. vtrique appellationi, tam iudiciali scilicet, quàm extraiudiciali, illud commune est, quod intra decem dies à lata sententia, vel à quocumque alio grauamine fieri debeat. *Auth. hodie, C. de appell. cap. Ad consultationem, de sent. & re iudic. & cap. concertationi, de appellat. in 6.* Et docet præter alios communiter S. Thomas 2. 2. *q. 69. art. 3. ad* 3. 13

Quamvis à grauamine extraiudiciali, cùm illud in rem iudicatam non transeat, grauatus etiam post decennium audiatur, si per modum querelæ adeat superiorem, officium eius implorando, *cit. c. concertationi, §. sed si*, & docet præter alios Abbas *in cap. cùm sit Romana, n. 22. & in c. Bona, n. 10. de appellat.* 14

At sententia in iudicio lata si intra decem dies per appellationem suspensa non fuerit, transit in rem iudicatam, scilicet facit auctoritatem rei iudicatæ, & tribuit ius plenum parti litiganti, nisi de sententiæ iniquitate certò constet, *ex Regul. 207. ff. Res iudicata pro veritate accipitur, & ex c. cùm inter, de sent. & re iudic.* vbi Abbas *n. 7.* & alij Canonistæ, præsertim in ordine ad aduersarium, cùm is si intra tale tempus non appellauerit, censeatur sententiæ acquieuisse. Abbas *in cap. cùm dilectus, n. 5. de elect.* & alij passim. 15

Interim verò superior ex Officio inquirere poterit, an ex obseruatione sententiæ peccatum immineat parti, pro qua iudicatum fuit, vt si v. g. alicui videatur beneficium Ecclesiasticum non canonicè adiudicatum, ideoque iniustè illud ab illo possideri. 16

Quinimò in matrimonio semper audiri debet coniux, si à sententia pro valore matrimonij lata appellet, & ostendat matrimonij impedimentum adesse; vel si appellet à sententia diuortij quoad vinculum, & ostendat è contra matrimonij impedimentum non adesse; cum in his casibus agatur de peccato vitando, *cap. lator, & cap. consanguinei, de sent. & re iudic.* vbi Doctores inquiunt, quod sententia in causa matrimoniali etiam post decennium non transeat in rem iudicatam. Videri etiam poterit in specie præter alios, Abbas *in cap. 1. de concess. prabend.* 17 18

Excipi etiam solent causæ publicæ, scilicet ad Rempublicam pertinentes, in quibus tota sententia propter instrumenta postea de nouo reperta, ex causa rationabili retractari potest, *l. Imperatores, ff. de re iudic.* & communiter ibi Doctores. 19

Dico

20 Dico quintò, vtrique similiter appellationi (tam iudiciali, scilicet quàm extraiudiciali) illud etiam commune est, vt si rationabili causæ nitatur, ordinatiè producat effectum suspensivum, & deuolutivum.

21 Effectus suspensivus præcipuè locum habet in appellatione iudiciali, præsertim à sententia diffinitiua; talis enim appellatio omninò suspendit iudicis iurisdictionem quoad illam causam, *cap. si à iudice, de appell. in 6.* Et pendente appellatione, nihil omninò innouari, nec sententia executioni mandari debet, *cap. non solum, eodem tit. in 6. & l. vnica, ff. nihil nouari appellat.*

22 *interpos.* In appellatione autem extraiudiciali reuocantur, & rescinduntur acta, seu attentata post eam, quando veritas causæ à iudice appellationis cognita fuerit, *cit. cap. non solum, & cap. Romana, §. cùm autem, & seqq. de appellat. in 6.* & docet præter alios communiter Abbas *in cit. cap. consuluit, num. vltimo, & cit. cap. Bona, eodem tit. & cap. considerauimus, de elect. n. 1.*

23 Effectus autem deuolutivus consistit in eo, quod iudex, ad quem appellatur, priorem iudicem inhibere; & ipse ad se deuolutam causam cognoscere, ac definire possit, *in cit. cap. si à iudice, & cit. cap. non solum, de appell. in 6.* & docent communiter Doctores.

ADVERTENDA.

24 Aduerte tamen hîc primò, quod interdum appellatio non operetur effectum suspensivum, vt cum appellatur à sententia excommunicationis, vel similis censuræ, quæ (si absolutè in aliquem inflicta fuerit) executionem rei iudicatæ secum trahit, *cap. Pastoralis, §. verùm, de appell.* Et tradit præter alios Abbas *ibid. n. 16.* Operatur tamen in tali casu effectum deuolutivum; vt scilicet iudex recipiens appellationem, seu querelam, causam, & iustitiam inflictæ excommunicationis cognoscat. Glossa *in cit. §. verùm, verbo cùm executionem.* Abbas *in cap. consanguin. de sent. & re iudic.*

25 *n. 9.* & alij communiter; præterquam quod sententia declaratoria, per quam iudex pronunciat, quod quis in excommunicationem inciderit, per appellationem etiam suspendatur; itavt interim excommunicatus non sit necessariò euitandus. Nauarr. *cons. 6. de sent. excommunic. n. 2.* & alij passim.

26 Aduerte secundò, quod intra triginta dies à die latæ sententiæ numerandos, si infrà decennium appellatum fuerit, literæ, seu apostoli instanter peti debent à iudice, à quo appellatur, ad iudicem, qui de appellatione cogniturus est; alioquin qui appellauit, spectato iure communi, renunciasse appellationi censetur, *l. iudicibus, C. de appell. Clement.* Quamvis rigor, *eodem titulo, & cap. ab eo, de appell. in 6.* Quæ literæ ex Glossa *in cap. 1. de appell. in 6.* sunt vel *dimissoriæ*, quibus Iudex appellationi defert; & causam ad superiorem ablegat; vel sunt *refutatoriæ*, quibus appellationi non defert, sed appellationem iniquam esse contendit; vel sunt reuerentiales, quibus defert quidem, sed non tam propter meritum causæ, quàm propter reuerentiam superioris, ad quem appellatur.

27 At in appellatione extraiudiciali, propter grauamen scilicet illatum, vel inferendum instituta, literæ, seu apostoli peti solent, si sit qui eos dare possit, aliàs non. Glossa *in cit. cap. 1. de appell. in 6.* & Abbas *in cit. cap. Bona, n. 8.*

28 Aduerte tertiò, quod si quis in præsentia iudicis appellare non potest, appellare tamen possit coram Notario, vel coram duobus viris honestis, qui Notarij vicem supplent: ita Abbas *in Clem. si à iudicibus, de appell. n. 4.* & alij passim.

29 Aduerte secundò, quod totum tempus exercendæ, & finiendæ appellationis sit annus; sin verò impedimenti causa contigerit, sit biennium, intra quod temporis spatium appellans curare debet, quod causa apud iudicem appellationis terminetur, alioquin sententia prioris iudicis (si appellatio iudicialis fuerit) transibit in rem iudicatam, *cap. cùm sit Romana, & Clement. sicut, de appellat. & etiam Auth. ei qui, Cod. de temper. & reparat.*

Aduerte quintò, quod si appellans appellationem suam non prosequatur, hoc non obstante, iudex ad quem causa deuoluta fuit, in ea procedere possit; quia nemo cum alterius præiudicio consilium suum mutare potest; qua de re Abbas *in cap. ex parte 1. 2. de rescript.* 30

Aduerte sextò, quod Iudex secundùm ius canonicum, si parti litiganti suspectus sit, eo quòd v.g. Partis aduersæ consanguineus est, recusari possit, & tunc ex communi consensu statuendi sint arbitri, qui recusandi causam, an ea sit iusta, necne, videant, & cognoscant, & si iusta causa suspicionis, atque recusationis videatur, tunc cognitio ad superiorem iudicem ablegan-da; vel cum consensu recusantis alteri committenda erit, *cap. cùm speciali, de appell.* & ibi Doctores. 31

Aduerte septimò, quod appellationi similis sit querela simplex, quæ ad superiorem interdum defertur ob denegatam iustitiam ab inferiore iudice debitè requisito, modò causa cœpta non fuerit: Alioquin si in eius processu iustitia denegetur, vel causa nimis protrahatur, appellationi locus erit: sic Doctores, quos sequitur Gaill. *lib. 1. obseru. 27. n. 3.* 32

Aduerte octauò, quod Iudex, si negligens fuerit, litem suam faciat, & ad damna parti læsæ illata condemnari debeat; quin si magna fuerit Iudicis negligentia, etiam ab officio remoueri possit, DD. iidem, quos sequitur Gaill. *vbi suprà, n. 7.* 33

Aduerte nonò, quod qui iniustè appellat, scilicet vt tempus exequendæ sententiæ differat, teneatur ad expensas litis, & ad alia damna parti aduersæ illata; Quinimò puniri etiam possit propter illatam calumniam: ita Doctores communiter, præsertim Abbas *in cap. 2. n. 1. & in cap. de priore, n. 7. de appellat.* 34

Quod adeò verum est, vt & peccet etiam superior, si deferat appellationi, quæ nulli probabili rationi nititur, sed manifestè friuola, & iniusta est. Abbas *in cit. cap. de priore, n. 2.* Quapropter in tali casu pars aduersa (quando ipsius interest) etiam instare poterit, quod Iudex, ad quem à sententia diffinitiua appellatum fuit, eam prosequatur, scilicet ad maiorem confirmationem causæ suæ. Abbas *in cap. accepta, de appell. n. 4.* & alij passim; alioquin verò si rei conuenti non interesse videatur, sufficit consensus actoris, vt causa ad iudicem, à cuius v. g. interlocutoria sententia appellatum fuit, remitti possit: ita Doctores communiter cum Glossa *in eodem cap. accepta.* 35

Aduerte decimò, quod quæ de appellatione extra, & intra Iudicium, ac de Iudicis suscepti recusatione dixi, locum etiam habeant in causis Regularium, modò manifestum sit, quod hi (non tamen leuiter) grauentur, seu iniuriam patiantur; *cit. cap. de priore, & cap. licèt, de Offic. Ordinar.* Alloquin verò denegabitur eis appellatio, ne prætextu appellationis à Prælatorum suorum obedientia, quam voto promiserunt, se facilè subtrahant, & subducant, *cap. reprehensibilis, cap. ad nostram, & cap. cùm speciatim, de appellat.* Et etiam videri præter alios poterit Sanchez *lib. 6. moral. cap. 8. q. vltima.* 36

PETITIO XX.

An reus, si sit Regularis, licitè possit propter delicta grauia condemnari, & mitti ad triremes? Vbi etiam, an licitè possit ex eis fugere?

RESpondetur: de hac re vide *infrà dub. 236. sect. 27. Petitione 18.*

PETITIO XXI.

An & quomodo contra reum, præsertim si sit Regularis, iudicialiter procedatur?

Respondeo: Proceditur tripliciter, via scilicet accusationis, denunciationis, vel inquisitionis: De prima dixi *suprà dub.* 181. De 2. dixi *dub.* 182. & de tertia dixi *dub.* 184.



DVBITATIO CCXVIII.

Quidnam dicendum de blasphemia?

SECTIO I.

Supposita.

SVMMARIVM.

1 *Blasphemia, licèt si vocis significatio spectetur, non sit aliud, quàm maledictio, seu conuitium, vel contumelia: communiter tamen sumitur non pro quolibet verbo contumelioso, sed pro eo, quod tendit contra Deum.*

2 *Blasphemia est maledictio, seu verbum contumeliæ, vel conuitij, siue locutio per modum contumeliæ, vel conuitij contra Deum.*

3 *Blasphemia propriè non est contumelia prolata contra sanctos, nisi aliquo modo prolata fuerit contra Deum, cum in sanctis maledicatur Deus.*

4 *Blasphemans non dicitur periurus, & è contra; non enim putat, quod Deus possit esse testis falsi, sed tantùm eum adducit in testem falsi.*

5 *Contumelia prolata contra Deum, est propriè blasphemia, contra Couarruuiam dicentem; eam esse*

6 *impropriè, & cur: ubi, quod ipse Couarruuias retractauerit suam sententiam, asserens proferentes in Christiana Republica verba contumeliosa contra Deum, & sanctos, esse verè blasphemos.*

7 *Blasphemia directè, & formaliter opponitur laudi Dei.*

8 *Blasphemia duplex est, una cordis, altera oris; sicut etiā laus cui opponitur, est duplex, & cordis, & oris.*

9 *Blasphemia, sicut & hæresis, consistit in intellectu, quamuis prauum voluntatis affectum formalem, vel virtualem requirat.*

10 *Blasphemia interior signis externis, præsertim verborum, manifestatur, & magis consummatur.*

11 *Item manifestatur, & consummatur etiam nutu, & factis aliquibus externis, quæ recensentur, inferentibus contumeliam Deo.*

12 *Adoratio, & laus Dei consistit in intellectu per piam affectionem moto, & ad cognoscendam, & confitendam Dei excellentiam applicato externis signis.*

13 *Blasphemia non est propriè dicta, sed materialis, si quis blasphemiæ verba proferat animo nec actualiter, nec virtualiter aduertente, v. g. in somno, & ebrietate, etiamsi ille sciuerit, se in somno, & ebrietate talia verba proferre, & nihilominus se somno dederit, vel inebriauerit.*

14 *Blasphemiæ malitia, item hæresis, & periurij in intellectu substantialiter perficitur; & ideo esse non potest actuale peccatum, præcisa intellectus aduertentia.*

15 *Blasphemia interna intellectus est executio, & quasi impletio internæ voluntatis, seu affectus blasphemandi, quamuis postea externo signo, præsertim verborum consummetur.*

16 *Furtum, vel homicidium mentale non est reuera furtum, &c. sed imputatiuè tantùm, & in hoc differunt à blasphemia, quæ licèt in intellectu, nihilominus est proprium blasphemiæ peccatum.*

17 *Blasphemia est quædam species contumeliæ, ad quam contumeliam requiritur scientia, & dolus: unde non censetur blasphemus qui in somno, vel ebrietate protulit verba contumeliosa, nisi in hac intentione se dederit somno, & ebrietati.*

19 *Idem dic de verbis blasphemis ex praua consuetudine prolatis, quam quis extirpare non curat ante rationis animaduersionem; quamuis contineant grauem irreuerentiam, seu irreligiositatem materialem.*

20 *Blasphemia est peccatum ab infidelitate distinctum; quia infidelitas est erroneus assensus, seu erroneè, vel falsò assentire contra fidem: At blasphemia mala verba proferre contra Deum, etiam præciso assensu.*

21 *Blasphemia peccatum permansiuè in fidelibus locum habet (non sic peccatum hæresis) quia non fidei, sed Religionis virtuti opponitur; quia Religionis est honorem, & dignitatem Dei tueri.*

22 *Limita, prædicta intelligi debere de blasphemia propriè sumpta, quatenus scilicet versatur contra Deum, & contra sanctos in ordine ad Deum, non ad sanctos præcisè sumptos.*

23 *Blasphemia frequenter nascitur ex infidelitate, & aliis peccatis, quæ contra Deum committuntur, vel cum iis uno, eodemque actu coniuncta est.*

24 *Hæreticus v. g. Arrianus ex falsa persuasione, quam de Dei filio habet, facilè prorumpit in blasphemiam, negando scilicet eum esse eiusdem substantiæ cum Deo patre, quod repugnat diuersa habitudine fidei, & Religionis virtuti.*

25 *Catholicus si aduersùs Christum, vel Religionē Christianam exteriùs tantùm abneget, is non solùm deficit in externa fidei confessione, sed etiam blasphemat.*

26 *Desperatio non solùm est causa, seu radix blasphemiæ, sed etiam cùm quis in verba desperationis prorumpit, actu ipso blasphemat.*

27 *Odium Dei non solùm est causa, seu radix blasphemiæ, præsertim in damnatis; sed etiam ipsamet odij erga Deum significatio; præsertim per verba, expressio, & manifestatio est quædam blasphemia, seu maledictio Dei.*

28 *Blasphemia dupliciter diuiditur, hoc est in directam & in indirectam.*

29 *Blasphemia directa reperitur in infidelibus, seu non credentibus; aliquando in credentibus Deum esse, sed Dei misericordiam desperantibus.*

30 *Blasphemia indirecta est cum quis scienter, ac seriò profert verba, quæ vel ex propria significatione, vel ex modo proferendi, vel ex aliis circumstantiis diuini honoris diminutionem continent, licèt is blasphemiam directè non intendat.*

31 *Blasphemia contingit dictis duobus modis, v. g. directè, & indirectè: directè volendo diminutionem, seu derogationem Diuinæ Maiestatis, & bonitatis, sicut volunt damnati. Indirectè verò, cum quis Deum blasphemat, non quidem directè volendo talem diminutionem, sed cum tali modo, & circunstantiis in actu exercito significando diminutionem, seu derogationem Diuinæ Maiestatis.*

32 *Blasphemia non præexigit necessariò directam voluntatem derogandi, seu diminuendi Diuinam Maiestatem, sed tantùm indirectam.*

33 *Blasphemiæ peccatum rarò committeretur, si necessariò requireretur directa voluntas derogandi Diuinæ Maiestati.*

34 *Blasphemia omnis, licèt sit à mala voluntate, non tamen omnis blasphemia oritur ex mala voluntate derogandi, seu diminuendi Diuinæ Maiestati, & Bonitati.*

33 *Credere licet sit voluntarium, non tamen credere semper oritur à voluntate affecta Diuina Charitate: & similiter blasphemia potest esse sine peruersa directa voluntate.*

36 *Blasphemia, quæ oritur ex volūtate non affecta intentione*

tione directa derogandi, seu diminuendi diuinam maiestatem & bonitatem, retinet quidem rationem blasphemiæ, dicitur tamen informis, & non ex omni parte perfecta, cum desit ipsi ratio intrinseca odij contra Deum.

37 *Fides absque charitate licèt sit perfecta, & propria fides intra suā naturam, & rationem; dicitur tamen imperfecta, & informis; quia non est coniuncta cum charitate.*

38 *Blasphemia dupliciter diuiditur, hoc est in eam, quæ est absque iuramento, & in eam, quæ est cum iuramento, atque peruerso, vt si quis iuret per idolum, vel per falsum Deum, necnon execrando, & sperando.*

39 *Blasphemia adhuc bipartitur, videlicet in eam, quæ est in Deum, & in eam, quæ est in Sanctos.*

40 *Deus sicut laudatur in Sanctis suis, ita & in ipsis blasphematur, quapropter vtraque blasphemia, tam in Deum, quàm in Sanctos censetur esse eiusdem speciei, vtraque enim continet tandem rationem malitiæ.*

41 *Limita in casu, quo quis maledicat Sanctis, quatenus Sancti, & Beati sunt, seu cum habitudine saltem virtuali ad Deum.*

42 *Secus si maledicat, siue contumeliā inferat Sanctis cum Christo regnantibus, non vt Sancti, siue Beati sunt, sed vt quidam viri in terris fuerunt, quibus tunc excellentia sanctitatis accidentalis est, v. g. de sancto Crispino, & Crispiniano, quod fuerint sutores, & sic de singulis; non enim tunc est peccatum blasphemiæ contra Religionem, sed tantum contra obseruantiam Religioni annexam. Et ob paruitatem materiæ tantum veniale, si non fiat ex odio, vel indignatione.*

43 *Contumeliam inferens in sacramenta Dei, vel in quascunque alias res sacras, verè, & propriè adhuc blasphemat: sicut enim cultus illarum, ita & blasphemia redundat in Deum illarum authorem.*

44 *Maledicens creaturis in hoc mundo existentibus rationalibus, vel irrationalibus, quatenus creaturæ Dei sunt, siquo cum habitudine etiam ad ipsum Deum, verè, & propriè blasphemat, sed plerunque blasphemia non consistit defectu intentionis inhonorandi Deum; secus autem maledicendo rebus sacris, si id comprehendatur ex verbis prolatis.*

45 *Creaturis irrationalibus quatuor modis maledici potest.*

46 *Maledictio in creaturas irrationales non est vera, & propria blasphemia, nisi referatur in Deum.*

47 *Maledictio creaturarum quatenus spectāt ad homines, vel eorum vsum, est blasphemia. Duplex enim ista maledictio dicitur, & quæ fit per imperium efficax, & inefficax, & quando sit peccatum mortale, vel non.*

49 *Maledictio per exaggerationem olim in plancta satis vsitata ad significandam animi mœstitiam, quandoque non est peccatum mortale, si fiat in odium, & detestationem peccati.*

49 *Maledictia in creaturas irrationales si absolutè spectentur, saltem est actus otiosus; nisi inordinatus affectus, ira, & impatientia admisceatur, & tunc ad minus est veniale.*

50 *Blasphemia diuiditur etiam in blasphemiam hæreticalem, & in blasphemiam simplicem.*

51 *Blasphemia hæreticalis est quæ falsitatem continet, dum Deo tribuitur quid quod ipsi non cōuenit, v. g. esse iniustum, personarum acceptatorem, crudelem, &c. Vel negatur de eo quid quod ipsi conuenit, vt non esse misericordem. Vel dum creaturæ tribuitur quid quod Deo propriū est, vt si mulier amasium Deū suum appellet.*

52 *Blasphemia hæreticales, non est necesse, quod coniungantur infidelitati, vel hæresi, sunt etiam in dæmonibus, hominibus damnatis, & malis Christianis locum habeant: dicuntur tamen hæreticales, quia cum hæresi similitudinem habent.*

53 *Blasphemia simplex est, quæ non per modum enunciatiuum, sed per modum optatiuum, vel imperatiuum concipitur, v. g. vtinam non sit Deus, &c. vel per modum indignationis, vel despectionis aduersus Deum, vt per Crucem, per Corpus, per Sanguinem, licèt id quod verum est de Deo, enuncietur.*

54 *Blasphemia ad essentialem rationem nihil refert, vtrum quis expressè, vel tantum implicitè enunciet de Deo, quod falsum est, vel enunciet de Deo, quod verum est per modum indignationis, vel desperationis in Deum; vide ibi exempla allata.*

55 *Blasphemia propriè non est quod quis in ira, vel rixa cum aliquo enunciat quid de Deo explicitè, vel implicitè, quod verum est, v. g. crux, passio, sanguis, corpus, vel vulnera Dei, &c. nisi assistat indignatio tendat contra Deum, sed tantum contra hominem, aut contra iumentum.*

56 *Proferre talia verba in ira, vel rixa temerè, licèt non sit propriè blasphemia, quia non tendit contra Deum, est tamen peccatum cuiusdam irreligiositatis, siue sacrilegij, altero decalogi præcepto prohibitum, veniale tamen, ex quo venit pœnitens absoluendus, licèt talem consuetudinem deponere nolit.*

57 *Blasphemandi recensita consuetudo ob scandalum, vel periculum formalis blasphemiæ mortalis fieri potest; ideoque pœnitens à tali irreligiositate alienari debet.*

SVppono, quod licèt blasphemia, si vocis significatio 1
spectetur, non sit aliud, quàm maledictio, seu verbum conuitij, vel contumeliæ. Communiter tamen sumatur non pro quolibet verbo contumelioso, sed pro eo verbo solo, quod tendit contra Deum: sic Doctores communiter ex Augustino *lib. 2. de morib. Manichæorum, c. 11.* ibi: [Est autem blasphemia, cùm aliqua mala dicuntur de bonis; itaque iam vulgò blasphemia non accipitur, nisi mala verba de Deo dicere: De hominibus namque dubitari potest, Deus verò sine controuersia bonus est.] Quapropter ex Bannez 2. 2. q. 13. *art.* 1. & Suar. *tom. 1. de relig. tract. 3. lib. 1. c. 4. n. 1.* blasphemia sic rectè definiri
potest: *Est maledictio, siue verbū contumeliæ, vel conuitij,* 2
siue locutio per modū contumeliæ, vel conuitij contra Deum.

Non obstat, si dicas: Blasphemia est etiam contra 3
Sanctos: Ergo talis definitio non est bona.

Respondetur enim, quod ideò nonnulli, vt Nauarrus *in sum. cap. 12. n. 81.* & Turrianus *2. 2. disp. 38. dub. 1.* addunt in prædicta definitione, *vel contra Sanctos.* At reuera necesse non est id addere; quia contumelia prolata contra Sanctos non est propriè blasphemia, nisi aliquo modo prolata fuerit contra Deum, cùm in Sanctis maledicatur Deus, vt *infrà* dicetur.

Non obstat 2. si dicas: Si vera esset definitio tradita 4
blasphemiæ, sequeretur quod omne periurium sit blasphemia; cùm periurans afferat Deum tanquam testem falsi, eique attribuat, quod ei nullo modo conuenit.

Respondetur enim, nego sequelam antecedentis; quia periurans non est blasphemus, eo quòd non affirmat de Deo aliquid, quod Deo non conuenit: Non enim putat, quod Deus possit esse testis falsi, sed affert Deum in testem falsi, sperans quod Deus super illa re, quam ipse falsò iurat, non sit per signum aliquod exterius testificaturus, quod ipse iurans iuret falsum.

Non obstat 3. si dicas: Couar. *part.* 1. §. 7. *n.* 8. cum 5
nonnullis grauis notæ Doctoribus docet, quod propriè contumelia sit, qua affirmatur Deo inesse aliquid, quod non inest, vel non inesse aliquid, quod inest; & qua tribuitur creaturæ aliquid, quod est proprium Dei, contumelia verò prolata contra Deum non sit propriè blasphemia, sed duntaxat impropriè: Ergo minùs rectè definitur blasphemia, quod sit maledictio, siue verbum contumeliæ, vel conuitij, siue locutio per modum contumeliæ, vel conuitij contra Deum.

Respondetur enim, minùs rectè Couarruuiam negare, quod contumelia prolata contra Deum sit propriè blasphemia; quia probabilius est, quod etiam omnis contumelia, vel conuitium prolatum contra Deum, sit propriè blasphemia: continet enim irreligiositatis malitiam contra Deum, eiusque honorem, & dignitatem;

& per huiusmodi verba contumeliosa inhonoratur
Deus, & diminuitur eius honor, & dignitas: Quapro-
pter etiam in verbis contumeliosis contra Deum inest
propria, & vera malitia blasphemiæ; nec Couarruuias
persistit in illa sententia, cùm paulò post fateatur, se
reuera putare, quod etiam proferentes verba contume-
liosa contra Deum, & contra Sanctos in Republica
Christiana sint verè blasphemi, & plectendi eisdem pœ-
nis, quibus plectuntur cæteri verè blasphemi. Idque ex-
pressè affirmant etiam Bartolus *in l. apud Labeonem,
§. conuitium, ff. de iniuriis, & in l. iniuriarum, §. sed adji-
citur, & §. ait prætor, n. 4. ff. eodem,* Socin. Senior *lib. 4.
cons.* 119. Clarus *in §. blasphemia, in principio.* Mascard.
de probat. lib. 1. concl. 193. num. 3. & seqq. Decian. *in
tract. crim. part. 2. lib. 6. c. 2. n. 3,* Albert. *in tract. de agno-
scend. assert. q. 27. n. 1.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. centur. 4.
cas. 375. n. 16.* & Bossius *in titul. de Inquis. num. 130. &
seqq.* & clariùs patebit ex iis, quæ dicam *infr. sect. 3.*
7 Hinc sequitur primò, quod blasphemia directè ac
formaliter opponatur laudi Dei: sicut igitur laus Dei
8 duplex est, vna interna, siue mente concepta, altera ex-
terna, siue verbis prolata; ita etiam & blasphemia
vna est cordis, altera oris. S. Thom. *2. 2. q. 13. art. 1. in
corpore,* quem sequuntur communiter Doctores.
9 Sequitur secundò, quod blasphemia, sicut & hæresis,
consistat in intellectu, quamvis prauum voluntatis af-
fectum formalem, vel virtualem requirat; cùm nullum
sit peccatum, nisi sit voluntarium, vt in prima secundæ
communiter docent Doctores.
10 Externis porrò signis, præsertim verborum, interior
11 blasphemia manifestatur, & magis consummatur. Dixi,
præsertim verborum: Quia si quis nutu, vel alio facto
externo, v. g. terram pedibus conculcando, vel in cœlum
expuendo, aut lapides projiciendo, vel Sanctorum Ima-
gines lacerando, prosternendo, aut expuendo, vel san-
ctissimam Eucharistiam, tanquam panem communem,
& vsualem, in communi mensa comedendo; aut cani-
bus projiciendo, &c. Deo contumeliam inferat, erit pec-
catum à blasphemia essentialiter non distinctum, sed ad
eam reducendum: sic Doctores, quos sequitur Suarez
de relig. tom. 2. tract. 3. lib. 1. cap. 4. n. 3. & seqq.
12 Idemque proportionaliter dici poterit de adoratio-
ne, & laude Dei, quod scilicet & adoratio, & laus Dei
etiam consistant in intellectu per piam affectionem
moto, & ad agnoscendam, & confitendam Dei excellen-
tiam applicato; externis autem signis similiter, præser-
tim verborum, manifestentur, ac magis consummentur.
13 Sequitur tertiò, quod si quis blasphemiæ verba pro-
ferat animo nec actualiter, nec virtualiter aduertente,
verbi gratiâ in somno, vel ebrietate, &c. non sint bla-
sphemia propriè dicta, sed tantùm blasphemia materia-
lis, nihil obstante, quod ille sciuerit, se in somno, vel
in ebrietate, &c. Talia verba proferre consueuisse, & ni-
hilominùs se somno dederit, vel inebriauerit, &c. sic
14 Doctores, quos sequitur Vasquez 2. 2. *disp. 127. cap. 5.*
Quia malitia blasphemiæ (sicut & malitia hæresis, ac
periurij) in intellectu substantialiter perficitur; qua-
propter esse non potest actuale peccatum blasphemiæ,
sicut & hæresis, & periurij, nisi concurrente intellectu,
qui actu, vel virtute aduertat ad verba, quæ ore pro-
nunciantur: sic Doctores, quos sequitur Suar. *loco sup.
15 citat. c. 4. n. 2. & c. 6. n. 11.* Quatenus aiunt, quod ipsa
blasphemia interna intellectus sit executio, & quasi im-
pletio internæ voluntatis, seu affectus blasphemandi;
quamvis postea externo signo, præsertim verborum,
magis, sed accidentaliter tantùm, consummetur; non
ita verò res se habet in fornicatione, furto, homicidio,
& similibus peccatis, quæ externo opere consummari
16 dicuntur. Iterùm enim vnica executio consistit in ex-
terna actione. In animo autem tantùm consistit inten-
tio, ac desiderium eorum, ita vt dici possit, quod men-
tale furtum, vel homicidium, &c. non sit furta, sed
imputatiuè tantùm furtum, vel homicidium, &c. At
verò mentalis blasphemia (sicut & mentalis hæresis,
vel mentale periurium, & similia peccata, quæ in in-
tellectu consistunt) sit verè ac propriè peccatum bla-
sphemiæ, sicut & hæresis, ac periurij, &c.
Confirmatur, quia blasphemia est species quædam 17
contumeliæ; sed ad contumeliam requiritur scientia,
ac dolus, iuxta textum *in l. 5. ff. ad leg. Aquil.* cùm
non contemnat is, qui ignorat, vti colligitur ex textu
in l. si ignoras, ff. locati: Quapropter contumeliam Deo, 18
vel homini intulisse censeri non debet is, qui verba
contumeliosa in somno, vel in ebrietate protulit, nisi
ea ipsa intentione se somno dederit, vel inebriauerit,
vel scilicet conuitia in Deum, vel hominem proferre
posset.
Et quod dixi de dispositione somni, vel ebrietatis, 19
idem eadem ratione dici debet de verbis blasphemis,
quæ ex praua consuetudine, quam quis extirpare non
curat, ante rationis animaduersionem proferuntur,
quod scilicet neque ista sint verè, ac propriè peccata
blasphemiæ. Nauar. *in summa, cap. 12. num. 84.* & alij,
quos sequitur Turrian. *in 2. 2. disp. 58. dub. 2.* quamvis
contineant grauem irreuerentiam, siue irreligiositatem
materialem. Ideoque reprehensionem, & pœnam me-
reantur, non quod in se, & formaliter sint peccata,
sed quia sunt praui effectus peccatorum, nempe volun-
tariæ consuetudinis, vel ebrietatis, &c. quam homo
etiam propterea deuitare debebat; cùm præuiderit,
quod sint causa, & quasi semen consequentium bla-
sphemiæ verborum, quæ proinde ipsi indirectè, seu in
causa voluntaria censentur. Vide quæ dicentur infrà
diffusiùs *sect. 2. corollar. 2. & sect. 9. & sect. 17.*
Sequitur quartò, quod blasphemia sit peccatum ab 20
infidelitate distinctum; quia infidelitas est erroneus
assensus, seu erroneè, vel falsò assentire contra fidem.
Blasphemia autem est mala verba proferre contra
Deum, ad quod assensus non requiritur; quemadmo-
dum etiam quempiam latronem, vel furem possum vo-
care per contemptum, rectè sciens, talem illum reuerà
non esse. Item possum malum aliquod eidem impreca-
ri non sine contumelia, sed absque intellectus errore, seu
absque falso aliquo assensu: Quapropter blasphemiæ 21
peccatum (non sic peccatum hæresis) permansivè, vt
ita dicam, in fidelibus etiam locum habet; quia non
fidei, sicuti peccatum hæresis, sed religionis virtuti,
cuius est Deum, Sanctosque venerari, opponitur,
vti suprà dicebam, & docent Sotus *de iust. & iur. lib. 2.
quæst. 3. art. 11. & quæst. 4. art. 3.* Saytus *in claui Regia,
lib. 6. cap. 13. n. 1.* Petr. de Ledesma *2. tom. summa, tract. 1.
cap. 9. notab. 3.* Vasq. *de adorat. Imagin. lib. 1. disp. 6. cap. 4.*
Bannez *2. 2. quæst. 13. art. 1. notab. 3. & art. 2.* Azorius
tom. 1. Instit. moral. lib. 9. cap. 28. quæst. 1. Suarez *tom. 1.
de relig. tract. 3. lib. 1. cap. 4. circa finem,* Catechismus
Romanus *in fine 2. præcepti,* & Valentia *2. 2. disput. 1.
quæst. 13. punct. 2.* Quia religionis est honorem, &
dignitatem Dei tueri: ergo blasphemia, quæ honorem,
& dignitatem Dei diminuit, opponitur religioni: tum
quia si quis factis Deum inhonoraret, peccaret contra
Religionem: ergo & qui verbis (quemadmodum facit
blasphemus) Deum inhonorat, peccabit etiam contra
Religionem.
Quod tamen intellige de blasphemia propriè sumpta, 22
quatenus scilicet versatur contra Deum, vel contra San-
ctos in ordine ad Deum; quia & contumelia prolata
contra Sanctos, non vt sunt quid Dei, sed vt sunt excel-
lentes quædam personæ, propriè non opponitur virtuti
Religionis, sed obseruantiæ (cuius est Sanctis deferre
eam reuerentiam, quæ illis debetur) quamvis & hæc
virtus sit etiam Religioni annexa. Vasq. *loco suprà cit.*
Valentia *cit. q. 13. punct. 2.* & Sanch. *lib. 2. moral. c. 32.
n. 7. & 27.* Licèt alij, quos sequitur Suar. *cit. lib. 1. c. 5.
n. 6.* probabiliter velint, quod & contumelia prolata
contra Sanctos, etiam vt sunt excellentes quædam per-
sonæ, habeat veram rationem blasphemiæ.

Suppono

23 Sppono secundò, quod blasphemia frequenter ex infidelitate,& aliis peccatis,quæ contra Deum committuotur, nascatur, vel cum iis vno, eodemque actu con-
24 iuncta sit, ita vt infidelitas fit causa, seu radix blasphemiæ : nam hæreticus, v.g. Arrianus,ex falsa persuasione, quam de Dei filio habet, facilè prorumpit in blasphemiam,negando scilicet eum esse eiusdem substantiæ cum Deo patre : quæ locutio diuersa habitudine,& fi-
25 dei, & religionis virtuti repugnat : Item si Catholicus aduersus Christum, vel Religionem Christianam exteriùs tantum abroget, is non solùm deficit in externa fidei confessione, sed etiam blasphemat ; sicuti de sancto Petro Christum negante docent communiter Doctores ex S.Thoma *quodlib.6. q.7. art.14.*

26 Similiter desperatio non solùm est causa, seu radix blasphemiæ (cum homines à blasphemando timore pœnarum inferni se abstinere soleant : vnde postquam desperarunt, quod pœnas illins euasuti non sint, feruntur ad omne id, quod ipsis peruersa voluntas suggerit, sicuti de damnatis Deum blasphemantibus docent communiter Doctores ex S.Thoma *q.13. art.4.ad 1.*) Sed etiam cùm quis in verba desperationis prorumpit, actu ipso blasphemat ; quia derogat veracitati, bonitati, & potentiæ Dei: sic Doctores, quos sequitur Suarez *citato lib.1.cap.6. num.9.*

27 Similiter etiam odium Dei non solùm est causa, seu radix blasphemiæ (præsertim in damnatis) quia pronus est quisquis ei, quem odit, maledicere, sed etiam ipsamet odij erga Deum significatio (præsertim per verba) expressio, vel manifestatio, est quædam blasphemia, seu maledictio Dei. Vide Doctores, quos sequitur idem Suarez *loco suprà citato.*

28 Suppono 3. quod blasphemia diuidatur in eam, quæ est cum intentione inhonorandi Deum directa, & in eam, quæ est cum intentione inhonorandi Deum indirecta, seu virtuali.

29 Prior per se patet, & præcipuè reperitur in infidelibus,seu non credentibus aliquando ; etiam reperitur in credentibus Deum esse,sed Dei misericordiā desperantibus, vel ob iustitiæ vindictam, odio, ac indignatione Deum persequentibus,quod dānatis maximè conuenit.

30 Posterior est, cum quis scienter,ac seriò profert verba,quæ vel ex propria significatione,vel ex modo proferendi, vel ex aliis circunstantiis diuini honoris diminutionem contineot. Quamvis is blasphemiam directè non iotendat : qualis blasphemia, licèt sit minùs grauia, est tameo verè, ac propriè blasphemiæ peccatum, tametsi intentionem inhonorandi Deum directam non inuolvat, quemadmodum etiam ad peccatum veræ, ac propriæ detractionis, vel contumeliæ in hominem, non requiritur directum, seu formale nocendi propositum, sed sufficit indirectum, seu virtuale. S.Thom. *cit.quæst.13.art.1.ad 1.* Caietan.*ibidem verb. quoad tertium*, & alij, quos citat, & sequitur Valentia *cit.q.13.punct.1.§.2.aduertendi*, & Sanchez *lib.2. moral. cap.32. num.2.*

31 Duobus igitur modis blasphemia contingit. Primò, cum quis Deum blasphemat, directè volendo diminutionem,seu derogationem diuinæ maiestatis,& bonitatis, quo modo blasphemat damnatus. Secundò, cum quis Deum blasphemat, non quidem directè volendo talem diminutionem, seu derogationem diuinæ maiestatis, & bonitatis, sed cùm tali modo, & circunstantiis blasphemat, vt tali locutione in actu exercito significet diminutionem, seu derogationem diuinæ maiestatis, & bonitatis.

32 Et quamvis nonnulli velint, quod ad blasphemiam necessariò requiratur directa voluntas derogandi, seu diminuendi diuinam maiestatem, & bonitatem. Probabiliùs nihilominus est, quod necessariò non requiratur talis voluntas directa, sed satis sit tantùm indirecta.

33 Primò, quia si necessariò requireretur talis voluntas directa, raró committeretur peccatum blasphemiæ ; quia rarò homines conjiciunt verba contumeliosa contra Deum cum directa voluntate derogandi, seu diminuendi diuinam maiestatem, & bonitatem ; sed ex ira, & impatientia prorumpunt in huiusmodi verba contumeliosa contra Deum.

Secundò, quia licèt omnis blasphemia sit à mala 34
voluntate (cùm omne peccatum necessariò sit voluntarium) non tamen omnis blasphemia oritur ex mala voluntate derogandi, seu diminuendi diuinam maiestatem, & bonitatem (vti rectè præter alios adnotauit Caietanus 2.2.*q.13.art.1.vers.quoad tertium, & art.3. ferè circa principium.* Ergo ad rationem blasphemiæ non necessariò requiritur, quod procedat ex directa voluntate derogandi, seu diminuendi diuinam maiestatem, & bonitatem.

Tertiò à pari ; quia licèt credere sit voluntarium, 35.
non tamen credere semper oritur ex voluntate affecta diuina charitate : Ergo similiter, licèt blasphemare sit voluntarium, non tamen blasphemare semper oritur à peruersa voluntate derogandi, seu diminuendi diuinam maiestatem, & bonitatem, seu gloriam, & dignitatem; sed quemadmodum fides potest esse sine charitate, similiter sic blasphemia poterit esse sine hac peruersa directa voluntate.

Hinc blasphemia, quæ oritur ex voluntate non affe- 36
cta intentione directa derogandi, seu diminuendi diuinam maiestatem, & bonitatem, retinet quidem rationem blasphemiæ ; dicitur tamen informis, & non ex omni parte, vel capite perfecta ; quia non procedit ex odio contra Deum, sed procedit solùm ex ira, vel ex alia animi passione praua ; & quamvis sit perfecta intra rationem, & naturam blasphemiæ ; quia tamen deest ipsi ratio extrinseca odij contra Deum,dicitur ex capite informis, & imperfecta : Altera verò blasphemia dicitur formata,& perfecta,quia nimirum procedit ex odio contra Deum. Ita Bannez *in 2.2.q.13. art.1. notab.4.* Petr.de Ledesma *in sum.tom.2. tract.2. cap.9. concl.4.* & alij, quos sequitur Sanchez *lib.2.moral. cap.32.n.2.*

Quemadmodum & fides absque charitate, licèt sit 37.
perfecta, & propria fides intra naturam, & rationem fidei : dicitur tameo imperfecta, & informis, quia oon est coniuncta cum charitate.

Diuiditur 2. blasphemia in eam, quæ est absque iu- 38
ramento, & in eam quæ est cum iuramento,eoque peruerso, vt si quis v.g. iuret per idolum, vel per falsum Deum,vel per creaturam,absque ordine ad Deum creatorem. Sot.*de iust.& iur. lib.8. q.1. art.6.& q.2. art.3.* & alij,quos citat,& sequitur Sanch. *cit.cap.32. n.9.& seqq.* Item si quis proferat iuramentum execratorium cum despectu Dei, v. g. dicat : *Non viuat Deus*, vel *pereat Deus, nisi hoc verum sit.* Couar. *in cap. quamvis pactum,part.1.§.7.n.13.* & alij, quos citat, & sequitur Sanch.*loco suprà citato,n.24.& 28.* Item si iuret execratoriè per modum spernentis, v.g.*per Corpus Dei, per Capillos Dei*, quomodo intelligi debet textus *in cap.si quis 2. q.1. & in auth. vt non luxuriemur homines, collat.6.*& videri poterit Sot.*cit.q.1.art.6.& cit.q.2.art.3.*

Diuiditur 3. blasphemia in eam, quæ est in Deum, 39
& in eam,quæ est in Sanctos,*ex cap.2. de maledicis*, & communiter docent Doctores ex S Thom. *cit. q.13.*
art.1.ad 2. ibi : [Sicuti Deus in Sanctis suis laudatur, 40
in quantum opera, quæ Deus in Sanctis efficit ; ita & blasphemia,quæ fit in Sanctos,ex consequenti in Deum redundat ;] Quapropter vtraque blasphemia censetur esse eiusdem speciei, quia vtraque continet eandem rationem malitiæ, nempe diuini honoris diminutionem. Caietan.*cit.art.1.circa finem*, & alij quos sequitur Suarez *vbi suprà, cap.5. n.5.*

Quod tamen intellige,si quis maledicat Sanctis,qua- 41
tenus sancti, seu beati sunt, seu cum habitudine,saltem virtuali ad Deum, vti suprà dicebam, & docent communiter Doctores,quos citat, & sequitur Sanchez *loco*

suprà

*suprà citato, num.*27. Secus si maledicat, seu contumeliam inferat Sanctis cum Christo regnantibus, non vt Sancti, seu Beati sunt, sed vt quidam viri in terris fuerunt, quibus nunc excellentia sanctitatis accidentalis ast, vt si de sanctis Petro, & Andrea dicat, quod fuerint piscatores, de S.Matthæo quod fuerit Telonarius, de sanctis Crispino, & Crispiniano, quod fuerint sutores, vel de sanctis Ioanne & Paulo, quod fuerint Eunuchi. Quia tunc non est verè, & propriè peccatum blasphemiæ contra Religionem, cùm non redundet in Deum, sed est tantùm peccatum contra obseruantiam, cuius est sanctis deferre eam reuerentiam quæ illis debent, quamvis hæc virtus sit etiam Religioni annexa, sicuti etiam suprà dicebam, adeò quod talis contumelia, si non ex odio, vel indignatione contra Sanctos, sed ioco dicatur, sit peccatum tantùm veniale, ob parvitatem materiæ. Bannez *vbi suprà*, & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *loco suprà citato, num.*42.

43 Similiter etiam ob eandem rationem, si quis contumeliam inferat in Sacramenta Dei, vel in quascunque alias res secretas, verè & propriè adhuc blasphemat; quia sicuti cultus earum, ita & contumelia ipsis illata respectiua, & ad Deum illarum authorem redundans est. Vide Doctores, quos citat, & sequitur idem Sanchez *loco suprà citato, num.*22.

44 Quinetiam, si quis maledicat creaturis in hoc mundo existentibus, rationabibus, vel irrationabilibus, quatenus creaturæ Dei sunt, sicque cum habitudine etiam ad ipsum Deum, verè, & propriè adhuc etiam blasphemat; cum discrimine tamen, quod maledictio, seu conuitium prolatum in res sacras, vel in sanctos in cœlo existentes, censeatur referri in Deum (nisi circumstantiæ, & modus dicendi iudicent, quod à tali habitudine præscindatur.) At verò maledictio, seu conuitium prolatum in homines, vel in creaturas irrationales, non sacras, plerumque alia intentione, quàm intentione inhonorandi Dei, proferri censeatur.

45 Cæterùm creaturis irrationalibus quatuor modis maledici potest. S.Thom. 2.2. *q.*76. *art.*2. quem sequuntur communiter Doctores.

46 Primò, quatenus creaturæ Dei sunt, qua ratione ad veram, & propriam blasphemiam pertinet, quia contra Deum tendit, vt patet ex dictis. S.Thomas *vbi suprà, cor. art.*4. *ad* 1. Caietan. 2.2.*q.*13.*art.*1. Nauar. *in sum. cap.*12. *num.*87. *&* *cap.*23. *num.*117. Videri etiam poterit Toletus *lib.*4.*cap.*12.

47 Secundò, quatenus creaturæ ad dominium, vel vsum hominis spectant; cuiusmodi maledictio duplex est, vna per imperium efficax, quomodo Deus *Genes.* 30. maledixit terræ, & Christus *Marc.* 11. maledixit ficui. Altera inefficax per modum simplicis desiderij, quomodo homines maledicere solent bonis, & rebus eorum, quos oderunt (cùm talis maledictio ab odio imperetur) & tunc est peccatum mortale, nisi excuset parvitas materiæ, vel imperfectio actus.

48 Tertiò, per exaggerationem olim in planctu satis vsitatam ad significandam animi tristitiam, quæ ex mali alicuius euentu concepta fuerat: quo sensu Dauid 2.*Reg.*1. maledixit montibus Gelboë, vbi Saül, & Ionathas ceciderunt, *&* *Iob cap.*3. *Hieremias cap.*20. maledixerunt diei, in qua nati sunt, vel propter originale peccatum, quod, & cuius consequentes pœnalitates nascendo contraxerunt (vti docent complures cum S.Th. *art.* *q.*76. *art.*2.) vel quia attendendo præcisè ad molestias, quas homo interdum patitur, & seclusa voluntate Dei, & fructu patientiæ, meliùs iudicarent homini, si natus non fuisset: quo sensu loquitur Ecclesiastes *cap.*4. sicuti docent Molin. *de iust. & iur. tract.*4. *disp.* 22. *n.*9. & alij passim, & sic nullum est peccatum.

49 Quartò, quatenus creaturæ irrationales absolutè spectantur, & sic eis maledicere saltem est actus otiosus, præter quam quod inordinatus affectus iræ, ac impatientiæ admisceri soleat: quapropter ad minus videtur esse peccatum veniale. Videri poterit S.Thom. Caiet. Nauar. & Molina *in locis suprà citatis*.

50 Diuiditur 4. Blasphemia in Blasphemiam hæreticalem, & in blasphemiam simplicem: sic communiter Doctores.

51 Blasphemia hæreticalis est, quæ falsitatem continet, dum Deo tribuitur quid, quod ipsi non conuenit, v.g. esse iniustum, personarum acceptatorem, crudelem, &c. vel negatur de eo quid, quod ipsi conuenit, v.g. non esse misericordem, non esse prouidum, non curare res nostras, &c. vel dum creaturæ tribuitur quid, quod Deo proprium est, vt si mulier amasium, vel quis alius dæmonem Deum, vel Creatorem suum appellet, &c.

52 Vbi aduerte, non esse necesse, quod huiusmodi blasphemiæ infidelitati, vel hæresi coniungantur; cùm etiam in dæmonibus, hominibus damnatis, & malis Christianis (qui illas falsas, ac nefarias esse cognoscunt) locum habeant: Dicuntur tamen blasphemiæ hæreticales; quia cum hæresi similitudinem habent, & sæpè Christianum sic blasphemantem de hæresi suspectum reddunt: sic Doctores communiter, quos sequitur Finellius *de casib. reseru. cas.* 3. *n.*28.

53 Blasphemia simplex est, quæ non per modum enunciatiuum, sed per modum imperatiuum, vel optatiuum concipitur, v.g. *Vtinam non sit Deus*, vel *dispereat Deus, &c.* Aut quia id, quod verum est, de Deo enunciatur, sed tamen per modum indignationis, vel despectionis aduersus Deum, *Vt per Crucem, per Corpus, per Sanguinem, per Caput, vel vulnera Dei, &c.*

54 Vbi aduerte, nihil referre ad essentialem rationem blasphemiæ, vtrum quis expressè, vel tantùm implicitè enunciet de Deo, quod falsum est, vel enunciet de Deo, quod verum est, per modum indignationis, vel despectionis in Deum, vt si quis dicat: *O Deum iniustum, vel crudelem, &c.* (quæ hæreticales blasphemiæ sunt) vel cum indignatione, aut despectione in Deum dicat: *O Deum Crucifixum! ô Dei Corpus, Sanguis, Caput, Vulnera, &c.* sic Doctores, quos sequitur Suarez *loco suprà citato, cap.*5. *num.*7.

55 Aduerte 2. non esse propriè blasphemiam, quod quis in ira, vel rixa cum aliquo enunciat quid de Deo explicitè, vel implicitè, quod verum est, v. g. *Crux, Passio, Sanguis, Corpus, vel Vulnera Dei, &c.* Si affectus indignationis non tendat contra Deum, sed tantùm contra hominem, vel contra iumentum, cui quis irascitur (quod ex modo dicendi, aliisque circunstantiis colligi debet.) Caietanus *verbo blasphemia*, Armilla *eodem verb. num.*2. Nauar. *in summa, cap.*12. *num.*85. Sanchez *citat. cap.*32. Valentia *cit. puncto* 1. Etsi dissentiant nonnulli, quos sequitur Sanchez *citato lib.* 1. *capite* 6.

56 Cæterùm, quamvis talia verba facta in ira, vel rixa temerè, & irreuerenter sic proferre non sit propriè blasphemia, quia non tendit contra Deum (vti suppono.) est tamen peccatum cuiusdam irreligiositatis, siue sacrilegij, altero decalogi præcepto prohibitum, *cap.*5. *Deuteron. Non vsurpabis nomen Domini Dei tui*
57 *frustrà*. Veniale tamen (ita vt confessarius teneatur absoluere pœnitentem, tametsi talem consuetudinem, vtpotè non mortaliter malam, deponere non velit.) Caietanus, Armilla, & Sanchez *in locis suprà citatis*. Quamvis ob scandalum, vel periculum formaliter blasphemandi mortale fieri possit. Ideoque pœnitens à tali irreligiositate, & apparente blasphemia omninò abstinere debeat. His suppositis, sit

SECTIO II.

Dubitationis resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores etiam possunt procedere contra blasphemum, saltem blasphemia hæreticali; quia ea cum hæresi similitudinem habet, & ingerit suspicionem de hæresi.*

2 *Blasphemiæ hæreticales sæpè oriuntur ex infidelitate, desperatione, odio, & tentatione Dei, & cum huiusmodi peccatis contra Deum coniunguntur.*

3 *Pœnitens in confessione, si absolutè dicat, se blasphemasse, Confessarius non tenetur eum interrogare, quomodo, vel quibus verbis vsus fuerit: Probabile enim est, omnes blasphemias esse eiusdem speciei.*

4 *Confessarius tenetur interrogare pœnitentem, vtrum blasphemiam protulerit cum directa, seu formali intentione contemnendi, seu inhonorandi Deum; quia talis peruersa intentio semper prouenit ex infidelitate, non quia hæresis circunstantia, vtpote non mutans speciem, necessariò confitenda sit.*

5 *Confessarius, si pœnitens dixerit, se directa, ac formali intentione maledicendi, Deo maledixisse, examinare vlteriùs debet, quanam ratione motus fuerit; si enim indignatione erga Deum directè non se extenderit, sed solùm contra hominem, vel iumentum, cui iratus fuit, & verba non includant honoris diuini diminutionem, censeri debet non blasphemasse, neque peccatum mortale commisisse. Secùs si ex ipsis verbis contrarium colligatur.*

6 *Blasphemias materiales qui ex inueterata consuetudine, tanquam ex quodam necessario impetu profert, non propriè est blasphemus, vel periurus; quia nullum peccatum sine rationis deliberatione committitur; secus tamen si aduertat malam consuetudinem, & non curet eam exstirpare.*

7 *Blasphemias materiales proferens ex consuetudine recensita, postquam aduerterit prauam suam consuetudinem, si deinde in eandem labatur, debet dicere, quoties blasphemauerit, vel quanto tempore permanserit in tali consuetudine scienter blasphemandi, &c.*

8 *Blasphemias ex sibi ingenerata voluntaria consuetudine proferens, tenetur sub mortali deponere talem consuetudinem.*

9 *Neque sufficit, quod talis homo de blasphemiis, vel periuriis præteritis dolorem, & in posterum abstinendi propositum concipiat, nisi tale propositum sit efficax, extendens se scilicet ad proximas occasiones tollendas.*

10 *Confessarius quid possit circa huiusmodi pœnitentem, examinatur.*

11 *Blasphemia verba, vel periuria non imputantur ad peccatum homini, qui consuetudinem blasphemandi, vel periurandi efficaci proposito retractauit, cùm sint consequentia ex eadem praua consuetudine quasi naturali, & necessario impetu prouenientia.*

1 Respondetur ex dictis: contra blasphemum, saltem blasphemia hæreticali, procedere possunt etiam Inquisitores, iuxta ea quæ dicentur *infrà sect. 6. per totam*; quia blasphemiæ hæreticales cum hæresi similitudinem habent, & sæpè Christianum sic blasphemantem de hæresi suspectum reddunt, vti suprà dicebam.

2 Confirmatur, quia sæpè sæpiùs oriuntur ex infidelitate, desperatione, odio, & tentatione Dei, & cum huiusmodi peccatis contra Deum coniunguntur, vti suprà etiam dicebam: Ergo, &c. Vide quæ dicebam *dub. 167. & seqq. vsque ad* 172. & quæ dicam *dub. 215.*

Ex dictis etiam sequitur, quod si pœnitens in confessione absolutè dicat, se blasphemasse, non teneatur confessarius illum interrogare, quomodo, vel quibus verbis blasphemauerit; quia ex sententia Caietani *cit. quæst. 13. art. 1. & in summa verbo blasphemia*, & aliorum, satis probabile est, omnes propriè dictas blasphemias, vtpotè omnes contra vnum, eundemque Deum, vnius, eiusdemque speciei esse; & ex alio capite satis etiam probabile est, circunstantias non mutantes speciem, sed solùm aggrauantes, non necessariò in confessione explicandas esse: Ergo, &c. 3

Quamvis tenatur Confessarius interrogare pœnitentem, vtrum blasphemiam protulerit cum directa, seu formali intentione contemnendi, seu inhonorandi Deum; non quia talis circunstantia intrinsecè aggrauat, & auget contemptum, seu inhonorationem Dei, in qua consistit blasphemiæ malitia essentialis; cùm circunstantiæ non mutantes speciem, sed tantùm aggrauantes, non necessariò in confessione explicandæ sint, vti dicebam, sed quia talis peruersa intentio sæpè prouenit ex infidelitate, desperatione, tentatione, & odio Dei, saltem abominationis erga ipsum Deum, (vti etiam suprà dicebam) quæ sunt peccata specie distincta à blasphemiæ peccato. 4

Cæterùm, quia non semper prouenit ex infidelitate, desperatione, tentatione, & odio Dei, sed interdum tantùm prouenit ex ira, rixa, vel tædio, ideò expedit, quod Confessarius pœnitentem, si dixerit, se directa, ac formali intentione maledicendi Deo maledixisse, vlteriùs examinet, quanam ratione motus Deo maledicere, seu contumeliam verbis inferre voluerit. 5

Quod si dixerit, quod affectus indignationis suæ erga Deum directè non se extenderit, sed solùm erga hominem, vel iumentum, cui iratus fuerat, tunc Confessarius attendat ad verba, quibus pœnitens vsus fuerit in maledicendo; quia si secundùm se diuini honoris diminutionem nullam talia ipsius verba exprimunt, censeri debet non blasphemasse, neque peccatum mortale commisisse, vti suprà dicebam 4. Sin autem verba talia, vel tali modo ab ipso prolata fuerint, vt contumeliam Dei, Sacramenti, vel alterius rei sacræ significent, censeri debet blasphemasse; dummodò attenderit ad Dei, Sacramenti, vel alterius rei sacræ contemptum, qui talibus verbis exprimitur. Sæpè sæpiùs enim homo eiusmodi verba blasphema profert inaduertenter, ac materialiter tantùm, non attendens quid illa significent, & tunc excusatur à peccato mortali propter imperfectionem actus, scilicet propter imperfectionem cognitionis, & voluntatis, modò interim prauam istam consuetudinem deponere conetur.

Sequitur 2. quod is (qui ex inueterata consuetudine, tanquam ex quodam necessario impetu, materiales blasphemias, vel materialia periuria profert) tunc non propriè blasphemet, vel periuret; quia nullum peccatum sine rationis deliberatione committitur, sed solùm priùs aggrauatè, & quasi dupliciter peccauerit; cùm blasphemias, vel periuria deliberatè frequentans, simul etiam aduertit, prauam ingenerari sibi consuetudinem, quæ causa futura sit frequentium blasphemiarum, & periuriorum, saltem materialium. S. Antoninus *part. 2. tit. 10. cap. 7. §. 1.* Suarez *de Religion. tom. 2. lib. 3. de iuramento. cap. 7. num. 5.* & alij passim, quos sequitur Sanchez *lib. 3. moral. cap. 5. numero* 18. 6

Quapropter talis homo in confessione non solùm dicere debet, quod v.g. centies circiter deliberatè blasphemauerit, vel periurauerit, sed etiam dicere debebit, quod ita continuò blasphemias, vel periuria frequentauerit, vt sibi consuetudinem blasphemandi, vel periurandi, quasi naturalem, ingenerauerit. 7

8 His adde, quod prædictus homo, qui sibi voluntariè blasphemandi, vel periurandi consuetudinem ingenerauit, teneatur sub mortali procurare, quod talem consuetudinem deponat; quia qui causam praui euentus, vel damni futuri à se voluntariè positam (cùm possit tollere) non tollit, is continuò peccat omissionis peccato, ideoque in statu peccati reperitur (sicuti qui ignem excitauit, ex quo incendium oriturum præuidet, si illum non extinguat:) sed mala consuetudo blasphemandi, periurandi, vel ad quodlibet dictum (nihil, aut parum examinando, num verum, an falsum sit) iurandi ponit hominem in maximo probabili periculo blasphemiarum, vel periuriorum, saltem materialium, quæ licèt (vti dicebam) propriè blasphemiæ, vel periuria non sint, sunt tamen graues deformitates contra virtutem Religionis: Ergo continuò peccat omissionis peccato mortali, atque adeò reperitur in statu peccati mortalis; perindeac concubinarius, si concubinam non ejiciat, vel detentor rei alienæ, si illam domino non restituat. Vide Doctores, quos sequitur Suarez *loco suprà citato, cap. 6.*

9 Quapropter sæpè sæpiùs etiam non sufficit, quod talis homo de blasphemiis, vel periuriis præteritis dolorem, & in posterum abstinendi propositum concipiat (vti dixerunt Valentia *tom. 3. disp. 6. q. 7. punct. 3.* Sayr. *lib. 5. clauis regia, cap. 5. num. 10.* & alij) nisi tale propositum sit efficax, extendens se scilicet ad proximas, si sine magno incommodo fieri queat, occasio-
10 nes tollendas: Ita vt Confessarius possit illum quandoque compellere ad fugiendos ludos, & conuiuia, quibus blasphemandi, vel periurandi consuetudinem confirmat, etsi non similiter ad deserendam etiam mercaturam, officium nauigandi, vel aurigandi, vel simile aliud officium, quod profitetur ad se, suamque familiam sustentandam. Suarez *citato lib. 3. de Religione, cap. 8. num. 7.* & Sanchez *citato lib. 3. moral. cap. 5. num. 16.*

11 Cæterùm, postquam talis homo consuetudinem blasphemandi, vel periurandi efficaci proposito retractauit, ex tunc ipsi consequentia verba blasphemiæ, vel periuria, ex eadem praua consuetudine quasi naturali, & necessario impetu prouenientia, non imputabuntur ad peccatum; quia neque sunt voluntaria in se (sicuti suppono) neque in sua causa, scilicet in consuetudine illa praua. Cùm illa ab ipso iam per propositum efficax retractata, non ampliùs voluntaria ipsi censeri debeat. Vide quæ dicebam *suprà sect. 1. supposito 1. corollar. 3.* & quæ dicam *infrà sect. 9. & sect. 17.*

SECTIO III.

Qualiter clariùs blasphemia definiri possit?

SVMMARIVM.

1 *Blasphemia, quæ fidei confessioni opponitur, & sic quodammodo pertinet ad infidelitatem, est peccatum, quo de diuina gloria, maiestatis, seu bonitatis excellentia aliquid detrahitur, dicendo falsò inesse Deo aliquid, quod inest, vel negando falsò inesse Deo aliquid, quod inest, voluntate quadam sic diuinæ gloriæ, maiestati, vel bonitati derogandi.*

2 *Additio facta ab aliquibus (vel quando dicitur aliquid contra Sanctos) est superflua; quia comprehenditur sub dicta definitione, vtpotè redundans in Deum.*

3 *Additio facta ab aliquibus (vel quando tribuitur creaturis aliquid proprium Dei) est pariter superflua, & cur.*

4 *Blasphemia item breuiùs sic definiri potest: Est locutio falsa contra Deum per modum conuitij, seu voluntate quadam diuinæ gloriæ, maiestati, seu bonitati derogandi.*

5 *Blasphemiæ ratio propriè consistit in falsa locutione.*

6 *Blasphemia distinguitur ab infidelitate, quia de ratione infidelitatis non est velle derogare honori diuino, sicut id est de ratione blasphemiæ.*

7 *Quæ voluntas peruersa requiratur diuinæ gloriæ, maiestati, seu bonitati derogandi ad rationem blasphemiæ, latiùs examinatur.*

8 *Blasphemus intendit inferre nocumentum honori diuino: ad rationemque blasphemiæ pertinet detestatio diuinæ bonitatis.*

9 *S. Thomas secundùm Thomistas non accipit detestationem pro formali diuinæ bonitatis odio, quod directè opponitur charitati; sed accipit detestationem alicuius excellentiæ diuinæ, vt diuini honoris, iustitiæ, &c. Perfectior tamen blasphemia est, quando est odium Dei.*

10 *Ad rationem blasphemiæ non requiritur odium Dei; quia si praua voluntas derogandi diuinæ gloriæ, maiestati, seu bonitati requireretur, rarò pronunciatis blasphemiæ verbis daretur blasphemia, communiter enim ea non ad derogandum diuinæ bonitati, sed ex ira, indignatione, vel alia passione proferuntur.*

11 *Blasphemia omnis secundum Caietanum, & alios, in quantum est voluntaria, est à mala voluntate, non tamen omnis blasphemia est cum voluntate affecta ad derogandum diuinæ bonitati.*

12 *Voluntatis malitia prædicta ita se habet ad intellectus blasphemiam, sicut charitas se habet ad fidem. Et sicut fides potest esse sine charitate, sic & blasphemia.*

13 *Blasphemia de ratione est diminutio, seu derogatio diuinæ gloriæ, maiestatis, siue bonitatis. Quod potest dupliciter contingere: Primò, volendo id directa intentione: Secundò indirectè, quando scilicet quis iis circunstantiis, & eo modo blasphemiam vsurpat. Verbi gratiâ si blasphemiam dicat seriò, & ex quadam indignatione, est vera blasphemia; secus si ioco, nisi ex iocoso modo dicendi redundaret diminutio diuinæ gloriæ, maiestatis, seu bonitatis.*

14 *Detestatio voluntatis quando se habet ad blasphemiam, sicut charitas se habet ad fidem, secundùm Caietanum, & alios, est formale odium Dei.*

15 *Blasphemia retinens veram speciem blasphemiæ est duplex, vna informis, & non vndequaque perfecta, quæ non procedit ex odio Dei, sed ex rixa, iracundia, vel alia. Altera verò perfecta, & formata, quæ procedit ex odio Dei.*

16 *Blasphemia informis dicitur blasphemia secundùm intellectum, non quia voluntas non adsit, sed quia deest hæc Dei detestatio. Formata verò dicitur secundùm affectum.*

17 *Blasphemia propriè, & essentialiter consistit in dicendo contra Deum aliquid, quod eius honori derogat, & eius honorem diminuat.*

18 *Fides duo includit, & interiorem assensum, & exteriorem rerum fidei confessionem. Et infidelitas pariter duo requirit, hoc est dissensum fidei rerum, & hic pertinet ad infidelitatem, estque hæresis, & aliquid intus, vel extra, hoc est aliquid dicere contra fidem, quod pertinet ad blasphemiam, quæ non consistit in sentiendo, sed in dicendo aliquid contra Deum.*

19 *Blasphemia non est propriè, & essentialiter infidelitas, quia infidelitas consistit propriè in assensu aliquo interno falso, & in externa assertione alicuius falsi de Deo, quæ ex huiusmodi interno assensu exeritur.*

ritur. At horum neutrum requirit blasphemia, sed solum consistit in significatione aliqua falsa de Deo.

20 *Blasphemia distinguitur ab infidelitate; quia infidelitas non est, nisi falsus assensus mentis contra fidem: At blasphemia consistit in verbis.*

21 *Blasphemia etiam haereticalis distinguitur ab infidelitate; quia daemones, & damnati vocant Deum iniustum, crudelem, sine misericordia, & tamen de Deo non ita sentiunt, & credunt; quod etiam saepè faciunt homines.*

22 *In locutione proferentis contra Deum haereticales blasphemias continetur malitia quae opponitur locutioni fidei, & malitia, quae opponitur diuino honori, sicut etiam quando haereticus aliquid falsi de Deo profert, in tali actu continetur malitia infidelitatis, & malitia contra confessionem fidei.*

23 *Blasphemia ad malitiam sufficit, si quis faciat actum contumeliosum contra Deum, licèt directè, & formaliter non intendat diminuere honorem, & dignitatem Dei.*

24 *Blasphemia quamvis non sit propriè, & essentialiter infidelitas, nec vera, & propria infidelitatis species, potest tamen inueniri coniuncta cum infidelitate, sicut & disiuncta ab eadem.*

25 *Ad blasphemiam non requiritur loquela externa contra Deum, sed sufficit solùm interna, vt scilicet quis solùm concipiat per simplicem quandam intellectus apprehensionem Deum esse quod non est, vel Deum non esse, quod est; diuiditur enim ea in blasphemiam cordis, & oris.*

26 *Blasphemia etiam in solis factis, & signis consistere potest, vt si quis v.g. sanctorum Imagines conculcet: At probabilius videtur esse oppositum, v.g. quod in solis verbis mente, ore, vel scripto prolatis consistat; opponitur enim propriè blasphemia solùm laudi diuinae, quae solùm verbis exhibetur.*

27 *Blasphemia communiter vocatur vitium linguae, & est sacrilega infamatio, quae non fit sine verbis: consistit enim in maledictione, & conuitio Dei, quod nequit esse sine verbis.*

28 *Homo improbus potest in contemptum Dei terram pedibus conculcare, sanctorum Imagines caedere, lacerare, vel conspuere, in caelum lapides, vel sputa conijcere; at quia non est talis vsus, vt huiusmodi signis blasphemia exprimatur, absolutè dicitur non esse blasphemus. Secus autem si illis signis vellet blasphemiam exprimere; quia sunt aequiualentia verbis.*

29 *Blasphemia est dicere, Eucharistiam esse communem, & vsualem panem, si quis tali signo comestionis vellet similiter exprimere blasphemiam; quamvis propriè, & vt plurimum Eucharistiam, tanquam communem, & vsualem panem comedere in mensa communi, non sit blasphemia; sed solùm actus sacrilegus.*

30 *Blasphemare factis aliqui dicuntur in sacris literis; quia iis signis proferre blasphemias intendebant in diminutionem diuini honoris.*

31 *Blasphemia semper aliquid falsi continet, semperque in ipsa aliquid falsi subsistit.*

32 *Falsum dupliciter esse potest: Primò in actu signato enunciatiuè, seu propriè, & rigorosè. Secundò in actu exercito effectiuè, siue minùs propriè, & minùs rigorosè. Vide ibi exempla vtriusque.*

33 *Blasphemia de ratione quamvis sit proferre contumeliam in Deum, vel Sanctos, est etiam quomodolibet aliquid falsi dicere.*

34 *Falsitas praedicta inest etiam odio Dei; quandoquidem si quis prorumperet in verba odij Dei, vel desperationis, esset vera blasphemia, quia sic etiam detraheret bonitati, & potentiae Dei, sicut si diceret, non credo, detraheret fidei diuinae.*

RΕspondetur ex dictis, & etiam ex S. Thoma 2. 2. *quaest.* 13. *art.* 1. Blasphemia (quae etiam fidei confessioni opponitur, & sic quodammodo ad infidelitatem pertinet) sic clariùs definiri potest: [Est peccatum, quo de diuinae gloriae, maiestatis, seu bonitatis excellentia aliquid detrahitur, dicendo falsò, inesse Deo aliquid, quod non inest, vel negando falsò, inesse Deo aliquid, quod reuera inest, idque voluntate quadam sic diuinae gloriae, maiestati, vel bonitati derogandi.] Vide Caietanum 2. 2. *quaest.* 13. *art.* 1. Aragon. *ibidem, corollar.* 3. Toletum *lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 6. Syluestrum *verbo blasphemia, quaest.* 1. Socinum *lib.* 1. *cons.* 102. Couarruuiam *in cap. quamvis pactum, part.* 1. §. 7. *numero* 6. *de pactis in* 6. Boërium *decis.* 301. *numero* 2. Bannez 2. 2. *quaest.* 13. *art.* 1. *in principio.* Menochium *de arbitr. lib.* 2. *centur. cas.* 375. *numero* 1. Mascardum *de probat. lib.* 1. *conclus.* 195. *num.* 2. *& seqq.* Albertin. *tract. de agnoscend. assert. quaest.* 6. *num.* 13. *& seqq. & quaest.* 27. *num.* 1. Corneum *vol.* 2. *cons.* 185. & praecipuè praeter alios Valentiam 2. 2. *disp.* 1. *q.* 13. *punct.* 1. contra nonnullos, quos sequitur Suarez *tom.* 1. *de Relig. tract.* 3. *cap.* 4. *num.* 9. 1

Additur ab aliquibus, *Vel quando dicitur aliquid contra Sanctos*, sed minùs rectè additur; quia id blasphemiae rationem habet, eo quòd redundat in Deum; & sic comprehenditur sub dicta definitione, sicuti suprà *sect.* 1. dicebam. 2

Additur ab aliis: *Vel quando tribuitur creaturis aliquid proprium Dei*, sed etiam minùs rectè additur; quia tunc negatur Deo aliquid, quod reuera inest Deo, seu competit Deo (in quo propriè ratio blasphemiae consistit) sicque etiam comprehenditur in eadem dicta definitione. 3

Vel breuiùs sic cum aliis (quos sequitur Bannez 2. 2. *quaest.* 13. *art.* 2. *notab.* 2.) definiri potest: *Est locutio falsa contra Deum per modum conuicij.* Quod idem est, quod suprà dicebatur, *voluntate quadam sic diuinae gloriae, maiestati, seu bonitati derogandi.* 4

Dicitur in vtraque definitione, *locutio falsa*, quia in eo propriè consistit ratio blasphemiae, sicut infrà clariùs patebit. 5

Dicitur *per modum conuicij, seu voluntate quadam diuinae gloriae, maiestati, seu bonitati derogandi*; quia in hoc distinguitur ab infidelitate, cùm de ratione infidelitatis non sit velle derogare honori diuino; quia potiùs haereticus credit, se honorem Deo deferre, sicuti etiam infrà clariùs constabit. 6

Peres, qualiter non peruersa diuinae gloriae, maiestati, seu bonitati derogandi voluntas ad rationem blasphemiae requiratur? 7

Ratio dubitandi est, quia ex vno capite id requiri videtur. Tum quia in blasphemiae definitione ponitur. 8 Tum quia S. Thomas 2. 2. *q.* 13. *art.* 3. *ad* 1. docet quod blasphemus intendat inferre nocumentum honori diuino, *& art.* 4. *in corpore* tradit, quod ad rationem blasphemiae pertineat detestatio diuinae bonitatis. Et Thomistae (quos sequitur Bannez *cit. art.* 3. *ad* 3.) explicando mentem S. Thomae dicunt, quod ille non accipiat detestationem alicuius excellentiae diuinae, & diuini honoris, iustitiae, &c. quamvis perfectior blasphemia sit, quando est odium Dei. Tum quia tandem sic suadet ratio; cùm infideles dicentes falsa de Deo, non sint propriè blasphemi, eo quòd ea non dicunt ex prauo erga Deum affectu, sed quia iudicant esse vera. 9

Ex altero autem capite id requiri non videtur. Tum quia, si praua illa diuinae gloriae, maiestati, seu bonitati derogandi voluntas requireretur ad rationem blasphemiae, raró pronunciatis blasphemiae verbis, daretur blasphemia; cùm communiter animus talia verba proferentis non sit, velle diuinae bonitati derogare, sed ea verba proferat ex ira, indignatione, vel alia passione: Tum quia ex S. Thom. 2. 2. *q.* 13. *art.* 2. Caietanus *ibi & art.* 3. *paulò post principium.* Castrus *lib.* 2. *de iusta* 10

1 *hæretic. punit. cap.* 12. & alij docent, quod licèt omnia blasphemia, in quantum est voluntaria, sit à mala voluntate, non tamen omnis blasphemia sit cum voluntate affecta ad derogandum diuinæ bonitati; quemadmodum licèt omne credere sit voluntarium, non tamen omne credere est cum voluntate affecta charitati Dei:

12 Quapropter subdunt, quod hæc voluntatis malitia se habeat ad intellectus blasphemiam, sicut charitas se habet ad finem: Sicque sicut fides potest esse sine charitate; ita & blasphemia possit esse sine hac affectus malitia. His positis,

13 Respondetur ad petitionem, quod de ratione blasphemiæ sit quidem diminutio, seu derogatio diuinæ gloriæ, maiestatis, seu bonitatis, id tamen possit contingere dupliciter: Primò, volendo id directa intentione, quo modo damnati blasphemant Deum: Secundò indirectè, quando scilicet qui iis circunstantiis, & eo modo blasphemiam vsurpat, vt (quamvis ipse directè nolit detrahere diuinæ maiestati) meritò tamen ex circunstantiis, & ex modo blasphemandi vsurpatio illa iudicetur habere diuinæ maiestatis diminutionem, derogationem, seu contemptum, v.g. si blasphemiam dicat seriò, & ea quadam indignatione (quæ prudenter iudicatur pertinere quodammodo ad Deum) sit vera blasphemia; si verò blasphemiam dicat ioco, vel alio fine (vt ad docendum, &c. non sit (quamvis id aliunde possit esse peccatum leuitatis, vanitatis, vel scandali) vera blasphemia: Quod tamen intellige, nisi ex iocoso modo dicendi talia verba, adhuc redundaret diminutio diuinæ gloriæ, maiestatis, seu bonitatis, iuxta ea, quæ infrà dicentur; quia tunc ea verba dicens adhuc censebitur indirectè velle diuini honoris diminutionem, seu contemptum; qua de re videri poterit Valentia 2.2. *disp.* 1. q. 13. *punct.* 1. *notab.* 2.

14 Hinc sequitur, quod dum Caietanus, Castrus, & alij dicunt, quod detestatio voluntatis se habeat ad blasphemiam, sicut charitas se habet ad fidem, loquantur (vt vndequaque æquiparatio procedat) de detestatione, quæ est formale odium Dei, ac directè opponitur charitati.

15 Sequitur 2. quod blasphemia retinens veram speciem blasphemiæ, sit duplex; vna informis, & non vndequaque perfecta (nempe quæ non procedit ex odio Dei, sed ex ira, iracundia, vel alia passione) est tamen vera, & perfecta blasphemia, iuxta propriam blasphemiæ speciem, & destituitur sola perfectione extrinseca (quemadmodum fides absque charitate est vera, & perfecta fides intra propriam fidei speciem; at quia destituitur perfectione, & forma extrinseca charitatis, dicitur fides imperfecta, & informis.) Altera autem perfecta, & formata, nempe quæ procedit ex odio Dei; sic Doctores, quos sequitur Bannez 2.2. *quæst.* 13. *art.* 1. *notab.* 4. & Petrus Ledesma 2. *tomo summæ, tract.* 1. *cap.* 9. *conclus.* 4.

16 Prior dicitur à S. Thom. *citato art.* 1. blasphemia secundùm intellectum, non quia voluntas non adsit, sed quia desit hæc detestatio Dei.

17 Posterior autem dicitur secundùm affectum, iuxta ea, quæ mox suprà dicebantur.

18 Sequitur 3. quod blasphemia propriè, & essentialiter consistat in dicendo contra Deum aliquid, quod eius honori deroget, seu eius honorem diminuat; quia (sicut in fide reperitur interior fidei rerum assensus, & hic pertinet ad ipsam fidem: Et reperitur ipsos fidei articulos corde, vel ore dicere, & hoc pertinet ad fidei confessionem) sic in infidelitate reperitur dissensus fidei rerum, & hic pertinet ad infidelitatem, estque vera hæresis: Et reperitur aliquid intus, vel extra aut contra fidem dicere, & hoc pertinet ad blasphemiam, ita vt in hoc essentialiter constituatur blasphemia; sicque blasphemia non consistat in sentiendo aliquid contra Deum, sed consistat in dicendo aliquid contra Deum. Caietanus 2.2. *quæst.* 13. *art.* 1. *vers. ad euidentiam* *horum*. Castro *lib.* 1. *de iust. hæretic. punit. cap.* 12. & alij.

Sequitur 4. quod blasphemia non sit propriè, & essentialiter infidelitas; quia infidelitas propriè consistit in assensu aliquo interno falso, & in externa asseueratione alicuius falsi de Deo, quæ ex tali interno assensu falso de Deo exoritur; blasphemia verò neutrum istorum requirit, sed solùm consistit in significatione aliqua falsa de Deo; qualiter autem blasphemia ad infidelitatem pertineat, & æqualiter fidei confessioni opponatur, dicetur *infrà sect. seqq.* 19

Blasphemia igitur distinguitur ab infidelitate; quia sicuti dicebam, infidelitas non est, nisi falsus mentis assensus contra fidem; at blasphemia consistit in verbis: Nec enim blasphemus, quod contra Deum verbis contumeliosis prufert, credit de Deo, sed ad contra Deum quid dicendum, ab ira, vel odio, vel alia animi perturbatione, & non ab interiori intellectus errore mouetur. Caietanus 2.2.q.13.*art.*1. Valentia *ibidem, disp.* 1. *quæst.* 13. *punct.* 2. & alij passim. Et quidem fideles dicere possunt: *Vtinam Deus non esset, vel vtinam Deus esset iniustus*: quia certum est, quod blasphement, & tamen non habeant errorem in intellectu; cum de facto credant, Deum esse per essentiam, ita vt non possit deficere, Deumque non esse iniustum, sed essentialiter iustum: Ergo blasphemia distinguitur ab infidelitate, nec semper supponit infidelitatem, seu errorem in intellectu. 20

Quod adeò verum est, vt blasphemia etiam hæreticalis distinguatur ab infidelitate; quia dæmones, & damnati vocant Deum iniustum, crudelem, sine misericordia; & tamen de Deo non ita sentiunt, & credunt: Ergo blasphemia etiam hæreticalis distinguitur ab infidelitate: Tum quia homines sæpè blasphemant Deum, vocando illum iniustum, personarum acceptatorem, non habere curam rerum huius mundi; & tamen de Deo non ita sentiunt, & credunt: Ergo blasphemia, etiam hæreticalis, distinguitur ab infidelitate: Tum quia sæpè contingit, vt quis vocet aliquem latronem, adulterum, hæreticum, &c. & tamen de illo interiùs non ita sentit, sed huiusmodi verba ea ira, vel aliqua animi passione profert contra illum: Ergo similiter potest quis contumeliosa, & hæreticalia verba proferre contra Deum, & tamen non ita sentire de Deo; & consequenter potest blasphemia etiam hæreticalis esse sine infidelitate, ita vt clarum signum sit, quod & ipsa distinguatur ab illa. 21

Vbi aduerte, quod quando quis profert contra Deum hæreticales blasphemias, in tali loquutione continetur malitia, quæ opponitur confessioni fidei, & malitia quæ opponitur diuino honori, sicut etiam quando hæreticus aliquid falsi de Deo profert, in tali actu continetur malitia infidelitatis (cùm errorem contra fidem contineat) & malitia contra confessionem fidei, cùm falsa de Deo loquatur, & malitia blasphemiæ (cùm verba contumeliosa contra Dei dignitatem proferat) sicque omnis hæreticus, qui de Deo falsa loquitur, non solùm est hæreticus, sed etiam est blasphemus. Castro *lib.* 1. *de iusta hæreticorum punitione, cap.* 12. Toletus *lib.* 4. *cap.* 13. & alij communiter. 22

Non obstat, si dicas: Hæreticus non intendit blasphemare Deum: Ergo non est blasphemus. 23

Respondetur enim: Nego consequentiam, quia ad malitiam blasphemiæ sufficit, vt quis faciat actum contumeliosum contra Deum; licèt directè, & formaliter non intendat diminuere honorem, & dignitatem Dei. Hæreticus tamen interior non est blasphemus; quia blasphemia consistit in locutione contumeliosa contra Deum, vel contra Sanctos, non autem in falsa opinione, sicuti suprà *sect.* 1. *suppositio* 3. dicebam.

Cæterùm, quamvis blasphemia non sit propriè, & essentialiter infidelitas, nec vera, & propria infidelitatis species; potest tamen inueniri coniuncta cum 24

cum infidelitate, ficut & disiuncta ab eadem; itavt fi quis dicat aliquid diuino honori derogans, credens ita esse, fit simul hæreticus, & blasphemus. Hæreticus, quatenus credit; blasphemus, quatenus dicit: fi credit, & non dicit, fit tantùm hæreticus; fi verò non credit, & dicit, fit tantùm blasphemus. Videri poterit Valentia 2.2.*disp.*1. *q.*13. *punct.*2. & Castrus *lib.*1. *de iusta hæret. punitione, cap.*18.

25 Sequitur 4. quod ad blasphemiam non requiratur loquela externa contra Deum, sed sufficiat solùm interna, vt scilicet quis solùm concipiat per simplicem quandam intellectus apprehensionem, Deum esse quod non est, vel Deum nõ esse, quod est. Et blasphemia ista dicitur blasphemia cordis. At fi verò prorumpat in loquelam externam, dicitur blasphemia oris. S. Thomas 2.2.*q.*13.*art.*1. quem sequuntur communiter DD.

26 Quod adeò verum est, vt non improbabiliter ex sententia Castri *loc. supr. cit.* Cordubæ *in quæstionario lib.*1.*q.*17.§.15.*notab.*1. Graff.*lib.*1.*casuum reseru.c.*10. *n.*4. Menoch.*de arbitr.lib.*2.*centur.*4.*cas.*376. & aliorum, blasphemia etiã in solis factis, & signis (vt si quis Sanctorum Imagines conculcet, vel expuat) consistere possit, quamvis ex sententia aliorum, vt S. Thomæ 2.2. *q.*13.*art.*1. Alens. 3.*p.q.*13.*memb.*6. Nauar.*in sum.c.*12. *n.*81. & Lessij *de Iust. & iur. lib.*2.*c.*45. *dub.*5.*n.*24. quos sequitur Suarez *tom.*1.*de Relig. tract.*3. *lib.*1.*c.*4. *n.*4. & 5. Probabilius esse videatur oppositum, quod scilicet blasphemia propriè non in factis, & signis, sed in solis verbis, mente, ore, vel scripto prolatis consistat; quia blasphemia propriè opponitur laudi diuinæ, quæ solis verbis exhibetur etsi honor quibuscumque verbis,
27 & factis, vt ait S.Thomas 2.2.*q.*103.*art.*1.*ad* 3. exhibeatur: tum quia blasphemia communiter vocatur vitiũ linguæ: tum quia blasphemia est sacrilega infamatio; sed infamatio non fit fine verbis: ergo blasphemia propriè requirit verba; tum quia blasphemia consistit in maledictione, & conuitio Dei, sed maledictio, & cõuitium non potest esse fine verbis, mente, ore scilicet, vel scripto prolatis: Ergo, &c. Tum quia contumelia contra hominem propriè consistit in verbis: Ergo & contumelia etiam contra Deum propriè consistet in verbis: tum denique, quia aliàs Idololatria, & similia vitia cùm verum Dei cultum ipso facto negent, illùmque creaturæ tribuant, possent dici propriè, & verè blasphemia; quod non videtur dicendum.

28 Non obstat, si dicas: Potest homo improbus in contemptum Dei terrã pedibus cõculcare, Sanctorum Imagines cædere, lacerare, vel conspuere; in cœlum lapidea vel sputum conijcere, &c. Quo facto blasphemaret: ergo blasphemia non necessariò requirit, vt fiat verbis.

Respondetur enim, concedo antecedens; quia reuera si quis illis signis vellet blasphemiam exprimere, talia signa quidem, vtpote æquiualentia verbis, haberent rationem blasphemiæ: At quia non est talis vsus, vt scilicet huiusmodi signis blasphemia exprimatur; ideò absolutè dicitur, quod blasphemia consistat verbis ore, vel scripto prolatis.

29 Non obstat secundò, si dicas: blasphemia est dicere, Eucharistiam esse communem, & vsualem panem: Ergo blasphemia etiam erit, illam, tanquam communem, & vsualem panem, comedere in mensa communi; sed huiusmodi actio consistit in mero, & solo facto: ergo ad blasphemiam non necessariò verba requiruntur.

Respondetur enim, vt suprà, quod si quis tali signo comestionis vellet similiter exprimere blasphemiam, tale signum, vtpote æquiualens etiam verbis, haberet eodem modo rationem blasphemiæ, quamvis propriè, & vtplurimùm, Eucharistiam, tanquam communem, & vsualem panem, comedere in mensa communi, non sit blasphemia, sed solùm actio sacrilega, vt & solùm actio sacrilega est Eucharistiam proijcere canibus, & similia.

30 Non obstat tertiò, si dicas: In sacris literis, vt 2. *Esdra, cap.*9. & *Matth. cap.*27.&c. dicuntur aliqui blasphemare factis: Ergo.

Respondetur enim, etiam vt suprà, id esse, si ij factis illis vterentur, tanquam signis ad exprimendam blasphemiam: at secus, si aliter: Vel respondetur secundò, distinguo: dicuntur aliqui blasphemare factis, solitariè sumptis, nego; dicuntur aliqui blasphemare factis, ratione verborum blasphemorum, quæ huiusmodi factis coniungebantur, itavt ratione talium verborum adiunctorum, facta etiam dicantur blasphemiæ, concedo.

Atque hinc patet ad rationem dubitandi suprà positam. Petes secundò, qualiternam blasphemia semper aliquid falsi contineat? 31

Ratio dubitandi est; quia nonnulli, quos sequitur Suarez *cit.c.*4.*n.*9. Turrian. 2.2.*disp.*58.*dub.*2.*vers.Variùm hæc*, & Azor.*tom.*1.*inst.moral.lib.*9.*c.*28.*q.*1.& 2. id negant, quatenus aiunt, satis esse ad blasphemiæ rationem, quod quis verba contumeliæ in Deum, vel sanctos, etsi non falsa, proferat. Et probant; quia veritas, & falsitas solùm reperitur in modo indicatiuo, sed blasphemia explicatur interdum per modum imperativum, vel optativum, imprecando, vel optando Deo malum, vt si quis v.g. dicat: *Pœniteat Deum*, vel *vtinam Deus sit iniustus*, &c.) Ergo. Tum quia inhonestè membra Christi, vel Sanctorum pudenda nominare, est blasphemia, (sicuti *infrà* dicetur) & tamen ibi nulla est falsitas: Ergo, &c. His tamen non obstantibus.

Respondetur, quod ex probabiliori sententia Caietani 2.2.*q.*13.*art.*2.§ *Quoad secundũ*, & §. *Ex his autem.* Bannez *ibid.notab.*1. Aragon. *coroll.*3. Petri Ledesma *in sum.* 2.*tom. tract.*1.*c.*9. Valentiæ 2.2.*disp.*1. *q.*13. *punct.*2. Toleti *lib.*4.*c.*13.*n.*6. Simanch.*de Cathol.inst. tit.*8. *n.*2. & aliorum, blasphemia semper aliquid falsi contineat, itavt semper in ipsa aliquid falsi subsit, falsum enim dupliciter potest esse falsum. Primò, in actu si- 32
gnato, enunciatiuè, seu propriè, & rigorosè, vt cùm aliquid falsum Deo tribuitur v.g. est iniustus, vel acceptator personarum, &c. Aut cum aliquid verum Deo negatur, v.g. non est omnipotens, vel immensus, &c. quod contingit solùm in modo indicatiuo, in quo solo modo consistit falsitas enunciatiuè, propriè, & rigorosè, scilicet in enunciatione eius, quod est, aut non est. Secundò, in actu practico, vel exercito, affectiuè, seu minùs propriè, & minùs rigorosè, vt cùm (etsi verum significetur) ex ipso tamen irrisorio, vel contumelioso significandi modo, significatur id esse in Deo, vel in sanctis, tanquam quid irrisorium, & contemptibile, v.g. si quis inhonestè membra Christi, vel Sanctorum pudenda nominet: In quo modo non consistit falsitas in enunciatione eius quod est, vel non est, & sic enunciatiuè, seu propriè, & rigorosè, sed solùm in affectu, vt scilicet affectetur, esse in Deo, quod esse nequit; quamvis igitur ratio blasphemiæ non exigat semper falsitatem enunciatiuè, exigit tamen saltem falsitatem affectiuè, ex modo scilicet loquendi blasphemantis, qui optat, vel imprecatur id malum Deo repugnans, vel falsò significat, id esse in Deo, tanquam quid irrisorium, contemptibile, vel contumeliosum esse autem de ratione blasphemiæ quomodolibet aliquid falsi, seu aliquam falsitatem.

Probatur, quia de ratione blasphemiæ est contume- 33
liam in Deum, vel Sanctos proferre, sed nihil per modum veri significari potest in Dei, vel Sanctorum contumeliam proferri: Ergo, &c.

Neque obstat, si cum aduersariis dicas, quod etiam in 34
odio Dei insit falsitas ista practica, seu in actu practico, vel exercito, & tamen odium Dei non sit propriè blasphemia.

Respondetur enim, quod etiam in odio Dei insit quidem prædicta falsitas, sed nec in enunciatione, nec etiam ex modo loquendi, quare potiùs retorquetur contra aduersarios argumentum: quandoquidem si quis prorumperet in verba odij Dei, vel desperationis (vt si v.g. diceret: *odio habeo Deum, vel despero*) esset etiam verè blasphemus, quia sic etiam detraheret bo-

nitati, & potentiæ Dei; sicut & si diceret, *non credo*, detraheret etiam fidei Dei: Quod ipsum fatetur ipsemet Suarez *eodem lib. 1. c. 6. n. 9.*

Atque hinc patet ad rationes aduersariorum in contrarium suprà positas.

SECTIO IV.

Corollaria complurium blasphemiarum ex definitione blasphemiæ mox suprà tradita.

SVMMARIVM.

1 Blasphemia opponitur confessioni fidei, sed non intelligi id debet, quasi sit verè, & propriè infidelitas, aut aliqua infidelitatis species; sed quatenus continet verbum contumeliosum, quod includit hæresim, vel sapit: Blasphemia enim hæreticalis est semper contraria fidei, & licèt interiùs non credat talia blasphemās de Deo, peccat tamen cōtra fidei confessionē.

2 Blasphemia de ratione etiam in communi licèt non sit sentire falsum de Deo, est tamen de ratione illius significare aliquid falsum de eo: & ad infidelitatis genus spectat non solùm si quis sentiat falsum de Deo, sed etiamsi quis aliquid falsum significet de eo, non tamen ita quod blasphemia sit infidelitatis species aliqua; sed quia sit speciei illi coniuncta.

3 Fidei confessio secundùm Ledesmam, & Bannez, sumitur à S. Thoma non pro ipsa fidei assertione, quæ pactè illi opponitur infidelitas, sed vt est quædam laus diuina, & honor Dei, & sic illi opponitur blasphemia, quæ propriè, & formaliter loquendo opponitur virtuti Religionis.

4 Secus est, si contumelia, vel contemptus non irrogetur sanctis, vt habent respectum ad ipsum Deum, & non vt sancti sunt quidam viri excellentes: Nam primo modo opponitur Religioni, at 2. modo obseruantiæ congruam sanctis reuerentiam deferenti, quæ est virtus quædam annexa Religioni, licèt appositum non improbabiliter defendatur.

5 Blasphemia interdicitur primo præcepto decalogi, quia cùm ipsa opponatur confessioni fidei, blasphemia interdictio reducitur ad infidelitatem, quæ primo præcepto interdicitur; sicut etiam cum opponitur Religioni debitum Deo honorem exhibenti; quamvis etiam dici possit interdici secundo præcepto.

6 Blasphemia in primo gradu, & omnium pessima, est si quis verè, vel falsè iuret per falsos gentilium Deos, vt per Saturnum, Iouem, Venerem, Bacchum, vel Mercurium; quia cum sic honorem vero Deo debitum tribuat falsis diis, committit quendam actum idololatriæ.

7 Limita, nisi quis iuret causa ioci, & irridendi falsos Deos.

8 Blasphemia est, si quis iuret etiam per quamcunque creaturam, dummodò iurando sistat in creatura, & non vt Deus relucet in ea.

9 Blasphemia grauissima item est iurare per falsos Deos, & simul etiam idololatria, cum honor, qui vero Deo debetur, falsis diis tribuatur; & cum qui sic iurat, asserit illos falsos Deos esse summam, & infallibilem veritatem in dicendo, atque adeò in essendo.

10 Blasphemia grauissima item est iurare per quamcunque creaturam non inultimatè, sed vltimatè, scilicet non vt est quid Dei, sed in ea sistendo propter eandem rationem; quia tribuit creaturæ summam, & infallibilem veritatem, quod est blasphemia, id numque est proprium Dei.

11 Blasphemia cum sit iurare per falsos Deos, grauiùs peccat is, qui iurat vera per falsos Deos, quàm qui iurat falsum per verum Deum; quia primo modo est blasphemia, 2. modo periurium, quod est minus.

12 Textus in cap. mouet, 22, q. 1. quod est desumptum à S. Augustino, significans contrarium quid, id intelligi debet non intensiuè simpliciter, vel absolutè; sed extensiuè, & secundùm quid.

13 Item intelligitur quando Christianus iurat verum per falsos Deos, putans illos esse reuera falsos Deos, & tamen iurat per illos solo animo decipiendi; quia is peccat tantùm decipiendo contra fidem præstitam, non tamen reuera est periurus.

14 Item intelligitur non absolutè, & tripliciter, sed in ratione periurij; quia qui iurat falsum per verum Deum, est verè & propriè periurus; at iurans verum per falsos Deos, est periurus secundùm quid.

15 Blasphemia est etiam si quis dicat, non credo in Deum, nego, vel renego Deum, nego, vel renego crucem, fidem, Chrisma, vel intemeratam Deiparæ Mariæ Virginitatem, & similia; quia hæc omnia inuoluunt per modum indicatiui fidei Deo debitæ abnegationem, & sic infidelitatem quandam.

16 Blasphemia etiam est, si quis dicat: Malum Deo contingat; quia sic attribuit Deo id, quod à Deo, cui nullum malum contingere potest, est omnino alienum.

17 Blasphemia est etiam quodcumque conuitium, vel maledictum in Deum, aut in sanctos; quia nec conuitiū, nec maledictum possunt ex aliqua parte eis conuenire; & si proferantur in sanctos, redundant in Deum.

18 Blasphemia etiam est quodcumque conuitium, vel maledictum in creaturas, quatenus Dei creaturæ sunt; est enim sic conuitiari creatori.

19 Idemque dicas si maledicatur creaturis vsum rationis habentibus, si maledicatur eis sub eadem ratione.

20 Blasphemia non est, si quis dicat (mal'habbia non dico Iddio) quia addit particulam illam negatiuam, (Non.)

21 Blasphemia est etiam, si quis, vt vulgò dici solet, dicat, Al dispetto di Dio, quidquid in contrarium dicant Baldus, Felinus, & alij DD. citati, ex eo quod ea verba sensum facere videantur, quod sicut multa fiunt mala, quæ Deo displicent, ita & fiet hoc malum, quamvis Deo displiceat.

22 Blasphemia etiam est, si quis dicat, Deus non potest; quia sic manifestò potestati Dei aduersatur, & contemptum infert.

23 Limita, nisi ea proferens proferat super rebus non factibilibus ex natura sua, quæ neque potentiæ diuinæ subiacent; vt si dicat, Deus non potest facere præteritum non fuisse, &c. id enim non venit ex defectu potentiæ diuinæ; sed solùm ex defectu termini, contra Socinum, & alios, & cur.

24 Blasphemia etiam est, si quis dicat: Deum tadeat, vel Deo displiceat, quia licet qualibet ex his propositionibus non sit indicatiui modi, vt possit formaliter falsum importare, ex intentione tamen verba illa proferentis est tribuere Deo, quod Deo cōuenire nō potest.

25 Limita, nisi prædicta verba proferantur super facto, quod sit illicitum, v.g. tadeat Deum, vel displiceat Deo, hunc hominem fornicari, occidere, vel furari.

26 Limitatio prædicta probatur auctori si verba huiusmodi ex modo loquendi non redundent, nec proferantur in Dei contumeliam, & eius honoris diminutionem.

27 Blasphemia etiam est, si quis dicat: velit, nolit Deus peccatum hoc sum facturus, quia licèt peccatum repugnet diuinæ voluntati, tamen adhuc huiusmodi verba important diminutionem diuinæ potentiæ, quasi Deus non possit impedire peccatum.

28 Blasphemia non esset si quis diceret: Quamvis hoc sit peccatum, vel offensa Dei, sum tamen ego facturus, quia huiusmodi verba solùm important iniquam peccandi voluntatem.

29 Blasphemia etiam est, si quis dicat, Nolit Beata Virgo, restitues mihi quod debes, cum sensus sit, restitues mihi quod debes ad despectum B. Virginis, contra Cornelium, & alios putantes non esse blasphemiam; quia secundùm ipsos B. Virgo non potest impedire hanc restitutionem, cùm non restituere sit peccatum.

30 *Blasphemia est, si quis dicat: deuota Deum, vel deuonea Dea, si hæc verba faciant sensum, non credo in Deum, vel abnego Deum; secus si faciant sensum, me voueo Deo, vel iuro per Deum.*

31 *Blasphemia etiam est si quis dicat: Deus non curat nostra, ast iniustus; acceptator personarum, malè prouidus, vel crudelis, &c. quia sic clarè tribuit Deo, quod ei non inest, vel clarè negat quod inest.*

32 *Blasphemia etiam est, si quis nominet potentiam, sapientiam, iustitiam, vel quodcumque aliud attributum Dei conuitiando, vel irridendo; quia sic est falsitas, saltem in actu practico, seu in actu exercito.*

33 *Blasphemia etiam est, si quis contumeliam, conuicium, irrisionem, vel vituperium inferat in quascumque res sacras, diuinum cultum, vel in similia alia, quæ referuntur ad Deum; quia redundant in Deum, tanquam in Auctorem.*

34 *Deus, vel sanctus aliquis nisi nominatur in huiusmodi verbis iniuriosis, vel irrisoriis, sed solū modò dicatur:* per vida del tale, rinego il tale, *malum contingat al* tale, *non est blasphemia; secus autem si per id,* tale, *intelligat Deum, vel sanctum, itaut totum dependeat in foro interno ex intentione proferentis. Intentio tamen in foro externo colligi debet ex coniecturis.*

35 *Proferens ista, si sit proba vita, censendus est etiam in foro externo, nec Deum, nec sanctum vllū intelligere.*

36 *Blasphemia verba proferens sub conditione, v.g. non credo in Deum, reniego Deum, Deus non est omnipotens, vel iustus, si vindictam non sumpsero de inimicis meis, vel si verum non est, quod ego assero, non est blasphemus secundum aliquos, quod conditionalis nihil ponat in esse; probabilius tamen est oppositum, quia sic fides diuina firmitati derogatur.*

37 *Blasphemus etiam est iurans per caput, vel per vitam Dei; non enim sic adducitur in testem vita Dei, sicut in hoc iuramento: Viuat Deus; sed est potius iuramentum quoddam execratorium, cuius sensus est: amittat vitam Deus, si ita non est, sicque tribuitur Deo quod ei non conuenit, nec conuenire potest.*

38 *Item dic, si quis iuret per vitam sanctorum, quia similiter ex modo iuramenti cuiusdam execratorij, falsò tribuitur sanctis, posse eos vitam amittare, quod nec etiam conuenit, vel hic & nunc conuenire potest; quamvis non blasphemet dicendo, viuit Deus: quia sic nihil execratorium dicit de Deo, contra nonnullos contrarium sentientes.*

39 *Blasphemus etiam est dicens: tædeat, vel pæniteat S. Petrum, vel quemcunque alium sanctum; quia ad id non opus est expressa habitudo ad Deum, qui in sanctis relucet, sed sufficit virtualis, & implicita, quæ continetur in contumelia.*

40 *Proferens contumelias in sanctos, si expressè præscindat ab habitudine, quam sancti habent ad Deum, blasphemat. At probabilius est oppositum, non esse scilicet veram, & propriam blasphemiam.*

41 *Blasphemus etiam est iurans per Christi, vel Sanctorum membra inhonesta, seu pudenda, vel si ea quomodocumquè inhonestè nomines: Fuerunt enim in Christo, & Sanctis huiusmodi partes corporis naturales, ac non vituperabiles, contra Syluestrum & alios asserentes, talia dicere non esse propriè blasphemiam, sed tantùm quoad modum.*

42 *Blasphemus etiam est iurans per membra Dei, vel Sanctorum honesta, attribuendo ea Deo, vt Deus est, si ex contemptu; secus si reuerenter, & non cum magna frequentia sic iurauerit, tunc enim esset tantùm veniale peccatum.*

43 *Clericus iurans per capillum Dei, vel caput, vel alio modo blasphemia contra Deum vsus fuerit, est deponendus.*

44 *Iurans per Dei, vel Sanctorum membra honesta nihil tribuit Deo, vel Sanctis, quod verè ipsi non habeant, & ideò non cedit in contemptum, ignominiā, vel derisionem Dei, vel Sanctorum, nec sensus iuramenti per talia verba est execratorius, sed simplex, & ideò si reuerenter fiat, tantùm est veniale, non mortale, atque frequens consuetudo illius arguit blasphemiam.*

45 *Blasphemia nihilominus erit prædictum iuramentum, vel etiamsi absque iuramento membra Dei, vel sanctorum honesta nominentur iniuriosè, & per modum contemptus, aut vituperij; non enim prædicta membra sunt in Deo, vel in sanctis vt quid ignominiosū.*

46 *Lex sexta regia,* tit 4. lib. 8. nouæ recopilat. suprà citata declarat, *vbinam habeat locum in materia blasphemia.*

47 *Blasphemans propriè non est nominans membra Dei, vel sanctorum honesta cum indignatione quadam, v.g. dicens:* Corpo, ò sangre di Dio, di S. Piedro, *&c. si id fiat non per modum contumelia in Deum, & in sanctos, neque indignatio sit in ipsis, contra plures DD. est tamen peccatum veniale graue. Secus si ex indignatione contra Deum; est enim blasphemia ratione contemptus.*

48 *Blasphemus est adæquans veritatem humanam cum veritate diuina, seu ponens in suo dicta tantam certitudinem, quanta est in veritate diuina, dicendo; verum est quod dico, sicut Deus est ipsa veritas, vel sicut Deus est natus ex Maria Virgine; vel hoc est Euangelium, vel credi potest tanquam Euangelium; vel sum innocens sicut Christus; quia fit veritati diuinæ iniuria, si fiat talis adæquatio; & includitur implicita propositio affirmatiua recedendi à voluntate diuina, si defecerit veritas humana. Secùs tamen est, si animus proferentis ea intendat per quandam similitudinem, seu analogiam, vel exaggerationem, quia sic cessat ratio suprà tacta.*

49 *Proferens talia, si de intentione non constet, in dubiò secundùm aliquos censeri debet blasphemia: At oppositum est probabilius, quia ex communiter accidentibus non præsumitur animus adæquandi omninò veritatem diuinam, & humanam per proportionem arithmeticam.*

50 *Blasphemus etiam est tribuens aliquid creaturæ quod sit proprium Dei, v.g. quod dæmon sit sanctus, omnipotens, immensus, vel quod fatum regat omnia, vel tribuens aliquid Deo, quod ei non conuenit; quia negat de Deo, quod Dei proprium est. Si verò talia proferens esset idiota, non intelligens vim verborum, excusaretur à blasphemia hæreticali.*

51 *Blasphemia non est, qui in infortuniis contingentibus dicit: sic tandem futurum erat, licèt enim talis propositio videatur malè sonans, nihilominus si intelligatur non de necessitate antecedente absoluta, seu in causa tollente rerum contingentes euentus & libertatem humanam; sed de necessitate consequenti, conditionali, & ex suppositione, non est blasphemia.*

52 *Blasphemus etiam est proferens ex iracundia illud, quod dici solet:* Puo far Dio, *si intendat proferre in Deum aliquam contumeliam; communiter tamen non solet esse blasphemia, quia illa verba solùm proferuntur exaggeratiuè: est tamen peccatum veniale graue propter aliquam irreuerentiam.*

53 *Blasphemus etiā est secundùm plures DD. iurans per intemeratum Deiparæ Virginitatem: At secus est probabilius, quia reuera per tale iuramentum adducitur in testem ea veritas diuina Virginitatis Deiparæ Mariæ, & sic neque inuoluit culpam venialem.*

54 *Blasphemus non est quicumque periurus, licèt adducat Deum in testem falsitatis, quia non dicit aliquid falsum de Deo.*

EX dictis sequitur primò, qualiter verum sit, quod ait S. Thom. 2.2. *q.13. art.1. in corpore, & art.2. ad 2. & art.3.* quem sequuntur Syluest. *verbo blasphemia, n.2.* Armilla *eod. verb. n.2.* Sotus *de iust. lib.8. q.2. art.3. concl.1.* Castr. *lib.1. de hæret. punit. c.12.* Nauarr. *in sum. c.12. n.22.* Blasphemiam scilicet opponi confessioni fidei; non enim id intelligi debet, quasi blasphemia sit 2

verè

verè,& propriè infidelitas,aut infidelitatis species aliqua (sicuti patet ex iis,quæ dicebantur *sup.sect.1.&2.*) sed (vt omittam, quod Azor.*tom.1.instit.moral. lib.9. cap.29.q.1.*& Suarez *tom.1.de Religione,tract.3.lib.1. c.6.circa finem*, id intelligunt de blasphemia,quæ contra Deum continet verbum contumeliosum, quod hæresim contineat, vel sapiat; quia blasphemia hæreticalis semper est contraria fidei : nam licet qui profert blasphemiam hæreticalem, illam interiùs non credat de Deo, peccat tamen contra confessionem fidei; cùm fides obliget, ne quis illam neget, non solùm mente,& exteriùs, sed nec etiam verbis externis) intelligi debet cum Caietano *cit. art.3.* & aliis, quod etsi de ratione
2 blasphemiæ (etiam in communi) non sit, sentire falsum de Deo, sit tamen de ratione ilius, significare aliquid falsum de eo; ad infidelitatis autem genus spectat non solùm si quis sentiat falsum de Deo, sed etiam si quis aliquid falsum significet de eo : non tamen ita, quod blasphemia sit infidelitatis species aliqua, sed quia sit species illi coniuncta : Quandoquidem blasphemus, licet non sentiat esse verum id, quod dicit de Deo, induit tamen personam illius, qui sic sentit de eo; cùm sic loquatur de Deo, ac si crederet ita esse, vel ita posse esse in Deo.

3 Vel intelligi debet cum Petro de Ledesma *in sum. tom.2.tract.1.cap.9.concl.3.*& Bannez *2.2.q.13.art.1. notabil.3.*quod confessio fidei sumatur à S.Thoma non pro ipsa fidei assertione, quo pacto illi opponitur infidelitas; sed vt est quædam laus diuina, & honor Dei, & sic illi opponitur blasphemia : Quapropter propriè, & formaliter loquendo, blasphemia opponitur virtuti Religionis, cuius est Deo, & sanctis reuerentiam exhibere. Valentia 2.2.*disp.1.q.13.punct.2.* Petrus de Ledesma, & Bannez *in locis suprà cit.*

4 Quod tamen intellige, si loquamur propriè, & formaliter de blasphemia, prout scilicet versatur circa Deum, vel circa Sanctos, vt habent quendam respectum ad ipsum Deum; quia si contumelia, seu contemptus irrogetur Sanctis, non vt habent respectum ad ipsum Deum; sed vt ipsi Sancti sunt in se quidam viri excellentes, non opponitur propriè Religioni, sed obseruantiæ congruam Sanctis reuerentiam deferenti, quæ est virtus quædam annexa Religioni. Vasquez *de adorat. imagin. lib.1. disp.6.c.4.* Turrian. 2.2.*disp.58. dub.2. in fine*, Valentia,Petrus de Ledesma, & Bannez *locis citatis*, & nos dicebam *suprà*, & distinctiùs dicemus *infrà sect.sequenti*; licèt oppositum non improbabiliter sentiat Suarez *tom.1.de Relig. tract.3.lib.1.c.5. n.6.* scilicet quod & contumelia prolata contra Sanctos, etiam vt sunt personæ quædam excellentes, habeat veram rationem blasphemiæ.

5 Sequitur 2. quod blasphemia interdicatur primo Præcepto Decalogi; quia cum ipsa opponatur confessioni fidei, blasphemiæ interdictio reducitur ad infidelitatem, quæ primo Præcepto interdicitur; vel cùm opponatur Religioni debitum Deo honorem exhibenti, interdicitur etiam primo Præcepto Decalogi, quod debitè Deum colendum præscribit : Quamvis etiam dici possit, quod blasphemia interdicatur 2. præcepto Decalogi; quia magis in vanum Dei nomen assumit, qui aliquid falsum asseuerat de Deo, quàm qui aliquid falsum confirmat per nomen Dei. S. Thomas 2. 2. *q.13. art.2.ad* 2. quem sequuntur alij Doctores passim.

6 Sequitur 3. quod sit blasphemia, quin & in primo gradu, & omnium pessima, si quis verè, vel falsò iuret per falsos Gentilium Deos, vt per Saturnum, Iouem, Venerem, Bacchum, vel Mercurium,&c. Sotus *de iust. & iur.lib.8.q.2. art.4. concl.1.* Alcozer *in sum.c.15.* & alij communiter : Quia cùm sic honorem vero Deo debitum falsis Diis tribuat, committit idololatriæ quendam actum; profitetur enim sic per illos iurans, esse illos summam, ac infallibilem veritatem in dicendo, atque adeò etiam in essendo.

Limita, nisi sic iuret causa ioci, & irridendi falsos 7
Deos,quia tunc cum nulla sit contumelia in Deum,sed potiùs in falsos gentilium Deos,nullum erit peccatum.

Sequitur 4. quod & sit blasphemia, si quis iuret 8
etiam per quamcunque creaturam, dummodo iurando sistat in creatura, & non vt Deus relucet in ea. S. Thomas 2.2.*q.89.art.6.*Sotus *de iust.& iur. lib.8.q.1. art.6.* Suarez *tom.1.de Relig.tract.3.lib.2.c.4.n.13.*& alij communiter; quia iurare est in testem adducere Deum, tanquam summam, & infallibilem veritatem, quæ nec falli, nec fallere potest : ergo si quis iuret etiam per creaturam sistendo in ea, hunc honorem Dei proprium exhibebit creaturæ, ac proinde erit etiam verè, & propriè blasphemus.

Quantum igitur spectat *ad 3. & 4.Corollarium*, est 9
grauissima blasphemia,& simul etiam idololatria,iurare per falsos Deos, cùm honor, qui Deo vero debetur, falsis diis tribuatur, & cùm qui sic iurat, asserat illos falsos Deos esse summam, & infallibilem veritatem in dicendo,atque adeò in essendo; quod soli Deo vero competit : Quamvis,si quis per illos falsos Deos iuraret, non quidem animo per illos iurandi, sed vel in illorum contemptum, vel ioci gratiâ, tunc non esset blasphemia, neque vllum peccatum.

Item similiter est grauissima blasphemia iurare per 10
quamcunque creaturam, non inultimatè, sed vltimatè, scilicet non vt est quid Dei, sed in ea sistendo, propter eandem rationem, vti rectè adnotarunt S. Thomas, Sotus, & Suarez *in locis suprà citatis* : Quia cùm iurare sit afferre in testem Deum,tanquam summam, & infallibilem veritatem, fit quod qui sic iurat per creaturam, in ea scilicet sistendo, tribuat creaturæ summam, & infallibilem veritatem, quod est blasphemia; cùm blasphemia sit tribuere creaturæ id, quod est proprium Dei : Et huiusmodi iuramentum opponitur etiam confessioni fidei; quia qui sic iurat, in actu exercito profitetur,creaturam esse primam,& infallibilem veritatem.

Hinc sequitur, quod cùm iurare per falsos Deos, sit 11
blasphemia, grauiùs peccet is, qui iurat verum per falsos Deos, quàm qui iurat falsum per verum Deum. Alensis 3.*p.q.51.memb.3.art.2.§.2.* Couart. *de pactis, p.1.§.2.n.10.* Sotus *de iust.& Iure,lib.8.q.2.art.2.conclus.1.& tract.de iuramenti abusu,cap.6.* Azor.*tom.1.instit.moral. lib.11.cap.12.q.15.* Suarez *tom.1.de Relig. tract.3.lib.1.c.6. num.15. & tom.2.tract.de iuramento, lib.1.c.3.n.6.*Suar. *in Claui regia, lib.5.c.3.n.58.* Aragon. 2.2.*q.89.art.6.dub.2.* Lessius *de iust.& iur. lib.2. c.42.dub.10.n.51.*Graff. *p.2.decis.lib.2.c.8.n.6.& c.11. n.5.* Quia cùm iurare verum per falsos Deos, sit vti dicebamus, blasphemia; iurare autem falsum per verum Deum sit periurium, & blasphemia ex alio capite sit peccatum grauius, quàm periurium, fit quod qui iurat verum per falsos Deos, peccet grauiùs, quàm qui iuret falsum per verum Deum.

Non obstat, quod *in c. Monet*, 2.*q.1.* quod est de- 12
sumptum ex S. Augustino *epist.154.* significetur contrarium, scilicet quod qui iurat falsum per verum Deum, peccet grauiùs.

Respondetur enim cum nonnullis, quos sequitur Suarez *vbi suprà,n.15.* id intelligi non intensiuè, simpliciter, vel absolutè, sed extensiuè, & secundùm quid. Quia scilicet iste talis peccat ex duplici capite, primò delinquendo contra humanam iustitiam, cuius officium est, vt in pactis fides præstita seruetur : secundò delinquendo contra Deum, afferendo illum in testem falsi; cùm tam intensiuè, simpliciter, & absolutè grauiùs peccet, qui iurat verum per falsos Deos : Quandoquidem, vti dicebam, iste talis committit peccatum blasphemiæ, quod est grauius peccato periurij : Vel

Respondetur secundò cum aliis, quos sequitur 13
Azor. *cit. q.12.* intelligi quando Christianus iurat verum per falsos Deos, putans illos esse reuera falsos Deos, & tamen iurat per illos solo animo decipiendi:

Quandoqui

Quandoquidem tunc iste talis, si fidem præstitam non seruat, peccat tantùm decipiendo, non tamen teuera est periurus, qualis est qui iurat falsum per verum Deum. Quapropter peccat grauiùs iste, quam ille. Vel

14 Respondetur tertiò cum Soto *loco suprà cit.* intelligi non absolutè, & simpliciter, sed in ratione periurij; quia qui iurat falsum per verum Deum, est verè, & propriè periurus; at qui iurat verum per falsos Deos, est periurus tantùm secundùm quid.

15 Sequitur quintò, quod etiam sit blasphemia, si quis dicat; *Non credo in Deum; nego, vel renego Deum; nego, vel renego crucem, fidem, Chrisma, vel inteneratam Deiparæ Mariæ Virginitatem*, & similia, Eymer. *in direct. Inquisit.* 2. *p. q.* 41. *n.* 1. & 2. Peña *ibidem comment.* 66. Bannez 2. 2. *q.* 13. *art.* 1. *circa finem*, Petrus de Ledesm. *in sum. tom.* 2. *tract.* 1. *c.* 9. *concl.* 6. Vgolinus *de casib. reseruat.* 2. *p. c.* 16. §. 3. *n.* 1. Rojas *de heret.* 2. *p. assert.* 12. *n.* 170. & *seqq.* Salzed. *in pract. Bernardi Diaz*, *c.* 110. *verf.* & *quia sapissimè*, Manuel *in sum. tom.* 1. *c.* 34. *n.* 1. Suarez *tom.* 1. *de Relig. tract.* 3. *lib.* 1. *c.* 5. *n.* 7. & *seqq.* Quia hæc omnia inuoluunt per modum indicatiui, fidei Deo debitæ abnegationem, & sic infidelitatem quandam; quod adeò verum est, vt & sint blasphemiæ etiam hæreticales, sicut infrà clariùs explicabimus.

16 Sequitur sextò, quod sit etiam blasphemia, si quis dicat; *Malum Deo contingat*. Couarr. *de pact.* 1. *p.* §. 7. *n.* 9. *vers.* 3. Salzed. *in practica Bernardi Diaz*, *cap.* 110. *vers.* & *quia sapissimè*, Manuel. *in sum.* 1. *tom. c.* 34. *n.* 4. Rojas *de haret.* 2. *p. assert.* 12. *n.* 171. & Azor. *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 11. *c.* 3. *q.* 2. Quia sic attribuit Deo id, quod à Deo, vtpote cui nullum malum contingere potest, est omnino alienum, nec ci vllo modo conue-

17 nit, vel conuenire potest.

Adde, quod sit etiam blasphemia, quodcumque conuitium, vel maledictum in Deum, aut in Sanctos; Couarr. *cit.* §. 7. *n.* 8. Valentia 2. 2. *disp.* 1. *q.* 13. *punct.* 1. *circa finem*, Azor. *tom.* 1. *inst. moral. lib.* 9. *c.* 28. *q.* 4. Suarez *tom.* 1. *de relig. tract.* 3. *lib.* 1. *c.* 4. *n.* 7. & Simanch *de cathol. inst. tit.* 8. *n.* 1. Quia nec conuitium, nec maledictum possunt ex aliqua parte eis conuenire; & si proferantur in sanctos, redundant in Deum, *vt infrà Co-*

18 *rollario* 14. diffusè dicetur.

Adde secundò, quod sit similiter etiam blasphemia quodcumque conuitium, vel maledictum in creaturas, quatenus Dei creaturæ sunt. S. Thom. 2. 2. *q.* 76. *art.* 2. quem cum Tolero *in loco suprà citando*, communiter sequuntur Doctores, quia conuitiari, vel maledicere creaturis, quatenus Dei creaturæ sunt, est conuitiari,

19 vel maledicere creatori.

Idemque dicas, si maledicatur creaturis vsum rationis habentibus, si maledicatur eis sub eadem ratione, quatenus scilicet similiter Dei creaturæ sunt. Toletus *in sum. c.* 13. *n.* 11. & alij passim, quia vtrobique est

20 eadem ratio, quod scilicet maledicatur Deus: quamvis blasphemia non sit, si quis dicat: *Mal'habbia, non dico Iddio*; quia addit particulam illam negatiuam: non erit tamen iste talis reprehendendus: sic Doctores,

21 quos sequitur Graff. *lib.* 1. *cas. reseruat. c.* 10. *n.* 71.

Sequitur septimò, quod sit etiam blasphemia, si quis (vt vulgò dici solet) dicat; *A dispetto di Dio*. Imola *in l. his verbis*, §. 1. *ff. de hæred. instit.* Socin. Sen. *lib.* 1. *cons.* 102. Grammat. *decis.* 50. Bossius *tit. de Inquisit. n.* 160. quos refert, & sequitur Menoc. *de arbitr. lib.* 2. *centur.* 4. *cas.* 375. *n.* 14. Couarr. *eodem* §. 7. *n.* 9. *vers.* 1. Decian. *de delict. tom.* 2. *lib.* 6. *c.* 2. *n.* 4. Clarus *lib.* 5. *receptar. in practica crim* §. *blasphemia*, *n.* 2. Tolet. *in sum. lib.* 4. *c.* 13. *n.* 6. Rojas *de haret.* 2. *p. assert.* 12. *n.* 172. Salzedo *in practica Bernardi Diaz*, *c.* 110. *vers.* & *quia sapissimè*, Azor. *tom.* 1. *inst. moral. lib.* 11. *c.* 3. *q.* 2. Suarez *cit. lib.* 1. *c.* 5. *n.* 6. Boër. *dec.* 301. *n.* 1. Albert. *tract. de agnosc. assert. q.* 6. *n.* 18. Gerard. *sing.* 38. *in fine*, Catald. *de syndic. q.* 163. Masc. *de probat. lib.* 1. *concl.* 194. *n.* 3. & *seqq.* Follerius *in practic. crim. in fragmentis*, *n.* 14. & alij communiter

quidquid in contrarium, quod scilicet non sit blasphemia, sentire videantur. Baldus *lib.* 3. *cons.* 476. Felinus *in proœm. decret. n.* 11. Angel. *in l. his verbis*, §. 1. *ff. de hæred. instituend.* Alexand. *ad Bart. in l. apud Labeonem*, §. *ait prætor ff. de iniuriis*, quos refert Couarr. *vbi suprà* & Atnon. *singul.* 4. sicut multa fiunt mala, quæ Deo displicent, ita & fiet hoc malum, quamvis Deo displiceat, quia reuera prædicta verba vel manifestè tendunt in derogationem diuinæ potestatis, itavt ea proferens velit, id faciendum esse; tamen si Deus omnipotens fieri noluerit, seu sua omnipotentia impedire voluerit vel quamvis hic sensus abesset, non potest iis verbis interpretatio aliter adaptari, quin in contemptum Dei, eiusque potestatis prolata censeantur.

Sequitur octauò, quod sit etiam blasphemia, si quis dicat, *Deus non potest*. Alex. *lib.* 3. *cons.* 15. *n.* 7. Socin. Sen. *lib.* 1. *cons.* 105. Couarr. *cit.* §. 7. *n.* 9. *vers.* 4. Menoc. *cit. cas.* 375. *n.* 4. Azor. *tom.* 1. *inst. moral. lib.* 11. *c.* 3. *q.* 2. Dec. *eod. c.* 2. *n.* 6. & alij communiter, quia sic manifestè potestati Dei aduersatur, & contemptum infert. 22

Limita cum Alexandro, Socino, Menochio, & Deciano *in locis suprà cit.* nisi qui ea verba profert, proferat super rebus in se ex natura sua non factibilibus, quæ neque potentiæ diuinæ subiacent. Aristotel. *lib.* 6. *moral. ad Nic. c.* 2. Bartol. *in l. non dubium*, *n.* 14. *C. de legib.* Tiraquell. *in tract. de iur. constit. p.* 3. *limit.* 6. *n.* 6. & *seqq.* & communiter tam Theologiæ, quàm Philosophiæ Doctores, vt si dicat: Deus non potest facere, præteritum non fuisse, vel non potest facere, duas propositiones contradictorias veras esse, v. g. idem simul esse, & non esse, & similia, quia tunc de Deo nihil falsum, sed potiùs quid verissimum dicit: Neque quod hæc Deus non possit facere, cedit in aliquam diuinæ potentiæ diminutionem, cùm id non proueniat ex defectu potentiæ diuinæ, sed solùm ex defectu termini, quod scilicet prædictæ res in se, & ex natura sua factibiles non sint.

Quamvis contrarium dixerint Soccinus, & quidam alij, quos citat, & sequitur Azenedo *lib.* 8. *recop. tit.* 4. *lib.* 6. *n.* 40. & *seqq.* ex eo quod prædicta verba tendant in contumeliam, & diminutionem diuinæ potentiæ, sitque in illis falsitas, si non in actu signato, saltem in actu practico, seu in actu exercito, ex modo dicendi: quod ad veram, & propriam blasphemiam sufficit ex iis, quæ sectione præcedenti circa finem dicebantur; Quoniam Doctorum opinio vera est, si qui prædicta verba profert, per modum conuitij, contumeliæ, vel contemptus proferat; at secùs si non per talem modum; quia tunc in illo modo dicendi non continetur vlla falsitas, atque adeò nec vlla ratio blasphemiæ. 23

Sequitur 9. quod sit etiam blasphemia, si quis dicat; *Deum tadeat*, vel *Deo displiceat*; sic DD. communiter; quia licèt quælibet ex his propositionibus non sit indicatiui modi, vt possit formaliter falsum importare; ex intentione tamen verba illa proferentis est tribuere Deo, quod Deo conuenire non potest, sicque quodammodo (scilicet in actu practico, seu in actu exercito) falsum significat: quod sufficit ad veram, & propriam blasphemiam, iuxta ea, quæ citata sectione præcedenti, circa finem dicebantur. 24

Limita cum Couarr. *de pactis*, §. 7. *n.* 9. *vers.* 5. Dec. *in tr. crim. tom.* 2. *lib.* 6. *c.* 2. *n.* 8. Claud. *ad Bertaz. ol. cons.* 553. *vers. ob hac. lib.* 2. Menoc. *cit. cas.* 375. *n.* 11. & aliis, nisi prædicta verba præferantur super facto, quod sit illicitum, v. g. tædeat Deum, vel displiceat Deo, hunc hominem fornicari, occidere, vel furari, &c. quia cùm id, tanquam quid, quod est peccatum, Deo displiceat, nihil Deo tribuitur, quod ei non conuenit. 25

Quæ limitatio mihi quidè probatur, si prædicta verba ex modo loquendi non redundent, nec proferantur in Dei contumeliam, & eius honoris diminutionem, iuxta eadem, quæ *cit. sect. praced. circa finem*, dicebantur. 26

Sequitur 10. quod sit etiam blasphemia, si quis dicat: 27

Velit, nolit Deus, peccatum hoc sum facturus; quia licèt peccatum repugnet diuinæ voluntati, & Deus nolit peccatum, eique illud displiceat; tamen adhuc huiusmodi verba important diminutionem diuinæ potentiæ, quasi Deus non possit impedire peccatum, quod homo hîc & nunc facturus decernit; & constat ex iis, quæ dicebam *suprà Corollario* 7. si quis scilicet dicat: *à dispetto di Dio*. Quandoquidem hæc verba, *à dispetto di Dio*, nihil aliud significant, quàm *velit nolit Deus*, vt explicant Doctores omnes *ibidem* citati.

28 Similiter est blasphemia, si quis dicat, *Velit, nolit Beata Virgo, restitues mihi quod debes*; cùm sensus sit: restitues mihi quod debes ad despectum Beatæ Virginis. Iul. Clarus *in §. blasphemia, circa principium*; quia huiusmodi verba proferuntur in contemptum Beatæ Virginis: Idem sentire videtur Caietan. 2. 2. *q.* 13. *art.* 1. *vers. Ex iis autem*, quatenus ait, quod nominare attributa diuina, v. g. sapientiam, potentiam, vel bonitatem Dei, &c. per modum contumeliæ, conuicij, vel irrisionis, sit blasphemia, quia talia verba in actu exercito, & in modo significandi continent falsitatem, & significant, quod illa attributa sint in Deo modo contemptibili, & irrisorio; cum tamen Deo competant, vt laude, & honore dignissimo. Sic in casu nostro, quamvis Beata Virgo nolit, sed quam maximè velit, quod debitum restituatur creditori; quia tamen illa verba proferuntur modo contemptibili, & irrisorio in Beatam Virginem, fit quod qui prædicta verba profert, blasphemiæ peccatum committat.

Quamvis hunc talem non esse blasphemum, putent Corneus *vol.* 1. *cons.* 101. Mascard. *vol.* 1. *de probat. concl.* 595. *n.* 8. *& seqq.* quia (inquiunt ipsi) cùm non restituere debitum creditori sit peccatum, non potest Beata Virgo impedire hanc restitutionem; alioquin diuinæ iustitiæ, & Deo se opponeret: Ergo cùm nihil istis verbis detrahatur potentiæ, & beatitudini Beatæ Virginis, prædicta verba non habebunt, neque sapient naturam blasphemiæ.

At quod dixi, est multò probabilius, quia cùm illa verba proferantur modo contemptibili, & irrisorio in Beatam Virginem, vti dicebam, verè habebunt, atque sapient naturam blasphemiæ; quia ex dictis, & ex Doctoribus communiter quos citat, & sequitur Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *centur.* 4. *cas.* 375. *n.* 7. *circa finem*, sola irreuerentia, & contemptus sufficienter importat, & operatur blasphemiam.

29 Cæterùm, si quis diceret: *Quamvis hoc sit peccatum, vel offensa Dei, sum tamen ego facturus*: non esset blasphemia; quia huiusmodi verba solùm important iniquam quandam peccandi voluntatem, non autem vllam potentiæ, vel alterius attributi diuini diminutionem, contumeliam, vel contemptum.

30 Sequitur vndecimò, quod sit etiam blasphemia, si quis dicat; *denoto Deum, vel deuoneo Deo*, si hæc verba faciant sensum, *non credo in Deum, vel abnego Deum*, vt volunt aliqui cum Couarr. *de pactis*, 2. *p.* §. 7. *n.* 9. *vers.* 7. vel si faciant sensum, *maledico Deo, execror Deum*, vt volunt Azeued. *in l.* 6. *regia, tit.* 4. *lib.* 8. *nona recopil. n.* 42. *&* 43. Azor. *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 12. *c.* 3. *q.* 2. & alij cum S. Augustino *libro quæstionum super Numeros, c.* 40.

Secùs si faciant sensum, *me voueo Deo*, vel *iuro per Deum*; quia tunc nullo modo blasphemiam, sed solùm voti, vel iuramenti formam important, & mihi probatur.

31 Sequitur XII. quod sit etiam blasphemia, si quis dicat: Deus non curat nostra, est iniustus, acceptator personarum, malè prouidus, vel crudelis, &c. Quia sic clarè tribuit Deo, quod ei non inest, vel clarè negat Deo, quod eidem inest; vbi propriè consistit ratio blasphemiæ, sicuti dicebam *suprà sect. præcedenti*: Quinimò est etiam propriè blasphemia hæreticalis, sicuti dicam *infrà sectione sequenti*.

2 Adde, quod sit etiam blasphemia, si quis nominet potentiam, sapientiam, iustitiam, vel quodcumque aliud attributum Dei, conuitiando, vel irridendo; quia sic est falsitas, saltem in actu practico, seu in actu exercito, scilicet ex modo loquendi, cùm prædicta attributa conueniant Deo, non vt sunt digna conuitio, vel irrisione, sed vt sunt digna summa laude, & summo honore, iuxta ea quæ dicebam *cit. sect. præcedenti, circa finem*. Et præter alios DD. *ibi* citatos, videri poterit Caietanus 2. 2. *q.* 13. *art.* 1. *vers. ex his autem*.

Adde 2. quod sit etiam blasphemia, si quis contumeliam, conuitium, irrisionem, vel vituperium inferat in quascumque res sacras, diuinum cultum, vel in similia alia, quæ referuntur ad Deum; quia omnia hæc in ipsum Deum eorum authorem redundant, sicuti *infrà Corollario* 14. dicam de vituperiis Sanctorum, & videri poterit præter alios Corduba *in quæstionario, lib.* 1. *q.* 17. §. 15. *in princ.* 33

Aduerte tamen, quod si quis in huiusmodi verbis iniuriosis, vel irrisoriis non nominet Deum, vel sanctum aliquem, sed dicat 1. *Por vida del tal: renego il tale: malum contingat tali, &c.* si per ly *del tale, il tale*, intelligat Deum, vel sanctum aliquem, absque dubio erit blasphemus, secùs autem si non: Manuel *in sum.* 1. *tom. cap.* 54. *n.* 2. Ludou. Lopez *in instruct.* 1. *p. c.* 282. *vers.* 4. & de his modis Petrus de Ledesma *in sum. tom.* 2. *tract.* 1. *c.* 9. *post* 5. *conclusionem, dub.* 1. & alij communiter, itavt totum dependeat in foro interno ex intentione proferentis; cuius tamen intentio in foro externo colligi debebit ex coniecturis: v.g. si talis est homo improbæ vitæ, & ea, vel similia verba profert iracundia furens, & oculos in cœlum eleuans, sit præsumendus quod proferat in Deum, vel in aliquem sanctum; si verò est probæ vitæ, & timoratæ conscientiæ, censendus, quod nomine, *del tale*, nec Deum, nec vllum sanctum intelligat; quia cùm totum pendeat (sicuti dicebam) ex intentione proferentis, ad coniecturas, & præsumptiones recurri debet; cum ea, quæ difficilè probantur, & in corde latent, coniecturis, & præsumptionibus probari debeant, iuxta doctrinam communem, quam tradunt Baldus *in l. Deo nobis, C. de sacros. Eccles. & in l. Quicumque, col.* 6. *vers.* 8. *nota, C. de seru. fugitiu.* Alexand. *lib.* 1. *consil.* 24. *circa finem*, Albert. *tract. de agnosc. assert. q.* 27. *n.* 19. Aymon *cons.* 73. *n.* 1. *& seqq.* Boët. *dec.* 164. *n.* 4. Neuiz. *cons.* 25. *n.* 15. Dec. *in cap. latòr causam, de probat. n.* 52. Gerard. *singul.* 9. *in princ.* & Marsil. *in rubr. de probat. n.* 238. 34 35

Aduerte 2. quod si quis verba blasphemiæ proferat sub conditione, v.g. *Non credo in Deum, renego Deum, Deus non est omnipotens, vel iustus, &c.* si vindictam non sumpsero de inimicis meis, vel si verum non est, quod ego assero, quamvis nonnulli, quos sequitur Salazar *de vsu & consuetudine, c.* 5. *n.* 18. *vers. vnde possunt*, putent huiusmodi verba non esse blasphemiam, eo quòd conditionalis nihil ponat in esse, probabilius sit oppositum, quod docent Cou. *de pactis*, 1. *p.* §. 7. *n.* 9. *vers.* 2. Corduba *in sum. q.* 61. Ludou. Lopez 1. *part. instructionis, c.* 582. *vers.* 6. *& de qualitate*, Rojas *de hæretic.* 2. *p. assert.* 25. *n.* 173. *& seqq.* Azeuedo *lib.* 8. *recopil. tit.* 4. *l.* 5. *n.* 14. & Alcozer *in sum. cap.* 15. *paulò post principium*, esse scilicet blasphemiam. 36

Probatur, quia sic fidei diuinæ omnimoda, seu summa firmitas, quæ ei, vtpote in primæ veritatis dicentis testimonio fundatæ competit, derogatur, cum sic significetur, quod quasi pendeat potiùs ex conditione contingenti, quæ scilicet possit euenire, & non euenire; & propterea, quia sic includitur tacita affirmatio negandæ fidei, omnipotentiæ, vel iustitiæ diuinæ, &c. in euentu, quo non sequatur vindicta illa de inimicis, vel veritas illius rei, quam ille talis affirmat; erit igitur hic blasphemia, cum fidei, omnipotentiæ, vel iustitiæ diuinæ, &c. tribuatur, quod in aliquo casu possit negari; sicque non sit summæ certitudinis, & firmitatis.

Sequitur

37 Sequitur decimotertiò, quod sit etiam blasphemia; si quis iuret: Per caput, vel per vitam Dei. Couarr. *de pactis*, 1.*p*.§.7.*n*.9.*vers*.6. Suar. *tom*.2. *de Relig. tract*.3. *lib*.1.*c*.5. *n*.8. Sotus *de iuram. abusu*, *c*.6. *& de iust. & iur. lib*.8.*q*.2.*art*.5. Rojas *de haret*. 2.*p*.*assert*.12.*n*.171. Menoch. *de arbitr. lib*.2.*centur*.4.*cas*.575.*n*.12. Salacedo *in practica Bernardi Diaz*, *cap*. 100. *vers. & quia sapissimè*, Alcozer *in sum*. *c*.15. *paulò post principium*, Azor. *tom*. 1. *inst. moral. lib*.11.*c*.3.*q*.2. Ludou. Lopez *p*.1.*instit*.*c*.282. Azeuedo *in l*.6. *regia*, *tit*.4.*lib*.8.*recop*. *n*.34. Medin. *in sum. lib*.1.*c*.14.§.2. & alij communiter.

Probatur, quia sic non adducitur, tanquam testis, vita Dei, sicut in hoc iuramento, *viuat Deus*, sed est potiùs iuramentum quoddam execratorium, cuius sensus est: *Amittat vitam Deus, si ita non est*; vt eum iuratur *per vitam, vel per caput Regis, vel parentis, &c.* sicque tribuitur Deo, quod ei non conuenit, nec conuenire potest, scilicet quod Deus possit vitam amittere; & mortalis esse: Atque adeò est falsitas, saltem in actu practico, seu in actu exercito, vt sic sit vera, & propria blasphemia, iuxta ea, quæ dicebam *suprà cit. sectione præcedenti, circa finem*.

38 Idemque dicas cum Ludouico Lopez, Alcozer, Azeuedo, & aliis vbi suprà, si quis iuret: *Per vitam Sanctorum*, quia similiter ex modo iuramenti cuiusdam execratorij falsò tribuitur Sanctis, posse eos vitam amittere, quod nec eis etiam conuenit, vel hîc & nunc conuenire potest; & prætarea, quia totum redundat in contumeliam Dei, sicuti patet ex dictis, & patebit etiam ex dicendis.

Quamvis blasphemia non sit, si quis dicat: *Viuit Deus*: quia sic nihil execratorium dicit de Deo, sed solùm in testem adducit Deum viuentem.

Vbi aduerte, quod nonnulli, quos sequitur Decian. *in tract. crim. tom*.2.*lib*.6.*c*.2.*n*.13. & Graff. 1.*p*. *decis. lib*.2. *cap*.19.*n*.13. quod iurare per vitam Dei, non sit blasphemia (nisi qui sic iurat, id intenderit) quia iurare, inquiunt ipsi, per vitam Dei, cum vita Dei sit de essentia ipsiusmet Dei, idem est, quod iurare per Deum (quod non est blasphemia) sicque qui iurat per Dei vitam, solùm videtur in testem adducere Deum viuentem.

At quod dicebam *suprà*, est communius, nisi in contrarium certò sit intentio proferentis.

39 Sequitur decimoquartò, quod sit etiam blasphemia, si quis dicat, *Tadeat, vel pæniteat S. Petrum*, vel quemcunque alium sanctum; aut si proferat quamcunque aliam contumeliam in quemcunque vnum ex sanctis, iuxta ea, quæ dicebam *suprà Corollario* 6. Et videri præter alios poterit Caietanus 2. 2. *quæst*. 13. *art*.1. *in solutione ad secundam*, & Suarez *tom*.1. *de Relig. tract*.3. *lib*.1. *cap*.5. *n*.6. subdens quod ad id non opus sit expressa habitudo ad Deum, qui in sanctis relucet, sed sufficiat virtualis, & implicita, quæ continetur in contumelia, vel vituperatio Sanctorum; quia sicuti ex S. Thoma 2.2.*q*.13.*art*.2. *ad* 2. quando laudantur opera, quæ Deus facit in Sanctis, laudatur in illis; ita similiter contumelia, quæ profertur in Sanctos, redundat in Deum, qui relucet in iisdem: Item sicut vt religiosè iuretur per sanctos, non opus est expressa habitudo ad Deum, sed sufficit virtualis, vel implicita, quæ continetur in sanctis; ita & similiter dicendum est in blasphemia, quando per eam vituperantur sancti.

40 Cæterùm, si quis contumelias in sanctos proferens expressè præscindat ab habitudine, quam sancti habent ad Deum, solamque sanctorum quasi quorumdam excellentium virorum excellentiam consideret, quamvis satis probabiliter nonnulli, quos sequitur Suarez *loco suprà citato*, putent esse veram, & propriam blasphemiam, probabilius tamen est oppositum, non esse scilicet veram, & propriam blasphemiam, sed solùm peccatum contra obseruantiam, Religioni quidem annexam, debitam sanctis, iuxta ea, quæ dicebam *suprà corollar*.2. *circa finem*, & docent Vasquez *in* 3.*part*. *disp*.98.*c*.4.*tom*.1. Valentia 2.2.*disp*.1.*q*.13. *punct*.1. & Turrianus *ibidem*, *disp*.58.*dub*.2. *circa finem*.

41 Sequitur decimoquintò, quod sit etiam blasphemia, si quis iuret *per Christi, vel sanctorum membra inhonesta, seu pudenda*, vel si ea quomodocumque inhonestè nominet. Caietanus 2.2.*q*.13.*art*.1. *vers. quoad secundum*, Angelus *verbo iuramentum* 3.*n*.18. Armilla *eodem verbo*, *n*.5. Couarr. *de pactis*, 1.*p*.§.1.*n*.6. Albert. *de cognosc. assert*. *q*.17. *n*.25. Bossius *tit. de inquisit*. *n*.171. *vers. Non obstat*, Dec. *in tract. crim. tom*.2.*lib*.6.*c*.2.*n*.3. *& seqq*. Catald. *de syndic*. *n*.104. *& seq*. Corduba *lib*.1. *q*.17. §.15. *notabil*.1. Suarez *de Relig. tom*. 1. *tract*.3. *lib*.1.*c*.4.*num*.8. *& seqq*. Sotus *de iust. & iur. lib*.8.*q*.2.*art*.3.*col*.7. Nauarrus *in sum. cap*.18.*n*.85. Castro *lib*.1. *de iusta hæret. punit. cap*.12. Simanch. *de cathol. instit. lib*.8.*n*.1. Valentia 2.2.*disp*.1.*q*.13.*punct*.1. *vers. cùm potest fieri*, Azor. *lib*.9.*inst. mor*.*c*.28.*q*.3. *& lib*.11.*c*.3.*q*.2. Azev. *lib*.8.*recop*.*n*.*tit*.6.*n*.55. & alij communiter.

Probatur, quia licèt Christus, & sancti reuera habuerint huiusmodi membra, habuerunt tamen illa, tanquam corporis partes naturales, non autem tanquam quid vituperabile, & ignominiosum: Quapropter ex modo loquendi iurantis esset falsitas, saltem in actu practico, seu in actu exercito, vt propterea iurans per huiusmodi membra Christi, vel Sanctorum, sit verè, & propriè blasphemus, iuxta ea quæ dicebam *suprà sect. præcedenti, circa finem*.

Non obstat, si dicas, quod Sylvester *verb. Blasphemia*, *q*.2. *&* 3. *& verbo iuramentum* 2. *circa finem*, Manuel *in sum. tom*.1.*cap*.34.*n*.2. & alij dicant, non esse verè, & propriè blasphemiam.

Respondetur enim, quod licèt hi Doctores dicant, non esse verè & propriè blasphemiam, subdunt tamen, esse blasphemiam quoad modum, & ita vt sit peccatum mortale; quapropter per id intendunt solùm dicere, non esse blasphemiam ex eis blasphemiis, quæ tribuunt Deo, vel sanctis id, quod Deus, vel sancti non habent; sed esse blasphemiam ex eis blasphemiis, quæ falsitatem continent quoad dicendi modum, ita vt sit verè, & propriè blasphemia, siue enunciatiuè, siue optatiuè membra pudenda in ignominiam Christi, vel sanctorum nominentur, iuxta eadem, quæ suprà dicebam, & docent Caietanus *loco citato*; vbi rectè ait, non esse differentiam formalem, siue quis ignominiosè nominet membra Christi, vel sanctorum pudenda (quæ reuera habent) siue quæ non habent, vt si quis iuret per sexum fœmineum Christi, vel alicuius viri sancti; quia quoad rationem ignominiosi, vel vituperabilis in vtroque casu de Christo, vel de sanctis dicitur falsò: Quamvis in posteriori casu dicatur non solùm falsò, sed etiam falsum, seu non solùm falsum formaliter, sed etiam falsum materialiter, seu tandem non solùm falsum vt quo, sed etiam falsum vt quod; & ideò subdit Caietanus, istam esse blasphemiam peiorem, scilicet non formaliter, sed solùm materialiter.

42 Petes: An si quis iuret per Dei, vel sanctorum membra honesta, sit etiam blasphemia?

Suppono, quod si iuret per membra Dei honesta, attribuendo ea Deo, vt Deus est, absque dubio sit blasphemia, cùm sic iurans attribuat Deo, quod ipsi Deo nec conuenit, nec conuenire potest; at nunquam videtur, quod quis in hoc sensu iuret, sed solùm per illa membra honesta, quæ Deus habet vt homo, v.g. per caput, oculos, manus, pedes, capillos, corpus, aut sanguinem, &c. Et si in hoc sensu quis, vt contingere consueuit, aliquando iurauerit, difficultas est, an sit etiam blasphemia?

Affirmant Glossa, Alexander, Bartolus *in Authent. Vt non luxurientur contr. natur. notab*.2. Albertinus *de agnoscend. assertion. quæstione* 27. *numero* 24. *& seqq*. Decian. *in tract. crimin. tom*.2.*lib*.6.*cap*.2. *num*.13.

n.13. & 14. Angelus *de malefic. verb. Verba iniuriosa, n.14. vers. Quaro qua pœna,* Addentes *ibidem in princ.* Baldus *in l.2. in fine, ff. de rebus cred.* Bonifacius de Vitalinis *tit. de pœnis blasphemantis, num.1.* Catald. *in tract. de syndicatu, n.104.* Diaz *in practica crimin. canon. verb. blasphemia, n.103.* Contrad. *in practica, tit. de iniuriantibus, n.25.* Bossius *tit. de Inquis. n.130. & seq.* Mascard. *de probat. lib.1. conclus. 195. n.6.* Claodius ad Bertazol. *cons.153. lib.1.* Menoch. *de arbitr. lib.2. centur.4. cas.375. n.14.* & alij, quos refert Couarr. *de pactis, 1. part. §.1. n.6.* ex quibus etiam ex parte consentit (si qui sic iurat, assuetus fuerit sic iurare, seu sic iurandi habuerit consuetudinem) quod si tamen sic iurandi non fuerit consuetudo, neque fuerit contemptus, subdit ipse, esse solùm culpam venialem. Idemque tenet Angelus *verbo Iuramentum 3. num.12.* vbi similiter ait, esse solùm culpam venialem, si quis reuerenter, & non cum magna frequentia sic iurauerit: Idemque etiam tenet Syluester *verb. blasphemia, q.2.* vbi inquit, esse blasphemiam quoad modum, si reuerenter iuretur; subdit tamen similiter *quæst.3.* non esse culpam mortalem, nisi casu quo irreuerentia fuerit notabilis, & magna.

42 Affirmant etiam Sotus *lib.8. de Iust. & Iure, quæst.2. at.3. col.7. & de Iuramentorum abusu, cap.6.* Aacuedo *in l.6. regia, tit.4. lib.8. recopil. num.60.* & alij, quatenus prædictum iuramentum inter blasphemias expressè reponunt.

Fauet *citata l.6. regia*, quatenus iurantem per quæcumque Christi membra, etiam honesta, iubet blasphemi pœnis puniri, quam *leg.6. regiam* explicans Couarruuias *loco suprà citato, §.7. n.9. vers.8.* ait, eius rationem esse, quia prædicti iuramenti sensus est execratorius, qualis est, si quis per vitam Dei, vel Sanctorum iurauerit, iuxta ea, quæ *corollario 13.* dicebam, & ideò esse blasphemiam.

Fauet etiam textus *in cap. si quis, 22. quæst.1.* vbi significatur expressè, quod sit blasphemia, quatenus ibi dicitur: [Si quis per capillum Dei, vel caput iurauerit, vel alio modo blasphemia contra Deum vsus fuerit, si in Ecclesiastico ordine est, deponatur.] His tamen non obstantibus,

43 Respondetur ex probabiliore sententia Caietani *in sum. verb. Blasphemia*, Armillæ *ibid. num.1.* Nauarri *in sum. cap.12. num.85.* Alcozer *in sum. cap.15. part.3.* Ludouici Lopez *1. part. instructionis, cap.282. vers. Postquam de malitia,* Sancti Antonini *2. part. titulo 10. c.4. in princ.* Syluestri *verb. Iuramentum 2. circa finem,* Manuelis *in sum. tom.1. cap.34. num.2.* Valentiæ *2.2. disp.6. q.7. punct.3. vers. Si verò aliquis iuret,* Tabienæ *verbo Iurare, quæst.5. num.6.* Petri de Ledesma *in sum. tom.2. tract.1. cap.9. post quintam conclusionem, corollario 2.* Toleti *lib.4. cap.13. num.6.* & aliorum, non esse blasphemiam.

44 Probatur, quia iurans per Dei, vel Sanctorum membra honesta, nihil tribuit Deo, vel sanctis, quod verè ipsi non habeant: Et ex alio capite, cum talia membra sint honesta, ea nominare non est inhonestas, & indecentia, qualis est, cum inhonesta nominantur: Et ideò non cedit in contemptum, ignominiam, vel derisionem Dei, vel Sanctorum; nec sensus iuramenti per talia membra est execratorius, sed simplex, sicut quando iuratur per Deum, per sacrosanctum iuramentum, per Euangelia, vel per sanctos, &c. Quinimò, si huiusmodi iuramentum reuerenter emittatur, in eo neque culpa venialis interueniet, sicut nec in aliis iuramentis, quæ licitè emittuntur: S. Antun. Syluester, Valentia, Tabiena, & alij *in locis suprà citatis.* Nec frequens consuetudo hoc iuramentum emittendi tribuit aliquid, vt blasphemia censeatur; quin neque vt peccatum mortale reputetur: quemadmodum nec alia iuramenta ex hac sola praua consuetudine mortalia redduntur.

45 Erit tamen blasphemia prædictum iuramentum, vel etiamsi absque vllo iuramento membra Dei, vel Sanctorum honesta nominentur, casu quo iniuriosè, vel per modum contemptus, aut vituperij cuiusdam nominarentur: Sic Doctores, quos sequitur Suarez *tom.1. de Religione, tract.3. lib.1. cap.9. n.11.* Toletus *citato cap.13. n.6.* & alij communiter; quia cùm prædicta membra non sint in Deo, vel in Sanctis vt quid ignominiosum, vel contemptibile, esset falsitas, saltem in actu practico, seu in actu exercito, ex parte modi dicendi (sicuti de membris inhonestis *suprà* dicebam) quod satis est ad veram, & propriam blasphemiam, iuxta ea, quæ dicebantur *sectione præcedenti, circa finem.*

Et forsan in hoc sensu intelligitur *Lex 6. regia suprà citata*, condemnans huiusmodi iuramentum tanquam blasphemiam; & sic similiter intelligitur textus *in citato cap. si quis, 22. quæst.1.* vbi significatur etiam, quod sit blasphemia. Vel dicas, quod vterque textus intelligatur, si quis iuret per membra Dei (quatenus Deus est) putans, Deum ratione Deitatis habere membra, cùm hoc sit hæreticum: At secus, si iuret per membra Dei (quatenus homo est) ratione scilicet humanitatis assumptæ, cùm hoc sit verissimum. 46

Petes: an si quis membra Dei, vel Sanctorum honesta nominet cum indignatione quadam, verbi gratiâ dicens: *Corpo ò sangre di D-o, di san Pietro,* &c. in aliquo iurgio, sit saltem blasphemia? 47

Respondetur quidquid in contrarium dixerint nonnulli, quos sequitur Suarez *tom.1. de Relig. tract.2. lib.1. cap.6. n.12.* negatiuè cum Caietano *in sum. verb. Blasphemia*, Armilla *eod. verbo, num.1.* Nauarro *c.12. n.85.* Valentia *2.2. disp.1. q.13. punct.1. in fine,* Toleto *lib.4. cap.13.* Sayro *in claui regia, lib.6. cap.13. num.3. circa finem.* Alcozer, Lopez, & aliis *vbi suprà*, qui tamen rectè subdunt, quod sit peccatum veniale graue.

Probatur, quia licèt sic prædicta membra Dei, vel sanctorum honesta irreuerenter nominentur, non tamen per modum contumeliæ, vel contemptus in Deum nominantur; & ex alio capite sic nihil falsum Deo, vel sanctis tribuitur, quod reuera non habeant: Ergo, &c.

Quod tamen intellige, si indignatio illa non sit in Deum, vel in sanctos, sed solùm in hominem, cum quo est iurgium, seu cum quo contenditur; quia si indignatio, vel ira sit in Deum, vel in sanctos, absque dubio erit blasphemia: quandoquidem in actu practico, seu in actu exercito falsè significatur, quod Deus, vel sancti indignationem mereantur; sic DD. communiter, quos sequitur Valent. *2.2. disp.1. q.13. punct.1. vers. Sed tamen illud,* & Sotus *de iuramentorum abusu, c.6.* subdens idem dicendum esse si quis dixerit, *O fides Dei cum tali homine:* ad modum quo Gentiles implorantes suorum Deorum fidem, aiebant: *Dy vestram fidem.* Quod scilicet sit similiter blasphemia, si indignatio fuerit in Deum, secus autem, si indignatio fuerit tantùm in hominē, cum quo est iurgium, seu contentio; quia in tali casu, sicuti dicebam, illam verba in contemptum Dei non proferuntur, nec per illa verba Deo iniuria irrogatur, vel quid falsi tribuitur; non tamen qui sic loquitur, sicuti etiam dicebam, excusandus est à peccato veniali graui, cum irreuerenter illa verba proferat, quemadmodum neque excusatur à peccato veniali graui, qui per Deum iurat ex indignatione; & cùm dicebam, quod iurans ad Corpus, vel Sanguinem Dei non sit blasphemus, intellige etiamsi hæc verba proferat ex indignatione quadam contra eum, cum quo iurans contendit; quod si verò proferret ex indignatione contra Deum, licèt vera sint illa verba, cum ex dictis, & ex Caietano *in sum. verb. Blasphemia,* post naturam humanam assumptam à Verbo diuino dici possit Corpus, & sanguis Christi, essent tamen blasphemia; quia prædicta verba ipse proferendo significaret in actu exercito, quod Deus mereatur indignationem, Sotus *de iuram. abusu, c.6.* & alij partim, quos citat, & sequitur Valentia *cit. punct.1.*

Quamvis

Quamvis Suarez *tom. 1. de Religione, tract. 3. lib. 1. c. 6. n. 11.* non omninò improbabiliter sentiat, quod eadem verba sic prolata semper (etiamsi ira, & indignatio sit contra hominem) habeant rationem blasphemiæ; quia, inquit ipse, sunt verba contumeliæ, & contemptus in Deum. Et si postea subdat, quod prædicta verba sæpè sæpiùs homines proferant quasi materialiter, & omninò ignorando, quid tunc significent; & tunc ij sic loquentes excusari possint à graui culpa blasphemiæ.

48 Sequitur 16. quod sit etiam blasphemia, si quis intendens adæquare veritatem humanam cum veritate diuina, seu ponere in suo dicto tantam certitudinem, quanta certitudo est in veritate diuina, dicat: [Verum est, quod dico, sicut Deus est ipsa veritas, vel sicut Deus est natus de Maria Virgine: vel dicat, hoc est Euangelium, vel credi potest tanquam Euangelium: vel dicat, sum innocens, sicut est Christus, vel S. Petrus, &c.] Sotus *de iuram. abusu, cap. 6. & de iust. & iur. lib. 8. quæst. 1. art. 3. col. 7.* Couar. *de pact. 1. part. §. 7. n. 9. vers. 11.* Suar. *tom. 1. de relig. tract. 3. lib. 1. c. 6. n. 12.* & alij passim: Quia cùm veritas diuina (vtpotè fundata in testimonio primæ veritatis dicentis, quæ nec falli, nec fallere potest) sit summæ, & omnimodæ certitudinis, qualis non est veritas humana, seu creata, ad quod significandum dixit Christus Dominus Lucæ 18. *Cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*, fit veritati diuinæ iniuria, si fiat talis adæquatio. Prætetquam quod includitur implicita propositio affirmatiua recedendi à veritate diuina, si defecerit veritas humana, seu creata.

Quod tamen intellige, si (quemadmodum dicebam) animus proferentis ea, vel similia dicta, sit veritatem humanam adæquare cum diuina, seu ponere in dicto suo tantam certitudinem, quanta certitudo est in veritate diuina; quia sic tribuitur creaturæ id, quod est proprium creatoris, quod propriè pertinet ad blasphemiam; secus autem si animus proferentis sit, quod id intendat per quandam similitudinem, siue per quandam proportionem non Arithmeticam, sed Geometricam, seu per quandam Analogiam, vel tandem exageratiuè per quandam exagerationem; ita vt sensus sit: hoc, quod dico, suo modo est verum, sicut ea veritas diuina. Petrus de Ledesma *in sum. tom. 2. tract. 1. c. 9. post quintam conclusionem, dub. 2.* Azeued. *l. 3. recop. tit. 4. lib. 6. n. 38. & seqq.* Medina *in sum. lib. 1. c. 14. §. 2.* Alcozer *in sum. c. 15.* Azor. *tom. 1. inst. moral. lib. 11. c. 3. q. 2. circa fin.* Ludou. Lopez *part. 1. instructionis, c. 582. vers. 3. de isto modo*, & alij communiter; quia tunc cessat ratio, quam suprà dicebam, vt scilicet fiat inter veritatem humanam, & diuinam omnimoda, vel arithmetica adæquatio; sicque cessat etiam, vt fiat iniuria veritati diuinæ, & tribuatur creaturæ, quod est proprium creatoris.

Totum igitur pendet ex intentione loquentium, qui sæpè loquuntur per exaggerationem, & non intendunt facere omnimodam, vel arithmeticam æquiparationem. Quapropter excusari possunt à malitia blasphemiæ, sicut etiam casu quo non aduertant, quid verba illa significent; vel si verba illa capacia sint alterius significationis, quam ipsi proferentes intendunt. Qua de re videri poterit Suarez *tom. 1. de relig. tract. 3. lib. 1. cap. 6. num. 6.*

49 Petes, quid dicendum in dubio, si scilicet non constet de sana proferentis intentione?

Respondetur, quod quamvis nonnulli (quos sequitur Azeuedo *loco suprà citato, num. 40.*) putent, esse tunc præsumendam blasphemiam, multò probabilius sit oppositum (quod docent Alcozer, Ludouicus Lopez, & alij passim.)

Probatur, quia ex communiter accidentibus non præsumitur in ea, vel similia alia dicta proferente animus adæquandi omninò veritatem diuinam, & humanam per proportioné arithmeticam; nec hic est communiter animus ea verba proferentis, sed est geometricè proportionalis, seu analogica quædam, vel hyperbolica locutio, cùm solùm exaggeret sui dicti veritatem, vel suæ personæ innocentiam, assimilando illas veritates veritati diuinæ, vel innocentiæ alicuius Sancti, per quandam similitudinem, vel analogiam, vti dicebam.

Sequitur 17. quod sit etiam blasphemia, si quis creaturæ tribuat aliquid, quod est proprium Dei, vbi quod *dæmon sit Sanctus, omnipotens, immensus, &c.* Vel quod *fatum regat omnia.* S. Thomas *2. 2. quæst. 13. art. 1. ad 3.* (quem sequuntur communiter Doctores.) Idque vel quia, sicuti vult S. Thomas, hoc ipso tribuit aliquid Deo, quod ipsi Deo non conuenit, cùm enim quodlibet attributum Dei sit ipsemet Deus, tribuens illud attributum creaturæ, hoc ipso dicis, creaturam esse idem cum Deo, & è contra, vel quia (sicuti volunt alij, quos sequitur Valentia *2. 2. q. 13. disp. 1. punct. 1.*) tribuens id attributum creaturæ, eo ipso dicit, illud non esse Dei proprium, sed commune cum creatura, ac proinde est blasphemus, vtpote qui negat de Deo, quod ei proprium est; & vtpote qui, cùm quodlibet attributum diuinum sit ipse Deus, tribuens creaturæ aliquod attributum diuinum, hoc ipso dicit, creaturam esse Deum: Et hoc blasphemiæ peccatum committere solent amatores fœminarum, quas ita ardenter amant, vt blasphemantes nominibus Dei propriis eas appellent. 50

Est etiam (vti dicebam) blasphemia vocare, quemadmodum in quibusdam locis mos est, diabolum sanctum, ex eo, quia cùm Deus habeat diabolum inimicum, qui sic blasphemat, tribuit Deo, quod habeat diabolum amicum: Tum ex eo, quia est contra sanctitatem Dei, quæ ex modo loquendi blasphemantis coniungitur cum peruerso subiecto, nempe cum diabolo. Nauar. *in sum. c. 12. n. 84.* Tabiena *verbo excommunic. 5. cas. 4. §. 12. n. 13.* & Graff. *lib. 1. cas. reseru. c. 10. n. 47.* Vbi aduertit, quod si quis ex quodam nequam vsu verborum hoc, vel quodcumque aliud blasphemum, velut ac si non esset alicuius ponderis, inaduertenter proferret, non peccaret mortaliter, quando sic dispositus esset, quod si id, quod profert, blasphemiam esse sciret, nunquam illud proferret. Et vbi etiam *paulò post, num. 49.* subdit, quod si qui profert verba blasphemiæ, ignoret (sicuti solent quidam idiotæ) vim verborum, talia verba non sint inter hæreticales blasphemias, quinimmò nec inter simplices blasphemias computanda.

Objicies: Ergo blasphemus est, qui in infortuniis 51 contingentibus (vt dici consueuit) dicit: *Sic tandem futurum erat:* Videtur enim sic significare, quod fato regente id euenerit; ita vt, quemadmodum gentiles putabant, fatum insit rebus, seu per fatum insit necessitas horum casuum contingentium, vel quod ordinatio diuina imponat hominibus necessitatem absolutam.

Respondetur, quod (quamvis ista talis propositio propter rationem dictam sit malè sonans, vt propterea illam proferens corrigi debeat) nihilominus, si intelligatur non de necessitate antecedente, absoluta, seu in causa, tollente rerum contingentes euentus, & libertatem humanam, sed de necessitate consequenti, conditionali, ac ex suppositione, seu in affectu, quâ omnia ordinata, ac præcisa à Deo ab æterno necesse est euenire, scilicet consequenter, non sit blasphemia, sed propositio vera, iuxta ea, quæ dicebam *in 1. part. S. Thomæ, disp. 4. quæst. 11. & 30.*

Sequitur 18. quod sit etiam blasphemia, si quis (vt 52 quidam solent) dicat, *Può far Dio*, proferens scilicet talia verba ex iracundia, vt in Deum aliquam inferat contumeliam; quamvis communiter non soleat esse blasphemia, quia prædicta verba proferentes solùm intendunt dicere, quod Deus possit facere, & per ea verba aliquid exaggerare: Peccant tamen venialiter, cùm sic irrogetur diuino nomini aliqua irreuerentia.

Sequitur 19. (ad mentem tamen Soti *lib. 8. de iust. & iur. q. 2. art. 3. col. 7.* Couar. *de pactis, 1. part. §. 7. num. 9.*

num.9.vers. 10. Menoch. *de arbitr. lib.* 1. *cent.* 4. *cas.* 375. Azeued. *lib.* 8. *recop. tit.* 4. *lib.* 5. *n.* 13. & aliorum) quod sit etiam blasphemia: *Si quis iuret per intemeratam Deiparæ Mariæ virginitatem*; ita vt huiusmodi iuramentum sit non solùm blasphemum, sed etiam nefandum; idque vel quia (sicuti vult Couarruuias) facit sensum execratorium, quem sensum facit etiam iuramentum *per vitam, vel caput Dei*, iuxta ea, quæ dicebam *suprà corollar.* 3. Quapropter & adducit quandam Pragmaticam Regiam, qua cauetur, quod huiusmodi iuramentum, tanquam blasphemia quædam puniatur. Vel quia (sicuti vult Sotus) per huiusmodi iuramentum videtur ignominiosè fieri mentio de membro pudendo Deiparæ Virginis Mariæ.

At mihi minùs probatur Doctorum istorum sententia; quia reuera prædictum iuramentum neutrum ex dictis sensibus sensum facit, sed per tale iuramentum tantùm in testem adducitur ea veritas diuina virginitatis Deiparæ Mariæ, sicuti quando iuratur per Deum, vel per aliquem sanctum, &c. Quapropter prædictum iuramentum neque est blasphemum, neque nefandum; quinimmò, si reuerenter emittatur, neque culpam etiam venialem inuoluit; sicuti contingit in cæteris iuramentis (si scilicet similiter reuerenter emittantur) in sententia communi omnium Doctorum.

54 Sequitur 20. ad mentem etiam aliorum, quod sit etiam blasphemia quodcumque periurium; quia periurans adducit Deum in testem falsitatis, quod ipsi Deo nec conuenit, nec conuenire potest.

At mihi minùs etiam probatur hæc altera Doctorum sententia; quia ex S. Thoma 2. 2. *q.* 13. *art.* 3. *ad* 2. periurans non dicit aliquid falsum de Deo, sed tantùm adducit Deum in testem falsitatis, non quasi iudicans, Deum posse esse testem falsitatis, aut volens id tribuere Deo, sed tantùm sperans futurum, quod Deus super hoc per aliquod euidens signum testificaturus non sit.

SECTIO V.

An sit blasphemia maledicere Sanctis?

SVMMARIVM.

1 *Blasphemia est maledicere Sanctis; quia cultus, quo Sanctos veneramur, est actus Religionis, cùm veneremur illos propter Deum, qui Sanctos eos efficit.*

2 *Iuramentum præstitum per Sanctos est actus Religionis, cùm etiam tunc iuretur per Deum, à quo sanctitas omnis procedit.*

3 *Blasphemia non solùm est maledictio prolata contra Sanctos, quando quis per illam intendit honori diuino detrahere, sed etiam quando quis maledicit Sanctos cùm aliqua habitudine ad Deum, putà vt sunt Dei amici.*

4 *Maledicens Sanctis non expressè quatenus sunt amici Dei, sed ratione excellentis sanctitatis, qua illi præditi sunt, est blasphemus; quia talis maledictio, seu contumelia, etiam continet malitiam blasphemiæ, si non directè, saltem indirectè.*

5 *Adoratio Sanctorum licèt sit distincta ab adoratione Dei, non tamen blasphemia Sanctorum est distincta à Dei blasphemia; quia ad contrahendam malitiam blasphemiæ non est necessaria formalis, & directa intentio maledicendi Deo in Sanctis, sed sufficit interpretatiua, & indirecta.*

6 *Laudans aliquem Sanctum non dicitur propriè, & directè laudare, at non ex hoc sequitur, vt qui maledicit Sanctis, non committat peccatum blasphemiæ.*

7 *Maledictio prolata in creaturam non sanctam, vt habeat malitiam blasphemiæ requiritur, vt formaliter, & directè maledicatur creaturæ, vt est Dei creatura; at non sic vt maledictio prolata in Sanctos habeat rationem blasphemiæ, sufficit voluntas indirecta, & interpretatiua.*

8 *Virtus, qua colitur Sanctus, vt excellens quædam persona est, non est virtus religionis, sed obseruantia; non ideò sequitur quod maledictio, seu contumelia quæ opponitur virtuti, non habeat propriè, & verè malitiam blasphemiæ, nisi præscindatur ab habitudine, quam habet ad Deum.*

RESpondetur affirmatiuè ex dictis *suprà, sect.* 1. *corollar.* 3. *diuis.* 3. & ex dictis *suprà sect.* 4. *coroll.* 6. & 14. sicque tenent S. Thomas 2. 2. *q.* 13. *art.* 1. Caietanus *ibidem ad secundum*, Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *centur.* 4. *cas.* 375. *n.* 14. Mascard. *de probat. vol.* 1. *concl.* 195. *n.* 1. & 4. Albertin. *de agnosc. assert. q.* 6. *n.* 23. Valentia 2. 2. *disp.* 1. *q.* 13. *punct.* 1. *circa fin.* Azor. *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 9. *cap.* 28. *q.* 4. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 13. *n.* 7. Suarez *tom.* 1. *de relig. tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 6. Sayrus *in claui Regia, lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 3. & alij communiter: Ita vt maledictio prolata contra Sanctos habeat verè, & propriè rationem blasphemiæ. 1

Probatur, quia cultus, quo Sanctos veneramur, est actus Religionis, cùm per eum non solùm veneremur, & honoremus Sanctos propter ipsos Sanctos, sed etiam propter Deum, qui Sanctos illos effecit: Ergo sic maledictio, qua maledicimus Sanctis, est blasphemia; cùm etiam tali maledictione maledicatur Deo, & tota iniuria redundet in Deum: Nam qui maledictionem profert in Sanctos, maledicit illis, quatenus sunt Sancti, & consequenter in illis maledicit Deo, cùm sanctitatem illis contulerit Deus.

Confirmatur, quia etiam iuramentum præstitum per Sanctos, est actus religionis; cùm etiam tunc iuretur per Deum, à quo sanctitas omnis procedit. 2

Vbi aduerte, quod maledictio prolata contra Sanctos non solùm sit blasphemia, quando quis per illam intendit honori diuino detrahere in Sancto, cui maledicit, seu quando intendit directè blasphemare Deum in Sancto (quod raro contingit) sed etiam quando quis maledicit Sancto cum aliqua habitudine, seu relatione ad Deum, quatenus ille sanctus est minister, & amicus Dei; quia talis maledictio, seu contumelia (quamvis blasphemans directè, & formaliter id non intendat) de facto tendit in Deum: Quinimmò si quis maledicat Sancto, non expressè quatenus est amicus Dei, sed ratione excellentis sanctitatis, qua ille præditus est, talis maledictio, seu cōtumelia etiam continebit malitiam blasphemiæ; quia talis intentio versatur circa obiectum quod tendit in contumeliam Dei. Nam quando quis verbum contumeliosum profert contra Deum, verè, & propriè contrahit malitiam blasphemiæ (quamvis directè, & formaliter non intendat inhonorare Deum, nec diminuere dignitatem, & honorem Dei) cum ad hanc malitiam contrahendam sufficiat actus voluntarius indirectus (scilicet quod homo potuerit, & debuerit cogitare, quod per illa verba inhonoretur Deus.) Ergo sic etiam & in casu nostro sufficiet voluntas eadem indirecta, quam dicebam. 3 4

Objicies: licèt Deus adoretur in Sanctis suis, tamen adoratio Sanctorum est distincta ab adoratione Dei: Ergo etiam blasphemia Sanctorum erit distincta à blasphemia Dei, ita vt is, qui maledixit Sanctis, non etiam maledicat Deo.

Respondetur: concedo antecedens; at nego consequentiam, & disparitas est, quia ex dictis ad contrahendam malitiam blasphemiæ non est necessaria formalis, & directa intentio maledicendi Deo in Sanctis, sed sufficit interpretatiua, & indirecta: At ad adorandum Deum in Sanctis, ita vt idem cultus, & eadem adoratio reputetur, requiritur formalis, & directa intentio, vt scilicet adorentur Sancti, quatenus sunt amici Dei; quia bonum est ex integra causa; & plura requiruntur ad bonitatem, quàm ad malitiam actuum. 5

Objicies 2. cùm quis laudat aliquem Sanctum, non dicitur propriè, & immediatè laudare Deum, nisi qui laudat Sanctum, intendat expressè, formaliter, seu di- 6

rectè

rectè laodare Deum in faocto ; ita vt alioquin talis actos sit actus Duliæ, & non Latriæ : Ergo cum quis maledicit Sancto, non committit propriè peccatum blasphemiæ, nisi expresè, formaliter, seu directè intendat maledicere Deo io sancto.

Respondetur similiter, vt suprà : concedo antecedens, at nego conseqoentiam ; & disparitas est, quia ex dictis plura requiruntur ad bonitatem, quàm ad malitiam actuum ; cùm in bonitate actus requiratur intentio formalis, & directa ; in malitia aotem, seu prauitate actus sofficiat interpretatiua, & indirecta.

7 Objicies 3. ad hoc vt maledictio prolata in creaturam non sanctam, habeat malitiam blasphemiæ, requiritur, vt formaliter, & directè maledicatur creaturæ, vt est Dei creatura : Ergo etiam ad hoc, vt maledictio prolata in Sanctos habeat rationem blasphemiæ, requiretur, vt maledicens formaliter, & directè intendat maledicere Deo, eumque inhonorare in sancto.

Respondetur etiam vt suprà : concedo antecedens ; at nego consequentiam, quia ex dictis etiam sufficit in casu nostro voluntas indirecta, & interpretatiua : Nec enim est par ratio in creaturis carentibus sanctitate, & in creaturis illam habentibus ; quia cùm sancti habeant intrinsecam habitudinem, seu relationem ad Deum, ratione status, in quo sunt, maledictio, seu contumelia prolata contra illos, censetur prolata contra Deũ. Et satis est, quod maledicens sancto potuerit, & debuerit considerare talem habitudinem, seu respectum, quem sancti habent ad Deum ratione status, in quo sunt : quem respectum non habent ad Deum aliæ creaturæ, sicque noo valet illa consequentia.

8 Objicies 4. virtus, qua colitur Sanctus, vt excellens quædam persona est, non est virtus Religionis, sed obseruantiæ : Ergo maledictio, seu contumelia, quæ opponitur virtuti (qua colitur Sanctus, quæ virtus est obseruantiæ) non habet propriè, & verè malitiam blasphemiæ, quæ opponitur religioni.

Respondetur : transeat antecedens ; at distinguo consequens, si qui maledictionem, seu contumeliam profert in sanctum, expresè præscindat ab habitudine, quam Sanctus habet ad Deum, solamque sancti, quasi cuiusdam excellentis viri, excellentiam consideret, concedo ; si secus, nego. Vasq. *in 3. part. disp. 98. cap. 4. tom. 1.* Valentia *2. 2. disp. 1. q. 13. punct. 1.* Turrianus *ibid. disp. 58. dub. 2. circa fin.* & alij. Dixi præterea : *Transeat antecedens*, quia satis probabiliter alij, quos sequitur Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. c. 5. n. 6.* tenent quod io omni maledictione, seu contumelia, quæ profertur in sanctum, contineatur duplex malitia, vna scilicet contra obseruantiam, & altera contra Religionem, quemadmodum sæpè contingit in multis actibus peccaminosis, in quibus continentur plures malitiæ. Ita vt maledictio, seu contumelia prolata in sanctum contineat etiam veram rationem, seu malitiam blasphemiæ. Vide quæ dicebantur *suprà, sect. 1. supposit. 3. diuis. 3.* & quæ dicebantur etiam suprà *sect. 4. corollar. 1. & 4.*

SECTIO VI.

An sit blasphemia maledicere creaturis?

SVMMARIVM.

1 *Blasphemus est, qui maledicit creaturis, siue rationalibus, siue irrationalibus, prout creatura sunt effectus, vel opera Dei; quia sic totum cedit in contemptum, iniuriam, seu contumeliam Dei.*

2 *Amplia, id verum esse etiamsi maledicat diabolum, cùm etiam sit creatura, effectus, & opus Dei; secus si illum maledicat ratione suæ culpæ.*

3 *Blasphemus non est maledicens creaturis, non intendendo maledicere eis, prout creaturæ Dei sunt, sed quia ea maledicenti inferunt aliquod incommodum, neque in tali casu peccat mortaliter.*

4 *Amplia neque peccare venialiter, si maledicat prædictis creaturis prout præcisè continent aliquid mali, vel sunt causa alicuius mali; quin hinc nullo modo maledicit eis, prout sunt tales res, sed solùm ratione mali cuius sunt causa.*

5 *Maledicentis periculum in dictis maledictionibus inest maledicendi creaturis, prout sunt aliquid Dei, & ne indignatio feratur in Deum.*

6 *Maledicens horæ, diei, vel anno, &c. si per hæc intelligat solùm spatium illud temporis, erit peccatum mortale, vel veniale secundum tradita superiùs; at si aliquem sanctum, cuius festum colitur in illa hora, die, vel anno, erit mortale.*

7 *Maledicens creaturæ irrationali in ordine ad creaturam rationalem, v. g. agro, vel equo, eo quòd sit huius, vel illius domini, peccat mortaliter.*

8 *Maledictionis prædictæ peccatum non est blasphemiæ, sed odij contra charitatem proximi, cùm malum creaturæ irrationalis redundet tunc in damnum proximi, itavt sit maledicere ipsi homini in casu prædicto.*

9 *Maledicens creaturis irrationalibus sine ulla habitudine, seu relatione ad Deum, vel ad hominem, sed solùm secundùm se, non peccat mortaliter, sed solùm venialiter; quia scilicet profert verbum otiosum. Secus si quatenus referuntur vel ad Deum, vel ad hominem, quia erit respectiuè blasphemia, vel odium contra charitatem.*

10 *Maledicens creaturæ rationali, imprecando ei malum, committit peccatum ex genere suo mortale. Veniale tamen si malum, quod imprecatur, sit leue, vel non ex animo, sed tantùm ex ira.*

11 *Maledictiones, quas parentes communiter in filios, domini in famulos, coloni, & muliones bobus, ac mulis conjiciunt, non sunt peccata mortalia; quia non proferuntur ex animo, vt illis eueniant.*

12 *Parentes assueti maledicere filiis etiam non ex animo, secundùm Valentiam peccant mortaliter ratione scandali, quæ sententia auctori non omninò improbatur, cum exinde filij occasionem sumant maledicendi aliis personis.*

13 *Filij maledicentes parentibus, præsertim ipsis præsentibus & audientibus, non excusantur à peccato mortali.*

14 *Serui maledicentes Dominis, & subditi maledicentes Prælatis, etiamsi non ex animo, præsertim ipsis præsentibus, & audientibus, peccant mortaliter.*

15 *Imprecans proximo suspendiũ, malam mortem, à diabolo euehi quò ille velutris, peccat mortaliter, si interiùs & ex animo; secùs autem si exteriùs & ore tantùm.*

16 *Committens, seu commendans aliquem diabolo etiam non ex animo, secundùm Sotum peccat mortaliter; at auctori id minùs probatur in casu, quo ille diabolo seipsum committeret.*

17 *Imprecans malum alteri ex ira, vel indignatione, sed ita quod pro tunc vellet, vt illi eueniret tale malum, peccat mortaliter, quamuis statim postea transacta ira, vel indignatione nollet, vt illi eueniret prædictum malum.*

18 *Hieremias graue malum optauit homini, qui nunciauit eius Patri ipsius Hieremiæ natiuitatem; at quia huiusmodi verba protulit per hyperbolem, scilicet ad exprimendum, & exaggerandum, non peccauit; quia non ex animo optauit tot, & tam grauia mala ei.*

19 *Item protulit prædicta verba non simpliciter & absolutè, sed subintellecta conditione, nempe si vllus dies infaustus, & infelix est, illum dicerem natalem meũ.*

20 *Hieremias maledixit diei natalis sui, non in se ipso, scilicet vt quid est in se, sed ratione ingentium malorum, quæ homini in hac vita contingunt, & in die natiuitatis incipiunt.*

21 *Hieremias maledixit diei natalis sui, quatenus fuit principium peccatorum, & miseriarum, & quatenus*

continebat

11 *heretic. punit. cap.* 12. & alij docent, quod licèt omnis blaſphemia, in quantum eſt voluntaria, ſit à mala voluntate, non tamen omnis blaſphemia ſit cum voluntate affecta ad derogandum diuinæ bonitati; quemadmodum licèt omne credere ſit voluntarium, non tamen omne credere eſt cum voluntate affecta charitati Dei:

12 Quapropter ſubdunt, quod hæc voluntatis malitia ſe habeat ad intellectus blaſphemiam, ſicut charitas ſe habet ad finem: Sicque ſicut fides poteſt eſſe ſine charitate; ita & blaſphemia poſſit eſſe ſine hac affectus malitia. His poſitis,

13 Reſpondetur ad petitionem, quod de ratione blaſphemiæ ſit quidem diminutio, ſeu derogatio diuinæ gloriæ, maieſtatis, ſeu bonitatis, id tamen poſſit contingere dupliciter: Primò, volendo id directa intentione, quo modo damnati blaſphemant Deum: Secundò indirectè, quando ſcilicet qui iis circumſtantiis, & eo modo blaſphemiam vſurpat, vt (quamvis ipſe directè nolit detrahere diuinæ maieſtati) meritò tamen ex circumſtantiis, & ex modo blaſphemandi vſurpatio illa iudicetur habere diuinæ maieſtatis diminutionem, derogationem, ſeu contemptum, v. g. ſi blaſphemiam dicat ſeriò, & ea quadam indignatione (quæ prudenter iudicatur pertinere quodammodo ad Deum) ſit vera blaſphemia; ſi verò blaſphemiam dicat ioco, vel alio fine (vt ad docendum, &c. non ſit (quamvis id aliunde poſſit eſſe peccatum leuitatis, vanitatis, vel ſcandali) vera blaſphemia: Quod tamen intelliga, niſi ex iocoſo modo dicendi talia verba, adhuc redundaret diminutio diuinæ gloriæ, maieſtatis, ſeu bonitatis, iuxta ea, quæ infrà dicentur; quia tunc ea verba dicens adhuc cenſebitur indirectè velle diuini honoris diminutionem, ſeu contemptum; qua de re videri poterit Valentia 2. 2. *diſp.* 3. *q.* 13. *punct.* 1. *notab.* 2.

14 Hinc ſequitur, quod dum Caietanus, Caſtrus, & alij dicunt, quod deteſtatio voluntatis ſe habeat ad blaſphemiam, ſicut charitas ſe habet ad fidem, loquantur (vt vndequaque æquiparatio procedat) de deteſtatione, quæ eſt formale odium Dei, ac directè opponitur charitati.

15 Sequitur 1. quod blaſphemia retinens veram ſpeciem blaſphemiæ, ſit duplex; vna informis, & non vndequaque perfecta (nempe quæ non procedit ex odio Dei, ſed ex rixa, iracundia, vel alia paſſione) eſt tamen vera, & perfecta blaſphemia, intra propriam blaſphemiæ ſpeciem, & deſtituitur ſola perfectione extrinſeca (quemadmodum fides abſque charitate eſt vera, & perfecta fides intra propriam fidei ſpeciem; at quia deſtituitur perfectione, & forma extrinſeca charitatis, dicitur fides imperfecta, & informis.) Altera autem perfecta, & formata, nempe quæ procedit ex odio Dei; ſic Doctores, quos ſequitur Bannez 2. 2. *quaſt.* 13. *art.* 1. *notab.* 4. & Petrus Ledeſma 2. *tomo ſumma, tract.* 1. *cap.* 9. *concluſ.* 4.

16 Prior dicitur à S. Thom. *citato art.* 1. blaſphemia ſecundùm intellectum, non quia voluntas non adſit, ſed quia deſit hæc deteſtatio Dei.

17 Poſterior autem dicitur ſecundum affectum, iuxta ea, quæ non ſuprà dicebantur.

18 Sequitur 3. quod blaſphemia propriè, & eſſentialiter conſiſtat in dicendo contra Deum aliquid, quod eius honori derogat, ſeu eius honorem diminuat; quia (ſicut in fide reperitur interior fidei rerum aſſenſus, & hic pertinet ad ipſam fidem: Et reperitur ipſos fidei articulos corde, vel ore dicere, & hoc pertinet ad fidei confeſſionem) ſic in infidelitate reperitur diſſenſus fidei rerum, & hic pertinet ad infidelitatem, eſtque vera hæreſis: Et reperitur aliquid intus, vel extra aut contra fidem dicere, & hoc pertinet ad blaſphemiam, ita vt in hoc eſſentialiter conſtituatur blaſphemia; ſicque blaſphemia non conſiſtat in ſentiendo aliquid contra Deum, ſed conſiſtat in dicendo aliquid contra Deum. Caietanus 2. 2. *quaſt.* 13. *art.* 1. *verſ. ad euidentiam horum.* Caſtro *lib.* 2. *de iuſt. heretic. punit. cap.* 12. & alij.

Sequitur 4. quod blaſphemia non ſit propriè, & eſſentialiter infidelitas; quia infidelitas propriè conſiſtit in aſſenſu aliquo interno falſo, & in externa aſſeueratione alicuius falſi de Deo, quæ ex tali interno aſſenſu falſo de Deo exoritur; blaſphemia verò neutrum iſtorum requirit, ſed ſolùm conſiſtit in ſignificatione aliqua falſa de Deo; qualiter autem blaſphemia ad infidelitatem pertineat, & æqualiter fidei confeſſioni opponatur, dicetur *infrà ſect. ſeqq.* 19

Blaſphemia igitur diſtinguitur ab infidelitate; quia ſicuti dicebam, infidelitas non eſt, niſi falſus mentis aſſenſus contra fidem; at blaſphemia conſiſtit in verbis: Nec enim blaſphemus, quod contra Deum verbis contumelioſis profert, credit de Deo, ſed ad contra Deum quid dicendum, ab ira, vel odio, vel alia animi perturbatione, & non ab interiori intellectus errore mouetur. Caietanus 2. 2. *q.* 13. *art.* 1. Valentia *ibidem, diſp.* 1. *quaſt.* 13. *punct.* 2. & alij paſſim. Et quidem fideles dicere poſſunt: *Vtinam Deus non eſſet, vel vtinam Deus eſſet iniuſtus:* quia certum eſt, quod blaſphement, & tamen non habeant errorem in intellectu; cum de facto credant, Deum eſſe per eſſentiam, ita vt non poſſit deficere, Deumque non eſſe iniuſtum, ſed eſſentialiter iuſtum: Ergo blaſphemia diſtinguitur ab infidelitate, nec ſemper ſupponit infidelitatem, ſeu errorem in intellectu. 20

Quod adeò verum eſt, vt blaſphemia etiam hæreticalis diſtinguatur ab infidelitate; quia dæmones, & damnati vocant Deum iniuſtum, crudelem, ſine miſericordia; & tamen de Deo non ita ſentiunt, & credunt: Ergo blaſphemia etiam hæreticalis diſtinguitur ab infidelitate: Tum quia homines ſæpè blaſphemant Deum, vocando illum iniuſtum, perſonarum acceptorem, non habere curam rerum huius mundi; & tamen de Deo non ita ſentiunt, & credunt: Ergo blaſphemia, etiam hæreticalis, diſtinguitur ab infidelitate: Tum quia ſæpè contingit, vt quis vocet aliquem latronem, adulterum, hæreticum, &c. & tamen de illo interiùs non ita ſentit, ſed huiuſmodi verba ex ira, vel aliqua animi paſſione profert contra illum: Ergo ſimiliter poteſt quis contumelioſa, & hæreticalia verba proferre contra Deum, & tamen non ita ſentire de Deo; & conſequenter poteſt blaſphemia etiam hæreticalis eſſe ſine infidelitate, ita vt clarum ſignum ſit, quod & ipſa diſtinguatur ab illa. 21

Vbi aduerte, quod quando quis profert contra Deum hæreticales blaſphemias, in tali loquutione continetur malitia, quæ opponitur confeſſioni fidei, & malitia quæ opponitur diuino honori, ſicut etiam quando hæreticus aliquid falſi de Deo profert, in tali actu continetur malitia infidelitatis (cùm errorem contra fidem contineat) & malitia contra confeſſionem fidei, cùm falſa de Deo loquatur, & malitia blaſphemiæ (cùm verba contumelioſa contra Dei dignitatem proferat) ſicque omnis hæreticus, qui de Deo falſa loquitur, non ſolùm eſt hæreticus, ſed etiam eſt blaſphemus. Caſtro *lib.* 1. *de iuſta hæreticorum punitione, cap.* 12. Toletus *lib.* 4. *cap.* 13. & alij communiter. 22

Non obſtat, ſi dicas: Hæreticus non intendit blaſphemare Deum: Ergo non eſt blaſphemus. 23

Reſpondetur enim: Nego conſequentiam, quia ad malitiam blaſphemiæ ſufficit, vt quis faciat actum contumelioſum contra Deum; licèt directè, & formaliter non intendat diminuere honorem, & dignitatem Dei. Hæreticus tamen interior non eſt blaſphemus; quia blaſphemia conſiſtit in locutione contumelioſa contra Deum, vel contra Sanctos, non autem in falſa opinione, ſicuti ſuprà *ſect.* 1. *ſuppoſito* 3. dicebam.

Cæterùm, quamvis blaſphemia non ſit propriè, & eſſentialiter infidelitas, nec vera, & propria infidelitatis ſpecies; poteſt tamen inueniri coniuncta 24

cum

cum infidelitate, sicut & disiuncta ab eadem; itavt si quis dicat aliquid diuino honori derogans, credens ita esse, fit simul hæreticus, & blasphemus. Hæreticus, quatenus credit; blasphemus, quatenus dicit: si credit, & non dicit, fit tantùm hæreticus; si verò non credit, & dicit, fit tantùm blasphemus. Videri poterit Valentia 2.2. *disp.* 1. *q.* 13. *punct.* 2. & Castrus *lib.* 1. *de iusta heret. punitione, cap.* 12.

25 Sequitur 4. quod ad blasphemiam non requiratur loquela externa contra Deum, sed sufficiat solùm interna, vt scilicet quis solùm concipiat per simplicem quandam intellectus apprehensionem, Deum esse quod non est, vel Deum nō esse, quod est. Et blasphemia ista dicitur blasphemia cordis. At si verò prorumpat in loquelam externam, dicitur blasphemia oris. S. Thomas 2.2. *q.* 13. *art.* 1. quem sequuntur communiter DD.

26 Quod adeò verum est, vt non improbabiliter ex sententia Castri *loc. supr. cit.* Cordubæ *in quæstionario lib.* 1. *q.* 17. §. 15. *notab.* 1. Graff. *lib.* 1. *casuum reseru. c.* 10. *n.* 4. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *centur.* 4. *cas.* 376. & aliorum, blasphemia etiā in solis factis, & signis (vt si quis Sanctorum Imagines conculcet, vel expuat) consistere possit, quamvis ex sententia aliorum, vt S. Thomæ 2.2. *q.* 13. *art.* 1. Alens. 3. *p. q.* 13. *memb.* 6. Nauar. *in sum. c.* 12. *n.* 81. & Lessij *de Iust. & iur. lib.* 2. *c.* 45. *dub.* 5. *n.* 24. quos sequitur Suarez *tom.* 1. *de Relig. tract.* 3. *lib.* 1. *c.* 4. *n.* 4. & 5. Probabilius esse videatur oppositum, quod scilicet blasphemia propriè non in factis, & signis, sed in solis verbis, mente, ore, vel scripto prolatis consistat; quia blasphemia propriè opponitur laudi diuinæ, quæ solis verbis exhibetur etsi honor quibuscumque verbis,
27 & factis, vt ait S. Thomas 2.2. *q.* 103. *art.* 1. *ad* 3. exhibeatur: tum quia blasphemia communiter vocatur vitiū linguæ: tum quia blasphemia est sacrilega infamatio; sed infamatio non fit sine verbis: ergo blasphemia propriè requirit verba; tum quia blasphemia consistit in maledictione, & conuitio Dei, sed maledictio, & cōuitium non potest esse sine verbis, mente, ore scilicet, vel scripto prolatis: Ergo, &c. Tum quia contumelia contra hominem propriè consistit in verbis: Ergo & contumelia etiam contra Deum propriè consistet in verbis: tum denique, quia aliàs Idololatria, & similia vitia cùm verum Dei cultum ipso facto negent, illúmque creaturæ tribuant, possent dici propriè, & verè blasphemia; quod non videtur dicendum.

28 Non obstat, si dicas: Potest homo improbus in contemptum Dei tectā pedibus cōculcare, Sanctorum Imagines cædere, lacerare, vel conspuere; in cœlum lapides vel sputum coniicere, &c. Quo facto blasphemaret: ergo blasphemia non necessariò requirit, vt fiat verbis.

Respondetur enim, concedo antecedens; quia reuera si quis illis signis vellet blasphemiam exprimere, talia signa quidem, vtpote æquiualentia verbis, haberent rationem blasphemiæ: At quia non est talis vsus, vt scilicet huiusmodi signis blasphemia exprimatur; ideò absolutè dicitur, quod blasphemia consistat verbis ore, vel scripto prolatis.

29 Non obstat secundò, si dicas: blasphemia est dicere, Eucharistiam esse communem, & vsualem panem: Ergo blasphemia etiam erit, illam, tanquam communem, & vsualem panem, comedere in mensa communi; sed huiusmodi actio consistit in mero, & solo facto: ergo ad blasphemiam non necessariò verba requiruntur.

Respondetur enim, vt suprà, quod si quis tali signo comestionis vellet similiter exprimere blasphemiam, tale signum, vtpote æquiualens etiam verbis, haberet eodem modo rationem blasphemiæ, quamvis propriè, & vtplurimùm, Eucharistiam, tanquam communem, & vsualem panem, comedere in mensa communi, non sit blasphemia, sed solùm actio sacrilega, vt & solùm actio sacrilega est Eucharistiam proiicere canibus, & similia.

30 Non obstat tertiò, si dicas: In sacris literis, vt 2. *Esdra, cap.* 9. & *Matth. cap.* 27. &c. dicuntur aliqui blasphemare factis: Ergo.

Respondetur enim, etiam vt suprà, id esse, si ij factis illis vterentur, tanquam signis ad exprimendam blasphemiam: at secus, si aliter: Vel respondetur secundò, distinguo: dicuntur aliqui blasphemare factis, solitariè sumptis, nego; dicuntur aliqui blasphemare factis, ratione verborum blasphemorum, quæ huiusmodi factis coniungebantur, itavt ratione talium verborum adiunctorum, facta etiam dicantur blasphemiæ, concedo.

Atque hinc patet ad rationem dubitandi suprà posi- 31
tam. Petes secundò, qualiternam blasphemia semper aliquid falsi contineat?

Ratio dubitandi est; quia nonnulli, quos sequitur Suarez *cit. c.* 4. *n.* 9. Turrian. 2.2. *disp.* 58. *dub.* 1. *vers. Verùm hæc,* & Azor. *tom.* 1. *inst. moral. lib.* 9. *c.* 28. *q.* 1. & 2. id negant, quatenus aiunt, satis esse ad blasphemiæ rationem, quod quis verba contumeliæ in Deum, vel sanctos, etsi non falsa, proferat. Et probant; quia veritas, & falsitas solùm reperitur in modo indicatiuo, sed blasphemia explicatur interdum per modum imperatiuum, vel optatiuum; imprecando, vel optando Deo malum, vt si quis v.g. dicat: *Pæniteat Deum,* vel *vtinam Deus sit iniustus,* &c.) Ergo. Tum quia inhonestè membra Christi, vel Sanctorum pudenda nominare, est blasphemia, (sicuti *infrà* dicetur) & tamen ibi nulla est falsitas: Ergo, &c. His tamen non obstantibus.

Respondetur, quod ex probabiliori sententia Caietani 2.2. *q.* 13. *art.* 2. § *Quoad secundū,* & §. *Ex his autem.* Bannez *ibid. notab.* 2. Aragon. *coroll.* 3. Petri Ledesma *in sum.* 2. *tom. tract.* 2. *c.* 9. Valentiæ 2.2. *disp.* 1. *q.* 13. *punct.* 1. Toleti *lib.* 4. *c.* 13. *n.* 6. Simanch. *de Cathol. inst. tit.* 8. *n.* 2. & aliorum, blasphemia semper aliquid falsi contineat, itavt semper in ipsa aliquid falsi subsit, falsum
enim dupliciter potest esse falsum. Primò, in actu si- 32
gnato, enunciatiuè, seu propriè, & rigorosè, vt cùm aliquid falsum Deo tribuitur v.g. est iniustus, vel acceptator personarum, &c. Aut cum aliquid verum Deo negatur, v.g. non est omnipotens, vel immensus, &c. quod contingit solùm in modo indicatiuo, in quo solo modo consistit falsitas enunciatiuè, propriè, & rigorosè, scilicet in enunciatione eius, quod est, aut non est. Secundò, in actu practico, vel exercito, affectiuè, seu minùs propriè, & minùs rigorosè, vt cùm (etsi verum significetur) ex ipso tamen irrisorio, vel contumelioso significandi modo, significatur id esse in Deo, vel in sanctis, tanquam quid irrisorium, & contemptibile, v.g. si quis inhonestè membra Christi, vel Sanctorum pudenda nominet: In quo modo non consistit falsitas in enunciatione eius quod est, vel non est, & sic enunciatiuè, seu propriè, & rigorosè, sed solùm in affectu, vt scilicet affectetur, esse in Deo, quod esse nequit; quamvis igitur ratio blasphemiæ non exigat semper falsitatem enunciatiuè, exigit tamen saltem falsitatem affectiuè, ex modo scilicet loquendi blasphemantis, qui optat, vel imprecatur id malum Deo repugnans, vel falsò significat, id esse in Deo, tanquam quid irrisorium, contemptibile, vel contumeliosum esse autem de ratione blasphemiæ quomodolibet aliquid falsi, seu aliquam falsitatem.

Probatur, quia de ratione blasphemiæ est contume- 33
liam in Deum, vel Sanctos proferre, sed nihil per modum veri significati potest in Dei, vel Sanctorum contumeliam proferri: Ergo, &c.

Neque obstat, si cum aduersariis dicas, quod etiam in 34
odio Dei insit falsitas ista practica, seu in actu practico, vel exercito, & tamen odium Dei non sit propriè blasphemia.

Respondetur enim, quod etiam in odio Dei insit quidem prædicta falsitas, sed nec in enunciatione, nec etiam ex modo loquendi, quare potiùs retorquetur contra aduersarios argumentum: quandoquidem si quis prorumperet in verba odij Dei, vel desperationis (vt si v.g. diceret: *odio habeo Deum, vel despero*) esset etiam verè blasphemus, quia sic etiam detraheret bo-

nitati, & potentiæ Dei; sicut & si diceret, *non credo*, detraheret etiam fidei Dei: Quod ipsum fatetur ipsemet Suarez *eodem lib.1.c.6.n.9.*

Atque hinc patet ad rationes aduersariorum in contrarium suprà positas.

SECTIO IV.

Corollaria complurium blasphemiarum ex definitione blasphemiæ mox suprà tradita.

SVMMARIVM.

1 *Blasphemia apponitur confessioni fidei, sed non intelligi id debet, quasi sit verè, & propriè infidelitas, aut aliqua infidelitatis species; sed quatenus continet verbum contumeliosum, quod includit hæresim, vel sapit: Blasphemia enim hæreticalis est semper contraria fidei, & licèt interiùs non credat talia blasphemās de Deo, peccat tamen cōtra fidei confessionē.*

2 *Blasphemia de ratione etiam in communi licèt non sit sentire falsum de Deo, est tamen de ratione illius significare aliquid falsum de eo: & ad infidelitatis genus spectat non solùm si quis sentiat falsum de Deo, sed etiamsi quis aliquid falsum significet de eo, non tamen ita quod blasphemia sit infidelitatis species aliqua; sed quia sit species illi coniuncta.*

3 *Fidei confessio secundum Ledesmam, & Bannez, sumitur à S. Thoma non pro ipsa fidei assertione, quo pacto illi apponitur infidelitas, sed vt est quædam laus diuina, & honor Dei, & sic illi opponitur blasphemia, quæ propriè, & formaliter loquendo opponitur virtuti Religionis.*

4 *Secus est, si contumelia, vel contemptus non irrogetur sanctis, vt habent respectum ad ipsum Deum, & non vt sancti sunt quidam viri excellentes: Nam primo modo opponitur Religioni, at 2. modo obseruantiæ congruam sanctis reuerentiam deferenti, quæ est virtus quædam annexa Religioni, licèt oppositum non improbabiliter defendatur.*

5 *Blasphemia interdicitur primo præcepto decalogi, quia cùm ipsa opponatur confessioni fidei, blasphemiæ interdictio reducitur ad infidelitatem, quæ primo præcepto interdicitur; sicut etiam cum opponitur Religioni debitum Deo honorem exhibenti; quamvis etiam dici possit interdici secundo præcepto.*

6 *Blasphemia in primo gradu, & omnium pessima, est si quis verè, vel falsa iuret per falsos gentilium Deos, vt per Saturnum, Iouem, Venerem, Bacchum, vel Mercurium; quia cum sic honorem vero Deo debitum tribuat falsis diis, committit quendam actum idololatriæ.*

7 *Limita, nisi quis iuret causa ioci, & irridendi falsos Deos.*

8 *Blasphemia est, si quis iuret etiam per quamcunque creaturam, dummodò iuranda sistat in creatura, & non vt Deus relucet in ea.*

9 *Blasphemia grauissima item est iurare per falsos Deos, & simul etiam idololatria, cum honor, qui vero Deo debetur, falsis diis tribuatur; & cum qui sic iurat, asserit illos falsos Deos esse summam, & infallibilem veritatem in dicendo, atque adeo in essendo.*

10 *Blasphemia grauissima item est iurare per quamcunque creaturam non inultimatè, sed vltimatè, scilicet non vt est quid Dei, sed in ea sistendo propter eandem rationem; quia tribuit creaturæ summam, & infallibilem veritatem, quod est blasphemia, id namque est proprium Dei.*

11 *Blasphemia cum sit iurare per falsos Deos, grauiùs peccat is, qui iurat vera per falsos Deos, quàm qui iurat falsum per verum Deum; quia primo modo est blasphemia, 2. modo periurium, quod est minus.*

12 *Textus* in cap. mouet, 22. q. 1. *quod est desumptum à S. Augustino, significans contrarium quid, id intelligi debet non intensiuè simpliciter, vel absolutè; sed extensiuè, & secundum quid.*

13 *Item intelligitur quando Christianus iurat verum per falsos Deos, putans illos esse reuera falsos Deos, & tamen iurat per illos solo animo decipiendi; quia is peccat tantùm decipiendo contra fidem præstitam, non tamen reuera est periurus.*

14 *Item intelligitur non absolutè, & simpliciter, sed in ratione periurij; quia qui iurat falsum per verum Deum, est verè & propriè periurus; at iurans verum per falsos Deos, est periurus secundum quid.*

15 *Blasphemia est etiam si quis dicat, non credo in Deum, nego, vel renego Deum, nego, vel renego crucem, fidem, Chrisma, vel intemeratam Deiparæ Mariæ Virginitatem, & similia; quia hæc omnia inuoluunt per modum indicatiui fidei Deo debitæ abnegationem, & sic infidelitatem quandam.*

16 *Blasphemia etiam est, si quis dicat: Malum Deo contingat; quia sic attribuit Deo id, quod à Deo, cui nullum malum contingere potest, est omnino alienum.*

17 *Blasphemia est etiam quodcumque conuitium, vel maledictum in Deum, aut in sanctos; quia nec conuitiū, nec maledictum possunt ex aliqua parte eis conuenire; & si proferantur in sanctos, redundant in Deum.*

18 *Blasphemia etiam est quodcumque conuitium, vel maledictum in creaturas, quatenus Dei creaturæ sunt; est enim sic conuitiari creatori.*

19 *Idemque dicas si maledicatur creaturis vsum rationis habentibus, si maledicatur eis sub eadem ratione.*

20 *Blasphemia non est, si quis dicat (mal'habbia non dico Iddio) quia addit particulam illam negatiuam. (Nan.)*

21 *Blasphemia est etiam, si quis, vt vulgò dici solet, dicat,* Al dispetto di Dio, *quidquid in contrarium dicant Baldus, Felinus, & alij DD. citati, ex eo quod ea verba sensum facere videantur; quod sicut multa sunt mala, quæ Deo displicent, ita & fiet hoc malum, quamvis Deo displiceat.*

22 *Blasphemia etiam est, si quis dicat, Deus non potest; quia sic manifestè potestati Dei aduersatur, & contemptum infert.*

23 *Limita, nisi ea proferens proferat super rebus non factibilibus ex natura sua, quæ neque potentiæ diuinæ subiacent; vt si dicat, Deus non potest facere præteritum non fuisse, &c. id enim non venit ex defectu potentiæ diuinæ; sed solùm ex defectu termini, contra Socinum, & alios, & cur.*

24 *Blasphemia etiam est, si quis dicat: Deum tædeat, vel Deo displiceat, quia licet qualibet ex his propositionibus non sit indicatiui modi, vt possit formaliter falsum importare, ex intentione tamen verba illa proferentis est tribuere Deo, quod Deo cōuenire nō potest.*

25 *Limita, nisi prædicta verba proferantur super facto, quod sit illicitum, v.g. tædeat Deum, vel displiceat Deo, hunc hominem fornicari, occidere, vel furari.*

26 *Limitatio prædicta probatur auctori si verba huiusmodi ex modo loquendi non redundent, nec proferantur in Dei contumeliam, & eius honoris diminutionem.*

27 *Blasphemia etiam est, si quis dicat: velit, nolit Deus peccatum hoc sum facturus, quia licèt peccatum repugnet diuinæ voluntati, tamen adhuc huiusmodi verba important diminutionem diuinæ potentiæ, quasi Deus non possit impedire peccatum.*

28 *Blasphemia non esset si quis diceret: Quamvis hoc sit peccatum, vel offensa Dei, sum tamen ego facturus, quia huiusmodi verba solùm important iniquam peccandi voluntatem.*

29 *Blasphemia etiam est, si quis dicat, Nolis Beata Virgo, restitues mihi quod debes, cum sensus sit, restitues mihi quod debes ad despectum B. Virginis, contra Corneum, & alios putantes non esse blasphemiam; quia secundùm ipsos B. Virgo non potest impedire hanc restitutionem, cùm non restituere sit peccatum.*

30 *Blasphe*

30 *Blasphemia est, si quis dicat : deuoto Deum, vel deuoueo Deo, si hæc verba faciant sensum, non credo in Deum, vel abnego Deum ; secùs si faciant sensum, me voueo Deo, vel iuro per Deum.*

31 *Blasphemia etiam est si quis dicat : Deus non curat nostra, est iniustus ; acceptator personarum, malè prouidus, vel crudelis, &c. quia sic clarè tribuit Deo, quod ei non inest, vel clarè negat quod inest.*

32 *Blasphemia etiam est, si quis nominet potentiam, sapientiam, iustitiam, vel quodcumque aliud attributum Dei conuitiando, vel irridendo ; quia sic est falsitas, saltem in actu practico, seu in actu exercito.*

33 *Blasphemia etiam est, si quis contumeliam, conuitium, irrisionem, vel vituperium inferat in quascumque res sacras, diuinum cultum, vel in similia alia, quæ referuntur ad Deum ; quia redundant in Deum, tanquam in Auctorem.*

34 *Deus, vel sanctus aliquis nisi nominetur in huiusmodi verbis iniuriosis, vel irrisoriis, sed solùm modò dicatur:* per vida del tale, rinego il tale, *malum contingat al tale, non est blasphemia ; secus autem si per id, tale, intelligat Deum, vel sanctum, itavt totum dependeat in foro interno ex intentione preferentis. Intentio tamen in foro externo colligi debet ex coniecturis.*

35 *Proferens ista, si sit proba vita, censendus est etiam in foro externo, nec Deum, nec sanctum vllũ intelligere.*

36 *Blasphemia verba proferens sub conditione, v. g. non credo in Deum, renego Deum, Deus non est omnipotens, vel iustus, si vindictam non sumpsero de inimicis meis, vel si verum non est, quod ego assero, non est blasphemus secundùm aliquos, quod conditionalis nihil ponat in esse ; probabilius tamen est oppositum, quia sic fidei diuinæ firmitati derogatur.*

37 *Blasphemus etiam est iurans per caput, vel per vitam Dei, non enim sic adducitur in testem vita Dei, sicut in hoc iuramento : Viuat Deus ; sed est potius iuramentum quoddam execratorium, cuius sensus est: amittat vitam Deus, si ita non est, sicque tribuitur Deo quod ei non conuenit, nec conuenire potest.*

38 *Item dic, si quis iuret per vitam sanctorum ; quia similiter ex modo iuramenti cuiusdam execratorij falsò tribuitur sanctis, posse eos vitam amittere, quod nec etiam conuenit, vel hic & nunc conuenire potest ; quamvis non blasphemet dicendo, viuit Deus : quia sic nihil execratorium dicit de Deo, contra nonnullos contrarium sentientes.*

39 *Blasphemus etiam est dicens : tædeat, vel pœniteat S. Petrum, vel quemcunque alium sanctum ; quia ad id non opus est expressa habitudo ad Deum, qui in sanctis relucet, sed sufficit virtualis, & implicita, quæ continetur in contumelia.*

40 *Proferens contumelias in sanctos, si expressè præscindat ab habitudine, quam sancti habent ad Deum; blasphemat. At probabilius est oppositum, non esse scilicet veram, & propriam blasphemiam.*

41 *Blasphemus etiam est iurans per Christi, vel Sanctorum membra inhonesta, seu pudenda, vel si ea quomodocumquè inhonestè nominet : Fuerunt enim in Christo, & Sanctis huiusmodi partes corporis naturales, at non vituperabiles, contra Syluestrum & alios asserentes, talia dicere non esse propriè blasphemiam, sed tantùm quoad modum.*

42 *Blasphemus etiam est iurans per membra Dei, vel Sanctorum honesta, attribuendo ea Deo, vt Deus est, si ex contemptu ; secùs si reuerenter, & non cum magna frequentia sic iurauerit, tunc enim esset tantùm veniale peccatum.*

43 *Clericus iurans per capillum Dei, vel caput, vel alio modo blasphemiis contra Deum vsus fuerit, est deponendus.*

44 *Iurans per Dei, vel Sanctorum membra honesta nihil tribuit Deo, vel Sanctis, quod verò ipsi non habeant, & ideò non cedit in contemptum, ignominiã, vel derisionem Dei, vel Sanctorum, nec sensus iuramenti per talia verba est execratorius, sed simplex, & ideò si reuerenter fiat, tantùm est veniale, non mortale, neque frequens consuetudo illius arguit blasphemiam.*

45 *Blasphemia nihilominus erit prædictum iuramentum, vel etiamsi absque iuramento membra Dei, vel sanctorum honesta nominentur iniuriosè, & per modum contemptus, aut vituperij ; non enim prædicto membra sunt in Deo, vel in sanctis vt quid ignominiosũ.*

46 *Lex sexta regia,* tit 4. lib. 8. nouæ recopilat. suprà citata declaratur, *vbinam habeat locum in materia blasphemia.*

47 *Blasphemans propriè non est nominans membra Dei, vel sanctorum honesta cum indignatione quadam, v.g. dicens :* Corpo, ò sangre di Dio, di S. Piedro, *&c. si id fiat non per modum contumelia in Deum, & in sanctos, neque indignatio sit in ipsis, contra plures DD. est tamen peccatum veniale graue. Secus si ex indignationẽ contra Deum ; est enim blasphemia ratione contemptus.*

48 *Blasphemus est adæquans veritatem humanam cum veritate diuina, seu ponens in suo dicto tantam certitudinem, quanta est in veritate diuina, dicendo ; verum est quod dico, sicut Deus est ipsa veritas, vel sicut Deus est natus ex Maria Virgine ; vel hoc est Euangelium, vel credi potest tanquam Euangelium; vel sum innocens sicut Christus ; quia sit veritati diuinæ iniuria, si fiat talis adæquatio ; & includitur implicita propositio affirmatiua recedendi à voluntate diuina, si defecerit veritas humana. Secùs tamen est, si animus proferentis ea intendat per quandam similitudinem, seu analogiam, vel exaggerationem, quia sic cessat ratio suprà tacta.*

49 *Proferens talia, si de intentione non constet, in dubio secundùm aliquos censeri debet blasphemia : At oppositum est probabilius, quia ex communiter accidentibus non præsumitur animus adæquandi omninò veritatem diuinam, & humanam per proportionem arithmeticam.*

50 *Blasphemus etiam est tribuens aliquid creaturæ quod sit proprium Dei, v.g. quod dæmon sit sanctus, omnipotens, immensus, vel quod fatum regat omnia, vel tribuens aliquid Deo, quod ei non conuenit ; quia negat de Deo, quod Dei proprium est. Si verò talia proferens esset idiota, non intelligens vim verborum, excusaretur à blasphemia hæreticali.*

51 *Blasphemia non est, qui in infortuniis contingentibus dicit : sic tandem futurum erat, licèt enim talis propositio videatur malè sonans, nihilominus si intelligatur non de necessitate antecedente absoluta, seu in causa tollente rerum contingentes euentus & libertatem humanam, sed de necessitate consequenti, conditionali, & ex suppositione, non est blasphemia.*

52 *Blasphemus etiam est proferens ex iracundia illud; quod dici solet :* Puo far Dio, *si intendat proferre in Deum aliquam contumeliam ; communiter tamen non solet esse blasphemia, quia illa verba solum proferuntur exaggeratiuè : est tamen peccatum veniale graue propter aliquam irreuerentiam.*

53 *Blasphemus etiã est secundùm plures DD. iurans per incontaminatam Deiparæ Virginitatem : At secus est probabilius, quia reuera per tale iuramentum adducitur in testem ea veritas diuina Virginitatis Deiparæ Mariæ, & sic neque inuoluit culpam venialem.*

54 *Blasphemus non est quicumque periurus, licèt adducat Deum in testem falsitatis, quia non dicit aliquid falsum de Deo.*

EX dictis sequitur primò, qualiter verum sit, quod ait S. Thom. 2. 2. q. 13. *art. 1. in corpore, & art. 2. ad 2. & art. 3.* quem sequuntur Syluest. *verbo blasphemia, n. 2.* Armilla *eod. verb. n. 2.* Sotus *de iust. lib. 8. q. 2. art. 3. concl. 1.* Castr. *lib. 1. de hæret. punit. c. 12.* Nauarr. *in sum. c. 12. n. 22.* Blasphemiam scilicet opponi confessioni fidei ; non enim id intelligi debet, quasi blasphemia sit 1

verè

verè, & propriè infidelitas, aut infidelitatis species aliqua (sicuti patet ex iis, quæ dicebantur *sup. sect. 1. & 2.*) sed (vt omittam, quod Axor. *tom. 1. instit. moral. lib. 9. cap. 19. q. 1.* & Suarez *tom. 1. de Religione, tract. 3. lib. 1. c. 6. circa finem*, id intelligunt de blasphemia, quæ contra Deum continet verbum contumeliosum, quod hæresim contineat, vel sapiat; quia blasphemia hæreticalis semper est contraria fidei: nam licet qui profert blasphemiam hæreticalem, illam interiùs non credat de Deo, peccat tamen contra confessionem fidei; cùm fides obliget, ne quis illam neget, non solùm mente, & exteriùs, sed nec etiam verbis externis) intelligi debet cum Caietano *cit. art. 3.* & aliis, quod etsi de ratione

2 blasphemiæ (etiam in communi) non sit, sentire falsum de Deo, sit tamen de ratione illius, significare aliquid falsum de eo; ad infidelitatis autem genus spectat non solùm si quis sentiat falsum de Deo, sed etiam si quis aliquid falsum significet de eo: non tamen ita, quod blasphemia sit infidelitatis species aliqua, sed quia sit species illi coniuncta: Quandoquidem blasphemus, licet non sentiat esse verum id, quod dicit de Deo, induit tamen personam illius, qui sic sentit de eo; cum sic loquatur de Deo, ac si crederet ita esse, vel ita posse esse in Deo.

3 Vel intelligi debet cum Petro de Ledesma *in sum. tom. 1. tract. 1. cap. 9. concl. 3.* & Bannez *2. 2. q. 13. art. 1. notabil. 3.* quod confessio fidei sumatur à S. Thoma non pro ipsa fidei assertione, quo pacto illi opponitur infidelitas; sed vt est quædam laus diuina, & honor Dei, & sic illi opponitur blasphemia: Qoapropter propriè, & formaliter loquendo, blasphemia opponitur virtuti Religionis, cuius est Deo, & sanctis reuerentiam cahibere. Valentia *2. 2. disp. 1. q. 13. punct. 1.* Petrus de Ledesma, & Bannez *in locis suprà cit.*

4 Quod tamen intellige, si loquamur propriè, & formaliter de blasphemia, prout scilicet versatur circa Deum, vel circa Sanctos, vt habent quendam respectum ad ipsum Deum; quia si contumelia, seu contemptus irrogetur Sanctis, non vt habent respectum ad ipsum Deum; sed vt ipsi Sancti sunt in se quidam viri excellentes, non opponitur propriè Religioni, sed obseruantiæ congruam Sanctis reuerentiam deferenti, quæ est virtus quædam annexa Religioni. Vasquez *de adorat. imagin. lib. 1. disp. 6. c. 4.* Turrian. *2. 2. disp. 58. dub. 2. in fine*, Valentia, Petrus de Ledesma, & Bannez *locis citatis*, & nos dicebam *suprà*, & distinctiùs dicemus *infrà sect. sequenti*; licèt oppositum non improbabiliter sentiat Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. c. 5. n. 6.* scilicet quod & contumelia prolata contra Sanctos, etiam vt sunt personæ quædam excellentes, habeat veram rationem blasphemiæ.

5 Sequitur 2. quod blasphemia interdicatur primo Præcepto Decalogi; quia cum ipsa opponatur confessioni fidei, blasphemiæ interdictio reducitur ad infidelitatem, quæ primo Præcepto interdicitur; vel cùm opponatur Religioni debitum Deo honorem exhibenti, interdicitur etiam primo Præcepto Decalogi, quod debitè Deum colendum præscribit: Quamvis etiam dici possit, quod blasphemia interdicatur 2. præcepto Decalogi; quia magis in vanum Dei nomen assumit, qui aliquid falsum asseuerat de Deo, quàm qui aliquid falsum confirmat per nomen Dei. S. Thomas *2. 2. q. 13. art. 2. ad 2.* quem sequuntur alij Doctores passim.

6 Sequitur 3. quod sit blasphemia, quin & in primo gradu, & omnium pessima, si quis verè, vel falsò iuret per falsos Gentilium Deos, vt per Saturnum, Iouem, Venerem, Bacchum, vel Mercurium, &c. Sotus *de iust. & iur. lib. 8. q. 2. art. 4. concl. 1.* Alcozer *in sum. c. 15.* & alij communiter: Quia cùm sic honorem vero Deo debitum falsis Diis tribuat, committit idololatriæ quendam actum; profitetur enim sic per illos iurans, esse illos summam, ac infallibilem veritatem in dicendo, atque adeò etiam in essendo.

Limita, nisi sic iuret causa ioci, & irridendi falsos Deos, quia tunc cum nulla sit contumelia in Deum, sed potiùs in falsos gentilium Deos, nullum erit peccatum. 7

Sequitur 4. quod & sit blasphemia, si quis iuret etiam per quamcunque creaturam, dummodo iurando sistat in creatura, & non vt Deus relucet in ea. S. Thomas *2. 2. q. 89. art. 6.* Sotus *de iust. & iur. lib. 8. q. 1. art. 6.* Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. c. 4. n. 13.* & alij communiter; quia iurare est in testem adducere Deum, tanquam summam, & infallibilem veritatem, quæ nec falli, nec fallere potest: ergo si quis iuret etiam per creaturam sistendo in ea, hunc honorem Dei proprium exhibebit creaturæ, ac proinde erit etiam verè, & propriè blasphemus. 8

Quantum igitur spectat *ad 3. & 4. Corollarium*, est grauissima blasphemia, & simul etiam idololatria, iurare per falsos Deos, cùm honor, qui Deo vero debetur, falsis diis tribuatur, & cùm qui sic iurat, asserat illos falsos Deos esse summam, & infallibilem veritatem in dicendo, atque adeò in essendo; quod soli Deo vero competit: Quamvis, si quis per illos falsos Daos iuraret, non quidem animo per illos iurandi, sed vel in illorum contemptum, vel ioci gratiâ, tunc non esset blasphemia, neque vllum peccatum. 9

Item similiter est grauissima blasphemia iurare per quamcunque creaturam, non inultimatè, sed vltimatè, scilicet non vt est quid Dei, sed in ea sistendo, propter eandem rationem, vti rectè adnotarunt S. Thomas, Sotus, & Suarez *in locis suprà citatis*: Quia cùm iurare sit afferre in testem Deum, tanquam summam, & infallibilem veritatem, fit quod qui sic iurat per creaturam, in ea scilicet sistendo, tribuat creaturæ summam, & infallibilem veritatem, quod est blasphemia; cùm blasphemia sit tribuere creaturæ id, quod est proprium Dei: Et huiusmodi iuramentum opponitur etiam confessioni fidei; quia qui sic iurat, in actu exercito profitetur, creaturam esse primam, & infallibilem veritatem. 10

Hinc sequitur, quod cùm iurare per falsos Deos, sit blasphemia, grauiùs peccet is, qui iurat verum per falsos Deos, quàm qui iurat falsum per verum Deum. Alensis *3. p. q. 21. memb. 3. art. 2. §. 2.* Couarr. *de pactis, p. 1. §. 1. n. 10.* Sotus *de iust. & Iure, lib. 8. q. 2. art. 2. conclus. 1. & tract. de iuramenti abusu, cap. 6.* Axor. *tom. 1. instit. moral. lib. 11. cap. 12. q. 12.* Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. c. 6. num. 15. & tom. 2. tract. de iuramento, lib. 1. c. 3. n. 6.* Suar. *in Claui regia, lib. 5. c. 3. n. 18.* Aragon. *2. 2. q. 89. art. 6. dub. 2.* Lessius *de iust. & iur. lib. 2. c. 42. dub. 10. n. 51.* Graff. *p. 2. decis. lib. 2. c. 8. n. 6. & c. 11. n. 5.* Quia cùm iurare verum per falsos Deos, sit vti dicebamus, blasphemia; iurare autem falsum per verum Deum sit periurium, & blasphemia ex alio capite sit peccatum grauius, quàm periurium, fit quod qui iurat verum per falsos Deos, peccet grauiùs, quàm qui iurat falsum per verum Deum. 11

Non obstat, quod *in c. Mouet, 2. q. 1.* quod est desumptum ex S. Augustino *epist. 154.* significetur contrarium, scilicet quod qui iurat falsum per verum Deum, peccet grauiùs. 12

Respondetur enim cum nonnullis, quos sequitur Suarez *vbi suprà, n. 15.* id intelligi non intensiuè, simpliciter, vel absolutè, sed extensiuè, & secundùm quid. Quia scilicet iste talis peccat ex duplici capite, primò delinquendo contra humanam iustitiam, cuius officium est, vt in pactis fides præstita seruetur: secundò delinquendo contra Deum, afferendo illum in testem falsi; cùm tam intensiuè, simpliciter, & absolutè grauiùs peccet, qui iurat verum per falsos Deos: Quandoquidem, vti dicebam, iste talis committit peccatum blasphemiæ, quod est grauius peccato periurij: Vel

Respondetur secundò cum aliis, quos sequitur Axor. *cit. q. 12.* intelligi quando Christianus iurat verum per falsos Deos, putans illos esse reuera falsos Deos, & tamen iurat per illos solo animo decipiendi: 13

Quandoqui

Quandoquidem tunc iste talis, si fidem præstitam non seruat, peccat tantùm decipiendo, non tamen reuera est periurus, qualis est qui iurat falsum per verum Deum. Quapropter peccat grauiùs iste, quam ille. Vel

14 Respondetur tertiò cum Soto *loco suprà cit.* intelligi non absolutè, & simpliciter, sed in ratione periurij; quia qui iurat falsum per verum Deum, est verè, & propriè periurus; at qui iurat verum per falsos Deos, est periurus tantùm secundùm quid.

15 Sequitur quintò, quod etiam sit blasphemia, si quis dicat: *Non credo in Deum; nego, vel renego Deum; nego, vel renego crucem, fidem, Chrisma, vel intemeratam Deipara Maria Virginitatem*, & similia, Eymer. *in direct. Inquis. 2. p. q. 41. n. 1. & 5.* Peña *ibidem comment. 66.* Bannez *2. 2. q. 13. art. 1. circa finem*, Petrus de Ledesm. *in sum. tom. 2. tract. 1. c. 9. concl. 6.* Vgolinus *de casib. reseruat. 2. p. c. 1. 6. 3. n. 1.* Rojas *de hæret. 2. p. assert. 12. n. 170. & seqq.* Salzed. *in pract. Bernardi Diaz, c. 110. vers. & quia sæpissimè*, Manuel *in sum. tom. 1. c. 34. n. 1.* Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. c. 5. n. 7. & seqq.* Quia hæc omnia inuoluunt per modum indicatiui, fidei Deo debitæ abnegationem, & sic infidelitatem quandam; quod adeò verum est, vt & sint blasphemiæ etiam hæreticales, sicut infrà clariùs explicabimus.

16 Sequitur sextò, quod sit etiam blasphemia, si quis dicat: *Malum Deo contingat.* Couarr. *de pact. 1. p. §. 7. n. 9. vers. 3.* Salzed. *in practica Bernardi Diaz, cap. 110. vers. & quia sæpissimè*, Manuel. *in sum. 1. tom. c. 34. n. 1.* Rojas *de hæret. 2. p. assert. 12. n. 171.* & Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 11. c. 3. q. 2.* Quia sic attribuit Deo id, quod à Deo, vtpote cui nullum malum contingere potest, est omninò alienum, nec ei vllo modo conue-
17 nit, vel conuenire potest.

Adde, quod sit etiam blasphemia, quodcumque conuitium, vel maledictum in Deum, aut in Sanctos; Couarr. *cit. §. 7. n. 8.* Valentia *2. 2. disp. 1. q. 13. punct. 1. circa finem*, Azor. *tom. 1. inst. moral. lib. 9. c. 28. q. 4.* Soarez *tom. 1. de relig. tract. 3. lib. 1. c. 4. n. 7.* & Simaneh *de cathol. inst. tit. 8. n. 1.* Quia nec conuitium, nec maledictum possunt ex aliqua parte eis conuenire; & si proferantur in sanctos, redundant in Deum, *vt infrà Co-*
18 *rollario* 14. diffusè dicetur.

Adde secundò, quod sit similiter etiam blasphemia quodcumque conuitium, vel maledictum in creaturas, quatenus Dei creaturæ sunt. S. Thom. *2. 2. q. 76. art. 5.* quem cum Toleto *in loco suprà citando*, communiter sequuntur Doctores, quia conuitiari, vel maledicere creaturis, quatenus Dei creaturæ sunt, est conuitiari,
19 vel maledicere creatori.

Idemque dicas, si maledicator creaturis vsum rationis habentibus, si maledicatur eis sub eadem ratione, quatenus scilicet similiter Dei creaturæ sunt. Toletus *in sum. c. 13. n. 11.* & alij passim, quia vtrobique est
20 eadem ratio, quod scilicet maledicatur Deus: quamvis blasphemia non sit, si quis dicat: *Mal'habbia, non dico Iddio*; quia addit particulam illam negatiuam: non erit tamen iste talis reprehendendus: sic Doctores,
21 quos sequitur Graff. *lib. 1. cas. reseruat. c. 10. n. 71.*

Sequitur septimò, quod sit etiam blasphemia, si quis (vt vulgò dici solet) dicat; *A dispetto di Dio.* Imola *in l. his verbis, §. 1. ff. de hæred. instit.* Socin. Sen. *lib. 1. cons. 102.* Grammat. *decis. 50.* Bossius *tit. de Inquisit. n. 160.* quos refert, & sequitur Meune. *de arbitr. lib. 2. centur. 4. cas. 375. n. 14.* Couarr. *eodem §. 7. n. 9. vers. 1.* Decian. *de delict. tom. 2. lib. 6. c. 2. n. 4.* Clarus *lib. 5. receptar. in practica crim. §. blasphemia, n. 2.* Tolet. *in sum. lib. 4. c. 13. n. 6.* Rojas *de hæret. 2. p. assert. 12. n. 171.* Salzedo *in practica Bernardi Diaz, c. 110. vers. & quia sæpissimè*, Azor. *tom. 1. inst. moral. lib. 11. c. 3. q. 2.* Suarez *cit. lib. 1. c. 5. n. 8.* Boët. *dec. 303. n. 1.* Albert. *tract. de agnosc. assert. q. 6. n. 18.* Gerard. *sing. 38. in fine*, Catald. *de syndic. q. 163.* Masc. *de probat. lib. 1. concl. 194. n. 3. & seqq.* Folletius *in practic. crim. in fragmentis, n. 14.* & alij communiter quidquid in contrarium, quod scilicet non sit blasphemia, sentire videantur. Baldus *lib. 3. cons. 476.* Felinus *in proœm. decret. n. 11.* Angel. *in l. his verbis, §. 1. ff. de hæred. instituend.* Alexand. *ad Bart. in l. apud Labeonem, §. ait prætor, ff. de iniuriis*, quos refert Couarr. *vbi supr.* & Arnon. *singul. 4.* sicut multa fiunt mala, quæ Deo displicent, ita & fiet hoc malum, quamvis Deo displiceat, quia reuera prædicta verba vel manifestè tendunt in derogationem diuinæ potestatis, itavt ea proferens velit, id faciendum esse; tamen si Deus omnipotens fieri noluerit, seu sua omnipotentia impedire voluerit vel quamvis hic sensus abesset, non potest iis verbis interpretatio aliter adaptari, quin in contemptum Dei, eiusque potestatis prolata censeantur.

Sequitur octauò, quod sic etiam blasphemia, si quis 22
dicat, *Deus non potest.* Alex. *lib. 3. cons. 55. n. 7.* Socin. Sen. *lib. 1. cons. 102.* Couarr. *cit. §. 7. n. 9. vers. 4.* Menoc. *cit. cas. 375. n. 4.* Azor. *tom. 1. inst. moral. lib. 11. c. 3. q. 2.* Dec. *eod. c. 2. n. 6.* & alij communiter, quia sic manifestè potestati Dei aduersatur, & contemptum infert.

Limita cum Alexandro, Socino, Menochio, & Deciano *in locis suprà cit.* nisi qui ea verba profert, proferat super rebus in se ex natura sua non factibilibus; quæ neque potentiæ diuinæ subiacent. Aristotel. *lib. 6. moral. ad Nic. c. 5.* Bartol. *in l. non dubium, n. 14. C. de legib.* Tiraquell. *in tract. de iur. constit. p. 3. limit. 6. n. 6. & seqq.* & communiter tam Theologiæ, quàm Philosophiæ Doctores, vt si dicat: Deus non potest facere, præteritum non fuisse, vel non potest facere, duas propositiones contradictorias veras esse, v. g. Idem simul esse, & non esse, & similia, quia tunc de Deo nihil falsum, sed potiùs quid verissimum dicit: Neque quod hæc Deus non possit facere, cedit in aliquam diuinæ potentiæ diminutionem, cùm id non proueniat ex defectu potentiæ diuinæ, sed solùm ex defectu termini, quod scilicet prædictæ res in se, & ex natura sua factibiles non sint.

Quamvis contrarium dixerint Soccinus, & quidam 23
alij, quos citat, & sequitur Azenedo *lib. 8. recop. tit. 4. lib. 6. n. 40. & seqq.* ex eo quod prædicta verba tendant in contumeliam, & diminutionem diuinæ potentiæ, sitque in illis falsitas, si non in actu signato, saltem in actu practico, seu in actu exercito, ex modo dicendi: quod ad veram, & propriam blasphemiam sufficit ex iis, quæ sectione præcedenti circa finem dicebantur: Quoniam Doctorum opinio vera est, si qui prædicta verba profert, per modum conuitij, contumeliæ, vel contemptus proferat; at secùs si non per talem modum; quia tunc in illo modo dicendi non continetur vlla falsitas, atque adeò nec vlla ratio blasphemiæ.

Sequitur 9. quod sit etiam blasphemia, si quis dicat, 24
Deum tædeat, vel *Deo displiceat*; sic DD. communiter; quia licèt quælibet ex his propositionibus non sit indicatiui modi, vt possit formaliter falsum importare; ex intentione tamen verba illa proferentis est tribuere Deo, quod Deo conuenire non potest, sicque quodammodo (scilicet in actu practico, seu in actu exercito) falsum significat: quod sufficit ad veram, & propriam blasphemiam, iuxta ea, quæ citata sectione præcedenti, circa finem dicebantur.

Limita cum Couarr. *de pactis, §. 7. n. 9. vers. 5.* Dec. 25
in tr. crim. tom. 2. lib. 6. c. 2. n. 8. Claud. *ad Bertazol. cons. 553. vers. ob hac, lib. 2.* Menoc. *cit. cas. 375. n. 11.* & aliis, nisi prædicta verba proferantur super facto, quod sit illicitum, v. g. tædeat Deum, vel displiceat Deo, hunc hominem fornicari, occidere, vel furari, &c. quia cùm id, tanquam quid, quod est peccatum, Deo displiceat, nihil Deo tribuitur, quod ei non conuenit.

Quæ limitatio mihi quidē probatur, si prædicta verba 26
ex modo loquendi non redundent, nec proferantur in Dei contumeliam, & eius honoris diminutionem, iuxta eadem, quæ *cit. sect. præced. circa finem*, dicebantur.

Sequitur 10. quod sit etiam blasphemia, si quis dicat: 27

Velit, nolit Deus, peccatum hoc sum facturus; quia licèt peccatum repugnet diuinæ voluntati, & Deus nolit peccatum, eique illud displiceat; tamen adhuc huiusmodi verba important diminutionem diuinæ potentiæ, quasi Deus non possit impedire peccatum, quod homo hic & nunc facturus decernit; & constat ex iis, quæ diximus *supra Corollario* 7. si quis scilicet dicat *à dispetto di Dio*. Quandoquidem hæc verba, *à dispetto di Dio*, nihil aliud significant, quàm *velit nolit Deus*, vt explicant Doctores omnes *ibidem* citati.

28 Similiter est blasphemia, si quis dicat, *Velit, nolit Beata Virgo, restitues mihi quod debes*; cùm sensus sit: restitues mihi quod debes ad despectum Beatæ Virginis. Iul. Clarus *in §. blasphemia, circa principium*; quia huiusmodi verba proferuntur in contemptum Beatæ Virginis: Idem sentire videtur Caietan. 2. 2. q. 13. art. 1. *vers. Ex iis autem*, quatenus ait, quod nominare attributa diuina, v. g. sapientiam, potentiam, vel bonitatem Dei, &c. per modum contumeliæ, conuicij, vel irrisionis, sit blasphemia, quia talia verba in actu exercito, & in modo significandi continent falsitatem, & significant, quod illa attributa sint in Deo modo contemptibili, & irrisorio; cum tamen Deo modo competant, vt laude, & honore dignissimo. Sic in casu nostro, quamvis Beata Virgo nolit, sed quam maximè velit, quod debitum restituatur creditori; quia tamen illa verba proferuntur modo contemptibili, & irrisorio in Beatam Virginem, fit quod qui prædicta verba profert, blasphemiæ peccatum committat.

Quamvis hunc talem non esse blasphemum, putent Corneus *vol.* 3. *consl.* 101. Mascard. *vol.* 1. *de probat. concl.* 195. *n.* 8. *& seqq.* quia (inquiunt ipsi) cùm non restituere debitum creditori sit peccatum, non potest Beata Virgo impedire hanc restitutionem; alioquin diuinæ iustitiæ, & Deo se opponeret: Ergo cùm nihil istis verbis detrahatur potentiæ, & beatitudini Beatæ Virginis, prædicta verba non habebunt, neque sapient naturam blasphemiæ.

At quod dixi, est multò probabilius, quia cùm illa verba proferantur modo contemptibili, & irrisorio in Beatam Virginem, vti dicebam, verè habebunt, atque sapient naturam blasphemiæ; quia ex dictis, & ex Doctoribus communiter quos citat, & sequitur Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *centur.* 4. *cas.* 375. *n.* 7. *circa finem*, sola irreuerentia, & contemptus sufficienter importat, & operatur blasphemiam.

29 Cæterùm, si quis diceret: *Quamvis hoc sit peccatum, vel offensa Dei, sum tamen ego facturus*: non esset blasphemia; quia huiusmodi verba solùm important nimiquam quandam peccandi voluntatem, non autem vllam potentiæ, vel alterius attributi diuini diminutionem, contumeliam, vel contemptum.

30 Sequitur vndecimò, quod sit etiam blasphemia, si quis dicat: *deuoto Deum, vel deuoueo Deo*, si hæc verba faciant sensum, *non credo in Deum, vel abnego Deum*, vt volunt aliqui cum Couarr. *de pactis*, 1. p. §. 7. n. 9. *vers.* 7. vel si faciant sensum, *maledico Deo, execror Deum*, vt volunt Azeued. *in l.* 6. *regia, tit.* 4. *lib.* 8. *noua recopil. n.* 42. *&* 43. Azor. *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 12. *c.* 3. *q.* 2. & alij cum S. Augustino *libro quæstionum super Numeros*, *c.* 45.

Secùs si faciant sensum, *me voueo Deo*, vel *iuro per Deum*; quia tunc nullo modo blasphemiam, sed solùm voti, vel iuramenti formam important, & mihi probatur.

31 Sequitur XII. quod sit etiam blasphemia, si quis dicat: Deus non curat nostra, est iniustus, acceptator personarum, malè prouidus, vel crudelis, &c. Quia sic clarè tribuit Deo, quod ei non inest, vel clarè negat Deo, quod eidem inest; vbi propriè consistit ratio blasphemiæ, sicuti dicebam *supra sect. præcedenti*: Quinimò est etiam propriè blasphemia hæreticalis, sicuti dicam *infra sectione sequenti*.

32 Adde, quod sit etiam blasphemia, si quis nominet potentiam, sapientiam, iustitiam, vel quodcumque aliud attributum Dei, conuitiando, vel irridendo; quia sic est falsitas, saltem in actu practico, seu in actu exercito, scilicet ea modo loquendi, cùm prædicta attributa conueniant Deo, non vt sunt digna conuitio, vel irrisione, sed vt sunt digna summa laude, & summo honore, iuxta ea quæ dicebam *cit. sect. præcedenti, circa finem*. Et præter alios DD. *ibi* citatos, videri poterit Caietanus 2. 2. q. 13. *art.* 1. *vers. ex his autem*.

Adde 2. quod sit etiam blasphemia, si quis contumeliam, conuitium, irrisionem, vel vituperium inferat in quascumque res sacras, diuinum cultum, vel in similia alia, quæ referuntur ad Deum; quia omnia hæc in ipsum Deum eorum authorem redundant, sicuti *infra Corollario* 14. dicam de vituperiis Sanctorum, & videri poterit præter alios Corduba *in quæstionario, lib.* 1. *q.* 17. §. 15. *in princ.* 33

Aduerte tamen, quod si quis in huiusmodi verbis iniuriosis, vel irrisoriis non nominet Deum, vel sanctum aliquem; sed dicat: *Por vida del tal: reniego il tale: malum contingat tali*, &c. si per ly *del tale, il tale*, intelligat Deum, vel sanctum aliquem, absque dubio erit blasphemus, secùs autem si non: Manuel *in sum.* 1. *tom. cap.* 54. *n.* 2. Ludou. Lopez *in instruct.* 1. *p. c.* 282. *vers.* 4. & de his modis Petrus de Ledesma *in sum. tom.* 2. *tract.* 1. *c.* 9. *post* 5. *conclusionem, dub.* 1. & alij communiter, ita vt totum dependeat in foro interno ex intentione proferentis; cuius tamen intentio in foro externo colligi debebit ex coniecturis: v. g. si talis est homo improbæ vitæ, & ea, vel similia verba profert iracundia furens, & oculos in cœlum eleuans, sit præsumendus quod proferat in Deum, vel in aliquem sanctum; si verò est probæ vitæ, & timoratæ conscientiæ, censendus, quod nomine, *del tale*, nec Deum, nec vllum sanctum intelligat; quia cùm totum pendeat (sicuti dicebam) ex intentione proferentis, ad coniecturas, & præsumptiones recurri debet; cum ea, quæ difficilè probantur, & in corde latent, coniecturis, & præsumptionibus probari debeant, iuxta doctrinam communem, quam tradunt Baldus *in l. Deo nobis, C. de sacros. Eccles. & in l. Quicumque, col.* 6. *vers.* 8. *nota, C. de seru. fugitiu.* Alexand. *lib.* 2. *consil.* 24. *circa finem*, Albert. *tract. de agnosc. assert. q.* 27. *n.* 19. Aymon *cons.* 73. *n.* 1. *& seqq.* Boër. *dec.* 164. *n.* 4. Neuiz. *cons.* 25. *n.* 12. Dec. *in cap. licèt causam, de probat. n.* 12. Gerard. *singul.* 9. *in princ.* & Marsil. *in rubr. de probat. n.* 238. 34 35

Aduerte 2. quod si quis verba blasphemiæ proferat sub conditione, v. g. *Non credo in Deum, renego Deum, Deus non est omnipotens, vel iustus, &c.* si vindictam non sumpsero de inimicis meis, vel si verum non est, quod ego assero, quamvis nonnulli, quos sequitur Salazar *de vsu & consuetudine, c.* 5. *n.* 18. *vers. vnde possunt*, putent huiusmodi verba non esse blasphemiam, eo quòd conditionalis nihil ponat in esse, probabilius sit oppositum, quod docent Coo. *de pactis*, 1. *p.* §. 7. *n.* 9. *vers.* 2. Corduba *in sum. q.* 61. Ludou. Lopez 1. *part. instructionis, c.* 282. *vers.* 6. *& de qualitat.*, Rojas *de hæresi.* 2. *p. assert.* 22. *n.* 173. *& seqq.* Azeuedo *lib.* 8. *recopil. tit.* 4. *l.* 1. *n.* 14. & Alcozer *in sum. cap.* 15. *paulò post principium*, esse scilicet blasphemiam. 36

Probatur, quia sic fidei diuinæ omnimoda, seu summa firmitas, quæ ei, vtpote in primæ veritatis dicentis testimonio fundatæ competit, derogatur, cum sic significetur, quod quasi pendeat potiùs ex conditione contingenti, quæ scilicet possit euenire, & non euenire; & propterea, quia sic includitur tacita affirmatio negandæ fidei, omnipotentiæ, vel iustitiæ diuinæ, &c. in euentu, quo non sequatur vindicta illa de inimicis, vel veritas illius rei, quam ille asserit; erit igitur hic blasphemia, cum fidei, omnipotentiæ, vel iustitiæ diuinæ, &c. tribuatur, quod in aliquo casu possit negari; sicque non sit summæ certitudinis, & firmitatis.

Sequitur

37 Sequitur decimotertiò, quod sit etiam blasphemia, si quis iuret: Per caput, vel per vitam Dei. Couarr. *de pactis*, *1.p.§.7.n.9.vers.6*. Suar. *tom. 2. de Relig. tract. 3. lib. 1. c. 5. n. 8*. Sotus *de iuram. abusu, c. 6. & de iust. & iur. lib. 8. q. 2. art. 5*. Rojas *de haret. 2.p. assert. 12. n. 171*. Menoch. *de arbitr. lib. 2. centur. 4. cas. 575. n. 12*. Salzedo *in practica Bernardi Diaz, cap. 100. vers. & quia sapissimè*, Alcozer *in sum. c. 15. paulò post principium*, Azor. *tom. 1. inst. moral. lib. 11. c. 3. q. 2*. Ludou. Lopez *p. 1. instit. c. 282*. Azeuedo *in l. 6. regia, tit. 4. lib. 8. recop. n. 34*. Medin. *in sum. lib. 1. c. 14. §. 2*. & alij communiter.

Probatur, quia sic non adducitur, tanquam testis, vita Dei, sicut in hoc iuramento, *viuat Deus*, sed est potiùs iuramentum quoddam execratorium, cuius sensus est: *Amittat vitam Deus, si ita non est*; vt cum iuratur *per vitam, vel per caput Regis, vel parentis, &c.* sicque tribuitur Deo, quod ei non conuenit, nec conuenire potest, scilicet quod Deus possit vitam amittere, & mortalis esse: Atque adeò est falsitas, saltem in actu practico, seu in actu exercito, vt sic sit vera, & propria blasphemia, iuxta ea, quæ dicebam *suprà cit. sectione præcedenti, circa finem*.

38 Idemque dicas cum Ludouico Lopez, Alcozer, Azeuedo, & aliis vbi suprà, si quis iuret: *Per vitam Sanctorum*, quia similiter ex modo iuramenti cuiusdam execratorij falsò tribuitur Sanctis, posse eos vitam amittere, quod nec eis etiam conuenit, vel hîc & nunc conuenire potest; & præterea, quia totum redundat in contumeliam Dei, sicuti patet ex dictis, & patebit etiam ex dicendis.

Quamvis blasphemia non sit, si quis dicat: *Viuit Deus*: quia sic nihil execratorium dicit de Deo, sed solùm in testem adducit Deum viuentem.

Vbi aduerte, quod nonnulli, quos sequitur Decian. *in tract. crim. tom. 2. lib. 6. c. 2. n. 13*. & Graff. *1. p. decis. lib. 2. cap. 19. n. 13*. quod iurare per vitam Dei, non sit blasphemia (nisi qui sic iurat, id intenderit) quia iurare, inquiunt ipsi, per vitam Dei, cum vita Dei sit de essentia ipsiusmet Dei, idem est, quod iurare per Deum (quod non est blasphemia) sicque qui iurat per Dei vitam, solùm videtur in testem adducere Deum viuentem.

At quod dicebam *suprà*, est communius, nisi in contrarium certò sit intentio proferentis.

39 Sequitur decimoquartò, quod sit etiam blasphemia, si quis dicat, *Tædeat, vel pœniteat S. Petrum*, vel quemcunque alium sanctum; aut si proferat quamcunque aliam contumeliam in quemcunque vnum ex sanctis, iuxta ea, quæ dicebam *suprà Corollario 6*. Et videri præter alios poterit Caietanus 2. 2. *quæst. 13. art. 1. in solutione ad secundam*, & Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. cap. 5. n. 6*. subdens quod ad id non opus sit expressa habitudo ad Deum, qui in sanctis relucet, sed sufficiat virtualis, & implicita, quæ continetur in contumelia, vel vituperatio Sanctorum; quia sicuti ex S. Thoma *2. 2. q. 13. art. 2. ad 2*. quando laudantur opera, quæ Deus facit in Sanctis, laudatur in illis; ita similiter contumelia, quæ profertur in Sanctos, redundat in Deum, qui relucet in iisdem: Item sicut vt religiosè iuretur per sanctos, non opus est expressa habitudo ad Deum, sed sufficit virtualis, vel implicita, quæ continetur in sanctis; ita & similiter dicendum est in blasphemia, quando per eam vituperantur sancti.

40 Cæterùm, si quis contumelias in sanctos proferens expressè præscindat ab habitudine, quam sancti habent ad Deum, solamque sanctorum quasi quorumdam excellentium virorum excellentiam consideret, quamvis satis probabiliter nonnulli, quos sequitur Suarez *loco suprà citato*, putent esse veram, & propriam blasphemiam, probabilius tamen est oppositum, non esse scilicet veram, & propriam blasphemiam, sed solùm peccatum contra obseruantiam, Religioni quidem annexam, debitam sanctis, iuxta ea, quæ dicebam *suprà corollar. 2. circa finem*, & docent Vasquez *in 3. part. disp. 98. c. 4. tom. 1*. Valentia *2. 2. disp. 1. q. 13. punct. 1*. & Turrianus *ibidem, disp. 58. dub. 2. circa finem*.

Sequitur decimoquintò, quod sit etiam blasphemia, si quis iuret *per Christi, vel sanctorum membra inhonesta, seu pudenda*, vel si ea quomodocunque inhoneste nominet. Caietanus *2. 2. q. 13. art. 1. vers. quoad secundum*, Angelus *verbo iuramentum 3. n. 12*. Armilla *eodem verbo, n. 5*. Couarr. *de pactis, 1. p. §. 1. n. 6*. Albert. *de cognosc. assert. q. 17. n. 25*. Bossius *tit. de inquisit. n. 171. vers. Non obstat*, Dec. *in tract. crim. tom. 2. lib. 6. c. 2. n. 3. & seqq*. Catald. *de syndic. n. 104. & seq*. Corduba *lib. 1. q. 17. §. 15. notabil. 1*. Suarez *de Relig. tom. 1. tract. 3. lib. 1. c. 4. num. 8. & seqq*. Sotus *de iust. & iur. lib. 8. q. 2. art. 3. col. 7*. Nauarrus *in sum. cap. 18. n. 85*. Castro *lib. 1. de iusta hæret. punit. cap. 12*. Simanch. *de cathol. instit. lib. 8. n. 1*. Valentia *2. 2. disp. 1. q. 13. punct. 1. vers. cùm potest fieri*, Azor. *lib. 9. inst. mor. c. 28. q. 3. & lib. 11. c. 3. q. 2*. Azev. *lib. 8. recop. n. ad l. 6. n. 55*. & alij communiter. 41

Probatur, quia licèt Christus, & sancti reuera habuerint huiusmodi membra, habuerunt tamen illa, tanquam corporis partes naturales, non autem tanquam quid vituperabile, & ignominiosum: Quapropter ex modo loquendi iurantis esset falsitas, saltem in actu practico, seu in actu exercito, vt propterea iurans per huiusmodi membra Christi, vel Sanctorum, sit verè, & propriè blasphemus, iuxta ea quæ dicebam *suprà sect. præcedenti, circa finem*.

Non obstat, si dicas, quod Syluester *verb. Blasphemia, q. 2. & 3. & verbo iuramentum 2. circa finem*, Manuel *in sum. tom. 1. cap. 34. n. 2*. & alij dicant, non esse verè, & propriè blasphemiam.

Respondetur enim, quod licèt hi Doctores dicant, non esse verè & propriè blasphemiam, subdunt tamen, esse blasphemiam quoad modum, & ita vt sit peccatum mortale; quapropter per id intendunt solùm dicere, non esse blasphemiam ex eis blasphemiis, quæ tribuunt Deo, vel sanctis id, quod Deus, vel sancti non habent; sed esse blasphemiam ex eis blasphemiis, quæ falsitatem continent quoad dicendi modum, itavt sit verè, & propriè blasphemia, siue enunciatiuè, siue optatiuè membra pudenda in ignominiam Christi, vel sanctorum nominentur, iuxta eadem, quæ suprà dicebam, & docent Caietanus *loco citato*; vbi rectè ait, non esse differentiam formalem, siue quis ignominiosè nominet membra Christi; vel sanctorum pudenda (quæ reuera habent) siue quæ non habent, vt si quis iuret per sexum fœmineum Christi, vel alicuius viri sancti; quia quoad rationem ignominiosi, vel vituperabilis in vtroque casu de Christo, vel de sanctis dicitur falsò: Quamvis in posteriori casu dicatur non solùm falsò, sed etiam falsum, seu non solùm falsum formaliter, sed etiam falsum materialiter, seu tandem non solùm falsum vt quo, sed etiam falsum vt quod; & ideò subdit Caietanus, istam esse blasphemiam peiorem, scilicet non formaliter, sed solùm materialiter.

Petes: An si quis iuret per Dei, vel sanctorum membra honesta, sit etiam blasphemia? 42

Suppono, quod si iuret per membra Dei honesta, attribuendo ea Deo, vt Deus est, absque dubio sit blasphemia, cùm sic iurans attribuat Deo, quod ipsi Deo nec conuenit, nec conuenire potest; at nunquam videtur, quod quis in hoc sensu iuret, sed solùm per illa membra honesta, quæ Deus habet vt homo, v.g. per caput, oculos, manus, pedes, capillos, corpus, aut sanguinem, &c. Et si in hoc sensu quis, vt contingere consueuit, aliquando iurauerit, difficultas est, an sit etiam blasphemia?

Affirmant Glossa, Alexander, Bartolus *in Authent. Vt non luxurientur contr. natur. notab. 2*. Albertinus *de agnoscend. assertion. quæstione 27. numero 24. & seqq*. Decian. *in tract. crimin. tom. 2. lib. 6. cap. 2.*

n. 13. & 14. Angelus *de malefic. verb. Verba iniuriosa, n. 14. vers. Quaero quae poena*, Addentes *ibidem in princ.* Baldus *in l. 2. in fine, ff. de rebus cred.* Bonifacius de Vitalinis *tit. de poenis blasphemantis, num. 1.* Calald. in *tract. de syndicatu, n. 104.* Diaz *in practica crimin. canon. verb. blasphemia, n. 103.* Conrad. *in practica, tit. de iniuriantibus, n. 25.* Bossius *tit. de Inquis. n. 130. & seq.* Mascard. *de probat. lib. 1. conclus. 195. n. 6.* Claudius ad Bertazol. *cens. 153. lib. 2.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. centur. 4. cas. 375. n. 14.* & alij, quos refert Couarr. *de pactis, 1. part. §. 1. n. 6.* ex quibus etiam ex parte consentit (si qui sic iurat, assuetus fuerit sic iurare, seu sic iurandi habuerit consuetudinem) quod si tamen sic iurandi non fuerit consuetudo, neque fuerit contemptus, subdit ipse, esse solùm culpam venialem. Idemque tenet Angelus *verbo Iuramentum 3. num. 12.* vbi similiter ait, esse solùm culpam venialem, si quis reuerenter, & non cum magna frequentia sic iurauerit; Idemque etiam tenet Syluester *verb. blasphemia, q. 2.* vbi inquit, esse blasphemiam quoad modum, si reuerenter iuretur; subdit tamen similiter *quaest. 3.* non esse culpam mortalem, nisi casu quo irreuerentia fuerit notabilis, & magna.

42 Affirmant etiam Sotus *lib. 8. de Iust. & Iure, quaest. 2. ar. 3. col. 7. & de iuramentorum abusu, cap. 6.* Azeuedo *in l. 6. regia, tit. 4. lib. 8. recopil. num. 60.* & alij, quatenus prædictum iuramentum inter blasphemias expressè reponunt.

Fauet *citata l. 6. regia*, quatenus iurantem per quæcumque Christi membra, etiam honesta, iubet blasphemi pœnis puniri, quam *leg. 6. regiam* explicans Couarruuias *loco suprà citato, §. 7. n. 9. vers.* 8. ait, eius rationem esse, quia prædicti iuramenti sensus est execratorius, qualis est, si quis per vitam Dei, vel Sanctorum iurauerit, iuxta ea, quæ *corollario* 13. dicebam, & ideò esse blasphemiam.

Fauet etiam textus *in cap. si quis, 22. quaest. 1.* vbi significatur expressè, quod sit blasphemia, quatenus ibi dicitur: [Si quis per capillum Dei, vel caput iurauerit, vel alio modo blasphemia contra Deum vsus fuerit, si in Ecclesiastico ordine est, deponatur.] His tamen non obstantibus,

43 Respondetur ex probabiliore sententia Caietani *in sum. verb. Blasphemia*, Armillæ *ibid. num. 1.* Nauarri *in sum. cap. 12. num. 85.* Alcozer *in sum. cap. 15. part. 3.* Ludouici Lopez *1. part. instructionis, cap. 283. vers. Postquam de malitia*, Sancti Antonini *2. part. titulo 10. c. 4. in princ.* Syluestri *verb. Iuramentum 2. circa finem*, Manuelis *in sum. tom. 1. cap. 34. num. 2.* Valentiæ *2. 2. disp. 6. q. 7. punct. 3. vers. Si verò aliquis iuret*, Tabienæ *verbo Iurare, quaest. 5. num. 6.* Petri de Ledesma *in sum. tom. 2. tract. 1. cap. 9. post quintam conclusionem, corollario 2.* Toleti *lib. 4. cap. 13. num. 6.* & aliorum, non esse blasphemiam.

44 Probatur, quia iurans per Dei, vel Sanctorum membra honesta, nihil tribuit Deo, vel sanctis, quod verè ipsi non habeant: Et ex alio capite, cum talia membra sint honesta, ea nominare non est inhonestas, & indecentia, qualis est, cum inhonesta nominantur: Et ideò non cedit in contemptum, ignominiam, vel derisionem Dei, vel Sanctorum; nec sensus iuramenti per talia membra est execratorius, sed simplex, sicut quando iuratur per Deum, per sacrosanctum iuramentum, per Euangelia, vel per sanctos, &c. Quinimò, si huiusmodi iuramentum reuerenter emittatur, in eo neque culpa venialis interueniet, sicut nec in aliis iuramentis, quæ licitè emittuntur: S. Anton. Syluester, Valentia, Tabiena, & alij *in locis suprà citatis*. Nec frequens consuetudo hoc iuramentum emittendi tribuit aliquid, vt blasphemia censeatur; quin neque vt peccatum mortale reputetur; quemadmodum nec alia iuramenta ex hac sola praua consuetudine mortalia redduntur.

45 Erit tamen blasphemia prædictum iuramentum, vel etiamsi absque vllo iuramento membra Dei, vel Sanctorum honesta nominentur, casu quo iniuriosè, vel per modum contemptus, aut vituperij cuiusdam nominarentur: Sic Doctores, quos sequitur Suarez *tom. 1. de Religione, tract. 3. lib. 1. cap. 9. n. 11.* Toletus *citato cap. 13. n. 6.* & alij communiter; quia cùm prædicta membra non sint in Deo, vel in Sanctis vt quid ignominiosum, vel contemptibile, esset falsitas, saltem in actu practico, seu in actu exercito, ex parte modi dicendi (sicuti de membris inhonestis *suprà* dicebam) quod satis est ad veram, & propriam blasphemiam, iuxta ea, quæ dicebantur *sectione praecedenti, circa finem*.

Et forsan in hoc sensu intelligitur *Lex 6. regia suprà citata*, condemnans huiusmodi iuramentum tanquam blasphemiam; & sic similiter intelligitur textus *in citato cap. si quis, 22. quaest. 1.* vbi significatur etiam, quod sit blasphemia. Vel dicas, quod vterque textus intelligatur, si quis iuret per membra Dei (quatenus Deus est) putans, Deum ratione Deitatis habere membra, cùm hoc sit hæreticum: At secus, si iuret per membra Dei (quatenus homo est) ratione scilicet humanitatis assumptæ, cùm hoc sit verissimum. 46

Petes: an si quis membra Dei, vel Sanctorum honesta nominet cum indignatione quadam, verbi gratiâ dicens: *Corpo è sangue di Dio, di san Pietro*, &c. in aliquo iurgio, sit saltem blasphemia? 47

Responderet quidquid in contrarium dixerint nonnulli, quos sequitur Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. cap. 6. n. 12.* negatiuè cum Caietano *in sum. verb. Blasphemia*, Armilla *eod. verbo, num. 1.* Nauarro *c. 12. n. 85.* Valentia *2. 2. disp. 6. q. 23. punct. 1. in fine*, Toleto *lib. 4. cap. 13.* Sayro *in claui regia, lib. 6. cap. 13. num. 3. circa finem*, Alcozer, Lopez, & aliis *vbi suprà*, qui tamen rectè subdunt, quod sit peccatum veniale graue.

Probatur, quia licèt sic prædicta membra Dei, vel sanctorum honesta irreuerenter nominentur, non tamen per modum contumeliæ, vel contemptus in Deum nominantur; & ex alio capite sic nihil falsum Deo, vel sanctis tribuitur, quod reuera non habeant; Ergo, &c.

Quod tamen intellige, si indignatio illa non sit in Deum, vel in sanctos, sed solùm in hominem, cum quo est iurgium, seu cum quo contenditur; quia si indignatio, vel ira sit in Deum, vel in sanctos, absque dubio erit blasphemia: quandoquidem in actu practico, seu in actu exercito falsè significatur, quod Deus, vel sancti indignationem mereantur; sic DD. communiter, quos sequitur Valent. *2. 2. disp. 6. q. 13. punct. 1. vers. Sed tamen illud*, & Sotus *de iuramentorum abusu, c. 6.* subdens idem dicendum esse si quis dixerit, *O fides Dei cum tali homine:* ad modum quo Gentiles implorantes suorum Deorum fidem, aiebant: *Dy vestram fidem.* Quod scilicet sit similiter blasphemia, si indignatio fuerit in Deum, secus autem, si indignatio fuerit tantùm in hominem, cum quo est iurgium, seu contentio; quia in tali casu, sicuti dicebam, illam verba in contemptum Dei non proferuntur, nec per illa verba Deo iniuria irrogatur, vel quid falsi tribuitur; non tamen qui sic loquitur, sicuti etiam dicebam, excusandus est à peccato veniali graui, cum irreuerenter illa verba proferat, quemadmodum neque excusatur à peccato veniali graui, qui per Deum iurat ex indignatione; & cùm dicebam, quod iurans ad Corpus, vel Sanguinem Dei non sit blasphemus, intellige etiamsi hæc verba proferat ex indignatione quadam contra eum, cum quo iurans contendit; quod si verò proferret ex indignatione contra Deum, licèt vera sint illa verba, cum ex dictis, & ex Caietano *in sum. verb. Blasphemia*, post naturam humanam assumptam à Verbo diuino dici possit Corpus, & sanguis Christi, essent tamen blasphemia; quia prædicta verba ipse proferendo significaret in actu exercito, quod Deus mereatur indignationem, Sotus *de iuram. abusu, c. 6.* & alij partim, quos citat, & sequitur Valentia *cit. punct. 1.*

Quamvis

Quamvis Suarez *tom.* 1. *de Religione, tract.* 3. *lib.* 1. *c.* 6. *n.* 11. non omninò improbabiliter sentiat, quod eadem verba sic prolata semper (etiamsi ira, & indignatio sit contra hominem) habeant rationem blasphemiæ; quia, inquit ipse, sunt verba contumeliæ, & contemptus in Deum. Et si postea subdat, quod prædicta verba sæpè sæpiùs homines proferant quasi materialiter, & omninò ignorando, quid tunc significent; & tunc ij sic loquentes excusari possint à graui culpa blasphemiæ.

48 Sequitur 16. quod sit etiam blasphemia, si quis intendens adæquare veritatem humanam cum veritate diuina, seu ponere in suo dicto tantam certitudinem, quanta certitudo est in veritate diuina, dicat: [Verum est, quod dico, sicut Deus est ipsa veritas, vel sicut Deus est natus de Maria Virgine: vel dicat, hoc est Euangelium, vel credi potest tanquam Euangelium: vel dicat, sum innocens, sicut est Christus, vel S. Petrus, &c.] Sotus *de iuram. abusu, cap.* 6. *& de iust. & iur. lib.* 8. *quæst.* 1. *art.* 3. *col.* 7. Couar. *de pact.* 1. *part.* §. 7. *n.* 9. *vers.* 11. Suar. *tom.* 1. *de relig. tract.* 3. *lib.* 1. *c.* 6. *n.* 12. & alij passim: Quia cùm veritas diuina (vtpotè fundata in testimonio primæ veritatis dicentis, quæ nec falli, nec fallere potest) sit summæ, & omnimodæ certitudinis, qualis non est veritas humana, seu creata, ad quod significandum dixit Christus Dominus Lucæ 12. *Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*, fit veritati diuinæ iniuria, si fiat talis adæquatio. Præterquam quod includitur implicita propositio affirmatiua recedendi à veritate diuina, si defecerit veritas humana, seu creata.

Quod tamen intellige, si (quemadmodum dicebam) animus proferentis ea, vel similia dicta, sit veritatem humanam adæquare cum diuina, seu ponere in dicto suo tantam certitudinem, quanta certitudo est in veritate diuina; quia sic tribuitur creaturæ id, quod est proprium creatoris, quod propriè pertinet ad blasphemiam; secus autem si animus proferentis sit, quod id intendat per quandam similitudinem, siue per quandam proportionem non Arithmeticam, sed Geometricam, seu per quandam Analogiam, vel tandem exageratiuè per quandam exagerationem; ita vt sensus sit: hoc, quod dico, suo modo est verum, sicut ea veritas diuina. Petrus de Ledesma *in sum. tom.* 2. *tract.* 1. *c.* 9. *post quintam conclusionem, dub.* 2. Azeued. *l.* 3. *recop. tit.* 4. *lib.* 6. *n.* 38. *& seqq.* Medina *in sum. lib.* 1. *c.* 14. §. 2. Alcozer *in sum. c.* 15. Azor. *tom.* 1. *inst. moral. lib.* 11. *c.* 3. *q.* 2. *circa fin.* Lodou. Lopez *part.* 1. *instructionis, c.* 582. *vers.* 3. *de isto modo*, & alij communiter; quia tunc cessat ratio, quam supra dicebam, vt scilicet fiat inter veritatem humanam, & diuinam omnimoda, vel arithmetica adæquatio; sicque cessat etiam, vt fiat iniuria veritati diuinæ, & tribuatur creaturæ, quod est proprium creatoris.

Totum igitur pendet ex intentione loquentium, qui sæpè loquuntur per exaggerationem, & non intendunt facere omnimodam, vel arithmeticam æquiparationem. Quapropter excusari possunt à malitia blasphemiæ, sicut etiam casu quo non aduertant, quid verba illa significent; vel si verba illa capacia sint alterius significationis, quam ipsi proferentes intendunt. Qua de re videri poterit Suarez *tom.* 1. *de relig. tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 6.

49 Peres, quid dicendum in dubio, si scilicet non constet de sana proferentis intentione?

Respondetur, quod quamvis nonnulli (quos sequitur Azeuedo *loco suprà citato, num.* 40.) putent, esse tunc præsumendam blasphemiam, multò probabilius sit oppositum (quod docent Alcozer, Ludouicus Lopez, & alij passim.)

Probatur, quia ex communiter accidentibus non præsumitur in ea, vel similia alia dicta proferente animus adæquandi omninò veritatem diuinam, & humanam per proportioné arithmeticam; nec hic est communiter animus ea verba proferentis, sed est geometricè proportionalis, seu analogica quædam, vel hyperbolica locutio, cùm solùm exaggeret sui dicti veritatem, vel suæ personæ innocentiam, assimilando illas veritates veritati diuinæ, vel innocentiæ alicuius Sancti, per quandam similitudinem, vel analogiam, vti dicebam.

Sequitur 17. quod sit etiam blasphemia, si quis crea- 50
turæ tribuat aliquid, quod est proprium Dei, vbi quod *dæmon sit Sanctus, omnipotens, immensus, &c.* Vel quod *fatum regat omnia.* S. Thomas 2. 2. *quæst.* 13. *art.* 1. *ad* 3. (quem sequuntur communiter Doctores.) Idque vel quia, sicuti vult S. Thomas, hoc ipso tribuit aliquid Deo, quod ipsi Deo non conuenit, cùm enim quodlibet attributum Dei sit Ipsemet Deus, tribuens illud attributum creaturæ, hoc ipso dicit, creaturam esse idem cum Deo, & è contra, vel quia (sicuti volunt alij, quos sequitur Valentia 2. 2. *q.* 13. *disp.* 1. *punct.* 1.) tribuens id attributum creaturæ, eo ipso dicit, illud non esse Dei proprium, sed commune cum creatura, ac proinde est blasphemus, vtpote qui negat de Deo, quod ei proprium est; & vtpote qui, cùm quodlibet attributum diuinum sit ipse Deus, tribuens creaturæ aliquod attributum diuinum, hoc ipso dicit, creaturam esse Deum: Et hoc blasphemiæ peccatum committere solent amatores fœminarum, quas ita ardenter amant, vt blasphemantes nominibus Dei propriis eas appellent.

Est etiam (vti dicebam) blasphemia vocare, quemadmodum in quibusdam locis mos est, diabolum sanctum, ex eo, quia cùm Deus habeat diabolum inimicum, qui sic blasphemat, tribuit Deo, quod habeat diabolum amicum: Tum ex eo, quia est contra sanctitatem Dei, quæ ex modo loquendi blasphemantis coniungitur cum peruerso subiecto, nempe cum diabolo. Nauar. *in sum. c.* 12. *n.* 84. Tabiena *verbo excommunic.* 5. *cas.* 4. §. 12. *n.* 13. & Graff. *lib.* 1. *cas. reseru. c.* 10. *n.* 47. Vbi aduertit, quod si quis ex quodam nequam vsu verborum hoc, vel quodcumque aliud blasphemum, velut ac si non esset alicuius ponderis, inaduertenter proferret, non peccaret mortaliter, quando sic dispositus esset, quod si id, quod profert, blasphemiam esse sciret, nunquam illud proferret. Et vbi etiam *paulò post, num.* 49. subdit, quod si qui profert verba blasphemiæ, ignoret (sicuti solent quidam idiotæ) vim verborum, talia verba non sunt inter hæreticales blasphemias, quinimmò nec inter simplices blasphemias computanda.

Objicies: Ergo blasphemus est, qui in infortuniis 51
contingentibus (vt dici consueuit) dicit: *Sic tandem futurum erat:* Videtur enim sic significare, quod fato regente id euenerit; ita vt, quemadmodum gentiles putabant, fatum insit rebus, seu per fatum insit necessitas horum casuum contingentium, vel quod ordinatio diuina imponat hominibus necessitatem absolutam.

Respondetur, quod (quamvis ista talis propositio propter rationem dictam sit malè sonans, vt propterea illam proferens corrigi debeat) nihilominus, si intelligatur non de necessitate antecedente, absoluta, seu in causa, tollente rerum contingentes euentus, & libertatem humanam, sed de necessitate consequenti, conditionali, ac ex suppositione, seu in affectu, quâ omnia ordinata, ac præcisa à Deo ab æterno necesse est euenire, scilicet consequenter, non sit blasphemia, sed propositio vera, iuxta ea, quæ dicebam *in* 1. *part. S. Thomæ, disp.* 4. *quæst.* 11. *&* 30.

Sequitur 18. quod sit etiam blasphemia, si quis (vt 52
quidam solent) dicat, *Può far Dio*, proferens scilicet talia verba ex iracundia, vt in Deum aliquam inferat contumeliam; quamvis communiter non soleat esse blasphemia, quia prædicta verba proferentes solùm intendunt dicere, quod Deus possit facere, & per ea verba aliquid exaggerare: Peccant tamen venialiter, cùm sic irrogetur diuino nomini aliqua irreuerentia.

Sequitur 19. (ad mentem tamen Soti *lib.* 8. *de iust. & iur. q.* 2. *art.* 3. *col.* 7. Couar. *de pactis,* 1. *part.* §. 7.

rectè laudare Deum in ſancto ; ita vt alioquin talis actos ſit actus Duliæ, & non Latriæ : Ergo cum quis maledicit Sancto, non committit propriè peccatum blaſphemiæ, niſi expreſsè, formaliter, ſeu directè intendat maledicere Deo in ſancto.

Reſpondetur ſimiliter, vt ſuprà : concedo antecedens, at nego conſequentiam ; & diſparitas eſt, quia ex dictis plura requiruntur ad bonitatem, quàm ad malitiam actuum ; cùm in bonitate actus requiratur intentio formalis, & directa ; in malitia autem, ſeu prauitate actus ſufficiat interpretatiua, & indirecta.

7 Objicies 3. ad hoc vt maledictio prolata in creaturam non ſanctam, habeat malitiam blaſphemiæ, requiritur, vt formaliter, & directè maledicatur creaturæ, vt eſt Dei creatura : Ergo etiam ad hoc, vt maledictio prolata in Sanctos habeat rationem blaſphemiæ, requiretur, vt maledicens formaliter, & directè intendat maledicere Deo, eumque inhonorare in ſancto.

Reſpondetur etiam vt ſuprà : concedo antecedens ; at nego conſequentiam, quia ex dictis etiam ſufficit in caſu noſtro voluntas indirecta, & interpretatiua : Nec enim eſt par ratio in creaturis carentibus ſanctitate, & in creaturis illam habentibus ; quia cùm ſancti habeant intrinſecam habitudinem, ſeu relationem ad Deum, ratione ſtatus, in quo ſunt, maledictio, ſeu contumelia prolata contra illos, cenſetur prolata contra Deũ. Et ſatis eſt, quod maledicens ſancto potuerit, & debuerit conſiderare talem habitudinem, ſeu reſpectum, quem ſancti habent ad Deum ratione ſtatus, in quo ſunt : quem reſpectum non habent ad Deum aliæ creaturæ, ſicque non valet illa conſequentia.

8 Objicies 4. virtus, qua colitur Sanctus, vt excellens quædam perſona eſt, non eſt virtus Religionis, ſed obſeruantiæ : Ergo maledictio, ſeu contumelia, quæ opponitur virtuti (qua colitur Sanctus, quæ virtus eſt obſeruantiæ) non habet propriè, & verè malitiam blaſphemiæ, quæ opponitur religioni.

Reſpondetur : tranſeat antecedens ; at diſtinguo conſequens, ſi qui maledictionem, ſeu contumeliam profert in Sanctum, expreſsè præſcindat ab habitudine, quam Sanctus habet ad Deum, ſolamque ſancti, quaſi cuiuſdam excellentis viri, excellentiam conſideret, concedo ; ſi ſecus, nego. Vaſq. *in 3. part. diſp. 98. cap. 4. tom. 1.* Valentia *2. 2. diſp. 1. q. 13. punct. 1.* Turrianus *ibid. diſp. 58. dub. 2. circa fin.* & alij. Dixi præterea : *Tranſeat antecedens*, quia ſatis probabiliter alij, quos ſequitur Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. c. 5. n. 6.* tenent quod in omni maledictione, ſeu contumelia, quæ profertur in ſanctum, continetur duplex malitia, vna ſcilicet contra obſeruantiam, & altera contra Religionem, quemadmodum ſæpè contingit in multis actibus peccaminoſis, in quibus continentur plures malitiæ. Ita vt maledictio, ſeu contumelia prolata in ſanctum contineat etiam veram rationem, ſeu malitiam blaſphemiæ. Vide quæ dicebantur *ſuprà, ſect. 1. ſuppoſit. 3. diuiſ. 3.* & quæ dicebantur etiam ſuprà *ſect. 4. corollar. 1. & 4.*

SECTIO VI.

An ſit blaſphemia maledicere creaturis?

SVMMARIVM.

1 *Blaſphemus eſt, qui maledicit creaturis, ſiue rationalibus, ſiue irrationalibus, prout creaturæ ſunt effectus, vel opera Dei; quia ſic totum cedit in contemptum, iniuriam, ſeu contumeliam Dei.*

2 *Amplia, id verum eſſe etiamſi maledicat diabolum, cùm etiam ſit creatura, effectus, & opus Dei; ſecus ſi illum maledicat ratione ſuæ culpæ.*

3 *Blaſphemus non eſt maledicens creaturis, non intendendo maledicere eis, prout creaturæ Dei ſunt, ſed quia eæ maledicenti inferunt aliquod incommodum, neque in tali caſu peccat mortaliter.*

4 *Amplia neque peccare venialiter, ſi maledicat prædictis creaturis prout præcisè continent aliquid mali, vel ſunt cauſa alicuius mali; quin hinc nullo modo maledicit eis, prout ſunt tales res, ſed ſolùm rationæ mali cuius ſunt cauſa.*

5 *Maledicens periculum in dictis maledictionibus ineſt maledicendi creaturis, prout ſunt aliquid Dei, & ne indignatio feratur in Deum.*

6 *Maledicens horæ, diei, vel anno, &c. ſi per hæc intelligat ſolùm ſpatium illud temporis, erit peccatum mortale, vel veniale ſecundum tradita ſuperiùs; at ſi aliquem ſanctum, cuius feſtum colitur in illa hora, die, vel anno, erit mortale.*

7 *Maledicens creaturæ irrationali in ordine ad creaturam rationalem, v. g. agro, vel equo, eo quòd ſit huius, vel illius domini, peccat mortaliter.*

8 *Maledictionis prædicta peccatum non eſt blaſphemia, ſed odij contra charitatem proximi, cùm malum creaturæ irrationalis redundet tunc in damnum proximi, ita vt ſit maledicere ipſi homini in caſu prædicto.*

9 *Maledicens creaturis irrationalibus ſine vlla habitudine, ſeu relatione ad Deum, vel ad hominem, ſed ſolùm ſecundùm ſe, non peccat mortaliter, ſed ſolùm venialiter; quia ſcilicet profert verbum otioſum. Secus ſi quatenùs referuntur vel ad Deum, vel ad hominem, quia erit reſpectiuè blaſphemia, vel odium contra charitatem.*

10 *Maledicens creaturæ rationali, imprecando ei malum, committit peccatum ex genere ſuo mortale. Veniale tamen ſi malum, quod imprecatur, ſit leue, vel non ex animo, ſed tantùm ex ira.*

11 *Maledictiones, quas parentes communiter in filios, domini in famulos, coloni, & muliones bobus, ac mulis conjiciunt, non ſunt peccata mortalia; quia non proferuntur ex animo, vt illis eueniant.*

12 *Parentes aſſueti maledicere filiis etiam non ex animo, ſecundùm Valentiam peccant mortaliter ratione ſcandali, quæ ſententia auctori non omninò improbatur, cum exinde filij occaſionem ſumant maledicendi aliis perſonis.*

13 *Filij maledicentes parentibus, præſertim ipſis præſentibus & audientibus, non excuſantur à peccato mortali.*

14 *Serui maledicentes Dominis, & ſubditi maledicentes Prælatis, etiamſi non ex animo, præſertim ipſis præſentibus, & audientibus, peccant mortaliter.*

15 *Imprecans proximo ſuſpendiũ, malam mortem, à diabolo euehi quò ille voluerit, peccat mortaliter, ſi interiùs & ex animo; ſecùs autem ſi exteriùs & ore tantùm.*

16 *Committens, ſeu commendans aliquem diabolo etiam non ex animo, ſecundùm Sotum peccat mortaliter; at auctori id minùs probatur in caſu, quo ille diabolo ſeipſum committeret.*

17 *Imprecans malum alteri ex ira, vel indignatione, ſed ita quod pro tunc vellet, vt illi eueniret tale malum, peccat mortaliter, quamuis ſtatim poſtea tranſacta ira, vel indignatione nollet, vt illi eueniret prædictum malum.*

18 *Hieremias graue malum optauit homini, qui nunciauit eius Patri ipſius Hieremiæ natiuitatem; at quia huiuſmodi verba protulit per hyperbolem, ſcilicet ad exprimendum, & exaggerandum, non peccauit; quia non ex animo optauit tot, & tam grauia mala ei.*

19 *Item protulit prædicta verba non ſimpliciter & abſolutè, ſed ſubintellecta conditione, nempe ſi vllus dies infauſtus, & infelix eſt, illum dicerem natalem meũ.*

20 *Hieremias maledixit diei natalis ſui, non in ſe ipſo, ſcilicet vt quid eſt in ſe, ſed ratione ingentium malorum, quæ homini in hac vita contingunt, & in die natiuitatis incipiunt.*

21 *Hieremias maledixit diei natalis ſui, quatenus fuit principium peccatorum, & miſeriarum, & quatenus continebat*

rentes excusandi non videantur à peccato mortali.

13 Nec etiam excusandi videntur à peccato mortali filij maledicentes parentibus, etiamsi ex animo non maledicant parentibus, præsertim si maledicant prædictis parentibus, & audientibus; quia id valdè videtur aduersari reuerentiæ, obseruantiæ, & pietati, quam filij parentibus tenentur præstare.

14 Nec etiam similiter excusandi videntur à peccato mortali serui maledicentes dominis, & subditi maledicentes Prælatis, etiamsi similiter ex animo non maledicant dominis, vel Prælatis: Præsertim si similiter maledicant prædictis dominis, vel Prælatis præsentibus, & audientibus; quia & id etiam valdè videtur aduersari reuerentiæ, & honori, quem exhibere debent dominis, & Prælatis; ita vt propterea serui, & subditi grauem iniuriam illis inferre videantur, cum in faciem illis præsentibus, & audientibus maledictiones projiciunt.

15 Sequitur secundò, quod si quis dicat alteri: *Suspendaris, mala morte moriaris, à diabolo, quò ille voluerit, ducaris*: peccet mortaliter, si interiùs, & ex animo mala, ista proximo imprecetur; secus autem si exteriùs, & ore tantùm. Valentia *loco suprà citato*, Summa Corona *part. 1. num.* 86. Nauar. *cit. num.* 117. & Sayr. *in claui regia, lib. 6. cap. 13. num. 7.*

16 Quamvis Sotus *lib. 5. de iust. q. 2. art. 1. vers. 3. conclusio,* dicat, quod qui committit, seu commendat, etiam non ex animo, aliquem diabolo, peccet mortaliter: Quod mihi non probatur, nisi casu, quo ille seipsum diabolo committeret: Quia quod tunc (v. g. si dicat, *Diabole duc me, quò tu volueris*) peccet mortaliter ob rei horrorem, fœditatem, & turpitudinem, est valdè probabile; vt propterea iure non videatur excusandus à peccato mortali.

17 Dico 5. qui malum alteri ex ira, vel indignatione imprecatur, sed ita quod pro tunc vellet, vt illi eueniret tale malum, peccat mortaliter, quamvis statim postea, transacta ira, vel indignatione, nollet vt illi eueniret prædictum malum. Caietanus 2. 2. *q. 76. art. 1.* quem sequuntur Valentia 2. 2. *disp. 5. quæst. 19. punct. 2.* & alij. Quatenus ait, oportet ergo ad ipsum passionis tempus inspicere: An tunc maledicens consenserit, hoc est, an tunc voluerit, quòd sic esset, vel dicebat, an non: Hoc enim tempus infallibiliter ostendit, vtrum mortale, an veniale fuerit: Tempus autem quietis post passionem ostendit, quod non est persistens animus erga malum, & quod non per modum habitus, sed passionis transeuntis peccauerit. Et Nauar. *in summa, cap. 13. n. 513.* (quatenus asserit) sufficit tamen ista mala imprecari ex animo deliberato, etiam momentaneo, licèt illico pœniteat; sicuti sufficit consensus deliberatus, etiam momentaneus voluntatis ad quodcumque aliud peccatum mortale; & Azorius *tom. 3. instit. moral. lib. 2. cap. 21. quæst. 5.* quatenus inquit, si qui ex deliberata ratione, licèt subita, maledicat, peccat; nec signum est, se non fecisse ex deliberatione, eo quòd statim incipiat ipsum pœnitere; quoniam sic multa facimus, & statim nos pœnitet.

Quod idem contingit in aliis peccatis; quia si quis v. g. ex concupiscentia femellam deliberatè desideret, peccat mortaliter; quamvis paulò post, transacta huiusmodi passione doleat, quod consensum præstiterit: Ergo similiter, si quis tempore maledictionis optat, vt malum, quod alicui imprecatur, illud ei eueniat, peccabit mortaliter; quamvis paulò post nollet, vt illud eidem eueniret.

OBIECTIONES.

18 Objicies: Hieremias *cap. 20.* graue malum optauit homini qui nunciauit ipsius Hieremiæ patri ipsius Hieremiæ natiuitatem: Ergo ex ira, indignatione, vel dolore alteri graue malum imprecari, non est peccatum mortale. Consequentia probatur; quia Hieremias ab vtero suæ matris, priùs scilicet quàm nasceretur, seu prodiret in lucem, sanctificatus fuit. Antecedens patet *ex dicto cap. 20.* ibi: [Maledicta sit dies, in qua natus sum: dies, in qua peperit me mater mea, non sit benedicta: Maledictus vir, qui annunciauit patri meo, dicens: Natus est tibi puer masculus, & quasi gaudio lætificauit eum: sit homo ille, vt ciuitates, quas subuertit Dominus, & non pœniteat eum: Audiat clamorem mane, & vlulatum in meridiano; qui me non interfecit à vulva, vt fieret mihi mater mea sepulchrum, & vulva eius conceptus æternus: Quare de vulva egressus sum, vt viderem laborem, & dolorem, & inhonorentur in confusione dies mei, &c.]

Respondetur: Nego antecedens, quia Hieremias huiusmodi verba protulit per hyperbolem, scilicet ad exprimendum, & exaggerandum, in quantonam dolore, gemitu, & miseria fuerit, quando in diuturnum carcerem iniustè coniectus fuit; non autem, quod ex animo optaret tot, & tam grauia mala ei, qui nunciauit ipsius Hieremiæ patri ipsius Hieremiæ natiuitatem: sic Hieronymus *in dicto cap. 10.* Sic etiam Carthusianus, Theodoretus, Hugo, Chrysostomus, & S. Thomas *in Catena Græca super 3. cap. Iob*, qui omnes asserunt, quod prædicta verba Hieremiæ non fuerint verba optantis, sed verba declarantis internum dolorem, quo pro tunc vir sanctus excruciabatur. Vel

Respondetur 2. quia prædicta verba Hieremias pro- 19
tulit non simpliciter, & absolutè, sed subintellecta conditione, nempe si vllus dies infaustus, & infelix est, illum dicerem natalem meum; & si vllus nuncius infaustus, & infelix est, illum dicerem, qui patri meo nunciauit natiuitatem meam; sic Isidorus, & alij; sic etiam explicatur locus *Matthæi* 12. ibi: Omne peccatum, & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiæ non remittitur; & quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Quia cùm omne peccatum possit in hac vita remitti, sensus illorum verborum est, si aliquod peccatum, vel blasphemia non meretur remitti in hac vita, illud esset peccatum, vel blasphemia in Spiritum sanctum; sic etiam explicatur illud ad Hebræos 6. *Impossibile est, eos qui semel sunt illuminati, & gustauerunt etiam donum cœleste, & prolapsi sunt, iterum renouari ad pœnitentiam.* Et illud cap. 10. *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia*: id est, si qui merentur, vt salutem æternam non consequantur, ij præcipuè essent isti tales. Vel

Respondetur 3. quia Hieremias maledixit diei na- 20
talis sui, non in seipso, scilicet vt quid est in se, sed ratione ingentium malorum, quæ homini in hac vita contingunt, & in die natiuitatis incipiunt. Cùm meliùs sit non esse, quàm tot, & tantis angustiis vexari, iuxta illud Iob 3. *Quare data est misero lux, & vita iis, qui in amaritudine animæ sunt?* & iuxta illud Eccles. 4. *Laudaui magis mortuos, quàm viuentes, & feliciorem vtroque iudicaui, qui necdum natus est, nec vidit mala, quæ sub sole fiunt.* Et iuxta illud Matthæi 26. *Melius ei fuerat, si natus non fuisset homo ille.* Quapropter Hieremias maledixit diei natalis sui, desiderans scilicet diem illum non fuisse; cùm melius iudicaret, quod natus non fuisset, quàm quod ad tot, & tantas afflictiones natus fuerit: sic Hieronymus, Rabanus, & alij. Vel

Respondetur 4. quia Hieremias maledixit diei na- 21
talis sui, quatenus fuit principium peccatorum, & miseriarum, & quatenus continebat malum peccati originalis, & afflictionum, & pœnarum huius vitæ: sic Origenes *lib. 3. in Iob*, Hilarius *in Psalm.* 29. Gregorius *lib. 4. moral. cap. 6. & 7.* Carthusianus *in cap. 3. Iob*, & alij. Quapropter Caietanus *in summa, verb. Maledic.* & Sayrus *in claui regia, lib. 6. c. 13. num. 3.* docent, quod (sicut ordinariè non est peccatum maledicere diabolo, eo quòd ordinariè intelligitur maledici illi ratione

ſtatus peccati, in quo repetitur, & ratione obſtinationis, & odij grauiſſimi, quo genus humanum inſequitur, & vt author multorum malorum, & inimicus Dei eſt) ſic etiam ordinariè non ſit peccatum maledicere diei natalis ſui, vel alterius, quatenùs ſcilicet talis dies continet peccatum originale cum pœna, & miſerijs huius præſentis vitæ. Vel

22 Reſpondetur 5. quia Hieremias ſic locutus eſt iuxta partem inferiorem, ſeu ſenſitiuam, quo modo Chriſtus Dominus dixit Matthæi 26. *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*, & paulò poſt: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*: Ita vt ſenſus iſtorum verborum Hieremiæ ſit, tot, & tantis anguſtijs, ac cruciatibus affligor, vt ſi ſequi vellem partem inferiorem, ſeu ſenſitiuam, dicerem: *Maledictus ſit dies, in quo natus ſum, &c.* ſic Dionyſius, Lyranus, S. Thomas, & alij.

23 Vt omittam interpretationem Origenis *lib. 3. in Iob*, quod ſcilicet Hieremias maledixerit diei, in quo natus eſt, eo quòd talis dies præteritus nihil ſit: Quapropter cùm nihil ſit (inquit ipſe) Hieremias nihil maledixit; nam interpretatio hæc Origenis minùs mihi probatur, quia eum dies ille fuerit, non poteſt illi diei maledici ſine aliqua culpa. Præſertim cum Hieremias non ſolùm maledixerit diei, in quo natus eſt, ſed etiam homini, qui nunciauit ipſius Hieremiæ patri ipſius etiam Hieremiæ natiuitatem.

Objicies 2. Dauid *Regum cap. 1.* maledixit montibus Gelboë, ibi: [Montes Gelboë nec ros, nec pluuia veniant ſuper vos, neque ſint agri primitiarum, quia ibi obiectus eſt clypeus fortium, clypeus Saul, quaſi non eſſet vnctus ab eo:] Ergo non eſt peccatum maledicere creaturis, ſaltem rationis expertibus, ſeu irrationalibus.

24 Reſpondetur nego conſequentiam; quia Dauid ſic locutus eſt, non quòd vellet, vt prædicta mala realiter euenirent, ſed ex hyperbole ad exaggerandum dolorem, quem ſentiebat ex morte Saül, Ionathæ, & aliorum. Præſertim cum id priſcis temporibus vſitatum fuerit in mortibus, & euentibus funeſtis: Maledicebant enim tunc homines creaturas irrationales, non cum animo deſiderandi eis aliquod malum, ſed ad exprimendum internum dolorem, quo premebantur; nec in talibus imprecationibus continebatur vllum mendacium; quia (ſicuti dicebam) ex hyperbole talia verba proferebantur, ſicque tunc olim vſitatum erat; præſertim cum mendacium non ſit in orationibus imperatiuis, & optatiuis, ſed in ſolis enonciatiuis.

25 Objicies 3. ſæpè viri ſancti multa imprecantur peccatoribus, vt Pſalmo 9. *Conuertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliuiſcuntur Deum*: & Pſalm. 108. *Conſtitue ſuper eum peccatorem, & diabolus ſtet à dextris eius.* Ergo non eſt peccatum imprecari mala hominibus ſaltem peccatoribus.

Reſpondetur, nego conſequentiam; quia tales locutiones non tam ſunt imprecationes, quàm prædictiones. Sic Patres, & Doctores, quos ſequitur Bellarm. *in Pſalm. 9. verſ. 18.* in illa verba: *Conuertantur peccatores*, quatenùs ex Patribus, & Doctoribus ibi ait: non imprecatio, ſed Prophetia eſt, impios ad inferna deſcenſuros; ita vt iſtorum verborum ſenſus ſit: Conuertentur, ſeu reuertentur in infernum; dicuntur autem peccatores reuerti in infernum, quia exinde venerunt, quà peccatores ſunt.

26 Adde, quod eſto prædictæ locutiones non tam ſint prædictiones quam imprecationes; ſunt tamen imprecationes imperatiuæ, vel optatiuæ, conformando ſe cum voluntate diuina, vt id fiat, vel deſiderando vt iuſtitiæ intuitu mala illa contingant; quia (ſicut in hac vita licitum eſt ex zelo iuſtitiæ petere à miniſtris iuſtitiæ iuſtam vindictam;) ita etiam licitum erit ex eodem zelo iuſtitiæ idipſum petere à Deo; quamvis potiùs petendum ſit à Deo, quod miſericordia vtatur erga Deos, qui nos offendunt, quàm ab eodem petere, quod de illis vindictam ſumat: ſic Hieronymus *ibi, & in cap. 1. Threnorum*, Remigius Euthymius *in Pſalm. 34.* Bernardus *ſerm. 3. in Pſalm. 40.* S. Thomas *2. 2. quæſt. 25. artic. 6. ad 2.* & alij multi recentiores, ex quibus videri poterit præcipuè Lorinus, quatenus in dictis verbis *Pſalmi 59.* ſic inquit: Quamvis optando, & imperando Propheta loquatur, prædicit tamen potiùs, quàm vel imperet, vel optet, aut certè approbat, & adgratulatur diuinæ ſententiæ; *& in Pſalm. 108. verſ. 6.* quatenus explicans illa verba: [Conſtitues ſuper eum peccatores, & diabolus ſtet à dextris eius,] ſic ait: Intelliguntur illa verba de prophetica prænunciatione ſub forma imprecationis, de demonſtratione quid impius mereatur, de zelo, quo homo ſe conformat diuinæ Iuſtitiæ mala imprecando ſecundùm ordinem illius, niſi pœniteat impium: *& Hieremiæ 18.* Ne propitieris iniquitati eorum, & peccatum eorum non deleatur.

Iſtabis: Apoſtolus *ad Galatas 5.* dicit: Vtinam abſcindantur qui vos conturbant: Ergo recurrit difficultas. 27

Reſpondetur nego conſequentiam; quia ex dictis licitum non eſt ex animo imprecari mala hominibus, etiam peccatoribus, eaque illis optare ex odio: Non enim Deus odit vllam creaturam. Sapient. 1. *Nec delectatur Deus in perditione impiorum*; & Sapient. 11. *Nihil odit eorum, quæ fecit*: quod etiam docet, & probat S. Thomas *lib. 1. contra gentes, cap. 95. & 96.* licitum tamen eſt illis imprecari mala ſub aliqua ratione boni, vt nimirum conuertantur, & reuertantur ad Deum. Et ſub hac ratione poſſumus illis optare, quod à Deo, & à poteſtate humana puniantur, ad hoc, vt ſcilicet alij peccatores contineantur in officio, & retrabantur à delictis multiplicandis. Syluest. *verb. Maledictio*, Nauat. *in ſumma*, *cap. 23. num. 119.* Sotus *de iuſtit. & iur. lib. 5. quæſt. 12. articulo 7.* & alij, quos ſequitur Azor. *tom. 3. inſtitut. moral. lib. 2. cap. 23. verſic. 2. notandum*, ex S. Hieronymo, qui in dictum locum Apoſtoli *ad Galat. 5.* ait, quod Apoſtolus eis imprecatus ſit, vt abſcinderentur, non quidem ex odio, ſed ex zelo iuſtitiæ non imprecatus eſt; Quomodo S. Petrus *Actor. 8.* maledixit Simoni Mago; & Heliſæus *4. Reg. 2.* maledixit pueris ſe irridentibus, vel etiam ex motiuo charitatis, vt ſcilicet corrigerentur, & emendarentur.

Vt omittam, etiam dici poſſe, quod Apoſtolus illis imprecatus ſit, *vt abſcinderentur*, ſcilicet ab Eccleſia, & à fidelium conſortio, ne morum, & doctrinæ prauitate corrumperent alios: Quemadmodum *1. Corinthior. 5.* Idem Apoſtolus præcepit, vt fornicarius abſcinderetur ab Eccleſia: quod nulli modo eſt peccatum, ſed potiùs quod licitum, & optimum, vtique ſalutare deſiderium, & conſilium. 28

Objicies 4. *Eccleſiaſt. 21.* dicitur: *cùm maledicet impius diabolo, maledicit ipſe animam ſuam*: Ergo maledicere diabolo eſt peccatum mortale, ſicut maledicere animæ ſuæ: Ergo falſum eſt, quod maledicere diabolo non ſit peccatum mortale, contra id quod ſuprà dictum eſt. 29

Reſpondetur nego conſequentiam; quia ſuprà tantum dictum eſt, quod non ſit peccatum mortale maledicere diabolo, quoad culpam, non item quoad naturam; ſicque illud Eccleſiaſtici non aduerſatur prædictæ noſtræ ſententiæ, cum ſenſus talium verborum ſit, quod impius maledicens diabolo, indicat ſe ipſum eodem modo ac diabolum, dignum eſſe maledictione ob culpam, in qua ipſe eſt ſimilis illi, iuxta illud ad Romanos 12. *In quo indicas alterum, te ipſum condemnas.*

Objicies 5. *Gen. 3.* Deus maledixit terræ dicẽs: *maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus* 30

diebus vitæ tuæ: spinas, & tribulos germinabit tibi, & & comedes herbas terræ. Ergo non est peccatum maledicere creaturæ, saltem irrationali.

Respondetur nego consequentiam, quia Deus non maledixit terræ quomodocumque, sed quatenus in pœnam peccati Adami reddidit illam minùs fertilem, quàm futura fuisset, si Adam non peccasset, quod Deus iustè potuit facere in pœnam peccati; nec Deus etiam maledixit terræ simpliciter, & absolutè, sed in opere ipsius Adam; quia scilicet ei laboranti paucos esset redditura fructus, immò sæpe sæpius esset redditura tribulos, & spinas. Et quamuis si Adam non peccasset, terra reddidisset etiam tribulos, & spinas, cùm terra die tertio produxerit etiam herbas venenatas, & spinas: quandoquidem rosa tunc etiam nata est cum spinis, vtpotè sibi congenitis, & connaturalibus, sicuti docent Ambrosius *lib. 3. Hexaëmer. cap. 9.* Damasc. *lib. 2. de fide, cap. 10.* & alij, licet Beda, Robertus, & Rabanus *Genesi 1.* teneant oppositum, scilicet quod terra non esset tunc productura tribulos, & spinas; Præsertim in Paradiso terrestri, in quo loco hominem omnia recreassent, nec quicquam in eo fuisset, quod hominem læderet, consequenter nec spinæ, nec tribuli fuissent, & homo ex Paradisi fructibus sine vllo labore vixisset; non tamen saltem si Adam non peccasset, tot spinas, &
31 tribulos terra produxisset, quot nunc de facto producit.

Instabis: *Deuter. 28.* legitur, quod Deus dixerit: Maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ, maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, &c. Ergo recurrit difficultas.

Respondetur nego consequentiam, quia Deus & his omnibus maledixit similiter in pœnam peccati, si scilicet populus legem à Deo traditam non custodisset, sicut è contra dictam legem obseruantibus promisit
32 quamplurima bona, tam temporalia, quàm spiritualia.

Vrgebis: *Matthæi 21.* Christus maledixit ficulneæ, *vt ex illa nunquam nascerentur fructus in sempiternum.* Ergo recurrit difficultas.

Respondetur nego consequentiam, & concedo, quod Christus neque maledixerit ficulneæ causa inferendæ pœnæ, quia nec arbor merebatur pœnam, cum vt ait S. Marcus, non esset tunc tempus ficorum, nec arbor talem pœnã, etiamsi eam mereretur, poterat sentire; sed id factum est solùm ad mysterium, sicuti docent Hieronymus, & Hilarius *in dicto cap. 21.* & Origenes *tract. in Matth. 17.* scilicet, quod cùm synagoga esset arbor à Deo plantata, cumque sæpè Deus in illa fructus quæsisset, nec inuenisset, iuxta illud Isaiæ 5. *Expectaui, vt faceret vuas; fecit autem labruscas*, & iuxta parabolam Christi *Lucæ 13.* de arbore plantata in vinea, & fructus non faciente, quam Dominus iussit succidi in illis verbis: *Succide ergo illam, vt quid enim terram occupat?* Ideo Christus Dominus succidit, & arefecit arborem, & ficulneam, vt significaret, quod ipse sit abrogaturus legem veterem, & synagogam, quæ bonorum operum fructus non ferebat: quod idem Christus Dominus docuit, & significauit per aliam parabolam *in eodem cap. 21.* vbi manifestè sic subdit: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.

SECTIO VII.

An blasphemia contra Deum specie distinguatur à blasphemia contra Sanctos?

SVMMARIVM.

1 *Blasphemia contra Deum non distinguitur specie à blasphemia contra Sanctos, quia maledictio prolata contra Deum opponitur virtuti Religionis, cui etiam opponitur maledictio prolata contra Sanctos.*

2 *Item à pari, quia iuramentum per Deum non distinguitur specie à iuramento per Sanctos.*

3 *Colere Deum in se, vel in sua imagine est eiusdem speciei, seu rationis: Ergo & dehonorare Deum in se, vel in aliqua creatura.*

4 *Odisse Deum in se, vel in proximo est eiusdem speciei, sicque maledicere Deo in se, vel in proximo.*

5 *Dehonorare principem in se vel in suo legato est eiusdem rationis, sic etiam dehonorare Deũ in Sanctis.*

6 *Blasphemia Dei est maledictio irreligiosa, & dehonoratiua Dei, siue in se, siue in Sanctis, & consequenter blasphemia eiusdem rationis.*

7 *Blasphemia licèt quatenus opponuntur Religioni sint eiusdem speciei, possunt tamen ex alio capite speciè distingui inter se; quia ea quæ continet hæresim, distinguitur specie ab illa, quæ non continet.*

8 *Blasphemia hæreticalis continet duo peccata specie distincta, vnum ratione hæresis internæ, quod opponitur confessioni fidei; alterum ratione blasphemiæ, quod opponitur virtuti religionis.*

9 *Blasphemia simplex continet etiam duo peccata specie distincta, vnum similiter blasphemiæ contra Religionem, alterum desperationis contra spem, & odiũ Dei.*

10 *Circumstantiæ blasphemiæ non sunt necessariò aperiendæ in confessione, sufficit enim quod pœnitens dicat se toties blasphemasse; quia omnes blasphemiæ tam in Deum, quàm in B. Virginem & alios sanctos sunt eiusdem speciei.*

11 *Idem dic etiam de contumeliis prolatis contra homines, cum etiam eæ sint eiusdem speciei.*

12 *Cultus Latriæ, quo Deus honoratur, est diuersæ virtutis à cultu Hyperduliæ, quo honoratur B. Virgo, & à cultu Duliæ, quo honorantur Sancti. At non ideò blasphemia quâ maledicitur Deus, est diuersæ rationis à blasphemia, quâ maledicitur B. Virgo, vel quâ maledicuntur sancti, quia Deus, vt suprà diximus, honoratur in Sanctis.*

13 *Blasphemiæ hæreticalis circumstantiæ in confessione explicandæ sunt, & etiam eæ, quæ proferuntur ex desperatione, vel ex odio Dei, quia in blasphemia hæreticali est duplex malitia specie distincta, vna contra religionem, altera contra fidem, & in alia ex desperatione, vna similiter contra religionem, alterà contra spem, vel odij Dei contra charitatem.*

Respondetur negatiuè. Ita vt omnes eiusmodi blasphemiæ sint eiusdem speciei. Caiet. *in summa, verb. blasphemia, & 2. 2. q. 13. art. 1. ad 2. & 3.* Bañez *ibid. not. vlt.* Arag. *in fine,* Valentia *disput. 1. q. 13. punct. 1. vers. Quocumque igitur,* Saytus *in claui regia, lib. 6. c. 13. n. 4.* Azor. *tom. 1. instit. mor. lib. 9. c. p. 28. q. 10.* & alij multi. 1

Probatur: Maledictio prolata contra Deum opponitur virtuti Religionis, cui eidem virtuti opponitur etiam maledictio prolata contra Sanctos, scilicet in ordine ad Deum. At vna est Religio, quæ cultum tribuit Deo, & Sanctis propter Deum. Ergo vnum est peccatum blasphemiæ, quo maledicitur Deus in se ipso, vel in suis Sanctis in ordine ad Deum.

Secundò à pari; quia iuramentum per Deum non 2
distinguitur specie à iuramento per Sanctos, sicuti rectè docent Caietanus *2. 2. q. 80. art. 1.* Valentia *ibid. disp. 6. q. 7. punct. 2.* Suarez *tom. 2. de Religione, tract. de iuramento, lib. 1. cap. 5. n. 13. & cap. 9. n. 2. & cap. 12. n. 10.* Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 42. dubit. 2. n. 9. & 10.* Azor. *tom. 1. inst. moral. lib. 11. cap. 3. q. 7.* & alij passim. Ergo neque blasphemia prolata contra Deum distinguetur specie à blasphemia prolata contra Sanctos.

Tertiò, quia colere Deum in se, vel in sua imagine, 3
est eiusdem speciei, seu rationis. Ergo per verba contumeliosa dehonorare Deum in se, vel in alia creatura, (præsertim in Sanctis) propter Deum, erit etiam eiusdem speciei, seu rationis.

Quartò, quia odisse Deum in se, vel in proximo, est 4
eiusdem speciei. Ergo maledicere Deo in se, vel in proximo, erit etiam eiusdem speciei.

Z 2 Quintò,

5 Quintò, quia dehonorare principem in se, vel in suo legato, est eiusdem rationis: Ergo dehonorare Deum vel in se, vel in suis Sanctis, erit etiam eiusdem rationis.

6 Sextò, quia blasphemia Dei est maledictio irreligiosa, & dehonoratiua Dei; sed quælibet maledictio Dei, siue in se, siue in sanctis (vtpote in ordine ad Deum) est maledictio irreligiosa, & dehonoratiua Dei: Ergo quælibet maledictio Dei, siue in se, siue in Sanctis, vtpote in ordine ad Deum, est blasphemia Dei, atque adeò blasphemia eiusdem rationis, seu speciei cum blasphemia Dei.

7 Vbi aduerte quod quamuis omnes blasphemiæ, quatenùs opponuntur Religioni, sint sicuti dicebam, eiusdem speciei, possunt tamen ex alio capite specie distingui inter se; quia blasphemia v.g. quæ continet hæresim, distinguitur specie ab illa, quæ non continet hæresim, non quidem in ratione blasphemiæ, sed in ratione hæresis adiunctæ. Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. cap. 6.* Sayr. *in claui regia, lib. 6. cap. 13. n. 4.* & alij, quos sequitur Azor. *lib. 9 instit. moral. cap. 28. q. 10.* Et ratio est, quia tunc eæ opponuntur diuersis virtutibus, & versantur circa diuersa obiecta, & eliciuntur ex diuersis
8 motiuis: Quapropter in blasphemia quæ continet hæresim, seu quæ est hæreticalis, continentur duo peccata specie distincta, vnum ratione hæresis externæ, quod opponitur directè confessioni fidei; alterum ratione blasphemiæ, quod opponitur directè virtuti Religio-
9 nis: Quinimmò & in blasphemia, quæ non est hæreticalis, si proferatur ex desperatione, vel ex odio Dei, continentur etiam duo peccata specie distincta, vnum similiter blasphemiæ contra Religionem, alterum desperationis contra spem, vel odij Dei contra charitatem.

10 Hinc sequitur, quod satis probabiliter in Sacramento confessionis sufficiat, quod homo dicat, se toties blasphemasse, non autem teneatur etiam explicare, qualesnam fuerint illæ blasphemiæ: Vtrum scilicet contra Deum, an contra Beatam Virginem, vel contra sanctum? Item vtrum in his, an illis verbis, seu vtrum in hac, an illa materia, &c. Quia cum omnes blasphemiæ, sicuti dicebam, sint eiusdem speciei, satis probabiliter sufficit, quod homo solùm explicet numerum blasphemiarum; cùm satis probabile sit, in Sacramento confessionis non esse necessariò explicandas circumstantias notabiliter aggrauantes, sed tantummodò circumstantias speciem mutantes. Caietan. 2. 2. *quæst. 13. art. 1.* & alij, quamvis contrarium sentiant Bannez 2. 2. *q. 13. art. 1. not. vltimo*, Aragonius *ibidem in fine*, Medina *lib. 1. cap. 14. §. 2.* Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. cap. 6. circa finem*, Toletus *lib. 4. cap. 13. n. 6.* & Reginald. *in praxi, lib. 18. cap. 14. q. 3. n. 201.*

11 Confirmatur, quia idem contingit in contumeliis prolatis contra homines: Nam cum tales etiam contumeliæ sint eiusdem speciei, sicuti rectè probant idem Caietan. *ibidem q. 72. art. 1.* Sotus *de iust. & iur. lib. 5. q. 9. art. 1. circa finem*, Molina *de iustitia commutatiua, tract. 4. disp. 19. n. 3.* & Reginald. *in praxi, lib. 24. cap. 5. n. 102.* ex eo quod omnes conueniant in eadem ratione formali, quæ est intentio auferendi alteri honorem sine iusta causa, sufficit similiter in Sacramento confessionis, quod homo dicat, se tot numero contumelias in proximum contulisse, non autem necessariò dicere etiam teneatur, quænam verba protulerit contra illum, v.g. an illum vocauerit scurram, adulterum, ebrium, val furem, &c. Sotus & Reginald. *in locis suprà citatis*, quamuis excipiant, si illum vocauerit hæreticũ, patriæ proditorem, vel reum alicuius alterius similis valdè grauis delicti.

12 Non obstat si dicas: Cultus latriæ, quo Deus honoratur, est diuersæ rationis à cultu hyperduliæ, quo honoratur B. Virgo, & à cultu duliæ, quo honorantur sancti: Ergo blasphemia, qua maledicitur Deus, est diuersæ rationis à blasphemia, qua maledicitur Beata Virgo, vel qua maledicuntur sancti; cùm maledictio, qua maledicitur Deus, opponatur Latriæ, maledictio autem, qua maledicitur B. Virgo, opponatur Hyperduliæ, & maledictio, qua maledicuntur Sancti, opponatur Duliæ?

Respondetur enim iuxta ea, quæ dicebam suprà *sect. 1. supposito 3. diuis. 3. & sect. 4. corollar. 1. & 14. in fine*, quod sicut sancti possunt dupliciter honorari, vno modo quatenus honorantur solùm propter Deum, seu quatenus Deus honoratur in Sanctis, ita vt tota ratio honorandi Sanctos sit excellentia diuina, & hoc modo sancti honorantur seu coluntur eodem cultu, quo colitur Deus: Secundo modo propter propriam excellentiam ipsorum Sanctorum, & hoc modo sancti honorantur, seu coluntur diuerso cultu ab illo, quo colitur Deus.) Sic etiam sancti possint dupliciter blasphemari, vno modo quatenus sunt personæ quædam magnæ excellentiæ, & sub hoc motiuo sancti non propriè blasphemantur, sed solùm illis maledicitur, sicut maledicitur aliis hominibus: Secundo modo, quatenus sunt quid Dei, scilicet quatenus sunt amici, & ministri Dei, sicque in ordine ad Deum, quo modo, seu qua ratione non tam blasphemantur ipsi sancti, quàm Deus in Sanctis, ita vt talis maledictio sit verè, & propriè blasphemia, quæ non distinguitur specie à maledictione, qua maledicitur Deus.

Sequitur 2. quod è contra in Sacramento confessionis necessariò explicandæ sint blasphemiæ hæreticales, & blasphemiæ, quæ proferuntur ex desperatione, vel ex odio Dei; quia sicuti dicebam, in blasphemia hæreticali est duplex specie distincta malitia, vna blasphemiæ contra Religionem; altera hæresis contra fidem; & in blasphemia ex desperatione, vel ex odio Dei, est etiam duplex malitia specie distincta, vna similiter blasphemiæ contra Religionem, altera desperationis contra spem, vel odio Dei contra charitatem. Ita Doctores communiter, quos sequitur Valentia 2. 2. *disp. 1. q. 13. punct. 3. vol. 2. vers. his ita.* 13

SECTIO VIII.

An blasphemia sit ex genere suo peccatum mortale?

SVMMARIVM.

1 *Blasphemia ex genere suo est peccatum mortale; ita enim habetur* Leuit. 24. *qui blasphemauerit, &c.*
2 *Blasphemia secundum Hieronymum nihil horribilius, & omne peccatum comparatum blasphemia leuius est; quapropter ob tantam criminis atrocitatem Deus grauiter punit blasphemos. Vide exempla, & auctoritates SS. PP. quæ afferuntur.*
3 *Iniuriam inferre homini ex suo genere est peccatum mortale, & consequenter multò magis blasphemia.*
4 *Periurium, & homicidium sunt ex genere suo peccata mortalia, & consequenter multò magis blasphemia.*
5 *Blasphemiæ eo quòd sint imposita grauissima pœna, infertur grauitas peccati.*
6 *Blasphemia prolata contra Deum, vel contra Sanctos in ordine ad Deum non potest esse peccatum veniale ratione paruitatis materiæ.*
7 *Blasphemia omnis notabiliter aduersatur virtuti Religionis, & charitatis erga Deum, & consequenter ex genere suo est peccatum mortale.*
8 *Iniuria grauis, & atrox dicitur quæ à vili persona infertur in Magistratum, vel Senatorem, in illos maledictionem proferendo, consequenter multò magis in Deum.*
9 *Iuramentum assertorium falsum non potest esse ratione paruitatis materiæ peccatum veniale, consequenter multò minus blasphemia.*
10 *Blasphemia est peccatum, eo quòd profertur verbum contumeliosum in Deum cum animo dehonorandi Deum vel directè, vel indirectè, seu interpretatiuè, & virtualiter. At Deus dehonoratur tribuendo si per blasphemiam aliquid leue.*

11 *Maledi*

11 *Maledictio, seu conuitium prolatum contra sanctos non vt sancti, seu beati sunt in Cœlis, sed vt viri quidam excellentes fuerunt in terris, potest esse peccatum veniale ratione paruitatis materiæ, quia tunc non propriè redundat in Deum.*

12 *Blasphemia etiam prolata contra Deum, vel contra Sanctos, vt sancti, seu vt Beati sunt, potest esse peccatum veniale, non quidem ob paruitatem materiæ, sed ratione imperfectionis actus, velut ex iracundia, vel ex alia passione, quæ talis sit, vt præueniat omnem vsum rationis.*

13 *Idem dic de periurio, quia periurus etiam excusatur à peccato pariter ratione imperfectionis actus.*

14 *Amplia id verum esse, siue hac inaduertentia, siue inconsideratio proueniat ex causa licita, & iusta, siue ex iniusta, & illicita, v.g. ex ludo, & ebrietate, contra aliquos Doctores.*

15 *Blasphemare dum quis incipit, vel periurare, si nullo pacto aduertat ad id, quod agit, & cum decursu temporis incipiat tamen imperfectè, vel perfectè aduertere, & nihilominùs non cesset à blasphemando, vel peierando, ex tunc incipit peccare venialiter, vel mortaliter, cum iuxta mensuram voluntarij vel inuoluntarij, sequatur ratio peccati mortalis, vel venialis.*

16 *Proferens ex ioco, vel ex leuitate quadam verba etiam blasphemia, assumendo solummodò Dei nomen in vanum, excusatur etiam à peccato mortali; quia tunc non est propriè blasphemia, cum non proferatur per modum conuitij, contra nonnullos oppositũ sencientes.*

17 *Blasphemia peccatum est ita atrox, & graue, vt illud in sacra Scriptura per antithesim nomine benedictionis nominetur. Vide ibi plura exempla, quibus in sacra Scriptura accipitur benedictio pro maledictione.*

18 *Blasphemia est peccatum hominum pessimorum, quod Iob non poterat præsumere de filiis suis, quos optimis moribus instruxerat.*

1 RESpondetur affirmatiuè: sic S. Thomas 2.2.q.13. art.2. Bannez *ibidem*, Alensis *p.2.q.131.membr.3.* & alij communiter.

2 Probatur primò ex authoritate sacræ Scripturæ, quia in *Leuitico* 24. dicitur: *Qui blasphemauerit nomen Domini*, Pœna etenim mortis in sacra Scriptura non infligitur, nisi pro peccato mortali; vbi aduerte illud, *morte moriatur*, significare quod nullo modo mortem euadat, sed omninò, & absque retractatione moriatur.

Secundò probatur ex authoritate Sanctorum Patrum, quia S. Hier. *in Isaiæ c.* 18. ait: [Blasphemia nihil horribilius, & omne peccatum comparatum blasphemiæ, leuius est, Quapropter ob tantam criminis atrocitatem Deus grauiter punit blasphemos; & quidem ob blasphemiã Sennacherib cum 185. millibus cæsus est; & S. Paulus blasphemum tradidit Sathanæ, 2. Thimothei 1. *in fine*, & Pharao ob blasphemiam in mari rubro mortuus est, dicebat enim impius Princeps, non noui Dominum, & Syri dicentes, Deus montium est Dominus eorum, & non est Deus vallium.] Multi à paucis Israëlitis in valle prælio interfecti sunt, 3. *Reg.* 20. Et blasphemus Antichristus deiicitur in tartara, *Apoc.* 13. & 19. & Arrius in filium Dei blasphemus, dum aluum purgaret, viscera effudit; & Nestorius eo quod dicebat, B. Virginem esse quidem Christiparam, non autem Deiparam, in lingua à vermibus erosus est. Item & S. Aug. in illud Matthæi 26. *Blasphemauit*, inquit: non minus peccant, qui blasphemant Christum regnantem in cœlis, quàm qui crucifixerunt eum ambulantem in terris: & S. Chrys. *in Psal. hom.* 95. asserit: nihil magis impium, quàm aduersus Deum blasphemia, & *in 1. ad Timoth c.* 5. blasphemia nihil peius, & Theodor. *q.* 33. *in Leuit.* dicit: Meritò punitur blasphemus ea pœna, qua punitur homicida, meritoque talis criminis reum lapidari iussit Deus; quia blasphemator Creatorem cum interficere non possit, lingua ferit.

Tertiò probatur ratione, quia inferre iniuriam homini ex suo genere est peccatum mortale: ergo multò magis ex suo genere erit peccatum mortale per blasphemiam inferre iniuriam Deo. 3

Quartò periurium, & homicidium sunt ex genere suo peccata mortalia, sicuti dicetur *infra sect.* 10. ergo multò magis & blasphemia; cum blasphemia sit peccatum grauius periurio, & homicidio, sicuti dicetur etiam *infrà cit. sect.* 10. 4

Quintò, quia blasphemiæ sunt impositæ grauissimæ pœnæ, sicuti infrà loco suo de blasphemiæ pœnis dicetur, ergo signum est, quod blasphemia ex genere suo sit peccatum graue, quin & grauissimum. 5

Hinc sequitur, quod blasphemia prolata contra Deũ, vel contra Sanctos, scilicet in ordine ad Deum, non possit esse peccatum veniale ratione paruitatis materiæ. Caiet. *in sum. verb. Blasphemia*, Bannez 2.2.q.13. *art.* 2. Arag. *ibid.* Suar. *tom.* 1. *de Religione, tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 2. Sayr. *in claui regia, lib.* 6. *cap.* 13. *n.* 5. Valent. 2.2. *disp.* 1. *q.* 13. *punct.* 1. *notabili* 3. & alij passim & vlteriùs 6

Probatur, quia omnis blasphemia notabiliter aduersatur virtuti Religionis, & charitatis ergà Deum. Ergo omnis blasphemia ex genere suo erit peccatum mortale. Tum quia grauis, & atrox iniuria dicitur esse illa, quam vilis persona infert in magistratum, vel Senatorem, in illos maledictionem proferendo, *§. Atrox, instit. de Iniuriis, l. Prætor, §. atrocem, ff. eodem*: ergo multò magis erit grauis & atrox iniuria, quam homo per blasphemiam infert Deo. Atque adeo nullo pacto poterit esse ratione paruitatis materiæ peccatum leue: Tum quia iuramentum assertorium falsum non potest esse ratione paruitatis materiæ peccatum veniale, cùm in iuramento falso Deus in testem falsitatis adducatur: ergo multò minùs blasphemia, cùm in blasphemia de Deo aliquid falsi dicatur, tùm quia blasphemia est peccatum, eo quòd profertur verbum contumeliosum in Deum cum animo dehonorandi Deum, vel directè, vel indirectè, seu interpretatiuè, & virtualiter. At Deus dehonoratur non solùm si per blasphemiam falsò tribuatur ei aliquid graue, sed etiam si falsò tribuatur ei aliquid leue: ergo blasphemia non poterit esse peccatum veniale ratione paruitatis materiæ. 7 8 9 10

Aduerte tamen, quod è contra maledictio, seu conuitium prolatũ contra sanctos, nõ vt sancti, seu beati sunt in cœlis, sed vt viri quidam excellentes fuerunt in terris, possit esse peccatũ veniale ratione paruitatis materiæ, ve si quis v.g. per iocum dicat, sanctos Crispinum, & Crispinanũ fuisse sutores, & SS. Paulum & Ioannem fuisse eunuchos. Bannez 2.2.q.13. *art.* 2. Arag. *ibid.* Sayr. *in claui regia, lib.* 6. *c.* 13. *n.* 5. & alij communiter, quia tunc maledictio, seu conuitium nõ propriè redundat in Deũ, nec propriè est contra virtutem Religionis, sed contra virtutem obseruantiæ, annexam quidem virtuti Religionis. Vide quæ dicebam suprà diffusiùs *sect.* 5. *suppos.* 2. *diuis.* 3. & *sect.* 4. *coroll.* 1. *circa finem*, & *coroll.* 14. *in fine*. 11

Aduerte secundò, quod etiam blasphemia prolata contra Deum, vel contra Sanctos, vt Sancti, seu Beati sunt, possit esse peccatum veniale, non quidem ratione paruitatis materiæ, sicuti dicebam, sed ratione imperfectionis actus, quandoquidem si quis maledicat Deo, vel sanctis, etiam vt Sãctis, ex iracundia, vel ex alia passione, quæ talis sit, vt præueniat omnem vsum rationis, excusabitur etiam à peccato veniali, cùm sine omni aduertentia blasphemare non sit actus humanus, si tamen sit aliqua aduertentia, seu deliberatio, non tamen plena, & perfecta, sed solùm semiplena, & imperfecta, excusabitur à peccato mortali, non tamen à peccato veniali, si verò tandem sit aduertentia, seu deliberatio talis, vt blasphemans plenè, & perfectè aduertat, se blasphemare, seu peccare, non excusabitur à mortali. Ita S. Th. 2.2.q.13. *art.* 2. *ad* 3. Caiet. *in summa, verb. Blasphemia, circa finem*, Alens. *p.* 2. *q.* 131. *memb.* 3. Ang. *verb. Blasphe-* 12

mia,n.6. Nau. *in summa, c.12.n.84.* Con. *de pact.1.part.§.7.n.10.* S. Anton. *p.2.tit.7.c.5.§.1.* Sylu. *verb. Blasphemia,q.4.* Ang. *eodem verbo,n.6.* Toletus *lib.4.c.13.* Suar. *tom.1.de Relig.tract.3.lib.1.c.6.n.2.* Graffius *p.1.decis.lib.2.c.19.n.8.* Azor *tom.1.instit.moral.lib.9.c.28.q.16.* Et ratio est, quia sicut voluntarium, cùm voluntas ex Philosopho sit potentia cæca, non est nisi præcognitum sic non est imperfectè, seu semiplenè, vel perfectè, seu plenè voluntarium, nisi sit imperfectè, seu semiplenè vel perfectè, seu plenè præcognitum, ita vt mensura voluntatij sit ea mensura præcogniti, seu voluntarium sit tantum & tantum, quantum & quantum est præcognitum.

Idemque dico de periurio, quia periurus etiam excusatur à peccato similiter ratione imperfectionis actus, itavt si quis, quando periurat, nullo pacto, vel imperfectè, seu semiplenè aduertat se iurare, vel quod iurat, falsum esse, excusetur similiter etiam ab omni peccato, vel saltem à mortali, iuxta ea, quæ non suprà dicebam. S.Thom.2.2.q.89.*art.3.ad* 2. Caiet. *ibid.in fine*, Sylu. *verb.iuramentum* 2.q.6.*vers.2.* Nau. *in summa,c.12.n.7.* & alij, quos sequitur Valent. 2.2.*disp.*6.q.7.*punct.3.*

14 Et quod dixi, verum est, siue hæc inaduertentia, seu inconsideratio, vel omnimoda, vel solùm imperfecta, & semiplena, proueniat ex causa iusta, & licita, siue ex iniusta, & illicita, vt v.g. ex ludo, ebrietate, vel alia occupatione praua; quia cum in vtroque casu sit eadem inaduertentia, seu inconsideratio, omnimoda scilicet, vel imperfecta, & semiplena, in vtroque casu etiam erit eadem voluntas, seu idem voluntarium, atque adeo in vtroque casu etiam erit vel nullum peccatum, propter scilicet nullam aduertentiam, vel ad summum peccatum veniale, propter scilicet imperfectam, seu semiplenam aduertentiam. Angelus *verbo Blasphemia, n.6.* Nauarr. *in summa,c.12.n.84.vers.1.* Lopez *1.part.instruct.c.51.* Sayr. *in claui regia,lib.6.c.13.n.6.*& alij passim.

Quidquid in contrarium dixerint Abbas *in cap. statuimus, de maledicis*, Summa Corona *p.1.n.86.* & Medices *in summa pecc.tit.4.q.80*, quatenus aiunt, quod blasphemia per motum indaliberatum proueniens ex ludo, ebrietate, vel alia causa illicita, sit etiã peccatũ mortale.

15 Aduerte tertiò, quod si quis, dum incipit blasphemare, vel periurat, nullo pacto aduertit ad id, quod agit, at in decursu temporis tamen incipit imperfectè, vel perfectè aduertere, & ex tunc, hoc non obstante, non cessat à blasphemando, vel periurando, ex tunc incipiat peccare venialiter, vel mortaliter, quia ex tunc incipit imperfectè, vel perfectè aduertere quod ipse blasphemet, vel periuret, ita vt iuxta mensuram aduertentiæ imperfectæ, vel perfectæ sequatur ratio peccati venialis, vel mortalis, cùm ex dictis iuxta mensuram aduertentiæ imperfectæ, vel perfectæ, sequatur imperfectum, vel perfectum voluntarium, quod est homini in genere moris imputabile.

16 Aduerte 4. quod excusetur etiam à peccato mortali, qui ex ioco, & ex leuitate quadam profert verba etiam blasphemiæ, assumendo solummodo Dei nomen in vanum, quia tunc non erit propriè blasphemia, cum de blasphemiæ ratione sit, vt per modum conuicij, contumeliæ, vel maledictionis formaliter verba contra Deum proferantur: sic Doctores, quos sequitur Suarez *tom.3.de religione,tract.3. lib.1.n.1.*

Quamuis alij, vt Nauarrus *in summa,c.12.n.84.* sentiant oppositum, quod scilicet peccet mortaliter etiam qui ex ioco, vel leuitate quadam verba contumeliosa profert contra Deum, vel contra aliquem sanctum, v.g. si ex ioco, vel leuitate quadam nominet membra Christi, B. Virginis, vel alicuius sancti, quia per huiusmodi verba grauis etiam iniuria infertur Christo, B. Virgini, vel Sancto, quod mihi magis probatur.

17 Aduerte 5. quod blasphemiæ peccatum sit ita atrox, & graue, vt illud in sacra scriptura per antiphrasim nomine benedictionis nominetur: sic DD. passim, & Catechismus Romanus *in tract. de 2. præcepto Decalogi, n.29.*& constat etiam *ex lib.3.Reg.c.21.* vbi impia Iezabel de Naboth loquens, calumniando dixit: *Benexit Deo, & Regi.* Et Iob 2. *Benedic Deo, &c.* & Iob 1. *Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis*; quia per ly *benedixerint*, intelligit ibi Titelmanus, maledixerint, seu blasphemauerint, quamuis probabiliùs Hieronymus, Basilius, Origenes, Beda, & alij 18 velint, quod ly *benedixerint*, non significet ibi maledictionem, seu blasphemiam, quia blasphemia est peccatum hominum pessimorum, quod Iob non poterat præsumere de filiis suis, quos optimis moribus instruxerat, atque adeò non erat, cur Iob suspicari deberet iure, quod filij sui optimis moribus instructi tam atrox, & graue peccatum committerent: quapropter potiùs ly *benedixerint*, accipitur ibi pro quolibet peccato, etiam leuissimo, siue interno, siue externo; quia quodlibet peccatum, quodcumque illud existat, cum sit in diuini cultus contemptum, contrarium est diuinis laudibus, & benedictionibus; atque sic verbum illud prædictum interpretantur ibi Hieronymus, Basilius, Origenes, & Beda, quos suprà citabam, & fauent 70. interpretes, quatenus ibi legunt: *Ne fortè filij mei mente sua cogitauerint mala contra Deum*: & fauent etiam alij cum Polychronio, quatenus ibidem legunt, *Ne fortè cogitatione conceperint, quæ Deo displicent.*

SECTIO IX.

An qui est assuetus maledicere, seu blasphemare, vel periurare, &c. semper peccet mortaliter maledicendo, seu blasphemando, vel periurando, &c.

SVMMARIVM.

1 *Maledicens, seu blasphemans, vel periurans ex consuetudine, tenetur talem consuetudinem extirpare, nec est absoluendus, nisi habuerit firmum propositum extirpandi dictam prauam consuetudinem, quod etiam contingit in omnibus peccatis.*

2 *Maledicens, seu blasphemans, vel periurans ex consuetudine, si fecerit quantum in se ipso est pro extirpanda consuetudine praua, si rursùs inaduertenter in aliquam blasphemiam inciderit, non committet peccatum blasphemiæ, &c. neque in genere moris erit imputabile; quia huiusmodi maledictiones, seu blasphemia non censentur esse voluntaria.*

3 *Maledicens, seu blasphemans, seu periurans absque vlla prorsùs aduertẽtia, seu consideratione, quamuis si aduerteret se maledicere seu blasphemare, & periurare, &c. adhuc blasphemaret vel periuraret, &c. ex praua consuetudine quam habet, &c. non propterea peccat.*

4 *Quia talis procliuitas ad peccandum non est peccatum, cum istud consistat tantùm in actu: neque est peccatum, quando quis est in tali dispositione, quod si ipsi praeberetur occasio peccãdi, tũc de facto peccaret.*

5 *Eleemosynam facere non dicitur is, qui si vidèm præberetur occasio faciendi, eam faceret, cùm tamen hîc, & nunc nullo modo cogitet de ea facienda.*

6 *Merita, vel demerita conditionata secundùm Theologos non sunt verè & propriè merita, vel demerita.*

7 *Inaduertentia, seu inconsideratio secundùm Caietanum, & alios non excusat à blasphemia, vel periurio eum, qui solet blasphemare, vel peierare, casu quo si aduerteret, de facto blasphemaret, vel peieraret. At quod dictum fuit superiùs est probabilius.*

8 *Maledictiones seu blasphemia, vel periuria, cum omnino inaduertenter & indeliberatè eliciuntur, non sunt noua, specialia, & propria peccata mortalia, etiamsi is non fuerit conatus prauam consuetudinẽ extirpare.*

9 *Peccata procedentia ex ignorantia, quæ in principio fuit culpabilis, nullam malitiam contrahunt de nouo tametsi illa fuerint præuisa à principio, sed tota malitia illorum est in sua causa.*

10 *Item eo modo malitiam habent quæ sunt voluntaria.*

11 *Male*

Maledictiones seu blasphemiæ, vel periuria per omnimodam inaduertentiam, seu inconsiderationem, & indeliberationem commissa, non sunt voluntaria, nec directè, nec indirectè, consequenter non habent nouam rationem malitiæ; contrarium tamen non improbabiliter sentiunt Caietanus, & alij.

1 Respondetur & dico primò: qui ex consuetudine maledicit, seu blasphemat, vel periurat, &c. tenetur talem prauam consuetudinem extirpare. Sotus *de iurament. abusu, c.* 12. Suarez *tom.* 2. *de relig. tract. de iuram. lib.* 3. *c.* 6. *n.* 6. *& seqq.* Valentia 2. 2. *disp.* 6. *q.* 7. *punct.* 3. Aragon *ibid. q.* 89. *art.* 3. *dub. vlt. concl.* 3. Sayr. *in claui regia, lib.* 5. *c.* 5. *n.* 8. Azor. *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 1. *c.* 3. *q.* 3. & alij communiter, itavt iste talis non possit absolui, nisi firmum habuerit propositum extirpandi dictam prauam consuetudinem, quemadmodum & contingit in cæteris peccatis omnibus; at si firmum habeat propositum illam extirpandi, potest, & debet absolui. Sotus *de iust. lib.* 8. *q.* 2. *art.* 3. *concl.* 7. *vers. at fortasse, & tract. de iuram. abusu, cit. c.* 12. Suarez, Valentia, Sayrus *vbi suprà*, & Reginald. *lib.* 18. *num.* 84. quatenus aiunt, quod pœnitens absolui possit à peccatis quando de illis, & de praua præterita consuetudine peccandi dolet, & firmiter emendationem proponit; præsertim casu quo talem prauam consuetudinem habens, si hic & nunc non absolueretur, desperaret, vel à confessionibus retraheretur, vel in peius laberetur. Qua de re diffusiùs dicam infrà sectione....

2 Dico 2. Qui ex consuetudine maledicit, seu blasphemat, vel periurat, &c. si conetur prauam istam consuetudinem extirpare, & firmiter, atque efficaciter proponat imposterum talia peccata deuitare, casu quo postea ex inaduertentia malediceret, seu blasphemaret, vel periuraret, &c. huiusmodi maledictiones, seu blasphemiæ, vel periuria non erunt tali personæ peccata, seu imputabilia in genere moris. Gabriel *in* 3. *dist.* 39. *q.* 2. *art.* 2. *concl.* 1. Sotus *de iuram. abusu, c.* 18. Toletus *lib.* 4. *c.* 23. *n.* 4. & alij, quos sequitur Suarez *tom.* 2. *de Relig. tract. de iuram. lib.* 3. *c.* 6. *n.* 8.

Probatur, quia huiusmodi maledictiones, seu blasphemiæ, vel periuria non censentur esse voluntaria, nec in se, sicuti patet, nec in causa, scilicet in praua consuetudine, cum sic inaduertenter maledicens, seu blasphemans, vel periurans, &c. conatus sit prædictam prauam consuetudinem extirpare: ergo huiusmodi inaduertentia erit naturalis, itavt sicut non habenti talem consuetudinem huiusmodi locutiones essent inuoluntariæ, sic etiam sint inuoluntariæ habenti dictam consuetudinem, maledicendi scilicet, seu blasphemandi, vel periurandi, &c. casu quo conatus fuerit illam extirpare; cùm in potestate hominis non sit illam statim, sed paulatim frequentatis actibus contrariis extirpare.

3 Dico 3. si quis absque vlla protsùs aduertia, seu consideratione maledicit, seu blasphemat, vel periurat, &c. quamvis si aduerteret, sa maledicere, seu blasphemare, & periurare, &c. adhuc malediceret, seu blasphemaret, vel periuraret, &c. ex praua consuetudine, quam habet maledicendi, seu blasphemandi, vel periurandi, &c. non propterea peccat. Sotus *de inst. lib.* 8. *quæst.* 2. *art.* 3. *ad* 3. Suarez *tom.* 5. *de Relig. tract. de iuram. lib.* 3. *c.* 7. *n.* 5. Valentia 2. 2. *disp.* 6. *q.* 7. *punct.* 3. *circa finem*, & Reginald. *lib.* 18. *n.* 85.

4 Probatur, quia talis procliuitas ad peccandum non est peccatum (cùm peccatum consistat tantùm in actu) nec est peccatum, quando quis est in tali dispositione, quod si ipsi præberetur occasio peccandi, tunc de facto peccaret, casu tamen quo reuera in actu illud non
5 facit; quemadmodum nec dicitur facere eleemosinam is, qui si ipsi præberetur occasio faciendi eleemosinam, illam faceret; cum tamen hîc & nunc nullo modo co-
6 gitet de facienda eleemosina: Quapropter Theologi communiter aiunt, quod merita, vel demerita conditionata non sint verè, & propriè merita, vel demerita: Quod exindè patet, quia multi de facto sunt damnati in inferno, qui si diutiùs vixissent, benè egissent; & è contra multi sunt prædestinati, & Beati in cœlis, qui si diutiùs etiam vixissent, malè egissent, iuxta illud sapientiæ *c.* 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.*

Quamvis contrarium sentiant Caiet. 2. 2. *q.* 98. *art.* 3. *circa finem, & in sum. verb. blasphemia*, Nau. *c.* 12. *n.* 6. *& n.* 84. Tolet. *lib.* 4. *c.* 22. *n.* 8. Sayr. *in claui regia, lib.* 5. *c.* 4. *n.* 17. quatenus aiunt, quod inaduertentia, seu inconsideratio non excuset à blasphemia, vel periurio eum, qui solet blasphemare, vel periurare, casu quo si aduerteret, de facto blasphemaret, vel periuraret. 7

At quod dicebam, magis mihi probatur ob rationes suprà dictas.

Dico 4. Maledictiones, seu blasphemiæ, vel periuria, cum omninò inaduertenter, & indeliberatè eliciuntur, quamvis, tanquam à causa, à praua consuetudine maledicendi, seu blasphemandi, vel periurandi procedant; non sunt tamen noua specialia, & propria peccata mortalia, etiam casu, quo maledicens, seu blasphemans, vel periurans talem prauam consuetudinem extirpare non fuerit conatus, sed tota malitia est in sua causa: Quapropter vt maledictiones, seu blasphemiæ, vel periuria in habente hanc prauam consuetudinem sint peccata mortalia, requiritur talis aduertentia, qualis requiritur etiam in illo, qui non est assuetus maledicere, seu blasphemare, vel periurare. S. Thom. 2. 2. *q.* 98. *art.* 3. *ad* 3. S. Bonauent. *in* 4. *dist.* 39. *art.* 1. *q.* 3. *n.* 21. *& seqq.* Scotus *in* 3. *dist.* 39. *q. vnica, art.* 1. *circa finem*, Durand. *ibid. q.* 5. *n.* 6. Richard. *art.* 3. *q.* 2. Maior *q.* 4. *concl.* 3. Palud. *q.* 2. *art.* 1. Sotus *de iuram. abusu, c.* 13. S. Anton. *p.* 2. *tit.* 10. *c.* 7. *§.* 1. & alij quos sequitur Suarez *tom.* 1. *de Relig. tract.* 3. *lib.* 3. *c.* 6. *n.* 2. *& tom.* 2. *de Relig. tract. de iurament. lib.* 3. *c.* 7. *n.* 3. *& seqq.* 8

Probatur, quia peccata procedentia ex ignorantia, quæ in principio fuit culpabilis, nullam malitiam contrahunt de nouo, tamen si illa fuerint præuisa, à principio; sed tota malitia illorum est in sua causa sicuti contingit in peccatis, quæ committuntur in ebrietate, vel in somno, &c. etiamsi præuisa fuerint in illis, tanquam in causa; at maledictiones, seu blasphemiæ, vel periuria, quæ per inaduertentiam, seu inconsiderationem, & indeliberationem committuntur ab illo, qui consuetudinem habet maledicendi, seu blasphemandi, vel periurandi, non sunt voluntaria in se (sicuti patet) sed in sua causa, scilicet in praua consuetudine maledicendi, seu blasphemandi, vel periurandi, in qua præuidentur tanquam in causa: ergo nullam propriam, & specialem malitiam habent in se, sed tota malitia eorum est in sua causa. Minor patet. 9

Maior probatur, quia eo modo malitiam habent, quo sunt voluntaria; sed sunt voluntaria in sola causa: ergo solùm illius malitiam habent, atque adeò non sunt noua, propria, & specialia peccata. Videri poterit S. Thom. *in* 4. *dist.* 17. *q.* 2. *art.* 2. *quæst.* 4. *ad* 2. Vasquez 1. 2. *q.* 17. *art.* 3. *disp.* 94. *cap.* 3. *num.* 9. *& quæst.* 76. *art.* 3. *disp.* 127. & Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *de iuram. c.* 7. *num.* 7. 10

Secundò probatur eadem Maior, quia maledictiones, seu blasphemiæ, vel periuria per omnimodam inaduertentiam, seu inconsiderationem, & indeliberationem commissa non sunt voluntaria, nec directè, nec indirectè: Ergo cùm omne peccatum necessariò debeat esse aliquo modo voluntarium, nullo modo possunt habere nouam rationem malitiæ. Consequentia patet. Antecedens, quod scilicet prædicta peccata non sint voluntaria directè, probatur: Quia talis inaduertentia est omninò inuincibilis (vti suppono:) Quod autem neque sint voluntaria indirectè, etiam probatur: quia ad hoc, vt aliquid sit voluntarium indirectè, requiritur, vt quis possit, & teneatur illud peccatum euitare, 11

enitate; sed cùm quis omninò inaduertenter maledicit, seu blasphemat, vel periurat, non potest tunc illud euitare; cùm pro tunc inaduertentia, seu inconsideratio & indeliberatio sit omninò inuincibilis; & cum pro tunc non habeat modum, vel medium aliquod, quo possit aduertere: ergo peccata, quæ tunc committuntur, nullam nouam, & specialem malitiam habent in se, sed tota eorum malitia est in causa.

Quamvis contrarium non omninò improbabiliter sentiant Caietanus 2. 2. *q.* 88. *art.* 1. *&* 9. *&* *q.* 98. *art.* 3. *circa finem*, *& in sum. verb. periurium*, Gabriel *in* 3. *dist.* 39. *q.* 2. *art.* 2. *concl.* 1. Valentia 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 7. *punct.* 3. *vers. hinc sequitur*, Medina *lib.* 1. *sum. c.* 14. §. 4. *propè finem*, Angles *in floribus*, *p.* 2. *q. vnica, de voto, art.* 1. Armilla *verbo periurium, n.* 1. Toletus *lib.* 4. *c.* 13. *n.* 7. Azor. *tom.* 1. *inst. moral. lib.* 11. *c.* 3. *q.* 3. & alij, quatenus aiunt, quod maledictiones, seu blasphemiæ, vel periuria, etiam absque vlla aduertentia commissa, sint noua peccata mortalia, quotiescumque oriuntur ex praua consuetudine maledicendi, seu blasphemandi, vel periurandi, si maledicens, seu blasphemans, vel periurans talem consuetudinem prauam extirpare priùs conatus non fuerit.

At quod dicebam, mihi magis probatur ob rationes suprà dictas. Vide quæ dicebantur *suprà sect.* 1. *supposito* 1. *Corollario* 3. *& sect.* 2. *Corollario* 1. *&* 2. Vide etiam quæ dicentur *infrà sect.* 17.

SECTIO X.

An blasphemiæ peccatum sit grauius, necne, cæteris peccatis?

SVMMARIVM.

1 *Blasphemia peccatũ est leuius infidelitate, quia infidelitas opponitur fidei; blasphemia autem opponitur religioni; sicut enim fides est virtus præstantior religione, ita infidelitas est peccatũ grauius blasphemiâ.*

2 *Blasphemia, quam S. Thomas dicit pertinere ad infidelitatem, & habere grauitatem infidelitatis, habet adiunctum aliquem errorem contra fidem, vel prouenit ab ipsa infidelitate; quod non conuenit simplici blasphemia.*

3 *Desperatio ob eandem rationem est peccatum grauius blasphemia; quia opponitur spei, blasphemia autem religioni.*

4 *Odium Dei est etiam peccatum grauius blasphemia; quia opponitur Charitati, quæ est virtus præstantior religione.*

5 *Blasphemia est peccatum grauius homicidio, quia ipsa versatur circa Deum, homicidium autem contra proximum.*

6 *Homicidium non ex eo, quod puniatur grauiùs blasphemiâ, est maius peccatum eadem; in hac enim vita non semper puniuntur grauiùs peccata grauiora; puniri namque grauiùs solent ea peccata, quæ statum Reipublicæ magis perturbant.*

7 *Blasphemia est peccatum grauius periurio; quia per periurium facimus Deum testem falsi, per blasphemiam autem tribuimus ipsi Deo falsitatem.*

8 *Blasphemia est distincta à iuramento falso; in eo enim adducitur Deus in testem, at sæpè in isto non adducitur.*

1 REspondetur, & dico primò: Blasphemiæ peccatum est leuius peccato infidelitatis, Bannez 2. 2. *q.* 13. *art.* 3. Valẽt. *ibid. disp.* 1. *q.* 13. *punct.* 2. & alij cõmuniter.

Probatur, quia infidelitas opponitur fidei, blasphemia autem opponitur Religioni: sed fides, vtpote virtus Theologica, quæ versatur immediatè circa Deum, est virtus præstantior Religione; ergo infidelitas est peccatum grauius blasphemiæ peccato; cùm inter peccata grauius sit illud, quod opponitur virtuti præstantiori.

2 Non obstat si dicas: S. Thom. 2. 2. *q.* 1. *art.* 3. ait, quod blasphemia pertineat ad infidelitatem, habeat grauitatem infidelitatis, eamque aggrauet: Ergo, &c.

Respondetur enim, quod S. Thomas ibi loquitur de blasphemia, quatenus habet adiunctũ aliquem errorem contra fidẽ, seu de blasphemia, quatenus prouenit ab infidelitate, nõ autẽ de blasphemia simplici, quã solã tũc nos dicimus esse peccatum leuius peccato infidelitatis. 3

Ob eandem rationẽ desperatio est etiam peccatũ grauius peccato blasphemiæ; quia desperatio opponitur spei: Blasphemia verò Religioni: sed spes etiam, vtpote similiter virtus Theologica, quæ similiter versatur immediatè circa Deũ, est virtus præstãtior Religione: ergo peccatũ illi oppositũ est ex genere suo etiam peccatum grauius peccato blasphemiæ, quæ opponitur religioni.

Propter eandem etiam rationem odium Dei est etiam 4 peccatum grauius peccato blasphemiæ; quia odium Dei opponitur charitati, quæ est virtus præstantior Religione, cui opponitur blasphemia: Ergo, &c. quæ blasphemia distinguitur etiam ab odio Dei in hoc, quod blasphemia consistit in verbo, odium autem Dei non consistit in verbo, sed in prauo affectu: Quod si quis autem velit odium Dei verbo proferre, erit tunc blasphemia ab interno odio Dei imperata.

Dico 2. Blasphemia est peccatum grauius homicidio. 5 S. Thom. *cit. q.* 13. *art.* 3. Caietan. & Bannez *ibidem*, Alensis 2. *p. q.* 131. *membr.* 5. Sotus *de inst. & iur. lib.* 8. *q.* 2. *art.* 3. *concl.* 1. Tabiena *verb. blasphemia, vers.* 4. *&* 5. S. Anton. *p.* 2. *tit.* 7. *c.* 5. §. 1. *&* 2. Graff. *p.* 1. *lib.* 2. *c.* 20. *n.* 9. Emanuel Sà *verb. Blasphemia*, & alij, quos sequitur Valentia 2. 2. *disp.* 1. *q.* 13. *punct.* 2.

Probatur, quia blasphemia versatur circa Deum (quatenus per ipsam dehonoratur Deus) homicidium autem versatur circa proximum: sed cæteris paribus peccata quæ versantur circa Deum, sunt grauiora, quàm peccata, quæ versantur circa proximum: Ergo, &c.

Non obstat, si dicas: Homicidium punitur grauiùs, 6 quàm blasphemia: ergo signum est, quod homicidium sit peccatum grauius, quàm blasphemia.

Respondetur enim: Nego consequentiam, quia in hac vita non semper puniuntur grauiùs peccata grauiora (cùm odium Dei sit peccatum grauissimum; & tamen alia peccata odio Dei leuiora puniantur grauiùs, quàm odium Dei) sed puniri grauiùs solent ea peccata, quæ Reipublicæ statum magis perturbant, ex quibus vnum præcipuè est homicidium.

Dico 3. Blasphemia est peccatum grauius periurio. 7 S. Th. *ead. q.* 13. *art.* 2. *ad* 1. *& art.* 3. *ad* 2. *&* 5. Sotus *de inst. & iur. lib.* 8. *q.* 2. *art.* 3. Sà *loc. sup. cit.* & alij passim.

Probatur, quia per periurium facimus Deum testem falsi, per blasphemiam autem tribuimus ipsi Deo falsitatem: Ergo, &c. Quapropter S. August. *lib. contra mendac. c.* 9. inquit: Ideò peius est blasphemare, quàm periurare, quia periurando falsæ rei adhibetur testis Deus, blasphemando autem de ipso Deo falsa dicuntur.

Hinc sequitur, quod blasphemia sit distincta à iuramento falso, quia in iuramento adducitur Deus in testem: at sæpè quis blasphemat, & tamen non adducit Deum in testem: Ergo malitia blasphemiæ est distincta à malitia iuramenti falsi; seu iuramenti, quod continet falsitatem. 8

SECTIO XI.

An Catholicus blasphemando peccet grauiùs, quàm hæreticus?

SVMMARIVM.

1 *Catholicus blasphemando peccat grauiùs quàm hæreticus, si sola blasphemiæ ratio consideretur; quia cæteris paribus grauiùs peccat qui scienter, quàm qui ex ignorantia peccat.*

2 *Hæreticus, quia non solùm blasphemat, sed etiam est infidelis, ideò ex hoc capite peccat grauiùs.*

3 *Infidelis ordinariè blasphemando peccat grauiùs, quàm fidelis; quia licèt infidelis non credat Deum, quem blasphemat,*

blasphemat, tamen directè, & formaliter intendit detrahere vero Deo, quem fideles credunt.

1 Respondetur affirmatiuè, si sola blasphemiæ ratio consideretur, Caietan. 2. 2. q. 13. art. 3. Bannez *ibidem*, & alij communiter.

Probatur, quia cæteris paribus grauiùs peccat, qui peccat scienter, quàm qui peccat ex ignorantia, iuxta illud Lucæ 12. *Qui cognouit voluntatem Domini sui, & non facit, vapulabit multis.* Et 2. Petri 2. *melius erat ei veritatem non cognoscere, quàm post cognitam non reuertere.* Et ratio est clara, quia scientia auget, ignorantia verò diminuit, voluntarium constituit peccatum: sed Catholicus peccat peccato blasphemiæ scienter, hæreticus autem aliqua ignorantia: ergo ex hoc capite peccat grauiùs Catholicus, quàm Hæreticus.

2 Cæterùm, quia hæreticus non solùm blasphemat, sed etiam est Infidelis, itavt blasphemet ex infidelitate; ideò fit, quod ex hoc capite peccatum hæretici sit grauius, quàm peccatum Catholici: Præsertim cùm infidelitas ex dictis sit peccatum grauius, quàm sit blasphemia.

Et quidem ordinariè infidelis blasphemando peccat grauiùs, quàm fidelis; quia licèt infidelis non credat in Deum, quem blasphemat, tamen directè, & formaliter attendit detrahere vero Deo, quem fideles credunt; quæ directa, & formalis intentio ordinariè reperiri non solet in fideli: Ergo ex hoc capite ordinariè peccat grauiùs infidelis, quam fidelis.

SECTIO XII.

An qui S. Petro, & aliis vndecim Apostolis maledicit, vnum tantùm maledictionis, seu blasphemiæ peccatum committat?

SVMMARIVM.

1 *Maledicens S. Petro; & aliis vndecim Apostolis, secundùm Nauarrum, committit duo peccata; secundùm Azorium, tot peccata, quot sunt personæ: At probabiliùs committit vnum tantùm peccatum æquiualens tot peccatis, quot sunt personæ; quia vnum est obiectum totale.*

2 *Blasphemans Deo, B. Virgini, & Sanctis, prout Sancti, in ordine ad Deum, itavt totum redundet in Deum contra cultum latriæ, vnum tantùm peccatum committit, licèt multò grauius, quamplurimis scilicet peccatis æquiualens: secus si maledicat, prout quædam personæ excellentes in hac vita; quia tunc non vnum, sed tria specie distincta committit.*

3 *Proferens vnico impetu plures maledictiones, seu blasphemias in Deum, vnum tantùm peccatum committit, licèt multò grauius.*

4 *Percutiens aliquem vnico impetu gladio, vel pugnis, licèt multiplicet vulnera, verbera, vel pugnos, vnum tantùm peccatum committit; quia omnia illa se habent tanquam partes vnius pugnæ, rixæ, vel contentionis.*

5 *Appellans aliquem vnico impetu bis, vel ter latronem, furem, vel homicidam, vnicum tantùm peccatum committit.*

6 *Percutiens vnico impetu pluries Clericum, vnam tantùm excommunicationem incurrit.*

7 *Appellans vnico impetu ad Superiorem bis, vel ter, semel tantùm dicitur appellare.*

8 *Legans bis, vel ter in testamento eandem rem, vel in codicillis, semel tantùm legasse censetur.*

9 *Plura facta vnico actu repetita reputantur pro vnico facto, ratione continuationis.*

10 *Maledictio prima, secunda, & tertia, cæteræque sequentes in eodem impetu, satis probabiliter nihil aliud sunt, quàm prima confirmatio.*

Respondetur, quod quamvis Nauarrus *cons.* 14. *de pœnit. & remiss. n.* 9. *vers.* 5. sentiat quod committat duo peccata; quia qui imprecatur, inquit ipse, mortem alicui, & toti eius familiæ, duo tantùm committit peccata, & non tot, quot sunt personæ in illa familia; cùm tota familia desumatur pro vna persona ficta, *argument. leg.* 1. *ff. si famil. furt. fecisse dicatur*. Ergo sic, &c. Azorius autem *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 4. *cap.* 4. *quæst.* 1. sentiat, quod committat tot peccata, quot sunt personæ, quas maledicit, cùm plures personas contumelia sic afficiat, quemadmodum si plures personas vno ictu vulneret, vel occidat, &c. non improbabiliter tamen alij, quos sequitur Henriquez *in sum. lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 4. putent, quod vnum tantùm, etsi grauius, duodecim scilicet peccatis æquiualens peccatum committat; quia blasphemia in tali casu versatur circa vnicum obiectum totale, scilicet circa vnicum collegium Apostolorum, quod se habet per modum vnius totius moralis: Quemadmodum & vnicum tantùm peccatum committit, qui furatur totam arcam plurium Vasorum pretiosiorum, totum horreum tritici, totam cellam vinariam, vel totam bibliothecam, &c. *argumento leg. vulgaris, ff. de furtis, & cap. vulgares, de pœnit. distinct.* 1.

Hinc sequitur, quod vnum etiam, etsi similiter multò grauius, quamplurimis scilicet peccatis æquiualens peccatum committat, qui maledicit, seu blasphemat Deo, B. Virgini, & Sanctis, prout Sanctis, in ordine scilicet ad Deum, itavt totum redundet in Deum contra cultum latriæ; secus si maledicat B. Virgini, & Sanctis, prout B. Virgo, & Sancti fuerunt quædam personæ excellentes in hac vita; quia tunc non vnum, sed tria specie distincta committit peccata, vnum scilicet contra cultum latriæ, aliud contra cultum hyperduliæ, & aliud contra cultum duliæ, iuxta ea quæ dicebam *suprà sect.* 1. *supposito* 3. *& sect.* 4. *corollario* 14. 2

Sequitur 2. quod vnum etiam, etsi similiter multò grauius peccatum committat, qui vnico impetu plures maledictiones, seu blasphemias profert in Deum, in B. Virginem, vel in Sanctos, Menoch. *de præsumpt. lib.* 5. *præsumpt.* 2. *n.* 27. Graff. *de casib. reseruatis, lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 59. Addentes ad Quarantam *in Bullario, verb. Blasphemia*, & alij passim. 3

Primò, quia si quis vnico impeto gladio, vel pugnis aliquem percutit, licèt multiplicet vulnera, verbera, vel pugnos, vnum tantùm peccatum committit, eo quòd omnia illa tunc se habent, tanquam partes vnius pugnæ, rixæ, vel contentionis: Ergo similiter qui vnico impetu plures maledictiones, vel blasphemias profert in Deum, in B. Virginem, vel in Sanctos, vnum etiam tantùm peccatum committet, eo quòd similiter omnes illæ maledictiones, seu blasphemiæ tunc se habeant, tanquam partes vnius continuati maledicentis, seu blasphemantis sermonis. 4

Secundò, quia si quis vnico impetu aliquem bis, vel ter appellet latronem, furem, vel homicidam, &c. vnum tantùm peccatum committit, *ex c. Lotharius*, 3 1. *q.* 2. *iuncta glossa verb. Appellauit*, & ex communi docet Nauarrus *in consil.* 14. *de pœnit. & remiss. num.* 7. eo quòd vnica tunc sit rixa, vel contentio, & omnia illa verba tunc se habeant, tanquam partes vnius rixæ, vel contentionis: ergo similiter qui vnico impetu plures maledictiones, seu blasphemias in Deum, in B. Virginem, vel in Sanctos profert, vnum similiter tantùm peccatum maledictionis, vel blasphemiæ committet, propter eandem rationem. 5

Tertiò, quia si quis vno impetu pluries Clericum percutit, vnam tantùm excommunicationem contrahit, *cap. cùm pro causa, de sent. excommunic.* & notat Nauarrus *loco suprà citato*: Item si quis vnico impeto bis, vel ter appellet ad superiorem, semel tantùm dicitur appellare, *cit. cap. Lotharius*, & Glossa 6 7

8 *ibidem, verb. Appellauit*: Item si quis bis, vel ter eandem rem in testamento, vel in codicillis legauit, semel tantùm censetur legasse, *leg. Cum quæstio, §. finali, Cod. de legat.* Ergo similiter qui vno ictu pluries maledicit, seu blasphemat Deo, B. Virgini, vel Sanctis, vnum tantùm peccatum maledictionis, seu blasphemiæ committet.

9 Quartò, quia plura facta vnico impetu repetita reputantur pro vnico facto, ratione continuationis, *ex l. Cùm qui, ff. de furtis, ex l. Vnum, ff. de testament. ex leg. Illud, in fine, ff. Ad leg. Aquil. & ex cap. Cùm haberet, de eo qui duxit in matrim.* Et docet Glossa *in l. Nunquam, ff. de action. & obligat.* Et etiam Bartolus *in leg. Item apud Labeonem, ff. de iniuriis*, quem cum Cepolla *consf. 77.* sequuntur communiter Doctores. Ergo similiter plures maledictiones, seu blasphemiæ vnico impetu repetitæ reputabuntur vnica maledictio, seu blasphemia, propter eandem rationem.

10 Quintò, quia secunda, tertia, & cæteræ aliæ maledictiones, quæ in eodem impetu sequuntur, satis probabiliter in aliorum Doctorum sententia nihil aliud sunt, nisi confirmationes primæ maledictionis, itavt ad eam primam maledictionem confirmandam tantùm ordioentur: Ergo adhuc non reputabuntur, nisi vnica maledictio, itavt adhuc non nisi vnicum maledictionis peccatum constituant.

SECTIO XIII.

An à peccato maledictionis, seu blasphemiæ, etiam publico, & notorio, quilibet Sacerdos ab Episcopo ad audiendas confessiones approbatus possit absoluere?

SVMMARIVM.

1 *Maledictionis, seu blasphemia à peccato etiam publico, & notorio quilibet Sacerdos ab Episcopo ad audiendas confessiones approbatus potest absoluere: Quia huiusmodi peccatum de iure communi non est Episcopo reseruatum, contra Glossam, & alios.*

2 *Confessarij, vt habetur in Concilio Lateranensi sub Leone X. non possunt absoluere blasphemam, nisi imposita graui pœnitentia, ex quo infertur, quoslibet Confessarios posse absoluere.*

3 *Textus* in cap. statuimus, de maledicis, *solùm loquitur de blasphemo blasphemia publica iudicialiter coram Episcopo delata: Non de eo, qui post blasphemiam confitetur in foro secreto, & pœnitentiali.*

4 *Episcopi solent passim in suis edictis sibi reseruare publicam blasphemiam.*

5 *Blasphemia dicitur publica dupliciter, vel quando est notoria de iure, vel quando est notoria de facto.*

6 *Blasphemia dici potest publica, quando fuit prolata coram sex: Occulta verò quando fuit prolata coram nullo, vel coram vno; penè occulta, quando fuit prolata coram quinque.*

7 *Reseruata ab aliquo Ordinario blasphemia Sanctorum, qui in illa Diœcesi blasphemauerit vnicum Sanctum, committet peccatum reseruatum, non obstante quod edictum disponat in plurali.*

8 *Statutum puniens producentem falsos testes, comprehendit eum, qui vnicum tantùm testem falsum produxit.*

9 *Constitutio pœnalis, licèt vt odiosa sit restringenda, si tamen loquatur in plurari, extenditur etiam ad numerum singularem.*

Respondetur affirmatiuè: Quia huiusmodi pecca- 1
tum de iure commuui non est Episcopo reseruatum. Angelus *verb. Blasphemia, num. 4.* Syluest. *ibidem, q. 6.* Armilla *eodem verbo*, Tabiena *ibid. n. 16.* Nauarrus *in sum. cap. 27. num. 157.* Comitol. *lib. 4. respons. moral. quæst. 9. cap. 8.* Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. cap. 7. num. 21. & tom. 4. de pœnit. disp. 28. sect. 3. num. 10.* Sayrus *in Claui regia, lib. 6. cap. 13. num. 11.* & alij quos sequitur Azor. *tom. 1. Instit. moral. lib. 9. cap. 28. quæst. 12.* quamvis contrarium sentiant Glossa *in cap. 2. de pœnit. & remiss. in 6. verb. reseruantur*, Summa Corona *part. 1. n. 86.* & Medices *in sum. peccator. capital. tit. 3. quæst. 41.*

Probatur, quia in Concilio Lateranensi sub Leo- 2
ne X. *sect. 9. §. Ad absoluendam*, dicitur quod Confessarij non possint absoluere blasphemum, nisi imposita graui pœnitentia: Ergo signum est, quod quilibet Confessarius possit absoluere illum, dummodò imponat illi grauem pœnitentiam, sicuti rectè præter alios adnotarunt Nauarr. & Sayrus *locis suprà cit.*

Objicies fundamentum aduersariorum? *In cap. sta-* 3
tuimus, de maledicis dicitur, quod blasphemus ab Episcopo solùm absoluatur: Ergo.

Respondetur: Nego consequentiam, quia prædictus Textus solùm loquitur de blasphemo blasphemia publica iudicialiter coram Episcopo delata, quam
solemni pœnitentia Episcopus puniebat: Quamvis 4
posteà ex parte, vel ex toto talem pœnitentiam relaxaret. Nos autem hîc loquimur de eo, qui licèt publicè blasphemauerit, adit tamen postea Confessarium, vt ab eo sacramentaliter absoluatur: In quo casu dicimus nos, quod Confessarij possint absoluere blasphemum; cum nullibi iure constet, quod blasphemiæ peccatum sit de iure communi Episcopo reseruatum.

Aduerte tamen, quod solent Episcopi passim in 5
suis Edictis sibi reseruare publicam blasphemiam: Dicitur autem blasphemia ex Abbate *in cap. Vestra, de cohabitation. Cleric. & mulieris, num. 16.* Summa Corona, & Sayro *locis suprà citatis*, publica quando vel est notoria de iure, quia scilicet in iudicio blasphemus conuictus fuit de hoc peccato, aut ipse eam in iudicio est confessus, vel quando est notoria de facto, quia scilicet nulli tergiuersationi locus derelinquitur, aut quia prolata fuit coram pluribus, qui eum postea ad Iudicem Ecclesiasticum detulerunt, Glossa *in §. Consequens est, Institut. de suspect. tutoribus.* Et patet *ex leg. finali, Cod. de Sacros. Ecclesiis*, vbi communiter Doctores.

Quapropter blasphemia dici potest publica, quan- 6
do fuit prolata coram sex, *argument. glossa in cap. Manifesta, 2. quæst. 1.* Occulta verò quando fuit prolata coram nullo, vel coram vno, quia dictum vnius est dictum nullius, vti colligitur *ex cap. Veniens, & ex capite Nuper, de testibus.* Penè occulta tandem, quando fuit prolata coram quinque; quia penè occultum dicitur, quod fit coram quinque personis, *cap. Quis aliquando, §. hæc ergo, de pœnit. distinct. 1.*

Aduerte 2. quod cùm Ordinarij reseruant sibi 7
blasphemiam Sanctorum, is qui in illa Diœcesi, licèt talis Diœcesis Edictum loquatur in numero plurali, blasphemauerit aliquem vnicum Sanctum, committet adhuc peccatum reseruatum. Bartol. *in*
leg. 2. §. sed si vnus, ff. Vi bonor. rap. quatenus ait, 8
statutum puniens producentem falsos testes, comprehendere eum, qui vnicum tantùm testem falsum produxerit. Et Franch. *in cap. 1. num. 8. vers. 13. de*
tempor. ordinat. in 6. quatenus inquit, constitutio- 9
nem pœnalem, licèt vt odiosa restringenda sit, tamen si loquatur in numero plurali, extendi etiam ad numerum singularem, iuxta textum *in leg. si compromissarius, de elect. in 6.* Et in terminis Ioannes

Andr.

Andr. *in cap. 1. de maleficiis*, quatenus asserit, pœnam latam *in d. c. 1.* contra maledicentes Sanctis, comprehendere eum, qui vnum tantùm Sanctum blasphemauerit.

SECTIO XIV.

Quænam blasphemiæ sint hæreticales, quænam autem non hæreticales, sed simplices?

SVMMARIVM.

1 *Blasphemia hareticales sunt qua secundùm se affirmant, vel negant aliquid contra fidem.*

2 *Blasphemia non hareticales, sive simplices sunt, qua licèt ex dicendi modo in actu practico, seu in actu exercito continent aliquid contra fidem, non tamen secundùm se affirmant, vel negant aliquid contra fidem.*

3 *Blasphemiarum hereticalium exempla quanam sint. Vbi quod in ipsis verba per modum indicatiuè important fideò abnegationem, & infidelitatem quandam.*

4 *Item qua non hareticalium exempla. Vbi quod per istas omnes blasphemias, cùm non sint indicatiui modi, nihil falsi dicatur de Deo, vt possint heresim continere.*

5 *Blasphemia hareticales sunt, si blasphemans per modum indicatiui asserat, Deum esse illarum capacem.*

6 *Blasphemia hereticales satis probabiliter etiam sunt falsa Deo attributa.*

7 *Blasphemia hareticales etiam sunt tribuere creatura quod est solius Dei.*

8 *Blasphemia hereticales non sunt dicere: Renego S. Petrum, S. Paulum, vel quemcunque alium Sanctum; quia hac proferuntur per modum contumelia, non ob negandam aliquam fidei veritatem de illis pertinentem ad fidem.*

1 RESpondetur: Hæreticales sunt, quæ secundùm se affirmant, vel negant aliquid contra fidem; & clariùs, quando per verbum aliquod indicatiui modi secundùm se affirmatur, vel negatur aliquid contra fidem, vel etiam ostenditur aliqua dubitatio contra fidem.

2 Non hæreticales, seu simplices blasphemiæ sunt, quæ licèt ex dicendi modo in actu exercito continent aliquid contra fidem, non tamen secundùm se (itavt contra fidei veritatem formaliter, vel virtualiter contineant falsitatem quasi speculatiuam) affirmant, vel negant aliquid contra fidem: Et clariùs, quando id non affirmatur, vel negatur per verbum aliquod indicatiui modi, itavt contra fidei veritatem formaliter, vel virtualiter contineat falsitatem quasi speculatiuam, sed tantùm profertur optando, imprecando, vel imprecando, &c. Eymeric. *in director. Inquisit. 2. part. q. 41. & 2.* Peña *ibid. n. 1. comment. 66.* Pettus de Ledesma *in sum. tom. 2. tract. 1. c. 9. concl. 6.* Bannez *2. 2. q. 13. art. 1. circa finem*, Vgolinus *de casibus reseruat. 2. part. cap. 1. §. 3. n. 1.* & alij passim.

Non hæreticales igitur, seu simplices blasphemiæ sunt, quæ non formaliter, neque virtualiter continent falsitatem quasi speculatiuam contra fidei veritatem, vt sunt ex dictis omnes blasphemiæ, quæ proferuntur per modum optandi, vel imprecandi: Item quæ proferuntur nominando aliquid, vt verbi gratia sanguinem, vel corpus quod in Deo verè reperitur; attamen per modum contumeliæ, vel irrisionis, &c.

Exempla blasphemiarum hæreticalium sunt, si quis, v. g. dicat: *Deus est impius, crudelis, iniustus, improuidus, acceptator personarum*; & similia, vel si dicat: *Non est omnipotens, immensus, misericors*, &c. Quæ exempla per se manifesta sunt, itavt nullam dubitationem inuoluant: Insuper blasphemiæ hæreticales sunt, si quis v. g. dicat: *Non credo in Deum, discredo Deum, reniego Deum, Fidem, Crucem, Chrismа, Sacramenta, puritatem Deipara Maria*, & similia, Suarez *tom. 1. de relig. tract. 3. lib. 1. cap. 3. n. 7. & seqq.* Manuël *in sum. tom. 1. cap. 34. n. 1.* Rojas *de haretic. 2. part. assert. 12. num. 170. & seqq.* Salzedo *in practica Bernardi Diaz, cap. 110. vers. Et quia sapissimè*, Azeuedo *lib. 8. recopil. tit. 4. lib. 1. num. 3.* & alij passim. 3

Probatur, quia hæc omnia verba per modum indicatiui important fidei abnegationem, & infidelitatem quandam: Ergo, &c.

Exempla blasphemiarum non hæreticalium sunt quæcumque aliæ Dei maledictiones, vt si quis v. g. dicat: *Al dispetto di Dio, à mal grado di Dio, maledictus sit Deus, pœniteat, vel tadeat Deum, per caput, vel per vitam Dei, Corpus, vel Sanguis Dei*, & similia, Peña, Bannez, Suarez, Rojas, Pettus de Ledesma, Manuël, Salzedo, *in locis suprà citatis*, & Chapeauilla *de casib. reseru. c. 19. q. 2.* 4

Probatur, quia reuera per istas alias blasphemias, cùm non sint indicatiui modi, nihil falsum dicitur de Deo, vt possint hæresim continere; sed per ipsas tantùm indicantur praui affectus eius, qui blasphemat in Deum, volens ex modo dicendi, quasi talium ignominiarum, vel irrisionis capacem reddere Deum, seu conuitiari, aut irridere Deum.

Ratio igitur, cur in specie blasphemia illa *Al dispetto di Dio*, non sit hæreticalis, est ex dictis, quia fidei confessioni non opponitur: Non enim per talia verba significaretur, aliquid fieri posse contra Dei voluntatem efficacem, sed vel significatur voluntas faciendi aliquid, etiamsi Deo id displiceat, eo modo quo displicere potest per modum signi; vel certè profertur per modum imprecationis, optandi Deo displicentiam, vel tædium de tali re.

Quamvis contrarium non omninò improbabiliter teneant Florentus *de casib. reseruat. part. 2. cas. 3. n. 8.* Naldus *in sum. verb. Blasphemia, num. 2.* Filliuccius *de casib. reseruat. cas. 3. n. 2.* & Laxatius *in tract. de blasphemia. q. 6. n. 59. ex Instructione S. Officij*: Quia sensus talis blasphemiæ, inquiunt ipsi, est quod omninò, tametsi Deus sua omnipotentia id non velit, fieri debeat id, quod à blasphemante profertur: quo modo loquendi contra fidei veritatem derogatur potentiæ Dei.

At quidquid sit de hoc, illud certum est, quod sit blasphemia, saltem non hæreticalis, quidquid in contrarium dixerit Baldus *lib. 3. consil. 476.* Angel. *in l. His verbis, ff. de hared. Institut.* Alexander ad Bartolum *in l. Apud Labeonem, §. ait, Pretor, de iniuriis*, & Felin. *in preæm. decretal. n. 11.* contra quos videri poterit præter alios Boërius *decis. 301. n. 1.* Grammat. *decis. 50.* Mascard. *de probat. lib. 1. conclus. 194. n. 3. & 4.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. centur. 4. cas. 275. n. 4.* Gyptius *de casib. reseru. cap. 9. cas. 3. n. 12.* & Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 3. quæst. 4.*

Ex dictis aduerte, quod sint è contra blasphemiæ hæreticales, si blasphemans per modum indicatiui asserat, ignominiæ, conuitij, vel irrisionis esse capacem Deum. 5

Aduerte 2. quod etiam non omninò improbabiliter sint blasphemiæ hæreticales si blasphemans aliquid, quodcumque illud sit, per modum ignominiæ, conuitij, vel irrisionis, &c. tribuat falsò, seu cum falsitate Deo, vt si v. g. dicat: Deus crudelis, impius, vel iniustus, &c. vel ò Deum crudelem, im- 6

pium, vel iniuſtum, &c. Quis licèt id quod per modum ignominiæ, conuitij, vel irriſionis, &c. tribuitur falsò, ſeu eum falſitate Deo, expreſsè non affirmetur de Deo (enunciando ſcilicet & componendo) ſed ſimpliciter, ita oominando; nihilominus virtualiter ſatis affirmatur, quod ita profertur de Deo: ſic Doctores, quos ſequitur Suar. *tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. c. 5. n. 7.*

7 Aduerte 3. quod & etiam ſint blaſphemiæ hæreticales, ſi quis tribuat creaturæ, quod eſt ſolius Dei, vel de eo aliquam dubitationem oſtendat, vti ſuprà dicebam.

8 Aduerte 4. quod non ſint tamen blaſphemiæ hæreticales, ſi quis dicat, Renego S. Petrum, S. Paulum, vel quemcunque alium Sanctum, &c. forſan quia ſic non negatur aliqua veritas de illis pertinens ad fidem, ſed tantùm eſt verbum quoddam contumelioſum in Sanctos: itavt ſolùm inuoluat blaſphemiam in illos. Et confirmatur à poſteriori, quia in praxi de huiuſmodi blaſphemiis non inquirunt, neque cognoſcunt Inquiſitores.

SECTIO XV.

De quibuſnam blaſphemiis Inquiſitores cognoſcant?

SVMMARIVM.

1 *Inquiſitores cognoſcunt de ſolis blaſphemiis hæreticalibus, de quibus cognoſcunt priuatiuè.*

2 *Caſtro minus rectè dixit, Inquiſitores cognoſcere etiam de blaſphemiis non hæreticalibus ex poteſtate delegata, vel ſaltem ex Inquiſitionis Hiſpanicæ conſuetudine, cumulatiuè cum Iudice Eccleſiaſtico.*

3 *Blaſphemiæ ſimplices, excepta hæreticali, ſunt mixti fori, itavt inter Iudicem Eccleſiaſticum, & ſæcularem detur locus præuentioni.*

1 RESpondetur: De ſolis blaſphemiis hæreticalibus. Eymericus *in directorio Inquiſit. 2. part. quæſt. 41. num. 2. & ſeqq.* Peña *ibidem, comment. 66.* Lorca *in 2. 2. S. Thomæ, quæſt. 15. art. 2. diſp. 51. num. 10.* Zanard, *in direct. Theolog. part. 1. precept. 1. c. 11. §. 10.* Albert. *q. 9. n. 24. & 55.* Turrian. *tom. 2. in 2. 2. S. Thomæ, diſp. 58. dub. 3.* Villalob. *in ſum. tom. 2. tract. 2. difficult. 15. n. 7.* Simaneh. *de Cathol. Inſtit. tit. 8. n. 6.* & alij ex ſancta Inſtructione Hiſpalenſi anni 1550. *cap. 4.* De quibus blaſphemiis hæreticalibus Inquiſitores cognoſcunt priuatiuè, inhibendo ſcilicet, quod quicumque alius Iudex, etiam Eccleſiaſticus (quod eſt ſatis probabile) & multò magis ſæcularis (quod eſt certum) de illis cognoſcat.

2 Hinc ſequitur, quod minùs rectè dixerint Caſtro *lib. 1. de iuſt. hæreticor. punit. cap. 12. circa finem,* Corduba *in quæſtionario, lib. 1. quæſt. 17. §. 15. notabil. 4. verſ. in cuius examinatione,* & alij, quod Inquiſitores ex poteſtate delegata, vel ſaltem ex Inquiſitionis Hiſpanicæ conſuetudine cognoſcant de blaſphemiis etiam non hæreticalibus, cumulatiuè cum Iudice Eccleſiaſtico, & ſæculari: Itavt inter ipſos detur locus præuentioni: Quia, ſicuti dicebam, Inquiſitores cognoſcunt de blaſphemiis ſolis hæreticalibus, priuatiuè tamen, inhibendo ſcilicet aliis Iudicibus, quod de illis cognoſcant modo, quo ſuprà dicebam.

3 Cæterùm, præter blaſphemias hæreticales, aliæ blaſphemiæ ſunt mixti fori: Itavt ad cognoſcendum de aliis inter Iudicem Eccleſiaſticum, & ſæcularem detur locus præuentioni: Quemadmodum per textum *in cap. 2. de maledicis,* docent Abbas *ibidem, num. 9.* Rojas *de hæret. 1. part. aſſert. 12. num. 171. & ſeqq.* Couarr. *de pactis, part. 1. §. 7. n. 12. verſ. Crimen autem,* Simanch. *de Cathol. Inſtit. tit. 8. n. 9.* & alij communiter, quos ſequitur Azor. *tom. 1. Inſtit. moral. lib. 9. cap. 28. quæſt. 9.* vide quæ dicebam *ſuprà dub. 195. ſect. 10. & ſect. 70. 71. & 72.*

COROLLARIA.

Ex iis quæ ſectione 14. & 15. proximè præcedentibus dicebantur.

SVMMARIVM.

1 *Inquiſitores de ſolis blaſphemiis hæreticalibus inquirunt, itavt ipſi ſolùm poſſint procedere contra eos, qui proferunt blaſphemias continentes, vel ſapientes hæreſim, (etiam ſi quis dicat:* Non credo in Deum, niſi te occidam; *) non autem contra alios blaſphemos, quocumque in contrarium non obſtante.*

2 *Blaſphemia hæreticalis, contra quam Inquiſitores poſſunt procedere, eſt quæ ſignificat, & continet errorem contra fidem: Blaſphemia verò non hæreticalis eſt, quæ licèt ex modo loquendi ſignificet errorem contra Deum, non autem ex ſe affirmat aliquid quod ſit contra fidem.*

3 *Hæreticalem blaſphemiam quomodo quis dicatur proferre.*

4 *Blaſphemia hæreticalis eſt tribuere creaturæ, quod ſoli Deo conuenit, vel ſignificare dubitationem de iis, quæ Deo conueniunt.*

5 *Inquiſitores priuatiuè quoad alios Iudices poſſunt cognoſcere de blaſphemiis hæreticalibus, habentque facultatem inhibendi cuicumque Iudici etiam Eccleſiaſtico; licet contrarium forſan ſit probabilius quoad Iudicem Eccleſiaſticum.*

6 *Dicens aliquid ioci cauſa contra Deum, B. Virginem, vel Sanctos, vel contra fidem, eſt puniendus.*

7 *Blaſphemi eſt probare, ſe ea verba ioci gratia protuliſſe; & interim Inquiſitores poſſunt contra eum procedere, contra Decianum ſentientem oppoſitum, videlicet quod Ordinarij ſolùm poſſint in illum pœnam extraordinariam infligere.*

8 *Aſſerenti ſe cauſa ioci, vel lubrico linguæ, vel inaduertenter, vel ex ſubita iracundia verba hæreſim ſapientia protuliſſe, credendum non eſt: Quod ſi probet, ioci cauſa protuliſſe, poteſt ei Inquiſitor imponere pœnam pecuniariam, vel aliquam aliam pœnam, habita ratione perſonæ, loci, & verborum.*

9 *Quænam perſona habenda ſit nobilis, vel plebeia, diues, vel pauper, habetur in directorio Inquiſitionis.*

10 *Sacra Scripturæ verba detorquens ad inania, futilia, & obſcœna, eſt etiam puniendus.*
Chriſtiani, necnon Iudæi blaſphemantes in Chriſtum, B. Virginem, in Sanctos, vel in fidem noſtram, ſunt puniendi. Iudæi tamen licèt ſecundùm aliquos puniri poſſint per Iudicem ſæcularem; probabilius tamen poſſunt etiam à principio puniri per Iudicem Eccleſiaſticum.

12 *Fœdantes, conſpuentes, vel pedibus conculcantes, aut inhonorantes Chriſti, B. Virginis, aut aliorum Sanctorum ſtatuas, imagines, vel figuras grauiſſimè plectendi ſunt arbitrio iudicis.*

EX iis igitur, quæ ſectione 14. & 15. proximè præcedentibus dicebantur, habetur

Primò, quod Inquiſitores de ſolis blaſphemiis hæreticalibus inquirant, itavt ipſi poſſint ſolùm 1

proce

procedere contra eos, qui proferunt blasphemias continentes, vel sapientes hæresim; non autem contra alios blasphemos. Director. Inquisit. *part.* 2. *quæst.* 41. Peña *ibidem*, *commentar.* 66. Rojas *de hæretic. part.* 2. *num.* 172. Bannez 2. 2. *quæst.* 13. *art.* 1. *circa finem*, Simancb. *de Cathol. instit. cap.* 8. Couar. *de pact.* 1. *part.* §. 7. *num.* 12. *vers. crimen autem*, Castro *lib.* 1. *de iust. hæret. punit. cap.* 12. Albertin. *tract. de agnosc. assertion. quæst.* 6. *num.* 24. & 25. *quæst.* 22. *num* 63. *quæst.* 27. & *quæst.* 36. *num.* 18. Turrian. 2. 2. *disp.* 58. *dubit.* 3. *in princ.* & alij, quos sequitur Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 28. *quæst.* 5. Videri etiam poterunt, quæ dicebam suprà *cit. dub.* 195. *sect.* 20. & *sect.* 70. 71. & 73.

Quamvis contrarium significetur in constitutione Iulij 3. (quæ incipit *in multis*) quatenus in ea dicitur: Iudices verò tam horrendi, & impij criminis, nempe blasphemiæ in Christum, B. Virginem, & in Sanctos, deputamus, & instituimus Reuerendissimos DD. Inquisitores nostros generales, quos volumus posse addere præstitutis pœnis, & maximè in corpore, si modus blasphemiæ ob grauitatem, impietatem, vel malitiam id exposcat.

Sed hoc hodie non seruatur in praxi, quia hodie in Tribunali S. Inquisitionis tantùm proceditur contra blasphemantes hæreticaliter, etiamsi tamen solùm ex calore iracundiæ blasphemauerint, quo casu propterea mitiori pœna puniuntur. Rojas *loco suprà citato*, Albertin. *de agnoscend. quæst.* 27. *num.* 18. Videri etiam poterit Riccius *in praxi*, *tom.* 1. *resolut.* 423. vbi subdit, quod blasphemantes hæreticaliter, quamvis ex calore iracundiæ, & in ludo, debeant abiurare, & Emanuël de Valle *opuscul. de Emsalm. sect.* 3. *cap.* 3. *num.* 7. vbi reprehendit quemdam Theologum, eo quod liberauerit à iurisdictione Inquisitorum blasphemantem ex magna quadam iracundia, & vehementi passione.

Cæterùm possunt etiam Inquisitores procedere con- 1
tra blasphemantem sub ista conditione: *Non credo in Deum, nisi te occidam*; quia hæc blasphemia conditionalis inuoluit aliam puram implicitam affirmatiuam: nempe, si ad te occidendum opus fuerit, me in Deum non credere, paratus sum id facere. Rojas *loco suprà citato*, *num.* 173. & 174. Lazarus *tract. de blasphemia*, *quæst.* 6. *num.* 11.

2 Secundò habetur, quod hæreticalis blasphemia, (contra quam Inquisitores possunt procedere) sit quæ significat, & continet errorem contra fidem; blasphemia verò non hæreticalis sit; quæ licèt ex modo loquendi significet errorem contra fidem, non tamen ex se affirmat aliquid, quod sit contra fidem. Sic explicant blasphemiam hæreticalem, & non hæreticalem Direct. Inquisit. *part.* 2. *quæst.* 41. *num.* 1. & *seqq.* Peña *ibidem*, *commentar.* 66. Bannez 2. 2. *q.* 13. *art.* 1. *circa finem*, Vgolin. *in Bullam Cœnæ Domini*, *part.* 1. *cap.* 1. §. 3. *num.* 1. Turrianus 2. 2. *disp.* 58. *dub.* 3. *in principio*, & alij passim: vel blasphemia hæreticalis est, per quam indicatiuo modo aliquid asseritur contra fidem; blasphemia verò non hæreticalis est, per quam non indicatiuo modo aliquid asseritur, sed tantùm deprecando, imprecando, imperando, vel optando aliquid profertur contra Deum. Sic explicant alij.

3 Et quidem tunc diceretur quis proferre blasphemiam hæreticalem, cùm v. g. diceret: Non credo in Deum, abnego Deum, discredo de Deo, renego fidem, vel Sacramenta, vel Crucem Christi, vel Chrisma, quod recepi, vel puritatem B. Virginis, &c. Deus est iniustus, qui permittit me esse cæcum, pauperem, vel claudum, &c. Deus non est omnipotens, non curat hæc inferiora, non habet prouidentiam, est personarum acceptator, & similia. Baldus *lib.* 1. *consil.* 85. Albertin. *de agnoscend. assert. quæst.* 16. *num.* 18. Decian. *in tract. crimin. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 2. *n.* 5. Rojas *de hæreticis*, *part.* 2. *assert.* 12. *num.* 170. & 171. Suarez *tom.* 1. *de relig. tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 7. & 8. Salzedo *ad Bernard. Diaz*, *cap.* 112. *vers. Et quia sæpissimè*, & alij communiter; quia equidem per huiusmodi blasphemias significatur, quod Deus sit capax talium maledictionum, cùm tamen per blasphemias non hæreticales nihil falsi de Deo dicatur, sed solùm ostendatur prauus blasphemantis animus in Deum, volendo scilicet per talem modum loquendi quasi reddere Deum capacem prædictarum maledictionum, vel conuitiorum, &c. seu volendo maledicere, vel conuitiari Deum, &c.

Item blasphemia hæreticalis est, creaturæ tribuere quod soli Deo conuenit, vel significare dubitationem de iis, quæ Deo conueniunt. DD. quos sequitur Suarez *citat. cap.* 5. *num.* 8. & nos dicebamus suprà. 4

Cæterùm de blasphemiis hæreticalibus solis cognoscere possunt Inquisitores, & ita vt ipsi prohibere possint etiam iudici Ecclesiastico, quod de illis cognoscat; quamvis non omninò improbabiliter, quin forsan probabiliùs (si loquamur de Iudice Ecclesiastico) contrarium teneant Castro *lib.* 2. *de iust. hæret. punit. cap.* 12. *circa finem*, & Corduba *lib.* 1. *quæstionarij*, *quæst.* 17. §. 15. *notab.* 4. *vers. In cuius examinatione*, quatenus aiunt, quod de blasphemiis hæreticalibus cognoscere possint Inquisitores cumulatiuè cum Iudice Ecclesiastico (quin etiam cùm sæculari, quod est falsum, vti suprà dicebam:) sicque inter Inquisitores, & Iudicem Ecclesiasticum detur locus præuentioni. Vide quæ dicebam *dubit.* 195. *sect.* 20. & *sect.* 70. 71. & 72. Vide etiam Doctores, quos citat, & sequitur Sousa *in aphor. Inquisit. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 24. vbi ait, quod blasphemus, sufficienter etiam punitus à Iudice laico, possit iterum proptes suspicionem hæresis examinari ab Inquisitoribus; plenè verò examinatus à Iudice Ecclesiastico, iterum examinari non possit ab Inquisitoribus, cùm crimen sit mixti fori. 5

Tertiò, quod qui ioci causa aliquid dixerit contra Deum, B. Virginem, Sanctos, vel contra fidem, puniri debet. Cardinalis Zabarella *in Clement.* 1. §. *Nos igitur in fine*, *de summa Trinitate*, Arelatanus *tract. de hæretic. notab.* 28. Repestor. Inquisit. *verb. Hæreticus*, *vers. sed Andreas*, Simanch. *de Cathol. instit. tit.* 17. *num.* 23. & *seqq.* & *in Enchirid. tit.* 47. *num.* 18. Locatus *in Iudicial. Inquisit. verb. dolus*, *num.* 6. *verb. Fautores*, *num.* 8. & *verb. Punitio*, *num.* 4. Rojas *singul.* 103. Zanchin. *tract. de hæret. cap.* 7. *num.* 6. Peña *in directorio*, *part.* 3. *commentar.* 17. Genuensis *in praxi Archiepiscop. cap.* 84. *num.* 13. Salzedo *in Bernard. Diaz*, *cap.* 110. & Farinac. *de hæresi*, *quæst.* 179. §. 4. *num.* 78. 6

Vbi aduerte, quod ad blasphemum pertineat probare, se ioci gratiâ ea verba protulisse. Calderinus *tract. de forma procedendi contra Inquisitos de hæresi*, *in rubrica de hæretic. redeuntib. n.* 6. Peña, & Salzedo *in locis suprà citatis*: Quapropter interim Inquisitores possunt contra illum procedere, Peña vbi suprà, Farinac. *de hæresi citata q.* 179. §. 4. *n.* 78. & Gundisaluus *tract. de hæret. q.* 1. *n.* 7. & *q.* 8. *n.* 6. Quamvis Decianus *in tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 37. *num.* 8. & idem Gundisaluus *loco suprà citato*, *q.* 1. *num.* 8. sibi contrarius, teneant oppositum, quod scilicet quando quis gratiâ ioci, vel lubrico linguæ verba hæresim sapientia protulit, non Inquisitores, sed ordinarij solùm possint in illum pœnam extraordinariam infligere; at prior Peñæ, & Farinacij sententia probabilior mihi videtur ob rationem dictam. 7

Quartò, quod ei qui asserit, se causa ioci; vel lubrico linguæ, vel inaduertenter, vel ex subita iracundia verba hæresim sapientia protulisse, credendum non sit. Peña *in direct. part.* 3. *q.* 61. *comment.* 17. 8

Albertin.

Albert. *tract. de agnosc. assert. quæst.* 36. *n.* 18. Calderinus *in tract. de haret. in rubr. de haret. redeuntib. n.* 6. Decian. *in tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 37. *n.* 8. & Gundisaluus *tract. de haret. q.* 1. *n.* 8. Quapropter potest, & debet iste talia torqueri. Peña *citata part.* 3. *q.* 61. *comment.* 110. Simanch. *de Cath. inst. cap.* 65. *n.* 5 1. *& in Enchirid. tit.* 29. *rubr. de confess. num.* 10. *& tit.* 52. *n.* 7. Decian. *loco suprà cit. cap.* 36. *num.* 17. & alij passim.

Quod si probet, se verè ioci causa prædicta verba protulisse, adhuc ei Inquisitor imponere potest pœnam pecuniariam. Zabarel. *in Clement.* 1. §. *in Inquisitoribus, n.* 2. Imola *ibidem, n.* 6. & Calderin. *tract. de haret. in verb. de hæreticis redeuntib. n.* 1. *& in rubrica de sent. Inquisit. n.* 3. Vel potest ei Inquisitor imponere aliquam aliam pœnam, habita ratione personæ, loci, & verborum. Peña *in direct. Inquis. part.* 3. *comment.* 17. Albert. *de agnosc. assert. q.* 36. *num.* 11. *& seqq.* Rojas *de haret. part.* 1. *n.* 45. *&* 66. *& sing.* 103. *num.* 1. *& seqq.* Carrera *tract. de haret. n.* 9. & Gundisaluus *tract. de haret. q.* 1. *num.* 7. *& quæst.* 8. *num.* 6.

9 Quænam autem persona habenda sit nobilis, vel plebeia, diues, vel pauper, videri poterunt Director. Inquisit. *part.* 2. *quæst.* 41. Peña *ibidem, commentar.* 66. Castr. *lib.* 1. *de iust. haret. punit. cap.* 12. Couarruuias *de pact. part.* 1. §. 7. *numero* 12. Simanch. *de Cathol. instit. cap.* 8. Albertinus *tract. de agnoscend. assert. quæst.* 6. *num.* 54. *quæst.* 52. *num.* 63. *quæst.* 57. *& quæst.* 36. *num.* 18. Bannez 2. 2. *quæst.* 13. *art.* 1. & Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 28. *quæst.* 5.

10 Quintò, quod debeat etiam puniri, qui verba sacræ Scripturæ ad inania, scurrilia, vel obscœna detorquet: quem etiam peccare mortaliter, docent DD. quos sequitur Graffius *part.* 2. *decis. lib.* 2. *cap.* 19. *n.* 17. & satis indicat Tridentinum Concilium *sess.* 4. *in fine*, quatenus ibi istum talem notabiliter reprehendit.

11 Sextò, quod debeant etiam puniri tam Christiani, quàm Iudæi in Christum, B. Virginem, in Sanctos, vel in fidem nostram quomodocunque blasphemantes. Clarus *in* §. *Blasphemia*, Alexander *lib.* 3. *cons.* 15. Couarruuias *de pactis, part.* 1. §. 7. *num.* 9. Calderin. *lib.* 1. *consil.* 105. *& lib.* 4. *consil.* 119. Albertin. *de agnoscend. assert. quæst.* 6. *num.* 23. & Cataldus *de syndicatu, num.* 104.

Cæterùm, Iudæos sic blasphemantes non à Iudice Ecclesiastico, sed à Iudice sæculari puniendos esse, putant Alexander *lib.* 6. *cons.* 99. *num.* 15. Soccin. *lib.* 4. *cons.* 119. *num.* 16. & Decian. *in tract. crimin. lib.* 6. *cap.* 4. *n.* 5. *&* 3. *& cap.* 5. *n.* 5. nisi casu, quo Iudex sæcularis fuerit negligens in puniendo istos Iudæos blasphemantes. Tunc enim concedunt, quod puniri possint etiam à Iudice Ecclesiastico, sed ex probabiliori sententia Doctorum non est, cur Iudæi sic blasphemantes non possint à principio puniri etiam à Iudice Ecclesiastico; cùm defendere fidem pertineat ad Iudicem Ecclesiasticum.

12 Septimò, quod grauissimè debeant etiam puniri qui fœdant, vel conspurcant, vel pedibus conculcant, aut inhonestant Christi, B. Virginis, vel aliorum statuas, imagines, vel figuras; quia si grauissimè plectendi sunt, *leg. non contrahit*, *& l. famosi*, *ff. ad leg. Iul. maiest. & l. Capitolium*, §. *ad statuas*, *ff. de pœnis*, qui fœdant, & dehonestant statuam Principis, multò magis plectendi erunt, qui fœdant, & dehonestant statuas, imagines, vel figuras Christi, B. Virginis, vel aliorum Sanctorum. Accedit quod *in l. vnica, Cod. nemini licere*, expressè habetur, quod plectendus sit is, qui in Christianæ Religionis contemptum insculpsit in terra, vel in marmore Crucis signum, quod pedibus calcari potest.

Quibus autem pœnis isti tales sint afficiendi, relinquitur arbitrio Iudicis iuxta facti grauitatem: Gloss. *in cap. si Canonici, de offic. Ordinar. in* 6. Angel. *in leg. ex Senatusconsulto*, *ff. ad legem Cornel. de sicariis*. Decius *in leg. si quis id quod, n.* 4. *de Iurisd. omn. Iudic.* Paris de Puteo *tract. de ludo, num.* 65. Boërius *q.* 301. *num.* 17. Grillandus *tract. de sortileg. quæst.* 11. *n.* 18. & alij communiter.

SECTIO XVI.

An omnes blasphemiæ prædictæ sint eiusdem speciei?

SVMMARIVM.

1 *Blasphemia omnes prædicta sunt eiusdem speciei, quomodocunque proferantur, siue in Deum, siue in Sanctos, siue enunciatiuè, siue optatiuè, siue imprecatiuè, siue imperatiuè, siue per modum maledictionis, siue contemptus, siue contumelia, siue irrisionis, siue detractionis, contra nonnullos contrarium sentientes.*

2 *Religio tribuens cultum Deo, & Sanctis propter Deum, est vnius & eiusdem speciei; consequenter & blasphemia in Deum, & Sanctos, quatenus redundat in Deum.*

3 *Iuramentum, quo iuratur per Deum in seipso eiusdem speciei est cum eo, quo iuratur per Sanctos, quatenus in ipsis relucet Deus; quare in periurio iuramenti qualitas non venit necessariò exprimenda in confessione. Idemque dicendum est de blasphemia.*

4 *Blasphemia, qua continet hæresim, differt tamen specie à blasphemia, quæ non continet hæresim, non quidem in ratione blasphemia, sed ratione hæresis adiuncta, etiamsi non adsit assensus internus hæreticus, & cur.*

5 *Blasphemia pariter est distincta speciei, si ea proferatur ex desperatione, vel ex odio Dei formali; quia vltra speciem blasphemia interuenit nunc desperatio contraria spei, vel odium Dei contrarium charitati.*

6 *Confessarius non tenetur diuersitatem blasphemiarum inquirere, neque tenetur pœnitens eam explicare pro diuersitate illarum specifica, cùm non necessariò in Sacramento Confessionis sint explicanda circumstantia notabiliter aggrauantes.*

1 RESpondetur affirmatiuè; ita vt quomodocumque blasphemiæ proferantur, siue in Deum, siue in Sanctos, siue enunciatiuè, siue optatiuè, siue imprecatiuè, siue imperatiuè, siue per modum maledictionis, siue contemptus, siue contumeliæ, siue detractionis, &c. in vniuersum sint omnes eiusdem speciei. Caietanus *in summa*, *verbo Blasphemia*, *&* 2. 2. *q.* 3. *art.* 1. *vers. quoad* 2. *& vers. hinc respondent ad* 5. Bannez *ibidem*, *notabili vltimo*, Azor. *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 9. *cap.* 28. *quæst.* 10. Petrus de Ledesma *in summa*, *tom.* 2. *tract.* 2. *cap.* 9. *concl.* 5. Valentia 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 13. *punct.* 1. *vers. quocumque igitur*, & alij passim.

Quod adeò verum est, quod (quamvis nonnulli renitant, blasphemiam in Deum specie differre à blasphemia in Sanctos) multò probabilius tamen sit oppositum, quod scilicet specie non differat, sed sit eiusdem rationis cum blasphemia in Sanctos. Vide quæ dicebam suprà *sect.* 7.

2 Probatur, quia vtraque blasphemia (cum blasphemia in Sanctos, sicuti *sect.* 1. *supposito* 3. *& sect.* 4. *corollar.* 6. *&* 14. dicebam, redundet in Deum) est contraria virtuti religionis; at vnius, & eiusdem speciei est religio tribuens cultum Deo, & Sanctis propter Deum: Ergo vnius, & eiusdem speciei est blasphe-

blaſphemia, qua Deus blaſphematur in ſe, vel qua blaſphematur in Sanctis.

Confirmatur, quia voius, & eiuſdem ſpeciei eſt iuramentum, quo iuratur per Deum in ſeipſo, vel provt relucet in Sanctis (ita vt licèt iuramentum falſum, iurando ſcilicet per Deum, ſit grauius, quàm iurando per Sanctos, vel per creaturas, in nullius tamen ſententia iuramenti qualitas in periurio fatenda ſit, quia vtroque modo Deus adducitur in teſtem falſitatis, ſiue iuretur per Deum in ſe, ſiue provt relucet in Sanctis, aot creaturis.) Ergo idem dicendum erit in blaſphemia; quia ſimiliter vtroque modo blaſphemia profertur contra Deum, ſiue profetatur contra Deum in ſe, ſiue provt relucet in Sanctis, & creaturis.

4 Aduerte tamen, quod blaſphemiæ poſſint aliunde differre ſpecie inter ſe, quia blaſphemia, quæ continet hæreſin, manifeſtè differt ſpecie à blaſphemia, quæ non continet hæreſim, non quidem in ratione blaſphemiæ, ſed in ratione hæreſis adiunctæ: Quod intellige etiamſi non adſit aſſenſus internus hæretieus; quia talis hæreſis, ſolùm ſcilicet externa, opponitur directè, & propriè confeſſioni externæ fidei. Blaſphemia autem opponitur directè, & propriè Religioni, iuxta ea, quæ dicebam ſuprà *ſect. 1. ſuppoſito 1. & ſect. 3. & 4. corollar. 1. & 2.* Ergo erunt duo peccata ſpecie diuerſa, virtutibus ſpecie diuerſis oppoſita. Videri poterit præter alios Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. cap. 6. num. 8. & 18.* videri etiam poterunt quæ dicebam *cit. ſect. 1. ſuppoſito 2. & ſect. 2. circa finem.*

5 Item ſimiliter eſt diſtincta ſpecies, ſi blaſphemia proceſſerit ea deſperatione, vel ex odio Dei formali; quia vltra ſpeciem blaſphemiæ interuenit tunc deſperatio contraria ſpei, vel odium Dei contrarium charitati: quòd ſi tamen blaſphemia non proceſſerit ex deſperatiooe, vel ex odio Dei formali, ſed ex ira, vel tædio (etiamſi ſic blaſphemans haberet animum derogandi bonitati, vel maieſtati Diuinæ, & inferendi ei conuitia illa) quamvis ſit blaſphemia grauior, non tamen erit blaſphemia ſpecie diuerſa; quia (ſicuti dicebam *citata ſect. 1. ſuppoſit. 3. ſect. 3. & ſect. 4. corollar. 4.*) hæc iniqua voluntas, ſiue formalis, & explicita, ſiue virtualis, & implicita, eſt de ratione blaſphemiæ: Ergo non conſtituet diuerſam ſpeciem blaſphemiæ. Vt omittam, quod explicitì, & implicitì eadem eſt virtus; & ſic non differunt ſpecie, iuxta ſententiam communem Doctorum.

6 Hinc ſequitur, quod (quantum ſpectat ad confeſſionem) non tenetur Confeſſor diuerſitatem blaſphemiarum inquirere, nec tenetur pœnitens eam explicare pro diuerſitate illarum ſpecifica: Cùm omnes blaſphemiæ (ſicuti dicebam) ſint eiuſdem ſpeciei; & cùm ex alio capite in ſententia (etiam forſan communiori, & probabiliori) non neceſſariò in Sacramento Confeſſionis ſint explicandæ circunſtantiæ aggrauantes notabiliter, ſed ſolùm circunſtantiæ mutantes ſpeciem: Quapropter amplectendo ſententiam iſtam dicentem, ſolas circunſtantias mutantes ſpeciem eſſe in Sacramento Confeſſionis neceſſariò explicandas, non eſt neceſſariò in dicto Sacramento Confeſſionis blaſphemiarum qualitas exprimenda extra illos caſus, quos iam ſuprà dicebam; ſed ſatis pœnitens fatetur, dicens ſe toties in blaſphemias noo hæreticales, nec ex deſperatione, vel ex formali odio Dei prorupiſſe; quia extra prædictos iſtos caſus blaſphemiæ non differunt ſpecie inter ſe. Vide quæ dicebam *cit. ſect. 1. ſuppoſit. 2. & ſect. 2. circa finem, & ſect. 7.*

Cæterùm quid dicendum, ſi quis blaſphemet Sanctos, vel B. Virginem Mariam ſine habitudine ad Deum, tam explicita, quàm implicita, ſicque præſcindendo ſcilicet a tali habitudine.

Reſpondetur: de hac re dixi ſuprà *ſect. 1. ſuppoſ. 3. & 4. & ſect. 4. corollario 14.*

SECTIO XVII.

An blaſphemiæ in Deum, vel in Sanctos excuſentur interdum à peccato mortali?

SVMMARIVM.

1 *Blaſphemia in Deum, vel in Sanctos non excuſantur interdum à peccato mortali ratione paruitatis materiæ, ſed tantùm ratione imperfectionis, ſeu indeliberationis actus, ideſt ratione plenæ deliberationis defectus.*

2 *Contumelia qualiſcunque in Deum, vel in Sanctos prolata notabilem deformitatem inuoluit, vt peccatum mortale cenſeatur.*

3 *Limita, ſi blaſphemia proferatur in Sanctos, non directè, vel formaliter, ſed indirectè, materialiter, & per accidens, quatenus ſunt quidam viri excellentes; tunc enim in blaſphemia Sanctorum habere poterit locum paruitas materiæ.*

4 *Plena rationis deliberatio non interuenit, quotieſcunque actus non eſt perfectus, ſed indeliberatio quadam, & ideò neque perfectum voluntarium.*

5 *Limita, blaſphemiam non eſſe mortalem ratione imperfectionis, ſeu indeliberationis actus, id eſt, ratione plenæ deliberationis defectus; ſed tantùm venialem, niſi quis blaſphemandi conſuetudinem habuerit, & eam deponere conatus non fuerit.*

6 *Auctoris ſententia habetur ſuperiùs, ſect. 1. &c.*

7 *Blaſphemandi, & periurandi conſuetudo æquiparantur quoad obligationem eam extirpandi, & inductionem peccati in conſuetudinario.*

RESpondetur negatiuè, ratione paruitatis materiæ; benè tamen ratione imperfectionis actus, ſeu indeliberationis actus, ideſt ratione plenæ deliberationis defectus, ſicut & periurium ſimiliter, licèt non admittat paruitatem materiæ; poteſt tamen ex plenæ deliberationis defectu eſſe veniale. S. Thomas *2. 2. quæſt. 13. art. 2. ad 3.* Caietanus *in ſumma, verb. Blaſphemia*, Nauarrus *in ſumma, cap. 12. n. 48.* Suarez *tom. 1. de relig. tract. 1. lib. 1. cap. 6. num. 2.* Bannez *2. 2. quæſt. 13. num. 2.* Aragonius *ibidem*, Ludouicus Lopez *1. part. inſtructionis, cap. 58. col. 5.* Valentia *2. 2. diſp. 1. quæſt. 13. punct. 2. notab. 3.* Petrus de Ledeſma *in ſumma, 2. tomo, tract. 1. cap. 9. poſt 7. concluſionem*, & alij communiter iuxta ea, quæ dicebam ſuprà *ſect. 8.* 1

Probatur prior pars, quia qualiſcumqoe contumelia in Deum, vel in Sanctos prolata notabilem deformitatem inuolvit, vt peccatum mortale cenſeatur: Quod adeò verum eſt (ait Nauarrus *loco ſuprà citato*) vt etiamſi ioco dicatur, adhuc mortale peccatum ſit; non enim, ſubdit ipſe, leuis iniuria eſt nominare, v.g. ioco membra pudenda Chriſti, vel Sanctorum, aut dicere: *Pœniteat illos, renego illos, malum contingat illis*, &c. 2

Limita, ſi tamen blaſphemia proferatur in Sanctos, non directè, & formaliter, ſed indirectè, materialiter, & per accidens, quatenus ſunt Sancti; directè tamen, & formaliter ſolùm quatenus ſunt quidam viri excellentes; quia tunc in blaſphemia Sanctorum habere poterit locum paruitas materiæ; ita vt blaſphemia in illos non ſit mortalis, ſed tantùm venialis: cùm tunc Sanctitas 3

in

in illis se habeat solùm indirectè, materialiter, & per accidens, vti dicebam (casu quo tamen adhuc aliquo modo, & materialiter blasphemia dicetur; quia propter coniunctam sanctitatem sunt Sancti, etiam in naturalibus, plus cæteris hominibus honorandi.) Vt si quis v. g. ioco dicat, Sanctum Crispinum fuisse sutorem, SS. Petrum & Andream fuisse piscatores, Sanctos Ioannem, & Paulum fratres fuisse Eunochos, &c. Videri poterunt præter alios Bannez, Aragonius, Ludouicus Lopez *locis suprà citatis*. Videri etiam poterunt quæ dicebam *citata sect. 1. supposito 2. & citat. sect. 4. corollar. 6. & 14. & sect. 8.*

4 Probatur posterior pars, quia quotiescumque actus non est perfectus, sed imperfectus, scilicet non interuenit plena rationis deliberatio, sed indeliberatio quædam, non est perfectum voluntarium, vt possit perfectam rationem peccati constituere, iuxta ea quæ dicebam suprà *sect. 2. corollar. 1. & 2. & sect. 9. &* docent S. Thomas 2. 2. *quæst. 6. & ibi* communiter Scholastici.

5 Limitant Ludouicus Lopez 1. *part. Instruct. c.* 182. *vers.* 8. ad alios modos, Toletus *lib. 4. cap. 13. num. 7.* Sà *verb. Blasphemia, n. 3.* & alij, vt ratione imperfectionis, seu indeliberationis actus, ideft ratione plenæ deliberationis defectus, blasphemia non sit mortalis, sed venialis, nisi quis blasphemandi consuetudinem habuerit, & talem prauam blasphemandi consuetudinem deponere conatus non fuerit; in tali enim casu (inquiunt ipsi) blasphemia, etiamsi ex subreptione processerit, mortalis erit; quia licèt non sit plenè volita in se, erit tamen plenè volita in causa (quemadmodum de peccatis ebrij priùs præuisis dici consueuit.) Secus autem est, si istam prauam consuetudinem non habuerit, vel si eam habens deponere conatus fuerit.

Quamvis dissentiant alij cum Nauarro *in summa, cap. 12. n. 84.* vbi ait, quod blasphemia ex subreptione procedens, etiamsi ex praua consuetudine, & lata culpa procedat, mortalis non sit, si scilicet indeliberatio sit causa blasphemiam proferendi, quia nimirum si illam proferens plenè aduertisset, non protulisset; & citat pro se Caietanum *in summa, verbo Blasphemia*, qui tamen reuera non loquitur de blasphemia, quæ simpliciter procedit ex indeliberatione, seu ex imperfectione actus; citat etiam pro se Syluestrum *verb. Blasphemia, quæst. 3.* qui tamen reuera dubius est, & potiùs inclinat in priorem sententiam, quam alij tanquam probabiliorem sequuntur, cum ea tamen limitatione, vt qui talem prauam blasphemandi consuetudinem habuerit, aduerterit priùs, dictam prauam consuetudinem esse sibi causam prorumpendi in blasphemius absque plena deliberatione actus, nec tamen eam prauam consuetudinem deponere curauerit.

At quid ego quoad hoc sentiam, videri poterit quid dicebam suprà *sect. 1. supposit. 1. corollar. 3. & sect. 2. corollar. 1. & 2. & sect. 9. per totam.*

Cæterùm, quod dixi de eo, qui habet consuetudinem prauam blasphemandi, idem dicas de eo, qui habet consuetudinem prauam periurandi, &c.

SECTIO XVIII.

An blasphemus à Confessario, nisi priùs ei graui pœnitentia arbitrio ipsius Confessarij ante absolutionem in foro conscientiæ imposita, absolui non possit?

SVMMARIVM.

1 *Blasphemus potest absolui à Confessario, etiamsi priùs ei grauis pœnitentia arbitrio ipsius Confessarij ante absolutionem in foro conscientiæ imposita non sit; quia decretum Concilij Lateranensis non est vsu receptum.*

Respondetur, quod (quamvis affirment Petrus de Ledesma *in summa, tom. 2. tract. 1. cap. 9. circa finem*, Ludouicus Lopez 1. *part. Instruct. cap. 5. paulò post principium*, Nauarrus *in summa, cap. 13. num. 83.* & alij, ex eo quia sic expressè decreuit Concilium Lateranense *sess. 9. §. ad abolendam*) dicendum tamen sit oppositum.

Probatur, quia huiusmodi decretum Concilij Lateranensis non est vsu receptum, & consequenter hodie non obligat. Armilla *verb. Blasphemia, circa finem*, Sà *eodem verbo, num. 2.* Azor. *tom. 1. Instit. moral. lib. 9. cap. 28. quæst. 9.* Suarez *tom. 4. in 3. partem, disp. 23. sect. 3. num. 10. & tom. 1. de relig. tract. 3. lib. 1. cap. 7. num. 1.* vbi subdit, & rectè, quod peccatum blasphemiæ neque sit reseruatum.

SECTIO XIX.

An qui habet prauam consuetudinem blasphemandi, vel periurandi, &c. absolui debeat?

SVMMARIVM.

1 *Blasphemandi, seu periurandi prauam consuetudinem habens, si nunquam in præcedentibus confessionibus fuit admonitus, vt illam prauam consuetudinem emendaret: vel si in aliis multis præcedentibus confessionibus fuit admonitus, & aliquam ad dictam prauam consuetudinem emendandam curam adhibuit, est absoluendus.*

2 *Blasphemandi, seu peierandi consuetudinem habens, si in aliis multis præcedentibus confessionibus fuit admonitus, & nullam ad dictam consuetudinem emendandam curam adhibuit, adhuc in rigore potest absolui, si de præsenti probabiliter dederit signa veri doloris de præteritis, & probabiliter etiam veri, seu firmi propositi de futuro.*

3 *In casu dicta prauæ consuetudinis differre, vel non differre absolutionem pœnitenti remittitur arbitrio Confessarij, hoc est eius prudentia.*

4 *Blasphemandi, seu peierandi habens prauam consuetudinem potest absolui, si verè de peccatis doleat, & firmum cum diuino auxilio non amplius in posterum peccandi propositum habeat.*

5 *Interdum tamen, prout prudens Confessarius indicauerit, consilium erit, absolutionem differre, quando scilicet pœnitens non notabiliter id ægrè ferret.*

6 *Interdum etiam necessariò differri debet absolutio, quando scilicet esset publicum scandalum, si pœnitens statim priusquam tali scandalo satisfaceret, absolueretur.*

7 *Rustici tempore Paschatis, qui in maledictiones, seu blasphemias incidere solent, absoluuntur passim à piis, & doctis Confessariis.*

8 *Vagantes continuè per ciuitatem, qui assidui sunt in desideriis, & delectationibus morosis, cùm accedunt ad Confessarios, si verè de peccatis doleant, & firmiter non amplius in futuro cum diuino auxilio peccare proponant, passim etiam absoluuntur.*

9 *Pœnitenti, qui sæpè proposuit abstinere à maledictionibus, seu blasphemiis, vel periuriis, & tamen in talem prauam consuetudinem adhuc non extirpauit,*

tirpauit, debet Confessarius imponere pœnitentiam, quæ possit prodesse ad prædictam prauam consuetudinem extirpandam.

10 *Pœnitens non videtur teneri ad acceptandum huiusmodi pœnitentias, quia id nullo iure habetur, licèt benè faceret acceptando.*

1 QVidam, vt Rodrig. *tom. 1. Sum. cap. 34. num. 5. & cap. 292. n. 11.* Ludouic. Lopez *part. 1. Instruct. cap. 282. vers. Sed quid si blasphemus*, Manuel *in Summa, tom. 1. cap. 34. n. 5. & cap. 192. n. 11.* Medina *lib. 1. cap. 14. §. 1.* Petrus de Ledesma *tom. 2. tract. 1. cap. 9. circa finem*, & alij tenent, quod si iste talia in aliis multis præcedentibus confessionibus emendam proposuerit, & tamen emendatus adhuc non fuerit, non debeat statim absolui, sed debeat donec emendetur, absolutione priuari.

Quod nonnulli cum Azorio *tom. 1. Instit. Moral. lib. 9. cap. 28. q. 18.* temperant, nisi de præsenti signa certæ detestationis illius criminis apertè dederit, & in aliud tempus commodè absolutio differri non possit, Temperant alij, nisi alioquin in aliis multis præcedentibus Confessionibus admonitus aliquam ad eam prauam consuetudinem emendandam curam adhibuerit. In quo casu, inquiunt ipsi, statim absolui debet. Secus si in aliis multis præcedentibus Confessionibus admonitus nullam ad dictam prauam consuetudinem extirpandam curam adhibuerit; quia tunc, subdunt ipsi, non statim absolui debet, nisi aliunde iusta causa subsit ad concedendam ei statim absolutionem. Sic etiam idem Azorius *cit. tom. 1. lib. 11. c. 3. q. 4.* loquendo de eo, qui habet prauam consuetudinem periurandi. Quapropter

Respondetur, & dico Primò: Qui prauam consuetudinem blasphemandi, vel periurandi habet, si nunquam in præcedentibus confessionibus fuit admonitus, vt illam prauam consuetudinem emendaret, vel si in aliis multis præcedentibus confessionibus fuit admonitus, & aliquam ad dictam prauam consuetudinem emendandam curam adhibuit, in vtroque casu debet statim absolui; quia si nunquam fuit admonitus, non est in tanta culpa; si autem fuit admonitus, & aliquam ad prauam illam consuetudinem emendandam curam adhibuit, iam ex parte sua aliquid præstitit. Et ex alio capite si absolutio ei differatur, forsitan à Confessionibus deterritus abstinebit, & sic in peius ruet.

2 Dico Secundò: Si in aliis multis præcedentibus confessionibus fuit admonitus, & nullam ad dictam prauam consuetudinem emendandam curam adhibuit, adhuc in rigore potest absolui, si de præsenti probabiliter dederit signa veri doloris de præteritis, & probabiliter etiam dederit signa veri, seu firmi propositi de emenda in futurum; quia nullam occasionem extrinsecam habet, vt vel sic necessariò absolutione priuetur, sed solùm ex fragilitate labitur in istas blasphemias, sicut & in alia vitia.

Confirmatur, qui de iisdem peccatis venialibus sæpè sæpius confiteri consueuit, si hic & nunc de præsenti signa veri doloris de præteritis, & signa veri, seu firmi propositi de abstinendo in futurum probabiliter dederit, passim statim absoluitur. Ergo sic, &c.

3 An autem sit saltem consilium in tali casu ei absolutionem differre?

Respondetur, pendere hoc ex prudentia Confessarij. Quia si Pœnitens id non multùm ægrè ferat, & speretur, quod ob id à confessionibus non retrahatur, sed potiùs quod ad medicinam totum recipiat, erit consilium ei differre absolutionem; si verò timeatur oppositum, non erit consilium, nisi casu quo ille blasphemiis, vel periuriis publicis scandalum præbuerit. Ita vt Confessarius hîc & nunc prudenter iudicet postponendum esse priuatum Pœnitentis solatium gloriæ Dei; cùm in tali casu ad gloriam Dei expediat, quod is non absoluatur, nisi priùs vitæ prioris emendam procurando scandalo publico satisfactionem dederit.

Ex his igitur, qui prauam habet maledicendi, seu blasphemandi, vel periurandi consuetudinem, potest absolui, si verè de peccatis doleat, & firmum cum diuino auxilio non ampliùs in posterum peccandi propositum habeat, sicuti contingit in cæteris omnibus peccatis. Præsertim quando si non absolueretur, à confessionibus retraheretur, vel desperaret, vel in deterius laberetur. Præsertim etiam, quando aliquid studij adhibuit in prædicta praua consuetudine extirpanda; non enim tenetur Confessarius iudicare certò futurum, quod pœnitens non ampliùs in peccata sit relapsurus. DD. quos sequitur Suar. *tom. 2. de Relig. tract. de Iurament. lib. 3. c. 8. circa finem.* 4

Interdum tamen, prout prudens Confessarius iudicauerit, consilium erit absolutionem differre, quando scilicet Pœnitens non notabiliter id ægrè ferret; nec dubitatur, quod is sit retrahendus à confessionibus, vel desperaturus, vel in deterius relapsurus ob dilatam absolutionem. Sayr. *in claui regia, lib. 5. c. 5. n. 8.* & alij, quos sequitur Suar. *loco suprà citato.* 5

Interdum etiam necessariò differri debet absolutio, quando scilicet esset publicum scandalum, si Pœnitens statim, priusquam tali scandalo satisfaceret, absolueretur; quia tunc vrget præceptum de differenda absolutione, quamuis Pœnitens id notabiliter ægrè ferret: ordinariè tamen in rigore absolui potest, ob rationem iam dictam. 6

Et quidem tempore Paschatis Rustici, qui in maledictiones seu blasphemias incidere solent, absoluuntur passim à piis, & doctis Confessariis, & rarò differtur illis absolutio, alioquin complures ex ipsis prædicto tempore Paschatis absolutionem Sacramentalem non reciperent, quibus tamen imponitur grauis, magna etiam præcedente admonitione, pœnitentia, vt à tam enormi peccato se abstineant. 7

Similiter & Iuuenes, qui continuè per Ciuitatem vagantes, assidui sunt in desideriis, & delectationibus morosis, cùm accedant ad Confessarios, si verè de peccatis doleant, & firmiter non ampliùs in futurum cum diuino auxilio peccare proponant, passim etiam absoluuntur: Ergo sententia Aduersariorum, quod habenti prauam consuetudinem maledicendi, seu blasphemandi, vel periurandi, &c. ordinariè absolutio differri debeat, non videtur, quod seruetur in Praxi, sed potiùs seruatur nostra, quam iam suprà dicebam. Cùm quidem in rigore satis sit, quod iste verè doleat de peccatis, & efficaciter proponat cũ auxilio Dei nõ ampliùs peccare. 8

Aduerte tamen, quod ei qui sæpè proposuit abstinere à maledictionibus, seu blasphemiis, vel periuriis, &c. & tamen is talem prauam consuetudinem adhuc non extirpauit, debeat Confessarius imponere pœnitentiam, quæ possit illi prodesse ad prædictam prauam consuetudinem extirpandam, v. g. quod singulis mensibus confiteatur; quod quotiescumque blasphemauerit, vel periurauerit, &c. aliquas orationes recitet, vel aliquas eleemosynas elargiatur. Et tenetur Pœnitens prædictas pœnitentias acceptare. DD. quos sequitur Sayr. *tom. 2. de relig. tract. de Iuram. lib. 3. c. 8.* 9

Quamuis probabiliùs mihi videatur, quod non teneatur eas acceptare, sed possit, licèt optimè faceret si acceptaret, petere à Confessario, ne tales pœnitentiæ ipsi imponantur. 10

Et quidem quod in rigore loquendo non teneatur eas acceptare, docet Sot. *de Iuram. abusu, c. 27.* quia quod habens prauam consuetudinem blasphemandi, vel periurandi, &c. prædictas pœnitentias acceptare teneatur, nullibi iure habetur. Tum quia non tenetur eas acceptare, si talia peccata commiserit, & in ea sæpè fuerit relapsus: Ergo neque tenebitur in casu nostro, cùm vtrobique sit eadem ratio.

SECTIO XX.

An audiens blaſphemantem, teneatur (ſi tamen abſque ſuo periculo poſſit) eum grauiter obiurgare, etiamſi nulla emenda ſperetur?

SVMMARIVM.

1 *Audiens blaſphemantem ex diſpoſitione Concilij Lateranenſis* ſeſſ. 9. §. Ad abolenda, *licet teneatur, ſi tamen abſque ſuo periculo poſſit, eum obiurgare grauiter, etiamſi nulla ſperetur emendatio; at quia Decretum dicti Concilij non eſt vſu receptum, probabilius eſt oppoſitum.*

2 *Concilium Lateranenſe præcipiendo grauem obiurgationem, voluit condere ius nouum, cum regulariter non grauis, ſed ſuauis, & fraterna quædam admonitio adhibenda ſit.*

3 *Audiens blaſphemantem ex præcepto Concilij Lateranenſis non tenetur eum corrigere, neque tenetur conſequenter eum grauiter obiurgare, etiamſi nulla ſperetur emendatio.*

4 *Audiens aliquem in Deum blaſphemias proferentem, tenetur ex præcepto dilectionis Dei illum obiurgare, ac diuinum honorem defendere, in caſu, quo eſſet periculum, ne diuinus honor, ſi non reſponderetur pro eo, detrimentum aliquod pateretur.*

5 *Audiens proferentem blaſphemias, ſecundum tradita per Bannez tenetur eum obiurgare, non ex præcepto dilectionis Dei, ſed potiùs ex præcepto Religionis. At vide quidnam ſit probabilius.*

1 RESpondetur, qood quamvis affirment Petrus de Ledeſma *in ſumma, tom. 2. tract. 1. cap. 9. circa finem,* Graff. *part. 1. deciſ. lib. 2. cap. 19. num. 16.* Nauarrus *cap. 12. n. 83.* Ludou. Lopez 1. *p. Inſtruct. cap. 51. paulò poſt principium,* & alij, ex eo quia Concilium Lateranenſe *ſeſſ. 9. §. Ad abolenda,* id præcipere videtur, ibi: [Quicumque blaſphemantem audierint, eum acriter verbis obiurgare teneantur, ſi citra periculom ſuum id fieri poſſe coutingat:] Probabiliùs tamen negent alij, quos ſequitur Azor. *tom. 1. Inſtit. moral. lib. 9. cap. 28. q. 7.* & Sayr. *in claui Regia, lib. 6. cap. 13. num. 18.*

Probatur, quia licèt prædictum Concilium Lateranenſe tale ius nouum, non ſpectando blaſphemantis emendam, ſed potius delicti pœnam, vt ſcilicet illa obiurgatio ſit in pœnam talis delicti, condere potuerit, ouo tamen conſtat ex ipſius Coocilij verbis, quod tale ius nouum pœnale condere voloerit: Ergo, ne præcepta, & pœnæ ſine cogenti fundamento multiplicentur, dici potiùs debebit, quod ſolùm voluerit Concilium in memoriam audientis renouare præceptum naturale, & diuinum correctionis fraternæ, quod præceptum certum eſt oon obligare, niſi emenda ſperetur.

2 Secundò probatur melius; qoia eſto Concilium Lateranenſe tale ius nouum condere voluerit, quod mihi probabilius videtur, quia id ſatis indicant ea verba ipſius Concilij, *acriter obiurgare teneantur;* cum fraternè corrigere, ad quod præceptum naturale, & diuinum obligat, non ſit acris obiurgatio, ſed potiùs ſuauis, & fraterna quædam admonitio: quapropter verè Concilium in hac acri obiurgatione non tam attendit ad blaſphemantis emendam, quàm ad quandam delicti pœnam, & ad tuendum per illam acram obiurgationem honorem diuinum, qui per blaſphemiam detrimentum patitur; oon tamen dictum Concilium quoad hoc eſt eſt vſu receptum, ſicut nec quoad pœnitentiam grauem ante abſolutionem in foro conſcientiæ imponendam (vti dicebam ſuprà *ſect. 9.*) ſicque nec quoad hoc hodie obligat idem Concilium.

Ex dictis ſequitur, quod cùm aodiens blaſphemantem, non teneatur eum corrigere ex præcepto Concilij Lateranenſis; & ſic non teneatur eum obiurgare grauiter, etiamſi nulla emenda ſperetur, iuxta præceptum dicti Concilij, teneatur ſolùm corrigere ex præcepto naturali, & diuino; & ſic teneatur eum admonere ſolùm ſuauiter & fraternè, idque ſolùm quando ſperatur emenda, iuxta dictum præceptum naturale, & diuinum. 3

Cæterùm, cùm quis audit aliquem in Deum blaſphemias proferentem, Nauarrus *in ſumma, c. 11. n. 10.* Sotus *de iuſt. lib. 2. q. 3. art. 10. col. 6. verſ. hoc tamen, & lib. 1. de natura & gratia, c. 22. caſ. 2.* Valent. 2. 2. *diſp. 3. q. 19. punct. 1. caſ. 6.* & alij putant, quod teneatur ex præcepto dilectionis Dei illum obiurgare, ſicque diuinum honorem defendere: quod intellige in caſu, quo eſſet periculum, ne diuinus honor, ſi non reſpooderetur pro eo, detrimentum aliquod pateretur, quia tunc abſque dubio obligatur audiens, quamvis non ſperaretur, quod blaſphemos emendaretur, ad talem obiurgationem faciendam. Cùm tunc non tam obliget præceptum correctionis fraternæ, quæ tunc tantùm obligat, quando ſpes eſt emendationis, quàm præceptom dilectionis Dei, vel alterius virtutis, quod obligat fideles ad diuioom honorem, quando eſt periculum, ne detrimentum patiatur, defendendum. Cùm igitur ob blaſphemiam diuinus honor periclitatur, tunc ad eum defendendum tenemur obiurgare blaſphemantem, & pro diuino honore reſpondere, quamvis nulla ſperaretur emenda blaſphemantis. DD. *in locis ſuprà citatis,* iuxta quæ S. Chryſoſt. *homil. 1. & 5. ad populum,* ait quod ſcilicet quilibet, etiam priuatus, debeat acriter obiurgare blaſphemantem, & colapho impacto hanc Dei iniuriam vlciſci. 4

Quamvis alij cum Baonez 2. 2. *q. 44. art. 1. dubit. 2.* probabiliùs arbitrarentur, quod in dicto caſu aodiens in Deum blaſphemias proferentem, teneatur illum obiurgare, non ex præcepto dilectionis Dei, ſed potiùs ex præcepto Religionis, quia ſicut ad Religionem pertinet Deo honorem deferre, ſic etiam ad eandem Religionem pertinebit, cùm neceſſitas occurrerit, illum defendere: Ergo ſi opus fuerit blaſphemantem obiurgare, quia alioquin periculom eſt, ne diuinus honor detrimentum aliquod patiatur, tunc ex præcepto Religionis tenebimur illum obiurgare: Quod præceptum impleri poteſt etiam io peccato mortali; quia qui audit alterum blaſphemantem, quamvis ipſe ſit in peccato mortali, debet tamen illum obiurgare, nec tenetur priùs à ſe) niſi forſan eſſet alioquin ſcandalum) ad hoc præceptum implendum, peccatum mortale repellere, ſeo expugnare. 5

At ſi ex præceptu charitatis teneremur in dicto caſu blaſphemantem obiurgare, ſicuti volebat prior ſententia Doctorum, tunc neceſſe eſt, quod talis obiurgatio procedat ex interno actu charitatis, & dilectionis Dei, prout naturæ viribus nobis eſt cognitus, Nauarrus *in ſumma, c. 11. n. 10.* & Valentia 2. 2. *diſp. 3. q. 19. punct. 1. caſ. 6.* ſicque ſecundùm hanc ſententiam etiam præceptum de reprehendendo blaſphemante ad defendendum diuinom honorem, impleri adhuc poterit in peccato mortali: Quod etiam aſſerit Sotus *locis ſuprà citatis,* licèt ipſe ſentiat, quod fideles non teneantur ad diuinum honorem defendendum ex actu dilectionis interno; quia præceptum dilectionis Dei ſolùm obligat ad illam externam defenſionem honoris diuini, nec neceſſe eſt, quod talis externa defenſio procedat ex actu interno dilectionis Dei, quod eſt etiam ſatis probabile.

SECTIO

S E C T I O X X I.

An audiens blaſphemantem teneatur ſaltem illum Iudici denunciare ?

S V M M A R I V M.

1 *Audiens blaſphemantem tenetur eum denunciare ex precepto Concily Lateranenſis, & ex aliis Pontificum Decretis, qua ibi recenſentur, nempe Pij I. & Iulij III.*

2 *Blaſpemi hareticales ſunt denunciandi ſolis Inquiſitoribus, qui ſolùm de iis blaſphemiis cognoſcunt.*

3 *Blaſphemi non hareticales denunciandi ſunt Iudici Eccleſiaſtico, vel ſaculari; quia de iis blaſphemiis y ſolùm cognoſcunt.*

4 *Iudicum Eccleſiaſticorum Edicta pracipientia, ſibi blaſphemos denunciari, non impediunt denunciationem fieri alteri Iudici, qui poteſt cognoſcere de talibus blaſphemiis.*

5 *Blaſphemi, quamvis blaſpemias ſub conditione protulerint, denunciandi ſunt; quia & tales ſunt verè blaſphemi.*

6 *Blaſphemi denunciandi ſunt etiamſi non expreſsè Deum, vel Sanctos nominauerint, quando ſaltem ex coniecturis apertè colligitur, quod animus blaſphemantis fuerit intelligere Deum per quodcumque aliud.*

7 *Blaſphemia licèt ſit ſecreta, & ſperetur emendatio, nihilominùs eſt denuncianda ob periculum magnum, & ob haretici difficilem correctionem, etiam non pramiſſa correctione fraterna, contra plures oppoſitum tenentes.*

8 *Edicta, ſeu decreta, de quibus ſuprà dictum fuit, intelligi debent ſecundùm ordinem Euangelii.*

9 *Suſpecti quomodocumque de hareſi, etiam de leui, ex decreto ſanctiſſimi Domini noſtri Alexandri VII. ſunt denunciandi Inquiſitoribus, ſiue locorum Ordinariis.*

10 *Blaſpemia, quando eſt publica, poteſt blaſphemus denunciari Iudici, non ſolùm poſt pramiſſam fraternam correctionem, ſed etiam antea, quinimò etiam emendatione ſecuta.*

11 *Blaſphemus ſi in foro exteriori fuerit abſolutus, non tamen à Iudice Eccleſiaſtico condignè punitus, poteſt apud Iudicem ſacularem accuſari, & ab eodem Iudice ſaculari iterum puniri, cùm crimen ſimplicis blaſphemia ſit mixti fori.*

12 *Textus* in cap. de his, de accuſationibus; *intelligi debet quando reus à Iudice Eccleſiaſtico condignas iuxta grauitatem delicti pœnas perpeſſus eſt.*

13 *Reus criminis mixti fori, ſi priùs à Iudice ſaculari punitus fuit, non poteſt poſtea regulariter à Iudice Eccleſiaſtico puniri; quia pœna, quam infligunt Iudices ſaculares, Ordinariè ſolet eſſe competens delicto commiſſo.*

1 RESpondetur affirmatiuè, quia ſic præcipit Concilium Lateranenſe *loco ſuprà citato*, ibi: [*Eum denique deferre, vel notificare apud iudicem Eccleſiaſticum, ſeu ſacularem intra triduum debeant, quod ſi plures dictum blaſphemantem ſimul audierint, ſinguli eum accuſare teneantur, niſi fortè omnes conuenerint, vt vnus pro cunctis tali officio fungatur.*] Tum quia Pius I. *in cap. ſi quis per capillum*, 22. *quaſt.* 1. conſtituit, diuina condemnatione coërcendum non denunciantem. Tum quia Iulius III. in conſtitutione, quæ incipit, *In multis*, impetat vt audiens intra triduum denunciet, alioquin incurrat eaſdem pœnas, quas incurrit blaſphemus. Tum tandem, quia Inquiſitores quotannis in ſuis Edictis, & Epiſcopi in ſuis iubent ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ blaſphemum denunciari.

2 Hinc ſequitur, quod blaſphemi hæteticales ſint denunciandi ſolis inquiſitoribus, quia de huiuſmodi blaſphemiis cognoſcunt ſolùm Inquiſitores, vti dicebam ſuprà *ſect.* 15.

3 Sequitur 2. quod blaſphemi non hæreticales ſint denunciandi Iudici Eccleſiaſtico, vel ſæculari; quia de huiuſmodi aliis blaſphemis cognoſcunt ſolùm Iudex Eccleſiaſticus, vel ſæcularis, vti dicebam *eadem ſect.*

4 Aduerte tamen, quod Edicta Iudicum Eccleſiaſticorum præcipientia ſibi blaſphemos denunciari, non impediant deounciationem fieri alteri Iudici, qui poteſt cognoſcere de talibus blaſphemiis, cùm non minuant alterius competentis Iudicis iuriſdictionem, ſed ſolùm intendant, quod blaſphemi denuncientur, ne remaneant impuniti.

5 Aduerte 2. quod denunciandi ſint blaſphemi, quamvis blaſphemias ſub conditione protulerint; quia & tales blaſphemi ſunt verè blaſphemi, ſicuti dicebam *ſect.* 4. *corollar.* 12. & tenent Rojas *de haret.* 2. *parte*, *aſſertion.* 12. *num.* 173. Cantera, & alij, quos ſequitur Azeuedo *lib.* 8. *recepil. titul.* 4. *lib.* 1. *num.* 14.

6 Aduerte 3. quod & denunciandi ſint blaſphemi, etiamſi non expreſsè Deum, vel ſanctos nominauerint (vt ſi dixerint, *à diſpetto del tale, renego il tale, malum contingat al tale*, &c.) quando ſaltem ex coniecturis apertè colligitur, quod animus blaſphemantis fuerit per ly *del tale, il tale*, aut *al tale*, intelligere Deum, vel aliquem Saoctum, ſicuti dicebam *cit. corollar.* 12.

7 An autem quando blaſphemia eſt ſecreta, & ſpetatur, quod blaſphemus fraternè correctus emendetur, ſit præmittenda correctio fraterna?

Reſpondetur, quod quamvis nonnulli, quos ſequitur Azorius *lib.* 9. *Inſtit. moral. cap.* 28. *q.* 8. negent: quia talis denunciatio, ſicut & denunciatio de hæreſi, non præcipiatur ad criminis emendam, ſed ad criminis pœnam, ſeù punitionem; probabiliùs tamen affirment Manuël *in ſumma, tom.* 1. *cap.* 34. *num.* 6. Ludouic. Lopez 1. *part. Inſtruct. cap.* 182. *circa finem*, & Medina *lib.* 1. *ſumma, cap.* 14. §. 2.

Probatur, quia quod dicebant nonnulli cum Azorio, eſt ſpeciale in crimine hæreſis, vt ob eius periculum magnum, & ob hæretici correctionem difficilem, ſit ſtatim, nulla præmiſſa correctione fraterna, denunciandum; quod in caſu noſtro de blaſphemia locum non habet: Ergo.

8 Hinc ſequitur, quod Edicta ſeu Decreta, de quibus ſuprà dicebam, intelligi debeant ſeruato ordine Euangelico, ſcilicet quod ſi blaſphemia ſit publica, vel ſi ſecreta, non ſperetur, quod correctio fraterna proſit, ſtatim blaſphemia, correctione fraterna omiſſa, denuncietur: ſit verò blaſphemia ſit occulta, & ſperetur, quod correctio fraterna proſit, correctio fraterna præmittatur, & non ſtatim blaſphemia denuncietur.

9 Cæterùm quoad hanc materiam de correctione, vel denunciatione facienda; vide quæ dicebam ſuprà *dubit.* 15. *vſque ad* 25. *& dub.* 203. *ſect.* 2. vide quæ dicam infrà *dub. vlt. ſect.* 13. vide etiam Alexandri VII. Decretum anno 1660. menſe Auguſto, poſtquam hæc ſcripſeram, editum, in quo diſtrictè mandatur, vt tam hæreticus, quàm de hæreſi quomodocumque, vel leuiſſimè ſuſpectus, locorum Ordinariis, vel Inquiſitoribus omninò denuncietur.

10 Aduerte quartò, quod quando blaſphemia eſt publica, poſſit blaſphemus denunciari Iudici,

non solùm post factam fraternam correctionem, sed etiam antea, quinimò etiam emendatione secuta. Couarruuias *lib. 2. variarum, cap. 10. n. 3.* Sayr. *in claui regia, lib. 6. cap. 13. n. 18.* & alij, quos sequitur Azor. *tom. 1. lib. 9. cap. 28. quæst. 8.* & 13. quia denunciatio iudicialis non tam refertur ad emendationem eius, qui peccauit, quàm ad publica delicta pœnis debitis punienda. Imò si publicus blasphemus in foro pœnitentiæ fuerit absolutus, adhuc poterit in foro exteriori publicè puniri. Couarruuias, & Saytus *ubi suprà*, & Azor. *citata quæst. 13.*

11 Aduerte 5. quod si blasphemus in foro exteriori fuerit absolutus, non tamen à Iudice Ecclesiastico condignè punitus, possit apud Iudicem sæcularem accusari, & ab eodem Iudice sæculari iterum puniri; cùm crimen blasphemiæ (scilicet simplicis, sed non hæreticalis) sit mixti fori; ita tamen vt hæc secunda punitio sit mitior, & condigna, habita ratione pœnæ à Iudice Ecclesiastico priùs inflictæ. Couarruuias *lib. 2. variar. cap. 10. num. 6. vers. 11.* Salzedo *in Diaz cap. 110.* & alij, quos sequitur Azor. *tom. 1. lib. 9. cap. 28. quæst. 14.*

Et in vniuersum, quotiescumque reus non est à Iudice Ecclesiastico condignè punitus, poterit à Iudice sæculari in supplementum puniri, si reus sit laicus, & crimen sit mixti fori. Abbas *in cap. 1. de officio Ordinarij circa finem*, Felinus *in cap. Quod olim, de Iudæis in fine*, Clarus *in §. finali, q. 75. vers. penultimo*, Gomez *lib. 3. variar. cap. 1. num. 40.* & Maranta *in pract. part. 4. tit. An sit iudicium ciuile, n. 27.* Et patet ex Textu *in cap. felicis, circa finem, de pœnis, & in cap. 2. de maledicis.*

12 Non obstat, si dicas: *in cap. de his, de accusat.* dicitur, non posse accusationem replicari, de quibus absolutus est ille, qui fuit accusatus: ergo punitus à Iudice Ecclesiastico non poterit apud Iudicem sæcularem accusari, neque ab illo puniri.

Respondetur enim: Nego consequentiam, quia Textus ille intelligi debet, quando reus à Iudice Ecclesiastico condignas iuxta grauitatem delicti pœnas perpessus est.

13 Aduerte 6. quod quando reus criminis mixti fori priùs à Iudice sæculari punitus fuit, non possit posteà regulariter à Iudice Ecclesiastico puniri. Iul. Clar. & Gomez *locis suprà citatis*; quia pœna, quam infligunt Iudices sæculares, ordinariè solet esse competens delicto commisso. Quod si verò talis pœna esset leuior ea (quæ imponeretur à Iudice Ecclesiastico) ita vt non reputaretur competens pœna, posset in tali casu puniri similiter à Iudice Ecclesiastico. DD. quos sequitur Iul. Clar. *ubi suprà*: Quod tamen intellige, si pœna, quæ imponeretur à Iudice Ecclesiastico, esset corporalis, vel pecuniaria; quia excommunicatio, licèt sit pœna grauissima, non tamen in his casibus computatur inter pœnas graues; cùm ipsa potiùs sit pœna medicinalis, quàm afflictiua, *cap. 1. de sent. excommunic. in 6.*

SECTIO XXII.

Quænam pœnæ contra blasphemum impositæ sint in foro exteriori?

SVMMARIVM.

1 *Blasphemus in lege veteri præcipitur lapidari*, ex Leuit. cap. 24.
2 *Blasphemus in iure ciuili præcipitur puniri pœna mortis.*
3 *Blasphemia propter delictum, & fames, & terræ motus, & pestes eueniunt*, vt in Auth. citata.
4 *Qua intelligitur de iis, qui ex consuetudine blasphemant.*
5 *Pœna prædicta iam abiit in desuetudinem.*
6 *Blasphemus in iure canonico puniri præcipitur grauissimis pœnis, & quidem si sit Clericus, est deponendus.*
7 *Textus* in cap. si quis per capillum, 27. q. 1. *extensus postea fuit ad pœnam mortis.*
8 *Textus* in cap. statuimus, de maleficis, *in quo præcipitur, quod blasphemus septem diebus Dominicis pro foribus Ecclesiæ palam, dum aguntur Missarum solemnia, existat, &c. non intelligitur de Clericis, sed de laicis.*
9 *Item neque intelligitur de omnibus laicis, sed de solis illis, qui ex consuetudine, & sine emendationis spe maledictiones in Deum proferunt.*
10 *Item pœna prædicta, tam in laicos, quàm in Clericos imposita tam abiit in desuetudinem.*
11 *Blasphemans ex consuetudine in omnium sententia grauiùs, quàm alij, puniri debet.*
12 *Blasphemandi consuetudinem ad hoc, vt quis habere dicatur, non sufficit, quod semel, aut bis blasphemauerit, sed requiritur, quod sæpè id fecerit; quamuis in aliis delictis ex duplici actu ordinariè inducatur consuetudo delinquendi.*
13 *Dæmoniaci, energumeni, & laborantes morbo caduco, si frequenter cadant, non possunt in Ordinibus ministrare.*
14 *Item Clerici exercentes vitium contra naturam debent deponi, & dicuntur dictum vitium exercere, si bis illud committant.*
15 *Clericus blasphemus in Concilio Lateranensi præcipitur priuari beneficiis, dignitatibus, & reddi inhabilis ad ea in posterum obtinenda; seruatis tamen terminis pro qualitate, & quantitate contumaciæ, seu delicti.*
16 *Laici verò secundùm Abbatem* in cap. cùm non ab homine, de iudic. *puniuntur pœna pecuniaria, damnantur ad triremes, vel ad perpetuos carceres.*
17 *Iudices qui blasphemos non puniunt, pœnis grauibus plectuntur.*
18 *Audientes aliquem blasphemare*, ex dicto cap. *tenentur eum grauiter obiurgare, & ad iudicem sæcularem, vel Ecclesiasticum infrà triduum deferre.*
19 *Blasphemus item habetur infamis, & inhabilis, &c. ex constitutione Iulij III. quæ incipit*: In multis.
20 *Limita, si tamen de hoc crimine fuerit condemnatus.*
21 *Iura canonica circa hoc non sunt hodie vsu recepta.*
22 *Blasphemus in istis nostris partibus hodie nullibi morte mulctatur, sed ad summum ad triremes condemnatur, vel pœna pecuniaria punitur, vel ante fores Ecclesiæ matricis sistitur.*
23 *Consuetudo loci in illis locis, vbi est, licèt sit pessima, excusat tamen vicumque, ne blasphemus puniatur pœnis iure ciuili, vel canonico, vel municipali statutis, secundùm aliquos Doctores. Contrarium tamen est probabilius, ex eo quia consuetudo in iis, quæ ex sua natura sunt mala, & illicita, nullo modo excusat.*
24 *Blasphemus ex ira, vel ex aliqua alia passione mitiùs solet puniri.*
25 *Pœnæ graues contra blasphemum in diuersis locis imponuntur, prout in Gallia, & in Hispania.*
26 *Item etiam à Saracenis contra blasphemos graues pœnæ fuerunt impositæ.*

Respondetur, & dico Primò: in lege veteri præcipitur, quod blasphemus lapidetur. Patet ex *Leuit.*

*Leuit. cap.*24. vbi etiam legitur, quod quidam homo præcepto Domini fuerit lapidatus, & quod nomen Domini blasphemauerit.

2 Dico 2. In iure ciuili præcipitur, quod blasphemus puniatur pœna mortis. Patet *ex Auth. vt non luxurientur homines contra naturam*, vbi id expressè habetur, & docet *ibidem* Glossa *verb. vltimis supplicijs, & in cap. finali, de Clerico maledico, & in cap. si quis per capillum*, 22. q. 1. Angel. *de malefic. verb. iniuriosa, num.* 14. Clarus in §. *blasphemia, vers. sed quaro*, Couarruuias *de pact. part.* 2. §. 7. *n.* 10. Boërius *decis.* 301. *num.* 10. Decian. *in tract. crimin. tom.* 2. *lib.* 6. *c.* 6. *num.* 1. *& seqq.* Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *centur.* 4. *cap.* 375. *num.* 25. & alij, quos sequitur Bossius *tit. de Inquisit. num.* 136.

3 Vbi aduerte, in dicta Authentica dici, quod propter blasphemiæ delictum, & fames, & pestes eueniant.

4 Aduerte 2. dictam Authenticam intelligi de iis, qui ex consuetudine blasphemant. Alex. *lib.* 6. *consil.* 133. *num.* 7. Ananiss *in cap.* 2. *de maledic. col.* 8. Couarruuias *cit.* §. 7. *num.* 10. Boërius *vbi suprà, num.* 11. Menoch. *num.* 26. Albertinus *de agnoscend. assertion. q.* 6. *num.* 19. Saytus *in claui regia, lib.* 6. *cap.* 13. *n.* 12. Corrad. *in pract. tit. de iniuriis, n.* 25. & alij, quos sequitur Azor. *lib.* 9. *Institut. moral. cap.* 28. *tom.* 1. *quæst.* 6. Quia consuetudo peccandi facit, vt delictum sit grauius, & pœna grauiori puniatur, *l. Capitalium, §. solent, & §. Grassatores, ff. de pœnis, l.* 1. *ff. de iurepatron. l.* 3. *ff. de re militar. & l.* 5. *Cod. ad leg. Iul. de vi, &c.* Et tradunt communiter DD. quos sequitur Brun. *consil. criminal. diuers.* 115. *n.* 15. *&* 16. *tom.* 2. & Marsilius *singul.* 378.

5 Aduerte 3. hanc pœnam iam abiisse in desuetudinem, Lucas de Peña *in l. omnes Iudices, Cod. de Delatoribus, lib.* 1, *col.* 3. Iul. Cæsar *in verb. Blasphemia, num.* 3. Menochius, Saytus & Azor. *in locis suprà citatis.*

6 Dico 3. in iure canonico præcipitur, quod blasphemus puniatur grauissimis pœnis.

Et quidem *in cap. si quis per capillos*, 27. *q.* 1. (quod est Pij I.) dicitur, quod iurans per capillum Dei, vel aliter blasphemans, si in Ecclesiastico Ordine est,
7 deponitur; si laicus, anathematizatur. Vbi aduerte, quod *dictum cap. si quis per capillum*, extensum posteà fuerit ad pœnam mortis *in citata Authent. vt non luxurientur homines contra naturam.*

8 Et in *cap. statuimus, de maledic.* (quod est Gregorij IX.) præcipitur, quod blasphemus septem diebus Dominicis præ foribus Ecclesiæ palam, dum aguntur Missarum solemnia, existat, quod alere pauperes teneatur, quod certis diebus in pane & aqua ieiunet; vbi etiam contra eundem blasphemum aliæ pœnitentiæ complures imponuntur.

Aduerte tamen, quod *dictum cap. statuimus, non intelligatur de Clericis, sed de Laicis.* Abbas *ibi, num.* 8. Simanch. *tract. de hæretic. cap.* 8. *num.* 12. Sayr. *in claui regia, lib.* 6. *cap.* 13. *n.* 12. & alij, quos sequitur Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 28. *q.* 6. quia Clericis non imponi debet publica pœnitentia, *cap. ex pœnitentibus, distinct.* 50. quapropter si blasphemus fuerit Clericus, debet is ab ordine Ecclesiastico, & honore depelli, *cap. si quis per capillum*, 22. *q.* 1.

9 Aduerte 2. quod idem *cap. statuimus*, neque intelligatur de omnibus laicis, sed de solis illis, qui ex consuetudine, & sine emendationis spe maledictiones in Deum proferunt. Couarruuias *de pact. part.* 1. §. 7. *num.* 10. Bernard. Diaz *in pract. crimin. cap.* 103. Sayr. *in claui reg. lib.* 6. *cap.* 13. *n.* 14. & alij, quos sequitur Azor. *cit. q.* 6.

10 Aduerte 3. quod hæc pœna tam in Laicos, quàm in Clericos imposita iam abierit in desuetudinem. Lucas de Peña *in dicta l. omnes Iudices, C. de Delatoribus, lib.* 10. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *centur.* 4. *cas.* 375. *num.* 26. & alij, quos sequitur Azorius *citata quæstione* 6.

Aduerte 4. quod in sententia omnium is, qui ex 11
consuetudine blasphemat, grauiùs quàm alij puniri debeat. Alex. *lib.* 1. *consil.* 72. *num.* 8. Bernard. Diaz *in pract. crimin. cap.* 103. Decian. *in tract. crimin. tom.* 2. *lib.* 6. *c.* 3. *n.* 26. *& cap.* 5. *n.* 14. & nos dicebamus suprà *dicto præcedenti.*

Aduerte 5. quod ad hoc, vt quis dicatur habere 12
consuetudinem blasphemandi, non sufficiat, quod semel aut bis blasphemauerit, sed requiratur, quod sæpè id fecerit. Alexand. *citato libr.* 1. *consil.* 77. *n.* 8. Corrad. *in practic. criminal. n.* 35. Iason *in l.* 3. §. *Iurari, n.* 4. *ff. de iureiur.* Mascard. *de probat. lib.* 1. *concl.* 194. *n.* 1. Decian. *in tract. crimin. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 3. *n.* 26. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *centur.* 4. *cas.* 375. *n.* 31. Albert. *de agnoscend. assertionibus, q.* 6. *n.* 15. & alij passim.

Quamuis in aliis delictis in duplici actu ordinariè inducatur consuetudo delinquendi. Glossa *in cap. mos, distinct.* 1. *& in cap. Tua nos, & in cap. Bos, de pignorib.* Grammatic. *decis.* 48. *n.* 3. Cepolla *in Auth. sed nouo iure, n.* 91. *Cod. de seruis fugitiuis*, & Cephalus *cons.* 28. *num.* 12. quia quod bis fit, frequenter dicitur fieri, Authent. *de defens. ciu. ad finem, collat.* 3. *& cap. Monasteria, de vita, & honest. Clericor.* & docent Abbas *ibi, n.* 5. & cæteri Canonistæ.

Quapropter Dæmoniaci, energumeni, & laboran- 13
tes morbo caduco, si frequenter cadant, non possunt in Ordinibus ministrare, *cap. communiter, dist.* 33. *cap.* 1. *&* 7. Et dicuntur frequenter cadere, si bis cadant. Gloss. *in dicto cap. Monasteria*, quam sequuntur communiter Doctores.

Item Clerici, qui exercent vitium contra natu- 14
ram debent deponi, *cap. Clerici, de vita, & honestat. Clericor.* Et dicuntur dictum vitium exercere, si bis illud committant, *citato cap. Monasteria*; licèt Bartol. *in leg. iura, n.* 1. *ff. de legibus*, dicat quod fit semel, vel bis, rarò fieri.

Et in Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess.* 9. *in* §. 15
Ad abolendam (quod decretum à Leone X. in Concilio Lateranensi editum habetur etiam in Bullario *tom.* 1. *constit.* 7. *inter constitutiones Leonis X. n.* 23. *pag.* 477.) præcipitur, quod Clericus blasphemus priuetur beneficiis, dignitatibus, &c. & reddatur inhabilis ad ea in posterum obtinenda. Et quod pro prima vice perdat omnium beneficiorum fructus vnius anni: Pro altera vice priuetur vno, vel altero beneficio: Pro tertia vice priuetur omnibus beneficiis, & reddatur inhabilis ad alia consequenda, & retinenda. Et intelligitur pro prima vice punitionis, non autem pro prima vice blasphemiæ, Lopez ad Bernardum Diaz, *cap.* 30. *Addentes ad Quarantam in Bullario, verb. Blasphemia*, Graffius *lib.* 1. *de casib. reseruat. n.* 21. *& num.* 55. Et in simili Abbas *in cap. cùm non ab homine, n.* 28. *de Iudic.* vbi etiam præ- 16
cipitur, quod laici puniantur pœna pecuniaria, damnentur ad triremes, vel ad perpetuos carceres, &c.
Quodque Iudices, qui blasphemum non puniunt, 17
pœnis grauibus plectantur. Ibique etiam præcipitur,
quod omnes, qui audiunt aliquem blasphemantem, 18
teneantur illum grauiter obiurgare, & ad Iudicem sæcularem, vel Ecclesiasticum infrà triduum deferre. Quemadmodum & in *d. can. si quis per capillum*, 22. *quæst.* 1. prius statutum etiam fuerat, scilicet quod blasphemans apud Iudicem accusetur, vti suprà dicebatur.

Et in constitutione Iulij III. (quæ incipit, *In multis*, & refertur *tom.* 1. *in Bullario*, & est 3. in ordine 19
inter constitutiones dicti Pontificis) statuitur etiam, quod scientes aliquem blasphemum, teneantur illum intra triduum denunciare, subditque quod blasphemus habeatur infamis, & inhabilis ad quæcumque beneficia, honores, & dignitates, quodque non possit

esse testis in Iudicio, sed repellatur ex illo, tanquam infamis: quod tamen intellige, si semel de hoc crimine fuerit is condemnatus: Couarruuias *de pact. part.* 1. §. 7. *num.* 12. Saytus *in claui regia, lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 18. & alij, quos sequitur Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *c.* 28. *dubit.* 19.

Et in constitutione Pij V. quæ incipit: *Cum primùm Apostolatus*, & refertur *in Bullario, tom.* 2. *fol.* 179. Estque quinta in ordine inter constitutiones eiusdem Pontificis, renouantur decreta Concilij Lateranensis sub Leone X. præcipiturque, quod blasphemi tam Laici, quàm Clerici pœnis grauissimis afficiantur.

21 Vbi aduerte, quod prædicta iura canonica non sint hodie vsu recepta. Sayr. *in claui reg. lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 18. & Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 28. *dubit.* 6. Sed pœnæ, quæ exercentur hodie contra blasphemum, sunt Iudici arbitrariæ. Iason *in l.* 3. §. *iurari, num.* 14. *ff. de iureiur.* Ostiensis *in summa, tit. de maledicis, in* §. *Blasphemantes, vers. grauior*, Iul. Clar. *in* §. *blasphemia, vers. sed quæro*, Bonifacius de Vitalin. *titulo de pœnis blasphemiæ, n.* 3. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *cas.* 375. *n.* 30. & Follerius *in practic. crimin. in fragment. num.* 15. Quinimò & omnes etiam ferè aliæ pœnæ in alios delinquentes sunt hodie similiter Iudici arbitrariæ, idem Clar. *in* §. *finali, quæst.* 85. *vers. vlterius quæro*, Menoch. *de arbitr. lib.* 1. *cap.* 99. *num.* 16. Tiraquellus *tract. de pœnis, in præfatione, num.* 22. Marsil. *singul.* 182. *& singul.* 144. Viuius *communium opinionum verb. Index vbicumque, n.* 6. & alij, quos sequitur Bossius *tit. de pœnis, n.* 10.

22 Et quidem hodie nullibi in his nostris partibus blasphemus morte plectitur, sed ad summum ad triremes condemnatur, vel pœna pecuniaria punitur, vel ante fores Ecclesiæ matricis sistitur, vel in publico exponitur, vel eius lingua perforatur.

23 Aduerte 2. quod in illis locis, in quibus est consuetudo blasphemandi, talis consuetudo, licèt sit pessima, excusat tamen vtcumque, ne blasphemus pœna mortis, vel aliis pœnis contra blasphemum iure ciuili, vel canonico, vel municipali statutis puniatur. Angel. *in l. his verbis*, §. 1. *ff. de hered. instit.* & alij, quos sequitur Petrasancta *singul.* 83. *num.* 3. Et quidem, quod consuetudo loci, licèt mala, excuset, ne quis puniatur grauibus pœnis, quibus puniretur, si non esset talis consuetudo, docent etiam Ancharan. *cons.* 51. *& cons.* 283. Rolandus *lib.* 1. *cons.* 75. *num.* 42. *& seqq.* Cassadorus *decis.* 19. *tit. de regul. Cancellar.* Plotus *consil.* 108. *num.* 122. Romanus *singul.* 46. Marsilius *cons.* 12. *n.* 6. *vol.* 1. & alij, quos sequitur Graffius *cons.* 15. *etiam vol.* 1.

Quamvis contrarium, quod scilicet non excuset, probabiliùs teneant Iason *in l.* 3. §. *iurari, num.* 6. *ff. de iureiur.* Clarus *in* §. *Blasphemia, vers. item potest*, Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *cas.* 375. *num.* 34. Bellamer. *cons. vltimo, num.* 6. Grammatic. *decis.* 56. Albert. *de agnosc. assert. q.* 6. *num.* 26. & Couarruias *de pact. part.* 1. §. 7. *num.* 12. quia sicuti dicitur *in cap. Flagitia*, 32. *q.* 7. *& in cap. Obiiciuntur*, 32. *q.* 4. consuetudo in iis, quæ ex sua natura sunt mala, & illicita, nullo modo excusat; quod etiam tenent Gloss. *in cap. sanè, de tempor. ordinat. & in cap. Cùm secundùm leges, de hæretic. in* 6. Baldus *in l. de quibus, col.* 2. *de legibus*, & Antonius Gabriel *lib.* 6. *concl.* 8. *n.* 27.

24 Aduerte 3. quod qui ex ira, vel ex aliqua alia passione blasphemat, mitiùs soleat puniri. Archidiac. *in cap. Quid ergo, circa finem*, 23. *q.* 5. Decius *consil.* 163. *n.* 10. Tiraquell. *de pœnis temperand. caus.* 1. *num.* 14. Clar. *in pract. q.* 60. *vers. Est etiam*, Bonifac. de Vitalin. *tit. de pœn. blasphemiæ, n.* 2. Albertin. *de agnoscend. assertion. q.* 27. *n.* 2. *& seqq.* Couarruuias *de pact. p.* 1. §. 7. *num.* 13. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *centur.* 4. *cas.* 375. *n.* 33. & alij passim; quamvis non semper id locum habeat, vt si v. g. blasphemans det operam rei illicitæ, v. g. ludo, &c. Cagnol. *in l. quidquid calore, n.* 9. *ff. de regul. iur.* Felin. *in cap. sicut, n.* 30. *de iureiur.* Tiraq. *de pœnis temperandis, caus.* 1. *n.* 14. Mascard. *de probat. vol.* 1. *concl.* 194. *n.* 12.

Aduerte 4. quod in diuersis locis pœnæ graues contra blasphemum imponantur. Et quidem in Gallia, sicuti testantur Boërius *decis.* 301. *n.* 15. Couarruuias *de pact. part.* 1. §. 7. *num.* 11. & Ioannes Benedictus *lib.* 1. *in summa de peccatis, c.* 9. §. 1. *circa finem*, Carolus VIII. & Ludouicus XII. statuerunt, quod blasphemus pro secunda blasphemia puniretur pœna abscissionis superioris labij, pro tertia inferiori, pro quarta linguæ. Et in Hispania, sicuti testatur Couarruuias *loco suprà citato*, Alphonsus Rex decreuit, quod blasphemus, præsertim plebeius, pro prima blasphemia verberaretur, pro secunda notaretur in labiis ferro candenti signo crucis, pro tertia ei lingua abscinderetur. Et in Regno Neapolis, sicuti testatur Thomas Grammaticus *decis.* 50. blasphemus punitur, ita vt lingua eius clauo publicè perforetur. 25

Nec mirum, quia etiam à Saracenis, sicuti testatur S. Antoninus 2. *part. tit.* 7. graues pœnæ similiter contra blasphemum imponuntur. 25

SECTIO XXIII.

Quænam pœnitentia blasphemo imponenda sit in foro interiori, seu conscientiæ?

SVMMARIVM.

1 *Pœnitentia grauissima impenenda est in foro conscientia blasphemo, ex dispositione Concilij Lateranensis sub Leone X. At probabilius est oppositum, eo quòd huiusmodi decretum non fuerit vsu receptum quoad pœnas in blasphemum statutas.*

2 *Lex seu Decretum etiam latum à Concilio generali, si non fuerit vsu receptum, vel si fuerit per contrariam consuetudinem abrogatum, non obligat, etiamsi habeat clausulam irritantem.*

3 *Leges à Principe feruntur sub ea conditione, & intentione, vt non aliter obligent, quàm si fuerint vsu recepta à Populo, vel per contrariam consuetudinem non abrogatæ.*

4 *Lex Summi Pontificis obligat independenter à consensu Populi, cum habeat à Deo potestatem legislatiuam; non sic Principes sæculares. At solùm peccant non recipiendo eam, qui primi non acceptarunt: secus verò qui contrariam consuetudinem iam introductam inuenerunt.*

5 *Confessarius debet imponere Pœnitenti satisfactionem, & pœnitentiam proportionatam iuxta delicti qualitatem, & id voluit Concilium Tridentinum citatum, & aliud Moguntinum; sed tamen propter impotentiam, fragilitatem, & imperfectionem pœnitentis potest etiam imponere pœnitentiam leuem; pluribusque id suadetur rationibus ad spiritualem animarum frugem, & maximè ne pœnitentes auertantur à frequentia Sacramenti Pœnitentiæ.*

6 *Confessarius quando multò leniorem, quàm pœnitentis peccata merentur, pœnitentiam imponit, debet tunc illum monere grauioribus pœnitentiis esse puniendum, &c. vt hinc sumat occasionem voluntarias pœnitentias suscipiendi.*

COROL

COROLLARIA.

7 *Confessarius tenetur quantum fieri potest ordinariè seruare quod statutum fuit in Concilio Lateranensi sub Leone X. & in Tridentino, & Moguntino.*

8 *Pœnitentia imposita à Confessario est magis meritoria, & satisfactoria, quàm Pœnitentia, quam spontè Pœnitens sibi assumit, & leuis pœnitentia potest minùs præbere occasionem emendationis.*

9 *Confessarius, si iusta causa adsit diminuendi pœnitentiam Pœnitenti, benè facit illam diminuendo.*

10 *Confessarius Pœnitenti nolenti acceptare Pœnitentiam grauem, debet illam diminuere, quantumcumque ille voluerit, præsertim cùm multi DD. teneant, illum non teneri eam acceptare, quæ tamen opinio post Concil. Trid. maximè non placet Auctori.*

11 *Pœnitens secundùm multos DD. potest lucrari Indulgentias, sicque à Pœnitentiis se liberare: Quapropter in tali casu Confessarius potest hortari Pœnitentem, vt conetur lucrari dictas Indulgentias, & ita licèt peccata sint grauia, imponere leuem pœnitentiam.*

12 *Confessarius non potest, nec debet contra nonnullos oppositum tenentes, pro peccato blasphemiæ, & pro quocumque alio statuere tanquam regulam certam, & determinatam quandam pœnitentiam; sed debet imponere talem, quam credit Pœnitentem executurum fore, cum is pœnitentiam in Confessione acceptatam exequi teneatur sub culpa mortali, &c.*

1 RESpondetur: in Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess.* 9. §. *Ad abolendam*, dicitur non licere absolui blasphemum absque grauissima pœnitentia illi imposita ex arbitrio seueri Confessarij: Quapropter Nauar. *in Sum. c.* 12. *n.* 83. Lop. *part.* 1. *Instruct.* c. 25. *circa principium*, Petr. de Ledesma *tom.* 2. *summa, tract.* 1. *c.* 9. *circa fin.* & Comitol. *lib.* 4. *respons. moral. q.* 9. *cap.* 9. putant quod non possit Confessarius absoluere blasphemum pœnitentem, nisi illi imponat grauissimam Pœnitentiam.

Quamuis contrarium, & quidem probabiliùs, teneant Armilla *verb. Blasphemia, num.* 5. Suar. *tom.* 1. *de relig. tract.* 3. *lib.* 1. *c.* 7. *n.* 21. Sayr. *in claui regia, lib.* 6. *cap.* 13. *n.* 10. & alij, quos sequitur Azor. *tom.* 1. *Institut. moral. lib.* 9. *cap.* 28. *q.* 9. Eo quòd huiusmodi decretum Concilij Lateranensis, quoad pœnas in blasphemum statutas, non fuerit vsu receptum, vel fuerit per contrariam consuetudinem abrogatum; sicque nunc satis sit, si Confessarius ostenderit Pœnitenti criminis grauitatem, & illi imponat pœnitentiam iuxta prudens arbitrium, sicut imponere deberet, tametsi dictum decretum auditum non fuerit à Concilio Lateranensi.

2 Obijcies: In fide illius Constitutionis Concilij Lateranensis dicitur, quod illi decreto per nullam contrariam consuetudinem derogari possit: Ergo adhuc tale decretum est in suo robore.

Respondetur: Nego consequentiam, quia lex, & decretum, etiam latum à Concilio generali, si non fuerit vsu receptum, vel si fuerit per contrariam consuetudinem abrogatum, non obligat. Couarr. *lib.* 2. *variar. cap.* 16. *n.* 6. Medina *part.* 2. *q.* 90. *art.* 3. *ad* 2. Menoch. *de præsumpt. lib.* 2. *præsumpt.* 2. *n.* 1. Valent. *tom.* 2. *disp.* 7. *q.* 5. *punct.* 3. *q.* 4. Mantica *de tacit. conuent. lib.* 5. *tit.* 13. *n.* 15. & 36. & alij, quos sequitur Sanchez *de matrimon. lib.* 3. *disp.* 18. *n.* 1.

Quod est verum, etiamsi lex habeat decretum irritans, Alex. *cons.* 132. *vol.* 1. Ruin. *cons.* 13. *num.* 27. *vol.* 2. Rochus *in cap. final. de consuetud. sect.* 7. *n.* 15. & Anton. Gabriel *de clausul. concl.* 3. *n.* 43. Itemque est verum, etiamsi lex, & decretum deroget consuetudini, Rocch. *loco suprà citato*, Dueñas *regul.* 144. *limit.* 2. Bott. *de Synod. part.* 3. *art.* 2. *num.* 64. & alij, quos sequitur Rodriquez *tom.* 1. *quæst. regul. quæst.* 6. *art.* 11. quia lex ordinariè fertur sub conditione, si recipiatur, & contraria consuetudine legitimè non abrogetur: Et vt dicit Gloss. *in cap.* 1. *de tregua & pace, & in l. Rem non nouam*, §. *Patroni*, *C. de Iudic.* & Dominicus *in cap. In ipsis*, §. *Leges, dist.*.. Leges 3
à Principe feruntur sub ea conditione, & intentione, vt non aliter obligent, quàm si fuerint à Populo receptæ, vel per contrariam consuetudinem legitimè non abrogatæ. Cùm lex, quæ non recipitur, vel per contrariam consuetudinem legitimè abrogatur, non censeatur Reipublicæ expediens. Couarruu. *cit. cap.* 16. Et ex alio capite lex debeat tendere in bonum, non autem in damnum commune, debeatque esse suauis, atque fragili naturæ subditorum conformis. Cùm igitur prædictum decretum Concilij Lateranensis de imponenda grauissima Pœnitentia blasphemo non fuerit vsu receptum, vel fuerit per contrariam consuetudinem legitimè abrogatum, non ampliùs nunc obligat.

Quamuis Ego, si de lege, vel decreto non Principis 4
sæcularis; sed Summi Pontificis, vt Pontificis loquamur, teneam contrarium, vt alibi diffusè probabam, Præsertim cùm Summus Pontifex non à Populo, vt Princeps sæcularis, sed à Deo legem ferendi potestatem acceperit, scilicet quod lex Summi Pontificis obliget independenter à consensu subditorum, ita vt saltem mortaliter peccet, qui primò illam non recipiunt, etsi non item alij, qui illam postea non vsu receptam, vel per contrariam consuetudinem legitimè abrogatam reperiunt.

Instabis: In Concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.* 8. 5
habetur: [Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & conuenientes satisfactiones iniungere, ne si fortè indulgentiùs cum pœnitente agant, leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, vt satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad nouæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.] Sic Conc. Trid. vt etiam statuerat priùs Concilium Moguntinum 2. *cap.* 31. Et meritò; quia cum Sacerdos sit Iudex, debet in ferendo sententiam seruare proportionem & æqualitatem: Quapropter, sicuti si pro leui peccato imponeret Pœnitenti pœnitentiam grauissimam, faceret iniuriam Pœnitenti; sic si pro grauissimis peccatis imponeret pœnitenti pœnitentiam leuissimam, faceret iniuriam Deo. Cùm igitur blasphemiæ peccatum sit grauissimum, perperam faceret Confessarius, si iuxta decretum Conc. Trid. Lateranensis, & Moguntini non imponeret blasphemo pœnitentiam grauissimam.

Respondetur: Distinguo consequens; Perperam sic agendo faceret Confessarius, si non adsit iusta causa, concedo; Si adsit, nego. Debet igitur quidem Confessarius ordinariè imponere Pœnitenti proportionatam Pœnitentiam, & satisfactionem, iuxta delicti grauitatem, & hoc est, quod volunt citata Concilia; sed tamen propter impotentiam, fragilitatem, & imperfectionem Pœnitentis poterit etiam interdum Confessarius imponere pœnitentiam leuem, vt aduertit S. Th. *in Addit. q.* 18. *art.* 4. Quia cùm in Sacramento Pœnitentiæ debeat Confessarius magis habere rationem spiritualis boni Pœnitentis, ac satisfactionis pro pœna, quam deberet Peccator pati pro peccatis ab ipso commissis, prudenter faciet interdum Confessarius, si leuiorem pœnitentiam imponat pro grauibus peccatis. Quandoquidem, si imponeret proportionatam pœnitentiam, salus spiritualis Pœnitentis periculo exponeretur;

cum

cum illam Pœnitens vel non faceret, vel à confessionibus freqnentandis auerteretur, vel desperaret, vel alio modo in peius rueret. Nec Confessarius vllam iniuriam facit Deo; quia si pœnitens pro suis peccatis ad proportionem non satisfacit in hac vita, satisfaciet saltem in altera. Et Christus Dominus ex dictis voluit, quod in hoc Sacramento Pœnitentiæ haberetur ratio spiritualis boni pœnitentis, iuxta prudens arbitrium Confessarij, quodque in dicto Sacramento Pœnitentiæ non seruaretur magnus rigor, sed iudicetur cum magna misericordia, ne auertantur homines à confessionibus, vti dicebam. Quapropter *in c. alleg. 26. q. 7.* dicitur quod prudens Confessarius debeat potiùs in mitiorem partem inclinare, quodque melius sit Sacerdotem iudicari de nimia misericordia, quàm de nimia seueritate. Et S. Gregorius Nazianzenus *orat. 26. circa finem*, inquit: Hanc rationem tene, vt partim illum corrigas. Idque leuiter, & humanè, non vt hostis, neque vt durus, & rigidus Medicus: Namque Christi Discipulus es, mitis, & benigni, qui nostras infirmitates portauit.

6 Aduerte tamen, quod Confessarius, quando multò leuiorem, quàm pœnitentis peccata merentur, pœnitentiam imponit, debeat tunc illum monere, grauioribus pœnitentiis esse puniendum; propter tamen ipsius fragilitatem, & imperfectionem mitiùs secum agi, vt hinc pœnitens sumat occasionem voluntarias pœnitentias suscipiendi, & peccatorum, quibus detinebatur, grauitatem meliùs perpendendi. Syluest. *verb. Confessor 4. q. 2.* Nauarr. *cap. 26. n. 19. & 20.* Viuald. *de de satisfact. n. 10.* & alij, quos sequitur Coninch *de Sacramentis, disput. 10. de satisfact. dub. 8. n. 73.*

COROLLARIA.

7 Hinc sequitur, quod Confessarius teneatur ordinariè quantum fieri potest, seruare quod statutum fuit in Concilio Lateranensi sub Leone X. *loco suprà citato*, & in Concilio Tridentino, & Moguntino.

8 Præsertim, quia pœnitentia imposita à Confessario, est magis meritoria, & satisfactoria, quàm pœnitentia, quam spontè pœnitens sibi assumit. Et leuis præterea pœnitentia potest pœnitenti præbere occasionem, vt minùs peccatorum suorum grauitatem perpendat. Caietanus 3. *part. q. 90. art. 2.* Sotus *in 4. dist. 20. q. 2. art. 3.* Nauarrus *cap. 26. n. 15. & 21.* & Ledesma 2. *part. q. 20. art. 4.*

9 At si iusta causa adsit diminuendi pœnitenti pœnitentiam, benè facit Confessarius illam ei diminuendo. Quapropter Syluester, quem præter alios sequitur Nauarr. *in citato cap. 26. n. 20.) verb. Confessor 4. q. 2.* ait, quod Confessarius potiùs debeat vel leue quid imponere pro pœnitentia, quàm permittere, quod pœnitens à se desperatus recedat; & eodem *verb. Confessor, 3. quæst. 12.* inquit, quod Confessarius pœnitenti nolenti acceptare grauem pœnitentiam, debeat eam illi diminuere, quantumcunque ille voluerit.

10 Præsertim, quia multi Doctores tenent, quod pœnitens non teneatur vllam acceptare pœnitentiam: sic Scotus *in 4. dist. 18. & 19. q. 1. §. 1. ad quæstionem moeam dist. 18.* Caietan. *verb. Confessio, condit. 16. & verb. satisfactio,* Syluester *verb. Confessor 1. quæst. 25. & 26.* (vbi citat Ostiensem, & Panormitanum) Medina *Cod. de confess. q. 41. de pœnitent. iniuncta acceptanda,* Tabiena *verb. Confessio 2.* Armilla *eodem verb. 29.* Nauarr. *in d. cap. 26. n. 20.* vbi dicit, hanc sententiam esse in vrbe, & in orbe communiter receptam,) Reginald. *in praxi, lib. 7. cap. 1. n. 15.* Quamvis istorum Doctorum opinio, maximè post Tridentinum Concilium, mihi non probetur, qua de re videri potest Vasquez *de Sacramento Pœnitentiæ, quæst. 84. art. 2. dubit. 1. num. 5.* Valentia *tom. 4. disp. 7. q. 14. punct. 4.* & Suarez *tractat. de pœnitentia, disput. 38. sectione 7. num. 2.*

Præsertim etiam, quia multi alij Doctores censent, quod pœnitens possit lucrari Indulgentias, sicque se à pœnitentiis liberare, ita vt tunc possit Confessarios pœnitentem hortari, quod aliquam Indulgentiam lucrari conetur: Quo casu dicunt prædicti Doctores, quod possit pœnitenti, quamvis grauia peccata commiserit, leuis imponi pœnitentia. Sic Sanctus Thomas *in 4. distinct. 20. quæst. 1. articul. 3.* Caietanus *in opuscul. de Indulgentiis, cap. 7. & in summa, verbo Indulgentia,* Syluester *eodem verbo, quæstione 9.* Tabiena *quæstione 12.* Angelus *numer. 1.* Armilla *num. 17.* Corduba *de Indulgent. quæstion. 15.* Henriquez *in summa, libro 7. cap. 17.* Suarez *tom. 4. de pœnitentia, disputatione 50. sectione 2. numera 4.* Toletus *libro 6. cap. 13. num. 3.* Beja *parte 1. casu 38.* Reginaldus *libro 7. num. 150. & 170.* Coninchus *de pœniten. disputatione 22. dubit. 5. num. 21. & 40.* Filliucius *tom. 1. tract. 8. cap. 7. quæst. 2. n. 175.* & alij passim. 11

Qui subdunt, quod si pœnitens magnis, & grauibus pœnitentiis, vel magnis, & grauibus peccatis sit plenus, ita vt difficilè illi imponi possit conueniens, & proportionata pœnitentia pro peccatis, Confessarius tunc debeat illi subuenire hortando, quod Indulgentiam plenariam aliquam conetur lucrari: subdunt etiam, quod ipsemet pœnitens possit propria authoritate sibi commutare pœnitentiam in confessionibus iniunctam. Quemadmodum & vouens potest propria authoritate sibi commutare, præsertim in melius, votum quod emisit.

Sequitur secundò, quod non possit, nec debeat 12
(quidquid in contrarium dixerint nonnulli, quos sequitur Comitolus *libro 4. responsion. moral. quæstione 9. capite 9. circa finem*) pro peccato blasphemiæ, nec pro quocumque alio, statui tanquam regula, certa & determinata quædam pœnitentia, sed debeat Confessarius imponere pœnitenti talem pœnitentiam, quam credit, quod ille executurus sit; quia si Confessarius ordinariè imponeret pœnitentiam conuenientem, & proportionatam pro peccatis grauibus, exponeretur pœnitens magno periculo eam non exequendi, & consequenter peccandi mortaliter; cùm pœnitens pœnitentiam grauem acceptatam in confessione exequi teneatur sub culpa mortali. Nauarrus *in summa, cap. 21. num. 43.* Henriquez *libr. 5. cap. 20. num. 3.* Medina *Cod. de satisfact. quæst. 6.* Zerola *in praxi, cap. 23. quæst. 2. vers. dico 3. & cap. 25. quæstione 36.* Suarez *tomo 4. de pœnitent. disput. 38. sect. 7. num. 4. & 5.* Valentia *tom. 4. disputatione 7. quæstione 14. puncto 4. col. 5. vers. Est igitur 3.* Reginaldus *libro 7. num. 37.* & Coninchus *disputatione 10. de pœnitentia, dubit. 9. num. 80. & 81.* Vt omittam, quod præterea pœnitens sumeret ob id occasionem quærendi Confessarios ineptos, & indoctos, qui sine rationabili causa pro grauissimis peccatis leuem pœnitentiam imponerent, quod est quid peius, cum tamen ad Confessarium pertineat amouere pœnitentem ab omni periculo peccandi.

SECTIO XXIV.

An maledicens Principi sit puniendus?

SVMMARIVM.

1 *Maledicens Principi est puniendus. Quod primùm probatur auctoritate sacræ Scripturæ.* Exodi 22. *Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices, & alibi: vide ibi loca, quæ recensentur.*

2 *Item probatur ex Iure Canonico, vbi statuitur, quod Clericus ob hoc crimen veniat deponendus, & laicus excommunicandus.* Vide alia, quæ ibi recensentur.

3 *Item punitur etiam de Iure Ciuili, in quo præcipitur vt maledicentes Principi puniantur.*

4 *Iniuria, & contumelia illata priuatæ personæ puniri debet, consequenter multò magis illata Principi.*

5 *Leges non debent contemni; tenderet enim hoc in damnum commune; consequenter neque Principes, quia sic redderentur inhabiles ad bonum regimen populorum.*

6 *Quilibet tenetur habere rationem, & curam suæ famæ, ita vt potiùs debeat amittere vitam, quàm honorem. Consequenter Princeps debet punire sibi maledicentes.*

7 *Qui maledixerit Patri, vel Matri, morte mori debet: consequenter multò magis puniri debebit qui suo Principi maledixerit.*

8 *Maledicentes Principi si non punirentur, facilè possent Vassalli coniurare in Principem.*

9 *Maledicens Principi, qua pœna puniendus sit, remittitur arbitrio Principis; non enim puniendus est eisdem pœnis, & tantis, quibus & quantis punitur Reus læsæ maiestatis.*

10 *Maledicens Principi ex leuitate animi, vel ex lubrico linguæ, etiam punitur arbitrio Principis; secus si in ebrietate, quo casu ordinariè non solet puniri; at quandoque etiam debet puniri, etiamsi fuerit ebrius maledicens.*

11 *Milites delinquentes in ebrietate sunt puniendi, leuiùs tamen, quàm si delinquerent quando sunt rationis compotes.*

RESpondetur affirmatiuè. Est communis sententia DD. & probatur.

1 Primò, quia *Exodi* 22. dicitur: *Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices.* Paraphrasis Chaldæa legit: *Iudices non vilipendes, & Principi in populo tuo non maledices, vel execraberis, seu blasphemabis.* Et Prouerbiorum 26. *Qui imponit stulto silentium, iras mitigat; & responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.* Ergo si prudentia dictat, quod debeat Princeps punire illos, qui in ipsum Principem maledictiones conjiciunt; debet id facere Princeps, vt huiusmodi personis silentium imponat, & ne sibi sapientes videantur, & vt per pœnas cognoscant se perperam agere maledictiones in Principem conjiciendo. Et quidem quod Deus grauiter puniat illos, qui suo Principi maledixerint, vel detraxerint, patet de sorore Moysis, *Num.* 12. De Core, Dathan, & Abiron, Moysi maledicentibus, *Num.* 16. & de populo Dei murmurante contra Moysem, & Aaron, *Num.* 14. Ergo ad Iudices, ad quos spectat iustitiam seruare, spectabit punire improbos, præsertim illos, qui Principi maledicunt: & *Matthæi* 12. Christus Dominus prohibuit, ne alicui dicatur Racha, seu fatue: Ergo multò magis prohibuit, ne malediceretur Principi: & *Actorum* 23. expressè dicitur: *Principem populi tui non maledices.*

Secundò probatur ex Iure Canonico; quia *in Canon.* 2
74. Apostolorum, sic statuitur: [*Si quis in Regem, aut Magistratum contumeliosus fuerit, soluat pœnas; si quidem Clericus sit, deponatur; si verò laicus, excommunicetur.*] *Et in cap. innotuit, de maledic.* Clemens PP. Tertius iussit, quod quidam Clericus, qui in contemptum Officij Pontificij aliqua verba protulerat, puniretur, *vt pœna* illius (inquit Pontifex) aliis terrorem injiciat, ne de cætero contra Romanam Ecclesiam in talia verba prorumpant: & *in cap. inter querelas, 22. quæst. 4.* Gregorius inquit. [*Priuati iniuriam, si exemplo non noceat, & in contemptum publica, vt in primis superioris dignitatis non vergat, præstat dissimulare, & ignoscere.*] Ergo è contra iniuria si contemnatur publica, & superior dignitas, non debet (vt alij contineantur in officio) dissimulari, sed puniri.

Tertiò probatur ex Iure Ciuili, quia *in l. vnica,* 3
Cod. si quis Imperator. maledic. & in l. vnica, Cod. Theodos. lib. 9. tit. 4. expressè præcipitur, quod maledicentes Principibus puniantur.

Quartò probatur ratione, quia iniuria, & contu- 4
melia illata priuatæ personæ puniri debet, *§. Atrox, Instit. de iniuriis*: Ergo multò magis iniuria, & contumelia illata Principi.

Confirmatur, quia leges non debent contemni, 5
l. si prætor, ff. de iudic. & leg. vltima, ff. ne quid in loc. public. (quia hoc vergeret in damnum commune:) Ergo multò minùs contemni debebant Principes, quia & hoc multò magis vergeret etiam in damnum commune: Redderentur enim sic Principes inhabiles ad bonum regimen populorum) contemnerentur autem Principes, si non punirentur illi, qui maledictiones conjiciunt in ipsos Principes: Ergo, &c.

Confirmatur secundò, quia quilibet tenetur habe- 6
re rationem & curam suæ famæ, ita vt potiùs debeat amittere vitam, quàm honorem, *l. isti quidem, §. penultimo, ff. de eo quod met. caus.* quod præcipuè debet facere Princeps: Ergo debet Princeps punire illos, qui ipsius Principis famæ detrahunt.

Confirmatur tertiò, quia qui maledixerit Patri, vel 7
Matri, morte mori debet, *Exod.* 21. & *Matthæi* 15. Ergo multò magis puniri debebit, qui suo Principi maledixerit; cùm Princeps in Republica sit veluti Pater, quin & maiori reuerentia, & honore dignus, quàm Pater.

Confirmatur quartò; quia si qui maledicunt Prin- 8
cipi non punirentur, facilè possent Vassalli coniurare in Principem; (cognoscerent enim ex hoc, quinam animum prauum habeant in Principem:) Et sic cum illis simul conuenire, atque adeò & coniurare contra Principem.

Quibusnam autem, & quantis pœnis puniri debeat, 9
qui maledicit Principi?

Respondetur, remitti id arbitrio Principis: sic Crauetta *cons. 6. n. 71.* Franciscus Lucanus *tractat. de fisco, part. 2. num. 34.* Diaz *in practic. cap. 60. num. 1.* Afflictus *decis. 265. num. 62.* Plaza *in epitome delictorum, lib. 1. cap. 4. num. 1.* & alij communiter. Non tamen puniri debebit eisdem & tantis pœnis, quibus, & quantis punitur reus criminis læsæ Maiestatis. Gigas *de crim. læsæ Maiest. tit. qualiter, q. 40. circa finem,* Crauetta *dict. cons. 6. num. 4.* Afflictus *in cap. Quæ sint regalia, verb. & bona committentium, num. 43.* Plaza *loco suprà citato, cap. 1. in fine,* & alij passim.

Cæterùm, si quis ex leuitate animi, vel ex lubrico 10
linguæ maledixerit Principi, etiam punitur arbitrio Principis (sicuti docent DD. quos sequitur Crauetta *citato cons. 6. num. 4. & 71.* sed tamen leuiùs;

C 2 Et

Et ideò dicitur, quod iste talis ordinariè non facilè puniatur, vt habetur *ex lege famosi, ff. ad legem Iul. maiest.* Quemadmodum etiam dicitur, quod ordinariè non soleat puniri, qui Principi maledicit in ebrietate, vt colligitur *ex l. vnica, Cod. si quis Imperator. maledix.* & docet Tiraquel. *tractat. de pœnis, caus. 6. num. 5. & 6.* & Gigas *citata quæst. 40.* At verè possunt, & interdum etiam debent isti tales puniri, sicuti patet *ex cap. sanè 15. q. 1. & ex l. contra delictum, §. per virum, ff. de re militar.* Vbi dicitur, quod milites
11 delinquentes in ebrietate, sint puniendi, leuiùs tamen, quàm si delinquerent, quando sunt rationis compotes; nec dicta lex vnica excludit omnem pœnam, sed solùm vult, quod isti mitiùs puniantur: quo modo explicandæ sunt aliæ leges, quæ contrarium videntur significare.

SECTIO XXV.

Quid sit blasphemia in Spiritum sanctum, & quare dicatur irremissibilis?

SVMMARIVM.

1 *Blasphemia in Spiritum sanctum, quæ à Christo Domino* Matthæi 12. *dicitur irremissibilis, sumitur ex sententia sancti Augustini, seu potiùs Fulgentij, pro finali impœnitentia; cùm remissio peccatorum sit proprius effectus Spiritus sancti, eique propriè, & peculiariter tribuatur, quæque tollitur per finalem impœnitentiam.*

2 *Blasphemia in Spiritum sanctum pariter secundùm Augustinum est negare, in Ecclesia esse potestatem remittendi peccata.*

3 *Item secundùm ipsum, peccatum, seu blasphemia in Spiritum sanctum est, si quis per malitiam, & inuidiam oppugnet fraternam charitatem post acceptam gratiam Spiritus sancti.*

4 *Blasphemia in Spiritum sanctum secundùm alios est negare Christi Diuinitatem.*

5 *Item est secundùm alios, si quis neget, per Sacramenta remitti peccata.*

6 *Blasphemia in Spiritum sanctum secundùm Richardum est desiderium, & affectatio diuinæ vituperationis, & Spiritui sancto semper aduersari, & in contrarium nisi ad odium Dei. Quemadmodum è contra Spiritus sanctus semper mittitur ad charitatem, quæ diffunditur in cordibus nostris.*

7 *Blasphemia in Spiritum sanctum propriè esse non potest sine execrabili odio Dei.*

8 *Peccatum, seu blasphemia in Spiritum sanctum est omnium maximum, & irremissibile, eo quòd qui semel illud commiserit, nunquam vera pœnitentia expiabit; quia Deus suo auxilio eum priuabit.*

9 *Blasphemia in Spiritum sanctum secundùm Bonauenturam, est propositum, seu consilium non pœnitendi.*

10 *Blasphemia in Spiritum sanctum secundùm Scotum est obstinatio in peccato, cum desperatione veniæ, & proposito non pœnitendi.*

11 *Blasphemia in Spiritum sanctum in dicto loco* Matthæi 12. *ex probabiliori sententia Sanctorum Patrum, & Doctorum, sumitur pro peccato Iudæorum, qui ex liuore inuidiæ, & odio contra Christum Dominum, quæ Christus virtute suæ Diuinitatis operabatur, Sathanæ tribuebant.*

12 *Blasphemia in Spiritum sanctum propriè est, quando quis ex malitia, & cordis duritia Dæmoni tribuit diuina, & supernaturalia opera, quæ Spiritus sanctus ad fidem confirmandam ad infideles, atque peccatores conuertendos speciali sua prouidentia præstat, & operatur, cùm hoc sit propriè, & verè Spiritui sancto resistere.*

13 *Blasphemia in Spiritum sanctum,* Matthæi 12. *dicitur irremissibilis, non eo quòd non possit remitti, sed eo quòd difficilè remittatur; quia homo quoad peccatum ex nullo capite dignus est venia, cùm ex nullo capite possit excusari.*

14 *Peccatum quodlibet est talis naturæ, & conditionis, vt nullam mereatur veniam absolutè, at non sic comparatiuè; si enim blasphemia comparetur ad alia peccata, videntur cætera peccata veniam aliquam mereri, cum aliquo modo excusari possint, scilicet ex ignorantia, infirmitate, seu imbecillitate; at non sic blasphemia in Spiritum sanctum.*

15 *Blasphemia in Spiritum sanctum secundùm alios est irremissibilis, quia licèt possit remitti, non tamen est remittenda.*

16 *Iudæi, qui peccatum in Spiritum sanctum commiserunt contradicendo, ac maledicendo operibus Christi, erat hoc peccatum irremissibile; at potuit esse, quod aliquibus eorum fuerit remissum, si secuti fuerint fidem Christi, sese ad eam conuertendo; non enim hoc peccatum dicitur irremissibile ex eo, quod non possit remitti, sed quia non consueuit remitti.*

17 *Blasphemia in Spiritum sanctum secundùm alios dicitur irremissibilis, eo quòd non remittatur absque peculiari pœnitentia.*

18 *Blasphemia in Spiritum sanctum secundùm alios irremissibilis dicitur ratione pœnæ, eo quòd scilicet, licèt de illo peccato pœnitentiam agat, tamen illud ipsi non remittetur in hac vita sine aliqua pœna.*

19 *Blasphemia in Spiritum sanctum cur dicatur peccatum irremissibile, attende rationem suprà allatam ab auctore, quam dicit esse probabiliorem.*

RAtio dubitandi desumitur ex illis verbis Chri- 1
sti Domini, *Matth. 12.* [Omne peccatum, & blasphemia remittetur hominibus; spiritus autem blasphemiæ (seu blasphemia in Spiritum sanctum, vt ibi communiter explicant sancti Patres, & Doctores) non remittetur; & quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.]

Nonnulli, vt Sanctus Augustinus, seu potiùs Fulgentius *libro de fide ad Petrum, cap. 3.* & Sanctus Augustinus *libro de vera, & falsa pœnitentia, cap. 4. & epistola 50. ad Bonifacium, circa finem, & in Enchirid. cap. 83. & libro 4. contra Cresconium, & sermon. 11. de verbis Domini*, vbi talem quæstionem asserit adeò grauem, & difficilem, vt ipsa nullam maiorem esse iudicet in sacris Scripturis, dicunt blasphemiam in Spiritum sanctum sumi *in dicto loco Matthæi pro finali impœnitentia*; cùm remissio peccatorum sit proprius effectus Spiritus sancti, eique propriè, & peculiariter tribuatur; quæ remissio peccatorum tollitur per finalem impœnitentiam; & *in*
dict. cap. 85. in Enchirid. ad Laurentium, idem S. Au- 2
gustinus ait, blasphemiam in Spiritum sanctum esse, si quis neget, quod sit in Ecclesia potestas
remittendi peccata: Et *in libro 1. de Sermon. Domini* 3
in monte, inquit peccatum, seu blasphemiam in Spiritum sanctum esse, si quis per malitiam, & inuidiam oppugnet fraternam charitatem post acceptam gratiam Spiritus sancti. Et in commentariis
in

in Epistolà ad Romanos asserit, blasphemiam in Spiritum sanctum esse, si quis desperet indulgentiam Dei.

4 Alij, vt Hilarius *in dictum c.12. Matthæi*, censent, blasphemiam in Spiritum sanctum esse, si quis neget diuinitatem Christi.

5 Alij, vt Beda *in idem cap.12. Matth.* putant esse, si quis neget per Sacramenta remitti peccata.

6 Alij, vt Richardus *lib. de blasphemia*, asserunt esse desiderium, & affectationem diuinæ vituperationis, & Spiritui sancto semper aduersari, & in contrarium nisi ad odium Dei: Quemadmodum è contra Spiritus sanctus semper nititur ad charitatem, quæ per illum dif-
7 funditur in cordibus nostris, *ad Roman.5.* Itavt propterea blasphemia in Spiritum sanctum esse non possit sine execrabili odio Dei: Quam sententiam sequi videtur Alphonsus à Castro *lib.1. de iust. hæret. punit.*
8 *cap.12.* quatenus etiam explicitè ait, blasphemiam in Spiritum sanctum esse desiderium diuinæ vituperationis, & odium Dei, istudque peccatum esse omnium maximum, & irremissibile, eo quòd qui semel illud commiserit, nunquam vera pœnitentia eapiabit; quia Deus suo auxilio eum priuabit, vt ait Beda *in cap.4. Marci*, vel eo quòd qui peccatum illud commisit, iniuriam facit Deo, & ex malignitate peccat, & diuinæ Majestatis oculos prouocat ad non remittendum, neque ad miserendum.

9 Alij, vt S.Bonauentura *in 2.dist.43. art.1. q.2.* putant, blasphemiam in Spiritum sanctum esse propositum, seu consilium non pœnitendi.

10 Alij, vt Scotus *in 4.dist.43.* inquiunt, esse obstinationem in peccato cum desperatione veniæ, & proposito non pœnitendi. His suppositis,

11 Respondetur, Blasphemiam in Spiritum sanctum *in dicto loco Matthæi 12.* ex probabiliori sententia Sanctorum Patrum, & Doctorum sumi pro peccato Iudæorum, qui ex liuore inuidiæ, & odio contra Christum Dominum, quæ Christus Dominus virtute suæ Diuinitatis mirabiliter operabatur, satanæ tri-
12 buebant, ita vt blasphemia in Spiritum sanctum propriè sit quando quis ex malitia, & cordis duritia dæmoni tribuit diuina, & supernaturalia opera, quæ Spiritus sanctus ad fidem confirmandam, & ad infideles, atque peccatores conuertendos speciali sua prouidentia, & sapientia præstat, & operatur; cùm hoc sit propriè, & verè Spiritui sancto resistere: sic S. Augustinus *in quæst. de vtroque Testamento*, *quæst.*101; Hieronymus *epist.*149. Basil. *in Regulis Maiorum, interrogat.*273. Athanasius *homilia in dict. cap. Matthæi 12. & Oratione 2. contra Arianos*, Chrysostomus *homilia 42. in Matthæum*; Anastasius Nicænus *in quæstion. Scriptura, quæst.*68. Ambrosius *in illud 12. Matthæi, & lib.2. de pœnitentia, cap.*4. Hilarius *in dict. cap.12. eiusdem Matthæi*, Didymus *lib. de Spiritu Sancto*, S.Thomas 2. 2. *quæst.*14. *art.*4. Durandus *in 2. dist.43. quæst.*1. Bellarminus *tom.2. lib.2. de pœnitentia, cap.*26. Vasquez 1. *part. disput.*97. *cap.*1. Suarez *tom.5.de pœnit.disp.*8.*sect.*1. *num.*12. Maldonatus *in dictum cap.12.Matthæi*, Turrianus 2.2. *disp.*69. *dub.*1. *vers. alij sentiunt*, Comitol. *lib.*4. *resp. moral. quæst.*10. *capite* 10. *numero* 18. *& seqq.* & alij passim.

13 Cæterùm blasphemia in Spiritum sanctum *Matthæi* 12. dicitur irremissibilis, non eo quòd non possit remitti, sed eo quòd difficilè remittatur. Sanctus Chrysostomus *vbi suprà*, & alij, quos sequitur Vasq. *cit. cap.*1. quia homo quoad hoc peccatum ex nullo capite dignus est venia, cùm ex nullo capite possit excusari; sicut quoad alia peccata, quæ ex ignorantia, vel ex infirmitate, seu fragilitate committuntur. Et quidem Iudæi in filium hominis, id est in Christi Domini naturam humanam directè peccantes, poterant aliquo modo excusari, eom v. g. Vini potato-

rem, & publicanorum amicum appellando; non tamen sic etiam supernaturalia, & mirabilia opera, quæ idem Christus Dominus vi suæ diuinitatis operabatur, Satanæ ex odio, maleuolentia, & inuidia tribuendo. Quare S.Chrysostomus *homil.42. in Matth.* ait, tunc hoc peccatum committi, quando sine ignorantia committitur: Et affert rationem, quia cùm Spiritus sanctus iam notus vobis esse debeat, rem claram, & manifestam oppugnatis: Quod etiam tradunt Athanas. *in dict. orat.2. contra Arianos*, Cyprian. *epist.*52. *& libro de lapsis*, & alij, quos sequitur Suarez *tom.4. de pœnit. disp.*8. *sect.*1. *n.*18.

Objicies: Quodlibet peccatum est talis naturæ, & 14
conditionis, vt nullam mereatur veniam: Ergo quodlibet peccatum dici potest irremissibile: ergo non tantùm blasphemia in Spiritum sanctum.

Respondetur: concedo antecedens, & primùm consequens; quia reuera nullum peccatum natura sua veniam meretur; at distinguo secundum consequens (ly scilicet, *Ergo non tantùm blasphemia in Spiritum sanctum*) absolutè, concedo: comparatiuè, nego; quia si illa comparetur ad alia peccata, videntur hæc veniam aliquam mereri; cùm aliquo modo excusari possint, quod scilicet ex ignorantia, vel ex infirmitate, seu imbecillitate committantur, iuxta illud Psalmi 77. *Spiritus vadens, & non rediens*: Quibus verbis clarè significatur hominis instabilitas, infirmitas, fragilitas, seu imbecillitas; & iuxta illud Psalmi 102. *Et ipse cognouit figmentum nostrum, & recordatus est, quoniam puluis sumus*: Et iuxta illud Apostoli ad Timotheum 1. *Misericordiam consecutus sum, quia ignorantes feci*: Dicitur igitur blasphemia in Spiritum sanctum, Matthæi 12. irremissibilis comparatiuè; quia scilicet difficilè remittitur, eo quòd comparatiuè ad alia peccata nullam veniam mereatur; quomodo non contingit in aliis peccatis, quæ ex ignorantia, vel ex fragilitate committuntur.

Quamvis alij dicant, blasphemiam in Spiritum 15
sanctum esse irremissibilem; quia licèt quidem possit remitti, non tamen sit remittenda: sic Vega *lib.3. in Tridentinum Concil. cap.*9. & alij, quos sequitur Comitolus *lib.4. respons. moral. q.9. c.10. n.23. vers. mihi sanè*, quatenus inquit, peccatum illud Iudæorum ideò sine remissione, & venia futurum esse Christus Dominus prædixit, quia ex diuino, & æterno decreto illud nunquam iis remittendum erat; & mihi quidem valdè persuasum est, neminem illorum (qui offenso animo miracula Christi Domini excogitarunt, eumque habere Spiritum immundum contenderunt) delicti veniam, aut æternam salutem esse consecutum.

At obstare videtur Chrysost. *homil.42. in Matth.* 16
vbi hic Sanctus Pater inquit, forsan aliquos ex illis Iudæis, quos Christus Dominus reprehendebat, fuisse postea ad fidem conuersos, & simul remissionem illius peccati propter Christum Dominum, & Apostolorum prædicationem consecutos: Quod insinuat etiam S.Bonauent. *in 2.dist.43.art.1.q.3.* quatenus ait, peccatum in Spiritum sanctum irremissibile dici, non eo quòd non possit remitti, sed eo quòd non consueuerit remitti: quibus verbis apertè significat, illud peccatum à Iudæis (opera scilicet Christi supernaturalia, & mirabilia Satanæ ex odio, maleuolentia, & inuidia tribuendo) licèt non fuerit remissum omnibus, fuerit tamen remissum aliquibus: Quod etiam, tanquam probabile, tradunt quidam alij, quos sequitur Maldonat. *Matthæi 12. vers.*31.

Quamvis secundò alij putent, blasphemiam in 17
Spiritum sanctum dici irremissibilem, eo quòd non remittatur absque peculiari pœnitentia, cùm non committatur ex ignorantia, vel ex fragilitate, sed ex malitia; sic Theophylact. & Abulens. *in d.c.12. Matth.*

At obstare videtur, quia hoc modo quodlibet peccatum ex malitia commissum, etiam irremissibile dici deberet, quod non est verum.

18 Quamvis tertiò alij sentiant, blasphemiam, seu peccatum in Spiritum sanctum dici irremissibilem ratione pœnæ; eo quòd scilicet, licèt quis de illo peccato pœnitentiam agat, tamen illud ipsi non remittetur in hac vita sine aliqua pœna: Deus enim quædam peccata non punit in hac vita, sed ea punit in altera vita, & quædam punit in hac vita, & non in altera. Hoc verò peccatum blasphemiæ contra Spiritum sanctum punit in hac vita, & in altera vita: Quemadmodum contingit Iudæis, qui in hac vita à Deo fuerunt puniti per Romanos, & in altera vita puniuntur per Dæmones. Ita Richardus *in libro de spiritu blasphemie*, & quidam alij.

19 At obstare videtur, quia communiter Patres locum illum *Matthæi* 12. interpretantur de remissione ratione culpæ; tum quia ex dictis probabile est, quod nonnulli ex illis Iudæis (qui ex odio, & malitia opera supernaturalia, & mirabilia Christi tribuebant dæmoni) propter Christum, & prædicationem Apostolorum, & talis peccati veniam, & vitam æternam fuerunt consecuti.

Quapropter ratio, quare blasphemia in Spiritum sanctum dicatur irremissibilis, probabilior mihi videtur ea, quam suprà dicebam.

SECTIO XXVI.

An, & quomodo procedatur contra blasphemum hæreticalem?

SVMMARIVM.

1 *Blasphemus hereticalis, etiam sapius, idest vltra tres vices reincidens, abiurare debet de leui secundum aliquot, quòd leniter de heresi suspectus sit; at melius est dicendum, eundem abiurare debere de vehementi, quòd de heresi suspectus sit vehementer; sicque seruatur in Inquisitione Hispanica, si non obstet qualitas blasphemantis.*

2 *Blasphemi, qui inueniuntur frequenter, & quasi per consuetudinem in ludo, vel extra ludum ad leuem turbationis modum in hereticales blasphemias prorupisse, abiurare debent de vehementi, attenta vita & consuetudine persona, aliàs abiurant de leui.*

3 *Blasphemi in ira semel, bis, & ter, si ira magna fuit, & ex causa iusta, non solent abiurare. Consuetudinarij verò abiurant de leui in ira, & extra iram abiurant de vehementi.*

4 *Blasphemans hereticalis in blasphemijs hereticalibus grauioribus, si sit homo vilis, flagellis cum publica pœnitentia, & in publico spectaculo, lingua per ferrum, vel per lignum comprehensa caditur, & ad exilium, vel potius ad triremes condemnatur. Si verò sit vir nobilis, pœna pecuniaria mulctatur, & ad tempus in Monasterium detruditur.*

5 *Blasphemus hereticalis in blasphemijs lenioribus solet condemnari, vt aliquo die festo, dum in Ecclesia celebrantur diuina, stet nudo capite, sine chlamyde, nudis pedibus, tenens in dextra candelam accensam, & sacris peractis, publicè legitur sententia contra ipsum lata: Imponuntur enim ieiunia, precationes, & aliquando pœna pecuniaria.*

6 *Blasphemiam hereticalem proferens non ex crudelitate heretica, sed ex nimia perturbatione, licèt secundùm aliquos ab Inquisitoribus non sit puniendus, puniendus nihilominus est, sed mitiùs, salutaribus scilicet pœnitentijs, habita ratione blasphemia, loci, & persona, sine tamen abiuratione.*

7 *Instructio Hispalensis non obstat, quia loquitur de blasphemo non hereticali.*

8 *Blasphemus predictus aliquando, si scilicet non publicè, & cum scandalo blasphemauerit, abiurare solet secretò in domo S. Officij.*

RElpondetur loquendo quoad abiurationem, quamvis nonnulli, quos sequitur Ioseph. Sesse *tom.* 4. *decis.* 450. *n.* 9. velint, quod blasphemus hæreticalis, etiam sæpiùs, idest vltra tres vices, reincidens, abiurare debeat de leui, eo quòd de hæresi suspectus sit leuiter; sicque videntur velle Rojas *de hæretic. part.* 2. *n.* 176. & Salxed. *in addit. ad pract. crimin.* Bernard. Diaz, *cap.* 110. sicque etiam seruatur *in Inquisit. Hispanica*, si non obstat qualitas blasphemantis, & hæreticalium blasphemiarum, meliùs tamen volunt alij, quod scilicet abiurare debeat de vehementi, eo quòd de hæresi suspectus sit vehementer; sicque volunt Vmbert. Locat. *in prax. Inquisit. verb. Blasphemi*, §. 5. *&* 6. Eymer. *in Direct. Inquisit. part.* 2. *q.* 41. *num.* 5. *&* 6. Genuens. *in praxi*, *cap.* 68. *n.* 8. Lælius Zecb. *in summa, tom.* 1. *cap.* 15. *num.* 3. Lazarius *in pract. de blasph.* *q.* 6. *n.* 17. Sousa *in aphor. Inquisit. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 18. 1

(quatenus ait: Blasphemi, qui inueniuntur frequenter, & quasi per consuetudinem in ludo, vel extra ludum ad leuem turbationis motum in hæreticales blasphemias prorupisse, abiurare debent de vehementi, attenta vita, & consuetudine personæ; aliàs abiurant de leui) & Zanard. *in Director. Theolog. part.* 2. *precept.* 1. *cap.* 11. *n.* 10. 2

quatenus inquit: Blasphemi in ira semel, bis, & ter, si ira magna fuit, & ex causa iusta, non solent abiurare; consuetudinarij verò in ira abiurant de leui, & consuetudinarij in ira, & extra iram abiurant de vehementi, sicque etiam seruatur in Inquisitione Romana. 3

4 Loquendo autem quoad alias pœnas, dico quod prædictus blasphemus hæreticalis in blasphemiis hæreticalibus grauioribus, si sit homo vilis, flagellis cum publica pœnitentia, & in publico spectaculo, lingua per ferrum, vel per lignum comprehensa cædatur, & ad exilium, vel potiùs ad triremes condemnetur; si verò sit vir nobilis, pœna pecuniaria mulctetur, & ad tempus in monasterium detrudatur:

5 In blasphemiis autem hæreticalibus leuioribus solet condemnari, vt aliquo die festo, dum in Ecclesia celebrantur diuina, stet nudo capite, sine chlamyde, nudis pedibus, tenens in dextra candelam accensam, & sacris peractis, publicè legitur sententia contra ipsum lata; imponuntur etiam ieiunia, precationes, necnon & aliquando pœna pecuniaria. Simanch. *tit.* 8. *num.* 10. *&* 11. & Salxed. *in addit. ad pract. crimin.* Bernard. Diaz, *cap.* 110. *lit. A.* Videri etiam poterit Peña *in Direct. Inquis. part.* 2. *comment.* 66. Rojas *de heret. part.* 2. *n.* 176. & Lazarius *de blasphemia*, *q.* 6. *num.* 50.

6 Aduerte tamen hîc, quod (quamvis Comitolus *in respons. moral. lib.* 4. *q.* 9. *cap.* 3. & Lazarius *vbi suprà*, *num.* 16. quibus fauere videtur Instructio Hispalensis anno 1550. *cap.* 4. teneant, quod ab Inquisitoribus puniri non debeat is, qui non ex credulitate hæretica, sed ex vehementi perturbatione protulit blasphemiam hæreticalem) meliùs tamen tenent Albertin. *q.* 57. *n.* 6. & Rojas *de heret. loc. suprà citato*, nempe quod adhuc puniendus sit, etsi mitiùs, salutaribus scilicet pœnitentiis, habita ratione blasphemiæ, loci, & personæ, sine tamen abiuratione; quia turbatio & commotio, seu iracundiæ calor probatus in foro externo minuit quidem delictum, sed non excusat totaliter, ita vt reos liberetur à pœna totali: videatur etiam Genuensis *in praxi*, *cap.* 68. *n.* 13. quatenus ait, quod iis, qui semel dicunt aliqua verba hæreticalia,

vel

vel scandalosa ex ira, soleat imponi pœnitentia salutaris, & aliquando publica, quod v. g. teneant candelam accensam in Ecclesia tempore Missæ solemnis sine aliqua abiuratione. Quod multò magis locum habebit, si prædictus blasphemans post blasphemias signa doloris ostenderit: ita DD. quos sequitur Zaoard. *in Direct. Theolog. p.3.c.334.* quatenus asserit, quod qui in ira magna, vel in alia vehementi passione bis, & ter blasphemauerit hæreticaliter, & sedata passione, dolorem de suo crimine ostenderit, pœnitentiis salutaribus punitus, sine abiuratione relinquatur.

7 Non obstat Instructio Hispalensis, quam suprà dicebam; quia sicuti præter alios adnotauit Rojas *loco suprà citato*, talis Instructio loquitur de blasphemo non hæreticali.

8 Aduerte 2. quod prædictus etiam blasphemus aliquando (si scilicet non publicè, & cùm scandalo blasphemauerit) adiurare solet secretò in domo sancti Officij; sic Doctores, quos sequitur Ioseph Sesse *in decis. Regn. Aragon. tom. 4. decis. 470. num. 24.* quatenus testatur, quod quidam blasphemus vna & altera vice fuerit condemnatus ad abiurandum de leui, in Audientia Tribunalis, & ad exilium per spatium quatuor annorum.



DVBITATIO CCXIX.

Quidnam dicendum de superstitione?

SECTIO PRIMA.

Supposita.

SVMMARIVM.

1 *Superstitio est actus cultus falsi, sicuti Religio est actus cultus veri. Ad cultum autem verum duo requiruntur, vnum ratione obiecti, nempe verus Deus: Alterum ratione modi, videlicet ad Dei excellentiam protestandam.*

2 *Ex primo capite si Deus non sit verus, emergunt tres superstitionis species, scilicet Idololatria, Diuinatio, & vana Obseruatio.*

3 *Ex secundo capite, videlicet si error sit ex parte cultus, siue modi colendi verum Deum, duæ aliæ superstitionis species emergunt, scilicet cultus falsus, & mendax, saltem materialiter, & obiectiuè; & cultus perniciosus.*

4 *Cultus falsi, mendacis, & perniciosi prior species diuiditur in duos modos: Primus enim modus falsitatis est cum ordine ad rem significatam, à qua discordat cultus significatio. Secundus modus ex parte ipsius colentis.*

5 *Hæreticorum falsa, & perniciosa traditiones spectant ad primum modum dicentium in sacrificio aliud afferendum, quam quod Christus, & Apostoli nobis tradiderunt, & Ecclesia Catholica semper tenuit.*

6 *Item si quis reliquias non Sanctorum pro reliquiis Sanctorum venerandas proponat: vel si falsa miracula prædicet, aut scriptis mandet, &c.*

7 *Ad secundum modum spectat, si quit v.g. Deum colat tanquam publicus, siue ab Ecclesia institutus Minister, cùm nullam commissionem, vel saltem talem commissionem ab Ecclesia non habeat; quia sicut falsarius censetur is, qui nomine alterius proponit aliqua, qua commissa non habet.*

8 *Item ad dictum modum spectat, si quis, cùm Sacerdos non sit, sacrificium offert; vel si quis etiam Sacerdos, sed excommunicatus, & ab Ecclesia præcisus, nomine Ecclesiæ sacrificet, aut alia Sacramenta administret, &c.*

9 *Cultus falsus, licèt nonnulli Doctores dicant reperiri non solum in cultu publico, sed etiam in cultu priuato: Probabilius tamen est, quod ex parte colentis reperiatur tantùm in cultu publico, sine communi; quia in cultu priuato vnus non colit Deum nomine alterius, vt in hoc possit esse falsitas; sed quisquam colit in sola sua persona priuata.*

10 *Oratio Dominica dici potest nomine priuato; neque enim est instituta, vt solo nomine Ecclesiæ dicatur; sed est instituta, vt pro tota Ecclesia fiat: Quapropter si quis eam pro se solo proferat, nihil falsum ex parte ipsiusmet orantis profert; sicque non est peccatum superstitionis, sed tantùm contra charitatem, excludendo scilicet alios ab illo fructu.*

11 *Sacerdos, si celebrando Missam intenderet excludere alios à fructu orationis Dominicæ, neque esset mendax in cultu; quia oratio totius Ecclesiæ pro vno priuato offerri potest: sed esset prauus in sua intentione, & peccaret contra charitatem communem, & contra sui ministerij fidelitatem.*

12 *Ieiunium in die Dominico est superstitiosum, quia in eo est falsitas ex parte rei significata; significaretur enim Resurrectionem Christi colendam non esse: At nulla esset falsitas ex parte colentis, seu ieiunantis.*

13 *Idem dic de proponente falsas reliquias vt veras; non enim esset falsitas ex parte proponentis, sed ex parte rei significata.*

14 *Cultus superstitiosi posterior species, qui est secundùm superfluitatem, consistit in eo, quod quis Deum colit eo modo, aut ea ceremonia, quæ ex se neque ad ipsius Dei gloriam, neque ad spiritus deuotionem excitandam, neque ad illecebras carnis domandas deseruit, aut quia ex se est ceremonia inanis. Vide ibi varia exempla.*

15 *Cultus igitur superfluus vel est superfluus secundùm se, & contingit quando cultus exterior ad sola exteriora est vtilis, at nihil spiritui deseruit; vel est superfluus iuxta statuta Ecclesiæ. Vide ibi exempla allata.*

16 *Cultus Diuini superfluitas non vitabitur, quamuis nouarum prater Ecclesiæ morem ceremoniarum adinuentor ad interiorem deuotionem eas ordinare intendat.*

17 *Superstitio huiusmodi cultum, scilicet indebitum, seu superfluum exhibeas, si contemptus, & scandalum absit, est tantùm peccatum veniale: At si cultus non est tantùm vanus, sed etiam turpis, est mortale.*

Svppono, quod superstitio sit actus cultus falsi, sicuti Religio est actus cultus veri: Quapropter, cum ad cultum verum, ac religiosum duo requirantur, vnum ex parte obiecti, vt scilicet verus Deus colatur: Alterum ex parte modi, quo Deus colitur, vt scilicet signum ad Dei excellentiam protestandam congruum ab homine exhibeatur: Ideò si horum alterutrum deficiat, superstitio, seu falsus cultus efficitur: Cum ex Philosopho: Bonum sit ex integra causa, malum autem ex singulari defectu. 1

Suppono 2. quod ex primo capite, si scilicet error, seu defectus sit ex parte obiecti, quia non Deus verus, sed falsus colitur, tres superstitionis species emergant, Idololatria scilicet, Diuinatio, & vana Obseruatio, S. Thomas *quæst. 92. art. 2.* quem communiter 2

nitet sequuntur Doctores; quia Dæmon ex supetbia Diuinum honotem io omoibus affectans, tisdem modis, quibus Deus ab hominibus coltut, & ipse ab illis coli procutat: Colimus autem Deum, tum reuerentiam ipsius Dei diuinæ excellentiæ debitam deferendo, tum ab illo petendo ea, quæ solus ipse nobis concedete potest, partim scilicet ad oostræ mentis instructionem, partim etiam ad nostrarum actionum ditectionem: Quapropter & ita dæmon similiter homines edocet: Primò vt ipsi cultum, ac reuetentiam soli Deo debitam exhibeant per idololatriam; secuodò, vt ab ipso tetum occultarum cogoitionem petant, per diuinationem: Tertiò, vt ab ipso suarum actionum ditectionem expostulent, per magiam, seu vanam obseruationem.

5 Suppono 3. quod ex secundo capite, si scilicet error, seu defectus sit ex parte cultus, siue modi colendi verum, duæ aliæ superstitionis species exurgant t idem S.Thomas *q.93. art.1. & 2.* quem etiam communiter sequuntut Doctores; quia vel est cultus falsus, ac mendax, saltem materialiter, & obiectiuè, vt ibi notauit Caietanus, quem cultum S. Thomas cultum petniciosum appellat; quia omnis falsitas, & omne mendacium in matetia Religionis Deo iniutiosum, ac maximè perniciosum est, teste Augustino *in libro contra mendacium, cap.* 3. vel est cultus tantùm inanis, ac superfluus, scriptum est enim, inquit Caietanus verbo superstirio, veti adoratores adorabunt in spiritu, & veritate. *Ioan.* 4. Cultus autem perniciosus est contta vetitatem; cultus vetò superfluus recedit à spiritu.

4 Suppono 4. quod ex his duabus vltimis speciebus cultus, scilicet falsi, mendacis, ae perniciosi, quas mox suprà dicebam, priot species diuidatur in duos modos.

Primus enim modus falsitatis est cum ordine ad rem significatam, à qua discordat cultus significatio, vt si quis v.g. hodie colat Deum pet Agni Paschalis ceremooiam, per quam ex diuina Institutione significabatur Passio Christi futura: idemque est de aliis Iudaïcis cetemoniis, per quas ex Dei institutione significabatur gratia futura per Christum exbibenda, quæ tamen nobis iam exhibita est.

5 Quò spectant falsæ, & petniciosæ traditiones eorum Hæteticorum, qui aiunt, in sacrificio aliud offerendum, quàm quod Christus, & Apostoli nobis tradiderunt, & Ecclesia Catholica semper tenuit: contta quos hæteticos videri poterit S. Augustioua *hæresi* 54. & S.Thomas *vbi suprà, art.*1.

6 Quò etiam spectat, si quis teliquias non Sanctorum pro teliquiis Sanctorum veoerandas proponat, vel si falsa miracula prædicet, aut sctiptis mandet; vel si anathema affetat vt signa miraculorum, quando nulla contigetunt: quæ ex genere suo sunt peccata mortalia, cum sint petniciosæ falsitates, ob quas minor deinde fides veris Saoctorum Reliquiis, vetisque mitaculis adhibetur, sicque quantum est ex se, extirpent fidem earum Reliquiarum, quæ sunt veræ Sanctorum Reliquiæ, & fidem eotuio miraculotum, quæ sunt vera mitacula. Caietao. *in sum. verb. Superstitio, c.*1. Nauarr. *c.*11.*n.*27. *vers. Sextò*, & alij, quos sequitur Sanchez *lib.*2.*moral.c.*37.*n.*9.

7 Secundus modus falsitatis est ex parte ipsius colentis, vt si quis v.g. Deum colat tanquam publicus, seu ab Ecclesia institutus Minister, cùm nullam commissiooem, vel saltem talem commissionem ab Ecclesia oon habeat; quia sicut falsarius censetur is, qui nomine alterius proponit aliqua, quæ commissa non habet; ita etiam falsarius censebitur is, qui nomine Ecclesiæ contta voluntatem Ecclesiæ, vel contta formam constitutam, & obsetuatam ab Ecclesia cultum Deo exhibet: Doctores communiter ex S. Thoma *cit. q.*93. *art.*1.

Quò spectat, si quis cùm Sacerdos non sit, sacri- 8
ficium offert, cuius exemplum habemus in Saule 1. *Regum* 3. *cap.*13. vel si quis etiam Sacerdos, sed excommunicatus, vel ab Ecclesia ptæcisus, nomioe Ecclesiæ sacrificet, aut si alia Sactamenta, quæ ipsi non commissa, sed prohibita sunt, administraret: Vel si quis, etiam similiter Sacerdos, sed non probibitus, seu Minister non ptæcisus, in sacrificiis, aut in aliis publicis Officiis Deum nomine Ecclesiæ contta voluntatem, & ordinatiooem Ecclesiæ precetur: Doctores quos sequitur Suarez *tom.*1. *tract.*3. *lib.*2.*de superstitione, c.*2.*n.*11.*& seqq.*

Dixi: *in sacrificiis, aut in aliis publicis officiis*; quia 9
quamvis cultum falsum ex parte colentis non solùm in culiu publico, Ministri scilicet exetcentis nomine Ecclesiæ, sed etiam io cultu prioato teperiri doceant Caietanus 2.2.*q.*93. Valentia 2.2.*disp.*6.*q.*10.*punct.*2. *circa finem*, Lessius *de iust.& iur. lib.*2.*cap.*43. *dub.*1. *num.*3. & Sayrus *in claui regia, lib.*4. *cap.*4.*n.*4. vbi exemplum afferunt Caietauus, & Valentia, si quis otationem Dominicam iustitutam à Chtisto Domino ad orandum pro omnibus, vt patet ex eius forma, *dimitte nobis, &c.* velit pto se offerre singulariter, excludendo scilicet alios: Et vbi aliud exemplum affett Caietanus, si quis nimitum ieiunet die Dominico: Et vbi aliud etiam exemplum affert Lessius, si quis scilicet Reliquias falsas vt veras proponat. Probabilius tamen sit, prædictum cultom falsum ex parte colentis reperiri solùm in cultu publico, seu communi; quia in cultu priuato vnus noo colit Deum nomine alterius (vt in hoc possit esse falsitas) sed quisque
colit in sola sua persona priuata: Ergo non potest esse 10
falsitas ex patte colentis, sed ex patte solius rei significatæ vtendo falso signo, significando scilicet quod non sit ita: Et constat in exemplo ipsius orationis Dominicæ, quia quidem dici potest illa nomine priuato, nec est iustituta, vt solo nomine Ecclesiæ dicatur; cùm Chtistus Dominus omnibus, & singulis dixetit Matth. 5. *Vos autem sic orabitis*: Sed est iostituta, vt pto tota Ecclesia fiat: Quapropter si quis eam pro se solo profetat, nihil falsum ex parte ipsiusmet orantis, cum in sua sola petsona otet, profetet; sicque oon erit supetstitionis, sed contra charitatem peccatum, exclu-
dendo scilicet alios ab illo fructu: Quinimò etiamsi 11
Sacerdos eam in Missa proferens intenderet alios excludere ab illo fructu, neque adhuc etiam esset mendax in cultu, quia oratio totius Ecclesiæ pro vno priuato offerri potest; sed esset pravus in sua iotentione, & peccaret contta charitatem communem, & contra sui
Ministetij fidelitatem: similiter in superstitioso diei 12
Dominici ieiunio esset falsiras ex patte rei significatæ; quia sic significaretur, Resurrectionem Christi non esse colendam. At nulla esset falsitas ex parte colentis, seu ieiunantis; quia nomine proprio verè ieiuna-
ret, nec simularet, se oomine Ecclesiæ ieiunate. Simi- 13
liter tandem in proponente nomine proprio falsas Reliquias vt veras, nulla esset falsitas ex patte proponentis, vtpote qui non fingeret se nomine Ecclesiæ eas proponere, sed esset falsitas ex parte rei significatæ: Et sic de aliis. Videri poterit Suatez *tom.*1. *de Religione, lib.*2. *de superstitione, cap.*2. *n.*15. *& sequentibus.*

Suppono 5. quod posteriot species cultus, cultus 14
scilicet superstitiosi, qui est secundùm supetfluitatem, consistat in eo, quod quis Deum colit eo modo, aut ea ceremonia, quæ ex se neque ad ipsius Dei gloriam, neque ad spititus deuotionem euitandam, neque ad illecebras catnis domandas deseruit. Aut quia ex se est ceremonia inanis, v.g. abstinendi die Sabathi in bonorem Beatæ Virginis ab vno opere seruili, vt suendi, vel nendi, &c. & oon ab aliis operibus seruilibus eiusdem generis: aut orandi ante solis ortum, adhibito certo numero, certo situ, certoque

toque colore Cereorum ; aut audiendi Missam à Sacerdote, qui vocetur Petrus, vel Paulus, &c. sic Doctores, quos sequitur Nauarr. *in sum. citato cap.* 11. *n.* 53. *&* 35. Vel quia est ceremonia contra statutum, aut consuetudinem Ecclesiæ, v. g. in Missa sæpiùs dicendi Alleluia, vel Kyrie eleison, faciendi plures cruces quàm ordinatum sit ab Ecclesia ; dicendi Gloria, vel Credo, quando ex instituto Ecclesiæ omitti debent, &c. Itavt breuiter cultus superfluus sit ; vel quia ex seipso est inanis, & ad spiritum excitandum inutilis ; vel quis est ab Ecclesiæ statuto, aut consuetudine alienus : Quo posteriori casu quamvis, vt præcisè spectatus, ad Dei gloriam, & ad spiritus deuotionem excitandam, & ad illecebras carnis domandas idoneus esse possit, posito tamen Ecclesiæ contrario decreto, inutilis, & peccato obnoxius est. Caietan. *cit. cap.* 1. quem passim sequuntur Doctores.

15 Cultus igitur superfluus, teste Caietano vbi suprà, quem sequuntur Armilla *eod. verb. Superstitio, num.* 5. Nauarr. *in sum. cap.* 11. *n.* 54. Saytus *in claui regia, lib.* 4. *cap.* 4. *n.* 1. Lessius *de iust. & iur. lib.* 2. *c.* 43. *dub.* 1. *n.* 5. & alij communiter, vel est superfluus secundùm se ; quod dicunt contingere, quando cultus exterior ad sola exteriora est vtilis, at nihil spiritui deseruit, v. g. cum quis præter vsum Ecclesiæ, & proborum virorum, apud quos viuit, singulariter aliquid diuini cultus operatur ; vel est superfluus iuxta statuta Ecclesiæ : Huius posterioris cultus superflui exempla subjiciunt Caietanus, Armilla, Nauarrus, Saytus, & Lessius *in locis suprà cit.* vt si quis præter rubricas Breuiarij, & Missalis dicat in Missa, vel in Officio diuino aliquid, vt bis Alleluia (quando semel dicendum est) aut Credo, aut Gloria (quando dicenda non sunt) vel (vt ait Caietanus) si in Missa faciat signum Crucis, vbi fieri non mandatur ; vel vt ait idem Caietanus, & Armilla, plures Acolyti, quàm soleant de more Ecclesiæ, adhibeantur. Prioris autem cultus superflui exempla subjicit Nauar. vt si quis adhibeat ceremoniam orandi ante solis ortum, vel audiendi Missam Sacerdotis, qui tali nomine, v.g. Petrus, vel Paulus, &c. appelletur.

16 Nec, vt rectè ait Caiet. 2. 2. *q.* 93. *art.* 2. superfluitas hæc diuini cultus vitabitur, quamvis nouarum, præter Ecclesiæ morem, ceremoniarum adinuentor ad interiorem deuotionem eas ordinare intendat ; quia cùm exterior Dei cultus ordinetur ad interiorem, omnis ille cultus, qui non ordinatur ad interiorem, qualiscumque eum cultum adhibentis intentio fuerit, est superfluus : At non rectè ordinatur ad interiorem Dei cultum id, quod præter Ecclesiæ, & proborum virorum consuetudinem causa diuini cultus efficitur, cùm à tali consuetudine recedere sit peccatum. Ergo, &c.

17 Cæterùm huiusmodi superstitio, cultum scilicet indebitum, seu superfluum exhibens, si contemptus, & scandalum absit, est tantùm peccatum veniale. Caietanus *citato cap.* 1. & Lessius *de iust. & iur. lib.* 2. *c.* 43. *dub.* 1. *n.* 5. At si cultus non sit tantùm vanus, sed etiam sit turpis, vt si quis Deum colat aliqua actione praua, vel turpitudinem continente, exempli gratiâ hominis immolatione, rei furtiuæ oblatione, turpibus verbis in Templo decantatis, vel solo etiam vocis, aut organi sono notabiliter lasciuo, & ad impuritatem prouocante, est peccatum mortale ; qua de re videri poterit Caietan. 2. 2. *q.* 91. *art.* 1. *& in sum. verb. organorum vsu*, Suar. *tom.* 1. *de Religione, c.* 13. *n.* 16. Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 9. *puncto vnico*, & Sanchez *lib.* 2. *moral. c.* 37. *n.* 7. videri etiam poterit Concilium Tridentinum *sess.* 22. *in decreto de obseruandis & euitandis in celebratione Missæ.* His suppositis, sit

SECTIO II.

Dubitationis Resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores procedunt contra superstitiosum, saltem si cultus error, seu defectus contingat ex parte obiecti ; quia non verus, sed falsus Deus colitur : vel si cultus error, seu defectus contingat ex parte ipsiusmet cultus, seu modi colendi verum Deum ; siue, quia modus falsitatis est cum ordine ad rem significatam ; quia talis vel est Hereticus formalis, vel de heresi grauiter suspectus.*

2 *In dubio an effectus sit à Dæmone, necnon de variis superstitiosis obseruationibus in dubio quid dicendum sit, habetur* tract. 3. de conscientia dubia, sect. 1. 2. & 3. Auctoris, *& dicetur etiam infrà* dubitationib. seqq.

Respondetur : Contra superstitiosum, saltem si cultus error, seu defectus contingat ex parte obiecti, quia non verus, sed falsus Deus colitur ; vel si cultus error, seu defectus contingat ex parte ipsiusmet cultus, seu modi colendi verum Deum, siue quia modus falsitatis est cum ordine ad rem significatam, à qua discordat cultus significatio, siue quia modus falsitatis est ex parte ipsiusmet colentis, absque dubio procedunt etiam Inquisitores. 1

Probatur, quia talis superstitiosus vel est hæreticus formalis, vel saltem est de hæresi grauiter suspectus. Vide quæ dicebam de suspectis hæresis *dubit.* 167. *& seqq.* & quæ dicebam *dub.* 195. *sect.* 70. 71. *&* 72. *& dub.* 206. *per totam.*

Cæterùm, quid dicendum in dubio, an effectus sit à dæmone : Item quid dicendum de quibusdam grauiter vulneratos in Hispania curantibus : Item quid dicendum de iis, qui ex auium, piscium, aliorumque animalium voce, cantu, volatu, &c. de fortuitis euentibus coniectationem desumunt ; & tandem quid dicendum de aliis similia obseruantibus, videri poterunt quæ dicebam *tract.* 3. *de conscientia dubia, sect.* 1. 2. *&* 3. & etiam quæ dicam *infrà dubitationibus seqq. præsertim dubit.* 226. *&* 228. *per suas sectiones.* 2

SECTIO III.

Corollaria.

SVMMARIVM.

1 *Suppositis, qua diuino cultui directè opponitur, est vitium religioni oppositum secundùm excessum ; Excessus autem non attenditur penes quantitatem, sed secundùm alias circumstantias.*

2 *Superstitio quadruplex est, & quænam sit qualibet earum, recensetur.*

3 *Superstitio indebiti modi cultus diuini duplex est : Vna cùm cultus est falsus, ac proinde perniciosus : Altera verò cum cultus est superfluus.*

4 *Cultus falsus contingit dupliciter. Primò cùm cultus est falsus ratione rei significata. Secundò cum cultus est falsus ratione colentis, saltem in cultu publico per Ministrum Ecclesia nomine ipsius Ecclesia exhibito.*

5 *Cultus indebiti vtriusque modi deformitas consistit in*

in eo, quod in externo actu cultus diuini veritas, vel commensuratio, seu proportio ad spiritum desit; quia Deum in Spiritu, & veritate adorare oportet.

6 *Cultus, si sit indebitus, est peccatum mortale, quia falsus; falsitas enim in materia Religionis est valdè graue, & perniciosum peccatum.*

7 *Limita, si cultus, in quo est falsitas ex parte colentis, sit communis, & publicus; secus si sit particularis & priuatus, quia tunc est solùm culpa venialis.*

8 *Admiscens siue turpia, siue vana, profana, seu sæcularia voce, seu organo diuinis Officiis formaliter, & ex intentione, tunc vltra deformitatem, quā talis actus suaptè natura, quatenus scilicet est vanus, vel prouocat ad malum, efficitur, & est etiam peccatum mortale superstitionis indebiti cultus diuini; quia est cultus falsus ex parte colentis, & cur.*

9 *Admiscens materialiter tantùm prædicta diuinis Officiis, non intendens ea admiscere vt partem illarum, sed applicare tantùm materialiter illam consonantiam ad diuina verba, quæ sunt cantanda, committis mortale, vel veniale pro ratione mali grauis, vel leuis, ad quod prouocat; & sic potest etiam committere mortale ratione scandali.*

10 *Vel tandem, si quis vult organis profana significare, non tamen vult ea tanquam partem diuini cultus, sed solùm delectationis causa, tanquam quid impertinens ad Diuinum Officium, & tunc si ea sint turpia, &c. præter malitiam, quam habent ratione prouocantis ad malum, habent etiam aliam moralem malitiam mortalem, ob iniuriam cultus diuini.*

11 *Secus lasciuus, aut valdè sæcularis, potest esse veniale peccatum ratione paruitatis materiæ, vel bonæ intentionis, vel inaduertentiæ, si non sit impurus, sed solummodò vanus.*

12 *Item potest etiam esse venialis imprudentia, si sit intentio prouocandi per illum sonum ad deuotionem spiritualem, nisi tanta sit illius soni accommodatio ad lasciua, vt moraliter non possit id excusari.*

13 *Dicentes inuicem in nocte Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi execrationes, seu maledictiones tempore, quo lectiones dicturi benedictionem petunt, mortaliter peccant, si prædicta execrationes admisceantur vt pars quadam diuini officij, vel cum scandalo, vel sint quid turpe.*

14 *Est peccatum mortale, si quis Sanctorum reliquias falsas tanquam veras adorandas proponat; vel si cera, aut cuiuscumque alterius materiæ figuras aut imagines in falsi miraculi, vel falsi beneficij recepti signum offerant; quia ex natura actus is operatur contra diuinum cultum.*

15 *Idem dic, si miracula falsa, tanquam vera, prædicet, aut scriptis mandet; quia pariter talis cultus est falsus, & perniciosus, veram miraculorum fidem eneruans.*

16 *Cultus è contrà si sit indebitus, quia est tantum superfluus, nec adest contemptus Ecclesiasticæ disciplinæ, est tantùm peccatum veniale, quia bonus animus, ex quo huiusmodi cultus emanat, eius deformitatem diminuit.*

17 *Limita, nisi sit contra præceptum aliquod grauiter obligans.*

18 *Item limita, nisi magna sit peruersio.*

1 EX dictis sequitur primò, quod superstitio, quæ diuino cultui directè opponitur, teste etiam S.Thoma 2.2.q.92.art.1. sit vitium Religioni oppositum secundùm excessum; quia per ipsam superstitionem exhibetur cultus diuinus creaturæ cui non debetur, vel si quidem exhibetur Deo, cui debetur, non exhibetur eo modo, quo exhiberi debet.

Dicitur autem *secundùm excessum*, non quidem secundùm circumstantiam *quanti*, seu *quantitatis*; quia nihil potest esse secundùm se nimium in materia Religionis, sed secondùm alias circumstantias, sicuti ex dictis patet, & ex dicendis etiam patebit.

Sequitur secundò, quod teste etiam S. Thoma *ibidem*, ad mentem S. Augustini *lib. 2. de doctrina Christiana*, & refertur *in cap. illud, 26. q. 2.* quadruplex sit superstitio: *Prima*, si quis exhibet cultum Deo modo indebito: Et hæc appellatur superstitio indebiti modi colendi Deum: *Secunda*, si quis exhibet cultum diuinum creaturæ, eam loco Dei adorando: & hæc appellatur idololatria. *Tertia*, si quis petit à creatura instructionem, quæ à solo Deo haberi potest: atque sic hunc diuinum cultum tribuit creaturæ, vt per ipsam creaturam velit instrui de futuris, vel de præteritis, vel de præsentibus occultis: Et hæc appellatur diuinatio: *Quarta, & vltima*, si quis in suis actibus omittit dirigi à Deo (quemadmodum cultus diuinus petit) & hunc cultum tribuit creaturæ, directionem scilicet ab ipsa creatura petendo: Et hæc appellatur superstitio vanæ obseruationis. De prima superstitione dicam *sectione præcedenti*: De tribus autem aliis posterioribus dicam *dubitat. sequentibus*. 2

Sequitur tertiò, quod superstitio indebiti modi cultus diuini sit duplex: vna, cùm cultus est falsus, ac perinde perniciosus: Altera verò, cum cultus est superfluus. Cultus falsus, teste etiam S. Thoma 2. 2. q. 92. art. 2. contingit dupliciter. Primò, cum cultus est falsus ratione rei significatæ. Secundò, cum cultus est falsus ex parte colentis, saltem in cultu publico per Ministrum Ecclesiæ, nomine scilicet ipsius Ecclesiæ exhibito, sicut ex probabiliori dicebam *sectione præcedenti, supposito* 4. Cultus autem superfluus, teste etiam S.Thoma *loco suprà citato*, contingit cùm exhibetur eis ceremoniis, quæ iudicio proborum, & sapientum virorum nec ad Dei gloriam, nec ad excitandum Spiritum, nec ad domandas illecebras carnis quidquam conducunt. 3 4

Deformitas vtriusque modi cultus indebiti consistit in eo, quod in externo actu cultus diuini veritas, vel commensuratio, seu proportio ad spiritum desit; quia Deum in spiritu, & veritate adorari oportet, *Ioan.* 4. At veritati falsitas; commensurationi autem, seu proportioni ad spiritum superfluitas aduersatur: Ergo, &c. 5

Sequitur quartò, quod sit peccatum mortale, si cultus sit indebitus, quia falsus, siue scilicet sit falsus ratione rei per ipsum cultum significatæ, siue falsus ex parte colentis; quia falsitas in materia Religionis est valde graue, & perniciosum peccatum. S. Augustin. *lib. de mendacio, cap.* 4. quem sequuntur Caietanus 2.2. q.93. *art.* 1. *vers. Ad hoc dicitur, & in sum. verb. Interrogatio Confessorum, & verbo superstitio, c.* 1. Armilla *ibid. n.* 2. Valentia 2.2. *disp.* 6. *q.* 10. *punct.* 2. *vers. si autem quæratur*, Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de superstitione, cap.* 2. *n.* 18. Lessius *de Iust. & Iur. c.* 43. *dub.* 1. *num.* 4. Nauarrus *in sum. cap.* 11. *n.* 24. Sayrus *in Claui regia, lib.* 4. *cap.* 4. *n.* 4. & alij passim. 6

Limitant tamen Valentia, Nauarrus, & Sayrus *in locis suprà citatis*, si cultus, in quo est falsitas ex parte colentis, sit communis, & publicus; secus si sit particularis, & priuatus, vt in exemplo orationis Dominicæ, vel ieiunij in die Dominico; quia tunc (inquiunt ipsi) est solùm culpa venialis: Quod multò magis locum habebit in nostra sententia, quia iuxta ea quæ dicebamus *præcedenti supposito* 4. non admittimus cultum falsum in cultu particulari, seu priuato, 7

Peter;

8 Petes quid dicendum, si inter diuina officia voce, vel organis turpia cantentur, vel turpes soni proferantur, vel vana, prophana, seu sæcularia admisceantur. Quod Tridentinum Concilium *sess. 24. de seruandis, & vitandis in celebratione Missæ*, præcipit Episcopis, vt interdicant; & improbat S. Hieronymus *in cap. 5. ad Ephesios*, relatus *cap. t. distinct. 92.*

Respondetur cum Caietano *2. 2. quæst. 91. art. 1. vers. inter hæc*, & *in summa, verb. organorum vsus*, Armilla *in summa, eodem verbo, numero vnico, & verb. cantus, num. 4.* Suarez *tom. 2. de religione, de oratione lib. 4. cap. 13. num. 16. & 17.* Nauarro *in sum. cap. 12. num. 87.* Valcotia *2. 2. disp. 6. quæst. 9. punct. vnico*, & aliis distinguendo: Si quis ea, siue turpia, siue vana, prophana, seu sæcularia voce, siue organo diuinis officiis admisceat, formaliter, & ex intentione; Quod euenit cum quis ea prædictis officiis diuinis admiscet, tanquam partem eorum, v. g. loco Antiphonæ, tunc vltra deformitatem, qua talis actus suapte natura (quatenus scilicet est vanus, vel prouocat ad malum) afficitur, est etiam peccatum mortale superstitionis indebiti cultus diuini; quia est cultus falsus ex parte colentis, vtpote qui nomine Ecclesiæ inserit, tanquam partem diuini cultus, quod Ecclesia inseri non vult: tum quia aduersatur diuini cultus fini, qui est, quod non ad vana, prophana, seu sæcularia, sed quod ad cœlestia mentes excitet.

9 Vel admiscet materialiter tantùm, quod euenit cùm quis non intendit ea diuinis officiis admiscere, tanquam partem illorum, sed applicate solùm materialiter illam consonantiam ad diuina verba, quæ sunt cantanda; & tunc id, quamvis ex se sit quid indifferens (sonus enim, siue vocis, siue organorum, ex se Indifferens est ad significanda sacra, vel prophana;) est tamen peccatum ratione conditionis, aut naturæ soni, si talis sit, vt communiter audientes ad malum prouocet. Mortale tamen, vel veniale pro ratione mali grauis, vel leuis, ad quod prouocat; etsi possit etiam esse mortale ratione scandali, vt si audientes consonantiam apprehendant, quod musicus ex intentione ea prophana diuinis officiis admisceat.

10 Vel randem quis vult organis prophana significare, non tamen volt ea tanquam partem diuini cultus, sed solùm delectationis causa, tanquam quid impertinens ad diuinum officium admiscere: & tunc si illa prophana sint turpia, & lasciua, præter moralem malitiam (quam ex se habent ratione prouocationis ad malum) habent etiam aliam moralem malitiam mortalem ob iniuriam cultus diuini; & cùm ipsa res manifestè suam turpitudinem præferat, vix, ac vix quidem in ea dari poterit ignorantia excusans. Si verò non sint turpia, & lasciua, sed vana, prophana, seu sæcularia tantùm, erit solùm peccatum veniale; quia non est grauis iniuria; præsertim si quis exinde non grauiter diuinum officium lædi arbitretur.

11 Videri poterit præter alios Suarez *loco suprà citato*, vbi subdit primò, quod sonus lasciuus, aut valdè sæcularis possit esse veniale peccatum ratione paruitatis materiæ, vel bonæ intentionis, vel inaduertentiæ, si non sit impurus, sed solummodò vanus, seu si non admisceatur ad delectationem impuram, sed solummodò ad delectationem vanam. Sub-

12 dit secundò, quod sit etiam venialis imprudentia, si sit intentio prouocandi per illum sonum ad deuotionem spiritualem, nisi tanta sit illius soni accommodatio ad lasciua, vt moraliter non possit id excusari vel à pulsantibus organa, aut à præcipientibus ignorari.

Petes secundò, quid dicendum de illis, qui in nocte Natiuitatis Christi Domini execrationes, seu maledictiones tempore quo lectiones dicturi benedictionem petunt, sibi inuicem dicunt?

Respondetur cum Nauarro *in summa, cap. 11. numero 87. & in cap. quando, causa 16. num. 92.* & aliis, 13 quod peccant mortaliter, quia id valdè dedecet diuinum officium.

Quod tamen intellige iuxta ea, quæ mox suprà diximus, si prædictæ execrationes, seu maledictiones admisceantur vt pars quædam diuini officij, vel cum scandalo, vel sint quid turpe, quod ad malum prouocet.

Sequitur quintò, quod sit peccatum mortale, si quis 14 Sanctorum reliquias falsas, tanquam veras adorandas proponat, vel si ceræ, vel cuiuscumque alterius materiæ figuras imagini in falsi miraculi, vel falsi beneficij ab imagine recepti, signum offerat; quia sic operans quamvis nil contra diuinum cultum machinari, sed alios ad deuotionem, vt ei imagini offerant, excitare intendat, ex natura tamen actus operatur contra diuinum cultum, & veritatem Christi fidei coeruat, ita vt magnam religioni iniuriam inferat, & nulla pia intentione excusari possit: ita Caietanus *2. 2. quæst. 3. art. 1. circa finem, & in summa, verb. superstitio, cap. 1.* Armilla *ibid. num. 1.* Nauarrus *in summa, cap. 11. num. 16.* Sayr. *in claui Regia, lib. 4. cap. 4. num. 4.* & alij passim.

Idemque dicas, si miracula falsa, tanquam vera 15 prædicet, aut scriptis mandet; quia similiter talis cultus est cultus falsus, & perniciosus veram miraculorum fidem eneruans, ita vt similiter sic operans magnam religioni iniuriam inferat, & nulla pia intentione excusari possit. Videatur præcipuè inter alios Caietanus *cit. art. 1. circa finem.*

Sequitur sextò, quod è contra non sit peccatum 16 mortale, sed tantùm veniale, si cultus sit indebitus, quia est tantùm superfluus, nec adsit contemptus Ecclesiasticæ disciplinæ, quia tunc non adest perfecta superstitionis ratio. Et ex alio capite bonus animus, ex quo eiusmodi cultus superfluus emanare solet, eius deformitatem diminuit. Ita Caietanus *cit. quæst. 93. art. 1. & art. 2.* & *in summa, verb. superstitio, cap. 1.* Armilla *ibidem, num. 2.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. de superstitione, cap. 2. num. 21.* Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 43. dub. 2. num. 4.* Sayrus *cit. cap. 4. num. 11.* Valentia *2. 2. disput. 7. quæst. 10. punct. 2.* & alij communiter.

Limita tamen cum Caietano *cit. art. 1.* Nauarro, 17 Suarez, & aliis vbi suprà, nisi sit contra præceptum aliquod grauiter obligans.

Limita secundò cum Lessio, & aliis etiam vbi su- 18 prà, nisi magna sit peruersio; potest enim v. g. in ceremoniis Missæ tanta peruersio esse, vt sit peccatum mortale.

SECTIO IV.

Quidnam dicendum de ieiunio in die Dominico?

SVMMARIVM.

1 *Ieiunium in die Dominico damnatur à quibusdam tanquam cultus superstitiosus falsus, ab aliis tanquam cultus superstitiosus superfluus.*

2 *Ieiunium duplex, afflictionis, seu luctus; & gaudij, seu exultationis. Primum est illicitum die Dominico; secundum verò licitum.*

3 *Ieiunium quodcumque, tam luctus, quàm gaudij, hodie est etiam licitum die Dominico, cùm prohibitio ipsius fuerit propter hæresim Manichæorum dicentium, tale ieiunium necessarium esse in contem-*

ptum Resurrectionis Christi ; at quia cessauit hac haresis, non est cur die Dominico censeatur prohibitum.

4 *Jeiunium in die Dominico ob quoddam singularitatis studium est superstitionis peccatum , quia sapit cultum indebitum superfluum.*

5 *Jeiunare die Dominico solo , & non aliis hebdomada diebus est peccatum ; quia id pertinet ad quandam singularitatem , & cultum superfluum.*

6 *Jeiunare diebus Dominicis est etiam peccatum , propter eandem rationem ; prasertim quia aduersatur Ecclesia consuetudini , qua legis vim habere videtur.*

7 *Jeiunandi votum , prasertim diebus Dominicis , siue ieiunio afflictionis , siue exultationis , est irritum, & id vouens ad nihil tenetur , neque ad ieiunandum altera die.*

8 *Vouens ieiunium in aliquo die, putà in die S. Ioannis Baptista , si talis dies veniat in Dominica , si votum sit ieiunij afflictionis, debet ieiunare in Sabbato pracedenti ; si verò votum fuit ieiunij gaudij, seu exultationis, implere illud debet ipsa die Dominica , & cur ?*

9 *Vouens, si neutrius ieiunij memor fuerit, debet ieiunare ipsa die Dominica.*

10 *Vouens, si vtriusque ieiunij memor fuit, debet ieiunare Sabbato pracedenti ; quia cateris paribus debet se Ecclesia consuetudini conformare.*

11 *Vouens quocumque dictorum modorum non tenetur ieiunare die antecedenti , sed satisfacit non ieiunando die Dominico.*

12 *Vouens tamen in omnibus istis euentibus potest propria auctoritate ieiunium hoc suum in pracedens Sabbatum transferre ; quia quilibet potest votum suum propria auctoritate in manifestè melius commutare.*

13 *Limita nisi ista dies Sabbati fuerit aliqua vigilia de precepto ieiunij , quia tunc non poterit voto satisfacere.*

14 *Vouens ieiunare Vespere alicuius diei festi , si ille dies festus inciderit feria secunda, tenetur ieiunare Sabbato precedenti , quia huiusmodi ieiunium intelligi debet iuxta ieiunium ab Ecclesia in vigilia cuiuscumque diei festi indictum.*

15 *Vouens ieiunare per totum aliquem integrum mensem , non tenetur ieiunare diebus Dominicis , ob eandem rationem , nisi contrarium expressè intenderit.*

1 QVidam (vt Caietanus 2.2. *quast.* 93. *art.* 1. *vers. in sequenti verò*) huiusmodi ieiunium damnant, tanquam cultum superstitiosum & falsum. Alij , vt Nauarrus *in summa , cap.* 21. *num.* 41. *vers. quintò* , & Saytus *cit. cap.* 4. *num.* 2. damnant , tanquam cultum superstitiosum superfluum : Fauet Sanct. Thomas 2.2. *quast.* 147. *art.* 5. *ad* 3. *&* 4. quatenus ibi prædictum ieiunium etiam improbare videtur : Fauet vsus Ecclesiæ , quatenus à ieiunio quadragesimali dies Dominicos excipit , & quamcunque vigiliam die Dominico incidentem in præcedens Sabbatum transfert : Fauent tandem textus *in cap. si quis tanquam, & cap. si quis Presbyter*, & *cap. Sacerdos*, 26. *quast.* 6. *& cap. ne quis ieiunet , de consecratione distinctione* 3. Quatenus prædictum ieiunium etiam interdicere videntur.

2 Alij distinguunt de duplici ieiunio , de ieiunio scilicet luctus , seu afflictionis (quod assumitur ad satisfaciendum pro peccatis præteritis , vel ad præcauenda peccata futura) & de ieiunio gaudij , seu exultationis , quod assumitur vt mens promptior sit ad gaudium , & magis eleuetur in Deum ; & dicunt , quod ieiunium luctus , seu afflictionis die Dominico sit illicitum; ieiunium verò gaudij, seu exultationis sit licitum : sic Syluester *verb. Ieiunium* , *quast.* 1. Quod idem sentire videntur omnes illi Doctores infrà citandi, qui docent, quod ieiunij gaudium , seu exultationis promissum die , quo festum aliquod inciderit, non possit (si tale festum die Dominico contigerit) in præcedens Sabbatum transferri. His tamen non obstantibus,

3 Respondetur ex probabiliori sententia Hugonis *in cap. vtinam , dist.* 76. Nauar. *in summa , cap.* 21. *numero* 27. Ledesmæ 2. *part. quast.* 17. *art.* 4. Palatij *in* 4. *dist.* 15. *disput.* 8. Valentiæ 2.2. *disp.* 9. *q.* 2. *punct.* 4. *dub.* 2. Azorij *tom.* 1. *Instit. moral. cap.* 26. *quast. vltima*, Lessij *de Iustitia & Iure , lib.* 4. *cap.* 2. *dubit.* 9. *num.* 68. & aliorum , quod licèt olim ieiunium in die Dominico , vtpotè quia interdictum erat ob hæresim Manichæorum dicentium , tale ieiunium necessarium esse in contemptum Resurrectionis Christi Domini nostri (& hoc ieiunium improbant S. Thomas, & textus suprà citati ; atque propter hunc Manichæorum errorem, qui tunc vigebat , Ecclesia à ieiunio quadragesimali dies Dominicos excepit , *cap. Quadragesima, de consecrat. distinct.* 3.) fuerit illicitum; Hodie tamen , vtpotè quia cessauit ista causa , sit licitum, idque siue sit ieiunium gaudij, vel exultationis, siue ieiunium luctus, afflictionis, seu mortificationis, dummodò non fiat cum scandalo , vel ex errore aliquo, vel ex contumacia, quasi improbando consuetudinem Ecclesiæ ; sed fiat ex aliquo honesto fine , v.g. ex peculiari deuotione , augmento spiritus, vel domatione carnis , &c.

Probatur , tum ex Augustino *Epist.* 86. *ad Casulanum*, vbi postquam dixerit , ieiunium in die Dominico esse scandalosum , & illicitum , subiunxit modum, quo tale ieiunium reddatur licitum , tum ex S. Hieronymo *epist.* 28. *ad Lucinium*, & refertur *in cit. cap. vtinam, dist.* 76. vbi prædictum ieiunium approbat, subditque quod illud & Apostoli seruauerint.

Aduerte tamen, quod si quis ex quodam singularitatis studio die Dominico ieiunet , sit (vti rectè præter alios notauit Valentia loco suprà citato) superstitionis peccatum , quia sapit cultum indebitum superfluum ; esset tamen solùm veniale , cessante scandalo , & omni alio prauo mortali fine , iuxta ea quæ suprà dicebantur. 4

Hinc sequitur , quod sit peccatum ieiunare die Dominico solo , & non aliis hebdomadæ diebus : sic Doctores , quos sequitur Ledesma *vbi suprà* , *n.* 12. quia id ad quandam singularitatem , & cultum superfluum pertinet ; sed est solùm veniale , cessante scandalo , & omni alio prauo fine mortali , sicuti dicebam. 5

Sequitur secundò , quod sit etiam propter eandem rationem peccatum ieiunare ordinariè diebus Dominicis : sic Doctores, quos sequitur Valent. etiam suprà *cit. num.* 12. Præsertim quia aduersatur Ecclesiæ consuetudini, quæ in hac parte , teste S. Augustino *cit. epist.* 86. *ad Casulanum* , legis vim habere videtur. Esset tamen similiter veniale , cessante scandalo, & omni alio prauo mortali fine, sicuti suprà etiam dicebam. 6

Sequitur tertiò , quod votum ieiunandi ordinariè diebus Dominicis (siue ieiunio afflictionis , siue ieiunio exultationis) sit irritum ; ita vt id vouens ad nihil, neque etiam ad ieiunium in alteram diem transferendum teneatur ; quia est votum de re illicita , sicuti iam suprà dicebam ; & videri poterit præter alios Suarez *tom.* 2. *de relig. tract. de voto, lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 21. Quamvis secus dicendum sit, si fuerit votum ieiunandi solis aliquibus diebus Dominicis, ob honestum aliquem finem , secluso scandalo , & omni alio prauo mortali fine , & etiam secluso vano singularitatis studio, quia tunc iuxta ea, quæ suprà dicebam, est votum de re licita. 7

Ao

An autem possit iste talis vouens propria authoritate huiusmodi ieiunium in alium diem transferre, patebit ex iis, quæ mox infrà dicentur.

8 Petes, quid dicendum, si quis voult ieiunare die, in quo incidit aliquod festum (v.g. Ioannis Baptistæ) & tale festum incidit in die Dominico, debeatne die Dominico ieiunare, vel possit huiusmodi ieiunium in præcedens Sabathum transferre?

Quidam, vt S. Anton. 2. *part. tit.* 11. *cap.* 2. §. 10. Syluester *verb. Votum* 2. *q.* 16. Armilla *eod. verb. n.* 17. Tabiena *eod. verb. Votum* 3. *q.* 7. & alij distinguunt: si ieiunium fuit mortificationis, seu afflictionis, debet iste talis vouens ieiunare in Sabatho præcedenti; quia ieiunium mortificationis, seu afflictionis ad quod ipse se obligare intendit, intelligi debet iuxta ieiunium, ad quod obligat Ecclesia: At Ecclesia tale ieiunium, quando festum incidit die Dominico, transfert in Sabathum præcedens: Ergo sic, &c. Si verò ieiunium fuit gaudij, seu exultationis, implere illud debet ipso die Domioico; quia est votum de re licita.

9 Subdunt: si vouens neutrius ieionij memor fuit, debet ieiunare die Dominico; quia cum non vouerit ieiunare vespere diei festi, sed ipsomet die festo, probabilius est, tacitam ipsius vouentis intentionem fuisse vouere ieiunium exultationis.

10 Subduot 2. si verò vtriusque ieionij memor fuit, debet ieiunare Sabatho præcedenti; quia cæteris paribus debet se potiùs Ecclesiæ consuetudini conformare. His tamen oon obstaotibus,

11 Respondetur ex probabiliori sententia Doctorum, quod iste talis vouens in oullo dictorum casuum teneatur ieiunare die præcedenti, sed satisfaciat obligationi huiusmodi voti sui, ieiuoando ipso die Dominico; quia licèt votum de aliqua re debeat intelligi instar eiusdem rei cadentis sub præcepto Ecclesiæ, quæ ieionium vigiliæ diei festi, si vigilia diei festi iociderit in die Domioico, transfert in diem præcedentem; Ecclesia tameo non obligat ad ieiunium in die aliquo festo, ratione ipsius diei festi, sed obligat ad ieiunium in vigilia diei festi ratione vigiliæ diei festi: ergo non est aliquod præceptum Ecclesiæ de simili ieiunio, quod prædicti voti regula esse possit, vel debeat.

Coofirmatur, quia specialis deuotio vouentis fuit ieiunare quotannis die illo, quo tale festum inciderit, & non fuit ieiunare vigilia talis festi, itavt ieiuoium ipsius diei festi, non autem ieiunium vigiliæ vouerit. At ex dictis, siue ieiunio exultationis, siue ieiunio afflictionis, licitum est die Dominico ieiunare: Ergo satisfaciet suæ obligationi, siue ieiuoio exultationis, siue ieiuoio afflictionis, die Dominico ieiunando.

12 Cæterùm certum est, quod in omoibus istis euentibus possit iste talis vouens propria authoritate ieiunium hoc suum in præcedens Sabathum transferre; quia ex communi sententia Doctorum, quilibet potest propria authoritate votum suum in manifestè melius commutare: sed manifestè melius est se conformare consuetudini Ecclesiæ, quæ ieiunium, quod die Dominico incidit, transfert in Sabathum præcedens: Ergo, &c.

13 Aduerte tamen, qood excipi debeat Sabathum, qoo iste talis vouens, vtpote ætatem ad ieiunandum sufficientem habens, ex alio præcepto ieiunare tenetur, itavt non possit in tali casu ieiunium illius diei Dominici transferre, verbi gratiâ in Sabathum Quadragesimæ, vel quatuot temporum, vel quo alia vigilia inciderit, quia in tali casu ieiuniom illud aliunde obligans, non est æquè acceptum Deo: Et præterea votum, nisi aliud expressum fuerit, semper de actu aliàs non obligaotl, seu supererogationis iotelligi debet.

Aduerte 2. quod è contra, si quis vouerit ieiunare vespere alicuius diei festi, & ille dies festus inciderit feria secunda, teneatur, nisi expressam ieiunandi die Dominico intentionem habuerit, ieiunare Sabatho præcedenti: Tabiena *in summa, verbo votum* 3. *quæst.* 7. Armilla *eodem verbo, num.* 25. & alij: Quia huiusmodi ieiunium è contra intelligi debet iuxta ieiunium ab Ecclesia in vigilia cuiuscumque diei festi indictum, quod ieiunium vigiliæ eius diei in Dominica incidente, transfertur ab Ecclesia in Sabathum præcedens, iuxta ea, quæ mox iofrà dicentur. 14

Aduerte 3. quod similiter ob eaodem rationem, si quis vouerit ieiunare per totum aliquem integrum mensem, non teneatur, nisi contrarium expressè intenderit, ieiunare diebus Dominicis; quia similiter, & huiusmodi ieiuoium etiam intelligi debet ad modum ieiunij ab Ecclesia instituti, à quo dies Domiolci ab Ecclesia semper excipiuntur, Tabiena, & Armilla *in locis suprà citatis*. 15



DVBITATIO CCXX.

Quidnam dicendum de idololatria?

SECTIO PRIMA.

Dubitationis Resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Idolum, secundùm Scripturam sacram, & Scriptores Ecclesiasticos, idem est, ac falsi Dei simulacrum.*

2 *Idolum per extensionem quandam, dicitur omne illud, quod colitur vt Deus, tam Deus non sit in corpore: secundùm quam frequentem acceptionem idololatria non est aliud, quàm seruitus, qua soli Deo debetur, alicui creaturæ exhibitu.*

3 *Dei adoratio duplex est, vna interna, altera externa: Interna consistit in supremi dominij recognitione: Externa verò in exhibitione signi externi.*

4 *Dei adoratio, omnisque latria actio principaliter consistit in mente; secundariò autem in actione externa, tanquam in signo internæ submissionis, & adorationis expressiuo.*

5 *Cultus externa signa quædam sunt propria latriæ, scilicet communi hominum vsurpatione instituta tantum ad protestandam supremam excellentiam, & dominium, seu potestatem Dei, cuiusmodi est Missæ sacrificium, & quæ ad ipsum pertinent, vt Templum, Altare, &c.*

6 *Latria Græca vox, Latinè vno verbo dici non potest, cùm sit quædam propriè diuinitati debita seruitus.*

7 *Quædam alia signa sunt indifferentia ad latriam, & duliam, siue cultam inferiorem creaturis rationabilibus exhiberi consuetum; cuiusmodi sunt capitis inclinatio, genuflexio, incensatio, &c. quæ secundùm se indeterminata determinantur ab intentione operantis. Vide diuersa exempla, tam ad latriam, quàm ad duliam spectantia.*

8 *Cruces, & aliæ Christi imagines cultu latriâ adorantur*

rantur, non quod credatur in eis inesse aliqua diuinitas, aut virtus, propter quam sint sic adoranda, seu colenda; sed quia honor, qui eis exhibetur, refertur ad Prototypum.

9 *Idololatria triplex dicitur: Prima propria, & perfecta: Secunda propria, sed minus perfecta: Tertia impropria, & simulata. Vide quando vnaquaque earum contingat, vbi vnaquaque quid sit, declaratur.*

10 *Idololatria merè externa non est vera formalis, sed simulata, materialis, & impropria.*

11 *Idololatria tripliciter etiam, etsi diuerso modo, apud gentiles diuidebatur. Prima erat, ex qua colebant homines mortuos, nempe Mercurium, Martem, Iouem, &c. Secunda eorum, seu Bestiarum simulacra. Tertia denique Cœli sydera, lunam, & solem, necnon Elementa, Aquam, Aërem, Ignem, & reliquas mundi partes.*

1 SVpporo tamen primò, quod idolum secundùm scripturam sacram, & Scriptores Ecclesiasticos idem sit, ac falsi Dei simulacrum, sicut definit Augustinus *super librum Iudicum, lib. 7. quæst. 41.* Quia sic de idolo loquitur Ieremias cap. 10. *Confusus est artifex omnis in sculptili, quoniam falsum est, quod conflauit, & non est Spiritus in eis:* Sic etiam loquitur Habacuc cap. 2. *Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud furor suus conflatile, & Imaginem falsam.* Sic etiam loquitur Apostolus primo ad Corinthios 8. *scimus quia nihil est idolum in mundo,* idest nullam veram, sed solùm putatiuam diuinitatem habet, & *quod nullus est Deus, nisi vnus.* Quapropter idem Apostolus ad Romanos primo, idola gentium describens, ait: *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.*

2 Quamvis per extensionem quandam idolum frequenter etiam dicatur omne illud, quod colitur Deus, cum Deus non sit, teste S. Thoma *q. 94. art. 1. in corpore*: Secundùm quam frequentem acceptionem idololatria non est aliud, quàm seruitus, quæ soli Deo debetur alicui creaturæ exhibita, cuiusmodi seruitus Græcè latria dicitur. Et sic definiri potest: *Est voluntaria exhibitio signi supremam Dei excellentiam, & super res omnes Dominium protestantis:* Vnde S. Augustinus *lib. 1. quæst. super Genesi, quæst. 16.* ait: [Dictum est Deuteronomij 6. Et illi soli seruies; talia enim seruitus nonnisi Deo debetur. Vnde damnantur idololatræ, idest, eiusmodi seruitutem exhibentes idolo, quæ debetur Deo.] Quod in iisdem gentilibus damnauit Apostolus ad Romanos primo, *Seruierunt creaturæ potiùs, quàm creatori.*

3 Suppono secundò, quod duplex sit, teste S. Thoma 2. 2. *quæst. 84. art. 2. & 3.* Dei adoratio, seu latria: vna interna, altera externa: Interna consistit in supremi Dominij recognitione, seu confessione mentali, quam creatura rationalis offert Deo ex affectu submissionis, & reuerentiæ: Externa autem consistit in exhibitione signi externi, quo creatura rationalis internam de Dei excellentiam, existimationem, & submissionis affectionem; protestatur.

4 Vnde sequitur, quod Dei adoratio, omnisque latriæ actio principaliter consistat in mente: Secundariò autem in actione externa, tanquam in signo internæ submissionis, & adorationis expressiuo, S. Thomas *cit. quæst. 84. art. 1. ad 1. & art. 2. & 3. in corpore,* Suarez *part. 3. tom. 1. disp. 51. sect. 2.* & Bellarmin. *lib. 2. de cultu Sanctorum, cap. 12.* Quidquid in contrarium dixerint alij, quos sequitur Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 38. dub. 1. n. 4.* & Valentia *tom. 3. disp. 6. quæst. 3. punct. 1.*

Suppono tertiò, quod signa cultus externa quædam sint propria latriæ, scilicet communi hominum vsurpatione instituta tantùm ad protestandum supremam excellentiam, & dominium, seu potestatem Dei, cuiusmodi est Missæ sacrificium, & quæ ad tale sacrificium pertinent, vt Templum, Altare, &c. S. Augustinus *de Ciuitate Dei, lib. 22. cap. 10. & lib. 2. contra Faustum, cap. 21.* quatenus ait: [Nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamvis in memorias Martyrum, constituimus Altaria:] & paulò post: 5
[Ille cultus, qui Græcè latria dicitur, Latinè vno verbo dici non potest, cum sit quædam propriè diuinitati debita seruitus; nec colimus, nec colendum docemus, nisi vnum Deum; cum ad hunc cultum pertineat obligatio Sacrificij: Vnde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent; nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuidam Martyri, vel cuiquam Sanctæ Animæ, vel cuiquam Angelo, &c.] 6

Quædam autem alia signa sunt indifferentia ad latriam, & Duliam, siue cultum inferiorem creaturis rationabilibus exhiberi consuetum, cuiusmodi sunt capitis inclinatio, genuflexio, incensatio, &c. quæ secundùm se indeterminata, determinantur ab intentione operantis, vt si exhibeantur creaturæ cuicumque ad diuinitatem in ipsa creatura residentem protestandam, idololatria committatur: Sin verò exhibeantur rationali creaturæ, scilicet homini, Animæ, vel Angelo bono ad inferioris creaturæ excellentiam significandam, duliæ, seu inferioris obseruantiæ cultus exerceatur. Atque ita de duplici ista adoratione, quarum vna est ex affectu latriæ, altera verò ex affectu duliæ, seu inferioris obseruantiæ, loquitur S. Thomas *cit. quæst. 84. art. 3.* quatenus ait: [Secundùm reuerentiam, quæ creaturæ excellenti debetur, Nathan adorauit Dauidem, 3. Regum cap. 1. secundùm autem reuerentiam, quæ debetur Deo, Mardochæus noluit adorare Aman, timens ne honorem Dei transferret ad hominem, vt dicitur Esther 13. Et similiter secundùm reuerentiam debitam creaturæ excellenti, Abraham adorauit Angelus, & etiam Iosuë, vt legitur Iosuë cap. 5. quamvis possit intelligi, quod adorauerint adoratione latriæ Deum, qui in persona Angeli apparebat, & loquebatur. 7

Similiter etiam cruces, & aliæ Christi Imagines cultu latriæ adorantur, non quòd credatur in eis inesse aliqua diuinitas, aut virtus, propter quam sint sic adorandæ, seu colendæ; sed quia honor, qui eis exhibetur, refertur ad Prototypa. Tridentinum Concilium *sessione 25. de Imaginibus.* Et videri potest Gregorius I. *lib. 7. epistol. 53. ad Secundinum,* & Athanasius *quæstione 41. ad Antiochum.* 8

Ex dictis sequitur, quod triplex idololatria distingui possit. 9

Prima, propria, & perfecta, cùm quis idolo diuinum honorem exhibere intendit, quia falsò putat, Deum esse, qualis idololatria cum infidelitate coniuncta est.

Secunda etiam propria, sed minùs perfecta; cùm quis rectè sciens idolo, scilicet creaturæ cuicumque, quæ colitur vt Deus, diuinitatem nullam inesse, tamen ex prauo affectu, v. g. ex odio in verum Deum, vel ex desiderio aliquid à dæmone consequendi, ipsi dæmoni, vel alteri creaturæ externum cultum, tanquam Deo exhibet: Cuiusmodi cultus quamvis à proprietate idololatriæ deficiat secundùm intellectum, quia non procedit ex falsa diuinitatis existimatione, tamen non deficit secundùm voluntatem; quia procedit ex affectu internæ reuerentiæ, ac submissionis, tanquam erga Deum, in cuius etiam protestationem ac signum

cx

externa actio exhibetur; ita vt hæc idololatriæ species priorem in grauitate peccati excedere videatur: tum quia ex mera voluntatis malitia committitur; prior autem ob ignorantiam aliquo modo excusatur; tum quia aliquam etiam simulationem, ac mendacium perniciosum, & Deo iniuriosum inuolvit.

Tertia impropria, & simulata; cum quis sine existimatione diuinitatis, & sine interno affectu colendi, seu adorandi, propter tyranni, vel populi timorem, exteriùs tantùm idolo exhibet cultum latriæ vero Deo debitum: Quod etiam semper illicitum est, cùm repugnet veræ fidei confessioni, & sit plenum in cultu Religionis mendacium, quod & Deo iniuriosum, & hominibus scandalosum est, sicuti rectè dixit Sanct. Thomas *quæst.94. art. 2. in corpore, & art.3. ad 1.* ex sancto Augustino *lib.6. de ciuitate Dei, cap.10. & lib.10. cap 1.* qui sic Platonicos, & sic Senecam, simulatè scilicet; & mendaciter, idola coluisse significat.

10 Est autem hæc merè externa idololatria, non vera, formalis, & propria, sed tantùm simulata, materialis, & impropria idololatria; quia ad omnem latriam, seu diuini cultus exhibitionem requiritur submissionis affectus, tanquam erga supremam excellentiam: Ergo vbicunque deficit talis affectus, non est verus, formalis, & proprius cultus latriæ, sed simulatus, licèt interim adhuc sit peccatum grauissimum, etiam contra virtutem Religionis, sicuti suprà dicebam.

11 His adde, quod tripliciter etiam, etsi alio modo, idololatria apud veteres gentiles diuidebatur, teste S. Thoma *cit. quæst.94. art.1.* ex eodem S. Augustino *citata lib.6. de ciuitate Dei, cap.5.*

Primò erga homines mortuos, v. g. Mercurium, Martem, Iouem, & Saturnum: cuiusmodi idololatriæ genus Varro apud S. Augustinum loco suprà citato appellat Theologiam fabulosam, eiusque originem tradit Sapiens *cap.14.* Quò spectat error Platonicorum, qui præter vnum supremum Deum, Angelicos Spiritus tanquam Deos cultu latriæ colebant, teste eodem S. Augustino *lib.13. de ciuitate Dei, cap.16.*

Secundò erga demortuorum hominum, vel bestiarum simulacra secundùm se, quippe quæ animata esse, & vim diuinam in se continere putabantur; quando dæmon causa decipiendi homines, se in statuas insinuabat, & exindè responsa dabat, vt mirarentur gentiles (teste eodem S. Augustino *ibidem, lib.8. cap.23.*) potestatem suam deos efficiendi; cuiusmodi idololatriæ genus Varro appellat Theologiam ciuilem, quia in vrbibus à populo frequentabatur.

Tertiò erga lunam, solem, sydera, aquam, aërem, ignem, & reliquas mundi partes, quippe qui animatus esse credebatur, & diuino numine plenus, à quo res omnes generentur, moueantur, & conseruentur. Cuiusmodi idololatriæ genus Varro appellat Theologiam physicam; quia à naturalibus Philosophis inuenta fuerat. His suppositis,

Respondetur: contra committentes actum idololatriæ etiam Inquisitores procedunt; quia tales rei etiam vel sunt hæretici formaliter, vel saltem de hæresi grauiter suspecti. Vide quæ dicebam suprà *dub.206.*

SECTIO II.

Corollaria.

SVMMARIVM.

1 *Idololatria est actus, quo tribuitur honor, seu cultus creaturæ, sicuti Deo. Ex qua duo ea includit. Primùm, vt honor, seu cultus tributus creaturæ, soli Deo debeatur. Secundùm, vt honor, seu cultus verè tribuatur creaturæ.*

2 *Idololatria qualiscunque sit, etiam ficta, & solùm exterior, grauissimum est peccatum, ita vt nullo metu excusari possit.*

3 *Idololatria, siue interior, siue exterior, potest contingere cum mentis errore, & sic cum hæresi, & potest etiam contingere absque mentis errore, & sic sine hæresi. Vide quomodo vtrumque contingat.*

4 *Idololatria si sit sine mentis errore, & sic absque hæresi, nullam censuram inuoluit.*

5 *Idololatria ficta tantùm est deficiente voluntate interna, siue expressa, siue tacita conciliandi creaturæ per cultum diuinum exteriùs ei exhibitum, quamvis grauissimum peccatum inuoluat; quia sicut hæresis ad rationem veræ hæresis requirit omninò errorem intellectus, sic & idololatria ad sui rationem omninò requirit voluntatem peruersam.*

6 *Idololatria cum à Doctoribus diuidatur in internam & externam, per internam intendunt veram, & formalem idololatriam, per externam fictam adorationem.*

EX dictis, teste etiam S. Thoma 2. 2. *quæst.94. art.1.* sequitur quod idololatria sit, qua tribuitur honor, seu cultus creaturæ, sicuti Deo; ita vt ad idololatriam duo requirantur: Primùm, vt honor, seu cultus tributus creaturæ, soli Deo debeatur. Secundum, vt honor, seu cultus verè tribuatur creaturæ, sicuti debebat tribui Deo: Quapropter is diuinum cultum tribuit creaturæ, tanquam Deo, qui creaturam diuino cultu sic prosequitur, vt eo cultu, quantum est in se, velit creaturæ conciliare talem opinionem, qualis reuera competit soli Deo; siue id velit tunc expressa, atque præsenti intentione; siue ex vi solius intentionis prioris, qua sic priùs creaturam colere decreuerat; siue tandem implicitè, seu virtute, nimirum quando (sicuti multis olim contigit Philosophis) verum Deum, & idololatriæ falsitatem agnoscens, aliorum tamen consuetudine, metu, vel alia ratione ductus, obcæcatus intendit, creaturam venerando, præstare idipsum, quod intendunt ij, qui reuera diuinum honorem creaturæ tribuere volunt. 1

Cæterùm qualiscunque sit idololatria etiam ficta, & solùm exterior (vtpotè quid contra Deum, ad quem omnia ordinari debent) grauissimum est peccatum, ita vt nullo metu excusari possit. 2

Sequitur secundò, quod idololatria, siue interior, siue exterior, possit contingere cum mentis errore, & sic cum hæresi, & possit etiam contingere absque mentis errore, & sic absque hæresi. Contingit cum mentis errore, & sic cum hæresi, cùm idololatria credit, creaturam à se adoratam esse Deum; contingit autem absque mentis errore, & sic absque hæresi, cum non credit, eam esse Deum, vult tamen ei verè honorem diuinum deferre. S. Thomas 2. 2. *quæst.94. artic.3. ad 1.* quem passim sequuntur Doctores, inter quos præcipuè videri poterit 3

Valentia 2.2.*disp.6.quæst.*11. *punct.*2.*vers. ex aduersa autem*, *& punct.*3. *vers. neque obstat.*

4 Aduerte tamen, quod cùm idololatria est absque mentis errore, & sic absque hæresi, nullam censuram inuoluit: ita Sanchez *lib.*2. *moral. cap.*7. *n.*10. Sayrus *in claui Regia, lib.*4.*cap.*4.*num.*11. Suar.*tom.*1. *de relig.lib.*2.*de superstit.cap.*6. *n.*20. *& seqq.* Lessius *de iust.& iur.lib.*2. *cap.*43. *dub.*2. *n.*11. & alij communiter.

5 Sequitur 3. quod deficiente voluntate interna, siue expressa, siue tacita conciliandi creaturæ per cultum diuinum exteriùs ei exhibitum, non sit (quamvis grauissimum peccatum inuolvat) vera, sed solùm ficta idololatria; quia sicut hæresis ad rationem veræ hæresis requirit omninò errorem intellectus, sic & idololatria ad rationem veræ idololatriæ omninò requirit (siue sit error in intellectu, siue non) eam

6 voluntatem peruersam; quare dum communiter Doctores veram idololatriam diuidunt in interiorem, & exteriorem, nomine exterioris non intelligunt hanc externam fictam adorationem, sed intelligunt eam, quæ procedit ex tacita illa voluntate absque interno errore intellectus; nomine autem interioris intelligunt eam, quæ procedit vel ab interno errore intellectus (quo creatura creditur Deus) vel eam, quæ procedit ab expressa, & directa voluntate conciliandi creaturæ diuinam æstimationem: ita Doctores quos sequitur Valentia *cit. disp.*6.*q.*11. *punct.*2. *vers. Ex diuersa autem*, *& punct.*3. *vers. apparet itaque*, *& vers. Neque obstat.*



DVBITATIO CCXXI.

Quidnam dicendum de Diuinatione in communi?

SECTIO PRIMA.

Supposita.

SVMMARIVM.

1 *Diuinatio dicitur quasi Diuinitatis æmulatio; quia per eam homo futura contingentia, & alia nobis occulta, & diuinæ scientiæ propria cognoscere affectat.*

2 *Diuinatio definitur significatio occultorum ex pacto cum dæmone.*

3 *Diuinatio dicitur significatio, quia prænotio occultorum per varia signa contingit; vnde variæ diuinationis materiales species emergunt.*

4 *Diuinare dicitur ex pacto cum dæmone, quicumque res occultas, & naturalem nostram cognitionem excedentes, non Dei beneficio, ac reuelatione scire desiderat, vnde conuincitur quod dæmonis ope illas addiscere desiderat.*

5 *Diuinationis malitia consistit in eo, quod homo in assequenda rerum cognitione non ad Deum, sed ad dæmonem, Dei, & generis humani inimicum pro instructione confugiat, quod cedit in ipsius dæmonis diuinitatem affectantis honorem, & in Dei contemptum.*

6 *Diuinationis peccatum est grauius, & ad idololatriam propinquius, si quis petat à dæmone certam cognitionem earum rerum, v.g. actionum liberè futurarum, vel internarum cogitationum, quarum scientia, & reuelatio propriè competit Deo; secus tamen erit, si tantùm assequi velit cognitionem non omninò certam, sed tantùm coniecturalem; erit enim solùm peccatum superstitionis ex genere suo mortale.*

7 *Diuinatio duplex dicitur: Prima, quæ est per pactum explicitum, vel saltem per propositum, & voluntatem explicitam aliquid à dæmone addiscendi. Secunda per pactum, ac societatem cum dæmone implicitam.*

8 *Superstitionis huiusmodi primæ diuinationis ad peccatum sufficit requirere à dæmone scientiam, vel instructionem aliquam, licèt dæmon non respondeat, vel quia prohibetur à Deo, vel ob aliam causam; sed sæpiùs respondet.*

9 *Dæmon vt magis sibi deuincat hominem, ei quandoque reuelat vera; at quia dependentia à libera hominis voluntate non cognoscit, nisi coniecturaliter, plerumque falsa prædicit, est enim pater mendacij communiter in omnibus.*

10 *Superstitionis huiusmodi secunda diuinationis exemplum est, cùm quis ex signo aliquo consequi seriò confidit alicuius rei notitiam, quam illud signum naturaliter nullo modo indicare potest; quia tunc diuinator talem rei notitiam ab intelligentia tacitè desiderare conuincitur, &c.*

11 *Diuinatores non excusantur propter diuturnam multorum priorum experientiam, si talibus signis suapte natura vanis, ac inutilibus certam fidem præstent, quamvis interim protestentur, quod cum dæmone societatem aliquam non intendant, neque cognitionem aliquam ope ipsius consequi velint; nam agunt contra protestationem, &c.*

12 *Diuinatio per pactum implicitum est minùs grauis, & periculosa, quàm per pactum expressum, seu explicitum; quia diuinationis peccatum consistit in participando rationem idololatriæ, quod fit, dum dæmoni honor defertur: Id verò magis contingit per pactum explicitum, quàm implicitum.*

13 *Societas cum dæmone, quo maior, & euidentior est, eo euidentior est apostasia à Deo, ob quam Deus desertorem suum auxiliis gratiæ priuat, & deceptori dæmoni derelinquit.*

14 *Diuinatio cum pacto explicito sæpiùs grauissima peccata inuoluit, scilicet abiurationem Baptismi, apostasiam à Christo, idololatriam per genuflexionem, sacrificium, incensationem, &c.*

15 *Diuinatio per pactum explicitum cum dæmone nunquam excusatur à peccato mortali; quia nimis grauem, eamque manifestam deformitatem inuoluit; at diuinatio per pactum implicitum interdum excusatur à mortali, vel propter ignorantiam, saltem non crassam, vel propter imperfectionem superstitionis.*

SVppono, quod diuinatio dicatur, quasi diuinitatis æmulatio, quia per eam homo futura contingentia, & alia nobis occulta, & diuinæ Scientiæ propria cognoscere affectat, iuxta illud Isaiæ 41. *Annunciate, quæ futura sunt in futurum; & sciemus, quia dij estis vos.* 1

Definitur autem diuinatio apud Doctores, *Significatio occultorum ex pacto cum dæmone.* 2

Dicitur *Significatio*; quia prænotio occultorum per varia signa contingit; vnde variæ diuinationis materiales species emergunt. S. Thomas 2.2. *q.*95. *art.*3. quem communiter omnes sequuntur. 3

Dicitur 2. *Ex pacto cum dæmone*; quia quicunque res occultas, & naturalem nostram cognitionem excedentes, non Dei beneficio, ac reuelatione scire desiderat, conuincitur quod dæmonis ope illas addiscere desideret: Ideoque cum illo societatem, ac pactum expressè, vel tacitè saltem habeat, contra illud Apostoli 1. ad Corinthios 10. *Nolo vos fieri* 4

societ

socios dæmoniorum: qua de re S. Augustinus *lib.x. de Genesi ad literam, c.* 17.

5 Consistit ergo diuinationis malitia in eo, quod homo in assequenda rerum cognitione, non ad Deum, sed ad dæmonem Dei, & Generis humani inimicum, pro instructione confugiat; quod cedit in ipsius dæmonis diuinitatem in inanibus affectantis honorem, & in Dei contemptum, ac contumeliam: Quapropter talis homo (cùm relicto Deo, ad hostem illius se conferat) quodammodò apostasiæ, & læsæ Majestatis Diuinæ reus efficitur. Vnde *in cap. Episcopi,* 26. *q.* 5. subuersi dicuntur, qui relicto creatore suo, diaboli suffragia quærunt. Et *lib.4. Regum, cap.* 1. dicitur: *Nunquid quia non erat Deus in Israël, mittis vt consulatur Beelzebub Deus Accaron?* Vbi Ochozias peccauit etiam, quia consulendo Beelzebub, contemnebat Deum, ac si nullus esset. Abulensis *ibi, q.* 7. videri etiam poterit Caietanus 2. 2. *q.* 95. *art.* 5. & Origenes *in libro Numer. homilia* 16. vbi ait: [Si expedit nobis scire futura, dicentur à Deo per Spiritum sanctum. Si verò non dicuntur, nec denunciantur, scito quia nobis non expedit.]

6 Hinc sequitur, quod quamvis diuinationis peccatum sit grauius, & ad idololatriam propinquius, si quis petat à dæmone certam cognitionem earum rerum, v. g. actionum liberè futurarum, vel internarum cognitionum, aut affectionum, quarum scientia, & reuelatio propriè competit Deo, adhuc tamen petere à dæmone cognitionem aliarum rerum, quas ille naturali virtute comprehendere, aliisque manifestare potest (v.g. si quis dæmonis ope scire desideret furti, vel homicidij occultum auctorem, vel futurorum ex libero hominum arbitrio dependentium effectuum cognitionem non omninò certam, sed coniecturalem, ac probabilem, qualem dæmon naturali facultate consequi potest) sit verè, ac propriè peccatum superstitionis contra virtutem Religionis ex genere suo mortale: sic S. Thomas *cit. q.* 95. *art.* 2. Caietanus *ibidem, & art.* 5. Suarez *tract.* 3. *lib.* 2. *de superstitione, c.* 8. *n.* 16. Nauarr. *in cap. Nouit, notab.* 2. *de Iudic.* Sanchez *lib.* x. *moral. cap.* 38. *num.* 9. & alij, quidquid in contrarium dixerit Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 12. *punct.* 3. & Less. *de Iust. & Iur. lib.* 2. *c.* 43. *dub.* 5. *n.* 28. Præsertim quia sic etiam sentire videtur S. Augustinus *in locis suprà cit.*

7 Suppono 2. quod diuinatio sit duplex: Est sententia communis Doctorum.

8 Prior diuinatio est per pactum explicitum, vel saltem per propositum, ac voluntatem explicitam aliquid à dæmone addiscendi: Sufficit enim ad peccatum huius superstitionis, quod quis à dæmone scientiam, vel instructionem aliquam imploret, licèt dæmon non respondeat, vel quia prohibetur à Deo, vel ob aliam causam, sicuti rectè dixit Caietanus *cit. art.* 5. sæpè sæpiùs tamen respondet, & hominem edocet, idque variis modis, qui ad materiales species superstitionis diuersas pertinent. Sic S. Thom. *cit. q.* 95. *art.* 3. Lessius *de Iust. & Iur. lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 5. *n.* 25. Suarez *cit. cap.* 8. *n.* 2. & alij, quos sequitur Sanchez
9 *loco suprà citato, n.* 12. Et quamvis dæmon, vtpote pater mendacij, mendax, & infidelis sit ex se, nihilominus vt hominem magis sibi deuinctum detineat, & in grauiora præcipitia postea deducat, sæpè promissionem obseruans, vera (modò à Deo permittatur) petentem edocet; sed quia multarum rerum, præsertim internarum cogitationum, ac voluntatum, & ex libertate pendentium effectuum certam notitiam non habet, propterea de iis interrogatus, interdum ambiguis responsis interrogantem deludit, interdum verò casu, eo modo (quo à dæmone erant prædicta) eueniunt, sicut & quæ prædicuntur ab Ægyptia.

10 Posterior diuinatio est per pactum, ac societatem cum dæmone implicitam; cùm quis ex signo aliquo consequi seriò confidit alicuius rei notitiam, quam illud signum naturaliter nullo modo indicare potest; quia tunc diuinator talem rei notitiam ab intelligentiore substantia tacitè desiderare conuincitur: cùm autem huiusmodi signa vanitatis à Deo instituta non esse, neque à bonis Angelis aliquid hominibus absque Dei voluntate, ac iussu reuelari certum sit, sequitur, quod per huiusmodi signum à dæmone talis rei cognitionem expectet, & acquirere velit. Sic S. Thom. 2. 2. *q.* 96. *art.* 1. Caietanus *ibidem,* Nauarr. *in summa, cap.* 11. *n.* 25. & alij passim.

11 Neque excusantur, qui talibus signis suaptè natura vanis, ac inutilibus certam fidem præstant propter diuturnam multorum priorem experientiam, quamvis interim protestentur, quod cum dæmone societatem aliquam non intendant, neque cognitionem aliquam dæmonis ope consequi velint; quia nihil excusat protestatio contraria facto: Et ita est in nostro casu, quia reipsa tales contra protestationem suam faciunt, cum adhibent tanquam idonea ad cognoscendam veritatem, signa quæ nullam ad hunc finem proportionem, vel vtilitatem habent, nisi ex constitutione, & ope dæmonis, quam proinde ipso facto petere censentur, & propterea sæpè sæpiùs assequuntur, vt dæmon se ingerat, & res occultas per huiusmodi signa edoceat, sicut ipsa, quam ipsi dicunt, experientia testatur.

12 Suppono 3. quod diuinatio per pactum implicitum sit minùs grauis, & periculosa, quàm illa, quæ est per pactum explicitum, seu per explicitam, aut expressam inuocationem dæmonis: ita S. Thom. *q.* 95. *art.* 3. *ad* 1. quem sequuntur communiter Doctores.

Primò, quia diuinationis peccatum maximè consistit in eo quod idololatriæ (quæ grauissima superstitionis species est) rationem participat, dum quis dæmoni honorem defert, vt ab illo diuinitatis æmulatore rerum occultarum reuelationem excipiat: Iste autem inordinatus honor, seu superstitionis deformitas grauior est, si dæmon expresè inuocetur, quàm si fiat aliquid, ratione cuius dignus sit, vt dæmon se ingerat, vt per se patet, & docet S. Thomas *loco suprà citato*: Ergo, &c.

13 Confirmatur, quia quo maior, & euidentior est societas cum dæmone, eo euidentior est apostasia à Deo, ob quam Deus desertorem suum auxiliis Gratiæ priuat, & deceptori dæmoni derelinquit, vt rectè notauit Caietanus *vbi suprà, art.* 4. subdens quod hoc sit probabile signum reprobationis æternæ; quia sicuti spectat ad initium felicitatis æternæ conuersatio in hac vita cum Deo, & Angelis per preces, &c. Ita spectat ad initium damnationis æternæ societas & conuersatio cum dæmone per huiusmodi pacta; &c. Quod magis locum habet in iis, qui cum dæmone habent pactum explicitum, quàm in iis, qui cum eodem habent pactum implicitum, vt per se patet: Ergo.

14 Secundò, quia diuinatio cum pacto explicito sæpè sæpiùs alia grauissima peccata inuoluit, scilicet abiurationem baptismi, apostasiam à Christo, idololatriam per genuflexionem, sacrificium, incensationem, &c. erga dæmonem, cum blasphema deuotione ad perpetuam illius obsequium, & cum reciproca eiusdem promissione instruendi hominem talem sibi deuotum: quæ tamen omnia in diuinatione per pactum implicitum saltem ita frequenter euenire non consueuerunt; ita DD. quos sequitur Suarez *vbi suprà, cap.* 8. *n.* 22. & Lessius *de Iust. & Iur. lib.* 2. *c.* 43. *dub.* 5. *num.* 28.

15 Tertiò, quia diuinatio per pactum explicitum cum dæmone nunquam excusatur à peccato mortali, quia nimis grauem, eamque manifestam deformitatem inuoluit: sic DD. quos sequitur Sanchez *lib.* x. *moral.*

cap.

*cap.*38.*n.*18. & Valentia *tom.*3. *disp.*6. *q.*12. *punct.*4. At diuinatio per pactum implicitum interdum excusatur à mortali, vel propter ignorantiam, saltem non crassam (cùm huius diuinationis malitia, licèt secundùm se sit grauis, non tamen omnibus sit ita manifesta) vel propter imperfectionem superstitionis, si scilicet non certa fides, sed solùm quædam suspicio, vel quædam expectatio concipiatur euentos ita euenturi, sicuti indicat prænotio signi vani, quod adhibetur. Caietanus *cit.* *q.*95. *art.*6. *&* *q.*96. *art.*3. *& in sum. verb. superstitio*, *cap.*2. Nauarr. *cap.*15. *n.*38. & alij, quos citat & sequitur Sanchez *loco suprà citato*, *num.*21.

SECTIO II.

Appendix ad ea, quæ suprà dicebantur.

SVMMARIVM.

1 *Diuinationis malitia consistit in eo, quod tribuitur creaturæ quodammodo cultus debitus Deo, & quia innititur pacto expresso, vel saltem tacito cum dæmone.*

2 *Vana occultorum per diuinationem Inquisitio innititur semper auxilio, vel pacto dæmonis, siue expressè, siue tacitè saltem implorati.*

3 *Pactum cum dæmone contingit dupliciter, explicitè, vel implicitè: Et vtrumque quomodo contingat.*

4 *Dæmon his mediis vanis, etiam homine ignoranter illa exercente, se immiscet, ac proinde præter ipsius hominis expressam intentionem in his vanis mediis fiduciam ponendam esse fallit, & suadet.*

5 *Ad hanc tacitam inuocationem satis est his vanis mediis vti ad cognoscenda ea, quæ vim humanam excedunt; & ideò non obstat, quod tales diuinatores non intendunt opem dæmonis implorare, siquidem cùm talia media vana secundùm solam secretam dæmonis opem ad id conferant, vtendo quis iisdem, affectat facto tacitè, & virtualiter dæmonis opem.*

6 *Neque obstat, quod qui prædictis mediis vtitur, illa vtilia credat propter experientiam, quia hoc ipso similiter est credere ex interuentu, & auxilio dæmonis vtilia esse.*

7 *Pactum vt dicatur tacitum cum dæmone, seu tacita inuocatio dæmonis, non exigitur, dæmonem cum aliquo iniisse pactum se immiscendi cum iis vanis mediis à quocumque adhibitis, & concurrendi ad effectum internum; sed satis est, quempiam vanis mediis vti ad effectum consequendum.*

8 *Pacti expressi malitia, vel taciti cum dæmone, seu malitia qualiscumque inuocationis dæmonis consistit in eo, quod ab ipso principio Mundi Deus* Genesis 3. *inter hominem, & dæmonem constituit inimicitias. Quare in baptismo renunciat homo omnibus dæmonis operibus, & ideò per talem dæmonis inuocationem ad apostasiam aliquo modo tendit.*

9 *Dæmon, quatenus spectat ad futura, licèt ea, si sint contingentia, & à libero arbitrio dependentia, quamdiu non habent causam certam, & determinatam, non possit prædicere certò; potest tamen prædicere probabiliter, & coniecturabiliter.*

10 *Dæmon quoad præterita potest certò annunciare omnia ea, quæ aliquando coram ipso gesta sunt, vel ex relatione alterius accepit.*

11 *Dæmon quoad præsentia certò nouit hæc omnia, quamuis occultissima, vt furta, res perditas, thesauros olim defossos, &c. sicque certò nunciare potest, si in actu externo consistant: At cogitationes, ac deliberationes à libero arbitrio dependentes potest ex signis quibusdam, si non certò, tamen probabiliter coniectare.*

12 *Dæmon docet occulta prædicta diuinatores, vel in corpore assumpto eis visibilem se offerendo, ac verbis ea manifestando, vel absque vllo visu, formatis solùm in aere verbis, vel immisso scripto aliquo, vel in vigilia phantasiam eorum commouendo, &c.*

13 *Illicitum, non tamen superstitiosum est, secundùm Valentiam, procurare mediis vanis cognitionem, quæ Dæmonis scientiam non excedat; quia tunc non procuratur à dæmone cognitio propria Dei, ac proinde nulla Dei excellentia dæmoni tribuitur: Probabilius tamen est oppositum, quia per hanc cum homine societatem affectat dæmon vsurpare aliquam diuinam excellentiam.*

14 *Diuinatio illicita, & superstitiosa, quæ continet tacitum pactum cum dæmone, discernitur à diuinatione licita, & non superstitiosa, ex tribus, videlicet ex proportione rei cognoscendæ: Secundò ex modo cognoscendi: Tertiò ex intentione eam cognitionem procurantis.*

15 *Proportio inter rem cognoscendam, & modum, per quem rei cognitio procuratur, ne scilicet sit mala diuinatio, sed coniectatio licita, consistit in eo, si procuretur cognosci vnum ex alio, quando vnum ex alio sufficienter cognosci potest.*

16 *Vnum ex alio sufficienter cognosci posse contingit tripliciter. Primò si cognoscatur vt ex sua causa, vt fumus ex igne. Secundò è contra, si cognoscatur vt ex suo effectu. Tertiò si cognoscatur vt ex effectu sua causa, à qua vterque effectus procedit, vt serenitas ex iride.*

17 *Diuinatio est vana, & superstitiosa, si quid cognoscatur aliter, quàm vno ex his modis.*

18 *Cognoscendi modus, seu natura ipsius cognitionis consistit in eo, quod si procuretur cognitio omninò certa, vel saltem certior, quàm considerata libertate arbitrij, & defectu causarum concurrentium possibilis, haberi possit, sit diuinatio mala, & superstitiosa.*

19 *Intentio etiam procurantis cognitionem spectari debet, quia si seriò quis per media illa vana cognitionem occultorum procuret, est mala, & superstitiosa diuinatio; secus autem si ioci solius, & vanitatis causa, sciens ea media vana, & inutilia esse.*

20 *Diuinationis huius experientia non redditur licita, & libera à suspicione superstitionis per successus prosperos, vel aduersos, ex occursu illarum rerum, quæ vana, & ad diuinandum improportionata dicebantur.*

21 *Diuinatio duplex est (vt suprà dictum fuit) & quæ continet pactum expressum, & quæ implicitum cum dæmone.*

22 *Diuinatio ex pacto expresso ex generali nomine Necromantia vocatur, & diuiditur in nouem species.*

23 *Prima species est Præstigium, & quid sit.*

24 *Secunda diuinatio per somnia, per quæ dæmonis speratur instructio.*

25 *Tertia est Necromantia, cùm adhibitis sanguinê, & certis carminibus videntur mortui resurgere, loqui, & docere.*

26 *Quarta est diuinatio per Pythones, cùm dæmon docet per homines arreptitios.*

27 *Quinta est Geomantia, cùm dæmon docet per signa apparentia in corporibus.*

28 *Sexta est Hydromantia, cùm docet per signa apparentia in aquis.*

29 Septi

29 *Septima est aeromantia, cùm docet per signa apparentia in aëre.*

30 *Octava est pyromantia, cùm docet per signa apparentia in igne.*

31 *Nona est aruspicium, cum docet per signa apparentia in extis animalium Dæmoni sacrificatorum.*

32 *Diuinatio posterior, quæ scilicet continet pactum implicitum cum dæmone, adhuc duplex est: Prima, cum cognitio occultorum procuratur variè ex consideratione alicuius dispositionis aliàs in quibuscumque rebus existentis: Altera est, cum cognitio occultorum variè procuratur ex dispositione eorum, quæ homines causa talis cognitionis, consequenda consultò faciunt. Et hæc pariter diuiditur in nouem species.*

33 *Species eiusdem sunt genethliaca, augurium, auspicium, omen, oniocritica, physiognomia, spatulamanthia, metoposcopia, chiromantia. Et quæ ea sint vide ibi.*

34 *Item posterior subdiuiditur in duas alias species: Prima enim dicitur geomantia, cum cognitio procuratur ex protractione punctorum. Secunda est diuinatio per sortes, cum v.g. cognitio procuratur ex signis resultantibus in plumbo liquefacto, & in aquam proiecto, &c.*

1 Consistit igitur ex dictis diuinationis malitia in eo, quod tribuatur quodammodo creaturæ cultus debitos Deo, dum occultorum cognitio, solius Dei propria, & à solo Deo expectanda, per varias inuentiones procuratur ex creaturis; & præterea, quia innititur pacto expresso, vel saltem tacito cum dæmone: Quapropter,

2 Aduerte primò, quod hæc vana occultorum per diuinationem Inquisitio innititur semper auxilio, vel pacto dæmonis, siue expressè, siue tacitè saltem implorati. S. August. *lib. de Doctrina Christiana, c. 22. circa finem, & cap. 23. in princ.* quem cum S. Thomâ 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 2. & 3. sequuntur communiter Doctores. Quod pactum cum dæmone, seu dæmonis inuocatio contingit dupliciter, explicitè, vel implicitè.

3 Explicitè, quando expressis verbis initur pactum cum dæmone, seu expressis verbis inuocatur dæmon; vel quando ipsomet facto hæc efficiuntur, si scilicet quis sciens, dæmonem per aliquod signum occulta docere, ipse vt à dæmone occulta illa doceatur, tale signum vsurpet.

Tacitè autem, seu implicitè, quando quis cognitionem soli Deo reseruatam mediis vanis, & indebitis procurat; quia licèt tunc præter ipsius intentionem sit dæmonem inuocare, tamen eo ipso, quod his mediis vanis (quibus dæmon libenter se admiscet) de facto vtitur, vult à dæmone, inuentore vanorum, edoceri. Caiet. 2. 2. q. 95. *art.* 2. & *art.* 8. *in princ.* Valent. *ibid. disp.* 6. q. 12. *punct.* 2. & 4. Nauar. *in summa, c.* 11. *n.* 25. Martin. Delrio *lib.* 4. *disquis. Magicar. cap.* 2. q. 5. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de superst. c.* 9. *n.* 9. & *seqq.* & Sayr. *in claui regia, lib.* 4. *c.* 5. *n.* 5. Et meritò quia qui intendit mediis vanis scire ea, quæ excedunt humanam cognitionem, id non intendit via inuentionis, cum tali inuentioni ea media inepta sint: ergo intendit via disciplinæ, sed talis disciplinæ, seu doctrinæ magister non est Deus per se, vel per bonum Angelum (cùm non intendat Deus his vanis mediis eam communicare) nec est alius homo, cùm humanam cognitionem excedat his mediis improportionatis eam scientiam habere: Ergo restat, quod Magister sit solus dæmon, adeò quod si doctrina illa per modum alicuius artis inueniatur tradita in aliquo libro, sit tradita à dæmone per aliquem eius Ministrum, ac proinde discatur à dæmone, atque adeò interueniat pactum tacitum cum dæmone.

Hinc sequitur, quod dæmon his mediis vanis, 4 etiam homine ignorante illa exercente, se immisceat ac proinde præter ipsius hominis expressam intentionem, vt scilicet fallat, & suadeat in his vanis mediis fiduciam ponendam esse. S. August. 2. *super Genesi ad literam*, quem cum S. Thoma 2. 2. q. 95. *art.* 5. *ad* 2. sequuntur Caiet. *in summa, verb. Incantatio, in princ.* Victoria *relectione de Magia, q.* 6. *num.* 28. Suarez *cit. cap.* 9. *num.* 13. & 17. & Simanch. *de Cathol. Instit. tit.* 63. *num.* 13. & docent Sixtus V. *in motu proprio*, & Vrbanus VIII. *in altero motu proprio contra Astrologos.*

Non obstat, quod tales diuinatores non intendant 5 opem dæmonis implorare, vel in ea sperare; quia satis est ad hanc tacitam inuocationem his variis mediis vti ad cognoscenda, quæ vim humanam excedunt; siquidem cum talia media vana secundùm solam secretam dæmonis opem ad id conferant, sequitur, quod eo ipso, quo quis his mediis vanis ad eam cognitionem consequendam vtitur, affectet de facto tacitè, & virtualiter velle se eam dæmonis opem. Caietano. 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 2. *vers. ad euidentiam huius.* Suarez *eodem cap.* 9. *n.* 13. Simanch. *eodem etiam n.* 13. & alij passim. Interdum enim homo per crassam ignorantiam, vel inaduertentiam vult contraria, vnum scilicet in se, & formaliter; aliud in alio, & virtualiter; vt & prorsùs contingit in casu nostro; quia licèt vtens his vanis mediis dicat expressè, se nolle pactum cum dæmone, vult tamen illud implicitè, sicque licèt nolit pactum expressum, vult tamen implicitum; siquidem vult ad eam rem vti mediis ex se vanis, & inutilibus, quasi illa vtilia sint; cùm tamen vtilia esse non possint, nisi interuentu dæmonis.

Neque obstat, quod qui prædictis modis vtitur, 6 illa media vtilia credat propter experientiam; quia hoc ipso similiter eft credere, ex interuentu, & auxilio dæmonis vtilia esse; cùm dæmon eas experientias procuret, vt eis homines decepti credant, talia media esse vtilia, & eis vtantur ad similes effectus consequendos.

Secundò sequitur quod, vt dicatur pactum tacitum cum dæmone, seu tacita inuocatio dæmonis, 7 non exigatur, dæmonem cum aliquo iniisse pactum se immiscendi cum iis vanis mediis à quocumque adhibitis, & concurrendi ad effectum intentum; sed satis est, quempiam vanis mediis vti ad effectum consequendum; nam eo ipso dæmon his mediis vanis se immiscet: Vnde & Victoria *loco suprà citat*, hanc immixtionem appellat pactum tacitum cum dæmone; & Caietanus *loco etiam suprà citato*, eandem immixtionem appellat tacitam inuocationem dæmonis, iuxta doctrinam S. Augustin. *tit.* 2. *super Genesi ad literam.*

Aduerte secundò, quod malitia pacti expressi, vel 8 taciti cum dæmone, seu malitia qualiscumque inuocationis dæmonis consistit in eo, quod ab ipso principio mundi; *Genesis* 3. Deus inter hominem, & dæmonem constituit inimicitias, quas & ipse homo in baptismo spondet, renunciando dæmoni, & omnibus operibus eius: Vnde qui pactum expressum, vel tacitum cum dæmone init, fœdus cum Dei inimico constituit; ita vt id ad proditionem, & apostasiam quandam pertineat, quemadmodum cùm quis militum ad contrariam inimicorum factionem declinat: Et quamvis inter homines inimicos distingui possit duplex voluntatis genus, vnum pertinens ad inimicitias, alterum verò non; in dæmone tamen propter obstinatam in malo voluntatem illius omne voluntarium est hostile, vt proinde omnis societas cum illo sit illicita. Caietanus 2. 2. *quæstione* 90. *articulo* 1. & alij passim: quod & satis indicat Apostolus 1. *ad Corinthios* 10. quatenus ait: *Nolo vos fieri dæmoniorum*: Quapropter semper

 dæmon

dæmon tanquam Dei, & generis humani accerrimus hostis, vitari debebit.

9 Aduerte tertiò, quod dæmon (quatenus spectat ad futura) licèt ea, si sint contingentia, seu à libero arbitrio dependentia, non possit, quamdiù non habent causam certam, & determinatam, prædicere certò, potest tamen prædicere probabiliter, & coniecturaliter; quia (cum dæmon ingenium perspicax, & exactam omnium naturalium cognitionem, & longam experientiam habeat, & præterea omnium hominum temperamenta, effectusque, vt quid ex ipsis oriri consueuerit, rectè cognoscat) potest ex his omnibus probabiliter, ita vt sæpè collimet, conjicere contingentia, seu à libero arbitrio dependentia, sicuti diffusè probabam in primam partem S.Thomæ, *tract. de Angelis, disput.*7. & videri poterit Pereira *lib.*3. *de Magia, cap.*5. *num.*35. Martinus Delrio *lib.*4. *disquisit. Magicar. cap.*2. *quæst.*2. Potest etiam dæmon ex clandestinis consiliis, verbis, scriptis probabiliter conjicere deliberationes hominum futuras, vt ibidem probabam, & videri quoque poterunt Pereira, & Martinus Delrio *locis suprà citatis.* Potest etiam dæmon certò scire futura illa, quæ ex reuelatione Dei per Angelum sibi facta cognouit, cùm sæpè Deus ad malum pœnæ cuipiam inferendum vti soleat dæmonis ministerio: in quo casu dæmon prædicere potest talis hominis damnum, & eiusdem damni principium, finem & durationem. Potest etiam dæmon certò prædicere finem morbi, si morbus sit ex maleficio, & ex pacto cum ipso dæmone inito, sublato signo, sit cessaturus.

10 Quatenus autem spectat ad præterita, potest dæmon certò annunciare omnia ea, quæ aliquando coram ipso gesta sunt, vel ex relatione alterius accepit, quia omnia hæc rectè memoriâ retinet.

11 Quatenus tandem spectat ad præsentia, dæmon omnia hæc (quamvis occultissima, vt futura, res perditas, thesauros olim defossos, &c.) certò nouit, sicque certò nunciare potest, si in actu externo consistant; cogitationes autem hominum, ac deliberationes, quæ à libero arbitrio dependent, quamvis certò similiter assequi non possit, potest tamen eas probabilissimè conjicere ex iis, quæ in corpora tam interiùs, quàm exteriùs, & ex verbis, scriptis, & aliis clandestinis consiliis apparent. Potest etiam dæmon aliquando ferè certò easdem conjicere, quando scilicet, phantasmate immisso, vehementes ipse dæmon phantasiam hominis perturbat; quia tunc vix potest homo aliud cogitare, quàm id, quod à dæmone sibi suggestum fuit. Potest tandem dæmon (cùm sit motu velocissimus, quin & possit, vt *in citato tractat. de Angelis, disput.*4. *quæst.*8. cum S.Thoma dicebam, transire, dummodo secum non trahat aliquod corpus, ab extremo ad extremum absque medio) celerrimè denunciare ea, quæ in remotissimis regionibus gesta sunt, ita vt diuinatores ex à dæmone accipientes, reuelare possint aliis multo tempore ante, quàm humano modo sciri valeant. Vide quæ dicebam *citato tractatu de Angelis, disput.*7. *per totam.* Vide etiam Pereiram, & Martinum Delrium *in locis suprà citatis*, & Valentiam *in loco infrà citando.*

12 Cæterùm occulta hæc diuinatores edocet dæmon, vel in corpore assumpto eis visibilem se offerendo, ac verbis ea manifestando, vel absque vllo visu, formatis solùm in aëre verbis, vel immisso scripto aliquo, vel in somnis, vel vigilia phantasiam eorum commouendo, & effingendo in iisdem phantasmata idonea ad prædicta occulta repræsentanda, atque simul prædictos diuinatores incitando, vt sibi ab ipso dæmone prædicta occulta per phantasmata repræsentata aliis annuncient, & prædicent. Vide quæ dicebam *cit. disput.*7. *de Angelis*, & Pereiram *lib.*3. *de Magia, cap.*5. *num.*55. Martinum Delrio *lib.*4. *disquisit. Magic. cap.*2. *q.*2. & Valentiam 2. 2. *disp.*6. *quæst.*12. *punct.*3.

Aduerte quartò, quod licèt Valentia *cit. disput.*6. *q.*12. *punct.*3. Lessius *de iust. & iur. lib.*2. *cap.*43. *dub.*5. *n.*28. & alij putent, etsi illicitum, non tamen superstitiosum esse, quando quis mediis vanis procurat cognitionem, quæ non excedat scientiam dæmonis, vt si procuret cognitionem certam præteritorum, vel præsentium in actu externo consistentium, vel solam coniecturalem futurorum contingentiam, & à libero arbitrio dependentiam; quia non procurat tunc à dæmone, inquiunt ipsi, cognitionem propriam Dei; ac proinde nullam excellentiam Dei dæmoni tribuit; & quamvis, subdunt ipsi, in tali casu tribuat is dæmoni aliquem honorem, & fateatur in dæmone esse aliquam perfectionem, & excellentiam, qua nos homines excedit, verè talis perfectio, & excellentia, qua nos homines excedit, naturaliter est in eo. Probabilius tamen sit oppositum, quod *sectione præcedenti* docebam cum S.Thom. 2. 2. *quæst.*95. *art.*2. & ibi Caiet. *circa finem*, Suarez *tom.*1. *de relig. lib.*2. *de superstitione, cap.*8. *num.*16. & aliis, quatenus absolutè aiunt, ad quodcumque faciendum, vel cognoscendum ope dæmonis vti superstitiosum esse, ratione excellentiæ diuinæ affectatæ à dæmone, quia licèt in dicto casu homo non confugiat ad dæmonem, gratiâ obtinendæ ab ipso dæmone altioris rerum occultarum cognitionis, quàm ipse dæmon virtute sua naturali communicare possit; tamen quia per hanc ipsam societatem affectat dæmon vsurpare aliquid de excellentia diuina, & de honore Deo debito ab homine (quod scilicet homo, relicto Deo, ad ipsum dæmonem confugiat, & in ipso dæmone contra Dei voluntatem confidat) fit quod homo sic confugiens ad dæmonem cooperetur dæmoni ad hanc vsurpationem de diuina excellentia, & de honore Deo debito ab homine, vt propterea sic agens homo, contra Religionem Deo debitam superstitiosè agere censeatur. 13

Aduerte quintò, quod diuinatio illicita, & superstitiosa, quæ continet tacitum pactum cum dæmone (quæ enim continet pactum expressum cum illo, ex se satis clarè, & apertè suam malitiam præfert) discernitur à diuinatione licita, & non superstitiosa, ex tribus. Primò ex proportione rei cognoscendæ ad medium, per quod rei cognitio procuratur. Secundò ex modo cognoscendi, seu ex natura ipsius cognitionis. Tertiò ex intentione eam cognitionem procurantis. 14

Cæterùm proportio inter rem cognoscendam & medium, per quod rei cognitio procuratur, ne scilicet sit mala diuinatio, sed coniectatio licita, consistit in eo, si procuretur cognosci vnum ex alio, quando vnum ex alio sufficienter cognosci potest; 15
vnum autem ex alio sufficienter cognosci posse, contingit triplicites. Primò si cognoscatur, vt ex sua causa, sicut fumus ex igne, eclypsis ex motu cœli, &c. Secundò, si cognoscatur è contra, vt ex suo effectu, sicut ignis ex fumo. Tertiò, si cognoscatur, vt ex effectu suæ causæ, à qua vterque effectus procedit, sicut cognoscitur ex arcu cœlesti serenitas, eo quòd eadem arcûs cœlestis, & serenitatis est causa: Qua- 16
propter, si nullo modo ex his tribus modis vnum quid cognoscatur, est vana, & superstitiosa diuinatio, quæ pactum tacitum cum dæmone, seu tacitam inuocationem dæmonis contineat: Quia res non reducitur ad causam naturalem, seu ad quid sibi connexum naturale; si autem cognoscatur aliquo ex his tribus modis, sit coniectatio licita, & libera ab omni superstitione; quia reducitur sufficienter ad causam naturalem, seu ad quid sibi connexum naturale. S. Thomas 2. 2. *quæst.*95. *art.*5. & *ibi* Caietanus, Valentia *disput.*6. *quæst.*12. *punct.*3. Suar. *tom.*1. *de religione, lib.*2. *de* 17

super

superstitione, cap. 9. num. 2. & seqq. Martinus Delrio *lib. 4. disquisit. magic. cap. 2. quaest. 3.* & alij communiter.

18 Modus autem cognoscendi, ex natura ipsius cognitionis est in eo, quod si procuretur cognitio omnino certa, vel saltem certior, quàm (considerata libertate arbitrij, & defectu causarum concurrentium possibili) haberi possit, sit diuinatio mala, & superstitiosa, propter eandem rationem dictam; quia non reducitur res ad causam naturalem, seu ad quid sibi connexum naturale: Si autem non procuretur cognitio certa, vel certior, quàm haberi possit modo, quo suprà dicebam, sed procuretur sola cognitio coniecturalis, qualis ex medio, quod ad ipsam habendam adhibetur, haberi potest, sit coniectatio licita, & libera ab omni superstitione; quia similiter, vti suprà dicebam, res reducitur sufficienter ad causam naturalem, seu ad quid sibi conexum naturale. Ita S. Thomas *cit. art. 5. circa finem, in corpor. ibid.* Caietanus, Valentia, Suarez, & Martinus Delrio *in locis suprà citatis.*

19 Intentio tandem procurantis cognitionem etiam spectari debet; quia si seriò quis per media illa vana cognitionem occultorum procuret, est mala, & superstitiosa diuinatio, quæ pactum tacitum cum dæmone, seu tacitam inuocationem dæmonis continet; quia similiter res reducitur ad causam naturalem, seu ad quid sibi connexum naturale. Secus autem, si ioci solius & vanitatis causa, sciens ea media vana, & inutilia esse, dictam cognitionem procuret; quia tunc etiam res reducitur sufficienter ad causam sibi proportionatam naturalem, seu ad quid sibi proportionatum naturale. Tum quia quando seria cognitio ex re vana non procuratur, propria Dei cognitio non affectatur; cum cognitio iocosa, & simulata non sit propria cognitio Dei. Caietanus *2. 2. quaest. 95. art. 2. vers. Ad euidentiam huius,* Valentia *citata punct. 3.* Martinus Delrio *citato cap. 2. q. 3.* & alij, quos suprà citabam.

Quid autem in dubio, an cognitio licitè ex eo medio procuretur, sentiendum sit, dicam infrà *dubit. seqq.*

20 Aduerte sextò, quod non reddit licitam, & à superstitionis suspicione liberam hanc diuinationem experientia successus prosperi vel aduersi ex occursu illarum rerum, quæ vanæ, & quæ ad diuinandum improportionatæ dicebantur: vt si v.g. diuinans pluries expertus fuerit, aliqua tempora, vel loca, vel verba audita, vel occursum hominis, aut alterius rei aliquid boni, vel mali venturi sibi præsagium habere; quia id, cùm nullam connexionem habeat ad prædicta, casu contigit, & postea, cum homines his vanis obseruantiis animum suum applicuerint, multa secundùm has vanas obseruationes eueniunt ex deceptione dæmonis, ad hoc, vt homines in his vanis obseruantiis attendendis curiosiores effecti, perniciosi erroris laqueis quamplurimis inuoluerentur. S. Augustinus *lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 20.* quem cum S. Thoma *2. 2. quaest. 96. art. 3. ad 2.* sequuntur S. Antoninus *2. part. tit. 12. cap. 1. §. 11.* Angelus *verb. Superstitio, num. 12.* Sylvester *verbo etiam superstitio, q. 10. dicto 3. circa finem,* Suarez *tom. 1. de Religione, lib. 2. de superstitione, cap. 9. num. 17.* & alij passim.

21 Aduerte septimò quod, vt suprà dicebam, diuinatio duplex est. Prior, quæ continet pactum expressum cum dæmone, seu inuocationem expressam illius. Posterior, quæ continet pactum implicitum dæmonis, seu inuocationem implicitam illius. Et vtraque iuxta diuersitatem signorum, quibus dæmon diuinatores docere consueuit, diuiditur in varias species.

22 Prior diuinatio, quæ scilicet continet pactum expressum cum dæmone, & generali nomine Necromantia vocatur, diuiditur in nouem species, quarum

Prima est præstigium, cum dæmon variis apparitionibus superstitiosorum, se illorum aspectibus obiiciens, & occulta reuelans, oculos præstringit. 23

Secunda est diuinatio per somnia, cum instructio dæmonis per somnia speratur. 24

Tertia est Necromantia, cùm adhibitis sanguine, & certis carminibus, videntur mortui resurgere, loqui, & docere. 25

Quarta est diuinatio per Pythones, cum dæmon docet per homines arreptitios. 26

Quinta est Geomantia, cum dæmon docet per signa apparentia in corporibus terrestribus, vt in lapide, metallo, vel ligno, &c. 27

Sexta est Hydromantia, cum docet per signa apparentia in aquis. 28

Septima est Aëromantia, cum docet per signa apparentia in Aëre. 29

Octaua est Pyromantia, cum docet per signa apparentia in igne. 30

Nona est Aruspicium, cùm docet per signa apparentia in extis animalium dæmoni sacrificatorum. De quibus omnibus speciebus videri poterit Martinus Delrio *lib. 4. disquisit. Magicar. cap. 2. quaest. 6. & 7. per totas.* 31

Posterior diuinatio, quæ scilicet continet pactum implicitum cum dæmone, iterum duplex est: vna, cùm cognitio occultorum variè procuratur ex consideratione alicuius dispositionis aliàs in quibuscumque rebus existentis: Altera est, cùm cognitio occultorum vanè procuratur ex dispositione eorum, quæ homines, causa talis cognitionis consequendæ, consultò faciunt. 32

Illa prior ex S. Thoma *2. 2. q. 95. art. 3.* subdiuiditur etiam in nouem species, quarum

Prima est Genethlia, cum cognitio procuratur ex siderum motu, vel situ. 33

Secunda est Augurium, cùm cognitio procuratur ex animalium vocibus, vel ex hominum sternutatione.

Tertia est Auspicium, cum procuratur Auium volatu, vel quorumlibet animalium motu.

Quarta est Omen, cum procuratur ex hominum vocibus præter intentionem prolatis.

Quinta est Onitocritica, cum procuratur ex somniis.

Sexta est Physiognomia, cùm procuratur ex totius corporis humani signis.

Septima est Spatulamanthia, cum procuratur ex spatulæ signis.

Octaua est Metoposcopia, cum procuratur ex fronte, seu ex lineis illius.

Nona est Chiromantia, cum procuratur ex lineis manuum.

Ista posterior subdiuiditur à S. Thoma *in loco suprà citato* in duas alias species, quarum

Prima est Geomantia, cum cognitio procuratur ex protractione punctorum. 34

Secunda, est diuinatio per sortes, cùm v. g. cognitio procuratur ex signis resultantibus in plumbo liquefacto, & in aquam proiecto, vel ex consideratione festucæ ex duabus oblatis delectæ, vel schedulæ scriptæ, aut albæ; vel ex proiectione taxillorum, vel ex consideratione eius, quod alicui librum aperienti occurrerit, &c. De quibus omnibus videri poterit S. Thomas cum Martino Delrio *in locis suprà citatis.* 35

SECTIO III.

An prædicti modi diuinationis, vt per terram, per aquam, vel per aërem, &c. diuersi, constituant diuersas species in genere moris, necessariò in Sacramento Confessionis explicandas?

SVMMARIVM.

1 *Diuinationis modi prædicti, vt per terram, per aquam & per aërem diuersi, constituunt quidem diuersas species in genere entis, seu natura: Non tamen constituunt diuersas species in genere moris, sed tantùm tres species.*

2 *Prima species continet pactum expressum cum dæmone, & generali nomine vocatur Necromantia.*

3 *Secunda continet pactum implicitum cum dæmone, qua per solam considerationem dispositionis, vel motus alicuius rei, occultorum cognitio procuratur, & generali nomine vocatur Augurium.*

4 *Species vltima est dum aliquid consultò fit ad talem cognitionem procurandam, & consequendam, & generali nomine vocatur Diuinatio per sortes.*

5 *Diuinationis modi prædicti probabilius est, quod non constituant diuersas species, neque enim tres prædictas, sed vnicam tantùm speciem in genere moris. Et ideò opus non est, quod quis in Sacramento Confessionis explicet per quas res diuinatio fiat, sufficit quod solùm fateatur, se esse reum superstitionis.*

6 *Diuinationis speciem esse necessariè confitendam tenent plures Doctores. At dic id procedere in sententia illorum, qui tenent in Sacramento Confessionis explicandas circumstantias, non solùm mutantes speciem, sed etiam notabiliter aggrauantes. Quod quidem in sententia Auctoris non procedit per se, sed quando diuinatio, quæ continet pactum expressum cum dæmone, inuoluit alia peccata.*

1 RESpondetur (licèt nonnulli, quos sequitur Valentia 2.2. *disp.6.q.12. punct.5. circa finem*, putent quod prædicti modi diuinationis diuersi constituant quidem diuersas species in genere entis, seu naturæ, non tamen constituant diuersas species in genere moris, sed tantùm tres species.

2 Primam, quæ continet pactum expressum cum dæmone, & generali nomine vocatur Necromantia.

3 Secundam, quæ continet pactum implicitum cum dæmone, qua per solam considerationem dispositionis, vel motus alicuius rei, occultorum cognitio procuratur, & generali nomine vocatur Augurium.

4 Vltimam, dum aliquid consultò fit ad talem cognitionem procurandam, & consequendam, & generali nomine vocatur Diuinatio per sortes; idque colligi videtur ex S.Thoma 2.2.*q.94.art.3. circa finem*
5 *corporis*, quatenus ibi S. Thomas omnes diuinationis species ab ipso latè enumeratas, ad solas tres species reducit.) Probabilius tamen esse, quod docent Caietanus *in opuscul. tom.1. tract.5. de confessione, q.3. vers. Et quoniam*, Sotus *in 4. distinct.18.q.2. art.4. concl.6. circa finem*, Victoria *in summa de Confessione, n.176.* Manuël *tom.1. summa, cap.53. n.5.* Suarez *tom.1. de Religione, lib.2. de superstitione, cap.9.n.5. & cap.10.n.1. & seqq.* Azor. *tom.1. Instit. moral. lib.9. cap.12.q.3.* & alij passim, scilicet quod prædicti modi diuinationis diuersi non constituant diuersas species, neque etiam tres prædictas, sed vnicam tantùm speciem in genere moris, atque adeò non opus sit, quod quis in Sacramento Confessionis explicet, per quas res diuinatio fiat, sed sufficiat, quod solùm fateatur, dicendo se fuisse reum superstitionis mortalis, eo quòd prædicti modi diuinationis diuersi non habent specialem contra rectam rationem deformitatem, sed omnes vnam, & eandem.

Et quamvis nonnulli Doctores etiam huius posterioris sententiæ, quam nos sequimur, velint in Sacramento Confessionis, quando adest pactum expressum cum dæmone, id omninò explicandum esse, adeò quod Suarez *citato cap.10.num.1.* dicat, id esse certissimum, tamen si dicatur diuinatio, quæ continet pactum expressum cum dæmone, esse eiusdem speciei moralis cum ea, quæ continet pactum implicitum, & solùm differre sicut completum & incompletum, perfectum & imperfectum intra eandem speciem, sicut & professio expressa, & tacita sunt eiusdem speciei, eo quòd longè diuersum iudicium faciendum est in Sacramento Confessionis de pacto expresso, ac de pacto implicito cum dæmone: Quapropter & S.Thom. 2.2.*q.5.art.3.* ad primum, ait: Multò grauius est dæmones inuocare, quàm aliqua facere, quibus dignum sit, vt se dæmones ingerant. 6

Id tamen intelligo in sententia illorum, qui tenent, in Sacramento Confessionis explicandas esse circumstantias, non solùm mutantes speciem, sed etiam circumstantias notabiliter solùm aggrauantes; vel etiam intelligo in sententia illorum, qui tenent, in Sacramento Confessionis explicandas esse circumstantias solùm mutantes speciem; at non per se, propter rationem iam suprà dictam, sed solùm per accidens, quando scilicet diuinatio, quæ continet pactum explicitum cum dæmone, inuoluit alia peccata specie diuersa, quæ vtplurimùm inuoluere solet, vt dicebam suprà *sect. prima*, & dicam *infrà dubit.227. sect.5.*

SECTIO IV.

Dubitationis in principio positæ Resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Diuinatio ista superstitiosa est prohibita omni iure, diuino scilicet, canonico & ciuili.*

2 *Diuinatio, quæ continet pactum cum dæmone, siue verbis, siue ipso facto explicitum, est semper peccatum mortale, ita vt à tali peccato nunquam possit quis ob ignorantiam aliquam excusari.*

3 *Diuinatio, quæ continet pactum implicitum cum dæmone est etiam ex genere suo peccatum mortale, ita vt neque à tali possit quis ex paucitate materiæ facilè excusari.*

4 *Excusatur tamen à peccato mortali, ratione inaduertentiæ, vel ignorantiæ, quæ nec affectata, nec nimis crassa sit.*

5 *Excusatur etiam à peccato mortali, si quis ioci causa ad se oblectandum ea diuinatione vtatur; quia tunc ea diuinatio non est verè superstitiosa.*

6 *Amplia ex aliquibus circumstantiis huiusmodi iocum posse vacare culpa.*

7 *A peccato mortali etiam excusatur, si quis obseruet somnia, sortes, Auguria, auspicia, & similia, per quæ fit diuinatio, non habendo illis fidem certam, sed solùm concipiendo quendam timorem; quia cum*

cùm tunc eis fides integra non habeatur, deficit ratio superstitionis perfecta.

8 *Periculosa tamen res est, iuxta hæc etiam illis fidem integram non habendo, actiones suas hominem interdum dirigere.*

9 *Item nulla interdum est culpa, quod quis ex casu præsenti, vel ex somnio timeat sibi malum aliquod euenturum: At hoc locum habere non potest, nisi quando malum futurum in aliqua probabili ratione fundatur.*

10 *Pendere à talibus diuinationibus, ita vt ad earum quasi normam actiones suas etiam vtplurimùm quisque dirigat, est peccatum mortale; quia sic & gratiam diuinam, & arbitrium suum valdè vilificat, quamvis semel, vel iterum hæc obseruando omittere aliquid sit tantùm peccatum veniale.*

11 *Inquisitores etiam procedunt contra diuinos, & diuinatores istos superstitiosos in communi: Quia & isti sunt hæretici formaliter, vel saltem de hæresi suspecti.*

1 HIs præmissis, respondetur, & dico primò: Diuinatio ista superstitiosa est prohibita omni iure, scilicet iure diuino, *Deuteronomii* 18. *Numeror.* 25. *Isaia* 8. & *Ecclesiast.* 34. Iure canonico per multa capita, 26. *quæst.* 5. & à Sixto V. *in motu proprio*, & ab Vrbano VIII. *in altero motu proprio contra Astrologos*: & iure ciuili, *l. Nemo, Cod. de maleficis, &c.*

Cæterùm, quamvis moneat Ecclesia in prædictis capitibus, fideles abstinere se à licitæ Astrologiæ, somniorum, & linearum manus obseruatione, propter periculum declinandi in vsum illicitum, reuera tamen nullum Præceptum nouum indicere, sed solùm eam occultorum Inquisitionem, quæ iure naturæ iniqua erat, ibi condemnare intendit: Quod constat ex eo, quia in iis locis dicitur, earum rerum obseruationem pertinere ad Paganorum ritus, & dæmonum societatem. Quod de sola obseruatione iure naturæ prohibita verum est dicere. Caietanus 2.2. *q.* 95. *art.* 2. *vers. ad euidentiam huius*, Sayrus *in claui regia*, *lib.* 4. *cap.* 5. *n.* 3. Valentia 2.2. *disp.* 6. *q.* 12. *punct.* 1. *circa finem*, & alij communiter.

2 Dico secundò: diuinatio, quæ continet pactum cum dæmone, siue verbis, siue ipso facto explicitum, est semper peccatum mortale, ita vt à tali peccato nunquam possit quis ob ignorantiam aliquam excusari. Cùm res ex se ipsa satis claré, satisque apertè malitiam suam grauem præferat: sic Valent. *loco suprà citato, punct.* 4. & alij passim, quos sequitur Martinus Delrio *lib.* 4. *disquisit. magicar. cap.* 5. *q.* 4.

3 Dico tertiò, diuinatio, quæ continet pactum implicitum cum dæmone, est etiam ex genere suo peccatum mortale; ita vt neque à tali peccato possit quis ex paruitate materiæ facilè excusari, quia vsurpatio cognitionis Deo reseruatæ est ex se, abstrahendo à quacumque materia, admodum grauis. Valentia, & Martinus Delrio *in locis suprà citatis*, & nos dicemus infrà *dubit.* 257. *sect.* 5.

4 Dico quartò, excusatur tamen à peccato mortali, ratione inaduertentiæ, vel ignorantiæ, quæ nec affectata, nec nimis crassa sit; quia non ita clara, neque ità patens est talis diuinationis malitia: sic Caietan. 2.2. *q.* 95. *art.* 2. *vers. Ad euidentiam huius*, Valentia *ibid. q.* 15. *punct.* 1. Sayrus *in claui regia, lib.* 4. *cap.* 5. *num. vltim.* Martinus Delrio *lib.* 4. *disquisit. magic. cap.* 2. *q.* 4. *n.* 57. Lessius *de Iust. & Iur. lib.* 2. *cap.* 43. *dubit.* 10. *n.* 64. & alij communiter.

5 Dico quintò, excusatur etiam à peccato mortali, si quis ioci causa ad se oblectandum ea diuinatione vtatur; quia tunc ea diuinatio non est verè superstitiosa, sicuti suprà dicebam, & docent Caietanus, Valentia, & Martinus Delrio *in locis suprà citatis*, Sayrus *cit. cap.* 5. *n. vltimo*, Suarez *tom.* 1. *de Religione, lib.* 2. *de superstitione, c.* 9. *n.* 11.

6 Addo quod contingere possit, talem iocum talibus circumstantiis vestiri, vt ille omni culpa vacet, & ad Eutrapeliæ virtutem pertineat: qua de re videri poterunt Valentia, & Martinus Delrio *vbi suprà*.

7 Dico sextò, à peccato mortali etiam excusatur, si quis obseruet somnia, sortes, auguria, aruspicia, & similia, per quæ fit diuinatio, non habendo illis fidem certam, sed solùm concipiendo quendam timorem, quia cum tunc eis fides integra non habeatur, deficit ratio superstitionis perfectæ: ita Caietan. 2.2. *q.* 96. *art.* 3. & *citata q.* 95. *art.* 6. *circa finem*, & *in summa verbo superstitio, cap.* 2. & *ibidem* Armilla *num.* 3. Nauarrus *cap.* 11. *num.* 37. Bartholomæus à Ledesma *in summa de confessione, post dubium* 12. Lessius *de Iust. & Iur. lib.* 2. *cap.* 43. *dubit.* 8. *n.* 53. Suarez *tom.* 1. *de religione, lib.* 2. *de superstitione, cap.* 10. *n.* 6. & *cap.* 13. *n.* 25. Martinus Delrio *lib.* 4. *disquisit. magic. cap.* 5. *q.* 7. *sect.* 4. & Sayrus *in claui regia, lib.* 4. *c.* 9. *n.* 5.

8 Aduerte tamen, quod licèt hoc ita sit, semper tamen est res valdè periculosa, iuxta hæc etiam illis fidem integram non habendo, actiones suas hominem interdum dirigere; quia sic ille quodammodo & liberum arbitrium suum, & gratiam diuinam vilificat, vti dicetur infrà *dubit.* 221. Quapropter Deus iustissimè permittere solet, talium obseruatorem malè perire; & dæmon etiam eum per huiusmodi sæpè sæpiùs in peiora pertrahit, & in magis seriis negotiis decipit: sic DD. quos sequitur Martin. Delrio *cit. c.* 2. *q.* 7. *sect.* 4.

9 Aduerte secundò, quod Caietanus *in summa, citato verbo Superstitio*, & ibidem Armilla putant, nullam aliquando esse culpam, quod quis ex casu præsenti, vel ex somnio, &c. timeat sibi malum aliquod euenturum, v. g. si corporaliter cadens timeat quod è statu, quem habet, casurus sit; non tamen propterea interim desistat ab operibus prudenter agendis, sed magis cautus inuigilet; quia (inquiunt ipsi) casus iste præsens corporalis potest esse vel ex Prouidentia diuina, vel ex communi vtriusque casus causa cœlesti, signum futuri casus à statu, quem minatur.

10 At hoc cum Martino Delrio *lib.* 3. *disquisit. magic. part.* 2. *q.* 4. *sect.* 5. *litt. D*, Suarez *cit. c.* 10. *n.* 6. Lessio *cit. cap.* 44. *dubit.* 10. *n.* 66. & aliis, mihi minùs probatur; quia id, quod Caietanus, & Armilla aiunt, locum habere non potest, nisi quando malum futurum in aliqua probabili ratione fundatur, qualis nunc non est; cum rarissimè, vel nunquam contingat, casum illum corporalem esse signum futuri mali, vel casus à statu quem minetur: Quapropter id aperit viam ad vanas obseruationes obseruandas, & sequendas.

11 Dico septimò, vsque adeò ex his diuinationibus quempiam pendere, vt ad earum quasi normam actiones suas etiam vtplurimùm dirigat, est peccatum mortale; quia sic & arbitrium suum, & gratiam diuinam valde vilificat, sicuti dicam infrà *cit. dub.* 152. & docent Caietanus *in Summa, verbo Astrorum obseruatio*, Armilla *verb. Somnium, n. vnica*, Suarez *loco suprà citato, cap.* 13. *n.* 15. & Lessius *de Iust. & Iur. cit. dubit.* 10. *n.* 35.

Quamvis semel, vel iterum hæc obseruando omittere aliquid (aliàs non obligans sub mortali) sit tantùm peccatum veniale, sicuti etiam dicam *eadem dub.* 122. & docent idem Caietanus *in Summa, verbo Somniorum obseruatio*. Armilla *ibidem*, Nauarrus *in Summa, cap.* 11. *n.* 33. Azor. *tom.* 1. *Institut. moral. lib.* 9. *c.* 17. *circa finem*, & alij passim.

12 Dico octauò, contra diuinos, seu diuinatores superstitiosos istos in communi procedunt etiam Inquisitores, quia ex dictis, tales etiam vel sunt hæretici formaliter, vel saltem de hæresi grauiter suspecti. Vide quæ dicebam suprà, præsertim *dubit.* 206.

Cæterùm restat nunc, quod aliquas, scilicet in genere eniis, vel natoræ tantùm, species diuinationis, præsertim illius, quæ fit per pactum implicitum cum dæmone, pertractemus; quarum voa ex S. Thoma 2.2.q.95.*art.5.& seqq.* est diuinatio per Astra, quæ Astrologia vocatur. Secunda per Physiognomiam, Metoposcopiam, Chiromantiam, Pedomaotiam, & manuscripti Characteres impressos. Tertia est per Somnia. Quarta per Sortes. Quinta per Auspicium, vel Augurium, nempe ex Auium, Piscium, aliorumque Animalium voce, cantu vel volatu, &c. De quibus omnibus infrà *dubitat. seqq.* dicemus.

SECTIO V.

An, & quid dicendum de pœnis iure statutis contra Diuinatores, Magos, vel Maleficos?

RESpondetur: de hac re dicam infrà *dubit.* 228. *sect.* 1. & 2.

SECTIO VI.

An, & quid dicendum de libris, & scriptis Diuinatorum, Magorum, vel Maleficorum?

RESpondetur: de hac re dicam etiam infrà *citata dubit.* 228. *sect.* 3.

SECTIO VII.

An quicumque Diuinatores, Magi, vel Astrologi teneantur restituere pretium, quod pro diuinatione, vel alia opera sua simili acceperunt?

RESpondetur: de hac re dicam etiam infrà *eadem dubit.* 228. *sect.* 4.

DVBITATIO CCXXII.

Quidnam dicendum de Divinatione per Astra, seu per Astrologiam?

Dubitationis resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Astrologia duplex: Naturalis, & licita, hominique vtilis, præsertim Medicinæ, Agriculturæ, & Nauigationi. Iudiciaria, & illicita.*
2 *Ex Astrologia naturali obseruantur Astrorum situs, ac motus, ex quibus prædicuntur effectus naturales. In duplici differentiâ, & necessariò euenturi, & contingenter.*
3 *Eclypses Solis, Lunæ, & aliquanda Mercurij, & forsan etiam Veneris necessariò dicuntur effectus venturi. Vide ibi quando, & quomodo fiant.*
4 *Effectus contingentes eueniunt ex eo quod propter concursum aliarum causarum interdum impediri possint: vt aeris salubritas, serenitas, &c.*
5 *Temperamenti coniectatio contingens, & incerta est, ac naturalis propensionis hominis nati ex aspectu Astrorum, obseruato puncto natiuitatis; quia hæc pendent non tantùm ex influxu Astrorum, sed etiam ex materia conceptionis, & ex materia nutritionis.*
6 *Item quia punctum natiuitatis deprehendi certò non potest ob rapidissimum mobilis primi motum, & ob alia quamplurima impedimenta, & etiam ob calculi diuersitatem, vel secundùm regulas Regiomontis, vel secundùm regulas Copernici, & nouissimè Tyconis.*
7 *Item quia Astra influunt in fœtum in vtero materno adhuc existentem, cùm de facto etiam influant in viscera terræ. Ita vt obseruandum sit etiam punctum conceptionis, quæ obseruatio est multò impossibilior, & cur?*
8 *Figura verificatio per Trutinam Hermetis requiritur.*
9 *Punctum natiuitatis, per quod dicunt Astrologi verificari punctum conceptionis, verificatur per Animodar, scilicet per coniunctionem, vel oppositionem luminarium Solis, & Lunæ proximè præcedentem, & verificari etiam per verificationem, quam dicunt per accidentia.*
10 *Reijcitur sententia Ptolemei, punctum scilicet conceptionis haberi per punctum natiuitatis.*
11 *Reijcitur verificatio figuræ per Animodar, & etiam ea, quæ dicitur per accidentia, & cur?*
12 *Astrologi prædicentes Astrorum effectus naturales, v. g. Aeris serenitatem, salubritatem, siccitatem, vel pluuias, animalium morbos, vel mortes, anni sterilitatem, &c. maiori certitudine, quàm ex aspectu Astrorum consequi possunt, committunt peccatum temeritatis, & mendacij, non tamen peccatum diuinationis mortale.*
13 *Neque contra ipsos procedere possunt Inquisitores tanquam contra suspectos de fide.*
14 *Astrologi committunt peccatum contra Religionis virtutem, si ex natiuitatis aspectu non prædicant effectus particulares contingentes, sed solùm generatim propensionem naturalem, sicque effectus inde consequentes vtplurimùm apud eos, qui natura sua victoriam non assequuntur.*
15 *Astra non influunt in animam immediatè, sed mediante corpore, & dependenter ab ipso.*
16 *Inquisitores procedere possunt contra Astrologos iudiciarios, tanquam contra suspectos de fide, cum per Astrologiam iudiciariam non solùm modo, quo suprà, sed etiam ea, quæ pendent à libero hominis arbitrio, denuncient.*
17 *Effectus liberè contingentes non pendent ex Astris, quia tolleretur libertas, & dependentes à causis contingentibus sciri certò non possunt.*
18 *Effectus neque verificari possunt, quatenus Astra sunt pura signa, adeoque ex alicuius institutione significantia, & cur?*

RESpondetur, quod Astrologia sit duplex.

1 Prior naturalis, eaque licita, vtpote vera, cum verè materialia hæc inferiora regantur per superiora. Angelus *in summa, verb. Superstitio, numer.* 13. & alij communiter; & videri etiam poterit Sanctus Augustinus *libr. 4. de Civit. Dei, cap.*

*cap.*1. *&* 15. *& in Ioannem cap.* 8. *& in Matthæum cap.* 5. S. Thomas 1. *part. quæst.* 22. *ad* 3. *& q.*116. *art.*2.*& lib.*3. *contra Gentes,cap.*95. & ibi Ferrariensis, & Boëtius 4. *lib. de consolatione*. Eaque etiam homini vtilis, vtpote Medicinæ, Agriculturæ, & Nauigationi quamplurimùm conducens, per quam obseruantur Astrorum situs, ac motus, ex quibus prædicuntur effectûs naturales.

3 Partim qui sunt euenturi necessariò, vt Eclypses solis, per interpositionem scilicet lunæ inter terram, & solem, & Eclypses Lunæ, & aliquando Mercurij, & forsan etiam aliquando Veneris, per interpositionem scilicet terræ inter Solem, & Lunam, & aliquando Mercurium, & forsan etiam aliquando Venerem, etsi tarissimè, cum eò versus pyramidalis vmbra terræ valdè attenuetur, non sic vnquam Martis, Iouis, & Saturni; cum dicta pyramidalis vmbra terræ non pertingat vnquam vsque ad corpus Martis, Iouis, & Saturni, sicuti pertingit vsque ad corpus Lunæ, & aliquando vsque ad corpus Mercurij, & forsan etiam aliquando vsque ad corpus Veneris, vti suprà dicebam, quamvis neque Eclypses Solis, & Lunæ quoad quantitatem, & durationem temporis ipsarum certò etiam ab Astrologis prædicantur; cum quoad has circunstantias ab ipsis sæpè sæpiùs error non mediocris committatur, sicut experientia docet.

4 Partim qui sunt euenturi contingenter ex eo, quod propter concursum aliarum causarum interdum impediri possint; cuiusmodi sunt aëris salubritas, serenitas, siccitas, vel pluuiæ, animalium morbi, vel mortes, anni sterilitas, vel abundantia, & similia.

5 Et multò magis contingens, & incerta est coniectatio temperamenti, ac naturalis propensionis hominis nati, ex aspectu Astrorum, obseruato puncto Natiuitatis, habita: Tum quia temperamentum, & naturalis propensio hominis nati, non tantùm dependet ex influxu cœlorum, sed etiam (quin & forsan multò magis) ex materia Conceptionis (sicuti infrà *sectione sequenti* dicetur) & ex materia nutritionis, sicuti patet ex animalibus pascentibus, quæ eadem ex diuersis pascuis diuersorum locorum diuersum nutrimentum, diuersumque saporem, &c. sor-

6 tiuntur. Tum quia punctum illud, seu momentum Natiuitatis, quod Astrologi exactissimè obseruandum esse tradunt, & meritò, quia alioquin saluari non potest, quomodò duo gemelli sint diuersorum morum, diuersæ fortunæ, diuersæque naturæ: itavt vnus sit læuis, vt Iacob; alter pilosus, vt Esaü: vnus felix, alter infelix: vnus sanus, alter infirmus: vnus mas, alter femella, &c. deprehendi certò non potest ob rapidissimum mobilis primi motum, & ob alia quamplurima impedimenta, & etiam ob calculi diuersitatem, vel secundùm regulas scilicet Regiomontis, vel secundùm regulas Copernici; vel secun-

7 dùm regulas nouissimas Tyconis. Tum quia sine dubio Astra influunt in fœtum, etiam in vtero materno adhuc existentem, quin & tunc forsan magis, vtpote in tenellum, cùm de facto influant per multa milliaria passuum io viscera terræ, diuersa mineralia ibi generando, itavt omninò obseruandum esse videatur etiam punctum conceptionis, & punctum animationis, quorum tamen obseruatio Astrologis multò magis impossibilis est; cum non quilibet fœtus mathematicè per spatium nouem mensium in vtero ma-

8 terno retineatur: Quapropter ab ipsismet Astrologis meritò reiicitur verificatio figuræ hominis nati per trutinam Hermetis (quam ipsi vocant) reducendo per regressum omnia ad punctum conceptionis ipsius hominis nati.

9 Dices: Punctum natiuitatis (per quod & habetur punctum conceptionis; quia sicuti docet Ptolomæus *lib.*3. *quadripartita*, fœtus naturaliter non emittitur, nisi tempore proportionato tempori conceptionis; cùm tunc tantùm fœtus sit completus, seu perfectus, & fœtus naturaliter non emittatur, nisi fuerit completus, seu perfectus) verificari per verificationem, quæ dicitur per Animodar, scilicet per coniunctionem, vel oppositionem luminarium Solis, & Lunæ proximè præcedentem, & verificari etiam per verificationem, quæ dicitur per accidentia, scilicet quæ certo noto tempore contigerunt ei, qui natus est: Ex quibus eruitur dictum punctum natiuitatis.

Sed contra quoad id quod dicitur ex Ptolomæo, 10 punctum scilicet conceptionis haberi per punctum natiuitatis; cum fœtus naturaliter non emittatur, nisi tempore proportionato tempori conceptionis; quia impossibile est, quod vnum tempus etiam breuissimum, nedum plurium mensium, sit proportionatum alteri tempori: Cùm & in diuerso tempore ductum gemellorum, sint necessariò diuersi situs, & aspectus planetarum; præsertim si planetæ fuerint propè angulos figuræ cœlestis, quæ propter rapidissimum motum primi mobilis per breuissimum tempus tota mutatur: Et fateri debent Astrologi, vt saluare possint in gemellis varios effectus, & euentus.

Contra secundò quoad id, quod dicitur punctum 11 natiuitatis verificari per verificationem, quæ dicitur per Animodar; quia verificatio hæc per Animodar (vt experientia docet) perrarò, vel ferè nunquam subsistit: Quapropter Astrologi necessariò recurrunt ad aliam verificationem, nempe per accidentia, quæ scilicet certo noto tempore homini nato contigerunt. Ex quibus eruitur dictum punctum natiuitatis. At hæc verificatio per accidentia, præterquam quod sæpè sæpiùs accidentia inter sese non concordant, non deducit, saltem vtplurimùm, Astrologos ad punctum natiuitatis; quia effectus directionis, quæ hîc & nunc v. g. dirigitur, non contingit in puncto, quin neque (saltem vtplurimùm) in die, mense, vel anno illius temporis, quod significat; cùm directionis effectus, teste Cardano in Ptolomæum *loco suprà citato*, antecedere, vel postponi possit (etiam per biennium) iuxta scilicet directiones alias subsequentes reuolutiones, profectiones, & transitus planetarum concordes, vel discordes ad ipsam directionem, quæ hîc & nunc v. g. dirigitur; & iuxta significatorem & promissorem fortem, vel debilem, tam ratione signi, quàm ratione domus, in quibus reperitur, & tandem etiam iuxta eundem promissorem velocem, vel tardum in motu, quem habet, sicque velocem, vel tardum in operando, seu in afficiendo subiectum, scilicet natum; de quibus omnibus doctrinam tradunt ipsimet Astrologi, qui præterea neque inter se concordant in calculando tempus directionis, neque quantum temporis important singuli gradus directionis, vt propterea impossibile moraliter sit, per verificationem accidentium nati deuenire ad punctum natiuitatis eiusdem nati.

Cæterùm, quamvis Astrologi astrorum effectus 12 naturales, v. g. aëris serenitatem, salubritatem, siccitatem, vel pluuias, animalium morbos, vel mortes, anni sterilitatem, vel abundantiam, pestis grassationem, sanitatem, vel infirmitatem, ventos, grandines, hominis nati temperamentum, & naturalem propensionem, &c. maiori certitudine, quàm ex Astrorum aspectu consequi possint, prædicant, sicque peccatum temeritatis, ac mendacij committant, non tamen peccatum diuinationis mortale, itavt Inquisitores aduersus tales, tanquam 13 aduersus suspectos de fide, procedere possint, contra Religionis virtutem committunt (si ex natiuitatis aspectu non prædicant effectus particulares 14

con

contingentes, sed solùm generatim propensiooem naturalem, sicque effectus inde consequentes, vtplurimùm apud eos, qui naturæ suæ victoriam non assequontur: Ex quo fieri soleat, vt eiusmodi coniectatio non quidem certa, sed tamen oon omninò improbabilis existat. S. Thomas *1.p.q.115. art.4. & 6.* quatenùs docet, quod impressiones corporum cœlestium indirectè, & per accideos pertioetc possint ad intellectum, & rationem, seu voluotatem, in quantum tam intellectos, quàm voluntas aliquo modo ab inferioribus vires accipiunt, quæ organis corporeis alligantur: *& 2.2.q.95.art.6.in corpore*, in quantum tradit, quod corpora cœlestia non possint esse causa per se operationum liberi arbitrij, sed possint ad hoc inclinare dispositiuè, quatenus imprimunt in corpus humanum, & per consequens in vires sensitiuas, quæ tamen obediunt rationi: Et nulla necessitas ex hoc imponitur libero arbitrio. Astensis *lib.1. tit.12.* quatenus ait, quod motes hominom possint à dispositionibus siderum variari dispositiuè, & contingenter, & stellæ possint per constellationem influentiarum inclinare. Syluester *verb. superstitio*, §.6. quateous inquit, quod cœlestia non possint imprimere directè in intellectum, & voluntatem, sed possint ad hoc inclioare dispositiuè, Armilla *verbo Astrologia, num.2.* quatenus asserit, quod corpora cœlestia, & constellationes possint homines quandoque ad vitia, quaodoque ad virtutes inclinare, non tamen cogere, vel necessitare. Sotus *de Iust. & Iur. lib.8. quæst.3. art.2.* quatenus habet, quod corpora cœlestia possint quodammodò ipsam animam inclinare. Caietanus *verb. Astrorum obseruatio*, cuius verba referam diffusiùs *sect. sequenti*, Abbas *de sortileg. cap.2. & 7*: & alij plures, quos citat, & sequitur Suarez *tract.3.lib.2.de superstitione, cap.11.n.12.* Petr. Nauarra *de restit. lib.2. c.2.n.28. & 80.* Bonacina *de censur. in particul. disp.2. q.2. punct.39. n.3.* Vulpe *in praxi, cap.37. n.13.* & nos etiam dicemus infrà *sectione sequenti*.

15 Ratio, qoia cum homo operetur independenter à corpore, & per simpathiam ad corpus, vtplurimùm operatur secundùm suam propensionem naturalem, sicque Astra (licet materialia) in animam (licet spiritualem) influunt, non quidem immediatè ob hanc iam dictam rationem, sed solùm mediatè, influendo scilicet in corpus, dependenter à quo, & per simpathiam ad quod, anima operatur.

16 Posterior iudiciaria, eaque illicita, & superstitiosa, itavt Inquisitores aduersus tales Astrologos, tanquam aduersus suspectos de fide, procedere possint, per quam non modo, quo suprà, sed absolutè certo, ex Astrorum aspectu euentus à libero arbitrio dependentes, vel effectus præteriti, aut præsentes occulti, v. g. Titium esse authorem furti, vel homicidij occulti, &c. denunciantur; vel effectus futuri (v. g. Paùlum tale matrimonium esse cootracturum, vxorem scilicet diuitem, vel pauperem, pulchram, vel deformem ducturum: Episcopum, vel Cardinalem, vel tali Principi gratum futurum, tale iter facturum, tali loco, vel tali morte, v.g. gladio, aqua, igne, vel domus ruina periturum; tales liberos, tales amicitias, vel inimicitias habiturum; tales carceres passurum; tales diuitias, vel honores acquisiturum; talem statum vel talem artem professurum, &c. similiter absolutè, seu certò prædicantur.

17 Ratio, cur hæc Astrologia iudiciaria sit illicita, & superstitiosa, est quia talis coniectatio, seu tale Iudicium fieri potest, aut quia Astra sint causa talium effectuum, aut quia sint solùm signa: Primum dici non potest de effectibus liberè contingentibus, tolleretur enim libertas hominis, eiusque opera subjicerentur fati necessitati: quod est hæreticum, & gentilitium: Adeò vt & Ptolomæus Astrologorum Princeps 3. *libr. Quadripartita, in principio*, dicat quod ipse tradit principia, per quæ prædici possit inclinatio hominis nati ad hoc, vel ad illud, &c. faciendum, vel assequendum. An aotem postea homo natos, hoc vel illud, &c. sit facturus, vel assecuturus, pendeat ex libero arbitrio ipsios hominis nati. Neque idem primum dici potest de effectibus casualibus; quia tales effectus non proueoiunt ex voica caosa, sed ex causarum fortuito concursu, quem Astrologi neque alio modo secondùm oaturalem rationem deprehendere possunt, qua de re multa congerit Gratianus *causa 26. q. 4.* & præter alios multos videri poterit Petrus Nauarra *de restitutione, lib.2.cap.2.n.46.* Ergo dici debet secundum, quod scilicet Astra ab Astrologis iudiciariis obseruentur, quatenus pura signa sunt, adeoque ex alicuius institutione significantia; sed non Dei, vel boni Angeli, cùm talis significationis nullum iodicium extet in sacra Scriptura, quin potiùs in illa taoquam vana prohibeantur, Isaiæ *c.47.* & Ieremiæ *cap. 10.* *Iuxta vias Gentium nolite discere, & à signis cœli nolite metuere, quæ timent Gentes; quia leges Populorum vana sunt.* Ergo dæmonis ex expresso, vel tacito cum hominibus pacto instituta, sicut recte dixit S. Augustinus *lib. 2. de doctrina Christiana, cap.22. circa finem*, quem cum S. Thoma sequuntur communiter Scholastici, & Doctores.

SECTIO II.

Corollaria.

SVMMARIVM.

1 *Astrologia naturalis coniectans ex Astrorum aspectu, quæ contingunt naturaliter, & coniectans considerando punctum natiuitatis, temperamentum, & propensionem hominis naturalem, est licita; quia hæc scientia ad hæc se extendere potest, neque eorum iudicium damnatur in motu proprio Sixti V. neque in altero Vrbani VIII.*

2 *Effectus prædicti (præcise necessariis, vt Eclypses) sunt valdè incerti ex eo, quod à multis aliis causis pendeant, & ex multis capitibus impediri possint.*

3 *Astrologia iudiciaria absolutè, seu certò prædicens ea, quæ pendent ex libero arbitrio, vel simili modo prædicens casus fortuitos, est ex tacito cum dæmone pacto superstitiosa; quapropter prohibita est omni Iure.*

4 *Astrologi tripliciter quoad hoc peccare possunt mortaliter. Primò si velint hæc futura contingentia posse ex astris cognosci certò. Secundò si velint Christiana fidei mysteria ex Astrorum situ, & influxu deduci, sicut voluit Cardanus meritò damnatus, quòd Christi Domini Natiuitatem ausus sit facere. Tertiò si actiones humanæ astris tanquam certæ cuidam regulæ subjiciantur. Vide ibi rationes cur his modis contingat mortaliter peccare.*

5 *Prædicere ex astris ea, quæ pendent ex libero arbitrio, non vt certò, sed vt coniecturaliter euentura, & ita habeat in mente, non est peccatum mortale; quia ex Astris quidem cognitio eorum, quæ pendent ex libero arbitrio coniecturalis haberi potest.*

6 *Prædicere ex astris ea, quæ pendent ex libero arbitrio damnant nonnulli loci sacræ Scripturæ, multi Sancti Patres, & multa Iura. Sed intelligi debet, si prædicantur certò, non tamen si coniecturaliter tantùm.*

7 *Motus proprius Sixti V. secundùm plures DD. non est vsu receptus; & est abrogatus per consuetudinem*

tudinem in contrarium. Sed intelligendum est, vt contra tales Astrologos procedatur tantum in foro externo.

8 *Contra Astrologos prædicentes ex astris ea quæ pendent ex libero arbitrio, etiam non certò, sed coniecturaliter tantùm, emanauit constitutio Vrbani VIII. quæ obligat etiam in foro conscientiæ, imponens pœnam excommunicationis, præter pœnam capitis, & bonorum: at intelligenda est tantùm in ordine ad personam Summi Pontificis, & eius consanguineos, & ideò non absolutè & simpliciter, sed secundùm quid.*

9 *In ordine ad alias personas nullum est peccatum, neque ratione scandali, quia hodie neque scandalum adesse videtur.*

10 *Astrologia iudiciaria, quæ versatur circa reuolutiones, & quæ prædicit totius anni bello, vel pace vicissitudines, aëris salubritatem, abundantiam, &c. neque est mortale peccatum, si videlicet non prænunciet tanquam certa, sed solùm tanquam dubia, & coniecturaliter tantùm; est enim peccatum mortale prænunciare in casibus fortuitis, & in iis, quæ pendent ex libero arbitrio.*

1 EX dictis sequitur primò, quod Astrologia naturalis coniectans ex astrorum aspectu, quæ contingunt naturaliter, & coniectans considerando punctum natiuitatis, temperamentum, & propensionem hominis naturalem, sit licita. Caietanus 2. 2. *q.95. art.5. circa finem*, Abbas *cap.2. de Sacrilegiis, n.7.* Manuël *1.tom. summa, cap.7. n.3.* Suarez *tom.1. de Religione, lib.2. de superstitione, cap.11. num.8. & seqq.* Salas 1. 2. *quæst.9. art.5. tract.5. disp.2. sect.8. n.79.* & alij, quos suprà *sect. præcedenti* citabam; quia talis scientia ad hæc verè se extendere potest, neque horum iudicium damnatur *in Motu proprio* Sixti V. nec etiam *in altera Motu proprio* Vrbani VIII. contra Astrologos, sed tantùm in illis motibus damnatur iudicium, quando ex astris prædicuntur casus fortuiti, vel pendentes à libero arbitrio, sicuti rectè præter alios notauit Suarez *loco suprà citato, num.12.* & nos *infrà* dicemus.

2 Aduerte tamen, quod effectus prædicti (demptis necessariis, vt eclypses) sint valdè incerti ex eo, quod à malis aliis causis pendeant, & ex multis capitibus impediri possint. Et præcipuè adeò incerta est coniectatio temperamenti, & inclinationis naturalis hominis nati, quæ ex astrorum aspectu, considerato momento natiuitatis desumitur, vt Caietanus vbi suprà dixerit, quod vix possit dici coniectura, & alij, quos sequitur Suarez *cit. cap.11. n.9.* dixerint, quod vix possit dici suspicio; quia astrorum aspectus, ex quibus hæc coniectatio desumitur, difficillimè, & imperfectissimè cognoscuntur; ita vt vix sine vllo errore situs astrorum tempore natiuitatis existens, notari possit illo in momento (prout Astrologi exactissimè momentum illud ad hoc iudicium faciendum considerandum esse dicunt) quia rapidissimus primi mobilis motus efficit, quod per singula momenta varietur cœli facies.

Tum quis ad hoc potiùs spectandum esset momentum animationis fœtus in vtero materno existentis: Nam si vis astrorum profunda terræ penetrat, multò magis vterum maternum penetrabit; & cùm tunc fœtus sit tenerrimus, potiùs tunc in illum influent astra; hoc autem momentum est scitu impossibile, sicuti *sectione præcedenti* dicebam.

Tum quia sæpè subiectum, idest natus, non afficitur influentiis (quæ vigent tempore suæ natiuitatis) cùm non sint conformes, seu non concordent cum influentiis quæ vigebant tempore suæ conceptionis: quod esse mirum non debet, quia sæpè etiam subiectum neque afficitur influentiis generalibus, vt pestis, &c. quæ ex Ptolomæo, & ex aliis astrologis communiter notabiliter vincunt influentias particulares, propter eandem dictam rationem, quia scilicet influentiæ generales (quæ nunc v. g. de præsenti vigent) non sunt conformes, seu non concordant cum influentiis particularibus, quæ vigebant tempore natiuitatis subiecti. Quapropter in tali casu huius subiecti natiuitatis dicitur ab iis, qui astrologiam callent, quemcunque modum, siue scilicet per Hermetis Trutinam, siue per Animodar, siue per accidentia inuerificabilis.

Hinc si hæc omnia prædicantur ab Astrologis maiori certitudine, quàm sciri possunt, erit peccatum temeritatis, & imprudentiæ, seu mendacij, non excedens tamen culpam venialem (nisi forsan cederet in alterius præiudicium, vel scandalum. Tunc enim esset mortale, sicuti rectè, præter alios, notauit Suarez *d.c.15. n.5. & 12.*) quis cùm coniectent ea, ad quæ astrorum aspectus se extendit, nulla interuenit superstitio, sed erit solùm error temeritatis, & imprudentiæ, seu mendacij, sicut si quis erraret in conclusione physica, eam certiorem, quàm sit asserendo.

Sequitur secundò, quod è contra Astrologia iudiciaria absolutè, seu certò prædicens ea, quæ pendent 3
ex libero arbitrio, vel simili modo prædicens casus fortuitos, sit ex tacito cum dæmone pacto superstitiosa: Quapropter prohibita est omni iure: Iure canonico *in c. igitur. 26. q. 3. cap. non liceat, 26. q. 1. c. illud, & cap. sed & illud, 16. q. 2. & in Motu proprio* Sixti V. *& in altera motu proprio* Vrbani VIII. contra Astrologos: Iure ciuili *in l. 2. 5. & 7. Cod. de malef. & mathem. & in l. Mathematicos, Cod. de Episc. audient.* Sicque tenent cum S. Thom. 2. 2. *q. 95. art. 5.* ex multis sacræ Scripturæ, Sanctorum, & Philosophorum testimoniis, & rationibus Suarez *cit. c. 11. n. 13. & seqq.* Salas 1. 2. *quæst. 9. art. 5. tract. 5. disp. 2. sect. 3. n. 26. & seqq.* Petr. Nauar. *de restit. lib. 2. c. 2. dub. 2.* Pereyra *de magia, lib. 2. & 3.* & alij communiter, & nos probamus suprà *sect. præcedenti*, eo quòd tales euentus non possint esse ab astris naturaliter, neque vt à causis, neque vt à signis. Et idem probabamus de effectibus casualibus; quia huiusmodi effectus, vt tales, non habent causam per se, teste Aristotele 6. Metaphysicor. Ergo ex astrorum obseruatione talis cognitio haberi non potest: ergo si exindè quæratur, quid superstitiosum erit, & disciplina dæmonis implicitè, seu tacitè quæretur.

Sequitur tertiò, quod vt rectè notauit Caiet. *in sum. verb. astrorum obseruatio*, quem sequuntur alij communiter, tripliciter quoad hoc mortaliter peccari posse. 4

Primò, si astrologi velint, hæc futura contingentia posse ex astris cognosci certò; quia tunc tollitur libertas, vt suprà *sectione præcedenti* dicebam.

Secundò, si astrologi velint Christiana fidei mysteria ex astrorum situ, & influxu deduci, vel etiam aliquo quocumque modo, quasi subsint cœlestibus causis aliquo modo; quia Christiana Religio, vtpote omninò spiritualis, est ad astra superior, & eius mysteria pendent ex solo Dei decreto: Quapropter & damnatus fuit Cardanus, qui voluit Christo Domino erigere figuram, ex qua, seu ex eius Planetarum aspectibus, tanquam ex causis, vel signis naturalibus, deducebat omnia, quæ Christus Dominus pro nobis passus fuit, etsi defendebat se Cardanus, quod cum Deus Pater voluerit Christum Dominum Filium suum ea omnia pro nobis pati, proportionatum elegerit punctum, seu momentum, in quo Filius suus nasceretur, vt ea omnia pro nobis pati subiectus fuerit; at minùs rectè, tum ob rationem iam dictam; tum quia ex scripturis Christus Dominus oblatus est, quoniam ipse voluit, & mysteriosè.

Tertiò, si actiones humanæ, & electiones astris, tanquam certæ cuidam regulæ subjiciantur; ita vt quis suæ vitæ, & actionibus suis regulam præscribat;

bat; quia hoc liberi arbitrij dignitati, & diuinæ gratiæ derogat, & multis illusionum periculis expositum est. Caietanus *citato verbo Astrorum obseruantia*, & præter alios communiter Salas 1.2. *quæst.9.art.5. & tract.5.disp.2.sect.8.n.85.* Martinus Delrio *lib.4. disquisit. magicar. cap.4. quæst.1.* Toletus *in summa, lib.4. cap.5. num.6.*

Quamvis secùs, si id semel, vel iterum astra aspiciens, in suis actionibus efficiat, iudicando rem esse incertam; quia tunc committet tantùm culpam venialem, sicuti præter alios rectè notauit Toletus *loco suprà cit.* & nos dicebamus suprà *sect.præcedenti.*

Vide omninò Caietanum *loco suprà citato*, vbi quodliber istorum trium esse ex suo genere peccatum mortale, sic probat. Primum, quia est contra veritatem doctrinæ Christianæ, & liberi arbitrij, quo Domini sumus nostrorum operum. Secundum, quia est contra spiritualitatem Christianæ Religionis, quæ super cœlos est, immutare potens etiam ipsos cœlorum cursus, iuxta id, quod scriptum est: *Confessio eius super cœlum & terram.* Et experientia testata est. Tertium, quia est contra dignitatem gratiæ diuinæ legis, ac humanæ mentis, qua super omnia corporalia constitui sumus. Et sicut erraremus subjiciendo nos passionibus iræ, odij, spei, vel timoris (ita vt haberemus impetus passionum pro lege) sic vilificamus nos, si inclinationes cœlorum habemus pro lege, cùm corpora sint, & per modum passionum nos inclinent.

Si quis autem (subdit Caietanus) cœlestium influxuum causas, vt inclinatiuas ad ea, quæ ex corporibus pendent, humana, suscipiat (ita vt ex consideratione astrorum timeat, caueat, vel audeat aliquid, quatenus ea corporibus pendet) nullum peccatum est, seruato tamen moderamine coniecturæ, quod scilicet homo non pro certo, sed solùm pro coniectura aliqua habeat quidquid ex cœlo dicitur circa actiones humanas; non quidem ea ratione, quia scilicet caremus scientia astrorum; sed quia actiones humanæ non subjiciuntur cœlo, nisi per indirectam inclinationem, idest nisi pro quanto pendent à corporibus, sicuti dicebam suprà *sect. præced.* secundùm quæ, inquit Caiet. iudicare quis poterit eos, qui Astrologorum iudicia sequuntur circa actiones humanas: De astrorum enim iudiciis circa corporales effectus (putà sanitatis, vel infirmitatis, fertilitatis, vel sterilitatis, pluuiarum, vel siccitatis, &c.) nulla est, subdit ipse, quæstio; quis hæc absque peccato (nempe mortali, iuxta ea, quæ dicebam *cit. sect. præced.*) efficiuntur, cùm effectus quærantur, & in suas causas naturales reducantur.

5 Sequitur 4. quod prædicere ex astris, præsertim si non ex astris solis, sed etiam ex aliis circumstantiis, & caussis particularibus, vt ex temperamento, & naturali propensione hominis nati, &c. ea quæ pendent ex libero arbitrio (si prædicantur non vt certò, sed vt coniecturaliter euentura; & ita habeat in mente prædicens, vel si absolutè prædicat, & ita in mente intendat) non sit peccatum mortale, quia ex astris quidem cognitio eorum, quæ pendent ex libero arbitrio, coniecturalis quodammodo haberi potest, vti suprà *citata sectione* 1. dicebam, & docent S.Thom. 2. *1.q.95.art.5.circa finem,in corpore*: sic Index librorum prohibitorum iussu Concilij Tridentini. Manuel 1. *tom. summa, cap.7. num.3.* Abbas *cap.2. de sortilegiis, num.7.* Sayrus *in claui Regia, lib.4.cap.7. num.4.* (quatenus aiunt, hoc esse superstitiosum, & malum, si prædicta tanquam certa prænuncientur.) Et expressè Caietanus *eodem art.5. paulò post principium, vers. in articulo eodem repete, & in fine,* Valentia 2. 2. *disp.6. quæst.12. punct.3. vers. iam verè ex conditione*, Martinus Delrio *lib.4. disquisit. magicar. cap.3. quæst.1. concl.2.* & Toletus *in summa, lib.4. cap.15. num.6.*

Idque etiam post motum proprium Sixti V. contra Astrologos, Valentia *citato punct.3. vers.si autem,* Suarez *tom.1. de relig. lib.2. de superstitione, cap.11. num.11.* Martinus Delrio *cap.2. quæst.3.* Molfesius *in summa, part.1. tract.11. cap.8. num.120.* Raphaël de la Torre *in 2. 2. quæst.95.art.5.disput.2.* & Naldus *in sum. verb. Astrologus, num.4.* Etsi dissentire videantur Salas 1.2.*quæst.9.art.5.tract.5. disp.2.sect.8. n.80. & sect.3. n.36.* Homobonus *de examin. Eccles. part.1.tract.6.cap.5. quæst.25*, Flauius Cherubinus *in compendio Bullar.tom.2. constit.17. Sixti V.scholio* 1. Grassius, & Sanchez, quos citat Farinacius *de hæresi, quæst.181. §.1. n.59.* & Peytinus *in priuilegiis Minim.tom.2.const.9. Pauli V. §.2. num.24.*

Objicies: Prædicere ex astris ea, quæ pendent ex 6
libero arbitrio, damnant nonnulli loci Scripturæ sacræ, multi Sancti Patres, & multa Iura, *tit. Cod. de maleficis, & mathematicis, & l. Mathematicos, Cod. de Episcop.* Audientia, & quæ congerit Gratianus *causa 26. quæst.3.* Ergo.

Respondetur, damnant si prædicantur certò, con- 7
cedo: si prædicantur coniecturaliter tantùm, nego.

Objicies 2. Prædicere ex astris ea, quæ pendent ex libero arbitrio (etiam non certò, sed coniecturaliter tantùm) damnat saltem motus proprius Sixti V. contra Astrologos, in illis verbis: [Statuimus, vt contra facientes iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus successibus, fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid euenturum affirmare audent, etiamsi id se non verè affirmare asserant, aut protestentur, &c. inquirant, & procedant, & in eos seueriùs canonicis pœnis, & aliis ipsorum arbitrio animaduertant Inquisitores:] Ergo.

Respondetur: Motum hunc proprium Sixti V. vt omittam, nonnullos Doctores sentire, non esse vsu receptum, & per consuetudinem in contrarium esse abrogatum, vel intelligi, *si id se non certò affirmare asserant, aut protestentur*, non quidem respectu scientiæ, seu Astrologiæ, sed respectu solius scientifici, seu Astrologi, qui omnia assequi non valet, procedere tantùm in foro externo, ex illis verbis: [inquirant, & procedant, & in eos seueriùs canonicis pœnis, & aliis ipsorum arbitrio animaduertant Inquisitores:] Ita vt quidquid erat licitum de Iure antiquo, prædicere ante prædictum motum proprium Sixti V. & nunc etiam in foro conscientiæ licitum sit.

Objicies 3. Prædicere ex astris ea, quæ pendent 8
ex libero arbitrio (etiam non certò, sed coniecturaliter tantùm) damnat saltem in foro conscientiæ alter motus proprius Vrbani VIII. quatenus sic etiam prædicentibus, præter pœnam capitis, & bonorum pœnam, quæ & in praxi pluries posita est, imponit excommunicationem latæ sententiæ, quæ necessariò peccatum mortale supponit: Ergo.

Respondetur distinguendo antecedens: absolutè, & simpliciter, si scilicet talis prædictio fiat in ordine ad quascumque personas, nego: si fiat tantùm in ordine ad personam Summi Pontificis, & eius consanguineos vsque ad tertium gradum, ita vt quoad alias personas, nihil innouando, remittat se motui proprio Sixti V. &c. concedo, quod Vrbanus VIII. in ordine ad personam Summi Pontificis viuentis, eiusque consanguineos vsque ad tertium gradum meritò decreuit in beneficium vniuersalis Ecclesiæ, ne interim sollicitentur corda virorum in damnum, & detrimentum eiusdem vniuersalis Ecclesiæ.

Objicies 4. In ordine ad alias personas etiam sic 9
prædicere, erit saltem peccatum mortale, ratione scandali, & ratione periculi, cui Astrologi, quæ pendent ex libero arbitrio (etiam non certò, sed coniecturaliter tantùm) prædicentes, se subdunt, quòd experiantur iudicium, & pœnas Inquisitorum: Ergo.

Respon

Respondetur, nego antecedens, quia hodie nec scandalum adesse videtur, nec prædictum periculum; cùm contra tales Astrologos, scilicet non certò, sed coniecturaliter tantùm prædicentes, procedere non consueuerint Inquisitores. Vt omittam, quod possint tales Astrologi cautè agere, ita vt propterea, saltem in tali casu & scandalum, & prædictum periculum absit; & sic in tali casu saltem Astrologi sic prædicentes mortaliter non peccabunt.

10 Sequitur 5. quod non sit superstitiosa, neque mortale peccatum inuolvat Astrologia iudiciaria, quæ versatur circa reuolutiones, & quæ prædicit totius anni bello, vel pace vicissitudines, aëris salubritatem, abundantiam, vel sterilitatem, morbos, vel mortes animalium, & similia; nec Astrologia iudiciaria natiuitatum, quæ prædicit quid sigillatim toto vitæ tempore homini continget; nec Astrologia iudiciaria electionum, quæ prænunciat, quid in singulis rebus faciendum, vel omittendum sit, vt feliciter eueniant, si hæc non assumantur tanquam regula vitæ, & actionum hominis, neque prænuncientur tanquam certa, sed solùm tanquam dubia, seu coniecturaliter tantùm, & intentio consonet verbis, sicuti suprà dicebam, & videri poterit Martinus Delrio *libro disquisit. Magicar. cap. 3. quæst.* 1. Quamvis enim non sit peccatum mortale prænunciare certò in rebus naturalibus, & in iis, quæ pertinent ad artem medicam, agriculturæ, & artem nauigatoriam; erit tamen peccatum mortale, prænunciare certò in casibus fortuitis, & in iis, quæ pendent ex libero arbitrio; secus tamen si coniecturaliter tantùm, etiam post motum proprium Sixti V. & post motum proprium Vrbani VIII. exceptis Summo Pontifice viuente, eiusque consanguineis vsque ad tertium gradum, sicuti suprà etiam dicebam.

SECTIO III.

Quidnam dicendum de Astrologia Iudiciaria, quæ prænunciat res occultas, siue præteritas, siue præsentes.

SVMMARIVM.

1 *Astrologia iudiciaria, quæ prænunciat res occultas, siue præteritas, siue præsentes, vt furtum, vel homicidium occultum, &c. est superstitiosa, quia hæc non possunt cognosci per astra.*

2 *Per astrolabium, qui absque intentione inuocandi dæmonem conatus est furem occultum cognoscere, fuit damnatus tanquam grauissimè peccans, & simul suspensus ab Altaris ministerio*, in cap. 2. de sortilegiis.

3 *Crimen occultum licèt cognosci posset per astra, adhuc id efficere esset mortale peccatum contra Iustitiam, quia iniustè crimen occultum panderetur.*

4 *Magum, vel Astrologum consulens, vt aperiat vbi sit thesaurus, & quid simile, peccat mortaliter, quia neque magus, neque Astrologus id scire potest.*

1 RESpondetur: Astrologia iudiciaria, quæ prænunciat res occultas, siue præteritas, siue præsentes, vt furtum, vel homicidium occultum, thesaurum, virginitatem, vel quid aliud simile, est superstitiosa, & omni iure prohibita, atque adeò peccatum mortale inuolvit: ita Sotus *lib. 8. de iust. quæst. 3. art. 2. circa solutionem ad quintum*, Nauar. *in summa, cap. 11. n. 3* n. Manuel *tom. 1. in summa, cap. 7. n. 4.* Salas 1. 2. *quæst. 9. art. 5. tract. 5. disp. 1. sect. 8. n. 79.* Suarez *cit. cap. 11. num. 27.* Martinus Delrio *cit. lib. 4. disquisit. magicar. cap. 2. q. 7. sect. 4.* & alij communiter.

Probatur, quia hæc non possunt cognosci per astra: ergo si eorum cognitio quæratur, consulto dæmone, seu illius ope, & auxilio quæretur.

Hinc *in cap. 2. de sortilegiis*, quidam qui per astrolabium absque intentione inuocandi dæmonem conatus est furem occultum cognoscere, fuit damnatus tanquam grauissimè peccans, & simul suspensus ab Altaris ministerio per spatium vnius anni. 2

Confirmatur, quia etiamsi crimen occultum cognosci posset per astra, adhuc id efficere, esset mortale peccatum contra iustitiam, quia iniustè contra iustitiam crimen occultum panderetur. 3

Hinc peccaret mortaliter, qui Magum, vel Astrologum consuleret, vt aperiat vbi sit thesaurus, vel quid simile; quia neque Magus, neque Astrologus id scire potest, nisi consulto dæmone, seu nisi cum ope, & auxilio dæmonis, vti dicebam. 4

SECTIO IV.

Quid dicendum de iis, qui profitentur, se videre venas aquarum, & metallorum, thesauros, cadauera in terræ visceribus absondita: item apostemata, & alia humorum genera intra corpus humanum latentia absque eo, quod hæc videre, opacitate terræ, vel corpore, vel vestitu hominis impediantur?

SVMMARIVM.

1 *Nonnulli homines naturaliter secundùm aliquos possunt naturaliter videre venas aquarum, & metallorum, thesaurum, & cadauera in terræ visceribus abscondita, &c. eo quòd ex humore melancholico, & ex quadam inde consurgentium vehementia hanc virtutem habeant.*

2 *Isti tales reuera possunt naturaliter venas aquæ in terræ visceribus absconditas cognoscere ex vaporibus manè, & vespere inde expirantibus, & metalla ibidem abscondita cognoscere naturaliter ex quodam herbæ genere ibi nasci consueto: at non possunt videre naturaliter reliqua, quæ se videre profitentur.*

3 *Isti tales vim hanc certis diebus alligant, quod est manifestum indicium superstitionis: Quapropter ad fundamentum aduersariorum dicimus, nos non probare illos hæc reuera videre, sed tantùm imaginari se videre, quæ tamen reuerà non vident.*

4 *Consulentes istos tales circa ea, quæ solo dæmonis auxilio prædicunt, peccant mortaliter.*

RESpondetur, quod licèt quidam Doctores, quos sequitur Valerus *lib. 2. de fascino, cap. 4.* teneant, nonnullos homines id posse efficere naturaliter, eo quòd ex humore melancholico, & ex quadam inde consurgentium spirituum vehementia hanc virtutem habeant; & inclinent alij, quos sequitur Vera-Cruz *lib. 2. de anima, specular. 2. circa finem*, quatenus aiunt, quod non audeant istos tales damnare; quia nouerunt viros aliàs probos affirmantes, se hæc & similia latentia videre; dicendum tamen sit, cum 1

aliis, quos sequitur Martinus Delrio *lib. 1. disquisit.*
2 *magic. cap. 3. q. 4. litt. C. vers. adjiciam his*, posse quidem istos tales venas aquæ in terræ visceribus absconditas cognoscere naturaliter ex vaporibus mane, & vespere inde expirantibus, & metalla ibidem abscondita cognoscere naturaliter ex quodam herbæ genere ibi nasci consueto; at non posse videre naturaliter reliqua, quæ se videre profitentur; quia impossibile est quod visus hominis penetret corpus tam densum, & opacum: Ergo si ea prænunciant, dicendum est, quod prænuncient consulto dæmone, seu cum ope, & auxilio dæmonis.

3 Confirmatur, quia isti tales vim hanc certis diebus (scilicet feriæ tertiæ, & sextæ) alligant; ergo vanæ superstitionis, & occulti cum dæmone pacti manifestum indicium est; cum isti dies ad hominis visum acuendum præ cæteris nihil habeant.

Hinc ad fundamentum aduersariorum, quod scilicet nonnulli homines ex humore melancholico, & ex quadam inde consurgentium spirituum vehementia virtutem hanc habeant: Respondetur, quod non probat, illos hæc reuera videre, sed tantùm imaginari se videre, quæ tamen reuera non vident.

4 Hinc etiam sequitur, quod qui consulit istos tales circa ea, quæ solo dæmonis auxilio hæc prædicunt, peccet mortaliter.

SECTIO V.

An, & qid dicendum de pœnis Iure statutis contra astrologos, magos, & alios diuinatores: Item an, & quid dicendum de libris, & scriptis ipsorum: Item an restituere teneantur pretium, quod pro diuinatione, vel alia opera sua simili acceperunt?

Respondetur: de his rebus vide infrà *dubitatione* 228. *sect.* 1. 2. 3. & 4.

SECTIO VI.

An, & quomodo procedatur contra astrologos Iudiciarios?

SVMMARIVM.

1 *Ordinarij, & Inquisitores ex Bulla Sixti V. & ex altera Vrbani VIII. procedere possunt contra astrologos Iudiciarios; quia eorum modus prænunciandi futura contingentia, est Reipublicæ valdè periculosus, & expositus multis superstitionibus, & præsumitur pendere ex occulta societate cum dæmone*, &c.

2 *Ordinarij & Inquisitores ex dictis Bullis possunt procedere contra astrologos Iudiciarios pœnis canonicis, ac etiam aliis pœnis secundùm eorum arbitrium.*

3 *Clericus quidam in Inquisitione Hispanica, qui prædixerat tempus, genus, & modum mortis Regis Francorum (quemodo postea euenit) abjurauit de leui, fuit ab Ordinibus suspensus, & beneficiis priuatus, & à tota Hispania relegatus.*

4 *Astrologus Iudiciarius secundùm alios si solùm affirmet, se credidisse, astra tantùm inclinare, eo quòd influant in corpus dependenter (à quo anima operatur, & in ordine ad quod anima simpathiam habet) non autem cogere, vel necessitare, non debet abiurare, licèt subdatur Iudicio Inquisitorum quoad credulitatem.*

5 *Astrologi Iudiciarij, ne dicta constitutiones reddantur elusoria (quilibet enim sic posset se excusare negando coactionem in astris, sed solùm ponendo quandam inclinationem) debet abiurare. Ac consuetudo est in contrarium.*

6 *Constitutio Sixti V. contra exercentes astrologiam iudiciariam recensetur ad verbum, & primum summatur: Pontifex enim enarrat quamplurima mala magia, necromantia, astrologia iudiciaria, & similium, §. 1. & prohibet astrologiam iudiciariam, præterquam circa agriculturam, nauigationem, & artem medicam*, &c.

7 *Constitutionis Sixti, & Constitutionis Vrbani VIII. tenores referuntur.*

Respondetur: contra istos procedere possunt Ordinarij, & Inquisitores, *ex Constit. Sixti V. & ex altera constit. Vrbani VIII.* Et tradunt etiam Scortia *in Bull. Pontif. epitom. 140. theorem. 361.* Alphons. de Leone *de offic. & potest. Confess. part. 1. recoll. 22. n. 15. cas. 30.* Peyrin. *in priuil. minimor. tom. 2. const. 9. Pauli V. §. 2. n. 23.* Sousa *in aphor. Inquisit. lib. 1. cap. 48. n. 15.* Zanard. *in Direct. Inquisit. part. 1. præcept. 1. cap. 5. quæst. 16.* & alij communiter. Videri etiam poterit Less. *de Iust. & Iur. lib. 2. cap. 43. dub. 6. num. 42.* 1

Ratio est, quia eorum modus pronunciandi futura contingentia est Reipublicæ valdè periculosus, & expositus multis superstitionibus, & pendere præsumitur ex occulta societate cum dæmone, vt propterea tales astrologi non excusentur, licèt protestentur, se id non affirmare certò, sed tantùm probabiliter, vel verisimiliter: Id enim videtur facere ad fraudes tegendas, & statutas pœnas vitandas, vt sic scilicet se excusent, & contra Iudices se defendant.

Contra istos, inquam, Astrologos Iudiciarios possunt procedere Ordinarij, & Inquisitores, *ex dict. constitutione Sixti V. & dict. constit. Vrbani VIII.* pœnis canonicis, ac etiam aliis pœnis secundùm ipsorum arbitrium: Ita Doctores, quos suprà citabam, præcipuè Sousa *cit. n. 15.* vbi subdit, quod propterea in Inquisitione Hispanica quidam clericus, qui prædixerat tempus, genus, & modum mortis Regis Francorum (quo modo postea euenit) abiurauerit de leui, & fuerit ab Ordinibus suspensus, beneficiis priuatus, & à tota Hispania relegatus, quodque etiam alius Clericus eodem tempore abiurauerit similiter de leui, & per annum in quoddam Monasterium, adiuncta etiam pœna pecuniaria, reclusus. 2 3

Quamvis alij, quos sequitur Zanardus vbi suprà, velint, quòd astrologus Iudiciarius, si solùm affirmet, se credidisse, astra tantùm inclinare, eo quòd influant in corpus, dependenter à quo anima operatur, & in ordine ad quod anima simpathiam habet: ita S. Thomas *1. part. q. 22. ad 3. & quæst. 115. argum. 4. & 6. & q. 116. art. 2. & 2. 2. q. 95. art. 6. in corpore*, non autem cogere, vel necessitare, eo quòd in animam, vtpote spiritualem, & in superiore ordine ad ipsam, non influant directè, sed tantùm indirectè, modo quo iam suprà dicebam; & eo quòd alioquin actus humani ipsius animæ non essent liberi, atque adeò neque meritorij, neque demeritorij: In quo sensu tantùm contra Priscillianistas, & Faustum Manichæum astrologia iudiciaria à sanctis Patribus damnatur. Tamen si subdatur iudicio Ordinariorum, & Inquisitorum quoad inuestigationem credulitatis, quia ex facto ipso se reddidit suspectum, non tamen debeat abiurare, quia rem indifferentem gessit. 4

At quoniam (cùm astrologi iudiciarij in Tribunali S. Officij non torqueantur) interrogati ab Inquisitoribus omnes, & singuli ad pœnas effugiendas responderent, se non credere, quod astra cogant, vel 5

necessi

necessitent, sed tantùm inclinent, sicque frustratoriæ, & irrisoriæ redderentur prædictæ Pontificiæ constitutiones, arbitror, quod debeant abiurare, tametsi non abiurent de facto, eo quod vsus, & consuetudo est in contrarium, vti suprà dicebam.

Constitut. Sixti V.

Contra exercentes Artem Astrologiæ Iudiciariæ, & alia quæcumque diuinationum genera, librosque legentes, vel retinentes.

6 IN qua Pontifex enarrat quamplurima mala Magiæ, Necromantiæ, Astrologiæ iudiciariæ, & similium, §. 1. Quibus extirpandis Ordinarij non pleniè satisfecerunt, §. 2. Quapropter Astrologiam iudiciariam prohibet, præterquam circa agriculturam, nauigationem, & artem medicam, & aduersùs contrauenientes, etiam id certò non affirmantes, ab Ordinariis, & Inquisitoribus pœnis canonicis, & aliis pœnis ipsorum arbitrio puniri iubet, §. 3. librosque de his tractantes retineri prohibet, §. 4. De huiusmodi diuinationum, & sortilegiorum materiis extant plures aliæ constitutiones Pontificum, Innocentij VIII. & aliorum, vt adnotauit præter alios Cherubinus, *in Bullario Romano in hac Bulla, fol. 510.*

Constit. Sixti PP. V.

7 COeli, & terræ Creator Deus, &c. Hac perpetuò valitura constitutione Apostolica auctoritate statuimus, & mandamus: vt tam contra Astrologos, mathematicos, & alios quoscumque dictæ iudiciariæ Astrologiæ artem, præterquam circa agricultutam, nauigationem, & rem medicam in posterum exercentes, aut facientes iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus successibus, fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid euenturum affirmare audent, etiamsi id se non certò affirmare asserant, aut protestentur, quàm contra alios vtriusque sexus, qui supradictas damnatas, vanas, fallaces, & perniciosas diuinandi artes, siue scientias exercentes profitentur, & docent, aut discunt, quive huiusmodi illicitas diuinationes, Sacrilegia, superstitiones, veneficia, incantationes, ac præmissa detestanda scelera, & delicta, vt præfertur, faciunt, aut in eis se quomodolibet intromittunt, cuiuscunque dignitatis gradus, & conditionis existant, tam Episcopi, & Prælati superiores, ac alij Ordinarij locorum, quàm Inquisitores hæreticæ prauitatis vbique gentium deputati, etiamsi in plerisque ex his casibus antea non procedebant, aut procedere non valebant, diligentiùs inquirant, & procedant, atque in eos seueriùs canonicis pœnis, & aliis eorum arbitrio animaduertant, prohibentes omnes, & singulos libros, opera, & tractatus huiusmodi iudiciariæ Astrologiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, artis magicæ, aut in quibus sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, execrabiles incantationes ac superstitiones continentur, ac vt suprà in memorato indice interdictos sub censuris, & pœnis in eo contentis, à quibuscumque Christi fidelibus legi, aut quomodolibet retineri, sed illos Episcopos Ordinariis locorum, vel Inquisitoribus prædictis præsentari, & consignari debere. Et nihilominus eadem auctoritate statuimus, & mandamus, vt contra scienter legentes, aut retinentes libros, & scripta huiusmodi, seu in quibus talia contineantur, similiter iidem Inquisitores liberè, & licitè procedant, ac procedere, & pœnis condignis punire, & coërcere possint. Non obstantibus, &c. Romæ an. 1586.

Hanc eandem constitutionem Sixti V. innouando Vrbanus VIII. edidit sub prohibitione eiusdem Astrologiæ iudiciariæ alteram suam constitutionem sequentis tenoris.

Constit. S. D. N. Vrbani VIII.

Contra Astrologos Iudiciarios, qui de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, seu vita Romani Pontificis, aut eius Consanguineorum, iudicia facere, necnon eos, qui illos desuper consulere præsumpserint, cum innouatione similis Constitutionis Sixti V.

VRBANVS EPISCOPVS
Seruus seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

INscrutabilis iudiciorum Dei altitudo non patitur, vt humanus intellectus tenebroso carcere constrictus, supet astra se extollens, arcana in sinu diuinò recondita, & ipsis beatissimis spiritibus ignota, nefaria curiositate non solùm explorare, sed etiam tanquam explorata, in Dei contemptum, Reipublicæ perturbationem, & Principum periculum, arrogantèr, & pernicioso exemplo venditare præsumat.

I.

Hinc est, vt quamvis ciuilibus, canonicisque sanctionibus, ac nouissimè fel. rec. Sixti Papæ V. Prædecessoris nostri constitutione desuper edita, Astrologorum, Mathematicorum, vaticinatorum, & aliorum, qui euentura diuinare, seu prædicere audent, quosque vti homicidas, & maleficos antiquitas æstimauit, illorum potissimùm, qui de summis Reipublicæ, vel Principis salute iudicia ferre præsumerent, Ars, professio, siue exercitium grauibus pœnis inhibita esse noscantur. Attamen, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filij proptiæ pusillitatis obliti, ac leuitate forsan, vel conniuentia audentiores facti vanam fatidicorum æstimationem aucupantes, in deplorandam animarum suarum perditionem, grauéque Christi fidelium scandalum, etiam de Republicæ, & Principum incolumitate, illis sollicitudinem, hominibus verò inquietis rerum nonandarum occasionem ea ratione inferre satagentes, Prognostica, & Prædictiones verbo, vel etiam scripto edere non erubescunt.

II.

Nos itaque perniciosis huiusmodi ausibus, quantum nobis ex alto conceditur, obuiam ire, ac quos Dei respectus in officio non continet, pœnarum grauitate, & seuerioris disciplinæ freno coërcere volentes: Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine constitutionem per præfatum Sixtum prædecessorem desuper, vt præfertur, editam, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, confirmamus, & innouamus.

III.

Et insuper omnibus, & quibuscumque laicis, cuiuscunque sexus, conditionis, status, gradus, qualitatis, & dignitatis, etiam Marchionalis, vel Ducalis existentibus, qui de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, siue de vita aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis, eiusque vsque ad tertium gradum inclusiuè consanguineorum Mathematicos, Astrologos, Aruspices, Vaticinatoresque

resque nuncupatos, vel alios Astrologiam iudiciariam exercentes, seu aliàs quomodolibet profitentes de cætero consuluerint, siue desuper eorum iudicia, prognostica, prædictiones, seu præcognitiones, etiam sibi oblatas receperint, illasque quomodolibet vsi fuerint, vel illas penes se scienter retinuerint, aut alicui ostenderint, necnon eisdem Mathematicis, Ariolis, Aruspicibus, Vaticinatoribus, seu aliàs Astrologiam iudiciariam, seu quamlibet artem diuinatoriam quomodolibet profitentes, qui iudicia, prognostica, seu præcognitiones, & prædictiones super præmissis, etiamsi id non certò se affirmare protestentur, fecerint; siue à se, vel ab aliis iam facta, seu factas in posterum penes se similiter retinuerint, vel alicui dederint, seu ostenderint, aut de eis quovis modo, etiam improbando, scripto, vel verbis tractauerint, nedum excommunicationis maioris latæ sententiæ, sed etiam vti læsæ Maiestatis reis, vltimi supplicij, ac confiscationis omnium bonorum suorum, etiam Romanæ Curiæ officiorum, ac deuolutionis quarumcunque Ciuitatum, Castrorum, & locorum Iurisdictionalium, & Feudalium.

IV.

Clericis quoque, & Presbyteris, aliisque personis Ecclesiasticis, tam sæcularibus, quàm cuiusuis Ordinis, Congregationis, Societatis, seu instituti, vel militiarum quarumcunque, etiam Hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani, aliisque quomodolibet exemptis, ac nobis, & Apostolicæ Sedi immediatè subiectis, Regularibus vtriusque sexus, vltra prædictas, etiam priuationis beneficiorum, & dignitatum, ac Officiorum Ecclesiasticorum, etiam Monasteriorum, Prioratuum, & Præceptoriarum, & aliorum quorumcunque, & inhabilitatis perpetuæ ad illa in posterum obtinenda; ita quod personæ Ecclesiasticæ præuia illarum degradatione, Curiæ sæculari tradantur puniendæ. In Episcopali verò, Archiepiscopali, Metropolitana, Primatiali, Patriarchali, aut quacumque alia etiam superiori Ecclesiastica, vel mundana, quantumvis sublimi, excellente, & speciali nota digna, etiam suprema constitutis dignitate, easdem excommunicationis, ac priuationis etiam regiminis, & administrationis Ecclesiarum, & aliorum quorumcunque beneficiorum, & dignitatum quantumvis amplissimarum, & Patriarchali maiorum, ac officiorum suorum, & inhabilitatis pœnas ipso facto incurrendas Apostolica auctoritate tenore præsentium infligimus, & imponimus.

V.

Cognitionem autem causarum huiusmodi quoad personas Ecclesiasticas, tam sæculares, quàm Regulares, in vrbe nostra, & illius districtu ad dilectos filios nostrum in eis Vicarium in spiritualibus generalem, necnon eiusdem vrbis gubernatorem, ac causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ auditorem generalem, & eorum quemlibet insolidum; extra verò vrbem, & districtum prædictum, in Prouinciis nobis & Apostolicæ Sedi subiectis, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales in eisdem Prouinciis de latere legatos, & prolegatos ac præsides in dignitate Ecclesiastica constitutos pro tempore existentes. In aliis verò omnibus, & singulis Prouinciis, Regnis, Ciuitatibus, Oppidis, Castris, & locis, tam sub nostra, & dictæ Sedis, quàm cuiusuis alterius Principis ditione comprehensis, priuatiuè quoad omnes, etiam superiores Religiosorum, ipsisque superioribus penitus exclusis, ad Ordinarius locorum; vbilibet verò locorum etiam ad hæreticæ prauitatis Inquisitores spectare volumus.

VI.

Mandantes dilectis filiis nostris, & dictæ Sedis de latere Legatis, & eorum Vicelegatis, & præsidibus prædictis nunc & pro tempore existentibus, necnon venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis singulis, videlicet in suis Ciuitate, & Diœcesi, & quoad loca intra fines alicuius Diœcesis, non tamen de Diœcesi existentia, ipsarum Diœcesum, intra quarum fines eadem loca extiterint; quo verò ad ea, quæ extra fines alicuius Diœcesis consistunt, viciniori ribus eorundem locorum Ordinariis, ac etiam Inquisitoribus prædictis, quatenus ad instantiam cuiusvis fisci, vel denunciatoris, ac etiam ex eorum officio causarum huiusmodi cognitiones suscipientes, præuia etiam auocatione à quibusuis aliis suprà nominatis expressis, nec à nobis specialiter delegatis, in causis ipsis modo præmisso procedant omnibus Iuris, & facti remediis opportunis, inuocato etiam auxilio brachij sæcularis.

VII.

Inhibentes insuper Decanis, & Capitulis Ecclesiarum Cathedralium, Metropolitanorum, & Patriarchatum, necnon quorumvis Ordinum, & Locorum Regularium, Societatum, & Institutorum, ac etiam Hospitalis prædictorum Superioribus, Conuentibus, & Fratribus quantumvis exemptis, ne sub priuationis beneficiorum, & officiorum quorumcunque per eos respectiuè obtentorum, ac similiter inhabilitatis ad alia in futurum obtinenda, vocisque actiuæ, & passiuæ, necnon excommunicationis latæ sententiæ eo ipso incurrendis pœnis, Ordinarios locorum, necnon Legatos, seu Vicelegatos, aliosque prædictos in causis huiusmodi procedentes quoquo modo impedire, molestare, seu perturbare audeant, vel præsumant: ac etiam mandantes, vt quoties ad id fuerint requisiti, Religiosos ipsos, etiamsi alicuius loci Regularis Superiores actu fuerint, Ordinariis, Legatis, seo Vicelegatis, & aliis prædictis, seu quibus iidem mandauerint, consignent cum scripturis, & actis, si quæ facta fuisse reperiantur.

VIII.

Sicque, & non aliter, in præmissis per quoscumque Iudices Ordinarios, Delegatos, & Commissarios, ac etiam Cameræ Apostolicæ Clericos, Præsidentes, necnon causarum Palatij Apostolici, & Curiæ eiusdem Cameræ generalem Auditorem, ac S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales etiam de latere Legatos, necnon Vicecamerarium; sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, & diffiniri debere: Irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

IX.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon nostra in numero septuagesima, & aliis Cancellariæ Apostolicæ Regulis, ac Prouinciarum, Regnorum, Ciuitatum, Terrarum, Oppidorum, Locorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, Militiarum, Hospitalium etiam Sancti Ioannis, prædictorum, aliorumque Religiosorum, & piorum locorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Priuilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis eisdem Prouinciis, Regnis, Ciuitatibus, Terris, Oppidis, Locis, Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, & Militiis prædictis, & aliis piis locis, ac illorum Vniuersitatibus, Capitulis, Superioribus, & personis, in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, & specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris,

fitis, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

X.

Volumus autem, quod præsantes literæ in valvis Ecclesiæ Lateraneusis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ac Cancellatiæ Apostolicæ, necnon in Acie Campi Floræ publicentur, & affigantur, quæ postquam sic affiaæ, & publicatæ fuerint, quoscumque, tam in statu nostro tempotali, quàm extra vbicumque locorum, perinde arctent, & afficiant, ac si vnicuique nominatim, & personaliter intimatæ fuissent.

X I.

Quodque earum exemplis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ muniris eadem protsùs fides in iudicio, & extra vbique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

X I I.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, innouationis, inflictionis, impositionis, inhibitionis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temeratio contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentia Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo seacentesimo trigesimo primo, Kalendis Aprilis, Pontificatus nostri anno octauo.

In Dei Nomine Amen. Anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo trigesimo ptimo, die verò decima mensis Aprilis, Indictione decimaquarta, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Vrbani diuina prouidentia Papæ octaui, anno eius octauo, supradictæ literæ Apostolicæ præsentatæ, & affixæ fuerunt, ac dimissis copiis ad Basilicas Ecclesiarum Sancti Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum vrbis, & in Cancellaria Apostolica, in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis vrbis, per nos Augustinum de Bolis, & Ioannem Radicam, Sanctissimi Domini Nostri Cursores.

Mathias Spada Magister Cursorum.



DVBITATIO CCXXIII.

Quidnam dicendum de diuinatione per Physiognomiam, Metoposcopiam, Chiromantiam, Pedomantiam, vel per manuscripti characteres impressos?

SECTIO PRIMA.

Dubitationis Resolutio.

S V M M A R I V M.

1 *Physiognomia est diuinatio superstitiosa; secundùm quam ex corporis, scilicet vultus, manuum, & pedum lineamentis, vel ex manuscriptis characteribus impressis prospera, vel aduersa fortuna, aliique liberè contingentes euentus prædicuntur. Itavt contra ipsos procedant Inquisitores tanquam contra de fide suspectos.*

2 *Physiognomia, Chiromantia, Pedomantia, &c. est etiam philosophica, & naturalis, per quam ex corporis, & membrorum habitudine, ac proportione, vultus etiam, ac manuum, vel pedum lineamentis, de corporis valetudine, & temperamento, consequenter etiam & de hominis ingenio, & propensione coniectatio aliqua licitè fieri potest, contra Nauarrum.*

RΕspondetur, quod & Diuinatio superstitiosa sit Physiognomia (cuius partes sunt Metoposcopia, Chiromantia, Pedomantia, & manuscripti characteres impressi) secundùm quam ex corporis, scilicet vultus, manuum & pedum lineamentis, vel ex manuscripti characteribus impressis prospera, vel aduersa fortuna, aliique liberè contingentes euentus prædicuntur, itavt contra istos diuinos, seu diuinatores, tanquam de fide suspectos, possint (sicut & contra Astrologos iudiciarios) procedere Inquisitores. 1

Quamvis, vt fatear, sic etiam Physiognomia, Chiromantia, Pedomantia, &c. Philosophica, ac naturalis, per quam ex corporis, & membrorum habitudine, ac proportione, vultus etiam, ac manuum, vel pedum lineamentis (sicuti etiam ex manuscripti characteribus impressis) de corporis valetudine, & temperamento, consequenter etiam & de hominis ingenio, & animi propensione coniectatio aliqua (sicut ex astris, vti suprà dicebam) licitè fieri possit. Martinus Delrio *lib.4. disquisit. magicar. cap. 3. q. 4.* Lessius *de iust.& iur. lib.2. cap.43. dubit.7. num.45.* Sanchez *lib.2. moral. cap. 38. num.* 44. & Cirvelo *de superstit. 2.p. cap.4.* Quidquid in contrarium dixerit Nauarr. *lib.2. cap.2. part. 1. dub.7. num.* 161. negans, cognosci posse per lineas manuum complexionem, humores, & aptitudinem hominis naturalem. At minùs rectè, sicut explicabo *sectione sequenti.* 2

SECTIO II.

Corollaria.

S V M M A R I V M.

1 *Physiognomia Philosophia naturalis pars est licita, quia in ea possunt probabiliter prædicta coniectari: secus si coniectarentur certò, quia certè sciri non possunt.*

2 *Physiognomia Astrologica est superstitiosa, & illicita, itavt licèt possit Physiognomus licitè iudicare de propensione, & inclinatione hominis naturali, non tamen possit licitè pronunciare de facto, seu de actuali vita hominis, cùm nihil istorum pendeat ex habitu, vel dispositione corporis, sed ex libero arbitrio hominis, vt scilicet non pronunciet certò, sed coniecturaliter tantùm.*

3 *Dicta de Physiognomia intelligi etiam debent de Metoposcopia, Chiromantia, &c. Itavt & hæc etiam naturalis sit licita, quia per partes, & lineas frontis, vel manus considerat probabiliter corporis temperiem.*

4 *Metoposcopia, Chiromantia Astrologica, &c. si pronunciet libera contingentia, plusquam coniecturaliter*

cturaliter, est superstitiosa, & illicita; quia sic multa vana, & falsa permiscet: Quapropter expressè prohibetur in motu proprio Sixti V.

5 *Interrogans Ægyptiam de bona, vel mala fortuna, aut de aliis futuris contingentibus, peccat in duobus casibus mortaliter. Primò, si interroget animo firmiter credendi. Secundò, si adsit scandalum aliquod.*

EX dictis sequitur primò, quod Physiognomia Philosophiæ naturalis pars, quatenus ex corporis dispositione, & membrorum habitudine, vel proportione probabiliter coniectat propensionem naturalem, animi affectus, corporis temperiem, bonam, vel malam valetudinem, ingenium, & similia, sit licita; quia ex his possunt probabiliter hæc coniecturari: Secus si coniecturentur certò, quia certò sciri non possunt. Lessius *de iust. & iure, lib. 2. c. 43. dub. 7. n. 45.* Azor. *tom. 1. Instit. moral. lib. 9. cap. 16. circa finem,* Martinus Delrio *lib. 4. disquisit. Magicar. cap. 3. q. 4.* & alij communiter.

2 Sequitur secundò, quod è contra Physiognomia Astrologica, quatenus ex inspectis humani corporis partibus prænunciat prosperos, vel aduersos hominis euentus, & alia libera contingentia, quæ exinde sciri non possunt, sit superstitiosa, & illicita: Itavt, licèt possit Physiognomus licitè iudicare de propensione, & inclinatione hominis naturali, non tamen possit licitè prænunciare de facto, sed de actuali vita hominis (scilicet hunc, vel hunc esse talem hominem) nec etiam de extrinsecis hominis, vt de honoribus, diuitiis, & reliquis fortunæ bonis, vel malis, nec de nuptiis, statu vitæ, vel aliis negotiis, quorum electio pendet à libera voluntate, & multò minùs de donis diuinis gratuitis, cùm nihil istorum pendeat ex habitu, vel dispositione corporis, sed ex libero arbitrio hominis, vel etiam ex gratia Dei, nisi solùm iuxta ea, quæ dicebam suprà *dub.* 222. vt scilicet non prænunciet certò, sed coniecturaliter tantùm, attenta hominis propensione, & inclinatione naturali, aliàs peccabit mortaliter. Vide Martinum Delrio *lib. 4. disquisit. magic. c. 3. q. 4. circa finem.*

3 Cæterùm, quæ dixi de Physiognomia, eadem intelligas de Metoposcopia, Chiromantia, &c. (cùm sint quædam Physiognomiæ partes, itavt Metoposcopia, Chiromantia, &c. naturalis sit licita; quia per partes, & lineas frontis, vel manuum, &c. considerat probabiliter corporis temperiem, v. g. per lineas profundas, seu benè impressas, integras, seu non interruptas, longas, & rubicundas (cùm tunc signum sit, quod calor naturalis sit validus, qui possit rectè distinguere, & viuificare illas partes) temperiem bonam. È contra verò per lineas non profundas, seu non benè impressas, sed exiles, non integras, sed interruptas, non longas, sed breues, non rubicundas, sed decoloratas (cùm tunc signum sit, quod calor naturalis non sit validus, sed debilis, qui non possit rectè distinguere, & viuificare partes dictas) temperiem malam: Et exinde probabiliter indagat ingenium bonum, vel malum, valetudinem bonam, vel malam, animi propensiones, affectus, & similia.

Metoposcopia verò, Chiromantia, &c. Astrolo-
4 gica (si scilicet prænunciet libera contingentia plusquam coniecturaliter) sit superstitiosa, & illicita, iuxta ea quæ dicebam suprà *cit. dub.* 222. Quia sic multa vana, & falsa permiscet, Ludouic. Lopez 1. *part. Instruct. cap.* 41. Simanch. *de Cathol. Instit. tit.* 21. *num.* 18. Nauarrus *in sum. cap.* 11. *n.* 31. Citvelo *de superstitione, 2. part. cap.* 4. Petrus Nauarra *lib. 2. de restitutione, cap. 2. part. 1. dub. 7. n.* 159. *& seqq.* Alcozer *in sum. cap.* 14. & alij communiter: Quapropter sic prohibetur à Sixto V. in motu proprio contra Astrologos: Et prohibentur etiam omnes libri eam docentes in Catalogo Romano librorum prohibitorum. Hinc

Sequitur tertiò, quod si quis interroget Ægyptiam 5
de bona, vel mala fortuna, aut de aliis futuris contingentibus, peccet mortaliter in duobus casibus. Primò si interroget animo firmiter credendi dictis Ægyptiæ; secus si interroget ex curiositate, & animo ridendi (sicut communiter contingit) quia tunc tantùm esset vanitas venialis. Ludouic. Lopez, & Nauarrus *in locis suprà citatis.* Secundò, si quamvis interroget ex curiositate, & animo ridendi, interroget tamen in talibus circumstantiis, vt exindè circumstantibus, & videntibus scandalum graue generetur. Ludouic. Lopez, & Nauarrus ibidem.

An autem Inquisitores possint procedere contra Ægyptiam? Vide suprà *dub.* 195. *sect.* 78.

Cæterùm aduerte, quod in facultate, seu potiùs vanitate Metoposcopiæ disponantur in fronte lineæ iuxta ordinem Planetarum in cœlis: Itavt prima linea ex superiore parte frontis dicatur Saturnus, secunda dicatur Iupiter, tertia dicatur Mars, quarta dicatur Sol, &c. (si scilicet in fronte plures sint aliæ lineæ) lineuncula tamen in principio superioris partis nasi dicatur Venus; lineuncula vna, vel etiam altera inter supercilia, dicatur Mercurius; lineuncula super supercilium dexterum dicatur etiam Sol; & lineuncula super supercilium sinistrum dicatur etiam similiter Luna; sicque homo (cum habet in fronte plures lineas, quàm tres) dicatur habere duos Soles, & duas Lunas.

Aduerte secundò, quod prima linea Saturni, si fuerit bona (idest, integra, non interrupta, benè apparens, seu non deleta, &c.) vel si fuerit mala (idest, non integra, interrupta, non benè apparens, seu aliquantulum deleta, &c.) importet bonum, vel malum in significatis Saturni: linea secunda Iouis (si fuerit bona, vel mala similiter) importet similiter bonum, vel malum in significatis Iouis; linea tertia Martis etiam similiter (si fuerit bona vel mala) importet etiam similiter bonum, vel malum in significatis Martis, & sic de aliis, &c.

Aduerte tertiò, quod quamvis in Chiromantia crux (siue sit in monte Iouis, siue in monte Veneris, siue in monte Martis, &c.) semper significet bonum, in significatis scilicet Iouis, Veneris, vel Martis, &c. In Metoposcopia tamen è contra semper significet malum: Itavt si crux sit in linea Saturni, significet malum in significatis Saturni; si sit in lineis Iouis, significet malum in significatis Iouis; si sit in linea Martis, significet malum in significatis Martis (v.g. periculum mortis violentæ, & similia) sicque de aliis, &c.

Aduerte quartò, quod multitudo linearum in fronte suprà tres (scilicet Saturnum, Iouem, & Martem) non laudetur: significat enim multitudinem negotiorum, quæ difficilè reducuntur ad finem; quamvis laudetur quoad temperamentum, & complexionem, quia præsupponit calorem naturalem viuidum, qui benè distinguat illas partes frontis, vt à posteriori patet in senibus; vtque à posteriori contrarium patet etiam in fœminis, quæ cùm calorem naturalem sic viuidum habere non soleant paucas, exiguas, & exiles lineas habere consueuerunt.

SECTIO

SECTIO III.

An etiamsi edictum, aut lex (vt Sixti V. Motus prædictus de Chiromanticis, &c.) fundetur in præsumptione, & qui debet denunciare, sciat deficere præsumptionem, adhuc denunciare teneatur?

SVMMARIVM.

1 *Denunciare quis debet Chiromanticos, Negromanticos, & alios ex frontis, manus, vel pedis, &c. linearum inspectione libera contingentia prædicentes, etiamsi præsumptio Motus proprij Sixti V. in aliquo istorum cesset, putà nullum esse pactum cum dæmone; quia id expedit ad bonum publicum Religionis. Et hoc examinare non est iniunctum Confessariis, sed tantum Episcopis, & Inquisitoribus.*

2 *Bulla Gregorij XV. contra sollicitantem in confessione licèt sit fundata in præsumptione, iudicium tamen discernendi circa suspicionem de fide Confessarij sollicitantis, non conceditur aliis, sed reseruatur solis Episcopis, & Inquisitoribus.*

3 *Dicta sententia asseritur etiam ab Auctore in tractatu de Immunitate, & iurisdictione Ecclesiastica, contra nonnullos Doctores, qui non improbabiliter dicebant oppositum, ex eo quod lex fundata in præsumptione, si cesset præsumptio, cesset obligare. Præsumptio enim semper cedit veritati.*

4 *Regulæ Cancellariæ non obligant in foro interiori, & consequenter donatio per Episcopum facta intra viginti dies ante suum obitum, est valida in foro conscientiæ, licèt per Regulam Cancellariæ de viginti in foro exteriori sit nulla.*

5 *Regulæ aliæ Cancellariæ sunt tantùm pro foro exteriori, non autem interiori, cum sint tantùm iudiciales.*

6 *Amplia, id maximè locum habere, cùm donatio per Episcopum facta fuerit ante infirmitatem, nempe cum is sanus esset; dicentibus aliis prædictas donationes etiam propè, vel circa mortem validas*
7 *esse in vtroque foro. Quod tamen non admittunt Collectores generales: tutus tamen est donatarius in foro conscientiæ, nec contrahit censuram publicatam contra retinentes, nec eam contrahunt reuelantes in tali circunstantia.*

8 *Denunciare an quis teneatur seipsum, Complices, Filium, vel Patrem, aut Matrem, &c. Auctor alibi dixit.*

1 RESpondetur: Etiamsi edictum, aut lex fundetur in præsumptione, & qui debet denunciare, sciat deficere præsumptionem, v. g. sciat, in Chiromanticis, Nigromanticis, & aliis ex frontis, manus, vel pedis, &c. linearum inspectione libera contingentia prædicentibus, quos Motus Sixti V. fundans se in præsumptione præcipit esse denunciandos, pactum cum dæmone nullum esse, adhuc tales denunciare tenetur.

Probatur, quia ob bonum publicum Religionis, & fidei iudicium discernendi circa suspicionem de Religione, & fide (quæ posita Pontificis, vel alterius inferioris potestate, ex edicti præsumptione resultat) non relinquitur Confessario, vel alteri personæ priuatæ, sed reseruatur solis Episcopis, & Inquisitori-
2 bus: Quapropter etiam similiter, licèt Bulla Gregorij XV. contra Confessarium sollicitantem in confessione fundetur in præsumptione, sicuti patet ex illis verbis: *Nos in animum inducere nequeuntes:* Iudicium tamen discernendi circa suspicionem de fide Confessarij sollicitantis non conceditur aliis, sed reseruatur solis Episcopis, & Inquisitoribus.

Atque ita ex probabiliori sententia Doctorum te- 3
nebam *de Immunitate, & Iurisdictione Ecclesiastica, cap. 2. dub. 8. sect. 18.* & præter alios docet Freytas *in Addit. ad Tractat.* Acuñæ *de Confess. sollicit. q. 21. n. 26. contra Valerum verb. hæresis, difficult. 1. n. 4.* & Riccium *part. 3. decis. 278. n. 6.* qui in casu, quo certò, non tamen indubiè sciat, præsumptionem deficere, contrarium, & quidem probabiliter, docent ex eo, quod lex fundata in præsumptione, si cessat præsumptio, cesset obligare, cum præsumptio videatur, quod semper cedere debeat veritati, iuxta ea, quæ dicebam *de Immunitate, & Iurisd. Eccles. cap. 8. dub. 55. per totam, & tract. 5. de radice restitutionis, & irregularitatis ex delicto, dub. 10. sect. 11. etiam per totam,* & docent Valerus *verb. Lex, difficult. 12. n. 1.* Layman *lib. 1. tract. 4. c. 21. n. 4.* Fernandez *part. 2. n. 4. c. 2. §. 3.* Homobonus *in examin. Eccles. part. 1. tract. 5. cap. 8. q. 53.* Becanus *part. 2. tract. 3. cap. 6. q. 9. conclus. 4. n. 3.* Megalius *2. 2. lib. 2. c. 7. q. 2. n. 53.* & alij multi.

Quapropter, & alibi dicebam, quod Regulæ 4
Cancellariæ non obligent in foro interiori; & consequenter donatio per Episcopum intra viginti dies ante suum obitum facta sit valida in foro conscientiæ, licèt per Regulam Cancellariæ de viginti in fo- 5
ro interiori sit nulla; quia prædicta Regula de viginti, & aliæ Regulæ Cancellariæ sunt tantùm pro foro exteriori; cùm sint tantùm iudiciales, per notata à Gomez *de Regul. Cancell. in principio.* Quod maxi- 6
mè locum habet, cùm donatio per Episcopum facta fuit extra infirmitatem, nempe cùm is sanus esset; adeò vt nonnulli, quos citat, & sequitur Henriquez *in summa, tit. de Indulgentiis, cap. 30. §. 7. in Glossa lit. R,* dicant prædictas donationes etiam propè, vel circa mortem per Episcopum factas, validas esse in vtroque foro: Quod quamvis non admittant Colle- 7
ctores generales, est nihilominus tutus quoad forum conscientiæ donatarius: itavt si fortè publicetur excommunicatio contra sic retinentes, vel non reuelantes bona Episcopi defuncti, possit absordescere, sicut & scientes, & non reuelantes; quia eum qui sic retinet, licitè retineat, atque adeò restituere non teneatur, neque qui sciunt, reuelare tenebuntur.

Cæterùm, an in casibus, quos suprà dicebam, te- 8
neatur etiam quis denunciare seipsum, complices, & sic Confessarium sollicitantem, si ipse sollicitatus in turpia consenserit, filium, vel patrem, aut matrem, vxorem, vel maritum, fratrem, vel sororem, ac denique extraneos, si ex tali denunciatione sibi, filio, patri, matri, marito, vxori, fratri, sorori, vel etiam alteri sibi coniunctissimo notabile damnum in vita, fama, vel bonis fortunæ rationabiliter timeat, videri poterunt quæ *suprà dub. 203. sect. 2. & lib. de Parlament. dub. 4. sect. 19. subsect. 35. addendo 9.* aliquantulum benignius, sed satis probabiliter pro parte negatiua dicebam. Vide etiam quæ dicam *infrà dubit. vltima, de Confessario ad Venerem pœnitentes sollicitante, sect. 23.*

SECTIO IV.

An & quid dicendum de pœnis iure statutis contra diuinatores, magos, vel maleficos: Item quid dicendum de libris, & scriptis ipsorum: Item an restituere teneantur pretium, quod pro diuinatione, vel alia opera sua simili acceperunt.

RESpondetur: De his rebus dicam infrà *dub. 228. sect. 1. 2. 3. & 4.*

DVBITATIO CCXXIV.

Quidnam dicendum de diuinatione per somnia?

SECTIO PRIMA.

Dubitationis Resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Somniorum triplex est genus. Primum genus est eorum quæ proueniunt naturaliter ex animi præcedente cogitatione, & affectione, siue ex corporis constitutione, quibus si quis maiorem quàm par sit, fidem præstet, peccabit venialiter, & temerè.*

2 *Somniorum secundum genus est eorum, quæ à Deo immittuntur, &c. cuiusmodi somniis clarè aliquid ostendentibus debet homo fidem habere, & obsequium præstare, si sufficientia indicia adsint quod sint à Deo.*

3 *Somniorum tertium genus est eorum, quæ à dæmone hominis phantasiam commouente excitantur, & ea desiderare expressè, vel implicitè, aut fidem eis habere, est peccatum superstitionis graue.*

4 *Somniorum obseruatio illicita, & cum dæmonis pacto tunc censeri debet, quando ex illis quis vanè, ac temerè coniectationem facit de effectu liberè euenturo, vel merè casuali, & fortuito, &c.*

5 *Huiusmodi peccatum est ex genere suo mortale, quamuis aliquando minuatur per ignorantiam, vel simplicitatem.*

6 *Somnium inter dæmoniacum, & diuinum discernitur non tantùm ex materia, siue obiecto, ac fine illius, vtrùm scilicet ad rem bonam, ac honestam, an verò ad rem prauam, ac turpem moueat, vel impellat; sed etiam multò magis ex interna somniantis, atque è somno euigilantis affectione, qualis est illustratio, & consolatio animi, &c.*

7 *Somnium dæmoniacum vel inclinat ad malum, vel si deceptionis causa inclinet ad id, quod boni speciem habet, animum tamen perturbare, & ad Dei obsequium tardiorem hominem reddere consueuit.*

8 *Somnium in dubio vtrùm proueniat à Deo, vel à dæmone, non debet homo somnio fidem habere.*

9 *Somnium item duplex est, & propriè dictum, & impropriè dictum. In somnio propriè dicto vsus rationis non est liber, & expeditus; siquidem intellectus in hac vita dependet à phantasmatibus sensibilibus, quæ in somno per vaporum eleuationem perturbantur: Adeoque intellectus dormientis perfectam deliberationem, ac iudicium de rebus formare non potest: Secùs si phantasia hominis sit fortis, &c. quia tunc non omninò ligantur sensus externi.*

10 *Somnium posterius impropriè dictum est ecstasis, seu raptus, cum intellectus dormientis absque dependentia à phantasmatibus eleuatur ad perfectè intelligendum, & iudicandum de reuelatis.*

1 RESpondetur, quod somniorum triplex sit genus. S. Thomas 2.2.q.95.*art.*6.quem sequuntur communiter Doctores.

Primum genus est eorum, quæ proueniont naturaliter, siue ex animi præcedente cogitatione, & affectione, siue ex corporis constitutione: quare licitè poterit quis eo fine obseruare somnia, vt ex his vel præsens corporis valetudo, vel secuturus morbus, vel ex morbu conualescentia conjiciatur: quod si huiusmodi somniis maiorem fidem, quàm ex ipsis somniis conjici possit, habeat, peccatum vanitatis, & temeritatis, illudque leue, non autem peccatum superstitionis, illudque graue committet.

Secundum genus est eorum, quæ à Deo immittuntur, vt Gedeoni, *Iudicum* 7. Danieli *cap.* 2. S. Iosepho, & Magis *cap.* 1. *Matthæi, & Numer.* 12. ait Dominus: *Si fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum:* Cuiusmodi somniis clarè aliquid ostendentibus debet homo fidem habere, & obsequium præstare, si sufficientia indicia adsint, quod sint à Deo. 2

Tertium genus est eorum, quæ à dæmone hominis phantasiam commouente excitantur: Et huiusmodi somnia expressè, vel implicitè desiderare, aut fidem eis habere, actionésque suas ex illis dirigere peccatum diuinationis, ac superstitionis graue est, ita vt contra talem, vt de hæresi suspectum, procedere possint Inquisitores. 3

Cæterùm, tunc obseruatio somniorum illicita, & cum dæmonis pacto coniuncta censeri debet, quando ex illis quis vanè, ac temerè coniectationem facit de effectu liberè euenturo, vel merè casuali, & fortuito; multoque magis, si quis expressè desideret, vel propterea certò corporis situ, vel certa herba sub cervicali posita somnum capiat, vt sibi occultum aliquid reueletur; quia cùm somnium non habeat vim naturalem significandi huiusmodi occulta, vel futura contingentia, sequitur quod postuletur, vel acceptetur, tanquam signum institutum, & immissum ab aliqua substantia intelligente; sed nec à Deo, nec ab Angelo (cum supponam, non adesse indicia somnij diuini:) ergo à dæmone. Quapropter somniorum obseruatio expressè prohibetur *Leuitici* 19. *Deuteronomij* 18. 4

Est autem huiusmodi peccatum ex genere suo mortale, quamvis aliquando minuatur per ignorantiam, vel simplicitatem; vel si quis somnio certam fidem non habeat, sed solùm ad cautelam semel, aut iterum ex eo actiones suas dirigat: Quod licèt plerumque sit vanum, & inutile, excusatur tamen à mortali, sicuti dicebam, & dicam distinctiùs infrà *sectione præced.* & docent etiam Caietan. *verb. Somniorum obseruatio*, Nauarr. *in summa, c.* 11. *n.* 33. & alij passim. 5

Aduerte tamen, discerni inter diuinum & dæmoniacum somnium, non tantùm ex materia, siue objecto, ac fine illius, vtrùm scilicet ad rem bonam, ac honestam, an verò ad rem prauam, ac turpem moueat, vel impellat, cùm sæpè etiam *Sathan transfiguret se in Angelum lucis*, 2. Corinthior. 11. Sed etiam, & multò magis, ex interna somniantis, atque è somno euigilantis affectione: qualis est illustratio, & consolatio animi insolita, propensio ad Dei obsequia, & similia: Ex his enim indiciis homo vel secundùm internum animi dictamen, vel secundùm viri sapientis iudicium magnam probabilitatem, vel etiam certitudinem consequi poterit, quod somnium proueniat à Deo; dæmoniacum enim somnium vel in- 7 clinat ad malum, vel si deceptionis causa inclinet ad id, quod boni speciem habet, animum tamen perturbare, & ad Dei obsequium tardiorem hominem reddere consueuit. 6

In dubio autem, vtrùm somnium proueniat à Deo, an autem à dæmone, non debet homo somnio fidem habere, iuxta illud Eccles. 34. *Nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne des in illis cor tuum: multos enim errare fecerunt somnia.* Videri poterit Suarez *loco suprà citato, cap.* 13. Lessius *cap.* 43. & Sanchez *num.* 51. videri etiam poterunt, quæ dicam infrà *sectione sequenti.* 8

Aduerte

9 Adoerte secundò, duplex esse somnium.

Prius propriè dictum, in quo vsus rationis non est liber, & expeditus; siquidem intellectus in hac vita dependet à phantasmatibus sensibilibus, quæ in somno per vaporum eleuationem perturbantur; ideoque intellectus dormientis perfectam deliberationem, ac iudicium de rebus formare non potest, atque adeò neque mereri, vel demereri; quamvis, si phantasia hominis sit fortis, & eleuatus vapor non sit admodum copiosus, tunc non omninò ligentur sensus interni, sed appareant phantasmata (licèt inordinata) vt facultas æstimatiua aliquo modo discernere, quin & intellectus aliquando discurrere possit; tamen valdè imperfectè, & non cum vera libertate, (sicuti contingit etiam stultis ac ebriis) quæ sufficiat ad meritum, vel demeritum. Vide quæ dicentur *infrà sectione sequenti, in fine*: videri etiam poterit S. Thomas 1.*part.q.*84.*art.*8. quem sequuntur communiter Scholastici, præsertim Suarez *lib.*2.*de superstitione, cap.*13.*n.*23. vbi subdit, quod de tali somnio, verùm sit à Deo, necne, iudicium facere non possit dormiens, nisi postquam ex somno euigilauerit, exemplo Patriarchæ Iacob, *Genes.*28. qui cum euigilasset de somno, dixit: *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam*: & S. Petrus *Actor.*12. ad se reuersus ait: *Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum*; &c.

10 Posterius verò somnium impropriè dictum, ac potiùs ecstasis seu raptus, cùm intellectus dormientis absque dependentia à phantasmatibus eleuatur ad perfectè intelligendum, & iudicandum de reuelatis: Qui modus eleuationis, ac reuelationis, cùm esse non possit à dæmone, certum signum est, quod sit à Deo.

SECTIO II.

Corollaria.

SVMMARIVM.

1 *Somnia obseruare non est illicitum; quatenus indicans bonam, vel malam corporis affectionem, & morbos; quia somnia naturalem habent virtutem indicandi humorem prædominantem, itavt & Medici consueuerint infirmorum somnia percontari.*

2 *Somnia obseruare neque est illicitum, quatenus indicans quandam animi affectionem, v. g. obseruare somnia, quibus sapè infestamur, & conturbamur.*

3 *Somnia obseruare neque est illicitum, quatenus in illis nobis innotescit aliqua veritas ad scientias speculatiuas pertinens, vel ad res pertractandas conferens.*

4 *Somnia diuina à Diabolicis discernuntur iisdem modis, quibus diuinæ reuelationes à falsis.*

5 *Somnium si nos impellat ad aliquod malum, vel indiscretum, signum est, quod sit à dæmone, si autem ad aliquod bonum, posset quis non temerè, humiliter autem, & cum tremore credere, quod sit à Deo.*

6 *A somnio si animus derelinquatur confusus, & ad opera bona tardior, signum est, quod sit à dæmone; si verò illuminatus, vel consolatus, & ad opera bona promptior, signum est, quod sit à Deo.*

7 *Somnium an sit à Deo, vel ab homine, expedit vt tanquam à dæmone immissum contemnatur.*

8 *Somniorum curiosa obseruatio ad hoc discrimen discernendum est superflua; cùm Deus somnium mittens consueuerit simul hominem certum reddere, à quonam somnium immittatur: Quamuis satis probabile sit iudicium arbitrio viri prudentis, vt credatur somnium esse à Deo.*

9 *Somnia obseruare è contra est illicitum, & superstitiosum, itavt ordinariè culpa grauis inuoluatur, cum se extendant ad ea, quæ per ipsa somnia cognosci non possunt, videlicet per ea cognoscere futura contingentia, vel quæ ex libero arbitrio proueniant certiùs, quàm possint ex somniis: Potest tamen per accidens aliquando esse culpa leuis.*

10 *Ex somniis haberi non potest de futuris contingentibus, & à libero etiam hominis arbitrio dependentibus coniectura, nisi leuissima, quæ scilicet limites suspicionis non excedat, cum somnium per seipsum non producat tales effectus contingentes, aut liberos, &c.*

11 *Somniis variis sibi contingentibus Caietanus fidem aliquam nunquam habere ausus fuit, quamuis interdum eorum veritatem effectu comprobauerit.*

12 *Somnium prouenire potest à quinque causis, & quænam sint.*

13 *Somnium si constet, vel probabile sit, prouenire ex peculiari prouidentia Dei, licitè poterit quis ex somnio futurorum prænotionem accipere. Quod quidem fieri potest duobus modis, & apprehensione verborum, & apprehensione aliquarum rerum. Vide ibi exempla vtriusque.*

14 *Somnium an sit à Deo, vel à dæmone, vndenam discerni possit. Vltra enumeratos sæpiùs, enumerantur circa id alij modi cognoscendi vtrumque.*

15 *Somnium, si probabile non sit, prouenire ex peculiari prouidentia Dei, licitè tunc non poterit ex somnio futurorum prænotio præsumi, quia illud non potest ex natura sua illa futura præsignare: quare si quis nisi ex directione Dei diuinet, agit id dæmonis disciplina.*

16 *Non obstat hoc non intendere, quia ipso facto, & interpretatione intelligitur; siquidem positis iis circumstantiis, talis diuinatio nihil valet ad consequendam futuram veritatem, seu potiùs futurum euentum rei, nisi eo modo sumatur.*

17 *Potest nihilominus id esse peccatum veniale. Primò ratione simplicitatis, leuis fidei somnio præstita, & alicuius mali, seu aduersi ob somnium timoris: At regulariter vti in rebus pertractandis somniorum obseruatione, est peccatum mortale.*

18 *Somnia, si quis putet esse ex causa naturali, licitè poterit ex illis de euentibus, qui ab illa causa prouenire solent, coniecturam facere, &c.*

19 *Ex somniis sæpiùs, & certiùs de affectionibus corporis, quàm de mutationibus cæli, vel aëris coniectura desumuntur; quia affectiones corporis immediatè ex corporis dispositione procedunt. Vide ibi exempla ex corporis habitudine.*

20 *Somnium si proueniat ex prauis curis, vel cogitationibus, nihil de futuris significat, sed solùm suam causam insinuat.*

21 *Somniorum quinque genera alio modo distingui possunt, videlicet Oraculum, Visio, Somnium, Phantasma, & Insomnium.*

22 *Componere se certo situ, vel modo, vt per somnia sibi reuelentur occulta, pessima superstitio est: Est enim dæmonis instructionem expectare.*

23 *In somnis sæpè sæpiùs vsus rationis est liber, & expeditus, vt docet experientia: Is tamen vsus rationis non est perfectus, seu ad merendum, seu demerendum sufficiens; quia hoc perfectam hominis libertatem, atque solutionem omnium sensuum, & potentiarum requirit.*

EX dictis sequitur, quod non sit illicitum obseruare somnia, quatenus indicant bonam, vel malam corporis affectionem, & morbos; quia somnia naturalem habent virtutem indicandi humorem prædominantem: itavt & Medici consueuerint infirmorum 1

ſomnia percontari. Nauarr. *in ſum. cap.*11. *num.*33. Suarez *tom.*1. *de Relig. lib.*2. *de ſuperſtitione, cap.*13. *num.*6. Azor. *tom.*1. *Inſtitut. moral. cap.*17. *verſ. Eſt igitur*, Ciruelo *de ſuperſtitione*, 2.*part. cap.*6. Pereyra *de Magia, lib.*2. *q.*7. & alij paſſim.

2 Sequitur ſecundò, quod neque ſit illicitum obſeruare ſomnia, quatenus indicant quandam animi affectionem, v. g. obſeruare ſomnia (quibus ſæpè ſæpiùs infeſtamur, & conturbamur) vnde prouenniant, vt ſic aliquo modo ab illorum moleſtia nos liberare poſſimus. Suarez *loco ſuprà citato*, & alij, quos ſequitur Martinus Delrio *lib.*4. *diſquiſ. Magic. c.*3.*q.*6.*concluſ.*3.

3 Sequitur tertiò, quod neque ſit illicitum obſeruare ſomnia, quatenus in illis nobis innoteſcit aliqua veritas ad ſcientias ſpeculatiuas pertinens, vel ad res pertractandas conferens, v. g. obſeruare ſomnia (quibus inſtigamur ad aliquid bonum) an ſint à Deo, & obſeruare ſomnia (quibus inſtigamur ad aliquod malum) an ſint à dæmone: ſic DD. quos ſequitur Pereyra *loco ſuprà citato de Magia, q.*7.

4 Sequitur quartò, quod iiſdem modis, quibus diui-
næ reuelationes à falſis diſcernuntur, ſomnia diuina
5 etiam à diabolicis diſcernantur. Primò ſcilicet con-
ſiderando, ad quid ſomnium nos impellat; quia ſi
impellit ad aliquod malum, vel indiſcretum, ſignum
eſt, quod ſit à dæmone: Si autem impellit ad aliquid
bonum, poſſet quis non temerè, humiliter tamen, &
cum timore (nam ſolet dæmon ſe in Angelum lucis
transfigurare, vt ſic poſteà ex ſomniis vana, & falſa
faciliùs perſuadeat) credere tunc, quod ſit à Deo.
6 Secundò conſiderando, quomodo à ſomnio animus
derelinquatur; quia ſi derelinquitur confuſus, & ad
opera bona tardior, ſignum eſt, quod ſit à dæmone:
Si verò derelinquitur illuminatus, vel conſolatus, &
ad opera bona promptior, ſignum eſt, quod ſit à
7 Deo. In dubio, an ſit à Deo, vel à dæmone, expedit
vt tanquam à dæmone immiſſum contemnatur,
iuxta ea, quæ dicebam *ſectione præcedenti*, *ex Eccle-*
*ſiaſt.*14. *Niſi ab Altiſſimo fuerit miſſa viſitatio, ne*
8 *des inſomniis cor tuum.* Accedit, quod curioſa ſom-
niorum obſeruatio ad hoc diſcrimen diſcernendum
eſt ſuperflua; cùm Deus ſomnium mittens conſueue-
rit ſimul hominem certum reddere, à quonam ſom-
nium immittatur.

Quamvis ſatis probabile ſit iudicium arbitrio Viri prudentis, vt credatur, ſomnium eſſe à Deo. Vide quæ dicebam ſuprà citata *ſectione præcedenti*, & quæ dicam *infrà Corollar.*6. *ſequenti.* Videri etiam poterit Valentia 2.2.*diſp.*6. *q.*12. *punct.*3. *circa finem.* Suar. *tom.*1.*de Relig. lib.*2. *de ſuperſtit. c.*13. *n.*24. Pereyra *de Magia, lib.*2.*q.*3. & Martinus Delrio *lib.*4.*diſquiſit. Magicar. c.*1.*q.*3.*& c.*3.*q.*6.*concl.*5.

9 Sequitur quintò, quod è contra ſit illicitum, & ſuperſtitioſum (itavt ordinariè culpa grauis inuoluatur, per accidens enim poteſt eſſe aliquando culpa leuis, vt dicam infrà *cit. Corollar. ſequenti,*) obſeruare ſomnia, cum ſe extendunt ad ea, quæ per ipſa ſomnia cognoſci non poſſunt: vt ſi quis velit per ipſa ſomnia cognoſcere futura contingentia, vel ea (quæ ex libero arbitrio hominis dependent) certiùs quam ex ſomniis cognoſci poſſint: Et in hoc ſenſu id interdicitur in Scripturis Sacris, vt *in Leuitico* 19. *& in Deuteron.*18. *& in aliis multis locis*, vt infrà *in eodem corollar.*6. *ſequenti*, dicetur: Et in eodem ſenſu id
etiam interdicitur in Iure Canonico, *cap. Non obſer-*
uetis, 26.*q.*7. & docent S. Thomas 2. 2. *q.*95. *art.*6.
quem cum Caietano *ibid. circa finem*, ſequuntur
10 communiter Doctores. Et meritò, quia ex ſomniis
non haberi poteſt de futuris contigentibus, & de
his (quæ ex libero arbitrio hominis dependent)
coniectura, niſi leuiſſima, quæ ſcilicet limites ſuſpi-
cionis non excedat, cùm ſomnium per ſeipſum non
producat tales effectus contingentes, aut liberos,
neque ex ipſo ſomnio poſſit conjici quidquam, niſi
cauſa ipſius ſomnij cognita, quæ cognitu eſt valdè
difficilis, eo quòd nullum ſomnium ſic ab vna cauſa
procedat, quin ab aliis multis etiam procedere
poſſit.

Hinc rectè dixit Caietanus *cit. art.* 6. quod nunquam ſomniis variis ſibi contingentibus fidem aliquam (quamvis interdum eorum veritas effectu ſit comprobata) habere auſus fuerit; quia caſu, vel id procurante dæmone, vt faciliùs ad fidem ſomniis habendam homines inducat, res poſteà ſic accidit: rectè etiam ſubdidit Valentia *citata q.*12. *punct.*3. *circa finem, verſ. cùm igitur*, quod tunc, vel maximè (ne ſomniis credamus) cauendum ſit, cum per euentum comprobata videntur, propter eandem dictam rationem à Caietano traditam. 11

Dixi, quod ſit illicitum, & ſuperſtitioſum (itavt ordinariè culpa grauis inuoluatur: Per accidens enim poteſt eſſe aliquando culpa leuis, vt dicam *infrà citato Corollario* 6. *ſequenti*) obſeruare ſomnia, cùm ſe extendunt ad contingentia, & ad ea (quæ ex libero arbitrio hominis dependent) certiùs quàm ex ſomniis cognoſci poſſint; quia ex iis cognoſci non poſſunt. Inde ſi quis in effectibus naturalibus, qui ex ſomniis conjici poſſunt (cum ex iis cognoſci poſſint) exceſſum aliquem committat, tales ſcilicet effectus certiores, quam par eſt, prædicendo, non erit ſuperſtitionis peccatum graue, ſed temeritatis peccatum leue, iuxta ea quæ dicebam ſuprà *ſect. præcedenti*, & etiam ſuprà *dub.* 221. Et videri poterit Suarez *cit. lib.*2. *de ſuperſtitione, c.*13.*n.*14.

Sequitur ſextò, quod ſomnium prouenire poſſit ex quinque cauſis. Primò ex peculiari prouidentia Dei. Secundò ex procuratione dæmonis. Tertiò ex conſtitutione cœli, vel aëris. Quartò ex affectione corporis humani. Quintò, ex præuiis curis, vel cogitationibus. 12

Si conſtet, vel probabile ſit, ſomnium prouenire ex peculiari prouidentia Dei, licitè poteris ex ſomnio futurorum prænotionem accipere; quia Deus ſomnium non immittit, niſi ad ſignificandum aliquid, quo te moueat, vel inſtruat. 13

Quod fieri poteſt duobus modis: Primò apprehenſione verborum, cùm Deus per Angelum facit, quod phantaſia, vel ſenſus communis concipiat per modum auditus, ac veluti alio loquente, certa verba, quibus quid facere debeas, ſignificantur; & ſimul vel interna illuſtratione, vel occulto quodam ſapore mentem reddit certam, quod fraus non ſubſit: Huiuſmodi fuit ſomnium Ioſephi de Virgine Maria non deſerenda, de fuga in Ægyptum, & de reditu ex Ægypto, *Matth.*1. *&* 2. Huiuſmodi etiam fuit ſomnium Magorum de non redeundo ad Herodem, ſed per aliam viam, & ſimilia ſomnia alia multa in Scripturis Sacris; cùm ſæpè ſæpiùs Deus in ſomnis loqui conſueuerit: Vnde *Num.*12.ait: *ſi fuerit Propheta inter vos, per ſomnium loquar ad eum.* Hoc genus ſomnij vocatur *Oraculum.*

Secundò apprehenſione aliquarum rerum, quæ rebus euenturis vel ſimiles ſint, vel cum eis ſaltem analogiam, ſeu proportionem aliquam habeant: Hæc ſi clarè rem exhibet, ſicut futura eſt, vocatur *Viſio*; ſi obſcurè, vel ænigmaticè, vocatur *Somnium*: Huiuſmodi fuit ſomnium Iacob, *Geneſ.*31. *verſic.*10. *de ouibus*, vbi etiam prior modus admiſcebatur, quia Angelus ei loquebatur in ſomnis. Huiuſmodi etiam fuit ſomnium Ioſeph, *Geneſ.* 37. *de Pincerna, & Piſtore, Geneſ.*40. Somnium Pharaonis de ſeptem bobus, & ſeptem ſpicis, *Geneſ.*41. Somnium Nabuchodonoſor de ſtatua illa myſtica, *Danielis* 2. & alia ſomnia quamplurima in eiſdem ſcripturis ſacris. Huiuſmodi etiam fuit ſomnium Sancti Polycarpi, cui in

ſomnis

ſomnis ſuum ceruical comburi viſum fuit, qoo præſigoarctur ipſi genus ſui Martytij, nempe per ignem.

14 Vndcnam autem diſcetni poſſit, an ſomnium ſit à Deo, vel à dæmone?

Reſpondetur ex dictis, diſcerni partim ex eo, ad quod pet ſomniom impelleris: Nam ſi impellaris ad aliquid bonum, v. g. ad deſerendum ſæculum, ad capeſſendam religionem, ad timorem inferni, ad dolorem peccatorum, vel quid aliud ſimile, ſignum eſt, quod ſomnium ſit à Deo; partim ex affectu, qui relinquitur, ſi v. g. exinde remaneat animi illuſtratio, conſolatio, vel promptitudo ad obſequium Dei, &c. Partim etiam ex intimo quodam ſapore, cùm aliter mentem afficiat ſomoium diuinitus, quàm ſomnium aliundè proueniens, ſicuti rectè dixit Gregorius *lib.* 4. *Dialogorum*, *cap.* 48. in his verbis. [Sancti viri inter illuſiones, ac reuelationes quodam intimo ſapore diſcetount, vt ſciant, vel quid à bono ſpiritu percipiant, vel quid ab illuſore patiantur:] Qoapropter & Sancta Monica (ſicuti refert Auguſtinus *lib.6. Confeſſionum, cap.* 13.) dicebat, ſe diſcernere intimo quodam ſapore, quem verbis explicare non poterat, quid intereſſet inter reuelantem Deum, & animam ſuam ſomniantem. Nec mirum, quod ſomnia diuina, cùm ſint ſupernaturalia, aliquid diuinum, & ſupernaturale ſapiant. Interdum tamen res eſt obſcura, & tunc (vti dicebam) opus eſt conſilio viri prudentis, ne fraude dæmonis (quod multis contigit) circumueniaris. Idemque dicas, cùm ſignificatio eſt obſcura; cùm enim eſt clara, & ſimul conſtat, quod ſit à Deo, nullo pacto de euentu dubitare poteris.

15 At ſi probabile non ſit, ſomnium prouenire ex peculiari prouidentia Dei, licitè tunc non poteris ex ſomnio futurorum prænotionem deſumere: quia ſomnium non poteſt natura ſua, nec etiam (vt proueniens à cauſis naturalibus) illa futura præſignare, ſicuti patet ex dictis: Ergo reſtat, quod ſolùm ex directione Dei, vel dæmonis dicta futura præſignet, & conſequenter, quando probabile non eſt, quod ſit à Deo, ſi tu ex ſomnio diuines, ſubjicis te diſciplinæ dæmoois, eique tribuis futurorum prænotionem, ſicque tacitè illum allicis, vt procuret, quod tu præſignatum arbitraris.

16 Neque obſtat, ſi dicas, te hoc non intendere; qoia ipſo facto, & interpretatiuè id iam intendis: Siquidem poſitis eius circunſtantiis, talis diuinatio nihil valet ad conſequendam futuram veritatem, ſeu potiùs futurum euentum rei, niſi eo modo ſumatur. Qoapropter id ex genere ſuo eſt peccatum mortale, vnde & expreſsè prohibetur, Leuitic. 19. *Non augurabimini, neque obſeruabitis ſomnia:* & Eccleſiaſt. 34. *Vana ſpes, & mendacium viro inſenſato, & ſomnia extollunt imprudentes*, &c. & paulò poſt: *Multos enim errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis.* Quod quàm verum ſit, rectè oſtendit Gregor. *lib.* 4. *Dialogor. cap.* 49. *de quodam.* [Qui dum ſomnia vehementer attenderet, & per ſomnium longa vitæ ſpatia promiſſa eſſent, cumque multas pecunias pro longioris vitæ ſtipendiis collegiſſet, ita repentè defunctus eſt, vt intactas omnes relinqueret, & ipſe ſecum nihil ex bono opere portaret.]

17 Poteſt tamen id eſſe peccatum veniale: Primò ratione ſimplicitatis, ſi cùm ſis homo ſimplex, vel rudis, facilè putes ſomnium prouenire à Deo. Secundò, ſi ſolùm leuiter ſomnio fidem habeas. Tertiò, ſi propter ſomnium aliquid aduerſi timeas, vel aliquid proſperi ſperes, cogitans tecum (etſi temerè, & abſque vllo fundamento) illud forſan à Deo prouenire, ideoque aliquid facias, vel omittas; modò id non ſit contra aliquod præceptum naturale, vel poſitiuum. Caietan. *in ſumma, verb. ſomniorum obſeruatio.* Nauarrus etiam *in ſumma, cap.* 11. *numero* 33. quos ſequuntur alij communiter Doctores. At ſi ſic deditus ſis obſeruationi ſomniorum, vt paſſim illa in rebus pertractandis vtaris, peccabis mortaliter; & multò magis peccabis mortaliter, ſi per ſomnia certo modo, vel ritu te componendo ad ſomnum, diuinationem quæras, quia hoc expreſsè eſt dæmonem inuocare: Quo modo gentiles olim, præmiſſo ieiunio, in cæſorum animalium pellibus dormire conſueuerant, vt reſponſa in ſomnis acciperent: qua de re Cælius Rhodiginus *lib.* 27. *antiquar. lect. cap.* 14. facilè namque dæmon ſomnia, quæcumque voluerit, excitare poteſt, concitando ſcilicet humores & ſpiritus: Quomodo varia viſa in febribus, in phreneſi, in atra bile, aliiſque morbis, & affectibus excitantur.

Quod ſi ſomnia putas eſſe ex cauſa naturali, licitè poteris ex illis de euentis, quæ ab illa cauſa prouenire ſolent, coniecturam facere, vt de mutationibus cœli, vel aëris, de morbis, de corporis temperie, de humorum redundantia, & ſimilibus, de quibus Hippocrates *libro de inſomniis*, & Galenus *libro de præſagio & inſomniis*; quia cœlum, & aër in corpus humanum ſanguinem, & ſpiritus impreſſionem aliquam faciunt, ratione cuius per ſympathiam phantaſia conſentanea viſa apprehendit, præſertim per quietem, dum ſenſuum externorum operatione non diſtrahitur, eo ferè modo, quo fieri ſolet in auibus vigilantibus. 18

Sæpiùs tamen, & certius ex ſomniis de affectionibus corporis, quàm de mutationibus cœli, vel aëris coniecturæ deſumuntur; quia affectiones corporis immediatè ex corporis diſpoſitione procedunt: Hoc modo, ſi ſomnies incendia, tonitrua, contentiones, rixas, homicidia, bella, & ſimilia, ſignum eſt, quod infeſteris flaua bile: ſi ſomnies pluuiam, flumina, maria, niues, grandines, glaciem, aquas, &c. ſignum eſt, quod infeſteris pituita, ſeu frigido phlegmate: Si ſomnies fumum, caliginem, profundas tenebras, funera, mortuos, ſepulchra, luctus, vel quid ſimile mille, ſignum eſt, quod infeſteris atra bile: Si ſomnies, te volare, vel velociter currere, ſignum eſt, quod lenem, & temperatam complexionem retineas: Si ſomnies grauia onera ferre, vel in anguſtis locis, vbi vix te mouere poſſis, verſari, ſignum eſt, quod quoad vim animalem multitudine humorum graueris: Si ſomnies ca*, quæ ad libidinem pertinent, ſignum eſt, quod redundantiam ſpermatis habeas: Si ſomnies verſari in ſterquilinio, vel fimo, &c. ſignum eſt, quod humoribus putridis, vel inteſtinorum excrementis abundes; ſic qui ſomniauerat crus effectum ſibi lapideum, paulò poſt factus eſt crure illo paralyticus; ſic etiam qui ſomniauerat, ſe in ciſterna ſanguine plena conſtitutum, cœpit plethora ſanguinis laborare, de quibus Galenus *in libello de præſagiis ſomniorum.* 19

Huc etiam pertinet ſomnium illud, quo aliquod ſpectrum irruere, & opprimere hominem videtur (quod Latini incubum vocant) quia id prouenit à craſſo, & tetro vapore in cerebrum irruente, & viſa ſpirituum animalium intercipiente: Quapropter eſt ſignum craſſi, & melancholici ſanguinis, ſignumque cruditatum, ita vt epilepſiæ periculum adſit, ſi id ſæpè patiaris. Hoc genus ſomniorum vocatur *Phantaſma.*

Cæterùm, ſi ſomnium prouenit ex præuiis curis, vel cogitationibus, nihil de futuris ſignificat, ſed ſolùm ſuam cauſam inſinuat: Quod genus ſomnij vocatur *inſomnium*: Quapropter ex dictis. 20

Sequitur ſeptimò, quod alio modo quinque genera ſomniorum diſtingui poſſint, *Oraculum*, *viſio*, *ſomnium*, *phantaſma*, & *inſomnium*, de quibus omnibus fusè Macrobius *lib.* 1. in ſomnium Scipionis. 21

Aduerte tamen hic quod (vt ſuprà dicebam) peſ- 22

sima superstitio sit, si more gentilium certo modo, vel situ te componendo ad somnum, vtaris, vt tibi per somnia reuelentur occulta, quia id est dæmonis instructionem expectare.

a 3 Aduerte secundò, quod (vt suprà etiam dicebam) in somnis sæpè sæpiùs vsus rationis sit liber, & expeditus; quia (vt experientia docet) sæpè sæpiùs ratio, seu pars superior hominis, res simplices plenè cognoscit, easque iudicando vel componit, vel disjungit, miratur, ratiocinatur, noua quædam inuenit, ad suas actiones considerandas reflectit, ita vt tunc homo dubitet, an dormiat, necne; is tamen vsus non sit vsus rationis perfectus, seu ad merendum, seu demerendum sufficiens; quia hoc perfectam hominis libertatem, nempe solutionem omnium sensuum, & potentiarum requirit, ita vt sit ipse homo, qui tunc agat, & non aliunde agatur; sitque ipse homo suarum actionum Dominus, habeatque in suo posse hoc vel illo modo agere, vel nihil agere: quod etiam in somniis (de quibus nunc agimus) vtique non contingit. Vide quæ dicebam suprà *sectione præcedenti*.



DVBITATIO CCXXV.

Quidnam dicendum de Diuinatione per sortes?

SECTIO PRIMA.

Dubitationis resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Sortes sunt in triplici genere, diuisoria, consultoria, & diuinatoria.*

2 *Sortes diuisoria non sunt per se mala, sed sæpè sæpius bona, & vtiles, siue ad honestum ludum, siue ad hæreditatis diuisionem, siue ad litis alicuius compositionem.*

3 *Apostoli secundùm aliquos, sorte diuiserunt orbem terrarum inter se ad prædicandum Euangelium.*

4 *Sorte secundùm Augustinum tempore pestis dirimendum est, qui ex Sacerdotibus periculum subire debeant.*

5 *Sorte etiam definiri poterit, si plures morte digni fuerint ob delictum commissum, neque expediat quod omnes moriantur, quisnam ex illis morti tradendus sit.*

6 *Sorte etiam definiri poterit ex communi consensu in certo periculo communis naufragij, nisi aliqui nauigantium in mare prosiliant, vel ejiciantur, quinam ex ipsis in mare prosilire, vel ejici debeant.*

7 *Sorti si aliqui nauigantium consentire recusent, ab aliis in mare projici possunt, si illi sortitionem impedire conentur; quia tunc inferunt rem iniustam, contra quam alij licitè vita plurium seruandæ causa se defendere poterunt; & quatenus non impediant, cæteri nauigantes sortitionem facere poterunt.*

8 *Sorte dirimi poterunt etiam lites, licèt beneficiales sint, cum ordinarij collatoris tamen consensu.*

9 *Sortes consultoriæ sunt, in quibus occulta veritatis manifestatio, vel consilij alicuius directio à Deo expostulatur: quare licita sunt, si fiant Dei iussu, vel instinctu, vel si consilium nullum suppetat, & negotij grauitas aliquo modo exigat, vt ad Deum consulendum cum reuerentia accedatur: ita secundum aliquos Apostoli fecerunt in electione Mathiæ.*

10 *Electio omnis, vel compromissio ad officia, vel beneficia Ecclesiastica Iure Canonico prohibetur, & rescindi debet, & ipso Iure est nulla, saltem ea electio per sortem, quæ est ad Pastorale officium, & dignitatem.*

11 *Electio in dubio Summi Pontificis, hoc est quisnam ex duobus reuera ad Summum Pontificatum electus sit, de consensu Cardinalium poterit discordia hæc sorte dirimi.*

12 *Sortes diuinatoriæ sunt, quibus latentis veritatis manifestatio, vel consilij directio non à Deo, consequenter à dæmone expressè, vel tacitè expostulatur, ideoque sunt superstitiosæ.*

13 *Sortium directionem à Deo petere absque iusta necessitate, vel absque debita reuerentia, est solùm peccatum tentationis, vel alterius irreligiositatis.*

RESpondetur: sortes sunt in triplici genere, diuisoriæ, consultoriæ, & diuinatoriæ. Est sententia communis Doctorum cum S. Thoma 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 8. vbi ait, quod propriè sortes sint, cùm aliquid fit, vt eius euentu considerato, aliquid fiat, vel innotescat, & eæ (sicuti dicebam) sunt triplices: quædam diuisoriæ, vt sciant sortientes, quid in electionibus, vel controuersiis, &c. vnicuique sit tribuendum: aliæ consultoriæ, quibus diuina voluntas exquiritur, vt sciatur quid in aliquo negotio sit faciendum, vel cauendum: Aliæ diuinatoriæ, quibus aliqui vtuntur ad occulta cognoscenda, vt si v.g. sic vel aliter taxilli vel chartæ decidant, conjecturetur prosper, vel aduersus euentus, vel si diuersa nomina ponantur in vrna, vt conjecturetur furtum v.g. esse apud illum cuius nomen educitur ex illa vrna, vel si librum aperienti occurrat scriptum læta, aut tristia continens, & exinde conjecturetur prosper, vel aduersus successus. 1

Diuisoriæ sortes non sunt per se malæ, sed sæpè sæpiùs bonæ, & vtiles, siue ad honestum ludum, siue ad hæreditatis diuisionem, siue ad litis alicuius compositionem, dummodò litigantes, qui ius æquale habent, consentiant in sortitionem: quo sensu Salomon Prouerb. 18. dixit: *Contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque diiudicat.* 2

Sic existimant nonnulli apud Turrian. *lib.* 8. *constit. cap.* 5. Apostolos orbem terrarum ad Euangelium prædicandum inter se diuisisse. 3

Sic etiam existimat Augustinus *epistola* 180. ad Honoratum, tempore pestis sorte dirimendum esse, quinam ex Sacerdotibus periculum subire debeant. 4

Sic etiam, si plures morte digni fuerint ob delictum commissum, neque expediat, quod omnes moriantur, sorte (sicut in militia fieri consueuit) definiri poterit, quisnam ex illis morti tradendus sit. Vide DD. quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 48. *num.* 60. 5

Sic etiam in certo periculo communis naufragij (nisi aliqui nauigantium in mare prosiliant, vel ejiciantur) ex communi consensu sorte definiri potest, quinam ex ipsis in mare prosilire, vel ejici debeant. Maior *in quarto, distinct.* 15. *quæst.* 22. & *quæst.* 50. & alij, quos citat & sequitur Sanchez *loco suprà citato*. Neque enim id est hominem se ipsum occidere, sed nauis qualecumque subsidium, mortis plurium euadendæ causa, deserere; sicuti si quis tabulam, per quam ex naufragio se liberare 6

berare posset, derelinquat, vt liberetur dignior.

7 Quod si aliqui nauigantium in sortitionem consentire recusent, subdit Maior vbi suprà; quod tales ab aliis in mare projici possint: Quod intellige, si illi sortitionem impedire conentur; quia tunc inferunt vim iniustam, contra quam alij licitè, vitæ plurium seruandæ causa, se defendere poterunt: at si sortitionem non impediant, sed tantùm consensum præstare recusent, tunc ipsis etiam inuitis poterunt cæteri nauigantes sortitionem facere, & sortis euentum, in quoscumque ille euenerit, etiam in consensum præstare recusaotes exequi.

8 Sic etiam sorte dirimi poterunt lites, tamen si beneficiariæ illæ sint, cum ordinarij collatoris tamen consensu. Glos. *in cap. licèt causam, vers. vti possidetis, de probat.* quam sequuntur communiter Doctores, quos citat Suarez *cit. lib. 2. cap.* 12. *num.* 12. & Sanch. *cit. cap.* 38. *num.* 78.

9 Consultatoriæ sortes sunt, in quibus occultæ veritatis manifestatio, vel consilij alicuius directio à Deo expostulatur: Quare licitæ sunt; si fiant Dei iussu, vel instinctu (vt Iosue *cap.* 7. & in electione Regis Saulis, 1. *Regum* 10.) vel si consilium nullum suppetat, & negotij grauitas aliquo modo exigat, vt ad Deum consulendum cum reuerentia accedatur: quare Salomon *Prouerb. cap.* 16. inquit: *Sortes mittuntur in sinu, sed à Domino temperantur.*

Sic putat S. Thom. 2. 2. *q.* 95. *art.* 8. S. Anton. *part.* 2. *tit.* 12. *cap.* 1. §. 9. Suarez *cit. cap.* 12. *num.* 10. & alij passim, Apostolos sortem misisse super Mathiam, & Ioseph, vt ostenderetur, quemnam ex his duobus Deus in Apostolatum eligeret, quam Dei electionem signo visibili ab eodem Deo demonstratam fuisse testatur S. Dionysius *de cælesti Hierarchia, cap.* 5.

10 Quamvis iure Canonico ex textu *in cap. vltimo, de sortilegiis*, ad officia, vel beneficia Ecclesiastica omnis electio, vel compromissio (quæ sortibus fit) probibeatur, vt rescindi debeat; quin immò ipso Iure nulla sit, saltem ea electio per sortes, quæ est ad Pastorale officium, ac dignitatem, iuxta textum *in cap. quia propter, de elect.* & docet Abbas *in cit. cap. vltimo, num.* 5. cum aliis Canonistis.

11 Cæterùm (cùm huiusmodi Iuribus positiuis summi Pontifices non astringantur) si dubitetur, quisnam ex duobus verè ad Pontificatum electus sit, poterit discordia hæc, cum consensu tamen Eminentissimorum Cardinalium sorte dirimi. Felin. *in cap. Capitulum, de rescriptis, num.* 21. & alij, quos sequitur Sanchez *loco suprà cit. num.* 80.

12 Diuinatoriæ sortes sunt, quibus latentis veritatis manifestatio, vel consilij discretio non à Deo, consequenter à dæmone expressè, vel tacitè expostulatur, ideoque sunt superstitiosæ (ita vt contra sic sortibus vtentes, tanquam contra suspectos de fide, possint Inquisitores procedere) sicuti patet ex iis, quæ suprà dicebam, *& ex cap. si quis Episcopus, & cap. sortes, 26. quæst.* 5. vbi propterea expressè probibentur.

13 Quamvis, si quis sortium directionem à Deo petat absque iusta necessitate, vel absque debita reuerentia, peccatum solùm tentationis, vel alterius irreligiositatis committet. DD. quos citat & sequitur Sanchez *lib. 2. moral. cap.* 38. *num.* 85. & videri poterunt quæ congerit Gratianus *caus.* 16. *quæst.* 2. & quæ dicam infrà *sect. seqq.*

SECTIO II.

Corollaria quoad diuinationem per sortes diuisorias.

SVMMARIVM.

1 *Sortes diuisoriæ, stando in Iure naturæ sunt licitæ, ac proindè licitæ in omnibus casibus, in quibus Iure humano, seu positiuo non interdicuntur; quia huiusmodi sortes diuisoriæ non includunt aliud quàm quendam humanum contractum.*

2 *Sors non aliquid mali est, secundùm Augustinum.*

3 *Sortes diuisoriæ Iure Ciuili de facto approbantur in multis casibus.*

4 *Sortes non licere, nisi in casibus iure permissis, minùs rectè tradidit Baldus.*

5 *Sortes diuisoriæ sunt licitæ in electionibus ad munia, seu officia sæcularia; quia nullibi id reperitur prohibitum: & textus* in cap. finali, de Sortilegiis, *intelligi debet de electionibus tantùm Ecclesiasticis.*

6 *Sortes diuisoriæ sunt licitæ tempore persecutionis Ecclesiæ, & tempore pestis, vt si controuersia nata exempli gratia inter Clericos, qui exponi tunc debent, sorte dirimatur.*

7 *Idem dic de Medicis, vel aliis Ministris ad temporales infirmorum necessitates necessariis, necnon si tractetur de mittendis Ministris ad Indos.*

8 *Sortes diuisoriæ pariter licitæ sunt inter æquè pauperes, quorum alteri eleemosyna eroganda sit.*

9 *Sortes diuisoriæ sunt licitæ tempore periculi naufragij, vt suprà dictum fuit.*

10 *Sortes diuisoriæ sunt licitæ, quando sunt plures rei, vt scilicet & in tali casu, sicut & in militia fieri consueuit, sorte excipiantur.*

11 *Sortibus tamen non licet indagare reum, quando de illo non constat, an delictum commiserit; quia præter superstitiosam diuinationem sibi admixtam, aderit periculum puniendi innocentem.*

12 *Iudex in iudiciis, in quibus est dubium facti, vel Iuris, an possit vti sortibus diuisoriis, alij disceptant; author existimat res diuidendas inter illos, de quibus est dubium.*

13 *Sortes diuisoriæ quamvis ex se sint licitæ, possunt tamen vitiari ex aliquibus circunstantiis adiunctis. Primò vitiari possunt ratione existimationis falsæ, vel intentionis prauæ, vt si quis ex astrorum influxu expectet sortem sibi feliciter euenturam.*

14 *Sortes diuisoriæ item vitiari possunt, si expectetur euentus à fortuna; homo enim sic, cum ex electione, & consilio operari debeat, exorbitat à recta ratione. Vide etiam alias causas reconditas, & quomodo sit tantùm peccatum veniale. Secus verò si mero gentilitio quisque negando prouidentiam se committat fortunæ, quia tunc erit peccatum superstitionis grauissimum.*

15 *Sortes diuisoriæ item vitiari possunt, si expectetur dæmonis sortes extrahentium manus dirigentis auxilium, vel si mittantur sortes dæmonis inuocatione, vel eius aliqua promissione, seu prædicatione præcedente, &c.*

16 *Sortes diuisoriæ item vitiari possunt, si peccetur contra iustitiam distributiuam, vt si v. g. in electionibus ad officia mittantur sortes inter dignos, & indignos, quia tunc contingere poterit, quod sors cadat super indignum, quod est contra bonum commune, & contra Republicæ rectam administrationem.*

17 *Sortes si mitterentur inter dignos, & indignos, esset peccatum mortale ob rationem supradictam: si verò mitterentur inter solos dignos, & aliquos digniores, esset peccatum tale quale peccatum esset eligere ad illud munus personam dignam, omissa digniori; veniale enim an sit, vel mortale, attendi debet penes qualitatem muneris.*

18 *Sortes si mitterentur inter dignos, & digniores, nullum esset peccatum superstitionis, vel etiam indignos, sed solùm peccatum contrariæ electionis contra iustitiam distributiuam.*

19 *Item possunt vitiari, si violetur iustitia commutatiua, vt si v. g. res in sortem exposita non sit sortientium, sed alterius, cuius consensus non adsit, est enim in tali casu peccatum iniustitia. Sic etiam dici debet de illis, qui ad rem non par ius habent.*

20 *Item vitiari possunt, si aliæ fraudes interueniant.*

21 *Item vitiari possunt ratione irreuerentiæ, seu irreligiositatis, vtendo scilicet libris Euangeliorum, vel aliis rebus Sacris; quamvis non esset peccatum mortale, nisi magna esset irreuerentia.*

22 *Item vitiari possunt, si expectetur voluntatis diuinæ extraordinario modo, vel per aliquod signum manifestatio.*

23 *Sortes diuisoriæ sunt illicitæ in electionibus Ecclesiasticis, quia id indefinitè, seu indistinctè, atque*
24 *adeò generaliter prohibetur per sortes: neque eligi possunt ipsi compromissarij ad eligendum in rebus Ecclesiasticis, nec Iurisdictio ad has electiones per sortes conferri debet.*

25 *Sortes interdicuntur etiam in tractatibus electionis.*

1 EX dictis sequitur, quod stando in solo Iure naturæ, sortes diuisoriæ sint licitæ, ac proinde sint licitæ in omnibus casibus, in quibus Iure humano, seu positiuo non interdicuntur: Et ratio est clara, quia huiusmodi sortes diuisoriæ non includunt aliud, quàm quendam humanum contractum, per quem ex communi consensu paciscentium, qui ius ad aliquam rem habent, res illa inter ipsos sorte diuidatur, vt scilicet sit illius, cui sors ipsa contigerit: at huiusmodi contractus ex se nihil superstitionis, nihilque mali habet, cùm ad nullam incertam rem cognoscendam ordinetur, sed solùm ad quendam sortis, seu fortunæ contractum, in quo æqualis est vtriusque contrahentis conditio: ergo huiusmodi sortes diuisoriæ nullam ex se malitiam inuoluunt, ac proinde licitæ sunt in omnibus casibus, in quibus Iure humano, seu positiuo non interdicuntur.

2 Confirmatur ex textu *in cap. 1. 26. quæst. 1.* quod est dictum Augustini *in Psalm. 30. concione 2.* quatenus expressè dicitur ibi: *Sors non aliquid mali est.*

3 Confirmatur secundò, quia prædictæ sortes diuisoriæ de facto Iure ciuili potiùs approbantur in multis casibus, vt v. g. ad dirimendas controuersias inter hæredes, legatarios, fideicommissarios, & alios, *l. si cum ambo, ff. de Iudiciis, l. si qui sunt, ff. famil. ercisc. & l. si duobus, Cod. commun. de legat.*

Atque ita etiam tenent S. Thomas 2. 2. *quæst. 95. art. 8. & 161.* Caietan. *dub. 1.* Archidiacon. 26. *q. 2. cap. 1. num. 1. & 161.* Bellamer. *num. 3.* Ostiensis *in cap. finali, n. 2.* Cardinalis *q. 2.* Abbas *n. 3.* Anchar. *n. 3.* Bellamer. *n. 26.* S. Antoninus 2. *part. tit. 12. cap. 1. §. 9.* Rosella *verb. Sortilegium*, Angelus *verb. Sors, n. 2. & 161.* Tabiena *q. 5. n. 6.* Syluest. *verb. superstitio, q. 9.* Tolet. *in summa, lib. 4. cap. 14. num. 11.* Martinus Delrio *lib. 4. disquis. Magicar. cap. 4. q. 1.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 1. de superst. cap. 12. n. 15.* & Saytus *in claui Regia, lib. 4. cap. 5. num. 20. & 21.* quatenus isti Doctores in solis vetitis Iure Ecclesiastico negant sortes licitas esse, ideoque eos admittunt in electionibus ad munia, seu officia Ciuilia, eo quòd in talibus officiis prædictæ sortes non interdicantur; ita etiam tenent Caietanus *in summa, verb. Sors, circa finem.* Azor. *tom. 1. Instit. moral. lib. 9. cap. 2. quæst. vnica, vers. at verè in electionibus.* Valentia 2. 2. *disp. 6. quæst. 12. punct. 3. vers. ex eodem capite*, & aliis (quatenus isti Doctores aiunt, solo Iure Ecclesiastico interdici sortes diuisorias in electionibus Ecclesiasticis.) Et ita etiam in propriis terminis tenent glos. *in cap. finali, circa finem, de Sortilegiis, & in cap. 1. verb. mali, 26. q. 2.* Felin. *in cap. licèt causam, circa finem, de probat. & in cap. Capitulum, n. 21. vers. & pro doctrina, de rescript.* Suarez *in citato cap. 12. num. 3. & seqq.* & alij complures.

Quapropter minùs rectè dixit Bald. *leg. 2. num. 3. Cod. quando & quibus 4. pars debeatur, lib. 10.* sortes non licere, nisi in casibus Iure permissis; cùm potiùs dicere debuisset, sortes semper licere, nisi in casibus Iure exceptis, seu Iure interdictis. 4

Sequitur secundò, quod sortes diuisoriæ sint licitæ in electionibus ad munia, seu officia sæcularia; quia nullibi id reperitur prohibitum, licèt enim *in cap. finali, circa finem, de Sortilegiis*, videantur sortes illæ indistinctè in electionibus prohibitæ, ibi: *Sortis vsum in electionibus perpetua prohibitione damnantes*; ea tamen verba intelligi debent iuxta subiectam materiam, de qua textus ille loquebatur, in electionibus scilicet Ecclesiasticis, sicuti textum consideranti facilè patebit, & docent S. Thomas, Caietanus, Archidiaconus, Bellamera, Ostiensis, Cardinalis, Abbas, Ancharanus, S. Antoninus, Rosella, Angelus, Tabiena, Syluester, Toletus, Martinus Delrio, Suarez, & Saytus *in locis suprà citatis.* Item & Caietanus *in summa, verb. sors.* Mariana Soccinus Senior *in cap. finali, n. 27.* Turrecremata 26. *q. 2. num. 2. & 6.* Armilla *verb. sors, num. 1. & in fine*, Emanuël Sà *verb. sortes, num. 1.* & Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 43. dub. 9. num. 58.* 5

Sequitur tertiò, quod sortes diuisoriæ sint licitæ tempore persecutionis Ecclesiæ, & tempore pestis, quando controuersia fuerit, qui Parochi, clerici, vel religiosi in loco persecutionis, vel peste infecto ad reliquis subueniendum manere debeant, vt scilicet & in tali casu, si controuersia aliter decidi non potest, decidatur per sortes diuisorias. S. August. *epist. 180. ad Honoratum, & lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 28.* quem cum S. Thoma sequuntur Doctores *in locis suprà citatis*, præsertim Syluest. *verb. Superstitio, q. 9.* Nauar. *in sum. cap. 11. n. 38.* & Suar. *c. 12. n. 17.* Idemque dicas si tractetur de mittendis medicis, vel aliis Ministris ad temporales infirmorum necessitates necessariis, vel si tractetur de mittendis Ministris ad Indos: quia semper est eadem ratio. Idemque similiter dicas, quod scilicet & sortes diuisoriæ licitæ fiant inter æquè pauperes, quorum alteri eleemosyna eroganda sit. S. Augustinus *citato lib. de doctrina Christiana, cap. 28.* Syluester, & Suarez *in iisdem locis vbi suprà.* 6 7 8

Sequitur quartò, quod sortes diuisoriæ sint licitæ tempore periculi naufragij (quando, ne omnes pereant, necesse est gratiâ alleuiandæ Nauis, quod aliqui homines projiciantur in mare) vt scilicet & in tali casu per sortes ex omnium consensu aliqui, qui projiciendi, sint desumantur: sic DD. quos sequitur Martinus Delrio *lib. 4. disquisit. magicar. cap. 4. q. 1. n. 60.* Quod adeo verum censeo, vt idem etiam licitè fieri posse censeam, illis inuitis; quia licitè potest dux Nauis ob commune bonum, ne omnes pereant, medium illud eligere, cùm bonum commune præferri debeat priuato. 9

Sequitur quintò, quod sortes diuisoriæ sint licitæ (quando sunt plures rei, nec expedit, quod omnes morte puniantur) vt scilicet & in tali casu, sicut, & in militia fieri consueuit, sorte excipiantur, quinam morte puniendi sint; quia alia via id dirimi non poterit. Turrecremata 26. *q. 2. num. 2.* Lessius *de Inst.* 10

*Iust.& Iur. cap.*4 3. *dubit.*6.*n.*5 8. & alij, quos sequitur Martinus Delrio *loco suprà citato*, qui limitat id intelligi debere, quando par est sortientium culpa; quia aliàs (inquit ipse) iniqua esset sortitio quoad minùs nocentes. Quod intellige, si qui sunt minùs nocentes, notabiliter sint minùs nocentes: Secus si parum; quia parum in iure pro nihilo reputatur.

11 Aduerte tamen, quod quando non constat de reo, qui delictum commiserit, nullo pacto licitum erit, vt sortibus ille indagetur, quia præter superstitiosam diuinationem ibi admixtam aderit periculum puniendi Innocentem, si forsan sors super ipsum ceciderit, vel periculum puniendi reum, non legitimè delicto illius probato; cum probatio sortium non sit legitima, sed merè casualis: quod si autem per sortes expectetur instructio dæmonis, erit etiam adhuc iniustitiæ peccatum, quia dæmon est pater mendacij, & præterea est proeliuior ad puniendos Innocentes, quàm nocentes. Quapropter cùm id in veteri Testamento factum aliquando legitur, factum vtique dici debet, vel iussu Dei (vt *Iosue* 7.) vel speciali instinctu illius. Abulensis 1. *Regum cap.*14.*quæst.*37.& 38. quem sequitur Suarez *eodem cap.* 11. *num.*16. & *seqq.*

12 An verò in iudicijs, vbi est dubium facti, vel Iuris, sortes diuisoriæ adhuc sint licitæ, vt scilicet & in tali casu iudex sortibus diuisoriis vti licitè possit. Videri poterunt Gloss. *in cap. causam, verb. Vel possidetis circa finem de probation.& in cap. In nostra, verb. Aduersa, de testib.* Felin. *in eodem cap. licet causam, & in cap. Capitulum, num.* 21. *de rescript.* Imola *ibidem, numero* 4. Abbas *in cap. finali, num.*6. *de Sortileg.& ibidem* Ansnias *num.* 1 a. & Marianus Soccinus Senior *num.* 30. quamuis interim probabilius mihi videatur, si res pro parte dubij diuidatur inter illos, de quibus est dubium, an ad aliquem ipsorum res illa spectet.

13 Aduerte secundò, quod quamuis sortes diuisoriæ ea se sint licitæ, ex aliquibus tamen extrinsecis circumstantiis adiunctis, sicut & reliqui actus humani morales, vitiari possint.

Primò vitiari possunt ratione existimationis falsæ, vel intentionis prauæ, vt si quis v.g. ex Astrorum influxu expectet sortem sibi feliciter euenturam; quia cùm Astra in hoc nihil operentur, esset superstitionis peccatum id ex Astrorum influxu expectare; & quidem mortale, si certò expectaret. Sic S. Thom. 2.2. q.95.*art.*8. Sylvester *verb. Superstitio*, q.9. Martinus Delrio *lib.*4. *disquisit. magic. cap.*4. *quæst.* 1. & Suarez *tom.*1. *de Religione, lib.*2. *de superstitione, cap.* 12. *numero* 16.

14 Secundò vitiari possunt, si expectetur euentus à fortuna: In quo casu tamen docent S. Thomas 2.2. q.95.*art.*8. Archidiacon.26. *quæst.*2.*cap.*1. Bellamera *ibidem*, S. Antoninus 2.*part. tit.*12.*cap.*1.§.9. Syluest. *verb. Superstitio, quæst.*9.*n.*58. Valentia 2.2. *disput.*6. *q.*12.*punct.*3.Suarez *tom.*1. *de Religion.lib.*2.*de superstition. cap.*12. *num.*16. & Martinus Delrio *lib.*4.*disquisit. magicar. cap* 4. *quæst.* 1. quod non insit, nisi forsan vanitatis vitium, vel quia, sicut putat Suarez, est solùm actus otiosus, si scilicet absque necessitate, aut vtilitate fiat; vel quia, sicut sentit Valentia, homo, cum ea electione, & consilio operari debeat, exorbitat à recta ratione, si fortunæ se committat: Ex quo sequitur, vt solùm sit culpa venialis, etiam in re graui: quod satis insinuant Doctores suprà citati, quatenus culpam istam vanitatem forsan quamdam solùm appellant, & expressè tradit Martinus Delrio *vbi suprà*, subdens quod in re leui vix adsit culpa vlla: quod intellige, si concurrat causa saltem leuis, quia alioquin, cum adhuc homo, vtpotè operans sine causa vlla, exorbitet à recta ratione, pecca-

bit adhuc venialiter: sequitur etiam, quod nulla sit culpa, si id fiat ex causa iusta, vel ex causa ludi, aut lucri; quia cùm isti fines sint ex se indifferentes, ex aliis bonis finibus honestari poterunt.

Cæterùm cùm dicis ad mentem S. Thomæ, Archidiaconi, Bellameræ, S. Antonini, Syluestri, Valentiæ, Suarij, & Martini Delrio, quod si expectetur euentus à fortuna, non sit, nisi forsan quoddam vanitatis vitium, intellige si qui se fortunæ committit, ita se ei committat, vt tamen non excludat diuinam prouidentiam sortes dirigentem, vel permittentem; quia si fortunæ se committat more gentilitio, quasi Prouidentiam Dei non agnoscens, absque dubio peccatum superstitionis grauissimum erit. Vide Suar. & Martin. Delrio *in locis suprà citatis.*

Tertiò vitiari possunt, si expectetur dæmonis sortes extrahentium manus dirigentis auxilium, vel si mittantur sortes dæmonis inuocatione, vel eius aliqua promissione, seu prædictione præcedente; quia tunc etiam absque dubio peccatum superstitionis similiter grauissimum erit; quamuis peccatum istud non spectet ad diuinationem, cùm nihil occultum tunc à dæmone reuelari speretur, sed ad magiam. Et ita vt magus, quando arte magica auxilio dæmonis fecit sortem sibi feliciter euenire, quidquid sortibus acquisiuit, restituere teneatur; quia decepit alterum sortientem, cuius conditio non fuit par, sed valdè dispar. 15

Quartò vitiari possunt, si peccetur contra iustitiam distributiuam, vt si v.g. in electionibus ad officia mittantur sortes inter dignos, & indignos; quia tunc contingere poterit, quod sors cadat super indignum: quod est contra bonum commune, & contra Reipublicæ certam administrationem: Quapropter vt licitæ sint sortes, mitti debent inter eos solos, qui sunt tali munere digni. Caietanus 2.2.*quæst.*95.*art.*8. *dub.*1.& *in summa, verb. Sors & ibidem* Armilla *num.*1. & Tabiena *quæst.*5.*num.*6. Turrecremata 26. *quæst.*5. *in Summa, num.*5. Toletus *lib.*4. *cap.* 15. *num. vltimo*, Suarez *citato cap.*12. *num.*15. Azor. *tom.*1. *Institut. moral. lib.*9. *cap.*51. *quæst. vnica, vers. At verò in electionibus*, Sayrus *in Claui regia, lib.*4. *cap.*5. *num.*21. Martinus Delrio *lib.*4. *disquisit. Magic. cap.*1.*q.*1. & Lessius *de Iust.& Iur. lib.*2.*cap.*43. *dub.*9.*n.*58. 16

Aduerte tamen, quod esset peccatum mortale, si mitterentur sortes inter dignos, & indignos ob rationem supradictam, & docet præter Doctores *in locis suprà citatis*, expressè Nauarrus *in summa, cap.*11. *num.*39. Si verò mitterentur inter solos dignos, & aliquos digniores, esset peccatum tale, quale peccatum esset eligere ad illud munus personam dignam, omissa digniori; quia tunc tali periculo se exponerent ij, qui sic mitterent sortes? An verò sit mortale, vel veniale, determinandum erit ex qualitate muneris, ad quod sit electio, cùm non semper (vt si v.g. electio sit ad munera non magni momenti) sit peccatum mortale eligere personam dignam, relicta digniori: Quapropter, vt sortes sint omninò licitæ, mitti debent inter solos æquè, vel ferè æquè dignos, cùm parum in iure pro nihilo reputetur, vti suprà dicebam, & docent Doctores citati, præsertim Suarez; & Lessius *vbi suprà.* 17

Aduerte 2. quod nullum esset peccatum superstitionis, si mitterentur sortes inter dignos, & digniores, vel etiam indignos; sed solùm peccatum temerariæ electionis contra iustitiam distributiuam, quæ ex se seruari debet in electionibus. Sic Caiet.*cit.art.*8.*dub.*1. Tabiena, Suarez, & Sayrus *vbi suprà.* 18

Quintò possunt vitiari, si violetur iustitia commutatiua, vt si v. g. res in sortem exposita non sit sortientium, sed alterius, cuius consensus non adsit; Suarez *eodem cap.*12. *n.*16. & patet, quod in tali casu sit iniustitiæ peccatum, sicut & iniustitiæ peccatum esset, 19

esset, si sortes mitterentur inter eos, qui non par ius habent ad rem illam, vel si excluderentur aliqui, qui par ius ad rem eandem habent; quia in priori casu æqualis statueretur conditio habentium ius impar. In posteriori autem defraudarentur habentes ius par. Sayrus *in Claui regia, lib. 4. cap. 5. n. 20.* Toletus *in summa, lib. 4. cap. 15. n. vlt.* & alij passim. Quinimmò & iniustitiæ peccatum etiam esset, si sortes mitterentur inter eos, qui habent ius par, inuitis illis, qui habent ius impar, si posteriores isti non cederent iuri suo, vel non satisfieret iuri ipsorum, vel non determinaretur priùs, quod ipsorum ius nullius momenti sit; quia fieret illis iniustitia, non relinquendo saltem ipsis ius petendi pro iure illo satisfactionem ab eo, super quem sors ceciderit.

20 Sextò vitiari possunt, si aliæ (sicut in aliis ludis) fraudes interueniant: quod ex se patet, & est in confesso apud omnes.

21 Septimò vitiari possunt ratione irreuerentiæ, seu irreligiositatis, vtendo v.g. libris Euangeliorum, vel aliis rebus sacris ad has sortes mittendas; quamvis non esset id peccatum mortale, nisi magna irreuerentia interuenerit: sic Doctores, quos sequitur Martinus Delrio *citato cap. 1. q. 1.* & Suarex *citato cap. 11. num. 16.*

22 Octavò, vitiari possunt, si expectetur voluntatis diuinæ extraordinario modo, vel per aliquod signum manifestatio, quia id esset peccatum tentationis Dei, vel peccatum, quod spectaret ad sortes consultorias, (de quibus dicam infrà *sect. vlt.*) Martinus Delrio, & Suarex *in locis suprà citatis.*

23 Sequitur sextò, quod sortes diuisoriæ è contra sint illicitæ in electionibus Ecclesiasticis; quia id indefinitè, seu indistinctè, atque adeò generaliter prohibetur *in cap. finali, de Sortilegiis in fine, ibi*: Sortis vsum in electionibus perpetua prohibitione damnantes: Est enim ibi sermo de electionibus Ecclesiasticis, ita vt includantur non solùm electiones ad beneficia, sed etiam ad Officia, vel ad Ministros Ecclesiasticos.

Atque ita tenent S. Thomas, & alij Doctores, quos suprà *pro Corollario 1.* citabam, quatenus generaliter intelligunt illum Textum de omnibus electionibus Ecclesiasticis, inter quas & prædictæ, scilicet ad Officia, vel ad Ministros Ecclesiasticos electiones annumerantur. Ita etiam, & clariùs, tenent Ostiensis *in cit. cap. finali, circa finem,* Antoninus *ibidem, n. vltimo,* Henricus *in cap. 1. eodem titulo, num. 2.* & alij, quatenus intelligunt eundem Textum de electionibus Ecclesiasticis, & de aliis electionibus spiritualibus. Ita etiam, & in propriis terminis, tenent Azor. *tom. 1. Institut. moral. lib. 9. cap. 12. q. vnica, vers. At verò in electionibus,* Suarez *eodem cap. 12. num. 5.* & alij, qui extendunt eundem Textum etiam ad electiones Ecclesiasticas, per quas vel ad vnum actum iurisdictio confertur.

24 Confirmatur, quia nec ipsi Compromissarij ad eligendum in rebus Ecclesiasticis per sortes eligi possunt, nec iurisdictio ad has electiones per sortes inferri debet: quod probat Textus *in d. cap. finali*, quatenus reprobat electionem horum Compromissariorum per sortes, quia mediatè diceretur, quod electio illa ad beneficium facta sit per sortes. Innocentius *in cit. cap. finali, in principio,* Ostiensis *ibidem, num. 3.* Ananias *num. 11.* Angelus *in summa, verb. Sors, n. 2.* & alij quos citat, & sequitur Suarex *tom. 1. de Religione, lib. 2. de superstitione, cap. 12. n. 5.*

Confirmatur secundò, quia etiam in tractatibus electionis sortes interdicuntur: quod probat generalitas illius prohibitionis *eodem cap. finali.* Et ratio, quam mox suprà tradebam, & tenent Ananias *in eodem cap. finali, num. 2. circa finem,* Angelus *verb. Sors, num. 2.* & alij passim.

SECTIO III.

An cùm duo æquali eligentium numero ad Beneficium electi sunt, licitum sit, quod electio alterutrius per sortes dirimatur?

SVMMARIVM.

1 *Per sortes electio non est dirimenda, etiamsi duo æquali eligentium numero ad beneficium electi sint, contra glossam, & nonnullos relatos per Archidiaconum. Tunc enim adeundus est Superior, vt terminum eligentibus præscribat, & eo termino transacto electio devoluitur ad Superiorem.*

2 *Item etiamsi plures eligantur à maiori parte eligentium, non vt omnes electi eo munere fungantur, sed vt sortes postea inter ipsos electos mittantur. Id etiam adhuc licitum non est, quia prohibitio est generalis.*

3 *Sortium vsus in electionibus Ecclesiasticis si sit in aliqua Congregatione, id est vel virtute alicuius Constitutionis à Sede Apostolica approbata, vel est in Officiis, quæ iurisdictionem, aut administrationem Ecclesiasticam non habent.*

Respondetur, quod quamuis affirment gloss. 26. q. 2. *in summa, verb. Sortes,* & alii, quos refert Archidiaconus *ibi circa finem,* moti ex eo, quia jam electio legitimè facta fuerat, & sortes eo solùm nituntur, quod alteruter præferatur: Nihilominus cum Archidiacono *in eodem cap. finali circa finem,* Antonio *ibidem, num. vlt.* Ostiensi *num. 3.* Ioan. Andrea *num. 12.* Anania *num. 11.* Cardinali *quæst. penultima, & in cap. licèt causa, circa finem, de probationib.* Felino *in cap. Capitulum, num. 21. vers. Sed saluando, circa finem, de rescript.* & aliis, quos sequitur Suarex *eodem cap. 12. num. 7.* omninò negandum sit: tum quia Textus *in d. cap. finali*, loquitur indistinctè, seu indefinitè, atque adeò generaliter, vti dicebam: tum quia verè electio hæc, cùm neuter habeat maiorem eligentium partem, quam electio canonica requirit, fieret per sortes. 1

Confirmatur, quia ita supponere videtur Glossa communiter *ibi* recepta, *in cap. penultimo, verb. Teneantur, de rescript. in 6.* quatenus in hac discordia ait, quod sit adeundus Superior, vt terminum eligentibus præscribat: quodque eo termino transacto, electio deuoluatur ad ipsum superiorem.

Hinc sequitur, quod etiamsi plures eligantur à maiori parte eligentium, non vt omnes electi eo munere fungantur, sed vt sortes postea inter ipsos electos mittantur, id etiam adhuc licitum non sit, quia sicuti dicebam, generalis est prohibitio dicti cap. finalis, & verè in dicto casu absoluta electio per sortes dirimeretur. 2

Quapropter, vti rectè notauit Suarex *cit. cap. 12. num. 8.* si in aliqua Congregatione talis vsus sit, is est vel virtute alicuius Constitutionis à Sede Apostolica approbatæ, vel est in officiis, quæ iurisdictionem, aut administrationem Ecclesiasticam non habent. 3

SECTIO IV.

An saltem licitum sit uti sortibus ad terminandam litem inter Ecclesiasticos.

SUMMARIUM.

1 *Lis inter Ecclesiasticos si sit circa res temporales, sorte dirimi potest, quia id nullo iure prohibetur.*

2 *Lis inter Ecclesiasticos circa res spirituales an sorte dirimi possit, sunt Doctores pro utraque sententia, tam negatiua, quàm affirmatiua. Vide tamen in sententia affirmatiua an requiratur consensus utriusque litigantis, &c.*

3 *Litem inter praedictos Ecclesiasticos per sortes determinari, non est contra decisionem Textus* in cap. finali de sortilegiis.

4 *Litem authoritate propria dirimi inter praedictos Ecclesiasticos non licet. Secus tamen est, si dirimatur authoritate Iudicis Ecclesiastici, quia in talibus beneficialibus omninò cauendum est periculum vitiosi ingressus in Beneficium.*

5 *Pactum quodcumque propria authoritate circa beneficia Ecclesiastica litigiosa initum, est simoniacum; quare si vterque ex litigantibus pactum illud in manu Iudicis Ecclesiastici iacat, & iuxta illud sententiam ferat, cessat vitiosus ingressus, & simonia peccatum.*

6 *In Pontificis electione, quando inter duos disceptatio esset, vtrum ex illis verè electus fuerit, potest disceptatio hac per sortes determinari, ex consensu tamen Eminentissimorum Cardinalium, quorum est electio.*

1 Suppono quod si lis inter Ecclesiasticos sit circa res temporales, certum est, quod id licitum sit, quia nullo iure id prohibetur, cùm textus *in cap. finali, de sortileg.* solùm de electionibus Ecclesiasticis loquatur. Ostiens. *ibi, num. 2.* Abbas *num. 3.* Antonius *circa finem*, Ancharanus *num. 3.* Ananias *num. 3.* Henricus *cap. 1. num. 3. eodem titulo.* Azor. *tom. 1. Instit. moral. lib. 9. cap. 21. quaest. vnica, vers. At verè in electionibus*, & alij, quos sequitur Suarez *eodem cap. 12. n. 11.* Tota igitur difficultas est, si lis inter Ecclesiasticos sit circa res spirituales, v. g. circa electiones ad beneficia, vel officia Ecclesiastica, vel Ministros Ecclesiasticos. His positis

2 Negant Ioan. Andreas *in cap. vnico, de eo qui mittitur in possessionem, in 6. n. 4.* Ancharan. *ibidem, circa finem.* Fraoch. *num. 9.* Dominic. *num. 13.* Cardinalis *in cap. licèt causam, circa finem, de probatione.* Felin. *in cap. Capitulum, num. 21. vers. Sed saluando, de rescript.* & alij: mouentur *ex dicto cap. finali, de Sortileg.* quia ille indistinctè, seu indefinitè, atque adeò generaliter loquitur. Et quia verè electio alterius ex litigantibus componeretur per sortes.

3 Affirmant verò gloss. *in cap. licèt causa, verb. vti possidcas, circa finem, de probation.* Ostiens. *ibid. num. 10. col. 1.* qui subdit, quod exigatur consensus vtriusque litigantis, ne alterutri non consentienti iniuria sic inferatur. Decius *num. 106. & seqq.* & alij, quos refert Felinus *in eodem c. Capitulum, n. 21.* & inclinat Lessius *de Iust. & Iur. lib. 2. cap. 43. dubit. 9. num. 58.* (vbi postquam dixerat, quod sortes in electionibus ad beneficia Ecclesiastica sint prohibitae *ex cap. Ecclesia, de sortilegiis, circa finem*, subdit quod fortasse tamen ad litem beneficiariam, quando ratio commodior iniri non potest, terminandam improbandae non sint; quia non est mens Ecclesiae, quod lites diu protrahantur, & aliàs Iure naturae id non solùm est licitum, sed etiam optimum consilium, nec Ecclesia id vsquam prohibuit.

Mouentur, quia textus *in d. cap. finali*, non loquitur in hoc casu, sed in solis electionibus Ecclesiasticis. At qui sortibus litem determinant, non eligunt, cùm is, super quem sors ceciderit, non recipiat beneficium ex vi sortis, sed ex vi iuris, quod praetendebat, & cùm per illas sortes auferatur tantùm impedimentum, ita vt licèt compleatur electio alterius ex litigantibus per illas sortes, compleatur tamen ea per illas sortes, non causaliter, tanquam per causam, quae influat in electionem, sed tantùm conditionaliter, tanquam per conditionem, per quam solùm auferatur impedimentum, vti dicebamus. Ex quo patet ad rationem primae sententiae negantis contrariae. Ergo, &c. His tamen non obstantibus.

4 Respondetur meliùs cum aliis (quos sequitur Suarez *tom. 1. de Religione, lib. 2. de superstition. cap. 12. n. 12. & seqq.*) dicendo, litem hanc per sortes determinari, non est contra decisionem textus *d. cap. finalis*: Quod probat ratio tradita à secunda sententia affirmante. Et quoad hoc est vera secunda sententia affirmans.

Alia tamen ratione id non est licitum, si scilicet id fiat authoritate propria, secus tamen si fiat authoritate Iudicis Ecclesiastici, & quoad hoc est vera prima sententia negans.

Prior pars huius vltimi dicti probatur; quia in litibus beneficialibus omninò cauendum est periculum vitiosi ingressus in beneficium, qualis est, si ille sit absque legitimo titulo beneficij; sed quando componitur lis haec authoritate propria, praedictum periculum subest. Ergo. Maior patet ex Textu *in cap. vnico, de eo qui mittitur in possessionem, in 6.* Minor probatur, quia cùm neuter ex litigantibus possit alteri sua authoritate, sooque pacto legitimum beneficij titulum conferre; cumque non constet, vtrum ex litigantibus titulum legitimum habeat, subest periculum, si forsan alter ex litigantibus legitimo titulo carebat, quod possideat beneficium absque legitimo titulo: ergo, &c.

5 Secundò probatur, quia omne pactum propria authoritate circa beneficia Ecclesiastica litigiosa initum, est simoniacum, *cap. Quam pro, 1. q. 1. & cap. finali, de pact.* Ergo.

Posterior pars eiusdem vltimi dicti patet, quia si vterque ex litigantibus pactum illud in manu Iudicis Ecclesiastici ineat, vt iuxta illud sententiam ferat, cessat vitiosus ingressus, cessatque simoniae peccatum, cum vtrumque authoritate Iudicis Ecclesiastici fiat. Ergo.

Hinc sequitur, quod Iudex iste necessariò futurus sit ille cuius est conferre titulum talis beneficij, quod litigiosum est, quandoquidem si alius sit, non vitatur dictum periculum vitiosi ingressus.

6 Sequitur secundò, quod in electione Pontificis, quando inter duos disceptatio esset, vtrum ex illis verè electus fuerit, possit disceptatio haec per sortes determinari, ex consensu tamen Eminentissimorum Cardinalium, quorum est electio. Praesertim quia non astringit illos ius Ecclesiasticum, quo sortes interdicuntur: sic Cardinalis, & alij Canonistae, quos citat, & sequitur Felinus *in d. cap. Capitulum, n. 21. vers. Sed saluando, de rescrip. ic.*

SECTIO V.

An sortes diuisoriæ in electionibus Ecclesiasticis sint interdictæ iure naturali?

SVMMARIVM.

1 *Sortes diuisoria in electionibus Ecclesiasticis non sunt interdicta Iure naturali, sed solo Iure positiuo, eoque Ecclesiastico: Nunquam enim dicuntur illicita, nisi quando Iure positiuo fuerint interdicta.*

2 *Electio prascripta in Iure canonico antiquiore, cùm non esset per sortes, ideo Iure nouo fuit dicta reprehensibilis, si fiat per sortes.*

3 *Electiones Ecclesiastica secundùm D. Thomam potiùs inspiratione diuina, quàm sortibus facienda sunt; at non ex eo sequitur, sortes esse in electionibus pradictis interdictas Iure natura.*

1 REspondetur negatiuè, sed interdictæ sunt solo Iure positiuo, eoque Ecclesiastico.

Probatur ex iis, quæ dicebam *suprà sect. 2. pro primo Corollario*, atque ita nobiscum tenent Caietanus *in Summa, verbo Sors, circa finem.* Valentia 2. 2. *disp.6. q.13. punct.3. vers. Ex eodem capite*, & Axor. *tom.1. Institut.moral. lib.9. cap.21. q.vnica, vers. At verò in electionibus.* Ita etiam nobiscum tenent S. Thomas 2.2. *q.95. art.8.* & alij multi (quos citabam *eadem sect. 2. pro eodem primo Corollario*) quatenus aiunt, quod sortes diuisoriæ nunquam sint illicitæ, nisi quando iure positiuo fuerint interdictæ.

2 Non obstat, si dicas: Pontifex postquam *in cap. finali, de Sortileg.* prædixerat in his verbis: [licet nota non careat, quinimmò multa reprehensione sit dignum, quod sors in talibus interueniat:] concludit, sortium vsum in electionibus Ecclesiasticis interdicendum. Ergo signum est, quod id in electionibus Ecclesiasticis sit interdictum iure naturali, alioquin non erat id reprehensione dignum, sicuti Pontifex priùs prædixerat.

3 Respondetur enim, quod Pontifex prædixerat, id esse reprehensione dignum ex eo, quia Textu antiquiori, scilicet *in cap. Quia propter, de electionibus*, præscripta erat triplex harum electionum forma, & nulla ipsarum erat per sortes. Quod autem textus ille sit antiquior, constat; quia Innocentius Tertius, qui Author illius fuit, præcessit Honorium Tertium, qui author fuit Textus *d. cap. finalis.*

Non obstat secundò, si dicas, quod S. Thomas 2. 2. *q.95. art.8.* (quem alij communiter sequuntur) eam huius interdictionis rationem reddit, quod scilicet electiones Ecclesiasticæ potiùs inspiratione diuina, quàm sortibus faciendæ sint: Ergo, cùm hæc ratio sit naturalis, sequitur quod id jure naturali sit interdictum.

Respondetur enim negando sequelam; quia ratio illa non concludit, id esse iure naturali interdictum, sed solùm concludit congruentiam quandam, quæ probet conueniens esse, vt id in illis electionibus iure positiuo interdicatur.

SECTIO VI.

An sortes diuisoriæ in electionibus Ecclesiasticis ita sint interdictæ jure positiuo Ecclesiastico, vt electio Ecclesiastica, scilicet ad beneficia, officia, & Ministros Ecclesiasticos, sit ipso iure nulla?

SVMMARIVM.

1 *Sortes diuisoria in electionibus Ecclesiasticis non sunt ita interdicta iure positiuo Ecclesiastico, secundùm probabiliorem sententiam, vt electio Ecclesiastica ad beneficia, Officia, & Ministros Ecclesiasticos, sit ipso iure nulla, licèt nonnulli existiment oppositum.*

2 *Electio Episcopi à Compromissariis per sortes electis facta, de qua loquitur Textus* in cap. finali, de Sortilegiis, *non est ipso iure nulla, sed valida.*

3 *Electio illa Ecclesiastica, de qua loquitur Textus* in cap. Quia propter, de elect. *si per sortes efficiatur, est ipso iure nulla; textus enim non loquitur de omni electione Ecclesiastica, sed solùm de electione Episcoporum, & aliorum Pralatorum Ecclesiasticorum, siue sacularium, siue Regularium.*

4 *Ecclesia non dicitur viduata morte alicuius Canonici, vel alterius aliam dignitatem habentis, sed morte solius Pralati, qui ipsius Ecclesia Sponsus fuit.*

REspondetur, quod licèt Abbas *in cap. finali de sortilegiis, num.5.* & Ostiensis *in loco infrà citando*, affirment ex eo, quod talis electio sit contra prohibitionem Textus *in eodem cap. finali*, & præterea ex eo, quod sit contra formam electionum traditam *in cap. Quia propter, de electien.* Probabiliùs tamen negent Glossa, Innocentius, Abbas, Cardinalis, Ancharanus, Imola, Baldus, Ananias, Bellamera, Henricus, Rosella, Angelus, Syluester *in locis infrà citandis*, & alij (quos sequitur Suarez *tom.1. de Religione, libro 2. de superstitione, cap.12. n.9. & 10.*) quatenus aiunt, quod non sit ipso iure nulla, sed quod tantùm sit annullanda. 1

Probatur, quia non est ipso iure nulla ex Textu *in dicto cap. finali*; cùm talis Textus, licèt interdicat huiusmodi electionem, illam tamen interdicendo nullum verbum irritans adiungat. Et ideo electio Episcopi à Compromissariis per sortes electis facta (de qua loquitur Textus *in eodem cap. finali.*) non est ipso Iure nulla, sed valida: Quod satis indicat Glossa *ibi, verbo Ad gratiam*, quatenus expresè ait, quod sit annullanda: neque quod sit ipso jure nulla, quidquam facit Textus *in citato cap. Quia propter*; quia licèt talis Textus dicat, non valere electionem non seruata forma ibi præscripta factam, vt propterea talis electio ipso iure reddatur nulla. In casu tamen, de quo loquimur, seruata est forma ibi præscripta, (cum vnus ex tribus modis ibi contentis sit, quod electio fiat per Compromissarios, qui in hac electione seruatus fuit, solumque error commissus fuit in modo eligendi Compromissarios per sortes: de quo modo nihil in eo Textu dicebatur.) Ergo, &c. 2

Hinc sequitur, quod solùm illa electio Ecclesiastica, de qua loquitur Textus *in d. cap. Quia propter*) si per sortes efficiatur, sit ipso jure nulla, sicuti rectè 3

cum

cum Doctoribus suprà citatis adnotauit Suarez *eod. cap.* 12. *num.* 10. & constat ex iis, quæ mox suprà dicebam, quia ibi annullatur electio facta vltra illos tres modos ibi contentos, ex quibus nullus est per sortes. At Textus *in eodem cap. Quia propter*, non loquitur de omni electione Ecclesiastica, sed solùm de electione Episcoporum, & aliorum Prælatorum Ecclesiasticorum, siue sæcularium, siue Regularium (qui ad cognoscendum de causis criminalibus, & ciuilibus Iurisdictionem habeant: ergo, &c. Maior patet. Minor probatur ex illis verbis Textus: *Magna pericula* imminent Ecclesiis viduatis. At Ecclesia non dicitur viduata morte alicuius Canonici, vel alterius aliam dignitatem habentis, sed morte solius Prælati, qui ipsius Ecclesiæ Sponsus fuerit: Ergo.

Atque ita nobiscum tenent Glossa *ibi*, *verbo Ecclesiis.* Innocentius *ibidem, in principio*, Antonius *n.* 19. Abb. *num.* 7. *&* 8. Cardinalis *q.* 11. Ancharanus *n.* 1. *q.* 1. Ananias *paulò post principium.* Immola *numer.* 3. Baldus *numero* 9. Bellamera *num.* 3. Henricus *in principio, num.* 1. *& seqq.* Rosella *verb. Electio* 1. *num.* 26. Angelus *eodem verbo, num.* 19. & Syluester *eodem etiam verbo* 2. *q.* 1. *num.* 1. Quidquid in contrarium senserit Ostiensis *in eodem cap. Quia propter*, *verb. Viduatis*, quatenùs Textum illum etiam in quorumcumque aliorum Ecclesiæ Ministrorum electione locum habere contendit.

SECTIO VII.

Appendix ad ea, quæ in superioribus sectionibus dicebantur.

SVMMARIVM.

1 *Sortes diuisoriæ sunt licitæ, si expectetur euentus à casu, vel ex prouidentia Dei peculiari; non tamen in rebus omnibus, sed in plerisque. Secus si expectetur à cælo, vel à dæmone, à quibus etiam expectari potest.*

2 *Sortes diuisoriæ sunt licitæ in rebus externis, & in aliis, quæ aliter commodè diuidi, vel distribui non possunt; Sic hæreditates, & alia bona communia sæpè sorte diuiduntur.*

3 *Sortes diuisoriæ sunt licitæ in functionibus, vbi de honore, vel periculo tractatur, vt quando v.g. Ciuitas est diripienda, sorte inter milites diuersarum Nationum decidi solet.*

4 *Sorte eligendus est Sacerdos, qui tempore persecutionis, vel Pestis maneat in Ciuitate, vt fidelibus res materiales necessarias, & multò magis etiam sacras administret.*

5 *Sortes diuisoriæ licitæ sunt in dirimendis litibus, maximè de rebus sæcularibus.*

6 *Sortes diuisoriæ licitæ sunt in pœnis, vt cùm v.g. duo, vel plures sunt morte digni, & Princeps, vt clementiam exerceat, & ostendat, vult aliquibus mortem inferre, aliis autem ignoscere.*

7 *Item sunt licitæ, quotiescumque non apparet ratio, cur alter alteri in aliquo commodo, vel incommodo præferri debeat.*

8 *Sortibus regulariter officia, etiamsi sæcularia sint, non debent distribui, sed conferri, maximè idoneis, quos diligens Inquisitio, & examen rationis, non autem quos casus, & cæca sors ostenderit.*

9 *Sortibus Saül fuit electus, & Mathias Apostolus, sed inspiratione diuina, non casu; cùm electioni Saulis præfuerit Samuel, qui illum priùs vnxerat iussu Dei.*

10 *Mathias non sortibus, secundùm aliquos id conjicientes ex Textu Græco, sed suffragiis electus fuit; at minùs rectè id asserunt alij. Apostoli immediatè à Christo, non autem suffragiis humanis electi fuerunt.*

11 *Sors à Scriptura appellatur secundùm aliquos diuinum quoddam donum insinuans illi cœtui, quem Deus elegisset.*

SOrtes igitur diuisoriæ, quales sunt si iudicio sortium quæratur, quid cui tribuendum, siue illud sit res possessa, siue honor, siue pœna, siue functio aliqua, &c. si expectetur euentus à casu, vel ex prouidentia Dei peculiari, secus si expectetur à cœlo, vel à dæmone, à quibus etiam expectari potest, sunt licitæ, non tamen in rebus omnibus, sed in plerisque. 1

Primò in rebus externis, & in aliis, quæ aliter commodè diuidi, vel distribui non possunt: Sic hæreditates, & alia bona communia sæpè sæpiùs sorte diuiduntur: Quò etiam pertinet contractus sponsionis, & sortium, qui sæpè sæpiùs inter homines initur: Consentiunt enim partes, quod res, vel electio sit illius, super quem sors, vel casus ceciderit. 2

Secundò in functionibus, vbi de honore, vel periculo tractatur, vt quando v.g. Ciuitas est inuadenda, sorte inter milites diuersarum Nationum decidi solet, quæ Natio prior illam inuadere debeat: Sic S. Augustinus *Epistola* 180. (quem referebam *suprà sect.* 1.) ait, sorte eligendum esse Sacerdotem, qui tempore persecutionis, vel pestis maneat in Ciuitate, vt fidelibus res materiales necessarias, & multò magis etiam sacras administret. 3 4

Tertiò in dirimendis litibus, maximè de rebus sæcularibus, *l. si cum ambo, ff. de Iudiciis*, & aliis multis iuribus, vt suprà. 5

Quartò in pœnis, vt cum v.g. duo, vel plures sunt morte digni, & Princeps, vt clementiam exerceat, & ostendat, vult aliquibus mortem inferre, aliis autem ignoscere. 6

Quintò quotiescumque non apparet ratio, cur alter alteri in aliquo commodo, vel incommodo præferri debeat. Vide S. Augustinum *lib.* 2. *de doctrina Christiana*, *cap.* 28. & quæ dicebam suprà, præcipuè *sect.* 1. *&* 2. 7

Officia tamen, etiamsi sæcularia sint, regulariter non debent sortibus distribui, sed conferri maximè idoneis, quos diligens inquisitio, & examen rationis, non autem quos casus, & cæca sors ostenderit: Quamuis, si plures sint idonei ferè æquales, poterit res sortibus committi, quod tamen in electionibus ad beneficia, vel officia Ecclesiastica permissum non est, *ex cap. Ecclesia, de Sortileg. circa finem*, & ex aliis multis iuribus, quæ suprà citabam: Idque cum fundamento à parte rei satis rationabili. 8

Obiicies: Saul sortibus fuit electus, *primo Regum* 10. Item & Mathias Apostolus, *Actorum* 1. Ergo. 9

Respondetur concedo totum. Attamen inspiratione diuina, cum electioni Saulis præfuerit Samuel, qui illum priùs vnxerat iussu Dei: Quapropter etiam certò sortes à Deo ita dirigendæ erant, vt eæ eundem Saulem certiò confirmaturæ essent. Idemque dico de Mathia Apostolo, quod colligi potest ex illa exhortatione Petri, quæ tota erat à Spiritu Sancto, & ex communi oratione omnium, qua petebant quod Deus ostenderet, quemnam ipse elegisset.

Quidam tamen ex Textu Græco putant, quod Mathias non sortibus, sed suffragiis electus fuerit. At repugnat non solùm Textus Latinus, sed etiam & Textus Græcus: Non enim Textus Græcus habet, *Dederunt eis suffragia*, sed dederunt eis sortes, vt interpretes 10

vertir: Vnde sequitur: *Et cecidit sors super Mathiam*: nec obstant verba subsequentia, *qua Mathiam suffragiis connumeratum indicant*. Quia non significant aliud, quàm Mathiam communi Decreto, vel consensu, postquam viderunt sortem super illum cecidisse, vndecim Apostolis fuisse connumeratum; quod nihil aliud fuit, quàm iudicium sortium communi suffragio, vel decreto eligentium fuisse comprobatum.

11 Adde, quod sicut alij Apostoli immediatè à Christo, non autem suffragiis humanis electi fuerant; ita etiam decuit, quod eligeretur is, qui in locum Iudæ proditoris succederet.

12 Adde 2. quod magna ceteriùs apparebat paritas, quapropter non facile erat humano iudicio, quod vnum alteri præferret.

Quidam etiam alij putant, quod Dionysius Areopagita *lib. de Ecclesiastica Hierarchia, cap. 5. part. 3.* censeat, sortem appellari à Scriptura, quando dicitur, Cecidit sors super Mathiam, diuinum quoddam donum insinuans illi cœtui quem Deus elegisset: fieri enim potuit, quod Deus sortem mox, collato dono Propheriæ, vel Sapientiæ, approbauerit; vel quando sortes miraculosè omnibus aduertentibus direxerit. At negari non potest, quin verè sortes miserint, cum expresè dicatur, *dederunt sortes illis*: quod de tali dono intelligi non potest. Et cùm etiam expresè dicatur, *cecidit sors super Mathiam*.

SECTIO VIII.

Corollaria.

Quoad diuinationem per sortes consultorias, & diuinatorias.

SVMMARIVM.

1 *Sortes consultoria rarò sunt licita; quia Deus non vult suam voluntatem per sortes, sed per Ecclesiæ, & Sanctorum doctrinam, ac prudentium virorum consilium indagari.*

2 *Sortes consultoria possunt esse licita quatuor conditionibus concurrentibus, & quanam sint.*

3 *Sortes consultoria, si non seruentur prædicta quatuor conditiones, non continent superstitionem diuinatoriam, sed vel continent tentationem Dei, vel quoddam sacrilegij genus, & quomodo hæc contingant.*

4 *Consultatio Dei dupliciter fieri potest: Primò intendendo, vel expressè, vel tacitè petendo à Deo signum aliquod extraordinarium, quo rem petitam manifestet: secundò solùm intendendo impetrare à Deo occultam sortium directionem per specialem prouidentiam.*

5 *Sortes consultoria, quales sunt quando sortibus inquiritur diuinum consilium, vt sciatur in negotio obscuro quid agendum sit, regulariter non sunt licita, sed illicita, & superstitiosa.*

6 *Sortibus his vti licitum est, si tamen humanum consilium non suppetat cum spe futurum, quod Deus illas singulari prouidentia moderaturus sit. Vide ibi plura exempla.*

7 *Sortes diuinatoria non sunt licita, sed illicita, & superstitiosa, quia cùm illa non deseruiant ad rem cognoscendam, sed sint medium improportionatum, & vanum ad illam assequendam, admiscetur in eis tacita dæmonis innocatio.*

8 *Sortium malitia vt cognoscatur, aduertendum est aliquando huiusmodi sortes esse speculatiuas. Vbi quomodo contineant malitiam superstitionis. Et aliquando practicas, & tunc præter malitiam superstitionis, continent aliam malitiam iniustitiæ, &c.*

9 *Sortes diuinatoria non sunt licita, sed illicita, & superstitiosa: quapropter iure canonico prohibentur.*

10 *Sortium directio, moderatio, seu temperatio, vel expectatur à Deo, vel à cælo, vel à casu, vel à Dæmone; à Deo tamen non est probabile expectari, neque à Cælo, & cur?*

11 *Sententia Agrippa* lib. 2. occultæ Philosophiæ, cap. 54. *contendentis scilicet in anima hominis esse sufficientem virtutem, seu potestatem ad sortes dirigendas, vana est.*

Ex dictis suprà *eadem sectione prima*, sequitur 1 etiam, quod sortes consultoriæ, quales sunt quando sortibus inquiritur diuinum consilium, vt sciatur in negotio obscuro, quid agendum sit, rarò sint licitæ, quia Deus non vult suam voluntatem per sortes, sed per Ecclesiæ, & Sanctorum doctrinam, ac peritum prudentium virorum consilium indagari; & ideò sub anathemate prohibentur *in c. sortes, 26. q. 5.*

Quamuis possint esse licitæ, si quatuor conditiones 2 concurrant: prima necessitas, siue spiritualis, siue etiam temporalis personæ, vel etiam rerum ad magnum detrimentum vitandum; aliàs enim esset tentatio Dei. Secunda, vt sortes mittantur cum debita reuerentia ad Deum. Tertia vt seruetur modus proportionatus, ne Sanctorum Reliquiæ, vel diuina Oracula ad sæcularia, scilicet ad temporalia lucra, secus ad detrimentum vitandum conuertantur. Quarta, & vltima, vt sit circa debitam materiam, scilicet vt non sit circa electiones Ecclesiasticas. Cum id in electionibus Ecclesiasticis specialiter, sicuti suprà diecbam, interdictum sit: ita S. Thomas 2. 2. *q. 95. art. 8.* Sylvester *verb. superstitio 4. q. 1.* Amil. *verb. sors, n. 2.* Tabiena *eod. verb. q. 5. n. 6.* Margarita Confessorum *in primo precepto.* Azor. *tom. 1. Institut. moral. lib. 9. cap. 5 1. circa finem*, & alij passim.

Aduerte tamen, quod sortes consultoriæ, si non 3 seruentur prædictæ quatuor conditiones, non contineant superstitionem diuinatoriam, sed vel contineant tentationem Dei, si fiat sine necessitate, & prætermissis ordinariis diuinæ Prouidentiæ mediis, vel si non seruentur 1. & 3. conditio, contineant quoddam sacrilegij genus, similiter & contineant illud iure humano introductum, si mittantur circa electiones Ecclesiasticas, cùm ob reuerentiam rei spiritualis sortes in electionibus Ecclesiasticis, sicut suprà dicebam, interdictæ sint: sic Doctores, quos sequitur Suarez *citato c. 1 2. n. 25.*

Aduerte 2. quod hæc Dei consultatio dupliciter 4 fieri possit.

Primò intendendo, & expressè, vel tacitè petendo à Deo signum aliquod extraordinarium, quo rem petitam manifestet. Atque vt hic modus sit licitus, non satis est necessitas, sed exigitur præterea quidam instinctus Dei valdè specialis, & extraordinarius. Aliàs non vitabitur tentatio Dei.

Secundò, solùm intendendo impetrare à Deo occultam sortium directionem per specialem prouidentiam, quæ tametsi miraculum non contineat, pertinet tamen ad specialem gratiam, & beneficentiam Dei, idque cum tanta fiducia petendo à Deo, vt petens secum id, quod sors tulerit, tanquam diuinum beneplacitum, & non tanquam ex sola Dei permissione profectum) amplecti statuat: Atque vt hic modus sit licitus, non requiritur extraordinarius Spiritus sancti instinctus, sed sufficit prudens ratio sumpta ex necessitate, vel honestate causæ, & vt aptior modus ad illud dubium superandum non appareat, & dummodò cum debita reuerentia, præmissa oratione, efficta

efficiatur, & dummodò ex sortium successu non inintiiæ, vel alterius mali periculum adsit, vide DD. quos sequitur Suarez *eod. c. 12. n. 16.*

5 Sortes igitur consultoriæ, quales sunt quando sortibus inquiritur diuinum consilium, vt sciatur in negotio obscuro, quid agendum sit, regulariter non sunt licitæ, sed illicitæ, & superstitiosæ, nisi casu quo humanum consilium non suppetat, vel casu quo Deus inspiret illis vtendum esse, quia sine necessitate velle, quod Deus suam voluntatem peculiari modo manifestet, pertinet ad tentationem Dei, sicuti suprà dicebam cum S. Thoma communiter recepto 2. 2. *quæst. 95. art. 8.* Tum quia Deus nunquam promisit, quod ipse has sortes moderaturus sit: ergo vanum est, hominem sibi persuadere, Dei voluntatem esse illam, quam hic & nunc sortes significant: Quinimò etiam est valdè periculosum, cùm facilè dæmon se immiscere, & hominem decipere possit: Vnde meritò talis sortium vsus ab Augustino *epistola 119. cap. 20.* & à Leone VI. ad Episcopos Britanniæ relato *in cap. sortes, 26. q. 5.* reprehenditur in his verbis: [Sortes, quibus cuncta vos vestris discriminatis prouinciis, quas Patres damnauerunt, nihil aliud, quàm diuinationes, & maleficia esse decernimus. Quamobrem volumus, illas omninò damnari, & inter Christianos vltra nullumus nominari, & ne exerceantur, anathematis interdicto prohibemus.]

6 Quod si tamen humanum consilium non suppetat, licitum est his sortibus vti cum spe, futurum quod Deus illas singulari Prouidentia moderaturus sit, iuxta illud Prouerbiorum 16. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur*: Quod tamen cum magna reuerentia, & adhibitis precibus, quod Deus velit illas moderari, fieri debet. Quò referri possunt exempla quædam, quæ suprà de sortitione in oppugnatione Ciuitatis, & in deligendo Sacerdote tempore pestis, vel persecutionis, & similia referebam; si tamen sortes mittantur eo fine, quod Dei voluntas exquiratur (secus si euentus expectetur à casu, cùm nemo consulat casum: Quapropter tunc ad diuisorias sortes referentur.) Item si mittantur diuina inspiratione, sicuti de electione Saulis, & Mathiæ Apostoli suprà dicebam: Quò etiam spectat exemplum quod habetur *Iosue 7.* vbi indicio sortium inuentus est Achan, qui de anathemate aliquid sibi vsurpauerat; simili modo etiam inuentus est Ionas à nautis, *Iona primo.* Et quamvis isti ex inspiratione Dei id non fecerint, nec euentum à Deo, sed à Dæmone expectauerint, Deus tamen propter Ionam eas temperauit, & direxit.

7 Sequitur secundò, quod neque sortes diuinatoriæ sint licitæ, sed similiter etiam illicitæ, & superstitiosæ; quia cùm illæ non desetuiant ad rem cognoscendam, sed sint medium improportionatum, & vanum ad illam assequendam, admiscetur in eis tacita dæmonis inuocatio: Quapropter iure canonico prohibentur *in cap. primo de sortilegiis, & 26. quæst. 5. cap. sortes, cap. Peruenit, cap. si quis Clericus, cap. contra, cap. Episcopi, cap. si quis Episcopus,* quibus locis prohibentur sortilegia, sicut & aliæ diuinationes, & incantationes, & etiam in motu proprio Sixti V. & in altero motu proprio Vrbani VIII. aduersùs Astrologos. Atque ita etiam præterea docet S. Thomas 2. 2. q. 95. *art. 8. in corpore,* quem sequuntur communiter Doctores.

8 Aduerte tamen ad cognoscendam huiusmodi sortium malitiam, quod aliquando huiusmodi sortes sint speculatiuæ, quia scilicet ordinantur ad solam cognitionem alicuius rei occultæ, v. g. ad diuinandum, quisnam sit beneficium, victoriam, aut cathedram, &c. obtenturus, & tunc continent solùm malitiam superstitionis. Aliquando verò sint practicæ, quia scilicet ordinantur ad aliquid agendum, v. g. ad cognoscendum delinquentem occultum, & illum puniendum, &c.) & tunc præter malitiam superstitionis contineant aliam malitiam iniustitiæ, infamationis proximi, & iniustæ, delicto non probato, punitionis, vti suprà dicebam, & videri poterit Suarez *citato cap. 2. n. 29.*

Sortes igitur diuinatoriæ non sunt licitæ, sed illicitæ, & superstitiosæ: Quapropter iure canonico prohibentur in Textibus, quos *suprà* referebam. 9

10 Et meritò: quia sortium directio, moderatio, seu temperatio, vel expectatur à Deo, vel à cœlo, vel à casu, vel à Dæmone: Sed non expectatur à Deo, quia non est probabile, quod Deus illas ad præsignanda futura, vel aperienda occulta directurus, moderaturus, seu temperaturus sit (cùm nusquam id promiserit, & euentus sæpè sæpiùs contrarium ostenderit, & nulla sit necessitas ordinariæ tam peculiaris concursus: Quapropter vanum est, sine alio fundamento peculiarem talem concursum expectare à Deo, nec à cœlo; quia hoc esset actiones humanas liberas à cœlo dependentes agnoscere, & illas cum præiudicio libertatis fato subiicere, cùm non possint sortes euentibus futuris vi cœlorum, & astrorum accommodari, nisi vel vtraque à cœlo necessariò proueniant, vel euentus ipsi cœlo præcogniti sint, vt iis sortes adaptare possit: Quomodo Deus potest per sortes & futura præsignare, & occulta declarare. Nec etiam à casu: quia sortes, vti casu fit, vel sic cadunt, nihil præsignare possunt: Ergo expectatur à dæmone, ac proinde dæmoni tribuitur futurorum præcognitio, & dæmon tacito quodam pacto, & consensu inuocatur, vt ipse & sortes dirigat, & effectum præsignatum procuret.

11 Cæterùm, quod Agrippa *lib. 2. occulta Philosophia, cap. 54.* contendit, scilicet in anima hominis, præsertim si accedat cœlestis opportunitas, idest, congrua constellatio, esse sufficientem virtutem, seu potestatem ad sortes dirigendas, vanum est, & vnum ex magiæ fundamentis, vt *infrà dubitatione 227. sect. 2.* dicetur.



DVBITATIO CCXXVI.

Quidnam dicendum de diuinatione per Auspicium, vel Augurium, nempe ex Auium, Piscium, aliorumque Animalium motu, voce, cantu, vel volatu, &c.

SECTIO PRIMA.

Dubitationis Resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Coniectationem desumens per Auspicium, vel Augurium, nempe ex Auium, Piscium, aliorumque Animalium motu, voce, cantu, vel volatu,* &c. *& exinde non de naturalibus, sed de liberis, aut futuris euentibus actum superstitionis committit, contra ipsum tanquam de fide suspectum procedere possunt Inquisitores.*

2 *Idem dic, si quis vocem hominis, præter intentionem, ac fortuitò prolatam, in signum prosperi,*

speri, vel aduersi contingentis euentus accipiat.

3 *Idem dic de aliis multis vanis, atque inutilibus obseruationibus, quæ hic recensentur; sæpè tamen prædictæ obseruationes non excedunt peccatum veniale.*

1 Respondetur: si quis exinde non de naturalibus, sed de liberis, aut fortuitis euentibus coniecturam desumit, actum superstitionis committit. Ita vt contra ipsum, tanquam contra suspectum de fide, procedere possint Inquisitores, iuxta ea quæ dicebam suprà *dub.* 219.

2 Idemque dicendum, si quis vocem hominis præter intentionem, ac fortuitò prolatam in signum prosperi, vel aduersi contingentis euentus accipiat.

3 Quò etiam spectant multæ similes vanæ, atque inutiles obseruationes, v. g. ex sternutatione, auris tinnitu, vulturis occursu, corrigiæ ruptione, & similibus, vt ait S. Augustinus *lib.* 2. *de doctrina Christiana, cap.* 20. [Si membrum aliquod salierit, si iunctim ambulantibus amicis lapis, aut canis, aut puer medius interuenerit.] Et paulò post: [Hinc sunt etiam illa, limen calcare, cùm ante domum suam transit redire ad lectum, si quis dum se calceat, sternutauerit: redire domum, si procedens offenderit; cum vestis à soricibus roditur, plus timere suspicionem futuri mali, quàm dolere præsens damnum.]

Quamvis plerumque huiusmodi vanæ obseruationes non excedant peccatum veniale; quia non certa fides, sed vana tantùm formido quædam eis tribuitur: Tum quia dicta, & facta hominum interdum per diuinam prouidentiam assumuntur ad alicuius rei significationem, & hominis commonitionem, sicuti docet S. Thomas *loco suprà citat. art.* 7. *ad Tertium.* Vbi rectè subdit Caietanus, quod facilis in bis credulitas reprehendi debeat; quia requiritur aliquod singulare lumen, siue aliquis singularis instinctus Dei, vt quis ex huiusmodi signo, tanquam ex omine diuino ad operandum moueatur.

Cæterùm multa alia, quæ ad superstitionis peccatum attinent, videri poterunt *in citata dubitatione* 219. *& tractatu* 3. *de conscientia dubia, dubitatione* 34. *sect.* 1. 2. *&* 3. *& infrà dubit.* 228. *sect.* 18. 26. *&* 27. *per totas.*

SECTIO II.

Corollaria.

SVMMARIVM.

1 *Prænunciare ex quibusdam auium, piscium, vel aliorum animalium frequentibus motibus, cantibus, vel volatibus futura euenientia, quorum illa signa sunt, vt pluuias, tempestatem, serenitatem, & similia, non est superstitio, neque peccatum.*

2 *Prænunciare ex iisdem signis probabiliter tantùm etiam aliqua futura euenientia ad homines pertinentia; quia vna, & eadem constellatio, seu causa cœlestis, quæ mouet animalia, inclinat etiam homines ad eundem, seu similem affectum, neque superstitio est, neque peccatum; secus prænunciare certò, quia est superstitio, & peccatum mortale.*

3 *Ex corporis humani motibus multò debilior coniectura desumi potest, quàm ex motibus cæterorum animalium; quia sæpè motus humani corporis non sunt ab impressione cœlesti, sed à libera voluntate hominis.*

4 *Prænunciare ex quibusdam fortuitò homini contingentibus aliquid feliciter, vel infeliciter illi euenturum, quia hæc omnia fortuitò contingunt, est superstitio, & peccatum.*

5 *Prænunciare ex hominum vocibus aliquos euentus futuros contingentes, superstitio, & peccatum est, quia cum tales voces significent ad placitum, non proueniunt ex cœlesti constellatione; ita vt diuinatio per huiusmodi voces sit semper superstitiosa, nisi cogitio tunc expectetur à Deo.*

Ex dictis sequitur, quod non sit superstitio, neque peccatum, si quis ex quibusdam auium, piscium, vel aliorum animalium frequentibus motibus, cantibus, vel volatibus prænunciet aliqua futura euenientia, quorum illa signa sunt, vt pluuias, tempestates, serenitatem, & similia, quia verè, & realiter signa istorum existunt. Ita S. Thomas 2. 2. *q.* 95. *art.* 7. quem sequuntur Lessius *de Iust. & Iur. lib.* 2. *cap.* 43. *dubit.* 7. *n.* 45. Azot. *tom.* 1. *Institut. moral. lib.* 9. *cap.* 15. *circa finem*, & alij communiter. 1

Sequitur 2. quod neque sit superstitio, neque peccatum, si quis ex iisdem signis prænunciet probabiliter tantùm etiam aliqua futura euenientia ad homines pertinentia; quia vna, & eadem constellatio, seu causa cœlestis, quæ mouet animalia, inclinat etiam homines ad eundem, seu similem affectum, v. g. constellatio quæ mouet animalia, vt inter se vocibus, mugitibus, vel garritibus exerceant actus rixæ, vel iræ, inclinat etiam homines ad eundem, vel similem affectum; Quapropter ex his poterit quis probabiliter bella, & rixas inter homines prænunciare, Caietanus 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 7. Valentia *ibidem, disputat.* 6. *quæst.* 12. *punct.* 3. *vers. similiter possunt*, & alii passim. 2

Dixi, *probabiliter*; quia si prænunciet certò, erit superstitio, & peccatum mortale, iuxta ea, quæ dicebam suprà *dubit.* 212. & docet etiam S. Thomas 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 7. quem sequuntur communiter Doctores.

Vbi aduerte etiam, quod ex motibus humani corporis multò debilior coniectura desumi possit, quàm ex motibus cæterorum animalium; quia sæpè motus humani corporis non sunt ab impressione cœlesti, sed à libera voluntate hominis. Tum quia reliqua animalia, cùm quietiorem phantasiam habeant, præbent certiora signa cœlestium impressionum, Vide Doctores, quos sequitur Valentia *cit. puncto* 3. *vers.* Et idem etiam. 3

Sequitur 3. quod è contra sit superstitio, & peccatum, si quis ex quibusdam fortuitò homini contingentibus, vt ex cettorum animalium, vel funeris occursu, ex ruptione corrigiæ calcei, ex sternutatione, & aliis similibus contingentibus, quæ præcedenti sectione dicebam, prænunciet aliquid feliciter, vel infeliciter illi euenturum; quia hæc omnia fortuitò contingunt. Ergo nihil boni, vel mali præsignificare possunt, sicuti citata *sect. præcedenti* dicebam, & prætet alios tradit etiam Azot. *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 9. *c.* 22. *q. vnica*, quæmplurima exempla ad id comprobandum adducens. 4

Sequitur 4. quod etiam sit superstitio, & peccatum, si quis ex hominum vocibus (quatenus significant, prænunciet aliquos euentus futuros contingentes; quia cùm tales voces significent ad placitum, non proueniunt ex cœlesti constellatione, sed ex ratione, & libero arbitrio hominis. Ergo nullam conjecturam inferre possunt, ita vt propterea diuinatio pe huiusmodi voces sit semper superstitiosa, nisi cognitio tunc expectetur à Deo, iuxta ea quæ *citata præcedenti sectione* dicebam, & tradunt etiam 5

Azot.

Azot. *tom.1.instit.moral, lib.9.c.18.circa finem*, & Valentia 2.2.*disp.6. q.12.punct.3. vers.quod autem attinet.* Cùm licitum sit quandoque expectare cognitionem à Deo per aliquam vocem humanam, præter intentionem dictam: Ita vt tunc non sit omen superstitiosum, iuxta ea quæ *cit.præcedenti sectione* dicebam, & docet etiam S.Thomas 2.2. *q.95. art.7. ad tertium*, Caietanus *ibidem, circa finem*, qui rectè subdit, oportere percipere diuinum lumen, aut præceptum ad hæc, & non ex sola hac facili credulitate, & fiducia moueri ad opus.

Quamvis in tertio, & quarto Corollario, seu in tertio, & quarto casu possit, aliunde etiam, esse peccatum veniale, si scilicet qui prænunciat, non prænunciet certò, sed coniecturaliter tantùm, non certam scilicet fidem, sed vanam solam formidinem quandam eis tribuendo, iuxta ea quæ dicebam *sup. sect.1.* & iuxta ea, quæ dicebam *dub.222. de prædictione per astra.*

SECTIO III.

An, & quid dicendum de pœnis iure statutis contra istos diuinatores: Item quid dicendum de libris, & scriptis ipsorum: Item an restituere teneantur precium, quod pro diuinatione acceperunt?

RΕspondetur: De his rebus dicam *infrà dub.228. sect.2. 3. & 4.*



DVBITATIO CCXXVII.

An, & quid dicendum de magia?

SECTIO PRIMA.

Dubitationis Resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Magia duplex est: Naturalis vna: Altera superstitiosa.*
2 *Magia naturalis est ratio efficiendi mira opera per causas naturales, seu per causarum naturalium applicationem naturalem.*
3 *Magiæ naturalis multa sunt Regulæ, quæ recensentur apud Cardanum* de varietate rerum, *& alios; qui tamen quædam superstitiosa passim admiscent.*
4 *Magia naturalis, licèt per se non sit mala, est tamen periculosa; quia hominum ingenia rebus curiosis implicat, & sensim ad magiam superstitiosam disponit.*
5 *De magia naturali omnes libros tractantes tanquam suspectos, & tanquam periculosos, iuuenes vitare debent.*
6 *Magia superstitiosa est ratio efficiendi mira opera per signa à dæmone instituta ope, vel ministerio ipsius dæmonis.*
7 *Magia naturalis, sicut vtitur causis naturalibus, ita & magia superstitiosa vtitur signis, quæ sunt causæ morales: His enim ex pacto allicitur dæmon, vt faciat quod magus petit, & sic ipsa signa facere videtur.*
8 *Signa hæc instituta sunt, & tota magiæ superstitiosæ disciplina à dæmonibus, non quia ij delectentur signis per se spectatis, sed quatenus illis honorantur, vel ab ipsorum institutione dependent.*
9 *Magia superstitiosa duplex est, vel potiùs duplicem finem habet; quia vel refertur ad ostentationem ipsius magi, vel ad aliquam noxam alteri inferendam.*
10 *Magia superstitiosa, & diuinatio sunt peccata eiusdem rationis, solùmque differunt materialiter. Quapropter ambo peccata ista eandem formalem malitiam, & deformitatem in se habent: Vnde in Scriptura sacra eodem modo prædicta ista peccata prohibentur.*
11 *Magia superstitiosa, atque adeò Inquisitoribus subiecta, adhuc duplex est. Prior, per pactum expressum, seu explicitum cum dæmone. Posterior per pactum implicitum.*
12 *Magia superstitiosa per pactum expressum cum dæmone interdum alia grauissima scelera inuoluit; nempe expressam apostasiam à Christo Domino, & dæmonis adorationem iunctam cum infidelitate. Item iunctam cum blasphemiis, & cum cum sacrilega tractatione rerum sacrarum, & aliquando cum carnali cum ipsomet dæmone in phantastico corpore commixtione.*
13 *Magia superstitiosa per pactum cum dæmone implicitum contingit, vt si præter Ecclesiæ consuetudinem quid adhibeas ad operationem aliquam secuturam, quam illud efficiendi, vel tali modo vim naturalem non habet; hoc enim posito, id ad magiam superstitiosam, & tacitam cum dæmone societatem spectabit, & cur?*
14 *Non obstat, quod interdum in speciem pietatis signum Crucis, vel sacra verba, vel sacræ precationes adhibeantur, si interim alia quoque vana, & inutilia, præsertim vt necessaria admisceantur, v.g. ignota nomina, aut characteres, &c. Vide ibi multa exempla superstitiosa circa res sacras.*
15 *Amplia id procedere, licèt non adhibeatur, nisi quod secundum se sanctum, vel pium est, & Dei cultum solùm præseferens. Vide ibi plura exempla; quia licèt Deus quibusdam conferat gratiam sanctitatis, quæ est gratia gratis data; nihilominus illam sic confert, vt sit gratia personalis, & non infallibiliter adnexa alicui certæ rei, vel alicui certæ actioni, quam quilibet homo adhibere, & effectum miraculosum præstare possit.*
16 *Amplia, quod licèt quis gratiam gratis datam, v.g. sanitatis conferendæ, vel alicuius alterius rei, &c. per sacram aliquam precationem, seu incantationem, vel per alterius rei sacræ vsum, aut adhibitionem personaliter sibi vendicet; si tamen de mala vita suspectus, vel conuictus sit, credi adhuc non debeat. Gratia enim gratis data non confertur peccatori permanenter, & habitualiter, sed solùm ad arbitrium.*
17 *Limita non posse id tanquam magicum condemnari; sed sæpè esse cultum inanem, ac superfluum contra Ecclesiæ consuetudinem, si res, vel cerimonia aliqua pietatis speciem præferens adhibeatur, non quasi certus, & infallibilis effectus exinde consequi debeat, sed quasi inseruiat ad meliùs precandum, & efficaciùs à Deo aliquod temporale obtinendum.*
18 *Homines rudes, si bona fide, & ex mera deuotione ritum aliquem ab Ecclesia non receptum obseruent, in sua simplicitate interdum relinqui debent. Secùs si specialem superstitionem præseferant. Vide huius rei ibi multa exempla.*

RΕspondetur, duplex est magia: Est sententia communis Doctorum.

2 Vna naturalis, quæ est ratio efficiendi mira opera per causas naturales, seu per causarum naturalium applicationem naturalem sine opera, seu ministerio dæmonis.

3 Huius Magiæ naturalis multæ sunt Regulæ, & exempla apud Cardanum *de varietate rerum*, Alexium Pedemontanum, Ioannem Baptistam à Porta, & alios, qui tamen authores quædam superstitiosa passim admiscent.

4 Et quamvis hæc Magia naturalis per se mala non sit, est tamen periculosa; quia hominum ingenia rebus curiosis implicat, & sensim ad magiam superstitiosam disponit; cùm sub specie occultæ operationis naturæ dæmon facilè se admisceat; & sic occultæ virtuti causæ naturalis tribuatur, quod ipsius dæmonis opera, seu ministerio efficitur. Vnde & magi quique magis volunt se iudicari professores tantùm magiæ naturalis, & conantur omnia sua tegere imagine quadam occultæ virtutis naturæ: licèt enim aliquando quasdam causas naturales adhibeant, hæ tamen vel nihil prorsus ad effectum intentum deseruiunt, vel saltem insufficientes sunt; & sic quædam signa, quæ ad magiam superstitiosam pertineant, adiungere coguntur: Quare meritò S. August. *de Ciuit. Dei, lib.*8. *cap.*19. ait: [Omnia miracula magorum doctrinis fiunt, & operibus dæmonum.] Et Apuleius apud eundem August. *eodem lib. cap.*19. inquit: [Ad dæmones pertinent diuinationes augurum, aruspicum, vatum, atque somniorum; ab his quoque sunt miracula magorum.] Et Lactantius *lib.*2. *diuinar. instit. cap.* 17. dicit: [Inuenta dæmonum sunt astrologia, aruspicina, & auguratio, & ipsa, quæ dicuntur oracula, & necromantia, & ars magica.]

5 Hinc omnes libri, qui de magia naturali tractant, tanquam suspecti, & tanquam periculosi iuuenibus vitari debent.

6 Altera superstitiosa, quæ est ratio efficiendi mira opera per signa à dæmone instituta, ope vel ministerio ipsius dæmonis. Sicut enim Christus Dominus instituit sensibilia Sacramentorum signa ad animarum sanctificationem, & salutem; ita & dæmon Christi Domini æmulator, imponit signa sensibilia, per quorum exhibitionem, & vsum aliquid operatur
7 ad earundem animarum perditionem. Sicut igitur magia naturalis vtitur causis naturalibus, ita & magia superstitiosa vtitur signis, quæ sunt causæ morales: His enim ex pacto allicitur dæmon, vt faciat quod magus petit; & sic ipsa signa facere videtur: vnde S. Augustin. *de Ciuitate Dei, lib.*21. *cap.*6. ait: [Alliciuntur dæmones per creaturas, quas non ipsi, sed Deus creauit; non vt animalia cibis, sed vt spiritus signis, quæ cuiusque delectationi congruunt, per varia genera herbarum, lapidum, lignorum, animalium, carminum, rituum, &c.]

8 Instituta autem sunt hæc signa, & tota magiæ superstitiosæ disciplina, primùm à dæmonibus, vt *ibidem* Sanctus Augustinus docet: [Neque enim potuit, inquit ipse, nisi ipsis docentibus disci, quid quisque illorum appetat, quid exhorreat, quo inuitetur nomine, quo cogatur. Vnde magicæ artes, earumque artifices extiterunt.] Aduerte tamen, quod dæmones non delectentur signis per se spectatis, sed quatenus illis honorantur, vel ab ipsorum institutione dependent: Hoc modo intelligitur S. Augustinus *suprà*, & clariùs docent Eusebius *lib.*5. *de præpar. Euang. cap.*7. & Cyprianus *oratione de idolorum vanitate*. Quapropter parum refert, quisnam inter homines inuentor primus, seu primum instrumentum, per quod dæmon mundo hanc pestiferam doctrinam infudit, extiterit.

9 Hæc magia, scilicet superstitiosa, duplex est, vel potiùs duplicem finem habet, quia vel refertur ad ostentationem, aliudve commodum magi, vel alterius, & sic vocatur nomine communi magia; vel refertur ad aliquam noxam alteri inferendam, & propriè dicitur maleficium, aut veneficium.

Vbi aduerte, quod prædicta magia (scilicet superstitiosa) & diuinatio sint peccata eiusdem rationis, solùmque differant materialiter; quia per magiam superstitiosam petitur, vel desideratur à dæmone alicuius operis effectio; per diuinationem autem petitur, vel desideratur ab eodem alicuius rei occultæ cognitio: Quapropter ambo peccata ista eandem formalem malitiam, & deformitatem (quæ est societas cum dæmone, & eiusdem dæmonis virtualis quædam veneratio, ac veluti quædam idololatria) in se habent: Vnde in Scriptura sacra ambo prædicta ista peccata eodem modo prohibentur, Leuitici cap.19. *Non declineris ad magos, nec ab ariolis, seu diuinatoribus aliquid sciscitemini*: & cap.10. *Anima quæ declinauerit ad magos, & ariolos*, &c. *interficiam illam.* 10

Hinc prædicta magia (superstitiosa, inquam, atque adeò Inquisitoribus subiecta) iterum duplex est. 11

Prior per pactum, seu societatem explicitam cum dæmone; quæ magia interdum alia grauissima scelera inuolvit, nempe expressam apostasiam à Christo Domino, & dæmonis adorationem iunctam cum infidelitate (credit enim magus, dæmonem non esse miserum, sed potentem, ac felicem, qui & ipsummet magum felicem reddere possit.) Item iunctam cum blasphemiis in Christum Dominum, & in Sanctos, iunctamque cum sacrilega tractatione rerum sacrarum (præsertim sanctissimæ Eucharistiæ) & aliquando etiam cum carnali cum ipsomet dæmone in phantastico corpore commixtione. 12

Posterior est per pactum cum dæmone implicitum, vt si præter Ecclesiæ consuetudinem quid adhibeas ad operationem aliquam securam, quam illud efficiendi, vel tali modo (v.g. in tanta distantia, vel in tanta celeritate, &c.) efficiendi vim naturalem non habet; quia hoc posito, id ad magiam superstitiosam, & tacitam cum dæmone societatem spectabit: ita S. Augustinus *lib. de Ciuit. Dei* 21. *cap.*6. S. Thomas 2.2.*q.*96. *art.*2. Gratian. *in cap. admoneant, & seqq. caus.*26. *quæst.*7. S. Antonin. *in summa, part.*2. *tit.*12. *cap.*1. §.11. Caietanus *in summa, verb. Incantatio*, Syluester *verb. superstitio, q.*10. *dict.*2. Nauar. *in cap. nouit, notab.*2. *de Iudiciis, & in summa, cap.*11. *n.*12. Suarez *cit. lib.*2. *cap.*15. *num.*53. & alij quos citat, & sequitur Sanchez *lib.*2. *moral. cap.*40. *n.*44. *& lib.*7. *de matrimonio, disput.*25. *num.*5. 13

Ratio, quia cùm talis res adhiberi non possit vt causa naturalis, sequitur quod adhibeatur vt signum, sed non vt signum diuinum, vel sacrum, cum neque à Christo Domino, neque ab Ecclesia institutum sit: Non quidem à Christo Domino, quia septem solùm is Sacramenta instituit: Non ab Ecclesia, quia alioquin esset vitium de Sacramentalibus Ecclesiæ: quod nemo dixerit. Ergo vt signum occulti pacti cum dæmone.

Neque obstat, quod interdum in speciem pietatis signum Crucis, vel sacra verba, vel sacræ precationes adhibeantur, si interim alia quoque vana, & inutilia (præsertim vt necessaria) admisceantur: v.g. ignota nomina, aut characteres: vel si species habeatur in modo scribendi, ligandi, &c. vel in quacumque alia vanitate ad cultum Dei non pertinente; quia adhuc id ob rationem dictam superstitiosum etiam iudicari debet: sic S. Thomas *cit. q.*96. *art.*4. *in corpore, allegato cap. non liceat*, 26. *q.*5. (quem communiter sequuntur cæteri DD.) exempli gratiâ Euangelium S. Ioannis debere esse scriptum à virgine, vel in membrana virginea, vel oriente sole, vel tribus funiculis collo esse alligatum: Orationem aliquam debere dici ad aures iumenti infirmi, &c. 14

Quinimò, licèt non adhibeatur, nisi quod secun- 15
dum

dùm se sanctum, vel pium est, & Dei cultum solum præseferens (v. g. sola ad Deum precatio, solus ex psalmis versiculus, solum vinum ex Sacerdotis oblatione desumptum, sola oua Sabbato sancto crucifixo oblata, vel applicata, soli flores ex Altari desumpti, & similia) si tamen interim in his certa fiducia conferendæ sanitatis, vel alterius temporalis commoditatis constituatur, à quacumque persona adhibeantur, superstitiosa iudicari debent: sic DD. *in locis suprà citatis*, & Gerson *part. 2. tract. de absolut. sacrament. verb. vlterius ad illud*, Less. *de inst. & iur. lib. 2. cap. 44. dub. 3.* Martin. Delrio *lib. 3. disquisit. magic. part. 2. q. 4. sect. 7.* & Suarez *cit. cap. 15. num. 25.*

Ratio, quia licèt Deus quibusdam conferat gratiam sanitatis, quæ est gratia gratis data; nihilominus illam sic confert, vt sit gratia personalis, & non infallibiliter annexa alicui certæ rei, vel alicui certæ actioni, quam quilibet homo adhibere, & effectum miraculosum præstare possit. Vide DD. quos *suprà* citabam, & rationem, quam etiam *suprà* dicebam, quod scilicet Christus Dominus non instituerit, nisi solùm septem Sacramenta.

16 Adde quod licèt quis gratiam gratis datam, v. g. sanitatis conferendæ, vel alicuius alterius rei, &c. per sacram aliquam precationem, seu incantationem, vel per alterius rei sacræ vsum, aut adhibitionem personaliter sibi vendicet; si tamen de mala vita suspectus, vel conuictus sit, credi adhuc non debeat; quia licèt Deus interdum homini peccatori gratiam gratis datam conferat, non tamen confert permanenter, & habitualiter, & ad arbitrium ipsius hominis habentis, sed solùm ad aliquem actum hîc & nunc, idque propter occasionem fidei defendendæ, vel augendæ. Sic DD. quos sequitur Suarez *loco suprà citato*.

17 Quamvis si res, vel ceremonia aliqua pietatis speciem præseferens adhibeatur, non quasi certus, & infallibilis effectus exinde consequi debeat, sed quasi inseruiat ad meliùs precandum, & efficaciùs à Deo aliquod temporale obtinendum, non possit id tanquam magicum condemnari, sed sæpè sit cultus inanis, ac superfluus contra Ecclesiæ consuetudinem, vel interdum specialem irreuerentiam inuolvens.

18 Hinc Caietanus *2. 2. q. 96. art. 4.* insinuat, quod si homines rudes bona fide, & ex mera deuotione ritum aliquem ab Ecclesia non receptum obseruent, in sua simplicitate interdum relinqui debeant; quia difficilè quidam abducuntur ab eo, quod à maioribus suis sine suspicione mali desumpserunt.

Quamvis nonnulli alij Doctores; quos sequitur Sanch. *cit. c. 40. n. 31.* rectè admoneant, quod si eiusmodi ritus speciales, qui superstitionem præseferunt, v. g. certo die festo alicuius Sancti venam equis aperire, eos ter circa Templum circunducere, die S. Ioannis Baptistæ flores decerpere, ex materia aurea, vel argentea crucifixo in die Parasceues applicata annulum ad morbos auertendos conficere, & similia, populo dissuaderi non possint, saltem is edoceri debeat, quod in iis certam spem non habeat, sed effectum expectet (si saluti animæ suæ expediens fuerit) ab aliquo Sancto, vel potiùs à Deo per Christum Dominum, & intercessionem talis Sancti.

Quod si è populo fideles aliqui certo numero precum vel candelarum, &c. vtantur, edoceri similiter debent, quod faciant id in honorem alicuius sacri mysterij, non autem ex persuasione, quasi deprecatio Deo grata futura non sit, si alius numerus adhibeatur, v. g. nisi septem Missæ pro defuncto dicantur, nisi septem candelis accensis, vel nisi septem eleemosynis datis, &c. animæ defuncti profuturum non sit, quod faciunt, superstitiosa sit ista persuasio.

SECTIO II.

Quænam sint magiæ superstitiosæ fundamenta?

SVMMARIVM.

1 *Magiæ superstitiosæ disciplinam vt faciliùs dæmon hominibus curiosis persuaderet, excogitauit quædam principia, & fundamenta, quibus positis, ipsa non videretur esse à dæmone, tanquam ab auctore, sed potiùs licita.*

2 *Magiæ naturalis primum fundamentum est, mundum, & singulas eius partes esse animatum anima intelligente, quæ & ipsis vitam præbeat, & vim intelligendi, ac sentiendi in se habeat.*

3 *Item nomina deorum, & dearum, vt Iouis, Iunonis, &c. non esse nomina malorum dæmonum, sed esse nomina animarum istarum naturalium. Vide ibi nomina singulorum. Ideò excogitatum hoc fundamentum, vt quando magi expressè inuocant dæmones, non videantur inuocare dæmones, sed animas stellarum, vel elementorum.*

4 *Absurdum est dicere, terram, aquam, ignem, &c. animata esse anima rationali, & sentire; quia si haberent animam sentientem, habere etiam deberent animam vegetatiuam, quæ animæ sentienti subseruit, &c.*

5 *Item sequeretur, quòd saxa, metalla, & cætera non solùm sentirent, sed etiam intelligerent, sicque haberent scientiam, sapientiam, &c.*

6 *Absurdum etiam est, saltem ex sententia communi etiam Sanctorum Patrum, dicere cælos, & stellas animatas esse. Quod inter Origenis errores etiam recensetur, & anathemate damnatur.*

7 *Sacræ Scripturæ loqutiones, quibus ad lætitiam inuitantur cæli, & terra, non fauent huic sententiæ; nam per cælos Angeli, & per terram homines intelliguntur. Vel sacra Scriptura vtitur prosopopæia.*

8 *Cæterum anima, quam nonnulli sancti Patres vocarunt, accipi debet pro assistente intelligentia, non pro informante.*

9 *Ad magicas operationes, etiamsi tales animæ darentur, adhuc parum conferrent; quia alligatæ essent suis corporibus, sicque interesse non possent rebus humanis, &c.*

10 *Ex bonitate, vel malitia dictarum animarum demonstratur effugij vanitas, & quod sub nominibus illis non inuocentur animæ, sed dæmones, ad tradita superiùs.*

11 *Magia assumit pro alio fundamento, præter Angelos bonos, & dæmones malos, dari multa alia genera dæmonum, bonorum cælestium, scilicet elementarium, &c. Quod tamen est contra Scripturas, & Ecclesiam.*

12 *Dæmones, si essent boni, non cooperarentur ad opera vana, & curiosa, & ad maleficia, neque deciperent, & in varias fraudes impellerent homines: neque magia sub pœna mortis prohibita fuisset in veteri Testamento, &c.*

13 *Magiæ tertium fundamentum est, animam hominis cùm fortiter imaginatur, & in desiderium vehemens exardescit, habere sufficientem vim ad imprimendum verbis, scripturis, imaginibus, & characteribus virtutem quandam naturaliter efficacem ad desideratum effectum consequendum, &c.*

14 *Magia assumit hoc fundamentum ad persuadendum omnes incantationes, sigilla, &c. operari*

per virtutem naturalem, seu vim ab ipsa anima, vel à cælis, & syderibus impressam.

15 *Anima hominis quantumcumque vehementer imaginando, vel exardenter desiderando, non potest res externas alterare, vel eis qualitatem aliquam imprimere; cùm actiones illa sint immanentes, qua nullum effectum in rem seiunctam, seu separatam producunt.*

16 *Verba non sunt capacia talis virtutis, cùm in substantia non sint aliud, quàm voces, & meri soni, quibus nihil est magis ineptum ad cælorum, & stellarum virtutes, aut alias qualitates quascunque excipiendas.*

17 *Idem dic de alierum signorum significatiane, quia cùm hæc non sit aliud, quàm extrinseca quadam rationis relatio circa vocem facta, non potest aliquo modo dispositio esse ad aliquam qualitatem realem excipiendam, &c.*

18 *Anima licèt aliquid imprimeret huiusmodi signis, id tamen statim euanesceret, neque posset in res valdè distantes operari.*

19 *Magia item assumit pro fundamento, imagines, & characteres sydrum, & signorum cælestium congrua sibi constellatione fabricatas excipere vim syderum, & signorum cælestium, ad occultos & mirabiles effectus, ad quos ipsa sydera, & signa cælestia valent, producendos. At talem vim non habent ipsa sydera.*

20 *Item si talem vim haberent, eam potiùs imprimerent rebus naturalibus, quàm artefactis.*

21 *Figura per artem impressa non est idonea dispositio ad qualitatem, vel virtutem physicam excipiendam, cùm videamus ignem, solem, & catera aquè agere in subiectum, qualiscumque figura in illo insculpta fuerit.*

22 *Figura huiusmodi reuera non sunt in cælo, quales ponunt astronomi, seu Mathematici; sed illa confictа sunt ad libitum ex aliqua confusa, & rudi similitudine dispositionis astrorum cum tali figura.*

23 *Item minùs subsistit, huiusmodi imaginibus interdum adiungi, quod opus sit ipsas constare ex auro, vel ex quadam alia determinata materia.*

24 *Magorum effectus, & operationes per recensita fundamenta ad causas naturales reduci non possunt.*

1 SVppono, quod dæmon, vt faciliùs hominibus curiosis hanc pestiferam disciplinam persuaderet, excogitauerit quædam principia, & fundamenta, quibus positis ipsa non videretur esse à dæmone, tanquam ab authore, sed potiùs licita, & in naturalium rerum concursu, cooperatione, sympathia, & antipathia, & similibus fundata. Hoc supposito,

2 Respondetur. Primum fundamentum est, mundum, & singulas mundi partes esse animatas anima intelligente, quæ & ipsis vitam præbeat, & vim in-
3 telligendi, ac sentiendi in se habeat. Item nomina deorum, & dearum, vt Iouis, Iunonis, &c. non esse nomina malorum dæmonum, sed esse nomina animarum ipsarum naturalium, ita vt quatenus quælibet animarum istarum vim intelligendi habet, catenus vocetur nomine masculino; quatenùs autem animat corpus, catenùs vocetur nomine fœminino, v. g. Plutonem, & Proserpinam non esse aliud, quàm animam terræ, quatenùs duplicem illam vim in se habet: Neptunum, & Thetin animam aquæ; Iouem, & Iunonem animam aëris; Phanetam, & Auroram animam ignis; nouem musas, & nouem Bacchos animas nouem cœlorum, animas septem Planetarum significari nomine Lunæ, Mercurij, Veneris, Solis, Martis, Iouis, & Saturni, &c.

Quod fundamentum excogitatum est ad hoc, vt quando magi expressè inuocant dæmones, non videantur inuocare dæmones, sed animas stellarum, vel elementorum, quas dicunt esse bonas virtutes à Deo in vtilitatem hominum, qui illis vti nouerint, per mundum distributas.

Sed contrà, quia absurdum est dicere, terram, aquam, 4
aërem, ignem, &c. animata esse anima rationali, & sentiente; quia si habent animam sentientem, habere etiam debent animam vegetantem, quæ animæ sentienti subseruit, & sanguinem, spiritusque functionibus eius suppeditat; habere etiam debent organa suis figuris, & temperamentis distincta; cùm non possit esse sensio sine organo conuenienti, sicuti rectè Aristoteles *lib. 2. de anima* probat, & omnia senrlentia nobis nota satis, superque declarant.

Contra secundò, quia sequeretur, quod saxa, me- 5
talla, & cætera non solùm sentirent, sed etiam intelligerent; sicque haberent scientiam, sapientiam, &c. Haberent etiam liberum arbitrium; ita vt ipsorum animæ vel sint iustæ, vel iniustæ, beatæ, vel miseræ, in via, vel in termino, quod nemo dixerit.

Contra tertiò, quia absurdum etiam est (saltem 6
ex sententia communi etiam Sanctorum Patrum) dicere cœlos, & stellas animatas esse, adeò quod S. Hieronymus *in Epistola ad Pammachium, & Auitum*, hanc sententiam posuerit inter errores Origenis; & Nicephorus *lib. 17. histor. cap. 28.* inter anathematismos, quos Synodus quinta Constant. contorsit in Origenem, in his verbis: [Si quis dicit, cœlum, & solem, & lunam, & stellas, & aquas, quæ suprà cœlos sunt, animatas quasdam esse, & materiales virtutes, anathema sit.] Et S. Bonauentura *in 2. dist. 14.* cum Damasceno *2. de fide, c. 6.* Basilio, & Ambrosio *homil. 3. in Genesi*, & aliis putauerit falsam, & erroneam contra Tertullianum *3. aduersus Marcionem, c. 9.* Vide quæ dicebam *in 1. part.* S. Thom. *tract. de Angelis, disp. 2. q. 1.*

Non obstat, quod aliquando huic sententiæ vi- 7
deantur fauere loquutiones Scripturæ sacræ.

Respondetur enim cum Damasceno *cit. lib. 2. de fide orthodoxa, cap. 6. circa finem*, quatenus ait: [Nullus etiam cœlos, aut luminaria arbitretur animata: Inanima enim sunt, & insensibilia; quare si scriptura dicit: Lætentur cœli, & exultet terra; Angelos qui sunt in cœlo, & homines, qui in terra, ad lætitiam vocat; nouit etiam scriptura prosopopœia vti, & de rebus inanimis, tanquam animatis disserere, vt Mare vidit, & fugit, &c.]

Neque obstat, quod aliquando etiam quidam Pa- 8
tres cœlis animam, & spiritum tribuere videantur, eosque animatos appellent.

Respondetur enim, eos intelligi, non de anima informante, sed de anima assistente, quæ non est aliud, quàm intelligentia cœlorum motrix, vt loquuntur Peripatetici. Et videri potest S. Thomas *1. part. quæst. 70. art. 3.* videri etiam poterunt quæ dicebam *citato tractatu de Angelis, disput. 2. quæst. 1.*

Contrà quartò, quia tametsi essent tales animæ, 9
adhuc parum illæ conferre possent ad magicas operationes; quia alligatæ essent suis corporibus, sicque interesse non possent rebus humanis: tum quia non possent conferre, nisi per virtutes astrorum, nempe per lumen, caloremque, & per influentias, (si tamen præter lumen, caloremque, influentiæ dentur) quæ minimè ad effectus magicos sufficientes sunt.

Contrà quintò, quia vel illæ animæ essent bonæ, 10
vel malæ; si bonæ, non vellent cooperari ad opera vana, & noxia, qualia ferè sunt omnia opera magorum; si malæ, non est cur ad illas confugiatur, cùm dæmones ad cooperandum in huiusmodi operibus noxiis sint semper satis, superque parati.

Hinc

Hinc patet, quod sub nominibus illis non inuocentur animæ quæ nullæ sunt, sed inuocentur dæmones, qui se stellarum, & elementorum animas esse fiogunt, vt sub his ooninibus ipsi colantur.

11 Secundum fundamentum est, præter Angelos bonos, & dæmones malos, dari multa alia genera dæmonum bonorum, quorum alij sint cœlestes, & præsint cœlis, & syderibus, & animabus illorum: Alij elementares, ex quibus alij sint ignei, alij aërei, alij aquatici, & alij tandem terreni: Sic Platonici passim & Agrippa *lib.3. cap.16.*

Sed contra, quia id est contra Scripturas, & Ecclesiam, quæ præter dæmones malos, dæmones alios non agnoscit: Et videri poterit S. Augustinus *de Ciuitate Dei, lib.8, cap.13. & 14.*

12 Contra secundò, quia si essent dæmooes boni, non cooperarentur ad opera vana, & curiosa, & ad maleficia, neque deciperent, & in varias fraudes impellerent homines, neque magia sub pœna mortis prohibita fuisset in veteri testamento, neque nunc damnata ab Ecclesia, neque olim proscripta à Republica Romana, quæ adhuc in infidelitate, & idolorum cultu persistens, magiam tanquam perniciosam, & malorum dæmonum auxilio subnixam, prohibuit, sicuti constat ex gestis Martyrum, *& ex l.2.C.de malefic. & Mathemat.*

13 Tertium fundamentum est, animam hominis, cùm fortiter imaginatur, & in desiderium vehemens exardescit, habere sufficientem vim ad imprimendum verbis, scripturis, imaginibus, & characteribus virtutem quandam quæ naturaliter sit efficax, & energiam habeat ad effectum desideratum consequendum, modò illa ad talem effectum quandam habeant proportionem, quæ in eo significando sita sit, v.g. si velis alicui inferre noxam aliquam, adhibeas verba, vel alia signa, quæ noxam illam aliquo modo designent; si velis concitare ad amorem, adhibeas ea, quæ amorem significent, depictis v.g. duobus sese mutuò complectentibus; si ad odium, duobus v.g. inter se pugnantibus, &c.

14 Hoc fundamentum, sicut & quartum sequens, excogitatum est ad persuadendum omnes incantationes, adiurationes, characteres, & sigilla, quæ à magis adhibentur, naturaliter operari per virtutem, seu vim ab ipsa anima, vel à cœlis, & syderibus impressam, atque adeò omnem magorum per signa operationem esse naturalem.

15 Sed contra, quia anima hominis, quantumcunque vehementer imaginando, vel exardenter desiderando, non potest res externas alterare, vel eis qualitatem aliquam imprimere; cùm actiones illæ sint immanentes, quæ nullum effectum in rem seiunctam, seu separatam producunt, vt experientia testatur; licèt possint quidem concitare spiritus, & humores, qui ipsi substantiæ animæ sunt intimi, & præsentissimi, & naturalem subiectionem ad illam habent, vt experientia etiam testatur: Ergo quod magi dicunt, esse similem subiectionem, & audientiam rerum externarum ad animam, cum vehementer imaginatur, & exardenter desiderat, est contra rationem, & omnem experientiam, & etiam contra illud Domini, Matth. 5. *Non potes vnum capillum album facere, aut nigrum.* Et contra illud Matth. 6. *Nemo potest ad staturam suam adjicere cubitum vllum, &c.* Ergo si non possumus rem tam coniunctam mutare, multò minùs poterimus rebus externis virtutem, seu vim effectricem ad operandum imprimere.

16 Contra secundò, quia verba non sunt capacia talis virtutis, cùm in substantia non sint aliud, quàm voces, & meri soni, quibus nihil est magis ineptum ad cœlorum, & stellarum virtutes, aut alias qualitates quascunque excipiendas; quare sicut vox non potest esse propriè alba, vel nigra, lucida, vel tenebrosa, calida, vel frigida; sic neque potest accipere ab anima, aut à cœlis, & sideribus virtutem impressam, qua corpora immutet; sed nec significatio quicquam ad hoc conferre potest, quia significatio in ipsis vocibus nihil ponit, cùm sit solùm denominatio extrinseca ab hominis institutione, quæ præteriit: Ergo superstitiosum est in vocibus requirere significationem effectus, vt possint illæ virtutem physicam ad effectum illum præstandum recipere.

Idemque dicas de aliorum signorum significatione; 17
quia cùm hæc non sit aliud, quàm extrinseca quædam rationis relatio circa vocem facta, non potest aliquo modo dispositio esse ad aliquam qualitatem realem excipiendam, nec conferre quidquam ad physicam actionem; sed solùm ad moralem, quæ fit alliciendo naturam intelligentem ad aliquid efficiendum ex pacto, itavt omnia huiusmodi signa, & significationes ad quædam cum dæmonibus pacta pertineant, vt rectè pluries probat S. Augustinus *lib.2. de doctrina Christiana, cap.21. & seqq.*

Contra tertiò, quia licèt anima aliquid imprimeret huiusmodi signis, id tamen statim euanesceret, nec posset hærere, & diu, vel in res valdè distantes operari; cum tamen signa magica diutissimè vim retineant, & in res distantissimas operentur. 18

Quartum fundamentum est, imagines, & characteres siderum, & signorum cœlestium sub congrua sibi constellatione fabricatas, excipere vim siderum, & signorum cœlestium ad occultos, & mirabiles effectus, ad quos ipsa sidera, & signa cœlestia valent, producendos, v.g. imaginem Leonis insculptam auro, sole existente in prima facie Leonis (scilicet in aliquo ex decem primis gradibus illius signi, quod constat ex triginta) & manè exoriente, concipere vim contra phantasmata melancholica, hydropem, pestem, febres, & similia: Eandem imaginem Leonis insculptam auro, sole existente in corde, seu in medio signo Leonis, & medium, seu decimam domum cœli obtinente, concipere vim contra calculum, nephriticos dolores, & similia. 19

Sed contrà, quia ipsa sidera, & signa cœlestia talem vim non habent.

Contra secundò, quia etiamsi quam vim haberent, 20
eam potiùs imprimerent rebus naturalibus, quàm rebus artefactis.

Contra tertiò, quia figura per artem impressa non 21
est idonea dispositio ad qualitatem, vel virtutem physicam excipiendam; cùm videamus ignem, solem, & cætera æquè agere in subiectum, qualiscumque figura in illo insculpta fuerit: Ergo superstitiosum est insculpere formam Leonis, Arietis, Tauri, Scorpij, vel alterius animalis, vt illa possit excipere vim seu virtutem illius Astri, quod tali nomine ab hominibus appellatur.

Contra quartò, quia in cœlo reuera non sunt ta- 22
les figuræ, quales ponunt Astronomi, seu Mathematici; sed illæ confictæ sunt ad libitum ex aliqua confusa, & rudi similitudine dispositionis Astrorum cum tali figura, vt scilicet Astra omnia figuris 48. possint comprehendi, & exprimi: Non autem ex eo, quod sit ibi magis imago Leonis, quàm Equi: Arietis, quàm Ouis: Tauri, quàm Vulpis: Scorpij, quàm Lupi, & sic de aliis, &c. Ergo ad excipiendam virtutem Leonis cœlestis non magis valet imago Leonis terreni, quàm Equi, Bouis, Hominis, vel Vulpis, &c. Sic S. Augustinus *de Ciuit. Dei lib.10. c.11.* & S. Thom. *q.96. art.2. & lib.3. contra gentes, cap.105.* quidquid in contrarium dixerit Caietan. *in tit. quæst.96. art.2. S. Thomæ.*

Contra quintò, quia videmus huiusmodi imagi- 23
nibus interdum adiungi, quod opus sit ipsas conflatas ex auro, vel ex quadam alia determinata mate-

ria, interdum adiungi alios characteres, interdum etiam eis adhiberi suffitus ex thure, galbano, storace, & similibus (vt vim, seu virtutem concipiant) quod est merè quidam actus idololatriæ.

24 Ex his sequitur, quod effectus & operationes magorum per hæc fundamenta ad causas naturales reduci non possint: quare cùm ad tales causas non reducantur, necesse est, quod referantur ad opem, & ministerium dæmonom, cum quibos complures ipsorum Magorum etiam expressa pacta ineunt, vt id quod desiderant, & petunt, opera dæmonum consequantur.

SECTIO III.

Quotnam modis cognosci possit, an aliqua operatio ad Magiam pertineat?

SVMMARIVM.

1 *Ad Magiam an aliqua operatio pertineat, tribus modis cognosci potest. Primò ex conditione causarum. Secundò ex conditione operationis. Tertiò ex conditione effectus.*

2 *Ex conditione causarum, quæ applicantur, cognoscitur operatio ad Magiam pertinere, vt si v.g. expressè inuocetur dæmon, si adhibeantur preces, quibus permiscentur falsa, si adhibeantur verba incognita, si characteres, imagines, vel sigilla, si ligaturæ, vnctiones, & similia præter morem Ecclesiæ.*

3 *Non obstat, quod interdum nihil nisi verba sacra, vel versiculus aliquis sacræ Scripturæ adhibeatur; quia non dirigitur ad Deum, nec profertur eo sensu, quo sacer est; sed animo profano, vt aliquis effectus vanus, vel alius obtineatur.*

4 *Ad magiam item operatio pertinere cognoscitur ex conditione operationis, vt si v. g. repentè curetur animal vel homo absque diuino miraculo, si breuissimo eo tempore multa via millaria conficiantur.*

5 *Ad magiam item operatio pertinere cognoscitur ex conditione effectus, si hic industriam humanam excedat, siue circa elementa, siue circa alia corpora.*

6 *Magi circa elementa dæmonum operâ possunt excitare tempestates, grandines, tonitrua, fulmina, ventos, iisque lædere, & euertere segetes, arbores, animalia, ædificia, & similia, &c. quæ diffusius narrantur.*

7 *Magi dæmonum opera possunt corpora hominum, vel animalium celerrimè transferre de loco ad locum; quia & ipse dæmon est celerrimus, & potentissimus, cui nulla potestas super terram comparari potest.*

8 *Lamiæ aliquando reipsa non transferuntur à dæmone, cùm constet aliquando eas adhibita vnctione consopitas fuisse, & aliquando etiam reipsa transferuntur, vt sexcentis exemplis comprobatur.*

9 *Dominus ipse permisit se transferri à dæmone ex deserto in pinnaculum Templi.*

10 *Lamias non transferri reuera asserentes, sed sola imaginatione, patrocinantur crimini grauissimo, & Reipublicæ & Ecclesiæ perniciosissimo, vtpote auertentes Iudices ab inferenda in has pœna mortis, & præbentes ansam maleficiis. Et arguentes Legislatores iniustitiæ, & crudelitatis, quod scilicet pœna mortis afficiant mulierculas ob maleficia.*

11 *Delusio dæmoniaca ipsarum non est causa sufficiens, ob quam ipsis parcendum sit; quia cùm delictum fateantur, præsumptio est contra ipsas, itavt præsumi non debeant delusæ, nisi contrarium probetur; sicut in aliis delictis, qui fatetur, non censetur delusus, si est sanæ mentis, &c.*

12 *Lamiæ etiam aliæ, quæ in somno delusæ sunt aliquo modo, similiter puniri possunt propter expressum pactum cum dæmone, & apostasiam ordinariè coniunctam, & propter desiderium, & conatum faciendi ea, quæ consopitæ sibi videntur facere, inter quæ sunt idololatria, commercium cum dæmone, renunciatio Christi, studium aliis in corpore, vel in bonis nocendi.*

13 *Textus* in cap. Episcopi, 26. q.5. *non obstat; quia non loquitur de sagis, seu maleficis, aut lamiis, sed de aliis quibusdam mulierculis à Diabolo deceptis.*

14 *Item Textus prædictus non obstaret, etiamsi loqueretur in casu, quo hic loquitur.*

15 *Item Textus prædictus si aliquid contra sententiam Authoris faceret, sequeretur hæreticum esse illum, qui crederet sagas, maleficas, seu lamias per dæmonem in specie hirci transferri, quod omninò dici non potest.*

16 *Sagæ, maleficæ, lamiæ, siue stryges non phantasticè tantùm, seu per imaginationem transferuntur, sed etiam verè aliquando, quod pluribus modis innotescit: Neque valet argumentum desumptum ex eo, quod huiusmodi conuentus phantasticè, statim ac inuocatum fuerit Nomen Iesu dissoluantur; quia dissoluuntur etiam veri, & non imaginarij tantùm, Iesu inuocato, vt patet & multis exemplis, & ipsarum lamiarum confessione. Quod quidem satis est ad declarandam Augustini sententiam.*

17 *Concilium Ancyranum, licèt fuerit Prouinciale, fuit nihilominus confirmatum in Concilio Niceno, & in sexta Synodo generali, canon. 2. ipsumque intelligi de mulierculis se concitare putantibus Dianam, & Herodiadam Deas, quarum iussionibus obtemperandum esse credebant. Quod secundùm dictum Concilium est deuiare à fide.*

18 *Lamiæ, siue stryges istæ non statim tunc euanescunt, sed perstrictis intuentium oculis, statim à dæmone asportantur, & sic dicuntur euanescere, nempe desinere videri.*

19 *Lamiæ, seu stryges ope dæmonum non possunt penetrare corpora; quia id esset verum miraculum suprà naturam quantitatis, neque singulæ possunt esse in duobus locis simul, quia pariter id esset verum miraculum suprà naturam entis finiti: Quapropter dæmones remouent obstacula, vt ipsæ domos ingredi possint.*

20 *Magi dæmonum opera possunt corpora hominum, & animalium transferre, non quidem mutando figuram intrinsecè, sed extrinsecè, ex vaporibus, & exhalationibus aliam circumponendo; sic enim aliqui opera dæmonum conuertuntur in speciem lupi: Accommodant enim se manibus, & pedibus incedendo, quantùm possunt, ad speciem lupi, &c.*

21 *Dæmon item potest verum lupum, homine repentè sublato, substituere: Itavt ipse homo oculorum iudicio videatur in lupum conuersus. Vide exempla multarum conuersionum, quas hoc pacto factas fuisse ex S. Augustino deprehenditur.*

22 *Dæmon potest etiam homine consopito formam lupi assumere, eam sibi ex vaporibus, & exhalationibus formando, & in ea varia mysteria subire, & interim per se, vel per alium dæmonem efficere, quod ille homo dormiens, videatur sibi in lupum mutatus. Vide pariter exempla allata.*

23 *Dæmon*

23 *Dæmon item potest hanc mutationem facere nudo præstigio; sicut enim melancholici, & phrenetici videntur sibi mira exterius videre; cùm tamen totum fit interius ex qualitate, & commotione humorum, ita similiter etiam eius opera fieri potest, quod mira exteriùs videantur, vel audiantur sola humorum agitatione, & infectione.*

24 *Dæmon non solùm his quatuor modis mira efficere potest, sed etiam applicando actiua passiuis, efficere potest transmutationes, quales etiam simili modo homo, licèt dæmon plures, illasque & exactiùs, & expeditiùs. Vide quænam ea sint.*

25 *Magi dæmonum opera possunt inferre morbos occultos, qui nulla arte medica curari possint; quia facilè potest dæmon commouere humores, & instillare succos venenatos, eosque ita regere, vt lentè operentur; vel potest infringere vim medicamentorum, renouare quotidie noxam, intercipere vias spirituum, & humorum, & aliis sexcentis modis nocere.*

26 *Dæmon item potest etiam inferre in corpus hominis pilorum villos, clauorum, & vitrorum fragmenta, & similia, quæ maleficiis affecti à corpore eijciunt, quamvis etiam nulla solo præstigio efficere possint.*

27 *Magi dæmonum opera possunt curare morbos omnes, qui naturalibus remediis curari possunt, & omnes, qui à dæmonis actuali nocumento dependent, &c.*

28 *Magi dæmonum opera possunt impedire sanguinis à vulnere effluxum, quin & impedire omnes læsiones, quæ gladio, igne, vel aliis instrumentis inferri possunt, &c.*

29 *Magi dæmonum opera possunt eruere thesauros occultos, & diuitias sub mari iacentes; quamvis Deus id nunc ex maxima sua misericordia rarissimè permittat, quia esset maxima ad omne malum inductio.*

30 *Magi dæmonum opera possunt aliquo modo se efficere inuisibiles, & quomodo.*

31 *Magi dæmonum opera possunt immittere dæmones in hominem, & efficere, quod ab illis obsideatur, si scilicet Deus permiserit: possuntque illos expellere, vel ex pacto cum ipsis, & volentibus ipsis, vel ex pacto cum dæmone potentiore.*

32 *Magi circa animam hominis coniunctam corpori possunt dæmonum operâ omnia ea, quæ ex corporis dispositione, & imaginatione dependent, v.g. inferre amentiam, incitare ad amorem, ad libidinem, vel odium, & similia, &c.*

33 *Magi circa animas separatas nihil dæmonum opera possunt; quia circa ipsas neque etiam ipsi possunt dæmones, præterquam quod eis, quæ damnatæ sunt, inferre supplicia secundùm mensuram pro singularum demeritis à Deo constitutam.*

34 *Samuël non prodiit excitatus vi magica, licèt Saul petijsset excitari per Pythonissam, sed in pœnam impij Regis, iussu diuino; excitatus enim magicam incantationem præuenit, & Pythonissa conturbata fuit, &c.*

35 *Elohim, licèt sit numeri pluralis, frequenter tamen apud Hebræos sumitur pro numero singulari.*

36 *Spectra, quæ ad Magorum inuocationem se exhibent, sunt dæmones, qui se horum, vel illorum animas fingunt, vt homines decipiant, & Deo contumeliam inferant.*

37 *Spiritus quid aliud possint in multis aliis rebus, præsertim assumendo corpora, & in assumptis corporibus, Auctor se remittit ad ea, quæ luculenter dixit* in tractatu de Angelis, disp.s. per totam: *Omnia enim quæ mali spiritus efficere possunt ad malum finem, possunt boni ad bonum finem.*

Respondetur: tribus modis. Primò, ex conditione causarum, quæ applicantur. Secundò, ex conditione operationis. Tertiò, ex conditione effectus. 2

Primò, inquam, ex conditione causarum, quæ applicantur, vt si v.g. expressè inuocetur dæmon: si adhibeantur preces, quibus permiscentur falsa, vt v.g. Christum habuisse spasmum, vel febres: si adhibeantur verba incognita, si characteres, imagines, vel sigilla; si ligaturæ, vnctiones, & similia præter morem Ecclesiæ; quia cùm effectus, ad quem diriguntur, expectari non possit ex virtute talium causarum (cum illæ nullam talem in se virtutem habeant) nec etiam à Deo (cum nec à Deo, nec ab Ecclesia, quæ spiritu Dei regitur, sint instituta, quinimò ab ipsa Ecclesia reprobentur) sequitur quod expectetur à dæmonibus, qui huiusmodi rebus, tanquam signis, alliciuntur ad præstandum id, ad quod ab ipsis ea instituta fuerunt, itavt omnia hæc sint magicæ actiones, & tacitæ dæmonum inuocationes. Vide quæ dicebam *suprà sect.* 1.

Non obstat, quod interdum nihil, nisi verba sacra, 3 vel versiculus aliquis sacræ Scripturæ adhibeatur.

Respondetur enim, id non obstare, quia talis versiculus non dirigitur ad Deum; nec profertur eo sensu, quo sacer est, sed animo profano, vt aliquis effectus vanus, vel alius (ad quem ex Dei, vel Ecclesiæ institutione non valet) obtineatur: sic illum versiculum, *Consummatum est*, quidam adhibent ad luxationes equorum curandas; & illum versiculum, *In chamo & freno constringes eos*, quidam adhibent ad sopiendos canes: Ergo implicitè diriguntur ad dæmonem, qui etiam in rebus sacris sua signa instituit, vt homines faciliùs deciperet, & Deo maiorem contumeliam inferret. Vide quæ dicebam *citata sect.* 1.

Secundò ex conditione operationis, vt si v.g. 4 repentè curetur animal, vel homo absque diuino miraculo: si breuissimo tempore multa viæ milliaria conficiantur; si operatio ad rem valdè distantem se extendat, exempli gratiâ, si hîc pungatur imago cerea Titij, & Titius alibi vexetur, aut dolore conficiatur.

Tertiò, ex conditione effectus, si hic industriam 5 humanam excedat, siue circa elementa, siue circa alia corpora, præsertim hominum, vel animalium, siue circa animas, & spiritus.

Circa elementa enim magi dæmonum opera pos- 6 sunt excitare tempestates, grandines, tonitrua, fulmina, ventos, iisque lædere, & euertere segetes, arbores, animalia, ædificia, & similia, sicuti colligitur *ex libro Iob, cap.* 1. Possunt etiam excitare inundationes, terræmotus, repentina incendia, explantare, seu transferre de loco ad locum segetes, arbores, & pomaria integra: Idque vel singulis transplantatis, vel superficie terræ ad certam altitudinem simul abrepta, & translata, quia facilè potest dæmon, si à Deo permittatur, condensare vapores, & exhalationes hîc generatas, quin & huc impellere nubes in aliis regionibus collectas, & ventos etiam ibi spirantes; præsertim cum ad quodlibet istorum opus plures dæmones simul concurrere possint.

Circa corpora hominum, & animalium

Primò magi dæmonum opera possunt ea corpora 7 (sicuti patet in lamiis, maleficis, seu sagis) celerrimè transferre de loco ad locum; quia & ipse dæmon est celerrimus, & potentissimus, cui nulla potestas super terram comparari potest. *Iob* 41.

Objicies, lamias non transferri reipsa à dæmone 8 de loco ad locum: sed eas, quæ putant, se reipsa trans-

transferri à dæmone ad conuentus, decipi: Itavt & translatio lamiarum, & cætera, quæ in conuentibus ipsarum lamiarum fieri videntur, v. g. conuiuia, tripudia, dæmonis adorationes, nefarij concubitus, & similia, non fiant reipsa exteriùs, sed solùm interiùs in phantasia, seu in imaginatione; cùm ipsæ lamiæ sopiantur, & dæmon ipsarum phantasiæ hæc omnia repræsentet, ac si reipsa fierent; itavt tales mulierculæ sibi persuadeant, hæc omnia reipsa egisse, cum tamen reipsa non egerint, sed egisse somniauerint.

Respondeo distinguo antecedens: aliquando, concedo; (cum constet, aliquando lamias, adhibita vnctione consopitas fuisse; quæ tamen postea excitatæ narrabant, se mira fecisse, & vidisse: quod aliquando dæmon callidè facit, vt idem putetur semper fieri, sicque indicibus persuadeat, totam hanc rem esse imaginationis, & cæteris nemini nocere:) semper, nego; quia repugnat id sexcentis exemplis, & experientiis earum, quas translatas fuisse reipsa in factis deprehensum est (qua de re Alphonf. de Castro *lib. 1. de iust. hæret. punit. cap. 16.* Malleus maleficarum, & alij passim, quos sequitur Martin. Delrio *lib. 2. disquisit. magicar. q. 16.*) tum quia repugnat etiam rationi: non

9 enim est, cur negetur, id posse efficere dæmon, cui nulla potestas super terram comparari potest, vti dicebam ex *Iob cap. 41.* neque est, cur negetur id permittere Deus; cum lamiæ in id consentiant, & dæmonem ad id aduocent, & ipse Dominus se permiserit à dæmone ex deserto deferri in pinnaculum Templi, & inde in montem excelsum, vti colligitur *ex cap. 4. Matth.* & docent passim Sancti Patres.

10 Accedit, quod id semper negare, est doctrina reipublicæ valdè perniciosa; Patrocinatur enim crimini grauissimo, & Reipublicæ, & Ecclesiæ perniciosissimo, & impedit lamiarum dignam castigationem; cùm iudices, quibus hæc doctrina est persuasa, vel non castigent lamias, vel si castigent, castigant leuiter, concessa eis vita, vnde fiet, quod complures talem pestiferam artem sequantur, & dæmon tutò grassetur; condemnat etiam omnia, tam Ecclesiastica, quàm sæcularia tribunalia non solùm imperitiæ, & imprudentiæ, quod scilicet non possint distinguere inter ea, quæ fiunt reipsa, & inter ea, quæ fiunt sola imaginatione; sed etiam iniustitiæ, & crudelitatis, quod scilicet pœna mortis afficiant mulierculas ob maleficia, quæ reuera non fecerunt, sed solùm facere somniarunt, & illusione dæmonis fecisse sibi visæ; cùm tamen in iure non puniatur affectus, sicut effectus.

11 Instabis: si aliquando deluduntur, ergo non possunt tutò castigari, quia forsan sunt innocentes; cùm constare minimè possit, istam lamiam v.g. hîc & nunc non deludi.

Respondetur, nego consequentiam; quia cùm delictum fateantur, præsumptio est contra ipsas, itavt præsumi non debeant delusæ, nisi probetur contrarium; sicut in aliis delictis, qui fatetur, non præsumitur delusus, si est sanæ mentis: Et si alij de aliqua testantur, non potest præsumi dæmon loco illius fuisse suppositus; sed hoc clarè tunc probandum erit, alioquin iudicandum secundùm leges: tum quia ex indiciis & variis circumstantiis prudens iudex facilè deprehendere poterit, quomodo res gesta fuerit; cùm sæpè appareat aliquis effectus exterior, sæpè accedant aliorum testimonia; sæpè ipsæ lamiæ sint boni, & integri sensus, & fateantur rem exteriùs reipsa gestam fuisse, explicentque causam, & modum, locum, tempus, & personas, coram quibus, & cætera; idque multò tempore post facti contingentiam, quando ipsarum phantasia non potest præsumi con-

12 turbata: tum quia etiam illæ lamiæ, quæ in somno delusæ sunt, aliquo modo similiter puniri possunt propter expressum pactum cum dæmone, & apostasiam ordinariè coniunctam; tum propter desiderium, & conatum faciendi ea, quæ consopitæ sibi videntur facere; propterea enim se vngunt, & signa magica ponunt, vt illa faciant reipsa; & postea cùm putant facta, approbant, & proponunt rursus facere, quæ se iam fecisse arbitrantur: inter quæ sunt idololatria, commercium cum dæmone, renunciatio Christi, studium aliis in corpore, vel in bonis nocendi, & similia. Vide DD. quos sequitur Martin. Delrio *lib. 5. disquisit. magic. sect. 16.*

Reinstabis: *in cap. Episc. 26. quæst. 5.* expressè significatur, sagas non reipsa transferri, vel alia similia perpeti, sed solùm phantasticè in imaginatione: Ergo. 13

Respondetur, textum hunc non obstare; quia non loquitur de sagis, seu maleficis, aut lamiis, de quibus loquimur nos, sed de aliis quibusdam mulierculis: [Quæ deceptæ à diabolo variis illusionibus, credebant se nocturnis horis cum Diana Dea Paganorum, vel cum Herodiade, & innumera multitudine mulierum equitare super quasdam bestias, & multarum terrarum spatia intempestæ noctis silentio pertransire, eiusque iussionibus, velut dominæ, obedire, & certis noctibus ad eius seruitium euocari:] sicut *in d. cap. Episcop.* habetur. DD. quos sequitur Alphonf. de Castro *cit. lib. 1. cap. 16.* Et meritò, quia si textus loqueretur de sagis, maleficis, seu lamiis, de quibus loquimur nos, non esset cur in eis tam immane scelus non reprehendatur, sed solùm praua earum credulitas.

Respondetur secundò, etiamsi Textus loqueretur de sagis, de quibus loquimur nos, adhuc talis textus non obstaret; quia non damnatur in eis, quod crederent ea, quæ sagæ, de quibus loquimur nos, de se referunt, scilicet se à dæmone in specie hirci ad conuentum transferri, ibidem conuiua, & tripudia cum ipso dæmone, & veneficis agitari, dæmonem adorari, nefarios cum ipso dæmone in corpore phantastico concubitus misceri, &c. sed quod crederent longè alia, ac diuersa, scilicet Dianam, & Herodiadem esse Deas, eis honorem, & obsequium esse exhibendum, posse ab eis naturas rerum mutari, & transformari, esse veras bestias ab ipsis productas, quarum ope, & ministerio per aërem vectarentur: quorum nihil credunt sagæ, de quibus loquimur nos; sciunt enim ipsæ esse dæmonem, cum quo rem, & negotium habent. 14

Accedit, quod si prædictus textus aliquid contra nostram sententiam faceret, sequeretur hæreticum esse illum, qui crederet sagas, maleficas, seu lamias per dæmonem in specie hirci transferri; quod omninò dici non potest. 15

Vrgebis, sagas, maleficas, lamias, seu stryges tantùm phantasticè per imaginationem transferri; cùm quæ sibi conuiuari videbantur, domi dormientes repertæ sint, vti legitur *in vita S. Germani*, & videtur esse sententia S. Augustini *de Ciuit. Dei, lib. 15. c. 18.* quin & Concilij Ancyrani, quod Concilium, vt refertur *in cit. cap. Episcopi*, expressè habet, istas mulierculas, hæc vera esse credentes, deuiare à fide (quapropter Nauarrus *in sum. cap. 11. n. 38. vers. 32.* & Manuël 1. *tom. summæ, cap. 7. n. 9.* aiunt, peccare mortaliter id credentes.) Et suadet ratio, quia conuentus illi, pronunciato Nomine Iesu, statim interdum euanescunt; quod fieri non posset, si reuera interessent corpora. 16

Respondetur iuxta ea, quæ suprà dicebam cum Caiet. 2. 2. q. 95. *art. 3.* Valent. 2. 2. *disp. 6. q. 12. punct. 2. n. 4.* Syluestro, Castro, Peña, & aliis, quos referunt, & sequuntur Suarez *tom. 1. de Religion. lib. 2. de superstit. cap. 16. num. 24.* Azor. *tom. 1. Instit. moral. lib. 9. cap. 25. quæst. 3.* & Martino Delrio *lib. 2. disquisit. magicar. quæst. 16.* vbi rectè subdit, quod lamiæ, seu stryges

ftryges iftæ transferantur de loco ad locum à dæmone in forma hirci, aut alterius animalis; vel in arundine vera, aut verò fcoparum baculo equitantes, quæ à dæmone aguntur, & fubleuantur; atque adeò illæ nefariis conuentibus verè corporaliter interfunt, quidquid in contrarium dixerint Nauarrus, & Manuël *in locis suprà citatis*, & alij, quos refert Martinus Delrio *eadem quæst.* 16. putantes, quod hæc omnia, quæ de lamiis feu ftrygibus dicebam, eis femper apparenter, feu phantafticè, in phantafia fcilicet, feu imaginatione contingant) fagas, maleficas, lamias, feu ftriges, licet aliquando phantafticè per imaginationem transferantur, fæpè tamen verè transferri: Et patet primò, quia aliquando folent ad decipiendum maritum, cum quo dormiunt, aliud corpus fubftituere, ficuti rectè refert Martinus Delrio *lib.* 2. *disquisit. magicar. q.* 16. quod neceffarium non effet, fi tantùm phantafticè per imaginationem transferrentur. Patet fecundò, quia aliquando inuocato Iefu, in valdè diftantibus Regionibus repertæ funt, vt rectè etiam refert Malleus maleficorum, *part.* 2. *cap.* 3. Patet tertiò ex ipfarum fagarum confeffione; quia in cafu, quo phantafticè per imaginationem, non autem verè, & realiter id contingit, quando poftea phantafia ad fanum ftatum naturalem reuertitur, facilè difcernunt rem phantafticam, feu imaginatiam, à vera, feu reali à parte rei (fic enim fomnia à rebus veris difcernunt vigilantes.) At fagæ conftanter affirmant, fe realiter aliò tranflatas fuiffe: Idque etiam multo tempore poftquam id eft factum, & cùm ipfa phantafia nondum eft perturbata.

17 Ad Auguftinum itaque refpondetur vt fuprà, id fcilicet aliquando phantafticè per imaginationem contingere, non tamen femper.

Ad Concilium autem Ancyranum refpondent aliqui, fuiffe illud Prouinciale, & minùs canonicum; ficque non certæ auctoritatis. Sed minùs rectè, quia confirmatum poftea fuit Concilium illud in Concilio Nicæno, & in fexta Synodo general. *canon.* 2. quare meliùs Refpondetur fecundò, iuxta fupradicta cum Abulenfi *in cap.* 4. *Matth. q.* 47. Suarez, Azorio, & Martino Delrio *locis suprà citatis*, referri in eodem illo Concilio Ancyrano, mulierculas illas putaffe fe comitari Deam Dianam, & Deam Herodiadem, quarum etiam iuffionibus obtemperandum fit, quod credere, ait Concilium Ancyranum, eft deuiare à fide; itavt breuiter Concilium, cum ait, hæc vera effe credentes deuiare à fide, intelligatur de credentibus cum illis modis in eo Concilio narratis, nempe quod huiufmodi lamiæ, feu ftryges comitentur Deam Dianam, & Deam Herodiadem, & cum Dea Diana, & Dea Herodiade conuiuentur, &c.

18 Ad rationem tandem refpondetur, quod lamiæ, feu ftryges iftæ non ftatim tunc euanefcant, fed perftrictis intuentium oculis ftatim à dæmone afportentur, & fic dicantur euanefcere, nempe definere videri. Vt omittam, quod aliquando, pronunciato Nomine Iefu, tamen dæmon ftatim fugiat, lamiæ tamen, feu ftryges verè corporaliter ibi remaneant; quia verè corporaliter ibi repertæ funt, vti fuprà cum Malleo maleficorum, *part.* 2. *capite* 3. dicebam.

19 Cæterùm lamiæ, feu ftryges dæmonis ope non poffunt penetrare corpora; quia id effet verum miraculum fupra naturam quantitatis (cum hæc quoad quaflibet fuas partes exigat extenfionem in ordine ad locum) nec finguiæ poffunt effe in duobus locis fimul; quia id etiam effet verum miraculum fupra naturam entis finiti (cùm hoc, vtpote vnum, exigat vnam proprietatem, feu quafi proprietatem, vt vnam exiftentiam, vnam fubfiftentiam, vel inhærentiam, vnam durationem, &c. Quapropter quando lamiæ, feu ftryges intrant domos claufas ad occidendos Infantes, id non faciunt penetrando ianuas, vel parietes domus, fed faciunt dæmone ianuas, remotis obftaculis, vel etiam ipfos parietes domus aperiendo, & poftea ftatim fiue ianuas, fiue parietes ipfos domus in eodem ftatu priori reponendo, vel id faciunt intrando domus claufas, per aperta tamen eiufdem domus loca fuperiora, à dæmone per aërem vectæ, feu tranfportatæ. Vide Martinum Delrio *lib.* 2. *disquis. magic. q.* 15. & Tolet. *lib.* 4. *summæ, c.* 16. *circa fin.*

Secundò, Magi dæmonum opera poffunt corpora 20
hominum, & animalium transformare, non quidem mutando figuram intrinfecè, fed extrinfecus ex vaporibus, & exhalationibus aliam circumponendo: Sic aliqui opera dæmonis conuertuntur in fpeciem lupi: Accommodant enim fe manibus, & pedibus incedendo quando poffunt ad fpeciem lupi, & dæmon adjicit reliqua, circumpofita alia figura, itavt fpeciem lupi exactè referant: deinde ingreditur dæmon, & commotis humoribus, & venenatis fuccis adhibitis, phantafiam mutat, & animum ferinum inducit; denique agilitate lupina corpus regit: Vnde fit, quod tales inuadant, lacerent, & deuorent homines modo, quo veri lupi facere confuerunt. Poteft etiam fe- 21
cundò dæmon verum lupum, homine repentè fublato, fubftituere; itavt ipfe homo oculorum iudicio videatur in lupum conuerfus: Sic S. Auguftinus *de Ciuit. Dei, lib.* 18. *cap.* 18. ait, focios Diomedis conuerfos fuiffe in Aues, & Iphigeniam conuerfam fuiffe in ceruam: fic etiam arbitror, virgas magorum fuiffe conuerfas in ferpentes; cum dæmon caufas naturales virgis applicando, non poffit tam breui tempore ex materia tam diffimili veros ferpentes efficere.

22 Poteft etiam tertiò dæmon, homine confopito formam lupi affumere, eam fibi ex vaporibus, & exhalationibus formando, & in ea varia minifteria fubire, & interim per fe, vel per alium dæmonem efficere, quod ille homo dormiens videatur fibi in lupum mutatus, hæc omnia exequi. Sic S. Auguftinus *loco suprà citato*, putat focios Vlyffis à Circe venefica conuerfos fuiffe in porcos, & alios quofdam fuo tempore veneno in cafeo fumpto, à fœminis Tabulariis fuiffe mutatos in iumenta, quæ onera portabant quamdiù illæ volebant, & poftea videbantur fibi in formam
humanam reuerti. Poteft etiam quartò dæmon hanc 23
mutationem facere nudo folo præftigio; ficut enim Melancholici, & Phrenetici videntur fibi mira exteriùs videre; cùm tamen totum fit interius ex qualitate, & commotione humorum, ita fimiliter etiam operâ dæmonis fieri poteft, quod mira exteriùs videantur, vel audiantur fola humorum agitatione, & infectione. Sic dæmon exhibere poteft pomaria, palatia, vrbes, exercitus, flumina, incendia, tempeftates, tonitrua, &c.

Hinc patet, quod Magi dæmonum opera quatuor modis has transformationes efficere poffint, interim tamen negari non debet, quin dæmon poffit etiam aliquas, applicando actiua paffiuis, efficere transmutationes, quales etiam fimili modo efficere poteft homo, tametfi dæmon poffit plures, illafque & exactiùs, & expeditiùs. Sic poteft dæmon efficere ranas, pulices, mures, mufcas, &c. Item forfan & animantia, quæ funt ex femine, infufo tamen ifto in vas genituræ naturale; quo cafu qui fic nafcitur, non erit filius dæmonis, fed filius eius, cuius erit femen. 24

Tertiò, Magi dæmonum opera poffunt inferre morbos occultos, qui nulla arte medica curari poffint; quia facilè poteft dæmon commouere humores, & inftillare fuccos venenatos, eofque ita regere, vt lentè operentur; vel poterit infringere vim medicamentorum, vel fi hanc non infringat, poterit renouare quotidie nouam, intercipere vias fpirituum, & humorum, & alus fexcentis modis : bi fatis, fatif- 25

26 que cognitis, nocere. Potest etiam in corpus hominis inferre pilorum villos, clauorum, & vitrorum fragmenta, & similia, quæ maleficiis affecti è corpore ejiciant; quamvis etiam nudo solo præstigio facere possit, quod hæc videantur è corpore ejici, cùm tamen reuera nunquam intus in corpore fuerint.

27 Quartò Magi dæmonum opera possunt curare morbos omnes, qui naturalibus remediis curati possunt, & omnes qui à dæmonis actuali nocumento dependent: Potest enim facilè dæmon applicare naturalia remedia, quæ optimè nouit, & desistere ab actuali nocumento, quod per maleficium infert.

28 Quintò Magi dæmonum opera possunt impedire sanguinis è vulnere effluxum, quin & impedire omnes læsiones, quæ gladio, igne, vel aliis instrumentis inferri possunt; potest enim facilè dæmon ictum iuxta corpus hominis excipere, & impetum refringere, & ea, quæ vim ignis, vel alterius agentis impediunt, assiduè interponere: Ita vt læsio nulla, vel ferè nulla sequatur; etsi Deus raro hæc fieri permittat.

29 Sextò Magi dæmonum opera possunt eruere thesauros occultos, & diuitias sub mari iacentes, quamvis Deus id nunc ex maxima sua erga nos misericordia rarissimè permittat, quia esset maxima ad omne malum inductio; quapropter videmus, omnes penè magos pauperes, viles, & abiectos esse.

30 Septimò Magi dæmonum opera possunt aliquo modo se efficere inuisibiles; idque vel efficiendo, quod subitò adstantibus non aduertentibus, ad alium locum transferantur; vel aliquod corpus instar veli, vel alienam figuram interponendo, vt etsi videatur, non tamen agnoscatur; vel tandem subtrahendo, aut impediendo spiritus visuales, qua parte ad illius obiecti visionem concurrere debebant.

31 Octauò Magi dæmonum opera possunt immittere dæmones in hominem, & efficere, quod ab illis obsideatur; si scilicet, vti suprà dicebam, Deus permiserit. Possunt etiam eosdem expellere; idque vel ex pacto cum ipsis, & volentibus ipsis (quamvis simulent, ex vi incantationis se cogi ad egrediendum) vel ex pacto cum dæmone potentiore, qui inferiores etiam inuitos expellere potest: qua de re S. Gregor. *lib.* 1. *dialog. cap.* 10. vbi rectè subdit, quod nunquam id faciat iste dæmon, nisi vt magis noceat, præsertim in anima, sicuti *infrà dub.* 229. *sect.* 2. distinctiùs dicetur.

32 Circa animam hominis coniunctam corpori Magi dæmonum opera possunt omnia ea, quæ ex corporis dispositione, & imaginatione dependent, vt v. g. inferre amentiam, incitare ad amorem, libidinem, vel odium, & similia; potest enim facilè dæmon efficere, quod tibi obiectum aliquod assiduè obuersetur phantasiæ in modum conuenientis, vel disconuenientis, quodque simul concitentur humores, & spiritus amoris, vel odij affectui consentanei; quò spectant amorum, & odiorum maleficia, de quibus S. Gregor. *lib.* 1. *Dialog. cap.* 1.

33 Circa animas autem separatas nihil dæmonum opera possunt magi; quia circa ipsas nihil etiam ipsi possunt dæmones, præterquam quod eis, quæ damnatæ fuerint, inferre possint supplicia secundùm mensuram pro singularum demeritis à Deo constitutam: quapropter non possunt dæmones illas ab inferis excitare, & viuis hominibus repræsentare; quemadmodum nec tortor potest reos quocumque voluerit conducere: quod si id dæmones non possunt in animas damnatas, multò minùs id poterunt in animas sanctas, quæ veluti Domini, & Iudices, sunt dæmonibus magnæ formidinis, & terroris.

Objicies illud 1. *Regum* 28. vbi cum Saul petiisset excitari Samuelem per Pythonissam, ipse Samuël apparuit, sicuti tenet probabilior Doctorum sententia, quæ quamplurimùm confirmatur *Ecclesiast.* 46. vbi Samuël post mortem prophetasse, & interitum Regi prædixisse legitur: Ergo.

Respondetur, hunc textum non obstare, quia Sa- 34
muël non prodiit excitatus vi magica, sed in pœnam
impij Regis, iussu diuino: quod inde probatur,
quia Samuël excitatus magicam incantationem præ-
uenit (vnde & conturbata fuit Pythonissa) & præ-
terea quia Samuel tectus capite sursum elato, contra
morem vmbratum magicarum, quæ pedibus sursum
versis, & capite deorsum prodire dicuntur, de terra
emersit: Quod & insinuare videtur Pythonissa, cum
ait: *Deos vide ascendentes è terra*, idest virum instar 35
Dei, vel similem Deo: licèt enim *Elohim* sit numeri
pluralis, sæpè sæpiùs tamen apud Hebræos sumitur
pro numero singulari; quo modo hîc sumi, patet ex
verbis, quæ proximè sequuntur: *qualis est forma
eius*. Quapropter Pythonissa non loquitur de vm-
bris, sed de Samuële modo supradicto Pythonissæ ap-
parente; Spectra autem illa, quæ ad inuocationem 36
magorum se exhibent, sunt dæmones, qui se bonum,
vel illorum animas fingunt, vt homines decipiant, &
Deo contumeliam inferant.

Cæterùm, quidnam aliud possint spiritus, siue 37
mali, siue etiam boni, v. g. an revera aliquando assumant corpora, ita vt ipsorum apparitiones non sint semper phantasticæ, sed aliquando reales: Item secundò, an spiritus, cum assumendo corpus, illud sibi formant, illud sibi forment virtute naturali: Item tertiò, an illud sibi forment ex solo aëre, vel etiam cum mixtione alterius substantiæ crassioris: Item quartò, quomodo illud colorent, & figurent, & calefaciant, ita vt calorem vitalem præseferat: Item quintò, an in corpore assumpto possint formare talem duritiem, & soliditatem, quæ à vera duritie, & soliditate carnis, & ossis discerni non possit: Item sextò, quidnam requiratur ad hoc, vt spiritus dicantur assumere corpus: Item septimò, an in corpore assumpto exerceant opera vitæ: Item octauò, an in eodem corpore assumpto propriè comedant, loquantur, respirent, & deambulent. Vide quæ dicebam *in citato tractatu de Angelis, disput.* 2. *per totam, vbi quæstione* 2. subdebam, quod omnia, quæ possunt efficere spiritus mali ad malum finem, possint etiam efficere boni ad bonum finem.

SECTIO IV.

Quotnam modis discerni possint spirituum apparitiones, vt non accipiamus spiritus malos pro bonis?

SVMMARIVM.

1 *Spirituum apparitiones multis modis discerni possunt, vt non accipiamus spiritus malos pro bonis.*

2 *Spirituum apparitio mala est, si ad rerum sacrarum, quibus Ecclesia vti solet, præsentiam spiritus effugiant.*

3 *Mala item, si sua apparitionis falsam, vel prauam causam insinuet, vt si dicat se redire imperio alicuius magi.*

4 *Item apparitio mala est, si quid dicat, quod est contra fidem, vel Ecclesiæ doctrinam.*

5 *Item mala est, si non patiatur, rem tractari*

cum

cum superiore, vel Confessario; quia spiritus bonus non quærit tenebras, nec vult ordinem.

6 *Apparitio item mala est, si spiritus suo sermone excitet mentem hominis ad superbiam, ad vanam gloriam, ad desperationem.*

7 *Apparitio item mala est, si blandè accedat, sed postea mœrorem, desolationem, vel animi tenebras derelinquat; quia sicut boni est illuminare, ita mali est tenebras offundere.*

8 *Apparitio item mala est, si in forma tetra, vel abiecta, v.g. serpentis, canis, &c. fiat.*

9 *Apparitio item mala est, si anima vbi semel pro ipsa satisfactum sit, quod subsidij causa petierat, iterum quæsitis aliis occasionibus friuolis redeat; quia anima vbi semel pro ipsa satisfactum fuerit, vel non redit, vel si redit, semel tantùm redit.*

10 *Dæmon sæpè apparet fingens, se esse animam alicuius defuncti, vt sic videntes in errorem inducat.*

11 *Apparitiones licèt sæpè sint imaginariæ, negandum tamen non est, quod animæ beatæ vel in Purgatorio, vel in Inferno detentæ, aliquando sic Deo permittente, viuentibus ob aliquas iustas causas appareant.*

12 *Dæmon quando in dæmoniaco dicit, se esse animam alicuius defuncti, semper mentitur; quia nunquam anima defuncti aliud corpus ingreditur.*

13 *Dæmon si aliquid faciendum præscribat, faciendum non est; si verò præcipiat aliquid, vel de præcepto, vel de consilio, faciendum non est ex eo, quod ipse præcepit, sed ratione præcepti, vel consilij diuini, vel humani, &c. Tutius est etiam aliquando huiusmodi consilium prætermittere, aut in aliud commutare, ne quid fraudis eo consilij moliatur.*

14 *Pactum, quod præmoriens superstiti appareat, deque suo statu reddat certiorem, est temerarium, & non imitandum; non enim caret superstitione.*

1 RESpondetur: Multis modis.

2 Primò si spiritus ad præsentiam, vel vsum rerum sacratum, v.g. signi Crucis, Nominis Iesu, Beatæ Virginis, aut alterius Sancti, aquæ benedictæ, sacratum Reliquiarum, sacræ Imaginis, Agni Dei, cerei benedicti, stolæ sacræ, & similium (quibus Ecclesia contra dæmonis fraudes vti consueuit) effugiat: Item si hæc improbet, vel dissuadeat.

3 Secundò si suæ apparitionis falsam, vel prauam causam insinuet; vt si dicat, se redire imperio alicuius magi, vel vt reuelet quid quod est friuolum, curiosum, vel noxium.

4 Tertiò si quid dicat, quod est contra fidem, vel Ecclesiæ doctrinam: aut si quid suadeat, quod à moribus Sanctorum est alienum.

5 Quartò si non patiatur, rem tractari cum Superiore, vel Confessario; quia Spiritus bonus non quærit tenebras, nec vult ordinem, quem Sancti Patres, & sacræ scripturæ tradiderunt, peruerti; præsertim cùm & ipse facilè possit superiores permouere.

6 Quintò, si suo sermone excitet mentem hominis ad superbiam, ad vanam gloriam, ad desperationem, ad præsumptionem animi, vel ad quemcunque alium minùs rectum, minusve ordinatum affectum.

7 Sextò si blandè accedat, sed postea mortem, desolationem, turbationem, vel animi tenebras derelinquat; qoia sicut boni spiritus est illuminare, consolari, & animi tranquillitatem afferre; ita similiter mali spiritus est, in animo tenebras, mœtorem, perplexitatem, vel turbationem derelinquere, cùm vnusquisque sibi consentanea operetur; quia modus operandi sequitur modum essendi, sicut ait Philosophus.

8 Septimò, si in forma tetra, vel abiecta, v g. serpentis, canis, bufonis, vel Æthiopis appareat; vel si cum fœtore, tumultu, clade, vel horrore discedat.

Octauò, si anima, vbi semel pro ipsa satisfactum 9
sit, quod subsidij causa petierat, iterum quæsitis aliis occasionibus friuolis, redeat; quia anima, vbi semel pro ipsa satisfactum fuerit, vel non redit; vel si redit, semel tantùm redit, vt gratias agat: dæmon autem quia paucis apparitionibus consequi non potest, quod intendit, varias occasiones quærit, vt pluries appareat: quapropter crebritas ista apparendi debet esse suspecta; qua de re Thyræus *lib. 1. de apparitione spirituum, cap. 16.* & alij passim, quos sequitur Martinus Delrio *lib. 2. disquisit. magicar. quæst. 26. sect. 3.* Videri etiam poterunt, quæ dicentur *infrà dubit. 229. sect. 4.*

Vbi aduerte, quod sæpè dæmon apparet fingens, 10
se esse animam alicuius defuncti, vt sic videntes in errorem inducat. S. Augustinus *de Ciuit. Dei, lib. 10. cap. 11.* S. Chrysostomus *homilia 29. in Matthæum*, S. Thomas *1. part. q. 117. art. 4. ad 2.* Syluester *verb. Maleficium, q. 4. dicto 2.* Sotus *de Iust. & Iur. lib. 8. q. 2. art. 2. vers. Sed rogas*, Victoria *de Magia, q. 4. n. 17.* Cirvelo *de superstitione, part. 3. c. 8.* & Martinus Delrio *lib. 2. disquisit. magicar. q. 26. sect. 7.* Et quamvis consulat quid boni, petatque sibi suffragia fieri, vel aliquid in beneficium suum restitui, id efficit vt postea faciliùs in errorem inducat. Victoria *loco suprà citato*, Thyræus *de spirituum apparitionibus, cap. 16. n. 9.* & Pedraza *in sum. in 1. præcepto, §. 10.* Et quamvis 11
etiam sæpè (sicuti suprà dicebam *sect. 3.*) apparitiones sint imaginariæ, negandum interim tamen non est, quod animæ beatæ, vel in Purgatio, vel in Inferno detentæ, aliquando sic Deo permittente, viuentibus ob aliquas iustas causas appareant. Martinus Delrio *citata q. 26. sect. 3. & seqq.* Thyræus *de spirituum apparitionibus, cap. 11. num. 16. & seqq.* & alij passim.

Aduerte secundò, quod quando dæmon in dæ- 12
moniaco dicit, se esse animam alicuius defuncti, semper mentitur; quia nunquam anima defuncti aliud corpus ingreditur. Abulensis *cap. 8. Matth. q. 124. ad 1.* & alij, quos sequitur Martinus Delrio *post lib. sextum disquis. magic. in Anacephalæosi, monit.*
10. rectè ibi subdens, faciendum non esse quod dæ- 13
mon fieri præscribit. At si aliàs id obliget, faciendum esse ratione præcepti obligantis; si verò sit sub consilio, licitè quidem adhuc posse; non quia dæmon dixit, sed quia est in se aliquid bonum: Etsi tutius adhuc sit, aliquando id consilium prætermittere, aut in aliud commutare, ne quid fraudis dæmon, sicuti semper consueuit, eo consilio moliatur: Qua- 14
propter & rectè dixit Thyræus *de superstitionibus spirituum, c. 15. n. 20.* dæmonem nec bona consulentem audiri debere, eo quòd omne bonum, quod consulit, in nostram perniciem consulat.

Hinc sequitur, quod olim à nonnullis motuò pa- 15
ciscentibus, vt præmoriens superstiti appareat, & certiorem eum de suo statu faciat, factum est, temerè imitandum non esse; quia licèt id secundùm se consideratum culpam non inuoluat (vti rectè docent Doctores, quos sequitur Martinus Delrio *lib. 2. disquis. magic. q. 26. sect. 7.*) Est tamen subiectum periculo diabolicæ illusionis: quapropter meritò reprehenditur à Cirvelo *de superstitionibus, part. 3. cap. 11.* & à Martino Delrio *loco suprà citato*, vbi & rectè subdit, quod vix fieri possit, vt pactum hoc curiositatis culpam non inuoluat.

SECTIO V.

Qualenam peccatum sit Magia superstitiosa?

SVMMARIVM.

1 *Magia superstitiosa ex genere suo est peccatum mortale; quia continet expressam, vel saltem tacitam dæmonis inuocationem.*

2 *Magia superstitiosa aliquando excusatur à peccato mortali ratione ignorantiæ, vel inaduertentiæ.*

3 *Suspicans de aliquo latenti malo, tenetur abstinere donec pleniùs de re cognouerit: quod negligens, incipit tunc peccare.*

4 *Magia superstitiosa ratione leuitatis materiæ præcisè non videtur vnquam esse peccatum veniale; neque enim est minus malum dæmonem inuocare in re parua, & ludicra, quàm in re magna.*

5 *Dæmonis tacita, vel remota inuocatio, si plena, seu perfecta aduertentia adsit, est eiusdem rationis ac expressa; quamvis non semper apprehendatur mali magnitudo, quando res est parua.*

6 *Dæmonis inuocationi in iis, qui ei sunt addicti, ordinariè admiscentur alia crimina grauissima.*

7 *Primum est crimen hæresis, quia multi ex istis non credunt dæmonem nihil posse, nisi permissu Dei: neque credunt ipsum esse damnatum, & miserum cum suis sequacibus.*

8 *Secundum est crimen idololatriæ; quia tales sumunt loco Dei dæmonem.*

9 *Tertium est crimen apostasiæ; quia abnegant Christum, Christi fidem, & frequenter ipsum Deum.*

10 *Quartum est crimen blasphemiæ in Deum, in Christi humanitatem, &c.*

11 *Quintum est crimen sacrilegij; quia isti tales in suis incantationibus vtuntur rebus sacris.*

12 *Sextum est præiudicium alterius, damna scilicet proximorum, vt v.g. homicidia, præsertim infantium, varij morbi hominibus irrogati, &c.*

13 *Septimum est crimen luxuriæ, vt nefaria cum ipso dæmone commixtiones.*

14 *Magi, sagæ, vel lamiæ, etiamsi fortè damna aliquibus non intulerint, digni sunt morte, ob dicta delicta.*

15 *Magia continet idololatriam, quandoque idoloduliam, & aliam malitiam adiunctam, quandoque hæresim, sacrilegam hypocrisim, curiositatem, &c. Vide quomodò hæc contingant.*

1 RESpondetur: Ex genere suo est peccatum mortale. Sic communiter Doctores: Et probatur, quia continet expressam, vel saltem tacitam dæmonis inuocationem, ac proinde societatem, & beneuolentiam cum illo.

2 Aduerte tamen, quod aliquando excusatur à peccato mortali, ratione scilicet ignorantiæ, vel inaduertentiæ, vt si quis ignoret, vel non aduertat tacitam dæmonis inuocationem; cum sæpè sæpiùs tacita dæmonis inuocatio sit adeò occulta, vt non facilè aduertatur.

3 Aduerte secundò, quod sæpè sæpiùs homo suspicari incipit de aliquo latenti malo, ratione cuius tenetur tunc abstinere, donec pleniùs de re cognouerit; quod si non fecerit, incipit tunc peccare, saltem venialiter.

4 Aduerte tertiò, quod ratione leuitatis materiæ præcisè non videtur vnquam esse peccatum veniale; quia quod seriò dæmon in re parua, vel ludicra inuocetur per se, non est minùs malum, quàm si id fiat in re magna, vel graui.

5 Aduerte quartò, quod similiter tacita, vel remota dæmonis inuocatio, si plena, seu perfecta aduertentia adsit, est eiusdem rationis, ac expressa; quamvis sæpè contingat, quod quando est res parva, non apprehendatur mali magnitudo, & sic possit esse peccatum veniale defectu aduertentiæ, seu ratione imperfectionis actus.

6 Aduerte quintò, quod (vti dicebam *sect.* 1.) huic crimini in iis, qui ei sunt addicti, ordinariè admiscentur alia crimina grauissima, de quibus tales à Confessariis, & iudicibus omninò interrogari debent.

7 Primum est crimen hæresis, quia multi ex istis non credunt, dæmonem nihil posse, nisi permissu Dei, neque credunt, dæmonem esse damnatum, & miserum, ac eos, qui ipsum sequuntur, esse similiter damnandos: Quapropter pauci ex istis sunt firmi in fide, & complures comprehenduntur vel hæretici, vel nullius Religionis.

8 Secundum est crimen idololatriæ, quia sumunt loco Dei dæmonem, cui fidem spondent, se totos mancipant, sacrificia offerunt, aliosque honores deferunt.

9 Tertium est crimen apostasiæ; quia abnegant Christum, Christi fidem, & sæpè sæpiùs etiam ipsum Deum; renunciant baptismo, confirmationi, &c. eaque conantur in se quibusdam contrariis ceremoniis extirpare.

10 Quartum est crimen blasphemiæ in Deum, in Christi humanitatem, in B. Virginem Mariam, & in omnes alios Sanctos.

11 Quintum est crimen Sacrilegij; quia sæpè sæpiùs in suis incantationibus vtuntur rebus sacris, & interdum ipsa etiam Sanctissima Eucharistia.

12 Sextum est præiudicium alterius, damna scilicet proximorum, vt v.g. homicidia, præsertim infantium (è quorum corpusculis decoctis conficiunt pulueres, vnguenta, & alia magica symbola) varij morbi hominibus irrogati, mortes animalium, vastationes segetum, arborum, domorum, & similia.

13 Septimum est crimen luxuriæ, & nefariæ cum dæmone ipso in corpore assumpto commixtiones.

14 Ex quibus omnibus sequitur, quod Magi (idemque dico de sagis, seu lamiis) etiamsi fortè damna aliquibus non intulerint, digni sint morte, & è Republica penitus exterminandi, ob hæresim, apostasiam, idololatriam, nefandas commixtiones, & similia: Quapropter etiam *Exodi* 22. præcipitur, quod tales morte puniantur, ibi: Maleficos non patieris viuere. Vide Suarez *tom.* 1. *de Religione, libro* 2. *de superstitione, capite* 8. *numero* 22. *& seqq.*

15 Vbi aduerte, quod quandoque adoratur dæmon cultu solius Dei, & ceremoniis ad ipsum solum Deum ordinatis, & tunc est idololatria: Quandoque verò adoratur cultu solo Sanctorum, propter excellentiam suæ naturæ, ac scientiæ ad habendum eum propitium, & tunc erit idolodulia, contraria virtuti duliæ, qua coluntur Sancti; quandoque adiungitur promissio renunciandi baptismo, & Christo, vel promissio perpetuæ obedientiæ dæmoni, &c. & tunc talis erit malitia peccati noua adiuncta, quale fuerit pactum, & qualis promissio: quandoque creditur dæmoni quidpiam dicenti, & tunc si credatur ei tanquam veritati infallibili in dicendo, vel res dicta ab eo sit contra fidem, erit crimen hæresis; si verò ex hoc diuinatio sequatur, & inductio aliorum ad credendum illa, quæ diuinantur, & ad iuxta illa, quæ diuinantur, operandum, erit peccatum diuinationis, scandali, seu inductionis aliorum ad peccandum; si

si tandem sit ad conciliandam opinionem hominum, quod scilicet ipse commercium habens cum dæmone sit Sanctus, vel Propheta, erit sacrilega hypocrisis: sic Doctores, quos sequitur Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 43. dub. 5. num. 28.* Quod si verò nihil horum coniungatur, sed solùm sit animus sciendi res illas diuinandas hoc illicito modo, erit curiositas, ooo addeus superstitiosæ, ac mortali diuinationi, & pacto cum dæmone malitiam vllam de nouo: sic Doctores iidem, quos sequitur idem Lessius *loco suprà citat.*

SECTIO VI.

An, & quid dicendum de pœnis Iure statutis contra magos, maleficos, & alios diuinatores: Item quid dicendum de libris, & scriptis ipsorum: Item an teneantur restituere pretium, quod pro diuinatione, vel simili alia opera sua acceperunt?

Respondetur: De his rebus vide *infrà dub. 228. sect. 1. 2. 3. & 4.*

DVBITATIO CCXXVIII.

Quidnam dicendum de quibusdam aliis magiæ quasi speciebus, & quibusdam aliis vanis obseruationibus?

SECTIO PRIMA.

Dubitationis resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Magia alio modo dupliciter sumitur, aliquando latè, & impropriè, pro ratione scilicet efficiendi cuiuscumque operis: aliquando strictè, & propriè, pro ratione scilicet efficiendi opera mirabilia. Cuius magiæ tres species sunt.*

2 *Magiæ prædictæ prima species est ars notoria, per quam verbis, certisque signis adhibitis, variæ scientiæ, vel disciplinæ sine labore comparantur: Qua arte hæretici Anabaptistæ vtuntur.*

3 *Magiæ huiusmodi secunda species est, quæ refertur ad sanitatem, & ad immunitatem à vulneribus hominum, vel animalium corporibus præstandam per benedictiones, insufflationes, incantationes, scripturas, vel ligamina, &c. & quomodo contingat.*

4 *Magia in dubio, hoc est an alicui rei virtus aliqua insit ad sanitatem consequendam, non statim tanquam quid superstitiosum, aut magicum damnari debet, cùm admirabiles virtutes insint rebus incognitis, viris sapientibus. Et ideò potest iis rebus vti cum superstitione, non vello vti scilicet re diabolica, quatenùs diabolica sit.*

5 *Secus si res, qua adhibetur, sit inutilis, vel propè inutilis.*

6 *Ad hanc magiæ quasi speciem reducuntur alia corporum mutationes, quæ in homine vtilitatem aliquam efficiuntur, & à causis naturalibus tali modo prouenire non possunt, vt exempli gratiâ thesauri occulti inuentio, & transportatio, &c.*

7 *Magiæ tertia species est quæ refertur ad damnum, vel nocumentum hominibus, iumentis, segetibus, vel possessionibus inferendum, vt propriè maleficium, seu veneficium nominetur, quod inuoluit restitutionis obligationem.*

8 *Magus, ariolus, seu diuinator si operam suam accepta mercede alieni præstiterit, licèt paciscendo peccauerit, tamen quod accepit, in conscientia restituere non tenetur, cùm opera, quam præstitit, sit pretio æstimabilis.*

9 *Medicus, qui iuxta medica artis præcepta medicinam adhibuit, non tenetur infirmo moriente mercedem acceptam hæredibus illius restituere.*

Respondetur, quod præterea magia dupliciter 1 alio modo desumatur; aliquando latè & impropriè, pro ratione scilicet efficiendi cuiuscumque operis (licèt illud non sit admirabile, neque facultatem humanam excedens, sed etiam ab homine præstari possit) per opem, ac societatem dæmonis; aliquando verò strictè, & propriè, pro ratione scilicet efficiendi opera mirabilia, & facultatem humanam excedentia (quæ ab homine præstari non possint) per opem, ac societatem similiter eiusdem dæmonis: dicitur enim magia, quia ad ostendendam sapientiam, & ad homines in admirationem commouendos quamplurimùm confert: cuius magiæ tres species sunt.

Prima est ars notoria, per quam, certis verbis, certisque signis adhibitis, variæ scientiæ, vel disciplinæ sine labore comparantur: qua arte Anabaptistæ vti, sed cum ad fidem Catholicam redierint, in pristinam inscitiam relabi dicuntur. 2

Secunda est, quæ refertur ad sanitatem, & ad immunitatem à vulneribus hominum, vel animalium corporibus præstandam per benedictiones, insufflationes, incantationes, scripturas, vel ligamina, &c. quæ quòd naturalem virtutem hanc medendi non habeant, manifestè constat ex vera Philosophia, v. g. si ferrum, quo læsus quis sit, in porcinum vnguem infigatur, vel certum genus arboris per illud cædatur, sanitatem fore recuperandam: si loco vulneris circuoligandi ramus arboris, vel pes scamni circuoligetur, curationem fore secutuiam: vt olera ab erucis non infestentur, summo mane quotidie scopis esse tangenda: vt pluuia proueniat, sanctorum imaginem aquis esse mergendam, & similia. 3

Quamvis, si dubitetur, an rei, quæ ad sanitatem consequendam applicatur, huiusmodi virtus naturalis inesse possit, non statim tanquam quid superstitiosum, vel magicum id damnari debeat; cùm admirabiles, cæque etiam viris doctis incognitæ rebus multis de facto virtutes insint, sicuti rectè notarunt Victoria *in relectione de arte magica, q. 3. n. 6.* & alij, quos sequitur Sanchez *lib. 2. moral. cap. 38. num. 44.* 4

Quapropter in tali casu si quis experientia motus huiusmodi rem, tanquam ad sanitatem consequendam idoneam adhibere velit, expressè protestari debet, quod (si vlla vis diabolica ex quocumque pacto superstitioso subsit) nolit, quod effectus vllo modo sequatur: sic Doctores, quos citat, & sequitur Sanch. *loco suprà citato, num. 25.* 5

At si certum, vel propè certum sit, quod res, quæ adhibetur, secundùm se inutilis, & vana sit: Is qui etiam sic protestatur, per protestationem non excusetur à peccato; quandoquidem, vt alibi dicebam, protestatio est contraria facto; nisi forsan id fiat non ad experiendum, sed ad dæmonis institutionem conuincendam: Qua ratione Caietanus *in summa, verbo Incarnatio*, ait se mouendo aonolum superstitionem illam, proounciato versiculo Psalmi, demonstrasse, quia cùm protestatur, nolle se prædictum versiculum

lum secundùm dæmonia institutionem, sed ad Dei laudem pronunciare, annulus nullo modo motus fuit.

6 Ad hanc magiæ quasi speciem reducuntur aliæ corporum mutationes, quæ in hominis vtilitatem aliquam efficiuntur, & à causis naturalibus tali modo prouenire non possunt, verbi gratiâ, thesauri occulti inuentio, & transportatio; nubium repentina congregatio, vel de loco ad locum hominis distantis deductio; quod sagia, & lamiis nonnunquam accidit, vt te ipsa quidem interdum ad montes, prata, cellas vinarias, dæmonis ope, sine strepitu, reseratis feris, iterumque eis clausis, deferantur, sicuti in primam partem Sancti Thomæ, *tractatu de Angelis* probabam, & experientia demonstrat, & ex communi docent Martinus Delrio *libro* 2. *disquisit. magicar. quæst.* 16. Syluester *verbo hæresis* 3. *quæst.* 6. Malleus Maleficiorum *part.* 1. *quæst.* 1. Simanchas *de Cathol. institut. tit.* 37. *num.* 6. Lessius *de iust. & iur. lib.* 2. *cap.* 44. *dubit.* 3. *num.* 15. & Suarez *citato lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 14. Etsi dissentiant Nauarrus *in summa, cap.* 11. *num.* 38. *vers.* 32. Rodriquez *tom.* 1. *cap.* 7. *conclusione* 9. quibus fauet, vt fatear, author *cap. Episcopi*, 26. *quæstione* 5. & quibus vltrò concedo, quod sæpè sæpiùs sagis, ac lamiis talia contingant, non re ipsa, sed per phantastieam solam dæmonis illusionem.

7 Tertia est, quæ refertur ad damnum, vel nocumentum hominibus, iumentis, segetibus, vel possessionibus, &c. inferendum, & propriè maleficium, seu veneficium nominatur: Ideoque iniustitiæ actum, & restitutionis obligationem inuolvit, adeò vt vbicumque per consuetudinem maleficorum, seu veneficorum bona confiscantur, ex istorum bonis confiscatis fiscus damnum, vel nocumentum illatum compensare debeat, iuxta textum *in leg. non possunt, ff. de Iure fisci*: [Quia id bonorum eiusque esse intelligitur, quod æri alieno superest,] vt ibi dicitur. Idemque dicas de hæredibus, si bona prædictorum delinquentium ad ipsos hæredes deferantur, vti desumitur *ex cap. in literis, de raptorib.* quia res, sicque hæreditas, semper transit cum onere suo.

8 Cæterùm, si magus, ariolus, seu diuinator operam suam, accepta mercede, alicui præstiterit, licèt paciscendo peccauerit, tamen quod accepit (cùm opera, quam præstitit, sit pretio æstimabilis) in conscientia restituere non tenetur. Rodriquez *tom.* 1. *summa, cap.* 7. *conclusione* 4. Petrus Nauarra *de restitutione, lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 117. & alij, quos sequitur Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 38. *num.* 96. qui contra Petrum Nauarram, & alios satis probabiliter subdit, quod magus, ariolus, seu diuinator, neque quod accepit, in conscientia restituere teneatur, tametsi res ab ipso postulata non euenerit, dummodo ipse artis magicæ peritus iuxta magicæ artis regulas operam, & diligentiam præstiterit; cùm talis opera sit pretio æstimabilis (vti suprà dicebam.) Quemadmodum & medicus etiam, qui iuxta medicæ artis præcepta medicinam adhibuit, non tenetur, infirmo moriente, mercedem acceptam hæredibus illius restituere, iuxta textum *in leg. item apud, §. si quis Astrologus*, & tradit *ibi* Gloss. *verb. non potest, ff. de iniuriis.* Vide quæ dicentur *infrà sectione* 4.

SECTIO II.

Quidnam dicendum de pœnis Iure statutis contra magos, maleficos, vel diuinatores?

SVMMARIVM.

1 *Magi nullam incurrunt suspensionem, aut irregularitatem, sed solum excommunicationem secundùm quosdam ipso iure latam, non autem ferendam, ex diuersis iuribus allegatis: at oppositum non est omninò improbabile.*

2 *Iura in contrarium allegata non vrgent, & cur?*

3 *Verbum anathema sit, quando importet excommunicationem latam ipso iure, vel ferendam per iudicis sententiam.*

4 *Decreta posteriora dubia, absurdum non est, declarari per priora.*

5 *Inquisitores, attento iure veteri, cognoscebant aduersus solos diuinatores miscentes aliquid hæresis.*

6 *Inquisitores item cognoscere possunt, si quis actus, vel si quod opus aliam contineat superstitionem, in qua sit ob expressum cum dæmone pactum, vel ob alias circumstantias, hæresis suspicio, qua suspicione cessante est mixti fori, scilicet Iudicis Ecclesiastici, & Iudicis Laici, ita vt detur præuentio inter ipsos.*

Svppono, quod tales homines nullam incurrant suspensionem, aut irregularitatem, sed solùm excommunicationem; quæ tamen dubium est inter Doctores, an sit ipso Iure, seu ipso facto lata, vel tantùm ferenda.

Quidam (quos sequitur Martinus Delrio *lib.* 4. *disquis. magicar. cap.* 2. *quæst.* 7. *sect.* 4. & inclinat Suar. *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de superstitione, cap.* 19. *num.* 5. & alij) putant, quod sit ipso Iure lata, non autem solùm ferenda.

Mouentur primò *ex cap. si quis Episcopus.*

Secundò, *ex cap. aliquanti*, 26. *q.* 1. quatenus *ibi* dicitur: *ab Ecclesia habeantur extranei.*

Tertiò, ex extrauaganti Ioannis XXII. incipiente *Super illius*, quæ licèt inter extrauagantes eius in corpore iuris non habeatur, habetur tamen apud Tabienam *verb. excommunicatio* 5. *cas.* 4. *n.* 1. & apud Directorium Inquisitorum 2. *part. q.* 34. Vbi tamen solùm fit mentio de dæmonem inuocantibus, vel illum in aliqua re alligantibus, vel illum adorantibus, vel cum illo pactum aliquod ineuntibus, vel illi immolantibus; & tunc tantummodò, quando tales homines aliquid ex dictis operibus facere præsumpserint.

Quartò meliùs *ex cap.* 1. 26. *q.* 5. quatenus *ibi* dicitur: *Si quis ariolos, aruspices, aut incantatores obseruauerit, aut phylacteriis vsus fuit, anathema sit*: Cùm hæc verba, *anathema sit*, aut *excommunicatus sit*, &c. contineant excommunicationem ipso Iure, seu ipso facto latam, & non solùm ferendam. Suarez *cit. c.* 19. *num.* 3. *& seqq. & in* 5. *part. disp.* 5. *sect.* 3. *num.* 4. & alij multi, quos refert Sanchez *de matrimon. lib.* 7. *disp.* 12. *num.* 2. His tamen non obstantibus.

Respondetur: Non omninò improbabile est oppositum (quod docent Alensis 2. *part. q.* 164. *membr.* 5. Syluester *verb. superstitio, quæst. vltima*, quatenus aiunt, quod tales homines excommunicandi sint: Et expressè Nauarrus *in summa, cap.* 27. *num.* 12. Suarez *cit. cap.* 19. *n.* 5. *&* 6. Lessius *de iust. & iur. lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 5. *num.* 29. Azor. *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 9. *cap.* 26. *quæst.* 3.

q. 3. & alij complures, quos citat, & sequitur Sanchez loco supra citato de matrimonio.

2 Probatur, quia non vrget textus in cap. si quis Episcopus, cùm de excommunicatione nihil loquatur: neque vrget textus in cap. aliquanti, cùm vtatur verbo futuri: Ab Ecclesia habeantur extranei: quod verbum continet excommunicationem non ipso iure latam, sed tantùm ferendam: neque vrget textus in Extrauaganti Ioannis XXII. cum (præter ea, quæ quoad hanc extrauagantem suprà dicebam) non sit sufficienter promulgata, vt eum effectum operetur. Suarez eodem cap. 19. num. 6. & alij passim; neque tandem vrget textus in c. 1. 26. q. 5. quatenus ibi di-3 citur, Anathema sit; quia non omninò improbabile est, quod talia verba, licèt in Conciliorum decretis pertinentia ad fidem determinantibus importent, hæreticum esse illum, qui contra aliquius ex dictis decretis determinationem contrarium senserit, non important tamen excommunicationem ipso iure, seu ipso facto latam, sed solùm ferendam, sicuti notarunt DD. quos citat, & sequitur Sanchez loco suprà citato de matrimonio, & Nauarrus citato num. 1 a. loquens de his verbis, Excommunicatus sit; probantque id ex eo, quia verbum, sit, est futuri temporis, aut saltem, an sit futuri, vel optatiui modi, vel præsentis subiunctiui, ambiguum: Quapropter illud in hoc dubio iuris in mitiorem partem interpretari debemus: at hæc ratio militat omninò in his verbis, Anathema sit; quinimmò clariora sunt illa verba, Excommunicatus sit: Ergo, &c.

Confirmatur, quia cito dicimus, quod prædicta verba, Anathema sit; importent excommunicationem ipso iure, seu ipso facto latam, & non tantùm ferendam, intelligendum tamen id est, nisi proferantur in materia, in qua constat ex aliis textibus non imponi excommunicationem ferendam, sicuti dixerunt Nauarrus eodem cap. 27. n. 11. Suarez eodem cap. 19. n. 4. & alij multi, quos sequitur Sanchez eadem disp. 12. n. 1. At hoc idem, cùm cap. 2. & 3. & cap. Non oportet, 26. quæst. 5. & alij complures textus sint, qui declarent, excommunicationem istam esse ferendam, in casu nostro contingit: Ergo, &c.

4 Non obstat, si dicas, hoc nihil probare; quia textus isti sunt antiquiores; non obstat, inquam, si sic dicas, quia nullum absurdum est, decreta posteriora dubia declarari per priora, sicuti rectè adnotarunt Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez de matrimonio, lib. 2. disp. 24. num. 6.

Atque hinc patet ad rationes oppositas sententiæ prioris contrariæ.

5 Cæterùm, attento iure veteri, Inquisitores cognoscebant aduersùs solos diuinatores, miscentes aliquid hæresis, ex textu in cap. accusatus, §. licèt, de de hæretic. in 6. At hodie, attento motu proprio Sixti V. & altero motu proprio Vrbani VIII. contra Astrologos, possunt & Ordinarij, & Inquisitores inquirere, procedere, & animaduertere in omnes suspectos quamlibet diuinandi artem exercentes, profitentes, discentes, docentes, & diuinationem vanam quamcunque adhibentes, aut in ea quomodocumque se ingerentes ex prædicto motu proprio Sixti V. & prædicto altero motu proprio Vrbani VIII. & tradunt Doctores communiter, quos citat, & sequitur Suarez eod. cap. 19. n. 51. & Azor. tom. 1. Instit. moral. lib. 9. cap. 26. q. 4.

6 Si quis autem actus, vel si quod opus aliam contineat superstitionem, in qua sit, ob expressum cum dæmone pactum, vel ob alias circumstantias, hæresis superstitio, pertinet ad Inquisitores; si verò nulla sit hæresis suspicio, est mixti fori, scilicet iudicis Ecclesiastici, & iudicis laici; & ita vt detur præuentio inter illos. Abbas, & alij passim, quos citat, & sequitur Iulius Clarus lib. 5. receptarum, §. hæresis, numero 35. & Suarez vbi suprà, citato numero 11.

SECTIO III.

Quidnam dicendum de libris, & scriptis magorum, & maleficorum, vel diuinatorum?

SVMMARIVM.

1 *Libri omnes, & omnia scripta Geomantiæ, Hydromantiæ, aeromantiæ, pyromantiæ, œnomantiæ, & in quibus sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, vel artis magicæ incantationes continentur, interdicuntur in indice librorum prohibitorum in Motu proprio Vrbani VIII. & Sixti V.*

Respondetur: Omnes libri, & omnia scripta geomantiæ, hydromantiæ, aëromantiæ, pyromantiæ, œnomantiæ, & in quibus sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, vel artis magicæ incantationes continentur, interdicuntur in indice librorum prohibitorum iussu Tridentini Concilij addito, regula nona, & in Motu proprio Sixti V. & in altero Motu proprio Vrbani VIII. contra Astrologos, quos præcedenti sectione referebam; vbi vterque pontifex iubet, quod omnes huiusmodi libri, & huiusmodi scripta tradantur Ordinariis, vel Inquisitoribus, quodque possint Inquisitores in eos (qui tales libros, vel talia scripta legerint, vel tenuerint) procedere, & animaduertere. 1

Sed de prohibitione librorum, & de pœnis libros prohibitos legentium, vel tenentium, vide quæ dixisè dicebam dub. 35. vsque ad dub. 46. & quæ dicam dubit. 230. sect. 17.

SECTIO IV.

An magi, astrologi, vel diuinatores teneantur restituere pretium, quod pro diuinatione, vel alia simili opera sua acceperunt.

SVMMARIVM.

1 *Magi, Astrologi, vel diuinatores non tenentur restituere pretium, quod pro diuinatione, vel alia simili opera sua acceperunt, si ea videlicet naturalia sunt, & quæ naturaliter prædici solent, vt eclipses, &c.*

2 *Magi, Astrologi, vel diuinatores tenentur è contra restituere pretium, quod pro diuinatione, vel alia simili opera acceperunt, si ea videlicet, quæ prædixerunt, occulta sint, vt furtum, vel homicidium occultum, &c. vel libera contingentia, seu actus liberi; quia ad hæc eorum scientia non se extendit.*

3 *Medicus profitens, se liberaturum infirmum à morbo, quem nouit immedicabilem; & aduocatus, vel procurator, &c. profitens se victurum clienculo litem, quam nouit inuincibilem, tenentur expensas resarcire.*

Dui

4 *Diuinator, vel magus ſi nullam operam appoſuit, vt arte dæmonis ſciret id, quod nullo alio modo ſciri poteſt, tenetur, ſiue effectus ſequatur, ſiue non, pretium acceptum reſtituere danti; quia nullam diligentiam adhibuit, contra nonnullos aſſerentes, reſtituendum eſſe pauperibus, tanquam turpe lucrum.*

5 *Idem procedit etiamſi conſulens diuinatorem deliquerit, niſi damnatus fuerit per ſententiam; quia etiam in tali caſu pretium danti eſt reſtituendum.*

6 *Diuinator, vel Aſtrologus, ſi operam ſuam appoſuit, vt id arte dæmonis ſciret, & arte dæmonis res ita euenit, non tenetur pretium acceptum reſtituere danti, quia ipſe ſuam operam, etſi turpem, conſulenti tamen vtilem appoſuit.*

7 *Acceptum pro opere turpi, putà pro fornicatione, pro adulterio, &c. quinimò & acceptum pro opere turpi contra iuſtitiam, vt pro homicidio, aſſaſſinio, vel etiam pro iniuſtitia in iudicio facienda, non eſt obnoxium reſtitutioni.*

8 *Diuinator, vel Aſtrologus quod ſecundùm Petrum Nauarrum, Salam, & Manuëlem teneatur indiſtinctè pretium acceptum reſtituere, quando res non ita euenit, auctori minùs probatur. Sufficit enim, hos diligentiam pro illa re adhibuiſſe. Quæ quidem eſt pretio æſtimabilis.*

1 Reſpondetur: Non tenentur, ſi ea (v.g. naturalia, vt eclypſes, pluuias, &c. vel etiam inclinationes naturales) ad quæ ipſorum ſcientia ſe extendit, prædicant (etiamſi poſtea effectus non ſequatur) quia bona fide ſecundùm regulas artis id, ad quod ipſorum ſcientia ſe extendit, prædixerunt; ſicut non tenetur medicus, ſi ſcilicet ſimiliter ſecundùm regulas Medicinæ medicatus fuerit, reſtituere curationis ſtipendium, eo quòd infirmus moriatur; nec in ſimili tenetur aduocatus aduocationis pretium, vel procurator procurationis mercedem reſtituere, eo quòd lis deperdatur: ſic Doctores communiter, quos ſequitur Nauarra *de reſtit. lib. 2. cap. 2. part. 1. dub. 7. num. 161. & ſeqq.*

2 Dico ſecundò: tenentur autem è contra, ſi ea (v.g. occulta, vt furtum, vel homicidium occultum, &c. vel libera contingentia, vt quemcunque actum liberum) ad quæ ipſorum ſcientia ſe non extendit, prænoncient, etiamſi poſtea effectus ſequatur, quia per accidens ſequetur; quinimò propter idem tenentur etiam ad damnum ſpirituale, nempe liberare conſulentem ab errore, ſi ſcilicet iſte talis crediderit, id per artem ſciri poſſe, & aliundè non fuerit ab errore liberatus. Tenentur etiam ad damna ex ipſorum iudicio eidem conſulenti ſubſequuta, ſi iſte ſub ſpe diuinationis illorum expenſas fecerit, vel damnum aliud paſſus fuerit, quia ipſi omnes iſtorum damnorum præ-
3 dicto conſulenti iniuſta cauſa fuerunt (ſicut medicus profitens, ſe liberaturum infirmum à morbo, quem nouit immedicabilem; & aduocatus, vel procurator, &c. profitens, ſe victurum clientulo litem, quam nouit inuincibilem, tenentur expenſas reſarcire) ſic DD. quos ſequitur Petrus Nauarra *loco ſuprà citato, num. 162. & 163.*

Quod tamen intellige cum limitatione, quam dicam infrà *in fine ſectionis præſentis.*

4 Cuinam autem pretium acceptum pro hoc iudicio ferendo, reſtituendum ſit?

Reſpondetur, quod quamvis nonnulli, quos ſequitur Gratian. *in cap. qui hebetis, 24. q. 5.* teneant illud tanquam turpe lucrum, reſtituendum eſſe pauperibus; meliùs diſtinguant alij, quos ſequitur Petrus Nauarra *cit. num. 163. & ſeqq.* Salas 1. 2. *q. 9. art. 5. tract. 5. diſp. 2. ſect. 8. num. 79.* & Manuël 1. *p. ſummæ, cap. 7. num. 4.* in hunc modum.

Si diuinator, vel magus nullam operam appoſuit, vt arte dæmonis ſciret id (quod nullo alio modo ſciri poteſt) tenetur, ſiue effectus ſequatur, ſiue non ſequatur, pretium acceptum reſtituere danti; quia nullam diligentiam adhibuit (ſed caſu effectus euenit, aut non euenit.) At pretium datur ipſi propter operam, & quidem conſulenti ad effectum conſequendum vtilem, quam impendit; Ergo, &c. Sicut ſi quia Medicinæ prorſus ignarus eſſet, aut inutilia infirmo applicaret (idemque proportionabiliter de Aduocato, Procuratore, vel alio ſimili dico) teneretur pretium curationis acceptum infirmo reſtituere, quamvis iſte caſu liber à morbo factus fuiſſet.

Neque obſtat, quod conſulens, ſeu adiens diuinatorem, vel Aſtrologum in ea re, offerens pretium pro re turpi, deliquerit; quia adhuc probabilior ſententia tenet, illud ipſi danti, donec per ſententiam, quod illo pretio priuetur, condemnatus fuerit, reſtitui debere. 5

Si verò diuinator, vel Aſtrologus operam ſuam 6 appoſuit, vt id arte dæmonis ſciret, & arte dæmonis res ita euenit, non tenetur pretium acceptum reſtituere danti; quia ipſe ſuam operam, etſi turpem, conſulenti tamen vtilem appoſuit: At acceptum pro opere 7 turpi (vt pro fornicatione, vel adulterio, &c. quinimò & acceptum pro opere turpi contra Iuſtitiam, vt pro homicidio, aſſaſſinio, vel etiam pro iniuſtitia in Iudicio facienda; quamvis non item pro Iuſtitia in eodem iudicio tribuenda, cum ad hanc Iudex teneatur ex officio) non eſt obnoxium reſtitutioni, iuxta probabiliorem ſententiam Doctorum: Ergo, &c.

Cæterùm, quod indiſtinctè adducit Petrus Nauar- 8 ra, Salas, & Manuel *in locis ſuprà citatis*, teneri ſcilicet diuinatorem, vel Aſtrologum pretium acceptum reſtituere, quando res non ita euenit: Mihi minùs probatur, ſed potiùs dicendum videtur, quod quando diuinator, vel Aſtrologus diligentiam arte dæmonis ad eum effectum neceſſariam adhibuit, pretium acceptum pro diuinatione reſtituere non teneatur, (ſicut Medicus, quando iuxta artis præcepta medicatus eſt, non tenetur pretium acceptum reſtituere, etiamſi infirmus moriatur. Idemque dico de Aduocato, Procuratore, vel alio ſimili, etiamſi lis deperdatur:) Quia diligentia illa, quam diuinator, vel Aſtrologus appoſuit, eſt pretio æſtimabilis; Quapropter neque tenetur damna, & expenſas conſulenti reſarcire in hoc caſu, ſed tantùm quando nullam operam impendit, vel eius diabolicæ artis ignarus fuerat; Quia in hoc caſu tantùm, non autem quando operam ſuam, eamque conſulenti vtilem impendit, proximum decepit.

Et in hunc modum limitari debet, quod ſuprà dicebam dicto ſecundo, in fine, iuxta ea etiam, quæ dicebam *ſuprà ſectione 1. circa finem.*

SECTIO V.

Quidnam ſit vana obſeruantia (quæ eſt vltima ſuperſtitionis ſpecies) & in quonam differat à diuinatione?

SVMMARIVM.

1 *Vana obſeruantia eſt, cum quis mediis inutilibus, & à Diuina Prouidentia non conſtitutis procurat aliquem effectum, v. g. conſequi aliquod bonum, vel vitare aliquod malum, vel alteri inferre aliquod damnum.*

2 *Vana obſeruantia dicitur, vel quia non conſequitur effectum intentum: vel quia, ſi illum conſequatur, plus noxæ, quàm commodi homini affert.*

3 *Vana obſeruantia differt à diuinatione: Nam diuinatio*

natio ordinatur ad solam rerum occultarum cognitionem indebito modo consequendam. Vana autem observatio ad effectum externum, vt ad aliquid obtinendum, vel vitandum.

4 *Vana huius observantia malitia consistit in eo, quod aliquo modo tribuitur creatura diuinus honor, expectando à Creatura mediis inutilibus effectum qui à Deo per media, qua ipse constituit, expectandus est.*

5 *Vanam per observantiam consecutio effectus auxilio damonis, qui vel expressè, vel tacitè inuocatur, ac proindè pacto expresso, vel tacito ab homine cum ipso damone inito, semper innititur.*

6 *Pactum expressum cum damone dupliciter contingit: Primò quando damon verbis inuocatur: Secundò, facto ipso, quando quisquam sciens damonem per medium aliquod vanum operari, medium illud vanum vsurpat.*

7 *Damon solet quatuor modis pracipuè concurrere ad magorum effectus.*

8 *Concurrit primo modo objiciens sensibus vera corpora, siue aliunde occultè, vt velociter asportata; siue per occultam actiuorum, & passiuorum applicationem ab ipso damone factam generata.*

9 *Concurrit secundo modo objiciens oculis intuentium apparentes corporum similitudines, ex aere scilicet, vaporibus, & exhalationibus ab ipso damone formatas.*

10 *Concurrit tertio modo nec vera corpora, nec corporum similitudines ex aëre, vaporibus, & exhalationibus formatas objiciens sensibus externis, sed per aliud medium illudens, vt homo se videre exteriùs credat, quod reuera nec videt, nec extat à parte rei.*

11 *Concurrit quarto modo illudens per aliud medium similiter, absque scilicet alienatione à sensibus externis, ordinante damone phantasmata interiora, & commouente spiritus, vel cum alienatione à pradictis sensibus externis per quandam corporis alterationem, &c.*

12 *Magi, licèt possint virtute, vel auxilio damonis efficere quadam mirabilia, qua in admirationem intuentes mouent, eo quòd causa illorum mirabilium occulta ipsos lateat, non possunt tamen efficere vera miracula, cùm pradicta naturalium causarum virtutem non excedant.*

13 *Observantia vana est superstitio verè, & propriè, quando effectus, qui per media illa vana speratur, damonis potestatem excedit; quia tunc effectus solius Dei proprius à damone speratur, ac proinde honor soli Deo debitus ad damonem transfertur.*

14 *Vana Observantia verè & propriè neque est superstitio, quando causa adhibita est sufficiens ad effectum consequendum: vtamen modus est vanus; sed tantùm pactum cum damone, quamvis contra Valentiam, & alios adhuc probabilius sit oppositum.*

15 *Observantia vana superstitio cognosci potest ex duplici capite, vel ex insufficientia causa ad effectum intentum consequendum adhibita, vel ex circumstantia inutili, & vana, tanquam ad talem finem necessaria.*

16 *Observantia vana superstitionem non reddit licitam experientia effectuum successus, qui per talem superstitionem obtineri consueuit.*

17 *Observantia vana superstitio est duplex, vna, qua continet pactum expressum, seu explicitum cum damone: altera, qua continet pactum tacitum, seu implicitum cum eodem: Et quomodo vtrumque contingat, vbi posterioris vide triplicem diuisionem, & qua vnaquaque sit.*

1 RESpondetur, quod vana obseruantia (sicuti colligitur ex S. Thoma 2.2. q.96. art.1. & 2. quam sequuntur communiter Doctores) fit, cùm quis mediis inutilibus, & à diuina Prouidentia non constitutis procurat aliquem effectum, v.g. consequi aliquod bonum, vel vitare aliquod malum, vel alteri inferre aliquod damnum.

2 Dicitur autem vana Obseruantia, vel quia non consequitur effectum intentum, vel quia si illum consequatur, plus noxæ, quàm commodi (cùm noxa sit in rebus animæ, & spiritualibus, commodum autem in rebus corporis, & temporalibus) homini affert: Quapropter differt à diuinatione, quòd diuinatio ordinetur ad solam rerum occultarum cognitionem indebito modo consequendam; vana autem obseruantia ad effectum externum, vt ad aliquid obtinendum, vel vitandum, vel ad aliquod damnum alteri inferendum. 3

Cæterùm huius vanæ obseruantiæ malitia consistit in eo, quod aliquo modo tribuitur creaturæ diguus honor, expectando à creatura mediis inutilibus, & inefficacibus, & à Deo non constitutis effectum, qui à Deo per media, quæ ipse constituit, expectandus esset. Item quia innititur pacto expressu, vel tacito (sicuti mox infrà dicam) ab homine cum dæmone inito, in quo & malitiam diuinationis consistere, *dub.* 221. *sect.* 1. & 2. dicebam. 4

Aduerte tamen, quod consecutio effectus per vanam obseruantiam auxilio dæmonis (qui vel expresè, vel tacitè inuocatur) ac proinde pacto expresso, vel tacito ab homine cum ipso dæmone inito, semper innititur, sicuti & *de diuinatione cit. sect.* 1. & 2. dicebatur, & videri poterit S. Augustinus *de Ciuit. Dei, lib.* 21. *cap.* 6. & S. Thom. 2.2. *q.* 96. *art.* 2. & *opusc.* 25. communiter receptus. 5

Contingit autem pactum expressum cum dæmone dupliciter. Primò quando dæmon verbis inuocatur. Secundò, facto ipso, quando quispiam, sciens dæmonem per medium aliquod vanum operari, medium illud vanum vsurpat, sicuti dicebam *eadem sect.* 1. & 2. vbi & subdebam, quod pactum tacitum cum dæmone, seu tacita inuocatio, & auxilium dæmonis (etiam homine ignorante, & præter eius intentionem, absque vllo scilicet expresè pacto inito cum aliquo Mago) contingat. 6

Aduerte secundò, quod præter alios modos, de quibus dicebatur *cit. dub. praeced. sect.* 2. & videri poterit sic Caietanus 2. 2. *quaest.* 95. *art.* 3. Pereyra *de Magia, lib.* 1. *cap.* 17. Valentia 2. 2. *disput.* 6. *q.* 12. *punct.* 2. & Martinus Delrio *lib.* 2. *disquisition. magic. quaest.* 8. quatuor modis præcipuè solet dæmon concurrere ad Magorum effectus, qui nobis mirabiles apparent. 7

Primo modo, objiciente dæmone sensibus vera corpora, siue aliunde occultè, & velociter asportata, siue per occultam actiuorum, & passiuorum applicationem ab ipso dæmone factam generata: itavt ille vnam rem ab oculis intuentium subtrahendo, & aliam occultè, & velociter substituendo, oculos intuentium decipiat, & faciat, quod res prior in priorem conuersa videatur: Quo modo dæmon (quippe qui naturalium omnium causarum virtutem, & proprietates, & eas applicandi commoda tempora nouit) sæpè sæpiùs multa mirabilia facit, quæ naturæ solius operatio, nisi artificiosa dæmonis applicatione adiuuante, non effecisset: At hæc tamen mirabilia non sunt supra naturam causarum naturalium; quia virtus naturalis mirabilia prædicta faciendi inest prædictis causis naturalibus à dæmone sic applicatis. Nec dæmon eas applicando aliquid virtutis eis confert, sed solo artificioso, & peculiari modo eas applicat: quæ solùm est conditio, sine qua non prædicta mirabilia à causis naturalibus efficerentur, sicuti rectè dixit S.Thom. 1. *p. q.* 110. *art.* 2. *ad* 3. & *lib.* 3. *contra gentes, c.* 103. 8

Atque ita iuxta S. Augustinum *lib. 3. de Trinit.* c. 7. & 8. & multos alios, quos referebam *citata sect.* 2. Magi Pharaonis *Exod.* 7. auxilio dæmonis serpentes apparere fecerunt, auferente scilicet dæmone etiam Magorum virgas, & aliundè asportante serpentes veros; itáque velociter, & occultè, vt videntes crederent, virgas in serpentes conuersas fuisse.

9 Secundo modo, objiciente dæmone oculis intuentium apparentes corporum similitudines, ex aëre scilicet, vaporibus, & exhalationibus ab ipso dæmone formatas, quæ vera corpora apparent, sicuti iuxta alios Doctores illi serpentes non erant serpentes veri, sed apparentes.

10 Tertio modo, nec vera corpora, nec corporum similitudines ex aëre, vaporibus, & exhalationibus formatas, dæmone objiciente sensibus externis, sed per aliud medium illudente, vt homo se videre exterius credat quod reuera nec videt, nec extat à parte rei, & hoc dæmon operatur commouens humores, qualiter idipsum humorum commotio in phreneticis, & somniantibus operatur.

11 Quarto modo, dæmone per aliud medium similiter vel illudente, absque scilicet alienatione à sensibus externis, ordinante dæmone phantasmata interiora, & commouente spiritus, vel cum alienatione à prædictis sensibus externis per quandam corporis alterationem, & vnctionem: quod lamiis, seu strygibus contingere aliquando consueuit: Siquidem istæ aliquando omninò à sensibus alienatæ manent, & tanquam mortuæ in terram corruunt (itavt neque ignem super ipsas ad motum aliquo modo sentiant) & sola animi cogitatione, & diabolica illusione in alia loca feruntur. Vtrùm autem prædictis lamiis, seu strygibus sic semper contingat, an aliquando verè, & realiter ipsæ ad quosdam conuentus corporaliter ferantur, dixi *eadem dubit. præced. sect.* 2.

12 Ex quibus sequitur, quod Magi (licèt possint virtute, vel auxilio dæmonis efficere quædam mirabilia, quæ in admirationem intuentes mouent, eo quòd causa illorum mirabilium occulta ipsos lateat) non possunt tamen efficere vera miracula; cùm prædicta mirabilia naturalium causarum virtutem non excedant. DD. communiter, quos sequitur Victoria *de Magia, q.* 13. *n.* 18. & Martinus Delrio *lib.* 2. *disquisit. magic. q.* 7.

13 Aduerte tertiò, quod quando effectus, qui per media illa vana speratur, dæmonis potestatem excedit (vt mortui resuscitatio, veræ cæcitatis, vel claudicationis sanatio, vel quodcumque aliud verum miraculum) est obseruantiæ vanæ superstitio verè, & propriè; quia tunc effectus solius Dei proprius à dæmone speratur, ac proinde honor soli Deo debitus ad dæmonem transfertur: At quando prædictus effectus dæmonis potestatem non excedit (vtpote qui ab ipso dæmone actiua passiuis applicante produci potest) est quidem propter commercium cum dæmone grauissimum peccatum; non tamen in opinione Valentiæ 2. 2. *disp.* 9. *q.* 13. *punct.* 1. Sayri *in Claui regia, lib.* 4. *cap.* 6. *n.* 1. & aliorum, est obseruantiæ vanæ superstitio verè, & propriè, sed solùm minùs verè, & impropriè; quia tunc nihil Dei proprium dæmoni tribuitur, quamvis contra Valentiam, Sayrum, & alios probabilius sit oppositum ex iis, quæ dicebam de diuinatione, *dub.* 121. *sect.* 1. & 2.

14 Similiter, quando causa adhibita est sufficiens ad effectum consequendum, attamen modus est vanus, in opinione etiam Valentiæ *loco suprà citato, punct.* 2. *vers. Primo igitur*, & aliorum, neque est obseruantiæ vanæ superstitio verè, & propriè, sed tantùm pactum cum dæmone; quamvis contra Valentiam, & alios adhuc probabilius sit oppositum ex iisdem, quæ dicebam *citata sect.* 1. & 2. Itavt in isto casu etiam non sit quidem obseruantiæ vanæ superstitio verè, & propriè ex parte effectus sperati, sit tamen obseruantiæ vanæ superstitio verè, & propriè ex parte vitiosæ circumstantiæ; quemadmodum cilicium, flagellatio, vel ieiunium, &c. (eo quòd corpus affligunt) vim quidem habent ad corporis concupiscentias coërcendas; sed si addatur aliqua circumstantia ad id minimè conducens, sed inutilis, & vana, v.g. quod certo loco, certo tempore, certo numero (itavt neque excedi, neque minui liceat) certa manu, vel certo instrumento, &c. fiant, erit obseruantiæ vanæ superstitio ex parte circumstantiæ; cùm illa licèt ad id inutilis, & vana sit, tanquam necessaria tamen expostuletur.

Aduerte quartò, quod obseruantiæ vanæ super- 15
stitio cognosci potest ex duplici capite, vel scilicet ex insufficientia causæ ad effectum intentum consequendum adhibitæ, vel ex circumstantia inutili, & vana (tanquam ad talem finem necessaria) adiuncta: quapropter quotiescumque causa ad bonum aliquod consequendum, vel ad malum aliquod fugiendum adhibita, non habet ad id virtutem naturalem, nec de supernaturali legitimè constat, & quotiescumque, licèt causa sit sufficiens, aliqua tamen circumstantia inutilis, & vana, tanquam si necessaria sit, adhibetur, censeri debet, quod opus superstitiosum sit, quodque ex tacito cum dæmone pacto effectus expectetur, iuxta ea, quæ iam suprà dicebam, & docent S. Thomas 2. 2. *q.* 96. *art.* 2. 3. & 4. Nauarrus *in sum. cap.* 11. *n.* 25. Ciruelo *de superstitione, part.* 1. *c.* 2. & alij passim.

Aduerte quintò, quod non reddit licitam hanc 16
obseruantiæ vanæ superstitionem experientia effectuum successus, qui talis per obseruantiæ vanæ superstitionem obtineri consueuit, iuxta ea quæ dicebam *de diuinatione, cit. dub.* 121. *sect.* 1. & 2.

Aduerte sextò, quod vanæ obseruantiæ supersti- 17
tio est duplex: vna quæ continet pactum expressum, seu explicitum cum dæmone: altera, quæ continet pactum tacitum, seu implicitum cum eodem. Prior est, quando quis per pactum expressum (siue verbis, siue ipso facto, vti suprà explicabam) à dæmone expressè inuocato, vel in commercium adducto addiscit aliqua incognita media, quæ naturales ad effectus producendos causæ sunt, vel quibus applicatis dæmon occultè effectum operatur: Posterior est, quando non fit prædicta inuocatio, sed adhibet quis ad effectum consequendum media, quæ ad illum consequendum inutilia, & vana sunt; atque ista posterior ex S. Thoma 2. 2. *q.* 96. *per totam*, adhuc est triplex: Prima, quando alicuius calamitatis, vel prosperitatis præcognitio per vanam diuinationem procuratur, vt per eam præcognitionem quis edoctus aliquid faciat, vel vitet. Secunda est, quando adhibentur preces voce, vel scripto, vel in collo appensæ, concurrente aliqua vana circumstantia, ex qua appareat, illas preces non referri ad Deum, vt vel sic ab illo expectetur effectus. Tertia, quando vanè (tanquam causæ alicuius effectus efficaces) adhibentur aliqua media, siue sint naturalia (vt herbæ) siue artificialia (vt characteres, vel figuræ, &c.) quæ ad illum effectum consequendum causæ sunt inefficaces.

SECTIO VI.

An obseruantia vana, seu obseruantiæ vanæ superstitio sit semper peccatum mortale?

SVMMARIVM.

1 *Obseruantia vana superstitio, si continet expressum pactum cum dæmone, semper est peccatum mortale: vbi etiam traditur, non requiri, quod effectus, & modus excedat virtutem dæmonis naturalem, quando intercedit huiusmodi pactum expressum, vt sit superstitiosa magia, seu obseruantia vana superstitio.*

2 *Obseruantia vana superstitio, si continet tacitum solum pactum cum dæmone, quamuis ex suo genere sit tale peccatum mortale, potest tamen esse veniale.*

3 *Primò ratione ignorantiæ vincibilis quidem, sed non crassæ, vel affectatæ.*

4 *Secundò ratione intentionis, vt si quis ex leuitate quadam superstitionem istam exerceat.*

5 *Tertiò ratione paruitatis materiæ, secundùm nonnullos, quos sequitur Valentia, cum hac tamen limitatione non improbabiliter, si pactum non sit expressum cum dæmone.*

6 *Auctor in casibus prædictis negat, dari paruitatem materiæ, ita vt excusari quis possit in dicto casu à peccato mortali, & cur.*

1 Respondetur: Obseruantiæ vanæ superstitio, si continet expressum pactum cum dæmone (siue effectus, qui speratur, excedat naturalem potestatem dæmonis, siue non excedat) semper est peccatum mortale, sicuti constat ex iis, quæ dicebam *suprà dub.221. sect.4.* & videri poterit inter alios præcipuè Valentia 2. 2. *disput.6. quæst.13. punct. 1. circa finem.*

Vbi aduerte, quod quando intercedit huiusmodi pactum expressum, vt sit superstitiosa Magia, seu obseruantiæ vanæ superstitio, non requiritur, quod effectus, & modus excedat virtutem dæmonis naturalem, sicuti rectè annotauit inter alios Suarez *tom.1. de Relig. lib.2. de superstit. cap.15.n.1.*

2 Dico secundò: Obseruantiæ vanæ superstitio, si continet tacitum solùm pactum cum dæmone, quamuis ex suo genere sit peccatum mortale, quia est contra Religionem, & cultum Deo debitum, potest tamen esse veniale.

3 Primò ratione ignorantiæ, vincibilis quidem, sed non crassæ, vel affectatæ, sicuti de diuinatione dicebam *dub.221. sect.4.*

4 Secundò ratione intentionis, vt si quis superstitionem istam non quasi efficacem, sed ex leuitate quadam quasi vanam exerceat, sicuti dicebam *citata sect.4.*

5 Tertiò ex nonnullis quos sequitur Valentia 2. 2. *disput.6. q.13. punct. 5.* ratione paruitatis materiæ; quia licèt (inquiunt ipsi) huius peccati malitia consistat in auferendo cultum Deo debitum, & in tribuendo creaturæ effectum à Deo sperandum, & vtraque deformitas, abstrahendo à quacumque materia videatur ex se grauis, sicque videatur non posse dari in tali casu paruitas materiæ; tamen improbabile non sit oppositum, dari scilicet in dicto casu paruitatem materiæ, quando non est expressum pactum cum dæmone (vt semel facere annulum super filum moueri;) quia ex solo tacito commercio cum dæmone, subdunt ipsi, non magis salutis spiritualis periculum homini imminet: quippe facilè huiusmodi vanam in materia leui occupationem deseret, sicque non facilè ad maiora à dæmone exinde allicietur.

At his non obstantibus, mihi cum aliis, quos sequitur Lessius *de Iust. & Iur. lib.2. cap.44. dub.4. n. 26.* probabiliùs videtur dicendum, non dari paruitatem materiæ, vt ratione scilicet paruitatis materiæ excusari quis possit in dicto casu à peccato mortali, tum ob rationem suprà tactam; tum quia in diuinatione paruitatem istam materiæ *in eadem dub.221. sect.4.* negabam; cùm tamen vtrobique sit eadem ratio: tum quia sic Caietanus *in summa, verb. Incantatio, in princ.* Armilla *ibidem, in fine*, Syluester *verb. Superstitio, q.10. circa finem.* Nauarrus *in sum. c.11. num.24.* Alcozer *in sum. cap. 14.* & alij multi vanæ istius obseruantiæ superstitionem seriò, & tanquam efficacem exercitam à mortali tantùm excusant ex sola ignorantia: quapropter & à mortali etiam excusarem ego, si non seriò, sed ioco, & ad experiendum effectum causa curiositatis quis semel talem superstitionem (mouendo v. g. annulum super filum) committeret, iuxta ea quæ dicebam *citata sect.4.* & iuxta ea, quæ dicam *sect.8.* 6

SECTIO VII.

Quidnam dicendum de vanæ obseruantiæ superstitione ad aliquid præcognoscendum?

SVMMARIVM.

1 *Vana obseruantia superstitio est eiusdem prorsus malitiæ, ac est diuinatio vana, seu superstitiosa, & ideò disposita de vana censentur etiam disposita de alia.*

2 *Vana obseruantia superstitionis malitia consistit in eo, quod ipsine media adhibita ad ea mala, vel prospera prænuncianda nullam vim naturalem, aut supernaturalem habent, ac proinde vt signa mala huius præcognitionis, cooperante dæmone, ac homines huiusmodi vanitatibus implicare volente, obseruantur.*

3 *Superstitionis huius est, si quis obseruet dies, quasi quidam dies sint fausti, quidam infausti, sicque v.g. nolit opus incipere die Martis. Quod tanquam vanum & superstitiosum interdicitur.*

4 *Id tamen intellige, si quis id efficaciter, & certò credat, nec excusetur ex ignorantia; secus si obseruet dies ex solo quodam timore, &c.*

5 *Superstitionis huius etiam est, si quis certis diebus olera scopis tangat, ne ab erucis, vel aliis infectis animalibus lædantur, vel si nolit die Veneris vngues præscindere, &c.*

6 *Superstitio non est, si quis obseruet annos, menses, dies, vel horas, quibus ad negotia inchoanda dispositio, seu constellatio cœli conuenientior sit, quemadmodum superstitio non est, si quis in naturalibus obseruet tempora colligendis herbis, secandis lignis, vel purgandis corporibus conuenientia.*

7 *Infirmus secundùm Galenum non est committendus Medico Astrologiæ ignaro; quia medicamenta illius aut nihil proderunt, aut multùm nocebunt; dantur enim stellæ malefica, vt Mars, & Saturnus; & benefica, vt Venus, & Iupiter: & similiter constellationes maleficæ, vt aspectus oppositionis, & quadrati; & constellationes beneficæ, seu fauorabiles, vt aspectus sextilis, & trini.*

8 *Superstitio nihilominus esset obseruare certos hebdomada*

domada, aut mensis dies, aut hora, si adderentur circumstantia vana, & inutiles, aut orationes, seu preces non approbata ab Ecclesia.

9 *Superstitio neque est, immò pium & laudabile obseruare, & eligere ex deuotione diem certum alicuius sancti ad aliquid inchoandum, v. g. ad ineundam Religionem, ad matrimonium contrahendum.*

10 *Superstitionis etiam huius est, si qua femella nuptiarum auida preces recitet nocte S. Ioannis Baptista, vt ipsi manifestetur cum quonam viro matrimonium contractura sit.*

11 *Superstitionis huius etiam est recitare, vel portare preces & orationes quasdam, credens quod cum eis morte subita discessurus non sit, vel quod propterea fortunam consecuturus sit, &c.*

12 *Superstitio non est portare prædictas preces, & orationes, non expectando prædictos effectus propterea tanquam certò euenturos, sed solùm confidendo in illis sanctis, ad quos ea diriguntur.*

13 *Superstitionis huius etiam est, si quis ex lusoribus locum mutet, vel tantisper surgat ad malam fortunam, quam in ludo experitur, abjiciendam; vel si Astrologos consulat quo tempore lusurus sit, vt in ludo lucretur, &c. vt hac tantùm attingant peccatum veniale; quia lusores non firmiter id credere videntur, secus si annulis quibusdam vtantur, &c.*

1 RESpondetur de vanæ obseruantiæ superstitione ista, qua præcognitio rei prosperæ, vel aduersæ per vanam diuinationem procuratur, cùm sit eiusdem prorsùs malitiæ ac est diuinatio vana, seu superstitiosa (de qua dicebam *dub.* 2 ar. *per totam*,) idem ac de illa dicebam, dicendum est: Siquidem tantùm differt ab illa, quòd illa præcipuè refertur ad speculationem: Ista autem ad opus eius, qui talem præcognitionem procurat, sicuti rectè præter alios adnotauit Valentia 2.2.*disp.*6.*q.*13.*punct.*2.

2 Cæterùm istius superstitionis malitia consistit in eo, quod ipsius media adhibita ad ea mala, vel prospera prænuncianda, nullam vim naturalem, aut supernaturalem habent, ac proinde vt signa vana huius præcognitionis, cooperante dæmone, ac homines huiusmodi vanitatibus implicare volente, obseruarentur, sicuti rectè dixit S. Thomas 2. 2. *quæst.*96. *art.*3. vbi ex S. Augustino in argumento *sed contrà*, multa exempla refert, vt cùm ad egrediendum domo, aut non egrediendum, aut ad quid aliud faciendum, aut omittendum obseruatur, si membrum aliquod salierit, vel si iunctim amicis ambulantibus aliquis lapis, canis, aut puer medius interuenerit; vel si quis, cum aliis sternutauerit, & similia multa, quæ nos etiam ex S. Augustino referebamus *dub.* 26. *sect.* 1. & 5.

3 Ad hanc superstitionem pertinet, si quis obseruet dies, quasi quidam dies sint fausti, quidam autem infausti; sicque v. g. nolit incipere die Martis, quasi dies iste sit vnus de infaustis; atque ita id tanquam quid vanum, & superstitiosum interdicitur *in cap. Non obseruetis*, & *cap. sequenti*, 26. *q.* 7. Et docet S. Thom. 2. 2. *q.*96. *art.* 3. *in corpore.* Nauarrus *in sum. cap.* 11. *num.* 38. Ciruelo *de superstitionibus*, 3. *part. c.*6. Alcozer *in sum. cap.*14. *circa finem*, & alij communiter.

4 Hoc tamen intellige, si quis id efficaciter, & certò credat, nec excusetur ex ignorantia; secus si obseruet dies ex solo quodam timore, sicque non audeat v. g. die Martis aliquod opus incipere, quia tunc erit solùm veniale peccatum (sicut de auguriis, & somniis suprà dicebam.) Et ita communiter contingere videtur.

5 Ad hanc superstitionem etiam secundò pertinet, si quis certis diebus olera scopis tangat, ne ab erucis, vel aliis infestis animalibus lædantur; vel si nolit die Veneris vngues præscindere, aut die Sabathi in honorem B. Virginis nere, cùm tamen eodem die opera alia seruilis exerceat; vel si maiorem vim ad quosdam effectus tribuat aquæ, quæ diebus Dominicis post quatuor tempora benedicitur, quàm alij aquæ, quæ aliis Dominicis benedicitur; vel si seruet oua, quæ in die Parasceues à gallinis pariuntur, eo quòd in ignem iniecta, vim illius extinguendi habere credant; quia hæc omnia, quod talem vim, seu virtutem non habeant, manifestum est. Sic Doctores communiter, quos sequitur Martinus Delrio *lib.* 3. *disquisit. magicar. part.* 2. *q.* 4. *sect.* 6. *circa finem.*

Aduerte tamen, quod superstitio non sit, si quis ob- 6
seruet annos, menses, dies, vel horas, quibus ad negotia inchoanda dispositio, seu constellatio cœli conuenientior sit; quemadmodum superstitio non est, si quis in naturalibus obseruet tempora colligendis herbis, secandis lignis, vel purgandis corporibus conuenientiora; quia certum est, quod certis temporibus herbæ efficaciorem virtutem habent, & ligna corruptioni minùs obnoxia, & ad vsum aptiora sint, & purgatio magis prosit: itavt in aliis temporibus non solùm minùs prosit, sed etiam multùm obsit:
Quapropter Galenus monuit, ne infirmus Medico 7
Astrologiæ ignaro se committat; quia medicamenta illius (inquit ipse) aut nihil proderunt, aut multùm nocebunt: Et meritò, quia certum etiam est, quod dentur stellæ maleficæ (vt Mars, & Saturnus) & dentur stellæ beneficæ, seu fauorabiles (vt Venus, & Iupiter) & dentur etiam similiter constellationes maleficæ (vt aspectus oppositionis, & quadrati) & constellationes beneficæ, seu fauorabiles (vt aspectus sextilis & trini.) Et ideò hæc obseruare proderit ad malum vitandum, vel minuendum, & ad bonum consequendum. Vide DD. quos citat, & sequitur Petrus Nauarra *de restitutione, lib.* 2. *cap.* 2. *in parte posteriori, dub.* 7. *n.* 133. *& seqq.* & Martinus Delrio *cit. sect.* 6.
in princ. Esset tamen superstitio, si quis obseruaret 8
certos hebdomadæ, aut mensis dies, aut certas diei horas, quatenus dies, aut horæ tales sunt; vel adderentur circumstantiæ vanæ, & inutiles, aut orationes, seu preces non approbatæ ab Ecclesia; quia hæc omnia, quod nullam ad effectum intentum consequendum virtutem habeant, per se patet. Sic DD. quos sequitur Martinus Delrio *loco suprà citato.*

Aduerte secundò, quod neque superstitio sit, quin 9
pium, & laudabile, si quis obseruet, & eligat ex deuotione diem certum alicuius sancti ad aliquid inchoandum, v.g. ad ineundam Religionem, ad matrimonium contrahendum, ad faciendum primum sacrum, &c. Quia id fit, vt sanctus ille opem, & auxilium præstet: sic DD. quos sequitur Syluest. *verb. Superstitio, q.* 10. *circa finem.*

Ad hanc superstitionem etiam tertiò pertinet, si 10
quæ femella (sicuti nonnullæ femellæ consueuerunt) nuptiarum auida preces recitet nocte S. Ioannis Baptistæ, vt ipsi manifestetur, cum quonam viro matrimonium contractura sit; appliceteque simul auditum, credens nomen, quod audierit, fore viri sui; vel si preces recitet animæ desertæ in auroræ primo aspectu diei Sancti Ioannis Baptistæ, dirigens eas, quod virum, cui matrimonio iungenda sit, reuelet; quia hæc omnia quod vana sint, & ad talem effectum consequendum virtutem non habeant, per se constat.

Ad hanc superstitionem etiam quartò pertinet, 11
si quis preces, vel orationes quasdam recitet, vel portet, credens quod propterea morte subita decessurus non sit, vel quod propterea fortunam bonam consecutus sit, quia quod tales preces, vel orationes

tiones talem vim non habeant, est per se notum. Syluester *verb. superstitio, quæst. 10. in fine*, Armilla *verb. Sortilegium, num. 3.* Tabiena *verb. Sors, quæst. 7. num. 8.* Nauarrus *in summa, cap. 11. num. 34. & cap. quando, de consecratione distinct. 1. cap. 19. num. 160.* S. Antoninus *2. part. tit. 12. cap. 1. §. 13.* Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 43. dubit. 10, numero 63.* Ciruelo *de superstitione, part. 3. cap. 4.* Saytus *in claui Regia, lib. 4. cap. 6. numero 8.* Manuel *in summa, cap. 7. num. 8.* Philiarcus *de Officio Sacerdotis, tom. 1. part. 3. lib. 3. cap. 10.* & alij passim, quos sequitur Suarez *tom. 1. de religione, lib. 2. de superstit. cap. 15. num. 9. & seqq.*

12 Aduerte tamen, quod superstitio non sit, si quis prædictas preces, vel orationes portet, vel recitet non expectans prædictos effectus propterea tanquam certò euenturos, sed solùm confidens, propterea Sanctorum illorum, ad quos illæ preces, vel orationes diriguntur, meritis futurum, quod præseruetur ab illis malis, vel consequatur illa bona.

13 Ad hanc superstitionem etiam quintò pertinet, si quis ex lusoribus locum mutet, vel tantisper surgat ad malam fortunam, quam in ludo experitur, abjiciendam; vel si Astrologos consulat, quo tempore lusurus sit, vt in ludo lucretur; vel si ad hunc finem consequendum annulis quibusdam vtatur; quia hæc omnia quod ad id consequendum talem virtutem non habeant, perspicuum est; nec per scientiam Astrologicam, quod hic potiùs, vel ille ex lusoribus lucraturus sit, sciri potest: sic DD. quos sequitur Alcozer *de ludo, cap. 2.* paulò post principium, qui rectè subdit, quod illa loci mutatio, vel è ludo surrectio, sit communiter veniale; quia lusores non firmiter id credere videntur: at iis annulis vti, & Astrologos consulere, sit mortale, quia est res grauis, & absque vllo fundamento dicta: quod tamen vltimum Alcozer dictum mihi minùs probatur, quia reuera fieri potest, quod constellatio, quæ hîc, & nunc est in cœlo, locis apheticis, hylegialibus, seu principalibus (vt domini genituræ, solis, lunæ, partis fortunæ, & præcipuè in hoc casu, de quo nunc agimus, ascendentis; seu domus primæ, medij cœli, seu domus decimæ) sit fausta per aspectus faustos (vt per trinum, vel sextilem) genesis vnius ex lusoribus, & sit infausta per aspectus infaustos (vt per quadratum, vel per oppositionem) genesis alterius ex lusoribus, sicque ab Astrologis cum fundamento conjici possit, quod hîc, & nunc vnus ex lusoribus in ludo sit lucraturus, alter autem iacturam facturus.

SECTIO VIII.

Quidnam dicendum de vanæ obseruantiæ superstitione, qua vanæ preces verbo, vel scripto adhibentur, vel collo appensæ gestantur.

SVMMARIVM.

1 *Vana obseruantia, qua vana preces verbo, vel scripto adhibentur, vel collo appensa gestantur, superstitio contingit primò, cùm conditio, vel circunstantia aliqua vana, & inutilis adhibetur tanquam necessaria, ita vt vis, virtus, seu efficacia precum constituatur in ea, &c.*

2 *Vana obseruantia superstitio contingit secundò, cum adhibentur nomina ignota, vel obscura significationis, vel characteres ignoti.*

3 *Vana obseruantia superstitio contingit tertiò cùm inseruntur incerta, falsa, vel apocripha aliqua, v.g. quod Christus spasmum, vel febrim habuerit, &c. quia dæmon, vtpotè pater mendacij, his, & similibus delectatur.*

4 *Vana obseruantia superstitio contingit quartò, cum effectus est vanus, vt si dictis verbis sacris moueatur annulus super filum, quia virtus diuina operatur quid vani, & ideò credendum est ea verba ad dæmonem referri.*

5 *Vana obseruantia superstitio non est; si conditio, seu circunstantia vana, & inutilis se habeat in precibus tantùm concomitanter.*

6 *Vana obseruantia neque superstitio est, quando quis operatur ita manuum celeritate, vt illudat astantes, dicens aliqua verba sacra ioci gratiâ; sed est cuiusdam vanitatis peccatum.*

7 *Non licet verba sacra, vt vim ad eum vanum effectum habentia etiam ioco, & causa experiendi effectum proferri; quamuis forsan peccatum mortale non sit, si quis ex leuitate, & curiositate quadam id semper committat.*

8 *Neque licet his vanis rebus vti, protestatione præmissa, quod si effectus sit à dæmone, non sit animus rebus eius vtendi, neque sit animus mediis rebus eis effectum consequendi, quia tunc protestatio est contraria facto.*

RESpondetur, superstitiu ista contingit

1 Primò, cum conditio, vel circunstantia aliqua vana, & inutilis adhibetur tanquam necessaria: Ita vt vis, virtus, seu efficacia precum constituatur in ea, vt si vis, virtus, seu efficacia verborum sacrorum constituatur in eo, quod dicta verba tali loco, tali tempore, tali charta, tali figura, vel talibus characteribus imprimantur, seu scribantur; quia quod omnia ista ad effectum intentum consequendum vana, & inutilia sint, est per se clarum.

2 Secundò, cum adhibentur nomina ignota, vel obscuræ significationis, vel characteres ignoti (siue absolutè, siue ad quiddam pertineant,) quia eo ipso ad dæmonem ea intelligentem referuntur, vel saltem, quod erroris, vel impietatis periculum afferant, suspecta redduntur.

3 Tertiò, cum inseruntur incerta, falsa, vel apocripha aliqua, v.g. quod Christus spasmum, vel febrim habuerit, &c. quia dæmon, vtpote pater mendacij, his, & similibus delectatur: tum quia verisimile non est, quod sacra incerta virtutem habeant, quam non habent sacra certa: tum quia si sacra incerta virtutem hanc haberent, potiùs id (vti rectè dixerunt Caietanus, Armilla, Nauarrus, & alij *in locis infrà citandis*) Deus reuelasset viris Sanctis, quàm femellis vanis.

Quartò, cùm effectus est vanus, vt si dictis verbis sacris moueatur annulus super filum, quia virtus diuina non operatur quid vani; & ideò credendum est, quod ea verba ad dæmonem, qui quærit verbis sacris honorari, referantur.

4 Atque ita docent S. Thomas *2. 2. q. 96. art. 4.* Armilla *verb. sortilegium, num. 3.* Tabiena *verb. sors, q. 7. num. 8.* Angelus *verb. superstitio, num. 7.* Syluester *eodem verbo, q. 10. dict. 4.* S. Antoninus *2. part. tit. 12. cap. 1. §. 13.* Nauarrus *in summa, cap. 11. numero 35.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. de superstitione, cap. 15. num. 11.* Ciruelo *de superstitione, part. 3. cap. 4.* Martinus Delrio *lib. 3. disquis. magicar. part. 2. q. 4. sect. 3.* & Saytus *in Claui regia, lib. 4. cap. 6. num. 6.* (quatenus, si quid istorum reperiatur in ligaturis, eas condemnandas arbitrantur) & in proprus terminis prædictas quatuor conditiones, seu circunstantiss referendo, docent etiam Caietanus *in summa, verb. Incantatio,* Armilla *ibidem, num. 2.* Valentia *2. 2. disput. 6. quæst. 13. punct. 2.* Azor. *tom. 1. Institut. moral.*

lib.9.cap.26. quæst.6. Medina *lib.1. sum. cap.14. §.5.* Nauarrus *in summa, eodem cap.11. num.55.* Martinus Delrio *lib.3. disquis.magic.part.5.q.4.sect.2.* & Toletus *in summa, lib.4.cap.14. num.11.*

5 Aduerte tamen quod dixerim, superstitionem esse, si conditio, vel circunstantia aliqua vana, & inutilis adhibetur, tanquam necessaria, ita vt vis, virtus, seu efficacia precum constituatur in ea; quia si conditio, seu circunstantia vana, & inutilis, se habeat in precibus tantùm concomitanter (eo quòd qui eam adhibet, cognoscit eandem non esse per se vtilem, aut efficacem, sed tantùm vanè ea illo modo vtitur) non est superstitio, sed tantùm cuiusdam vanitatis peccatum, sicuti suprà *dub.122. de diuinatione* dicebam, & videri poterit præter alios Valentia *eod. punct.2. columna 2.*

6 Aduerte 2. quoad ea, quæ dixi quartò, quod aliquando qui vtitur illis verbis sacris, effectum illum vanum (vt motum annuli super filum) non mediantibus illis verbis sacris, sed manuum celeritate, vel arte quadam, vt id non percipiatur ab astantibus, efficiat, & solùm verba illa sacra, vt astantibus illudat, ioci causa proferat, & tunc neque est superstitio, sed similiter cuiusdam vanitatis peccatum, vel etiam astantium scandalo remoto, licita quædam animi recreatio. Valentia *vbi suprà, columna 3. vers. sed dispiciendum est.*

7 Aduerte 3. quod non liceat tamen ea verba (vt vim ad eum vanum effectum habentia) etiam ioco, & gratiâ experiendi effectum, proferre; atque ita Caietanus *in summa, verb. Incantatio*, testatur quod per experientiam probauerit; quia dicente homine quædam verba sacra, quidam annulus super filum positus mouebatur. Ipse verò Caietanus, non causa experiendi effectum, sed causa vanitatem, pactumque diabolicum conuincendi, protestatus quod verba illa sacra, non vt instituta à dæmone ad mouendum annulum, sed ad Deum eorum authorem dirigendo, proferat, annulus motus non fuit: Vnde colligit, quod talis effectus non sequatur, nisi eum (saltem tacitè) quis ea verba ad dæmonem referat, subditque quod ea tacita intentio adsit, quotiescumque quis, etiam ioco, ea verba, vt vim ad mouendum annulum habentia, protulerit: Atque idem iudicium de similibus faciendum esse ait, quia & ista etiam eam vim non habent, nisi ex pacto, quod olim quia cum dæmone fecerit.

Quamvis forsan peccatum mortale non sit, si quis ex leuitate, & curiositate quadam id semel committat, iuxta ea quæ dicebam *suprà sect.6. dubit.221. sect.4.*

8 Aduerte 4. quod neque liceat vti his vanis rebus protestatione præmissa, quod si effectus sit à dæmone, non sit animus rebus eis vtendi, neque sit animus mediis rebus eis effectum consequendi; quia tametsi, quando dubium est an sint superstitiosæ, id liceat, non tamen quando constat, licebit; quia tunc protestatio est contraria facto; cùm sit re ipsa, & facto superstitione vti, sicuti dicebam *dub.521. sect.1. & 2.* & tradunt DD. quos sequitur Philiarchus *de officio Sacerdotis, tom.1. part.2. lib.3. cap.11. vers.4. conclusio.*

SECTIO IX.

Quidnam dicendum de ligaturis, & de Sanctorum imaginibus, quæ collo gestantur?

COROLLARIVM PRIMVM.

SVMMARIVM.

1 *Ligatura, & Sanctorum Imagines, quæ collo gestantur, sunt licita, atque ab omni superstitione libera, si nulla in ipsis ligaturis vana conditio, seu circunstantia inuolvatur.*

2 *Sanctorum reliquias, vel imagines in collo suspensas gestare licitum est non solùm, sed etiam pium, si nulla vana conditio, seu circunstantia in eis inuoluatur, contra nonnullos; non enim id est prohibitum iure naturali, neque iure Ecclesiastico, & vsus Ecclesiæ id approbat.*

3 *Peccatum, quod quis committit gestans Sanctorum reliquias, vel imagines collo suspensas, non innoluit specialem malitiam sacrilegij in confessione necessariò explicandam, si peccatum non sit directè contra cultum ipsarum, contra nonnullos oppositum sentientes.*

4 *Fornicari, vel luxuriosè viuere Sanctorum reliquias, vel imagines gestando, quamvis aliqualem inuolvat irreuerentiam, non tamen inuoluit notabilem deformitatem, quæ in Sacramento Pœnitentiæ necessariò explicanda sit; id enim nullo iure specialiter prohibitum est, nec directè opponitur earum cultui.*

5 *Ligaturas in collo gestare, quas vel vsus Ecclesiæ, vel probatorum medicorum mos commendat, est quid superstitiosum, & omninò prohibitum: vbi quid phylacteria sint, ex Isidoro declaratur.*

Respondetur *ex dictis sect. precedenti* 8. quod licitæ, atque ab omni superstitione liberæ sint, si nulla in ipsis legaturis vana conditio, seu circunstantia inuolvatur, v. g. quod verba sacra, quæ in dictis ligaturis continentur, sint scripta sic, vel sic; vel sint scripta in vase talis figuræ, aut talis materiæ, ita vt vis formæ, aut materiæ tribuatur; vel sint scripta in tali charta, vt virginea, aut pergamena; vel tali tempore, vt oriente, aut occidente sole; vel sint alligata à tali persona, vt à virgine, aut à puero; vel tali modo, vt tot filis, vel tabulis, &c. Item si nulla adsit figura præter figuram Crucis, & nulla adsit imago præter imaginem Christi, vel Sancti alicuius noti: Item, si nulla barbara, & incognita Dei, vel Angelorum nomina sint scripta, nec aliud quid vanum, vel mendax inuolvatur: sic S.Thomas, Angelus, Syluester, Armilla, Tabiena, S.Antoninus, Nauarrus, Suarez, Sayrus, & Martinus Delrio *in locis suprà citatis.* 1

An autem liceat Sanctorum reliquias, vel imagines in collo suspensas gestare? 2

Respondetur, quod quamvis Angelus *verb. Reliquiæ, num.4.* Ciruelo *loco suprà citato*, & alij negent ex textu *in cap. corpora, de consecratione distinct.1.* vbi præcipitur, quod reliquiæ de loco ad locum non transferantur absque licentia Episcopi; & ex Concilio Bracharensi 3. *c.5.* vbi reprehenduntur Episcopi, qui in Martyrum solemnitatibus ad Ecclesiam progressuri, Sanctorum reliquias collo suspensas gestabant. Nihilominùs cum S.Thoma *2.2. q.96. art.4.* Rosella *verb. Reliquia, circa finem*, Syluester *eodem verbo, n.4.* Tabiena *in fine*, Armilla *num.4.* S.Antonin. *vbi suprà*, Nauarro *in summa, cap.11. num.35.* Axor. *tom.1.*

tom. 1. instit. moral. lib. 9. cap. 8. q. 6. Suarez tom. 1. de religione, lib. 2. de superstit. cap. 15. num. 16. Vasquez de adoratione Imagin. lib. 3. disp. 3. cap. 8. n. 115. Martino Delrio vbi suprà, Sayro in claui regia, lib. 4. cap. 6. n. 8. & aliis passim, omninò affirmandum sit, ita vt non solùm id licitum sit, sed etiam pium, si nulla vana conditio, seu circumstantia ex eis, quas sectione praecedenti dicebam, inuoluatur.

Probatur, quia huic sententiae fauet vsus Ecclesiae quotidianus, & etiam ratio; siquidem id non est prohibitum iure naturali, cùm nullam indecentiam, aut malitiam per se coniunctam habeat, sicque per se malum non sit, cùm ex pia in honorem Sanctorum affectione efficiatur maximè pium. Neque est prohibitum iure Ecclesiastico; quia textus in cap. corpora, in contrarium allegatus, solùm loquitur de translatione Sanctorum corporum, quorum est propriè sepultura: Et Concilium Bracharense non reprehendit Episcopos, eo quòd Sanctorum Reliquias collo suspensas gestabant, sed eo quòd ob vanam gloriam, & vanam hominum ostentationem (vt super Leuitarum humeros in sellulis portarentur) id faciebant.

3 Caeterùm an peccatum, quod quis Sanctorum Reliquias, vel Imagines in collo suspensas gestando committit (si tale peccatum non sit directè contra cultum eis debitum, quale esset turpiter, & obscoenè eas pertractare) inuoluat specialem malitiam, quae necessariò in Sacramento Confessionis explicanda sit?

Respondetur, quod quamvis nonnulli, quos sequitur Philiarcus de officio Sacerdotis, tom. 1. part. 2. lib. 3. cap. 9. circa finem, affirment, quatenus inter peccata abusus Reliquiarum numerant, quempiam eas gestando luxuriosè viuere. Probabilius tamen negent alij, quos sequitur Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 9. cap. 8. q. 6. quatenus aiunt, quod eas gestans non peccet grauiùs, si peieret, furetur, detrahat, maledicat, vel quod aliud peccatum simile committat. Quod consequenter etiam intelligunt, si quis Reliquias gestans fornicetur, vel luxuriosè viuat; quia quaestionem generaliter mouent, & peccata supradicta causa exempli (quod regulam non coarctat) referunt. Et praeterea, quia ab ea solùm vsum turpem, eas turpiter, & obscoenè contrectando, excipiunt.

4 Et quidem, quod fornicari, vel luxuriosè viuere, Sanctorum Reliquias, vel Imagines gestando, quamvis aliqualem inuoluat irreuerentiam, non tamen inuoluat notabilem deformitatem, quae in Sacramento poenitentiae necessariò explicanda sit.

Probatur, quia (sicuti dicebam) id nullo iure specialiter prohibitum est, nec directè cultui Sanctorum Reliquiis, vel Imaginibus debito opponitur, cum non sit turpis, & obscoena earum contrectatio: Ergo, &c.

5 Aduerte tamen, quod alias in collo gestare ligaturas, quas vel vsus Ecclesiae, vel probatorum Medicorum non commendat, sit quid superstitiosum, & omninò prohibitum: tum ex cap. 1. 26. q. 5. vbi qui phylacteriis vtuntur, anathemate damnantur. Tum ex cap. 4. vbi Clerici, qui iisdem vtuntur, ex Ecclesia eijci iubentur. Tum ex cap. vltimo, vbi quid per phylacteria intelligatur, S. Isidorus, cuius est textus, ait: Ad hac pertinere ligaturas execrabilium remediorum, qua ars Medica non commendat. Tum tandem ex cap. illud, 26. q. 2. vbi S. Augustinus tract. 7. in Ioannem, & lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 2. cuius est ille textus, idem reprehendit, & sequuntur S. Antoninus 2. part. tit. 12. c. 2. §. 13. Martinus Delrio lib. 3. disquisit. magic. part. 2. q. 4. sect. 3. & Simanch. de instit. Cathol. tit. 6. num. 19.

SECTIO X.

Quidnam dicendum de Arte notoria?

COROLLARIVM II.

SVMMARIVM.

1 *Ars notoria est superstitiosa, quia ad scientiam acquirendam vtitur quibusdam precibus, seu orationibus, & ieiuniis, innitendo quibusdam circumstantiis vanis, & inefficacibus, vt inspectionibus quarundam figurarum, quas Deus non attendit ad scientiam infundendam.*

1 Respondetur ex dictis eadem sect. 8. quod talis ars sit superstitiosa; quia ad scientiam acquirendam vtitur quibusdam precibus, seu orationibus, & ieiuniis, innitendo quibusdam circumstantiis vanis, & inefficacibus, vt inspectionibus quarumdam figurarum, quas certum est, quod Deus non attendat ad scientiam infundendam. S. Thomas 2. 2. quaest. 96. art. 1. & alij communiter, quos sequitur Martinus Delrio lib. 3. disquisit. magicar. quaest. 4. sect. 2. vers. 4. & seqq. Vide quae dicebam suprà sect. 3. & quae dicam infrà sect. 8.

SECTIO XI.

Quidnam dicendum de quorundam locorum diuturno, & à maioribus recepto vsu immiscendi in quibusdam precibus, seu orationibus vana quaedam, quae superstitionem sapiant?

COROLLARIVM III.

SVMMARIVM.

1 *Retinentes vsum à maioribus receptum immiscendi in quibusdam precibus, seu orationibus vana quadam, qua superstitionem sapiunt, v. g. die certo alicuius Sancti venam immentis aperire; in die S. Ioannis Baptista herbas ad conferendam sanitatem colligere; in die Parasceues ex prima pecunia Crucifixo oblata annulum ad membrorum contractionem sanandam conflare, & similia, excusantur à peccato propter affectum deuotionis ex simplicitate quadam.*

2 *Doctrina pradicta, qua est Caietani, licèt excuset eos, qui in similia inciderunt; attamen non est consulenda; est enim res suspecta, & qua potest aperire viam ad magicas superstitiones.*

3 *Retinere dictum vsum est superstitio mortalis, si animus sit adhibendi eas conditiones, seu circumstantias, tanquam ad sanitatem, & rerum suarum incolumitatem à Deo obtinendam efficaces: nec excusari potest, nisi ignorantia, vel simplicitate quadam: At secus est, si id ex animi deuotione fiat erga Deum, & Sanctos simpliciter tantùm.*

4 *Vsus tamen praedictus à maioribus receptus talia committendi, si extirpari poterit, extirpari debet; quia vanam superstitionem sapit, & ex se scandalum gignit, & est vltrà vsitatum Sanctos honorandi modum in Ecclesia receptum: at si commodè extirpari non poterit; non est condemnandus;*

nandus; sed monendi sunt simplices, &c.

5 *Colligentes herbas in die S.Ioannis Baptistæ, vel eo die ante solis occasum, credendo quod tali die, vel tali tempore maiorem virtutem habeant, & eos, qui in die alicuius Sancti suorum iumentorum venas ad sanitatem aperiunt, credendo quod tali die, &c. ad sanitatem dicta apertio magis prosit, non excusantur ab aliquibus de mortifera superstitione, nisi ignorantia, & simplicitate quadam interueniente.*

6 *Superstitiosum, & illicitum non est in animalibus custodiendis, vel in floribus colligendis certa verba sacra, ad eam rem imposita, & accommodata adhibere, si spes non fundetur in aliqua vanitate, vt in literis, syllabis, vel nudis ipsis nominibus, sed dumtaxat in Deo.*

7 *Vana, & superstitiosa sunt publica supplicationes, in quibus imago alicuius Sancti in flumen proijcitur, aut in eius ara reponitur, donec pluuia obtineatur; quia ea cum tali circumstantia neque ex institutione diuina, vel Ecclesiastica virtutem habent.*

8 *Vanæ etiam, & superstitiosæ sunt orationes, quibus lamia, seu saga parturientibus, vel morbo laborantibus, vt à malo liberentur, benedicunt.*

9 *Cassiodorus quomodo intelligendus sit, vbi* in Psalm. 115. *ait frequenter in varijs morbis efficax remedium fuisse trinam recitationem illius versiculi: Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.*

10 *Deuotiones, quas quidam faciunt in certo numero, pondere, vel mensura, v.g. quod nouies visitent Templum, ter recitent Symbolum, candelam offerant eius longitudinis, cuius est offerens, &c. à superstitione mortifera libera quodammodo esse possunt, & quomodò saluari possint.*

1 VErbi gratiâ, in die certo alicuius Sancti venam iumentis aperire: in die S. Ioannis Baptistæ herbas ad conferendam sanitatem colligere: Circa templum S.Antonij nouies iumenta circumducere: In die Parasceues ex prima pecunia Crucifixo oblata annulum ad membrorum contractionem sanandam conflare, & similia.

Caietanus 2.2.*q.66. art.*4. hunc vsum diuturnum, & à maioribus receptum excusat propter affectum deuotionis ex simplicitate quadam; & *in summa, verb. superstitio obseruationum, in fine* ait, se illum non audere condemnare, sed tolerabilem iudicare, quando qui hæc faciunt, ex mera deuotione, & non nisi à Deo sanitatem expectando faciunt, putantes quod Deus illa alicui sancto viro inspirauerit.

2 At hæc Caietani doctrina licèt quidem deseruire possit ad escusandos eos, qui prædicta ex bona fide fecerunt; attamen si consilium petant, monendi mihi videntur, quod non liceat ipsis id sibi persuadere; quia cùm Deus lege ordinaria non consueuerit huiusmodi conditiones, seu circunstantias, in quibus aliquid vanitatis apparet, Sanctis viris inspirare, temerarium est sibi quid huiusmodi persuadere, & saltem res est suspecta, & quæ aperiat viam ad innumerabiles similes dæmonum, & magorum fraudes protegendas: Quapropter, vt aliquo modo tales homines excusari possint, meliùs

3 Respondetur ex dictis *eadem sect.*8. distinguendo: Si animus sit adhibendi eas conditiones, seu circunstantias, tanquam ad sanitatem, & rerum suarum incolumitatem à Deo obtinendam efficaces, est superstitio mortalis, nec excusari possunt, nisi ignorantia, vel simplicitate quadam excusentur: at si non sit animus adhibendi prædictas conditiones, seu circunstantias, tanquam sic per se efficaces, sed vt ipsos, qui deprecantur, ad intentiùs Deum deprecandum excitantes, vel propter diem Sancto dicatum, vel propter rerum suarum circa Templum Sancti præsentiam, vel propter Crucifixi memoriam, non est superstitio mortalis, sed possunt excusari, si cesset scandalum aliorum, qui putare possent, quod ea, tanquam superstitiosa, adhibeantur, quamvis huius scandali periculum non sit, vbi omnes simplici animo iis conditionibus, seu circunstantiis vtuntur. Valentia 2.2. *disp.6. q.13. punct.*2. Saytus *in claui Regia, lib.4.c.6.n.7.* & Martinus Delrio *lib.3. disquis. magic. part.2. q.4. sect.6.* Quatenus colligentes herbas in die S.Ioannis Baptistæ, vel minuentes iumentis sanguinem causa sanitatis certo die festo (si causam solam naturalem attendant) de superstitione mortali damnat: at si directè hæc Sanctorum meritis adscribant, atque Deo vt Sanctos illos honoret, effectum tribuant, ait se non audere damnare.

4 Cæterùm, si prædictus quorumdam locorum diuturnus, & à maioribus receptus vsus extirpari poterit, extirpari debet; quia vanam superstitionem sapit, & ex se scandalum gignit, & quantumvis dirigatur intentio, & propterea à mortifera superstitione excusari possit, est vltra vsitatum Sanctos honorandi modum in Ecclesia receptum: at si commodè extirpari non poterit, non est condemnandus, sed monendi sunt simplices, quod prædictam rectam intentionem habeant, vt sicuti dicebam, sic à prædicta mortifera superstitione liberentur.

5 Ex dictis aduerte cum Valentia 2. 2. *disp.6. q.13. punct.*2. Sayro *in claui Regia, lib.4.c.6.n.7.* & Martino Delrio *lib.3. disquis. magic. part.2. q.4. sect.6.* quod Nauar. dum *in summa, cap.11. n.36.* eos qui die S.Ioannis Baptistæ, vel eo die ante solis occasum herbas colligunt, credendo quod tali die, vel tali tempore collectæ maiorem virtutem habeant, & eos, qui in die alicuius Sancti suorum iumentorum venas ad sanitatem aperiunt, credendo similiter, quod tali die, vel tali tempore prædicta venarum apertio suis iumentis ad sanitatem magis prosit, de mortifera superstitione condemnat, si ignorantia, vel simplicitate quadam non excusentur, intelligi debet iuxta ea, quæ suprà dicebam, si scilicet isti tales prædicta faciant modo illo priori, secus si faciant modo posteriori.

6 Aduerte 2. cum aliis (quos sequitur Axor. *tom.1. Instit. moral. lib.9. cap.26. q.6.*) quod non sit illicitum, & superstitiosum in animalibus custodiendis, vel in floribus, herbis, aut fructibus colligendis certa verba sacra ad eam rem imposita, & accommodata (vt ab illis morbi vitia, & quidquid aduersi, aut mali habuerint, auferantur) adhibere, si spes non fundetur in aliqua vanitate, vt in literis, syllabis, vel nudis ipsis nominibus, sed duntaxat in Deo. Et videtur esse sententia S.Augustini *in cap. non obseruetis, 26. q.7. relati,* & S.Thomæ 2.2. *q.96. art.4. circa finem, in corpore,* quatenus aiunt, quod in herbarum collectione non obseruantia vana, sed oratio Dominica, vel Symbolum fidei adhiberi debeat.

7 Aduerte 3. cum Nauarro *in cap. quando, cap.6. n.46. de consecrat. distinct.*1. & aliis, quod è contra vanæ, & superstitiosæ sint publicæ supplicationes, in quibus imago alicuius Sancti in flumen proijcitur, aut in eius ora reponitur, donec pluuia obtineatur; quia publicæ supplicationes sic circunstantiatæ, neque ex se, neque ex institutione diuina, vel Ecclesiastica ad eum effectum obtinendum virtutem habent. Et præterea sic circunstantiatæ vanitatem inuolvunt, & cum recepto Ecclesiæ vsu repugnantiam habent. Quapropter nequeunt placere Sanctis, vt sic à Deo desideratam pluuiam obtineant.

8 Aduerte 4. cum Nauarro *eodem cap.6. n.49.* & aliis, quod vanæ etiam, & superstitiosæ sint orationes, quibus lamiæ, seu sagæ (circulis virgineis immistis verbis, quæ nec ipsæ intelligunt, additisque halitus, suffitus, & oscitationis superstitiosis ceremoniis)

partorien

parturientibus, vel morbo laborantibus, vt à malo liberentur, benedicunt.

9 Aduerte 5. cum Mart. Delrio *lib. 3. disquis. magicar. part. 2. q. 3. sect. 3. circa fin.* quod Cassiod. eum *in Psal. 115.* ait sæpè sæpiùs in variis morbis efficax remedium fuisse trinam recitationem illius versiculi: *Dirupisti Domine vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis*, sano modo intelligi debeat; vt scilicet non ipsi trinæ recitationi, sed ter in honorem SS. Trinitatis versiculum illum recitantis deuotioni id Deus deferat.

10 Aduerte 6. cum Gersone *2. part. tract. de absolutione sacramentali, Alphabeto 33. lit. L*, quod à superstitione mortifera liberæ quodammodo possint esse deuotiones, quas quidam faciunt in certo numero, pondere, vel mensura: v. g. quod nouies visitent Templum; ter recitent Symbolum; candelam offerant eius longitudinis, cuius est offerens, &c. credentes simplices, quod si in alio numero, pondere, vel mensura fiant, valore suo destituantur, sieque nihil prosint: Non enim propterea statim deuotiones istæ condemnandæ, vel extirpandæ sunt, sed potiùs docendi fideles, quod pias dictas, vel similes alias deuotiones faciant in honorem, vel memoriam alicuius mysterij (v. g. quod nouies visitent Templum in honorem, vel memoriam nouem Chororum, quibus constituuntur Angeli, vel nouem mensium, quibus Christus in vtero Virginis fuit: Ter recitent Symbolum in honorem, vel memoriam SS. Trinitatis, &c.) non ita tamen eis innitendo, quod si fiant in maiori numero, pondere, vel mensura, nihil prosint, sed quod potiùs plus prosint (quia plus offertur) & si fiant in minori numero, &c. prosint etiam, etsi minùs, quia minùs offertur.

At de his, & similibus deuotionibus, & obseruantiis videri poterit Mart. Delrio *lib. 3. disquis. magicar. part. 2. q. 4. sect. 7. & 8. & lib. 6. c. 2. sect. 1. q. 1.*

SECTIO XII.

Quidnam dicendum de carminatricibus femellis.

COROLLARIVM IV.

SVMMARIVM.

1 *Femella carminatrices superstitiosæ non sunt, si orationibus vel adiurationibus licitis ad medicinas naturales, quas infirmis applicant, solis vtantur: sic supplicantes à Deo, quod prædicta medicina prædictis infirmis prosint, quia in hoc nihil mali reperitur, quinimò est quid pium.*

2 *Femella carminatrices superstitiosæ sunt, si prædictis verbis, signis, & adiurationibus, nullam applicando medicinam naturalem vtantur, credentes quod iis solis vtentes infirmus salutem consecuturus sit; quia ea præcisè sumpta ad talem effectum præstandum vim non habent.*

3 *Limita id procedere, si ex prædictis verbis, signis, vel adiurationibus effectus expectaretur certè; quia præter Sacramenta, quæ instituit Christus Dominus, non datur aliud Sacramentum; & præter sacramentalia, quæ instituit Ecclesia, non datur aliud sacramentale. Secus si solùm speretur impetratoriè, propter deuotionem.*

4 *Idem dic, si quis ad sciendum aliquid occultum rationabile proferat illa verba Psalmi 50. Ecce enim veritatem dilexisti, & sic de aliis, quæ ibi recensentur.*

5 *Femella carminatrices, quia vtplurimùm superstitiosæ, & vanæ permiscent, permittendæ non sunt, nisi in ciuitate sint personæ probatæ vitæ; & præterea non adsit periculum, quod earum exemplo aliæ personæ non ita probatæ vitæ similibus vsuræ sint; secus si aliter, & Iudex Ecclesiasticus id interdixerit.*

Respondetur ex dictis *ead. sect. 8.* quod tales femellæ superstitiosæ non sint, si orationibus, vel adiurationibus licitis (absque vlla circumstantia vana, vt per passionem Christi, &c.) ad medicinas naturales, quas infirmis applicant, solis vtantur, sic supplicantes à Deo, quod prædictæ medicinæ prædictis infirmis prosint. 1

Ratio, quia in hoc nihil mali reperitur, quinimò est quid pium, per orationes scilicet, vel adiurationes pias à Deo sanitatis effectum postulare. Angelus *verb. superstitio, n. 9.* Syluest. *eod. verb. q. 10. dict. 4.* S. Antoninus *2. part. tit. 12. c. 1. §. 11.* Naoar. *in summa, c. 11. n. 30.* Manuel *1. tom. sum. cap. 7. n. 6.* Ludou. Lop. *1. part. instruct. cap. 21. vers. mulieres orationibus*, & alij, quos sequitur Ciruelo *de superst. part. 3. cap. 3.*

Quamvis superstitiosæ sint, si prædictis verbis, signis, vel adiurationibus, nullam applicando medicinam naturalem, solis vtantur, credentes quod illis verbis, signis, vel adiurationibus solis infirmus salutem consecuturus sit; quia illa verba, signa, vel adiurationes, etsi sacræ, elatum est, quod ad talem effectum vim non habeant naturalem. Quod autem habeant supernaturalem, non præsumitur, nisi ostendatur, iuxta ea quæ dicam *infrà, sect. 15.* & docent DD. quos sequitur Ciruelo *loco suprà cit.* & Victoria *de arte magica, n. 28.* quatenus ait: Sæpè fœminæ stultæ vtuntur bona fide rebus aliquibus, & verbis ad remedia infirmitatum, & sine dubio dæmones assistunt illis operationibus. 2

Quod autem dixi, intellige, si ex prædictis verbis, signis, vel adiurationibus effectus expectetur certò; quia præter Sacramenta, quæ instituit Christus Dominus, non datur aliud Sacramentum; & præter sacramentalia, quæ instituit Ecclesia, non datur aliud sacramentale; secus si solùm speretur impetratoriè, propter deuotionem. 3

Idemque dicas, si quis ad sciendum occultum, proferat illa verba Psalmi 50. *Ecce enim veritatem dilexisti, incerta, & occulta sapientiæ suæ manifestasti mihi.* Vel si ad surgendum manè diluculo ad aliquem honestum finem, proferat illa verba Psalm. 56. *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara: exurgam diluculo.* Vel si ad vitandum periculum equorum, canum, vel leonum proferat illa verba Psalm. 31. *In chamo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Aut illa alia verba Psalm. 57. *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum: malas leonum confringet Dominus.* Quod scilicet si effectum expectet certò, superstitionem mortiferam committat; secus si expectet solùm impetratoriè, propter deuotionem, vti suprà diecbam. Vide etiam quæ *infrà citata sect. 15.* dicam. 4

Cæterùm prædictæ carminatrices femellæ (etiamsi applicando medicinam naturalem, orationibus, vel adiurationibus licitis vtantur) quia vtplurimùm superstitiosa, & vana permiscent, permittendæ non sunt, nisi in ciuitate sint personæ probatæ vitæ, & præterea non adsit periculum, quod earum exemplo aliæ personæ non ita probatæ vitæ similibus vsuræ sint: secus si aliter (præsertim si Iudex Ecclesiasticus id interdixerit) quia tunc absque dubio prædictus vsus erit tanquam mortalis damnandus: Qua de re videri poterit Angelus, Syluester, S. Antoninus, Nauar. & Ludouic. Lopez *in locis suprà cit.* 5

sententiam ait, se multùm timere tales homines nullam ad sanandum contra rabiem ex canis morsu virtutem habere, & si quam habent, eam à dæmone habere; quia communiter sunt reprobæ vitæ, &c. Subdit tamen, se id non dicere definiendo, quia fieri potest, quod isti tales munus suum exerceant ex gratia gratis data, vel ex virtute aliqua naturali, quemadmodum Marsi, & Psylli.

2 *Saliua istorum salutatorum non habet ad medendum naturalem vim à natura, nec supernaturalem à Deo: ex quo infertur eam habere superstitiosam à dæmone.*

3 *Salutatores prædicti non sunt vniuersaliter omnes damnandi, nec in vniuersum omnes approbandi, licèt aliqui eos approbent vniuersaliter.*

4 *Salutores isti approbantur à grauibus Auctoribus, & ab aliis non damnantur, Ecclesiaque eos tolerat, ex quo infertur, nullam in eis esse superstitionem.*

5 *Salutatorum istorum complures ad ministerium suum exercendum adhibent conditiones, seu circunstantias quasdam superstitiosas, itavt rarè licitè eo ministerio vtantur, & quia vtplurimùm sunt homines improbæ vitæ, præsumptio militat contra ipsos.*

6 *In Salutatorum prædictorum ministerio, seu curatione, multa quæ superstitionem sapiunt, inuoluuntur; quorum primum est, ad huius virtutis vsum exercendum ipsos nimium vini potum exigere; in quo tamen non possunt omninò improbari, nisi dicatur eorum virtus esse supernaturalis, & ex gratia gratis data, &c.*

7 *Salutatores huiusmodi solent hominibus à cane morbido morsis panem à se morsum præbere, quod minùs rectè improbatur à Martino Delrio: Si enim ea virtus in ipsis sit naturalis, nihil repugnat quod ea inesse dicatur tactui dentium, & ori salutatorum, & itidem de virtute supernaturali, concessa videlicet medio tactu dentium, &c.*

8 *Salutatores prædicti dicunt se in præsentia alterius salutatoris maiorem sanandi virtutem habentis, sanare quempiam non posse, quod improbatur tanquam mendax.*

9 *Salutatores prædicti salutant panem dicentes, eum prodesse contra canis rabidi venenum, quod improbatur à Veracruce, quia ea virtus nequit esse in pane salutato: At improbat minùs rectè, non enim repugnat, quod sit ex gratia gratis data medio pane sic salutato.*

10 *Salutatores huiusmodi dicunt, vnum salutatorem ab aliis salutatoribus, etiamsi nunquam ab illis visus fuerit, naturaliter cognosci: quod minùs rectè damnant Martinus Delrio, & Veracruz, quia dici potest, quod id sit ex gratia gratis data.*

11 *Salutatores huiusmodi dicunt hanc vim (si masculinum ordinem fœmineus partus non interruperit) septimo cuique salutatorum filio inesse; quod etiam improbat Martinus Delrio.*

12 *Salutatores item dicunt posse se sine vllo detrimento in ardentem ignem conijcere, quod improbat Martinus Delrio; quia naturaliter id fieri non potest.*

13 *Salutatores prædicti, si certis vtantur verbis, aut signis, quibus putent inesse virtutem, vt à quocumque dicta, vel apposita fuerint, eundem effectum habeant, tanquam suspecti de superstitione damnandi sunt; quia tunc quod operantur, habet rationem de sacramentalibus, quæ instituere non potest, nisi solùm Ecclesia, & alus de sausis, &c.*

14 *Deus licèt interdum etiam peccatori aliquam gratiam gratis datam conferat, non tamen eam habitualiter, & permanenter, & quasi ad eius arbitrium, sed solùm ad aliquem actum, propter aliquam fidei vtilitatem.*

15 *Salutatores prædicti hominem rabie vexatum, ac moribundum, ne diu crucietur, neve aliis noceat, suo flatu, vel saliua interimere solent, quod nullo modo licet, vtpote intrinsecè malum occidere innocentem; neque id prouenire potest ex gratia gratis data, neque ex virtute aliqua naturali.*

1 AFfirmant nonnulli, quos sequitur Cirvelo *de superstitione, 3. part. cap. 7.* itavt & ipsos salutatores, & eos, qui ipsis salutatoribus vtuntur, peccare mortaliter arbitrentur: Ad quorum sententiam inclinat Victoria *de Arte Magica, q. 4. n. 16.* vbi ait, se multùm timere, tales homines nullam ad sanandum contra rabiem ex canis morsu virtutem habere, & si quam habent, eam à dæmone habere; quia communiter sunt reprobæ vitæ, & vtuntur quibusdam obseruationibus minùs religiosis, quin superstitionem non mediocriter præferentibus. Subdit tamen, quod id non dicat definiendo; quia fieri potest, quod isti tales munus suum exerceant ex gratia gratis data, quæ ad bonum commune etiam reprobis concedi potest, vel ex virtute quadam naturali; quemadmodum Marsi & Psylli, testibus probatis Auctoribus, contra serpentium venenum virtutem naturalem habent. Ad eorundem sententiam inclinant etiam complures alij Doctores.

2 Et probant, quia saliua istorum salutatorum non habet ad medendum vim naturalem à natura, nec supernaturalem à Deo: ergo superstitiosam à dæmone. Consequentia patet: Antecedens quoad priorem partem etiam patet (quia medicina naturalis eadem non omnibus prodest, sed iuxta varias infirmorum complexiones variatur: At saliua istorum salutatorum æquè omnibus prodest: Ergo.) Quoad posteriorem autem probatur, quia sæpè tales homines sunt improbæ vitæ: quod indicium (ipsos scilicet talem vim, seu virtutem supernaturalem non habere à Deo) licèt non sit indicium conuincens, est tamen indicium non leue (sicuti dicebatur *sectione præced.*) Et cùm virtus, de qua nunc loquimur, sit supernaturalis, si legitimè non constiterit, præsumi non debet (sicuti dicebatur ibidem) itavt duplex præsumptio, seu ex duplici capite præsumptio sit contra istos salutatores.

3 Negant autem absolutè Margarita Confessorum *quæst. moral.* Palacius *in summa, verb. Incantationes,* Nauarrus *capite* 11. *numero* 36. & alij, quos sequitur Azor. *libro* 8. *Institut. moral. capite* 25. *quæstione* 2. Quapropter ex probabiliori sententia aliorum

Respondetur, quod prædicti salotatores non sint in vniuersum omnes damoaodi, nec io vniuersum omnes approbandi.

Probatur pars prior, quia istos tales homines approbant absolutè Doctores graues secundæ sententiæ, & non audent damnare nonnulli Doctores graues primæ sententiæ, & eosdem permittit, & tolerat Ecclesia: Ergo absque ratione conuincenti, quod eorum ministerium superstitiosum sit, non sunt in vniuersum omnes damnandi; sed (quod eorum ministerium superstitiosum sit) nulla est ratio conuincens: Ergo, &c. Maior patet: Minor probatur, quia fieri potest, quod huiusmodi suum ministerium prædicti salutatores exerceant ex gratia gratis data; cum sicuti præter alios notauit Azotius *loco suprà citato*, nihil repugnet, quod talis virtus sanandi gratuitò quibusdam hominibus à Deo concedatur; ita vt operante ipso Deo, & talium hominum sermone, tactu, aspectu, odore, sudore, vel halitu, &c. interueniente, præstetur effectus: Ergo. Tum quia etiam fieri potest, quod prædictum suum ministerium prædicti salutatores exerceant ex virtute naturali, quam per quandam ex cœlorum constellatione tem-

num.7. Peteita de magia, lib. 1. cap. 3. & Martinus Delrio lib. 1. disquisit. magic. cap. 2. & 3.

2 Neque satis colligitur ex ipsius effectus præstantia, seu quod causa adhibita non videatur habere sufficientem proportionem cum eo effectu; quia causæ naturales, præsertim si artificiosè misceantur, præstantissimos effectus operantur.

3 Neque satis colligitur ex improba vita operantis; quia certum est, quod etiam in peccatoribus aliquando gratiæ gratis datæ reperiantur, ex illo Matth. 7. Nonne in nomine tuo prophetauimus, &c. & ex illo Ioan. c. 11. vbi Caiphas, cum esset Pontifex anni illius, prophetauit dicens: Expedit vobis, quod vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.

4 Neque etiam satis colligitur ex improbo fine eiusdem operantis; quia nihil obstat, quod quis gratiâ gratis data abutatur, quamvis interim negari non debeat, quod proba, vel improba vita operantis, licèt (an virtus faciendi hæc mirabilia sit à Deo, vel à dæmone) non præbeat argumentum conuincens, præbeat tamen argumentum non leue: Itavt si qui hæc operatur, sit probæ vitæ, credi debeat, quod ea virtute Dei per gratiam gratis datam; si autem sit improbæ vitæ, virtute dæmonis per maleficium operetur. Victoria de arte magic. q. 4. n. 16. & alij, quos sequitur Valentia 2. 2. disp. 6. q. 13. punct. 2.

5 Dico 5. satis autem colligitur.

Primò si ad effectum adhibeatur conditio, seu circunstantia aliqua vana, & inutilis, tanquam necessaria, v. g. quod ad effectum consequendum fieri quid debeat certo loco, certo tempore (vt certis diebus, vel certis horis) certo numero crucium, vel candelarum, certo corporis situ, &c. vel si adhibeantur ignota, aut obscura, seu obscuræ significationis verba, aut ignoti characteres, aut etiam ignota Dei, vel Angelorum nomina, iuxta ea quæ dicebam suprà, sect. 5. & 9. & tradunt Valentia loco suprà citato, Matt. Delrio lib. 2. disquis. magic. q. 5. lit. B.

6 Secundò satis colligitur ex modo operandi, vt si quis causam applicet in loco ita distanti à passo, vt iuxta veram philosophiam, & communem Philosophorum opinionem (secus si sit opinionum diuersitas) impossibile sit, quod causa in tam distans obiectum operetur. Valent. & Matt. Delrio ibidem, lit. A, & alij passim.

7 Tertiò satis colligitur ex conditione effectus, qui expectatur, si scilicet constet, quod is ex causa naturali procedere non possit, sed solùm à bono, vel malo spiritu; & ex alio capite concurrat aliqua vana conditio, seu circunstantia, quæ quod ille effectus à bono spiritu expectari non possit, satis suadet; vt si quis v. g. statuæ alicuius motum localem, vel responsum promittat, & qui hæc promittit, conditionem, vel circunstantiam vanam adhibeat; vt si effectus non sequatur, quid impossibile, vel absurdum minetur, v. g. fore, quod cœlum, vel infernum conterat, sidera, vel infernum conturbet, & similia: vnde sequitur, quod si huiusmodi effectus miri à quocumque, & quotiescomque causa naturalis applicata fuerit, sine ceremoniis, vel obseruationibus vanis producantur, meritò iudicari possit, quod effectus non sit superstitiosus, sed naturalis: sic DD. quos sequitur Valentia 2. 2. disp. 6. q. 13. punct. 2. & Matt. Delrio lib. 2. disquisit. magic. q. 5. circa finem.

8 Quartò satis colligitur, si quis repentè, absque vllo motu locali flumen, aut aliquid aliud apparere faciat, vel si quod effectus (vt mortui suscitatio, veræ claudicationis, aut cæcitatis, & similium sanatio) causarum naturalium applicatarum virtutem excedat, constiterit; vel si quod apparet, statim euanescat, & non permaneat.

SECTIO XV.

Quidnam in dubio, quando scilicet ex circunstantiis (quas sectione præcedenti dicebam) vtrum effectus à causa naturali, an à bono, vel à malo Angelo procedat, dignosci non potest, dicendum sit?

SVMMARIVM.

1 *In dubio an effectus procedat à causa naturali, vel à bono, vel à malo Angelo, si dubium sit, an effectus à causa naturali proueniat, eo quòd non constet, an ille virtutem causæ naturalis excedat, dicendum est, quod potius fit à causa naturali; non enim est denegandus effectus causæ naturalis ex eo, quod virtus illa nobis dubia sit.*

2 *Ad miraculum confugere non debemus absque necessitate, vel ad occultam boni, aut mali Angeli operationem.*

3 *Mira quædam ab hominibus producta naturaliter, ab insciis attributa fuerunt dæmonum virtuti: vide exempla cuiusdam, qui pro libito se à sensibus alienabat, & cuiusdam, qui pro libito sudabat, &c.*

4 *Effectus si constet, quod virtutem causæ naturalis excedat, dicendum est, quod sit à dæmone; secus si constet de maxima operantis sanctitate, vel obstet alia vrgentissima ratio, effectum illum à Deo, vel à bono Angelo prouenire.*

5 *Causa adhibita quotiescumque non potest effectum naturaliter producere, effectus superstitiosus est, & pertinet ad pactum tacitum cum dæmone.*

6 *Nosse secreta cordium, sanare statim hominem, vel quodcumque aliud animal, effectus est adeò excellens, vt si constet, quod is causarum naturalium virtutem excedat, præcisò miraculo, est signum pacti cum dæmone.*

7 *Idipsum in terminis tradit Gerson, ex cuius doctrina nunquam attribuenda est aliqua virtus supernaturalis talibus rebus quibuscumque, nisi hoc ex Scriptura sacra, vel reuelatione diuina trahi possit. Adde iuxta dicta superiùs, vel ex maxima operantis sanctitate.*

8 *Virtus prædicta, si esset supernaturalis, esset reuelata Ecclesiæ, vel ei legitimè constaret, vel saltem esset reuelatum viris probis.*

9 *Vtentes ad morbos remediis externis, quæ constat, quod non possint esse causæ naturales sanctitatis, quamvis publicè tolerentur, non sunt absoluendi; quia non habent probabilem rationem ad prasumendum, iis verbis, vel actionibus virtutem esse infallibiliter assistentem.*

10 *Præter Sacramenta, quæ instituit Christus Dominus, non datur aliud Sacramentum: præter Sacramentalia, quæ instituit mater Ecclesia, non datur aliud sacramentale.*

11 *De superstitione mortifera damnandus non est, si quis iis verbis, vel rebus sacris vtatur, non expectando salutem certò ex ipsis, sed tantùm per modum impetrationis à Deo.*

Respondetur, quod quamvis tunc dicendum videatur in fauorem effectus, quod scilicet non sit is à dæmone, & superstitiosus; quia sicuti docet recte S. Thomas 2. 2. q. 60. art. 4. Dubia in meliorem partem interpretanda sunt, meliùs tamen iuxta ea, quæ in tractatu de conscientia dubia, dub. 34. sect. 5. dicebam, distinguatur. 1

Si dubium sit, an effectus à causa naturali sit, eo quòd non constet, an ille virtutem causæ naturalis

propter aliquam fidei vtilitatem confert, ficuti ex S. Thoma probat Valentia *de Arte Magica, q. 4. n. 14.* Et videri poterit etiam Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. de superstitione, cap. 15. n. 25.*

15 Aduerte fecundò, quod folent prædicti falutatores hominem rabie vexatum, ac moribundum, ne diu crucietur, neve aliis noceat, fuo flatu, vel faliua interimere: quod (vtpotè intrinfecè malum, interimere fcilicet innocentem, feu accelerare mortem innocentis) nullo modo licitè efficere poffunt: Nec ea virtus poteft effe gratia gratis data; cùm gratiam gratis datam Deus non conferat ad peccandum: Nec etiam poteft effe virtus naturalis, cum ipforum virtus, fi eft naturalis, fit ad fanandum potiùs; quapropter in tali cafu magna fufpicio eft, quod Deo permittente in pœnam hominis iftis falutatoribus venientis, interueniat ad eum effectum aliquis concurfus dæmonis ex pacto quodam inito cum illo.

SECTIO XVII.

Quidnam dicendum de virtute faltatorum: num fcilicet ea fit naturalis per naturalem quandam è cœlorum conftellatione complexionem, an fupernaturalis, feu gratia gratis data à Deo?

SVMMARIVM.

1 *Salutatorum virtus licèt fecundùm aliquos fit naturalis per naturalem quandam è cœlorum conftellatione complexionem, probabiliùs tamen eft fupernaturalis, feu gratia gratis data à Deo.*

2 *Virtus naturalis fanandi probabilius eft, quod contactui, ofculo, afpectui, feu vifioni, voci, vel halitui competere non poffit.*

3 *Sanandi virtutem quidam homines habent medio contactu, ofculo, odore, voce, feu fermone, afpectu, feu vifione, vel halitu, at non per vim naturalem, fed vel per gratiam gratis datam, vel per occultum cum dæmone clam medicinam applicante, pactum.*

4 *Fafcinatio etiam quæ naturaliter videtur fieri, forfitan fit aliquando per pactum initum cum dæmone: at licet fiat naturaliter, non valet à morbo illatio ad fanitatem.*

5 *Sanandi virtutem licèt de facto habeant quidam lapides, herbæ, & animalia, at non fic homines; quia lapides, &c. eam virtutem habent ex temperamento determinato totius fpeciei, at non fic homines.*

6 *Gratia gratis data quomodo in curationibus præfumi poffit, & debeat.*

1 Refpondetur, quod quamvis nonnulli quos fequitur Cartagena *de fuperftitione, cap. 12. n. 46.* & Veracruz *lib. 2. de anima, fpeculat. 2.* & non improbat Victoria *de Arte Magica, q. 4. n. 45.* & Margarita Confefforum *quæft. moral. fol. 185.* probabiliter teneant, quod fit naturalis per naturalem quandam è cœlorum conftellatione complexionem, probabiliùs tamen docent Nauarrus *in fum. cap. 11. n. 39.* Palatios *in fum. verb. Incantationes*, Margarita Confefforum *vbi fuprà*, Azor. *tom. 1. Inftit. moral. lib. 8. cap. 25. q. 2.* Martinus Delrio *lib. 1. difquifit. magic. cap. 3. quæft. 4.* quod fit virtus fupernaturalis, feu gratia gratis data à Deo.

2 Probatur, quia probabilius eft, quod contactui, ofculo, afpectui, feu vifioni, voci, vel halitui, &c. (cum fint vtplurimùm actus quidam immanentes, & non actiui; & ex alio capite rationes aduerfariorum in contrarium non vrgeant) virtus fanandi naturalis competere non poffit: Ergo, &c.

3 Objicies: de facto ex Plinio, & aliis Auctoribus (quos refert Azor. *vbi fuprà*) quidam homines medio contactu, ofculo, odore, voce, feu fermone, afpectu, feu vifione, vel halitu, &c. quædam morborum genera fanandi vim habent: Ergo.

Refpondetur: diftinguo antecedens, ftavt ea vis fit per virtutem naturalem, nego; itavt fit per gratiam gratis datam, vel per occultum cum dæmone clam medicinas applicante pactum, concedo.

4 Objicies fecundò, de facto etiam quidam alij homines per naturalem quandam è cœlorum conftellatione complexionem grauiter aliis nocendi vim habent (vt per experientiam conftat de fafcinatione, cùm fint ex multis grauibus authoribus, quos refert Veracruz *lib. 2. de anima, fpeculat. 2.* & Azor. *lib. 9. Inftit. moral. cap. 25. quæft. 1.* quidam homines talis complexionis, vt folo afpectu, vel laudatione aliis noceant, præcipuè infantibus, & belluis.) Ergo fic, &c.

Refpondetur (vt omittam, quod forfan id faciunt per pactum aliquod cum dæmone initum, vti dicebam) tranfeat antecedens: At nego confequentiam: quia ex Ariftotele *in Problematibus, fect. 7.* plura requiruntur ad fanitatem, quàm ad morbum; cùm bonum fit ex integra caufa: Malum autem ex fingulari defectu.

5 Objicies tertiò: de facto etiam quidam lapides, quædam herbæ, & quædam animalia quandam fanandi virtutem habent: Ergo non eft, cur & quid fimile homines non habeant.

Refpondetur: Concedo antecedens: At nego confequentiam. Et difparitas eft, quia lapides, herbæ, & animalia illa virtutem habent ex temperamento certo & definito totius fpeciei: At non fic omnes homines eam falutatorum virtutem obtinent; quapropter dicendum eft, quod fit gratia gratis data.

6 Objicies quartò: Hæc gratia gratis data non conftat legitimè: ergo ex iis, quæ dicebantur *fect. praced.* præfumi non debet.

Refpondetur: Nego antecedens, quia cogimur eam aftruere ex eo, quia ex vno capite videmus, quod eam quidam homines habeant, & vbique approbentur, ac permittantur: Et ex alio capite non videatur ex iis, quæ mox fuprà dicebam, quòd ea fit virtus naturalis: Quapropter iure optimo præfumi poteft, quod fit gratia iftis falutatoribus data, & concefſa modo, quo *fuprà eadem fect. praced.* cum Azorio dicebam.

SECTIO XVIII.

Quid dicendum de quibufdam in Hifpania vulneratos curantibus? Vbi etiam quid dicendum de Arte notoria?

SVMMARIVM.

1 *Recenfentur verba, & ritus quidam in curandis vulneribus, qui vigent in Hifpania, qui non improbantur, dummodò virtus non putetur annexa formulæ verborum, itavt à quocumque illa adhibeatur, effectum habeat; quia in tali cafu effet fuperftitio.*

2 *Formula prædicta, de qua agitur, non habet hanc vim à natura, nec etiam à Deo, quia Deus nulla figna*

signa per se efficacia instituit, præter Sacramenta, neque ab Ecclesia.

3 *Sacramentalia non habent vim, nisi per modum impetrationis ad obtinendum à Deo aliquod auxilium gratiæ præuenientis, vel diuinæ protectionis aduersùs dæmonum infestationes.*

4 *Hispani præfati curantes modo, & formula supradictis vulnera, damnandi non sunt, si virtus putetur annexa personæ, itavt ab aliis eodem modo adhibita eadem forma verborum, nihil illa operetur.*

5 *In omnibus signis à dæmone institutis, quæ ex pacto illius operantur, vis operandi est annexa ipsis signis immediatè: quibusdam etiam malis viris à Deo conceditur gratia curationum, & sic præsumi potest in casu, de quo agitur, si nihil, quod apertè sit superstitiosum, in illo deprehendatur.*

6 *Verba, quibus vtuntur Hispani in curandis vulneribus prædictis nihil continent superstitiosum.*

7 *Signum Crucis non potest esse suspectum, nisi aliquæ circumstantiæ variæ tanquam necessariæ, ei coniungantur; tunc enim absque dubio dicendum est, quod superstitio interueniat.*

8 *Omnis circumstantia inutilis, si tanquam necessaria adhibeatur, facit vt opus sit superstitiosum.*

9 *Superstitio grauis est Ars notoria, per quam certis verbis, aliisque signis adhibitis, tanquam necessariis, quarum vis naturalis ad effectum non sufficit, variæ scientiæ, seu doctrinæ (quod est proprium Dei) absque labore acquiruntur.*

10 *Superstitio grauis est obseruatio sanitatum, cùm scilicet adhibentur aliqua verba, vel alia signa, aut cæremoniæ inanes ad hominum, vel aliorum animalium curandos morbos, &c.*

11 *Amplia, eam procedere, cum adhibentur quidem medicamenta naturalia; iis tamen aliqua friuola adiunguntur, tanquam necessaria.*

12 *Item cùm adhibentur periammata, amuleta, breuia, inuoluera, reliquiæ, verba sacra, preces descripta, quæ gestantur à quibusdam, ne possint lædi, aut ne effluat sanguis, aut ob similes alios fines, si contineant aliquas circumstantias inanes, tanquam necessarias.*

13 *Item cùm ad sanitatem, & immunitatem à vulneribus hominum, aliorumque animalium corporibus præstandam adhibentur benedictiones, incantationes, insufflationes, ligamina, &c. quia naturalem vim medendi non habent.*

14 *Exempla multa talium vanitatum recensentur.*

15 *Sagis accidit, vt reipsa interdum deferantur ad Montes, prata, vel cellas vinarias dæmonis auxilio, sine strepitu reseratis portis, iterumque clausis.*

16 *Sagis prædicta accidere non reipsa, sed per phantasticam dæmonis illusionem, docent Nauarrus, & alij.*

17 *Inhalatio super vulnus potest habere peculiarem vim naturalem ad talem effectum, ratione temperamenti personæ inhalantis, vel ratione occultæ proprietatis quibusdam viris diuina gratia insita.*

18 *Psylli in Africa, & in Italia Marsi extrahebant manuum tactu venena à corporibus. Vide varia exempla de nonnullorum virtute ad sanandum varios morbos, ibi recensita.*

19 *Gratia sanitatum plenè alicui concessa (sicut erat collata Apostolis, & aliis Sanctis) non est alligata istis externis tactibus; tamen collata solùm ex parte, vel ad certum morbum, iis tanquam instrumentis necessariis alligata est, vt Reges Galliæ curantes strumas, &c.*

20 *Habentes gratiam curationum licitè fungi possunt suo munere, cùm Dominus velit per istos homines nobis misericordiam impertiri.*

Respondetur quoad primum: Non damnarem de 1 superstitione tales, qui in Hispania grauiter vulneratos curant in hunc modum: Primò cùm quis eorum grauiter vulneratum aliquem curat, facit tres cruces super vulnus, dicens Hispanicè: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Idque cum quadam inhalatione super vulnus; deinde probato vino, & oleo, dicit etiam Hispanicè: [In nocte Sanctissimæ Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi Beata Virgo, salua Virginitate, peperit Dominum nostrum: per mysterium istud altissimum supplico diuinæ Majestati, vt hoc vinum, & oleum benedicere dignetur ad vulnerum curationem per sanctissimorum verborum virtutem.] Postea prædictum vinum, & oleum applicat vulneri, cuius curatio sequitur post non multùm tempus: Non damnarem, inquam, de superstitione tales sic grauiter vulneratum curantes.

Dummodò virtus, loquendo scilicet de virtute distincta à virtute impetratoria per deuotionem, iuxta ea, quæ dicam *infrà sect.* 26. non putetur annexa formulæ verborum. Itavt à quocumque formula verborum adhibeatur, illa effectum habeat: In hoc enim casu damnarem eos de superstitione, quia prædicta formula verborum (cum verba naturaliter non sint actiua) non habet hanc virtutem à natura, vt per se patet. Nec etiam à Deo, quia Deus nulla 2 signa, quæ sint efficacia, instituit, præter Sacramenta, & hæc non ad curationem corporum, sed animarum. Nec etiam ab Ecclesia, quia neque Ecclesia talem modum instituit, immò nec instituere potuit; quia non potest signa, quæ ea natura sua sunt inefficacia, efficacia instituere, præsertim ad effectus materiales corporis, & non spirituales animæ: quapropter etiam 3 sacramentalia (quæ de facto instituit Ecclesia) non habent (quidquid aliqui dixerint in contrarium) virtutem, nisi per modum impetrationis ad obtinendum à Deo aliquod auxilium gratiæ præuenientis, vel protectionis diuinæ aduersus dæmonum infestationes, vel quodcumque aliud eorum incommodum, & vexamen. Et hinc est, quod sæpè non habeant effectum.

Accedit, quia alioquin deberet illa formula verborum ab Ecclesiæ Ministris, & nomine Ecclesiæ applicari.

Restat igitur, quod habeat virtutem ex institutione, & occulto pacto cum dæmone inuisibiliter concurrente, & sanante homines remediis naturalibus, quæ dæmon optimè nouit: dæmon enim vulnera, & morbos curare non potest absque adminiculis rerum naturalium, sed (vti dicebam *in 1. p. S. Thomæ, tract. de Angelis*) applicando, nemine aduertente, passiua actiua, v. g. quintam essentiam aliquam ex diuersis rebus abstractam; sicque breuiori tempore, quàm quicumque Medicus vulnera, & morbos curare consueuit. Damnarem igitur de superstitione prædictos curantes, si virtus, loquendo inquam de virtute distincta à virtute impetratoria per deuotionem, iuxta ea, quæ dicam *infrà cit. sect.* 26. putetur annexa formulæ verborum, itavt à quocumque prædicta formula verborum adhibeatur, illa effectum habeat, vt suprà dicebam.

At de superstitione non damnarem, si virtus prædicta, etiam scilicet non impetratoria per deuotionem, putetur annexa personæ, itavt ab aliis eodem modo adhibita eadem formula verborum nihil operetur. 4

Primò, quia in omnibus signis à dæmone institutis, quæ ex pacto illius operantur, virtus operandi est annexa ipsis signis immediatè, itavt ea à quocumque applicentur, eundem effectum habeant, modò applicatio cum tali animo fiat; dæmon enim vult concurrere cum omnibus, qui ipsius signa adhibent, itavt omnes, quoscumque potest, sibi obstringat, & decipiat. Quod si effectus aliquando non 5

sequatur

sequatur, id prouenit vel quia signa ex præscripto dæmonis non applicantur, vel quia aliqua conditio, aut pactum ex parte hominis deest, vel quia diuinitus ille impeditur.

6 Secundò, quia constat, quod quibusdam, etiam improbia hominibus concedatur à Deo gratia curationum: Ergo sic præsumi poterit in casu nostro, si nihil, quod apertè sit superstitiosum, in illo depre-
7 hendatur: At in illo nihil superstitiosi deprehendi probatur, quia verba illa nihil continent præter inuocationem Sanctissimæ Trinitatis, confessionem Natiuitatis ex Beata Virgine, & inuocationem diuinæ Virtutis per Mysterium Sanctissimæ Natiuitatis Domini Iesu, & per vinum, & oleum ad curationem vulnerum. Illud autem, *Per virtutem istorum Sanctissimorum verborum*, potest sano modo intelligi, scilicet de virtute rei significatæ, non autem de virtute, quæ annexa sit sono verborum: Ergo, &c.

8 Nec esse potest suspectum signum Crucis, nisi aliqua circumstantia vana, tanquam necessaria, ei
9 adiungatur: Tunc enim, etiam cum signo Crucis dicendum erit, quod superstitio interueniat; quia omnis circumstantia vana, si tanquam necessaria adhibetur, facit vt opus sit superstitiosum: Cùm enim illa non iuuet vt causa, necesse est, quod adhibeatur vt signum, quod cùm non sit à Deo, consequens est, vt sit à dæmone, sicque ad occultum cum dæmone pactum pertineat.

Confirmatur, quia in tali casu effectus non potest expectari à virtute naturali illius rei, quæ est vana; nec etiam à Deo, qui talia nec per se, nec per Ecclesiam instituit: Ergo expectatur à dæmone, iuxta ea quæ *suprà* dicebam.

10 Hinc superstitio grauis est Ars notoria, per quam certis verbis, certisque signis adhibitis, tanquam necessariis (quorum virtus naturalis ad effectum talis Artis non sufficit) variæ scientiæ absque labore (quod est proprium Dei) quasi tribuuntur, & acquiruntur. Arte ista vtuntur Anabaptistæ, qui postquam nonnulla abiecta perfidia, ad fidem redeunt, in pristinam inscitiam relabuntur. Qua de re vide quæ dicebam *suprà sect.* 10.

11 Item superstitio grauis est Obseruatio sanitatum, cùm scilicet adhibentur aliqua verba, signa, vel cæremoniæ inanes à hominum, vel animalium curandos morbos, ad sistendum sanguinem, ad mitigandos dolores, ad conseruandam vitam, vel valetudinem, ad præstandam immunitatem contra læsionem hostium, aut animalium, vel contra casus fortuitos, & similia.

12 Quò etiam spectat, cùm adhibentur quidem medicamenta naturalia, iis tamen aliquæ friuolæ circumstantiæ adiunguntur, tanquam necessariæ. Item cùm adhibentur Periammata, Amuleta, Breuia, Inuolucra, Reliquiæ, verba sacra, preces scriptæ, quæ gestantur à quibusdam, ne possint lædi ab aliquo,
13 vel ne effluat sanguis, vel ob alios similes fines; si contineant aliquas circumstantias inanes, tanquam necessarias, vel si ab ipsis prædictis rebus sacris (etiam remota omni circumstantia inani, tanquam necessaria) expectetur effectus infallibiliter, & non impetratoriè per deuotionem: Quia sic Deus immediatè per se non instituit, nisi Sacramenta, & mediatè per Ecclesiam non instituit, nisi Sacramen-
14 talia: Vide *infrà sect.* 16. Item cùm ad sanitatem, vel ad immunitatem à vulneribus præstandam adhibentur benedictiones, incantationes, insufflationes, ligamina, & similia, quæ ex vera Philosophia medendi virtutem naturalem non habent, ob eandem dictam rationem.

15 Exempla aliorum Vanitatum sunt, quotiescumque quis operator cum certa fiducia, verbi gratia, si ferrum, quo læsus est, in pocinum vnguem in-

figatur, aut certum genus arboris cædatur, sanitatem obtenturam: si loco vulneris circumligandi, arboris ramus, aut scamnum perligetur, curationem secuturam: vt olera ab erucis non infestentur, summo mane scopis tangenda fore: vt pluuia cueniat, Sancti alicuius imaginem aquis immergendam esse, & similia.

Huc etiam spectant corporum mutationes, quæ in hominum vtilitatem efficiuntur, & à causis naturalibus tali modo prouenire non possunt, v. g. occulti thesauri inuentio, vel transportatio: nubium repentina congregatio, de loco ad locum distantem alicuius rei, vel personæ deductio: quod sagis accidit, vt interdum ad montes, prata, vel cellas vinarias, sine strepitu, reseratis, iterúmque clausis portis, dæmonum auxilio deferantur, sicuti ex communi docent Syluester *verbo Hæresis* 3. q. 6. Malleus Malef. *part.* 1. q. 1. & *part.* 2. *cap.* 3. Suarez *lib.* 2. *de superstitione*, *cap.* 16. *n.* 24. Grilland. *de sortileg. cap.* 7. Martin. Delrio *lib.* 5. *de Magic. disquisit. q.* 16. Simanch. *de Cathol. Institut. tit.* 37. *n.* 6. Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 25. *q.* 3. & Petrus Thyræus *de spirituum apparitionib. lib.* 2. *cap.* 23. *contra Nauarrum, cap.* 11. *n.* 38. *vers.* 32. Rodriquez *tom.* 1. *cap.* 7. *conclus.* 9. & quosdam alios putantes, id nunquam reipsa, sed semper per phantasticam dæmonis illusionem fieri: 16
Quibus Doctoribus fauere videtur Author *cap. Episcopi*, 26. *q.* 5. sed non fauet, quia sæpè quidem (vt ibi est sensus) non tamen semper (vt volunt Nauarrus, Rodriguez, & quidam alij) sagis & magia talia contingunt per phantasticam dæmonis illusionem. Qua de re vide quæ diffusè dicebam *suprà dub.* 227. *sect.* 3. & in primam partem S. Thom. *in Tractatu de Angelis*. 17

Non obstat inhalatio super vulnus: Inhalatio enim super vulnus habere potest peculiarem virtutem naturalem ad talem curationis effectum, ratione temperamenti personæ inhalantis (vt omittam, ratione proprietatis occultæ quibusdam diuina gratia insitæ) sicut ex Plinio tradit Victoria *relectione de Arte Magica, n.* 16. scribit enim Plinius *lib.* 8. *Historia naturalis*, *cap.* 3. fuisse in Africa Psyllos, & in Italia Marsos, ex quorum familia qui originem trahebant, erant tales, quorum corpora tactu ipso leuabant percussos à serpentibus, & manu corporibus imposita, venenum exinde extrahebant: Alios verò fuisse, quorum corpora solo aspectu terrori erant serpentibus. Et quosdam in dolium olei feruentis coniectos experimenti causa, circummulcentibus linguis illæsos penitùs extitisse: Item fuisse alios, quorum sudor multis morbis medebatur: Alios, quorum saliua contra serpentis, & canis ictus valebat, & similia: Item *lib.* 7. *cap.* 2. scribit aliquando aliquas corporis humani partes ad aliquos effectus nasci mirabiles; sicut, subdit ipse, Pyrrhi Regis pollex in dextero pede tactus lienosis medebatur: Et sic de nonnullis aliis, &c. Ergo salutari posse videtur in casu nostro superstitio (siue hæc sint naturalia, vt ex temperamento sequantur, siue ad occultas proprietates diuinitus insitas, vel ad dona quædam, quæ dicuntur gratis data, pertineant) & effecti quodammodò possunt ad gratiam sanitatum in commune hominum commodum concessam, præsertim in quibusdam locis, vbi id erat necessarium, vti scribitur de Psyllis, quorum regio serpentibus abundabat, & abundat. Sic quidam habent gratiam curandi strumas, quam gratiam habere putatur mas, qui septimo loco continuato ordine nascitur. 18 19

Et quidem dubitari non debet, quod aliquando Deus quibusdam hominibus, & familiis virtutem concedat, vt suo tactu, halitu, vel odore possint aliquos morbos curare, sanguinem sistere, spiritus euanescentes cohibere, partem læsam corrobora-

re, venenum extrahere, & similia: Itavt etiamsi gratia sanitatum plenè alicui concessa (sicuti erat concessa Apostolis, & quibusdam aliis Sanctis) non sit alligata istis externis actibus, tamen collata solùm ex parte, vel ad certum morbum, iis tanquam instrumentis, alligata sit. Sic Reges Galliæ non curant strumas, nisi contactu partis affectæ, & Marsi, ac Psylli non curabant, nisi etiam præstito contactu.

Vide Victoriam *loco suprà citato*, vbi (cùm de hac re se dubitare dixisset, & in contrarium aliqua attulisset) tales scilicet curatores sæpè sæpiùs esse impro-
21 bæ vitæ; vnde verendum, ne sint impostores, sicque quod effectus potiùs sit à dæmone, quàm à Deo, statim subiungit: *hac dico non definiendo*; quia cùm gratiæ dentur propter bonum commune hominum, fieri potest, vt Deus illam misericordiam impertiri nobis velit per istos homines, qualescúmque illi sint. Et paulò post iterum eosdem excusat exemplo Psyllorum, & Marsorum.

Vide etiam Nauarrum *in sum.cap.* 11.*n.*36. vbi absolutè ait, istos Curatores licitè fungi posse munere suo. Redditque rationem ex eo, quia est gratia gratis data, & citat Margaritam Confessorum.

Vide tandem Azorium, qui *lib.*9.*c.*25.*q.*5. exempla prædicta ex Plinio, & de Marsis afferendo prædictos Curatores, etiam excusat, & defendit.

SECTIO XIX.

Quidnam dicendum de quibusdam artificialibus, quæ quatenus artificialia sunt, ad aliquos extraordinarios effectus applicantur.

SVMMARIVM.

1 *Characteres, vel Imagines, quæ Astrologicæ vocantur, vt Annulus sub tali constellatione conflatus, vel imago sub tali signo in lapide impressa, licèt defendantur ab aliquibus tanquam licita, ab aliis tamen tanquam illicita, & superstitiosa improbantur.*

2 *Artificialia huiusmodi non possunt esse secundùm se principium alterationis corporum.*

3 *Artificialia neque possunt esse talis alterationis principium ob aliquam virtutem cœlestem, ex influxu cœlorum eis impressam; quia opus artificiale vt sic est voluntarium, & ad opus voluntarium, vt voluntarium, cœlum non influit.*

1 QVales sunt v.g. characteres, vel Imagines, quæ Asttologicæ vocantur, vt Annulus sub tali constellatione conflatus, vel Imago sub tali signo in lapide impressa, de quibus dicebam *in tract. de conscientia dubia, eadem Dubit.* 34.*sect.*1.*n.*2.

Respondetur, quod (quamvis ea, tanquam licita defendant Caietanus 2.2.*q.*96.*art.*2. Pomponiacus *de Incantationibus*, *lib.* 4. & alij.) Probabilius tamen, tanquam illicita, & superstitiosa improbent cum S.Thom. *eadem q.*96.*art.* 5.*ad* 2.*& lib.*4. *contra gentes, cap.*104.*&* 125. Ferrariensis *ibidem*, Angelus *verbo superstitio, n.* 2. Syluester *eodem verbo, q.*10.*dicto* 2. Armilla *num. vltimo*, Tabiena *q. vltima*, Valentia 2.2. *disp.*6.*q.*13.*punct.*2. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de superstitione, cap.*15.*n.*18.*& seqq.* Sayrus *in claui Regia, lib.*4.*c.*6.*n.*3. Martinus Delrio *lib.*1.*disquis. Magicar. cap.*3.*q.*1.*& c.*4.*q.*1.*&* 2. vbi id idem probat de numeris arithmeticis, Lessius *de Iust. & Iur. lib.* 2. *cap.*43. *dub.*10.*n.*63.*& cap.*44.*dub.*5. *num.*12. & Simanch. *de cathol. Instit. tit.*62.*n.*55.

2 Probatur, quia huiusmodi artificialia non possunt esse secundùm se principium alicuius alterationis corporum, cum hoc principium sit naturalis quædam potentia agentis alterantis corpora: sed figura artificialis non est naturalis potentia (cùm rei substantia, & rei naturalitas, qualitatibus immutatis, ad libitum artificis mutari possit.) Ergo, &c.

Neque dicas, quod prædicta artificialia possint 3 esse talis alterationis principium ob aliquam virtutem cœlestem ex influxu cœlorum eis impressam; quia opus artificiale, vt sic, est voluntarium: At ad opus voluntarium, vt voluntarium, cœlum non influit, sicut non influit in voluntatem, à qua illud procedit: Ergo. Vide quæ dicebam *citato tract. de conscientia dubia, eadem dubit.* 34. *sect.* 1.

SECTIO XX.

Quidnam dicendum de Arte Alchimica, per quam metalla viliora in argentum, vel in aurum transmutantur; num scilicet sit possibilis, & licita?

SVMMARIVM.

1 *Alchymica Ars licèt ab aliquibus censeatur impossibilis, itavt transmutatio, quæ vera transmutatio sit, naturaliter esse non possit; probabiliùs tamen secundùm alios est possibilis.*

2 *Alchymica Ars quoad mores, licèt in distillationibus, & aliis rebus sit licita, & forsan vtilis, in confectione verò argenti, vel auri ex metallis vilioribus, seu imperfectioribus est illicita, superstitiosa, & Reipublicæ perniciosa.*

3 *Transmutatio prædicta de facto fit per cœlos, ex quo infertur, quod applicando actiua passiuis fieri etiam possit per hominis saltem adiuti ope, vel auxilio dæmonis.*

4 *Transmutatio prædicta, quæ sit vera transmutatio, est valdè difficilis, & supra humanam facultatem, vt Iure optimo iudicari possit moraliter impossibilis.*

5 *Ars Alchymica est exposita multis fraudis periculis.*

6 *Ars Alchymica item sub grauissima pœna prohibetur.*

7 *Alchymiæ vsus ab aliquibus existimatur licitus, & ab omni culpa liber.*

REspondetur, quod quamvis nonnulli putent, 1 quod sit impossibile, itavt prædicta transmutatio, quæ vera transmutatio sit, nsturaliter esse non possit, sed sit omninò ficititia. Probabiliùs tamen te- 2 neant alij, quod sit possibilis, quoad mores autem licèt in distillationibus, & aliis rebus sit licita, & forsan vtilis; in confectione verò argenti, vel auri ex metallis vilioribus, seu imperfectioribus sit illicita, superstitiosa & Reipublicæ perniciosa: qua de re videri poterunt Doctores apud Valentiam 2.2. *disp.*6. *quæst.* 13. *punct.*2. *difficult. vltima*, Pereyram *de Magia, lib.*1. *cap.*12. & Martinum Delrio *lib.*1. *disquis. magic. cap.*5. *quæst.* 1. *sect.*2. *&* 3. *& quæst.* 4. *per totam.*

Probatur pars prior, quia prædicta transmutatio, 3 quæ sit vera transmutsrio, de facto fit per cœlos: Ergo non est, cur applicando actiua passiuis, fieri etiam non possit per operam hominis, saltem adiuti ope, & auxilio dæmonis.

Probstur pars posterior, quia eadem transmu- 4 tatio, quæ sit vera transmutatio, est adeò difficilis, vt suprà humanam facultatem, & Iure optimo

iudi

iudicari possit moraliter impossibilis: Ergo est illicita, superstitiosa & Reipublicæ perniciosa.

5 Confirmatur, quia huiusmodi Artis Alchymicæ exercitium est expositum multis defraudandi periculis, & præterea quod dæmon eius operationi se immisceat: Ergo.

6 Confirmatur secundò: quia grauissimis verbis sub grauissima pœna prohibetur in extrauagaoti *Spondent*, Ioaonis XXII. de crimine falsi.

7 Atque ita, præter alios, tenent Valentia, & Pereyra *in locis suprà citatis*. Quidquid in contrarium dixerint alij cum Martino Delrio *cit. cap. 5. q. 4.* qui Artis prædictæ Alchymiæ vsum contendunt esse licitum, itavt ex omni capite à culpâ liber existat.

SECTIO XXI.

Quidnam dicendum de ludis, qui de *Passapassa* vocantur, num scilicet sint damnandi, necne.

SVMMARIVM.

1 *Ludi, qui Passapassa vocantur, non sunt damnandi, neque dicendum quod omnes, qui huiusmodi ludis vtuntur, auxilio dæmonis nitantur; quia possunt manuum agilitate res fictas, vt veras ostendere.*

1 RESpondetur, eos damnandos non esse, neque dicendum, quod omnes, qui huiusmodi ludis vtuntur, auxilio dæmonis nitantur; quia possunt manuum agilitate res fictas vt veras ostendere, aliàs non ita communiter vbique permitterentur: Sotus *de Iustitia & Iure, lib. 8. q. 3. art. 1.* & alij multi, quos sequitur Alcozer *de Ludo, cap. 15.*

SECTIO XXII.

Quidnam dicendum de iis, qui dæmoni dant chirographum, quo se baptismo, & fidei Christi renunciare, ac se dæmonis obsequio totos dicare profitentur, si ad pœnitentiam reuerrantur?

SVMMARIVM.

1 *Dæmoni qui date chirographo, baptismo, & Christi fidei renunciantes se totos dicarunt, tenentur, si ad pœnitentiam reuertantur, huiusmodi pactum cum dæmone initum dissoluere, & à prioribus superstitionibus, & magiis omninò recedere, ita tamen vt opus non sit, vt dæmon prædictum chirographum reddere cogatur.*

2 *Pactum cum dæmone initum omninò dissoluitur per eius criminis pœnitentiam, quamuis homines retinentes apud se chirographum illud lacerare, vel comburere cogendi sint.*

1 RESpondetur: Tenentur isti tales huiusmodi pactum cum dæmone initum dissoluere, & à prioribus superstitionibus, & magiis omninò recedere: Ita vt tamen præterea opus non sit, quod dæmon prædictum chirographum reddere cogatur. DD. quos sequitur Suarez *tom. 1. de Religione, lib. 2. de superstitione, cap. 17. n. 3.*

2 Probatur, quia prædictum pactum cum dæmone initum omninò dissoluitur per eius criminis pœnitentiam; quamvis si quis ex istis hominibus apud se chirographum, aut illius transsumptum retineat, illud lacerare, vel comburere cogendus sit; quia licèt illud apud se retinere (non quidem gratiâ seruandi fidelitatem dæmoni, sed ad sui confusionem, & ad illius enormis peccati seruandam memoriam) nihil mali ex se contineat; potest tamen scandalum gignere, si forsan deperdatur, aut inter alias ipsius pœnitentis scripturas, siue in vita, siue post mortem reperiatur: Cùm fieri possit, quod de subito moriatur, vel demens fiat, vel illius immemor ante mortem non laceret, neque comburat.

SECTIO XXIII.

Quid dicendum de Cabala?

SVMMARIVM.

1 *Cabala Hebraïcum nomen, Latinè significat receptionem, vel traditionem Patrum receptam sine aliquo scripto, secundùm Rabinos.*

2 *Cabala nomen iniquè vsurpatum ab improbis ad denominandam artem diuinandi futura, & cognoscendi occulta præsentia per nomina, characteres, & numeros, ea propter sic dicta, quia hac per traditionem à vetustissimis Magis originem traxit, &c. Vbi quomodò placent occultam intelligentiam.*

3 *Cabala ista superstitiosa, atque adeò illicita est, quia non solùm profitetur prænunciare futura, sed etiam manifestare secreta cordium, quod est proprium Dei.*

4 *Signum, quod interuenit ad placandam prædictam occultam intelligentiam, non est aliud, nisi tacitum pactum cum dæmone, & cur.*

5 *Cabalam istam exercentes, & ab illam exercentibus consilium circa illam petentes subiacent iudicio Inquisitorum, suntque iis denunciandi; & si fuerint Clerici, sunt ab Ordine deponendi, & in Monasterium per omne tempus trudendi, tanquam Diabolicam Artem Magicam profitentes: si verò fuerint laici, sunt excommunicandi, & aliis etiam pœnis puniendi.*

SVppono, quod Cabalæ nomen Hebraïcum, quod 1 Latinè significat receptionem, vel traditionem Patrum receptam sine aliquo scripto, secundùm Rabinos, nonnulli improbi homines vsurpent ad denominandam quandam Artem diuinandi futura, & co- 2 gnoscendi occulta præsentia per nomina, characteres, & numeros, & per occultam quandam intelligentiam (quam aiunt benignam sibi reddere per cuiusdam signi impressionem) cuius occultissimo instinctu ducti, calculando, & subtrahendo characteres, multa scribunt sensum facientes; & tam futura, quàm occulta præsentia manifestantes; Cui dæmoniacæ Arti nomen Cabalæ dederunt, quia vel ab aliis illam, quæ à vetustissimis Magis originem traxit, recipiendo dicerunt. Hoc supposito,

Respondetur: Est ita Cabala superstitiosa, atque 3 adeò illicita, idque propter easdem rationes, propter quas id ipsum sectione sequenti dicam de Rota, quæ dicitur Bedæ.

Confirmatur, quia dicta Cabala non solùm profitetur prænunciare futura, sed etiam manifestare secreta cordium: quod est proprium Dei, sicuti diffusè probabam in *1. p.* S. Thom. *tract. de Angelis.*

Confirmatur 2. quia signum, quod interuenit ad pla- 4 candam prædictam occultam intelligentiam, non est aliud, nisi tacitum pactum cum dæmone: quotiescumque enim in agendis adhibentur certi characteres,

figuræ, vel signa præter signum Crucis, quinetiam & signum ipsum Crucis non, vt oportet, locatum, vel formatum, vel vbi non oportet positom, vel superfluè certis locis, ac certo numero iteratum, tacitum pactum cum dæmone in illis interuenit, iuxta ea quæ dicam *infrà cit. sect. sequenti*, & tradunt communiter Theologi, quos sequitur Martinus Delrio *lib. 2. disquisit. magic. circa principium*, & videri poterunt etiam, quæ dicebam *suprà sect.* 18. & quæ dicam *infrà sect.* 26.

5 Hinc sequitur, quod tam Cabalam istam exercentes, quàm ab illam exercentibus consilium circa illam petentes subiaceant iudicio Inquisitorum, & sint denunciandi Inquisitoribus: Quin, si fuerint Clerici, sint ab ordine deponendi, & in Monasterium per omne tempus detrudendi, tanquam diabolicam artem magicam profitentes, vt *in cap. si quis Episcopus*, 26. *q.* 2. si verò fuerint laici, sint excommunicandi, vt *in cap. Aliquanti, eadem causa & quæstione.* Sintque etiam aliis pœnis puniendi, tanquam sortilegium, & magiam exercentes, de quibus videri poterunt præter alios Bernardus Diaz, & Salzedo ad ipsum *in Practica criminali canonica, cap.* 107. *& cap.* 108.

SECTIO XXIV.

Quid dicendum de rota, quæ dicitur Bedæ?

SVMMARIVM.

1 *Rota, quæ dicitur Bedæ, non est Bedæ, sed alicuius hæretici sortilegi, & vt nonnulli volunt, Apulei Platonici, qui temporibus suis de Magia, & Necromantia fuit grauiter accusatus. Ita enim est Ars hæreticorum, vt fideles reputentur ab hominibus, & ita possint inducere eos ad diabolicum vsum eiusdem.*

2 *Trithemius non recenset dictam Rotam inter opera eiusdem Bedæ, imò de ea nullam fecit mentionem, & doctrina, quæ in illa traditur, est singularis, & sic diabolica & superstitiosa.*

3 *Rota huiusmodi est superstitiosa, atque illicita, sicut & Cabala; quia versatur circa diuinationem, & cognitionem futurorum per dies, per nomina, literas, & numeros, quam non possunt hæc omnia conferre tanquam causa, quia ad eam inferendam vim naturalem vllam non habent.*

4 *Idem dicendum de literis, characteribus, & numeris, quia sunt scripti, vel ore prolati; si sunt scripti, sunt quid mortuum; si ore prolati, aliam vim non habent, quàm aërem mouendi, &c.*

5 *Literæ, characteres, & numeri neque dictam diuinationem & cognitionem futurorum inferre possunt tanquam signa, quia natura per ea non operatur, & signa diuina non sunt, cùm non reperiantur in sacra Scriptura.*

6 *Literæ, characteres, & numeri prædicti sunt signa dæmoniaca, seu à dæmone, qui talibus ex pacto explicito, seu implicito præbet aliquando efficaciam, & cur?*

7 *Inuentores primi prædictæ rotæ inierunt pactum expressum cum Dæmone, & implicitum, qui ea vtuntur.*

8 *Characteres, figuræ, vel signa, &c. certis locis, aut numeris iterata, quotiescumque in agendis adhibentur, tacitum pactum cum dæmone in illis interuenit: quotiescumque enim ad effectum adhibetur aliquid, quod ad eum producendum non conducit vt causa, neque vt signum naturale, vel diuinum, est quid vanum, &c.*

9 *Rota prædicta pertinet ad speciem sortilegij diuinatorij; nam sortes propriè dicuntur, cùm fit aliquid, vt eius euentu, considerato aliquid occultum innotescat, quod euenit in ea, &c. proindéque talis diuinatio pertinet ad sortilegium.*

10 *Sortes huiusmodi fuerunt interdictæ sub pœna anathematis à Leone IV.*

11 *Qui has rota prædicta, vel qualescumque diuinationes, aut fata, aut auguria obseruat, aut attendit, aut consentit obseruationibus inutiliter sine causa, magis ad suam damnationem, quàm ad salutem tendit, &c.*

12 *Inquisitorum iudicio subsunt tam rotam istam exercentes, quàm ab illam exercentibus futura scire quærentes, iique denunciandi sunt, & tanquam sortilegi puniendi.*

13 *Episcopi, Presbyteri, & quilibet alij Clerici sortilegia exercentes sunt puniendi, & ab Ecclesia communione cum his, qui eos credunt, pellendi.*

SVppono, quod talis rota non sit Bedæ, sed ali- 1
cuius hæretici sortilegi, & (vt nonnulli volunt)
Apulei Platonici, qui temporibus suis de magia, &
necromantia fuit grauiter accusatus, vti refert S. Au-
gustinus *epist.* 5. *ad Marcellinum*, & multorum testi-
monio comprobat Martinus Delrio *lib.* 2. *disquis.*
magic. cap. 9. *col.* 2. Dicatur tamen Bedæ, quia in-
dustria hæreticorum, & sortilegorum quorundam, vt
fideles auctoritate tanti viri faciliùs inducerentur ad
diabolicum vsum prædictæ rotæ, inter opera eiusdem
Bedæ *tom.* 2. fuit inserta, & Basileæ typis mandata:
Quod inde patet, quia Trithemius *lib.* 2. *de Viris Il-* 2
lustrib. Religionis S. Benedicti, scribens de Venerabili
Beda, & de eius operibus, de prædicta rota mentio-
nem nullam facit, quam vtique fecisset, si talis rota
esset Venerabilis Bedæ, cùm doctrina, quæ in illa tra-
ditur, sit singularis, & sic diabolica, & superstitiosa.
Hoc supposito,

Respondetur, & dico primò: Talis rota est etiam 3
superstitiosa, atque adeò etiam illicita, sicut & Ca-
bala, quia versatur circa diuinationem, & cognitio-
nem futurorum per dies, per nomina, literas, & nu-
meros: quam diuinationem, & cognitionem futuro-
rum non possunt hæc omnia inferre, tanquam causæ;
quia ad eam inferendam vim naturalem vllam non
habent, quin nullo modo sunt actiua: quapropter
rectè dixit Scaliger *lib.* 16. *de subtilitate, cap.* 349.
Langius *epist.* 33. Vallesius *de Sacra Philosophia, c.* 3.
& Torreblanca *de Magia diuinatrice, lib.* 1. *cap.* 13. *de*
Arte Cabalistica, n. 18. Quod nomina, quantumvis
speciosa, nullam habent virtutem operandi, neque
naturalem scilicet, neque artificialem.

Idemque dicendum de literis, characteribus, & 4
numeris; quia vel sunt scripti, vel ore prolati: si
sunt scripti, sunt quid mortuum, sicque sua propria
virtute operari non possunt; si sunt ore prolati, vim
aliam non habent, quàm aërem mouendi; cùm nul-
lam iis in Sacra Scriptura inueniamus à Deo virtu-
tem datam fuisse, prout in Euangelio legimus, datam
fuisse formis Sacramentorum, & ex Apostolorum tra-
ditione habemos datam fuisse Sacramentalibus, exor-
cismis scilicet, & benedictionibus, quibus Ecclesia
vtitur.

Neque dictam diuinationem, & cognitionem fu- 5
turorum inferre possunt, tanquam signa: Et quidem
non tanquam signa naturalia, seu à natura; quia na-
tura per nomina, literas, & numeros non operatur;
Neque tanquam signa diuina, seu à Deo; quia sicuti
dicebam, nullibi in sacris litteris legimus, Deum hu-
iusmodi signa dedisse hominibus, præter Sacramenta
immediatè per seipsum, & Sacramentalia mediatè per
Ecclesiam.

Ergo (cùm aliud non restet) dictam diuinatio- 6
nem,

tiem, & cognitionem futurorum inferent tanquam signa dæmoniaca, seu à dæmone, qui talibus ex pacto explicito, vel implicito præbet efficaciam aliquando; quia hoc ipso, quod quis huiusmodi diuinationibus operam dat, tacitè vult doceri à dæmone, se illis immiscente: ita Doctores communiter, quos sequitur Valentia *in 2.2. disp. 6. q. 12. punct. 2.* Tum quia hoc ipso, quod dæmon aduertit, homines huiusmodi vanitatibus se dare, illis se ingerit, vt mentes hominum ad vanitatem inuolvat. S. Thom. *in 2. 2. q. 95. art. 2.* quem Doctores etiam communiter sequuntur: tum quia hoc ipso dæmon semper agens simiam Dei (affectando scilicet similitudinem Dei, iuxta illud, *Ero similis Altissimo*) sua quodammodo, in quantum potest, ad similitudinem quandam Dei quædam instituit Sacramenta.

7 Cùm igitur, vti dicebam, prædicta nomina, literæ, characteres, & numeri non inferant prædictam diuinationem, & cognitionem futurorum, tanquam signa naturalia, seu à natura; quia natura per nomina, literas, characteres, & numeros non operatur; neque tanquam signa diuina, seu à Deo; quia nullibi in sacris literis legimus, Deum huiusmodi signa dedisse hominibus, præter Sacramenta immediatè per seipsum, & Sacramentalia mediatè per Ecclesiam; restat, quod eam inferant tanquam signa dæmoniaca, seu à dæmone per pactum expressum, vel implicitum; expressum scilicet primi inuentoris prædictæ Rotæ, & implicitum, seu tacitum eorum, qui nunc illam exercent, iuxta dicta sancti Thomæ *cit. q. 95.* Et videri poterit præter alios Valentia vbi suprà, Martinus Delrio *lib. 5. disquis. magic. circa principium*, & Suar. *tom. 1. lib. 5. de relig. cap. 12. num. 27.*

8 Confirmatur, quia quotiescumque in agendis adhibentur certi characteres, figuræ, vel signa, &c. certis locis, aut numeris iterata, tacitum pactum cum dæmone in illis interuenit, vt ex communi sententia Theologorum aduertit Martinus Delrio *loco sup. cit.* Et meritò, quia quotiescumque ad effectum adhibetur aliquid, quod ad talem effectum non inseruit vt causa, neque vt signum naturale, vel diuinum, sicut ex dictis contingit in casu nostro, est quid vanum: ergo id tribuendum dæmoni, qui delectatur vanis.

9 Dico secundò: dicta Rota pertinet ad speciem sortilegij diuinatorij; quia (sicuti tradit S. Thom. *cit. q. 95. art. 2.* & ego dicam *infrà, sect. 55.*) Sortes propriè dicuntur, cùm fit aliquid, vt eius euentu considerato aliquid occultum innotescat: sed in dicta Rota fit aliquid, vt eius euentu considerato aliquid occultum innotescat, v.g. an infirmus sit moriturus, an fugitiuus sit reuersurus, an gladiator sit victurus, an res aliqua felicem exitum sit habitura, &c. Ergo talis diuinatio pertinet ad sortilegium; & quia in eadem Rota quæ-
10 ritur, quidnam sit futurum, dicitur propterea, vt *ibid.* ait S. Thomas, sortilegium diuinatorium, quod vt idem etiam S. Thom. *in prædict. art. 8.* refert, fuit damnatum, & anathematis interdicto prohibitum à Leone Quarto *in cap. sortes, 26. q. 5.* per hæc verba. [Sortes quibus cuncta vos vestris discriminatis Prouinciis, quas Patres damnarunt, nihil aliud, quàm diuinationes, & maleficia esse decernimus; Quamobrem volumus omninò illas damnari, & vltra inter Christianos nolumus nominari, & ne exerceantur, anathematis interdicto prohibemus.]

11 Et *in cap. non obseruetis*, 26. q. 7. quod est S. Augustini, omnia ferè, quæ in dicta Rota fiunt, expressè damnantur, ibi: [Non obseruetis, &c. & paulò post: Aut tempora, aut dies, & annos, aut Lunæ, solisque cursum; quia qui & has, & quascumque diuinationes, aut facta, aut auguria obseruat, aut attendit, aut consentit obseruantibus inutiliter sine causa, magis ad suam damnationem, quàm ad salutem tendit, siue per quosdam numeros literarum, & lunæ per Pythagoricam Necromantiam ægrotantium vitam, vel mortem, vel prospera, vel aduersa futura inquirunt.] Et paulò post: [Qui autem talibus credunt, sciant se fidem Christianam, & baptismum præuaricasse, & paganum, & apostatam, idest retroabeuntem, & Dei inimicum, iram Dei grauiter, & in æternum incurrisse, nisi Ecclesiastica pœnitentia emendatus Deo reconcilietur.]

Hinc sequitur, quod tam Rotam istam exercentes, 12
quàm ab illam exercentibus futura scire quærentes subjaceant iudicio Inquisitorum, & denonciandi sint Inquisitoribus, & tanquam sortilegi puniendi. DD. communiter, quos sequitur Diaz de Salzedo *in pract. crim. canonic. cap. 107. & cap. 108.*

Videatur *cap. si quis Episcopus, cap. peruenit, cap.* 13
idolorum, in dict. causa, & quæstione, & *cap. non licet*, 26. *q. 5.* vbi sortilegi cum diuinatoribus, & maleficis æquè damnantur. Quinimò *in dict. cap. si quis Episcopus, ex Concilio Toletano 4. cap. 28.* Episcopi, Presbyteri, & quilibet alij ex ordine Clericorum sortilegia exercentes sunt deponendi; & *in cap. si quis Clericus, ibidem ex Concilio Aurelianensi 1. cap. 32.* sic determinatur: si quis Clericus, Monachus, vel Sæcularis diuinationem, vel auguria crediderit obseruanda, vel sortes, quas mentiuntur esse Sanctorum, quibuscumque putauerint intimandas, cum his, qui eis crediderint, ab Ecclesiæ communione pellantur.

SECTIO XXV.

An Superior Regularis, seu Religionis, possit in Ordine ad suos subditos sibi reseruare veneficium, incantationem, & sortilegium?

SVMMARIVM.

1 *Superior Regularis potest in ordine ad suos subditos sibi reseruare veneficium, incantationem, & sortilegium.*

2 *Veneficium, incantatio, & sortilegium non differunt specie, seu formaliter, scilicet ex parte malitiæ formalis, quæ semper quoad ista tria crimina consistit in societate, vel pacto explicito, aut implicito cum dæmone, sed solùm materialiter, scilicet ex parte materiæ, seu modi, quo fiunt.*

3 *Veneficium fit applicando in ordine ad aliquem effectum res naturales inutiles, seu inefficaces, non tamen applicando verba, neque cæremonias.*

4 *Incantatio fit in ordine similiter applicando ad aliquem effectum verba inutilia, seu inefficacia, non tamen applicando res naturales, sed solùm verba.*

5 *Sortilegium fit in ordine ad sciendum aliquod secretum, & occultum, siue futurum, vel præteritum, siue etiam præsens, applicando sortes, vel quid aliud æquiualens ad sortes: ita vt semper in his tribus criminibus conueniat dæmon ex societate, vel ex pacto implicito, vel explicito. Ita vt in his tribus criminibus non detur paruitas materiæ.*

6 *Actus peccaminosus non censetur reseruatus, si sit venialis, cùm reseruatio casuum, vtpote pœnalis, & odiosa, non sit amplianda, sed restringenda: vbi vide, si fuerit dubium, vtrùm sit venialis, an mortalis, &c. & de aliis dubiis similibus.*

7 *Extensio non est facienda ad alios casus, præter supradictos veneficij, incantationis, & sortilegij, cùm Clemens VIII. solùm exprimat has species superstitionis, contra plures tenentes oppositum.*

8 *Superstitio est vana, seu falsa religio, vel cultus alicui indebitè præstitus.*

9 *Superstitionis huiusmodi quatuor species assignantur.*
Indebitus cultus, idololatria, diuinatio, obseruatio
vana.

10 *Obseruatio vana est procuratio alicuius effectus, ad-*
hibitis mediis inefficacibus, seu inutilibus, & à
Deo minimè constitutis, sed ope dæmonis ex ex-
presso, vel tacito pacto cum illo, ad quam reducun-
tur veneficium, & incantatio. Sortilegium verò
ad diuinationem, quæ tertia species superstitionis
vocatur.

1 R_Espondetur affirmatiuè ex Constitutione Cle-
mentis VIII. in qua Pontifex expressè habet,
quod Superior Regularis possit præter alios casus sibi
reseruare veneficium, incantationem, & sortilegium.
Vbi aduerte, quod veneficium, incantatio, & sor-
2 tilegium non differant specie, seu formaliter (scilicet
ex parte malitiæ formalis, quæ semper quoad ista tria
crimina consistit in societate, vel pacto explicito, aut
implicito cum dæmone) sed solùm materialiter, scilicet
3 ex parte materiæ, seu modi, quo fiunt: Fit enim vene-
ficium applicando in ordine ad aliquem effectum res
naturales inutiles, seu inefficaces, non tamen appli-
4 cando verba, neque ceremonias: Fit autem incanta-
tio applicando in ordine similiter ad aliquem effe-
ctum verba inutilia, seu inefficacia, non tamen appli-
cando res naturales, sed solùm verba: Fit tandem
5 sortilegium in ordine ad sciendum aliquid secretum,
& occultum, siue futurum, vel præteritum, siue
etiam præsens, applicando sortes, vel quid aliud
æquiualens ad sortes; ita vt semper in his tribus cri-
minibus concurrat dæmon ex societate, vel ex pacto
explicito, aut implicito cum illo: sic DD. communi-
ter, quos sequitur Graffius *de casib. reseruat. super hunc*
casum, Portel. *in dub. regular. verb. veneficia, n.* 1. & Bor-
donus *resol.* 40. *n.* 11. *& seqq.* Quapropter in his tri-
bus criminibus non datur paruitas materiæ, cùm fun-
dentur, vti dicebam, in societate, vel pacto explicito,
aut implicito cum dæmone, in quo non datur parvi-
tas materiæ. Sic DD. communiter, quos sequitur
Martinus Delrio *lib.* 4. *disquisit. magic. cap.* 2. *quæst.* 6.
& 7.
6 Aduerte 2. quod (cùm reseruatio casuum, vtpote
pœnalis, & odiosa, non sit amplianda, sed restringen-
da) actus peccaminosus non censeatur reseruatus, si
sit venialis: Item neque (saltem de facto, quidquid
sit de possibili) si sit solùm internus, tametsi mortalis:
item neque si sit internus mortalis, sed externus ve-
nialis, vel è contra: item neque si sit mortalis inter-
nus, & externus, sed aliàs confessus: Item neque si
non sit completus, & consummatus, nisi sit reserua-
ta ipsa attentatio criminis: Item tandem neque, si si-
mus in dubio, vtrum sit reseruatus, ita vt in dubio
propter rationem dictam non debeat censeri quis in
casum reseruatum incidisse.
7 Aduerte 3. quod licèt Molfesius *in summa, tom.* 1.
tract. 7. *cap.* 20. *num.* 25. Graffius, Coriolanus, & alij,
quos sequitur Peirin. *tom.* 2. *de Prælato, quæst.* 3. *cap.* 2.
§. 1. *num.* 38. velint quod in his tribus superstitionum
speciebus includantur omnes aliæ superstitionum spe-
cies, eo quòd iuxta doctrinam Iasonis *in Auth. quas*
actiones, num. 25. *Cod. de sacros. Eccles.* quando agi-
tur de salute animæ, & de vitando peccato, ius etiam
pœnale, vtpote potiùs fauorabile, extendi debeat, adeò
vt potiùs dicatur inclusio similium delictorum, quàm
exclusio. Probabiliùs tamen alij, quos sequitur Bor-
donus *loco suprà citato, num.* 1. teneant, quod reser-
uatio casuum (cùm ex dictis sit odiosa, & pœnalis)
sit restringenda, non autem extendenda de casu ad ca-
sum, etiam similem ex rationis identitate, vel etiam
maiorem ex rationis maioritate: Et per consequens,
cùm in hoc casu Clemens VIII. solùm exprimat has
tres species superstitionis, scilicet veneficium, incan-
tationem, & sortilegium, non videtur admittenda ex-
tensio ad alias superstitionum species: Quod vt me-
liùs intelligatur,
Aduerte 4. quod superstitio sit vana, seu falsa Re- 8
ligio, vel cultus alicui indebitè præstitus. Nauarrus
in summa, cap. 11. *num.* 22. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 1.
& alij communiter: cuius superstitionis sunt quatuor 9
species.
Prima, indebitus cultus Deo vero præstitus.
Secunda, idololatria.
Tertia, diuinatio.
Quarta, obseruatio vana. Nauarrus *vbi suprà,*
num. 23. Sayr. *in claui Regia, lib.* 4. *cap.* 4. & alij pas-
sim, quos sequitur Bordonus *loco citato, num.* 2. Cùm 10
autem obseruatio vana sit procuratio alicuius effectus
adhibitis mediis inefficacibus, seu inutilibus, & à Deo
minimè constitutis, sed ope dæmonis ex expresso, vel
tacito pacto cum illo (sicuti ex sancto Thoma 2. 2.
quæst. 96. *art.* 1. *&* 2. tradunt communiter Doctores)
fit, quod ex tribus prædictis veluti superstitionis
speciebus, duæ (scilicet veneficium, & incantatio)
solùm ad quartam speciem, quæ obseruatio vana no-
minatur, reducantur. Tertia verò, quæ est sortile-
gium, etiam ad tertiam speciem superstitionis quæ
diuinatio vocatur, reduci possit. Sic DD. quos sequi-
tur Bordonus *vbi suprà, n.* 11. *& seqq.*

COROLLARIVM I.

Quandonam Regularis censeatur incidisse in casum reseruatum ex parte veneficij, si Superior Religionis reseruauerit sibi veneficium?

S V M M A R I V M.

1 *Regularis tunc quando maleficium aliquod fecerit ad*
tollendum, vel inferendum morbum, &c. incidit in
casum reseruatum ex parte veneficij, si Superior
Religionis reseruauerit sibi veneficium.

2 *Item licèt non fecerit, vel facere nesciuerit, eo tamen*
vsus sit ad soluendum, siue ad ligandum.

3 *Secus si consilio capto à veneficis, seu sagis, illo non*
sit vsus.

4 *Secus etiam, si ex consilio venefica, seu saga colliga-*
uerit ossa mortuorum, vel alias res, siue sacras, siue
profanas, ad veneficium componendum; quia per
hæc, licèt grauissimè peccet, non tamen fecit, neque
adhibuit maleficium.

RESpondetur ex dictis: Tunc quando Regularis 1
maleficium aliquod fecerit ad tollendum, vel in-
ferendum morbum, aut ad aliàs damnificandum ali-
quem siue in persona, siue in rebus.
Item quando, licèt maleficium non fecerit, vel 2
etiam facere nesciuerit, eo tamen à maleficis compo-
sito vsus fuerit, siue ad soluendum, siue ad ligandum.
Peytin. *loco suprà cit.* & Fagund. *in* 2. *præcept. Eccle-*
siæ, lib. 8. *cap.* 4. *num.* 7. *&* 8.
Secùs autem, si Regularis consuluerit veneficam, seu 3
sagam, vel consuluerit alios, vt eam consulant, si eius
remediis ipse vsus non fuerit. Peyrin. & Fagund. vbi su-
prà, & alij, quos sequitur Portell. *num.* 30.
Secùs etiam, si Regularis ex consilio veneficæ, seu 4
sagæ colligauerit ossa mortuorum, vel alias res, siue
sacras, siue profanas, ad veneficium componendum;
quia per hoc Regularis neque fecit maleficium, ne-
que eo à veneficis composito vsus fuit, sed tantùm
materiam præparauit, quod licèt sit peccatum graue,
non tamen inuoluitur sub reseruatione in casu nostro,
propter rationes dictas.

COROL

COROLLARIVM II.

Quandonam Regularis censeatur incidisse in casum reseruatum ex parte incantationis, si Superior Religionis reseruauerit sibi incantationem?

SVMMARIVM.

1 *Regularis tunc, quando ad aliquem effectum consequendum, vel ad aliquam rem improportionatam efficiendam vsus fuerit aliquibus verbis, vel signis inutilibus, seu inefficacibus, tunc censetur incidisse in casum reseruatum ex parte incantationis, si Superior Regularis sibi reseruauerit incantationem.*

2 *Idemque dicas, si talia verba sint sacra, si cum illis adhibeatur aliqua vana, & inutilis circunstantia, vel si licèt cum illis non adhibeatur aliqua vana, & inutilis circunstantia, expectetur tamen ex illis effectus non quidem ex deuotione impetratoriè, sed certò, & infallibiliter, &c.*

3 *Idem dic, si talia verba sint falsa, v.g. quod Christus habuerit febres.*

4 *Idem dic, si effectus secutus ex talibus verbis sit vanus, & inutilis; quia neque præsumitur Deus ordinasse quid sacrum ad effectum vanum.*

5 *Idem si id fiat ex ioco, quia cum dæmone, vtpotè inimico Dei, iocus haberi non debet.*

6 *Secus dic, si Regularis fecerit pactum implicitum, quin etiam explicitum cum dæmone, auxilium ab eo ad aliquem effectum expectando, vel etiam dæmonem ipsum colendo, quia hoc licèt sit grauissimum peccatum, non tamen est formaliter incantatio.*

1 RESpondetur ex dictis etiam: Tunc quando Regularis ad aliquem effectum consequendum, vel ad aliquam rem improportionatam efficiendam vsus fuerit aliquibus verbis, vel signis inutilibus, seu inefficacibus, verbi gratiâ ignotis literis, figuris, characteribus, vel nominibus, etiam Angelorum, vel aliarum rerum prolatis; quia hæc ex se non sunt actiua, & ad id prorsus improportionata. Caietan. *verb. Incantatio*, Nauar. *num.* 55. Fagundez *num.* 12. Portel. *num.* 10. & alij communiter.

2 Idemque dicas, si talia verba sint sacra, v.g. ex nouo, vel veteri Testamento desumpta, si cum illis adhibetur aliqua vana, & inutilis circunstantia, vt quod proferantur tali die, tali hora, tali situ corporis, versùs talem partem mundi, seu cœli, tali voce, vel quod sint scripta tali modo, aut in tali charta, &c. quia tunc per se patet, inuolui in operatione aliquid vanum. Nauarrus, Fagundez, & Portellus *in locis suprà citatis*. Vel si (licèt cum illis non adhibeatur aliqua vana, & inutilis circunstantia) expectetur tamen ex illis effectus, non quidem ex deuotione impetratoriè, sed certò, & infallibiliter; quia sic Christus non instituerit, nisi Sacramenta, & non nisi ad effectus supernaturales pro anima, non autem ad effectus naturales pro corpore; & præterea non nisi per Ministros Ecclesiæ, non autem per quoscumque alios, præsertim femellas.

3 Idemque dicas, si talia verba sint falsa, v.g. quod Christus habuerit febres, aut quod B. Virgo habuerit dolorem in partu; quia non præsumitur Deus verbis falsis dedisse virtutem. Nauarrus, Fagundez, & alij, quos *suprà* citabam.

4 Idemque dicas, si effectus secutus ex talibus verbis sit vanus, & inutilis (vt si v.g. ex illorum prolatione moueatur annulus, cribrum, vel quid simile) quia neque præsumitur Deus ordinasse quid sacrum ad effectum vanum, & inutilem: ita Nauar. Fagund. etiam, & Portell. *in locis suprà citatis*.

Idemque dicas, si id fiat ex ioco, quia cum dæmone, vtpotè inimico Dei, & hoste generis humani, iocus haberi non debet: sic Doctores quos sequitur Portell. vbi suprà. 5

Secus autem, si Regularis fecerit pactum implicitè, quin etiam explicitum cum dæmone, auxilium ab eo ad aliquem effectum expectando, vel etiam ipsum dæmonem colendo; quia (licèt hoc sit grauissimum peccatum, & grauissimis pœnis puniendum) non tamen est formaliter, vti dicebam, incantatio; cùm ista solùm consistat in vsu verborum, vel signorum, &c. inutilium ad aliquem effectum consequendum, & ex alio capite, vti etiam dicebam, reseruatio casuum (cùm sit pœnalis, & odiosa) extendi non debet de casu ad casum ex identitate, vel etiam ex maioritate rationis. 6

COROLLARIVM III.

Quandonam Regularis censeatur incidisse in casum reseruatum ex parte sortilegij, si Superior Religionis reseruauerit sibi sortilegium?

SVMMARIVM.

1 *Sortes hîc propriè sumuntur, cùm aliquid fit, vt eius euentu considerato, aliquid fiat, vel innotescat.*

2 *Sortes hæ triplices sunt, diuisoria, consultoria, & diuinatoria, & quæ vtraque sint.*

3 *Regularis tunc, quando vsus fuerit sortibus consultoriis, quia Deus non vult indagare suam voluntatem sortibus, sed Ecclesiæ, ac Sanctorum doctrinis, ac petito à viris prudentibus consilio, quamvis aliquando ea licita sint, concurrentibus aliquibus conditionibus, censetur incidisse in casum reseruatum ex parte sortilegij, si Superior Regularis reseruauerit sortilegium.*

4 *Item quando vsus fuerit sortibus diuinatoriis, quia sunt vana, & suspecta de pacto, saltem implicito cum dæmone.*

5 *Secus dic, quando aliam diuinationem per aliud medium impertinens fecerit, contra nonnullos.*

6 *Secus etiam quando vsus fuerit sortibus diuisoriis ad dirimendas lites inter heredes.*

7 *Regularis incidit in casum reseruatum exercendo ea, quæ exercent Ensalmadores, seu salutatores, quatenus ad prædicta crimina referantur.*

8 *Signa prædicta quotiescumque ad talem effectum non habent virtutem naturalem, neque diuinam ex sacris literis, includunt pactum cum dæmone tacitum, vel expressum.*

SVppono ex S. Thoma 2.2.q.95.art.8.& aliis communiter, quod sortes hîc propriè sumantur, cùm aliquid fit, vt eius euentu considerato, aliquid fiat, vel innotescat; & hæ triplices sunt: *Diuisoria*, vt sciant sortientes, quid cuilibet tribuendum sit in controuersiis, vel in electionibus, &c. *Consultoria*, quibus diuina voluntas exquiritur, vt sciatur quid in aliqua re sit faciendum, vel cauendum: *Diuinatoria*, quibus quis vtitur ad quid occultum cognoscendum, vt si v. g. sic vel aliter taxilli, vel chartæ decidant, coniecturetur felix, vel infelix euentus, aut si diuersa nomina ponantur in vrna, vt coniecturetur v. g. furtum esse apud eum, cuius nomen ex vrna deducitur. His suppositis, 1 2

Respon

3 Reſpondetur ex dictis etiam, tunc quando Regularis vſus fuerit ſortibus conſultatoriis, quia Deus non vult indagari ſuam voluntatem ſortibus, ſed Eccleſiæ, & Sanctorum doctrinis, ac petito à viris prudentibus conſilio; quamvis aliquando, concurrentibus ſcilicet quibuſdam conditionibus, licitæ ſint. Vide quæ dicebam *ſuprà dub.* 215. *ſect.* 8.

4 Item quando vſus fuerit ſortibus diuinatoriis, quia (cùm tales ſortes ſint medium improportionatum ad occulta cognoſcenda) ſunt vanæ, & ſuſpectæ de pacto, ſaltem implicito, cum dæmone, ſicque illicitæ, & ſuperſtitioſæ: Quapropter Iure canonico prohibentur *in cap. ſi quis Epiſcopus*, & *cap. ſeq.* 26. *q.* 5. Vide quæ dicebam *cit. ſect.* 8.

Regularis igitur cenſetur incidiſſe in caſum reſeruatum ex parte ſortilegij, ſi Superior Religionis reſeruauerit ſibi ſortilegium, quando præiactis ſortibus, aliquid occultum (ſiue præteritum, ſiue futurum, ſiue etiam præſens) noſcere voluerit: ita Saytus *vbi ſuprà, n.* 15. Graff. *n.* 16. Portel. *n.* 21. Peyrin. *n.* 38. & Bord. *n.* 11.

5 Secus quando aliam diuinationem per aliud medium impertinens, quidquid in contrarium dixerint iidem DD. mox *ſuprà* citati. Item Mart. Delrio *lib.* 4. *diſquiſ. magic. c.* 2. *q.* 6. & 7. Tolet. *lib.* 4. *c.* 15. & alij communiter, quia ſortilegium, vti dicebam, ſolùm importat diuinationem per ſortes; & ex alio capite reſeruatio caſuum, vti etiam dicebam (vtpote pœnalis, & odioſa) extendi non debet de caſu ad caſum ex identitate, quin neque ex maioritate rationis.

6 Secus etiam quando vſus fuerit ſortibus diuiſoriis, quæ ſcilicet mittuntur ad dirimendas inter hæredes, & legatarios controuerſias, ad obtinenda aliqua bona, ad conſequenda in electionibus officia ſæcularia, & ſimilia; quia tales ſortes ſunt iure naturæ licitæ. Vide quæ dicebam *cit. dub.* 215. *ſect.* 2. & *ſeqq.*

7 Hinc patet, quando etiam Regularis inciderit in caſum reſeruatum, ſi exercuerit ea quæ exercent Enſalmadores, ſeu ſaluratores, de quibus videri poterunt præter alios Fagund. *vbi ſup. num.* 16. & Portell. *num.* 6. & *ſeqq.* videri etiam poterunt quæ dicebam *ſuprà ſect.* 16. & 17.

8 Cæterùm circa prædictas res, & circa prædicta verba, ſigna, vel quælibet alia (quæ per veneficia, vel incantationes, &c. applicantur ad effectum improportionatum.) Aduerte, maximè pro foro externo, ex S. Thoma *loco ſuprà citato*, & aliis communiter, quod quotieſcumque prædicta ad talem effectum non habent virtutem naturalem, neque ex ſacris literis, vel ex alia reuelatione virtutem ſupernaturalem, haberi debent tanquam ſuſpecta de pacto, ſaltem implicito, cum dæmone: ſic Doctores communiter, quos ſequitur Portel. *vbi ſuprà, n.* 12. qui ex Victoria, & Mart. Delrio ſubdit, & rectè, quod non tamen tunc effectus, qui nobis videntur inhabiles, procedant à dæmone; quia procedere poſſunt à cauſa naturali nobis incognita, maximè per magiam naturalem, quæ rerum naturalium virtutes ſecretas particulares cognoſcendo, illaſque miſcendo, producit effectus, vtique naturales, nobis tamen mirabiles, eo quòd nobis illarum rerum prædictæ virtutes particulares incognitæ ſint.

SECTIO XXVI.

Quid dicendum in dubio, an effectus ſit à dæmone?

SVMMARIVM.

1 *Effectus in dubio cenſetur potiùs à cauſa naturali, quam à dæmone.*

2 *Opinio Caietani recenſetur, quæ excuſauit à peccato mortali eos, qui imagines aſtronomicas ſub certa conſtellatione fabricarunt, de quibus multa ſcribit Cornelius Agrippa.*

3 *Opinio aliorum contra Caietanum oppoſitum tenentium affertur.*

4 *Res naturalis ſi dubitetur an ei vis talis ineſſe poſſit, non ſtatim tanquam ſuperſtitio magica damnari debet, præſertim quia admirabiles rebus multis virtutes inſunt, pleriſque etiam doctis viris incognitæ.*

5 *Vtens ad ſui morbi depulſionem re naturali dubia in caſu, de quo agitur, conſultius eſſet, ſi præmitteret proteſtationem, ſe nolle conſequi effectum, ſi diabolica ſit.*

6 *Proteſtatio prædicta non excuſabit à peccato, ſi certum ſit, rem quæ adhibetur, ſecundum ſe vanam, & inutilem eſſe.*

7 *Cauſa adhibita quotieſcumque nequit effectum naturaliter producere, eſt ſuperſtitio, & ad tacitum cum dæmone pactum ſpectat.*

8 *Superſtitio eſt, ſi quis v. g. Reliquias, vel ſchedulas ſacris verbis, aut ſigno Crucis inſcriptas geſtet cum certa perſuaſione, ſe propterea non poſſe offendi ab inimicis, aut non poſſe mori ſine confeſ-*

9 *ſione, & cur? Secus tamen ſi in his, & ſimilibus caſibus ex ſola deuotione effectus ſperetur, ex quo ceſſat ſuperſtitio, cùm à Deo (& non à dæmone) piè, & miſericorditer effectus expectetur.*

10 *Verba Caietani deſcribentis varias ſuperſtitionum ſpecies referuntur.*

11 *Superſtitio eſt etiam ſi certo alicuius diei feſto venam quis ſecet: ter circa Templum obequitet: die S. Ioan. Baptiſtæ flores decerpat ad morbos auertendos: certo numero precum, & candelarum quis eleemoſynarum, & etiam Miſſarum vtatur.*

12 *Effectus an in dubio ſit à cauſa naturali, vel à dæmone, & ſic an licitus, vel illicitus, probabiliter à cauſa naturali potiùs, & ſic licitus iudicandus eſt.*

13 *Oppoſitum etiam probabiliter docent alij, inter quos Emanuel de Moura.*

14 *Enſalmus concurrentibus talibus indiciis, quibus intellectus prudenter dubitet, vtrum operetur virtute naturali, diuina, vel diabolica, fas non eſt ſecundùm ſupradictum auctorem eo vti.*

15 *Enſalmo dubio ſaltem ad medendum, & ſuccurrendum graui neceſſitati fas non eſt vti, ſecundùm præfatum.*

16 *Dæmon in dubio quod ſit auctor Enſalmi fas non eſt illo vti, neque ſub conditione, & proteſtatione, ſi dæmon non ſubeſt.*

17 *Non eſt licitum ſecundùm Leſſium vti remedio ſuperſtitioſo, & de quo dubium eſt, an contineat tacitam dæmonis inuocationem.*

18 *A mago fas non eſt petere, vt maleficium diſſoluat, ſi dubitetur, an id ſine nouo maleficio diſſoluat.*

19 *Id de quo dubium eſt, an ſine peccato fieri poſſit, ſicut abſolutè non eſt faciendum, ita nec abſolutè ab alio petendum, vt ille faciat: Secus quando conſtat, ſine peccato fieri poſſe, & cauſa iuſta petendi ſubeſt, ſaltem ſub conditione, & proteſtatione.*

Reſpondetur: In dubio, an effectus ſit à dæmone, ſicque illicitus, an autem potiùs à cauſa naturali, ſicque licitus, dicendum eſt, non omninò improbabiliter, quod potiùs ſit à cauſa naturali, ſicque licitus, tum ex iis, quæ dicebam *ſect. præced. circa fin.* & *ſuprà ſect.* 15. *per tot.* & *tract. de conſcientia dubia, dub.* 34. tum etiam ex eo, quia (cùm in dubio melior ſit conditio poſſidentis ſuam libertatem) poteſt quis depoſito dubio, nempe ſpeculatiuo, practicè certus, fundatè, atque adeò non temerè, ſed prudenter, ſicque ſine vllo peccato operari, propter rationes dictas. 1

Hinc forſan Caiet. 2. 2. *q.* 96. *art.* 2. excuſat à peccato mortali 2

mortali eos, qui imagines astronomicas sub certa constellatione ad aliquem effectum fabricantur: v.g. cùm quis sub signo Leonis sculpit in auro figuram Leonis, quam dicunt valere, & virtutem concipere contra phantasmata melancholica, hydropen, pestem, & febrem, si fiat sole existente in prima facie Leonis, id est in vno ex decem primis gradibus talis signi; Si autem fiat sole existente in corde Leonis, & cœli medium tenente, dicunt valere, & virtutem concipere contra calculos, & nephriticos dolores, & similia, de quibus Cornelius Agrippa *lib. 2. de occulta Philosophia, à cap. 35. vsque ad* 48.

3 Quamvis contra Caietanum communiter contrarium sentiant alij, qui pro sua sententia citant S. Augustinum *lib. 10. de Ciuitate, cap. 11.* & S. Thomam *citata quæst. 96. art. 2. & lib. 3. contra Gentes, cap. 105.*

4 Hinc secundò, si dubitetur, an alicui rei ad sanandum applicandæ eiusmodi virtus naturalis insit, non statim, tanquam magica superstitio damnari debet, præsertim quia multis rebus admirabiles virtutes insunt, eæque quamplurimis, etiam doctis viris incognitæ, sicut ostendit Victoria *in relectione de arte magica, q. 3. n. 6.* & ego dicebam *cit. sect. praecedent. coroll. 3. & citato tractatu de conscientia dubia, dub. 34.*

5 Quapropter in hoc casu consulerem ei, qui experientia motus, huiusmodi re (tanquam ad morbi alicuius depulsionem idonea) vti vellet, vt expressè protestaretur, quod si vlla vis diabolica ex pacto subsit, nolit se effectum exinde consequi, sicuti præter alios adnotauit Philiarchus *tom. 1. de offic. Sacerd. part. 2. lib. 3. cap. 11. conclus. 4.*

6 At si certum, vel propè certum sit, rem quæ adhibetur, secundùm se vanam, & inutilem, &c. tunc non excusabit protestatio; quia tunc protestatio est contraria facto. Excipe, si id fiat non ad experiendam, sed ad conuincendam institutionem dæmonis: qua ratione Caietanus *verb. Incantatio*, ait se demonstrasse superstitionem illam mouendi annulum, pronunciato *versiculo Psalmi* 50. Cùm enim protestatus fuisset se nolle versiculum illum pronunciare secundùm dæmonis institutionem, sed tantùm ad laudandum Deum, annulus motus non fuit.

Vide Victoriam, & Philiarcum *in locis suprà cit.* & Sanchez *lib. 2. moral. cap. 40. n. 44.* vbi expressè ait, quod si dubium sit, an effectus à causa naturali proueniat (eo quòd non constet, vtrum vires causæ naturalis excedat, necne) censendus sit potiùs à causa naturali prouenire, quàm à dæmone; quia cùm innumeræ agentium naturalium vires nos latitent, non est, cur ex eo quod virtus illa nobis dubia sit, effectum illum causæ naturali negemus, nec absque
7 necessitate confugiendum est ad occultam dæmonis operationem; Si verò constet, effectum illum vires causæ naturalis excedere, subdit (nisi sanctitas operantis, aut aliud vrgentissimum indicium suadeat, effectum illum prouenire à Deo) censendum esse superstitiosum, & ex pacto aliquo, tametsi verba adhibita sint sacra, prouenire à dæmone, quia quotiescumque causa adhibita nequit effectum naturaliter producere, videtur superstitio, & ad tacitum cum dæmone pactum spectare.

8 Quapropter superstitio videtur, si quis v.g. Reliquias, vel schedulas sacras verbis, aut signo crucis inscriptas gestet cum persuasione certa, se propterea non posse offendi ab inimicis, vel ab aliquo alio, aut non posse mori sine confessione; quia tamen si nihil superstitionis exterius admisceatur, superstitiosè tamen rebus illis vtitur (scilicet ad effectum, quem neque ex natura sua, neque ex ordinatione Dei ad certam animæ, vel corporis salutem consequendam habent) ita vt sit quid superstitiosum, si non vt quod, saltem vt quo; seu si non quoad substantiam, saltem quoad modum.

Non nego tamen, quod si in his, & similibus ca- 9
sibus ex sola deuotione impetratoriè effectus expectatur, tunc non est quid superstitiosum, neque vt quod, neque vt quo, seu neque quoad substantiam, neque quoad modum.

Quinimmò plus addit Caietanus *verb. superstitio*, 10
vbi sic ait: Quarta superstitio est obseruationum in verbis, aut rebus sacris portandis, dicendis, vel vtendis, &c. adiunctis aliquibus conditionibus non malis, quarũ ratio nescitur: vt si verbi gratià neruorum spasmum patientes annulo confecto ex primo oboleno Christi cruci in Parasceue oblato ad remedium vtantur, & sic de aliis, &c. Quantum enim apparet, in his superstitio interuenit, quia vanæ conditiones apparent. Si tamen ex mera deuotione fiant, & homines non nisi à Deo intendant, & expectent effectum, putantes Deum inspirasse alicui viro sancto huiusmodi conditiones, non audeo damnare, sed tolerabile mihi id videtur: Sic ille.

Idemque similiter dici poterit, si quis v.g. certo 11
alicuius Sancti festo venam equis aperiat, eosque ter circa templum obequitet, vel conducat: die Sancti Ioannis Baptistæ ad morbos auertendos flores decerpat, vel certo numero precum, aut candelarum vtatur, &c.

Quamvis edoceri hîc fideles oporteat, rectè quidem id ipsos facere in honorem alicuius sacri Mysterij, sed non ex persuasione, quasi deprecatio ipsorum Deo grata futura non sit, si alius numerus adhibeatur: v. g. nisi septem Missæ pro defuncto dicantur, nisi septem accensis candelis, vel nisi septem datis eleemosynis, &c. animæ defuncti non sit, quod ab ipsis fit, profuturum; sic enim tanquam superstitiosa tollenda foret ipsorum ista persuasio.

At quidquid sit de hoc, illud saltem (vt à princi- 12
pio dicebam) non omninò improbabiliter dicitur,
scilicet in dubio, an effectus sit à causa naturali, vel 13
à dæmone, sicque sit licitus, vel illicitus, illum à causa naturali potiùs, sicque licitum iudicandum esse; quamvis oppositum, & quidem satis probabiliter, doceant alij, inter quos Moura *opuscul. 1. de Ensalm. & Incantat. sect. 2. cap. 16. 17. & 18.* vbi quærens, an 14
concurrentibus talibus indiciis, quibus intellectus
prudenter dubitet, vtrum Ensalmus operetur virtute 15
diuina, naturali, vel diabolica, fas sit eo vti? Secundò, an fas sit vti Ensalmo dubio, saltem ad meden- 16
dum, & succurrendum graui necessitati. Tertiò, an in dubio, vtrum dæmon sit auctor Ensalmi, fas sit eo vti, saltem sub conditione, & protestatione, si dæmon non subest? ad omnia negatiuè respondet.

Idemque, quod Moura, ex parte docet Lessius *lib. 2.* 17
de iustitia, cap. 44. dub. 6. n. 46. vbi inquit, non esse licitum vti remedio, de quo dubium est, an illud contineat tacitam dæmonis inuocationem: Hoc enim est, hominem se exponere manifesto periculo superstitionis, nisi forsan id faciat, iuxta ea, quæ suprà dicebam, cum expressa voluntatis contrariæ protesta-
tione. Pari modo quod fas non sit à mago petere, 18
quod maleficium dissoluat, si dubitas, an absque nouo maleficio id facere possit; quia id, de quo dubium est,
an absque peccato fieri possit, sicut absolutè non est 19
faciendum, ita similiter nec absolutè est ab alio petendum, vt ille faciat: Secus quando constat, absque peccato ab illo fieri posse, & iusta causa petendi subest.

At nihilominus, quod dixi (saltem sub conditione, & protestatione, si scilicet dæmon non subsit) est etiam non omninò improbabile, propter rationes dictas: Et videri poterunt præcipuè quæ dicebam *suprà, citata sect. 15. per totam*: quare sit

SECTIO XXVII.

Quid dicendum de iis, qui ex auium, piscium aliorumque animalium voce, cantu, vel volatu, &c. de fortuitis euentibus coniectationem accipiunt? Vbi & de aliis similia obseruantibus.

SVMMARIVM.

1 *Accipientes coniectationem ex auium, piscium, aliorumque animalium voce, cantu, volatu, &c. de futuris euentibus, excusantur saltem à peccato mortali.*
2 *Item accipientes hominis vocem præter intentionem, & fortuitò prolatam in signum prosperi, vel aduersi euentus, excusantur à peccato mortali.*
3 *Idem dic de aliis vanis, & inutilibus obseruationibus, v.g. ex sternutatione, auris tinnitu, volucris occursu, corrigia ruptione, & aliis huiusmodi.*
4 *Item de somniorum obseruatione, & diuinatione, de occursibus variorum vana indicantibus, &c.*
5 *Canones nonnulli superstitiosi ad rem medicam pertinentes recensentur à Ioanne de Indagine lib. 4.*
6 *Superstitiosi hic recensiti ideò non damnantur de peccato mortali, non obstantibus prædictis obseruationibus, quia ab ipsis non fides, sed vana tantùm formido eis tribuitur: tum quia rationis ignorantia, & bona fidei non apprehendunt in iis quidquam mali.*
7 *Homo potest quandoque absque omni peccato ex aliquo præsagio cauere sibi prudenter in operando, dubitans ne præsens occursus v.g. sit signum futuri, ex communi vtriusque causa, cœlesti, vel diuina.*
8 *Credulitas tamen in his rebus facilè reprehendenda est.*

1 Respondetur ex dictis *suprà, sect. 18. & dub. 126. per totam*, non damnarem, saltem de mortali, illos, qui ex auium, piscium, aliorumque animalium voce, cantu, vel volatu, &c. de fortuitis euentibus coniectationem accipiunt.

2 Item, cùm vox hominis præter intentionem, & fortuitò prolata, in signum prosperi, vel aduersi euentus accipitur.

3 Et huc pertinent vanæ, & inutiles aliæ obseruationes, v.g. ex sternutatione, auris tinnitu, volucris occursu, corrigiæ ruptione, & alia huiusmodi, de quibus, & similibus

Videri poterit S. Augustinus *lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 20.* ibi: [Si membrum aliquod salierit, si iunctim ambulantibus amicis, lapis, aut puer medius interuenerit, & iterum: Hîc sunt etiam alia, limen calcare, cùm ante domum suam transit: redire ad lectum, si quis dum se calceat, sternutauerit: redire domum, si procedens offenderit: cùm à soricibus vestis roditur, plus timere suspicionem mali futuri, quàm dolere damnum præsens:] Videri etiam poterit S. Chrysostomus *homilia 21. ad populum Antiochenum.*

4 Huc etiam spectant somniorum obseruatio, vel diuinatio: Item si tibi exeunti foras primò occurrat virgo, & idcircò putes, diem illum fore sterilem; prosperum autem, & fœcundum, si meretrix: Si occursum vulpis, vel canis prægnantis, vel Æthiopis, &c. putes infortunatum: si dies quosdam iudices infaustos (vnde nihil in iis aggredi, vel tentare audes) quosdam autem alios dies faustos, & fortunatos.

5 Quò etiam spectant quidam Canones ad rem medicam pertinentes, de quibus Ioannes de Indagine *lib. 4.* v.g. non abluendum esse caput diebus Martis: Ad subuentionem hypochondriorum auspicatos esse dies Iouis, Lunæ, & Solis; inauspicatos autem dies Martis, & Mercurij: Natis sub signo Leonis infaustos esse dies Iouis & Saturni: Et similes vanitates absque firmo fundamento confictæ, & quasi Planetæ dies istos, quibus vires suas effundant, peculiares sibi vindicent, quomodocumque Kalendaria ab hominibus disponantur.

6 Non, inquam, damnarem, saltem de mortali eos, qui ex huiusmodi rebus supradictis coniectationem accipiunt; quia ipsi tales non fidem, sed vanam tantùm formidinem quandam eis adscribunt: tum quia rationis ignorantiæ, & bonæ fidei non apprehendunt in eis quidquam mali, sed eis vtuntur, tanquam quibusdam Regulis à maioribus traditis, & experientiâ comprobatis; vel (vt ait Caietanus *verbo superstitio obseruationum*) ad causas referunt sibi ignotas, & occultas.

7 Quinimmò addo cum eodem Caietano ibidem, posse te quandoque sine omni peccato ex aliquo casu, tanquam ex præsagio, cauere tibi in operando, pro tunc dubitans, an præsens casus sit signum futuri, ex communi vtriusque casus causa, vel cœlesti, vel diuina; vt si cadens corporaliter timeas tibi casum aliquem futurum moralem in statu, vel honore: fieri enim potest, quod vterque casus ab eadem causa cœlesti causetur, aut quod dicta, vel facta hominum interdum per diuinam prouidentiam ad alicuius rei significationem, & hominis commotionem assumantur, vti docet S. Thomas *2. 2. q. 95. art. 7. ad 3.* rectè 8 tamen addit Caietanus ibidem, credulitatem in his facilem reprehendendam esse; quia requiritur aliquod singulare lumen, vel Dei quoddam instinctum, vt ex huiusmodi signo, tanquam ex omine diuino, mouearis ad operandum. Vide etiam *in suprà citata sect. 18. & citata dub. 126. per totam.*

SECTIO XXVIII.

CONSTITVT. GREGORII XV.

Contra maleficos, & sortilegos, cum diabolo pactum facientes, & à fide apostatando alios lædentes.

SVMMARIVM.

1 *Constitutio Gregorij XV. contra maleficos, & sortilegos cum diabolo pactum facientes, & à fide apostatando alios lædentes, recensetur de verbo ad verbum.*
2 *Constitutio prædicta comprehendit tantùm dua genera sortilegorum, & maleficiorum, &c. vnum eorum, qua mortem inferunt: alterum eorum, qua infirmitatem, diuortium, generandi impotentiam, notabile damnum animalibus, frugibus, vel aliis fructibus inducunt; quia lex non comprehendit ea, qua in verbis ipsius non sunt expressa.*
3 *Constitutio prædicta tantùm afficit eos, qui pactum ineundo cum dæmone, & apostatando à fide exercent sortilegia, vel maleficia.*
4 *Constitutionis prædicta pœnas non incurrit, qui pactū ineundo cum dæmone, absque eo, quod apostataret à fide, committeret delicta, de quibus ea loquitur, quia vtrumque coniunctim requiri videtur.*
5 *Idem etiam indicant verba eiusdem Constitutionis, quatenus per eam statuitur pœna pro iisdem personis quoad alia delicta.*
6 *Constitutionis prædicta pœnas neque incurrit, qui vititur opera sortilegiorum, vel maleficiorum, &c. ad lædendum aliquem, etiam secuta morte illius, quia*

ea

ea solùm est contra sortilegos, & maleficos.

7 *Delictum attentatum non sufficit ad prædictas pœnas incurrendas, sed requiritur consummatum, ita vt non solùm sit initum pactum cum apostasia à fide, sed etiam sit illatum aliquod ex damnis ibi à Pontifice recensitis.*

8 *Sortilegium propriè est diuinatio per sortes, & versatur propriè circa cognoscenda futura, vel etiam occulta præsentia.*

9 *Sortilegium punitur pœna excommunicationis, non tamen reseruata præcisa hæresi.*

10 *Excommunicatio contra sortilegos non est lata sententia, sed ferenda.*

11 *Sortilegium, quando sapit hæresim, spectat ad Inquisitores de iure veteri; de iure verò nouo, etiamsi non sapiat hæresim, ex Constit. 17. Sixti V. spectare potest etiam ad eosdem Inquisitores.*

12 *Sortilegium hæreticale, seu sapiens hæresim est duplex; vnum ex parte operis; alterum ex parte operantis. Ex parte operis, quando ex ipso opere colligitur hæresis. Ex parte operantis, quando ex modo operandi præsumitur.*

13 *Hæresis semper est in exercente talia sortilegia, vel maleficia, &c. quia hæresis pendet ab interiori assensu operantis.*

14 *Sortilegium, vel maleficium vt ex parte operis sit hæreticale, seu sapiens hæresim manifestè, requiritur, quod sit talis conditionis, vt vel ratione modi, quo fit, vel ratione rerum, quæ adhibentur, exerceri non possit sine hæresi, vel quod ex se primò manifestet aliquam hæresim. Idque præsumptiuè procedit; quia si is benè sentiat de Religione, non est reuera hæreticus.*

15 *Dæmonis inuocatio est semper nobis interdicta, siue inuocetur per modum adorationis, & cultus latriæ, per quem modum inducitur apostasia; quia sic inuocans dæmonem expressè abnegat Christi fidem, & iterum baptizatur in nomine Beelzebub Principis dæmoniorum, siue inuocetur alio modo, per quem non inducitur apostasia.*

16 *Dæmonis adiuratio licita est, si fiat compulsiuo modo in virtute diuina, modis scilicet exorcismis, non tamen est licita per modum deprecationis, quia hoc pertinet ad quandam beneuolentiam.*

17 *Dæmonem neque licet adiurare compulsiuo modo ad aliquid per eum obtinendum, vel addiscendum; quia hoc etiam pertinet ad quandam societatem cum illo, cùm sic ad aliquod obsequium nostrum inuocetur.*

18 *Dæmonem cogere, vt tollat maleficium, quo aliquem vexat, licet, siue tollat signum, quo durante durat pactum de aliquo vexando, quia hoc non est vti eius opera in obsequium nostrum.*

19 *Dæmonis superioris vti auxilio ad coërcendum dæmonem inferiorem licet secundùm aliquos; si tamen adhibeatur non modo deprecatiuo, sed compulsiuo; quia sic est cogere illum, vt destruat opera sua. At negant Sotus, & Suarez, & quamplures, quia hoc etiam est quodammodo recipere beneficium, & auxilium quoddam à dæmone superiore.*

20 *Sortilegium, vel maleficium, &c. mediis imaginibus cereis, vel ex creta, aut alio modo confectis, inducit interdum animo, vel corpori infirmitatem, & talem, ex qua aliquando sequatur etiam mors. Vbi vide de operatione maleficorum per intus sumptionem, idest in potu, vel in cibo, & per exteriorem applicationem ad contactum, & per signa, quæ operantur etiam in absentiam.*

21 *Maleficium inducit etiam impotentiam ad copulam.*

22 *Idque quinque modis, videlicet*

23 *Impediendo corpora, ne sibi mutuo appropinquent.*

24 *Applicando actiua passiuis, Turbando imaginatiuam.*

25 *Ante copulam prohibendo erectionem membri, seu motum illius, reddendo illud flaccidum.*

26 *Domum obserando, vel nimis arctando vas muliebre.*

27 *Sortilegium, vel maleficium, &c. interdum impedit potentiam absolutè, seu quoad omnes personas; interdum autem secundùm quid, seu quoad vnam tantùm, vel alteram personam; quia cum dæmon quoad hoc voluntariè, & non ex naturæ necessitate operatur, potest impedire potentiam quoad vnam, vel alteram personam, relicta potentia non impedita quoad alias personas.*

28 *Impedimentum huiusmodi duplici modo contingere potest, vel per mutationem factam in imaginatiua, vel per alterationem in organis generationis, & quomodo hoc possit.*

29 *Sortilegium, vel maleficium interdum est temporale, scilicet duraturum ad tempus, interdum verò perpetuum, scilicet duraturum ad semper, & vsque ad finem vitæ, non quòd ex natura sua habeat hanc determinatam durationem, sed quod sit institutum pro tota vita, vt propterea nec naturali, nec aliàs licito remedio tolli possit.*

30 *Maleficij signum est, quando vir appetit copulam, & erigit membrum, sed accedendo ad vas muliebre, sibi concidunt, & laxantur organa, ita vt non possit complere, & hoc euenit iterum post primum conatum, ita vt iterum erecta virga, & attentata copula, concidant, & laxentur organa.*

31 *Item sortilegij, seu maleficij signum est, quando vir mouetur ad copulam, & membrum erigit, & potest complere cum aliis, non tamen potest cum sua coniuge.*

32 *Item sortilegij, seu maleficij signum est, quando vir appetit copulam, & statim ac accedere attentat, exhorrescit, ac accedere non potest; vel quando similiter fœmina appetit copulam, & viro accedente, statim eodem modo exhorrescit; quia cùm id non possit esse ex causa naturali, tribuendum est maleficio.*

33 *Impedimentum est naturale, ex frigiditate scilicet proueniens, quando est continuum; cùm enim causæ naturales agant naturaliter, quandiu perseuerant, semper inducunt eosdem effectus: Est autem impedimentum ex maleficio, quando est interpolatum, ita tamen, vt superueniat quando exercendus esset actus copulæ.*

GREGORIVS PP. XV.

Omnipotentis Dei Saluatoris nostri, qui vt ho- 1
minem à laqueis diaboli liberaret, Crucem subire dignatus est, vices, quanqoam immeriti gerentes in terris, in id summo studio, iuxta creditum nobis desuper Apostolicæ seruitutis officium, incumbimus, vt gregem Dominicum, inæstimabili pretio redemptum, aduersùs Satanæ fraudes defendamus, eiusdem officij partes desuper interponendo, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Sanè nonnulli suæ conditionis obliti, & solemnis sponsionis ab iis factæ, cùm in Christi Gregem per sacrum regenerationis lauacrum adsciti fuerunt, Satanæ, cui renunciarunt, artibus, maleficiis, superstitionibus, ac nefariis inuentis operam dare non verentur, quinimmò magistrum imitantes, qui capitali odio, quo humanum genus prosequitur, hominibus insidiari nunquam cessat, proximum variis modis lædere, animas verò suas perdere non timent.

Quapropter, vt tam exitiosa scelera à Christi fidelibus arceantur, grauioribus pœnis vindicanda duximus.

Motu itaque proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium decernimus, præcipimus, & mandamus, vt constito, quod aliquis pactum cum diabolo fecerit, & à fide apostatando, maleficiis, siue sortilegiis vnam, seu plures personas ita læserit, vt ex maleficio, vel sortilegio mors secuta sit, etiam in primo lapsu curiæ sæculari tradatur, debitis pœnis puniendus: qui verò similiter apostatando, pactum cum diabolo, vt præfertur, fecerit, & maleficium, seu sortilegium commiserit, ex quo licèt mors secuta non sit, infirmitas tamen, diuortia, impotentia generandi, siue animalibus, frugibus, vel aliis fructibus damnum notabile prouenerit, muro claudi, siue perpetuis carceribus, in Sancto Inquisitionis officio, vbi illud existit, fabricandis mancipari debeat.

Qui verò similium delinquentium notitiam habuerint, eos Episcopo, siue Inquisitori denunciare teneantur.

Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, quod præsentium transcriptis, etiam impressis, manu alicuius notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides vbique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Quodque eædem præsentes, postquam in Valvis Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, nec non in acie Campi Floræ affixæ fuerint, omnes, & singulos ad quos spectat, arctent, & afficiant, perinde ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent. Datum apud S.Petrum sub annulo Piscatoris, die 20. Martij 1623. Pontificatus nostri anno tertio.

ADVERTENDA

Pro Constitutione Gregorij XV. præcedenti, & pro dubitatione 229. subsequenti.

2 Aduerte, quod Constitutio Gregorij XV. præcedens comprehendit tantùm duo genera sortilegiorum, vel maleficiorum, &c. Vnum eorum quæ mortem inferunt: Alterum eorum, quæ infirmitatem, diuortium, generandi impotentiam, notabile damnum animalibus, frugibus, vel aliis fructibus inducunt; quia cùm Pontifex ibi tantùm hæc specialia sortilegia, vel maleficia, &c. expresserit, & aliquam clausulam, ex qua quod cætera etiam comprehendere voluerit, colligatur, non apposuerit, consequens est, quod cætera (vt esset sortilegium, vel maleficium, &c. ad captandum amorem) non comprehendat; quia lex non comprehendit ea, quæ in verbis ipsius non sunt expressa, *l. ita autem, ff. de administ. tutor, & capite Indemnitatibus, §. sed cùm eas, de elect. in 6.* Si enim comprehendere voluisset, expressisset, *capite ad audientiam 2. de decimis.*

3 Aduerte secundò, quod constitutio prædicta tantùm afficit eos, qui ineundo pactum cum dæmone, & apostatando à fide exercent sortilegia, vel maleficia, &c. ibi à Pontifice recensita; quia sic indicant verba eiusdem Constitutionis, ibi: [Pactum cum diabolo fuerit, & à fide apostatando sortilegiis, vel maleficiis vnam, vel plures personas ita læserit, &c.]

4 Hinc sequitur, quod pœnas constitutionis prædictæ non incurrat is, qui pactum ineundo cum dæmone, absque eo quod apostataret à fide, committeret delicta, de quibus loquitur constitutio prædicta, quia vtrumque coniunctim requiri videtur; ponitur enim ibi dictio illa *Et*, quæ coniungit, & facit, quod requiratur concursus copulatorum. Decian. *consil.44. num.58. lib.4.* Gonzalez *ad Regul.8. Cancell. §.7. Proœmij, num.133.* Thusc. *lit.E, conclus.374. num.1.* & Rota *decis.308. num.7. coram Ludouisio.*

Confirmatur, quia idem etiam indicant verba eiusdem constitutionis, quatenus per eam statuitur pœna pro eisdem personis quoad alia delicta, ibi: [Qui verò similiter apostatando pactum cum diabolo, vt præfertur, fecerit.] Hic enim reperitur eadem persona delinquens, seu idem delictum: Et cùm apostatatio à fide explicetur per gerundium, ponitur tanquam conditio, qua fiat pactum cum dæmone, iuxta *l. si cùm ex pacto, ff. de acquirend. haredit.* vbi Gloss. *verb. adeundo,* & Bartolus *circa finem, & in l.1. num.36. ff. de condit. & demonstrat.* Decius *consil.433. num.6.* & Ludouisius *decis.187. num.7.* 5

Sequitur secundò, quod neque prædictas pœnas incurrat is, qui vteretur opera sortilegorum, vel maleficorum, &c. ad lædendum aliquem, etiam secuta morte illius; quia constitutio solùm est contra sortilegos, vel maleficos, &c. (qualis ipse non esset) & contra apostasiam à fide, & pactum cum dæmone, tanquam qualificatiuum delicti proximum in persona, vel in rebus à Pontifice ibi recensitis damnificantis, quinimmò sequitur, quod neque prædictas pœnas incurrat is, qui mediante pacto implicito læderet aliquem illis prædictis modis aliquo sortilegio, vel maleficio, &c. quia nec apostataret à fide, nec faceret pactum cum dæmone, sed tantùm vteretur pacto ab aliis facto cum illo. 6

Aduerte tertiò, quod ad prædictas pœnas incurrendas non sufficit delictum attentatum, sed requiritur consummatum; ita vt non solùm sit initum pactum cum apostasia à fide, sed etiam sit illatum aliquod ex damnis ibi à Pontifice recensitis; quia sic indicant illa verba: [Ita læserit, vt ex sortilegio, vel maleficio mors secuta sit.] Et quoad alia damna sic etiam indicat illud verbum, *Prouenerit*: Huiusmodi enim verba supponunt damnum cum effectu, & disponunt non contra attentantes, sed contra exequentes cum effectu. 7

Aduerte quartò, quod sortilegium propriè est diuinatio per sortes, iuxta ea, quæ dicebam *suprà dubit.333. & dubit.328. sect.25. ex cap. sortes, 26. q.5.* Et versatur propriè circa cognoscenda futura, vel etiam occulta præsentia, iuxta ea quæ dicebam *in locis suprà cit.* Et tradunt S.Thomas *2.2. q.95. art.4.* Torrez *ibidem, disp.3.* Azor. *part.1. lib.9. cap.21.* Trullench *in Decalogum, lib.2. cap.10. dub.9. n.24.* & alij communiter, quos sequitur Sousa *lib.1. aphorism. Inquisit. cap.33. num.7.* 8

Punitur autem sortilegium pœna excommunicationis, vt *in dict. cap. sortes 26.* non tamen ponitur ibi aliqua reseruatio: De hoc tamen sortilegio non agit præsens constitutio præcedens Gregorij XV. sicuti patet ex contextu ipsius. 9

Excommunicatio contra sortilegos (quamvis nonnulli, quos sequitur Martin. Delrio *lib.4. disquis. magic. cap.2. q.7. sect.4.* velint quod sit sententiæ latæ) non est tamen reuera sententiæ latæ, sed ferendæ. Suarez *tom.1. de relig. lib.2. cap.19. n.6.* Azor. *tom.1. lib.9. cap.26. q.4.* Villalobos *in sum. part.2. tract.36. difficult.6. n.1.* Trullench *in Decalogum, lib.1. cap.10. dub.15. n.4.* & alij passim, quos sequitur idem Sousa *vbi suprà, cap.58.* 10

Quod tamen intellige, seclusa hæresi, quia si sortilegus sit simul hæreticus, ratione hæresis ipso facto est excommunicatus; & quidem etiam excommunicatione in Bulla Cœnæ. Suarez *loco suprà cit. num.8.* Sousa *n.5.* Farinac. *de hæres. q.181. §.1. num.4.*

Aduerte

11 Aduerte quintò, quod sortilegium, quando sapit hæresim, spectat ad inquisitores, *c. Accusatus, §. sanè, de heretic. in 6.* & notant præter alios Eymeric. *in director. part. 2. quæst. 42.* Peña *ibidem, comment. 67.* Torrez *in 2. 2. tom. 2. quæst. 69. art. 4. disp. 3.* & Farinac. *de hæres. quæst. 181. §. 4. numero 91.* Hodie tamen, etiamsi non sapiat hæresim, ex Constitutione 17. Sixti V. spectare potest etiam ad eosdem inquisitores, vt proinde sortilegium non sapiens hæresim sit mixti fori, & detur præuentio. Azor. *lib. 9. c. 26. q. 4.* Suar. *tom. 1. de Relig. lib. 2. de superstitione, cap. 19. num. 11.* Farinac. *vbi suprà,* & Sousa *cit. c. 58. num. 4.*

12 Aduerte sextò, quod sortilegium hæreticale, seu sapiens hæresim, est duplex, vnum ex parte operis; Alterum ex parte operantis. Ex parte operis est, quando ex ipso opere colligitur hæresis: Vt quando dæmon inuocatur ad ea, quæ virtutem ipsius excedunt, v. g. ad mortuum resuscitandum, vel ad cæcum illuminandum: Hæc enim dæmon naturaliter præstare non potest, quia naturaliter à priuatione ad habitum non datur regressus. Ex parte operantis est, quando ex modo operandi præsumitur hæresis, vt quando dæmon inuocatur ad inducendum, vel sanandum aliquem morbum: Hæc enim dæmon naturaliter præstare potest, applicando scilicet actiua passiuis; quia naturaliter ea præstari possunt, si actiua proportionata passiuis applicentur. Iul. Clar. *in §. heresis, vers. successiuè quæro,* Paul. Grilland. *in tract. de sortileg. q. 10.* Torrez 2. 2. *tom. 2. q. 96. art. 4. disp. 2. tit. 9. de qualific. superstit. dicto 1.* Martin. Delrio *lib. 5. disquis. magic. sect. 15. axiom. 1.* & Farin. *de hæres. q. 181. n. 5. & 75.*

13 Semper tamen hæresis est in exercente talia sortilegia, vel maleficia, &c. quia hæresis pendet ab interiori assensu operantis: Quapropter operans excusari poterit ab hæresi ratione ignorantiæ, si scilicet ignoret, quæ sunt propria Dei, seu quæ excedunt, vel non excedunt virtutem dæmonis.

Vt autem ex parte operantis sortilegium, vel maleficium, &c. sit hæreticale, seu sapiens hæresim manifestè, requiritur, quod sit talis conditionis, vt vel ratione modi, quo fit, vel ratione rerum, quæ adhibentur, exerceri non possit sine hæresi, vel quod ex se primo aspectu, seu prima facie manifestet aliquam hæresim, Simanch. *de Cathol. Instit. tit. 62. num. 3.* & alij, quos sequitur Farinac. *de hæresi, q. 181. n. 94.* Hoc autem procedit præsumptiuè; quia si illud exercens benè sentiat de fide, non est reuera hæreticus; cùm ex dictis hæresis pendeat ex interiori assensu operantis; illa tamen ipsius operatio, seu actio ex natura sua facit præsumi hæresim.

14 Minùs tamen rectè dixerunt quidam, quos sequitur Sousa *in Aphorism. Inquisit. lib. 1. cap. 53. n. 81.* quod omnia sortilegia, diuinationes, inanes obseruationes, aut maleficia, quæ fiunt ex pacto explicito, vel implicito cum dæmone, sint hæreticalia, seu sapiant hæresim manifestè. Moti ex eo, quia omnis familiaritas, & omne pactum cum dæmone inducit hæresim, vel apostasiam. Minùs tamen rectè, inquam, sic dixerunt quidam, quos sequitur Sousa; quia cum hæc omnia fundentur in pacto saltem implicito cum dæmone, nullum daretur sortilegium, diuinatio, inanis obseruatio, vel maleficium, &c. quod non esset hæreticale, seu quod non saperet hæresim manifestè: At hoc est falsum, quia sic superflua fuisset distinctio de iure communi veteri, *vt in cap. Accusatus, §. sanè, de hæret. in 6.* quod scilicet sortilegia, quæ sapiunt hæresim manifestè, ad inquisitores pertineant; quæ verò non sapiant, non pertineant: Et superflua etiam esset distinctio de iure nouo, quod scilicet quæ non sapiunt hæresim, mixti fori sint, & præuentio detur. Ex hoc igitur capite sortilegia, vel maleficia, &c. hæreticalia solùm erunt, & solùm hæresim sapient manifestè, si in ipsis cum dæmone interuenerit pactum explicitum, quia per huiusmodi pactum primo aspectu, seu prima facie manifestatur hæresis, iuxta ea quæ *suprà* dicebam, & tradit præter alios Simanch. *vbi suprà, tit. 30. n. 16. & tit. 63. n. 11.*

15 Aduerte septimò, quod siue dæmon inuocetur per modum adorationis, & cultus latriæ, per quem modum inducitur apostasia, quia sic inuocans dæmonem expressè abnegat Christi fidem, & iterum baptizatur in nomine Beelzebub principe dæmoniorum, Glossa *in cap. Accusatus, §. sanè, de hæret. in 6.* & alij, quos sequitur Paulus Grilland. *de sortileg. q. 10.* siue inuocetur alio modo, per quem non inducatur apostasia, eo quod sic inuocans non sit penitus remotus à Christiana Religione semper inuocatio dæmonis est nobis interdicta; quia omnis familiaritas cum dæmone est nobis prohibita. S. Augustin. *lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 23.* S. Thomas 2. 2. *q. 90. art. 2.* & alij communiter. Vnde Apostolus 1. *ad Corinth. 10.* prohibet, *nos socios fieri dæmoniorum*: 16 Est tamen, vt ibidem subdit S. Thomas, licita adiuratio dæmonis, si fiat compulsiuo modo in virtute diuina (mediis scilicet exorcismis) iuxta illud Lucæ 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi serpentes, & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Non tamen est licita adiuratio dæmonis per modum deprecationis; quia hoc pertinet ad quandam beneuolentiam, amicitiam, & societatem cum dæmone.

17 Hinc sequitur, quod neque compulsiuo modo liceat adiurare dæmonem ad aliquid per eum obtinendum, vel addiscendum; quia hoc etiam pertinet ad quandam societatem cum illo, cùm sic ille ad aliquod obsequium nostrum inuocetur, S. Thomas 2. 2. *q. 90. art. 2. ad 2.* Syluest. *de strygib. lib. 2. cap. 10. punct. 1. circa finem,* & alij communiter: quapropter si viri sancti interdum id præstiterunt, fecerunt ex speciali quodam instinctu Dei. Vt omittam, quod stante dæmonis odio in humanam naturam, nihil boni ab ipso expectare possumus; quia quidquid fecerit, quod esse videatur in obsequium nostrum, detorquebit semper in aliquod damnum nostrum, si non temporale, saltem spirituale, quod est multò deterius, vt propterea quilibet sic dæmonem inuocans dicere semper possit, & debeat,

Timeo Danaos, & dona ferentes.

18 Sequitur secundò: quod è contra liceat cogere dæmonem, vt tollat maleficium, quo aliquem vexat, seu tollat signum, quo durante durat pactum de aliquo vexando; quia hoc non est vti opera dæmonis in obsequium nostrum, sed est illum cogere, vt destruat opera sua, & à nobis per modum defensionis naturalis auertere malum, & reuexare dæmonem nos vexantem.

19 An autem liceat vti auxilio dæmonis superioris ad coërcendum dæmonem inferiorem.

Respondetur, quamvis affirmet Syluester *in summa, vers. Adiuratio, q. 5. & lib. 2. de strygibus, c. 10. punct. 2. verb. Notandum est tertiò*; si tamen adhibeatur non modo deprecatiuo, sed compulsiuo, quia sic etiam est cogere dæmonem, vt destruat opera sua; cùm adhuc mediatè, scilicet per alium, cogatur, quinimmò cogatur & etiam dæmon superior; quia stante odio in humanam naturam coactè cogit dæmonem inferiorem, vt destruat maleficium, quod dæmon inferior operatus fuerat: negant tamen Sotus *lib. 8. de Iust. & Iure, q. 3. art. 2.* Suarez *tom. 1. de Religione, lib. 2. de superstitione, cap. 18. num. 8.* & alij complures; quia hoc etiam est quodammodò recipere beneficium, & auxilium quoddam à dæmone superiore, qui cogit in nostrum commodum dæmonem inferiorem.

institutum pro tota vita, vt propterea nec naturali, nec aliàs licito remedio tolli possit: Magister *in 4. distinct. 34.* S. Thomas *ibidem, art. 20.* Abulensis *quest. 90. in c. 19. Matthai*, & alij communiter, quos citat, & sequitur Henriquez *lib. 2. de matrimon. cap. 8. §. 2. littera O, contra glossam in cap. Requisiuisti, de frigid. & malefic.* volentem, nullum huiusmodi impedimentum esse perpetuum: quod est & gratia, & contra quotidianam experientiam dictum,

30 Aduerte decimosecundò, quod signum maleficij est, quando vir appetit copulam, & erigit membrum (itavt non sit ex frigiditate ineptus ad copulam) quando tamen ad vas muliebre penetrandum accedit, sibi concidunt, & laxantur organa (itavt non possit complere.) At iterum postea sibi rigent organa, & si iterum copulam attentare velit, iterum sibi concidunt, & laxantur organa; quia cùm id ex radice naturali non possit consurgere (semel enim organa rigentia non concidunt, seu laxantur, quovsque exsufflentur, vel consumantur spiritus seminales ea inflantes) tribuendum est dæmoni impedienti copulam.

31 Secundò, sortilegij, seu maleficij signum est, quando vir mouetur ad copulam, & membrum erigit (itavt non sit ex frigiditate ineptus ad copulam, vti dicebam) & potens complere cùm aliis, cùm sua tamen complere non potest (dummodo in sua non reperiatur arctitudo, vel virginitas, quæ obstet ad penetrationem; quia tunc (cum neque ex parte viri, neque ex parte mulieris sit obstaculum vllum naturale) tribuendum erit dæmoni impedienti congressum.

32 Tertiò, sortilegij, seu maleficij signum est, quando vir appetit copulam, & statim ac accedere attentat, exhorrescit, & accedere non potest; vel quando similiter fœmina appetit copulam, at viro accedente, statim eodem modo exhorrescit; quia cùm id non possit esse ex causa naturali, tribuendum erit maleficio: Et quidem in primo casu maleficio ex parte viri; in secundo autem casu maleficio ex parte mulieris.

33 Videantur Scotus *in 4. distinct. 34. quæst. vnica*, Sotus *ibidem, art. 3.* Abulensis *cap. 13. Matthai, q. 90.* Syluester *de strygibus, lib. 2. cap. 6. punct. 2.* & Sanchez *de matrim. disp. 44. lib. 7. de impedimentis.* Qui subdunt, & rectè, Regulam esse generalem, quod impedimentum sit naturale, ex frigiditate scilicet proueniens, quando est continuum (cùm enim causæ naturales agant naturaliter, quamdiu perseuerant, semper inducunt eosdem effectus:) Sit autem impedimentum ex maleficio, quando est interpolatum, ita tamen, vt superueniat quando exercendus esset actus copulæ.



DVBITATIO CCXXIX.

An si quis homo, vel animal maleficio vexetur, licitè possis magum maleficum, seu veneficum vocare, vt maleficium soluat?

SECTIO PRIMA.

Dubitationis Resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Maleficium duobus modis solui potest. Primò destruendo signa: Secundò adhibendo noua signa.*

2 *Maleficiatus, si certò, vel propè certò putet, maleficium à malefico priori modo solui posse, licitè potest maleficum vocare, vt maleficium soluat, licèt suspicetur, quod is talem artem à dæmone didicerit; quia maleficus arte bona, quam malè didicit, benè vti potest.*

3 *Amplia etiam, si maleficiatus suspicetur, maleficum non modo licito, sed illicito ad maleficium dissoluendum esse vsurum, nempe per nouum signum, & pactum magicum; quia cùm is possit vti modo licito, culpa sua facit, si illicito vtatur.*

Si tamen spes est, quod monitus corrigatur, monendus erit ex charitate.

4 *Maleficiatus quando est certus, maleficum non velle dissoluere maleficium modo licito, sed modo illicito, tunc non potest petere, secundùm aliquos Doctores, talis maleficij dissolutionem: At probabilius videtur oppositum.*

5 *Maleficus si nollet maleficium soluere modo licito sibi cognito, potest qui petit, acceptare, quod maleficus maleficium alio maleficio soluat; sicut qui petit mutuum ab vsurario nolente mutuum concedere, nisi sub vsuris, potest acceptare mutuum acceptum, sub conditione recipiendi mutuum sub vsuris.*

6 *Non obstat ratio scandali, quando vrget necessitas; ea namque ostendit, non esse mentem acceptantis approbare conditionem, sed solùm illam permittere.*

7 *Maleficus, si absque aliqua petentis, vel maleficiati cooperatione ad maleficium illud mederi nolit, nisi adhibita medicina aliqua vana, & superstitiosa, nullatenus licet id admittere; quia est vti re vana, & superstitiosa.*

8 *Maleficus, licèt spes esset, fore quod petitus, vel monitus modo licito, non vteretur modo illicito, teneretur ob id petens lege charitatis, vti tenetur ad vitandum quodcumque proximi peccatum; si spes illa cesset, non tenetur.*

9 *A dæmone petere nullo modo licet, quod maleficio maleficiatum vexare cesset; quia licèt cessatio illa possit in se esse bona, nihilominus illam à dæmone petere est intrinsecè malum, cùm inuoluat pactum, & societatem cum dæmone.*

10 *Maleficij signa, vbicumque inuenta fuerint, quilibet potest licitè tollere, destruere, vel amouere, & consequenter id ipsum petere fieri à malefico, etiam cum intentione curandi maleficium.*

11 *Maleficium à maleficis solui duobus modis contingit: Primò per simplicem dissolutionem, seu destructionem maleficij prius facti, putà dissoluendo ligaturam capillorum cum annulo ligneo, &c. & hoc licitum est. Secundò per inuocationem dæmonum, seu per aliud maleficium, & hoc absque dubio est peccatum mortale.*

12 *Per existentiam signi exercetur pactum initum cum dæmone; quapropter licitè tollitur, etiam ad recuperandam sanitatem, nedum ad irridendum, & contemnendum dæmonem.*

13 *Signa huiusmodi, si esset illicitum (vt dæmon desinat nocere) tollere, destruere, vel amouere, id esset, quia talis actus amouendi censeretur esse quædam implicita, vel tacita dæmonis inuocatio, vel pactionis implendi monitio, quod est falsum.*

14 *Maleficus alliciens dæmonem ad nocendum alicui verbis, scripturis, vel characteribus, potest omni ope impediri, consequenter etiam si signis alliciat.*

15 *Signa*

15 *Signa damni proxima significantia pactum nocendi, possunt à quocumque sciente tolli, & destrui.*

16 *Signum datum ratione pacti cum assassino aliquem occidendi, quisque sciens tenetur auferre illud.*

17 *Signum maleficij licitè tolli potest non solùm per destructionem, sed etiam per positionem alterius signi ex se non illiciti, dummodò talis positio non contineat nouum pactum cum dæmone.*

18 *Signum maleficij licitè tolli potest vtroque modo, vt suprà; tametsi maleficium foret conuertendum contra maleficum, quinetiam contra tertium, illumque innocentem.*

19 *Signum maleficij tollere vtroque modo, vt suprà, tenentur maleficus, & Iudex ex iustitia, cæteri verò ex charitate.*

20 *Maleficiatus, si certò, vel propè certò sciat, maleficium à malefico non nisi posteriori modo illicito, scilicet per magicum, signum solui posse, non potest licitè eum, quamvis paratum, vocare: contra Petrum Aureolum, & Angelum; quia nunquam licitum est ab aliquo petere, seu aliquem iussu, mandato, vel consilio inducere ad agendum id, quod ab eo sine peccato præstari non potest.*

21 *Maleficiatus non potest licitè cogere minis, vel verberibus maleficum, vt maleficio maleficium soluat.*

22 *Nec potest licitè petere à malefico, vt maleficium soluat, si certò nouerit, quod maleficus ignoret licitum modum soluendi maleficium.*

23 *Dubitans, dubio scilicet negatiue, itavt sit anceps, seu pendulus, vtrùm maleficium à malefico priori modo licito solui possit, an solo posteriori illicito, non potest ab eo petere, vt maleficium soluat; quia in dubio facti, scilicet negatiuo, cùm agatur de periculo peccandi, tutior pars est eligenda.*

24 *Maleficij auctor, cum faciliùs præsumi possit signa, quæ ipsemet posuit, destruere, eorumque moralem effectum tollere posse, ad quod præstandum ex iustitia tenetur, minis, ac verberibus cogi potest: At is, qui maleficij auctor non fuit, non tam facilè præsumi potest signa destruere posse sine noua cum dæmone pactione inita.*

25 *Ab alio malefico, qui auctor illius maleficij non fuit, non licet petere, vt illud maleficium soluat, quando nihil de illo maleficio, vel de loco, vbi sunt illius maleficij signa, nouerit.*

26 *Peccandi periculo dupliciter homo se exponere potest. Primò faciendo opus dubium. Secundò eundo ad locum, seu societatem, vbi est periculum peccandi mortaliter.*

27 *Petens solui maleficium cum dubio positiuo, itavt adsint motiua pro vtraque parte, seu ad credendum pro vtroque parte, quod scilicet maleficus sciat, & non sciat, possit & non possit licitè soluere, sequitur opinionem probabilem, sicque formare potest conscientiam, quod licitè possit petere, atque adeò non peccabit: At secus est cum dubio negatiuo, nisi dubium deponatur.*

28 *Petens solui maleficium, deposito dubio negatiuo, neque adhuc se exponit periculo peccandi, neque etiam inducit alterum ad peccandum.*

29 *Non est eadem ratio, quando quis petit maleficium solui ab illo, quem certò nouerit ignorare licitum modum illud soluendi; quia tunc petit directè quod non est licitum.*

SVppono, quod maleficium duobus modis solui 1
possit: Primò destruendo signa (èa quibus maleficium per dæmonis pactum dependet) verbi gratiâ ligaturas, nodos, glomos, vel volumina capillorum, & similia. Secundò adhibendo noua signa, quibus ea pactione cum dæmone inita maleficium destruatur: Henricus Gandauensis *quodlibet. 5. quæstione 23.* Lessius *de Iust. & Iur. libro secundo, capite 44. dubitatione 6.* Martinus Delrio *libro 6. disquisit. magicar. capite secundo, sectione prima, quæstione 2. & 3.* & alij, quos sequitur Sanchez *de matrimon. libro septimo, disputatione 95.* Hoc posito,

Respondetur, & dico primò, si certò, vel propè 2
certò putes, maleficium à malefico priori modo solui posse, licitè potes maleficum (licèt suspiceris, quod is talem artem à dæmone didicerit) vocare, vt maleficium soluat; quia maleficus arte bona, quam malè didicit, benè vti potest: Ouaodus *in quarto, distinctione 34. disputatione vnica, pagina vltima*: Lessius citatus *dubitatione sexta, numero 46.* Suarez *tomo primo de Religione, libro secundo, capite decimooctauo, numero 9.* Sanchez *citata disputatione 95. numero decimosecundo, & libro secundo moral. capite 41. numero 13.* Henriquez *libro 12. capite 8. numero 3.* Fagundez *præcept. 1. Decalog. libro 1. cap. 42. numero 10.* Filliuc. *tractatu 34. capite 8. numero 195.* Trullench. *libro 1. in Decalog. cap. 10. dubitatione 13. numero 7.* Hurtadus *de fide, spe, & charitate, disputatione 173. sectione 26, §. 205.* Diana *part. 5. tractatu 7. resolut. 15.* Caietanus, & Martinus Delrio *in locis infrà citandis, num. 4.*

Quod adeò verum est primò, vt (tametsi sus- 3
piceris maleficum modo licito, quo is ad maleficium destruendum vti posset, non esse vsurum, sed esse vsurum modo altero illicito, nempe per nouum signum, & pactum magicum.) Adhuc nihilominus vocare, & rogare illum possis, vt scilicet maleficium soluat; quia cùm is ad destruendum maleficium modo licito vti possit, culpa sua facit, si modo illicito vtatur; vt propterea tu non petas ab illo aliquid, quod ipse sine peccato præstare non potest, atque adeò tu ex te non inducas eum ad peccatum, sed tantùm permittas, & quidem licitè; cùm tu id petas necessitate, vel saltem vtilitate ductus: sicut si petas mutuum ab vsurario, & vsurarius sine vsuris mutuum tibi dare non velit, potes mutuum cum vsuris ab vsurario recipere, permittendo scilicet solùm vsurarij peccatum ob rationem dictam. Ouaodus, Lessius, Suarez, Sanchez, & alij *in locis suprà citatis*; qui tamen rectè subdunt, quod si spes sit, maleficum, si corrigatur, seu moneatur, obtemperaturum esse vt modo licito, & non illicito vtatur, ex lege charitatis tenearis maleficum ad id adhortari, cum tunc possis illius peccatum impedire; subintrat enim tunc obligatio charitatis ad eum corrigendum, seu monendum, vt vtatur medio licito; cùm tunc sit obligatio generalis obligans ad corrigendum proximum vt auertatur à peccato: quod si maleficus tibi corrigenti, seu monenti responderet, quod nesciat soluere licitè, cùm tamen probabiliter sciat soluere licitè, poteris maleficij solutionem acceptare; quia talis responsio esset quædam implicita declaratio, quod nolit soluere, nisi illicitè, quamvis sciat soluere licitè. Quapropter tunc poteris vti peccato illius in tui necessitatem, vel saltem commodum, iuxta ea, quæ dicentur *infrà num. 4.*

Quando igitur maleficus nouit medium licitum, & illicitum soluendi maleficium, potest quis absolutè petere ab illo solutionem maleficij; & quidem,

dem, quando petens credit probabiliter, fore quod maleficus modo licito maleficium soluat, vel est dubius quonam modo illorum modorum soluat, poterit tunc absque dubio absolutè petere ab illo maleficij solutionem; quia petitio est ex se indifferens, & maleficus, à quo maleficij solutio petitur, potest licitè illam exequi, vt propterea ex parte petentis cesset morale peccati periculum. Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. de superstit. c. 18. n. 8.* Sanch. *cit. disp. 95.* & alij, quos *suprà* citabam,

Quando autem petens est certus, fore quod maleficus medio illicito maleficium soluat, etsi Caiet. *tom. 2. opusc. tract. 11. de malef. in fine,* Mart. Delrio *lib. 1. de disq. mag. cap. 2. sect. 1. q. 2. vers. Dico igitur,* & alij apud Sanchez *cad. disp. 95. n. 11.* damnent tunc talem petitionem, eo quòd petita absolutè maleficij solutione, malefici seu ministri dæmonum vt sic opus petatur. Adhuc nihilominus etiam tunc cum Suarez *cit. c. 18. n. 9.* Lessio *de Iust. & Iur. lib. 2. cap. 44. dub. 6. n. 46.* & aliis *ibid. suprà citatis,* multò probabilius videtur oppositum. Quia ferè Doctores omnes fatentur, licitum esse ex causa iusta petere mutuum ab vsurario, & iuramentum ab Infideli; quamuis petenti constiterit fore, quod ille peccet exigendo mutui vsuras, & hic iurando per falsos Deos: & rationem reddunt, quia tunc qui petit, rem petit licitam, quam alius licitè præstare potest; & qui petit, petendi necessitatem habet. Quapropter qui petit, non censetur ad malum inducere eum, nec moralem peccandi occasionem præbere ei, à quo petit; sed censetur ipse, à quo petit, sua sola malitia peccare. At hæc ratio prorsus eodem modo procedit in nostro casu (cùm similiter possit res illa à malefico licitè præstari, nec peratur modus illicitus, & vrgeat obtinendæ salutis necessitas ad eam maleficij solutionem petendam:) ergo, &c.

Ecclesia similiter quamuis moraliter certum sit, aliquos sacrilegè adimpleturos esse sua præcepta, non tamen desinit illos suis præceptis obligare. Et Deus etiam, quamvis certò sciat, aliquos cum peccato adimpleturos sua mandata; adhuc tamen exigit ea ab illis adimpleri, quia per leges, & præcepta non exigitur si militer, nisi quod bonum est; & quod adimpleator cum peccato, prouenit ex malitia adimplentis.

Quinimò, sicut ex communi sententia Doctorũ, qui petit mutuum ab vsurario nolente mutuum concedere, nisi sub vsuris, potest acceptare mutuum, acceptata conditione recipiendi mutuum sub vsuris; & qui petit iuramentum ab Infideli nolente iurare, nisi per Idola, potest acceptare iuramentum, acceptata conditione iurandi per Idola, eo quod id non sit ad peccandum inducere alterum, neque cooperari peccato alterius, vtpote qui sola sua malitia peccat (cùm possit licitè mutuum concedere, & licitè iuramentum præstare) sed sit solùm peccati; quod alter committit, vsus quidam ad propriæ necessitati vel salrem vtilitati consulendum: Ita si maleficus nollet maleficium soluere modo licito sibi cognito, potest qui petit, acceptare quod maleficus maleficium alio maleficio soluat, quia eadem prorsus ratio vtrobique militat, Sic DD. quos citat, & sequitur Sanchez *de matr. lib. 7. disp. 95. n. 11.*

Neque obstat si dicas cum Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 3. de Iuram. c. 53. n. 11.* & aliis, non esse hanc æquipatationem vtriusque casus admittendam, ratione scandali, cùm in casu vsurarij sit per se notum, nolle accipientem approbare vsuras, sed inuitum illas tantùm permittere. At in casu nostro, de quo loquimur, exteriùs apparet quædam maleficij posterioris approbatio, fidei professioni externæ contraria: ergo, &c.

6 Respondetur enim, quod similiter quando necessitas, vel saltem vtilitas vrgens ostendit, non esse mentem acceptantis approbare conditionem, sed solùm illam (eo quòd medium licitum obtinere non possit) permittere, eadem prorsus militet ratio, sicuti ipsemet Suarez *ibidem,* paulò post concedit, & concedunt om-nes in eo, qui petit iuramentum ab infideli parato per falsos Deos iurare, si tale iuramentum necessitate, vel saltem vtilitate ductus ab illo petat.

Aduerte tamen, quod si maleficus absque aliqua petentis, vel maleficiati cooperatione ad maleficium illud mederi nolit, vt si mederi non velit, nisi media medicina aliqua vana, & superstitiosa, nullatenus id admitti licitum sit; quia est vti re vana, & superstitiosa, quæ nullam, nisi ex dæmonis pacto, medendi virtutem habet. Nec potest id dici solus peccati alterius vsus; quia consentiens medicinam illam sibi applicari, reuera vtitur illa, ac proinde cooperatur medio vano, ac superstitioso. Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. de superstit. c. 18. circa finem,* & alij quos sequitur Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 95. n. 12.* 7

8 Aduerte secundò, quod licèt quando (sicuti suprà dicebam) spes est fore, quod maleficus petitus, vel monitus, ad soluendum maleficium non vtatur modo illicito, tenearis tunc sic petere; vel monere lege charitatis; quia lege charitatis teneris tuoc vitare proximi peccatum, Quamvis si spes illa cesset, ad id non teneatis. Suarez *vbi suprà,* & alij, quos sequitur Sanchez *cit. n. 12.*

9 Aduerte tertiò, quod nullo pacto licitum sit petere à dæmone, quod maleficio maleficiarum vexare cesset; quia licèt cessatio illa in se possit esse bona, nihilominus illam à dæmone petere, est intrinsecè malum, cùm inuoluat pactum, & societatem cum dæmone: cumque inuoluat cultum quendam ipsius dæmonis, quia non minùs est quidam cultus dæmonis petere ab illo, vt aliquid faciat, quàm petere, vt non faciat (nec imperio erga dæmonem vti possumus, nisi in Dei nomine per exorcismos, vti dicebam in Tractatu de iuramento & adiuratione, vbi etiam agebam, an illud fieri liceat, inuocato dæmone superiore, vt inferiorem cogat,) Suarez *cit. cap. 18. n. 5. & 8.* Sanch. *cit. disp. 95. num. vltimo,* & nos *infrà sect. seqq. in respons. ad obiect. 10.* vbi dicemus, licitum esse verbis petere à dæmone quod desinat nocere, dummodò id non fiat ex amicitia, vel beneuolentia, seu per modum deprecationis, sed tantùm per modum obiurgationis, & contemptus, vt dicendo: *Abhinc cessa malefacere,* &c.

Quod adeò verum est secundò, vt quælibet illa signa, vbicumque inuenta fuerint, possit licitè tollere, destruere, vel amouere, & consequenter etiam petere à malefico, vt tollat, destruat, vel amoueat: Scotus *in 4. distinct. 34. q. vnica,* vbi sic ait: [Ridiculum esse quærere, an liceat tollere maleficium intentione curandi maleficiatum: Non enim solùm licet, sed etiam est meritorium destruere opera diaboli.] Gabriel *in 4. dist. 8. q. 2. art. 4. dub. 1.* vbi idem docent iisdem ferè verbis, Caietanus *tom. 2. opusc. tract. 12.* vbi sic inquit: [Duobus modis contingit, maleficium à maleficis solui. Primò per simplicem dissolutionem, seu destructionem maleficij priùs facti, putà dissoluendo ligaturam capillorum cum annulo ligneo, &c. & hoc absque dubio licitum est. Nec est opus malefici, vt maleficus est, sed opus hominis scientis impedimentum boni proximi sui; quia hîc nulla euenit dæmonum inuocatio, sed sola dissolutio sigoli, Quo durante, diabolus statuerat malum alterius continuare. Secundò per inuocationem dæmonum, seu per aliud maleficium, & hoc absque dubio peccatum est mortale.] Dominicus Sotus *in 4. dist. 34. q. vnic. art. 3.* vbi sic loquitur: Potest quisque conuenire maleficum, & rogare, & pecunias ab illo extorquere, vt illas ligaturas, quas habet sepultas, aut suspensas, aut alicubi asseruatas, inde dimoueat; quia illud maleficum facere, vitiosum est, &c. 10

Idem tenent Henricus Gandauensis *quodlibet. 5. quæstione 33.* Orbel. *in 4. distinct. 34. quæstione vnica,* Bassolis *articulo 1.* Antonius Andreas *in fine* dist.

distinction. Brianzon. *quæstione 13. conclus. 3.* Borsil. *articulo 2.* Ouand. *disputat. 2.* Pelbartua *part. 4. Rosarij, verbo Matrimonium 5. §. 38.* Ledesma *2.p. 4. quæstione 60. articulo 2. in fine,* Rosella *verbo, impedimentum 15. num. 18.* Angel. *verb. superstitio, num. 13.* Astensis *part. 2. summa, lib. 8. tit. 29. artic. vnico, quæst. 2. in fine,* Syluest. *verbo maleficium, q. 7.* Armilla *eodem verbo, numero 2.* Tabiena *verb. Impedimentum 12. num. 10.* Nauarr. *cap. 11. summæ, numero 29.* Angles *in floribus, part. 1. quæst. 8. de matrimon. art. 2. dubitat. 2.* Lupez *part. 2. Instruction. cap. 52. de matrimonio, vers. concluditur ergo,* Bannez *2. 2. quæst. 78. art. 4. dubit. 2. ad 4.* Bartholom. Ledesma *de matrim. dub. 49. post quintam conclusionem,* Rodriquez *tom. 2. summa, cap. 235. num. 3.* Philiarch. *tom. 1. de offic. Sacerdotis, part. 2. lib. 3. cap. 11. in fine,* Petrus Ledesma *de matrimon. quæstione 58. art. 2. in fine,* Vega *part. 2. summæ, cap. 34. cas. 110.* Llamas *part. 3. methodi, cap. 8. §. 13. in fine,* Graffius *part. 1. decis. lib. 2. cap. 6. in fine,* Sanchez *de matrimonio, lib. 7. disputat. 96. numero 3. & lib. 2. moral. cap. 41. numero 19.* Biusfeldius *in l. ετrum, quæst. 5. Cod. de malef. & mathemat.* Saytus *in claui Regia, lib. 4. cap. 6. in fine,* Suarez *tom. 1. de Religione, lib. 2. de superstitionibus, cap. 17. numero 9.* Fagundez *præcept. 1. Decalogi, lib. 1. cap. 43. num. 3.* Filliuc. *tract. 24. cap. 8. num. 194.* Villalnb. *in summa, part. 2. tract. 38. difficultat. 11. num. 2.* Trullench. *lib. 1. in Decalogum, cap. 10. dub. 13. num. 8.* Castro *lib. 1. de Iust. hæretic. punit. cap. 15.* Martin. Delrio *lib. 6. disquis. magic. c. 2. sect. 1. q. 3.* & alij communiter contra quosdam apud Mart. Delrio *loco citato*, quatenus volunt, quod liceat quidem prædicta signa tollere, destruere, vel amouere ad irridendum, & de vanitate arguendum dæmonem, sed non ad recuperandam sanitatem; quia in hoc videretur deferri dæmoni, & stari pacto dæmonis, expectando ab ipso sanitatem.

12 Probatur, quia post existentiam signi exercetur pactum initum cum dæmone, qui in obsequium malefici præstat id, de quo pactus est dæmon. Rursus vexatio dæmonis est coarctata ad signum, ita vt sit commensuranda secundùm existentiam signi: Ergo destruendo signum, destruitur exercitium pacti initi cum dæmone, & soluitur opus maleficum dæmonis, ac proinde nihil defertur dæmoni: Nec, quod fit, fundatur in aliquo pacto dæmonis, ita vt sanitas sequatur naturaliter, sicuti remoto obice, lapis descendit naturaliter: Ergo cùm medium, scilicet dissolutio signi, sit licitum, erit etiam licitum adhibere ipsum ad recuperandam sanitatem.

13 Confirmatur secundò, quia si esset illicitum, huiusmodi signa (ad hoc vt dæmon desinat nocere) tollere, destruere, vel amouere, id esset, quia talis actus ea tollendi, destruendi, vel amouendi censeretur esse quædam implicita, seu tacita dæmonis inuocatio, vel pactionis complendæ monitio; sed hoc est falsum: Ergo non est illicitum prædicta signa tollere, destruere, vel amouere. Maior est aduersariorum; cùm nulla alia ratio excogitari possit (sepono enim scandalum, quod vbique vitari debet.) Minor probatur, quia sublatio, destructio, seu amotio illa signorum non est inuocatio dæmonis ex natura rei, vt per se patet: neque ex intentione amouentis; non enim amouens intendit dæmonem inuocare, sed potiùs dæmonis inuocationem per magum, seu maleficum illo signo factam impedire, tollere, & dissoluere. Neque ex pacto aliquo antecedenti; quia qui amouet signum, non init pactum, seu paciscitur cum dæmone, vt ad amotionem signi dæmon nocere desinat: Ergo, &c. Nec refert, quod fortè magus, seu maleficus id pactus fuerit; quia qui amouet signum, non intendit ex pacto ipsius magi, seu malefici operari, vel dæmonem inducere, vt pactum cum mago, seu malefico initum seruet; sed solùm intendit pactum nocendi cum dæmone à mago, vel malefico initum rescindere: Quod absque dubio licitè, & meritoriè potest facere.

Confirmatur tertiò: quia si quis verbis, scripturis, vel characteribus alliceret dæmonem, vt mihi, vel alteri noceat, possem omni ope impedire: Ergo & possum impedire, si illum signis alliciat, sicque possum signa illa destruere, seu remouere, vt dæmon desinat allici, & consequenter vt desinat nocere. 14

Confirmatur quartò: quia si quis cum inimico Titij pactus esset, vt dato certo signo, damnum inferat Titio, & ego tale pactum scirem, possem illud signum tollere, seu destruere; nec vllo modo censerer consentire in illorum pactum, sed potiùs illorum pactum odisse, & destruere: Ergo similiter, si sciam à mago cum dæmone pactum initum, vt dato certo signo, noceat, potero illud signum tollere, vt euersa pacti conditione, non noceat, neque censebor vllo modo in illud pactum consentire. 15

Confirmatur quintò, quia si quis habet pactum cum assassino, vt posito certo signo, Titio damnum inferat, potest, quin & tenetur, qui pactum habet, signum ad hunc finem positum (sicut & quis alius, qui illud nouit) tollere, vt damnum non sequatur: Ergo etiam qui huiusmodi pactum habet cum dæmone, & quivis alius, qui signum pacti nouit, potest, quin & tenetur illud tollere, vt damnum impediatur. 16

Quinimò licet ponere res aliquas positiuas ad destruendum maleficij signum, vt lauare se aqua, gestare annulum in alio digito, repercutere sagum, dare ei panem, & alia huiusmodi (dummodò illa positiua actio, quæ fit, non contineat nouum pactum cum dæmone.) Hostiensis *in cap. litteræ, §. mulieres, de frigid. & malef.* Syluester *verb. maleficium, quæst. 9.* Suarez *de Religione, tom. 1. lib. 2. de superstitione, cap. 17. numero 16.* Fagundez *præcept. 1. Decalogi, lib. 1. cap. 43. numero 6.* Sanchez *de matrimonio, lib. 7. disputat. 96. numero 3.* Trullench. *lib. 1. in Decalogum, cap. 10. dubitat. 13. numero 8.* & Filliuc. *tractat. 34. cap. 8. numero 195.* Quia exercitium pacti cum dæmone initi pendet à non positione talis signi, eo quòd scilicet ex pacto inito coarctatum est, vt duret quousque hoc, vel illud efficiatur: Ergo efficere hoc, vel illud est destruere pactum initum cum dæmone, ac proinde (cùm sit actio naturalis) poni potest in signum, vt desinat exercitium maleficij, & destruatur opus dæmonis. 17

Non obstat, si dicas: Hæc, vel illa actio naturalis non habet vim ex se ad destruendum pactum, seu maleficium, sed solùm ex eo, quod dæmon ex inito pacto cum malefico hanc sibi legem imposuit, vt scilicet continuaret maleficium, quousque tale, vel tale signum poneretur: Ergo ponere signum est exequi voluntatem dæmonis, & pactum ipsius, seu cooperari executioni talis pacti.

Respondetur enim, quod hæc, vel illa actio naturalis non destruat maleficium, sed ponat terminum durationi maleficij, quatenus scilicet ex pacto coarctatum est ad talem terminum; Quapropter pactum cadit supra maleficium, & durationem maleficij, eo quòd scilicet dæmon non se obligat maleficio, nisi vsque ad illum terminum; ideoque ponere hunc terminum non est cooperari pacto, & executioni maleficij, sed sistere illud, & coërcere dæmonem.

Neque etiam obstat, quod dæmon coërceri velit

tali

tali figoo; quia oon tenemur discordare à voluotate dæmoois in omoibus, sed solùm io iis, quæ mala sunt: Malum autem non est, quod dæmon cesset à vexatione nostra: Quapropter, quando vult cessare, possumus etiam nos velle, quod cesset. Accedit quod posioo talis figni tendit ad destructionem prioris figni, ratione cuius continuatur maleficium. Ideoque sicuti licet desumere signum, destroendo ipsum, sic etiam licebit destruere signum alio positiuo figuo. Vide *infrà sect. 2. ad obiectioaem* 10. *& sect. 3. Coroll.* 7.

18 Quinimò licet etiam vtroque modo destruere maleficij signum, tametsi maleficium sit cootra malcficum conuertendum, aot eainde maleficio sit aliud damnum secuturum. Ouaodus *in 4. dist. 34. disp. vnica, circa finem*, Trullench. *lib. 1. in Decaleg. dub. 13. n. 8.* Sancb. *de matr. lib. 7. disp. 96. n. 5. & lib. 2. moral. c. 41. n. 11.* & Filliuc. *tract. 24. cap. 8. n. 194.* Quia hoc non est ea se damnificare quempiam (cùm non fiat aliqua actio positiua inferens damnum cuipiam) sed solùm arcetur damnum à seipso: Quilibet autem habet ius arcendi damnom à seipso; & dum vtitur iure suo, nemini infert iniuriam. Quod idem habet locum, etiamsi maleficium sit in tertium inoocentem coouertendum, quia militat eadem ratio; cùm destruens maleficium non intendat damnificare tertium, sed vti iure suo, auertendi scilicet à se damnum, vti dicebam. Sic licet arcere aquam pluuiam à proprio fuodo, quamvis alienum sit ioundatura, *l. 1. §. denique Marcellus, ff. de aqua pluuia arcenda.* Et videri poterit præter alios Sanchez *loc. suprà cit.* videri etiam poterunt quæ dicam *infrà, sect. 3. corollar. 3.*

19 Ea quibus sequitur, quod adsit præceptum Iustitiæ, vel Charitatis ad destruendum maleficij signum; maleficus enim ad id teoetur ea Iustitia, quia quilibet tenetur ea Iustitia proaimum oon damoificare: Iudex etiam tenetor ea Iustitia, cogere scilicet maleficum ad destrueodum signum, vt reddat maleficiato ius suum; quia tenetur etiam ea Iustitia vnicuique Iustitiam administrare. Cæteri verò teneotor ea charitate, quotiescumque concurruot circumstantiæ, ratiooe quarum subintrat obligatio subueniendi proaimo, si fuerit constitutus in necessitate. Sed de his, & similibus vide *infrà cit. sect. 3. per totam, præcipuè Coroll. 4.*

20 Dico secuodò: si certò, vel prope certò putes, maleficium à malefico non nisi posteriori modo illicito (scilicet per magicum signum) solui posse, oon potes licitè eum (quamvis paratum, quiquid in contrarium diaerint Petrus Aureolus, & Angelus *in loc. infrà citandis*) vocare, vt maleficium soluat, *Leuitic. 19. & 20. & Deuter. 18.* vbi sub pœna mortis prohibetur consultario Magorum, & Ariolorum, *c. Qui fine, & cap. 2. de sortileg.* vbi Alex. III. damnat superstitiosam diuinationem, etiam ea bono fine, & traduot Albert. Magn. *in 4. dist. 34. art. 9.* Caiet. *in sum. verb. maleficium, in fine, & in opusc. tract. 12. de malef. q. vnica,* Abulensis *q. 90. in cap. 19. Matthæi, in respons. ad 3.* Syluest. *verb. malef. q. 8.* Armilla *ibid. n. 2.* Rosella *verb. Impedimentum 15. n. 19.* Tabiena *eodem verbo Impedimentum, n. 12.* Couarr. *in cap. quamvis pactum, p. 1. §. 1. n. 10.* Nauarr. *in sum. c. 11. n. 29.* Banoez *2. 2. q. 68. art. 4. dub. 2. ad 4.* Angles *in floribus, q. de Arte magic. art. 6. diffic. 2.* Petr. Ledesma *de matr. q. 58. art. 2. dub. 1.* Castr. *lib. 1. de iust. hæret. punit. c. 15.* Mart. Delrio *lib. 6. disquis. mag. c. 2. sect. 1. q. 2.* Citvelus *de superstit. p. 3. c. 15.* Tolet. *lib. 4. c. 16. n. 9.* Vega *p. 2. cap. 34. cas. 110.* Henriq. *lib. 5. de pænit. c. 6. circa finem,* Ledesma *2. p. 4. q. 60. art. 2. in fine,* Philiarch. *tom. 1. de offic. Sacerd. p. 2. lib. 3. c. 2. circa finem,* Lopez *p. 1. Instruct. c. 52. de matr. vers. præterea quæritur,* Rodriq. *in sum. p. 2. c. 7. concl. 11. n. 11.* Sanchez *de matr. lib. 7. disp. 95. n. 7.* Graff. *p. 1. decis. lib. 2. c. 6. num. 10.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 2. de superstit. c. 18. n. 4.* Fagundez *præcept. 1. Decalog. lib. 1. c. 42. n. 4.* Sayrus *in claui Regia, c. 6. n. 29.* Villalob. *in sum. p. 1. tract. 38. diffic. 11. n. 2.* & Trullench. *lib. 1. in Decalog. cap. 10. dub. 13. n. 5.* quia nunquam licitum est ab aliquo petere, seu aliquem iussu, mandato, vel consilio inducere ad agendum id, quod ab eo sine peccato præstari non potest (cùm id sit formaliter inducere illum ad peccatum) sed adhibere signum magicum per pactum, & societatem cum dæmone, per se, & intrinsecè (cùm id sit per modum actus amicabilis) malum est, ideoqoe sine peccato præstari oon potest: Ergo tale opus petere, vel aliquem ad id inducere, est quid illicitum, & peccatum mortale: Quia (sicuti dicebam) non potest maleficio maleficium solui sine peccato: Ergo si petas ab aliquo, vt maleficio maleficium soluat, esset petere ab illo peccatum.

Nec dici potest quod liceat tibi vti peccato alterius ad booum; quia tuoc solùm id locum habet, quando iam eaistit peccatum alterius; cùm tuoc tu vtens noo sis causa illius: secus autem, quando oondum existit; quia tunc est ioducere illum ad peccaodum; & ea eo quod ille sit paratus, solùm sequitur, quod tu oon sis prima causa peccati, non autem quod non sis concausa peccati.

Hinc rejiciuntur quidam, quos sequitur Remigius *lib. 3. dæmonolog. cap. 1.* asserentes, quod liceat tibi cogere minis, & verberibus maleficum, vt maleficio maleficium soluat: moti ea eo, quia hoc noo cootinet pactum cum dæmone, sed potiùs cedit io dedecus illius: Tum quia licèt tibi vi eripere ab aliquo rem tuam, quam alio modo ab illo recuperare non potes: Rejiciuotur, ioquam, qoia adhuc maleficus cogeretor ad vtendum pacto cum dæmone, sicque ad peccandum: Quod non cootingit, quando vi eripis ab aliquo rem tuam, quam alio modo ab illo recuperare oon potes; cùm tuoc ille, à quo sic rem tuam recuperas, non inducatur ad peccandum. Imò in tali casu grauiùs peccares, quia grauiùs peccat, qui cogit aliquem ad peccaodum, quàm qoi inducit precibus. Martin. Delrio *lib. 6. disquis. magic. c. 2. q. 1. sect. 1.* Sanchez *de matr. lib. 7. disp. 95. n. 9.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. de superstit. cap. 18. n. 7.* & Fagundez *præcept. 1. Decalog. lib. 1. cap. 42. n. 7.* 21

Hinc etiam non potes licitè petere, solui maleficium ab eo, quem certò ooueris ignorare licitum modum illud soluendi; quia tonc petis directè quod oon est licitum; siquidem tuoc petitio ex tua intentione coarctatur ad id tantùm, quod maleficus scit, & potest, atque adeò ad illicitum, cùm is taotùm illicito modo soluere sciat, & possit. DD. communiter, quos seqoitur Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 3. de Iuram. c. 13. n. 5.* & Sanch. *lib. 2. moral. c. 41. n. 6.* Vide etiam *infrà sect. seq. in respons. ad obiect. 12.* 22

Dico 3. Si dubites (dubio scilicet negatiuo, ita vt sis anceps, seu pendulus; cùm ea neutra parte motivum assentiendi vllum babeas) vtrum maleficium à maleficio priori modo licito solui possit, an solùm posteriori illicito, oon potes ab eo petere, vt maleficium soluat, Lessius *citata dub. 6. n. 46.* Mart. Delrio *cit. q. 2. sect. 1. q. 1. & 2.* Fagund. *præcept. 1. Decalog. lib. 1. c. 41. n. 15.* Suarez *cit. c. 18. num. 8.* & Sanch. *cit. c. 41. n. 7. & de matr. lib. 7. disp. 95. n. 14.* Quia stante tali dubio, dubitatur an solutio maleficij licitè fieri possit. Quando autem dubitatur, an aliquid licitè fieri possit, tunc illud oec fieri, nec peti, nec consuli licitè potest: Nam esset se eaponere periculo peccandi. At cùm agitur de periculo peccandi, seu Deum dehonorandi, tutiorem partem amplecti debes, alioqoin conuinceris, ploris æstimare affectum proprium, quàm honorem Dei; quapropter dicitur: *Qui amat periculum peribit in illo.* 23

Aduerte tameo, quod is, qui maleficij auctor fuit, faciliùs præsumi possit signa, quæ ipsemet posuit, destruere, eorumque moralem effectum tollere 24

posse (ad quod præstandum ex iustitia tenetur, ideoque etiam minis, ac verberibus cogi poterit.) At is, qui maleficij Author non fuit, non tam facilè præsumi potest signa destruere posse, sine noua cum dæmone pactione inita: Quare si iste talis operam suam promittat, examinari debebit, quemnam modum soluendi maleficij teneat, & à quonam acceperit, signa dæmonis tali loco, vel modo posita esse, & quamdiu dubium (scilicet negativum, vti dicebam) perseuerat, eius opera vti non poteris, propter rationem iam dictam: Lessius, Martinus Delrio, Suarez, & Sanchez *in locis suprà citatis.*

25 Hinc sequitur, quod non liceat petere ab alio malefico, qui Author illius maleficij non fuit, vt illud maleficium soluat, quando nihil de illo maleficio, vel de loco, vbi sunt illius maleficij signa, nouerit; quia talis petitio est quædam tacita petitio, quod alio malefico id à dæmone discat, & soluat: Quapropter tarò licet eam solutionem ab alio malefico petere, nisi de loco, & de modo maleficij ab ipsomet Authore maleficij, vel ab alio certior factus fuerit; quia iste talis moraliter nescit mederi sine alio maleficio, & sine alia noua dæmonis cooperatione, Lessius, Martin. Delrio, Suarez & Sanchez, *ibidem.*

26 Aduerte secundò, quod vt melius intelligantur quæ dicebam *Dicto* 3. dupliciter potest homo (sicuti rectè notauit Caietanus) exponere se periculo peccandi.

Primò faciendo opus dubium (scilicet negativum) an sit licitum, vel illicitum; & hoc modo, hominem se exponere periculo peccandi, est peccatum (vti dicebam) & si agitur de licito, vel illicito mortaliter, est peccatum mortale; quia voluntas operantis ex hoc ipso exorbitat à recta ratione, & à diuino amore, cum magis optet opus illud cum dubio negatiuo incurrendi transgressionem præcepti diuini, quàm abstinere se ab opere illo dubio cum certitudine non errandi; ac per hoc voluntas operantis magis amat opus illud, quàm Deum in suo præcepto; & sic verificatur sententia illa: Exponens se periculo peccati mortalis peccat mortaliter: Vnde in dubio (scilicet negatiuo, sicuti dicebam) an occidas cervum, vel hominem, non potes occidere; & in dubio, an habeas copulam cum tua, vel non cum tua, non potes habere; & in dubio, an projicias rem tuam, vel non tuam, sed alienam; non potes projicere, &c.

Secundò ad locum, seu societatem, vbi est periculum peccandi mortaliter (v. g. propter aspectum, persuasionea, commoditates, vel quid aliud simile, &c.) & hoc quidem, si sine vrgente necessitate fiat, ad incautelæ peccatum spectabit: non erit autem ex suo genere peccatum mortale; quia adhuc etiam præsentibus talibus occasionibus, in operantis hominis libertatis arbitrio restat peccare, vel non peccare mortaliter. Ex conditione verò suæ fragilitatis mensurare se tenetur, qui fragilitatis propriæ conscius de lapsu suo futuro dubitat; & si experientia teste didicit, se in talibus occasionibus non subsistere, sed statim, aut quasi statim labi; & nulla necessitate astringitur, vt illuc eat, vel illic moretur (*scriptum est enim, si pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te*) erit peccatum incautelæ; si verò constantem se putat futurum, & eundi necessitas vrget, nullum erit peccatum. Non vrgente autem necessitate, erit tantùm peccatum incautelæ (sicuti dicebam) maius, vel minus iuxta periculi singulares conditiones vndique perpensas, & consideratas.

27 Cæterùm dixi *suprà num.* 17. si dubitas (*dubio scilicet negatiuo,*) quia si dubitas dubio positiuo, ita vt adsint motiua pro vtraque parte, seu ad credendum pro vtraque parte (quod scilicet maleficus sciat, & non sciat, sicque possit, & non possit licitè maleficium soluere.) Tunc consurgit opinio probabilis pro vtraque parte; ac proinde petens solui maleficium, sequeris opinionem probabilam, & petis quod probabiliter putas, licitè fieri posse; sicque formare poteris conscientiam, quod possis licitè petere, atque adeò non peccabis; cùm non peccet is, qui cum opinione probabili operatur. Secus si dubites (dubio negatiuo) ob rationes dictas, nisi ex ratione aliqua deponas huiusmodi dubium; quia tum etiam non improbabiliter poteris licitè petere: sicut enim qui possidet dubius negatiuè, an res quam possidet, sit sua, si deponat huiusmodi dubium ex ratione, quod scilicet in dubio melior sit conditio possidentis, licitè retinet: sic similiter in casu nostro licitè petere poteris, cùm petitio, deposito huiusmodi dubio, non sit illicita ratione materiæ, seu obiecti; quia quod petitur, licitè fieri potest; neque ratione illius, à quo petitur, quia (cùm non sciatur, quod nesciat licitè soluere, & fieri possit, quod sciat) per talem petitionem is non inducitur ad aliquid illicitum; ac proinde censetur petitio fieri, quatenus licito modo obtineri possit. Vnde potes petens formare tibi conscientiam, quod licitè petas, eo quòd scilicet intendas petere, quatenus licito modo fieri possit. Ideoque neque adhuc te expo- 28
nis periculo peccandi, neque etiam inducis alterum ad peccandum, sicuti non inducis, si petas maleficium solui ab illo, quem certò scineris illicitè illud soluturum quando ab illo licitè solui potest, vti dicebam *suprà* cum quamplurimis Doctoribus, qui consequenter hanc etiam partem tenere deberent. Vide quæ dicebam *suprà Dubitatione præcedenti, sect.* 15. & *sect.* 16. & quæ dicam *infrà sect.* 5. *per totam.*

29 Nec est eadem ratio, quando petis maleficium solui ab illo, quem certò noueris ignorare licitum modum illud soluendi, quia tunc petis directè quod non est licitum; siquidem petitio ex tua intentione petentis coarctatur ad id tantùm, quod maleficus scit, & potest, atque adeò ad illicitum; cùm is tantùm illicito modo soluere sciat, & possit, sicuti *suprà* cum Suarez, & Sanchez dicebam.

SECTIO II.

Proponuntur, & soluuntur obiectiones in contrarium.

SVMMARIVM.

1 *Dæmoniorum quoddam genus licèt non ejiciatur oratione, & ieiunio, nihil vetat, quin aliquis possit eius egressum tentare per signi remotionem: alioquin eius egressum neque etiam posset tentare medijs exorcismis.*

2 *Signa tollere, vel perquirere minùs rectè arguitur ex S. Hieronymo in vita S. Hilarionis pertinere ad incantationem, quia verba Hieronymi aliter sonant.*

3 *Signum tollens, vt dæmon nocere desinat, non miscet se pacto malefico cum dæmone inito; quia non est duplex pactum, sed vnum tantùm, vt scilicet posito tali signo dæmon noceat.*

4 *Signum tollit qui ignorat esse inter magum & dæmonem duplex pactum, esto inter eos sit, & arbitrari potest tale pactum non esse. Vt omittam quod licèt sciret esse tale pactum, non tamen propterea se huic pacto misceret.*

5 *Signum tollens spe noxa dæmonis cessatura hunc effectum expectat à dæmone, non vt aliqua actio eius positiua, sed vt cessatio, vel priuatio actionis. Quomodo non est illicitum à dæmone aliquem effectum expectare.*

6 *Signa non tollentur frustrà, etiamsi dæmon non sit alligatus signis, vtpote valens nocere sine ijsdem:*

tolluntur

tolluntur enim, vt sic euertatur pactum magicum, & tacita dæmonis inuocatio.

7 *Dæmonis potestas ita ligata est, vt nihil ferè solus possit in nos, vel in bona nostra externa, nisi Deus id ei specialiter permittat, vt patet ex historia Iob; tanta enim est eius malitia, vt nihil prætermitteret mali, quod nobis posset inferre. Hominis autem potestas non est ita alligata, quæ dum dæmoni cooperatur, plura ei, quàm soli, Deus permittit.*

8 *Dæmon nunquam cessat sponte à nocumento corporali, nisi vt grauiùs noceat in anima; at non ideò per nocumenti cessationem, quæ fit amotis signis, grauius vel amouenti, vel maleficiato damnum infert in anima, licèt id forsan non intelligat.*

9 *Maleficiatus si aliud remedium non suppetat, tenetur procurare vt signa malefica remoueantur, & ad id malefici opem expostulare.*

10 *Maleficis ad torturam adductis abradentes omnes corporis pilos rectè faciunt, ne qua maleficij signo corpori adhærescente ij reddantur insensibiles, & sic cogi non possint ad veritatem fatendam: neque hoc superstitiosum censendum est, si id faciant, ne sub capillis, vel pilis aliquod tale signum occultum lateat.*

11 *Iudices maleficum torquere volentes, licitè possunt efficere, quod eius corpus abluatur, quodque eius totius corporis pili, vel capilli abradantur; quia id non fit gratiâ alicuius superstitionis, sed solùm ne lateat maleficium aliquod foraminibus insertum.*

12 *Maleficium contra concubitus coniugalis Doctores, & sancti Patres proponentes remedia, talis remedij mentionem non fecerunt; quia semper vulgò satis notum fuit, non quia sit superstitiosum.*

13 *Licitum est aliquid facere, quo posito finitur prauum pactum, & dæmon desinit nocere; cùm hoc non sit*
14 *signum pacti noui, sed potiùs sit euersio pacti veteris, vel antiqui, &c.*

15 *Nec refert, vtrum hoc proueniat ex eo, quod dæmon tali signo offendatur, an ex eo, quod forsan ipsemet dæmon statuerit, vt tali re interueniente, pactum non constet, quia solùm statuit his positis non nocere.*

16 *Neque obstat dicere, quod expectatur effectus à dæmone; neque enim expectatur ab eo effectus vllus positiuus, sed solùm cessatio à malo: qualis licitè expectari potest ab illo.*

17 *Signa tollere vt desinat pactum, & nocumentum dæmonis licitum est, & consequenter apponere etiam alia signa ad eundem finem consequendum.*

18 *Licitum est petere à dæmone, vt desinat nocere, si non id petatur verbis deprecatiuis, seu ex affectu, vel beneuolentia, sed tantùm obiurgationis, & contemptionis, & consequenter licitum erit petere id à dæmone signis: Secùs si petatur quod dæmon aliquid agat.*

19 *Dæmon si haberet tale pactum cum mago, vt posito tali signo noceat, donec ponatur aliud signum contrarium, & non esset aliud remedium ad desinendum nocumentum, posset magus illud aliud contrarium signum adhibere.*

20 *Dicta superiùs intellige de pura cessatione, non autem de aliqua actione positiua, vel de fauore aliquo eliciendo à dæmone.*

21 *Licitum similiter non est, si res sit dubia; quia non licet vti remedio suspecto, vel de quo dubitatur, an contineat tacitam dæmonis inuocationem.*

22 *Licitum similiter non est à mago petere, quod maleficium dissoluat, si dubium est, an absque nouo maleficio fieri possit; quia id, de quo dubitatur an sine peccato fieri possit, sicut absolutè non est faciendum, ita nec absolutè ab alio est petendum.*

23 *A malefico non licet petere, quod maleficium maleficio soluat, illum rogando; neque illum cogendo minis, & verberibus.*

24 *Iudices non possunt licitè cogere maleficum, vt benedictione quadam maleficium soluat, quia talis benedictio malefici non est aliud, quàm quadam formula, & ceremonia, qua adhibita dæmon iniit pactum quod sit cessaturus à noxa.*

25 *Iudices neque possunt licitè causa curiositatis, aut verificandi criminis, aut ob quemcunque alium bonum finem efficere, quod maleficus coram ipsis aliquod maleficij opus exerceat.*

26 *Iudices licitè possunt maleficum tortura subjicere, volentes, quod eius corpus abluatur, quodque totius corporis pili, & capilli abradantur; quia id non fit gratiâ alicuius superstitionis.*

27 *Sententia Petri Aureoli, & Angeli, putantium esse licitum alteriùs, qui ad id paratus sit, maleficio, vel incantatione vti ad tollendum à se, vel ab aliis nocumentum maleficij, rejicitur tanquam omninò falsa, & erronea.*

28 *Petere tantùm licet à parato, quod ipse licitè præstare potest, & sua malitia modum illicitum eligit, & ex alia parte petentis interest, vt sua necessitati consulat.*

29 *Neque etiam licebit petere à malefico, vt soluat maleficium, quod constat modo licita solui posse, quando etiam constat talem modum licitum à malefica ignorari.*

30 *Imò neque id licebit, quando est dubium, an maleficus nouerit aliquod medium licitum; quia cùm communiter sola media superstitiosa sciat, est præsumptio contra ipsum.*

31 *Petens copulam à fœmina parata secundùm Sotum, & alios nonnullos, non tenetur vltra suum fornicationis peccatum circunstantias scandali, seu inductionis ad peccatum in Sacramento Confessionis aperire; quia tunc reuera non datur scandalum, neque est propria, & moralis inductio ad peccandum, cùm voluntas ex se ad id exposita sit.*

32 *At non sic se habet in malefico parato maleficium soluere, cùm id licitè exequi non possit; quare petere ab ipso vt soluat cùm licitè non possit, est verè inducere ipsum ad peccandum; hæc enim est radix liciti, vel illiciti, si possit, vel non possit sine peccato fieri id quod petitur.*

33 *Petens à meretrice in Lupanari exposita, quod peccet cum tertio, peccat mortaliter peccato scandali generalis, seu inductionis ad peccatum; & eiusdem esse rationis videtur, si petat pro se.*

34 *Petens à paratissimo ad vindictam, quod ambo vindictam sumant, non satis in Sacramento Confessionis confiteretur, dicens se vindictam sumpsisse; sed vlteriùs teneretur alterius inductionem explicare.*

35 *Petens fornicationem à parata, non tenetur circunstantiam inductionis explicare; non quòd specialis circunstantia non sit, sed quia propriam fornicationem confitendo, à communiter accidentibus satis explicare censetur, se petiisse.*

36 *Petens fornicari, si non fornicaretur, sed tantùm desiderasset copulam mulieris, non satis confiteretur dicendo, se desiderasse cum muliere peccare; sed vlteriùs teneretur explicare eiusdem inductionem.*

37 *Mulier si pariter virum paratum induxisset, teneretur hanc inductionem aperire; communiter enim non mulier virum, sed vir mulierem inducit.*

38 *Vir inducens mulierem non paratam, tenetur inductionem confiteri; quia est circunstantia scandali notabiliter aggrauans supra eam, quando mulier est parata.*

1 Objicies contra ea, quæ dicebantur dicto primo, Matthæi 17. Est certum dæmoniorum genus, quod non ejicitur, nisi in oratione, & ieiunio: Ergo si hoc dæmoniorum genus per maleficium ingressum esset, non liceret eius egressum per signi remotionem procurare.

Respondetur, forsan non est tale genus dæmoniorum, sed aliud, ac proinde nihil vetat, quin possim eius egressum tentare per signi remotionem: Alioquin eius egressum neque etiam possem tentare mediis exorcismis, quod nemo dixerit. Vt omittam, quod ibi Christus Dominus agat de electione dæmonum hominem possidentium, qui non leguntur ejici per signi remotionem, sicuti neque permittuntur ingredi per operam magorum, nisi fortè rarissimè, & interueniente nocumento, quod dæmon magicis signis illectus infert.

2 Objicies 2. Hieronymus *in vita sancti Hilarionis* refert, cùm quædam puella per incantationes à dæmone obsessa adducta esset ad Hilarionem: [Noluisse virum Sanctum, antequam purgaret virginem, vel adolescentem, signa iubere perquiri, ne aut solitis incantationibus recessisse dæmon videretur, aut ipse sermoni eius accommodasse fidem:] Ergo perquirere, & tollere signa, vt dæmon nocere desinat, pertinet ad incantationem.

Respondetur, nego consequentiam; quia Hieronymus non dixit: [Ne solitis incantationibus recederet, sed recessisse videretur,] scilicet hominibus vulgaribus ibi astantibus, & spectantibus: tum quia Hieronymus dixit disjunctiuè: [Ne aut solitis incantationibus recessisse videretur, aut ipse sermoni dæmonis accommodasse fidem.] Maximè cùm dæmoni ipse hoc consilium indicato signorum loco suggessisset, & dixisset, se se illis ligatum teneri, & non posse, nisi illis sublatis, exire.

3 Objicies 3. qui signum tollit, vt dæmon nocere desinat, miscet se pacto à malefico cum dæmone inito, quod est huiusmodi, vt dæmon, signo posito, nocere incipiat; ablato autem signo, nocere desinat: Ergo, &c.

Respondetur: Nego antecedens; quia non est duplex pactum, sed vnum tantùm, vt scilicet posito tali signo, dæmon noceat: Cùm enim dæmon aliquo signo allici debet, vt faciat aliquid extraordinarium, non requiritur nouum pactum, vt desinat facere, sed satis est vt desinat allici: quod fit sublato signo; exinde enim sequitur, vt desinat operari, eo quòd vis prioris pacti, ex quo ad operandum est allectus, & inductus, sit amota, & extincta.

4 Respondetur 2. esto forsan inter magum, & dæmonem sit duplex pactum, vt dicitur in argumento; is tamen, qui signum tollit, id ignorat; & arbitrari potest, tale pactum non esse, sicque & signum illud, tanquam dæmonis allectiuum, remouere. Vt omittam, quod etsi sciret esse tale pactum, non tamen propterea se huic pacto misceret, aut ei aliquo modo consentiret; quia per amotionem signi non intendit inducere dæmonem ad seruandum pactum, neque vtitur amotione signi, veluti signo alterius pacti, sed solùm intendit destruere signum prioris pacti, quo dæmon ad nocendum alliciebatur; aliud enim est amouere signum ea mente, quod moneas dæmonem, vt seruet pactum, & ex fide data desinat nocere; aliud autem amouere signum, vt destruas quasi realem dæmonis inuocationem, & pactum cum mago initum; siquidem quando aliquod signum non est ordinatum ex natura sua ad aliquid significandum, facilè per intentionem operantis aliò referri potest: quapropter, cùm amotio signi facta eo fine, quod dæmon nocere desinat, non sit inuocatio dæmonis ex natura rei, sed potiùs euersio prioris pacti, neque etiam sit ex intentione amouentis, quin potiùs sit illi prorsus contraria, nullo modo censeri potest illicita. Vide quæ dicentur infrà *sect. seq. 1. corollar.*

Objicies 4. qui signum tollit spe noxæ dæmonis 5
cessaturæ, hunc effectum non expectat à causa naturali, neque expectat à Deo miraculosè: Ergo expectat à dæmone; ac proinde est opus superstitiosum, vt perinde sit, ac si dæmoni dicat: Pactus es amoto signo non amplius nocere: Ecce amoueo signum, præsta quod pactus es.

Respondemus, distinguo priorem partem consequentis; expectat à dæmone, ita vt effectus, qui hîc expectatur à dæmone, non sit aliqua actio positiua dæmonis, sed sit tantùm cessatio, seu priuatio actionis, &c. concedo. At talem effectum aliquo modo expectare à dæmone, non illicitum, sed licitum est; quod inde patet, quia multa quotidie facimus, vt dæmon aliquid non faciat, vel cesset facere, non solùm coactus omnipotentia Dei, sed etiam quasi offensus & abhorrens; vt dum v.g. gestamus Agnos Dei, vel Reliquias Sanctorum, dum vtimur aqua benedicta, dum benedicimus domos, vel Templa, &c. quapropter similiter poterimus destruere signa magica, vt dæmon nocere desinat, tanquam non amplius illis signis ad nocendum alliciatur: non igitur quouis modo illicitum est expectare à dæmone effectum priuatiuum, sed solùm expectare illum ex fide data, & accepta, seu ex vi alicuius alterius pacti cum dæmone initi; quod in casu nostro non contingit: Non enim hîc expectatur ex vi pacti, sed potiùs ex euersione pacti, seu inuocationis; cùm sit effectus priuatiuus, qui sufficienter sequitur ex hoc, quod non amplius dæmon per signum alliciatur, seu quod prius pactum cum ipso initum destruatur. Vnde qui sic expectat noxæ cessationem à dæmone, non perinde facit, ac si dicat: Pactus es, amoto signo, non amplius nocere: Ecce amoueo signum, præsta quod pactus es, seu quod promisisti; sed potiùs perinde facit, ac si dicat: pactum tuum, quod cum mago fecisti, rescindo; & signa tua, quæ ad nocendum instituisti, tollo, ac remoueo: quare non est, quod ampliùs nocere continues.

Objicies 5. dæmon non est alligatus signis, cùm 6
possit nocere sine signis, & desinere nocere perseuerantibus signis, & non desinere nocere, sublatis signis; ergo frustra tolluntur signa, nisi intendat pactum, vt dæmon, illis sublatis, desinat nocere.

Nego consequentiam: tolluntur enim signa, vt sic euertatur pactum magicum, & tacita dæmonis inuocatio, sicuti dicebam: Quod autem dæmon possit continuare, vel non continuare noxam, parum refert, modò constet semper, vel ferè semper desinere noxam, sublatis signis: quod mirum esse non debet, cùm sæpè dæmon non possit nobis nocere corporaliter, nisi malitia hominis ei simul cooperetur: ita enim ligata est 7
potestas dæmonis, vt nihil ferè solus possit in nos, vel in bona nostra externa, nisi Deus id ei specialiter permittat, vt patet ex historia Iob; quia tanta est dæmonis malitia, vt nihil prætermitteret mali, quod nobis posset inferre; hominis autem potestas (cùm homo homini resistere possit) non est ita ligata; quæ cum dæmoni cooperatur, plura ei, quàm soli, Deus permittit: vnde præter alios Victoria *relectione de arte magica, circa fin.* ait: [Mirum est, & mysterium, quod cùm dæmones per se nocere non permittantur, tamen non adeò impediuntur nocere per homines, vt magos, lamias, & alias maleficas:] Quare verum non est, quod dæmon ordinariè possit nocere sine signis magicis, sicuti potest cum illis, vel quod possit continuare nocumentum, sublatis signis: sicuti potest positis signis. Hinc fit, vt non frustra tollantur signa, quia forsan dæmon non permittitur nocere, sublatis signis.

Objicies 6. dæmon nunquam cessat sponte à no- 8
cumento corporali, nisi vt grauiùs noceat animæ (cum

cum beneficia illius nocentiora sint omnibus vulneribus, vt rectè dixit Leo *serm. 19. de Passione:* Ergo per nocumenti cessationem, quæ fit amotis signis, grauius vel amouenti, vel maleficiato damnum infert in anima.

Respondetur, nego consequentiam, quia licèt dæmon id forsan intendat, non tamen quod intendit, semper assequitur; præsertim cùm in posse nostro sit per Dei gratiam, quod nobis non noceat in anima, neque verum est, expectari nocumenti cessationem à dæmone, tanquam beneficium illius, quemadmodum amouens signum assassinij non expectat assassinij cessationem ab assassino, tanquam beneficium illius.

9 Objicies 7. si licitum est signa malefica remouere, vel ad id malefici opem expostulare, sequitur quod qui maleficium patitur, teneatur id, si aliud remedium non suppetat, procurare.

Respondetur, concedo totum: itavt & prædicta signa remouere teneatur quicumque nouit, & commodè potest, præsertim maleficus, qui ea posuit: sicut enim maleficus qui dæmonem inuocat verbis, vel scriptis, vt mihi noceat, cessare tenetur ab ista inuocatione, non solùm quia superstitiosa, sed etiam quia noxia est; sic etiam signa posita, quibus dæmon allicitur ad nocendum, tollere tenetur, si aliter nocumentum impediri non possit.

10 Objicies 8. si licitum est, signa magica remouere, sequitur quod rectè faciant, qui maleficis ad torturam adductis abradunt omnes corporis pilos, ne quo maleficij signo corpori adhærescente malefici reddantur insensibiles, & sic cogi non possint ad veritatem fatendam: At hoc est superstitiosum, inquit Victoria *relect. de magia, n. 16.* quatenus ait: [Si ad expulsionem dæmonum radunt pilos, aut capillos, aut aliquid huiusmodi, est magia manifesta:] Ergo, &c.

Respondetur, concedo maiorem, si id faciant, ne sub capillis, vel pilis aliquod tale signum occultatum lateat; quod autem Victoria inquit, non facit ad rem; loquitur enim de expulsione dæmonum è corporibus hominum per gratiam gratis datam; ad quam expulsionem nihil facit rasura pilorum, aut capillorum: non enim pili, aut capilli sunt signum maleficum, ibi à mago positum; ac proinde non est, cur amoueri debeant, vt pactum aliquod magicum cesset.

11 Possunt igitur licitè iudices maleficum torquere, volentes efficere, quod eius corpus abluatur, quodque eius totius corporis pili, & capilli abradantur; quia id non fit gratiâ alicuius superstitionis, sed solùm, ne lateat maleficium aliquod foraminibus insertum, vel pilis, aut capillis inspersum, vel ne subsit aliqua vnctio, quibus maleficus torturæ dolorem non sentiat, atque adeò propterea veritatem confiteri non compellatur. Sic DD. quos citat, & sequitur Sanch. *de matr. lib. 7. disp. 95.* & Mart. Delrio *lib. 5. disquis. magic. sect. 9. dub. 3. n. 3.* vbi rectè subdit, id fore tamen superstitiosum (si tonsio illa fiat credendò, quod per illam vires amittantur, instar Samsonis) quia cùm ad eum effectum talis tonsio sit vana, & inutilis, esset vtique superstitiosa, & superstitionem saperet, acinuoluerer.

12 Objicies 9. DD. & SS. Patres quatenus contra concubitus coniugalis maleficium remedia proponunt, talis remedij mentionem non fecerunt: Ergo signum est, quod non sit licitum, sed superstitiosum.

Respondetur, nego consequentiam; talis enim remedij mentionem non fecerunt, quia semper vulgò satis notum fuit, nec decuit eos, nisi remedia Ecclesiastica, & diuina proponere. Accedit, quod si illicitum, & superstitiosum illud putassent, non solùm debebant eius mentionem non facere, sed etiam debebant expresè (cùm scirent, esse illud vulgare) nobis prohibere; quod cum non fecerint, signum maximum est, quod prædictum remedium non improbauerint. Accedit 2. quod loquuntur in casibus, in quibus humana auxilia non suppetunt; sæpè sæpiùs enim ignorantur signa, & eorum loca, nisi à magis, vel maleficis indicentur; vnde nisi remedia diuina, & Ecclesiastica prosint, censent maleficij impedimentum esse perpetuum, iubentque coniuges separari. Quod tamen non facerent, si signa malefica essent cognita, & huiusmodi signis sublatis maleficium posset solvi. ex communi enim sententia Doctorum impedimentum non censetur perpetuum, quando impedimentum ope humana sine nouo maleficio tolli potest.

13 Objicies 10. si hoc esset, sequeretur quod non solùm licitum esset tollere signa magica, sed etiam per se licitum esset ponere alia signa, quibus positis cessat, vel destruitur pactum prius, & dæmon nocere desinit, vel certè priora signa vim suam amittunt.

Respondetur, iuxta ea quæ dicebam *supr. sect. præcedenti, dict. 1. in fine,* & dicam infrà *sect. 3. corellar. 7.* concedo totum, & tenent Syluester *verb. malef. q. vltima,* Mart. Delrio *lib. 6. disquis. magic. cap. 2. sect. 1. q. 1. vers. alij itaque,* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. de superstit. cap. 17. num. 16.* & alij, quos citat, & sequitur Sanch. *de matrim. lib. 7. disp. 95.* Et probari potest

14 Primò, quia licitum est aliquid facere, quo posito finitur prauum pactum, & dæmon desinit nocere; cùm hoc non sit signum pacti noui, sed potiùs sit euersio pacti veteris, vel antiqui; verbi gratiâ, si à malefica tangaris, inficeris; si tamen illam mox repercutias, dicitur impediri nocumentum, vel quia dæmon statuit tunc non nocere, vel quia signum maleficæ non est tale, quale dæmon requirit: Item si à malefica sis infectus, & tamen ab illa infectus eidem maleficæ panem des, vel ab eadem malefica panem recipias, dicitur cessare nocumentum, forsan propter Eucharistiæ mysterium.

15 Nec refert, vtrum hoc proueniat ex eo, quod dæmon tali signo offendatur, an eo quòd forsan ipsemet dæmon statuerit, vt tali re interueniente, pactum non constet (si non fiat modo deprecatorio, seu supplicatorio, vel ex affectu aliquo amicitiæ, seu beneuolentiæ;) quia solùm statuit, his positis, non nocere, & quod pactum præcedens expiret: At licitum est aliquid facere, quod per se est indifferens, vt dæmonis pactum expiret, & nocumentum cesset (hoc enim non est signum amicitiæ, vel beneuolentiæ; cùm etiam erga inimicum possit quis talibus signis vti, sine vlla specie beneuolentiæ:) Ergo, &c.

16 Neque obstat, si dicas, quod expectetur effectus à dæmone; non enim expectatur à dæmone effectus vllus positiuus, sed solùm cessatio à malo: qualis effectus (modo non ex amicitia, vel beneuolentia) licitè expectari potest ab illo, sicuti suprà dicebam *in Responsione ad 4. obiectionem.*

17 Secundò, quia licitum est tollere signa, vt desinat pactum, & nocumentum dæmonis: Ergo licitum etiam erit apponere alia signa ad eundem finem consequendum.

18 Tertiò, quia licitum est petere à dæmone verbis (si sicuti dicebam *sect. præcedenti, aduert. 3.* non id petatur modo deprecatiuo, seu supplicatiuo, vel ex affectu amicitiæ, seu beneuolentiæ; sed modo obiurgatiuo, vel contemptiuo, seu per modum obiurgationis, vel contemptus, vt dicendo: *Abi hinc, vel cessa malefacere,* &c.) quod desinat nocere: Ergo licitum etiam erit, petere id à dæmone signis: secus si petatur, quod dæmon aliquid agat; hoc enim esset actus beneuolentiæ, vel amicitiæ, sicuti patet ex dictis.

19 Quartò, quia si dæmon haberet tale pactum cum mago, vt posito tali signo, noceat, donec ponatur signum aliud contrarium, & non esset aliud remedium ad desinendum nocumentum, posset magus illud aliud contrarium signum adhibere; sicut enim posset dæmoni exprimere verbis, *cessa,* sic posset idipsum exprimere aliis signis.

Quæ

20 Quæ tamen modò dixi, intellige de pura cessatione, non autem de aliqua actione positiua, vel de fauore aliquo eliciendo à dæmone: vnde si putaretur nocumentum per actionem positiuam eiusdem, vel alterius dæmonis desinendum, licitum non esset, vt patet etiam ex dictis.

21 Similiter licitum non est, si res sit dubia (dubio scilicet negatiuo, non autem positiuo;) quia non est licitum vti remedio suspecto, vel de quo dubitatur negatiuè, an contineat tacitam dæmonis inuocationem: hoc enim, nisi fortè fiat cum expressa voluntatis contrariæ protestatione, sicuti refert Caietanus se fecisse de annulo, qui propterea pronunciato versiculo Psalm. nullatenus motus fuit; vel nisi fiat deposito tali dubio, est se exponere manifesto periculo superstitionis, vt patet ex iis quæ dicebam *sect. praced. dicto* 3.

22 Similiter etiam licitum non est à mago petere, quod maleficium soluat, si dubium similiter negatiuum, & non positiuum est, an absque nouo maleficio fieri possit; quia id, de quo dubitatur negatiuè, an sine peccato fieri possit, sicut absolutè non est faciendum, ita nec absolutè ab alio est petendum, vt fiat. Secùs quando constat, sine peccato fieri posse, & causa iusta petendi subest, vti patet etiam ex iis, quæ dicebam *cit. sect. praced. dict.* 2. *&* 3. *per totum.*

23 Hucusque quoad ea, quæ dicebantur *dict.* 1. quoad ea autem, quæ dicebantur *dict.* 2.

Objicies 11. quamvis non liceat petere à malefico quod maleficium maleficio soluat, illum rogando, licebit tamen petere à malefico, quod maleficio maleficium soluat illum cogendo minis, ac verberibus: atque ita tenent quidam DD. nostram doctrinam limitantes, quos refert Sanchez *de matr. lib.* 7. *disput.* 95. *num.* 9.

Respondetur: nego antecedens, adeò vt horum Doctorum sententia ab omnibus, tanquam omninò falsa, & errones rejiciatur (qua de re Sanchez *loco suprà citato*, Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de superstit. cap.* 18. *n.* 7. & Martin. Delrio *lib.* 6. *disquisit. magic. c.* 2. *sect.* 1. *q.* 2.) Et meritò, quia cùm ille maleficus (quantumvis minis, ac verberibus coactus) peccet mortaliter, maleficium maleficio soluens, vtpote quod est intrinsecè malum, eadem culpa & is, qui ad id maleficum cogit, ligabitur.

24 Hinc sequitur, quod iudices non possint licitè cogere maleficum, quod benedictione quadam maleficium soluat; quia talis benedictio malefici non est aliud, quàm quædam formula, & ceremonia, qua adhibita, dæmon init pactum, quod sit ipse cessaturus à noxa: ita Martinus Delrio, & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *disp.* 95. *num.* 10. quod est intrinsecè malum.

25 Sequitur 2. quod Iudices neque possint licitè causa curiositatis, aut verificandi criminis, aut ob quemcunque alium bonum finem efficere, quod maleficus coram ipsis aliquod maleficij opus exerceat, v.g. quod subitò ibi appareant ranæ, vel quod stryges vnctione quadam linitæ ferantur per aëra, &c. quia hoc etiam est intrinsecè malum.

26 Quamvis iudices licitè possint (vt suprà in responsione ad 8. obiectionem dicebam) maleficum torturæ subjicere, volentes efficere, quod eius corpus abluatur, quodque eius totius corporis pili, & capilli abradantur; quia id non fit gratiâ alicuius superstitionis, sed solùm ne lateat maleficium aliquod foraminibus insertum, vel pilis, aut capillis inspersum, vel ne subsit aliqua vnctio, quibus maleficus tormentorum dolorem non sentiat, atque sic ad veritatem confitendam non compellatur, vt ibidem dicebam.

27 Objicies 12. ex Petro Aureolo *in* 4. *dist.* 34. *q.* 2. & Angelo *in summa, verb. superstit.* §. 15. (hi enim DD. nisi concedant, pro maleficio soluendo non esse licitum facere maleficium, vel incantationem, licitum tamen putant, alterius qui ad id paratus sit, maleficio, vel incantatione vti, vt à nobis, vel ab aliis maleficij nocumentum tollamus;) quia licitum est, inquiunt ipsi, petere mutuum ab vsurario parato, & iuramentum ab infideli, vel quocumque alio parato per falsos Deos iurare (cùm id non sit ad malum inducere, sed vti malitia parati ad illud perpetrandum, cogente necessitate:) ergo sic etiam & in casu nostro.

Respondetur, nego consequentiam, adeò vt & horum Doctorum sententia ab omnibus similiter tanquam omninò falsa, & erronea rejiciatur: qua de re Caietanus *tom.* 2. *opuscul.* 12. Syluest. *verb. malef. q.* 8. Castr. *lib.* 1. *de iusta haret. punit. cap.* 15. Saytus *in claui regia, lib.* 4. *cap.* 6. *n.* 26. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de superstitione, cap.* 18. *n.* 3. *& seqq.* Sanchez *de matrim. lib.* 7. *disp.* 95. *num.* 7. & alij passim, quos citabam *sup. sect. pracedenti, n.* 16. & meritò etiam; quia illa malefici operatio (cùm sit vsus artis magicæ, & ad aliquem effectum à dæmone obtinendum tacita, vel expressa dæmonis inuocatio) est intrinsecè mala, ac proinde nullo modo benè fieri potest, atque adeò nec quis licitè petere, vel consentire poterit, vt fiat, iuxta illud ad Romanos 1. *Qui talia agunt, digni sunt morte, non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Secus autem est cùm petitur mutuum ab eo, qui solet vsuras exigere, vel cum petitur iuramentum ab eo, qui putatur per falsos Deos iuraturus; quia quod hîc petitur, ex se malum non est, & benè fieri potest, si velit is, à quo petitur: quod si non faciat, culpa ipsius est, vti *suprà* dicebam.

Id igitur solùm licet à parato petere, quod ipse li- 28
citè præstare potest, & sua malitia modum illicitum eligit; & ex alia parte petentis interest, vt suæ necessitati consulat: tunc enim non est petere peccatum, neque ad peccatum cooperari, sed est petere rem licitam, quam alter sua malitia illicitè præstat, & operatur, quemadmodum contingit ex dictis in petente mutuum ab vsurario parato, & iuramentum à parato iurare per falsos Deos: at maleficus ob nullum bonum finem potest maleficium maleficio soluere; cùm hoc sit per se, & ab intrinseco malum, vti *suprà* probabam.

Atque hinc ratio disparitatis inter vtrumque casum apparet, quia petens à quopiam opus aliquod, est causa moralis illius operis, quamvis alter sit paratissimus: quapropter petens mutuum ab vsurario parato excusatur à peccato, non eo quòd non sit causa moralis illius mutui, sed quia mutuum de se est bonum, & ex sola mutuantis culpa malè fit; quando igitur opus à parato licitè præstari non potest, illud petens est causa malitiæ inseparabilis ab illo opere petito, ac proinde peccabit.

Hinc etiam, vti dicebam *sectione pracedenti, di-* 29
cto 2. *in fine*, non licebit petere à malefico, vt soluat maleficium, quod constat modo licito solui posse, quando etiam constat, talem modum licitum à malefico ignorari; quia nihil refert, modum licitum in se esse possibilem, si huic malefico talis modus licitus fuerit ignotus, cùm eo ipso sit illi impossibilis; & ideò petendo ab illo, vt soluat maleficium, virtualiter petitur, vt maleficium alio maleficio soluat; cùm non petatur, vt modo sibi incognito, ac proinde sibi impossibili soluat: sic DD. quos sequitur Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 3. *de iurament. cum cap.* 13. *num.* 5.

Imò nec id licebit, quando est dubium, dubio 30
scilicet similiter negatiuo, non autem positiuo, an maleficus nouerit aliquod medium licitum; quia cùm communiter sola media superstitiosa sciat, est præsumptio contra ipsum. Tum quia tunc perinde est, ac dubitare, an solutio illa maleficij possit licitè fieri: quo dubio perseuerante, non est licitum operari,

fieri; quo dubio perseuerante, non est licitum operari, sicuti patet ex iis quæ dicebam *suprà, dict. 3.* vbi subdebam, quod gratiâ vincendi huius dubij, maleficus interrogari debet, quæ media nouerit; & si explicare noluerit, est vehemens suspicio contra ipsum; si autem explicuerit, tunc videndum est, an sint licita; & si facta diligentia, adhuc perseuerauerit dubium, adhuc similiter, ob eandem rationem, non erit licitum operari, iuxta ea quæ dicebam *ibidem*.

31 Objicies 1°. qui petit copulam à fœmina parata, non tenetur vltra suum fornicationis peccatum, circunstantiam hanc scandali, seu inductionis ad peccatum in Sacramento Confessionis confiteri; quia tunc recuta non datur scandalum, nec est propria, & moralia Inductio ad peccandum (cùm voluntas ex se, & sua sponte exposita sit ad peccatum:) Ergo sic etiam & in casu nostro non erit peccatum inductionis. Consequentia patet à pari: Antecedens vlteriùs ab extrinseco ex authoritate quorundam Doctorum probatur; quia sic loquens de meretrice, tenet Sotus *de iust. & iur. lib. 6. q. 1. art. 5. vers. Hac autem specialis ratio*; & sic loquens de ita parata, vt sit quasi in actuali, vel virtuali peccandi voluntate, tenet Suarez 4. *tom. in 3. part. disp. 22. sect. 4. n. 18.* Et sic loquentes de parata quocumque modo simpliciter, tenent Henriquez *lib. 5. de pœnit. cap. 6. n. 7.* Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 11. cap. 16. q. 5.* & Salonius 2. 2. *q. 62. art. 2. controuers. 2. punct.* 617. Et videntur expresse tenere Ludou. Lopez 1. *part. instruct. cap. 73.* Alcozer *in sum. cap. 20.* Manuël *in sum. tom. 1. cap. 213. n. 5.* & Valentia 2. 2. *disput. 3. q. 18. punct. 2. in solutione ad 3.* quatenus aiunt, esse circunstantiam scandali, & inductionis ad peccatum inducere fœminam non paratam: quapropter à contrario sensu aliud sentire videntur de fœmina parata.

32 Respondetur: Nego antecedens, & eiusdem antecedentis probationem.

Primò (tamen si indirectè) quia sicuti suprà dicebam, omnes ferè Doctores tanquam certissimum fatentur, esse peccatum mortale scandali generalis, & inductionis ad peccatum petere à malefico, quantumvis parato, vt maleficio maleficium soluat; quia (inquiunt) maleficus id licitè exequi non potest; & quantumvis paratus sit, hoc numero peccatum, te non petente, non exequeretur. Et quamvis exequendi voluntatem haberet, te non petente, non exequeretur: quare rectè dixit sic Caietanus 2. 2. *q. 78. art. 4. paulò post principium*: [Aduerte semper in casibus, vt discernas, si actus petitus potest ab eo, à quo petitur, sine peccato fieri, quia hæc radix est liciti, vel illiciti, cùm de vsu peccati alterius agitur; si enim quis peteret ab aliquo actum, quem non potest exercere absque peccato, procul dubio ad peccandum eum induceret, quamvis paratissimum.] At hæc omnia contingunt in casu nostro, cùm constet non posse mulierem licitè fornicationem à se petitam exequi, nec te non petente hoc numero peccatum exequeretur: Ergo, &c.

Secundò, quia rectè nonnulli Doctores (inter quos Suarez *tom. 3. in 3. partem, q. 65. art. 4. disp. 18. sect. 1. corollar. 2.*) tenent, quod sit peccatum mortale, à Ministro parato, existente tamen in peccato mortali, & absque vlla petentis necessitate, vel saltem notabili maiori vtilitate, aut commoditate Sacramentum petere; quia præbetur, inquiunt ipsi, ei aliqua materia, ex qua ipse hîc, & nunc occasionem peccandi desumit: Ergo si in re, quam alter benè exequi potest, & culpa sua malè exequitur, est peccatum mortale sine necessitate, vel saltem notabili maiori sua vtilitate, aut commoditate talem occasionem hic & nunc peccandi præbere: multò magis erit peccatum mortale petere in re, quam nullopacto licitè is exequi potest.

33 Tertiò, quia rectè etiam nonnulli alij Doctores, inter quos Nauarrus *in summa, cap. 14. n. 38.* tenent, quod petens à meretrice in lupanari exposita, quod peccet cum tertio (tamen si id non intenderet, sed oretenus diceret) peccaret mortaliter peccato scandali generalis, seu inductionis ad peccatum: At eiusdem prorsùs rationis peccatum est petere quod secum fornicetur: Ergo, &c.

Quartò, quia petens à paratissimo ad vindictam, quod ambo vindictam sumant, non satis in Sacramento Confessionis confiteretur, dicens se vindictam sumpsisse; sed vlteriùs teneretur alterius inductionem ad peccatum explicare: Ergo, &c. 34

Concedo tamen (& hoc est, quod volunt Doctores, qui in obiectione contra nos adducebantur) quod in Sacramento Confessionis non tenetur quis hanc circunstantiam inductionis mulieris paratæ explicare, non quòd specialis circunstantia non sit (satis enim, quod talis sit, probatum iam est;) sed quia cùm quia in Sacramento Confessionis fornicationem propriam confitetur, à communiter accidentibus satis explicare censetur, se petiisse, atque adeò fœminam quæ consensit, à se inuitatam fuisse. 35

Cæterùm, si non fornicaretur, sed tantùm desiderasset copulam mulieris, non satis confiteretur dicendo, se desiderasse cum muliere peccare, sed vlteriùs teneretur explicare mulieris inductionem, vtpote quæ inductio mulieris in eo desiderio non explicatur, aliàs si sine animo fornicandi dixisset (ita tamen, vt seriò dicere videretur) neque teneretur eam inductionem confiteri, quod nemo dixerit; & non leue argumentum est ad nostram sententiam comprobandam. 36

Similiter, si mulier virum paratum induxisset, teneretur mulier hanc inductionem viri confiteri, vtpote quæ inductio viri (cùm non mulier virum, sed vir mulierem inducere consueuerit) in fornicatione mulieris, quam mulier confitetur, non explicatur. 37

Similiter tandem, inquiunt nonnulli, quos sequitur Azor. *cit. cap. 16. q. 5.* quando mulier non est parata, tenetur vir mulieris inductionem confiteri; quia est circunstantia scandali notabiliter aggrauans supra eam, quam quando mulier est parata in fornicatione viri, quam vir confitetur, explicat; quod tamen in opinione illorum, qui tenent in Sacramento Confessionis, non solùm circunstantias speciem mutantes, sed etiam circunstantias notabiliter aggrauantes explicandas esse, dicendum arbitror. 38

SECTIO III.

Proponuntur corollaria.

SVMMARIVM.

1 *Malefico, & cuilibet scienti maleficij signum ad obtinendam maleficiati sanitatem destruere licet, & cur.*

2 *Pactum dupliciter cum dæmone iniri potest: primò modo, ita vt intercedat duplex pactum, vt cùm conueniat fore quod dæmon vexet maleficiatum adhibito tali signo, cesset autem eundem vexare remoto prædicto signo: Secundò modo ita, vt intercedat vnicum tantùm pactum, vt nocendi maleficiato, posito tali signo.*

3 *Maleficus non potest destruere maleficium animo seruandi pactum initum cum dæmone, quia id esset illud confirmare; sed animo destruendi pactum cum dæmone, & obtinendæ sanitatis maleficiati; quia destruendo signum intentione prædicta, nec pactum, nec amicitia cum dæmone confirmatur, nec illi honor vllus exhibetur, sed potiùs contemnitur, &c.*

4 *Maleficum interrogari licet, an sciat, in quonam tale maleficium consistat, ad hoc vt signum talis maleficij destruatur; quod si nesciuerit, induci non*

poterit ad id per magiam inuestigandum; at si semel eam sciuerit, licitè vti poterit ea scientia.

5 *Non tamen similiter dæmonem interrogare licet, vt scilicet dicat, in quo consistat maleficium, vel vt cesset nocere (nisi per modum obiurgationis, & contemptus.)*

6 *Idque etiamsi maleficiatus esset dispositus ad tentanda media illicita.*

7 *Maleficij signum adhuc licitum est destruere, quamvis sublato maleficij signo debeat in ipsum maleficum ratione pacti initi cum dæmone aliquod malum redundare; quia auferens maleficij signum, nulla ratione ad malefici damnum concurrit, sed solùm sibi consulit auferendo signum.*

8 *Maleficiatus, vt incolumis euadat, si præter signi oblationem aliqua actio positiua maleficum damnificans necessaria sit, non licet auctoritate priuata illam exercere: Secus autem auctoritate publica.*

9 *Maleficij signum non solùm licet destruere, sed etiam tenetur maleficus, vel quicumque alius, qui nouit id efficere; Ille quidem tanquam damnificator lege iustitiæ, hic autem lege charitatis.*

10 *Maleficus tenetur integrè totum damnum resarcire, si ex eius maleficio secutum sit; quia licèt illud intulerit dæmon, causa tamen fuit ipse maleficus.*

11 *Maleficus ad maleficij signum destruendum cogi potest à iudice, & iudex tenetur illum cogere ex iustitia.*

12 *Pactum cum dæmone initum, vt ostendatur, licitum etiam est, signum positiuum contrarium apponere, dummodo ex se sit licitum, vel saltem indifferens, & quomodo id fiat.*

13 *Retinere cognitionem aliquam, vel bonum naturale aliquod, quodcumque illud sit, siue sanitas, siue pecunia, &c. à dæmone acquisitum, est licitum, dummodo ipsorum conseruatio non dependeat à dæmone.*

14 *Item quia dæmon potest subripere alieni diuitias, & potest simul ex maris profundo, vel ex thesauris abditis sub terram in nullius dominio existentibus recipere, & aliquem iis locupletare, poterunt hæc, donec de furto non constiterit, licitè retineri.*

15 *Maleficio nunquam ob quemcunque bonum finem licet vti, quia auxilium dæmonis per maleficium inuocare est intrinsecè malum, & ideò iudices ad probandum crimen non possunt eo vti.*

16 *Textus* in l. eorum, Cod. de maleficis, & in l. Regia finali, tit. 23. part. 7. *intelligi debent, quod maleficus in tali casu excusetur à pœna in foro externo, non autem à culpa in foro interno, seu pœnitentia, aliàs continerent errorem intolerabilem.*

17 *Est prohibitum reuera tam de iure ciuili, quàm Canonico.*

1 EX dictis sequitur, quod licitum sit tam malefico, quàm cuicumque alteri scienti, maleficij signum ad obtinendam maleficiati sanitatem destruere; solet enim, vt dicebam, à malefico pactum cum dæmone iniri, vt quandiu ligatura aliqua fuerit, vel quandiu res aliqua in tali loco defossa permanserit, vel quid simile, &c. maleficium duret; his autem sublatis cesset: quod pactum dupliciter iniri potest.
2 Primo modo, ita vt intercedat duplex pactum, vt cùm conuenitur, fore quod dæmon vexet maleficiatum, adhibito tali signo; tunc enim est duplex pactum; vnum nocendi, posito tali signo; alterum desistendi à nocendo, remoto prædicto signo. Secundo modo ita, vt intercedat vnicum tantùm pactum, vt nocendi maleficiato, posito tali signo; siquidem huiusmodi pacto dæmon tantùm obligatur vexare, posito tali signo; manet autem liber vexandi, vel cessandi à vexando, remoto prædicto signo. Destruere, in- 3
quam, non quidem animo, vt malefico pactum à dæmone seruetur, sed animo destruendi pactum cum dæmone initum, & obtinendæ sanitatis maleficiati, quidquid in contrarium dixerint aliqui, eo quòd id sit, inquiunt ipsi, confirmare pactum à dæmone initum; & nulla alia ratione, remoto signo, dæmon desinat nocere, nisi virtute pacti, sicuti patet ex dictis *sect. praeced. & sect. 1. a. 10. & seqq.* siue vnicum, siue duplex pactum cum dæmone initum fuerit. Ratio, quia destruendo signum intentione prædicta, nec pactum, nec amicitia cum dæmone confirmatur, nec illi honor vllus exhibetur, quin potiùs pactum soluitur, ac contempto dæmone, ab eius amicitia receditur, ita vt propterea signum pacti tollatur, vel comburatur. Vide quæ dicebam *citata sect. praeced.* præcipuè in responsione ad tertiam obiectionem, & quæ dicebam *cit. sect. 1. n. 10. & seqq.*

Sequitur secundò, quod licitum etiam sit interro- 4
gare maleficum, an sciat, in quonam tale maleficium consistat, ad hoc vt signum talis maleficij destruatur; quod si ille non sciuerit, induci non poteris ad id per suam artem magicam inuestigandum; quia id esset inducere illum ad maleficium perpetrandum, quo mediante id à dæmone addisceret: at si fortè ille per maleficium id à dæmone didicerit, licitè poterit ad maleficij signum destruendum ea scientia vti; quia quamvis, vti *cit. sect. praeced.* dicebam, peccatum sit notitiam alicuius rei à dæmone procurare, ea tamen semel à dæmone habita, licitum erit vti.

Si igitur fortè maleficus (etiam cùm à peccato per nouum pactum initum cum dæmone id à dæmone didicerit) poteris licitè ea scientia ad maleficij signum destruendum in tuam vtilitatem vti; quia licèt peccatum grauissimum sit inquirere à dæmone, vt ex cognitione ab ipso habita tuæ vtilitati consulas: id enim esset quoddam amicitiæ fœdus, nihilominùs postquam ea semel, etiam cum peccato, à dæmone habita *fuerit*, licitè poteris postea absque peccato ea (non tanquam à dæmone habita, sed tanquam vera) ad bonum finem vti, si ipsius dæmonis opera ampliùs non concurrat. Victoria *relect. de magia, q. 4. n. 15.* Suar. *tom. 1. de relig. lib. 2. de superstit. c. 15. n. 34. & c. 17. n. 1. & 2.* Valent. *tom. 3. disp. 6. q. 13. punct. 2.* Mart. Delrio *lib. 2. disquis. magic. q. 4. verb. pactum tacitum*, Sanch. *de matrim. lib. 7. disp. 96.* & Fagund. *precept. 1. Decalog. lib. 1. c. 43. n. 14.*

Vnde licebit vti virtutibus rerum naturalium occultis, quamvis à dæmone cum peccato fuerint cognitæ. Item licebit tollere signa maleficij, quamvis à dæmone cum peccato fuerint scita. Item licebit seruare influxus astrorum, quamvis à dæmone cum peccatu fuerint habiti. Item licebit vti Rhetorica, vel Philosophia, &c. quamvis à dæmone cum peccato fuerit percepta, quia hæc omnia sunt naturalia, & iam ampliùs non exercetur societas cum dæmone, sicut neque exercetur à discipulo societas cum Magistro, si quæ didicit à Magistro, docet alios postea, tanquam Magister.

At quamvis licitè possis petere à malefico, quod 5
soluat maleficium, quando illud medio licito solui potest, & licitè petere ab eodem, vbi consistat maleficium, etiamsi id cum peccato à dæmone didicerit, non tamen etiam hæc eadem, quidquid in contrarium sentiat Brianconus *in collect. sup. 4. sent. q. 13. concl. 3.* licitè poteris petere à dæmone, quia omnis familiaritas, & amicitia cum dæmone est nobis interdicta: quapropter non est eadem ratio de malefico, ac de dæmone. Ideò enim possumus petere à malefico, vt licitè soluas signum maleficij, quia possumus habere societatem cum malefico, non autem cum dæmone, ideoque non possumus petere à dæmone, neque ea quæ licita sunt; quia petitio ipsa à dæmone est illicita: Vnde

neque

neque possumus petere à dæmone, quod esset nocere; quia per hoc ipsum aliqua societas exerceretur cum ipso: sed solùm possumus per modum contemptus, & obiurgationis arcere dæmonem à nocendo, & in hoc sensu solùm possumus verbo petere à dæmone, vt desistat nocere, sicuti dicebam *suprà, corollar. 2.* & tradunt Sotus *in 4. distinct. 34. quæst. vnica, art. 3.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. de superstitione, cap. 18. num. 5.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 41. num. 17.* Filliuccius *tract. 24. cap. 8. num. 192.* & Trullench. *lib. 1. in Decalog. cap. 10. dub. 13. n. 7.*

Non autem possumus alio modo petere à dæmone, quia non possumus precibus, vt per se patet; neque possumus imperio, quia dæmon (cùm ei non sit similis potestas in terra) non subijcitur imperio nostro, sed solùm in nomine, seu virtute Dei possumus ei imperare per exorcismi modum; & tunc ad depulsionem ipsius, non autem ad obsequium, vel auxilium nostrum, verbi gratiâ, quod detegat causam infirmitatis, vel aliquod remedium. S. Thomas 2.2. *q. 90. art. 2.* Caietan. *ibidem, art. 1.* Angel. *verb. adiuratio, num. 2. & 4.* Syluester *quæst. 7.* Tabiena *num. 6.* S. Antonin. *2. part. tit. 10. cap. 8.* Valentia 2.2. *disp. 6. quæst. 8. punct. 2. quæst. 2.* Nauarrus *in summa, cap. 11. num. 28.* Suarez *tom. 2. de relig. lib. 4. de adiuratione, cap. 2. num. 8.* Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 42. dubit. 13. num. 70.* Sanchez *lib. 2. moral. capite 42. num. 19.* Quia cùm ex dictis sit nobis interdictum omne commercium cum dæmone, non possumus vti eius auxilio, vel opera in vtilitatem nostram: Per hoc enim ipsum exerceretur aliqua societas, vel amicitia cum ipso.

Et hæc, quæ dixi, locum habent, etiamsi infirmus esset dispositus ad tentanda media illicita (v.g. consulere maleficos, vel quid simile;) quia propter vitandum vnum malum non est faciendum aliud malum (præsertim si hoc aliud malum liberè eligatur, sieque ex culpa, & malitia propria) cùm non sint facienda mala, vt eueniant bona.

Neque dici potest, quod societas, vel amicitia cum dæmone non sit de se mala, solùm quia à Deo prohibita, vt proinde graui necessitate vrgente, cessare censeatur prohibitio.

Respondetur enim (quidquid sit pro nunc de prima parte antecedentis) quod recursus ad dæmonem non sit vnicum, & necessarium medium ad obtinendam sanitatem, cùm possit illa meliùs obtineri à Deo, si ei qui petit, expediret; quinimmò nullo modo benè obtineri possit à dæmone, quia vt acerrimus hostis naturæ humanæ, quidquid in beneficium nostrum operari videtur, reuera non in beneficium, sed in damnum nostrum (saltem spirituale, quod multò maius) semper operatur.

Sequitur tertiò, quod adhuc licitum sit destruere maleficij signum, quamvis sublato maleficij signo, debeat in ipsum maleficum aliquod damnum redundare, eo quòd scilicet ita dæmon cum ipso malefico pactus fuerit; quia maleficij signum auferens nulla ratione ad malefici damnum concurrit, sed solùm sibi consulit auferendo signum: quapropter damnum, quod malefico sequitur, est præter intentionem eius, qui signum aufert; nec damnum sequitur ex illa signi oblatione, sed ex dæmonis pacto, cui pacto qui maleficij signum aufert, nullo modo cooperatur: Quæ ratio concludit, idem dicendum esse, tametsi damnum illud, malefico scilicet ita paciscente cum dæmone, in tertium redundaret; quia qui maleficij signum aufert, nihil ad damnum illud cooperatur, sed tantùm se defendit, ablato sibi nocente; nec tenetur damnum alterius cum suo damno vitare. Vide *suprà sect. 1. dict. 1. circa finem.*

8 Quod si præter signi ablationem aliqua actio positiua maleficum damnificans necessaria esset, vt maleficiatus incolumis euadat, non erit licitum auctoritate priuata illam exercere; erit tamen licitum auctoritate publica (si in illa actione nullum dæmonis pactum insit) cùm auctoritatis publicæ sit liberare innocentes, etiam cum damno nocentium: sic DD. quos sequitur Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 96. num. 5.*

Sequitur 4. quod non solùm licitum sit destruere 9 maleficij signum, sed etiam teneatur maleficus, vel quicumque alius, qui nouit, id efficere; ille quidem tanquam damnificator, lege iustitiæ; hic autem, si commodè potest, lege charitatis, nisi sit minister iustitiæ; quia tunc etiam (cùm teneatur ex officio) tenebitur lege iustitiæ: sic DD. quos sequitur Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. de superstit. c. 17. n. 13.* & ego dicebam *cit. sect. 1. dict. 1. in fine.*

Sequitur 5. quod si ex maleficio secutum sit aliquod 10 damnum, teneatur maleficus integrè totum illud damnum resarcire, quia licèt damnum illud intulerit dæmon, causa tamen fuit maleficus, dæmonem ad id incitans: sic DD. quos sequitur idem Suarez *citato c. 17. n. 13. & c. 14. n. 12.*

Sequitur 6. quod propterea maleficus ad maleficij 11 signum destruendum cogi possit à iudice; ita DD. quos citat idem Suarez *citato lib. 2. de superstitione, cap. 18. num. 7. & seqq.* Quod adeò verum est, vt Iudex etiam ex iustitia teneatur illum cogere, cùm ex officio teneatur cogere quemlibet ad damnum resarciendum, quod alteri iniustè intulit. Vide *dict. sect. 1. dict. 1. in fine.*

Sequitur 7. quod ad pactum cum dæmone initum rescindendum, licitum etiam sit signum positiuum contrarium apponere, dummodo ea se sit licitum, vel saltem indifferens: verbi gratiâ, si dæmon cum malefico pactus fuisset, quod ipse sit nociturus, nisi maleficiatus postea se cruce signet, vel corpus suum lauet, poterit tunc licitè maleficiatus se cruce signare, vel corpus suum lauare, non animo, & intentione sanandi positiuè eo modo, vel opera dæmonia; sed animo, seu intentione tollendi signum, & dissoluendi pactum de nocendo, cum dæmone à malefico initum; quia huiusmodi intentio est bona, & medium est licitum, vel saltem de se indifferens, ac supposita dæmonis malitia, bonum; cum solùm sit ad auferendum incentiuum mali contra seipsum: & parum refert, vtrum ablatio signi fiat per actionem positiuam alterius rationis, an non, sicuti *eadem sect. 1. dict. 1. in fine, & sectione præcedenti, in responsione ad 10. obiectionem*, dicebam cum Syluestro *verbo maleficium, quæst. vltima*, Suarez *tom. 1. de religione, lib. 2. de restit. cap. 17. num. 16.* & Martino Delrio *lib. 6. disquis. magicar. cap. 2. sect. 1. quæst. 1. vers. alij itaque.* Vbi relatam sententiam dicentium, licere vana vanis reijcere, quam tenent Ostiensis *cap. finali, num. 6. de frigidis,* & *ibi* Ioannes Andreas *n. 16.* & alij apud Sanchez *de matrim. lib. 7. disput. 95. n. 2.* intelligendo, licere vana vanis, idest indifferentibus, reijcere; quam tamen eandem sententiam impugnant alij, quos refert idem Sanchez *loco suprà cit. num. 3.* declarat cum Syluestro, & aliis *vbi suprà*, id licere quando quis indifferentia faceret, vel adhiberet, experiri volens, vel credens, maleficium solui non dæmonis operatione, sed dæmonis cessatione ab operando, eo quòd scilicet sciret, dæmonem cum malefico pactum fuisse, vt tunc à nocendo ipse dæmon cessaturus sit; quia tunc (vti dicebam) supposita dæmonis malitia, non sunt indifferentia, sed bona, atque adeò licita, & meritoria.

Sequitur 8. quod licitum etiam sit retinere cogni- 13 tionem aliquam, vel bonum naturale aliquod, quodcumque illud sit, siue sanitas, siue pecunia, &c. à dæmone acquisitum, ita vt illorum vsus sit licitus (dummodo ipsorum conseruatio iam non dependeat à

dæmone) sicuti probabam *suprà Coroll.2. & sect.1. dicto* 1. & probabo etiam *infrà Coroll. sequenti.*

Circa tamen bona externa, vt diuitias, &c. à dæmone acquisita, videndum omninò est, vtrum sint certa, an potiùs apparentia. Solent enim sæpè sæpiùs apparentia esse, ac postea in carbones conuerti, vel omoinò euanescere: Quare, nisi satis probabata vanitas illorum bonorum fuerit, ipsorom vsus licitos non erit. Solet etiam dæmon, veras malefico pecunias daturus, subripere aliis; quare si id constiterit, tenetur recipiens eas veris dominis restituere; quia tametsi Deua permiserit dæmoni sobreptionem illarum, non tamen eam permisit auferendo dominium vero Domino, sicut nec illud aufert, quando permittit, quod homini ab homine subripiantur.

14 Cæterùm, quia vix sciri potest, dæmonem alicui illas subripuisse (cùm potuerit ex maris profundo, vel ex aliquo thesauro sub dominio nullius existente recipere) propterea donec de furto non constiterit, poterunt licitè retineri: sic DD. quos sequitur Suarez *citata lib.2. de superstitiona, cap.17. num.3.*

15 Sequitur nonò, quod nunquam, ob quemcunque bonum finem, licitum sit maleficio vti; quia auxilium dæmonis per maleficium inuocare, est intrinsecè malum, sicuti etiam *citata sect.1.* ex communi sententia Doctorum probabam: vbi subdebam, posse iudices licitè ob curiositatem, vel ob verificandum crimen, vel ob quemcunque alium bonum finem efficere, quod maleficus coram ipsis maleficij aliquod opus exerceat, v.g. aliud maleficium soluat, vel stryges voctione quadam linitas per aëra ferri, vel subitò ibi vanas apparere, vel quid simile faciat, quia est quid intrinsecè malum, vti dicebam. Vide etiam quæ dicam *infrà sect.5. per totam.*

16 Objicies textum *in l. eorum, Cod. de maleficis*, & textum *in l. Regia finali, tit.23. part.7.* quatenus ibi dicitur maleficium ob bonum finem (ne v.g. fructos terræ vi ventorum, vel grandinum absumantur) excusari: Ergo.

Respondetur, Textus hos intelligi quod maleficus in tali casu excusetur à pœna in foro externo, non autem à culpa in foro interno, seu pœnitentiæ, aliàs continerent errorem intolerabilem. Bartolus, & Saliceetus ibi: Suarez *tom.1. de relig. lib.2. de superstitione, cap.24. n.14.* Gregorius Lopez *in l.3. tit.23. art.7.* Azcued. *lib.8. recopilat. tit.1. leg.5. n.23.* Sanchez *de matrim. lib.7. disp.95. n.1.* Azor. *in summa, tit. de malef.* & Fagundez *precept.1. Decalog. lib.1. cap.42. n.6.* quia cùm ad ius ciuile non spectet regere conscientiàs, sed tantùm curare publicam vtilitatem temporalem, & politicam, permittit plura, quæ sine peccato exerceri non possint, eo quòd scilicet vel sunt vtilia, quatenus auertuot maius malum, vel saltem non sunt nociua.

17 Ob quemcunque igitur bonum finem maleficium nunquam est licitum, sed vtroque iure prohibitum. Et quidem quatenus spectat ad ius ciuile, est Textus *in l. 1. Cod. de thesaur. lib.10.* vbi præter alios tradit Odofr. nec obstat dicta *l. eorum*, quia præterquam quod, vti dicebam, loquitur de pœna in foro externo, non dicit, tales incantationes fieri posse ob bonum finem opera dæmonis, sed posse quæri remedia vtilia, scilicet licita, ne iura iuribus sint contraria, non autem remedia inuocatione dæmonis: quod est prohibitum, vti præter alios ait Angelus *in dict. l. eorum*: & sic intelligi debet Scotus *in 4. dist.24. q.1.* vbi tenet esse licitum, quinimmò meritorium, tollere maleficium cum intentione curandi maleficiatum: quod fieri potest per destructionem signi, si forsan sciri illud potuerit; non autem dicit, maleficium tolli posse mediante alio maleficio. Quapropter falsò ab aliquibus allegatur Scotus quoad hoc: nec Hostiensis dicit, maleficium posse tolli alio maleficio, sed posse tolerari, vt vana vanis, quæ sicuti suprà dicebam, supposita dæmonis malitia, sunt bona, non tamen illicitis tollantur: Et quatenus spectat ad iua Canonicom, est textus *in cap. admoneat, 26. q.7.* vbi prohibetur, quod remediia dæmonis recuperari possit, & Abbas *in cap.2. per illum textum, de Sortilegiis*, vbi Pontifex potiùs patitur, quod Ecclesiæ Rumaoæ bona furto ablata perdantur, quàm quod per huiusmodi remedia recuperentur.

Et quod etiam potiùs sit tolerandum maleficium, quàm quærendum dæmonis auxilium, est textus *Deuteron. cap.18.* vbi scriptura sacra præcipit, quod interficiatur is, qui magos consulit.

Et quod tandem non sit, præcipuè scilicet, quærendum aliud remedium, quàm diuinom per bona opera, ieiunia, & peccatorom confessiones, tradunt S.Thomas *in 3. dist.24. q.3. ad 3.* Ioannes Maior *in 4. dist.34. q.2.* quos sequitur Turrecremata *in cap. si per sortilegia, 33. q.1.* Non enim, subdit ipse, licitum est inuocare auxilium dæmonis etiam pro mille cor- a
porum sanitate; quia minus detrimentum est, quod pereant mille corpora, qoàm quod pereat vna anima, sicuti probat textus *in cap. admonet, 26. q.6.* dicens, quod hæc omnia sint dæmonis laquei, & insidiæ, quibus ille perfidus hostis naturam humanam decipere conatur.

SECTIO IV.

Quænam remedia adhiberi possint contra maleficium?

SVMMARIVM.

1 *Contra maleficium adhiberi possunt remedia naturalia, supernaturalia, seu Ecclesiastica, & moralia.*

2 *Naturalia remedia frequenter vim habent, & virtutem medicam, quia facilè dæmon, si velit, illarum actionem eludit: bonum tamen est, illa in principio experiri, & ex consilio medicorum adhibere ea, quæ ipsi ex symptomatibus opportuna indicabunt.*

Huc spectant ea, à quibus dæmon abhorret, vt signis.

3 *Remedia supernaturalia, seu Ecclesiastica, sunt multa, quorum primum est fides, & fiducia in diuina protectione; nihil enim potest dæmon in illos, qui spem, & fiduciam habent in Deum.*

4 *Remedium secundum supernaturale est susceptio baptismi, si nondum susceptus fuerit; quia per baptismum exuimus veterem hominem, quem dæmon induit; & induimus Christum Dominum, efficimurque eius membra, & filij.*

5 *Tertium remedium est peccatorum confessio, quia frequenter dæmoni potestas à Deo in hominem permittitur ob peccata, quibus deletis, potestas illa dæmonis à Deo permissa euanescit.*

6 *Quartum remedium est Sanctissimæ Eucharistiæ sumptio, vel eius præsentia; quia nulla conuentio lucis ad tenebras, nec Christi ad Belial.*

7 *Quintum remedium sunt Ecclesiæ exorcismi; quia in Ecclesia specialiter instituti sunt à Christo Domino, vel vt alij volunt, ab Apostolis, ad dæmones ejiciendos, & arcendos.*

8 *Sextum remedium est aqua benedicta, quia & hæc vim habet ad dæmonis infestationes, & machinationes auertendas.*

9 *Septimum*

9 *Septimum sunt Sanctorum Reliquia, & alia res ab Ecclesia benedicta, vt Agnus Dei, Cerei sacri, Panes, & sal benedictum, & similia.*

10 *Octauum est signum Crucis; quia & hoc etiam aduersùs omnes damonis infestationes vim magnam habet multis de causis.*

11 *Primò, quia continet tacitam inuocationem sanctissima Trinitatis per meritum Passionis Christi.*

12 *Secundò, quia continet principalis doctrina Christiana professionem.*

13 *Tertiò, quia Crux est Instrumentum, quo Christus damonem vicit, eiusque potentiam confregit, ingerit que damoni memoriam ignominia, quam per eam accepit.*

14 *Crucis signum tribus modis vim habet: Primò, in modum inuocationis: Secundò, tanquam opus fidei, & professio Religionis Christiana: Tertiò, ratione diuina virtutis ex ordinatione diuina existentis.*

15 *Idem dicas de reliquis caremoniis Ecclesiasticis, cùm ha nihil aliud sint, quàm professiones tacita veritatum fidei.*

16 *Nonum remedium est Inuocatio IESV, Beata Virginis, Angeli Custodis, vel aliorum Sanctorum Nominis.*

17 *Decimum est oratio, prasertim si ieiunio coniungatur; quia sic valet etiam ad pessimum quoddam genus demoniorum expellendum, vt patet ex Mat*chæi 17.

Qua igitur dixi, multùm valent ad placandum Deum, vt vel sic dignetur coërcere Damonem, ne plus vexet.

18 *Moralia remedia sunt, qua pertinent ad pactum cum damone dissoluendum, quando damon ex pacto nocet.*

1 RESpondetur: adhiberi posse remedia naturalia, supernaturalia, seu Ecclesiastica, & moralia. Est sententia communis Doctorum.

2 Naturalia sæpè sæpiùs vim, & virtutem modicam habent, quia facilè dæmon, si vult, illorum actionem eludit; quia tamen forsan dæmon id facere à Deo non permittitur, bonum est illa in principio experiri, bonumque est etiam, ex consilio Medicorum adhiberi, quæ ab ipsis Medicis ex symptomatibus opportuna iudicabantur, vt si sit indicium veneni, si abundet humor melancholicus, biliosus, vel alius (quo dæmon in hac affectione vti videretur) si alicui parti corporis intemperies fuerit illata, vel quid simile, &c. vt sic à corpore depellantur praui humores, quibus vtitur dæmon ad vexandum, sicque etiam subtrahatur dæmoni materia vexandi, seu nocendi.

Huc spectant illæ aliæ res, à quibus dæmon abhorret, vt signis; sicut enim dæmon delectatur quibusdam rebus (v.g. crapulis, luxuriis, porcis & locis fœtidis) tanquam signis: sic etiam abhorret à quibusdam aliis rebus (v.g. à ruta, à fumo ex pelle combusta, & similibus) tanquam à signis, iuxta ea quæ dicebam *in 1. p. S. Thoma, in tract. de Angelis.* Et videri poterunt Parisiensis *lib. 7. de vniuersit.* Carthusian. *in cap. 8. Tobia,* Vales. *de sacr. Philosoph. cap. 28.* Lemnius *de occult. miracul. natur. lib. 2.* Victoria *relect. de Magia, q. 6.* & alij quos citat, & sequitur Martinus Delrio *lib. 6. disquis. magic. cap. 2. q. 3. sect. 2.*

3 Supernaturalia, seu Ecclesiastica sunt multa, quorum primum est magna fides, & fiducia in diuina protectione, ex Psalm. 90. *qui habitat in adiutorio altissimi in protectione Dei cœli commorabitur, &c.* ex quibus verbis psalmi satis elatè colligitur, nihil posse dæmonem in illos, qui spem, & fiduciam habent in Deum. Et videri poterit S. Greg. *lib. 1. Dialog. p. 4.*

4 Secundum est susceptio Baptismi, si nondum susceptus fuerit; quia per baptismum exuimus veterem hominem, quem dæmon induit, & induimus Christum Dominum. Et per Baptismum etiam efficimur eius membra, eius filij & domestici, & transferimur de potestate tenebrarum in regnum filij Dei, sicuti Apostolus scribit *ad Colossenses* 1.

Tertium, peccatorum confessio; quia sæpe sæpiùs dæmoni potestas à Deo in hominem permittitur ob peccata, quibus deletis, potestas illa dæmonis in hominem à Deo permissa euanescit; quibus autem permanentibus, frustra remedia alia adhibentur: quapropter, qui maleficio vexatur, siue in se, siue in rebus suis, quamprimùm accuratam peccatorum suorum confessionem, & vitæ suæ emendationem procurare debet. Videri poterit Petrus Cluniacensis *lib. 1. de miraculis, cap. 6.* 5

Quartum, sanctissimæ Eucharistiæ sumptio, vel eius præsentia; quia nulla conuentio lucis ad tenebras, nec Christi ad Belial. Hoc pacto multa maleficia fuisse curata, & domum quandam, oblato in ea sacrificio, ab infestatione dæmonum fuisse liberatam, legitur *in vita Sancti Bernardi, lib. 1. cap. 10.* & tradit S. Augustinus *de Ciuitate Dei, lib. 22. cap. 8.* 6

Quintum, Ecclesiæ Exorcismi (quorum alij in Ecclesia instituti sunt ad expellendum dæmonem à corporibus humanis; alij ab infestatione Ædium, alij ad illum compescendum, ne damna per tempestates, vel per aliud medium inferat) quia in Ecclesia specialiter instituti sunt à Christo Domino, vel (vt alij volunt) ab Apostolis ad dæmones ejiciendos, & coërcendos, sicuti patet ex Concilio Carthaginensi 4. *cap. 7.* & ex Cypriano *epist. 2. & 55.* & ex aliis Sanctis Patribus. 7

Sextum, aqua benedicta; quia & hæc vim habet ex Ecclesiæ precibus, per quas factum est, vt quodammodò ipsi insideat diuina quædam virtus ad dæmonis infestationes, & machinationes auertendas: sic DD. & Sancti Patres communiter. 8

Septimum, Sanctorum Reliquiæ, & res aliæ ab Ecclesia benedictæ, vt Agnus Dei, cerei sacri, panis & sal benedictum, & similia: sic DD. & Sancti Patres, etiam communiter. 9

Octauum, signum crucis; quia & hoc etiam aduersùs omnes dæmonis infestationes, & machinationes vim magnam habet. Chrysostomus *homil. 8. in epist. ad Colossenses*, Cyprianus *sermone de Passione Domini*, & Lactantius *lib. 4. cap. 27.* 10

Primò, quia continet tacitam inuocationem Sanctissimæ Trinitatis per meritum Passionis Christi: sicut enim voce, sic & actione, seu gestu Deum inuocare, & mentem nostram exprimere possumus. 11

Secundò, quia continet principalis doctrinæ Christianæ professionem: significat enim (præsertim si adiungatur formula, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, qua prædictum signum crucis fieri solet) Deum vnum in essentia, & trinum in personis, pro nobis incarnatum, passum, & mortuum esse. 12

Tertiò, quia crux est instrumentum, quo Christus dæmonem vicit, eiusque potentiam confregit, ingeritque dæmoni memoriam ignominiæ, quam per crucem accepit. 13

Quapropter tribus modis signum crucis vim habet: Primò in modum inuocationis: Secundò, tanquam opus fidei, & Professio Religionis Christianæ: Tertiò ratione diuinæ virtutis ex ordinatione diuina assistentis, cùm etiam in infidelibus crux vim habeat, sicuti patet de Iuliano Apostata *ex Historiis Ecclesiasticis*, & tradit S. Gregorius *lib. 3. Dialog. c. 7.* 14

Idem simili modo dicas de reliquis cæremoniis Ecclesiasticis, cum hæ nihil aliud sint, quàm Professiones tacitæ veritatum fidei, & sacræ precationes, quæ animum excitant ad maiorem Dei reuerentiam, & deuotionem. 15

16 Nonum, nominia *IESV*, *Beatæ Virginis*, Angeli custodis, vel aliorum Sanctorum innocatio; sic DD. & Sancti Patres etiam communiter.

17 Decimum, oratio, præsertim si ieiunio coniungatur; quia sic valet etiam ad pessimum quoddam genus dæmoniorum expellendum, vt patet *ex Matthæi* 17. & videri poterit S. Gregorius *cit. lib. 3. Dialog. cap. 33.* & Martinus Delcio *lib. 6. disquisit. magic. cap. 2.*

Si igitur adhibeantur Sacramenta Christi, opera pœnitentiæ, Exorcismi Ecclesiæ, vel alia ex iis, quæ suprà dicebam, multùm adiuuabunt ad placandum Deum, vt sic misericorditer dignetur coërcere dæmonem, ne ampliùs vexet; cum sint à Deo ad bunc finem consequendum ordinata, sicuti constat ex vsu Ecclesiæ, & *ex cap. finali*, 33. q. 1.

18 Moralia remedia sunt, quæ pertioene ad pactum cum dæmone dissoloendum, quando dæmon ex pacto nocet: quod fit amouendo, vel destruendo signa magica, ad quorom præsentiam dæmon noxam infert, de quibus iam suprà satis dictum est.

SECTIO V.

Proponuntur Corollaria.

SVMMARIVM.

1 *Maleficium ad tollendum præter dicta remedia, si adhibeantur alia media, quæ nullo modo conducunt ad effectum, sunt superstitiosa, atque adeò illicita, vtpote vana, de quibus delectatur dæmon; quia non refert quare dæmon aduocetur, modò aduocetur; quandoquidem culpa est in aduocando, non ex re, quæ inuocatur, si ex se iniqua non sit.*

2 *Neque licet cuipiam vti rebus prædictis, quando putatur, dæmonem cessare ab operando, & vexando, stante earundem vsu ex pacto; quia hoc esset consentire in pactum initum cum dæmone.*

3 *Iudices cogere non possunt maleficum, vt benedictione aliqua liberet à maleficio eos, quos ligauerit: id enim faciendo peccant mortaliter; quia si illa benedictio de se, vel supernaturaliter haberet virtutem destruendi maleficium, esset adhibenda vel à Sacerdote, vel ab aliquo alio Religioso viro.*

4 *Rebus de superstitione dubiis, etiam cum protestatione non consentiendi in pactum implicitum, seu non vtendi, quatenus sunt vana, & superstitiosa, etsi effectus obtineatur à dæmone, sed solùm quatenus sunt licita, etsi effectus obtineatur à Deo, in dubio secundùm aliquos vti non potest; secus tamen dic, deposito dubio, quia est positiuè probabile, quod non interueniat pactum.*

5 *Protestatio quando auertit animum à facto, iuuat protestantem; quia facit quod consentiat in id, à quo auertit animum per ipsam.*

1 EX dictis seqoitur, quod si ad tolleodum maleficium præter dicta remedia adhibeantur alia media, quæ nullo modo cooducunt ad effectum, sint superstitiosa, atque adeò illicita, vtpore vana, de quibus delectatur dæmon. Sprenger. *in Malleo malef. part. 2. cap. 6. vers. De secundis verò remediis*, Gaëta *in repet. cap. Ad limina*, 30. q. 1. §. 4. q. 236. n. 541. Mart. Delrio *lib. 6. disquis. magic. cap. 2. sect. 1. q. 2. vers. Alij itaque*, & Philiarc. *de offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 3. cap. 12. concl. 4.*

Videri etiam poterit Syluest. *lib. 2. de strygib. c. 10. punct. 1. circa finem*, vbi expressè ait, quod non liceat cuipiam vti rebus vanis, & indifferentibus, si superstitioso modo adhibeantur; quia omnia remedia, quæ ex natura sua non conducunt ad talem effectum, sunt sopeistitiosa, & illicita, *cap. illud*, 26. q. 2. subditque, quod à fortiori non liceat cuipiam vti prædictis rebus, si credatur ad ipsarum vsum dæmonem dissoluere maleficium, sed esse id culpam mortalem; quia oon refert, qua re dæmon aduocetur, modò aduocetur: quandoquidem culpa est in aduocando, non ex re, qua inuocatur, si ex se iniqua non sit.

Neqoe dicas, licere cuipiam vti rebus prædictis, 2
quando putatur, dæmonem cessare ab operando & vexando, stante earundem vsu ex pacto (quod initum sit inter maleficum, & dæmonem de cessatione) quando hoc vel illud fiat, quia hoc esset consentire in pactum initum cum dæmone, & per tale signum aduocare dæmonem, vt soluat maleficium, non secus ac si aliud maleficium adhiberetur: quandoquidem hoc pacto oon cogeretur dæmon cessare à vexatione, sed ipse sponte cessaret, ratione pacti initi cum malefico.

Hinc etiam sequitur, qnod non possint iudices co- 3
gere maleficum, vt benedictione aliqua liberet à maleficio eos, quos ligaverit, sed id faciendo peccent mortaliter; quia si illa benedictio de se, vel supernaturaliter haberet virtutem destruendi maleficium, esset adhibenda vel à Sacerdote, vel ab aliquo alio viro religioso; quapropter cùm sit adhibenda à malefico, signum est, quod non liberet à maleficio, nisi io virtute alicuius pacti initi cum dæmone: Erit igitur illa execranda, tanquam adducens dæmonem ad soluendum maleficium; quinimmò etiam ipse maleficus benedicens peccaret mortaliter, quia de nouo aduocaret dæmonem: Et consequenter maleficiatus similiter (si consentiret, quod tali pacto auferatur maleficium) peccaret etiam mortaliter; quia consentiret in vsum rei operantis ex pacto inito cum dæmone. Martinus Delrio *lib. 6. disquis. magic. cap. 2. sect. 1. q. 2. vers. Infertur* 1. Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 95. n. 10.* Fagundez *precept. 1. Decalogi, lib. 1. cap. 42. n. 8.* Filliuc. *tract. 24. cap. 8. q. 4.* & Trullench. *lib. 1. in Decalogum, cap. 10. dub. 13. n. 6.*

An autem maleficiatus sciens possit permittere, quod tali pacto maleficium soluatur?

Respondetur, qood de hac re constat ex dictis suprà.

Item an, & quid dicendum, si in dubio quis 4
vtatur rebus suspectis de superstitione. Et quid, si vtatur cum protestatione, non consentiendi scilicet in pactum implicitum, seu non vtendi illis rebus (quatenus sunt vanæ, & superstitiosæ, & si effectus obtineatur à dæmone) sed solùm vtendi prædictis rebus, quatenus sunt licitæ, & si effectus obtineatur à Deo.

Respondetur, qnod quamvis nonnulli, quos sequitur Raphaël de la Torre *in sum. q. 96. art. 1. disp. 1. assert. 4.* dicant, non posse io dubio adhiberi res illas, quas ex pacto implicito cum dæmone operari dubitatur, intelligendum tamen sit id, si non deponatur dubium; quia deposito dubio, est positiuè probabile, quod non interueniat pactum; quinimmò absolutè posse res prædictas adhiberi cum protestatione, tradunt sic Caietanus *in sum. verb. Incantatio*, §. *quarta excellentia*, & Fagundez *precept. 1. Decalog. lib. 1. c. 55. num. 6.* quia in hoc casu protestatio non est contraria facto, sed auertit animum à facto; siquidem factum non est superstitiosum ex natura sua, sed solùm ex pacto inito cum dæmone, ac proinde superstitio est separabilis à pacto, sicque poterit quis consentire in factum, & mediante protestatione auertere animum à superstitione, iuxta ea quæ habentur *in l. non solùm*, §. *morte*, *ff. de nou. oper. nunciat.* Et dicebantur *suprà dub. præced. sect. 15. & 26.*

Quando autem protestatio auertit animum à facto 5
pro

protestatio iuuat protestantem; quia facit, quod consentiat in id, à quo auertit animum per ipsam. Rub. *in d.l. Non solùm, §. morte, n.* 349. Ripa *in cap. Cùm M. Ferrariensis, n.* 70. *&* 83. *de Constitution.* Bursat. *consil.* 214. *n.* 16. *lib.* 2. & Rota *decis.* 218. *n.* 6. *part.* 5. *Recent.* Quapropter, stante dubio de superstitione, excluditur consensus in ipsam; & ponitur, non obstante dubio de superstitione, fundamentum ad deponendam conscientiam dubiam circa vsum talis rei; quia per protestationem excluditur consensus in superstitionem: Ideoque formari poterit dictamen, quod liceat illa re vti, excluso consensu in superstitionem. Vide quæ dicebam *sect.* 1. *dicto* 3. & quæ dicebam *dub. praecedenti, sect.* 15. *& sect.* 26.

SECTIO VI.

An, & quomodo procedatur contra Maleficos, Sortilegos, Magos, &c.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores, licèt de Iure veteri non habuerint Iurisdictionem nisi super maleficia, & sortilegia, quæ saperent hæresim manifestè; de Iure tamen nouo Bullæ Sixti V. habent iurisdictionem super omnia maleficia, sortilegia, &c. Itaut de Iure nouo cognoscant, & procedant contra omnes maleficos, sortilegos, &c. etiamsi non sapiant hæresim.*

2 *Præuentioni locus datur, secundùm aliquos Doctores, in prædictis maleficiis, & sortilegiis, si non sapiant hæresim; quia Bulla Sixti non est vbique vsu recepta, & ideò iurisdictio Inquisitorum est cumulatiuè cum laïcis iudicibus.*

3 *Inquisitores possunt procedere in dictis criminibus; etiamsi sit dubium, an contineant hæresim; quia Iudex etiam delegatus cognoscit, an sua sit Iurisdictio.*

4 *Delinquens maleficio, diuinatione, vel sortilegio sapiente hæresim manifestam, quia significat tali delicto se credere, quod res sacræ in prædictis vim habeant, debet de hac credulitate diligenter examinari, & si neget, debet torqueri, & si tortus non fateatur, debet tanquam vehementer suspectus, adhuc de vehementi abiurare.*

5 *Delinquentes supradicti possunt, spectata qualitate personarum, coërceri anathemate, dignitatum suspensione, verberibus, exilio, carcere, monasteriis, aliisque suppliciis. Possunt etiam induti mitra infami in publicum produci, vel cum vituperatione propè fores Ecclesiæ constitui.*

6 *Delinquentes prædicti, si sint ignobiles laïci, hodie de stilo Inquisitionis Romanæ solent ad triremes condemnari.*

7 *Sacerdos, qui super res ad sortilegia perpetranda inscendas, vel quomodocunque adhibendas Missam celebrat, vel vasibus, vestibus sacris, aut his similibus in sortilegiis abutitur, vel in celebratione sacrorum turpes preces porrigit, deponitur, beneficiis priuatur, & in perpetuam carcerem detruditur.*

8 *Sacerdos etiam, qui pro viuentibus, vt moriantur, Missas Defunctorum celebrat, Sacerdotio priuatur, & simul cum illo, qui id fieri consuluit, vel mandauit, ad exilium perpetuum mittitur.*

9 *Sortilegus, vel maleficus, &c. etiam hæreticus, & Ecclesiasticus, si fateatur se in sortilegiis, vel maleficiis, &c. homicidium commisisse, paratus tamen sic corrigi, non potest ab Inquisitoribus Curiæ sæculari tradi, sed debet ad reconciliationem admitti.*

10 *Secus tamen est ex Bulla Gregorij XV. edita die 20. Martij anni 1625. constito, quod quis pactum cum dæmone fecerit, & à fide apostatando sortilegiis, vel maleficiis, &c. vnam, vel plures personas ita laserit, vt ex sortilegio, vel maleficio, &c. mors secuta fuerit.*

11 *Sortilegus, vel maleficus, ex cuius maleficio mors secuta non sit, sed damnum aliquod, putà infirmitas, diuortium, impotentia generandi, vel etiam animalibus, frugibus, aut aliis fructibus damnum notabile, muro claudi, vel carceribus in Sancto Officio, vbi extiterit, mancipari debet.*

12 *Dicta de maleficis, & sortilegis, procedunt etiam in magis; quia si reperiantur habere errorem in intellectu, & ipsi etiam instar illorum puniuntur.*

SVppono, quod Inquisitores (licèt de Iure veteri 1
non habuerint Iurisdictionem, nisi super maleficia, & sortilegia, quæ saperent hæresim manifestè) de Iure tamen nouo Bullæ Sixti V. habeant iurisdictionem super omnia maleficia, sortilegia, &c. itaut de iure nouo cognoscant, & procedant contra omnes maleficos, sortilegos, &c. Raphaël de la Torre *in* 2. 2. *S. Thom. q.* 96. *art.* 4. Torreblanc. *de magia, lib.* 3. *c.* 9. *n.* 14. *& seqq.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 26. *q.* 4. Sanchez *lib.* 2. *moral. c.* 38. *n.* 92. Molfes. *in sum. tom.* 1. *tract.* 11. *c.* 7. *n.* 145. Zanard. *in direct. theolog. part.* 3. *c.* 64. Naldus *in Annot. pract. super cap. In Tabulis, de Sortilegiis,* & Scortia *in Bull. Pontif. epitom.* 58. *theorem.* 158.

Videatur etiam Ioseph Sesse *tom.* 4. *decis.* 464. *n.* 8. *& seqq. & decis.* 466. *n.* 416. *& seqq.* Quatenus ait: si non apparet, quod illa, quæ admiscentur in sortilegiis, sapiunt hæresim manifestè, sed est dubium, vtrùm talia sapiant hæresim, necne (veluti si qui conficit sortilegium, se conuertat ad ortum solis, vel proferat verba insitata, vel intelligibilia, & similia; adde tu, admisceat tanquam necessariam, circumstantiam quamcunque, quæ vana sit, seu ad rem non faciat; quia tunc cùm effectus expectari non possit à circunstantia tali, expectabitur à dæmone) non se intromittent Inquisitores de Iure; hodie tamen per motum proprium Sixti V. subsunt dicti sortilegi Inquisitoribus.

Videatur etiam Seraphinus Freytas *in additione* 2
ad Acuñam, quæst. 5. *n.* 35. quatenus inquit: Hodie Inquisitores ex constitutione Sixti V. cognoscunt contra omnes maleficos, sortilegos, &c. Adhuc tamen arbitror, quod si maleficia, diuinationes, vel sortilegia, &c. non sapiant hæresim, locus in tali casu sit præuentioni inter Iudices laïcos, & Inquisitores; sicque in tali casu iurisdictio Inquisitorum sit accumulatiuè ad Iudices laïcos, ex dicta constitutione Sixti V.

Quamvis alij, quos sequitur Scacc. *de Iudic. caus. lib.* 1. *c.* 12. *n.* 53. doceant quod hodie cognitio maleficiorum, sortilegiorum, &c. etiamsi non sapiant hæresim, spectet ad Inquisitores priuatiuè quoad Iudices laïcos, sicque maleficia, sortilegia, &c. etiamsi non sapiant hæresim, non sint mixti fori cum Iudicibus laïcis, ex eadem dicta constitutione Sixti V.

Cæterùm, quoniam vtrùm hæc constitutio Sixti V. sit vbique vsu recepta, dubitant Azorius *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 26. *q.* 4. Emmanuël Moura *de incantationibus, opusc.* 1. *sect.* 3. *cap.* 1. *n.* 9. & alij, videtur quod hodie etiam locum habere possit opinio Freytas supradicta, nempe quod si maleficia, diuinationes, vel sortilegia non sapiant hæresim, hodie etiam locus sit præuentioni inter Iudices laïcos, & Inquisitores; sicque hodie etiam Iurisdictio Inquisitorum sit accumulatiuè, non priuatiuè ad Iudices laïcos, non obstante dicta constitutione Sixti V.

An autem in dubio, vtrùm maleficium, vel sor- 3
tilegium, &c. sapiat hæresim manifestè, potuerint Inquisitores se intromittere de Iure veteri? (Dixi de

Iure

Iure veteri, quia de iure nouo constitutionis Sixti V. quod possint, clarum est ex supradictis.

Respondetur, quamvis negandum videatur, per textum *in cap. Accusatus*, §. *fanè*, quandoquidem talis textus, vt ait Syluester *verb. hæresis, n.4.* non potest intelligi de dubio, an factum sit perpetratum, necne, sed de dubio, an illud sapiat hæresim. Contrarium tamen iure, ratione, & vsu comprobatum est; quia Iudex, etiam delegatus, cognoscit an sua sit iurisdictio. Tum quia, si contraria sententia fuisset amplectenda, inquisitorum cognitio facilè subuerti potuisset, asserendo quodlibet maleficium, diuinationem, vel sortilegium, &c. non sapere hæresim manifestè. Videatur Peña *in direct. p. 2. comment.* 63. Simanch. *tit.* 30. *n.* 21. & Acuña *de confessar. sollic. q. 5. n.* 13. His suppositis,

4 Respondetur, loquendo quoad abiurationem: si maleficium, diuinatio, vel sortilegium, &c. sapit hæresim manifestè, is qui sic delinquit, quia sic delinquendo significat se credere, quod res sacræ in maleficio, diuinatione, vel sortilegio adhibitæ vim habeant ad operationem maleficij, diuinationis, vel sortilegij, debet de hac credulitate diligenter examinari, & si neget, debet torqueri, & si tortus non fateatur, debet tanquam vehementer suspectus, adhuc de vehementi abiurare. Peña *in director. Inquisit. p. 2. comment.* 67. Scacc. *de iudic. lib. 1. c.* 15. *n.* 34. Mart. Delrio *in disquis. magic. lib. 5. sect.* 15. §. *dice* 3. Raphaël de la Torre *in 2. 2. S. Thomæ, q. 96. art. 4. disp.* 5. Zanardus *director. Theolog. p. 3. cap.* 64. & Ioseph Sesse *tom. 4. decis. 466. n. 9.*

Videatur etiam Genuensis *in praxi Archiepisc. c.* 61. *num.* 8. quatenus inquit, quod si quis sit suspectus vehementer, v. g. quia admiscuit Sacramentalia in sortilegiis, torquetur pro vlteriori veritate super intentione, & si neget, adhuc compellitur abiurare de vehementi.

Videatur etiam Emmanuël de Moura *de incantationib. opusc. 1. sect. 3. c. 5. n.* 32. quatenus ait, quod Miscentes in sortilegiis quælibet Sacramenta, sacramentalia, res, orationes, vel verba sacra, tanquam hæreticales, subjiciuntur Inquisitoribus pœna condigna puniendi; & si negent se credere, quod prædicta sacra vim habeant ad cogendum arbitrium, aut ad alios turpes effectus, aut alium errorem, debent adhuc abiurare de vehementi.

5 Loquendo verò quoad alias pœnas supradictis delinquentibus imponendas, dico: Possunt hi, spectata personarum qualitate, coërceri anathemate, dignitatum suspensione, verberibus, exilio, carcere, monasteriis, aliisque suppliciis: possunt etiam induti mitra infami, in publicum produci, vel cum vituperatione propè fores Ecclesiæ constitui. Simanch. *tit.* 21. *n.* 25. Peña *in director. Inquisit. part. 2. comment.* 67. & alij, quos sequitur Ioseph Sesse *tom. 4. decis. 466. n.* 13.

6 Quamvis hodie de stylo Inquisitionis Romanæ prædicti delinquentes, si sint ignobiles laïci, soleant ad triremes condemnari, Genuens. *in praxi Archiepisc. c. 68. n.* 8. videri etiam poterit Mart. Delrio *in disquis. magic. lib. 5. sect.* 16. Scortia *in Bull. Pontific. epitom.* 58. *theorem.* 158. & Sousa *in Aphor. Inquis. lib. 1. c. 58. n. 10. & seqq.*

7 Aduerte tamen hîc, quod Sacerdos qui super res ad sortilegia perpetranda miscendas, vel quomodocumque adhibendas Missam celebrat, vel vasibus, vestibus sacris, aut his similibus in sortilegiis abutitur, vel in celebratione sacrorum turpes preces porrigit, deponatur, beneficiis priuetur, & in perpetuum carcerem detrudatur: sic Doctores, quos sequitur Sousa
8 *loc. supr. cit.* vbi rectè subdit, quod Sacerdos, etiam qui pro viuentibus, vt moriantur, Missas defunctorum celebrat, Sacerdotio priuetur, & simul cum illo (qui id fieri consuluit, vel mandauit) ad exilium perpetuum mittatur.

Aduerte 2. quod sortilegus, vel maleficus, &c. 9
(etiam hæreticus, & Ecclesiasticus) si fateatur, se in sortilegiis, vel maleficiis, &c. homicidium commisisse, paratus sit tamen corrigi, non possit ab Inquisitoribus Curiæ sæculari tradi, sed debeat ad reconciliationem admitti, iuxta ea quæ dicebam *dubitatione* 206. *petitione* 6. & tradunt præterea Sousa *loco suprà citato*. Menoch. *lib. 1. centur. 4. cas.* 388. & Farin. *de hæres. q. 20. n.* 105.

Quamvis nouissimè Gregorius XV. in Bulla die 10
20. Martij, anno 1623. edita, mandauerit, vt constito, quod quis pactum cum dæmone fecerit, & à fide apostatando, sortilegiis, vel maleficiis, &c. vnam, vel plures personas ita læserit, vt ex sortilegio, vel maleficio, &c. mors secuta fuerit, etiam pro primo lapsu debitis pœnis puniendus Curiæ sæculari tradatur:
Qui verò similiter apostatando pactum cum dæmone, 11
vt præfertur, fecerit, & sortilegium, vel maleficium, &c. commiserit, ex quo, licèt mors secuta non fuerit, infirmitas tamen, diuortia, impotentia generandi, vel etiam animalibus, frugibus, aut aliis fructibus damnum notabile prouenerit, muro claudi, vel carceribus in Sancto Officio Inquisitionis, vbi illud extiterit, fabricandis mancipari debeat: Ita Pontifex in dicta Bulla.

Aduerte 3. quod quæ dicta sunt de maleficis, & 12
sortilegis, eadem dicenda sint de magis; quia isti etiam, si inueniantur habere errorem in intellectu, sicut malefici, & sortilegi puniuntur, vt hæretici formales: Si verò secus, abiurant de vehementi, & puniuntur eisdem pœnis, quas *suprà* dicebam, pro qualitate personarum, & circumstantiarum delicti.

SECTIO VII.

An sit maleficium, vel sortilegium, &c. sapiens hæresim, sicque hæreticale, inuocare dæmonem sine cultu, & honore, & sine mixtura rerum, vel verborum sacrorum, ad sciendum, vel obtinendum ea quæ dæmon viribus suis naturaliter scire, & præstare potest?

SVMMARIVM.

1 *Maleficium, vel sortilegium, &c. sapiens hæresim, sicque hæreticale est inuocare dæmonem sine cultu, & honore, & sine mixtura rerum, vel verborum sacrorum, ad sciendum, vel obtinendum ea, quæ dæmon viribus naturaliter scire, & præstare potest. Vbi vide plura exempla. Contra aliquos Doctores negantes, præsertim si fiat imperatiuè, & non deprecatiuè; quia includit saltem pactum implicitum antecedenter cum dæmone, & quandam dicit cum eo familiaritatem.*

2 *Hæreticus non est, qui dæmonem inuocat ad tentandam pudicitiam alicuius mulieris, vel ad quid aliud faciendum non alienum à potestate dæmonis; cùm hæresim non misceat, nec habeat errorem in intellectu, neque dæmoni se subjiciat: nihilominus aduersus illum inquiri potest tanquam contra vehementer suspectum.*

3 *Pertinet ad societatem dæmoniacam exigere à dæmone consilium, fauorem, aut quoduis officij genus, siue exactio fiat deprecando, siue imperando.*

4 *Amantes, si stimulis libidinis agitati dæmonem inuocent, vt is flectat animum illius personæ, quam amant, in turpem amorem, licèt communis videatur esse sententia, quod talis inuocatio non sapiat hæresim*

hæresim manifestam, præsertim si fiat per modum imperij; probabilior tamen est sententia contraria, hoc scilicet scelus ad hæresim magnopere præsumendam pertinere.

5 *Qui inuocat dæmonem etiam imperatiuè, & non deprecatiuè, licèt non abiuret de formali, quia præscindit ab errore intellectus; abjurat tamen, si non de vehementi, saltem de leui.*

1 VErbi gratiâ ad inueniendum thesaurum, ad sciendum an partus (iam in vtero formatus) nasciturus sit mas, vel femella, ad sciendum dictum, vel factum aliquod occultum præteritum, vel etiam præsens; ad tentandam pudicitiam mulieris, ad impediendum, ne ignis filum, vel aliam rem proiectam comburat, ad transferendum hominem, vel aliam rem de loco ad locum, ad inferendas ægritudines, ad ligandos sponsos, ad faciendum quod corpus mortuum appareat viuum per aliquod tempus, ad illuminandum cæcum, non quidem à natura (quod est solius Dei) sed ab impedimento, quod dæmon possit amouere; ad habendam scientiam per purgationem phantasmatum, & facilitatem sensuum, ad inducendas nebulas, tempestates, tonitrua, & similia?

Respondetur, quamvis negent Peña *in Director. Inquis. part. 2. comment.* 68. Oldrad. *cons.* 210. Afflictus *in constit. Regn. part. 1. rubr. 1. n.* 17. Locatus *in praxi Inquis. verb. apostata, n.* 13. Torreblanc. *de magia, lib. 3. c. 17. n.* 13. Genuens. *in prax. Archiep. c.* 18. *n.* 11. Scacc. *de indiciis, lib. 1. c. 12. n.* 39. Ricc. *in praxi, tom. 1. resol.* 424. *n.* 11. Ioseph Sesse *tom. 4. decis.* 463. *n.* 11. Binsfeldius *de malef. lib. 4. q. 2. concl.* 3. Belloch. *in prax. Theolog. moral. part. 2. q. 9. n.* 64. Lucerna Inquis. *verb. dæmones inuocare, n.* 2. & alij communiter: Præsertim si fiat imperatiuè, & non deprecatiuè, seu fiat verbis imperatiuis, & non deprecatiuis. Probabiliùs tamen, iuxta ea quæ dicebam *dub.* 195. *sect.* 42. affirmant alij, tum ratione antecedentis pacti, saltem impliciti, quia alioquin dæmon (cùm ex Iob non sit super terram potestas, quæ comparetur ei) non posset per imperium cogi, seu inuocari; tum ratione recursus, familiaritatis, & commercij cum dæmone; quia cùm sit hostis generis humani, & inimicus Dei, omne commercium, ex Mart. Delrio *in disquis. magic. lib. 5. sect. 15. §. dico* 5. & aliis communiter, est nobis interdictum, vt propterea meritò saltem leuem de hæresi, vel apostasia suspicionem inducat.

2 Atque ita tenet Bartholomæus Spino *Apol. 4. contra Ponzinibium*, Simancb. *tit.* 21. *num.* 13. quatenus ait: Sunt qui dicunt, non fore hæreticum illum, qui dæmonem inuocaret ad tentandam pudicitiam alienius mulieris, vel ad quid aliud faciendum non alienum à potestate dæmonis: nam vt aiunt, si dæmooi se non subjiciat, nec hæresim misceat, cùm non habeat errorem in intellectu, non erit hæreticus; sed quamvis hæc ita sint, tamen aduersùs illum inquiri poterit, tanquam contra vehementer suspectum: Ea enim ad apostasiam, & infidelitatem pertinent. Raph. de la Torre

3 *in 2. 2. S. Thomæ, q. 95. art. 4. disp. 1. assert.* 4. quatenus inquit: Pertinet ad societatem dæmoniacam exigere à dæmone consilium, fauorem, aut quodvis officij genus, siue exactio fiat deprecando, siue imperando. Homo-

4 bon. *de bonis in examin. Eccles. part. 1. tract. 7. c. 3. q.* 16. quatenus asserit: Si amantes stimulis libidinis agitati dæmonem inuocant, vt is flectat animum illius personæ, quam amant, in turpem amorem, licèt communis videatur esse sententia, quod talis inuocatio non sapiat hæresim manifestam, præsertim si fiat per modum imperij; probabilior tamen est sententia contraria, hoc scilicet scelus ad hæresim magnopere spectare. Farin. *tract. de hæresi, q.* 181. *n.* 88. quatenus tacitè retractans quæ dixerat *q. 20. n.* 80. subdit. Ex his infertur, non esse veram conclusionem, licèt communiter à Doctoribus receptam, quod hæreticale noo sit, à dæmone per modum imperij petere, vt alienam tentet pudicitiam; cùm huiusmodi instantia fieri non possit per modum imperij, prout Doctores contrarij, ad hoc vt cesset qualitas hæreticalis, requirunt. Et Zanard. *in Direct. Theolog. part. 3. c.* 64. quatenus tradit: contra sortilegos non hæreticales possunt Inquisitores procedere, tanquam contra suspectos de leui, ex amicitia cum pacto saltem implicito cum dæmone; quia sicuti subditus contrahens amicitiam cum hoste sui Principis, redditur de infidelitate suspectus; ita & qui cum dæmone fœdus, pactum, vel amicitiam cootrahit, aut ad eum facit recursum, etiam quoad ea, quæ sunt dæmoni propria, vel quoad ea, ad quæ se potest extendere dæmonis virtus, seu potestas.

Qui igitur inuocat dæmonem modo, quo suprà dicebam, etiam imperatiuè, & non deprecatiuè (licèt non abiuret de formali; quia ibi non est error intellectus, vti contingit in casu nostro; cùm solùm talis credat quod credere potest, scilicet dæmonem facere posse, quæ ipsi propria sunt, & ad quæ facienda naturalem virtutem habet) abiurabit tamen, si non de vehementi, saltem de leui: tum ratione pacti, saltem impliciti: tum ratione recursus, & commercij cum dæmone, quæ saltem leuem de hæresi, vel apostasia suspicionem inducunt, vti dicebam. Videatur ex Doctoribus *suprà citatis*, præcipuè Zanard. *vbi suprà*. 5

SECTIO VIII.

An sit maleficium, vel sortilegium, &c. sapiens hæresim, sicque hæreticale, miscere in maleficio, vel sortilegio, &c. hostiam non consecratam, dummodo super eam Missa fuerit celebrata? Vbi etiam quid dicendum de illo, qui in maleficio, vel sortilegio, &c. abusus fuerit Eucharistiæ Sacramento?

SVMMARIVM.

1 *Maleficium, vel sortilegium est sapiens hæresim, sicque hæreticale, miscere in dictis delictis hostiam non consecratam, dummodò super eam Missa fuerit celebrata. Contra nonnullos id negantes; miscet enim rem sacram, scilicet celebrationem Missæ, & sacrificio abutitur, estque puniendus pœnis suprà dictis, & abiurare debet de vehementi.*

2 *Qui in maleficio, vel sortilegio, &c. abusus est SS. Sacramento Eucharistiæ, traditur Curiæ sæculari ex sancti Officij ordinatione posita in fine operis iudicialis Inquisitorum.*

REsp. quoad primum, quamvis negent Grilland. *de sortil. q. 10. n. 16. &* 17. Torrebl. *de magia, lib. 3. c. 8. n.* 18. Raph. de la Torre *in 2. 2. S. Thom. tom. 2. q. 96. art. 4. disp. 2. tit. de qualificatione superstitionum*, & Farin. *de hæresi, q. 20. n.* 83. Meliùs tamen affirmant alij, quia qui sic miscet in maleficio, vel sortilegio, &c. super hostia (licèt non consecrata) miscet rem sacram, scilicet celebrationem Missæ: Ergo tale maleficium, seu sortilegium est sapiens hæresim, sicque hæreticale, non propter hostiam non consecratam, sed propter Missam super ea celebratam. Tum quia qui sic miscet, ordinat, licet mediatè, ad maleficium, vel sortilegium, &c. sacrificium Missæ illo abutendo; quinetiam & significando se credere, quod sacrificium Missæ vim habeat ad maleficium, vel sortilegium, &c. operandum. 1

Atque ita tenet Scaccia *de Indiciis, lib. 1. capit. 12. num.* 34. Sousa *in Aphorism. Inquisit. lib. 1.*

cap.17.n.11. quatenus ait: Arbitror, sortilegium, in quo ponitur, vel quod fit cum hostia consecrata, aut cum aliqua re, super quam Sacerdos Missam celebrat, hæresim sapere manifestè: & Emanuël Moura *de Incantat. opuscul.* 1. *sect.*3. *cap.*5. *num.*59. quatenus loquit: Est sortilegium sapiens hæresim manifestè, Sacerdotem celebrare Missam super hostiam non consecratam, ad effectum sortilegum, etiamsi talis effectus dæmonis potentiam non excedat; quia continet abusum sacrificij Missæ, & sanctissimæ Eucharistiæ.

Qui igitur sic miscet (modo scilicet, quo suprà dicebam) est puniendus pœnis supradictis *sect.*6. cum abiuratione de vehementi, etiamsi propter rationes ptimo loco dictas non crediderit, sacrificium Missæ habere vim ad maleficium, vel sortilegium, &c. operandum: quod dictum est contra nonnullos, quos sequitur Martinus Delrio *in disquisit. magic. lib.*5. *sect.*15. §. *dico quintò*, vbi distinguit, quod si qui sic miscet, benè sentit de præsentia corporis Christi, & de transubstantiatione panis, & vini in Corpus & Sanguinem Christi, & non præbuit hanc hostiam (scilicet non consecratam, quam dicebam) populo adorandam, sed verè aliam, quam consecrauit, & eleuauit, hanc verò posuit accessoriè tantùm super Altare ad magicos effectus operandos, fit tantùm suspectus de hæresi; si autem illa alia credidit, tunc sit hæreticus; si autem reuera non credidit, ista vim aliquam habere ad effectus magicos prædictos operandos, non sit suspectus de hæresi, sed extra ordinem puniendus; & hoc, si de hac ipsius intentione constiterit: Nam quamdiu non constiterit, quia præsumptio est contra ipsum, videtur etiam de hæresi suspectus.

2 Cæterùm, qui in maleficio, vel sortilegio, &c. abusus est sanctissimo Sacramento Eucharistiæ, traditur Curiæ sæculari, ex sancti Officij ordinatione posita in fine operis iudicialis Inquisitorum, & tradunt Genuensis *in praxi Archiepiscop. cap.*68. *n.*10. Emanuël Moura *de incantationib. opuscul.*1. *sect.*3. *cap.*5. *n.*29. & alij passim.

SECTIO IX.

An, & quid dicendum de pœnis iure statutis contra maleficos, magos, & alios diuinatores: Item quid dicendum de libris, & scriptis ipsorum: Item an restituere teneantur ipsi pretium, quod pro diuinatione, vel opera sua receperunt?

Respondetur: de his dixi *suprà, dub.*28. *sect.*1. *n.*3. & 4.



DVBITATIO XXX.

Quidnam dicendum de infidelibus? Vbi etiam de Judæis?

Vt in hac dubitatione soluenda distinctiùs procedamus, sit

SECTIO PRIMA.

Qualiternam fidelibus communicatio interdicatur?

SVMMARIVM.

1 *Communicatio fidelium cum infidelibus potest dupliciter contingere: Primò in rebus infidelitatis, ministrando infidelibus ea, quibus illi ad ritus infideles abutuntur: Secundò, in rebus politicis, & ad humanum commercium pertinentibus.*

2 *Communicatio cum infidelibus in rebus politicis non interdicitur fidelibus in pœnam infidelium; quia cùm infideles sint extra Ecclesiam, non possunt spirituali iudicio priuari, quemadmodum hæretici, qui sunt de Ecclesia.*

3 *Communicatio prædicta fidelibus interdici non debet, qui sic in fide firmi sunt, vt nullum exinde ipsis peruersionis periculum immineat, sed potius infidelium conuersio probabiliter speretur.*

4 *Communicatio assidua cum Iudæis, cùm periculum subuersionis inuoluat, meritò ab Ecclesia fidelibus interdicitur.*

5 *Excipe casum, in quo communicans cum infidelibus, ita in fide firmus sit, vt potius conuersio eorum speretur, quàm ipsius communicantis peruersio.*

Respondetur: Communicatio fidelium cum infidelibus potest dupliciter contingere. 1

Primò in rebus infidelitatis, ministrando, vel vendendo infidelibus ea, quibus illi ad ritus infideles abutuntur. Et de hac communicatione videri poterunt quæ dicebam tractatu de radice restitutionis, aliarumque obligationum, & pœnarum, vt excommunicationis, & irregularitatis, quæ oritur ex delicto.

2. In rebus politicis, & ad humanum commercium pertinentibus. Et hæc communicatio cum infidelibus non interdicitur fidelibus in pœnam infidelium; quia cùm infideles sint extra Ecclesiam, non possunt spirituali iudicio, ablata scilicet communicatione fidelium, ab Ecclesia priuari, quemadmodum hæretici, cùm sint de Ecclesia, de facto per excommunicationem ab Ecclesia communicatione fidelium priuantur, quamuis possit ab Ecclesia interdici fidelibus hæc communicatio cum infidelibus, ratione periculi subuersionis ipsis ex ea imminentis: sic S.Thom. 2.2.*quæst.*10.*art.*9. quem communiter sequuntur DD. 2

Hinc sequitur, quod interdici non debeat prædicta communicatio fidelibus, qui sic in fide firmi sunt, vt nullum exinde ipsis peruersionis periculum immineat, sed potiùs infidelium conuersio probabiliter speretur; quia cùm prædicta communicatio fidelibus ratione periculi subuersionis exinde iis imminentis interdicatur, vbi tale periculum cessat, cessat etiam & interdictio: sic S.Thomas *vbi suprà*, quem etiam sequuntur communiter DD. 3

Cæterùm, quia ex prædicta communicatione infidelium cum fidelibus vt plurimùm prædictum periculum subuersionis fidelibus imminentis locum habet; meritò ob tale periculum Ecclesia interdixit fidelibus assiduam communicationem, & familiaritatem cum Iudæis, *cap. Ad hæc, de Iudæis*; & ita vt si fideles moniti, ab hac se non abstineant, à peccato mortali non excusentur: sic Angel. *verb. Iudæus, n.*1. *circa finem*, Syluest. *ibidem, q.*1. *dict.*7. Tabiena *q.*1. *n.*2. Armill. *num.*5. & passim cæteri Summistæ. 4

Excipe cum Syluest. *vbi suprà, n.*1. & aliis, casum quem suprà dicebam ad mentem S.Thomæ, si scilicet qui communicat cum infidelibus, sic in fide firmus sit, vt nullum exinde peruersionis periculũ ipsi immineat, sed potiùs infidelium conuersio probabiliter speretur. 5

SECTIO II.

In quotnam casibus specialiter interdicatur fidelibus communicatio cum Iudæis?

SVMMARIVM.

1 *Communicatio Fidelium cum Iudæis in decem casibus interdicitur, & quinam sint, recensetur.*

RESpondetur: In decem casibus.

Primò interdicitur Fidelibus, quod cum Iudæis habitent.

2. Quod eorum azymis vescantur.

3. Quod eos, vt medicos, ad mendum Christianorum morbis accersant.

4. Quod ab eis medicinas exhibitas recipiant.

5. Quod simul cum eis in balneum ingrediantur.

Hi quinque casus habentur *in cap. Nullus*, 28. q. 1. (quod desumptum est ex Canone 11. Concilij Trullani.) Et puniuntur ibi, ita vt si quis sit Clericus, deponatur; si verò sit laïcus, excommunicetur, sicuti videre est *in citato c. Nullus*.

6. Quod eos ad conuiuia inuitent, vel ad eorum conuiuia se conferant, *cap. omnes*, 28. q. 1. *ex Concilio Agathensi c.* 40. Et ita vt peccatum hoc ibi sacrilegium vocetur.

7. Quod eorum filios in domibus ipsorum Iudæorum nutriant, *cap. Ad hæc, de Iudæis*. Et ita vt committatur ibi Prælatis, quod per censuram ad recessum compellant.

8. Quod eis famulentur, *eodem c. Ad hæc*.

9. Quod eis seruitutis vinculo subiiciantur, *d. cap. Ad hæc*.

10. Quod eos publicis officiis inter Christianos fungi permittant, *c. Constituit*, 17. q. 4. Et ita vt ibi permittentes excommunicandi iubeantur.

De singulis his decem casibus dicebam *suprà dubio*. 115. *petitione* 11. & dicam nunc distinctiùs. Quare sit

SECTIO III.

Quidnam dicendum de primo casu, in quo Fidelibus interdicitur, quod habitent simul cum Iudæis?

SVMMARIVM.

1 *Cohabitatio cum Iudæis interdicitur Fidelibus, idemque procedit si Fideles habitent simul cum Saracenis, vel cum quibuscumque aliis infidelibus; quia sic expressè habetur in iure Canonico.*

2 *Christianus, licèt habere possit seruum Iudæum, non tamen debet cum eo morari, ita vt cum eodem familiaritatem habeat; quia Iudæi sunt obstinatiores, & ad subuertendum peritiores: secus tamen dic de seruo Saraceno, qui ex communi praxi retineri potest in eadem domo, cum tunc cesset tale periculum.*

1 RESpondetur: Idem dicendum esse, si habitent simul cum Saracenis, vel cum quibuscumque aliis infidelibus; quia sic expressè interdicitur *in cap. Iudæi* 2. *de Iudæis*, & tradunt ibi cum Glossa communiter Canonistæ.

2 Hinc sequitur, quod licèt Christianus habere possit seruum Iudæum (sicuti constat *ex e.* Etsi Iudæi, eod. titulo) non tamen debeat cum eo morari, ita vt cum eodem familiaritatem habeat, *cap. Nullus*, & *cap. Omnes*, 28. *quæst.* 1. & docent Syluester *verbo Iudæus, quæst.* 5. *dub.* 1. Armilla *ibidem, num.* 6. Tabiena q. 3. *num.* 4. & passim Summistæ; redduntque rationem, quia Iudæi sunt obstinatiores, & ad subuertendum peritiores; vnde colligitur, quod ad mentem istorum Doctorum non similiter interdicatur Christianus habere Saracenum, vel quemcumque alium infidelem, tanquam seruum, intra eandem domum: Quod & praxis vbique terrarum receptâ satis demonstrat.

Aduerte tamen hîc, quod nomine huius habitationis nonnulli intelligant solùm diuturnam Fidelis in famulatu subiectionem; quia hæc subiectio indigna est Christiani nominis in Terris Christianorum, & generat periculum peruersionis. Suarez *disput.* 18. *sect.* 6. *n.* 7. Coninch. *disp.* 18. *dub.* 11. *n.* 167. & 168. Bonacina *de Fide, disp.* 3. q. 2. *punct.* 5. & alij.

Hinc sequitur, quod licitè possit Fidelis Iudæum habere in seruum: quod & conceditur *in cap. Etsi Iudæi, de Iudæis*, vti *suprà* dicebam.

Sequitur 2. quod licitè etiam possit Fidelis cum Iudæo commorari, seruiendo scilicet vterque Fideli, seu Catholico Domino, si tamen absit periculum peruersionis; quia solùm habitatio famulatus prohibetur in supradicto *cap. Ad hæc*, Coninch. *loco suprà cit.* Expedit tamen Fideli, quod quamcunque huiusmodi familiaritatem & cohabitationem euitet.

SECTIO IV.

Quidnam dicendum de secundo casu, in quo Fidelibus interdicitur, quod azymis Iudæorum vescantur?

SVMMARIVM.

1 *Iudæorum azymi interdicuntur Fidelibus, etiamsi ij azymi Iudæorum seorsim vescantur; quia sunt cibi discreti à Iudæis.*

2 *Excipe casum necessitatis extremæ, quia tunc non assumuntur sicut panes à Iudæis discreti, sed prout sunt ad nutriendum idonei.*

3 *Amplia Christianum posse vesci licitè in casu extremæ necessitatis idolothytis, id est, cibi idolos à gentilibus consecratis.*

4 *Neque obstat Sancti Augustini sententia, vbi inquit satius esse fame perire, quàm idolothytis vesci; nam intelligitur de manducatione formali, non de materiali, de qua hîc loquimur.*

5 *Christianus pariter licitè non potest vesci his cibis, quos Iudæi discernunt, illos scilicet respuentes, & contemnentes; quia tunc videretur esse illis inferior.*

6 *Prædicta intellige, si fiant cum nota & offensione aliquorum Catholicorum.*

RESpondetur: Idem dicendum esse, tametsi Fideles à Iudæis seorsim azymis Iudæorum vescantur, quia sunt cibi discreti à Iudæis. Ita Syluester *verb. Iudæus*, q. 1. *dict.* 3. & passim Summistæ *eodem verbo Iudæus*. 1

Excipe cum Syluest. Angel. & Armill. ibidem, nisi sit casus extremæ necessitatis; quia tunc licitè poterit Christianus vesci azymis Iudæorum, non quidem prout illi sunt panes azymi à Iudæis discreti, sed prout sunt panes ad nutriendum idonei, seu proportionati. 2

3 Quod adcò verum eſt, vt ſimiliter ſi ſit caſos extremæ neceſſitatis, etiam licitè poſſit Chriſtianus veſci idolothytis, id eſt, cibis Idolo à Gentilibus conſecratis; modo tamen eodem, quo ſuprà, ſcilicet non provt illa ſunt idolothyta, ſed provt etiam ſunt panes ad nutriendum idonei, ſeu proportionati.

4 Neque obſtat, ſi dicas, quod S. Auguſtinus *de bono coniugali, c. 16.* & refertur *in c. ſicut ſatius, 32. q. 4.* inquit, ſatius eſſe fame perire, quàm idolothytis veſci.

Reſpondetur enim cum Gloſſa *ibi, verbo fame*, Archidiacono *ibidem, n. 1. & 2.* Turrecremata *circa finem*, Syluestro *verbo Iudaus, quaſt. 1. dicto 2.* & aliis Canoniſtis, & Summiſtis *in locis ſuprà citatis*, quod Auguſtinus *iuxta ſupradicta*, intelligatur caſu quo quis Chriſtianus iis veſcatur formaliter, id eſt, provt ſunt cibi Idolo conſecrati, in eius cultum: Secus caſu quo materialiter, id eſt, provt ſunt cibi ad nutriendum idonei, ſeu proportionati, ſicuti *ſuprà* dicebam.

5 Ex dictis ſequitur, quod licitè ſimiliter non poſſit Chriſtianus veſci iis cibis, quos Iudæi diſcernunt, illos ſcilicet reſpuentes, ac contemnentes. Sic Doctores communiter, quos ſequitur Azot. *tom. 1. Inſtitut. moral. lib. 8. cap. 21. q. 3. circa finem.* Quia & in hoc caſu etiam militat ratio tradita *in cap. omnes, 28. q. 1.* dum ibi, quatenus Iudæorum conuiuiis intereſſe Chriſtianis interdicitur, aſſeritur, ne cùm Iudæi cibos diſcernant, non omnibus ſcilicet veſcentes, ſed quoſdam renuentes, nos autem non renuamus, videamur eſſe illis inferiores, ideſt eſſe illis minùs ſancti, ſicuti præter nonnullos alios Canoniſtas, & Summiſtas *in locis ſuprà citatis*, explicat Syueſt. *verbo Iudaus, q. 1. dict. 2.*

6 Cæterùm, quæ ſuprà dixi, intelligenda cenſeo, ſi fiant cum nota, & offenſione aliquorum Catholicorum.

His adde, quod de iure Eccleſiaſtico ſolùm prohibita ſit illa comeſtio, quæ de iure diuino etiam prohibita eſt: quapropter cùm de Iure diuino ſolùm prohibita ſit azymorum comeſtio (quæ ſit ritu Iudaico, ſcilicet quæ ſit ex obſeruatione legis Moſaicæ, & illa, ex qua hoc ſcandalum generari poteſt) ſolùm illa comeſtio prohibita eſt. Colligitur *ex cap. Sanctius, 32. q. 4.* & tradunt Suarez *vbi ſuprà, ſect. 6. n. 7.* & Coninch. *n. 168.*

SECTIO V.

Quidnam dicendum de tertio caſu, in quo Fidelibus interdicitur, quod Iudæos, vt Medicos ad medendum ipſorum Chriſtianorum morbis accerſant?

SVMMARIVM.

1 *Fidelibus interdicitur, quod Iudaeos, vt Medicos ad medendum Christianorum morbos accerſant, ſi non ſit caſus neceſſitatis, v. g. non adſit alius medicus Chriſtianus, vel ſi adſit, ſit Iudao notabiliter inferior, &c.*

1 Reſpondetur: Id intelligendum eſſe, ſi non ſit caſus neceſſitatis. Syluest. *verbo Iudaus, q. 1. dicto 4.* Angelus *ibidem, n. 8.* Armilla *n. 9.* Tabiena *q. 5. n. 6. verbo Medicus, q. 17.* & alij paſſim, v. g. ſi non adſit alius Medicus Chriſtianus, vel ſi adſit, non ſit ſufficienter peritus, vel Iudæo notabiliter inferior pro præſenti morbo; vel tandem ſi morbi grauitas multis Medicis indigeat, & non ſit copia Catholicorum; quia tunc perinde eſt, ac ſi Catholici non ſint ſufficientes pro morbo.

Aduerte tamen hîc, quod hic tertius caſus de aduocando Medico Iudæo ad curandum, extendatur etiam ad aduocandum Medicum Saracenum ad eundem finem; quodque prædictus tertius caſus receptus ſit non tam ex citato *cap. Nullus*, quàm ex ſpeciali Bulla Gregorij XIII. (quæ incipit, Aliàs piæ memoriæ, & eſt 28. ipſius in Bullario) in qua hæc prohibitio continetur: ſed cùm omnis lex humana, & Eccleſiaſtica non obliget in caſu grauis neceſſitatis, adhuc ex benigna interpretatione Legiſlatoris hæc obligatio ceſſat quotieſcomque fidelis infirmus grauiter indiguerit ope Medici Iudæi, vel Saraceni. Hæc autem neceſſitas arbitrio Prudentis relinquitur. Et ex dictis ſufficit, ſi Iudæus ſit notabiliter doctus, vel morbus indigeat multis Medicis, & Catholici non ſufficiant. Suarez *vbi ſuprà, n. 8.* Coninch. *n. 168.* & Bonacina *puncto 5. verſ. Tertius caſus.*

SECTIO VI.

Quidnam dicendum de quarto caſu, in quo interdicitur Fidelibus, quod à Iudæis medicinas exhibitas recipiant?

SVMMARIVM.

1 *Fidelibus interdicitur, quod à Iudais medicinas exhibitas recipiant: At ſecundum aliquos intelligendum eſt de medicinis praparatis; ſecus tamen de non praparatis, & per Chriſtianos praparandis, deque medicinis praparatis, ſi neceſſitas excuſet.*

2 *Fidelibus ſecundùm alios licet recipere à Iudais etiam medicinas praparatas; ſecus vltrò oblatas vel donatas; quia cùm ius interdicat ad cauendam familiaritatem cum ipſis, vitatur ipſa, interueniente pretio, non autem ſi dono, & gratis ea recipiantur.*

3 *Fidelibus, ſecundùm probabiliorem ſententiam, non interdicitur recipere medicinas praparatas, neque vltrò oblatas, ſeu donatas; ſed ſolùm recipere à Iudao medicinas, ſi is medicinam infirmo fideli applicet, ſeu exhibeat, quia hoc eſt quaſi mederi infirmo; neque interdicitur familiaritas, qua eſt inter ementem, & vendentem, neque inter donatarium, & donantem.*

4 *Fidelis non poteſt extra caſum neceſſitatis vti miniſterio Barbitonſoris Iudai ad venam ſibi aperiendam, vel cucurbitulas applicandas, vel ad quodcumque aliud exercitium ad infirmitatem ſpectãt.*

5 *Fidelis à contra poteſt vti miniſterio eiuſdem Barbitonſoris Iudai in aliis rebus ad medicinam infirmo applicandam non pertinentibus, v. g. ad capillos ſcindendos, &c.*

6 *Medicus Chriſtianus poteſt vendere Iudao, vel donare medicinas, ſed non ei applicare & exhibere illas, niſi cauſa pietatis, videlicet in caſu neceſſitatis; quia eſt eadem ratio, & contrahitur eadem familiaritas.*

Qvidam, vt Gloſſa *in cap. nullus, 28. q. 1.* Angelus *verbo Iudaus, n. 7.* Roſella *ibidem, num. 1.* Armilla *n. 6.* & Tabiena *q. 5. n. 6.* putant, non intelligendum eſſe, ſi fidelis recipiat à Iudæo medicinas nondum præparatas, at per Chriſtianos præparandas; ſed ſolùm ſi recipiat à Iudæo medicinas iam ab eodem Iudæo præparatas, dummodo non excuſet neceſſitas, deficiente ſcilicet Catholico, qui eas benè præparet, quia recipiendo, inquiunt ipſi, à Iudæo medicinas iam ab eodem Iudæo præparatas, contrahitur quædam familiaritas cum Iudæis, 1

Alij

2 Alij autem, quos sequitur Azor. *tom*, 1. *Instit. moral. lib*. 8. *cap*. 12. *q*. 5.) censent, non intelligendum esse, etiamsi fidelis recipiat à Iudæo medicinas iam ab eodem Iudæo præparatas, sed solùm si recipiat à Iudæo medicinas vltrò oblatas, vel donatas; quia Ius (dicunt ipsi) ad familiaritatem vitandam interdicit solùm fidelibus accipere à Iudæo medicinas vltrò oblatas, seu donatas, & non aliud: His tamen non obstantibus.

3 Respondetur, ex probabiliori Doctorum aliorum sententia, non intelligendum esse, neque si fidelis recipiat à Iudæo medicinas iam ab eodem Iudæo præparatas, neque si recipiat à Iudæo medicinas vltrò ab eodem Iudæo oblatas, vel donatas; sed solùm si recipiat à Iudæo medicinas ita, vt Iudæus ipse medicinam infirmo fideli applicet, seu exhibeat. Quia (præterquam quod non potest reddi ratio, cur potiùs medicinas, quàm alias res per emptionem, vel donationem à Iudæis accipere fidelibus interdixerit) hoc est quasi mederi infirmo; & ius *in dicto cap. nullus*, interdicit solùm familiaritatem, quæ est inter medicantem, & infirmum; non interdicit verò familiaritatem, quæ est inter ementem, & vendentem, neque quæ est inter donatarium, & donantem.

Atque ita tenent Archidiaconus *in cit. cap. nullus*, *n*. 2. Turrecremata *ibidem*, *n*.4. & 5. Bellamera *n*. 1. Sylvester *verbo Iudæus*, *q*. 1. *dicto* 4. & alij: Quatenus, licèt (vt verum fateor) non loquantur de donatione, sed de emptione, explicant Textum illum de medicina applicata, & exhibita fideli Infirmo ab ipsomet Iudæo, vt familiaritas inter infirmum, & medicantem non contrahatur; sicque clarè insinuant, non interdici fidelibus quamcunque aliam medicinæ acceptionem à Iudæo, sed solùm si ipse Iudæus eam Infirmo fideli applicet, & exhibeat.

4 Hinc sequitur, quod non possit fidelis extra casum necessitatis, quem *Sectione præcedenti* explicabam, vti ministerio Barbitonsoris Iudæi ad venam sibi aperiendam, vel cucurbitulas applicandas, vel ad quodcumque aliud medicamenti genus circa se exercendum; quia hæc omnia sunt medicinæ quædam applicatio, & per ipsa contrahitur familiaritas, quæ est inter infirmum, & medicantem.

5 Sequitur secundò, quod è contra possit fidelis vti ministerio eiusdem Barbitonsoris Iudæi in aliis rebus ad medicinam Infirmo applicandam non pertinentibus, &c. ad sibi barbam radendam, vel ad capillos tondendos; quia nullibi id similiter in Iure interdictum reperitur.

6 Sequitur tertiò, quod possit etiam Medicus Christianus Iudæo vendere, vel donare medicinas; sed non ei applicare, & exhibere illas (nisi causa pietatis, si scilicet concurrat necessitas, quam *citata Sectione præcedenti* dicebam, quia est eadem ratio, & contrahitur eadem familiaritas siue Iudæo Christianus, siue Christiano Iudæus medeatur; Archidiaconus *eadem cap. nullus*, *n*. 2. Terrecremata *ibid*. Bellamera *n*.1. & alij passim.

Solùm igitur fideli prohibetur recipere medicinas à Iudæo per manum, & ministerium ipsius Iudæi (quæ de re præcipuè videri poterit Suarez & Bonac. *locis suprà citatis*) quia hæc medicinarum applicatio est quædam curatio, & reduci potest ad prohibitionem factam à Gregorio XIII. Quapropter ex dictis non poterit fidelis extra casum necessitatis permittere quod Iudæus ipsi venam scindat, Chirurgi officium exerceat, vel alias medicinas applicet: secus autem, quod barbam radat, vel capillos tondeat; quia hæc nullibi prohibentur, cùm non sint medicinarum applicatio.

Cæterùm quamuis, vti dicebam, Doctores suprà dictam prohibitionem extendant etiam ad fidelem medicinas Iudæo applicantem, & propterea teneant, quod fidelis etiam non possit illas Iudæo applicare extra casum necessitatis, eo quòd sit eadem causa prohibitionis) contrarium tamen mihi non omninò improbabile videtur; quia prohibitio, tametsi eadem ratio militet, extendi non debet extra casum in legis verbis comprehensum; præterquam quod in præsenti, neque videtur adesse eadem ratio familiaritatis respectu fidelis, quando ipse fidelis officium medici exercet circa Iudæum, ac quando idem fidelis curatur; quia fidelis quando ipse curatur, ratione beneficij recepti procurat se ostendere gratiorem, & beneuolentiorem: quam familiaritatem non contrahit quando idem fidelis curat Iudæum.

SECTIO VII.

Quidnam dicendum de quinto casu, in quo fidelibus interdicitur, quod simul cum Iudæis in balneum ingrediantur.

SVMMARIVM.

1 *Fidelibus interdicitur, ne simul cum Iudæis in balneum ingrediantur; secus si necessitas vrgeat, vt si v.g. fidelis ingrediatur in balneum, in quod Iudæi etiam ingrediantur causa sanitatis, quin etiam causa recreationis, dummodo non cum Iudæo, vel propter Iudæum.*

2 *Textus* in cap. nullus, 28. q. 1. *declaratur*.

Respondetur, intelligendum non esse, si necessitas vrgeat, iuxta ea quæ dicebam *suprà sect*. 5. vt si v. g. fidelis ingrediatur in balneum (in quod Iudæi etiam ingrediuntur) causa sanitatis. DD. quos sequitur Philiarchus *de officio Sacerdot. tom*. 1. *part*. 2. *lib*. 3. *cap*. 12. *circa finem*; quin etiam, etsi ingrediatur causa solius recreationis, dummodò non ingrediatur cum Iudæo, vel propter Iudæum (id est, vt socius Iudæi, vel ex conuentione inita cum Iudæo:) & dummodo in balneo non se familiarem exhibeat Iudæo. 1

Probatur, quia Textus *in cap. nullus*, 28. *quæst*. 1. solùm interdicit, quod fidelis simul cum Iudæo in balneo lauetur, ad hoc vt inter ipsos familiaritas non contrahatur: At non dicuntur simul lauari, ita vt inter ipsos aliqua familiaritas contrahatur, quando prædicto modo in eodem balneo lauantur (vt non dicuntur simul furari, qui non vt socij, nec ex conuentione inter ipsos inita, sed casu ingrediuntur vnum, eundemque locum ad furandum.) Ergò, &c. 2

His adde, quod hic quintus videtur, quod hodie simpliciter locum non habeat, & obligationem non inducat, vti dicebam *suprà, dubit*. 205. *sectione* 17. *in Appendice*.

SECTIO VIII.

Quidnam dicendum de sexto casu, in quo fidelibus interdicitur, quod Iudæos ad conuiuia inuitent, vel ad eorum conuiuia se conferant.

SVMMARIVM.

1 *Fidelibus interdicitur, ne Iudæos ad conuiuia inuitent, vel ad eorum conuiuia se conferant: quod simpliciter intelligendum esse probabilius est, licèt nonnulli intelligant, si Iudæi cibos discernant, quosdam scilicet respuentes: At secus si sine vlla ciborum discretione cibentur; quia ratio*

ratio huius prohibitionis non fuit solùm discretio ciborum, sed vitatio familiaritatis.

2 *Excipe tamen si casu Fidelis, & Iudæus in eodem diuersorio reperti manducent in eadem mensa; quia Textus* in d.cap.omnes, *tantùm præcipit, quod fideles Iudæorum conuiuia vitent.*

3 *Reprehenduntur nonnulli asserentes, interdictum esse fidelibus non solùm comedere cum Iudæis, sed etiam coram ipsis, quod nullo pacto subsistit.*

4 *Fidelis si hospes sit in diuersorio Iudæi, vel ad tabernam illius accedat, non peccat, si ibi cibos emat, & comedat; quia hoc non est inuitari à Iudæo.*

5 *Excipe secundò eos, qui mittuntur ad Iudæorum conuersionem procurandam; quia possunt cum illis vesci, vt ex familiaritate cum ipsis contracta possint faciliùs illos ad fidem conuertere.*

6 *Fidelibus non solùm interdicitur accedere ad Iudæorum conuiuia, sed etiam ad eorum nuptias, dies festos, synagogas, cum iis frequentiùs ludos, vel choreas agere; quia ex his magna familiaritas cum illis contrahitur.*

7 *Fidelibus etiam, qui templa Gentilium inuisunt, & & ingrediuntur tempore, quo ibi à Paganis superstitiosa celebrantur, reprehendi debent; quia sic sufficienter aliis fidelibus scandali, vel offensionis ansam præbent: secus si ingrediantur alio tempore ad structuram percipiendam.*

1 RESpondetur (quamuis Angelus *verbo Iudæus, numero* 1. Rosella *ibidem, numero* 1. Tabiena *q.*1. *numero* 2. Armilla *num.*4. Azor. *tom.*1. *Instit. moral. lib.*8. *cap.*22. *q.*3. & Coninch. *disputat.*c8. *dub.*11. *num.* 169. putent intelligendum esse, si Iudæi cibos discernunt, quosdam scilicet respuentes: secus si sine vlla ciborum discretione vescantur, ex eo quia Textus *in cap. omnes*, 28. *quæst.* 1. qui id prohibet, eam rationem assignat, ne Catholici cibos non discernentes videantur inferiores Iudæis discernentibus: quæ ratio prorsùs cessat, si Iudæi non discernant.) Probabilius tamen esse oppositum, quod docent alij cum Syluestro *loco suprà citato, verbo Iudæus, quæst.* 1. *dict.* 2. intelligendum scilicet esse, etiamsi Iudæi non discernant.

Probatur, quia huius prohibitionis ratio non fuit solùm discretio ciborum, sed etiam vitatio familiaritatis cum Iudæis, ex qua peruersionis periculum fidelibus imminet, sicuti constat ex glossa *dicto cap. omnes, verbo Iudæorum*, Hostiensis *in cap. Quàm sit, n.* 3. *de Iudæis*, Ioanne Andrea *ibidem*, *n.*5. Abbate *n.* 3. Turrecremata *in cap. nullus*, 28. *quæstione* 1. *num.*4. & aliis. Vbi quærentes, cur potiùs fidelibus interdicatur cum Iudæis conuiuium, quàm colloquium, eam reddunt rationem; quia maior in conuiuio, quàm in colloquio familiaritas contrahitur. At hæc ratio locum habet etiamsi Iudæi, cum vescuntur, cibos non discernant. Ergo, &c.

2 Excipe tamen, si casu fidelis, & Iudæus in eodem diuersorio reperti manducent in eadem mensa; quia Textus *in dicto cap. omnes*, tantùm præcipit, quod fideles Iudæorum conuiuia deuitent, quodque Iudæos ad sua conuiuia non excipiant. At in casu posito nec fidelis Iudæo, nec Iudæus fideli conuiuium facit: Ergo, &c. Videri poterit Philiarcus *de Officio Sacerdotis tom.*1. *part.*2. *lib.*3. *cap.*12. *circa finem.*

3 Hinc sequitur, quod minùs rectè dixerint nonnulli, quos sequitur Turrecremata *in cap. nullus*, 28. *q.* 1. interdictum fidelibus esse non solùm quod comedant cum Iudæis, sed etiam quod comedant coram Iudæis; quia (sicuti constat ex dictis) nullo pacto Interdicitur fidelibus, quod comedant coram Iudæis.

Et hoc adeò verum est, quod si fidelis in diuersorio Iudæi hospes sit, vel ad tabernam illius accedat, non peccet si ibi cibos emat, & comedat; quia hoc non est fidelem inuitari à Iudæo, cùm caupo pretio cibos hospitibus vendens, eisque, vt ibi comedant, porrigens, non dicatur eis facere conuiuium: Quod solùm interdicit Textus *in d. cap. omnes.* Accedit quod neque ex hoc familiaritas aliqua contrahitur cum Iudæo. 4

Excipe secundò, si qui Missi fuerint ad Iudæorum conuersionem procurandam, quia hi poterunt cum illis vesci, vt familiaritate cum illis contracta, possint faciliùs illos ad fidem conuertere, *cap. Quàm sit, de Iudæis*, & ibi Canonistæ communiter, & ex Recentioribus Suarez *disp.* 18. *sect.*6. *n.*7. & Bonacina *disp.* 3. *q.*2. *punct.*5. *cas.* 5. Sicque, teste Archidiacono *ibi, n.*2. intelligitur Textus *in cap. Ad mensam*, 11. *quæst.* 3. (qui desumptus est ex Chrysostomo *homil.* 25. *ad cap.* 11. *ad Hebræos*) vbi dicitur, *permitti ad mensam Paganorum accedere.* 5

Cæterùm fidelibus non solùm interdicitur accedere ad eorum nuptias, dies festos, synagogas, frequentias, vel cum iis ludos, aut choreas agitare; quia exinde magna familiaritas cum illis contrahitur. Rosella *verbo Iudæus*, & alij, quos sequitur Azor. *tom.*1. *Instit. moral. lib.*8. *cap.*22. *q.*3. *circa finem.* 6

Hinc reprehensione etiam digni sunt fideles, qui Templa Gentilium inuisunt, & ingrediuntur tempore, quo ibi à Paganis superstitiosa celebrantur; quia sic sufficienter aliis fidelibus scandali, vel offensionis ansam præbent. Secus si inuisant, & ingrediantur alio tempore, vt scilicet structuram, & ornatum Templi perspiciant; vel vt eorum vana, & superstitiosa irrideant, & commodiùs impugnent; ita vt tota huius malitia, quocumque tempore, etiam quando prædicta vana, & superstitiosa celebrantur, Templa Paganorum inuisantur, & intrentur, pendeat ex scandalo, & periculo peruersionis ingredientis scilicet: si scandalum & periculum peruersionis cessent, non sit peccatum mortale; sed si finis sit vanus, vt vana curiositas, sit tantùm peccatum veniale; si verò finis sit bonus, nullum sit peccatum, neque etiam veniale: sic Doctores, quos sequitur Bonacina *disput.* 3. *q.* 2. *punct.* 3. *vers.* 8. 7

Aduerte tamen quod quamuis ex dictis ratio, cur fideli interdicatur, vt Iudæos ad conuiuia incitet, vel ad eorum conuiuia se conferat, ex probabiliori sententia Doctorum sit, vt vitetur familiaritas cum Iudæis, quia ex illa peruersionis periculum nascitur; non tamen omninò improbabile sit, quod ratio dictæ prohibitionis sit discretio ciborum à Iudæis facta: Iudæi enim quosdam cibos, tanquam immundos, reiiciunt, quosdam verò non, sicque fidelis Iudæorum conuiuia admittens exponitur periculo, quod eorum consuetudinem approbet, vel saltem quod appareat inferior illis in sanctitate. Quapropter si Iudæi cibos non discernant, cessare videtur hæc prohibitio. Et quod ciborum discretio sit ratio prohibitionis, colligi etiam videtur *ex d. cap. omnes*, 28. *q.* 1. vbi ex Concilio Agathensi *c.*40. sic dicitur: [Omnes deinceps Clerici, siue laïci Iudæorum conuiuia euitent, neque eos ad conuiuium quisquam accipiat; quia cùm apud Christianos communibus cibis non vtantur, indignum, atque sacrilegum est, eorum cibos à Christianis sumi; cum ea, quæ Apostolo permittente, nos sumimus, ab illis iudicentur immunda, ac si inferiores incipiant esse Christiani, quàm Iudæi, si nos, quæ ab illis apponuntur, vtamur. Illi verò à nobis oblata contemnant.] 8

Aduerte secundò, quod supradicta prohibitio, quomodocumque sumatur, non comprehendat Prædicatorem ad Iudæorum conuersionem missum; quia ratione talis officij, & ratione fructus, qui speratur, permittitur illi (vt sic faciliùs obtineatur conuersio)

uersio) talis familiaris communicatio, ficuti *suprà* dicebam *ex cap. Quàm sit, de Iudæis.*

Aduerte tertiò, quod licet, vt fuprà etiam dicebam, probabilius fit, prædictam prohibitionem extendi ad alia plura, v. g. quod fidelis neque licitè poffit ad Iudæorum nuptias, & feftiuitates accedere, neque in eorum Templa, præcipuè quando fuperftitiofa ibi celebrantur, ingredi, neque cum iis ludos, & choreas agitare, quia ex huiufmodi actionibus non modica cum iifdem familiaritas conciliatur: tamen non omninò improbabile fit quod docent Doctores, quos fequitur Bonacina *disp. 3. q. 2. punct. 5. vers.* 8. Ratio, quia non inuenitur aliquis Textus, in quo fpecialiter hæc prohibitio contineatur, ficque non videtur prædicta prohibitio vltra id, quod ratio naturalis dictat, extendenda. Quapropter, fi tanta contraheretur familiaritas, vt vel peruerfionis, vel fcandali periculum generaretur, peccatum effet eas admittere: Secus fi tale periculum ceffaret. Idemque dicendum de ingrediente in Templum Iudæorum, vt eorum ornatum afpiciat, vel vt eorum fuperftitionem fpectet, & irrideat, quod fcilicet neque ifte talis peccabit, fi peruerfionis, & fcandali periculum abfit.

SECTIO IX.

Quidnam dicendum de feptimo cafu, in quo Fidelibus interdicitur, quod Iudæorum filios in domibus eorundem Iudæorum nutriant?

SVMMARIVM.

1 *Fidelibus interdicitur nutrire in eorum domibus Iudæorum filios: Quod licèt aliqui intelligant de nutritione agenda in domo ipfius Iudæi: Probabilius tamen eft, quod id indiftinctè intelligatur; quia ibi interdicit, ne contrahatur familiaritas cum Iudæis, quæ tamen vtroque cafu contrahetur.*

2 *Textus* in cap. Ad hæc, de Iudæis, *in quo habentur hæc: In eorundem domibus, non pofuit ea ad reftringendam propofitionem, fed gratiâ frequentioris vfus, quia frequentius intra domum contingit nutritio.*

3 *Prolis nutritio fi extra domum Iudæi fiat, itavt vitetur omninò familiaritas cum Iudæis, iure non eft interdicta; quia ceffat ratio prohibitionis.*

1 Refpondetur, quamvis Gloffa *in cap. Ad hac, de Iudæis, verbo in eorundem*, Cardinalis *ibid. num. vnico*, Abbas *n. 2.* Coninch *difput.* 18. *dub.* 11. *num.* 170. Bonacina *de fide, disp.* 3. *q.* 5. *verfic. feptimus cafus*, putent id intelligendum effe, fi fidelis Iudæi filium non extra, fed intra domum eiufdem Iudæi nutriat; quia *in citato cap. Ad hæc*, folùm interdicitur nutritio intra domum Iudæi, ne cum illo contrahatur familiaritas. Probabilius tamen effe oppofitum, quod tenent Hoftienf. *in eodem c. Ad hæc, n.* 1. Ioan. Andreas *ibid. circa finem*, Ananias *n.* 6. Angelus *verb. Iudæus, n.* 4. Syloefter *eodem verb. q.* 2. *dicto* 5. Tabiena *q.* 4. *n.* 5. Armilla *n.* 8. & alij, quos fequitur Suarez *disp.* 18. *de fide, fect.* 6. *n.* 8. & Azor. *tom.* 1. *Inftit. moral. lib.* 8. *c.* 21. *q.* 9. intelligendum fcilicet effe, fiue nutriat intra, fiue etiam extra domum ipfius Iudæi.

Probatur, quia id ius interdicit, ne contrahatur familiaritas cum Iudæis: At etiam, fi filius Iudæi nutriatur extra domum Iudæi (cum Parentes amore filij frequenter eum inuifant) familiaritas prædicta contrahitur: Ergo, &c.

Non obftat, quod textus *in d. cap. Ad hæc*, dixerit: *in eorundem domibus*. 2

Refpondetur enim, quod textus non pofuerit eam particulam ad reftringendam propofitionem, fed gratiâ frequentioris vfus; quia frequentiùs intra domum contingit nutritio, itavt fenfus fit, *maximè in eorundem domibus.*

Hinc fequitur, quod fi nutritio prolis extra domum Iudæi fiat, itavt vitetur omninò familiaritas cum Iudæis, iure non fit interdicta; quia interdictionis ratio ceffat, Angel. Syluest. Tabiena, Armilla, & alij *in locis fuprà citatis.* Accedit, quod fic filius nutritus, fi non ad fidem, faltem ad fidelium mores aliquo modo difponatur. 3

Cæterùm, quamvis ex dictis probabilius fit, prohibitum effe fideli nutrire filios Iudæorum, non folùm domi, fed etiam extra domum illorum; quia licèt textus *in cap. Ad hæc*, fpecialiter dicat *in domibus Iudæorum*: Illud tamen verbum non pofitum videtur gratiâ reftringendæ obligationis, fed cum frequentiùs contingat, pofitum videtur in exemplum, itavt fenfus prohibitionis fit, ne fidelis Iudæorum infantes nutriat, maximè in eorum domibus; quia ratio huius prohibitionis eft vitare familiaritatem, & affectionem cum Iudæis: quæ familiaritas, & affectio non vitatur, tametfi fidelis in fua domo Iudæorum infantes nutriat: Cùm Parentes amore prolis fæpè fæpiùs nutricem inuifere foleant. Quapropter, fi quando hæc frequens vifitatio ceffaret, itavt non cenfeteur contrahi fpecialis familiaritas, & affectio cum Iudæis ob dictam nutritionem infantium, ceffaret etiam prædicta prohibitio. Nihilominùs non omninò improbabile eft oppofitum, fcilicet fub dicta prohibitione non comprehendi infantium nutritionem factam extra domos Iudæorum; quia potiùs finis illius prohibitionis non eft vitare quancumque familiaritatem, & affectionem cum Iudæis, fed folùm familiaritatem, & affectionem in famulatu; cùm hæc periculofior fit, & Fidei dignitate indigna videatur. Non enim decet, quod filius liberæ feruiat filiis ancillæ, *cap. etfi, de Iudæis.* At quando fidelis in fua domo nutrit Iudæorum infantes, non propriè dicitur illis feruire, & reuerentialem familiaritatem contrahere, quæ animum ipfius fubmittat, & inclinet voluntati Domini, cui feruit; aliàs fi familiaritas qualifcumque effet prohibitionis ratio, multæ actiones prohibitæ effent, vt emere frequenter à Iudæo, vel illi merces vendere, colloquia mifcere, illum habere in feruum, & alia huiufmodi, quæ apud Authores alterius fententiæ etiam tanquam licita conceduntur.

SECTIO X.

Quidnam dicendum de octauo cafu, in quo Fidelibus interdicitur, quod Iudæis famulentur? Vbi etiam an liceat cum Iudæis contractus inire, vel aliquid iis in teftamento legare?

SVMMARIVM.

1 *Fidelibus interdicitur famulari Iudæis. Quod alij limitant intra domum, alij probabiliùs intelligunt etiam extra domum Iudæi; fi tamen famulus fit affiduus, & diuturnus: alij verò fatis probabiliter indiftinctè legem accipiunt; quia id interdicitur fidelibus, non folùm ne contrahatur familiaritas, fed etiam ne Iudæi fint fuperiores fidelibus.*

2 *Fidelibus non interdicitur operas fuas locare Iudæis, fiue fit in domo, fiue extra domum ipfius; dummodò*

modò Iudæus non sit præsens. Quod intellige etiam, si quandoque assistat, dummodò non propter assistentiam, sed ad perspiciendum opus illuc accedat.

3 *Iudæo permissum est habere Christianum colonum adscripititium, vel originarium; non tamen illum habere seruum.*

4 *Fidelibus neque interdicitur locare res suas Iudæis, vel Infidelibus, vt currus, domus, boues, iumenta, & similia.*

5 *Fidelibus è contra interdicitur aliquid Iudæis, vel Infidelibus in Testamento legare: limita modò non fiat legatum vniuersitati Iudæorum; secus autem si alicui particulari de illa vniuersitate. Idque si ille magnam necessitatem patiatur, & non aliàs, etiamsi Testatoris sit soror, vel frater.*

6 *Fidelibus non prohibetur inire contractus cum Iudæis in mercibus emendis, vel vendendis; quia id nullo iure prohibetur.*

7 *Fidelibus bellum iustum gerentibus non interdicitur aduocare quoscumque Infideles in subsidium, seu adiutorium, si sola rei natura spectetur, quia id nullo iure prohibetur: At sæpè id nefas est, tum ratione scandali, tum etiam ratione magnæ ruinæ in Religione, moribus, & rebus Christianorum.*

1 QVidam, vt Hostiensis *in cap. Ad hæc, de Iudæis, n.* 1. Ioan. Andreas *ibid. n.* 2. Coninch. *disp.* 18. *dub.* 12. *n.* 171. Bonacina *disp.* 3. *q.* 2. *punct.* 5. *num.* 2. *vers.* 1. *casus*, & alij, intelligunt intra domum Iudæi; quia textus *in cap. Iudæi* 2. *de Iudæis*, famulatum intra domum interdicit.

Alij, vt Glossa *in d. cap. Ad hæc, verbo assiduè*, Abbas *ibidem, n.* 1. Ananias *num.* 5. Rosella *verbo Iudæus* 1. *n.* 5. Angelus *ibidem, n.* 2. Syluester *q.* 2. *dicto* 1. Tabiena *q.* 2. *n.* 3. & Armilla *n.* 6. probabiliùs intelligunt, etiam extra domum Iudæi; si tamen famulatus sit assiduus, & diuturnus. Quia textus *in d. cap. Ad hæc*, interdicit fidelibus omnem familiaritatem cum Iudæis, quæ absque dubio contrahitur etiam ex assiduo, & diuturno famulatu cum illis: Ergo, &c.

Alij tandem, quos sequitur Azor. *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 8. *cap.* 22. *q.* 7. & quibus ego libenter assentior, satis probabiliter, satisque etiam piè intelligunt, siue intra, siue etiam extra domum Iudæi, & siue frequenter, & assiduè, siue etiam rarò; quia id interdicitur fidelibus, non solùm ne contrahatur familiaritas, sed etiam ne Iudæi sint superiores fidelibus, & filij liberæ seruiant filiis ancillæ: quæ ratio etiam in hoc casu locum habet: Ergo, &c.

2 Aduerte tamen, non interdici etiam Fidelibus, quod operas suas Iudæo, siue in domo, siue extra domum Iudæi locent, dummodò Iudæus non sit præsens, v.g. non interdici Fidelibus, quod mercede conducti, vel in domo Iudæi aliquod opus fabricent, vel extra agros Iudæi colant, dummodò Iudæus sit absens; quia si Iudæus sit præsens, quædam familiaritas cum illo contrahitur, & Fidelis Iudæo inseruire videtur. DD. *in cap. multorum, de Iudæis*: Angelus *verb. Iudæus, n.* 2. Syluester *ibid. q.* 2. *dicto* 1. Tabiena *q.* 2. *n.* 3. & alij, quos sequitur Azorius *tom.* 2. *Instit. mor. lib.* 8. *cap.* 22. *q.* 8.

Quamvis aliter sentire videantur Abbas *in cap. Ad hæc, de Iudæis, n.* 1. Ananias *ibidem, n.* 3. Rosella *verbo Iudæus* 1. *n.* 5. & alij, quatenus aiunt, non licere Fideli famulari Iudæo, si velit personæ Iudæi ministrare; secus si velit aliquod opus Iudæo, siue extra, siue etiam intra domum eiusdem Iudæi fabricare: quos tamen Authores ego iuxta ea, quæ suprà dicebam, intelligerem, si Iudæus non sit præsens, idest Iudæus non ferè semper assistat; secus si aliquando ad perspiciendum opus illuc accedat, cum tunc non reputetur moraliter esse præsens.

Hinc nonnulli Doctores, vt Angelus *n.* 6. Syluester, & Azorius *in locis suprà citatis*, inferunt *ex cit. cap. multorum*, esse permissum Iudæo habere Christianum colonum ascripititium, vel originarium; non tamen illum habere servum. 3

Aduerte secundò, neque interdici Fidelibus, quod res suas, vt currus, domus, boues, iumenta, & similia locent Iudæis: DD. communiter, quos sequitur Azorius *cit. q.* 8. *circa finem*, quia id fidelibus nullibi iure prohibetur. 4

Aduerte tertiò, interdici è contra Fidelibus aliquid Iudæis, vel Infidelibus in testamento legare, *cap. sanè* 2. 23. *q.* 2. & *cap. si quis Episcopus, de hæreticis*, & tradunt communiter Doctores, quos sequitur Suarez *disp.* 18. *sect.* 6. *n.* 9. & Coninch. *disp.* 18. *dub.* 12. *num.* 171. 5

Et quamvis nonnulli, quos refert Syluester *verbo Iudæus, q.* 1. *dicto* 6. limitent interdici Fidelibus aliquid in testamento legare vniuersitati Iudæorum, vel Infidelium; secus autem alicui particulari de illa vniuersitate: meliùs tamen ipse Syluester ex communi sententia Doctorum id intelligit, itavt aliquid legare vniuersitati Fidelibus nunquam liceat, liceat tamen aliquando alicui particulari de illa vniuersitate. Idque si ille magnam necessitatem patiatur, & non aliàs, etiamsi Testatoris sit soror, vel frater.

Non licet igitur Fideli hæredes, vel legatarios facere Iudæos; & quidem non licere Fideli aliquid vniuersitati Iudæorum legare, est communis sententia Doctorum *ex l.* 5. *Cod. de Iudæis*; legare autem aliquid cuipiam Pagano in particulari, prohibitum est Episcopis *in cap. si quis Episcopus, de hæret.* Quod præceptum extenditur ad Clericos *in cap. inter eos, eodem titulo*. Sed iam consuetudo obtinuit, nullum in vniuersum esse legatum extra extremam, vel grauem necessitatem, relictum Iudæo, siue Iudæus consanguineus, siue non consanguineus sit. Syluester, & Suarez *in loc. supr. cit.* Quamvis alij, quos sequitur Coninch. *vbi suprà, n.* 171. putent attendendam esse consuetudinem loci.

Hinc sequitur, quod non prohibeatur Fidelibus cum Iudæis in mercibus emendis, vel vendendis contractus facere; quia id ipsis nullibi iure prohibetur, quinimò à contrario sensu permissum esse colligitur ex textu *in cap. Post miserabilem, de vsuris.* Quia cum ibi statuatur, Iudæos posse compelli ad vsuras à Christianis extortas restituendas, & si non restituant, posse à consortio Christianorum expelli, sequitur, quod si hæc culpa tali pœna à Iudice non plectatur, hos contractus cum Iudæis facere Fidelibus permittatur. Abbas *in citato cap. Post miserabilem, n.* 3. & alij Canonistæ *ibid.* Syluester *verb. Iudæus, q.* 1. *dict.* 7. Rosella *n.* 5. Angelus *n.* 1. *circa finem*, Armilla *num.* 5. Tabiena *q.* 1. *n.* 2. & alij, quos sequitur Azor. *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 8. *cap.* 22. *q.* 4. 6

Aduerte quartò, non interdici Fidelibus bellum iustum gerentibus, in subsidium, seu adiutorium aduocare quoscumque Infideles, si sola rei natura spectetur; quia id Fidelibus nullibi interdictum reperitur, & est sententia communis Doctorum omnium. 7

Dixi, *si sola rei natura spectetur*; quia sæpè id nefas est. Tum ratione scandali. Tum etiam ratione magnæ ruinæ, quam isti tales ex odio, in Religione, moribus, & rebus Christianorum libenter operantur. Bannez 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. *dub.* 3. Molina *de iustit. & iur. tom.* 1. *disp.* 112. *circa finem*, Valentia 2. 2. *disp.* 3. *q.* 16. *punct.* 2. *vers. Atque eadem ratione*, & alij, quos sequitur Azor. *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 8. *cap.* 25. *quæst.* 13.

Aduerte quintò (licèt ex dictis probabilius sit, prædictam

prædictam prohibitionem extendi ad famulatum, etiamsi sit extra domum, & siue sit rarus, siue frequens; quia ratio prohibitionis est, ne filij liberæ seruiant filiis ancillæ: Quæ ratio procedit de quocumque famulatu, siue sit intra, siue extra domum; & siue sit rarus, siue frequens. Item quod licèt ex dictis etiam probabilius sit, quod licitè fidelis possit locare operas suas Iudæis ad colendos agros, fabricandam domum, modò tamen Iudæus non sit continuò præsens labori, cùm si frequenter adsit, videatur occasio familiaritatem contrahendi, ac proinde militare prohibitio) nihilominus oppositum, quod docent Ostiensis, Ioan. Andreas, Coninch, & Bonacina, non esse omninò improbabile, scilicet solum famulatum in propria domo Iudæi prohiberi; quia solùm is, qui ibi habitat, & per propriam personam Iudæo ministrat, propriè famulus nuncupatur; alij verò Coloni, & Mercenarij nuncupantur.

Neque obstat, rationem prohibitionis esse, ne filij liberæ seruiant filiis ancillæ; quia dici potest, non quodcumque seruitium prohiberi, aliàs non liceret operas conducere, quod & Doctores alterius sententiæ etiam vltrò concedunt, sed prohiberi solùm seruitium famulatus, qui propriè in sola domo Iudæorum reperiri potest; quod autem præsens, vel absens sit Iudæus labori præstito, dici potest, non posse esse causam, quod propterea fidelis impediatur illi operas suas locare; quia ex tali locatione & seruitio non solet contrahi familiaritas: tum quia non quælibet familiaritatis occasio est prohibita, sed solùm illa, quæ contingit ex famulatu: neque textus *in cap. mulierum, de Iudæis*, distinguit, an absens, vel præsens sit Iudæus culturæ agrorum, vel ædificationi domorum.

Aduerte sextò, prohiberi etiam fideli deferre arma, vestes, cibos, & alia suffragia Iudæis, & Paganis Christianæ Reipublicæ inimicis, sub pœna excommunicationis latæ, & reseruatæ Summo Pontifici in Bulla Cœnæ Domini: quæ probibitio habetur etiam *in cap. ita quorundam, & in cap. quod olim, de Iudæis.*

SECTIO XI.

Quidnam dicendum de nono casu, in quo fidelibus interdicitur, quod Iudæis seruitutis vinculo subjiciantur? Et quidnam dicendum de decimo casu, in quo iisdem fidelibus interdicitur, quod eosdem Iudæos publicis officiis inter Christianos fungi permittant?

SVMMARIVM.

1 *Fidelibus interdicitur subjici Iudæis seruitutis vinculo, necnon permittere, quod iidem Iudæi publicis officiis inter Christianos fungantur. De quibus prohibitionibus dicendum est, quod proxima præcedenti sectione dictum est.*

1 Respondetur: Id patet ex iis, quæ dicebam *suprà, præsertim sect. præced. & sect. 2. in fine.*

Extra hos casus licebit fideli cum Iudæis, vel Paganis communicare, atque adeò licebit fideli cum illis contractus emptionis, & venditionis inire, & similia facere, sicut suprà dicebam: Cauere tamen debebit nimiam familiaritatem, ne forsan scandali, vel peruersionis periculum succedat: sic Doctores communiter, quos sequitur Azor. *lib. 8. instit. moral. cap. 22. q. 4.* & Bonac. *disp. 3. q. 2. punct. 5. circa finem.* Vide quæ dicebam *suprà, dub. 205. sect. 17. per totam.*

SECTIO XII.

An communicatio in omnibus decem casibus (de quibus suprà dicebatur) interdicta fidelibus cum Iudæis, sit etiam interdicta iisdem fidelibus cum omnibus aliis infidelibus?

SVMMARIVM.

1 *Communicatio in omnibus prædictis decem casibus interdicta fidelibus cum Iudæis, licèt à nonnullis censeatur interdicta indistinctè cum Iudæis, & cæteris omnibus infidelibus, quia ex aliis etiam immineat periculum peruersionis: probabilius tamen est oppositum, quia Iudæi, vtpotè obstinatiores, & ad subuertendum peritiores, sunt Ecclesiæ odiosiores.*

2 *Iura interdicentia fidelem cohabitare cum Iudæo, si alios comprehendere velint, v. g. Saracenum, exprimunt, & ad alios expressè extendunt dispositionem.*

3 *Statutum loquens de Iudæis, secundùm Doctores non porrigitur ad alios infideles, nisi id exprimatur.*

4 *Prohibitio fidelibus facta inuitandi Iudæos, vel ad eorum conuiuia accedendi, extenditur tanquam casus specialis ad alios infideles, qui instar Iudæorum cibos discernunt.*

5 *Prohibitio similiter fidelibus facta simul cum Iudæo in balneum ingrediendi, extenditur etiàm tanquam casus specialis ad alios infideles: At non secundùm auctorem, quia id nullibi reperitur interdictum cum aliis infidelibus.*

6 *Communicatio cum infidelibus, vel Iudæis in illis rebus, & actionibus, quæ directè pertinent ad cultum infidelitatis, vel Iudaïsmi, nullo modo est licita.*

7 *Infideles, vel Iudæos è contra licitum est ad prædicationem verbi Dei permittere, non tamen ad Sacrificium Missæ: At non inde sequitur, quod nos possimus adire, seu accedere ad eorum conuenticula: in nostris namque proponitur veritas Euangelij; in illis error superstitionis, & idololatria.*

Respondetur, quod licèt nonnulli, quos sequitur 1 Tabiena *verbo Iudæus, q. 1. a. 2.* affirment, quia quamvis iura de solis Iudæis loquantur; tamen cùm idem peruersionis periculum fidelibus ex aliorum infidelium communicatione nascatur, ad alios omnes infideles extendenda videntur: Probabilius tamen sit oppositum.

Probatur, quia Iudæi, vtpote obstinatiores, & ad subuertendum peritiores, & odium habentes in Christianos, sunt Ecclesiæ odiosiores: ergo communicatio cum Iudæis specialiter fidelibus interdicta, extendi non debet ad alios infideles.

Confirmatur, quia textus *in cap. Iudæi 2. de Iudæis,* 2 interdicens cohabitationem fidelis cum Iudæo, & volens id extendere ad Saracenos, id expressit.

Confirmatur 2. quia Antoninus, & alij Canonistæ 3 *in c. cùm sit, de Iudæis,* aiunt quod statutum in Iudæos, extendi non debeat ad alios infideles.

Confirmatur 3. quia glossa *in c. Ad mensam, verbo* 4 *Permittimus, 11. q. 3. & in c. omnes, verbo Iudæorum, 28. q. 1. & in c. quàm sit, verb. Vti, de Iudæis,* Hostiens. *ibid. n. 2.* Ioan. And. *n. 1.* Sylu. *verb. Iudæus, q. 1. dict. 1.* Roscl. *ibid. n. 1.* & alij prohibitionem fidelibus factam inuitandi Iudæos, vel ad eorum conuiuia accedendi,

extendunt, tanquam casum specialem, ad alios Infideles; eo quòd, inquiunt ipsi, omnes alij infideles, instar Iudæorum, cibos discernunt: vnde de solis infidelibus, instar Iudæorum, cibos discernentibus extensionem istam, quam prædicti Doctores faciunt, intelligendam ait præter alios Turrecremata *in dicto c. Ad mensam, n.6. & in c. nullus,* 28.q.1.n.3.

5 Confirmatur quartò, quia glossa *in cap. omnes, verb. Balneum,* 24.q.1. Syluester *eodem verbo, q.3.* Armilla *ibidem, num.* 3. & alij similiter prohibitionem fidelibus factam simul cum Iudæo in balneum ingrediendi, extendunt etiam, tanquam casum specialem, ad alios infideles, per supradictum textum *in cap. omnis,* in quo refertur, quod quidam vir sanctus à balneo exiuerit, eo quòd in illo reperiretur hæreticus.

Quamvis hæc extensio mihi non probetur, quia nullibi reperitur id interdictum cum aliis infidelibus: nec factum illud illius viri sancti quidquam probat; quia diuersa ratio est de hæreticis, qui propter excommunicationem, etiam non denunciati ante Concilium Constantiense vitandi erant; tum quia dici potest, quod ille vir sanctus id fecerit non de præcepto, sed solùm de consilio.

Aduerte tamen, quod nonnulli alij Doctores, quos sequitur Suarez *de fide, disp.*18. *sect.*6. *n.*10. procedant cum distinctione, prohibitionem scilicet dictam non extendi ad quoslibet gentiles, & Paganos (quia non omnes sunt Christianæ Religionis inimici, & infesti) extendi tamen ad Saracenos, & Mahumetanos; quia isti Christianam Religionem æquè impugnant, ac Iudæi, & istorum familiaritas æquè perniciosa est, ac Iudæorum: tum etiam, quia hæc extensio sæpè reperitur in iure, *vt in l. vltima, §. vltimo, Cod. de Episcop. & cleric. in cap. Ad hæc, in cap. Cùm sit nimis, in cap. In nonnullis, in cap. Iudæi,* 2. *& in cap. vltimo, de Iudæis.*

At cùm prohibitio extra verba legis extendi non debeat, & prohibitiones ferè omnes de solis Iudæis loquantur, magis mihi probatur, quod suprà dicebam, alios scilicet infideles non comprehendi, sed quia sunt aliqui casus, in quibus prohibitio expressè extenditur ad Iudæos, & Saracenos, solùm illos casus, in quibus talis extensio expressè reperitur, excipiendos arbitror (non alios) hi sunt famulari Iudæis, & Saracenis, *ex cap. Iudæi* 5. *de Iudæis*; & præponere Iudæum, & quemlibet Paganum publicis officiis, *ex cap. Cùm sit, & cap. ex speciali, de Iudæis.* Extra duos hos casus, non arbitror alios reperiri casus, in quibus alij infideles, præter Iudæos, comprehendendi sint, propter rationes iam dictas.

6 Aduerte secundò, quod nullo modo licitum sit communicare cum infidelibus, vel Iudæis in iis rebus, & actionibus, quæ directè pertinent ad cultum Infidelitatis, vel Iudaïsmi. Est sententia communis Doctorum, & colligitur ex illo 2. ad Corinth.6.14. *Nolite iugum ducere cum infidelibus.*

7 Aduerte tertiò, quod è contra licitum sit admittere infideles, vel Iudæos ad prædicationem verbi Dei, non tamen ad sacrificium Missæ. S. Thomas *in* 3.*p.q.*8.*art.*4. *ad* 4. communiter receptus, & habetur in Concilio Carthaginensi 4. *canon.*84. ibi: [Episcopus nullum prohibeat ingredi in Ecclesiam, & audire verbum Dei, siue gentilem, siue Iudæum, siue hæreticum, vsque ad Missam catechumenorum:] quæ verba referuntur apud Gratianum *cap. Episcopus, de consecrat. dist.* 1.

Dices: possumus admittere infideles, vel Iudæos ad nostras conciones, & Ecclesias: Ergo & poterimus admitti, seu accedere ad eorum conuenticula.

Respondetur: nego consequentiam, & disparitas est, quia in nostris concionibus proponitur veritas Euangelij, sed in conuenticulis infidelium, vel Iudæorum proponitur error superstitionis, vel idololatriæ, &c. licitum est autem cuicumque audire veritatem, non similiter errorem, ob periculum subuersionis, seu defectionis à fide Christi.

SECTIO XIII.

An communicatio in omnibus decem casibus, de quibus suprà dicebatur, cum Iudæis, sit peccatum mortale?

SVMMARIVM.

1 *Communicatio cum Iudæis in omnibus decem casibus recensitis, secundùm aliquos licèt sit peccatum mortale, nisi materiæ leuitas excuset: Probabilius tamen est oppositum, præciso scandalo, vel nimia cum Iudæis familiaritate, vel subuersionis, seu à fide defectionis periculo, vel fidei, seu Religionis Christianæ dignitatis diminutione.*

RESpondetur, quod licèt Angelus *verbo Iudæus,* 1 *n.*8. Syluester *ibidem, q.*1. *dicto* 5. Rosella *num.*2. Tabiena *q.*7.*n.*7. & alij, quos sequitur Suarez *disputat.*18. *de fide, sect.*6. *n.*9. & Azor. *tom.*1. *Instit. moral. lib.*8. *cap.*12.*q.*2. limitantes, nisi materiæ leuitas excuset, sententiam affirmatiuam sequantur; quia in omnibus decem prædictis casibus contrauenienti pœnæ graues, etiam in aliquibus eorum excommunicatio ferenda, sicuti patet ex iis, quæ dicebantur *sect.*2. probabilius tamen sit oppositum, quod docent Caietanus *verbo Iudæorum conuersatio,* Armilla *verbo Iudæus, n.*3. Aragonius 2.2. *q.*10. *art.*9. *in princ.* & Emanuël Sà *in summa, eodem verbo Iudæus, n.*1. quatenus ait, non esse mortale cum Iudæo conuersari, etiam intra domum eiusdem Iudæi habitando, vel eiusdem Iudæi, tanquam medici, operam adhibendo; dummodò tamen non adsit scandalum, vel ob nimiam cum Iudæis familiaritatem, subuersionis, seu à fide defectionis periculum; cùm tunc quis absque dubio se debeat abstinere, quia eodem præcepto, quo prohibetur à fide defectio, prohibetur etiam à fide defectionis periculum, & consequenter communicatio, in qua est tale periculum vel contemptus, vel fidei, seu Religionis Christianæ dignitatis diminutio.

Probatur, quia omnes prædicti decem casus interdicuntur fidelibus cum Iudæis ratione alicuius ex his quatuor inconuenientibus: ergo, si omnia hæc quatuor inconuenientia cessabunt, excusari poterit contraueniens à peccato mortali.

Cæterùm nonnulli alij Doctores, & quidem satis probabiliter procedunt cum distinctione, esse scilicet mortale peccatum per se omnia illa, quæ iure communi continentur, quæ sunt quinque illi casus postremo loco positi (vt diuturnè famulari Iudæo, Iudæi medici opera vti, Iudæi filios in eius domo nutrire, Iudæum in officiis publicis tolerare, &c. quia tam ex parte finis, quàm ex parte materiæ causa sufficiens est, vt horum casuum obligatio grauis esse censeatur, licèt aliquando ex paruitate materiæ à peccato mortali hæc excusari possint, quod commune est omnibus præceptis: qua de re videri poterit præter alios Suarez *de fide, disp.*18. *sect.*6. *n.*9. & Azor. *lib.*8. *instit. moral. cap.*12. *q.*2. Non autem esse mortale peccatum per se quinque alios primos casus desumptos ex Concilio Trullano, & relatos *in cap. nullus,* 28. *q.* 1. itavt circa istos nulla sit alia prohibitio præter eam, quæ iure naturæ inest, scilicet si periculum scandali, vel peruersionis adsit, quia canones talis Concilij non sunt *ex* 6. *Synodo*

gene

generali, prout arbitratur Gratianus, sed ex quibusdam Pontificibus, qui vt Iustiniano Imperatori placerent, plura statuerunt: quorum statuta ab Ecclesia Romana recepta non sunt, vt præter alios probat Bannez 2.2.q.1. art.1. dub.5. quapropter huiusmodi quinque casus non obligare affirmant Doctores, quos sequitur Coninch. *disp.* 18. *dub.* 15. *n.* 168. & quæ notabamus *suprà dubit.* 205. *sect.* 17.

SECTIO XIV.

Quisnam possit dispensare cum fidelibus, vt in aliquo ex prædictis decem casibus (de quibus suprà dicebatur) communicent cum Iudæis, v. g. quod fœmina Christiana nutriat filium Iudæi in domo eiusdem Iudæi?

SVMMARIVM.

1 *Solus Summus Pontifex dispensare potest cùm fidelibus, vt in aliquo ex prædictis decem casibus communicent cum Iudæis, v.g. quod fœmina Christiana nutriat Filium Iudæi in domo eiusdem: prohibitio enim prædicta, sicut procedit à iure Pontificio, ita per Pontificem tolli potest.*

2 *Episcopus, licèt secundùm Ananiam, possit in prædicto casu dispensare: Probabilius tamen est oppositum, & cur.*

3 *Solus Summus Pontifex similiter potest dispensare in communicatione in quolibet alio ex decem casibus; quia pariter ex vno capite eius prohibitio descendit ex iure Pontificio, & ex altero capite nullibi reperitur Episcopo concessa dispensatio.*

1 RESpondetur: Solus Summus Pontifex. Abbas *in cap. Ad hæc, circa finem, de Iudæis*, Ananias *ibid. n.* 6. Cardinalis *in fine*, Syluest. *verbo Iudæus, q.* 2. *dict. tom.* 4. Angelus *ibidem, n.* 5. Rosella *num.* 6. Armilla *n.* 8. Tabiena *q.* 5. *n.* 5. Item *in verbo Infidelitas, q.* 7. *num.* 7. Suarez *disputat.* 18. *sect.* 6. *num.* 9. & alij tam Canonistæ, quàm Summistæ, & Theologi communiter.

Probatur, quia ex vno capite prohibitio hæc descendit à Iure Pontificio, & ex altero capite nullibi reperitur Episcopo commissa dispensatio: Ergo, &c.

2 Aduerte tamen, quod nonnulli cum Anania *loco suprà citato*, teneant posse Episcopum dispensare, quod fœmina Christiana nutriat filium Iudæi, extra domum tamen eiusdem Iudæi; quia id, cùm sint hinc & inde opiniones, an iure prohibeatur, vt patet ex iis, quæ dicebantur *sect.* 9. non est, inquiunt ipsi, propriè dispensare in Iure Pontificio.

At opinio hæc mihi non probatur, quia vel sequimur opinionem, esse id iure prohibitum, affirmantium, vel sequimur opinionem negantium: Si primum, ob rationem dictam non potest Episcopus dispensare: Si secundum non est opus vlla dispensatione.

3 Aduerte secundò, quod similiter solus Summus Pontifex possit dispensare ad communicationem in quolibet alio ex decem cæteris casibus (si sit tamen in vigore obligationis, iuxta ea quæ suprà dicebantur) quia similiter ex vno capite eius prohibitio descendit ex Iure Pontificio, & ex altero capite nullibi reperitur Episcopo concessa dispensatio. Videri poterit præter alios Tabiena *cit. verb. Infidelitas, q.* 7. *num.* 7.

Cæterùm, licèt in supradictis casibus dispensare, dum est illos obseruandi obligatio, qualis saltem forsan est in quinque casibus posterioribus, si non in quinque aliis prioribus, iuxta ea quæ dicebam *sect. præced. & dubitatione* 205. *sect.* 17. non possit, nisi solus Pontifex; quia (sicuti dicebam) est lex ab ipso lata (cuius dispensatio nullibi concessa Episcopo reperitur:) In casu tamen speciali, vbi scilicet necessitas instaret, & in mora periculum esset, dispensare posset etiam Episcopus; quia tunc ex benigna legislatoris interpretatione censetur etiam Episcopo esse concessa dispensatio: sic Doctores, quos sequitur Suarez *disput.* 18. *sect.* 6. *num.* 9. omninò videantur quæ dicebantur *suprà, citata dubit.* 205. *sect.* 17. *in Appendice.*

SECTIO XV.

An omnis Infidelitas sit peccatum?

SVMMARIVM.

1 *Infidelitas est duplex, vna purè negatiua, qualis est in illis, qui nihil vnquam audierunt de fide Christi: altera contraria, qualis est in illis, qui è contra audierunt quidem de fide; sed tamen vel contemnunt, vel oppugnant, vt sunt hæretici, Turcæ, Iudæi, & multi alij gentiles.*

2 *Infidelitas posterior, scilicet contraria, absque dubio, vtpote quia præcognita, vincibilis, atque adeò voluntaria, sicque imputabilis, atque culpabilis, est peccatum.*

3 *Infidelitas purè negatiua, an sit peccatum, necne, pendet ex altera illa quæstione, an scilicet in nonnullis gentilibus possit esse inuincibilis ignorantia nostræ fidei: Si enim potest esse, vtpotè non præcognita, atque adeò non voluntaria, sicque non culpabilis, non est peccatum.*

4 *Infidelitas non est peccatum contra fidem, sed solùm est pœna peccati, quando quis inuincibiliter, sicque sine culpa ignorat mysteria fidei Christianæ; quod quidem probatur scripturis.*

5 *Nonnulli etiam sunt surdi & muti, vt vix ac ne vix quidem instrui possint: Et nonnulli etiam sunt hebetes ita ingenio, vt vix discurrere valeant.*

6 *Contemporanei Christo, priusquam ipsis Euangelium promulgatum fuisset, absque dubio inuincibiliter ignorabant fidem Christi, ita vt non credendo non peccarent: Et idem dicendum est de iis, quibus hoc tempore idem Euangelium sufficienter promulgatum non est.*

7 *Facienti quod in se est, non quidem viribus naturæ, sed auxilio gratiæ, Deus non denegat gratiam, & necessaria ad salutem: vnde infertur, quod denegat fidem in pœnam peccati.*

8 *Fides Christi haberi potest à quolibet homine, etiam gentili, quantum est ex parte Dei, nisi ipsemet homo impediat, quia si faceret quod in se est, Deus illum non desereret; sed paulatim, scilicet vel extrinsecus per hominem, aut Angelum, vel intrinsecus per illuminationem supernaturalem aliquam internam perduceret ad fidem.*

9 *Infidelitas purè negatiua non est culpabilis, quasi ipsa per se sit culpa, seu peccatum, vtpote inuincibilis, & non præcognita, neque voluntaria; est tamen culpabilis, quia oritur ex culpa, seu peccato.*

10 *Infidelitas oritur ex culpa, seu peccato, non ita vt sit præuisa in culpa, seu peccato: oritur tamen vt non præuisa in culpa, seu peccato, & consequen-*

ter non est voluntaria ; atque adeò in seipsa non est culpa, seu peccatum.

21 *Peccatum, ex quo oritur infidelitas purè negatiua, est in nostra potestate physicè, seu in genere naturæ, & est in nostra potestate moraliter, seu in genere moris, vt præuisum in culpa, seu in peccato; secus si non vt præuisum in culpa, seu in peccato, quia tunc vt non præuisum non est voluntarium.*

22 *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, & necessaria ad salutem, consequenter neque fidem, cùm & hæc sit quammaximè necessaria ad salutem; non inde tamen infertur, quod ignorantia purè negatiua fidei, sit in se peccatum, &c.*

23 *Ignorans inuincibiliter fidem nostram potest, & non potest saluari: non potest consequenter ad ignorantiam fidei, quæ vtpote pœna peccati supponit peccatum, cum quo sine dubio saluari potest: Potest tamen antecedenter, si faciat quod in se est; quia tunc paulatim à Deo producitur ad fidem.*

24 *Ignorans inuincibiliter fidem, implicat si sit adultus, quod nunquam peccauerit mortaliter; quia fecit quod est in se, atque adeò consecutus est fidem: nullus enim adultus, qui est sine peccato mortali, discedit ex hac vita sine fide.*

25 *Apostolus* ad Romanos 10. & 18. vbi ait: *Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, &c. loquitur de omnibus, & singulis nationibus, non autem de omnibus, & singulis personis.*

1 SVppono, quod infidelitas sit duplex: vna purè negatiua (qualis est in illis, qui nihil vnquam audierunt de fide Christi) vt sunt nonnulli gentiles, quibus fides Christiana non est sufficienter promulgata: altera contraria (qualis est in illis, qui è contra audiuerunt quidem de fide, sed tamen contemnunt, vel oppugnant illam) vt sunt hæretici, Turcæ, Iudæi, & multi alij gentiles, quibus è contra fides Christiana sufficienter est promulgata.

2 Suppono secundò, quod posterior infidelitas (*scilicet contraria*) absque dubio (vtpote quia præcognita, vincibilis, atque adeò voluntaria, sicque imputabilia, atque adeò culpabilis) sit peccatum; quæstio autem sit inter Doctores, an similiter etiam sit peccatum prior ignorantia (scilicet *purè negatiua*) cuius quæ-
3 stionis solutio pendet ex altera illa quæstione, an scilicet in nonnullis gentilibus possit esse inuincibilis ignorantia nostræ fidei? si enim potest esse iam illorum infidelitas (vtpote quia non præcognita, non voluntaria, atque adeò non imputabilis, sicque non culpabilis) non est peccatum, ita vt hi tales non peccent non credendo; si non potest esse iam è contra (vtpote quia præcognita, voluntaria, atque adeò imputabilia, sicque culpabilis) est peccatum, ita vt hi tales è contra peccent non credendo. His suppositis,

Respondetur: potest quis inuincibiliter, sicque sine culpa ignorare mysteria fidei Christianæ, ita vt in tali casu infidelitas illius non sit peccatum contra fidem, sed solùm sit pœna peccati. S. Thomas 2.2.*q.*10.*art.*1. & alij, quos citat, & sequitur Vasquez *ibidem*, *disp.* 150. *cap.* 1. contra Alexandrum, Albertum, Gabriëlem, S. Bonauenturam, & alios apud eundem Vasquez.

4 Prior pars probatur scripturis *ex illo Ioannis* 15. 22. [Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo:] Quod explicans Augustinus *tr.* 89. *in Ioannem*, *de peccato infidelitatis*, ait: eos, quibus Christus prædicatus non est, habere excusationem, [non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt.]

Secundò probatur ratione; quia tunc quis censetur inuincibiliter rem aliquam ignorare, quando nihil vnquam de illa vel audiuit, vel cogitauit, & nihil vnquam de illa moraliter audire, vel cogitare possit. At nonnulli sunt gentiles hoc tempore, qui nihil vnquam audierunt, vel cogitauerunt de fide Christi, & in illis locis, vbi degunt, nihil vnquam de illa moraliter audire, vel cogitare potuerunt: Ergo censentur inuincibiliter ignorare fidem Christi, ita vt non peccent non credendo; quia nihil est voluntarium, nisi præcognitum (cum voluntas, teste Philosopho, sit potentia cæca) & ex alio capite nihil est imputabile, sicque culpabile; atque adeò peccatum, nisi voluntarium.

Confirmatur, quia nonnulli etiam sunt surdi, & 5
muti, vt vix, ac ne vix quidem instrui possint. Et nonnulli etiam, teste Aristotele, sunt homines irrationales, id est, ita ingenio hebetes & stupidi, vt vix discurrere valeant, & de se, scilicet sine alio instruente, consequi possint.

Confirmatur secundò, quia qui vixerunt tempore 6
Christi prinsquam Euangelium promulgatum fuerit, absque dubio inuincibiliter ignorabant fidem Christi, vt non credendo non peccarent: Ergo idem dicendum de iis, quibus hoc tempore similiter idem Euangelium sufficienter promulgatum non est. Antecedens patet. Consequentia probatur à pari, cùm vtrobique sit eadem ratio.

Posterior pars (nempe, quod tamen si infidelitas in eo, qui inuincibiliter ignorat fidem Christi, non sit peccatum, vti dicebam, nihilominus sit pœna peccati) probatur auctoritate Augustini *epist.* 109. *ad Sixtum, circa medium*, vbi tractans illud ad Romanos 1. 18. *Reuelatur ira Dei*, concludit, *ignorantiam in illis, qui intelligere noluerunt, peccatum esse; in iis autem, qui non potuerunt, pœnam peccati esse.*

Secundò probatur ratione; quia facienti quod in 7
se est (non quidem viribus naturæ. Sic enim ipsemet homo se disponeret ad gratiam, & ipsemet homo se discerneret, contra illud Apostoli: *Quis est, qui se discernat?* sicque natura haberet connexionem cum gratia, quod sapit Pelagianismum: sed facienti, vt rectè explicat S. Thomas, quod in se est cum auxilio gratiæ) Deus non denegat gratiam, & necessaria ad salutem: Ergo neque denegat fidem (cùm hæc quammaximè sit necessaria ad salutem:) Ergo si eam alicui denegat, denegat quia ille non facit quod in se est; Ergo denegat in pœnam alicuius peccati; ergo in tali casu ignorantia fidei, licèt non sit peccatum ob rationes dictas, erit tamen pœna peccati.

Ex quibus aduerte, quod fides Christi haberi 8
possit à quolibet homine, etiam gentili, quantum est ex parte Dei, nisi ipsemet homo impediat; quia si faceret quod in se est, Deus illum non desereret, sed paulatim, scilicet vel extrinsecus per hominem, aut Angelum, vel intrinsecus per illuminationem aliquam supernaturalem internam perduceret ad fidem. At quoniam complures non faciunt, quod in se est, sicque ipsi per sua peccata impediunt, quominus ad fidem à Deo paulatim modo supradicto perducantur; ideò infidelitas ipsorum est pœna alicuius peccati, ita vt tunc ipsi decidentes non damnentur ob ignorantiam fidei, quia non est illis peccatum, sed damnentur ob illud peccatum, in cuius pœnam continuè vsque ad vitæ finem habuerunt ignorantiam fidei.

OBIECTIONES.

Objicies: infidelitas purè negatiua est pœna alicuius peccati; ergo est culpabilis; ergo est peccatum, & non tantùm pœna peccati.

Respondetur, distinguo primum consequens. Est 9
culpabilis, quasi ipsa per se sit culpa, seu peccatũ, nego con

consequentiam; quia, vtpotè inuincibilis, & non præcognita, non est voluntaria: Est culpabilis, quia oritur ex culpa, seu peccatu, &c. concedo: At nego consequentiam ob rationem dictam; quia scilicet est inuincibilis, & non præcognita, atque adeò non voluntaria, sicque non culpabilis in genere moris, atque adeò non culpa, seu peccatum.

10 Instabis: oritur ex culpa, seu peccato tanquam ex causa: Ergo est culpabilis in causa; ergo adhuc in se ipsa est culpa, seu peccatum, & non tantùm pœna peccati; quemadmodum homicidium factum in ebrietate, sicque ortum ex ebrietate tanquam ex causa; quia est culpabile in causa, est in seipso culpa, seu peccatum.

Respondetur: distinguo antecedens, oritur ex culpa, seu peccato, ita vt sit præuisa in culpa, seu peccato, &c. nego antecedens (alioquin non esset contra suppositum inuincibilis ignorantia) oritur ex culpa, seu peccato, ita vt non sit præuisa in culpa, seu peccato, &c. concedo antecedens, at nego consequentiam; quia vtpote non præuisa in culpa, seu in peccato, non est voluntaria, atque adeò in seipsa non est culpa, seu peccatum, quemadmodum homicidium, quod fit in ebrietate, & oritur ex illa, tanquam ex causa, est in seipso peccatum, si præuideatur in ebrietate, secus si non præuideatur in illa: quapropter retorquetur potiùs argumentum contra aduersarios.

11 Reinstabis: peccatum, ex quo oritur infidelitas purè negatiua, est in nostra potestate: Ergo est in nostra potestate id, quod sequitur in tali peccato: Ergo & est in nostra potestate infidelitas purè negatiua, quæ sequitur ex dicto peccatu: Ergo si dicta infidelitas est in nostra potestate, est in seipsa culpabilis, atque adeò est in seipsa peccatum, & non tantùm pœna peccati.

Respondetur: distinguo primum, & secundum consequens: est in nostra potestate physicè, seu in genere naturæ; concedo: Est in nostra potestate moraliter, seu in genere moris, subdistinguo, si præuideatur in culpa, seu in peccato, concedo; quia tunc vt præuisa in culpa, seu in peccato, est voluntaria; si non præuideatur in culpa, seu in peccato (quemadmodum contingit in nostro casu) nego, quia tunc, vt non præuisa, non est voluntaria, atque adeò non est in se culpa, seu peccatum; sicuti patet in exemplo suprà adducto de homicidio facto in ebrietate.

12 Vrgebis: facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, & necessaria ad salutem: Ergo neque fidem, cùm & hæc sit quammaximè necessaria ad salutem: Ergo Deus illam nemini denegat, nisi qui non facit quod in se est: Ergo denegat propter culpam, seu peccatum: Ergo ignorantia purè negatiua fidei est se ipsa peccatum, & non tantùm pœna peccati.

Respondetur: concedo totum: at distinguo vltimum consequens: si præuideatur in peccato, concedo: si non præuideatur in peccato, nego propter rationem dictam, ita vt ex communi illo axiomate nihil aliud concludatur, quàm quod dicebam, scilicet quod infidelitas purè negatiua quorundam gentilium sit pœna peccati; quodque illi ideò ignorent nostram fidem, quia non faciunt, quod in se est, sicque id patiantur in pœnam talis peccati.

13 Objicies secundò: sit qui ignoret inuincibiliter fidem nostram; iste talis vel poterit, vel non poterit saluari: si poterit, iam sine fide saluaretur, & sic fides non esset necessaria ad salutem: si non poterit, iam salus illi esset impossibilis. At vtrumque est falsum: Ergo.

Respondetur, quod ista talis poterit, & non poterit saluari; non poterit consequenter ad ignorantiam fidei, quæ vtpotè pœna peccati, supponit peccatum, cum quo sine dubio nemo saluari potest; poterit antecedenter, si faciat quod in se est, quia tunc paulatim modo, quo suprà dicebam, à Deo perduceretur ad fidem; & sic vtrumque est verum, scilicet neminem posse saluari sine fide, & vnumquemque posse saluari, si faciat quod in se est; quia si faciat, quod in se est, consequetur fidem, & fidem assecutus poterit saluari, si aliunde sibi non desit.

Objicies tertiò: sit qui inuincibiliter ignoret fidem, & nunquam peccauerit mortaliter; iste talis non potest saluari, quia non habet fidem; nec potest damnari, quia nunquam peccauit mortaliter: Ergo. 14

Respondetur: implicat casus, quia si nunquam peccauit mortaliter, fecit quod est in se, atque adeò consecutus esset fidem, vti suprà dicebam. Nullus igitur adultus, qui est sine peccato mortali, discedit ex hac vita sine fide; quia sicuti dicebatur, si est sine peccato, facit quod in se est; & si facit, quod in se est, Deus non denegat illi necessaria ad salutem, atque adeò neque denegat fidem.

Objicies quartò: Apostolus *ad Romanos* 10. 18. videtur supponere, quod nemo possit se excusare propter ignorantiam fidei, cum Euangelium vbique sufficienter promulgatum sit, ibi: *Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum:* Ergo. 15

Respondetur, nego assumptum; quia Apostolus, licèt loquatur de omnibus, & singulis, loquitur tamen de omnibus, & singulis nationibus; non autem de omnibus, & singulis personis.

SECTIO XVI.

Quotnam sint species peccati infidelitatis?

SVMMARIVM.

1 *Infidelitatis contraria tres sunt species, paganismus, Iudaismus, & hæresis; sicut enim tot sunt species alicuius vitij, quot modis vitium opponitur virtuti; ita & in fide infidelitas, quia tribus modis opponitur fidei Christianæ, tres sortitur infidelitatis species.*

2 *Infidelitas vel opponitur fidei nondum susceptæ, & tunc est Paganismus; vel fidei susceptæ in figura, & tunc est Iudaïsmus; vel tantùm opponitur fidei susceptæ in veritate, & tunc est hæresis.*

3 *Infidelitatis prædictæ tres species non distinguuntur specie, seu naturaliter in ratione malitiæ, seu peccati; quia virtus fidei consistit in eo, quod aliquis credat diuinæ auctoritati reuelanti.*

4 *In Paganismo, Iudaïsmo, & hæreticismo non sunt specie seu essentialiter diuersæ priuationes, consequenter neque sunt specie, seu essentialiter diuersæ malitiæ.*

5 *Infidelitatis prædictæ tres species intra eandem speciem distinguuntur solùm accidentaliter secundùm magis, & minus; idest secundùm maiorem, & minorem oppositionem auctoritatæ diuinæ reuelanti.*

6 *Infidelitatis inter prædictas tres species, grauissimum peccatum est hæresis; quia licèt in omni ex dictis casu malum sit aduersari fidei diuinæ, pessimum tamen est aduersari fidei diuinæ susceptæ in manifesta veritate, quod fuit hæreticus.*

7 *Paganus errat circa plura, quàm Iudæus, &*

Iudaeus errat circa plura, quàm hereticus extensiuè, & quoad plura obiecta materialia; non autem intensiuè, scilicet quoad maiorem contemptum diuinæ auctoritatis reuelantis.

8 *Infidelitas præter illas tres species, quas habet, quatenùs opponitur fidei diuinæ, habet innumeras alias species, quatenus respicit varios errores in materia fidei diuinæ: quod intellige materialiter tantùm, non autem formaliter.*

9 *Apostasia vel sumitur pro recessu ab obedientia, aut ab ordine clericali, aut à statu religioso, & tunc non est infidelitas: vel sumitur pro recessu à fide, & tunc licèt sit quædam infidelitas, per quam quis omninò recedit à vera fide in Baptismo suscepta, non tamen est peculiaris species infidelitatis distincta ab heresi, Iudaismo, & Paganismo; sed vlteriùs solùm inuoluit quandam circunstantiam aggrauantem.*

10 *Blasphemia non est quædam infidelitas quando est contra virtutem Religionis, quando verò est contra fidem, tunc reducitur ad haresim.*

1 NOn loquor de infidelitate purè negatiua, qualis est in quibusdam gentilibus, qui nihil vnquam audierunt de fide Christi, ita vt illa ipsis sufficienter non sit promulgata; quia talis infidelitas, vtpote inuincibilis, seu vtpote non præcognita, sicque non voluntaria, atque adeò non imputabilis, non est peccatum, vti *sect. praced.* dicebam, sed loquor de infidelitate contraria, qualis est in illis, qui quidem audierunt de fide Christi, ita vt illa ipsis sit sufficienter promulgata; illam tamen contemnunt, vel impugnant: quæ infidelitas contraria (cùm sit ipsis vincibilis, seu præcognita) est ipsis voluntaria, sicque imputabilis, atque adeò peccatum. His suppositis

Respondetur, infidelitatis contrariæ (quæ scilicet ex dictis opponitur fidei) sunt tres species, Paganismus, Iudaismus, & hæresis. S. Thomas 2. 2. q. 10. *art. 5.* & alij communiter.

Probatur, quia tot sunt species alicuius vitij, quot modis vitium opponitur virtuti: sed infidelitas tribus modis opponitur fidei Christianæ: Ergo tres sunt species infidelitatis. Maior patet in virtute morali, cui propterea duo vitia opponuntur; quia duobus modis vitium opponitur virtuti, scilicet per ex-

2 cessum, vel per defectum. Minor probatur, quia infidelitas vel opponitur fidei nondum susceptæ, & tunc est paganismus; vel opponitur fidei susceptæ in figura, & tunc est Iudaïsmus, vel tandem opponitur fidei susceptæ in veritate, & tunc est hæresis.

3 Hinc sequitur, quod istæ tres species infidelitatis non distinguantur specie, seu essentialiter in ratione malitiæ, seu peccati. S. Thomas *loco suprà citato, articul. 5. ad 1.* communiter receptus, quia virtus fidei consistit in eo, quod aliquis credat diuinæ authoritati reuelanti: Ergo (cùm oppositio contra talem virtutem sit eiusdem naturæ in pagano, seu gentili, Iudæo & hæretico, licèt non habeat vbique easdem circunstantias, vt mox infrà apparebit) prædictæ species infidelitatis non distinguuntur specie, seu essentialiter in ratione malitiæ, seu peccati.

4 Confirmatur, quia in Paganismo, Iudaïsmo, & hæresi non sunt specie, seu essentialiter diuersæ priuationes: Ergo neque sunt specie, seu essentialiter diuersæ malitiæ. Consequentia patet, quia formalis ratio peccati, vt *in 1. 2. tractat. de peccato*, non est quid positiuum, sed quid tantùm priuatiuum. Antecedens probatur, quia priuationes vnius, & eiusdem formæ non sunt specie, seu essentialiter diuersæ: sed prædictæ priuationes sunt vnius, & eiusdem formæ (scilicet illius bonitatis, seu rectitudinis, quæ est in assensu fidei diuinæ:) Ergo non sunt priuationes specie, seu essentialiter diuersæ, atque adeò Paganismus, Iudaïsmus, & hæresis non sunt vitia specie, seu essentialiter diuersa.

Sequitur secundò, quod prædictæ tres species infidelitatis intra eandem speciem distinguantur solùm accidentaliter, secundùm magis, & minùs, idest secundùm maiorem, & minorem oppositionem cum authoritate diuina reuelante; quia cæteris paribus, maior est oppositio cum fide diuina in hæresi, quàm in Iudaïsmo; & maior oppositio in Iudaïsmo, quàm in Paganismo, cùm maior oppositio contra veritatem fidei diuinæ sit ibi, vbi est maior contemptus diuinæ authoritatis reuelantis, & maior contemptus diuinæ authoritatis reuelantis sit ibi, vbi maiora sunt fundamenta credibilitatis rerum, quas Deus reuelauit: At hæc omnia maiora sunt in hæretico, quàm in Iudæo, & maiora in Iudæo, quàm in pagano, cùm hæreticus agnoscat Messiam venisse, quod non agnoscit Iudæus; & Iudæus agnoscat testamentum vetus, quod non agnoscit Paganus: Ergo, &c. 5

Sequitur tertiò, quod inter prædictas tres species infidelitatis grauissimum peccatum sit peccatum hæresis. S. Thomas *loco suprà citato, art. 6.* & alij communiter, quia licèt in omni casu ex dictis malum sit aduersari fidei diuinæ; pessimum tamen est aduersari fidei diuinæ susceptæ in manifesta veritate, quod facit hæreticus; cum Iudæus solùm aduersetur fidei diuinæ susceptæ in figura, & Paganus solùm aduersetur eidem fidei diuinæ nullo modo susceptæ, neque scilicet in manifesta veritate, neque in figura: Ergo, &c. 6

Confirmatur ex illo 2. *Petri* 2 1. ibi: *Melius illis erat, non cognoscere viam iustitia, quàm post agnitionem retrorsum reuerti ab eo, quod illis traditum est.*

Neque obstat, si dicas: Paganus errat circa plura, quàm Iudæus; & Iudæus errat circa plura, quàm hæreticus: Ergo Paganismus est maxima infidelitas, & hæresis minima. 7

Respondetur enim: concedo antecedens, at distinguo consequens: Si loquamur extensiuè, scilicet quoad plura obiecta materialia, concedo: Si loquamur intensiuè, scilicet quoad maiorem contemptum diuinæ authoritatis reuelantis: nego.

OBIECTIONES.

Objicies: præter illas tres species supradictas, quas habet infidelitas, quatenus opponitur fidei diuinæ, habet innumeras alias species, quatenus respicit varios errores in materia fidei diuinæ, sicuti docet S. Thomas *vbi suprà, art. 5.* communiter receptus; quia alius est error circa Trinitatem, alius circa Incarnationem, alius circa Eucharistiam, alius circa iustificationem, &c. vnde dicimus esse in Ecclesia multas hæreses, aliam scilicet Arrij, aliam Pelagij, aliam Macedonij, aliam Lutheri, aliam Caluini, &c. Ergo species infidelitatis sunt plures, quàm tres quas suprà dicebam. 8

Respondetur, distinguo antecedens: Ita vt hæc distinctio sit tantùm materialis, concedo; quia tantùm desumitur ex diuersitate articulorum, quos Deus reuelauit: ita vt sit distinctio formalis, nego; quia non desumitur ex diuerso contemptu authoritatis Dei reuelantis.

Objicies secundò, saltem præter tres illas species infidelitatis supradictas datur apostasia: ergo adhuc species infidelitatis sunt plures, quàm tres, quas suprà dicebam. 9

Respondetur, nego consequentiam, quia apostasia (tùm, vt ait S. Thomas q. 12. art. 1. quem communiter Doctores sequuntur, non sit aliud, quàm recessus à Deo) vel sumitur pro recessu ab obedientia,

aut

aut ab ordine clericali, aut à statu religioso, & tunc certum est, quod non sit quædam infidelitas: vel sumitur pro recessu à fide, & tunc, licèr quidem sit quædam infidelitas, per quam quis omninò recedit à vera fide in Baptismo suscepta (sicuti quando ex Christiano fit Iudæus, vel Paganus, &c.) non tamen est peculiaria species infidelitatis distincta ab hæresi, Iudaismo, & Paganismo, sed inuolvit solùm vlteriùs quandam circumstantiam aggrauantem (vti rectè ait S.Thom. *cit. art.1. ad 3.* quidquid in contrarium dixerint alij) vnde eadem solet esse pœna hæreticorum, & apostatarum, vt *suprà dub.* 47. 48. 49. *&* 71. dicebam. Vide etiam quæ dicam *infrà, dub.*232. *de apostatis & fugitiuis.*

10 Objicies tertiò, saltem præter tres species infidelitatis dictas, datur blasphemia: ergo recurrit difficultas.

Respondetur, nego etiam consequentiam; quia vel blasphemia est contra virtutem Religionis (vt volunt nonnulli, quos sequitur Valentia *q.*13. *puncto* 2.) & tunc certum est similiter, quod blasphemia non sit quædam infidelitas. Vel est contra fidem, aut contra confessionem fidei, vt volunt alij cum S.Thoma *citata q.*13. & tunc si non ad Paganismum, vel ad Iudaïsmum, reducitur similiter ad hæresim. Vide quæ dicebantur *suprà, dub.*218. *de blasphemia.*

SECTIO XVII.

An liceat infidelium, & Iudæorum ritus tolerare?

SVMMARIVM.

1 *Principes Christiani, quando infideles, & Iudæi non sunt ipsis subiecti in temporalibus, tunc debent tolerare infidelium, & Iudæorum ritus, qui sunt iniuriosi solùm legi naturali, non autem Christianæ Religioni, & Ecclesiasticæ potestati, vel etiam innocentibus; quia tunc debent impedire, & prohibere.*

2 *Ecclesia habet ius defendendi, & propagandi suam fidem, & Religionem, consequenter & impediendi ea omnia, quæ sunt iniuriosa suæ fidei, & Religioni.*

3 *Quilibet habet ius defendendi innocentem iniustè oppressum: consequenter impediendi infantium immolationem.*

4 *Principes Christiani, quando infideles & Iudæi sunt ipsis subiecti, tunc omnes illorum ritus, etiam eos, qui sunt iniuriosi solùm legi naturali, possunt impedire, & prohibere; quia ij habent ius compellendi omnes suos subditos ad obseruationem legis naturalis, &c.*

5 *Ritus prædicti contra legem naturalem possunt à Principibus Christianis infidelibus, & Iudæis permitti tribus de causis. Primò, vt impediatur maius malum. Secundò, vt non impediatur maius bonum. Tertiò, si adsit præsens aliqua vtilitas.*

6 *Iudæorum ritus, sicuti ab Ecclesia tolerantur, sic etiam & ipsorum libri continentes simplicem dispositionem veteris Testamenti; non autem libri Thalmudici, & alij continentes blasphemias contra Christum, Virginem Mariam, & fidem nostram.*

SVppono, quod infideles, & Iudæi vel sint subiecti Principibus Christianis in temporalibus, vel non.

Suppono secundò, quod ritus Infidelium, & Iudæorum, vel sint iniuriosi solùm legi naturali, vel sint etiam iniuriosi Christianæ Religioni, & Ecclesiasticæ potestati, vel etiam iniuriosi innocentibus, cuiusmodi est infantium immolatio. His suppositis

1 Respondetur, & dico primò: quando infideles, & Iudæi non sunt subiecti Principibus Christianis in temporalibus, tunc infidelium, & Iudæorum ritus, qui sunt iniuriosi solùm legi naturali, possunt, & debent à Principibus Christianis tolerari; qui verò ritus infidelium, & Iudæorum sunt etiam iniuriosi Christianæ Religioni, & Ecclesiasticæ potestati, vel etiam iniuriosi innocentibus, possunt à Principibus Christianis impediri, & prohiberi.

2 Prima pars patebit ex iis, quæ dicentur *infr. sect.*19.

Secunda pars probatur, quia Ecclesia habet ius defendendi, & propagandi suam fidem, ac Religionem: ergo habet ius impediendi ea omnia, quæ sunt iniuriosa suæ fidei, ac Religioni. Sic Innocentius Papa in Concilio generali præcepit, puniri omnes illos infideles, qui contra Christum blasphemias proferrent, vt habetur *in cap. in nonnullis, de Iudæis, & Saracenis.*

3 Tertia pars probatur, quia quilibet habet ius defendendi innocentem iniustè oppressum: ergo quilibet habet ius impediendi immolationem infantium. Antecedens patet *ex Prouerb.*24. 11. Consequentia probatur, quia infans, qui immolatur, innocens est, & iniustè opprimitur.

4 Dico secundò, si infideles, & Iudæi sunt subiecti principibus Christianis, tunc omnes illorum ritus, etiam ij, qui sunt iniuriosi solùm legi naturali, possunt à Principibus Christianis impediri, & prohiberi: sic DD. communiter, &

Probatur, quia Principes Christiani habent ius compellendi omnes suos subditos ad obseruationem legis naturalis: ergo. Consequentia patet. Antecedens probatur, tum ex vsu Principum Christianorum, quandoquidem Constantinus Imperator tulit in Codice de Paganis contra idololatras leges, quæ approbatæ sunt ab Augustino *epist.*48. & ab omnibus aliis Sanctis Patribus: tum quia iurisdictio temporalis extenditur etiam ad naturalem finem obseruationis legis naturalis, præsertim eorum præceptorum, quæ pertinent ad publicam pacem, vel ad publicam morum honestatem.

5 Aduerte tamen, quod hi vltimi ritus, de quibus mox *suprà* dicebam, possint à Principibus Christianis permitti.

Primò, vt impediatur maius malum, cuiusmodi esset magna perturbatio Reipublicæ.

Secundò, vt non impediatur maius bonum, cuiusmodi esset infidelium conuersio, quæ sperari potest ex eo, si ad tempus eorum ritus tolerentur.

Tertiò, si adsit præsens aliqua vtilitas, quo modo faciliùs Iudæorum, quàm gentilium ritus tolerantur; quia Iudæorum ritus confirmant veritatem nostræ fidei, cuius figuram continent, ideoque nobis argumenta contra ipsos Iudæos suppeditant. S. Augustinus *de Ciuit. Dei, lib.*18. *cap.*46. quatenus ait, ideò Iudæos non fuisse extinctos à Deo, sed permissos dispergi per vniuersum orbem, vt ab inimicis nostris nostræ fidei testimonium haberemus, quem cum S.Thom. *q.*10. *art.*11. sequuntur alij passim.

6 Aduerte secundò, quod sicut Iudæorum ritus, sic etiam & Iudæorum libri ab Ecclesia tolerentur: quod tamen intellige de illis Iudæorum libris, qui continent simplicem expositionem veteris Testamenti; quia sicut Iudæorum ritus, sic etiam & Iudæorum huiusmodi libri Christianæ fidei figuram defendunt, & veritati testimonium præbent: non autem de illis aliis Iudæorum libris, quos scribunt Rabini contra Christum, & contra nostram fidem; huiusmodi enim Iu-

dæotum libri non tolerari, ſed ſi commodè fieti poteſt, comburi debent; quia ſunt iniurioſi Chriſtianæ fidei, vt pioptetea Ecelesia ius habeat eos impediendi, & comburendi: qua de re videti poterit ſic Caietanua *cu.q.10.art.11.* Et videti etiam poteruot quæ dicebam *suprà dub.35. vſque ad 46. de prohibittone librorum, & dub.228. ſect.3.*

SECTIO XVIII.

An poſſit Princeps Chriſtianus infideles, vel Iudæos ſibi ſubditos in temporalibus priuare Dominio, quod habent in ſeruos, ſi hi Chriſtiani efficiantur?

SVMMARIVM.

1 *Princeps priuare poteſt infideles ſibi ſubditos dominio, quod habent in ſeruos.*

2 *Serui Iudaorum, tam vernaculi, quàm ad ſeruitutem empti, liberi fiant eo ipſo, quod fidem Chriſti ſuſcipiant; ſi autem empti ſunt ad mercaturam, tenetur Dominus eos intra ſex menſes venales exponere, vt emi poſſint à Chriſtianis, & ſic fidem ſuſcipere.*

3 *Serui infidelium etiam Chriſtianis Principibus non ſubiectorum, ſi periculum peruerſionis patiantur, poſſunt à dominio ſuorum dominorum poteſtate Eccleſiaſtica abſolui.*

4 *Infidelibus non eſt permittendum, vt acquirant nouum in Chriſtianos dominium, quod antea in iſtos non habebant, quia hoc cederet in ſcandalum, & periculum fidei.*

5 *Dominium antiquum priùs à Superioribus infidelibus, vel Iudais in ſuos ſubditos, vel ſeruos habitum, non amittitur per hoc præcisè, quod ipſorum ſuperiorum infidelium, vel Iudaorum ſubditi, ſeu ſerui efficiantur Chriſtiani, quia infideles, vel Iudai ſunt capaces talis dominij, cum illud fundetur ex dictis in iure gentium, & ex alio capite fides non obſtet, quia fideles non ſunt iure diuino exempti.*

6 *Chriſtus,* Matth.17. 25. *vbi dixit: Ergo liberi ſunt filij; loquitur de ſeipſo, non autem de aliis.*

7 *Chriſtus* ad Galat.5. 13. *vbi per Paulum dixit: Vos in libertatem vocati eſtis fratres:* & in prima ad Cor.6. *vbi reprehenduntur fideles, quod cauſas agerent apud iudicem infidelem; in priori loco tantùm loquitur de libertate à peccato; in poſteriori reprehendit eos, qui cùm poterant adhibere iudicem fidelem, adibant tamen infidelem.*

8 *Eccleſia poteſt priuare infideles, vel Iudaos antiquo dominio, quod priùs habebant in ſuos ſeruos, ſi ipſorum infidelium, vel Iudaorum ſerui efficiantur Chriſtiani; quia tam ea, quàm Princeps Chriſtianus poteſt, ſi ita expediat ad bonum commune, aliquem priuare dominio aliquarum rerum.*

9 *Eccleſia, & Princeps Chriſtianus poteſt infidelibus, vel Iudais in temporalibus ſibi ſubiectis imponere tributum.*

10 *Eccleſia, & Princeps Chriſtianus poteſt ferre in ſuo territorio legem, vt ſerui fidelium, hoc ipſo ſi fiant Chriſtiani, liberi ſint à dominio, & obedientia dominorum fidelium.*

11 *Eccleſia poteſt etiam priuare infideles, vel Iudaos antiquo dominio, quod priùs habebant in ſuos ſeruos, ſi ipſorum infidelium, vel Iudaorum ſerui pariter efficiantur Chriſtiani; etiamſi ij, vel Iudai non ſubjiciantur temporalibus Principibus Chriſtianis.*

12 *Eccleſia, & Princeps Chriſtianus, ſi id non poſſet, cederet etiam in ſcandalum, & periculum fidei.*

13 *Infideles propter ſuam infidelitatem ex ſe digni ſunt priuari omni dominio in Chriſtianos, & ex alio capite fas non eſt, quod Chriſtiani ſint inferiores infidelibus.*

14 *Princeps Chriſtianus licèt non poſſit prædictos infideles, vel Iudaos in temporalibus ſibi non ſubiectos per temporalem iuriſdictionem punire directè, poteſt tamen indirectè, ſiue ex commiſſione Eccleſia.*

REſpondetur affirmatiuè: S.Thom. 2.2. *q.10.art.* 1
10. quem ſequuntur communiter Doctores, & ſeruat Eccleſia, quæ etiam *in cap. fraternitatem, diſt.54. & in cap.1. & 2. de Iudais,* decernit quod ſerui Iudæo- 2
rum (tam vernaculi, id eſt in ſeruitute nati, quàm ad ſeruitutem empti) liberi eo ipſo, quod fidem Chriſti ſuſcipiunt, efficiantur; ſi autem empti ſint ad mercationem, teneatur dominus eos intra tres menſes venales exponere, vt poſſint emi à Chriſtianis, ſicque fidem ſuſcipere. Et ratio eſt, quia Princeps licitè poteſt ſubditos ſuos priuare dominio rerum, quas habent, ſi ſic bonum commune, præſertim fidei, vel Religionis, expoſtulauerit, vti dicebam de Comitiis, ſeu Parlamentis, *dubit.4. edit.1. & cap.2. dubit.4. ſect.32. edit. 2.*

Quod adeò verum eſt, vt ſi ſerui infidelium, vel 3
Iudæorum, etiam Chriſtiano principi in temporalibus non ſubditorum, periculum peruerſionis à ſuis Dominis infidelibus, vel Iudæis patiantur, poſſint à dominio prædictorum ſuorum dominorum Eccleſiaſtica poteſtate abſolui, quia tunc non directè, ſed indirectè tantùm in infideles, vel Iudæos iuriſdictio exercetur, quatenus ſcilicet id neceſſarium eſt ad tuendum finem Eccleſiaſticæ poteſtatis Principibus Chriſtianis à Deo conceſſæ: quod præcipuè præſtare poterit ſummus Pontifex, vti dicebam *ibid. & ſect.42. & ſeqq.*

COROLLARIA.

Ex dictis ſequitur primò, quod non ſit permitten- 4
dum infidelibus, vel Iudæis, vt acquirant nouum in Chriſtianos dominium, quod antea in iſtos non habebant. S.Thomas *cit.q.10.art.10.* quem paſſim ſequuntur alij Doctores; & colligitur ex multis Canonibus in Decretalibus, *tit. de Iudais, & Saracenis:* & ratio eſt, quia hoc cederet in ſcandalum, & cederet in periculum fidei: cederet in ſcandalum, quia facilè Infideles aduerterent peccata, & defectus ſubditorum fidelium, ſicque contemnerent fidem iſtorum (quapropter & Apoſtolus 1. *ad Cor.6.* prohibuit, ne fideles contenderent in iudicio coram iudice infideli.) Cederet in periculum fidei, quia facilè etiam ſubditi fideles peruerti poſſent authoritate Superiorum infidelium.

Sequitur ſecundò, quod antiquum dominium priùs à ſuperioribus infidelibus, vel Iudæis in ſuos ſubditos ſeu ſeruos habitum non amittatur per hoc præcisè, quod ipſorum ſuperiorum infidelium, vel Iudæorum ſubditi, ſeu ſerui efficiantur Chriſtiani. S.Thomas *loco ſuprà cit.* quem etiam paſſim ſequuntur alij Doctores: Et colligitur *ex illo 1.Timoth.6.* [Quicumque ſunt ſub iugo ſerui, dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, & doctrina blaſphemetur: qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres ſunt, ſed magis ſeruiant, quia fideles ſunt.] Quibus verbis Apoſtolus ſatis clarè duplicis generis ſeruos Chriſtianos comprehendit: alios qui ſubiecti ſint dominis infidelibus; alios verò ſubditos dominis fidelibus: Ergo ſatis clarè ſupponit quod Domini infideles non amittant antiquum dominium

minium (quod priùs habebant in suos subditos, seu seruos) per hoc præcisè, quod ipsorum infidelium, vel Iudæorum subditi, seu serui efficiantur Christiani. Et ratio est, quia sicuti rectè adnotauit Sanctus Thomas *vbi suprà*, potest iure gentilium vnus homo habere dominium, & iurisdictionem in alium: Ergo Domini infideles, vel Iudæi non amittunt antiquum dominium (quod priùs habebant in suos subditos, seu seruos) per hoc præcisè, quod ipsorum infidelium, vel Iudæorum subditi, seu serui

5 efficiantur Christiani. Antecedens patet. Consequentia probatur; quia infideles, vel Iudæi sunt capaces talis dominij, cùm illud ex dictis fundetur in iure gentium; & fides ex alio capite non obstet, quia fideles non sunt iure diuino exempti, cum nullibi tale ius habeatur.

6 Obijcies: Christus videtur eos exemisse, *Matthæi* 17. 25. ibi: *Ergo liberi sunt filij*. In quo loco sermo est de libertate à soluendo tributo, ita vt sensus sit, quod non debeant Christiani soluere tributum infidelibus.

Respondetur, nego antecedens; quia ibi Christus loquitur de se ipso, ita vt sensus sit: Filij Regum terrenorum liberi sunt à soluendo tributo: igitur multò magis & ego, qui sum filius Regis cælestis.

7 Instabis: saltem Christus videtur eos exemisse *ad Galatas* 5. 13. ibi: *Vos in libertatem vocati estis fratres*: vnde etiam *prima ad Corinthios* 6. reprehenduntur fideles, quòd causas agerent apud Iudicem infidelem.

Respondetur: nego etiam antecedens, quia Apostolus in priori loco tantùm loquitur de libertate à peccato, & à iugo legis Mosaicæ; in posteriori autem reprehendit Christianos, quòd cum possint adire Iudicem Christianum, adeant tamen Iudicem infidelem: nam quod alioquin licitum sit adire Iudicem infidelem, patet ex eo, quod & ipse Apostolus *Actorum* 25. 11. de facto appellauerit ad Cæsarem.

8 Sequitur tertiò, quod Ecclesia tamen possit priuare infideles, vel Iudæos antiquo dominio (quod priùs habebant in suos seruos) si ipsorum infidelium, vel Iudæorum serui efficiantur Christiani; & ita vt de facto prædictos infideles, vel Iudæos tali dominio priuet, si prædicti infideles, vel Iudæi fiant subiecti Principibus Christianis in temporalibus: sic Sanctus Thomas *citato art.* 10. quem sequuntur communiter Doctores, & constat (sicuti *suprà* dicebam) ex praxi Ecclesiæ, quæ iampridem *in cap. fraternitatem, distinctione* 54. & *in cap. præsenti*, & *cap. multorum, de Iudæis, & Saracenis*, decreuit, quod Iudæorum serui (siue vernaculi, scilicet in seruitute nati, siue ad seruitutem empti) liberi sint eo ipso, quod ad fidem conuertuntur: quod si fuerint empti ad mercationem, decreuit quod intra tres menses venales exponantur, vt emi possint à Christianis. Et ratio est, quia sicuti etiam suprà dicebam, Ecclesia, & Princeps Christianus potest, si sic expediat ad bonum commune, aliquem priuare dominio aliquarum rerum: Ergo propter eandem rationem poterit etiam aliquem priuare dominio aliquarum personarum.

9 Confirmatur, quia Ecclesia, & Princeps Christianus potest infidelibus, vel Iudæis in temporalibus sibi subiectis imponere tributum: Ergo etiam loco tributi, seu per modum tributi poterit iisdem infidelibus, vel Iudæis imponere hoc onus, vt amittant dominium in suos seruos, si isti efficiantur Christiani.

10 Confirmatur secundò, quia Ecclesia, & Princeps Christianus potest (vt de facto videtur in vrbe Roma) ferre in suo Regno legem, vt serui fide-

lium hoc ipso, si fiant Christiani, liberi sint à dominio, & obedientia dominorum fidelium: ergo multò magis poterit ferre legem, vt serui infidelium, vel Iudæorum (qui in tali Regno subiecti sunt Ecclesiæ, vel Principi Christiano) hoc ipso similiter, si fiant Christiani, liberi sint à dominio, & obedientia dominorum infidelium; cùm possit istis Ecclesia, & Princeps Christianus, si ibi isti viuere velint, imponere maiora tributa, sicuti dicam *sect.* 18. & 19. *sequent.*

Sequitur quartò, quod Ecclesia possit etiam priuare infideles, vel Iudæos antiquo dominio, quod priùs habebant in suos seruos, si ipsorum infidelium, vel Iudæorum serui similiter efficiantur Christiani, etiamsi prædicti infideles, vel Iudæi non sint subiecti in temporalibus Principibus Christianis. S. Thomas *loco suprà citato*, quidquid in contrarium dixerint alij; quia licèt Ecclesia nullam habeat iurisdictionem in huiusmodi infideles, vel Iudæos, neque scilicet politicam, seu temporalem, vtpote non subiectos Principi Christiano; neque etiam Ecclesiasticam, seu spiritualem, vtpote non baptizatos, sicque non possit illos directè punire, seu per modum pœnæ prædicto dominio directè priuare; habet tamen iurisdictionem Ecclesiasticam, seu spiritualem in seruos ipsorum infidelium, vel Iudæorum, quando prædicti serui sunt ad fidem conuersi: Ergo potest, ac debet istorum seruorum (quando sunt ad fidem conuersi) saluti consulere, pericula remouere, iniurias iisdem illatas vindicare, vel per se, vel per Principes Christianos sæculares; sicque potest prædictos infideles, vel Iudæos indirectè punire, seu per modum pœnæ prædicto dominio, quia scilicet illo in detrimentum filiorum Ecclesiæ abutuntur, indirectè priuare. 11

Confirmatur 1. quia alioquin cederet etiam in scandalum, & periculum fidei, sicuti dicebam *suprà* 1. *Corollario*. 12

Confirmatur secundò, quia infideles propter suam infidelitatem ex se digni sunt, qui priuentur omni dominio in Christianos, sicuti dicebat Sanctus Thomas *loco suprà citato*: Et ex alio capite fas non est, quod Christiani sint inferiores infidelibus, quodque filij liberæ seruiant filiis ancillæ: Ergo. 13

Sequitur quintò, quod Princeps Christianus etiam (licèt in prædictos infideles, vel Iudæos, vtpote sibi in temporalibus non subiectos, non possit nec politicam, seu temporalem iurisdictionem eosdem infideles, vel Iudæos directè punire, seu per modum pœnæ prædicto dominio priuare) possit tamen indirectè; siue scilicet ex commissione Ecclesiæ, quæ potest indirectè, vt modò suprà dicebam; siue quatenus vel pro se, vel pro aliis iniurias ab infidelibus, vel Iudæis contra iustitiam illatas vlciscitur, vt dicam *citata sectione* 19. & 20. *sequentibus*. 14

SECTIO XIX.

An possit Princeps Christianus aliquo modo infideles, vel Iudæos sibi subditos in temporalibus cogere ad Christi fidem amplectendam: vbi etiam de hæreticis, & apostatis.

SVMMARIVM.

1 *Princeps, etiam Summus Pontifex, licèt non possit infideles, ac Iudæos etiam sibi subditos ad Christi fidem amplectendam directè cogere,*

instituto, v.g. contra eos bello, vel proposita eis pœna mortis, &c.

2 *Potest tamen eos cogere indirectè, idque duobus modis: Primò negando illis ius habitationis in regione sua, nisi Euangelij prædicationem audire velint: Secundò imponendo illis maiora, quàm aliis subditis tributo, modò tamen sint intra limites iustitiæ.*

3 *Summus Pontifex è contra potest cogere directè hæreticos, & apostatas, vtpotè Ecclesiæ, atque adeò sibi ratione Baptismi subiectos.*

4 *Ecclesiæ Prælati, qui habent iurisdictionem spiritualem, non possunt directè cogere infideles, vel Iudæos ad fidem, vel Baptismum suscipiendum: At cogere possunt hæreticos, quia licèt sint extra Ecclesiam quoad internam vnionem, quæ fit per fidem; sunt tamen subiecti Ecclesiæ quoad iurisdictionem ratione Baptismi suscepti.*

5 *Principes sæculares Christiani, qui habent iurisdictionem temporalem, neque possunt directè cogere infideles, vel Iudæos, etiam illos sibi subiectos in temporalibus ad eandem fidem, vel Baptismum suscipiendum; quia horum potestas ordinatur solùm ad finem naturalem, & non extenditur ad ea, quæ sunt ordinis supernaturalis.*

6 *Ecclesiæ Prælati, & Principes sæculares Christiani licèt non possint directè cogere infideles, vel Iudæos ad fidem, vel Baptismum suscipiendum, possunt tamen indirectè: Primò denegando illis ius habitationis: Secundò imponendo illis maiora tributa, vt suprà dictum fuit.*

7 *Auctoritas* Lucæ 14. 23. *vbi Paterfamilias in Parabola Euangelij præcipit seruo, quod exeat in vias, & compellat intrare, nihil officit; quia per illos, qui compelluntur intrare ad Cœnam, non significantur infideles, & Iudæi; sed hæretici, & schismatici, qui ratione Baptismi suscepti pertinent ad iurisdictionem Ecclesiæ.*

8 *Infideles, & Iudæi vi legis Diuinæ tenentur ad fidei, & Baptismi susceptionem: At non per hoc Ecclesiæ Prælati, & Principes sæculares possunt directè cogere eos, vt faciant id, quod vi legis Diuinæ facere tenentur, cùm sint extra Ecclesiam.*

9 *Fidei, & Baptismi susceptio non cedit in detrimentum, sed potius in commodum, seu vtilitatem infidelium, & Iudæorum, si sit voluntaria, seu libera; secus si sit coacta, seu necessaria.*

10 *Infidelibus nulla fit iniuria, si ij compellantur ad fidem ab eo, qui habet iurisdictionem in illos, qualis est Deus, qui habet plenam iurisdictionem in omnes homines: Secus si compellantur ab eo, qui eam non habet in illos, quales sunt Principes Christiani.*

11 *Deus aliquando per terrores compellit homines ad fidem, & Baptismum, sicut compulit Saülum: at non compulit vi, seu necessario; alioquin non fuisset meritum in eo; sed liberè, fortiter tamen, & suauiter per suam gratiam efficacem, quod Christiani Principes efficere nequeunt.*

12 *Iudæos ad Baptismum compulit Sisebutus Rex, qui tanquam Religiosissimus laudatur à Concilio Toletano quarto: item Constantinus Imperator ad impediendum cultum Idololatriæ, iussit claudi omnia Templa Paganorum: laudatur tamen à Concilio prædicto Sisebutus, non quia Patres approbauerint factum, cum potius oppositum decreuerint; sed quia commendarunt zelum ipsius.*

13 *Constantinus autem laudatur à S. Augustino, quia rectè, & laudabiliter id fecit; neque enim compulit Paganos ad fidem directè, sed tantùm indirectè. Idemque dic de Rege Hispaniarum.*

14 *Ecclesia licèt non possit directè compellere infideles, & Iudæos ad fidem, vel Baptismum; potest tamen directè compellere eos ad non impediendum, sed permittendum prædicationem, seu propagationem fidei, & Euangelij; quia Princeps habens aliquod ius, vel potestatem, non solùm potest illam exequi, sed etiam potest quoscumque alios, vt proprij iuris executionem non impediant, compellere.*

15 *Ecclesia potest etiam concedere alicui Principi Christiano curam, & potestatem introducendi, atque conseruandi idoneos Prædicatores in Prouinciis infidelium, & Iudæorum, quin & concedere eidem potestatem vlciscendi quamlibet iniuriam huiusmodi Prædicatoribus ab infidelibus & Iudæis illatam, & titulo belli occupandi eorum terras, & prouincias.*

16 *Ecclesia potest directè compellere infideles, & Iudæos ad audiendam prædicationem fidei, & Euangelij, non directè; quia non habet iurisdictionem in illos, sed indirectè, vt dictum fuit.*

17 *Ecclesia potest compellere infideles, & Iudæos ad non impediendam prædicationem Euangelij: at non ex hoc sequitur, quod possit illos compellere directè, vt audiant prædicationem illius; quia infideles, & Iudæi non ex eo, quod nolunt impedire prædicationem Euangelij, censentur eam impedire; sed ex eo solùm, quod alios volentes audire, non permittunt vt audiant.*

18 *Ecclesia habet ius prædicandi Euangelij: at non inde sequitur, quod habeat ius compellendi omnes, vt illud audiant.*

RE spondetur, quod Princeps Christianus Summus 1
Pontifex, quamvis non possit infideles, vel Iudæos, etiam sibi subditos in temporalibus ad Christi fidem amplectendam cogere directè, instituto v. g. contra eos bello, vel proposita eis pœna mortis, carceris, bonorum spoliationis, &c. sicuti habetur *in c. sicut, de Iudæis*, & docet S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 8. quem sequuntur communiter DD. & ratio est, quia in illos quoad hoc, vtpotè quia sunt extra Ecclesiam, Princeps Christianus iurisdictionem, & potestatem vllam non habet. Tum quia Ecclesiæ praxis ostendit, quod voluntas Dei non sit, vt homines ad Christi fidem audiendam, vel amplectendam compellantur; cùm ad Dei honorem, & suauem Euangelij propagationem, & Ecclesiæ ædificationem multùm intersit, quod Christi fides liberè suscipiatur, eoque constantiùs retineatur, possit tamen cogere indirectè. Idque duobus modis.

Primò negando illis facultatem habitandi in re- 2
gionibus suis, si prædicationem Euangelij audire noluerint, cum habitandi ibi illis ius non debeatur, sed absolutè possit negari.

Secundò imponendo illis maiora, quàm aliis subditis, tributa (modò tamen sint intra limites iustitiæ) donec Christiani efficiantur.

Atque ita desumitur *ex c. iam verò 23. q. 6.* Et docent S. Anton. *part. 2. tit. 12. c. 2. §. 1.* & alij passim, & suadet ratio; quia ratione boni communis spiritualia Princeps Christianus in illos (vtpotè sibi subditos in temporalibus) iurisdictionem, & potestatem habet, si non directè, saltem indirectè, sicuti diffusè dicebam *citat. tractatu de Comitiis, seu Parlamentis*.

Ex his sequitur, quod Princeps Christianus, saltem 3
Sum. Pontifex possit è contra cogere directè hæreticos & apostatas, vtpotè Ecclesiæ ratione suscepti Baptismi subditos, seu subiectos, sicuti patet ex iisdem, quæ *supr. & eod. tract. de Comitiis, seu Parlament.* dicebantur.

Confirmatur, quia Summus Pontifex (licèt non possit infideles, vel Iudæos, qui fidem Christianam

nunquam

nunquam susceperunt, spiritualibus pœnis ad Christi fidem compellere, sicut *ex Apostolo 1. ad Corinth. 5.* claré colligitur: Et ratio est, quia Ecclesiasticæ iurisdictioni nunquam se subdiderunt; potest tamen spiritualibus pœnis ad illam cogere hæreticos, & apostatas; quia cum isti Christi fidem in baptismo professi, & per hanc, veluti ianuam, in Ecclesiam ingressi, eiusdem iurisdictioni se subdiderint, sequitur quod ab illa postea impiè recedentes, ad obsequium fidei, & obedientiam Ecclesiæ meritò compelli possint.

Atque ita habetur *in cap. de Iudæis, distinct. 45. & in cap. excommunicamus, de hæreticis.* Adeò vt qui relapsi, & incorrigibiles reperiuntur, sæculari Magistratui traditi, pœna mortis afficiantur, iuxta textum *in cap. ad abolendam, §. illos, & in cit. cap. excommunicamus, §. 1.* Et docet S.Thomas *2.2. q. 10. art. 8. & q. 11. art. 3.* communiter receptus. Et agnouit etiam S.Augustinus *lib. 2. retractationum, cap. 5. tract. 11. in Ioannem, cap. 3. lib. 1. contra Epistolam Parmeniani, cap. 7. epist. 48. ad Vincentium, & epist. 50. ad Bonifacium.* Etsi aliquando aliter senserit.

Corollaria.

4 Ex dictis sequitur, quod Ecclesiæ Prælati, qui habent iurisdictionem spiritualem, non possint directè cogere infideles, vel Iudæos ad fidem, vel baptismum suscipiendum. S.Thomas *cit. q. 10. art. 8.* & alij communiter, & colligitur *ex illo primæ ad Corinthios 5. 12. Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, iudicare? nonne de iis, qui intus sunt, vos iudicatis? Nam eos qui foris sunt, Deus iudicabit.* Vbi per illos, qui foris sunt, intelligit Apostolus infideles, qui sunt extra Ecclesiam; & per illos, qui intus sunt, intelligit fideles, qui sunt in Ecclesia: vnde sic sumitur ratio huius primi Corollarii: Ecclesiæ Prælati non habent potestatem iurisdictionis in infideles, vel Iudæos, cum sint extra Ecclesiam: ergo non possunt iudicare, vel pœnis cogere illos ad fidem, vel baptismum suscipiendum.

Dices: ergo neque poterunt cogere hæreticos, quia & isti etiam sunt extra Ecclesiam.

Respondetur, nego consequentiam; quia licèt hæretici sint extra Ecclesiam quoad internam vnionem quæ fit per fidem, sunt tamen subiecti Ecclesiæ quoad iurisdictionem ratione baptismi suscepti, sicuti *sect. præced.* dicebatur.

5 Sequitur secundò, quod Principes sæculares Christiani (qui habent iurisdictionem temporalem) neque possint directè cogere infideles, vel Iudæos, etiam illos, qui ipsis subiecti sunt in temporalibus, ad eandem fidem, vel baptismum suscipiendum; quia potestas, & iurisdictio talium Principum ordinatur solùm ad finem naturalem, & non extenditur ad ea, quæ sunt ordinis supernaturalis: ergo non extenditur ad id, quod possint illos cogere ad fidem, vel baptismum suscipiendum. Antecedens patet. Consequentia probatur, quia susceptio fidei, & baptismi non pertinet ad finem naturalem, sed tantùm ad finem supernaturalem.

Confirmatur, quia in Principibus sæcularibus Christianis, vel est tantùm iurisdictio ciuilis, vel etiam iurisdictio Ecclesiastica: Si primum, non extenditur, nisi ad ciuilia, & politica (qualis non est susceptio fidei, vel baptismi.) Si secundum, non extenditur, nisi in illos, qui subiecti sunt Ecclesiæ: sed infideles, & Iudæi (de quibus nunc agimus) non sunt subiecti Ecclesiæ, cùm sint foris, seu extra Ecclesiam, vt ex Apostolo *suprà* dicebam: Ergo, &c.

6 Dixi, quod Ecclesiæ Prælati, & Principes sæculares Christiani non possunt directè cogere infideles, vel Iudæos ad fidem, vel baptismum suscipiendum; quia indirectè possunt, vti *cit. sect. præcedenti* dicebatur.

Primò denegando illis ius habitandi in suis regionibus, nisi audiant prædicationem Euangelij; quia quod quis potest alicui iustè denegare absolutè, & sine conditione aliqua, poterit multò magis denegare sub conditione aliqua honesta; sed Ecclesiæ Prælati, & Principes sæculares Christiani possunt infidelibus, & Iudæis ius habitandi in suis regionibus (cùm illud iis non debeatur) denegare absolutè: ergo & poterunt denegare sub hac conditione honesta, si scilicet non velint audire prædicationem Euangelij.

Secundò, imponendo illis maiora tributa, quàm aliis subditis Christianis (dummodo tamen sint intra limites iustitiæ) vt hac ratione illi, quando vident benigniùs agi cum Christianis, quàm cum aliis, ad fidem Christianam recipiendam alliciantur: qua de re videri poterit Gratianus *in cap. iam verò, 23. quæst. 6.*

Objicies: *Lucæ 14. 23.* Pater-familias in parabola Euangelica præcipit seruo, quod exeat in vias, & compellat quoscumque inuenerit intrare ad Cœnam: ergo directè compelli possunt, & debent omnes infideles intrare in Ecclesiam, quod fit per fidei, & baptismi susceptionem. 7

Respondetur, nego consequentiam; quia per illos, qui compelluntur intrare ad Cœnam, non significantur (vt ait Augustinus *epist. 50.* ad Bonifacium) infideles, & Iudæi, de quibus nunc agimus; sed intelliguntur hæretici, & schismatici, qui ratione baptismi suscepti pertinent ad iurisdictionem Ecclesiæ; sicque directè iure compelli possunt, quod redeant ad vnitatem corporis Christi; vt omittam, quod si intelligantur etiam infideles, & Iudæi, tunc *compellere*, vt ait S.Thomas *q. 22. de veritate, art. 9. ad vltimum*, non accipitur pro violenta compulsione, sed pro quadam vehementia miraculorum, quibus vsi sunt Apostoli ad conuertendos infideles, & Iudæos.

Objicies secundò, infideles, & Iudæi vi legis diuinæ tenentur ad fidei, & baptismi susceptionem: ergo Ecclesiæ Prælati, & Principes sæculares Christiani (cùm sint custodes legis diuinæ) poterunt directè cogere eos, vt faciant id, quod vi legis diuinæ facere tenentur. 8

Respondetur, nego etiam consequentiam; quia ex dictis Principes Christiani non possunt cogere eos per iurisdictionem Ecclesiasticam (cùm infideles, & Iudæi, sicuti ex Apostolo dicebam, non sint subiecti Ecclesiæ:) nec per iurisdictionem ciuilem; cùm illa non extendatur, nisi ad ciuilia, & politica: Ergo, &c.

Objicies tertiò: Susceptio fidei, & baptismi non cedit in detrimentum, sed potiùs in commodum, seu vtilitatem infidelium, & Iudæorum: ergo nulla fit illis iniuria, si ad eam compellantur. 9

Respondetur, distinguo antecedens: si susceptio fidei, & baptismi sit voluntaria, seu libera: concedo; si sit coacta, seu necessaria, nego, quia tunc esset illis causa maioris detrimenti, & peccati.

Respondetur secundò, transeat antecedens: At distinguo consequens: Nulla fit illis iniuria, si ad eam compellantur ab eo, qui habet iurisdictionem in illos (qualis est Deus, qui habet plenam iurisdictionem in omnes homines) concedo: Si ad eam compellantur ab eo, qui non habet iurisdictionem in illos (quales ex dictis sunt Principes Christiani respectu infidelium, & Iudæorum in negotio fidei) nego; quia aliquem ad aliquid compelli ab eo, qui non 10

non habet potestatem compellendi, est grauamen contra iustitiam.

11 Objicies 4. Deus aliquando per terrores compellit homines ad fidem, & Baptismum, quo modo compulit Saulum *Actor.* 9.4. Ergo non peccant Principes Christiani, si similiter compellant infideles, & Iudæos ad eandem fidem, & Baptismum.

Respondetur, transeat antecedens, quamvis reuera Deus eo modo non compulerit Saulum vi, seu necessariò, alioquin non fuisset meritum in Saulo: sed liberè, fortiter tamen, & suauiter, per gratiam scilicet efficacem suam. At nego consequentiam; & disparitas est, quia (sicuti dicebam) Deus habet plenam iurisdictionem in omnes homines, quam non habent nec Ecclesiæ Prælati, neque Christiani Principes sæculares respectu infidelium, & Iudæorum in negotio fidei, & Baptismi, de quo nunc tractamus.

12 Instabis: Sisebutus Rex compulit Iudæos ad Baptismum (vt habetur in Concilio Toletano 4. *can.* 55. & refertur apud Gratianum *in cap. de Iudæis, dist.* 45.) & ibi tanquam Rex Religiosissimus laudatur à Concilio: Item Constantinus Imperator ad impediendum cultum idololatriæ iussit claudi omnia Templa Paganorum (vt habetur *in leg. Nemo, Cod. de Paganis*) & propterea laudatur ab August. *epist.* 48. Item Rex Hispaniarum iussit, omnes Iudæos, qui non vellent conuerti, excedere ex ipsius Regnis: Ergo.

Respondetur, nego etiam consequentiam; quia Sisebutus Rex non laudatur à Concilio propter fa-
13 ctum, cùm in eodem capite, vbi refertur hoc ipsius factum, expressè prohibeatur, quod deinceps Iudæi compellantur ad fidem; sed laudatur propter zelum; Constantinus autem rectè, & laudabiliter id fecit, quia id non fuit compellere Paganos ad fidem, nisi indirectè; idemque dico de Rege Hispaniarum, præsertim quia poterat absolutè expellere Iudæos è suis Regnis (cùm non teneretur eis dare ius perpetuò ibi habitandi) sicque multò magis poterat id facere sub honesta conditione, si scilicet conuerti non vellent, vti *suprà* dicebam.

14 Sequitur 3. quod licèt Ecclesia non possit directè compellere infideles, & Iudæos ad fidem, vel Baptismum, possit tamen directè compellere eos, quod non impediant, sed permittant prædicationem, seu propagationem fidei, & Euangelij. S. Thomas *citata q.* 10. *art.* 8. Sotus *in* 4. *dist.* 5. *quæst.* 1. *art.* 10. Victoria *in relectione de Indis*, & alij communiter; quia Princeps, qui habet aliquod ius, vel potestatem, non solùm potest illam exequi, sed etiam potest quoscumque alios, vt proprij iuris executionem non impediant, compellere; quin etiam & potest eos (qui iuris prædicti executionem impediendo, iniuriam sibi inferunt) bello punire; sed Ecclesia habet ius, & potestatem prædicandi fidem per vniuersum orbem, *Matth.* 28. 19. *&* *Marci* 16. 15. ergo etiam habet potestatem compellendi quoscumque infideles, & Iudæos, vt non impediant: sed permittant fidei prædicationem, seu propagationem.

15 Sequitur 4. quod Ecclesia possit etiam, sicuti *sect. sequenti* dicetur, concedere alicui Principi Christiano curam, & potestatem introducendi, atque conseruandi idoneos Prædicatores in Prouinciis infidelium, & Iudæorum, quin & concedere eidem potestatem vlciscendi quamlibet iniuriam huiusmodi Prædicatoribus ab infidelibus, & Iudæis illatam, sicque & concedere etiam eidem Principi Christiano potestatem titulo belli occupandi infidelium, & Iudæorum terras, & Prouincias, in quibus non permittitur libera Prædicatio, seu propagatio fidei, & Euangelij.

16 Objicies: ergo poterit Ecclesia compellere infideles, & Iudæos ad audiendam prædicationem fidei, & Euangelij.

Respondetur, distinguo consequens: poterit compellere directè, nego; quia sicuti dicebam, non habet iurisdictionem in illos: poterit compellere indirectè, negando scilicet illis ius habitandi inter Christianos, vel imponendo illis maiora tributa, quàm Christianis, nisi velint audire prædicationem Euangelij, concedo.

Instabis: potest Ecclesia compellere infideles, & 17
Iudæos, vt non impediant prædicationem Euangelij: ergo potest illos compellere directè, vt audiant prædicationem illius. Consequentia probatur, quia eo ipso, quod infideles, & Iudæi non volunt audire prædicationem Euangelij, censentur impedire prædicationem illius.

Respondetur, nego consequentiam, & probationem eiusdem consequentiæ, quia infideles, & Iudæi non ex eo ipso, quod nolunt audire prædicationem Euangelij, censentur impedire prædicationem illius; sed ex eo solùm, quod alios volentes illud audire non permittunt, vt illud audiant.

Vrgebis: Ecclesia ex dictis habet ius prædicandi 18
Euangelium: ergo habet ius compellendi omnes, vt illud audiant. Consequentia probatur à pari; quia ex eo, quòd Ecclesia habet ius remittendi peccata, rectè infertur, quod habeat etiam ius compellendi omnes homines, vt confiteantur sua peccata: ergo ex eo, quod Ecclesia habet ius prædicandi Euangelium, rectè inferetur, quod habeat etiam ius compellendi homines, vt audiant prædicationem illius.

Resp. nego etiam consequentiam, & disparitas est de iure remittendi peccata, ac de iure prædicandi Euangelium; quia illud prius concessum est Ecclesiæ respectu subditorum tantùm, qui ratione Baptismi suscepti subiecti sunt iurisdictioni Ecclesiæ, & in quos Ecclesia iurisdictionem habet: at istud posterius concessum est Ecclesiæ respectu omnium, etiam non subditorum, qui non sunt subiecti Ecclesiæ, & in quos Ecclesia iurisdictionem non habet.

SECTIO XX.

An possit Princeps Christianus aliquo modo persequi bello infideles, vel Iudæos exteros (idest, sibi non subditos in temporalibus) propter idololatriam, infidelitatem, vel similia alia eorum delicta, seu peccata.

SVMMARIVM.

1 *Princeps, atque etiam Summus Pontifex, licèt non possit inuadere, aut bello persequi Paganos exteros, suæ scilicet iurisdictioni non subiectos propter infidelitatem, idololatriam, & similia alia peccata, si Christianis, aut aliis innocentibus illa iniuriosa non sint: potest tamen id in eos efficere, si eorundem peccata contra Christianos, aut alios innocentes iniuriam aliquam quomodocumque contineant.*

2 *Infideles tunc essent in causa: primò si impiis suis ritibus innocentes damno afficiant, rapiendo, vel immolando infantes, si moniti à Christianis desistere nolint.*

3 *Item secundò, si Christianam fidem contumeliis, & blasphemiis prosequantur, aut Christianos subuertere conentur.*

4 *Item tertiò, si Christianis Euangelij Prædicatoribus aditum in regiones suas dare, fidem, & Prædicatores audiendi, & amplectendi, liberam potestatem concedere recusent.*

5 Eccle

5 *Ecclesia potest concedere alicui Principi Christiano curam, & potestatem introducendi, & seruandi idoneos Prædicatores in Prouinciis Infidelium, & vlciscendi iniurias ipsis ab Infidelibus illatas. Imò etiam titulo belli concedere potestatem occupandi Infidelium Prouincias, in quibus non permittitur libera prædicatio Euangelij.*

6 *Infideles subiecti Christiana Iurisdictioni, compelli possunt, vt naturæ legem obseruent, ideoque vt abstineant à falsorum deorum cultu, & omni impietate sacrilega.*

7 *Item Iudæi, & Pagani propter dicta, & huiusmodi alia peccata possunt à Christiano Principe terris suis expelli, ne Christiani damna ab illis patiantur.*

8 *Iudæorum causa, seu controuersia ciuiles decidi debent apud Iudicem Christianum, secundùm legem Mosaicam, & si controuersia sit cum Christiano, decidi debet secundùm ius Christianorum.*

9 *Infidelium habentium proprias Terras, vel Prouincias, & Principibus Christianis in temporalibus non subiectorum, si sint iniuriosi fidei Christianæ, & Ecclesiasticæ Potestati, vel aliis Innocentibus, licitum est vi, & bello, eorum Terras, vel Prouincias occupare. Non tamen licet eas inuadere, & vi, seu bello occupare ex eo solùm, quod Infideles sint, & contra legem naturalem delinquunt defectu Iurisdictionis.*

10 *Infideles secundùm Augustinum non possunt à nobis compesci, nisi prius habeamus in illos potestatem.*

11 *Infideles propter suam Infidelitatem non amiserunt dominium suarum Terrarum, itaut illud translatum iam sit ad fideles.*

12 *Gregorius Papa laudauit Gennadium, quòd bella Infideles inuasisset, vt apud illos prædicari posset Euangelium. At pro Infidelibus intellexit Hæreticos, vel apostatas, in quo Ecclesia iam ius habet, de quibus etiam loquitur Cyprianus: Nam intelligit de Idololatris à fide apostatis.*

13 *Israëlitæ, Deo volente, & approbante, per vim & arma occuparunt Terras Gentilium Cananæorum propter illorum Infidelitatem, & idololatriam, transgressionemque legis naturalis: At non idem efficere possunt Principes fideles in Gentes, & Populos Infideles: Est enim inter vtrumque disparitas; quia Deus id præceperat Israëlitis. Quod in Principibus Christianis locum non habet.*

14 *Infideles licitum est armis infestare ad vlciscendam iniuriam, quam inferunt nobis, vel proximis nostris innocentibus; non tamen iniuriam, quam inferunt Deo per Infidelitatem, & idololatriam, ratione disparitatis, quæ assignatur.*

15 *Peccata omnia non est opus, vt ab hominibus puniantur, cùm Deus possit ea sufficienter punire tum in hac vita, siue per se, siue per alios: tum in futura.*

1 RESpondetur, quod etsi non possit Princeps Christianus, neque etiam Summus Pontifex, inuadere, vel bello persequi Paganos, vel Iudæos exteros, idest sibi non subditos, seu suæ Iurisdictioni non subiectos in temporalibus) propter Infidelitatem, idololatriam, vel similia alia eorum delicta, seu peccata; si Christianis, vel aliis innocentibus illa delicta, seu peccata iniuriosa non sint, vt ex communi, & probabiliori sententia Doctorum docent Victoria *relectione de Indis Insulanis, part. 1. num. 39.* Couarr. *regula Peccatum, part. 2. §. 10. num. 4.* Molina *de iust. & iur. tom. 1. tract. 2. disputat. 106.* Caiet. Bannez, & alij, quos citat, & sequitur Valent. *tom. 3. disp. 1. q. 10. punct. 7. contra Castrum de iusta hæret. punition. lib. 1. cap. 14.* S. Antoninum *3. part. tit. 22. c. 5. §. 8.* Panormitanum, Aluarum Pelagium, Ioannem Maiorem, & Genesium Sepulvedam apud eundem Valentiam *loco suprà citato.* Et suadet ratio, quia ad omnem iustam punitionem, vel vindictam requiritur Iurisdictio, vel saltem iniuria illata, itaut vbi vtraque deest, iusta punitio, vel vindicta locum habere, seu inferri non possit.

Etsi, inquam, non possit Princeps Christianus, neque etiam Summus Pontifex ex communiori, & probabiliori sententia Doctorum inuadere, vel bello persequi Paganos, vel Iudæos exteros (idest sibi non subditos, seu suæ Iurisdictioni non subiectos in temporalibus) si illorum delicta, seu peccata Christianis, aut aliis innocentibus iniuriosa non sint; Potest tamen id in eos efficere, & præstare, si eorundem delicta, seu peccata contra Christianos, vel alios innocentes iniuriam aliquam quomodocumque contineant, vt si v. g. impiis suis ritibus innocentes (rapiendo, vel immolando scilicet Infantes) damno afficiant, & à Christianis moniti desistere recusent: qua de re præter alios videri poterit Molina *citata disp. 106.* 2

Item, si Christianam fidem contumeliis, & blasphemiis persequantur, vel Christianos peruertere conentur, vti colligitur *ex cap. in nonnullis, de Iudæis, & Saracenis.* 3

Item, si Euangelij Prædicatoribus (cùm ex voluntate & Imperio Dei mittantur, vt in omnem Terram exeat sonus Euangelicæ Doctrinæ, secundùm Christi promissionem, *Matth. cap. 24. n. 14. & c. 28. n. 19.*) aditum in Regiones suas concedere, vel suis subditis fidem à Prædicatoribus audiendi, atque amplectendi liberam potestatem concedere non velint. 4

Atque ita docent S. Th. *q. 10. art. 8.* Victoria *relectione de Indis, part. 2. n. 15.* & alij: quapropter poterit etiam Ecclesia concedere alicui Principi Christiano curam & potestatem introducendi, atque conseruandi idoneos Prædicatores in Prouinciis eorundem Infidelium, vel Iudæorum, & vlciscendi iniurias ab eisdem Infidelibus, vel Iudæis fidei Prædicatoribus illatas; quin & poterit quoque Ecclesia titulo belli concedere eidem Principi Christiano potestatem occupandi Prouincias dictorum infidelium, vel Iudæorum, in quibus non permittitur libera Euangelij prædicatio. 5

Loquutus sum autem de Infidelibus, & Iudæis externis, idest Christiano Principi non subiectis in temporalibus; quia qui Infideles, & Iudæi Christiano Principi subiecti sunt in temporalibus, hi à Christiano Principe compelli possunt, quod naturæ legem obseruent, ideoque quod à falsorum deorum cultu, & omni impietate sacrilega se abstineant, sicuti constat *ex l. Nemo, Cod. de Paganis, & Clem. vnica, de Iudæis, & Saracenis,* & docet S. August. *epist. 48. ad Vincentium,* S. Thom. *2. 2. cit. q. 10. art. 11.* Molina *de iust. & iur. tom. 1. tract. 2. disp. 106. concl. 2.* & Valentia *tom. 3. disp. 1. q. 10. punct. 6. ad 4.* 6

Item iidem Infideles, & Iudæi, de quibus dicebam, propter dicta, & similia alia peccata contra legem naturæ, & vt Christiani damnum ab illis non patiantur, à Christiano Principe expelli possunt è Regionibus suis. 7

Item Iudæorum causæ, seu controuersiæ ciuiles decidi debent apud Iudicem Christianum secundùm legem eorum Mosaicam, v. g. quod filius excludat filiam ab hæreditate Patris, vti colligitur *ex cap. 27. iuncta Glossa ordin.* sin verò casus lege Mosaïca determinatus non sit, vel si Iudæus cum Christiano litiget, tunc causa, seu controuersia decidi debet secundùm ius Cæsareum, & ius commune illius Regni, in quo ipsi degunt, *l. Iudæi, C. de Iudæis.* 8

OBIECTIONES.

9 Ex dictis igitur (quamvis infidelium, qui habent proprias Terras, vel Prouincias, & non sunt subiecti Principibus Christianis in temporalibus, licitum sit vi, & bello eorum Terras, vel Prouincias occupare, quando sunt iniuriosi fidei Christianæ, & Ecclesiasticæ Potestati, vel aliis innocentibus, vti suprà dicebam) licitum tamen ex communiori, & probabiliori sententia Doctorum non est, eorum Terras, vel Prouincias inuadere, & vi, seu bello occupare, ex eo solùm, quod Infideles sint, & contra legem naturalem delinquant.

Ratio, quia sicuti etiam suprà dicebam, ad omnem iustam punitionem, vel iustam vindictam requiritur Iurisdictio (vt cùm Princeps punit suos subditos, quando delinquunt) vel saltem iniuria illata sibi, vel alteri (vt cùm quis se, vel proximum iustè defendit, siue quoad vitam, siue quoad alia bona) itavt, quotiescumque Iurisdictio, & iniuria illata deest, iusta punitio, vel iusta vindicta inferri non possit. At & Iurisdictio, & iniuria illata deficit in casu nostro: Ergo.

Minor quoad partem posteriorem patet, quia loquimur de illis Infidelibus, qui in Terris, ac Prouinciis suis viuentes non versantur cum Christianis; vel si versentur cum istis, non nocent istis, neque aliis innocentibus in vita, vel in aliis bonis: Quoad partem priorem probatur, quia Princeps Christianus non habet Iurisdictionem in Infideles, ex eo præcisè quod Infideles sint; cùm ex scriptura satis constet, Principes Infideles propter idolatriam, vel Infidelitatem non amittere dominium rerum suarum, aut Iurisdictionem in subditos suos, iuxta illud *Matthæi* 22. *vers.* 21. [Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari:] *&* *Lucæ* 22. *vers.* 25. [Reges Gentium dominantur eorum:] Et Apostoli *ad Romanos* 13. 7. [Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.] Et primæ *Petri* 2. 13. [subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præexcellenti, siue Ducibus, tanquam ab eo missis:] Et paulò post: [Non tantùm bonis, & modestis, sed etiam discolis.] Ex quibus, & aliis similibus Scripturæ locis satis patet, quod Principes in Infideles non amittant, sed retineant suum dominium & suam Iurisdictionem, itavt ex eo præcisè, quod Infideles sint, ipsorum ius & potestas non transferatur in Principes Christianos, neque ipsi istis subiecti efficiantur, vt titulo Iurisdictionis à Principibus Christianis puniri, vel ipsorum Terræ, & Prouinciæ vi, seu bello occupari licitè possint. Et

10 Confirmatur ex Augustino *serm. 6. de Verb. Domini, cap.* 11. quatenus sit, quod Infideles non possint à nobis compesci, nisi priùs habeamus in illos potestatem: Quod confirmat ex illo *Deuteron.* 1. *vers.* 1. [cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram quam possessurus es ingrediens, & tradiderit tibi gentes, percuties eas ad internecionem:] Et paulò post: Aras eorum subuertite, & confringite statuas, lucosque succidite.] Quem locum Augustinus explicat sic: [cùm data fuerit vobis Terra in potestatem (priùs ait in potestatem, & sic dixit, quæ facienda sunt) Aras (inquit) eorum destruetis, lucos eorum comminuetis, & omnes titulos eorum confringetis. Cùm acceperitis potestatem, hoc facite: Vbi nobis non est data potestas, non facimus; vbi data est, non prætermittimus.]

11 Objicies: Infideles propter suam Infidelitatem amiserunt dominium suarum rerum. Itavt id translatum iam sit ad fideles, iuxta illud *Ecclesiastici* 10. 8. Regnum à gente in gentem transferetur propter iniustitias, iniurias, & contumelias.] Et iuxta illud *Isaiæ* 60. 12. [Gens, & Regnum, quod non seruierit tibi, peribit:] Ergo, &c.

Respondetur: Nego antecedens; quia reuera Infideles propter solam suam Infidelitatem non amiserunt dominium suarum rerum, itavt illud translatum iam sit ad fideles, vti suprà ex scriptura, & Augustino probabam; locus autem Ecclesiastici, qui contra nos adducebatur, solùm probat, quod sæpè sæpiùs propter iniustitias, iniurias, & contumelias Regna transferantur de gente ad gentem; sed ita tamen, vt propterea non transferantur solùm ab Infidelibus ad fideles, sed etiam à fidelibus ad Infideles, sicuti patet ex Imperio Orientali, quod à fidelibus translatum iam est in Turcas; & locus Isaiæ solùm probat, quod gens illa, quæ fuerit extra Ecclesiam, saluari nullo pacto possit.

Objicies secundò: Gregorius Papa *lib. 1. epist. 73.* 12
laudat Gennadium, quòd bello inuasisset Infideles, vt apud illos prædicari possit Euangelium: Et Cyprianus *in libro de exhortatione martyrij ad Fortunatum, cap.* 5. affert quædam veteris Testamenti præcepta, quibus Deus mandat, idololatras interfici; posteaque subiungit hæc verba: [Quod si ante Aduentum Christi circa Deum colendum, & Idola spernenda, hæc præcepta seruata sunt, quantò magis post Aduentum Christi seruanda erunt?] Et Augustin. *epist. 50. ad Bonifacium*, ait: [Nam & temporibus Prophetarum omnes Reges qui in populo Dei non prohibuerunt, nec euerterunt, quæ contra Dei præcepta fuerunt instituta, culpantur; & qui prohibuerunt, & euerterunt, super aliorum merita laudantur.] Et Papa Alexander VI. concessit Ferdinando Regi Hispaniarum, quòd occuparet Insulas Occidentales, & eas sibi seruaret: Ergo.

Respondetur: Nego consequentiam, quia Gregorius Papa laudauit Gennadium, quòd bello inuasisset Infideles, vt apud illos prædicari posset Euangelium; Infideles scilicet illos, qui erant Hæretici, vel apostatæ (in quos Ecclesia iam ius habet ratione baptismi suscepti) sicuti patet ex Epistola ipsius Gregorij Papæ LXXII. ad eundem Gennadium: Cyprianus similiter loquitur de idololatris à fide apostatis, sicuti patet ex eo, quod Cyprianus ibi vult deterrere fideles ab apostasia, & hortari eosdem ad constantiam martyrij. Ideoque affert ibi ex veteri Testamento Dei præceptum, quo iubentur interfici Israëlitæ, quando deficiunt ad idololatriam) & affert etiam exemplum Matathiæ, qui interficit Iudæum, qui ad Aram Gentilium sacrificaturus accesserat. Augustinus similiter etiam ait, laudatos fuisse Iudæorum Reges, qui euerterunt Aras, & Idola, quæ à Iudæis apostatis in populo Dei erecta fuerant. Papa Alexander VI. autem concessit Ferdinando Regi Hispaniarum, quod occuparet Insulas Occidentales, & illas sibi seruaret. Ita tamen vt ei concesserit tantùm ius patrocinij in illis Insulis, supposita illarum legitima conuersione; non autem itavt ei concesserit etiam dominium earundem Insularum, ex eo præcisè, quod Infideles essent; quamvis si Ferdinandus Rex id fortè fecerit, fecerit sequutus opinionem contrariam, non omninò improbabilem.

Objicies tertiò: Israëlitæ, Deo volente, & appro- 13
bante, per vim, & arma occuparunt Terras Gentilium Chananæorum, propter illorum Infidelitatem, idololatriam, & transgressionem legis naturalis, iuxta illud *Deuteronomij* 12. 2. [Subuertite omnia loca, in quibus coluerunt Gentiles Deos suos: dissipate Aras eorum, & confringite statuas, & Idola comminuite:] Ergo idem præstare poterunt Principes Fideles in gentes, & populos Infideles.

Respondetur: Nego consequentiam; & disparitas est, quia Israëlitæ (eo quòd ipsis Deus, qui omnium Dominus est, id mandauerat, & ipsis id satis constabat, esse voluntatem Dei, ex testamento veteri) habuerunt legitimum titulum occupandi

Terras Gentilium Cananæorum, & interficiendi Regem eorum: Quod in Principibus Christianis locum non habet, cùm saltem istis quid simile non constet ex testamento nouo: Quapropter retorquetur potiùs contra aduersarios argumentum; vt omittam, quod (vt ait Augustinus *Sermon.* 105. *de tempore*) illa Terra Gentilium Cananæorum iure hæreditatis ad Israëlitas spectabat; quia sicuti ait idem Augustinus *loco suprà citato*, Sem filius Noë fuit Dominus illius Terræ, & postea per vim, & arma Gentiles Cananæi, filij Cam, illam vsurparunt: Quapropter quia filij Abraham descendebant ex Sem, absque dubio habebant ius recuperandi eandem Terram.

14 Objicies quartò, licitum est armis infestare Infideles ad vlciscendam iniuriam, quam inferunt nobis, vel proximis nostris innocentibus, vti patet ex *iis*, quæ suprà dicebantur, & colligitur *ex illo Psal.* 18.4. [Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.] Ergo multò magis licitum erit armis infestare Infideles ad vlciscendam iniuriam, quam inferunt Deo per Infidelitatem, & idololatriam.

Respondetur: Concedo antecedens. At nego consequentiam; & disparitas similiter (vti dicebam) est quia illud priùs constat nobis ex scriptutis, non autem constat istud posterius. Quapropter & retorquetur potiùs similiter contra aduersarios argumentum. Vt omittam, quod Deus ipse possit vindicare iniurias sibi illatas, quando vult & quo modo vult; & ex alio capite nobis non constet, an eas vindicare velit per Principes Christianos (sicut olim constabat, quod eas vindicare vellet per Moïsem, & alios Principes Iudæorum.) Inferior autem vindicare non debet iniuriam superiori illatam, nisi fiat cum illius consensu, & voluntate. Nam cùm ipse superior, qui iniuriam passus est, habeat ius vindicandi se eo modo, quo vult, non debet inferior illius ius vsurpare; quia nescit, an superior velit vindicare, necne. Tum quia nescit modum, quo superior velit iniuriam sibi illatam vindicare: Cum igitur Deus sit supremus omnium Dominus, qui & possit facilè vindicare, & soleat sæpè sæpiùs condonare, non debemus nos sponte iura ipsius assumere; nisi nobis constet de eius voluntate, de qua sanè nihil nobis constat in nouo testamento.

15 Objicies quintò: Nisi id licitum esset, nullus foret modus, quo Infidelium peccata puniri possent ab hominibus: sed hoc videtur absurdum: Ergo.

Respondetur: Nego minorem, quia non est opus, vt omnia peccata ab hominibus puniantur: cum Deus possit ea sufficienter punire. Tum in hac vita (siue per se, siue per alios, vt olim puniebat Iudæos per Ægyptios, & Babylonios.) Tum in futura. Vt omittam, quod quædam Infidelium peccata (v. g. rapinæ, furta, stupra, adulteria, homicidia, & similia) puniri possint ab ipsorum Infidelium Principe, vel Magistratu; cùm non omnia peccata, vt delicta, impunè fiant apud ipsos.



DVBITATIO CCXXXI.

Quidnam dicendum de desperatione; & quibusnam aliis modis peccetur contra virtutem spei?

SECTIO PRIMA.

Supposita.

SVMMARIVM.

1 *Fides est preceptum de actu spei aliquando eliciendo; quia de omni actu ad vitam æternam consequendam necessario, extat preceptum: At inter alios ad illam consequendam est necessarius actus spei, sperare scilicet peccatorum veniam, & gloriam à Deo.*

2 *Spei preceptum negatiuum, nempe non desperandi, obligat semper, & ad semper instar cuiuscumque alterius precepti negatiui.*

3 *Spei preceptum affirmatiuum, nempe eliciendi aliquando actum spei, secundùm Aragonium, amplius non obligat probabiliter, habito semel actu spei.*

4 *Preceptum igitur spei negatiuum obligat semper, & ad semper; quia semper quis obligatur non desperare de diuina misericordia, & de æterna vita consecutione: At preceptum affirmatiuum spei quo tempore obliget, discordant Doctores.*

5 *Spei preceptum affirmatiuum obligat quotiescumque sine actu spei debita oratio, pœnitentia, & tentationis victoria obtineri non potest, quia preceptum obligans ad aliquem finem, obligat etiam ad ponenda media necessaria ad illum finem: At id non tantùm prouenit ex precepto spei, quàm orationis, seu pœnitentia.*

6 *Spei preceptum secundùm alios obligat statim ac homo peruenerit ad vsum rationis; quia tum (inquiunt ipsi) tenetur homo se in Deum conuertere super omnia Deum diligendo; sed id videtur minus probabile, & cur?*

7 *Spei preceptum, secundùm alios, obligat statim ac homo siue per se, siue per alium monitus vtilitatem, ac necessitatem actus spei ad iustè, & piè viuendum cognitam habuerit, quod pariter neque probatur Auctori.*

8 *Spei preceptum, secundùm alios, obligat semel in anno, sicut preceptum de eliciendo actu fidei: At neque similiter Auctori probatur, dicitur enim id gratis.*

9 *Spei preceptum, secundùm alios, obligat quotiescumque occurrerit obligatio pœnitentiæ de anteacta vita ad gratiam Dei consequendam; quia cum pœnitentia fundamentum sit spes veniæ obtinendæ, pœnitentia sine actu spei consistere non potest: At hoc etiam non probatur Auctori; quia in omnibus his euentibus non obligat preceptum spei per se, & ex vi talis precepti; sed per accidens ratione alterius precepti adiuncti, scilicet pœnitentiæ, &c.*

10 *Pœnitentia Sacramentum omittens, non tenetur in confessione aperire omissionem actus spei illi*

illi adiuncti; quia non tenetur in Sacramento Pænitentiæ directè ad eliciendum actum ſpei, ſed indirectè, quatenus ſpes eſt medium per ſe neceſſarium ad orationem faciendam.

11 *Poteſt aliquis eſſe obligatus v. g. ad orationem aliquam faciendam, & tamen non eſſe obligatus, neque etiam indirectè ad habendum formalem actum ſpei.*

12 *Spei præceptum, ſecundùm alios, obligat quotieſcumque quis grauis deſperationis tentatione vexatus reperitur in periculo ſuccumbendi, niſi eliciat actum ſpei, per quem contra tentationem, qua vexatur, confirmetur.*

13 *Spei actus difficilis eſt cognitu, quando reputari poteſt medium per ſe neceſſarium ad vincendam deſperationis tentationem: quapropter tempus prædictæ obligationis non facilè cognoſcitur.*

14 *Spei præceptum ſatis probabiliter, ſecundùm aliquos Doctores nullum habet tempus determinatum, in quo obliget; ſed ex prudentis arbitrio menſurandum eſt, ita tamen vt non ſit longo tempore differendum.*

15 *Spei præcepto poſitiuo quilibet ſatisfacit primò, cum de peccatis dolet; quia tunc vix, ac ne vix quidem elicit actum formalem ſpei, quo erigitur ad peccata deteſtanda: ſecundò cum nunquam peccandi mortaliter propoſitum elicit.*

16 *Spei actus eliciendus eſt aliquando ſub præcepto ad vitandas tentationes in aliis materiis, quando in iis etiam eſſet periculum ſuccumbendi: quod Auctori non probatur, quia tunc non obligat per ſe, ſed per accidens, ratione alterius præcepti adiuncti, vt aliàs dictum eſt.*

17 *De fide eſt, eſſe præceptum eliciendi aliquando actum timoris Dei; qui enim ſine timore eſt, non poteſt iuſtificari: cùm igitur iuſtificatio neceſſaria ſit ad ſalutem, ſequitur quod ad ſalutem neceſſarius ſit etiam actus timoris Dei.*

18 *Timor Dei duplex eſt, honeſtus vnus filialis, alter ſeruilis; & de vtroque aliquando eliciendo præceptum eſt.*

19 *Timor filialis eſt, quo quis timet offendere Deum, & ab eo per peccatum ſeiungi, non cauſa, vel amore ſui ipſius, ſed cauſa, vel amore ſolius Dei, & dicitur filialis, eo quòd naſcatur ex amore Dei.*

20 *Timor ſeruilis eſt, quo quis timet pœnas à Deo peccatoribus conſtitutas, & ideò vt eas effugiat, & ſibi conſulat, inducitur ad euitandum peccatum; dicitur enim timor ſeruilis; quia non propriè naſcitur ex amore Dei, ſed ex amore ſuimetipſius hominis.*

21 *Timor filialis Dei eſt (vt breuiter dicamus) quo quis ex amore Dei timet, & fugit offenſam illius, ſicut legitimus filius timet offendere Patrem, quia illum amore proſequitur.*

22 *Timor Dei autem ſeruilis honeſtus eſt, quo quis more ſeruorum timet offendere Deum propter pœnam, quam ex hoc incurrit.*

23 *Præcepta de timore filiali, & ſeruili eliciendo, putant nonnulli eſſe ſpecialia, obligareque timorem filialem, quando quis eſt in periculo peccandi, & ad præcauendum peccatum ducitur amore Dei: Obligare autem timorem ſeruilem, quando quis ſimiliter eſt in periculo peccandi, & ad præcauendum peccatum ducitur timore pœnæ: At oppoſitum eſt probabilius, non eſſe ſcilicet præcepta ſpecialia prædictorum timorum, ſed ſolùm vt ſunt præcepta aliarum virtutum.*

24 *Timorum defectus eſt conditio tranſcendentalis, ſeu generalis, quæ reperitur, & inuoluitur in omnibus peccatis, & conſequenter non conſtituit ſpeciale peccatum.*

25 *Spei actus requiſiti ad non ſuccumbendum tentationibus contra alias virtutes occurrentibus, omiſſio non conſtituit ſpeciale peccatum; quia non exigitur talis actus propter ſe, ſed propter præcepta aliarum virtutum.*

26 *Timorum iſtorum de defectu neque ſe accuſant viri timorati, neque interrogant Confeſſarij docti, atque prudentes.*

27 *Iuſtificatio Impij non inuoluit aliquem ex iis Dei timorem expreſsè, & formaliter, ſed ſolùm virtualiter.*

28 *Grauis tentatio ſæpè vincitur, timendo ne Deus offendatur, vel ne Inferni pœnæ incurrantur: At non ex hoc ſequitur, quod talis timor obliget per ſe, ſed tantùm per accidens.*

29 *De timore tam filiali, quàm ſeruili, ſi ſpeciale, & formale præceptum daretur, rarò quis, niſi eſſet valdè peruerſus, & omninò Dei oblitus, illius executionem omitteret.*

SVppono quod ſit de fide, eſſe præceptum de actu 1
ſpei aliquando eliciendo. Patet *ex Pſal.* 4. [ſperate in Domino.] Et ex Apoſtolo *ad Titum* 2. [expectantes beatam ſpem.] Et *ad Roman.* 15. [vt per patientiam, & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus,] & ex aliis Sacræ Scripturæ locis. Et probatur ratione; quia de omni actu, qui ad vitam æternam conſequendam ſit neceſſarius, extat præceptum. At inter alios ad illam conſequendam eſt neceſſarius actus ſpei, ſperare ſcilicet peccatorum veniam, & gloriam à Deo, ſicuti conſtat ex Tridentino Concilio *ſeſſ.6. cap.6.* Ergo, &c.

Et quidem quantum ſpectat ad præceptum negati- 2
uum (nempe non deſperandi, quod pertinet ad virtutem ſpei) obligat ſemper, & ad ſemper, inſtar
cuiuſcumque alterius præcepti negatiui. Quantum 3
autem ſpectat ad præceptum affirmativum (nempe eliciendi aliquando actum ſpei) eſt difficultas inter Doctores, pro quonam tempore ſcilicet obliget.

Præceptum igitur ſpei negativum obligat ſemper, 4
& ad ſemper (ſicuti dicebam,) quia ſemper quis obligatus non deſperare de diuina miſericordia, & de æternæ vitæ conſequutione. Præceptum autem ſpei affirmativum quonam tempore obliget, diſcordant Doctores, quamvis concordent cum S. Thoma 2. 2. *q.* 22. *art.* 1. quod aliquando obliget, & ex Scripturæ locis ſuprà citatis. Et quia ſine Beatitudinis ſpe Beatitudo obtineri non poteſt, cùm ſpes ſit firmiſſima anchora noſtræ vitæ ſpiritualis.

Et quidem, ſi loquamur de tempore huius præce- 5
pti affirmatiui obligationis indirectæ, certum eſt, quod præceptum ſpei affirmativum obliget quotieſcumque ſine actu ſpei debita oratio, pœnitentia, & tentationis victoria obtineri non poteſt; quia præceptum obligans ad aliquem finem, obligat etiam ad ponenda media neceſſaria ad illum finem: At hæc obligatio non tam eſt ex præcepto ſpei, quàm ex præcepto orationis, pœnitentiæ, & tentationis vincendæ; ſicque eius omiſſio non eſt ſpecialiter contra ſpem, ſed contra orationem, pœnitentiam, vel tentationem vincendam, &c. Itavt propterea neceſſariò non ſit in Sacramento Confeſſionis explicanda: Bannez 2. 2. *q.* 22. *art.* 1. *dub.* 2. Suarez *diſp.* 2. *de ſpe, ſect.* 1. *n.* 2. *&* 3. & alij communiter.

Si verò loquamur de tempore huius obligationis directæ,

Quidam quos refert Aragonius 2. 2. *q.* 22. *art.* 1. *dub.* 1. tenent, quod habito ſemel actu ſpei, probabiliter tale præceptum ampliùs non obliget.

At hoc non eſt dicendum, vt patebit ex iis, quæ dicam infrà circa finem huius primi ſuppoſiti.

Alij, vt Aragonius *loco ſuprà citato*, Bannez 2. 2. 6
quæſt. 22. *art.* 1. *dub.* 2. & Petrus de Ledeſma *in ſumma, tom.* 2. *tractat.* 2. *cap.* 4. *concluſ.* 3. tenent, quod obliget ſtatim ac homo peruenerit ad

vſum

vsum rationis; quia tunc, inquiunt ipsi, tenetur homo se in Deum conuertere super omnia Deum diligendo, seu omnia in Deum referendo, quod absque actu spei in Deum, seu absque eo, quod in Deum speret, præstare non potest.

At hoc mihi minùs probatur; quia probabilius est, quod tunc temporis non exter tale in Deum conuersionis præceptum, vt alibi diffusè probabam, & videri poterit præter alios Valentia a. 2. *disp.* a. q. 4. *punct.* 1. Tum quia, licèt tunc temporis exter dictum in Deum conuersionis præceptum, non tamen obligaret per se, & ex vi talis præcepti, sed per accidens, ratione scilicet alterius præcepti adiuncti, quod tunc obligaret; sicque hæc non esset obligatio directa spei, sed conuersionis in Deum, quæ si fieri posset sine spe, nullum de spe esset præceptum. Tum quia in Deum conuersio perfecta videtur posse fieri sine speciali actu spei, eo scilicet ipso, quod quis Deum vt summum bonum cognoscat, illumque super omnia diligat: Nihil enim impedit, quominus nullo actu spei mediante, fidem amor subsequatur: Cùm vt dicatur spem inter fidem, & charitatem mediare, sufficiet eam inter istas mediare regulariter.

7 Alij, quos sequitur Valent. a. a. *disp.* 2. q. 2. *punct.* 1. tenent, quod obliget statim ac homo, sine per se, siue per alium monitus, vtilitatem, ac necessitatem actus spei ad iustè, & piè viuendum cognitam habuerit.

At hoc minùs etiam mihi probatur, quia gratis dicitur, & absque vllo solido fundamento.

8 Alij, vt Petr. de Ledesma *in sum. tom.* a. *tract.* a. *cap.* 4. *concl.* 6. tenent, quod obliget semel in anno, sicut & præceptum de eliciendo actu fidei.

At hoc minùs etiam similiter mihi probatur; quia similiter gratis dicitur, & absque vllo vrgenti fundamento.

9 Alij, vt Aragonius, Bannez, Petrus de Ledesma *in locis suprà citatis*, Coninch. *disp.* 19. *dub.* 9. *n.* 117. & Azotius *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 9. *cap.* 2. *quæst.* 7. tenent, quod obliget quotiescumque occurrerit obligatio pœnitentiæ de ameacta vita ad gratiam Dei consequendam, quia cum Pœnitentiæ fundamentum, inquiunt ipsi, sit spes veniæ obtinendæ, Pœnitentia sine actu spei consistere non potest. Idemque dicunt, quotiescumque occurrerit obligatio, seu præceptum orationis; quia similiter sine actu spei impleri non potest obligatio, seu præceptum orationis; cùm sine spe consequendi peritum, non videatur quis quod possit debitè petere. Idemque addunt quotiescumque occurrerit obligatio, seu præceptum dilectionis Dei super omnia; quia similiter sine actu spei impleri non potest obligatio, seu præceptum dilectionis Dei super omnia. Idemque etiam addunt, quotiescumque quis obligatus fuerit aliquid aliud simile facere, quod etiam sine actu spei commodè fieri non potest.

At hoc etiam minùs mihi probatur; quia in omnibus his euentibus non obligat præceptum spei per se, & ex vi talis præcepti, sed per accidens, ratione alterius præcepti adiuncti, scilicet pœnitentiæ, orationis, dilectionis Dei super omnia, vel faciendi

10 quid aliud simile. Itavt tunc non eliciens actum spei non peccet contra hoc præceptum; sicque non teneatur in Sacramento Pœnitentiæ confiteri spei actus omissionem; sed solùm peccet contra illud aliud præceptum adiunctum (quod non implenit) sicque teneatur solùm confiteri huius præcepti adiuncti transgressionem; quia non est obligatio spei directa, sed indirecta, quatenus spes est medium per se necessarium v. g. ad orationem faciendam. Quod inde patet, quia si v. g. orationem debiram quis omittat, non peccat contra virtutem spei, sed contra virtutem Religionis, cuius actum exercere tenebatur.

11 Secundò, quia benè stare potest, aliquem esse obligatum, v. g. ad orationem aliquam faciendam; & tamen non esse obligatum (neque etiam indirectè) ad habendum formalem actum spei; cùm sufficiat, quod illum habeat implicitum, & virtualem: sic DD. quos sequitur Suarez *disp.* a. *de spe, sect.* 1. *n.* 2. Et ratio est, quia qui petit à Deo beneficium aliquod, non tenetur illud petere ex amore sui ipsius, & ex relatione ad Beatitudinem sibi conuenientem, sed potest illud petere, & spectare consequi ex amore amicitiæ, vel ex aliquo alio honesto fine: Ergo non obligatur elicere formalem actum spei.

Alij tandem, vt Bonacina *disp.* 3. q. 3. *punct.* 2. *n.* 2. 12 Aragonius, Petrus de Ledesma, Bannez, & Valentia *vbi suprà*, quos sequor, tenent quod obliget, quotiescumque quis graui desperationis tentatione vexatus, reperitur in periculo succumbendi, nisi eliciat actum spei, per quem contra tentationem, qua vexatur, confirmetur: Tunc enim per se hoc spei præceptum obligat; quia eodem spei præcepto tenemur sperare, & non desperare: Ergo si tunc elicere actum spei, est medium per se necessarium ad non desperandum, tunc obligabit per se hoc præceptum ad actum spei eliciendum, cùm (sicuti dicebam) eodem præcepto, quo tenemur non desperare, teneamur etiam & sperare, quotiescumque sperare est medium per se necessarium, ne desperemus.

Quamvis (vt fatear) valdè difficile cognitu sit, 13 quando actus spei reputari possit medium per se necessarium ad vincendam desperationis tentationem, cùm ad quamlibet grauem desperationis tentationem vincendam multa alia à Deo instituta sint media, vt Fides, Amor, Oratio, Consideratio, vel denique imaginationis diuersio: non ergo hoc tempus obligationis facile cognitu est.

Quapropter nonnulli Doctores satis probabiliter 14 tenent, quod nullum sit tempus determinatum, in quo huiusmodi præceptum obliget, sed sit prudentis arbitrio mensurandum; ita tamen, vt non sit longo tempore differri permittendum; sic præter alios Suarez *disp.* 2. *de spe, sect.* 1. *n.* 3.

Cui præcepto positiuo quilibet satisfacit. Primò, 15 cùm de peccatis dolet; quia tunc vix, ac ne vix quidem non elicit actum formalem spei, quo erigitur, vt dixit Tridentinum Concilium *sess.* 6. *c.* 6. ad peccata detestanda, & ad nouam vitam inchoandam: Secundò, cum nouquam peccandi mortaliter propositum elicit; huiusmodi enim propositum etsi aliquando eliciat ex amore Dei perfecto, sæpè sæpiùs tamen elicit ex amore imperfecto; quia considerat æternam retributionem, quam ipse peccatis amittit, & ex consideratione illius in spem vitæ æternæ, tanquam sibi conuenientis, erigitur, & peccata detestatur; cùm in hac vita, quæ tot difficultates inuoluit, sine spe aliqua retributionis, eaque sæpè sæpiùs repetita, non possit homo per longum tempus peccata vitare, sicque in diuina gratia conseruari: Qua de re videri poterit præter alios Coninch. *disp.* 19. *dub.* 9. *n.* 114.

Ex dictis tamen, quod addunt nonnulli ex his 16 Doctoribus mox citatis, præsertim Valentia, esse scilicet etiam aliquando necessarium, & sub præcepto, actum spei elicere ad vincendas tentationes in aliis materiis, quando & in aliis materiis etiam esset periculum succumbendi, mihi non probatur; quia tunc, vti dicebam, præceptum spei non obligabit per se, & ex vi talis præcepti, sed per accidens, ratione præcepti alterius adiuncti, superandi scilicet talem tentationem: Ergo tunc non elicere actum spei, non est peccatum necessariò farendum distinctum ab eo, quod committitur tentationi succumbendo, vel quod committitur succumbendi periculo se exponendo; quia tunc actus spei non requirebatur per se, sed ratione alterius præcepti adiuncti, deuitando scilicet illud aliud peccatum, ad quod tentatione vexatus impellebatur.

17 Supponn secundò: Quod sit etiam de fide, esse præceptum de eliciendo aliquando actu timoris Dei, *ex illo Sapientiæ primo, vers.27. & 28.* [Qui sine timore est, non poterit iustificari.] Cùm igitur iustificatio necessaria sit ad salutem, sequitur quod ad salutem necessarius sit etiam actus timoris Dei, sine quo ipsa iustificatio esse non potest, vt tradit S. Th. 2.2.q.22.*art.*2. quem sequuntur Suarez *disp.*2. *de spe, sect.*1. *n.*4. & alij passim.

18 Sed quia duplex est Dei timor honestus, vnus filialis, alter seruilis, de vtroque timore Dei aliquando eliciendo præceptum est, & quidem quantum spectat ad timorem filialem, patet *ex Deuteron.*10. [Quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum, &c.] Quantum autem spectat ad timorem seruilem, patet *ex Matth.*10. & *Luca* 12. [Eum timete, qui postquam occiderit corpus, habet potestatem & corpus, & animam perdere in gehennam.] Et colligitur ex Tridentino Concilio *sess.*6.*c.*6. quatenus definit, ad iustificationem impij hunc timorem gehennæ concurrere. Videri etiam poterit S.Thom. *cit.* q.22. *art.*2.

19 Est autem timor filialis, ex eodem S. Thom. *loco suprà cit.* q.19.*art.*2. quo quis timet offendere Deum, & ab eo per peccatum seiungi, non causa, vel amore sui ipsius, sed causa vel amore solius Dei: Dicitur enim timor filialis, eo quòd nascatur ex amore Dei, sicut amor filialis in hominem Patrem nascitur ex amore hominis Patris, quo illum filius prosequitur.

20 Est è contra timor seruilis, quo quis timet pœnas à Deo peccatoribus constitutas, & ideò vt eas effugiat, & sibi consulat, inducitur ad vitandum peccatum: dicitur enim timor seruilis; quia non propriè nascitur ex amore Dei, sed ex amore sui metipsius hominis operantis, quo quis, vt dictas pœnas effugiat, & sibi prouideat, inducitur ad non peccandum, instar serui, qui non amore Domini, sed timore pœnæ ductus, Domino obedit, & obsequitur.

21 Breuiter igitur timor filialis Dei est, quo quis ex amore Dei timet, & fugit offensam illius, sicut legitimus filius timet offendere Patrem; quia illum amore prosequitur: seruilis autem timor Dei honestus, est quo quis amore seruorum timet offendere Deum propter pœnam, quam exinde incurrit. In quo affe-
22 ctus potius ad suam incolumitatem, quàm ad diuinum honorem respicit, & de vtroque timore Dei aliquando eliciendo esse præceptum, tradit S. Thomas 2. 2. q.22.*art.*2. quem sequuntur alij communiter, & nos *suprà* dicebamus.

23 An autem præcepta de timore filiali, & seruili eliciendo sint specialia, itavt aliquando ex huiusmodi timorum defectu contingat committi speciale peccatum, vel sint solùm ipsamet charitatis, vel aliarum virtutum præcepta, quæ exigunt prædictos timores, quatenus per illos ab ipsorum præceptorum transgressione homo retrahitur?

Respondetur, quod quamvis nonnulli, ad quorum sententiam inclinat Bannez 2. 2. q. 22. *art.* 2. *in responsf. ad* 1. & 2. putent esse specialia præcepta, obligetque timor filialis, quando quis est in periculo peccandi, & ad præcauendum peccatum ducitur amore Dei; obliget autem timor seruilis, quando quis similiter est in periculo peccandi, & ad præcauendum peccatum ducitur timore pœnæ: Probabilius tamen sit oppositum, quod docent alij, quos sequitur Valentia 2. 2. *disp.*2. *q.*4. *punct.*2. *circa finem*, non esse scilicet prædictorum timorum præcepta specialia, sed esse eadem præcepta, ac sunt præcepta aliarum virtutum. Itavt committens quodcumque peccatum, à quo timorum istorum actu retrahi posset, sufficienter in Sacramento pœnitentiæ fateatur, explicando solùm peccatum illud commissum, vel si non commisit, explicando solùm eiusdem peccati committendi periculum, cui se exposuit.

Probatur, quia timorum defectus, de quo loquimur, est conditio transcendentalis, seu generalis, quæ reperitur, & inuoluitur in omnibus peccatis commissis: Ergo non constituit speciale peccatum. 24
Antecedens patet: Consequentia probatur à pari, quia defectus considerationis aliorum mediorum, quæ à peccando auerterent, & tamen ab ipso peccante negliguntur, non constituit speciale peccatum, eo quòd sit transcendentalis, seu generalis omnium peccatorum commissorum conditio.

Confirmatur etiam à pari; quia ea dicta suprà, 25 omissio spei actus requisiti ad non succumbendum tentationibus contra alias virtutes occurrentibus, non constituit speciale peccatum, eo quòd talis actus non exigatur propter se, sed propter aliarum virtutum præcepta: Ergo sic, &c.

Confirmatur secundò; quia de istorum defectu 26 neque se accusant viri timorati, neque inquirunt, neque interrogant Confessarij docti, atque prudentes.

Cæterùm, cùm necessarium non sit ad iustifica- 27 tionem impij aliquem ex his Dei timoribus expressè, & formaliter concurrere, sed sufficiat, quod virtualiter solùm insit: sic Doctores quos sequitur Valentia *disp.*2. *de spe, q.*4. *punct.*2. sequitur quod nullum adsit præceptum expressum exercendi hos Dei timores formaliter, sed satis exerceantur tunc, cùm opera aliàs præcepta executioni mandantur: sic DD. quos sequitur Valentia *loco suprà citato.*

Obijcies: sæpè quis graui tentatione vexatur, & 28 illam vincit, timens ne Deum offendat, vel ne inferni pœnas incurrat, alioquin illam non victurus: Ergo huiusmodi Dei timor obligat saltem in præsenti casu.

Respondetur: Concedo antecedens. At distinguo consequens. Per se, nego. Per accidens (itavt obligatio directè nascatur non ex præcepto speciali spei, & timoris Dei, sed ex præcepto illius virtutis, contra quam tentaris) concedo. Quod patet ex eo, quia si tentationi consentiat, non peccat contra virtutem spei, sed solùm contra illam virtutem, circa quam erat tentatio, itavt hanc solam culpam in Sacramento Confessionis explicare teneatur: & ratio est, quia ille timor Dei solùm est conditio quædam generalis, retinens animum à peccatis, sicut diuinorum beneficiorum consideratio. Ac proinde sicut specialem culpam non constituit defectus huius considerationis, ita etiam neque specialem culpam constituet defectus prædicti timoris Dei.

Accedit, quod etsi de timore tam filiali, quàm 29 seruili præceptum speciale, & formale daretur, rarò quis (nisi esset valdè peruersus, & omninò Dei oblitus) illius executionem omitteret; quia cùm huiusmodi obligatio non pro singulis mensibus, neque pro singulis annis deberet constitui, sed aliquoties tantùm in vita, arbitrio prudentis viri, rarò omitti potest; cùm nemo nisi, sicuti dicebam, sit valdè peruersus, & omninò Dei oblitus, repetiatur qui aliquoties in vita non omittat Dei offensam, vel ob Dei ipsius bonitatem, & amorem, vel ob vitandas gehennæ pœnas, quique bis motiuis excitatus non doleat de peccatis: Ergo non est, cur in huiusmodi præcepti executione scrupuli injiciantur.

SECTIO

SECTIO II.

Dubitationis Resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Spei contra virtutem peccatur primò non eliciendo actus talis virtutis, quando talis virtus obligat.*

2 *Spei contra virtutem peccatur etiam per defectum desperando, dum quis scilicet desperat futurum quod ad meliorem vitam se vnquam recipiat, & peccatorum veniam, ac gloriam à Deo tandem consequatur: Quod est peccatum tam graue, vt nequeat euadere veniale ratione paruitatis materia, quia motus desperationis est conformis iudicio falso de Deo.*

3 *Desperationis actus huiusmodi est coniunctus cum haresi, quando desperans tali falso iudicio assentitur, quia hac iudicia sunt contra fidem: quare erit tunc duplex malitia spei distincta in confessione explicanda.*

4 *Desperationis actus potest etiam esse sine haresi; quia ad eliciendum actum desperationis, necessarium non est quod desperans actu habeat illud falsum iudicium de Deo.*

5 *Desperationis actus non necessariò includit dictum falsum de Deo iudicium, nempe, Consequi gratiam, & gloriam Dei, est mihi impossibile: Deus non potest mihi parcere, &c. Sed satis est, quod inuoluat hoc aliud iudicium: Nunquam mihi parcet Deus, &c.*

6 *Spei contra virtutem peccatur etiam per excessum, committendo vitium prasumptionis, dum quis scilicet sperat à Deo aliquid tanquam possibile, quod secundùm illius legem ordinariam est impossibile, vt v.g. remissionem peccatorum, gratiam, & gloriam absque meritis, vel solis propriis viribus naturalibus.*

7 *Spem ponere in creaturis tanquam in iis, qua vnà cum adiutorio Dei adiuuent, & ad vitam aternam consequendam nos promoueant, non est illicitum, neque interdictum; secus si sine adiutorio Dei.*

8 *Prasumptionis peccatum vt euitetur, non requiritur quotiescumque gratia, & gloria Dei speratur, expressa mentio adiutorij Dei; sed sufficit interpretatiuè, vel virtualiter talis intentio.*

9 *Prasumptionis peccatum est semper mortale, itavt solùm possit esse veniale ratione imperfectionis actus, idest defectu solius plena aduertentia, seu deliberationis, non autem ratione paruitatis materia; quia hic prasumptionis motus est conformis falso iudicio de Deo.*

10 *Prasumptionis peccatum, licèt secundùm aliquos sit mortale, quando quis spe venia obtinenda pœnitentiam de peccatis in senectutem, vel vita finem differat: Probabilius tamen est oppositum, non esse scilicet semper mortale, nisi contingat tempus, quo pœnitentia praeceptum obliget.*

11 *Prasumptionis peccatum potest etiam esse cum haresi, & absque haresi: quando est cum haresi, tunc inuoluit duplicem malitiam specie distinctam necessariò confitendam; secus è contra.*

1 RElpondetur, & dico primò, peccatur contra virtutem spei, non eliciendo actum talis virtutis, quando talis virtus obligat, iuxta ea, quæ dicebam *suprà suppositio* 1.

2 Dico secundò, peccatur etiam contra eandem virtutem per defectum, desperando; dum quis scilicet desperat futurum quod ad meliorem vitam se vnquam recipiat, & peccatorum veniam, ac gloriam à Deo tandem consequatur. Quod peccatum est ita graue, vt non possit euadere veniale defectu paruitatis materiæ, sed solùm defectu plenæ aduertentiæ, seu deliberationis. Ratio, quia motus desperationis est conformis iudicio falso de Deo, quo quis iudicat, quod per Dei misericordiam non possit salutem æternam obtinere. Quod in qualibet materia est grauiter offendere misericordiam Dei.

3 Vbi aduerte; quod iste desperationis actus sit coniunctus cum hæresi, quando desperans actu format tale iudicium illi assentiendo, v. g. [Consequi gratiam, & gloriam Dei est mihi impossibile; vel Deus non potest mihi parcere; vel Deus mihi non parcet, etiamsi per auxilium supernaturale, vel debitè, quemadmodum decet, me disposuero:] & similia. Ratio, quia hæc, & similia iudicia sunt contra fidem. Quapropter erit tunc duplex malitia specie distincta, vtraque propterea necessariò in Sacramento Confessionis explicanda: vna scilicet hæresis, altera verò desperationis, quamvis dictus desperationis actus possit etiam esse sine hæresi.

4 Vel quia, sicuti ex S. Thoma præter alios notauit Valentia 2.2. *disp.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 1. ad eliciendum actum desperationis non est necesse, quod desperans actu habeat illud falsum de Deo iudicium, quod dicebam; sed satis est, quod per iudicium practicum æstimet, esse sibi tunc desperandum, siue vt quid sibi iucundum, vel delectabile, & aptum præsenti dispositioni, siue vt quid sibi vtile ad alios prauos fines consequendos, vt ad liberiùs peccandum, &c. Quemadmodum qui furatur, vel fornicatur, &c. non iudicat sibi tunc furtum, vel fornicationem illam, &c. licitam esse; quia sic esset hæreticus, sed tantùm practicè furtum, vel fornicationem illam, &c. amplectitur, tanquam quid sibi iucundum, seu delectabile, vel tanquam quid sibi vtile ad alios prauos fines consequendos, vti dicebam.

5 Vel quia, sicuti volunt alij, quos sequitur Toletus *in summa, lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 9. ad eliciendum dictum actum desperationis non est necesse, quod desperans actu habeat dictum falsum de Deo iudicium, nempe [consequi gratiam, & gloriam Dei est mihi impossibile: Deus non potest mihi parcere: Deus mihi non parcet, etiamsi debitè me disposuero, &c.] Sed satis est, quod habeat hoc aliud iudicium: Nunquam mihi parcet Deus, nunquam me disponam: nunquam benè agam, &c. quia cùm hæc alia iudicia sint de solo facto, non sunt hæretica.

6 Dico tertiò: Peccatur etiam contra virtutem spei per excessum, committendo vitium præsumptionis, dum quis scilicet sperat à Deo aliquid, tanquam possibile (quod secundùm illius legem ordinariam est impossibile) vt v.g. remissionem peccatorum, gratiam, & gloriam absque meritis, vel solis propriis viribus naturalibus, vel solis creaturis, tanquam præsidio ad salutem consequendam sufficienti, sine adiutorio Dei. S. Thomas 2.2.q.21. *art.* 1. quem sequuntur communiter Doctores.

7 Dixi: [solis creaturis, tanquam præsidio ad salutem consequendam sufficienti, sine adiutorio Dei:] Quia ponere spem in creaturis, tanquam in eis, quæ vnà cum adiutorio Dei adiuuent, & ad vitam æternam consequendam nos promoueant, non est illicitum, neque interdictum: sic Doctores passim, quos sequitur Azor. *tom.* 1. *Instit. moral, lib.* 9. *cap.* 2. *quæst.* 7.

8 Vbi aduerte, quod ad vitandum præsumptionis peccatum, non requiritur (quotiescumque gratia, & gloria Dei speratur) expressa mentio adiutorij

Dei, sed sufficit interpretatiuè, vel virtualiter talis intentio (sicque communiter in Christianis contingit.) Bannez 2.2. q.21. art. 2. dub. 3. Arsgonius ibid. & alij passim.

9 Aduerte secundò, quod peccatum præsumptionis est semper mortale, itavt solùm possit esse veniale ratione imperfectionis actus, idest defectu solius plenæ aduertentiæ, seu deliberationis; non autem ratione paruitatis materiæ: Bannez ibid. dub. 12. Valentia 2.2. disp. 3. q. 3. punct. 2. Quia hic præsumptionis motus est conformis falso iudicio de Deo, quo quis iudicat, quod possit consequi à Deo gratiam, & gloriam absque mediis à diuina Prouidentia, & Iustitia decretis, sicque grauissimè vtrumque Dei attributum offendit.

10 Aduerte tertiò, quod licèt Bannez 2.2. q.2 1. art. 2. circa finem, & Medina in sum. lib. 1. cap. 14. §. 2. putent quod sit etiam Præsumptionis peccatum, illudque mortale, si quis spe veniæ obtinendæ pœnitentiam de peccatis in senectutem, vel vitæ finem differat. Probabilius sit oppositum, quod docent alij, quos sequitur tom. 1. instit. moral. lib. 9. cap. 2. q. 7. non esse scilicet semper mortale, nisi contingat tempus, quo Pœnitentiæ præceptum obliget. Itavt qui spe veniæ obtinendæ pœnitentiam de peccatis differt, solùm peccet contra Pœnitentiæ præceptum, si scilicet intendat eam differre vltra tempus, quo dictum Pœnitentiæ præceptum obligat; sicque non sit propriè peccatum contra virtutem spei, cùm non speretur gratia, & gloria absque pœnitentia, & adiutorio Dei.

11 Aduerte quartò, quod peccatum præsumptionis etiam potest esse cum hæresi, & absque hæresi, sicuti de desperatione dicebam dicto 2. Est autem peccatum præsumptionis cum hæresi, itavt sit duplex specie distincta malitia, sicque duplex necessariò in Sacramento Confessionis explicanda, cùm quis crederet, quod gratiam, vel gloriam absque pœnitentia, & meritis, vel solis propriis viribus naturalibus, &c. absque auxilio Dei consequi possit; quia tamen ad præsumptionis istud peccatum non requiritur necessariò, quod is tale iudicium habeat, sed sufficit, quod ita tendat in salutem æternam, ac si posset eam absque meritis, vel solis propriis viribus naturalibus, &c. absque auxilio Dei obtinere. Propterea tunc peccatum istud præsumptionis erit absque hæresi, iuxta ea quæ supra diecbam, & videri poterit præter alios Valentia 2.2. disp. 2. q. 3. punct. 2. videri etiam poterunt quæ dicentur infrà sect. 7.

SECTIO III.

In quonam consistat desperatio?

COROLLARIVM I.

SVMMARIVM.

1 *Desperatio formaliter non consistit in Iudicio intellectus, quo quis indicat se non posse à Deo consequi salutem, vel simpliciter, vel secundum quid; sed in fuga voluntatis: quare fugit salutem tanquam obtineri impossibilem, licèt prædictum iudicium supponat, quia desperatio opponitur spei.*

2 *Desperatio non necessariò sequitur in voluntate, posito prædicto iudicio in intellectu; quia voluntas non cogitur à dicto iudicio.*

3 *Sperare tamen quis adhuc non potest posito prædicto iudicio, & voluntate non desperandi; quia nemo potest sperare, nisi habeat iudicium contrarium, quo iudicet se posse saluari.*

4 *Peccat qui iudicaret, se non posse saluari, licèt non desperaret; quia non solùm iudicaret falsum, sed etiam exponeret se periculo desperationis.*

5 *Spei virtutem tamen non amitteret is per hoc peccatum periculi desperationis, cui se exponeret; quia fides non amittitur per solum periculum hæresis, sed per solum actum ipsius; & idem dici debet de spe.*

6 *Desperationis definitio desumi debet ex contrarietate, quam desperatio habet cum spe; quia cum spes consistat in voluntate efficaci obtinendi beatitudinem, illamque procurandi, sequitur quod desperatio consistat etiam in voluntate efficaci nolendi prosequutionem eiusdem beatitudinis.*

7 *Desperationem consistere aiunt nonnulli vel in nolitione beatitudinis, vel in actu intellectus, quo quis iudicat, se non esse saluandum. At minùs rectè, quia desperatio non potest consistere in nolitione. Nullus enim est, qui possit nolle beatitudinem: neque potest consistere in actu intellectus, quia desperatio est contraria spei, quæ quidem est in voluntate, & in voluntate poni debet ipsa desperatio, &c.*

8 *Desperatio ex dictis consistit in duplici actu voluntatis, vel etiam in vno actu cum duplici respectu. Primò quidem in quadam voluntate efficaci emittendi per totum vitæ tempus media necessaria ad salutem. Secundè in fuga, seu recessu ipsiusmet beatitudinis.*

9 *Desperatio sufficienter inuoluit iudicium, quo quis iudicet beatitudinis consecutionem esse sibi difficilem & arduam; cùm ex hoc iudicio moueri possit ad nolendum illam procurare, & consequi.*

10 *Desperatio aliquando oritur ex Iudicio falso, & erroneo, quo quis iudicat suam salutem impossibilem esse; & quidem si desperatio criatur ex hoc iudicio, supponit hæresim; si verò oriatur ex alio iudicio, supponit quem nimis peccatis deditum.*

Ex dictis sequitur, quod desperatio formaliter non consistat in iudicio intellectus (quo quis iudicat, se non posse à Deo consequi salutem, vel simpliciter, vel ex suppositione:) Sed in fuga voluntatis (qua refugit salutem, tanquam obtineri impossibilem) tametsi prædictum iudicium supponat. Sanctus Thomas quæstione 20. articulo 1. quem sequuntur alij communiter; & ratio est, quia desperatio opponitur spei: Ergo sicut spes consistit in prosecutione boni, quatenus indicatur obtineri possibile, sic desperatio consistit in fuga eiusdem boni, quatenus iudicatur obtineri impossibile. 1

Aduerte tamen, quod posito prædicto iudicio in intellectu, non necessariò sequatur desperatio in voluntate; quia voluntas non necessitatur à tali iudicio: Ergo manet libera; sicque non necessariò desperat: Quapropter, licèt quis iudicaret se non saluandum à Deo, posset nihilominus dicere: nolo desperare, sed faciam quod potero. 2

Aduerte secundò, quod posito prædicto iudicio, & voluntate non desperandi, non possit tamen quis adhuc sperare; quia nemo potest sperare, nisi habeat iudicium contrarium, quo iudicet, se posse saluari: sed hoc iudicium non potest coexistere cum altero iudicio prædicto: Ergo. 3

Aduerte tertiò, quod peccaret, qui iudicaret, se non posse saluari, tametsi non desperaret; quia non 4

non solùm iudicaret falsum, sed etiam exponeret se periculo desperationis; & ideò peccaret etiam contra virtutem spei.

5 Aduerte 4. quod per hoc peccatum periculi desperationis (cui se exponeret) non amitteret tamen virtutem spei; quia fides non amittitur per solum periculum hæresis, cui quis se exponit, sed per solum actum ipsius hæresis: Ergo idem dicendum est de spe, quod scilicet spes non amittatur per solum periculum desperationis, cui quis se exponit, sed per solum actum ipsius desperationis.

6 Aduerte 5. quod definitio desperationis desumi debeat ex contrarietate, quam desperatio habet cum spe: quapropter cum spes (vt *in 3. sentent. dist.* 26. & cum S. Thoma 2.2. *quæst.* 17.) consistat in voluntate efficaci obtinendi Beatitudinem, illamque procurandi, sequitur quod desperatio consistat etiam in voluntate efficaci nolendi prosecutionem eiusdem Beatitudinis; cùm sic desperatio explicetur spei directè contraria: vt autem hoc meliùs intelligatur.

7 Aduerte 6. quod quidam (vt Almainus *tract.* 1. *moral. cap.* 5.) sentiant desperationem consistere vel in nolitione Beatitudinis (quemadmodum spes consistit in voluntate illius) vel consistere in actu intellectus, quo quis iudicat, se non esse saluandum, quemadmodum spes supponit actum fidei, quo quis credit, se posse saluari.

At minus rectè prædicti Doctores sic sentiunt; quia desperatio non potest consistere in nolitione Beatitudinis, quia nullus est, qui possit nolle Beatitudinem; cùm in Beatitudine nulla apprehendatur ratio mali, quæ est obiectum nolitionis, seu fugæ: tum quia desperatio est solùm illius rei, quam quis vult, & appetit sequi: Ergo si de facto non vult Beatitudinem, quia sibi ex aliqua ignorantia non placet, illam non desperat, sed potiùs tanquam quid malum respuit.

Neque desperatio potest consistere in actu intellectus, quo quis iudicat, se non esse saluandum; quia desperatio est contraria spei: Ergo cùm spes sit in voluntate, sequitur quod desperatio necessariò sit in eadem: tum quia vel iudicat, se non esse saluandum, quantumcunque diuinâ gratiâ adiutus faciat quod potest; vel iudicat se non esse saluandum, quia determinat non apponere media necessaria ad salutem: Primum iudicium est hæreticum: ergo desperatio non potest consistere in illo, aliàs desperatio confunderetur cum hæresi, contra Doctores communiter distinguentes desperationem ab hæresi, & affirmantes manere posse in homine fidem absque spe, propter peccatum desperationis: Secundum iudicium, quamvis hæreticum non sit, adhuc tamen non constituit desperationem; quia posito tali iudicio, adhuc quis non cogitur desperare (cùm non necessitetur ab illo iudicio) sed potiùs poterit dicere: *Faciam quantum potuero, vt saluer*: Ergo desperatio consistere non potest in tali iudicio, tametsi regulariter ex illo iudicio sequatur desperatio: sic Doctores communiter, quos sequitur Suarez *disp.* 2. *de spe, sect.* 2. *num.* 2.

Accedit, quod nullum ex his duobus iudiciis ad desperationem necessariò requiratur, sed aliud iudicium (de Beatitudinis scilicet consequendæ difficultate efformatum) ad illius desperationem sufficiat, vt mox infrà patebit.

8 Dicendum igitur est, quod desperatio consistat in duplici actu voluntatis, vel etiam in vno actu cum duplici respectu: Primò scilicet in quadam voluntate efficaci omittendi per totum vitæ tempus media necessaria ad salutem; quia tibi difficilia apparent, & tuis appetitibus contraria sunt: Secundò in fuga, seu recessu ipsiusmet Beatitudinis, qualis actus, quatenus respicit Beatitudinem, dicitur propriè desperatio (cùm Beatitudinem desperet qui illam non vult prosequi.) Quatenus verò respicit mediorum (quæ ad Beatitudinem requiruntur) executionem, dicitur nolitio; quia absolutè non vis media Beatitudini necessaria exequi.

Hinc sequitur, quod ad desperationem sufficiat iudicium, quo iudices, Beatitudinis consecutionem esse tibi difficilem, & arduam; cùm ex hoc iudicio moueri possis ad nolendum illam procurare, & consequi; sicque etiam consequenter ad desperandam illius consecutionem: debes tamen carere iudicio, quod ipse Beatitudinem consecuturus sis; quia stante tali iudicio desperare non posses; sed potiùs illam sperare deberes, si scilicet aliquem actum eliciturus eras. 9

Aduerte septimò, quod desperatio aliquando oriatur ex iudicio falso, & erroneo, quo iudicas, tuam salutem impossibilem esse; & quidem, si desperatio oriatur ex hoc iudicio, supponit hæresim: si verò oriatur ex alio iudicio, supponit te nimis peccatis deditum, iuxta illud *Ieremiæ* 18. [Desperauimus, post cogitationes nostras ibimus.] Et iuxta illud *ad Ephesios* 4. [Desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis in auaritiam, &c.] 10

SECTIO IV.

Quàm graue peccatum sit desperatio?

COROLLARIVM II.

SVMMARIVM.

1 *Desperatio est ex suo genere peccatum grauius, quàm omnia alia peccata, quæ sunt contra virtutes morales; quia desperatio opponitur spei, quæ est virtus Theologica, tendens scilicet immediatè circa Deum; & virtutes Theologicæ ex suo genere sunt perfectiores virtutibus moralibus.*

2 *Desperationis peccatum per accidens contingere potest, quod sit minus graue, quàm alia prædicta peccata, si videlicet committatur sine plena aduertentia, seu deliberatione, vel tantùm ex surreptione, qua ratione potest esse peccatum veniale. Secus tamen ratione paruitatis materiæ, quæ in eo inueniri non potest.*

3 *Desperatio est peccatum minus graue, quàm odium Dei, & grauius quàm infidelitas; quia spes est imperfectior, quàm charitas, & perfectior quàm fides, saltem in genere moris.*

4 *Infidelitas est peccatum grauius desperatione, si loquamur de infidelitate in genere naturæ: Secus si loquamur de infidelitate in genere moris.*

5 *Desperatio potest esse sine infidelitate, quia spes est posterior fide, saltem in ordine naturæ; & remota spe, potest remanere fides.*

6 *Desperare neminem posse, nisi prius iudicet, se non posse saluari, non est verum, si desperatio oriatur ex iudicio falso; si verò oriatur ex aliquo alio iudicio, tunc est sine infidelitate, & non includit peccatum hæresis.*

SEquitur 2. quod desperatio sit ex suo genere peccatum grauius, quàm omnia alia peccata, quæ sunt contra virtutes morales: sic DD. communiter cum S. Thoma *q.* 20. *art.* 3. & ratio est, quia desperatio opponitur spei (quæ est virtus Theologica, tendens scilicet immediatè circa Deum:) Ergo ex suo genere est peccatum grauius, quàm rapina, furtum, stuprum, adulterium, homicidium, & similia. Antecedens patet ex iis, quæ communiter dicuntur 1.2. *tract. de Fide* 1

Spe, & Charitate. Consequentia probatur, quia virtutes Theologicæ ex suo genere (vtpotè teodentes immediatè circa Deum) sunt perfectioces virtutibus moralibus: Ego etiam peecata opposita prædictis vietutibus Theologicis ex suo genere sunt geauiora, quàm sint peecata opposita aliis virtotibus moralibus.

2 Dixi: *ex suo genere*, quia pee accideos contiogere potest, quod desperatio sit peccatum minùs graoe, quàm alia prædicta pecеata, vt si scilicet peecatum desperationis committatue sine plena aduertentia, seu deliberatione, vel committatur tantùm ex subreptione: qua ratione potest esse peecatum veniale; secus tamen ratione paruitatis materiæ, quia paruitas materiæ iouenici non potest in voluntate deficiendi integrè à proseeutione Beatitudinis, seu ætetnæ viræ: sic Doctores communiter, quos sequitue Suatez *disp.2. sect.2. num.4.* & Valentia *disp.2. quæst.3. punct.1. circa finem.*

3 Aduette tamen, quod desperatio sit peccatum minùs graue, quàm odium Dei: at geauius quàm infidelitas; quia spes est imperfectior, quàm chatitas; & petfectiot, quàm fides, saltem in genete moris, vt *in 1.2 citato tractatu de Spe, Fide, & Charitate:* Ergo desperatio (quæ opponitue spei) est peecatum minùs geaue, quàm odium Dei, quod opponitur charitati; & grauius, quàm iofidelitas, quæ opponitur fidei.

4 Objicies: infidelitas est peecarum grauius, quàm desperatio, sieue ait Sanctus Thomas *loeo suprà citato*; & suadet ratio, quia infidelitas attingit immediatè Deum in se, quatenus est prima veritas in dieendo; at desperatio non attingit immediatè Deum io se, sed quatenùs à nobis potest possideri: Ergo.

Respondetur, distinguo antecedens: si loquamur de infidelitate in geneee naturæ, concedo: si loquamue de infidelitate in genere moris, sicuti videee est *in loto citato de Fide, Spe, & Charitate*, nego.

5 Aduette 2. quod desperatio possit esse sine infidelitate: sic DD. etiam communiter cum eodem S. Thoma *citata q.20. art.2.* Et ratio est, quia spes est posteriot fide, saltem in ordine naturæ: ergo eemota spe, potest remaneee fides, cùm remoto posteriori, non statim eemooeatut peius: Ergo desperatio potest esse sine infidelitate.

6 Objicies: Nemo potest desperare, nisi priùs iodicet, se non posse saluari, sieuti suprà diecbam: At hoe iudieium est hæretieum (cùm de fide quilibet possit saluari pet gratiam Dei:) ergo oemo desperat, nisi babeat iudieium hæretieum, atque adeò desperatio non poterit esse sine infidelitate.

Respondetue: Nego maiorem, quia aliquando desperatio potest oriri ex alio iudieio: quaptopter si despeeatio oriatur ex iudicio falso, v.g. *Deus, quidquid agam, non remittet mihi peccata*, tunc iudieium est hæretieum, & desperatio est simul eum hæresi, ita vt simul committantur duo peccata, scilieet hæeesis, & desperationis; si verò desperatio oeiatur ex aliquo alio iudicio, v.g. *Ego de facto non perseuerabo*; vel *ego de facto non saluabor*; tunc desperatio est sine infidelitate, ita vt committatur solùm peecatum desperationis, & oon item peecatum hæresis, seu iofidelitatis.

SECTIO V.

An desperario semper, & in omni casu sit peccatum, atque adeò intrinsecè mala?

COROLLARIVM III.

SVMMARIVM.

1 *Desperatio semper, & in omni casu est peccatum, atque adeò intrinsecè mala, si videlicet supponamus, quod re ipsa factum est, nempe promisisse Deum, se non velle alicui negare suam misericordiam, seu gratiam in hac vita; sublata enim hac suppositione, desperatio non est semper, & in omni casu peccatum, atque adeò intrinsecè mala.*

2 *Sperare Beatitudinem ille non teneretur, cui reuelatum esset à Deo, eum esse reprobum: potest tamen sperare sufficiens auxilium ad singula peccata vitanda; quia in tali casu ablata esset illi potestas sperandi Beatitudinem, & consequenter etiam obligatio.*

3 *Is cui facta esset huiusmodi reuelatio, non posset sperare media ad consequendam Beatitudinem; posset tamen sperare media ad noua peccata cauenda.*

4 *Reprobationis reuelatio potest fieri tribus modis, & quinam ij sint.*

5 *Is cui reuelata esset sua reprobatio 2. modo supradicto, posset desperare de misericordia, seu gratia Dei; non autem similiter is, cui reuelatum esset, quod ipse sit reprobatus 3. modo; quia quamdiu potest sperare Beatitudinem, non potest desperare.*

6 *Deus, si alicui reuelet, se absolutè velle illum punire propter peccata præterita, & illum relinquere sine misericordia, seu gratia, certò deberet credere se nullam misericordiam, seu gratiam esse à Deo consecuturum.*

7 *Reuelatio, quod aliquis sit reprobatus, non repugnat diuinæ Bonitati, & diuinæ Sapientiæ, quia falsum est vllam ibi inuolui implicantiam, seu repugnantiam; nam licèt ex tali reuelatione quis posset nancisci occasionem desperandi, & quamplurima peccata committendi, non tamen tribuenda erunt Deo, qui non est obligatus illa impedire.*

8 *Antichristo nulla implicantia videtur, quod reueletur impœnitentia finalis, & damnatio æterna: siquidem illa impœnitentia finalis non esset ex reuelatione illi facta à Deo, sed ex ipsius malitia.*

9 *Is cui reuelata fuit eius reprobatio, non videtur absolutè peccaturus in desperando Beatitudinem; quia ex vi talis reuelationis, certò sciens Beatitudinem se non esse consecuturum, illam sperare non potest, consequenter non peccabit desperando, si illa desperatio procedat ex iudicio, quo credat non consecuturum se Beatitudinem ex sua infirmitate.*

10 *Conatus serius, & efficax Beatitudinis assequendæ necessariò inuoluit iudicium de possibilitate consecutionis Beatitudinis: At qui certò scit, illam se non esse consecuturum, non potest probabiliter iudicare, esse sibi possibile illam consequi.*

11 *Conatus serius, seu firmus, quò necessarius est ad vitandum peccatum, tollit omnem relationem reuelationis; quia aliàs impediretur moraliter potentia vitandi peccatum.*

12 *Non valet argumentum ex præscientia Dei de peccato*

cato futuro alicuius, propter quam non impeditur libertas illud vitandi, ad reuelationem diuinam, ob disparitatem rationis; quia præscientia Dei in re non causat quidquam: at reuelatio causat iudicium, quo indicat sibi peccatum esse vitatu impossibile.

13 *Desperationis peccatum absolutè non committit quis in casu quo ei sit reuelatum esse reprobum in desperando beatitudinem, id solùm concedendo in primo, & secundo gradu reuelationis, non tamen in tertio.*

14 *Quis ad aliquem finem consequendum non potest eligere medium, quod hîc & nunc inutile reputat ad consequutionem illius finis, si inutilitas medium aliundè quàm ex sua voluntate preueniat: secus è contra.*

1 SEquitur tertiò, quod desperatio semper, & in omni casu sit peccatum, atque adeò intrinsecè mala, si scilicet supponimus (quod re ipsa factum est) nempe promisisse Deum, se non velle alicui negare suam misericordiam, seu gratiam in hac vita. Nam sublata hac suppositione, desperatio) sicut infrà clarè patebit) non est semper, & in omni casu peccatum, atque adeò intrinsecè mala, præsertim si Deus alicui reuelaret se non velle illi suam misericordiam, seu gratiam in hac vita præstare: Quem casum ego possibilem (etsi nonnulli eum S. Bonauentura *in 1. distinct.* 48. *circa literam*, & ibi Gregorio *q. vlt.* S. Thom. *ex parte*, quatenus vocat casum quasi impossibilem, Altissiodorens. *lib. 3. tract. 5. cap. 6. q. 5.* contrarium sentiant) cum S. Thoma, Maior. & Gabr. apud Suarez *disp. 2. de spe, sect. 1. n. 6.* Vasq. 1. 2. *disp. 72. n. 15.* & Coninch *disp. 20. dub. 12. n. 91.* Lorc. 2. 2. *q. 12. art. 1. sect. 2. disp. 18.* & aliis: arbitror, quia Deus iam de facto reuelauit, quod Antichristus sit reprobatus, & tempore Antichristi posset alicui alteri reuelare, quod ille sit Antichristus: ergo Deus posset etiam ipsimet Antichristo reuelare, quod ipse Antichristus sit reprobatus, præsertim cum hîc nulla appareat repugnantia, seu contradictio, & nulla appareat malitia moralis.

2 Vbi aduerte, quod si alicui facta esset reuelatio, ipsum esse reprobatum, non teneretur ille sperare beatitudinem, posset tamen sperare sufficiens auxilium ad singula peccata vitanda, & ad aliqua bona opera facienda.

Prior pars probatur, quia in tali casu ablata esset illi potestas sperandi beatitudinem: ergo & ablata etiam esset illi obligatio illam sperandi. Consequentia patet, quia nemo obligatur ad impossibile. Antecedens probatur, quia non potest quis sperare beatitudinem, nisi iudicet, quod possit illam obtinere: sed huiusmodi iudicium non potest habere ille, cui facta esset reuelatio, ipsum esse reprobatum: ergo ablata esset illi potestas sperandi beatitudinem.

Posterior pars patet, quia hoc non repugnaret reuelationi factæ.

3 Objicies: posset in tali casu sperare à Deo sufficiens auxilium ad singula peccata vitanda: ergo posset etiam obtinere à Deo illud auxilium, & per consequens posset saluari: sed hoc repugnat reuelationi factæ, ergo. Accedit, quod qui non potest sperare finem, neque etiam potest sperare media; sed is cui facta esset talis reuelatio, non posset sperare finem (vti dicebam:) ergo neque posset sperare auxilia gratiæ, quæ sunt media ad finem.

Respondetur: non posset sperare media ad consequendam beatitudinem, vt rectè dicitur in argumento; posset tamen sperare media ad noua peccata cauenda: quod vt meliùs intelligatur, & meliùs tota difficultas, quæ fiebat, soluatur.

4 Aduerte secundò, quod reprobationis reuelatio possit fieri tribus modis. Primò, vt alicui reueletur, quod ipse sit reprobatus ex sola Dei voluntate, nullo habito respectu ad sua demerita, seu ad sua opera praua: quo modo nec fit, nec fortè fieri potest reprobatio; quia licèt non repugnet ex parte omnipotentiæ Dei, quatenus scilicet est absolutus creaturarum Dominus; videtur tamen repugnare ex parte infinitæ ipsius Dei bonitatis, & misericordiæ. Secundò, vt alicui reueletur quod ipse sit reprobatus propter peccata præterita, quæ Deus neque remisit, neque statuit remittere: quo modo posset fieri reprobatio, & fieri ipsius reprobationis reuelatio; & tunc talis homo absque dubio non posset sperare beatitudinem, nec media (v.g. peccatorum remissionem, &c.) necessaria ad consequendam beatitudinem; posset tamen sperare auxilia gratiæ ad cauenda noua peccata. Et in hoc sensu procedit quod dicebam *suprà in primo aduertendo*. Tertiò, vt alicui reueletur, quod ipse sit reprobatus propter peccata futura, quæ liberè facturus sit; & tunc talis homo posset sperare beatitudinem, & media ad illam consequendam necessaria; quia teneretur vitare peccata futura, quantum in se esset: ergo posset petere, & sperare media ad non peccandum: ergo etiam posset sperare, se non damnandum; quia non damnaretur, nisi peccaret: ergo posset sperare se saluandum.

Aduerte tertiò, quod is, cui facta esset reuelatio, 5
quod ipse sit reprobatus secundo modo (quem suprà explicabam) posset desperare de misericordia, seu gratia Dei; non autem similiter is, cui facta esset reuelatio, quod ipse sit reprobatus tertio modo.

Posterior pars patet, quia quamdiu quis potest sperare beatitudinem, non potest desperare; sed is, cui reuelatum est, quod ipse sit reprobatus propter futura peccata, potest sperare beatitudinem (vti suprà dicebam:) ergo non potest desperare.

Prior pars probatur, quia si Deus alicui reuela- 6
ret, quod absolutè velit illum punire propter peccata præterita, & illum relinquere sine omni misericordia, seu gratia, certò deberet credere, quod ipse nullam misericordiam, seu gratiam sit à Deo consecuturus: ergo de illa consequenda posset desperare.

Atque ex his clariùs patet Corollarium tertium, quod suprà in principio ponebam.

OBIECTIONES.

Objicies: reuelatio, quod sit reprobatus, repugnat 7
diuinæ bonitati, & diuinæ sapientiæ; quia te constituit in grauissima, & vehementi occasione desperandi de diuina misericordia, & multiplicandi quamplurima, & turpissima peccata: tum quia impedit serium & firmum circa beatitudinem conatum, quem habere non potes, si certò scias, quod non sis beatitudinem consecuturus.

Respondetur, nego antecedens; quia falsum est, quod vlla ibi inuoluatur implicatio, seu repugnantia; nam licèt ex tali reuelatione constituaris in grauissima, & vehementi occasione desperandi de diuina misericordia, & multiplicandi quamplurima, & turpissima peccata; non tamen peccata illa Deo tribuenda erunt, quia ipse Deus non erat obligatus illa impedire, vel à tali reuelatione, & occasione se abstinere; cùm ipse iusta causa (v.g. ostensione diuinæ iustitiæ) motus id effecerit: quotiescumque autem peccata ex alicuius actione sequuntur per accidens, & præter ipsius intentionem, ipsi (etiamsi ab ipso in actione illa præuideantur) non tribuuntur, si obligatus non erat ab actione illa se abstinere, quemadmodum patet in scandalis Pharisæorum, quæ oriebantur ex factis, vel dictis Christi Domini; licèt enim talia

scan

scandala à Christo Domino in suis factis, vel dictis præuiderentur, non tamen Christo Domino tribuuntur; quia non præuidebantur in suis dictis, vel factis, à quibus se abstinere deberet: Et ideò communiter dicuntur scandala Pharisæorum, ad differentiam scandalorum diuersi generis, quæ dicuntur scandala pusillorum. Item falsum est, quod ex illa reuelatione impediaris habere serium, & firmum circa Beatitudinem conatum, quantum est ex parte tua; licèt attenta humana fragilitate, sis difficillimè illum habiturus; quia Deus in tali casu non tribuit tibi auxilia efficacia, sed solùm sufficientia. Ex nullo igitur capite implicat talis reuelatio, præsertim si fiat illa peccatori, seu alicui in aliquo peccato existenti, in vindictam peccati iam semel commissi, & nondum emendati, vel retractati; & præsertim si fiat ad terrorem aliis incutiendum.

8 Accedit quod (sicuti suprà dicebam) nulla implicantia videtur, quod Antichristo reueletur sua impœnitentia finalis, & damnatio æterna; siquidem illa impœnitentia finalis non est ex reuelatione illi facta à Deo, sed ex malitia ipsiusmet Antichristi, eodem modo, ac si nulla illi facta esset reuelatio à Deo; quia reuelatio, quemadmodum & præscientia Dei, non mutat operationem causarum, sed potiùs supponit illam obiectiuè.

Objicies 2. saltem in casu, quo sibi sit reuelatum, te esse reprobum, absolutè non videris peccaturus in desperando Beatitudinem; quia ex vi talis reuelationis tibi factæ certò sciens, quod Beatitudinem consecuturus non sis, illam sperare non potes; siquidem (vt dixit S. Augustinus *in Enchirid. cap. 8.*) quid sperari potest quod non creditur? Quasi diceret, si non credis, quod Beatitudinem consecuturus sis, quomodo illam sperare potes? Ergo non peccas in desperando illam; cùm desperatio nihil aliud sit, quàm voluntas non prosequendi, seu non conandi prosequi Beatitudinem.

9 Respondent nonnulli, quos sequitur Coninch *disp. 20. dub. 12. 13. & 14. per totam*: Concedo totum, affirmando scilicet, desperationem tunc non esse peccatum, si procedat illa ex iudicio, quo credis, quod illam non sis consecuturus ex tua infirmitate; secus si procedat ex iudicio, quo credas, quod misericordia Dei tibi parata non sit; idque probant, quia sciens absolutè tuam reprobationem, seu condemnationem, non potes sperare, quod aliter sit futurum: Ergo licitè potes velle non sperare Beatitudinem: ergo licitè desperas illam; cùm voluntas non sperandi sit formaliter desperatio: Quæ quidem desperatio non est intrinsecè mala, sed solùm illa, quæ esset de Deo, & de illius misericordia.

10 Quod si dicas: Ergo exinde sequitur, quod non teneris, quinimò nec possis circa Beatitudinem conari; quia serius, & efficax circa Beatitudinem conatus esse non potest cum iudicio certo de illius non consequutione: Item secundò, sequitur quod non sis peccaturus, consentiens tentationi; quia hanc vincere non potes sine serio, & efficaci conatu circa Beatitudinem, quam certò iam non habebis.

Respondent prædicti Doctores concedendo primam sequelam, ea præcipuè ratione, quia ad serium & efficacem circa Beatitudinem conatum necessariò requiritur, quod saltem probabiliter iudices, esse tibi possibile beatitudinem consequi; sed qui certò scit, quod illam non sit consecuturus, non potest probabiliter iudicare, esse sibi possibile illam consequi: Ergo non potest circa illam seriò, & efficaciter
11 moueri: Secundam sequelam etiam concedunt docendo, quod propter illam ipsam sequelam nemini reuelari possit à Deo proprium, & speciale peccatum in aliquo determinato tempore committendum, ob quod sit ille reprobandus, seu condemnandus; quia ex tali reuelatione tolleretur serius, seu firmus conatus, qui necessarius est ad vitandum peccatum illud, ac proinde impediretur moraliter potentia peccatum illud vitandi, & consequenter cessaret ratio peccati.

Quod si dicas: Ex præscientia Dei de tuo peccato 12
futuro non impeditur tua libertas ad illud vitandum: ergo neque etiam impedietur ex illa præscientia Dei tibi reuelata; cùm semper obiectum supponat, & modum operandi non immutet.

Respondent prædicti Doctores, negando consequentiam, & assignant disparitatis rationem, quia præscientia Dei in te non causat quidquam; at reuelatio causat in te iudicium, quo iudicas, tibi peccatum esse vitatu impossibile, & consequenter tollit vires, & conatum serium tuum ad illud vitandum. Sic Doctores, quos sequitur Coninch vbi *suprà*.

Respondetur tamen secundò meliùs, iuxta ea quæ 13
dicebam, negando quod saltem in casu, quo tibi sit reuelatum, te esse reprobum, absolutè non videaris peccator in desperando Beatitudinem, sed id solùm concedendo in primo, & secundo casu reuelationis, non item in tertio; quia iuxta eadem, quæ ibidem dicebam, arbitror quod cum iudicio certo de reprobatione, seu condemnatione possis quantum est ex parte tua, serium conatum habere circa Beatitudinis consecutionem; quia illa condemnatio non prouenit ex aliqua causa, quæ tibi necessitatem inferat, sed prouenit ex tua libera voluntate temetipsum liberè determinante ad peccatum: ergo antecedenter ad illius determinationem seriò, seu firmiter conari poteris, vt te non determines: Nihil enim est, quod te impediat, non iudicium quo iudicas, te non euitaturum esse peccatum; quia hoc iudicium supponit tuam liberam determinationem cum omnibus causis, quæ ad illam concurrunt; & cùm omnes istæ causæ vim, & necessitatem voluntati tuæ non inferant, iudicas te liberè esse determinandum: ergo cum hoc iudicio stante potest aliud iudicium, quo iudicares, te posse non determinari, atque adeò possibile esse non condemnari: ergo serium conatum habere potes pro vitando peccato, & condemnatione tua.

Instabis: ad aliquem finem consequendum non 14
potes eligere medium, quod hîc & nunc inutile reputas ad consecutionem illius finis: ergo non potes seriò, seu firmiter, & constanter eligere ad vitandum peccatum, & condemnationem tuam medium, quod attentis istis circumstantiis inutile reputas.

Respondetur: distinguo antecedens, si inutilitas medij aliunde quàm ex tua voluntate proueniat, concedo; quod scilicet seriò, seu firmiter, & constanter conari non possis ad finis consecutionem per illud medium: at si inutilitas medij non aliunde, quàm ex tua voluntate proueniat, nego quod non possis conari finis consecutionem per illud medium; cùm hoc obiectum non excedat tuam voluntatem, & potentiam.

SECTIO VI.

An habitus spei corrumpatur per actum desperationis?

SVMMARIVM.

1 *Spei actus corrumpitur per quemlibet actum, quo*

quo quis desperat de salute, vel de aliquo medio necessario ad salutem; quia reliquæ virtutes supernaturales infusæ corrumpuntur per quemlibet actum sibi contrarium.

2 *Desperans de mediis necessariis ad salutem, non potest retinere spem circa salutem consequendam; cùm finis non possit retineri sine mediis necessariis.*

3 *Spei habitus prædictus non corrumperetur, si quis desperaret de vno medio ad finem non necessario, sed tantùm vtili; quia talis desperatio non esset contraria spei.*

4 *Desperatio prædicta non esset peccatum mortale per se, esset tamen per accidens: desperatio enim quæ esset de re non necessaria ad salutem, non esset peccatum mortale, nisi per accidens, quatenus scilicet posset hominem inducere in periculum peccandi mortaliter, &c.*

5 *Viator homo si sit iustus, de fide est quod habeat habitum spei, & timoris, tam seruilis, quàm filialis; quia per horum habituum actus disponitur ad iustificationem: si verò sit peccator, non propterea perdit habitum spei.*

6 *Attritio cum spe veniæ secundùm Concilium Tridentinum est donum Spiritus sancti nondum inhabitantis; ex quo, sicut Concilium supponit, quod nos possimus Christo imperfectè coniungi; ita etiam & quod possimus fidem, & spem habere sine charitate.*

1 Sequitur quartò, quod habitus spei corrumpatur per quemlibet actum, quo quis desperat de salute, vel de aliquo medio necessario ad salutem: Et ratio est, quia reliquæ virtutes supernaturales infusæ corrumpuntur per quemlibet actum sibi contrarium, v.g. fides per quemlibet actum infidelitatis; & charitas per quemlibet actum mortiferum: Ergo & etiam corrumpitur per quemlibet actum desperationis.

2 Confirmatur, quia si desperas de mediis necessariis ad salutem, non potes retinere spem circa salutem consequendam, cùm finis non possit obtineri sine mediis necessariis: Et cùm qui desperat de vno medio necessario, non possit esse dispositus ad sperandum aliud medium necessarium; non enim est maior ratio de sperando vnum, quàm de sperando aliud. Et cùm qui offert misericordiam suam in dando vno, offerat etiam misericordiam suam in dando alio: Ergo si desperas de vno, non es dispositus ad sperandum aliud.

3 Aduerte tamen, quod prædictus habitus spei non corrumperetur similiter, si quis desperaret de vno medio ad finem non necessario, sed tantùm vtili, quia talis desperatio non esset contraria spei; siquidem spes solùm obligat ad speranda ea, quæ sunt ad salutem necessaria, non autem ad speranda ea, quæ sunt ad salutem tantùm vtilia: Ergo solùm ille peccat contra spem, qui desperat de iis, quæ sunt ad salutem necessaria; non autem & ille, qui desperat de iis, quæ sunt ad salutem tantùm vtilia.

4 Obiicies: Talis desperatio esset peccatum mortale, atque adeò contra aliquam virtutem; sed non nisi contra spem: Ergo.

Respondetur, distinguo maiorem: esset peccatum mortale per se, nego: Esset peccatum mortale per accidens, transeat; at nego similiter minorem. Dico igitur quod desperatio, quæ esset de re non necessaria ad salutem, non sit peccatum mortale, nisi per accidens, quatenus scilicet posset hominem inducere in periculum peccandi mortaliter, vel in aliquod aliud notabile detrimentum spirituale: Et tunc pertineret solùm ad illud genus peccati, in cuius periculum hominem induceret, v.g. si quis desperaret de perpetua castitate seruanda, eo quòd ex vna parte experiretur in se vehementes carnis tentationes, & ex altera parte consideraret, se nullo Dei præcepto ad perpetuam castitatem obligari, & sine illa se posse saluari, non esset peccatum mortale per se; posset tamen esse peccatum mortale per accidens, si scilicet talis desperatio causaret illi periculum fornicationis contra castitatem, vel aliud notabile detrimentum spirituale, sicuti suprà dicebam.

5 Aduerte secundò, quod si viator homo sit iustus, de fide sit, quod habeat habitum spei, & timoris, tam seruilis, quàm filialis; quia viator homo per horum habituum actus, vt dixit Tridentinum Concilium, ad iustificationem disponitur. Si verò sit peccator, non propterea deperdat habitum spei, sicuti clarè colligitur ex eodem Concilio Tridentino *sess. 6. cap. 7.* quatenus ait, quod per fidem, & spem non per simua Christo perfectè coniuncti, nisi præterea accesserit charitas: Ergo supponit Concilium Tridentinum, quod possimus Christo imperfectè coniungi, atque adeò possimus fidem, & spem habere sine charitate. Et clarius colligitur ex eodem Concilio *sess. 14. cap. 4.* quatenus loquens de attritione cum spe veniæ, inquit, quod sit donum Spiritus sancti nondum inhabitantis: Ergo separantur fides, & spes à charitate; & in hoc conueniunt Catholici: sed si peccatum sit infidelitatis, spes omninò deperditur; quia sublata fide, omnia supernaturalia virtutis dona corrumpuntur, cùm illorum fundamentum, & radix sit fides, sicuti dixit idem Concilium *sess. 6. cap. 8.* Et similiter, si peccatum sit desperationis, spes etiam deperditur; cum spei specialiter sit contrarium, sicuti suprà dicebam, & supponunt sic Doctores omnes, vt videre est apud Suarez *citata disp. 1. de spe, sect. 8. in principio*, & Coninch *disp. cit. 19. dub. 12.*

SECTIO VII.

Quotuplex sit præsumptio?

COROLLARIVM IV.

SVMMARIVM.

1 *Præsumptio duplex est, vna quâ quis inordinatè innititur propria virtuti, vt si præsumat, se posse præstare aliquid, quod sit supra suas vires: Altera, qua quis inordinatè innititur misericordiæ, & potentiæ Dei, vt si speret, se posse obtinere à Deo remissionem peccatorum sine pœnitentia, vel beatitudinem sine meritis.*

2 *Præsumens si eius præsumptio oriatur ex iudicio falso, v.g. non requiri ad remissionem peccatorum pœnitentiam, vel ad consequendam Beatitudinem, merita, seu bona opera supernaturalia, est hæreticus, & committit duo peccata, scilicet hæresis, & præsumptionis; quia tunc iudicium est hæreticum.*

3 *Præsumptio sumitur multipliciter: Primò, pro spe, & fiducia consequendi à Deo auxilium opportunum: Secundò, pro iudicio ex coniecturis desumpto: Tertiò, pro vitio opposito humanitati, & magnanimitati: Quartò, pro vitio opposito virtuti spei Theologicæ.*

4 *Præsumptio sumpta hoc quarto modo definitur sic: Est spes obtinendi à Deo gratiam, & gloriam, & cætera supernaturalia dona, aliter quàm ipse Deus ea obtinenda constituerit.*

5 *Præsumptio etiam hoc quarto modo sumpta, est peccatum graue, quod patet tum ex Scriptura,*

tum ex ratione; quia voluntas obtinendi à Deo dona supernaturalia praeter ordinem ab ipso constitutum prouidentia, sapientia, & potentia Dei, est valdè contraria.

6 *Præsumptio prædicta etiam quarto modo sumpta, committitur primò præsumendo, vt Pelagius, propriis viribus naturalibus, absque scilicet auxiliis Dei supernaturalibus Beatitudinem consequi, &c.*

7 *Secundò præsumendo, vt Lutherus, sine pœnitentia peccatorum remissionem, & sine supernaturalibus bonis operibus gloriam obtinere.*

8 *Idem dic, si hac spe obtinendi peccatorum remissionem, differas pœnitentiam in finem vitæ; quia sic nimium de diuina misericordia præsumis: At huiusmodi peccatum non est proprium contra spem, sed contra virtutem pœnitentiæ.*

1 SEquitur quartò, quod duplex sit præsumptio. S. Thomas *q.* 21. *art.* 1. & 4. quem sequuntur alij communiter.

Vna quâ quis inordinatè innititur propriæ virtuti, vt si præsumat, se posse præstare aliquid, quod est supra suas vires naturales: quo pacto Pelagiani hæretici præsumebant, se posse propriis virtutibus naturalibus, sine Dei gratia, seu auxilio supernaturali seruare omnia præcepta, & mereri Beatitudinem, gloriam, seu vitam æternam.

Altera, qua quis inordinatè innititur misericordiæ, & potentiæ Dei, vt si speret se posse obtinere à Deo remissionem peccatorum sine pœnitentia, vel obtinere Beatitudinem, gloriam, seu vitam æternam sine meritis, seu bonis operibus supernaturalibus: quod præter Lutheranos faciunt quodammodò etiam mali Catholici illi, qui perseuerant in suis peccatis, & nihilominùs sperant, se posse saluari per infinitam misericordiam, bonitatem, & potentiam Dei.

2 Aduerte tamen, quod si qui sic præsumit, præsumat ita, vt ipsius præsumptio oriatur ex iudicio falso (v. g. non requiri ad remissionem peccatorum pœnitentiam, vel non requiri ad consequendam Beatitudinem, merita, seu opera bona supernaturalia) sit hæreticus; ita vt simul committat duo peccata, scilicet hæresis, & præsumptionis; quia tunc iudicium est hæreticum. At si præsumptio oriatur ex hoc alio iudicio [Deus pro ineffabili sua misericordia condonabit mihi mea peccata, etiamsi modò non agam pœnitentiam,] tunc non sit hæreticus, ita vt simul committat similiter etiam duo peccata, scilicet hæresis, & præsumptionis, sed committat vnum solum præsumptionis; quia tunc non videtur esse iudicium hæreticum, sed tantùm stultum, & temerarium.

3 Aduerte secundò, quod præsumptio sumatur multipliciter: Primò pro spe, & fiducia consequendi à Deo auxilium opportunum, iuxta illud *Judith* 6. Non derelinquis præsumentes de te: & iuxta illud aliud *Judith* 9. [Exaudi me miseram deprecantem, & de tua venia præsumentem.] Secundò pro iudicio ex coniecturis desumpto, quod pro qualitate coniecturarum aliquando est certum, aliquando verò tantùm probabile: vnde ortum habuit diuisio illa satis recepta præsumptionis in violentam, vehementem, & lenem, de qua dixi *suprà dub.* 167. *& seqq.* Tertiò, pro vitio opposito humanitati, & magnanimitati, de quo S. Thomas *q.* 130. quem alij sequuntur communiter. Quartò pro vitio opposito virtuti spei Theologicæ, de quo modò dicebam suprà. Ita vt præsumptio sic quarto modo sumpta cum S. Thoma

4 2. 2. *q.* 21. & aliis in hunc modum definiri possit: [Est spes obtinendi à Deo gratiam, gloriam, &c. supernaturalia dona, aliter quàm ipse Deus ea obtinenda constituerit:] quia cùm spes sit voluntas obtinendi à Deo gratiam, gloriam, & cætera supernaturalia dona, mediis ab ipso Deo constitutis; & præsumptio alia via hæc eadem dona obtinere intendat, fit quod præsumptio directè spei opponatur.

Aduerte tertiò, quod præsumptio sic etiam quarto modo sumpta sit peccatum graue; & patet tum ex authoritate *Ecclesiast.* 18. Vidi præsumptionem cordis eorum, quàm mala est: tum ex ratione, quia voluntas obtinendi à Deo dona supernaturalia, præter ordinem à Deo constitutum, est prouidentiæ, sapientiæ, & potentiæ Dei valdè contraria: Ergo habet malitiam grauem, ita vt à peccato mortali excusari non possit, nisi solùm ex defectu plenæ deliberationis, vel aduertentiæ: sic Doctores communiter, quos sequitur Bannez 2. 2. *quæst.* 1. *dub.* 2. Valentia *disput.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 2. Toletus *lib.* 4. *summæ, cap.* 7. *num.* 9. & Azorius 1. *part. Institut. moral. lib.* 9. *capite* 2. *quæst.* 7. 5

Aduerte quartò, quod prædicta præsumptio etiam quarto modo sumpta, sicuti dicebam, committatur 6

Primò, si præsumas, vt Pelagius, propriis viribus naturalibus, absque scilicet auxiliis Dei supernaturalibus, Beatitudinem consequi.

Ad idem est, si spem ponas in creaturis, tanquam in auxilio sufficienti ex se ad salutem; quia nulla creatura, nisi cum auxilio Dei supernaturali, salutem tibi impertiri potest.

Quamvis si inuoces creaturas, & in eis speres, vt simul cum Deo te adiuuent (etiamsi Dei memor expressè non sis) peccatum præsumptionis non committas; quia sufficit, quod virtualiter, & interpretatiuè Deum in adiutorium expostules: quæ est sententia communis Doctorum.

Secundò, si præsumas, vt Lutherus, sine pœnitentia peccatorum remissionem, & sine bonis supernaturalibus operibus gloriam obtinere. 7

Ad idem est, si ex spe obtinendi peccatorum remissionem in fine vitæ, ad illud tempus pœnitentiam differas, quia sic nimium de diuina misericordia præsumis; siquidem obtinere Dei misericordiam præsumis, Dei misericordiam nimis irritando: At iustum non est, vt misericordiam inueniat, qui peccata multiplicandi occasionem desumpsit ex ipsa misericordia, ex qua debebat à peccatis abstinere. 8

Quamvis huiusmodi peccatum non sit propriè contra spem; quia propriè non speras consequi misericordiam mediis peccatis de præsenti commissis, sed speras media peccatorum pœnitentia, quam putas in fine vitæ facturus diuina gratiâ supernaturali adiutus. Erit tamen prædictum peccatum contra virtutem pœnitentiæ, si pœnitentiam differas vltra tempus obligationis; eritque etiam contra alias virtutes, si in contrariis vitiis intendas perseuerare: sic Doctores communiter *in locis suprà citatis.*

SECTIO VIII.

An hoc peccatum præsumptionis ita spei sit contrarium, vt per illud hæc deperdatur?

SVMMARIVM.

1 *Præsumptionis peccatum, si sit instar illius Pelagij, vel Lutheri præsumentium propriis viribus naturalibus se Beatitudinem consecuturos, absque dubio ita spei est contrarium, vt per illud hæc deperdatur: secus si hæc præsumptio sit absque erroneo intellectus iudicio; quia tunc spes non deperditur.*

Re

1 Respondetur cum Valentia 2. 2. *disp.* 2. *quaest.* 3. *punct.* 2. Suarez *disput.* 2. *de fid. sect.* 3. *num.* 4. Coninch *disp.* 20. *dub.* 15. *n.* 149. Turriano *q.* 21. *art.* 2. & aliis; si sicut Pelagius, vel vt Lutherus praesumas credens, propriis viribus naturalibus, vel sine meritis supernaturalibus Beatitudinem consecuturus, absque dubio spem deperdes; quia sic deperdis fidem, sine qua non est spes, neque vlla alia virtus.

Quamvis spei virtutis deperditio in hoc casu non propriè proueniat ex praesumptione contraria spei, sed ex haeresi, quae praesumptionem antecedit.

2 Hinc fit, quod si praedictam praesumptionem absque erroneo intellectus iudicio haboeris, vt communiter mali Catholici habere solent, scilicet ita speres Beatitudinem consequi, ac si illam propriis viribus naturalibus, vel sine meritis supernaturalibus iudicares assequendam (& si spei per excessum aduersaria) spem tamen non deperdas; quia non per quodcumque peccatum spei contrarium spes deperditur, sed per solum illud peccatum, quo cum spes nulla ratione compati potest, quod non est aliud, nisi desperatio. At cum praesumptione praedicta absque scilicet erroneo intellectus iudicio spes compati potest; cùm tam spes, quàm praesumptio conueniant in obiecto formali sperato, quod est Beatitudo, vt bonum proprium; & solùm differant, quia diuerso modo illam consequi sperant: ergo, &c. Valentia, Suarez, Coninch, & Turrianus *in locis suprà citatis*.



DVBITATIO CCXXXII.

Quidnam dicendum de tentatione Dei?

SECTIO PRIMA.

Dubitationis Resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Tentatio Dei duplex est, vna inductionis ad peccatum, qua non cadit in Deum, neque passiuè, neque actiuè: Altera est probationis, & experimenti, seu ad probandum, vel experiendum.*

2 *Tentationis peccatum duplex est, vnum propriè dictum, quod oritur ex infidelitate, vel ex dubitatione de Dei aliquo attributo, seu perfectione; sed multoties ex praesumptione, vel ex nimia confidentia cum ipso Deo, vt si absque necessitate petatur rei occulta miraculosa declaratio.*

3 *Signum petere à Deo alicuius occulta rei extraordinarium, si declaratio sit vtilis ad nostram, vel alterum salutem consequendam, item ad Dei voluntatem implendam, & veritatis cognoscenda non adsint alia ordinaria media, licitum est pro opportuna instructione obtinenda.*

4 *Abraham licitè petiit à Domino Deo signum.*

5 *Ionathas etiam licitè petiit signum à Domino, praemissa scilicet oratione ad Deum.*

6 *Apostoli etiam per motum Spiritus sancti petierunt à Deo, vt signa fierent in nomine Iesu, ad manifestandam eius virtutem infidelibus.*

7 *Signum etiam petere licet à Deo, si specialem aliquam apparitionem, vel reuelationem aliquis haberet sine sufficientibus indiciis: cuius rei exemplum habemus in Beatissima Virgine Maria, Lucae 1. & in Gedeone, cap. 6. Iudic.*

8 *Tentatio Dei est irreligiositas quaedam, per quam ex dubitatione de aliquo Dei attributo, seu perfectione sumitur verbis, vel factis experimentum, an Deus illam perfectionem habeat.*

9 *Irreligiositas tentatio dicitur, quia opponitur Religioni.*

10 *Dicitur ex dubitatione de aliquo Dei attributo, vel perfectione; quia semper in tentatione Dei, si sit propria tentatio, adest aliqua huiusmodi dubitatio.*

11 *Quod quidem contingit dupliciter: Primò, cùm quis tentat Deum formaliter, explicitè, & ex intentione, nimirum expressè dubitando de aliqua Dei perfectione, aliquid facit animo illius experiunda. Secundò, cùm quis tentat Deum interpretatiuè, & implicitè, &c.*

12 *Dicitur nulla necessitate, vel vtilitate iusta ad id cogente, quia si aliqua necessitate, vel vtilitate iusta motus in suis petitionibus, vel factis auxilio diuino se committat, non dicitur tentare Deum, sed agere potius quid licitum.*

13 *Finis, ob quem effectus speratur à solo Deo, si sit iniustus, seu sit ad id iusta causa cogens, non est tentatio Dei; secus si finis non sit iustus, seu non sit ad id iusta causa cogens.*

14 *Tentatio Dei interpretatiua duobus modis contingere potest: Primò, si quis media naturalia à Deo constituta praetermittens, ab eo solo speret effectum. Secundò, si quis sponte subeat periculum, à quo vix, aut ne vix quidem liberari possit, nisi à solo Deo.*

15 *Potest quis tam formaliter, quàm interpretatiuè tentare Deum, vel vt ipsemet experimentum de Deo capiat, vel vt aliis manifestum efficiat.*

1 Respondetur, si nominis acceptio spectatur, duplex est tentatio: vna inductionis ad peccatum, quae non cadit in Deum, neque passiuè, vt per se patet, neque actiuè, iuxta illud *Iacobi cap.* 1. [Ipse enim (scilicet Deus) neminem tentat:] Altera est probationis, vel experimenti, seu ad probandum, vel experiendum: Quo modo in sacra Scriptura Deus dicitur tentasse Abraham, vt filium Isaac occideret: Item tentasse Iob, & Tobiam, *cap.* 2. *Tobiae*, & *in Deuteronomio* 13. dicitur: [Tentat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat (id est, ab omnibus agnoscatur) vtrùm diligatis eum, an non?] In quo sensu Deum à nobis tentari, est peccatum contra virtutem Religionis.

2 Caeterùm duplex est tentationis peccatum: vnum propriè dictum, quod oritur ex infidelitate, vel ex dubitatione de Dei aliquo attributo, seu perfectione, v.g. de praesentia, vel omnipotentia, &c. In quo sensu de Israëlitis, *Exodi* 17. dicitur: [Tentauerunt Dominum dicentes: estne Dominus in nobis, an non?] Et *Psalm.* 77. [Tentauerunt Deum in cordibus suis, &c.] Numquid poterit parare mensam in deserto? Cuiusmodi tentatio per se, & intrinsecè est mala, & vnum ex grauissimis peccatis contra Deum, vt contra ipsum (cùm ex infidelitate, vel ex dubitatione de Dei aliquo attributo, seu perfectione oriatur) procedere possint Inquisitores.

Alterum minùs propriè dictum, quod non oritur ex infidelitate, vel ex dubitatione de Dei aliquo attributo, seu perfectione, sed multoties ex praesumptione, vel ex nimia confidentia cum ipso Deo, vt si sine necessitatis, vel vtilitatis causa petas à Deo, vel voluntatis suae diuinae, vel alterius occultae rei miraculosam declarationem, sicuti rectè dixit S. Augustinus *de Ciuit. Dei, lib.* 10. *cap.* 19. quem sequitur S.Thomas 2. 2. *quaest.* 97. *art.* 1. cum caeteris scholasticis.

3 Dixi: sine necessitatis, vel vtilitatis causa; quia si alicuius occultæ rei extraordinarium signum, seu declaratio vtilis ad nostram, vel aliorum salutem consequendam, item ad Dei voluntatem implendam, & veritatis cognoscendæ non adsint alia ordinaria media, tunc licitè poteris humiliter à Deo signum petere pro opportuna instructione obtinenda. Glossa super *c.6. Deuter.* quam allegat S.Thomas *suprà, quæst.97.art.1. & 2.* Caietanus *ibidem*, Toletus *in summa, lib.4.cap.19.* & alij passim, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.2. moral. cap.34. num.9.*

4 Sic licitè seruus Abrahami, *Genesis* 24. petiit à Domino signum: [Puella, cui ego dixero, inclina hydriam tuam, &c.] quia verba hæc direxit ad Dominum per modum orationis, necnon ex instinctu diuino, ad magnam Dei misericordiam & prouidentiam circa semen Abrahæ declarandam. S. Thomas 2. 2. *q.95. art.7. ad* 3. & alij communiter, quos citat, & sequitur Suarez *tom.1. de relig. tract.3. lib.2. de superstitione, cap.10. num.7.*

5 Sic etiam secundò licitè Ionathas 1. *Regum* 14. petiit signum à Domino, præmissa scilicet oratione ad Deum: sic DD. vbi suprà.

6 Sic etiam tertiò licitè Apostoli per motum Spiritus sancti, *Actorum* 4. petierunt à Deo, vt signa fierent in nomine Iesu, ad virtutem ipsius Iesu infidelibus manifestandam: quamvis, si nunc absque euidenti Dei instinctu petas à Deo miraculum fieri coram hæreticis ad ipsorum conuersionem, Deum tentares; quia deesset necessitatis causa, cùm non deficiant ipsis aliæ notæ, seu argumenta veritatis agnoscendæ. Similiter tentares Deum, si etiam absque euidenti Dei instinctu peteres à Deo miraculum fieri coram gentilibus, ad ipsorum similiter conuersionem, si eorum conuersionem probabiliter non sperares; quia deesset tunc iusta vtilitatis causa. Doctores iidem *in locis suprà citatis*, præcipuè Tolet. *citato cap.19. vers. Altera est vtilitas.*

7 Sic etiam quartò, si specialem aliquam apparitionem, vel reuelationem haberes, sine sufficientibus indiciis, quibus prudenter moueri debeas ad credendum, eam esse à Deo (cùm etiam ipse Sathan transfiguret se aliquando in Angelum Lucis, *ad Corinthios* 11.) licitè tunc similiter à Deo petere posses aliquod signum, ad maiorem instructionem, aut securiorem voluntatis ipsius Dei executionem consequendam.

Cuius rei exemplum habemus in Beatissima Virgine Maria, *Luca* 1. [Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?] Augustinus *de Ciuitate Dei, lib.17. cap.24.* vbi rectè subdit, peccasse tamen Zachariam petendo signum, *vnde sciam hoc?* Quapropter & punitus fuit, non eo quòd dubitauerit de potentia Dei, sed eo quòd non crediderit, esse bonum Angelum ex Dei mandato talia ipsi prædicentem, cùm tamen adeò clarè Angelus se ipsi exhibuerit: vnde etiam & reprehenditur ab Angelo, non eo quòd Deum omnipotentem, vel veracem non crediderit; sed *eris tacens*, inquit, *pro eo, quod non credidisti verbis meis.*

Cuius rei etiam exemplum habemus in Gedeone, *cap.6. iudic.* [Si inueni gratiam coram te, da mihi signum, quod tu sis, qui loqueris ad me:] quamvis S.Thomas *cit. q.97. art.2. ad* 3. putet, peccasse Gedeonem, sicut & Zachariam, cùm vt volunt Abulensis, & Lyranus, Gedeon à Deo signum petierit, quia non satis clarè cognoscere poterat, an qui secum loquebatur, Angelus à Deo missus esset; vel eùm, vt volunt alij, quos sequitur Suarez *citat. cap.2.* Gedeon à Deo signum petierit, sicuti petiit Abrahamus *cap.15. Genesis.* [Domine Deus, vnde scire possom, quod possessurus sum eam: nempe terram promissionis, ita vt tam Gedeon, quàm Abrahamus signum à Deo petierint, non eo, quòd dubitarent, an Deus esset, qui per Angelum cum ipsis loqueretur; ambo enim, sicut ex textu colligitur, id priùs agnouerant, & multo minùs eo quòd dubitarent, an Deus in dictis vel promissis verax esset, sed partim eo quòd seipsos recordatione accepti signi clariora tanto magis confirmarent, & partim etiam eo quòd populo tanto certiorem fidem facere possent: qua eadem ratione *cap.7. Isaia*, Deus præcepit Achaz Regi: *Pete tibi signum*, &c.

Definiri sic igitur potest tentatio Dei: [Est irreligiositas quædam, per quam ex dubitatione de aliquo Dei attributo, seu perfectione (vt scientia, veritate, præsentia, potentia, vel bonitate, &c.) sumitur verbis vel factis experimentum, an Deus illam perfectionem habeat, necne:] S. Thomas 2. 2. *q.97. art.1.* quem sequuntur communiter Doctores. 8

Dicitur: *Irreligiositas*, quia tentatio opponitur Religioni, sicuti infrà clariùs patebit. 9

Dicitur: ex dubitatione de aliquo Dei attributo, vel perfectione: quia semper in tentatione Dei, si scilicet sit tentatio propria, adest aliqua huiusmodi dubitatio. S.Thomas *cit. art.1.* & alij passim. 10

Et hoc contingit dupliciter. Primò, cùm quis tentat Deum formaliter, explicitè, & ea intentione, nimirum cùm expressè dubitando de aliqua Dei perfectione, aliquid facit animo illius experiendæ. Secundò, cum quis tentat Deum interpretatiuè, & implicitè, nimirum cùm licèt expressè de perfectione diuina non dubitet, nec de illa experimentum sumere intendat, petit tamen, vel agit, quod suaptè natura ad nihil aliud pertinere, vel referri posse videtur, quàm ad perfectionem diuinam experiendam, vt si v.g. neglectis modis à diuina prouidentia constitutis, aliquid agat expectando effectum à solo Deo, nulla necessitate, vel vtilitate iusta ad id cogente. S.Thomas *loco suprà citato*, communiter ab omnibus receptus: quod ipse S.Thomas explicat hoc exemplo, vt si quis absque peculiari causa (v.g. fugiendi periculum aliquod) agitet equum; quia tunc, inquit ille, interpretamur illam equi agitationem ad nihil aliud pertinere, vel referri, quàm ad illius equi velocitatem experiendam. 11

Dixi: nulla necessitate, vel vtilitate iusta ad id cogente; quia si aliqua necessitate, vel vtilitate iusta motus in suis petitionibus, vel factis auxilio diuino se committat, non dicetur tentare Deum, sed agere potiùs quid licitum, iuxta illud 2. *Paralip.* 20. [Cùm ignoramus quid agere debeamus, hoc solùm habeamus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te:] & iuxta illa, quæ suprà dicebam. 12

Hinc sequitur, quod si iustus sit finis, ob quem effectus speretur à solo Deo, seu sit ad id iusta causa cogens, non sit tentatio Dei; secus si finis non sit iustus, seu non sit ad id iusta causa cogens, quia tunc erit tentatio Dei, saltem interpretatiua. 13

Vbi aduerte, quod hæc tentatio interpretatiua Dei dupliciter possit contingere. Primò, si quis media naturalia à Deo constituta prætermittens, speret effectum à solo Deo. Secundò, si quis spontè subeat periculum, à quo vix, aut ne vix quidem liberari possit, nisi à solo Deo, vt si v. g. ex alto loco per aërem se deorsum demittat, quamvis id non animo Deum tentandi efficiat: vt tamen sit tentatio Dei, etiam interpretatiua, requiritur quod operans respectum habeat ad Deum, expectando scilicet medium extraordinarium ab ipso Deo in ordine ad id, quod tunc operatur; quia tunc, quod operatur, opponitur Religioni, cùm sit irreuerentia Dei expectare imprudenter huiusmodi auxilium à Deo: sic Doctores, quos sequitur Suarez *tom.1. de relig. tract.3. lib.1. cap.3. num.4. & seqq.* & Toletus *in summa, lib.4. cap.19. num.6.* 14

Ad

15 Aduerte secundò, quod possit quis (tam formaliter, quàm interpretatiuè) tentare Deum, vel vt ipsemet experimentum de Deo capiat, vel vt aliis manifestum efficiat, quia v. g. adhuc quis expertus sapientiam alicuius, & de illa non dubitans, diceretur aliquo modo illum tentare, si aliquid diceret, vel efficeret, quo sapientia illius aliis manifesta efficiatur: qua de re præter alios videri poterit Toletus *cit. cap. 19. num. 4.*

SECTIO II.

Quotnam modis extraordinarium à Deo signum, vel auxilium, absque necessitatis, vel vtilitatis causa peti possit, vt sit tentatio Dei?

SVMMARIVM.

1 *Signum à Deo, itavt sit ipsius tentatio, dupliciter peti potest, expressè scilicet, & interpretatiuè.*

2 *Tentatio Dei interpretatiua est, cùm quis sine conuenientibus mediis, ideoque contra ordinem communis prouidentia diuinæ aliquid aggreditur, vel aliquid se consecuturum putat; quia in vtroque casu extraordinarium à Deo effectum, seu auxilium tacitè imponere censetur: quod si sine iusta necessitate, vel vtilitatis causa fiat, est acta tentare Deum. Vide ibi multa exempla.*

3 *Iudex grauiter peccaret, si contra Deum tanquam proditum, huiusmodi signo probationis, scilicet per ferrum candens, per aquam feruentem, vel frigidam, vel per sanguinem ex occisi cadauere in hominis præsentia fluentem, ad ipsius rei torturam, vel condemnationem procederet, &c.*

4 *Tentatio Dei interpretatiua etiam est, si Martyrio temerè quis se offerat, si in morbo periculoso medicamenta recuset, si non paratus ad Dei verbum prædicandum accedat.*

5 *Temeritates huiusmodi vt fiat Dei tentationis peccata, necesse est, quod intentio operantis aliquo modo ad Deum dirigatur, tacitè scilicet ab ipso sine necessitatis, vel vtilitatis causa extraordinarium auxilium implorando.*

6 *Tentatio Dei licèt partim ex Infidelitate, partim ex præsumptione oriatur, tamen tentationis peccatum propriè, & formaliter virtuti Religionis opponitur.*

7 *Tentationis peccatum ex genere suo est mortale, quamvis possit esse veniale, non solùm ob imperfectionem actus, sed etiam ob leuitatem materia.*

1 Respondetur dupliciter: Expressè scilicet, & interpretatiuè; quorum vtrumque ad tentationem Dei spectat. S.Thom. 2. 2. *q. 97. in corpore, art. 1.* quem
2 sequuntur scholastici communiter. Dei tentatio expressa quænam sit, dixi *supra dub. praced.* Dei tentatio verò interpretatiua est, cùm quis sine conuenientibus mediis, ideoque contra ordinem communis prouidentiæ diuinæ aliquid aggreditur, vel aliquid se consecuturum putat; quia in vtroque casu extraordinarium à Deo effectum, seu auxilium tacitè implorare censetur: quod ipsum, si sine iusta necessitatis, vel vtilitatis causa (siue ex dubitatione de Prouidentia, vel Omnipotentia Dei, &c. siue ex præsumptione, vel ex nimia confidentia cum Deo) est actu tentare Deum. S. Augustinus *in lib. 2. de opere Monachorum, cap. 27.* quem sequuntur & alij passim scriptores.

Vt si v. g. quis se projiciat in puteum, ad declarandam circa se Prouidentiam Dei; vel incedat super carbones ardentes, ad demonstrandam innocentiam suam, &c. Quò spectant purgationes per ferrum candens, per aquam feruentem, vel frigidam, per monomachiam, de qua latè Sanchez *lib. 2. moral. c. 39. per totum*, & cæteræ prohibitæ *in lib. 5. decret. de purgat. canon. & de purgat. vulgar. caus. 2. q. 4. cap. consuluisti, & cap. Monomachia*: sic DD. communiter, quos sequitur Martin. Delrio *lib. 4. disquis. magic. c. 4. q. 4.* vbi rectè subdit, quod Deus aliquando miraculis huiusmodi delictorum purgationes comprobauerit ob simplicitatem innocentium, qui compluries etiam ad talem purgationis modum compellebantur, vti testatur S. Augustinus *epist. 137. ad Hipponenses*, & colligitur ex textu *in cap. sæpè contingit, 2. q. 4.*

Quia verò Deus *Num. cap. 5.* præcepit, mulierem de adulterio suspectam aquis amaris purgari debere, id spectabat ad leges cæremoniales, quæ omnes cessauerunt, & abolitæ sunt.

Aduerte hic, quod iudex grauiter peccaret, si contra reum, tanquam proditum, huiusmodi signo probationis, scilicet per ferrum candens, per aquam feruentem, vel frigidam, vel per sanguinem ex occisi cadauere in hominis præsentia fluentem, &c. ad ipsius rei torturam, vel condemnationem; aut (si non proditus videatur) idcircò ad eius absolutionem procederet. Ratio, quia iudex in processu contra reum vti debet indiciis, & probationibus, quæ naturali, & humano modo deprehendi possunt, quales non sunt effectus illi, quorum origo superstitiosa, vel saltem nobis nota non est: qua eadem ratione peccaret etiam iudex, si procederet contra reum, quem talem maleficum per incantationem, diuinationem, vel similem illicitum modum cognouerat, & denunciauerat; quia sicuti diebam, non veretur iudex indiciis naturalibus, vel humanis, sed dæmoniaca reuelatione, seu indiciis, quæ dæmon Pater mendaeij suppeditaret. 3

Aduerte secundò, quod Dei tentatio interpretatiua etiam sit, si Martyrio temerè te offeras, si in morbo periculoso medicamenta recuses, si non paratus, nec præmeditatus ad Dei verbum prædicandum accedas. Nauar. *in sum. c. 11. n. 40. & seqq.* & alij passim, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 2. moral. c. 34. n. 14.* 4

Quamvis vt huiusmodi temeritates sint Dei tentationis peccata, necesse sit, quod intentio sua operantis aliquo modo ad Deum dirigatur, tacitè scilicet ab ipso sine necessitatis, vel vtilitatis causa extraordinarium auxilium implorando: sic DD. quos citat, & sequitur Soarez *loco suprà cit. cap. 3. n. 4.* 5

In quo sensu putat S. Thom. *vbi suprà, art. 3. ad 2.* intelligenda esse verba Ecclesiastici *cap. 18.* ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo tentans Deum; quia sine animi humilitate, vel simili dispositione (quæ requiritur) velle à Deo aliquid impetrare, sine dubio quædam tentatio Dei censetur esse.

Aduerte tertiò, quod licèt tentatio Dei partim ex infidelitate, partim ex præsumptione oriatur (quarum illa virtuti fidei, hæc virtuti spei opponitur) tamen tentationis peccatum propriè, ac formaliter virtuti Religionis opponatur; quia sicuti spectat ad virtutem Religionis, ex fide, ac spe in Deum concepta cultum, ac reuerentiam per orationes, vota, &c. eidem Deo exhibere: ita è contrario spectat ad irreligiositatem, ex defectu fidei, vel nimio excessu spei irreuerentiam Deo irrogare, sine causa scilicet rationabili extraordinarium, ac miraculosum effectum ab illo petendo. S. Thom. 2. 2. *q. 95. art. 3. in corpore*, & ad secundum, quem sequuntur communiter Scholastici. 6

Aduerte quartò, quod peccatum tentationis ex genere suo sit mortale, quamvis possit esse veniale, non solùm ob imperfectionem actus (vt v. g. ob simplicitatem, vel ob aduertentiam non satis perfectam,) 7

 sed

sed etiam ob lenitatem materiæ, vt si quis v.g. in morbo non periculoso (temerè confidens à Deo sanitatem consecuturus, non tamen expressè petens ob illo curationem talem miraculosam) medicamenta respuat; vel si malè, aut irreuerenter orans ea, quæ communiter rogari, & impetrari solent, à Deo nihilominus impetraturus speret.

SECTIO III.

Corollaria.

SVMMARIVM.

1 *Tentatio Dei opponitur Religioni, quia cùm finis Religionis sit exhibere reuerentiam Deo, sequitur quod omnia, quæ directè opponuntur reuerentiæ Dei, opponantur Religioni: Tentaréque Deum opponitur eius reuerentiæ.*

2 *Tentatio Dei aliquo modo secundùm alios dici potest, quod opponatur etiam virtuti spei; quia tentans Deum sperat effectum ab eo, quem intendit indebito modo.*

3 *Tentatio Dei expressa, vel formalis est ex genere suo mortalis, itavt solùm possit esse venialis ratione imperfectionis actus, seu ex solo perfectæ deliberationis defectu; non autem ratione paruitatis materiæ.*

4 *Tentatio Dei, si absit dubitatio, & non sit ita propria, poterit esse venialis, non solùm ratione imperfectionis actus, seu ex solo perfectæ deliberationis defectu; sed etiam ratione paruitatis materiæ.*

5 *Tentatio Dei cur dicatur oratio sine præparatione, idest non dimittendo, si quid aduersùs proximum habet, vel aliàs non se ad orationem disponendo, faciendo scilicet quod in se est, vt à Deo exaudiatur.*

6 *Tentatio Dei, est secundùm aliquos, si quis exploret voluntatem Dei per aliquod signum petitum ab eo, &c.*

7 *In tentatione Dei discrimen est, si quis petat instructionem de attributo aliquo Dei, vel si petat instructionem de libera eius voluntate; & quomodo vtrumque contingat.*

8 *Dubitans de aliqua veritate Fidei, si eam non habeat sufficienter propositam, vel si suspendat assensum, non peccat dubitando, donec de ea maiorem instructionem habuerit, idemque dic de habente aliquam reuelationem, si dubitet eam esse à Deo, vel à dæmone.*

9 *Tentatio Dei etiam est, si quis petat à Deo speciale fidei signum pro eius veritate aliis manifestanda, nisi concurrat necessitas, simulque vtilitas.*

10 *Tentatio Dei etiam est, si quis sola ratione, prætermissis mediis naturalibus, bona naturalia à Deo impetrare conetur: Excipe tamen in aliquo casu peculiari, si ad Dei gloriam id expedire videatur.*

11 *Tentatio Dei etiam est, si quis nulla iusta causa coactus, absque præuia meditatione prædicare velit, sperans futurum quod Deus ipsi dicenda suggerat, & inspiret.*

12 *Tentatio Dei etiam est purgatio à crimine obiecto per ferrum candens, per aquam feruentem, vel per quid aliud simile; quapropter & meritò purgatio ista iure canonico interdicitur.*

13 *Non obstat olim id licuisse, vt* Num. 5. *vbi mulier de adulterio suspecta, aquis amaris purganda iubebatur, id enim fuit ex voluntate expressa Dei; quod tamen præceptum tanquam cæremoniale iam cessauit.*

14 *Neque obstat, quod similis purgatio delicti sæpè fuerit miraculis confirmata à Deo; quia id accidit in aliquibus casibus, in quibus id licuit ex instinctu Dei.*

15 *Neque tandem obstat auctoritas Concilij Vormatiensis, vbi iubebatur Abbas explorare furtum, quod in Monasterio contingebat; quia tale Concilium Prouinciale fuit, vel talis probatio facta auctoritate publica Iudicis Ecclesiastici non fuit illicita, secundùm Martinum Delrio.*

16 *Infirmus non tentat Deum, neque peccat, quin potiùs opus valdè laudabile præstat, si medicinas respuat tempore Martyrij ad diuinum honorem augendum; quia sic ad mortem pro Christo ferendam promptitudinem magnam ostendit.*

17 *Tentatio Dei etiam est, si quis temerè, & absque iusta causa Martyrio se offerat; quia sumus in re graui, & absque causa prouocantur infideles ad peccandum mortaliter.*

18 *Temerè, & absque iusta causa quis Martyrio se offert quando Martyrium non est sub præcepto, neque sub consilio, & quomodo sit sub vtroque.*

19 *Tentatio Dei formalis, & expressa specie differt à tentatione interpretatiua Dei; quia quando formalis, & expressa tentatio Dei procedit ex dubitatione de aliquo attributo Dei, trahit secum aliam coniunctam specie distinctam malitiam moralem contra fidem.*

EX dictis sequitur, quod tentatio Dei opponatur Religioni. S.Thom. 2.2 *q.97. art.3.* quem sequuntur communiter Doctores. Et videri præsertim poterit Suarez *tom.1. de Relig. tract.3. lib.1. c.2. n.5. & seq.* quia (cùm finis Religionis sit exhibere reuerentiam Deo) sequitur, quod omnia, quæ directè opponuntur reuerentiæ Dei, opponantur Religioni; sed tentare Deum (præcipuè si sit cum aliqua dubitatione de aliqua perfectione Dei) opponitur reuerentiæ Dei: Ergo, &c. 1

Quamvis cum aliis (quos sequitur Azorius *tom.1. Instit. moral. lib.9. cap.2. q.7.*) dici possit, quod tentans Deum sperat effectum, quem intendit, indebito modo à Deo. 2

Sequitur secundò, quod tentatio Dei expressa, vel formalis sit ex genere suo mortalis, itavt solùm possit esse venialis ratione imperfectionis actus, seu ex solo perfectæ deliberationis defectu; non autem ratione paruitatis materiæ, quia velle ex dubitatione quadam aliquod Dei attributum, seu perfectionem expetiri, magnum Dei contemptum inuoluit: sic Caiet. *in sum. verb. Tentatio, circa finem,* Valentia 2.2. *disp.6. q.14. punct.2.* & alij passim. 3

Quod si autem hæc dubitatio absit, sicque sit tentatio Dei non ita propria, poterit esse venialis, non solùm ratione imperfectionis actus, ex solo perfectæ deliberationis defectu (vt si quis v. g. procedat ex ignorantia, vel simplicitate, non omninò crassa, vel quadam inepta pietatis specie;) sed etiam ratione paruitatis materiæ (vt si nullo modo dubitans, sed omninò certus in fide, procedat ex sola curiositate videndi opus aliquod supernaturale, vel petat signum à Deo voluntatis diuinæ, vel in morbo leui respuat medicinas, sperando vanè salutem à solo Deo, non petito tamen expressè miraculo aliquo ab illo; vel si tandem materia non sit talis, vt tentans Deum se maximo periculo exponat.) Valentia *loco suprà cit.* Sayrus *in Claui regia, lib.4. cap.7. n.14.* Lessius *de iust. & iur. lib.2. cap.45. dub.1. n.4.* Toletus *in sum. lib.4. cap.19. n.7.* & alij, quidquid in contrarium dubitare videatur Suarez *de Relig. tom.1. tract.3. lib.1. c.2. n.16.* 4

Sequitur tertiò, cur Ecclesiast. 18. orans sine præparatione (id est, non dimittendo si quid aduersùs proximum habet, vel aliàs se ad orationem non disponendo 5

ponendo, faciendo scilicet quod in se est, vt à Deo exaudiatur) vocetur quasi tentator Dei; quia cùm Deus sic orantem non promiserit, quod sit exauditurus, sequitur quod sic orans eo modo operandi non intendat aliud, quàm experiri, an Deus minùs benè orantem etiam exaudire velit. S. Thomas communiter receptus 2.2.q.97. art. 3. ad 2. vbi rectè aduertit Caietanus, quod iste talis non sit propriè tentator Dei, quia sic orans non inuoluit dubitationem de aliquo attributo Dei; & ideò cit. Ecclesiast. c. 8. appellatur quasi tentator Dei.

6 Sequitur quartò, quod dum S. Thomas 2.2.q.97. art. 1. Caietanus in summa, verb. Tentatio, & alij dicunt, esse tentationem Dei, si quis exploret voluntatem Dei per aliquod signum petitum à Deo, intelligant non propriam, sed minùs propriam tentationem Dei, quæ scilicet inuoluat solum quandam irreuerentiam contra Deum; quia (sicuti dicebam) propria tentatio Dei requirit dubitationem de aliquo attributo, seu de aliqua perfectione Dei, quidquid in contrarium dubitare videatur etiam Suarez de Relig. tom. 1. tract. 3. lib. 1. cap. 2. n. 16.

7 Sequitur quintò, quod sit discrimen, si quis petat instructionem de attributo aliquo Dei, vel si petat instructionem de libera voluntate Dei, scilicet quid liberè Deus velit ad extra; quia cùm non liceat dubitare de attributis Dei (vtpote necessariis, & essentialibus Deo) velle illa explorare, est semper iniqua tentatio Dei; sed cùm liceat dubitare de libera voluntate Dei, scilicet (vti dicebam) quid Deus liberè velit ad extra, petere instructionem à Deo per aliquod signum de hac libera voluntate ad extra Dei, non erit semper tentatio Dei, dummodo debitæ circumstantiæ concurrant. S. Thomas 2.2.q.97. art. 2. ad 3. sic Caietanus ibidem, Suarez de Relig. tom. 1. tract. 3. lib. 1. cap. 2. n. 9. & seqq. Valentia 2. 2. disp. 6. q. 14. punct. 1. & alij passim.

8 Quod adeò verum est, vt id etiam verum sit in casibus, in quibus dubitare licet de aliqua veritate fidei. Caietanus, Valentia, & Suarez in locis suprà citatis, vt si quis v.g. non habeat sufficienter propositam aliquam virtutem fidei, & ideò non peccat dubitando, vel suspendendo assensum de ea, donec maiorem instructionem habuerit; vel si habens aliquam reuelationem, dubitans tamen, vtrum ea sit à Deo, an à dæmone, petat à Deo instructionem per aliquod signum datum ab eo; vel si certus de aliqua reuelatione Dei, petat à Deo maiorem instructionem, aut clariorem confirmationem pro se, aut pro aliis de ea; vel si similiter certus de aliqua alia reuelatione Dei, dubitet tamen, vtrum promissio Dei sit absoluta, an solùm iuxta merita causarum secundarum, &c. itavt in his casibus etiam, & similibus, si quis petat per aliquod signum instructionem à Deo, non tentet Deum, sed operetur licitè.

Dummodo (sicuti dicebam) concurrant debitæ circumstantiæ, scilicet (vt ait S. Thomas citato art. 2.) subsit iusta necessitas, aut pia vtilitas, & alia, quæ ad hoc concurrere debent, nempe sit talis veritas necessaria ad propriam, vel aliorum salutem, aut ad voluntatem Dei implendam, aut sit valdè conueniens ad commune bonum, & non omittantur media ordinaria constituta à Deo ad talem veritatem assequendam: quapropter, inquiunt Caiet. in sum. verb. Tentatio, Azor. tom. 1. Instit. moral. lib. 9. c. 2. q. 7. & alij, licitum est Deo supplicare, quod suam voluntatem occultam nobis explicet, vt eam assecuti nunquam transgrediamur.

Dummodo etiam concurrat debitus petendi modus, scilicet, vt explicant Caietanus 2. 2. q. 97. art. 2. Armilla in sum. verb. Tentatio, n. 2. & alij, petatur signum à Deo humiliter, idest ea animi submissione, vt petens non ita fidem suam alicui signo particulari, petito à Deo adstringat, vt nisi illud concedatur à Deo, non sit crediturus; cùm hoc temerarium, & debitæ in Deum subordinationi contrarium sit, sed voluntati diuinæ sicuti decet se submittat: quapropter (subduot ipsi) verè tentaret Deum, qui signum, quod ipse peteos vult à Deo, tanquam vnicum explorandæ illius rei medium, peteret à Deo.

Neque obstat, si dicas, quod sic aliquando nonoulli Sancti fecerunt.

Respondetur enim, quod id ex speciali Dei impulsu fecerint, sicque non obstat ratio.

Sequitur sextò, quod sit etiam tentatio Dei, si quis petat à Deo speciale fidei signum pro eius veritate aliis manifestanda, nisi concurrat necessitas (vt si non appareat via aliter manifestandi illam veritatem) & nisi simul concurrat vtilitas, vt si non probabiliter speretur vtilitas eorum, quibus illa manifestanda erit: quare petens à Deo miracula ad fidem confirmandam coram hæreticis, tentaret Deum; quia tunc deesset necessitas (cùm eis sufficere debeat testimonium Ecclesiæ:) Similiter petans à Deo miracula ad confirmandam fidem coram infidelibus, quando inde non speratur eorum conuersio, tentaret etiam Deum; quia tunc deesset vtilitas: sic DD. quos sequitur Toletus in summa, lib. 4. cap. 19. n. 8. & 9. & Suarez cit. cap. 2. n. 13. vbi rectè subdit, quod adeò sit excellens, & supernaturalis ista petitio à Deo, vt sine speciali Dei motione (qua solæ ducti quidam Sancti fecerunt) fieri rectè non possit. 9

Sequitur septimò, quod sit etiam tentatio Dei, si quis sola oratione, prætermissis mediis naturalibus, bona naturalia à Deo impetrare conetur. Excipe, si in aliquo casu peculiari ad Dei gloriam id expedire videatur. S. Thom. 2. 2. q. 97. art. 1. ad 3. quem sequuntur communiter DD. Et videri præcipuè potetit Valent. 2. 2. disp. 6. q. 14. punct. 1. coroll. 2. 10

Sequitur octauò, quod sit etiam tentatio Dei, si quis nulla iusta causa coactus, absque præuia meditatione prædicare velit, sperans futurum, quod Deus ipsi dicenda suggerat, & inspiret. Syluester loco suprà cit. Ludouicus Lopez 1. p. instruct. cap. 41. circa finem, & Nauarrus in summa, cap. 11. n. 41. quod licet ipsi arbitrentur absolutè semper esse peccatum mortale, arbitror tamen solùm id esse verum casu, quo ille id animo Deum tentandi faciat, vel casu, quo scandalum, vel aliud notabile detrimentum sequatur: secus si res aliter se habuerit. 11

Sequitur nonò, quod sit etiam tentatio Dei purgatio à crimine obiecto per ferrum candens, per aquam feruentem, vel per quid aliud simile: quapropter & meritò purgatio ista reperitur interdicta in cap. Monomachia, in cap. consuluisti, 2. q. 5. in cap. ex tuarum, de purgat. canon. & in cap. finali, de purgat. vulgar. vbi & redditur ratio, cur sic Deus tentari videatur; quia scilicet ad bonum commune tuendum satis est vti mediis homanis iure statutis, ex quibus delictum, aut delinquentis innocentia probatur; ideoque quod purgatio prædicta sit quædam interpretatiua tentatio Dei, tradunt S. Thom. 2. 2. q. 95. art. 8. ad 3. & 3. p. q. 80. art. 6. ad 3. Lessius de iust. & iur. lib. 2. cap. 45. dub. 1. n. 3. Suarez de Relig. tom. 1. tract. 3. lib. 1. cap. 3. n. 8. Valentia 2. 2. disp. 6. q. 14. punct. 1. corollar. 4. & Sayrus in Claui regia, lib. 4. c. 7. num. vlt. qui rectè subdunt, id non esse malum, quia prohibitum; sed potiùs esse prohibitum, quia ex se malum; cùm eius malitiæ rationem textus reddat, quia est tentatio Dei, quæ clarum est, quod sit ex se quid malum, & contra rationem. 12

Neque obstat, si dicas, id licere, quia Num. 5. mulier de adulterio suspecta, aquis amaris purganda iubebatur. 13

Respondetur enim iuxta ea quæ sect. præced. dicebantur, id licuisse ex voluntate expressa Dei: quod tamen præceptum, tanquam cæremoniale, hodie cessa

cessauit. Videri potetunt Suarez, Sayrus, & Valentia *in locis suprà citatis*.

14 Neque obstat secundò, si dicas, quod similis purgatio delicti sæpè fuerit miraculis confirmata à Deo; qua de re Martinus Delrio *lib.4.de magia, cap.4.q.4. sect.3. & seqq.*

Respondetur enim lusta ea, quæ *cit. sect. preced.* dicebantur, quod id acciderit in aliquibus casibus, in quibus id fieri licuit ex instinctu Dei, vel quod esto homines tunc peccauerint, id fecerit Deus volendo fauere innocentiæ illius, qui delinquens tunc iudicabatur.

15 Neque obstat tertiò, si dicas, quod in Concilio Vormatiensi, *cap.15.* quod refertur *in cap.sæpè,2.q.5.* iubebatur Abbas explorare furtum (quod in monasterio contingebat) data Monachis Eucharistia, in his verbis: *Corpus Domini nostri sit tibi hodie ad probationem.*

Respondetur enim cum S.Thoma *3.p.q.80. art.6. ad 3.* Sayro *vbi suprà*, Valentia *citato punct.1. circa finem*, & aliis, quod id fuerit tentare Deum; quodque Concilium illud, tanquam Prouinciale, errauerit. Quamuis alij, vt Martinus Delrio *citato lib.4. cap.4.q.3.* & Suarez *cit.cap.3.num.vltimo*, velint quod talis probatio, facta auctoritate publica iudicis Ecclesiastici, non fuerit illicita, quodque nullibi reperiatur specialiter interdicta, sed solùm generaliter (quatenus *in cap.ex tuarum,de purgat. canonic.* decernitur, peregrina iudicia esse vitanda) quodque etiam non fuerit intrinseca Dei tentatio, quia non ad aliquam miraculosam ostensionem, sed solùm quasi in testimonium, & iuramentum innocentiæ efficiebatur.

16 Sequitur decimò, quod infirmus non tentet Deum, neque peccet, quin potiùs opus valdè laudabile præstet, si medicinas respuat tempore Martyrij, ad diuinum honorem tuendum; quia sic ad mortem pro Christo ferendam promptitudinem magnam ostendit: Similiter, quod non tentet Deum, neque peccet, sed quid licitum operetur, si medicinas respuat deficiente mortis periculo, ut cesset dolor, sicque magis pro Christo patiatur; quia sic etiam ad patiendum pro Christo promptitudinem monstrat. Tentet autem Deum, & peccet mortaliter, si respuat medicinas in morbo periculoso, sperans salutem à solo Deo, relictis scilicet mediis naturalibus; quia tunc grauiter peccat contra charitatem: sic Caietanus *2. 2. q.97. art.1.* Nauarrus *in sum. cap.11. num.41.* Lessius *de iustitia & iure, lib.2.cap.45.dub.1.num.4.* Suarez *cit. lib.1. cap.2. n.1.* Et videtur esse sententia S.Thomæ *2.2.q.97.art.1. ad 3.* quatenus ibi S.Agatham (quæ sibi nunquam medicinam carnalem adhibuisse gloriatur) excusat, quod ex speciali diuina prouidentia id fecerit.

17 Sequitur 11. quod sit etiam tentatio Dei, si quis temerè, & absque iusta causa Martyrio se offerat, Nauarrus *in sum. cap.11.num.4.* Ludouic.Lopez *1.p. instruct. cap.41. circa finem*, & alij passim; quia sumus in re graui, & absque causa prouocantur infideles ad peccandum mortaliter. Et videtur etiam esse sententia S. Thomæ *2. 2. q. 124. art.1. ad 1.* quatenus ait, non esse præbendam infidelibus occasionem iniustè agendi, sed patienter sustinendum, ipsis iniustè agentibus: Item videtur esse sententia Caietani *ibidem*, quatenus inquit, Martyres non prouocasse Tyrannos ad mortem ipsis inferendam, sed exigente iusta causa processisse ad eternam fidei confessionem, vt Euangelij prædicationem, & alios actus. Vnde Tyranni ex propria malitia sumebant occasionem variis eos tormentis cruciandi; quod si aliquando se martyrio offerebant, id erat vrgenti magna ostendendæ fidei necessitate, & diuino instinctu ducti. Item tandem videtur esse sententia Syluestri verbo Martyrium, numero vnico, quatenus tradit nullatenus licitum esse absque necessitate talem occasionem infidelibus præbere; subditque, & rectè, mortale peccatum esse, si quis subeat martyrium, non principaliter propter Christum, sed propter vitæ tædium, vel odium.

Cæterùm *temerè, & absque iusta causa quis martyrio se offert*, quando martyrium non est sub præcepto, neque sub consilio: Est sub præcepto, quando est necessarium ad fidem, vel salutem multorum spiritualem conseruandam, vel ad blasphemias in Christum vitandas: Est autem sub consilio, quando ex eo nihil aliud, quàm gloria Dei, & exaltatio fidei consequitur: S Thomas *2. 2. q.124. art.3. ad 1.* & alij communiter; qua de re tamen videri poterit præcipuè Syluester, & Nauarrus *in locis suprà citatis*. 18

19 Sequitur 12. quod formalis, & expressa tentatio Dei (per quam scilicet ex intentione petito aliquo signo à Deo exploratur voluntas, vel attributum alicuius Dei) specie differat à tentatione interpretatiua Dei; quia quando formalis, & expressa tentatio Dei procedit ex dubitatione de aliquo attributo Dei, trahit secum aliam coniunctam specie distinctam malitiam mortalem contra fidem, iuxta ea quæ *suprà sect.1. & 2.* dicebantur.



DVBITATIO CCXXXIII.

Quidnam dicendum de adiuratione, & superstitionibus, quæ in ea committuntur?

Respondetur: De hac re vide *in tractatu de iuramento, mendacio, periurio, & adiuratione*: vbi quoad hanc materiam satis dicebam.



DVBITATIO CCXXXIV.

Quidnam dicendum de Sanctorum, & Beatorum, Reliquiarum, & imaginum Sacrarum cultu atque vsu?

Vt dubitatio hæc distinctiùs enucleetur, sit

SECTIO PRIMA.

An adorari possint, & debeant Reliquiæ Sanctorum, & Beatorum?

SVMMARIVM.

1 *Per Sanctorum, & Beatorum Reliquias intelliguntur ipsa Sanctorum, & Beatorum corpora, & quælibet ipsorum corporum, siue carnium, siue ossium particula.*

2 *Item capilli, vngues, dentes, cineres, vel pulueres, in quos conuersa sunt.*

3 Item

3 *Item ea, quibus ipsi Sancti, & Beati viuentes in hac mortali vita vsi sunt.*

4 *Item vela, panni, & alia, quæ ipsorum corpora, aut ossa tetigerunt, vel applicata eis fuerunt.*

5 *Vermes, qui ex Sanctorum, & Beatorum corporibus nascuntur, non adorantur, sicut cineres, aut pulueres; quia quod manet in Reliquiis Sanctorum, & Beatorum, solùm adoratur propter habitudinem ad Sanctum, & Beatum, cuius Reliquiæ sunt. Quæ est quædam relatio rationis, seu quædam moralis dignitas, inquantum commodè, & decenter in eis ipse Sanctus, & Beatus, vt adorabilis apprehenditur.*

6 *Apprehendentes Sanctum, & Beatum in vermibus, licet possit recta intentione, & sincera fide ipso in iis venerari, non tamen possunt eos vermes propter dictam rationem de indecentia publicè adorandos proponere.*

7 *Sanctorum, & Beatorum Reliquias venerari, est quid pium, & Sanctum, idque de fide; quia Sanctorum, & Beatorum Reliquiis idem cultus, qui Sanctis, & Beatis ipsis, quorum Reliquiæ sunt, exhibetur.*

1 SVppono, per Sanctorum, & Beatorum Reliquias
intelligi ipsa Sanctorum, & Beatorum corpora, &
quaslibet ipsorum corporum, siue carnium, siue os-
2 sium particulas. Item capillos, vngues, dentes, cineres,
3 vel pulueres, in quos conuersa sunt. Item ea, quibus
ipsi Sancti, & Beati viuentes in hac nostra vita vsi
4 fuerunt. Item vestes, calceos, vela, pannos, & alia,
quæ ipsorum corpora, aut ossa tetigerunt, vel ad ipso-
rum corpora, aut ossa applicata fuerunt, aut aliquo
modo de præsenti pertinent: sic DD. communiter,
apud Azor. *lib. 9. Instit. moral. c. 8. q. 1.* Sanchez *lib. 2.
moral. c. 43. n. 2.* & alios mox infrà citandos.

5 Quod si dicas: Adorantur cineres, aut pulueres, in quos Sanctorum, & Beatorum corpora conuersa sint: Ergo non est cur & non adorentur vermes, qui ex ipsorum corporibus nascuntur; cùm vtrobique sola Sanctorum materia prima supersit, sicque vtrobique sit eadem ratio.

Respondeo: Nego consequentiam; & disparitas
est, quia quod manet in Reliquiis Sanctorum, &
Beatorum, solùm adoratur propter habitudinem ad
Sanctum, & Beatum (cuius Reliquiæ sunt) quæ est
quædam relatio rationis, seu quædam moralis dignitas
in quantum commodè, & decenter in eis ipse Sanctus,
& Beatus, vt adorabilis apprehenditur: quare cùm
ad eum statum illæ perueniunt, vt adoratio non sit
decens, nec in eis decenter (quod contingit, quando
sunt in vermes conuersæ) Sanctus, & Beatus appre-
hendatur, cessat adoratio: sic DD. communiter, quos
sequitur Suarez *in 3. p. tom. 1. disp. 55. sect. 1. circa fin.*
& Vasquez *de Adorat. Imagin. lib. 3. disp. 3. c. 8. n. 14.*
6 Vbi rectè subdit, quod etsi quis recta intentione, &
sincera fide possit in vermibus Sanctum, & Beatum
apprehendere, & venerari, non tamen possit eos ver-
mes publicè adorandos proponere, propter iam dictam
rationem de indecentia, seu inconuenientia, quam di-
cebam. His suppositis

7 Respondetur affirmatiuè, itaut sit quid pium, ac sanctum, Sanctorum, & Beatorum Reliquias adorari, idque de fide. Patet ex Concilio Niceno 2. *Act. 5.* Gangren. *c. 2.* & ex Tridentino *sess. 25. c. 1. & ex cap. cum ex eo, de Reliq.* & tradunt, eo quòd Sancti sunt amici, & filij Dei, & consortes gloriæ Christi. Sayr. *in claui Reg. lib. 4. c. 5. n. 10.* Suar. *cit. disp. 55.* Vasquez etiam *cit. disp. 3. n. 78. & seqq.* Valent. *2. 2. disp. 6. q. 11. punct. 6. per tot.* Bellarm. *lib. 1. de Sanct. cap. 1. 2. 3. 4. & 13.* Azor. *tom. 1. Instit. moral. lib. 9. cap. 8. q. 1. 2. 3. & 4. & cap. 10. q. 6. 7. 8. & 9.* Quia Sanctorum, & Beatorum Reliquiis idem cultus qui Sanctis, & Beatis ipsis, quorum Reliquiæ sunt, debitus est, exhibetur; cùm eæ non adorentur vltimatè, sed tantùm inultimatè (sicut & Imagines) in ordine ad Prototypum.

SECTIO II.

An adorari possint Reliquiæ alicuius viri Sancti, nondum canonizati, nec beatificati?

SVMMARIVM.

1 *Reliquiæ alicuius viri Sancti non canonizati, nec beatificati adorari possunt cultu priuato, non autem cultu publico, seu solemni, qui nomine totius Ecclesiæ, & tanquam ab ea institutum exhibetur: Sancti enim alij sunt canonizati, alij tantùm beatificati, alij autem nec canonizati, nec beatificati.*

2 *Sanctum non canonizatum, nec beatificatum licet credere, & eum (etiam aliis audientibus, si non adsit scandalum) vocare Sanctum, ac inuocare; quia hæc pertinent ad cultum priuatum.*

3 *Sanctum non canonizatum non licet, tanquam positum à Pontifice in Catalogo Sanctorum, prædicare; neque licet eum in publicis Litaniis, & officio diuino inuocare; quia hæc pertinent ad cultum ipsius Ecclesiæ nomine institutum, sicque publicum, & solemnem.*

4 *Ampla etiamsi Litania, & officium diuinum non recitentur publicè, sed etiamsi recitentur priuatim, quia adhuc talis cultus est publicus, & solemnis.*

5 *Sancti non canonizati, nec beatificati Imaginem licet pingere, & venerari, dummodò non adoranda proponatur etiam in Altari priuata.*

6 *Sancti non canonizati, nec beatificati picturam multò minùs licet in Altari Templi constituere, vt ab omnibus colatur; quia id pertinet ad cultum publicum.*

7 *Id tamen licet, saltem accessoriè, & non principaliter, ex Summi Pontificis permissione, scientis, & tolerantis, seu tacentis. At modò obstat Decretum Alexandri VII. Summi Pontificis super cultu Beatis adhuc non canonizatis præstando, Anno 1659. die 27. Septembris editum.*

8 *Sancti non canonizati, nec beatificati licet etiam ponere Imaginem simul cum Imagine Sancti canonizati, in memoriam beneficij ab illo recepti, & ad ornatum Altaris.*

9 *Sancti non canonizati, nec beatificati non licet in Altari domus priuata tenere imaginem, si in ea sola, & cum lampade sit. Quamvis nonnulli contrarium sentiant; quia id, inquiunt, ad cultum priuatum pertinet.*

10 *In Sancti non canonizati, nec beatificati honorem non licet dedicare Altare, & multò minus Templum.*

11 *Dedicare Altare in honorem alicuius Sancti, non est in Altari Imaginem eius constituere, id est, cùm Altare consecratur, illud tali Sancto dedicare.*

12 *In Sancti non canonizati, nec beatificati honorem non licet sacrificia instituere, vel Reliquias eius publicè in Templo venerandas proponere; quia cùm hæc pertineant ad cultum publicum, & solemnem, sunt propria Sancti canonizati, vel saltem beatificati.*

13 *Sancti non canonizati, nec beatificati licet vestes, vel frustula sumere; & manus, vel pedes osculari, etiam aliis videntibus, dummodò scandalum absit; quia si licet hoc modo venerari viuentem, multò magis poterimus venerari defunctum.*

14 *De Sancti non canonizati, nec beatificati Reliquiis dicas idem, quod de Imagine ipsius dicebam.*

15 *Sancto non canonizato, nec beatificato neque licet publicum diem festum instituere; licet tamen*

alicui priuato in natali eius à seruilibus operibus se abstinere, & in eius memoriam Deo vacare.

26 *Idem dic de ieiunio, & voto; non enim licet in memoriam Sancti non canonizati, nec beatificati indici publicum ieiunium, neque offerri publicum votum; quia hæc pertinent ad cultum publicum.*

27 *Episcopi facultas instituendi in sua Diœcesi diem festum alicuius Sancti, intelligitur de Sancto canonizato à Pontifice, vel ab Ecclesia, modo qui prius olim ab ipsa Ecclesia seruabatur.*

1 SVppono, quod Sancti alij sint canonizati, alij solùm beatificati, alij verò nec canonizati, nec beatificati, sed solùm (ex eo, quod piè, & cum opinione sanctitatis vixerunt, & decesserunt) piè creduntur in cœlis cum Christo regnare, & propriè serui, vel ancillæ Dei dicuntur. His suppositis,

Respondetur negatiuè, si loquamur de cultu publico, seu solemni, qui non est qui exhibetur coram aliis, licèt quamplurimis, sed est qui exhibetur nomine totius Ecclesiæ, seu tanquam institutus ab Ecclesia, licet non coram aliis, quin etiam coram nullis. Respondetur autem affirmatiuè, si loquamur de cultu priuato (qui est qui exhibetur ex deuotione priuata colentis, etiam coram aliis, licet quamplurimis, vti dicebam) & præterea scandalum absit.

Prior pars est communis Doctorum, & constat *ex cap. 1. & cap. finali, de Reliq. & vener. Sanctorum*, vbi id expressè prohibetur.

Posterior pars est Gloss. *in cap. vnico, verb. Sedis, de Reliq. & vener. Sanctorum, in 6.* Abbatis *in cit. cap. fin. n. 3.* Antonij *ibidem, n. 6.* Anchatani *n. 2.* Cardinalis *notab. 4.* Innocentij *in cap. 1. de Reliq. & venerat. Sanctor. circa finem*, Hostiensis *ibidem*, Ioan. Andreæ *n. 6. & aliorum Canonistarum*, Bellarmini *lib. 1. de Sanct. cap. 10.* Azorij *tom. 1. Instit. moral. lib. 9. cap. 8. q. 8.* Syluestri *verb. Reliq. in principio*, Fagundez *praecpt. 1. Eccles. lib. 1. cap. 4. n. 19.* Suarez *3. part. tom. 1. disp. 55. sect. 1. & tom. 1. de Relig. lib. 2. de Fest. cap. 11.* Molfes. *consil. 45. num. 64. & cons. 55. n. 20.* Turriani *de Fide, Spe, & Charitate, disp. 27. dub. 12. in fine*, Bonacinæ *de legib. disp. 3. q. 1. punct. 2.* Portellij *in dub. Regal. verb. Reliquia, in Addit. n. 12.* Trullench. *lib. 1. in Decalog. cap. 9. dub. 6. n. 2. & seqq.* & aliorum Doctorum passim; Et constat etiam *ex eodem cap. finali, de Reliq. & vener. Sanctor.* quatenus ibi huiusmodi Sanctus prohibetur quod honoretur publicè: Ergo à contrario sensu permittitur, quod honoretur priuatim. Vide etiam quæ dicam *infrà Petit. 1.*

2 Hinc sequitur, quod liceat huiusmodi Sanctum non canonizatum, nec beatificatum credere Sanctum, & eum, etiam aliis audientibus, si non adsit scandalum, vocare Sanctum, ac inuocare; quia hæc pertinent ad cultum priuatum: & probatur, quia oramus similem virum viuentem, quamvis eum Sanctum esse nesciamus. Ergo multò magis poterimus orare defunctum, quem maiori ratione Sanctum esse confidimus, & speramus. Glossa *in cap. vnico, verb. Sedis Apostolica, de Reliq. & vener. Sanctor. in 6.* Hostiensis *in c. 1. eodem Titulo*, Innocentius *ibid.* Syluester *verb. canonizatio, n. 1. & 2.* Azor. *part. 2. lib. 5. cap. 6. q. 8. in fine*, Bellarmin. *lib. 1. de Beat. sanct. cap. 19.* Fagund. *praecps. 1. Eccles. lib. 1. c. 4. n. 10.* Bonac. *disp. 3. de praecept. Decalog. q. 1. punct. 2. n. 2.* & Trullench. *lib. 1. in Decalog. cap. 9. dub. 6. n. 5.* vide etiam quæ dicam *infrà Petit. 2.*

3 Aduerte tamen, quod non liceat prædicare eum, tanquam in Catalogo Sanctorum à Pontifice positum. Neque liceat eum inuocare in Officio diuino, vel in quacumque alia oratione, quæ fuerit instituta ab Ecclesia; quia id pertinet ad cultum totius Ecclesiæ nomine institutum, sicque ad cultum publicum, & solemnem. Sic DD. quos sequitur Bellarm. *loc. sup. cit. n. 3*,

Multò minùs licebit inuocare eum in Litaniis, in quibus non licet inuocare etiam Sanctum beatificatum, nondum tamen canonizatum, vti dicam *infrà Petitione vltima.*

Quod intellige non solùm si officium diuinum, vel quæcumque alia Oratio, quæ fuerit instituta ab Ecclesia (idemque multò magis dicas de Litaniis) recitentur publicè, sed etiam si recitentur priuatim; quia adhuc talis cultus, vtpote ab Ecclesia institutus, & nomine ipsius Ecclesiæ totius delatus, est publicus, & solemnis, vt proptereà solis Sanctis canonizatis, & beatificatis ille tribui possit. 4

Sequitur secundò, quod liceat eiusdem Sancti non canonizati, nec beatificati Imaginem pingere, & venerari, dummodò non in altari publico, vel etiam priuato adoranda proponatur; quia tunc pertineret ad cultum publicum, non autem ad priuatum. Quapropter multò magis non licet dictam picturam Sancti non canonizati, nec beatificati in Altari Templi, vt ab omnibus colatur, constituere; quia id pertinet, vti dicebam, ad cultum publicum, non autem ad priuatum. Et colligitur ex Tridentini Concilij Decreto *de Inuocatione, &c. sess. 25.* quatenus ibi Concilium interdicit, quod in Templo insolita Imago ponatur absque Episcopi approbatione. 5 6

Aduerte tamen, quod liceat id fieri saltem accessoriè, & non principaliter, ex Summi Pontificis permissione scientis, & tolerantis, seu tacentis; quin & aliquando fieri consueuit, quando scilicet de alicuius Sancti canonizatione tractatur. Etsi modò obstare videatur Decretum Alexandri VII. quod referam *infrà in fine sectionis praesentis.* 7

Aduerte secundò, quod liceat etiam poni imaginem alicuius Sancti non canonizati, nec beatificati simul cum imagine Sancti canonizati, in memoriam beneficij ab illo recepti, & ad ornatum Altaris, iuxta ea, quæ dicam *infrà, sect. 4.* 8

Sequitur tertiò: Quod non liceat tamen in Altari domus priuatæ tenere imaginem Sancti non canonizati, nec beatificati, si in eo sola, vel cum lampade teneatur; sic DD. quos sequitur Philiarcus de Officio Sacerdotis, *tom. 1. p. 2. lib. 3. cap. 9. circa fin.* Et fauet Tridentinum Concilium *loc. sup. cit.* quatenus ibi prohibet, ne in aliquo loco, vel Ecclesia insolita vlla Imago ponatur. Quamvis nonnulli contrarium sentiant; quia id (inquiunt ipsi) ad cultum priuatum pertinet, & Tridentinum Concilium de loco publico intelligendum videtur; cùm in Altari domus priuatæ sæpè Reliquiæ venerandæ exponantur, non approbatæ ab Episcopo. Vide tamen *infrà Petitionem quintam.* 9

At quidquid sit de hoc, illud tamen omninò dicendum est, quod non liceat in honorem Sancti non canonizati, nec beatificati dedicare Altare, nec multò magis Templum. Vide *infrà Petitionem vltimam*, & Bellarm. *loc. sup. cit. n. 3.* 10

Dedicare autem Altare in honorem alicuius Sancti, non est in Altari imaginem Sancti constituere, sed est, cùm Altare consecratur, illud tali Sancto dedicare; sicuti patet ex Pontificali Romano Clem. VIII. vbi in Litaniis consecrationis Altaris ter repetitur: *Vt hoc altare ad honorem tuum, & Sancti N. consecrandum*, &c. Et quinquies ab Episcopo signatur Altare in his verbis: *Sanctificetur hoc Altare in honorem Dei, &c. & ad memoriam, & honorem Sancti N.* Et in sepulchro eiusdem Altaris ponuntur hæc verba: *Ego N. Episc. consecraui Altare hoc in honorem Sancti N.* 11

Sequitur quartò: Quod neque liceat in honorem Sancti nō canonizati, nec beatificati sacrificia institui, vel Reliquias eius publicè in Templo venerādas proponi; quia (cùm hæc pertineant ad cultum publicum, & solemnem) sunt propria sancti canonizati, vel saltē beatificati: sic DD. quos sequitur Bell. *loc. sup. cit.* 12

Aduerte tamen, quod liceat talis Sancti non canonizati,

nonizati, nec beatificati vestes, vel frustula sumi, & manus, vel pedes deosculari, etiam aliis videntibus, dummodò scandalum absit; quia si licet nobis hoc modo venerari viuentem, multò magis poterimus venerari defunctum, quem maiori ratione Sanctum esse confidimus, & speramus, vti suprà dicebam; & videri poterit Bellarminus *ibidem loco cit.*

14 Cæterùm quoad Reliquias talis Sancti non canonizati, nec beatificati in Altari priuato ponendas, dicas idem, quod de imagine dixi.

15 Sequitur quintò: Quod neque liceat publicum tali Sancto non canonizato, nec beatificato diem festum instirui; liceat tamen alicui priuato in natali eius à seruilibus operibus se abstinere, & in eius memoriam Deo vacare; quia priùs pertinet ad cultum publicum, & præterea nouissimè sic expresse (etiam de Sancto beatificato, nisi speciale Indultum Apostolicum interuenerit) decernitur in prædicto Decreto Alexandri VII. Posterius autem pertinet ad cultum priuatum: sic DD. quos sequitur Bellarminus *vbi suprà, cap.* 10. Suarez *tom.* 1. *de Religione, lib.* 2. *de Festis, cap.* 11. *n.* 5. & constat ex Cassiano *collat.* 19.

16 Cæterùm, quod dixi de die festo, idem dicas de ieiunio, & voto; scilicet quod in honorem talis Sancti non canonizati, nec beatificati non possit indici publicum ieiunium, neque offerri publicum votum; quia hæc pertinent ad cultum publicum. Attamen posset quis priuatus in eius memoriam (vti dicebam de die Festo) ieiunare, vel ei votum offerre (etiam scientibus aliis, dummodò scandalum absit) quia hæc pertinent ad cultum.

Sequitur sextò: Quod cum textus *in cap.* 1. *de consecrat. distinct.* 3. & alter textus *in cap. final. de Feriis*, permittunt Episcopo, quod diem Festum alicuius Sancti in sua Diœcesi possit instituere, intelligantur de Sancto canonizato à Pontifice, vel ab Ecclesia modo qui priùs olim ab ipsa Ecclesia seruabatur, iuxta ea quæ dicentur *sect. sequenti, n.* 4. Gloss. *in cap. vnico, verbo Sedis, de Reliq. & vener. Sanct. in* 6. Dominicus *ibid. n.* 12. & Franch. *n.* 3. Innocent. *in cit. cap. finali, n.* 1. *vers. solemniter*, Ioan. Andr. *ibid. n.* 8. Andr. *n.* 4. Imola *n.* 3. & Abbas *n.* 4. Gloss. *in cit. cap.* 1. *verb. festiuitates*, Hostiens. *ibid. n.* 8. & Ioan. Andr. *n.* 6. Syluester *verb. Dominica, q.* 1. *dicto* 1. S. Antonin. 2. *p. tit.* 9. *cap.* 7. *in principio*, & alij passim. Quamvis contrarium (quod tamen post dictum Alexandri VII. Decretum dici non potest) teneant Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 4. & 5. & Fagundez *in* 1. *precept. Eccles. lib.* 1. *c.* 3. *n.* 14. & 15. intelligendo prædictos textus, etiamsi Sanctus non sit canonizatus, sed tantùm beatificatus; sicque per tales textus corrigatur textus *in cap. vn. de Reliq. & vener. Sanct.* qui reseruat Pontifici cultum Sancti non canonizari.

At vt hæc, quæ modò dixi, magis clarescant, sint Petitiones sequentes.

PETITIO PRIMA.

Quare Sanctis non canonizatis, neque beatificatis non possimus exhibere cultum publicum, seu solemnem? Possimus autem exhibere cultum priuatum.

SVMMARIVM.

1 *Sanctis non canonizatis, neque beatificatis non potest exhiberi cultus publicus, seu solemnis; quia cùm huiusmodi cultus sit in nomine Ecclesiæ, & ex eius institutione, non potest extendi vltra eiusdem concessionem.*

2 *Cultus publicus, seu solemnis, cùm sit ex institutione Ecclesiæ, certificat sanctitatem Sancti cui exhibetur.*

3 *Sanctis non canonizatis, neque beatificatis exhiberi potest cultus priuatus. Quia cùm sit ex priuata deuotione colentis, & non in nomine, & ex institutione Ecclesiæ, potest extendi vltra eiusdem concessionem.*

4 *Cultus priuatus non certificat sanctitatem Sancti, cui exhibetur, cùm priuata persona colentis possit falli.*

Respondetur ex dictis: Quia cultus publicus, seu 1
solemnis (cùm sit in nomine Ecclesiæ, & ex institutione Ecclesiæ) non potest extendi vltra concessionem Ecclesiæ, & (cùm sit in nomine Ecclesiæ,
& ex institutione Ecclesiæ, vti dicebam, & Ecclesia 2
non possit falli) certificat sanctitatem Sancti, cui exhibetur cultus publicus, seu solemnis; è contra verò 3
cultus priuatus (cùm sit ex priuata deuotione colentis, & non in nomine, & ex institutione Ecclesiæ,)
potest extendi vltra concessionem Ecclesiæ. Et cùm 4
priuata persona colentis possit falli, non certificat sanctitatem Sancti, cui exhibetur cultus priuatus. Et propterea meritò *in cap. Audiuimus, de Reliq. & vener. Sanct.* Sanctis non canonizatis, neque beatificatis prohibetur exhiberi cultus publicus, seu solemnis; argumento autem à contrario sensu permittitur exhiberi cultus priuatus: sic Doctores communiter, quos citabam *suprà, num.* 1.

PETITIO II.

An Sanctorum non canonizatorum, neque beatificatorum, antequam sepulturæ tradantur, possimus deosculari pedes, manus, vel vestes, &c.

SVMMARIVM.

1 *Sanctorum non canonizatorum, neque beatificatorum deosculari pedes, manus, vestes, &c. antequam eorum corpora tradantur sepulturæ, secundùm aliquos, si publicè fiat, vel ad sanctitatem denotandam, non potest. At contraria sententia est probabilior: huiusmodi enim deosculatio est signum priuati affectus, & priuatæ venerentia.*

2 *Deosculatio prædicta fieri potest eisdem in vita degentibus: Imò etiam potest in signum venerationis quis prosternere se ad eorum sepulchrum, & ibi orare.*

3 *Sepulchri veneratio, quando agitur de Beatificatione, vel canonizatione, inter cæteros articulos probanda est: exigitur enim ab Ecclesia, tanquam fundamentum Beatificationis.*

4 *Decreta Vrbani VIII. non obstant; quia in iis non recensentur prædicta signa obsequij inter abusus: Est enim tota dispositio eorundem circa ea, quæ apponuntur sepulchris circa imagines, & circa libros, qui typis mandantur.*

Respondetur quamvis, si publicè fiat, vel ad 1
sanctitatem denotandam, negent nonnulli, quos sequitur Contelorus *de canonizat. cap.* 22. *num.* 5. & Trullench. *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 9. *dub.* 6. *n.* 36. quoad illa loca, vbi recepta sunt Decreta Vrbani VIII. de cultu decedentium cum fama sanctitatis. Meliùs tamen affirmant Bellarm. *lib.* 1. *de Beatif. Sanct. cap.* 10.

Sanchez *lib. 2. moral. cap. 43. n. 7.* & Fagundez *præcept. 5. Eccles. lib. 1. cap. 4. n. 19.* Quia hæc deosculatio est signum priuati affectus, & priuatæ reuerentiæ. Quod inde patet, quia eandem deosculationem possumus exercere cum iisdem Sanctis adhuc in hac vita degentibus. Quinimò etiam possumus in signum venerationis prosternere nos ad eorum sepulchrum, &
3 ibi orare, &c. Quod inde constat, quia quando agitur de Beatificatione, vel canonizatione, inter cæteros articulos probanda est veneratio sepolchri. Non exigeret autem Ecclesia, tanquam aliquod fundamentum Beatificationis, vel canonizationis, quod fieret illicitè, & esset ab ipsa interdictum: Ergo, &c.
4 Neque obstant Decreta Vrbani VIII. quia ibi prædicta signa obsequij non recensentur inter abusus enarratos, neque continentur in dispositione, neque reduci possunt ad ibi disposita; cùm tota dispositio prædictorum Decretorum Vrbani VIII. sit circa ea, quæ apponuntur sepulchris circa Imagines, & circa libros, qui typis mandantur.

PETITIO III.

An corpora Sanctorum non canonizatorum, neque beatificatorum possimus sepelire in loco honestiori, seorsim ab aliis, & cum ornatu vestium pretiosarum?

SVMMARIVM.

1 *Sanctorum corpora non canonizatorum, neque Beatificatorum possunt sepeliri in loco honestiori seorsim ab aliis, & cum ornatu vestium pretiosarum.*

2 *Idem seruari solet cum iis, qui non decesserunt cum fama sanctitatis, sed fuerunt in re aliqua excellentes.*

1 Respondetur affirmatiuè, & docent ex communi Molfesius *cons. 45. num. 14.* & Trullench. *lib. 1. in Decalog. cap. 9. dub. 6. num. 10.* Et constat ex praxi.
2 Quinimò hoc ipsum seruatur etiam cum iis, qui non decesserunt cum fama sanctitatis, sed fuerunt solùm in re aliqua excellentes; itavt prædictus honor pertineat ad cultum priuatum, sacro, & prophano communem.

PETITIO IV.

An Sanctorum non canonizatorum, neque beatificatorum Reliquias possimus deferre ad collum appensas, offerre eis orationes, & iisdem nos commendare, eosdemque etiam Sanctos, vel Beatos appellare?

SVMMARIVM.

1 *Sanctorum non canonizatorum, neque Beatificatorum Reliquias possumus deferre ad collum appensas, offerre eis orationes, & eisdem nos commendare, eosdemque Sanctos, vel Beatos appellare, non simpliciter, & absolutè, sed tantùm si nomen Sancti, vel Beati ponatur qualificatiuè; secus est, si ponatur denominatiuè, vel appellatiuè.*

2 *In concionibus, & in scriptis publicis tutius est se abstinere ab huiusmodi appellatione.*

Respondetur. Quamvis suprà in principio *sect... num. 2.* cum Doctoribus communiter affirmauerim simpliciter, & absolutè, eo quòd hæc omnia sunt priuati cultus; quia hæc omnia possunt exerceri cum eisdem adhuc degentibus in hac vita. Nunc tamen, quatenus spectat ad appellationem Sanctorum, vel Beatorum, ad maiorem claritatem distinguerem in hunc modum: Si nomen Sancti, vel Beati ponatur denominatiuè, seu appellatiuè (itavt ex contextu orationis appareat, nos significare non qualitatem, sed titulum honoris,) tunc non possumus ita eos appellare non solùm in concionibus, vel in scriptis publicis, sed nec etiam in colloquiis priuatis, quia huiusmodi Titulus est nota publici cultus, & non potest conuenire alicui, nisi ex publica auctoritate, atque adeò per Apostolicæ Sedis concessionem. At si nomen Sancti, vel Beati ponatur qualificatiuè, itavt è contra ex contextu orationis appareat, nos illud adhibere ad exprimendam hanc qualitatem sanctitatis, tunc possumus sic eos appellare, non solùm in colloquiis priuatis, sed etiam in concionibus, & in scriptis publicis, quia pertineret ad priuatum sensum appellantis. Tutius 2 tamen in concionibus, & in scriptis publicis etiam ab huiusmodi appellatione abstinebimus, ne videamur eos diuulgare tanquam canonizatos, vel Beatificatos, vti rectè præter alios aduertunt Trullench *lib. 1. in Decalog. capite 9. dub. 6. num. 5.* & Bonacina *disput. 3. de Precept. Decalog. quæst. 1. punct. 2. num. 2. vers. Hoc posito*, & ego dicam *infrà Petitione 10. & 11.*

PETITIO V.

An Sanctorum non canonizatorum, nec beatificatorum Imagines possimus tenere in Altari domus priuatæ solas, vel cum lampade?

SVMMARIVM.

1 *Imagines Sanctorum non canonizatorum, nec Beatificatorum non possunt teneri sola in Altari cum lampade, etiam in domo priuata.*

2 *Imagines prædictorum Sanctorum non canonizatorum, neque Beatificatorum, possunt teneri in parte sinistra Altaris, præsertim in Oratoriis domus priuatæ; dummodò non sint sola, & non appareant destinata ad cultum diuinum. Quia cùm dictæ Imagines colantur priuato modo, nihil certificatur de eorum Sanctitate.*

3 *Imagines prædictorum Sanctorum non possunt apponi etiam in loco priuato, tanquam destinata ad cultum diuinum; quia eis videretur tribui cultus, quem Ecclesia non concessit.*

Respondetur, quamvis affirmet cum dubio Sanchez *lib. 2. moral. cap. 43. num. 6. & 7.* ex eo, 1
quia Sancti non canonizati, nec beatificati Imaginem tenere in Altari domus priuatæ solam, & etiam cum lampade, pertinet ad cultum priuatum; & ex eo, quia Tridentinum *sess. 25. in Decreto de Inuocatione, & Veneratione Sanctorum*, loquitur de loco publico; & affirmet simpliciter Molfes. *cons. 45.*

ex

ex eo, quia tametsi Tridentinom citatum dicat vllo in loco, vel in Ecclesia, intelligit de loco einsdem qualitatis eum Ecclesia, scilicet publico.) Meliùs tamen negant Faguod. *precept*. 1. *Eccl. cap*. 4. *n*. 16. & Trollench *lib*. 1. *in decalog. cap*. 9. *dub*. 1. *num*. 12. sicque omninò tenendum est post decretum Vrbani VIII. die 13. Martij, & die 2. Octobtis anni 1625. circa cultum non canonizatorum, aut non beatificatotum; quia ibi Pontifex quodcumque Ecclesiæ signum, etiam in loco ptiuato huiusmods seruis Dei prohibet per hæc verba: [Decreuit, oe quotumvis hominum cum sanctitatis, seu Martyrij fama (quantacunque illa sit) defunctorum imagines, aliaque prædicta, & quodcumque aliud venerationem, & cultum præseferens, & indicans in oratoriis, aut locis publicis, seu priuatis, vel Ecclesiis, tam Sæculatibus, quàm Regulatibus cuiuscumque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut Societatis apponantur, antequam ab Apostolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur. Et si quæ appositæ sunt, amoueantur, provt eas statim amoueri mandauit.] Et hæc omoia confirmata sunt ab eodem Pontifice per Breue datum die 5. Iulij anno 1634. quod habetur com aliis decretis ad Sanctorum canonixationem, & beatificationem spectantibus, editum Romæ anno 1642.

Poterunt tamen prædictorum seruotom Dei imagines poni in patte sinistta, vel dextera Altatis, ptæsertim in domibus, & oratoriis priuatis; dummodo positæ sint ita, vt noo appateant ad cultum destioatæ; ac proinde poterunt poni io cubiculis priuatorum, in loco, vbi isti priuati orare solent, dummodò non ponantur solæ, vel cum lampade; quia si positæ essent solæ, vel cum lampade, viderentur esse ad cultum destinatæ. Fagundez *precept*. 1. *Eccles. lib*. 1. *cap*. 4. *n*. 15. & Trullench. *lib*. 1. *in decalog. cap*. 9. *dub*. 6. *n*. 6. & ratio est; quia sicuti dicebam *petitione* 1. dum prædictæ imagines ptiuato modo coluntut, nihil certificatur de sanctitate eotum, quos ipsæ imagines teptæsentant.
3 At si ponerentur tanquam ad cultum destinatæ, tribueretur ipsis, quod Ecclesia non concessit: cùm adhibete imagines, tanquam ad cultum destinatas, sit ex vsu, & institutione Ecclesiæ, ac proinde non possit extendi vltra concessionem eiusdem Ecclesiæ.

Quamvis igitur prædictotum seruotum Dei imagines possint poni in Ecclesiis, Templis, vel Otatoriis, &c. pro ornatu dictotum locorum, & separatæ ab imaginibus Sanctorum (sicuti possunt poni imagines Imperatotum, Regum, vel Patronotum, &c.) Bellarminus, & Sanchez *in locis suprà cit*. Portellus *in dub. regular. verbo Reliquia Sanctorum*, *num*. 10. & Peytinus *tom*. 1. *Priuileg. Minimorum*, *in constitutione* 3. *Leonis X. num*. 4. non tamen poterunt poni io altari aliquo publico, vel ptiuato, ptovt habetur in prædictis decretis anno 1642. editis.

At Sanchez *vbi suprà*, *num*. 7. & Peytinus *citato num*. 4. limitant primò, vt id sit tantùm verum, quando tales imagines poountur in altaribus solæ. Decreta tamen (vt fatcat) vniuersaliter loquuntur.

Limitaot 2. iuxta ea quæ dicebam (quod est probabilius) idem Sanchez, & Fagundez *vbi suprà, cap*. 4. *n*. 15. vt id sit verum taotùm, quando prædictæ imagines ponuntur in ipso Altari, non autem quando ponuntur ad latus pro ornatu ipsius Altatis.

Illud certius, prædictas imagines non posse poni cum lampade, pruvt ex dictis decretis habetur, & prætet alios docent Philiarchus *de officio Sacerdotis*, *tom*. 1. *part*. 2. *lib*. 3. *cap*. 9. Sanchez *vbi suprà*, & Fagundez etiam vbi *suprà*, *num*. 16.

PETITIO VI.

An Sanctis non canonizatis, nec beatificatis possimus erigere Altaria? Vbi etiam de Templis?

SVMMARIVM.

1 *Sanctis non canonizatis, neque beatificatis non possunt erigi Altaria; quia id pertinet ad cultum publicum interdictum ab Ecclesia exhiberi huiusmodi Sanctis.*

2 *Sanctis non canonizatis, neque beatificatis non possunt erigi Altaria etiam in Ædibus priuatis; quia quamvis huiusmodi erectio fiat priuato modo, pertinet tamen ad cultum publicum, seu solemnem, prohibitum ab Ecclesia exhiberi huiusmodi Sanctis.*

REspoodetur negatiuè. Bellatmin. *lib*. 1. *de beatificat. Sanct. cap*. 10. Sanchez *lib*. 2. *moral. cap*. 43. *n*. 7. Tuttian. *de Fide, Spe & Charitate, disp*. 57. *dub*. 11. Fagundez *precept*. 1. *Eccles. lib*. 1. *cap*. 4. *n*. 18. Conterlorus *de canonizat. sap*. 2. *n*. 2. Trullench. *lib*. 1. *in Decalog. cap*. 9. *dub*. 6. *num*. 2. & Bonacina *disp*. 2. *de precept. Decalog. q*. 1. *punct*. 2. *num*. 2. quia id pertinet ad cultum publicum, interdictum ab Ecclesia exhiberi huiusmodi Sanctis, per textum *in cap. Audiuimus, de Religion. & venerat. Sanctor*. Vnde non solùm prædictis seruis Dei non possumus etigere Altaria mediante consecratione, sed nec etiam Altaria non consecrata, immò nec etiam in priuatis otetotiis; quia adhuc huiusmodi erectio, quamvis fiat priuato modo, pertinet ad cultum publicum, seu solemnem ab Ecclesia iostitutum, & prohibitum exhiberi huiusmodi seruis Dei, sicuti dicebam. 1

2

Multò minùs poterimus prædictis seruis Dei erigere Templa; quia hæc non erigi possunt Sanctis beatificatis, iuxta ea quæ dicam *infrà petit. vltima*.

PETITIO VII.

An in honorem Sanctorum non canonizatorum, nec beatificatorum possimus instituere diem festum? Vbi etiam de ieiunio, voto, vel simili?

SVMMARIVM.

1 *Sanctorum non canonizatorum, neque beatificatorum non possunt institui dies festiui: Nam huiusmodi cultus cùm exhibeatur in nomine, seu institutione, & imperio Ecclesiæ, est publicus, seu solemnis, sicque exhiberi prohibetur Sanctis non canonizatis, neque beatificatis.*

2 *Ieiunium in vigilia prædictorum Sanctorum non potest indici ab Ordinario; quia tale ieiunium est obsequium, & cultus, qui Sanctis iis exhibetur, qui coluntur ex institutione Ecclesiæ.*

3 *In die anniuersaria prædictorum Sanctorum persona priuata possunt se abstinere ab operibus seruilibus, & in eorum vigilia ieiunare, quia præfata omnia pertinent ad cultum priuatum, & ex sui natura non sunt ordinata ad cultum; quia ob aliam causam quis potest se abstinere ab operibus seruilibus, & ieiunare.*

4 *Vota à priuatis personis possunt offerri prædictis seruis Dei, etiam in ordine ad obtinendas gratias: quia votum non continet aliud, nisi cultum priuatum.*

5 *Votum non potest emitti ad implorandas gratias intercessione huiusmodi Sanctorum à toto Populo, cum interuentu auctoritatis Episcopi, Principis, seu alterius potestatis; quia tunc contineret cultum publicum, seu solemnem.*

6 *Tenent tamen quidam oppositum, si non interuenit auctoritas Episcopi.*

1 RESpondetur negatiuè. Patet *ex cap. 1. de Reliquiis, & venerat. Sanctor.* & ex decreto nouissimo Alexandri VII. vbi etiam in honorem Sanctorum beatificatorum diem festum institui prohibetur; & docet Glossa *in citato cap. 1. verbo festiuitates*, Ostiensis *ibidem, num.*8. Ioan. Andreas *num.*6. Iterum Glossa *in cap. vnic. verb. Sedis Apostolica, eodem titulo in* 6. Franch. *ibidem, num.*3. Dominicus *num.*12. Innocentius *in cap. final. de feriis, verbo solemniter, num.*1. Abbas *ibidem, num.*4. Imola *num.*3. Syluester *verbo Dominica, q.*1. D. Antoninus 2. *parte, titul.*9. *cap.*7. *in principio*. Sanchez *lib.*2. *moral. cap.*43. *num.*9. Trullench. *lib.*1. *in Decalog. cap.*9. *dub.*6. *num.*12. Quia huiusmodi cultus (cùm exhibeatur in nomine, seu ex institutione, & imperio Ecclesiæ) est publicus, seu solemnis, sicque prohibitus exhiberi Sanctis non sanctificatis, neque beatificatis, vti dicebam *petit.*1.

2 Ob eandem rationem neque indici poterit ab ordinario ieiunium in vigilia prædictorum seruorum Dei; cùm huiusmodi ieiunium sit obsequium, & cultus, qui exhibetur Sanctis iis, qui coluntur ex auctoritate Ecclesiæ.

3 Poterunt tamen priuatæ personæ in die anniuersaria se abstinere ab operibus seruilibus, & vigilia ieiunare in honorem prædictorum seruorum Dei, quidquid in contrarium dixerit Cootelorus *de canonizatione Sanctorum, cap.* 22. motus ex eo, quia putat, id prohibitum esse per decreta Vrbani VIII. sed minùs rectè; quia id ibi expressè non prohibetur, neque sequitur ex ibi prohibitis; cùm omnia, quæ ibi prohibentur, pertineant ad cultum publicum, seu solemnem. Bellarminus *lib.*1. *de beatificatione Sanctorum, cap.*10. Sanchez *lib.*2. *moral. cap.*43. *num.*8. Molfesius *conf.*45. *num.*46. & Trullench. *lib.*1. *in Decalog. cap.*9. *dub.*6. *num.*21. Et ratio est, quia omnia dicta pertinent ad cultum priuatum; siquidem de sui natura non sunt ordinata ad cultum, cùm ob aliam causam possit quis se abstinere ab operibus seruilibus, & ieiunare: Ideoque vt pertineant ad cultum, debent institui, & ordinari ad cultum: ac proinde cultus, quem continebunt, erit talis, qualis erit institutio, sicque solùm erit cultus publicus, seu solemnis, quando institutio erit publica, & auctoritatiua; similiter etiam oratio (tùm ex sui natura non sit ordinata ad cultum, sed etiam ad petendum aliquid ab hominibus) non continet cultum publicum, nisi quando publica auctoritate ad hunc effectum instituitur; ideoque poterit etiam ordinari ad cultum priuatum auctoritate priuata.

4 Eadem ratione poterunt priuatæ personæ prædictis seruis Dei offerre votum, etiam in ordine ad obtinendas gratias. Sanchez *lib.*2. *moral. cap.*43. *num.*8. Molfesius *consil.*45. *num.*74. & Trullench. *lib.*1. *in Decalog. cap.*9. *dub.*6. *num.*21. quia votum etiam non continet aliud, nisi cultum priuatum; siquidem votum, cùm sit promissio facta Deo, tenet naturam promissionis; ac proinde est de se indifferens, vt ordinetur, vel non ordinetur ad cultum; ideoque sola publica ordinatio faciet, quod contineat cultum publicum, seu solemnem; non tamen poterit emitti votum

5 à toto populo cum interuentu auctoritatis Episcopi, Principis, vel alterius potestatis; quia tunc contineret cultum publicum, seu solemnem: Ita Doctores citati.

Quamvis Molfesius non omninò improbabiliter 6 putet, quod possit offerri votum à toto populo pro tota Ciuitate, Prouincia, vel Regno prædictis seruis Dei; quia cùm non offeratur auctoritate Ecclesiæ, sed tantùm interueniat auctoritas potestatis, quæ non habet facultatem instituendi, quæ sunt ordinis spiritualis, & quæ ordinantur ad Dei, & Sanctorum cultum; sicque non offeratur in nomine, seu ex institutione Ecclesiæ; non continet cultum publicum, seu solemnem.

PETITIO VIII.

An Sanctos non canonizatos, nec beatificatos possimus inuocare in Diuino Officio, vel in eius recitatione commemorationem eorum facere?

SVMMARIVM.

1 *Sancti non canonizati, neque beatificati non possunt inuocari in Diuino officio.*

2 *In officio publico, vel priuato non possunt fieri commemorationes huiusmodi Sanctorum; quia oratio instituta ab Ecclesia in honorem Sanctorum continet publicum, seu solemnem cultum auctoritatum ab ipsa Ecclesia, & ratione priuata recitationis non amittit talem auctorizationem.*

3 *Idem seruandum est in Litaniis, in quibus sine auctoritate Ecclesia non possumus inuocare Sanctos beatificatos.*

RESpondetur, quamvis affirment Molfesius *consil.*45. *num.*47. & 48. Turrianus *de Fide, Spe, & Charitate, disp.*27. *dub.*11. & Trullench. *lib.*1. *in Decalog. cap.*9. *dub.*6. *num.*16. quando scilicet diuinum Officium recitatur priuatim; quinimò addit Molfesius etiam quando recitatur à Monialibus, aut Religiosis in suis Ecclesiis; negari tamen debet simpliciter, non posse scilicet id fieri, etiam quando recitatur priuatim siue ipsum Officium diuinum, siue etiam quæcumque alia oratio ab Ecclesia in Sanctorum cultum instituta: sic Innocentius *in cap. Audiuimus, de Reliq. & venerat. Sanctorum*, Syluest. *verb. canonizatio, num.*1. Bellarmin. *lib.*1. *de beatif. Sanct. cap.*10. Fagundez *precept.*1. *Eccles. lib.*1. *cap.*4. *num.*19. Sanchez *lib.*2. *moral. cap.*43. *num.*5. & Bonacina *disp.*3. *de precept. Decalogi, quæst.*1. *punct.*2. quia eo ipso, quod oratio est ab Ecclesia in cultum Sanctorum instituta, continet publicum, seu solemnem cultum, ab eadem Ecclesia auctorizatum, vt propterea neque ratione priuatæ recitationis amittat talem auctoritatem. 1 2

Multò minùs Sanctos non canonizatos, nec beatificatos poterimus inuocare in litaniis; cùm in litaniis neque possimus inuocare Sanctos beatificatos, iuxta ea quæ dicam *petit. vltima*. 3

PETITIO IX.

An in anniuersario Sanctorum non canonizatorum, neque beatificatorum possimus celebrare Missam de SS.Trinitate solemnem, vel priuatam?

SVMMARIVM.

1 *In anniuersario Sanctorum non canonizatorum, neque beatificatorum non potest celebrari Missa de SS.Trinitate solemnis, aut priuata; quia eis prohibetur omnis cultus publicus.*

2 *Sacerdos celebrans Missas in honorem huiusmodi Sanctorum impulsu deuotionis, non est damnandus in foro interiori.*

3 *Populus celebrans diem festum, vel agens aliquid simile in honorem dictorum Sanctorum impulsu deuotionis, non est damnandus; quia prohibitionibus humanis regulantur actus, qui fiunt humano modo, & non qui fiunt impulsu Spiritus sancti.*

1 Respondetur, quamvis affirment nonnulli, quos sequitur Molfesius *cons.45. n.46.* meliùs tamen negant Contelotus *de canonizat.Sanct.cap.2.*& Trullench. *lib.1.in Decalog.cap.9. dub.6. num.16.* vbi decreta Vrbani VIII. de cultu seruorum Dei sunt in obseruantia; quia in eis prohibetur in ordine ad prædictos seruos Dei omnis cultus publicus: celebrare autem Missam de SS.Trinitate, siue solemnem, siue priuatam (etiam in gratiarum actionem, quod Deus talem, vel talem seruum suum ad gloriam cœlestem transtulerit) est in cultu publico sanctitatem illius profiteri, atque adeò ei cultum publicum exhibere: ergo. Accedit, quod hoc esset in ordine ad illum procurare cultum populorum: quod obstaret beatificationi, & canonizationi ipsius; cùm in ordine ad beatificationem, & canonizationem probandum sit, quod cultus non fuerit procuratus.

2 Non damnarem tamen pro foro interiori, seu conscientiæ saltem, si in honorem illius Sacerdotes ex impulsu deuotionis celebrarent Missam, vel si populi celebrarent diem festum, vel agerent quid simile; quia prohibitionibus humanis regulantur actus, qui fiunt humano modo, non autem qui fiunt ex impulsu Spiritus sancti. Quando autem ij (ad quos non pertineret seruus Dei) sine humano impulsu aliqua ex supradictis exercerent, præsumendum est, quod exercerent ex instinctu Spiritus sancti. Sic Ioannes XXII. in Bulla canonizationis S.Thomæ de Aquino approbat factum quorundam Monachorum, qui post septem menses ab obitu eiusdem S.Thomæ in honorem ipsius, absque licentia Sedis Apostolicæ Missam de communi Confessorum celebrarant: Et *in vita S.Caroli, lib.7.c.16.* legitur, quod cùm populus Mediolanensis, in honorem S.Caroli exhiberet ea, quæ in honorem Sanctorum declaratorum exhiberi solent, Romæ prouisum fuit, quod populus in sua libertate relinqueretur; & cùm priusquam S.Carolo,& S.Philippo Nerio publicus cultus decerneretur, coram Clemente VIII. ortum fuisset dubium de cultu, qui ipsis deferebatur, & quod ipsorum imago cum radiis pingebatur. Resolutum fuit: *Nihil innouetur, & vt possidetis, ita possideatis.* Idemque coram Paulo V. anno 1615. resolutum fuit de nostro Beato Caëtano Clericorum Regularium fundatore.

PETITIO X.

An in anniuersario Sanctorum non canonizatorum, neque beatificatorum possimus habere concionem ad populum, præclara gesta, virtutes, merita, & laudes illorum efferendo?

SVMMARIVM.

1 *In anniuersario Sanctorum non canonizatorum, neque beatificatorum non possumus habere concionem ad populum, efferendo eorum virtutes, miracula, & laudes, &c. quia talis cultus videtur esse publicus, & sic prohibitus ab Ecclesia.*

2 *Nuncij Apostolici, Ordinarij, & Inquisitores possunt de facto prohibere tales conciones, si in eis recensentur miracula, reuelationes, &c.*

3 *Concio potest haberi in honorem præfatorum Sanctorum, si in ea non recenseantur miracula, reuelationes, & similia; quia in decretis Summorum Pontificum, neque alibi prohibetur celebrari laudes, virtutes, & præclara gesta alicuius: dummodo non eum ponamus in veneratione, tanquam Sanctum.*

Respondetur, quamvis affirment Hostiensis, & Innocentius *in cap.1. de reliq. & vener. Sanctor.* quos citat, & sequitur Trullench. *lib.1. in Decalog. cap.9. dub.6. num.13.* quia reuera id in se non continet cultum publicum; cùm talis laudatio in quibusdam Academiis quotannis, etiam pro viris illustribus, qui nullam sanctitatis opinionem habent, fieri consueuerit, circunstantiæ tamen videntur reddere cultum publicum; quia concio fit in Ecclesia à personis Ecclesiasticis, & consuetudo habet, quod concio non habeatur, nisi in honorem alicuius Sancti; Et esset huiusmodi concio (eo quòd excitaret populos ad colendum talem, vel talem seruum Dei) quædam procuratio cultus in ordine ad dictum seruum Dei; sicque officeret beatificationi, & canonizationi ipsius, cùm primo loco articulandum sit, quod cultus non fuerit procuratus. 1

An autem, si de facto habeatur talis concio, prohiberi possit à Nunciis Apostolicis, Ordinariis, vel Inquisitoribus, &c. 2

Respondetur affirmatiuè, si in ea narrentur miracula, reuelationes, vel gratiæ acceptæ à tali, vel tali seruo Dei, sicuti constat ex Constitutione Vrbani VIII. die 5. Iulij, anno 1634. incipiente, *Cælestis Ierusalem*, ibi: [Quocirca venerabilibus fratribus Patriarchis,&c. & Apostolicæ Sedis Nunciis, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoribus vbilibet existentibus per Apostolica scripta mandamus, vt statim atque præsentes literæ nostræ ad eorum, & cuiuslibet eorum notitiam peruenerint, in sua quisque respectiuè Diœcesi, vel Prouincia sedulò peruigilet, ne sine approbationibus prædictis imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, reuelationes, ac Beneficia prædicta publicentur, aliave contra superiùs disposita fiant.] Secus si in ea non narrentur aliqua ex supradictis prohibitis; quia neque in supradictis decretis, neque alibi merita, laudes, virtutes, & præclara gesta alicuius celebrari prohibetur: Quamvis si concio excederet prædictos terminos, & tenderet ad sanctitatem insinuandam, seu ad persuadendum, quod qui celebratur, sit vir Sanctus, tunc prohiberi possit: quia non possumus ponere aliquem in veneratione, tanquam Sanctum, nisi 3

ex

ex auctoritate Sedis Apostolicæ: vel quis saltem per hoc videtur diuulgari ille, tanquam canonizatus, vel beatificatus: Quod fieri totum non est, iuxta ea quæ dicebam petitione quarta, & dicam petitione sequenti.

PETITIO XI.

An de Sanctis non canonizatis, neque beatificatis possimus post mortem eorum edere libros, gesta, miracula, reuelationes, gratias, & alia huiusmodi eorumdem continentes?

SVMMARIVM.

1 *Libri miraculorum, reuelationum, &c. de Sanctis non canonizatis, neque beatificatis, non possunt mandari Typis sine licentia Ordinarij, cum protestationibus decreti Vrbani VIII. quod incipit, responsum.*

2 *In prædictis libris non potest tribui seruis Dei nomen Sancti, vel Beati; quia est contra stylum Curiæ, à qua tribuitur solùm nomen serui, vel ancillæ Dei.*

1 Respondetur, quamvis communiter affirment Doctores apud Molfesium *cons.* 45. *num.* 51. & constet ex praxi semper obseruata; cùm multorum, antequam Sancti declarati fuerint ab Ecclesia, vitæ, & miracula in omni sæculo scripta videantur; modò tamen, vt prædicta gesta prædictorum seruorum Dei, etiam per modum historiæ referantur, sicuti præter alios notauit Peyrinus *tom.* 3. *Priuileg. Minim. cap.* 4. *num.* 1. seruari debent, quæ præscribuntur in decretis Vrbani VIII. circa cultum istorum seruorum Dei, scilicet quod adsit approbatio Ordinarij, & circa tale negotium responsio Sedis Apostolicæ; & præterea tam in principio, quàm in fine libri apponantur protestationes præscriptæ in dictis decretis Vrbani VIII. anno 1641. per hæc verba: [Responsum, quod à Sede Apostolica in vim prædictorum decretorum expectare debent Ordinarij locorum, vt imprimi possint libri continentes gesta, miracula, seu reuelationes eorum, qui cum prædicta fama Sanctitatis, vel Martyrij decesserunt, non detur, nisi cum infrascriptis protestationibus in dictis libris, & historiis inserendis: declarando etiam expressè, quod tales libri, seu historiæ, licèt ab Ordinariis reuisæ, & post Sedis Apostolicæ responsum approbatæ, non faciant maiorem gradum probationis in ordine ad canonizationem, vel beatificationem, quàm quæ aliàs absque tali approbatione de iure fecissent, non obstante quocumque longissimi temporis cursu.]

2 Vbi aduerte circa prædictas protestationes, quod ad hoc vt gesta, miracula, vel reuelationes, &c. prædictorum seruorum Dei, qui cum opinione Sanctitatis decesserunt, imprimi possint, non sufficiant ipsæ solæ prædictæ protestationes, sed præterea requiratur approbatio Ordinarij, & responsio Sedis Apostolicæ, sicuti suprà dicebam, & clarè habetur ex iisdem decretis Vrbani VIII.

Aduerte 2. quod in prædictis libris non possit prædictis seruis Dei tribui nomen *Sancti*, vel *Beati*; quia est id contra Curiæ stylum, quæ solùm ipsis tribuit nomen *Serui*, vel *Ancillæ Dei*; tum quia sæpè sæpiùs in sacra Congregatione indicis, cùm de correctione librorum tractatur, similes tituli non permittuntur, iuxta ea quæ dicebam *petitione præcedenti*, & etiam prius *petitione* 4.

PETITIO XII.

An circa sepulturas Sanctorum non canonizatorum, neque beatificatorum possimus accendere cereos, vel lampades, aut appendere tabellas, imagines, & similia?

SVMMARIVM.

1 *Cerei, vel lampades non possunt accendi, neque appeni tabellæ, imagines, & similia circa sepulturas Sanctorum non canonizatorum, neque beatificatorum, ad exhibendum eis publicum cultum.*

2 *Cerei, lampades, & prædicta apposita in honorem huiusmodi Sanctorum possunt custodiri in sacrario, secrete tamen, eo modo, quo nullam venerationem & cultum præseferant.*

3 *Nemo cuiusuis Religionis, vel Congregationis potest recipere testificationes de miraculis dictorum Sanctorum, nisi sub sigillo secrete ipsius referentis, in cuius gratiam narrantur contigisse miracula.*

4 *Relationes de miraculis huiusmodi Sanctorum sunt transmittendæ Ordinario loci cum expressa declaratione, quod tales relationes nullum gradum faciant probationis.*

5 *Persona priuata ad ostendendam suam deuotionem offerentes tabellas, imagines, vel lampades, & cereos accedentes ad sepulchra prædictorum Sanctorum, non sunt damnanda: quia id pertinet ad sepulchri venerationem, quæ non est interdicta.*

Respondetur, quamvis affirment Molfesius *consil.* 45. *n.* 37. & Turrianus *de Fide, Spe, & Charitate, disp.* 27. *dub.* 10. quia id non continet cultum publicum, sed tantùm est signum lætitiæ, & priuatæ reuerentiæ: Quapropter etiam, quando aguntur dies festi prophani, accenduntur ignes in viis, & luminaria in fenestris ad lætitiam declarandam; Immò etiam in commemoratione omnium defunctorum apponuntur, & accenduntur cerei ad cuiuslibet defuncti sepulchrum; modò tamen post decreta Vrbani VIII. circa cultum defunctorum cum fama Sanctitatis die 13. Martij, & die 2. Octobris anni 1625. negandum est; quia id ibi prohibetur per hæc verba: [Ad horum hominum sepulchra vetuit etiam, ac inhibuit tabellas, atque imagines ex cera, aut argento, aut ex alia quacumque materia, tam pictas, quàm fictas, atque exsculptas appendi, seu affigi, & lampades, vel alia quæcumque lumina accendi sine recognitione ab Ordinario omninò prout suprà facienda, Sedique Apostolicæ referenda, ac probanda.] Videantur Barbosa *de offic. & potest. Episcop. alleg.* 97. *num.* 14. Contelor. *in addit. ad Jacobum, quæst.* 9. *art.* 1. *num.* 19. Castellinus *de canonizat. Sanct. cap.* 2. *part.* 8. §. 3. & Peyrinus 3. *tom. priuil. Minimor. cap.* 4. *num.* 1. 1

Cæterùm quamvis in prædictis præcipiatur, quod à si prædictæ lampades, tabellæ, vel imagines, &c. deferantur, custodiri debeant in secreto loco seorsim ab Ecclesia. Nihilominùs in nouissimis decretis anni 1641. permittuntur custodiri in Sacrario, secreto tamen, & eo modo, quo cultum, & venerationem non præseferant.

Videantur prædicta decreta, & videatur inter ea 3 decretum etiam sacræ Congregationis Rituum à Pontifice approbatum, & vbique, vt ipse præcipit, publi

publicandom, tenoris sequentis. [Cùm in tota Ecclesiæ gubernatione nihil maius, nihil sit augustius beatificatione, & canonizatione Sanctorum, vtpotè hominess iam demortuos, etiam cum fama sanctitatis, & miraculorum, declarare pro Sanctis, eosque vti tales colendos, & venerandos decernere. Sacra Rituum Congregatio, vt res hæc planè amplissima, atque grauissima, ritè, sanctéque conficiatur, prohibet omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis, tam sæcularibus, quàm Regularibus, etiam sancti Ioannis Hierosolym itaoi, Societatis Iesu, vel aliorum quantumvis speciali nota dignorum, ne audeant ipsi per se, vel per alios capere informationes super sanctitate, vel miraculis alicuius defuncti, neque vllo modo exquirere, vel obtinere ad hunc effectum extraiudiciales restificationes, aut subscriptiones, sub pœnis arbitrio
4 Sacræ Congregationis infligendis: Quod si Superiori, Sacristæ, vel alteri Officiali illius Ecclesiæ, in qua requiescit corpus ipsiusmet defuncti, vel alterius etiam Ecclesiæ, fuerint reuelata aliqua miracula, vel Prophetiæ dona, possint ea recipere sub sigillo secreti ab ipsis taotùm relatoribus, in quorum gratiam contigisse narrabitor: Teneantur tamen, qoamptimùm commodè poterint, eadem deferre, vel obsignata transmittere Episcopo loci, eum expressa declaratione, quod reuelationes, sicut suprà receptæ, non faciant aliquem probationis gradum, etiam cuiusvis longissimi temporis cursu.]

5 Quapropter non damnatem, si quæ personæ priuatæ ob ostendendam suam deuotionem ad sepulchrum prædictorom seruorum Dei tabellas, imagines, lampades, vel cereos offerrent, & accenderent; quia id pertinet ad sepulchri venerationem, quæ non est interdicta: Quinimò articulatur in proœmio pro beatificatiooe, vel canonizatione: tum quia Pontifex per dicta Decreta, sicuti patet ex eorom proœmio, intendit solùm tollere abusus, vt proinde Pontifex videatur solùm id interdicere Ministris Ecclesiæ. Quod etiam indicat per illa verba: *Ad illarum sepulchra lampades, & alia lumina apponuntur*; lampades enim, & alia lumina non apponuntur à personis venerantibus sepulchrum, sed à Ministris Ecclesiæ. Ergo Pontifex intelligit de aliis similibus, quæ ab iisdem Ministris Ecclesiæ apponi solent; cùm dictio, *alia*, significet similia in qualitate, *l. finali, §. cui dubia, ff. de vino, tritico, aleoque legata*, & notat præter alios Ruinus *consil.* 181. *num.* 3. Parisius *consil.* 145. *num.* 25. *lib.* 4. & Ozasches *decis.* 52. *n.* 123. tum quia abusus in hac materia consistit io eo, quod prædicta fiant ad captandum cultum popolorum: Quod solùm contingit, si prædicta apponantur à Ministris Ecclesiæ, non autem si offerantur, & accendantur à personis priuatis venerantibus sepulchrum, vti suprà dicebam.

PETITIO XIII.

An Sanctorum non canonizatorum, nec beatificatorum possimus formare, & exponere imagines?

SVMMARIVM.

1 *Imagines Sanctorum non canonizatorum, neque beatificatorum possunt formari, & exponi, dummodò fuerint sine insignibus, nempe sine diademate, radiis, & splendoribus.*
2 *Imagines Seruorum Dei cum insignibus, & radiis indicant sanctitatem.*
3 *Decretum Vrbani VIII. prohibet formare imagines huiusmodi Sanctorum non canonizatorum, neque beatificatorum cum radiis, & insignibus.*
4 *Imagines prædictorum seruorum Dei possunt exponi in Ecclesia sub Baldachino, & circumcirca ornarie, sine cereis tamen, & lampade; quia talia signa indicant sanctitatem.*
5 *Imagines Domini nostri Iesu Christi, Deiparæ Virginis Mariæ, Angelorum, Apostolorum, Euangelistarum, & aliorum Sanctorum non possunt pingi, neque vestiri alio habitu, & forma, nisi ea, qua semper vsa fuit Catholica Ecclesia.*
6 *Censura, & pœna lata contra audentes pingere tales imagines alio habitu, & forma.*

Respondetur affirmatiuè, dummodò non formemus, nec exponamus eas cum imaginibus. Bellarmin. *lib.* 1. *de Beat. Sanct. cap.* 10. Fagundez *præcept.* 1. *Eccles. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 17. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 43. *n.* 6. & Trullench. *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 8. *dub.* 6. *num.* 6. 1

Quapropter non solùm noo poterimos formare, & exponere prædictas imagines cùm diademate, sed neque etiam cum radiis, & splendoribus; quia hæc ex institutione Ecclesiæ adhibentur tanquam insignia æternæ gloriæ; ideoque pertinent ad cultum publicum. Et hoc modo certum est ex decretis Vrbani VIII. circa cultum seruorum Dei, & ex constitutione eiusdem Pontificis die 5. Iulij, anno 1634. quæ incipit, *Cœlestis Hierusalem*, ibi: [Statuimus, & decernimus, ne quotumvis hominum, cum sanctitatis, vel martyrij fama, quaotacumque illa esset, defunctorum imagines, aliaque prædicta, & quodcomque aliud venerationem, & cultum præseferens, & indicans in Oratoriis, vel locis publicis, seu priuatis, vel Ecclesiis, tam Sæcularibus, quàm Regularibus cuiuscumque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut Societatis apponerentur, antequam ab Apostolica Sede canonizarentur, aut beatificarentur.] Et etiam certum est ex Decretis editis die 13. Martij, & die 2. Octobris, anno 1625. in quibus prædicta inter abusus referuntur, ibi: [Qui etsi neque canonizationis, neqoe beatificationis honore insigniti sint ab Apostolica Sede, eorum tamen imagines in Oratoriis, atque Ecclesiis, aliisque locis publicis, aut etiam priuatis, cum laureolis, aut radiis, seu splendoribus proponuntur, &c.] 2 3

Sic igitur post dicta Decreta omninò dicendum erit, quidquid in contrarium dixerint alij, quos sequitur Molfesius *consil.* 45. *num.* 30. Qui tamen simul cum illo ante prædicta Decreta scripserunt.

Non obstat, quod possimus iuxta sensum priuatum nostrum prædictos seruos Dei habere pro Sanctis, & possimus etiam hunc sensum priuatum nostrum exprimere, eos inuocando Sanctos; quia hinc non rectè infertur, quod etiam possimus ad ostendendum hunc sensum priuatum nostrum formare, & exponere eorum imagines cum radiis, seu splendoribus; quia tunc ad exprimendum hunc sensum priuatum nostrum, non adhiberemus signa priuata, sed signa publica; cum radij, seu splendores instituti sint ab Ecclesia ad declarandam sanctitatem eorum, quos repræsentant huiusmodi imagines: Vnde tunc exprimeremus sanctitatem prædictorum seruorum Dei, non ex sensu priuato nostro, sed ex sensu Ecclesiæ: Qua simili ratione etiam, quamvis possimus ad fidelium memoriam, & reuerentiam excitandam imagines eorundem seruorum Dei ponere in Ecclesia; non tamen poterimus ante prædictas imagines cereos, seu lampades accendere; quia hoc etiam est ex institutione Ecclesiæ signum sanctitatis: Poterimus tamen prædictas imagines prædictorum seruorum Dei circumcirca ornare, & ponere sub Baldachino; quia è contra hæc signa tenentiæ non indicant sanctitatem, cùm etiam erga Principum, & Illustrium virorum imagines adhibeantur. 4

5 Cæterùm idem Vrbanus VIII. Motu proprio circa formam, & habitum sacrarum imaginum die 5.Martij anno 1642. præcipit per hæc verba: [Ne quis cuiuscumque gradus, qualitatis, ordinis, status, vel conditionis, ac dignitatis, & præeminentiæ, etiam Ecclesiasticæ, etiam indiuidua, ac speciali expressione dignæ, existat, imagines Domini nostri Iesu Christi, & Deiparæ Virginis Mariæ, ac Angelorum, Apostolorum, Euangelistarum, aliorumque Sanctorum, & Sanctarum quorumcunque sculpere, aut pingere, vel sculpi, aut pingi facere, aut ante hæc sculptas, aut pictas, & aliàs quomodolibet effictas tenere, seu publico aspectui exponere, aut vestire cum alio habitu, & forma, quàm in Catholica, & Apostolica Ecclesia ab antiquo tempore consueuit, nec etiam eom habitu peculiari alicuius ordinis Regularis, tenore præsentium prohibemus: Ac vt imagines aliter pictæ, vel sculptæ ab Ecclesiis, & aliis locis quibuslibet amoueantur, & deleantur, vel reducantur, & reformentur ad habitum, & formam in Ecclesia Catholica, & Apostolica ab antiquo tempore consuetam, vt veneratio, & cultus sic dictis imaginibus augeatur, & quæ oculis fidelium subjiciontur, oon inordinata, nec insolita appareans, sed deuotionem pariant, & pietatem; & ne exponantur in Ecclesiis quibuslibet, ac quomodolibet qualificatis, ac earum frontispiciis, & atriis, imagines prophanæ, vel aliàs indecentiam, & inhonestatem præferentes, cùm domum Dei deceat sanctitudo, præcipimus.]

Inferiùs autem præcipit omnibus Ordinariis, & Nunciis, seu Legatis, vt prædicta inuiolabiliter obseruent, præcipitque omnibus, & quibuscumque Regularibus, siue Sæcularibus, vt præmissa etiam obseruent, & obseruari faciant. Statuit etiam, quod si Regulares, seu Moniales prædictis parere neglexerint, Episcopi, & locorum Ordinarij, Metropolitani, Primates, Patriarchæ, Nuncij, & Legati Apostolici de Latere missi, tanquam in hoc à Sede Apostolica specialiter delegati, contra omnes, & singulos prædictos, & quoscumque alios quomodolibet inobedientes, & transgressores procedere, & quacumque appellatione, recursu, reclamatione, aliisque Iuris, & facti remediis ordinariis penitus, & omninò remotis, ad omnimodam obseruantiam illos, præuia

6 vnica monitione, censuris Ecclesiasticis, & aliis eorum arbitrio, & præsertim quoad loci superiores, etiam priuationis officij, & vocis actiuæ, & passiuæ, pœnis compellere possint, & debeant.

Ex dictis patet, in quo differant Sancti canonizati, & beatificati, à non canonizatis, & non beatificatis: sit nunc

SECTIO XIV.

In quonam differant Sancti canonizati à Sanctis beatificatis?

SVMMARIVM.

1 *Differentia inter Sanctos canonizatos, atque beatificatos est multiplex.*

2 *Sanctis canonizatis exhibetur cultus publicus, & solemnis simpliciter, & absolutè, non sic beatificatis.*

3 *Sancti beatificati non inscribuntur in Litaniis: ita DD. apud Fortunatum Scbaccum.*

4 *Sanctis beatificatis eriguntur Altaria, sed non Templa.*

5 *Sanctis beatificatis potest exhiberi Sacrificium Missæ, & Officium canonicum; sed limitatè quoad personas, loca, & tempora.*

6 *Dies festus non competit Sanctis beatificatis; nam obstat Decretum Alexandri VII.*

7 *Reliquiæ Sanctorum beatificatorum possunt exponi publicè, vt adorentur.*

8 *Reliquiæ ipsorum hoc ipso, quod ipsi beatificantur à Papa, approbantur, vt coli possint.*

9 *Sancti beatificati, & non canonizati, non possunt eligi in Patronos, seu Protectores alicuius Ciuitatis.*

10 *Si quis tamen ipsorum ex concessione Papæ fuerit electus, debet præcedere Sanctum canonizatum posteà electum; quia cùm in ratione Patroni, seu Protectoris sit prior tempore, debet in eadem ratione Patroni, seu Protectoris præcedere.*

11 *Possunt solùm eligi in Patronos illi Sancti, qui ab Ecclesia vniuersali titulo Sanctorum coluntur; non autem beatificati dumtaxat.*

12 *Electio Patroni ciuitatis debet fieri per secreta suffragia à populo, mediante Concilio generali illius ciuitatis, vel loci, non autem à solis Officialibus.*

13 *Episcopi consensus, & Clerici illius loci est necessarius ad electionem Patroni Ciuitatis, aut alicuius loci.*

14 *Electio Patroni Regni debet fieri per suffragia secreta à populo singularum ciuitatum Prouinciæ.*

15 *Gubernatores Prouinciarum, Proreges, & huiusmodi stantes pro Regno, Prouincia, & Ciuitate, non possunt eligere prædictos Patronos, nisi habeant ad hoc speciale mandatum, & interueniat consensus Episcopi, & Cleri dictarum Ciuitatum.*

16 *Causa electionis huiusmodi Patronorum debent deduci in Sacram Congregationem, & ab ea examinari, approbari, & confirmari.*

17 *Canonizato soli tribuitur nomen Sancti, licèt etiam vocetur Beatus; Beatificato autem solùm tribuitur nomen Beati.*

Respondetur: In hoc differunt, quod Sanctis canonizatis ab Ecclesia exhibentur præcipuè septem honores: Primus, quod in Catalogo Sanctorum scribuntur, idest, statuitur, & iubetur, quod ab omnibus publicè Sancti habeantur, & dicantur. Secundus, quod in publicis Ecclesiæ precibus inuocentur. Tertius, quod Templa, & Aræ in eorum memoriam Deo dedicentur. Quartus, quod sacrificia tum Eucharistiæ, tum laudum, & precum, quæ *horæ canonicæ* vocantur, in eorum honorem publicè offerantur. Quintus, quod dies festi in eorum memoriam celebrentur. Sextus, quod eorum imagines cùm laureolis, & splendoribus in signum gloriæ, quam in cœlis habent, pingantur. Septimus, quod eorum Reliquiæ speciosis thecis includantur, & publicè honorentur. Bellarminus *lib. 1. de Sanctorum Beatitudine, cap. 7.* Azorius *tom. 2. lib. 5. cap. 6. quæst. 8.* Fagundez *in 1. præceptum Ecclesiæ, lib. 1. cap. 3. num. 13.* & alij passim. 1

Beatificatis autem, licèt (vti patet ex dictis suprà, & ex vsu Ecclesiæ, & Bullis Pontificiis, quibus beatificantur) exhibeatur, sicut & canonizatis, cultus publicos, & solemnis; non tamen iste, qoad aliquos saltem ex septem honoribus prædictis, exhibetur simpliciter, & absolutè, sicut canonizatis, sed cum quibusdam conditionibus coarctantibus: sic Doctores communiter apud Peyrinum *tom. 1. Priuil. Minim. in Constit. 16. Leonis X. num. 2.* 2

Primus enim (qui est de inscriptione in Catalogo Sanctorum) exhibetur quidem etiam Beatificatis, si per eum intelligatur Martyrologium (vti patet ex nostro Beato Patre Caëtano in nouissimo Martyrologio Romano;) secus autem, si intelligatur quid aliud.

Secundus

3 Secundus, qui est de innocatione in publicis Ec-
clesiæ precibus, exhibetur etiam beatificatis, si per
eas intelligantur illæ, quæ in Missa, & Officio cano-
nico ipsorum dicuntur; secus si per illaa intelligantur
Litaniæ; quia in Litaniia Beatificati non inseruntur;
sic Doctores apud Fortunatum Sehaec, *de cultu, &
venerat. Seruorum Dei, lib. 1. sect. 10. cap. 3. §. verùm
non licere.*

4 Tertius, qui est de Templis, & Aris, exhibetus
etiam Beatificatis quoad Aras, non tamen quoad
Templa: Quamvis enim Beatificatia dedicentur Aræ
(cùm plura Altaria ipsis, etiam in vrbe dedicata vi-
deantur) non tamen dedicantur Templa; cùm nul-
lum Sancto Beatificato Templum dedicatum videa-
aut. Fagundez tamen *vbi suprà, num. 15.* Beatificatia
aliquando quædam Eremitoria dedicata fuisse refert,
& testatur.

5 Quartus, qui est de Sacrificio, & Officio cano-
nico, exhibetur etiam Beatificatis; at limitatus ta-
men, & coactus ad personas, loca, & tempus,
sicuti patet ex Bullis, Pontificiis, quibus beatifi-
cantur.

6 Quintus, qui est de diebus festis, licèt Fagoudez
loco suprà citato, num. 14. & 15. Suarez *tom. 1. de relig.
lib. 2. cap. 11. num. 4. & 5.* & alij velint, quod etiam
competat beatificatis, contrarium tamen, saltem
post decretum nouissimum Alexandri VII. dicen-
dum est.

7 Sextus, qui est qood eorum imagines cum lau-
reolis, & splendoribus pinguntor, conuenit etiam
Beatificatis, sicut & canonizatis, tum ea decreta
Sacræ Congregationis, tum ex iis quæ suprà di-
cebam.

8 Septimus, qui est quod Reliquiæ publicè ado-
randæ proponuntur, licèt videatur non posse com-
petere etiam Beatificatis, *ex cap. cùm ex eo, de Reli-
quiis* (vbi negatur publica veneratio reliqoiarum,
nisi à Papa approbentur) contrarium tamen non
omninò improbabiliter tenent Fagundez *vbi suprà,
num. 15. & cap. 4. num. 3.* Portell. *in dub. regular. verb.
Reliquia Sanctorum, num. 10.* ea eo, quia si Beatifica-
tis Missa, Officium, Altaria, & Imaginea cum lau-
reolis, & splendoribus (quæ maiorem, & magis pu-
blicum cultum important, quàm veneratio, etiam pu-
blica, ipsarum Reliquiarum) exhibentur, non est
cur & prædicta veneratio, etiam publica, ipsorum
Reliquiis similiter, quin multò magis non exhi-
beatur: Et *ad cap. cum ex eo*, in quo Reliquiarum,
nisi à Papa approbentur, publica veneratio denegatur,
respondent, quod sufficienter approbatæ censeantur
reliquiæ alicuius Sancti beatificati eo ipso, quod bea-
tificatus est, & Missa, Officium, ac cætera, quæ di-
cebam, ei à Papa conceduntur.

9 Cæterùm Sancti beatificati eligi non possunt in
Patronos, seu protectores alicuius ciuitatis; casu ta-
men quo quis eorum ea speciali concessione Papæ fue-
10 rit electus, debet præcedere Sanctum canonizatum
postea electum; quia cùm in ratione Patroni, seu pro-
tectoris sit prior tempore, debet in eadem ratione Pa-
troni, seu protectoris præcedere, iuxta Regulam:
Prior tempore potior est in iure. Atque ita ex declara-
tionibus Sacræ Congregationis resoluit præter alios
Pasqualigus *decis. 507.*

Et quoad electionem Sanctorum in Patronos, seu
protectores, Sacra Congregatio Rituum apud Pey-
rinom *3. tom. Priuileg. Minimor. cap. 12. in Constitu-
tione 21. Vrbani VIII.* & apud Barbosam *in collo-
ctaneis Bullarum, verb. Patronus*, die 23. Martij, anno
11 1630. annuente Vrbano VIII. decreuit: [Primò,
quod eligi possint in Patronos ij solùm, qui ab Ec-
clesia vniuersali titulo Sanctorum coluntur, non au-
12 tem beatificati dumtaxat: Secundò, quod Patroni
ciuitatis electio fieri debeat per secreta suffragia à
populo, mediante Concilio generali illius ciuitatis,
vel loci; non autem ab Officialibus solùm; & quod
accedere debeat consensus Episcopi, & Cleri illius lo- 13
ci; idemque seruari debeat per secreta suffragia à po-
pulo singularum ciuitatum Prouinciæ; & quod re- 14
præsentantibus regnum, Prouinciam, vel ciuitatem
nulla competat facultas eligendi Patronos, nisi ad hoc 15
habeant speciale mandatum, & vlteriùs interueniat
consensus Episcopi, & Cleri dictarum ciuitatum.
Tertiò, quod causæ electionis nouorum Patronorum 16
debeant in Sacram Congregationem deduci, & ab ea
examinari, ac demùm, causa cognita, ab eadem Con-
gregatione approbari, & confirmari. Et ne præmis-
sorum ignorantia vllo vnquam tempore possit allega-
ri, eadem Sacra Congregatio Rituum supradictum
decretum imprimi, & publicari mandauit.]

An autem Sancti beatificati dici possint simplici- 17
ter, & absolutè Sancti?

Respondetur, quamvis affirment nonnulli, quia eo
ipso, quòd sunt Beati, sunt etiam Sancti, tum quia ex
vsu Ecclesiæ, sicuti patet ex *Confiteor*, vbi Virgo Ma-
ter Maria, Michaël Archangelus, & Ioannes Baptista
vocantur Beati, Apostoli autem Petrus, & Paulus vo-
cantur Sancti, Beati, & Sancti confunduntur, ex vsu
tamen, & praxi Curiæ canonizato soli Sancto tribuitur
nomen *Sancti*, licet etiam vocetur Beatus, beatificato
autem solùm tribuitur nomen *Beati*: sic Doctores
communiter, quos sequitur Fortunatos Sehaccus *loco
suprà citato, ex cap. si quis hominem, 11. quæst. 3.*

At de his vide etiam nouissimum Alexandri VII.
decretum tenoris sequentis.

DECRETVM

Super cultu Beatis adhuc non canonizatis præstando, à Sacra Rit. Congregatione ordinaria, habita coram SS. D. N. Alexandro PP. VII. emanatum.

Ad aures Eminentissimorum Patrum Congregatio-
nis Sacrorum Rituum plures deuenerunt, qui patran-
tur indultorum excessus in materia præstationis cul-
tus Beatis adhuc non canonizatis.

Quamobrem eos eliminare, ac ne in futurum in-
ducantur, prouidere studentes, ad infrascripta deue-
nerunt decreta, &

I.

Quod eorumdem Beatorum imagines etiam non
principaliter, & vti supplices appositæ, simulachra,
picturæ, tabellæ, aut scripturæ eorum præclara gesta
repræsentantes, aut referentes, in Ecclesiis, sacrariis,
& oratoriis quibuscumque, & præsertim in quibus
Missæ sacrificium, vel alia diuina Officia peragun-
tur, inconsulta Sede Apostolica, nullo pacto expo-
nantur.

II.

Quod vbi indultum fuerit per Sedem Apostolicam
imagines, simolachra, pictasque tabellas in Ecclesiis
poni, & coli posse, in pariete tantùm, non autem su-
per Altari collocandi facultas tributa censeatur.

III.

Quod si concessa fuerit per eandem Sedem Apo-
stolicam altarium erectio, non autem ob id Missam,
& Officium de prædictis Beatis celebrandi, vel
recitandi facultas tradita præsumatur; etenim spe-
cifica, & expressa concessio super his præcedere
debet.

IV.

Vbi in vno loco cultus fuerit concessus, non ex-

tendatur inconsulto Pontifice ad alium locum, quauis alia concurrente auctoritate.

V.

In locis, vbi Beatos prædictos ab omnibus coli permissum fuit, non indè publica officij recitatio permissa censeatur, sed tantummodò priuata, nec satisfactoria præcepto recitationis, nisi quoad illos, quibus Sedes Apostolica de hoc indulserit.

VI.

Missæ pariter, quæ fuerint indultæ certis personis, nempe Presbyteris Regularibus, vel sæcularibus alicuius loci, vel Monasterij, seu Presbyteris alicuius Ecclesiæ seruitio præcipuè addictis, à confluentibus Sacerdotibus quauis dignitate, etiam Cardinalatus insignitis, minimè celebrentur.

VII.

Dies festi in Beatorum eorumdem memoriam non celebrentur, nisi speciali indulto Apostolico prouisum fuerit.

VIII.

Eorumdem nomina in Calendariis non apponantur, nisi illius tantùm loci, eorumque personarum, in quo, & à quibus cultus cum Officio, & Missa celebretur.

IX.

In quibusuis Ecclesiasticis precibus, etiam in oratoriis priuatis recitandis particularia eorumdem suffragia non apponantur, vel recitentur.

X.

Publicis in precibus præter indultas, & à Sede Apostolica approbatas iidem Beati non inuocentur.

XI.

Eorumdemque Reliquiæ in Processionibus minimè circumferantur.

Sacra tamen Congregatio, præsentibus declarationе, & iussione temouere non intendit cultum Beatis per communem Ecclesiæ consensum, vel per immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, virorumque Sanctorum scripta, vel temporis cursum, aut per Patrum virorumque Sanctorum scripta, vel temporis centum annorum metam excedentis scientiam, hactenùs ad tolerantiam Sedis Apost. aut Ordinariorum præstitum, ac certis modo, & forma ab eo tempore eis exhibitum. Verùm si à centum annis citrà cultus huiusmodi aliqua ex parte constiterit auctus, & extensus, eo casu Sacra eadem Congregatio eundem in pristinum reduci iubet, prout quemvis cultum extra casus prædictos, ad expressa tantùm verbaliter in Apostolicis indultis, omninò reuocari mandat, sub pœnis, &c.

Firmis quoque remanentibus decretis, nempe ne Beati in Patronos eligantur, ne eorum natalitia cum octauis celebrentur, & aliis quibuscumque à Sacra Congregatione hactenùs emanatis, quæ præsenti decreto renouantur.

His autem Sanctissimo relatis, & in Congregatione Sacra Rituum ordinaria habita coram Sanctitate sua per Eminentissimum, & Reuerendissimum D. Cardinalem Sacchettum accuratè perlectis, maturè discussis, Sanctitas sua ea approbauit, & pro omnimoda eorundem obseruatione mandauit typis imprimi, ad valuas affigi, & publicari, vt elapso termino sex mensium à die publicationis eorundem, omnes, & singulos afficiant, & arctent, ac si omnibus, & singulis eadem exhibita, vel personaliter præsentata, intimata, seu notificata fuissent. Indulsitque locorum Ordinariis, vt auctoritate Sedis Apostolicæ possint, immò debeant Sæculares, & Regulares quoscumque, quantumvis exemptos, etiam Societatis Iesu, S. Antonij Viennensis, & S. Ioannis Hierosolymitani, ac reliquos omnes speciali expressione indigentes, etiam sub censuris compellere,

Cumque aliqui nulli subdantur Episcopo, qui eos, si excesserint, coërcere valeant, eo casu à Sedis Apostolicæ nunciis, si edetint, sin minùs ab Archiepiscopis, à quorum Prouinciis, vel ab Episcopis Romano tantùm Pontifici subiectis, intra, vel propè quorum Diœcesis limites eorum Ecclesiæ, vel Monasteria sita fuerint, tanquam à Sede Apostolica delegatis ad huiusmodi decretorum obseruationem prædicti omninò cogantur. Die 27. Septembris 1659.

I. Episc. Sabinen. Card. Sacchettus.

Franciscus Maria Phœbæus Sacr. Rit. Congr. Secr. Loco sigilli.

Romæ ex Typographia Reu. Cameræ Apostolicæ 1660.

SECTIO III.

An attento Tridentino Concilio *sess. 25.* in decreto de inuocatione, veneratione, & reliquiis Sanctorum, possit Episcopus reliquias Sancti antiqui nondum canonizati approbare, easque publicè venerandas proponere?

SVMMARIVM.

1 *Episcopus attento Concilio Tridentino, secundum aliquos, potest reliquias Sancti antiqui nondum canonizati approbare, easque publicè venerandas proponere: at oppositum est probabilius, quia correctio iuris, in quantum fieri potest, vitari debet.*

2 *Decreta posteriora, si prioribus expressè non aduersentur, sunt per priora corrigenda, determinanda, atque supplenda.*

3 *Concilium Tridentinum in eo decreto profitetur se velle quod in reliquiarum veneratione stetur vsui Ecclesiæ, & decretis Conciliorum.*

4 *Episcopus, vt possit alicuius Sancti festum instituere, vel reliquias in sua Diœcesi approbare, easque publicè venerandas proponere, sufficit quod Sanctus sit canonizatus, siue per Bullam, siue per traditionem Ecclesiæ, & qui sint tales.*

5 *Sancti non canonizati, aut beneficiati reliquiæ licèt sint permixtæ cum reliquiis Sancti canonizati, vt discerni non possint; non potest tamen Episcopus omnes illas reliquias approbare, atque publicè adorandas proponere, ex communi Doctorum sententia, quamvis prima facie videatur oppositum.*

Respondetur, quod quamvis prima facie videatur affirmandum; quia quando certum erat, quod Sanctus sit canonizatus, iure communi Episcopus poterat talis Sancti reliquias approbare, easque publicè venerandas proponere. Abb. *in cap. finali, de reliq. & vener. Sanctor. circa finem,* Graff. *1. part. decis. lib. 2. cap. 14. num. 9.* & alij communiter: Ergo dum Tridentinum Concilium concedit Episcopo priuilegium reliquias de nouo repertas approbandi; intelligi debet de reliquiis Sancti nondum canonizati; cùm verba priuilegij necessariò debeant aliquid operari, *cap. si Papa, vers. Si autem, de Priuileg. in 6.* quia aliàs esset frustratorium priuilegium, vtpote quia nihil concederet, dicendum tamen sit oppositum (quod docent Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 9. cap. 8. q. 8.* Philiarcus *de offic. Sacerdot. tom. 1. part. 2. lib. 3. cap. 9. circa finem,* Suarez *tom. 1. in 3. part. q. 25. art. 6. disp. 55. sect. 2. vers. sed quaret aliquis,* & alij communiter, *scili*

ſcilicet quod Epiſcopus ſolas reliquias ſancti canonizati poſſit approbare, eaſque publicè reuerendas proponere, non autem alias.

Probatur, quia correctio iuris in quantum fieri poteſt (etiam ſi ob id verba improprientur) vitari debet: ſic DD. communiter, quos citat, & ſequitur Sanchez *de matr. lib. 2. diſp. 17. n. 6.* quod præcipuè locum habet in decretis Concilij generalis, vtpote ſatis ſatiſque maturè conſideratis, de quibus, vt eis derogatum cenſeatur, in clauſula derogatoria expreſsè mentio fieri debet: ſic DD. etiam communiter, quos citat, & ſequitur idem Sanchez *de matrim. cit. lib. 1. diſp. 26. n. 7.* Ergo cum in prædicto Tridentini Concilij decreto nulla ſit clauſula derogatoria, dici non debet, quod per decretum Concilij Tridentini derogetur decreto Concilij generalis Lateranenſis (ex quo deſumptus eſt textus *in cap. finali, de Reliq. & venerat. Sanctor.* decernens, quod Reliquiæ de nouo repertæ non adorentur publicè ſine licentia Summi Pontificis) ſed vtrumque decretum ad concordiam redigi debet, vt ſcilicet decretum Concilij generalis Lateranenſis intelligatur, ſi Reliquiæ ſint Sancti non canonizati; decretum autem Concilij Tridentini intelligatur, ſi Reliquiæ ſint Sancti canonizati.

2 Confirmatur, quia decreta poſteriora, ſi prioribus expreſsè non aduerſentur, ſunt per priora (ad hoc vt legum correctio vitetur) corrigenda, determinanda, atque ſupplenda, *l. ſed & poſteriores, ff. de legibus,* Gloſſa *ibidem, verb. Pertinent,* & alij communiter. At certum eſt, quod poſterius decretum Concilij Tridentini non ita aduerſetur priori decreto Concilij Lateranenſis, vt iuxta illud intelligi, & per illud declarari, & ſuppleri non poſſit (ſcilicet quod intelligatur de Reliquiis Sancti canonizati.) Ergo, &c.

3 Confirmatur ſecundò, quia Tridentinum Concilium in eo decreto profitetur, ſe velle, quod in Reliquiarum veneratione ſtetur vſui Eccleſiæ, & decretis Conciliorum, & dum committit Epiſcopo Reliquiarum approbationem, ait: *Hæc vt ſeruentur ſtatuit, Sancta Synodus,* &c. Et in fine nullam clauſulam derogatoriam apponit, quemadmodum quando vult derogare, apponere ſolet, vti conſtat ex eodem Concilio *ſeſſ. 7. cap. 10. de reformat. & ſeſſ. 23. cap. 10. de reformat.* & ex aliis quamplurimis locis. Ergo ſignum eſt, quod nullius Concilij generalis decretis voluerit derogari, ſed potiùs ea integrè voluerit ſeruari: ita vt tale decretum ipſiuſmet Tridentini Concilij nullum priuilegium Epiſcopo concesſerit, ſed formam (quam *infra ſect. ſequenti* referam) ab eo in reliquiis de nouo repertis approbandis ſeruandam ſolùm tradiderit.

Atque hinc patet ad rationem in contrarium in principio poſitam.

4 Aduerte tamen, quod vt Epiſcopus poſſit alicuius Sancti reliquias in ſua Diœceſi approbare, eaſque publicè venerandas proponere, ſufficit quod Sanctus ſit canonizatus, vti ſuprà *ſect. præced. corollar. 6.* dicebam, vel à Pontifice, vel ab Eccleſia modo, qui priùs ab ipſa Eccleſia olim ſeruabatur, per vniuerſalem ſcilicet ipſius Eccleſiæ conſenſum, quia id canonizationi Summi Pontificis æquipollet: ſic DD. quos ſequitur Suarez *tom. 1. in 3. p. q. 25. art. 6. diſp. 51. ſect. 2.* Et videtur eſſe ſententia Hoſtienſis *in cap. de Reliq. & venerat. Sanctor. n. 8. & in cap. finali, eod. tit. n. 9.* quatenus ibi ait, quod ideò textus dicit, eſſe ſolius Pontificis reliquias de nouo repertas approbare; quia ſi inueniretur cum eis ſcriptura, teſtans illas eſſe reliquias alicuius Sancti antiquitus approbati, poſſent illæ Reliquiæ inconſulto Pontifice venerari: eo quòd (inquit ipſe) antiquitus non ſeruabatur canonizationis ſolemnitas, quæ modò ſeruatur. Et videtur etiam eſſe ſententia Ioan. Andreæ *in eod. cap. 1. de Reliq. & vener. Sanctor. n. 6.* quatenus ibi ait, quod poſſit Epiſcopus diem feſtum alicuius Sancti inſtituere, ſi antiquitus Sanctus ille fuerit approbatus.

Vtrumque dictum igitur intelligas, ſi Sanctus ille, ſaltem Eccleſiæ antiquæ traditione, conſuetudine, & vniuerſali conſenſu approbatus fuerit (quales ſunt omnes Sancti, qui in Martyrologio Romano leguntur) vti dicebam ſuprà. Et tradunt Portellius *in dub. regular. verb. Reliquiæ Sanctorum, n. 10.* & alij communiter.

Quid autem dicendum ſit de Reliquiis Sancti tantùm beatificati, vide *ſect. præced. petitione 14.*

Petes: An ſi Reliquiæ Sancti alicuius non canonizati, nec beatificati, ita cum Reliquiis Sancti canonizati permixtæ ſint, vt diſcerni non poſſint, poſſit 5
tunc Epiſcopus omnes illas Reliquias approbare, atque publicè adorandas proponere, ratione ſcilicet connexionis, & impoſſibilis ſeparationis.

Reſpondetur, quod licet prima facie videatur affirmandum, quia dignius trahit ad ſe minùs dignum: quapropter aqua non benedicta, admixta benedictæ, remanet benedicta; & oleum non conſecratum admixtum conſecrato, remanet conſecratum, *cap. Quod in dubiis, de conſecrat. Eccleſ.* & cum gloſſa *ibidem, verbo conſecratio,* ſic Doctores communiter: tum à pari, quia licet excommunicati corpus in loco ſacro ſepultum exhumari debeat, tamen ſi ab aliorum fidelium corporibus diſcerni non poteſt, exhumari non debet, *cap. ſacr. de ſepult.* & cum gloſſa *ibidem, verbo Excommunicatorum;* ſic DD. etiam communiter, idque vt inquiunt ipſi, ratione connexionis, & impoſſibilis ſeparationis, iuxta textum *in cap. denique 14. q. 5.* dicendum tamen ſit oppoſitum, ſcilicet, quod id non poſſit Epiſcopus idque etiam ex ſententia communi Doctorum.

Probatur, quia textus *in cap. quod in dubiis,* procedit ſolùm in liquoribus, Abb. *in cap. 1. de conſecrat. Eccleſ. circa finem,* Antoninus *ibid. n. 11.* & alij Canoniſtæ communiter; vt omittam ad id requiri prætereà ex communi ſimiliter ſententia Doctorum, quod aqua benedicta mixta, vel liquor conſecratus mixtus ſit in maiori quantitate, quod in præſenti locum non habet; cum neſciamus, quarumnam Reliquiarum quantitas excedat.

Probatur ſecundò, quia textus *in cap. ſacris,* non infert, quod omnes illæ Reliquiæ ratione connexionis, & impoſſibilis ſeparationis adorandæ ſint; quandoquidem, ſi conſtaret, eſſe etiam reliquias alicuius improbi hominis, non eſſent ob connexionem, & impoſſibilem ſeparationem dictam omnes venerandæ, ſed adoratio ſolùm ferenda eſſet ad eas Reliquias, quæ ſunt tantummodò viri Sancti. At ſolùm infert, quod eæ Reliquiæ non ſint contemnendæ, & conculcandæ, ſed ſeparatim in loco aliquo decenti (ſicut de Reliquiis dubit. *ſeq. ſequenti* dicetur) cuſtodiendæ.

Atque hinc patet ad rationes in contrarium ſuprà poſitas.

SECTIO IV.

Qualiſnam certitudo veritatis Reliquiarum Sancti canonizati requiratur, vt venerari poſſint?

SVMMARIVM.

1 *In veneratione, ſeu cultu priuato Reliquiarum Sancti canonizati, ſatis eſt certitudo moralis,*

v. g. priuatum testimonium alicuius viri fide digni, vel ratio, aut coniectura aliqua ita probabilis, vt sufficiat ad prudenter iudicandum, quod ita sit; quia in rebus moralibus non requiritur maior certitudo, quàm ad exercendos alios virtutis actus.

2 *Idem dic de Reliquiis sancti non canonizati, quod vt priuatim etiam adorentur, sufficiet pariter dicta moralis certitudo. Idque etiam aliis videntibus, modò scandalum absit.*

3 *Episcopus, si loquamur de veneratione, seu cultu publico, & solemni, potest in sua Diœcesi reliquias sancti ab Ecclesia aliquo modo canonizati, tanquam veras, & ad talem Sanctum spectantes approbare; sicque publicè venerandas proponere, contra nonnullos contrarium sentientes. Quod quidem probatur ex Concilio Tridentino, & aliis iuribus allegatis.*

4 *Ad cultum tamen Reliquiarum publicum semper requiritur approbatio Ecclesiæ, sed diuersimoda. Episcopus etiam extra suam diœcesim existens, potest absque aliqua Episcopi Diœcesis, in qua tunc reperitur, licentia dictam approbationem facere, atque facultatem concedere, quod in sua Diœcesi sic approbata reliquia publicè veneranda proponantur.*

5 *Episcopus tamen ad hanc approbationem Reliquiarum faciendam tenetur adhibere in consilium Theologos, & alios viros pios, & doctos; quia sic expressè decernitur in prædicto Tridentini decreto.*

6 *Episcopus antequam definiat controuersiam super Reliquiis subortam, debet cogi Concilium Prouinciale, & illius expectare sententiam; quia tunc decisio non est solius Episcopi, sed Concilij Prouincialis.*

7 *Quæ sententia constituitur ad maiorem partem suffragiorum ex iis, qui suffragium decisiuum in Prouinciali Concilio habent; quia constitutum à maiori parte Concilij, constitutum ab ipso Concilio censetur.*

8 *Metropolitanus, & qui habent suffragium decisiuum in Prouinciali Concilio, si sententiam suam ferant seorsim, & non congregati in forma Concilij, non sufficit ob dispositionem dictam Tridentini.*

9 *Crux, quæ exponi solet in altari quandoque ornata variis Reliquiis non approbatis per Episcopum, non debet propter hoc auferri; quia Reliquiæ non adorantur per se, sed considerantur vt ipsius Crucis ornatus.*

10 *Reliquiæ quando sunt Bullis, seu literis Apostolicis, vel testimonio Episcopi Diœcesis, à qua transferuntur in aliam diœcesim, legitimè approbatæ, non est Episcopi diœcesis earum veritatem examinare; quia iam legitimè earum veritas comprobata est, sed potest solum inquirere super earum identitate.*

11 *Dubium si adhuc maneat, debita diligentia præmissa, an reuera ea reliquiæ sint alicuius Sancti, abstinendum est ab earum cultu, seu veneratione: non tamen sunt contemnendæ, sed in aliquo loco decenti separatim conseruandæ.*

12 *Quod si ab antiquis temporibus fuerint in veneratione, tunc publicè ad venerationem exponi poterunt.*

1 RESpondetur: Si loquamur de veneratione, seu cultu priuato, satis est certitudo moralis (v. g. priuatum testimonium alicuius viri fide digni, vel ratio, aut coniectura aliqua ita probabilis, vt sufficiens sit ad prudenter iudicandum, quod ita sit.) Et etiam vt absolutè, & absque aliqua conditione, priuatim tamen venerentur: sic DD. Azorius *tom. 1. instit. moral. lib. 9. cap. 8. q. 8.* Vasquez *de Adorat. Imag. lib. 3. disp. 3. cap. 8. n. 114.* Suarez *tom. 1. in 3. p. q. 25. art. 6. disp. 55. sect. 2. vers. At verò vt Reliquiæ,* Fagundez *in 1. præcept. Eccles. lib. 1. c. 4. n. 6.* & alij communiter.

Probatur, quia in rebus moralibus non requiritur maior certitudo, quàm ad exercendos alios virtutis actus; præsertim quia in nostro casu nullum formalis erroris periculum adest; cùm ratio formalis venerationis sit ipsa sanctitas, tametsi aliquando materialiter erretur.

Idemque dicas de Reliquiis Sancti non canonizati, quod scilicet (vt priuatim etiam adorentur) sufficiat similiter, si prædicta moralis certitudo sanctitatis viri, & prædicta moralis certitudo veritatis Reliquiarum illius habeatur; quia vtrobique prorsus est eadem ratio. 2

Hinc sequitur, quod licitum sit prædictas Reliquias habere, & venerari, etiam aliis videntibus, modò scandalum absit; cùm sic habeat vsus, & praxis Ecclesiæ, quia cùm Martyres moriebantur, confluebant fideles ad eorum reliquias captandas. Et similiter, cùm viri sanctitate clari moriuntur, deuotè fideles eorum manus, & pedes osculantur, & de eorundem vestibus reliquias seruant, nec id vnquam ab Ecclesia prohibitum fuit: tum quia licitum est honorare virum viuentem, si credatur sanctus: Ergo est honorare, seu venerari eum defunctum: tum quia cultus publicus qui denegatur reliquiis non approbatis, non est qui exhibetur eis publicè coram aliis, sed qui exhibetur nomine totius Ecclesiæ, tanquam ab illa institutus. Videantur quæ dicebam *suprà sect. 2. in principio, & ibidem Petitione 1. sequenti.* Videantur etiam præter alios Portell. *in dub. Regular. verb. Reliquiæ Sanctorum, n. 11.* & Peyrin. *tom. 1. Priuileg. Minimor. in constitutione 3. Leonis X. n. 3.*

Petes quid dicendum, si loquamur de veneratione, seu cultu publico, & solemni? 3

Respondetur, quod licèt tunc prima facie videatur esse dicendum, esse id solius Summi Pontificis, itavt nullus alius possit reliquias Sancti, etiam canonizati, venerandas publicè proponere, atque ad id approbare, quia textus *in cap. finali, de Reliq. & vener. Sanctor.* indefinitè, & generaliter habet, Reliquias de nouo repertas venerari non posse sine Summi Pontificis authoritate. Nec obstat, quod Tridentinum Concilium *sess. 25.* in principio, in decreto de inuocatione, veneratione, & Reliquiis Sanctorum, *circa finem*, videatur id Episcopis concedere; quia solùm ibi decernitur Reliquias nouas recipiendas non esse, nisi recognoscente & approbante Episcopo, vbi nihil Episcopo conceditur; cùm propositio sit negatiua, & dictio *nisi*, etiam quando coniungitur negationi, non affirmet: sic DD. quos refert Sanch. *de matrim. lib. 1. disp. 19. n. 5.* tum quia in fine illius decreti dictum Trident. Concil. concludit in his verbis: [Ita tamen vt nihil inconsulto Sancto Romano Pontifice nouum, aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur:] Quæ clausula, cùm sit in fine posita, refertur ad omnia præcedentia: sic DD. *in c. 1. requiris, de apost.* contrarium tamen, quod docent Philiarcus *de offic. Sacerd. tom. 1. p. 2. lib. 3. c. 9. circa fin.* Suar. *1. tom. in 3. p. q. 25. art. 6. disp. 55. sect. 1. vers. Sed quæret aliquis,* Azor. *tom. 1. Instit. moral. lib. 9. c. 8. q. 8.* & alij, dicendum sit, quod scilicet Episcopus possit in sua Diœcesi Reliquias Sancti ab Ecclesia aliquo modo canonizati, tanquam veras, & ad talem Sanctum spectantes, seu pertinentes approbare, sicque publicè venerandas proponere.

Probatur ex prædicto Tridentini Concilij decreto; quia licèt dictio *nisi*, cùm adiungitur negationi, non affirmet in promissionibus, & contractibus, affirmat tamen in reliquis aliis rebus: sic DD. quos citat, & sequitur idem Sanch. *de matrim. disp. 19. n. 3. & seqq.* vt omittam, quod etiam affirmet, si quid postea addatur affirmatiuè, vel ex materia subiecta subintellectum.

Docto

Doctores, quos sequitur Couarr. 4. *Decretal.* 2.*p.c.*4. §.1.*n.*8. atque sic est in casu nostro; quia in prædicto decreto Tridentini Concilij statim subiungitur forma, quam adhibere debet Episcopus in Reliquiis approbandis; & subinde conceditur ei ibi potestas approbandi Reliquias.

Neque obstat, quod clausula, cum in fine sit posita, referri debeat ad omnia præcedentia; quia id verum est quotiescumque in omnibus præcedentibus militat eadem ratio: sic DD. quos refert, & sequitur Sanchez *de matr. lib.* 8. *disp.* 16. *circa fin.* quod in casu nostro non contingit, cùm Concilium Episcopo priùs concesserit facultatem approbandi reliquias, quas etsi de nouo fuerint repertæ, antiquiras approbauerat, postea verò Pontifici reseruet ea, quæ vetustate non sunt probata, sed sunt noua, & insitata, in quibus multa errorum pericula reperiuntur.

Neque obstat etiam textus *in d.c.finali*; quia (sicuti *sect. preced.* dicebam) loquitur de Reliquiis Sancti non canonizati; decretum autem Tridentini Concilij loquitur de Reliquiis Sancti canonizati.

Hinc sequitur, quod licèt Sanctorum Reliquiæ de Fide, sicuti dicebam *suprà, sect.* 1. venerandæ sint, Nibilominus ad publicum ipsarum cultum (qualis est, cùm exponuntur publicè) requiratur, quod sint ab Ecclesia approbatæ, diuersimodè tamen: Nam si sint Reliquiæ Sancti non canonizati, solùm probari debent à Papa; quia sic habetur *in c. Cum ex eo, de Reliquiis.* Tum quia solius Papæ est Sanctos canonizare. Si verò sint Reliquiæ Sancti canonizati, sed nouiter inuentæ, approbati possunt ab Episcopo: Nomine autem Sancti canonizati non solùm intelligitur is, qui in canone Missæ (vnde forsan huiusmodi denominatio deriuauit) est inscriptus, vel per bullam canonizatus, sed etiam qui per antiquam Ecclesiæ traditionem, seu consuetudinem habetur tanquam Sanctus: sic Azor. *tom.*1. *c.*8.*q.*8. Sanch. *lib.*2. *moral.c.*43.*n.*11. & Barb. *de offic. & potest. Episc. alleg.* 97. *n.*11. afferens declarationem sacræ Congregationis. Tales sunt omnes Sancti, qui in Martyrologio Romano leguntur. Portell. *in dub. Regular. verb. Reliquia Sanctor. n.* 10. & alij passim.

Quid autem dicendum sit de Sanctis solùm beatificatis, ad hoc, vt eorum Reliquiæ possint similiter venerari, diceebam *suprà, sect.* 2. *petit.* 14.

4 Aduerte tamen hîc, quod Episcopus etiam extra suam diœcesim existens, possit absque aliqua Episcopi Diœcesis (in qua tunc est) licentia eam approbationem facere, atque facultatem concedere, quod in sua Diœcesi sic approbatæ publicè venerandæ proponantur; quia cùm iurisdictio hæc non sit inter partes inuitas exercenda, non est iurisdictio contentiosa, sed voluntaria: sic DD. quos citat & sequitur idem Sanchez *de matrim. lib.* 3. *disp.* 19. *n.* 7. Sed iurisdictio voluntaria, cùm per eam non videatur inuadi Territorium alterius, potest vbique siue licentia alterius exerceri: Ergo, &c.

5 Aduerte 2. quod Episcopus tamen ad hanc Reliquiarum approbationem faciendam teneatur adhibere in consilium Theologos, & alios viros pios, & doctos; quia sic expressè decernitur in prædicto Tridentini Concilij decreto, quamvis eorum voto audito, solius Episcopi sit decisio; quia Tridentinum tantùm petit, quod Episcopus eos adhibeat in consilium: At quotiescumque solùm alicuius consilium petitur, non est necesse illud sequi, cùm consultus tantùm habeat suffragium consultiuum, non autem decisiuum: sic DD. quos citat, & sequitur Sanchez *de matrim. lib.* 1 *disp.* 34. *n.* 24. Ergo, &c.

6 Aduerte 3. quod si postea grauis aliqua controuersia suboriatur, debeat cogi Concilium prouinciale, & sententia illius expectari, prinsquam Episcopus controuersiam illam definiat; quia tunc decisio non est solius Episcopi, sed Concilij prouincialis, cùm Tridentinum non petat Concilij prouincialis (sicut Theologorum) consilium, sed petat illius sententiam: Ergo.

Aduerte 4. quod hanc sententiam constituat maior pars suffragiorum ex iis, qui suffragium decisiuum in prouinciali Concilio habent; quia constitutum à maiori parte Concilij, constitutum ab ipso Concilio censetur, *c. Apostolica, dist.* 56.*cap.cùm inter Canonicos, in principio, de electione, & l. quod maior, ff. ad municip. & ibi Canonista*, hîc autem Iuristæ communiter. 7

Aduerte 5. quod non sufficiat, si Metropolitanus, & qui habent suffragium decisiuum in prouinciali Concilio, sententiam suam ferant seorsim, & non congregati in forma Concilij; quia Tridentinum expressè ait: Metropolitani, & Comprouincialium Episcoporum in Concilio prouinciali sententiam expectet: Itavt Tridentinum non solùm velit, quod illi sententiam suam ferant quomodocumque, sed quod eam ferant in Concilio prouinciali congregati: tum quia quotiescumque Concilij, vel alicuius communitatis suffragia petuntur, requiritur quod qui suffragia habent, in vnum locum publicum solemniter congregentur; aliàs non sententia Concilij, vel illius communitatis, sed sententia singulorum dicetur, *cap. in Genesi, de elect.* vbi Glossa *verbo Publicè*, & passim alij Canonistæ, *& l. aliud,* §. *refertur. ff. de regul. iur. & l. omnes populi, ff. de Iust. & Iur.* vbi Bartol. *n.* 18. *& seqq.* & passim etiam alij Iuristæ. 8

Aduerte 6. quod si soleat aliquando in altari poni Crux ornata variis Reliquiis, quæ non sint omnes ab Episcopo approbatæ, id sit, quia tunc Reliquiæ non exponuntur propter se, & vt adorentur, sed solùm ad ornatum Crucis: vnde fit, quod earum non sic habeatur ratio, vt earumdem necessariò requiratur Ordinarij approbatio, sicut necessariò requiritur, si propter se exponerentur, iuxta textum *in l. Et si non sunt,* §. *perueniamus, ff. de aur. & argent. legat.* Quatenus ibi dicitur: [Semper cùm quærimus, quid cui cedat, illud spectamus, quid cuius rei ornandæ causa adhibeatur, vt accessio cedat principali: Et tradunt Bartolus, & alij Iuristæ ibidem, quatenus aiunt, cum vnum est propter aliud, id solùm propter quod est, consideratur.] 9

Aduerte 7. quod quando Reliquiæ sunt bullis, seu literis Apostolicis, vel testimonio Episcopi Diœcesis, à qua transferuntur in aliam diœcesim, legitimè approbatæ, non sit Episcopi Diœcesis earum veritatem examinare, quia iam legitimè earum veritas comprobata est: sed sit talis Episcopi solùm examinare, an sint ex Reliquiis, quæ in bullis, seu literis Apostolicis, vel testimonio Episcopi continentur, vt sic licentiam concedat, quod in sua Diœcesi venerandæ publicè exponantur; vnde fit, quod tunc Episcopus non teneatur formam in eo Tridentini Concilij decreto traditam seruare, sed possit nemine consulto, eos titulos examinare; quia Tridentini Concilij decretum non loquitur in hoc casu, sed solùm in casu, si Reliquiæ, quæ de nouo sunt repertæ, fuerint approbandæ, sicuti ex ipso contextu apparet. 10

Aduerte 8. quod si, debita diligentia præmissa, adhuc maneat dubium, an reuera ex Reliquiæ sint alicuius Sancti, abstinendum sit ab earum cultu, seu veneratione. Armilla *verbo Canonizatio, num.* 2. Suarez *tom.* 1. *in* 3. *p. q.* 25 *art.* 6. *disp.* 55 *sect.* 2. *vers. At verò vt reliquia,* Fagundez *in* 1. *præcept. Eccles. lib.* 1. *c.* 4. *n.* 10. *& seqq.* Nald. *in sum. verb. reliquia Sanctorum, num.* 1. & alij passim. Quamvis propter dubium non sint contemnendæ, vel in ignem dejiciendæ, sed in aliquo loco decenti conseruandæ, separatim tamen, non autem permixtæ cum aliorum Sanctorum Reliquiis, neque cum eis exposita ad venerandum: sic DD. iidem quos suprà citabam. 11

Pro praxi igitur (quamvis neque in Ecclesia Regularium 12

gularium proponi publicè possint Reliquiæ Sanctorum sine Episcopi approbatione, prout ex declaratione sacræ Congregationis apud Sellium *in select. canonic. cap. 3. num. 11.* & Nouarium *in lucern. Regular. verb. reliquia, n. 3.* colligitur. Nihilominus, quando in aliqua Ecclesia fuerint aliquæ Reliquiæ, quæ ab antiquis temporibus in veneratione fuerunt, tunc tales Reliquiæ publicè proponi poterunt; quia sacra Congregatio declarauit expressè, quod Reliquiæ antiquæ habendæ sint in illa veneratione, quam hactenus habuerunt: sic Nald. *in sum. verb. reliquia Sanctorum, n. 1.* & Barbosa *de offic. & potest. Episcop. allegat. 97. n. 11.* & in Concilium Tridentinum *sess. 25. in principio, in decreto de Inuocat. venerat. & reliq. Sanctorum.* Et meritò, quia tunc possessio, & præsumptio stat pro ipsis Reliquiis.

SECTIO V.

An quis licitè possit Sanctorum Reliquias è collo suspensas gestare?

SVMMARIVM.

1 *Non solum Clerici, sed etiam laici Sanctorum Reliquias licitè possunt tangere, secum habere, & è collo suspensas gestare.*

1 Respondetur: de hac re satis dixi *suprà, dub. 218. sect. 9.* Et quidem licitum est, siue Clericis, siue laicis Sanctorum Reliquias cum reuerentia tangere (prout dicam *sect. 14.*) sicut & decenter inclusas, deuotionis gratiâ, secum habere, vel è collo suspensas gestare, prout dicebam *cit. dub. 218. sect. 9.* & tradunt Syluest. *verb. Reliquiæ, q. 4.* Nauatrus *in sum. cap. 11. n. 35.* Azor. *tom. 1. cap. 8. q. 6.* & alij, quos *ibidem* citabam.

SECTIO VI.

An si quis Sanctorum Reliquias è collo suspensas gestans peieret, aut aliter peccet, inuoluat circumstantiam in Sacramento confessionis necessariò explicandam?

SVMMARIVM.

1 *Qui cum Reliquiarum gestatione peccat, non inuoluit circumstantiam necessariò confitendam.*

1 Respondetur: de hac re etiam satis dixi eodem *loco citato*, scilicet quod si quis Reliquias è collo suspensas gestans peieret, occidat, furetur, detrahat, vel maledicta conjiciat, &c. grauiùs non peccet; quia non aduersatur directè cultui Sanctorum Reliquiarum. Quinimò neque cum Sanctorum Reliquiarum gestatione fornicari, continet circumstantiam necessariò confitendam. Naldus *in sum. verb. Reliquiæ Sanct. n. 2.* Portell. *in dub. regul. verb. Reliquia Sanct. n. 9.* Fagundez *in 1. Eccl. precept. lib. 1. c. 4. n. 13.* & alij, quos *ibid.* citabam. Quamvis in hoc venialem quandam irreuerentiam meritò agnoscant complures ipsorum. Adeò quod etiam in congressu maritali, atque adeò licito, eas esse deponendas consulant, specialiter Hobonou. *de examin. Eccl. fol. 517.*

SECTIO VII.

Qualenam peccatum sit falsas Reliquias venerandas proponere?

Respondetur: de hac re dixi *suprà dub. 219. sect. 3. coroll. 5.*

SECTIO VIII.

An Sanctorum Reliquiæ possint licitè de loco ad locum transferri?

SVMMARIVM.

1 *Reliquia Sanctorum, si iam perpetua sepultura sint tradita, non possunt de loco ad locum transferri sine licentia Summi Pontificis, Episcopi, Sanctæ Synodi, vel Canonicorum Capituli, nisi necessitas vrgeat incendij, ruinæ, vel hostium incursus, &c. quia tunc sufficit auctoritas Præsidiis prouinciæ, si commodè adiri poterit.*

Respondetur: si iam perpetuæ sepulturæ sint traditæ, non possunt licitè transferri sine Summi Pontificis, Episcopi, Sanctæ Synodi, vel Canonicorum Capituli licentia (nisi necessitas vrgeat, vt incendij, ruinæ, hostium incursus, reparationis, vel mutationis Altaris, &c. quia tunc sufficit auctoritas Præsidis prouinciæ, si commodè scilicet adiri poterit:) sic DD. communiter, quos sequitur Sayr. *in claui Reg. lib. 4. c. 7.* & constat *ex c. Corpora, de consecr. dist. 1. & ex l. 1. Cod. de reliquiis, & sumptibus fun.* [At si iam perpetuæ sepulturæ traditæ non sint, licitè ad alium locum religiosum transferri poterunt sine alicuius auctoritate, seu licentia. Ita Glos. *in cit. c. Corpora, verb. Principis,* Turrect. *ibidem,* Angel. *verb. Reliquiæ, n. 1.* Sylvest. *ibidem, q. 3.* Tabiena *n. 4.* Armilla *n. 3.* S. Antoninus *3. p. tit. 12. c. 8. circa fin.* & videri poterit Textus *in l. si necdum, C. de Reliq. & sumpt. fun.* 1

SECTIO IX.

An Sanctorum Reliquiæ licitè possint extra capsam ostendi?

SVMMARIVM.

1 *Reliquia Sanctorum non possunt licitè extra capsam ostendi, si sint antiqua; quia tunc expressè prohibetur. Cum enim ossa tunc sint vetustate consumpta, & carnibus spoliata, rudiores occasionem sumerent detrahendi, & saltem ipsorum deuotio non leuiter tepesceret.*

Resp. negatiuè, si sint antiquæ Reliquiæ, quia tunc expressè prohibetur *in c. fin. de Reliq. & venerat. Sanct.* vbi & redditur ratio, *ne in posterum detrahatur;* quia sicut ibi explicant Abb. & alij communiter Canonistæ) cùm ossa tunc vetustate sint consumpta, & carnibus spoliata, si extra capsam ostenderentur rudiores occasionem desumerent detrahendi, & existimandi, quod non sint ossa Sanctorum; quia si essent ossa Sanctorum, non passum fuissent, vt ita consumerentur: siéque saltem tepesceret non leuiter deuotio multorum: sic Ang. Sylu. & alij Summistæ *verb. Reliquia.* 1

SECTIO

SECTIO X.

An Sanctorum Reliquiæ licitè possint subripi, saltem vt in loco honorabiliori conseruentur?

SVMMARIVM.

1 *Reliquia Sanctorum nequeunt licitè subripi, etiamsi conseruanda sint in loco honorabiliori; est enim sic furtum sacrilegum; quia est rei sacræ inuito Domino subreptio.*
2 *Limita nisi reliquia reperiantur apud infideles, quibus iniustè possidentibus nulla infertur iniuria.*
3 *Limita secundò cum aliis, nisi subripiantur auctoritate, seu licentia Præfecti Ecclesiastici, cui locus sacer, & Reliquiarum custodia commissa sunt: at hac limitatio reijcitur ab Auctore, quia prædictus est custos, & non Dominus reliquiarum.*
4 *Textus in cap. Quisquis inuentus, 17. q. 4. solùm probat non incurri pœnam ibi statutam contra tales vim loco sacro inferentes, cùm reuera non fit vis, si Custos permittat subripi.*
5 *Reliquiarum furtum sacrilegum vt cognoscatur, an à peccato mortali excusetur, non solùm spectanda est quantitas reliquiarum, sed etiam qualitas, v.g. dignitas, existimatio, vel earum raritas.*
6 *Reliquias Sanctorum subripientes secundùm nonnullos incurrunt excommunicationem minorem, & nisi priùs satisfecerint, priuandi sunt communione, & ter moniti, nisi satisfecerint, puniendi sunt excommunicatione maiori: tamen dicendum est oppositum; neque enim constat ex citato textu, vtrum pœna in ea statuta sit excommunicatio minor, vel sola ab vsu Eucharistiæ separatio, &c.*
7 *Excommunicatio minor hodie nullus est casus, in quo contrahatur, præter participationem cum Excommunicato vitando, denunciato scilicet, vel publica Clerici percussore.*

1 RESpondetur negatiuè, & ita vt id sit furtum sacrilegum; quia est rei sacræ inuito Domino subreptio, Sylu. *verb. Reliquia, q. 1.* Angel. *ibid. n. 2.* Tab. *n. 3.* Armill. *n. 1.* S. Anton. *3. p. tit. 12. circa fin.* Philiarch. *de offic. Sacerd. tom. 1. p. 2. lib. 3. c. 9. circa fin.* Azor. *tom. 1. inst. moral. lib. 9. c. 8. q. 9.* & Sayr. *in claui regia, lib. 4. c. 7.*

2 Limita, nisi reliquiæ reperiantur apud infideles, quia tunc illis, cum iniustè possideat, nulla infertur iniuria.

3 Limitant secundò alij, quos sequitur Azor. *loc. sup. cit.* nisi subripiantur authoritate, seu licentia illius præfecti Ecclesiastici, cui locus sacer, & reliquiarum custodia commissa sunt; & pro sua sententia adducunt textum *in c. Quisquis inuentus, vers. Si quis domum, 17. q. 4.*

At hæc limitatio mihi non probatur; quia is, cui locus sacer, & reliquiarum custodia commissa sunt, nullum reliquiarum dominium, vel administrationem habet, sed solùm meram earum custodiam: ergo eius auctoritas, seu licentia non excusat à furto sacrilego; sicut neque authoritas, seu licentia eius, qui custodit res alterius, excusat à furto simpliciter.

4 Neque obstat textus *in cit. cap. Quisquis inuentus*, quem prò sua sententia adducunt, quia is textus id non probat, sed solùm probat, non incurri pœnam ibi statutam contra solos vim loco inferentes; cùm reuera non fit vis, si Custodis auctoritate, vel licentia quid exinde subripiatur.

5 Vbi aduerte, quod ad videndum, an Reliquiarum furtum sacrilegum à peccato mortali excusetur, necne, non solùm spectanda sit quantitas reliquiarum, sed etiā qualitas, v.g. dignitas, æstimatio moralis, vel earū raritas, &c. quia qualitas etiā aggrauat (sicut & quantitas) & forsan magis. Summistæ commonitet *verb. Reliquia.*

6 Aduerte secundò, quod licèt nonnulli, quos sequitur Azor. *tit. c. 8. q. 10.* potent, Sanctorū Reliquias subripientem incurrere excommunicationem minorem, & nisi priùs satisfecerit, priuandum esse communione, & ter monitum, nisi satisfecerit, puniendū esse excommunicatione maiori, idque probant *ex cit. c. Quisquis inuentus*, dicendum tamen sit oppositū, quod docent alij, quos sequitur Suar. *tom. 5. in 3. p. disp. 22. sect. 2. n. 9.*

Probatur, quia non constat, vtrum pœna in eo textu contenta sit excommunicatio minor, an sola ab vsu Eucharistiæ separatio. Tum quia quæcumque pœna illa sit, videtur ibi solùm lata contra fractorem Ecclesiæ, & raptorem, cum ibi dicatur: *Si quis domum Dei violauerit*, &c. & ex alio capite propriè secundùm subiectam materiam Ecclesiam violet, qui fores, vel muros Ecclesiæ, vt furetur, infringit: tum quia esto excommunicatio minor in eo textu contineatur, iam hodie, sicuti rectè adnotatuor Caiet. *verb. Excommunicat. circa fin.* Sotus *in 4. dist. 22. q. 2. art. 3.* Nauarr. *in sum. c. 27. n. 25.* Henriq. *lib. 13. de excommun. c. 1. n. 4.* Suarez *loc. sup. cit. disp. 24. sect. 3. n. 2.* & alij, nullus est in vsu casus, in 7 quo talis excommunicatio minor contrahatur, nisi præter participationem cum excommunicato vitando, denunciato scilicet, vel publico Clerici percussore, itavt nulla tergiuersatione celari, vel excusari possit.

SECTIO XI.

Qualiternam Sanctorum reliquias venales, aut causa quæstus exponi Iure prohibeatur?

SVMMARIVM.

1 *Reliquia Sanctorum venales, aut causa quæstus exponi non debent, ex textu* in c. finali, de reliquiis, & venerat. Sanctor.
2 *Reliquia Sanctorum si pretio vendantur, absque dubio est simonia, quia pretio æstimatur res sacra, & spiritualis.*
3 *Limita nisi reliquia Sanctorum sint apud infideles; quia tunc esset potiùs redemptio vexationis, quàm emptio earum; vel nisi contineantur in vasis aureis, vel argenteis, & non reliquia, sed vasa pretio æstimentur; sicut quando venditur Calix consecratus, & ratione consecrationis non augetur pretium.*
4 *Textus* in cap. finali citato, *secundùm aliquos non solùm prohibet veram reliquiarum venditionem, quia deducte pretio in pactum reliquia venduntur, vel ostenduntur; sed prohibet etiamsi nullo pacto inito, exponantur passim causa quæstus ad finem quod largiores eleemosina recipiantur, &c. Probabiliustamen est oppositum, nempe solùm prohiberi venditionem reliquiarum simoniacam.*
5 *Limitant supradictam sententiam nonnulli DD. quando finis principalis est acquisitio eleemosinarum, insistendo in illo fundamento, quod simonia sit exercere spiritualia ob stipendium, tanquam ob finem principalem; qua quidem sententia licèt sit probabilis, opposita tamen est probabilior, scilicet quod simonia non sit, si finis, etiam principalis, sit lucrum temporale, dummodò non intendatur illud, tanquam pretium rei spiritualis.*
6 *Textus recensiti non prohibent reliquiarum ostensionem, etiamsi largiorum eleemosinarum acquisitio sit finis principalis, dummodo ea non deducantur in pactum iustitia, nec intendantur tanquam eius ostensionis pretium debitum, sed solùm tanquam eleemosina gratis, vel in titulum sustentationis; quia sic intendere non est rem spiritualem pretio æstimare.*
7 *Finis quando non est mortalis, non inuoluit nisi culpam venialem, si quis v.g. desideret Episcopatum* propter

propter bona temporalia, vel exerceat spiritualia propter vanam gloriam; neque enim sic peccat peccato simonia.

8 *Qui alienat reliquias alicuius loci Ecclesiastici, probabiliter non incurrit excommunicationem, & pœnas latas in extrauaganti Ambitiosæ*, de rebus Eccles. non alien.

5 SVppono, quod textus *in cap. finali, de Reliq. & venerat. Sanctorum*, habeat, *ne exponantur venales*: & Tridentinum Concilium *sess. 25. in principio*, decreto de inuocatione, & veneratione reliquiarum Sanctorum iubeat, quod in reliquiarum veneratione omnis turpis quæstus eliminetur.

2 Suppono 2. quod si Sanctorum reliquiæ pretio vendantur, absque dubio sit simonia; quia pretio æstimatur res sacra, & spiritualis, *l. nemo, C. de sacrof. Eccles. & c. cum ex eo, de reliq.* Sanchez *lib. 2. moral. c. 43. n. 2.* Bonacina *de simonia, q. 4. n. 3.* Thesaur. *in prax. p. 2. verb. Reliquia, c. 1. §. 1.* & DD. alij communiter.

3 Excipe, nisi reliquiæ Sanctorum sint apud infideles; quia tunc non emeretur pretio Sanctum, quod est in reliquiis, sed solùm pretio dato, redimeretur vexatio, qua nos illi vexant, retinendo indecenter, & iniustè reliquias illas Sanctorum: ita DD. quos sequitur Sanchea *vbi suprà*, Vgolin. *de simon. tabul. 1. c. 38. n. 5.* & Philiarc. *de offic. Sacerd. tom. 1. p. 3. lib. 3. c. 9. circa fin.*

Excipe secundò, nisi reliquiæ contineantur in vasis aureis, vel argenteis, & tunc vendantur ratione vasorum, itavt nullo modo augeatur pretium ipsorum ratione reliquiarum; quia sic merito vasa pretio æstimantur: Qua ratione etiam vendi potest calix consecratus, si nullo modo augeatur pretium ipsius, ratione consecrationis, quam habet. Syluester, Suarez. Fillius, & alij passim, quos sequitur Bonac. *loc. suprà cit.*

Difficultas igitur est, an textus illi quos suprà adducebam, prohibeant quid amplius, quàm venditionem istam reliquiarum Sanctorum? His suppositis,

4 Respondetur, quamvis Abbas *cit. cap. finali, in princ. notab. 1.* Sylv. *verb. reliquia, q. 1.* Angelus *ibid. in princ.* Graffis *2. p. decis. lib. 2. c. 14. n. 7.* Vgolin. *cit. c. 38. circa fin.* Ioan. Andr. *eod. c. finali, de reliquiis & venerat. Sanctorum*, Antoninus *ibid. n. 4.* Ancharan. *n. 1.* Cardinalis *n. 2.* Armilla *verb. reliquia, n. 1.* Tabiena *eodem verbo, in princ.* Nauarr. *in sum. c. 57. n. 69. vers. 162.* & Philiarc. *loco suprà cit.* teneant, quod prædicti textus non solùm prohibeant veram reliquiarum venditionem, qua deducto pretio in pactum, reliquiæ venduntur, vel ostenduntur, sed etiam prohibeant, si scilicet nullo pacto inito exponantur passim causa quæstus, ad finem, quod largiores eleemosinæ recipiantur; quia hæc, inquiunt ipsi, est quædam larga reliquiarum venditio, etsi nonnulli tamen ex ipsis, vt Armilla, Tabiena, & Nauarrus limitent, quando propter maiores istas eleemosinas reliquiæ principaliter ostenduntur, secus quando esset finis minùs principalis, sed finis principalis esset cultus Sanctorum in gloriam Dei, & finis minùs principalis esset lucrum temporale. Ad eum modum, quo Clericus ad chorum accedens principaliter propter lucrum temporale est simoniacus, secus si lucrum temporale sit causa minùs principalis, seu conditio, sine qua non, quæ limitatio secura est: sic DD. communiter, quos sequitur Pottell. *in dub. regul. verb. reliquia Sanctorum, n. 3.* Probabilius est oppositum, quod scilicet prædicti textus prohibeant solùm venditionem reliquiarum simoniacam, quæ scilicet est quando pretio in pactum iustitiæ deducto, ostenduntur, vel venduntur, iuxta ea quæ ad mentem S. Thomæ 2. 2. q. 100. *art. 1. ad 5.* & in opusculo ad Doctissam Brabantiæ dicebam in tractatu de simonia, scilicet quod ad simoniã (sicuti etiam ad vsuram) non sufficiat spes, quin neque pactum amicitiæ, gratitudinis, vel fidelitatis, &c. ex quo nascatur debitum, seu obligatio quædam antidotalis (itavt qui postea non seruauerit pactum, dicatur, vel accusetur solùm, tanquam ingratus, aut infidelis) sed requiratur pactum rigorosæ iustitiæ, ex quo nascatur debitum, seu obligatio rigorosæ iustitiæ (ita vt qui postea non seruauerit pactum, dicatur, vel accusetur tanquam iniustus) quamvis (vt ibidem subdebam) in praxi non sit facilè concedendum pactum amicitiæ, gratitudinis, vel fidelitatis, &c. in huiusmodi rebus; quia sic facilè palliarentur simoniæ, & vsuræ. Quapropter in foro externo condemnarentur huiusmodi pactiones, tanquam simoniacæ, vel vsurariæ.

Probatur, quia textus *in cap. finali*, solùm habet, *ne exponantur venales*, & Tridentinum Concilium nihil innouat, sed tantùm iubet, quod *in reliquiarum venditione omnis turpis quæstus eliminetur*; atque ita Glossa *in eod. cap. finali, verb. venales*, & Hostiensis *ibid. in princ.* reddunt rationem, eo quod pretio æstimari non possunt absque simonia; quare DD. qui limitant quando finis principalis est acquisitio eleemosinarum, innituntur fundamento, quod simonia sit exercere spiritualia ob stipendium, tanquam ob finem principalem: quæ sententia licet, vt fatear, sit communis, & probabilis, non tamen est ita probabilis, quin opposita non sit etiam probabilis, imò & forsan probabilior; scilicet quod simonia non sit, etiamsi finis principalis sit lucrum temporale, sed tantùm simonia sit, si solùm intendatur lucrum, tanquam pretium rei spiritualis; quia reuera non est emere, vel vendere, quando non intenditur lucrum, tanquam pretium rei spiritualis; sed intenditur, tanquam stipendium sustentationis, (etiam cum pacto iustitiæ rigorosæ) vel intenditur tanquam eleemosina gratis oblata, etiam cum spe quam maxima talis eleemosinæ: Quod iuxta ea, quæ *in citato tractatu de simonia* dicebam, præter alios ad mentem S. Thomæ *vbi suprà*, docet Sotus *de iust. & iur. lib. 9. q. 6. art. 2. circa fin. corporis*, Sanchez *lib. 2. moral. c. 43. n. 2.* Pottellus *in dub. Regul. verb. reliquia Sanctor. n. 3.* & Peirinus *tom. 3. priuil. Minim. c. 4. n. 2.*

Quapropter arbitror, quod prædicti textus, quos *suprà* adducebam, non prohibeant reliquiarum ostensionem, etiamsi largiorum eleemosinarum acquisitio sit finis principalis, dummodo eæ non deducantur in pactum iustitiæ (excepto si titulo sustentationis) nec intendantur, tanquam eius ostensionis pretium debitum, sed solùm tanquam eleemosinæ gratis, & ea reliquiarum deuotione oblatæ; quia hoc principaliter intendere, non est reliquias pretio æstimare, vel venales exponere; atque adeò sic intendere principaliter eas eleemosinas, non est simonia, quin neque alterius generis peccatum mortale, sed solùm veniale; siquidem est solùm prauæ ad finem ordinationis culpa; quæ quando finis non est mortalis, non inuoluit nisi culpam venialem; vt si quis v. g. desideret Episcopatum, vel quodcumque aliud beneficium, non propter finem honestum spiritualem principalem, sed propter finem vtilem minùs principalem: vel si quis desideret matrimonium, non propter finem honestum probis principalem, sed propter finem vtilem, vel delectabilem minùs principalem; vel si quis tandem exerceat spiritualia propter vanam gloriam, & similia. 6 7

Videri poterit præter alios Caiet. 2. 2. q. 148. *art. 2. vers. sed occurrit hic.*

An autem qui reliquias, quæ sunt alicuius loci Ecclesiastici, vendunt, vel quomodolibet alienant, sicut & qui eas recipiunt, incurrant excommunicationem, & pœnas latas *in extrau. ambitiosæ, de reb. Eccl. non alien.*

8 Respondetur, licèt affirment nonnulli; quia sunt res mobiles pretiosæ, quæ seruando seruari possunt: sic Genuensis *in prax. c. 56. n. 4. & seqq.* & Thes. *in praxi, part. 2. verb. reliquia, cap. 1. §. 1.* Qui tamen limitant, id intelligendum esse de reliquiis muro clausis, vel insignibus, aut de ipsarum partibus notabilibus, vel perpetuæ sepulturæ traditis. Non omninò tamen

tamen improbabiliter negant alij; quia dicta Extrauagans solùm videtur loqui de bonis temporalibus pretio æstimsbilibus: sic Bonacina *de alienat. bonor. Eccles. punct. 2. n. 3 1.* & Bord. *resol. 27. n. 61.* Quibus tamen Curiæ stylus aduersari videtur.

SECTIO XII.

An Clericus in ordinibus minoribus constitutus licitè possit Sanctorum Reliquias tangere, seu contrectare: vbi etiam an licitè possit vasa sacra, in quibus illæ continentur, in Processionibus portare?

SVMMARIVM.

1 *Clericus in ordinibus minoribus constitutus licitè potest Sanctorum Reliquias tangere, seu contrectare, non obstante S. Gregory auctoritate, lib. 3. epist. 13. vbi locutus est de sui temporibus, in quibus nemo etiam in ordinibus sacris constitutus licitè poterat Sanctorum corpora, ossa, vel eorum quascumque particulas è loco amouere, transferre, vel portare, &c.*

2 *Clericus, imò neque laïcus damnandus est de peccato mortali, si Sanctorum reliquias, piè tamen, & religiosè tangat, seu contrectet, sicque eas, quas apud se habet in Reliquiarij capsis, seu cellulis includat. Secus si irreligiosè, vel per contemptum.*

3 *Laïcus, si piè, & religiosè reliquias tangat, vel contrectet, neque committit peccatum veniale; quia nullibi id interdictum in iure reperitur.*

4 *Clericus in minoribus ordinibus constitutus, licitè etiam potest vasa sacra, in quibus Sanctorum reliquia continentur, in Processionibus portare.*

5 *Vasa sacra intelliguntur in Iure solùm Calices, & Patena.*

1 RESPONDETUR, quod quamuis S. Gregorius *lib. 3. Epistolarum, epist. 13.* dicat intolerabile esse, & sacrilegium, si quis Sanctorum corpora tangere voluerit; asserenda nihilominus sit pars affirmatiua, quam tradunt Doctores, quos sequitur Azorius *tom. 1. Instit. moral. lib. 9. cap. 9. quæst. 5.*

Probatur, quia S. Gregorius ibi loquutus est de lis temporibus, in quibus nemo, etiam in ordinibus sacris constitutus, licitè poterat Sanctorum corpora, ossa, vel eorum quascumque particulas è loco amouere, transferre, vel portare, &c. Sed iam hodie vsu introductum est, quod Reliquiæ Sanctorum è loco smoueantur, transferantur, & è collo pendentes portentur, &c. ergo non est de peccato mortali damnandus

2 Clericus in ordinibus minoribus constitutus, quin neque etiam laïcus, si Sanctorum Reliquias (piè tamen & religiosè) tangat, seu contrectet; sicque eas, quas apud se habet, in Reliquiarij capsulis, seu cellulis includat; secus si irreligiosè, vel per contemptum.

3 Et hoc adeò verum est, quod si quis, etiam laïcus, priori modo (scilicet piè & religiosè) eas tangat, non committat neque etiam peccatum veniale; quia nullibi id interdictum in iure reperitur.

4 Petes: an Clericus in ordinibus minoribus constitutus licitè etiam possit vasa sacra, in quibus Sanctorum Reliquiæ continentur, in Processionibus portare?

Respondetur etiam affirmatiuè, quia licèt in Concilio Bracharensi *primo, cap. 28.* quod refertur *in c. Non liceat 1. dist. 23.* sic dicatur: *Non liceat lectoribus sacra Altaris vasa portare*: vbi Glossa *verbo portare*, Archidiaconus *ibidem, num. vnic.* & nonnulli alij Canonistæ explicant *in Processionibus*, dicuntque vocari vasa sacra, in quibus Sanctorum Reliquiæ continentur, & S. Antoninus *3. p. tit. 14. c. 12. §. 4.* Sylv. *verb. Eucharistia 3. §. 4.* Tab. *verb. Communicare, quæst. 51.* & Palud. *in 4. dist. 13. q. 1. n. 15.* inquiunt, sacra Reliquiarum vasa tangere non licere laïcis, sed solis Acolytis. Meliùs tamen explicant textum illum Turrecrem. *in eodem cap. Non liceat, num. vnic.* & alij, quos sequitur Graffius *2. p. decis. lib. 2. c. 14. n. 8.* Nomine scilicet sacrorum Altaris vasorum intelligi Calicem, & Patenam; quia hæc sola sacra Altaris vasa dicuntur.

5 Accedit, quod esto olim fuerit ea prohibitio, iam hodie (subduot ipsi) vsu receptum est, quod Acolyti sacra Reliquiarum vasa in Processionibus portent: Ergo, &c.

Hinc probabiliter arbitror, quod nulla sit culpa, etiam venialis, etiamsi laïcis (reuerenter tamen) ea in Processionibus (sicut Cruces, & Imagines tangunt, & portant) similiter tangant, & portent; quia quemadmodum ad mentem Turrecrematæ, Graffij, & aliorum dicebam, id nullibi prohibitum in iure reperitur; & dato quod olim fuerit prohibitum, iam nunc hodie est vsus in contrarium introductus.

SECTIO XIII.

Quænam decreta extent quoad Reliquias Sanctorum?

SVMMARIVM.

1 *Extant nonnulla Decreta Vicarij Vrbis Romæ de mandato Pauli V. prohibentia, ne quis audeat extrahere Reliquias, etiam in minima parte, de Catacumbis, & Cryptis. Quæ decreta extenduntur ad alios.*

2 *Præter cæteras pœnas, in quas incurrunt extrahentes Reliquias, vel fauorem præbentes, & consentientes vt extrahantur, extat etiam excommunicatio reseruata Summo Pontifici.*

3 *Regulares extrahentes illicitè Reliquias, vel fauorem præbentes in earum extractione, priuantur voce actiua, & passiua, & redduntur inhabiles ad dignitates suæ Religionis.*

4 *Huiusmodi edictum ligat etiam extraneos Romam venientes, & est perpetuum: Nam fuit editum per modum legis, & statuti.*

5 *Facultates concessa à Pontifice viua vocis oracula de extrahendis Reliquiis, nemini suffragantur, nisi de licentia Vicarij Vrbis Romæ in scriptis obtenta.*

6 *Notarij Officiorum Domini facientes fidem de huiusmodi reliquiis sine licentia Vicarij Vrbis Romæ, incurrunt in pœnas priuationis Officij.*

7 *Notarij substituti in pœnas scutorum 500. incurrunt.*

8 *Quoad extractionem reliquiarum pro Prouincia Mediolanensi extat prohibitio Gregorij XIII.*

9 *Reliquia Sanctorum non possunt radi, & dari in potum infirmis.*

RESPONDETUR: extat decretum, seu potiùs Vicarij Vrbis Romæ de mandato Pauli V. anno 1613. *die 24. August.* editum, in quo cauetur, ne quis audeat, vel præsumat intrare in aliquam ex Cryptis, Catacumbis, vel Cœmeteriis intra, vel extra Vrbem Romam existentibus, neque de illis extrahere reliquias etiam in minima particula, seu quantitate, neque ad id præstare auxilium, vel fauorem sub pœna triremium, & sub aliis pœnis arbitrio Vicarij ipso facto incurrendis, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Quæ prædictæ pœnæ, & censuræ extenduntur in omnes, ad quorum instantiam extractio facta, vel attentata fuerit; & in complices, & in recipientes scienter prædictas reliquias illicitè extractas modo quo suprà, & absolutio prædictarum pœnarum reseruatur Pontifici. In Regulares autem vltra prædictas pœnas imponitur ipso facto priuatio vocis

actiuæ, & passiuæ, & inhabilitas ad dignitates, & gubernationes suæ Religionis. Dispensatio, vel habilitatio reseruatur similiter eidem Pontifici. Bonac. *de censur. in particular. disp. 2. q. 3. punct. 13. §. incidenc*, &
4 Thesaur. *in prax. p. 2. verb. Reliquia, c. 1. §. 1.* qui rectè subdunt, quod tale decretum, seu potiùs edictum liget etiam extraneos Romam venientes, siique perpetuum; quia edictum est per modum legis, seu statuti.

5 Extat etiam decretum, seu potiùs eiusdem Vicarij Vrbis Romæ de mandato eiusdem Pauli V. anno 1614. die 16. Maij editum, in quo statuitur, ne quis vigore licentiarum à Papa viuæ vocis oraculo ante duos menses proximos concessarum, possit reliquias extrahere de Ecclesiis, Monasteriis, locis piis, cryptis, vel cæmeteriis intra, vel extra Vrbem Romam existentibus, aliàs incurrat excommunicationem ipso facto Papæ reseruatam: eaque extenditur in eos, qui prædictarum Ecclesiarum, aut locorum curam, seu gubernationem habent, si extractionem permiserint, seu
6 extractioni consenserint. Thesaur. *vbi suprà, n. 3.* Insuper in eodem decreto, seu potiùs edicto prohibetur, ne quis sæcularis, aut regularis vllam fidem, vel testimonium, vel instrumentum, vel scripturam publicam, aut priuatam extractionis, donationis, consignationis, translationis, vel alterius contractus, vel scripturæ (vbi fiat mentio reliquiarum) faciat, nisi cum licentia in scriptis eiusdem Vicarij Vrbis, non suffragante quacumque Sedis Apostolicæ licentia aliter emanata; & ibidem in transgressores statutæ sunt pœnæ ipso facto incurrendæ; scilicet in Dominos Officiorum pœna
7 priuationis Officiorum; in Notarios, & substitutos pœna 500. scutorum; in Regulares autem pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ in perpetuum, & pœna exilij ab omni statu Ecclesiæ Romanæ. Thesaur. etiam *vbi suprà, n. 4.*

8 Et quoad extractionem pro Prouincia Mediolanensi extat prohibitio Gregorij XIII. apud Barbosam *de offic. & potest. Episc. alleg. 50. n. 158.* quam moderata est Sacra Congregatio ex Papa Sixto V. sicuti refert Gauantus *in manuali, verb. Reliquia Sanctorum, numero 36.*

9 Et quod reliquiæ Sanctorum non possint radi, vt ipsarum rasuræ dentur infirmis in potum, extat declaratio Sacræ Congregationis Episcoporum, & regularium, sicuti refert idem Gauantus *vbi suprà, num. 34.*

SECTIO XIV.

Quidnam dicendum de reliquiis, quas Agnos Dei nominamus; quisnam scilicet licitè possit eos tangere, seu contrectare?

SVMMARIVM.

1 *Subdiaconi soli licitè possunt tangere, & contrectare Agnos Dei; quia ij non solùm oratione Pontificia sunt sacri, & benedicti; sed etiam oleo sacro, & chrismate instar calicum consecrati.*

2 *Laïci etiamsi absque contemptu, sed piè, & reuerenter eos tangant seu contrectent, non peccant mortaliter.*

3 *Fœminæ pariter si absque contemptu, sed piè, & religiosè tangant, seu contrectent etiam corporalia, & calices, non peccant mortaliter; Canones enim id prohibentes intelliguntur solùm de consilio, non de præcepto, consequenter neque peccant, si tangant Agnos Dei, neque mortaliter, neque venialiter, maximè ad eorum ornatum.*

4 *Agni ne pingantur, inficiantur, minio notentur, &c. prohibuit Gregorius XIII. sub excommunicatione latæ sententiæ.*

5 *Agnos Dei depictos tenere, seu habere, postquam depingens iam semel incidit in dictam excommunicationem, iam non est iterum prohibitum sub censura, contra nonnullos; nam citato motu proprio prohiberi tantùm eos depictos teneri, vel haberi venales, constat, &c.*

6 *Item dum Pontifex interdicit, Agnos Dei venales haberi, intelligitur de venditione simoniaca, qualis est si vendantur, vel pluris vendantur ratione benedictionis; secus si vendantur ratione solius materiæ, vel expensarum, vel laboris.*

7 *Excommunicatio prædicta pingendi, seu retinendi depictos Agnos Dei venales, cùm à multis ignoretur, non obligat extra vrbem, cum alibi non fuerit vsu recepta; quia passim venduntur depicti.*

RESpondetur, quod licitè tangere, seu contrectare 1
eos possint soli subdiaconi: sic DD. communiter, quos sequitur Axor. *tom. 1. Instit. moral. lib. 9. cap. 6. quæst. 3.*

Probatur, quia prædicti Agni Dei non solùm oratione Pontificia sunt sacri, & benedicti, sed etiam oleo sacro, & chrismate, instar calicum consecrati: ergo sicut ob hanc rationem soli subdiaconi possunt licitè tangere, seu contrectare calices, ita similiter & soli subdiaconi licitè poterunt tangere, seu contrectare Agnos Dei.

Aduerte tamen, quod si qui alij, etiam laïci, absque 2
contemptu, sed piè, & reuerenter eos tangant, seu contrectent, non peccent mortaliter: sic DD. quos sequitur idem Azor. *loco suprà citato*; Præsertim quia Sotus *in 4. dist. 13. q. 2. art. 1. cap. 3. ad 3.* quem nonnulli 3
alij sequuntur, tenent quod & fœminæ (si similiter absque contemptu, sed piè, & religiosè) tangant, seu contrectent etiam corporalia, & calices, neque peccent mortaliter; & Canones id prohibentes intelligantur solùm de consilio: ergo multò minùs ad mentem Soti, & aliorum, qui eum sequuntur) peccabunt mortaliter, si eodem modo (sine contemptu scilicet, sed piè, & religiosè) tangant, seu contrectent Agnos Dei: Quinimò arbitror quod neque peccent venialiter, eo quòd hodie iam vsu introductum fuerit prædictos Agnos Dei etiam à laïcis fœminis passim tangi, seu contrectari, præsertim vt ornentur, & vestiantur.

Aduerte secundò, quod Gregorius XIII. in quodam 4
motu proprio incipiente, *Omni certè studio*, quem referunt Quaranta *in sum. Bullar. verb. Agnus Dei*, Azor. *tom. 1. Instit. moral. lib. 9. c. 9. q. 1.* & Lauorius *de Iubilae, cap. 23. n. 88.* sub excommunicatione latæ sententiæ interdicat quibuscumque dignitate præditis Agnos Dei depingere, inficere, minio notare, vel aurum, aut colorem aliquem imponere, vel quidquam aliud superinducere, vel depingi, aut miniari facere, vel illos venales proponere, seu tenere; & vlteriùs præcipiat eos albos, & mundos, decenter, ac reuerenter à cunctis haberi, deferri, & custodiri.

Aduerte tertiò, quod postquam tamen quis in ex- 5
communicationem prædictam inciderit, eos depingendo, vel miniando, &c. non videatur vlteriùs interdici, eos depictos, vel miniatos, &c. tenere, vel alteri dono dare (qui multò magis eos licitè teneat) quia non ob id illi destrui debent. Fagund. *præcept. 1. lib. 1. c. 4. n. 25.* Scortia *in Bullas Pontific. Theoremat. 330.* & Bonacina *tom. 5. disp. 2. q. 2. punct. 19. n. 2.* Quidquid in contrarium dixerint alij, quos sequitur Reynerius *in Catalogo censurarum, cap. 9. Excommunic. 64. circa finem.*

Non obstat, quod in eo Motu Pontifex interdicat, eos Agnos Dei *teneri*; quia tale infinitum (vt patet ex contextu) coniungitur cum dictione sequenti, *venales*; itavt interdicat illos teneri, seu proponi venales.

Non obstat 2. quod Pontifex in dicto motu concludat,

dat, agnos illos habendos, deferendos, & custodiendos albos, ac mundos; quia per id Pontifex solùm intendit, non esse illos depingendos, vel miniandos, &c. sed esse (sicuti à Pontifice sunt benedicti) custodiendos, ita tamen, quod vbi quis eos depingendo, vel miniando, &c. peccauerit, non interdicatur vlterius eos sic depictos, vel miniatos, &c. tenere, dummodò venales non teneat, quia nun ob id illi destrui debent, sicuti dicebam.

Aduerte 4. quod dum Pontifex in eo motu proprio
6 interdicit, Agnos Dei venales haberi, intelligatur de venditione simoniaca, qualis est, si vendantur, vel pluris vendantur ratione benedictionis; secus si vendantur ratione solius materiæ (ex qua conficiuntur) vel ratione expensarum in iis conficiendis, vel ratione laboris in iisdem Roma transportandis. Flauius Cherubinus in compendio Bullarum, *tom. 2. const. 2. Gregorij XIII. scholio 1.* Homobon. *de examine Eccles. part. 2. tract. 9. cap. 5. quæst. 9.* Suarez *de Relig. tom. 1. tract. 3. lib. 4. c. 14. n. 6.* Naldus *in sum. verb. sortilegium, n. 9.* Bonacina *tom. 3. disp. 2. q. 2. punct. 29. n. 2.* Villal. *tom. 2. tract. 37. difficult. 11. num. 4.* & alij, quidquid in contrarium dixerint alij, quos sequitur Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 9. cap. 9. q. 4.* quia prædictus motus proprius Gregorij XIII. nullam specialem prohibitionem venditionis, quæ aliàs non erat Simoniaca, inuoluit, sed solam vendentibus excommunicationem indicit.

7 Aduerte 5. quod nonnulli, quos sequitur Pilliue. *tom. 1. tract. 14. cap. 6. n. 9.* teneant, quod prædicta excommunicatio (cùm à multis ignoretur, & omittatur) non fuerit extra vrbem vsu recepta; quia passim videntur Agni Dei depicti, quos non est verisimile depictos fuisse de licentia Pontificis: Quamvis alij, quos sequitur Fagundez *precept. 1. lib. 1. c. 4. n. 55.* sentiant oppositum, quod scilicet sit in viridi obseruantia; etsi non sit reseruata Pontifici, quemadmodum rectè ex multis notauit Barbosa *de potest. Episc. part. 3. alleg. 50. n. 150.*

SECTIO XV.

Quid dicendum de Decreto Gregorij XV. quod die 2. Iunij, anno 1622. de Conceptione B. Virginis editum est. Vbi Pontifex confirmando Decretum Pauli V. per quod fuerat mandatum, neminem audere in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & aliis quibuscumque actibus publicis asserere, quod B. Virgo fuerit concepta in peccato originali, & contrauenientes voluit, & declarauit subiacere, & de nouo subiecit censuris, & pœnis in constitutionibus suorum prædecessorum, & in suo ipso facto incurrendis, & extendit, atque ampliauit ad colloquia, & scripta etiam priuata. *Verba autem huius decreti sunt hæc.*

SAnctissimus Dominus noster post longam, & maturam discussionem, auditis votis DD. Cardinalium contra hæreticam prauitatem generaliū Inquisitorum, re accuratè, ac diligenter propensa, prouidè considerans, quod quamvis in Constitutione Sixti IV. super Conceptione Beatissimæ Virginis Mariæ pro remouendis inter Christi fideles scandalis, rixis, & contentionibus edita, à sancta Tridentina Synodo innouata; & deinde in alia Constitutione Pij V. super eadem re, quas similiter Sanctitas sua innouauit cum quibusdam prouisionibus, & adiectionibus pœnarum pro efficaciori earum obseruatione, relinquebatur vnicuique libera facultas tenēdi, & etiam asserendi vtramque partem, quod scilicet fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali, dum tamen neutra veluti erronea, vel hæretica damnaretur; Nihilominùs quia ex occasione assertionis affirmatiuæ in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & actibus publicis, quod eadem Beatissima Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in populo Christiano cum magna Dei offensa scandala, iurgia, & dissensiones. Propterea volens huiusmodi scandalis ex debito sui muneris prouidere, decreuit, & præcepit, ac præsentis decreti virtute mandat, & præcipit omnibus, & singulis cuiusvis ordinis, & instituti Regularibus, & aliis quibuscumque, tam Ecclesiasticis, quàm Sæcularibus personis, cuiusvis conditionis, status, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quam Sæcularis, etiamsi specialis, specifica, & indiuidua earum esset necessariò mentio facienda: Vt in posterum, donec articulus huiusmodi à sancta Sede Apostolica fuerit diffinitus, vel per Sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & aliis quibuscumque actibus publicis asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali. Contrafacientes autem eadem Sanctitas sua voluit, & declarauit subiacere debere, & subiecit censuris, & pœnis contentis in supradictis constitutionibus suorum prædecessorum, & sua ipso facto incurrendis. Per huiusmodi tamen prouisionem Sanctitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei vllum prorsùs præiudicium inferre: eam relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus de præsenti reperitur, præterquam quoad suprà disposita. Vlteriùs sub eisdem censuris, & pœnis mandans, quod negatiuam opinionem, videlicet quod non fuerit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent. Insuper voluit, & expressè mandauit, vt extra hos casus expressos publicorum actuū, in reliquis omnibus supradictæ constitutiones firmæ, & illæsæ remaneant, & exactè obseruentur, perinde ac si præsens decretum non emanasset. Et ita decreuit, & mandauit vbique inuiolabiliter obseruari, non obstantibus in hac parte supradictis constitutionibus, & aliis omnibus in contrarium facientibus, &c.

Hoc suo præsenti Decreto ex eisdem causis euitandi scandala, dissensiones, atque discordias in populo Christiano, quæ pari ratione oriri possunt, & vt accepit, in aliquibus regionibus iam ortæ sunt ex sermonibus priuatis occasione assertionis affirmatiuæ, extendit, & ampliauit etiam ad priuata colloquia, & scripta, mandans, & præcipiens omnibus, & singulis supradictis, ne de cætero, donec articulus huiusmodi à Sede Apostolica fuerit aliter ordinatus, neque etiam in sermonibus, & scriptis priuatis audeant asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere, seu tractare, exceptis tamen quibus à sancta Sede Apostolica fuerit super hoc specialiter indultum: Per hoc tamen Sanctitas sua non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei vllum prorsùs præiudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus reperitur, præterquam quoad in supradicto Fel. record. Pauli V. & hoc suo decreto disposita. Eademque Sanctitas sua voluit, & expressè mandauit, vt in reliquis omnibus, vbi huiusmodi decretis non aduersantur, Constitutiones Sixti IV. Alexandri VI. & Pij V. ac Pauli V. eius prædecessorum super Conceptione Beatissimæ Virginis firmæ, & illibatæ remaneant, ac exactè obseruentur, perinde ac si huiusmodi decretum non emanasset. Et insuper eadem Sanctitas sua, cùm sancta Romana Ecclesia de Beatissimæ Virginis Conceptione festum solemnizet, & Officium celebret, omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis, tam sæcularibus, quàm cuiusvis ordinis, & instituti Regularibus mandat, ac præcipit, vt in sacrosancto Missæ Sacrificio, ac di-

uino officio celebrandis, tam publicè, quàm priuatim, non alio, quàm conceptionis numine vti debeant. Contrauenientes autem Sanctitas sua voluit, & declarauit subjacere debere, & subjecit censuris, & pœnis contentis in supradictis constitutionibus, ac præfato decreto suorum prædecessorum, ipso facto incurrendis. Et ita decreuit, & mandauit vbique inuiolabiliter obseruari, non obstantibus in hac parte constitutionibus suprascriptis, decreto præfato Pauli V. consuetudinibus etiam immemorabilibus, necnon omnibus, & singulis, quæ prædecessores prædicti voluerunt non obstare, ac aliis quibuscumque in contrarium facientibus. Volens, & decernens pro obseruatione, & executione præsentis decreti, & omnium in eo contentorum, quod contra huiusmodi transgressores etiam Regulares cuiusvis ordinis, & instituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias quascumque personas Ecclesiasticas, status, conditionis, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quàm Sæcularis, tam Episcopi, & Prælati superiores, aliique ordinarij locorum deputati Inquisitores procedant, & in eos seuerè animaduertant, tribuens eis, & eorum cuilibet liberam facultatem, & auctoritatem contra eosdem transgressores procedendi, ac pœnis coërcendi, & puniendi. Voluit deinùm, ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, quod præsens decretum, seu illius exempla ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de vrbe, & in acie campi Floræ affixa omnes ita arctent, & afficiant, perinde ac si vnicuique personaliter intimata fuissent; quodque præsentium transsumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Andreas de Petinis S.R. & Vniuersalis Inquisit. Notarius.

SVMMARIVM.

1 *Concilium Basileense est acephalum.*
2 *Concilium Basileense non definiuit Conceptionem Beatæ Virginis absque peccato originali.*
3 *Concilij Basileensis acta sunt irrita, & nullius valoris.*
4 *Quid dicendum de laminis, & de libro, qui est attributus sancto Cæcilio Martyri.*
5 *Prohibitio Pij V. ne de controuersia Conceptionis vulgari sermone scribatur.*
6 *Appellatione vulgaris sermonis venit vsitatus.*
7 *An si existens in Gallia scribat de Conceptione sermone Italico, violet Constitutionem Pij V.*
8 *An per Constitutionem Pij V. prohibeatur edi, seu imprimi conciones tractantes de Conceptione B. Virginis.*
9 *Cur Ecclesia non definiuit materiam Conceptionis Beatæ Virginis.*
10 *Nimis credibile est, quod B. Virgo fuerit concepta sine peccato originali.*
11 *Qualis tractatus de Conceptione prohibitus sit.*
12 *Verba sunt sumenda cum restrictione ad causam, ob quam sunt prolata.*
13 *Gregorius XIII. indulsit Patribus Dominicanis, quod inter se dumtaxat possint tractare de materia Conceptionis.*
14 *Prodit nouissimè Bulla Alexandri VII.*

1 RESpondetur, & dico primò: Neque etiam Concilium Basileense, licèt acephalum, definiuit tanquàm de fide, quod Beata Virgo concepta fuerit sine
2 peccato originali, sed tantùm definiuit, quod imposterum omnes tenerent, eam conceptam fuisse sine peccato originali, tanquam quid pium, & cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ, &c. tanquam quid consonum, nec posse quemquam contrarium dicere, aut prædicare; sic enim habet *sess.* 36. [Nos verò diligenter, omnibus matura consideratione pensatis, doctrinam illam asserentem, gloriosam Virginem Dei genitricem Mariam præueniente, & cooperante diuini luminis gratia singulari, nunquam actualiter subiacuisse peccato originali, sed immunem semper fuisse ab omni originali, & actuali peccato, sanctam & immaculatam, tanquam piam, & consonam cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & sacræ Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam, & amplectendam, definimus, & declaramus; nullique de cætero licitum esse in contrarium docere, & prædicare.] Videantur præter alios Corduba *lib.* 1. *q.* 44. *post* 6. *concl.* §. *pro responsione*, Bellarm. *lib.* 4. *de amissione gratiæ*, *c.* 5. §. *deinde Concilium*, & Ægidius *de Conceptione*, *lib.* 3. *q.* 3. *sect.* 2. *n.* 7.

At acta huius Concilij, tanquam acephali, sicut dicebam, irrita sunt, & nullius valoris, ex Concilio Lateranensi 5. *sess.* 11. ex Bulla 20. Leonis X. & ex Concilio Tridentino *sess.* 5. quatenus *in cap. de peccato originali*, constituit quod obseruetur Constitutio Sixti IV. qui neutram opinionem damnat; ideoque meritò Pius V. in ipsius Constitutione 114. vtramque permittit. 3

Contendebant præterea quidam præteritis annis, id definitum esse in Concilio Apostolorum, Beatam Virginem scilicet fuisse conceptam sine peccato originali; quia in monte, qui dicitur Sanctus, prope ciuitatem Granatensem, inuentæ sunt Reliquiæ sancti Cæcilij Martyris Episcopi Elyberitani, & cum ipsis liber eidem Martyri attributus lingua Arabica scriptus, in quo dicitur, quod Beata Virgo præseruata fuerit ab originali, quodque hæc sit veritas Concilij Apostolorum. 4

At Vrbanus VIII. die 13. Maij, anno 1641. decreuit, quod hic liber nullam habeat authoritatem, quodque nemo eo vti possit in materia de Conceptione B. Virginis sub pœnis in eodem decreto contentis.

Dico 2. Pius V. *in Constit.* 114. §. 2. *tom.* 2. *Bullary*, prohibuit, ne vulgari sermone de hac controuersia scriberetur: Nam post innouationem Constitutionis Sixti IV. subdit: [Atque vt deinceps efficaciùs à cunctis obseruetur, perpetuò statuimus, & ordinamus, ac per Apostolica scripta mandamus, quatenus nemo cuiuscumque ordinis, conditionis, vel dignitatis existat, in popularibus concionibus, vel vbicumque promiscua virorum, & mulierum multitudo conuenire solet, de huius controuersiæ alterutra parte disputare, rationibus, vel Doctorum auctoritate asserendo propriam sententiam, & contrariam refellendo, aut impugnando, vel de hac quæstione, cuiusvis pietatis, aut necessitatis prætextu, vulgari sermone scribere, vel dictare præsumat: Qui contrafecerint, suspensionis pœnam à diuinis, absque noua declaratione ipso facto incurrant, si modò fuerit in sacris Constitutus, & quocumque præterea gradu, siue dignitate, vel administratione fungatur, illis omnibus sit ipso iure priuatus, & ad eadem, vel similia munera obtinenda, vel obeunda perpetuæ inhabilitatis censuræ ipso etiam facto sit obnoxius. Super quibus, nisi à Romano Pontifice existente, dispensari, siue absolui non possit: Et nihilominùs aliis pœnis, si opus fuerit, à proprio Prælato pro delicti mensura infligendis subjiciatur, prout subjicimus. 5

Per vulgarem sermonem autem Pontifex intelligit illum, qui vulgò vsurpari solet, qualis est Italicus apud Italos, Gallicus apud Gallos, &c. Quapropter quoniam horum sermonum, qui apud aliquam nationem vulgò vsurpari solet, prohibetur scriptio, & dictatio de quæstione Conceptionis; quia appellatione vulgaris sermonis venit vsitatus, *l.* 2. *ff. de signific. verbor.* 6

Quid autem dicendum, si quis existens in Gallia scriberet de hac quæstione Italico sermone, vel è contra. 7

Respondetur: faceret contra constitutionem prædictam, quia per eam non prohibetur scribi vulgari sermone in hoc, vel in illo loco, sed absolutè; ideoque in quocumque loco scribatur vulgari sermone, tametsi non sit vulgaris in loco, in quo scribitur, erit prohibitus;

bitum; quia finis prædictæ constitutionis est, quod hæc materia non deueniat ad manus hominum vulgarium: Deueniret autem ad manus eorum in Italia, si Italico sermone scriberetur in Gallia.

8 Cæterùm an per hanc constitutionem, dum prohibetur, vulgari sermone scribi, vel dictari, prohibeatur etiam edi, seu imprimi conciones tractantea de Conceptione, Beatam Virginem scilicet esse conceptam sine peccato originali?

Respondetur negatiuè; quia hoc conceditur pro concionibus, quæ vulgari sermone fiunt ad populum: Ergo & conceditur etiam pro concionibus, quæ eduntur, seu imprimuntur.

Quod si tamen moueatur quæstio, an B. Virgo sit concepta in peccato originali, & rationibus ex vtraqua parte discussis, & contrariis solutis, concludatur quod B. Virgo sit concepta sine peccato originali, videtur per hanc constitutionem prohiberi; quia prohibetur vulgari sermone de hac quæstione scribi, vel dictari: quod non est aliud, quàm hanc quæstionem vulgari sermone tractari. Idem etiam deducitur ex iis, quæ Pontifex priùs decreuerat, scilicet *pro alterutra parte disputari:* Quapropter quod Pontifex in concionibus prohibuerat, extendit etiam ad scriptionem, & dictationem; ideoque ex vi huius constitutionis concionatores, licèt possint dicere, & docere, Beatam Virginem fuisse conceptam sine peccato originali, non tamen poterunt disputationem de hac materia instituere, & scholastico modo rem concludere: quod satis indicant etiam illa verba: [De huius controuersiæ alterutra parte disputate rationibus, vel Doctorum auctoritate asserendo propriam sententiam, & contrariam refellendo, vel impugnando.]

9 Dico 3. Ecclesia non definiuit materiam Conceptionia Beatæ Virginis, non (vt volunt Carthagena *homil. lib. 1. homil. 4.* & Cherubinus *in compend. Bullar. scholio ad Constitutionem 97. Pauli V.*) ex prouidentia Dei, ne rudes homines certò scientes, Beatam Virginem non contraxisse peccatum originale, putarent illam esse Deum; quia cùm dicatur, eam peccatum originale non contraxisse, eo quòd per gratiam à Deo præseruata fuerit, non esset cur rudes homines putarent, illam esse Deum; cùm vtpotè Christiani, non colant, nisi vnum Deum. Potiùs ergo forsan id non definiuit Ecclesia; quia talis definitio non fuit necessaria ad salutem fidelium, nec ad cultum Beatæ Virginis; cùm possit Ecclesia conceptionem eiua, quocumque modo fuerit concepta, colere, & venerari.

10 Quamvis credibile nimis sit, Beatam Virginem conceptam fuisse sine peccato, seu macula originali, quia vt omittam alias quamplurimas rationes, de quibus alibi, Christus Dominus voluit matrem omninò puram ab omni macula corporali, seu corporis: Ergo multò magia eandem voluit omninò puram ab omni macula animæ: Antecedens probatur, quia noluit nasci ex muliere nupta, vel vidua, sicque corrupta, etiam absque vllo peccato veniali, nedum mortali. Consequentia patet, quia non macula corporis, sed macula animæ facit nos filios iræ, & inimicos Dei, sicque alienos à Deo.

Secundò, quia ex sententia Christi Domini, *inter natos mulierum* (non Virginum, vt excludatur ipse Christus Dominus, qui de Virgine nascebatur) *non surrexit maior Ioanne Baptista:* Ergo B. Virgo, præueniente scilicet gratia, non cecidit, seu non contraxit originale peccatum, alioquin & ipsa per sanctificationem surrexisset de illo, sicut Ioannes Baptista, & iuxta dictam sententiam Christi Domini non surrexisset maior Ioannes Baptista: quod est omninò falsum. Videatur S. Bernardin. *tom. 4. serm. 49.* & Paul. de Palatio *in Matth. 11.*

Tertiò, quia ex Apostolo 1. Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur:* sed in Christo non viuificantur omnes actu, sed vel actu, vel potentia, scilicet secundùm meritum ex vi meritorum Christi: Ergo, vt currat paritas, non omnes moriuntur (contrahendo scilicet maculam originalem) in Adam actu, sed vel actu, vel potentia, scilicet secundùm debitum: quod non potest, nisi de Beata Virgine, verificari; cùm cæteros omnes, qui descendunt per seminalem generationem ab Adam, excepta B. Virgine, de fide sit mori actu, contrahendo scilicet actu maculam originalem, in Adam, in quo peccauerunt, tanquam in capite, seu radice.

Dico 4. Pontifex per illa verba: *Nec de hac opinione* 11 *affirmatiua aliquo modo agere, seu tractare*, non prohibet omninò tractatum (ita vt nemo possit dicere, vel ostendere, quod S. Thomas v.g. senserit, Beatam Virginem fuisse conceptam cum peccato originali) sed solùm tractatum illum, quo doceatur, vel aliquo modo confirmetur hæc opinio; quia causa, propter quam sic disponit Pontifex, est vt obstet discordiis, & excludat assertionem opinionia affirmatiuæ, sicuti constat ex illis verbis: [Hoc suo præsenti decreto ex eisdem causis euitandi scandala, dissensiones, &c. ex sermonibua priuatis occasione assertionis affirmatiuæ, &c.] Ergo 12 illa verba: [Nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere, &c.] Sumenda sunt cum restrictione ad causam, ob quam sunt prolata, *l. si quis ita, ff. de testam.* & tradunt Surd. *decis. 217. n. 6.* Duranus *decis. 48. n. 14.* Rota in Bergomensi Pensionis, die 13. Nouemb. anno 1626. coram eodem Durano, *decis. 27. n. 2. part. 2. diuers. & decis. 429. n. 2. part. 2. recentior.*

Dico 5. Gregorius XV. in Constitione (quæ in- 13 cipit, eximij, atque singulares fructus) die 28. Iulij anno 1622. indulsit Patribus Dominicanis id, quod sequitur, per hæc verba: [Vt de cætero in quibuscumque priuatis eorum colloquiis, seu conferentiis inter se duntaxat, & non inter alios, aut cum aliis de materia eiusdem Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis disserere, & tractare, absque vllo pœnarum in dictis decretis contentarum incursu, liberè, & licitè possint, & valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium licentiam concedimus, & impartimur.]

Prodiit tamen nouissimè die 8. Decembris, anno 14 1661. Bulla Alexandri VII. quam omninò videbis, & in fine præsentis operis reperies.



DVBITATIO XXXV.
Quidnam dicendum de schismaticis?

SECTIO PRIMA.
Quid sit schisma?

SVMMARIVM.

1 *Schisma est disjunctio, per quam quis se separat ab vnitate Ecclesiæ, in quantum Ecclesia est quoddam corpus mysticum ex vniuersis fidelibus, & Romano Pontifice Christi Vicario, tanquam ex capite constitutum.*

2 *Ecclesiæ vnitas consistit in eo, quod vniuersi fideles Ecclesiæ membra apto quodam ordine inter se, & cum Romano Pontifice Christi Vicario, & eiusdem Ecclesiæ capite connectantur, &c.*

3 *Ecclesiæ vnitas scinditur per schisma, dum schismaticus non vult se in aliqua, vel in aliquibus spiritualibus actionibus ad hoc Ecclesiæ corpus mysticum pertinentibus se gerere tanquam huius corporis mystici membrũ, vel renuit subjici Pontifici tanquam capiti.*

4 *Schismatis modus duplex est: Primus quo quis se separat à capite Ecclesiæ, & à cæteris eiusdem membris: Secundus quo quis se separat vel à solo capite, vel à solis membris Ecclesiæ.*

5 Sepa

5 *Separat se à capite, quotiescumque quis Romano Pontifici Ecclesiæ capiti renuit subesse, seu subjici.*

6 *Separat se à membris, quotiescumque spirituales actiones non vult exercere tanquam pars Ecclesiæ, sed tanquam si ipsemet esset quoddam totum seorsum, seu distinctum.*

7 *Separat se virtualiter etiam à membris, qui expressè vel explicitè se separat à solo capite, & è contra.*

8 *Schismatis ratio non consistit in quacumque Romano Pontifici inobedientia; sed in ea, quæ est cum rebellione quadam in Pontificem, vt Pontificem; secus si eum recognoscens vt superiorem, nolit iudicio eius stare, & volens alioquin ei subiectum esse; vel ex parte personæ iudicantis, aut præcipientis, quod eam scilicet suspectam, aut sibi infestam, sed parum beneuolam reputet.*

9 *Schismaticus multò minùs erit, qui non vult subesse Pontifici, eo quòd probabiliter iudicet illum non esse legitimum Pontificem; quia tunc non renuit subesse Pontifici vt Pontifici, sed renuit subesse huic personæ, quam iudicat non esse Pontificem.*

10 *Schismaticus etiam multo minùs erit, qui cum sit incola alicuius oppidi Pontificis temporali Iurisdictioni subiecti, renuit Pontifici vt temporali illius oppidi Domino subjici, sed vult alium principem recognoscere, quia Pontifex, vt Dominus temporalis, non est Pontifex.*

11 *Schismatis ratio non includit, quod quis velit se à Pontificis obedientia subtrahere directa intentione; sed sufficit, si id velit indirectè, nimirum ipso effectu, vel opere.*

12 *Schismatici sunt, qui existentes in Anglia, exhibent Regi obedientiæ signa, quibus illum Christi Vicarium in spiritualibus esse testantur; quia seiunctio ab vnitate Ecclesiæ, eiusque obedientia in opere externo consistit.*

13 *Schismatici sunt etiam qui sine Pontificis auctoritate Concilium generale congregant, vel legitimè iam dissolutum prosequuntur.*

14 *Schisma charitati contrarium est, quia charitatis est vnire, amicos conciliare, & pacem tueri, quæ omnia per schisma destruuntur.*

15 *Schisma ex genere suo est peccatum mortale, itavt non possit esse veniale, nisi ex solo defectu perfectæ deliberationis, vel aduertentiæ; non autem ex paruitate materiæ, quia separatio ab vnitate Ecclesiæ, vel capitis, nullo modo potest esse leue peccatum.*

16 *Assignatur differentia inter schisma, & hæresim; quia hæresis formaliter consistit in fidei doctrinæ negatione, schisma verò in Ecclesiæ mystici corporis vnitatis scissione: quapropter omnis hæreticus est schismaticus, at non è contra, & cur?*

1 Respondetur: Schisma est disjunctio, per quam quis se separat ab vnitate Ecclesiæ, in quantum Ecclesia est quoddam corpus mysticum ex vniuersis fidelibus, & Romano Pontifice, Christi Vicario, tanquam ex capite constitutum. S.Thomas 2.2. *quest*.39. *art*.1. Caietanus *ibidem*, & alij communiter.

2 Vbi aduerte, quod vnitas Ecclesiæ consistat in eo, quod vniuersi fideles Ecclesiæ membra, apto quodam ordine inter se, & cum Romano Pontifice Christi Vicario, & eiusdem Ecclesiæ capite connectantur, scilicet quod in actionibus spiritualibus (vt in fidei doctrina, Religionis cultu, spirituali regimine, &c.) ad tale corpus mysticum pertinentibus caput in reliqua membra quendam principatum obtineat, & membra ex eo, tanquam ex capite, pendeant, & eidem, tanquam capiti, subdita sint.

3 Et hæc vnitas scinditur per schisma, dum schismaticus non vult se in aliqua, vel in aliquibus spiritualibus actionibus ad hoc Ecclesiæ corpus mysticum pertinentibus se gerere, tanquam huius corporis mystici membrum, vel renuit subjici Pontifici, tanquam capiti; scindit autem Ecclesiæ vnitatem non omninò, quasi in aliis ea non remaneat, sed in quantum hæc vnitas ex ipso constabat, seu conflabatur. Caietan. *loco suprà citato*, & alij passim, quos sequitur Valentia 2.2. *disp*.3. *quest*.15. *punct*.1.

Aduerte 2. quod duplex sit schismatis modus. 4

Primus, quo quis se separat à capite Ecclesiæ, & à cæteris membris Ecclesiæ.

Secundus, quo quis se separat, vel à solo capite, vel à solis membris Ecclesiæ. S.Thomas *cit. art*.1. & cum S.Thoma omnes communiter.

Dicitur, quod quis se separet à capite, quotiescumque Romano Pontifici, Ecclesiæ capiti, renuit subesse, seu subjici. 5

Dicitur autem, quod se separet à membris, quoties- 6 cumque spirituales actiones (v.g. sperare, credere, ieiunare, ministrare, vel recipere Sacramenta, &c.) non vult exercere tanquam pars Ecclesiæ, sed tanquam si ipsemet esset quoddam totum seorsum, seu distinctum. Caietanus in summa, verbo Schisma. Valentia *citato punct*.1. *vers. hoc cum ita sit*, Petrus de Ledesma *in sum. tom*.2. *tract*.3. *cap*.12. *concl*.3. & alij communiter.

Aduerte 3. quod tacitè, & virtualiter se separet etiam 7 à membris, qui explicitè, seu expressè se separat à solo capite, & quod è contra tacitè, & virtualiter se separat à solis membris. Vide Doctores, præsertim Valentiam vbi suprà, post tertiam propositionem; quia cùm membra, & caput sint inter se connexa, & subordinata, sequitur quod qui se separat à membris, se separet etiam à capite, & è contra.

Aduerte 4. quod ratio schismatis non consistat in 8 quacumque Romano Pontifici inobedientia (aliàs quodcumque Ecclesiæ præceptum quis transgrediens, schismaticus esset;) sed consistat in ea Romano Pontifici inobedientia, quæ sit cum rebellione quadam in Pontificem, vt Pontificem; scilicet ex parte officij ipsius Pontificis, nempe si quis renuat subesse Pontifici, vt fungitur eo officio Pontificio, sicque vt Pontifex est vniuersalis Ecclesiæ caput; secus si nolit Pontificis iudicio stare, eiusque præceptum exequi, vel ex parte rei iudicatæ, & præceptæ (vt si nolit in aliqua re, quam iudicat, aut præcipit Pontifex, Pontifici obedire, cum tamen recognoscens tanquam superiorem, & caput Ecclesiæ, & volens alioquin ei subiectus esse) vel ex parte personæ iudicantis, aut præcipientis, quod eam scilicet subiectam, aut sibi infectam, seu parum beneuolam reputet. S.Thomas 2.2.*q*.39.*art*.1.*ad* 2. Caiet. *ibid. circa fin*. Bannez *in fine*, Valentia 2.2.*disp*.1.*q*.15. *punct*.1.*propositione* 3. Syluest. *verb. schisma, paulò post principium*, Petr. de Ledesma *in summa, tom*.2. *tract*.3. *cap*.12.*concl*.5. Vgolinus *de censuris Papa reseruatis*, 2.*part*.*cap*.1. *vers. necnon schismaticos*, §.1. *num*.4. & Azor. *tom*.1. *instit. moral. lib*.8.*cap*.20.*quæst*.4.

Quapropter multò minùs schismaticus erit, qui non 9 vult subesse Pontifici, eo quòd probabiliter iudicet, quod ille non sit legitimus Pontifex; quia tunc non renuit subesse Pontifici, vt Pontifici, sed renuit subesse huic personæ, quam iudicat non esse Pontificem. Caietanus *citato verb. schisma, circa finem*, Petr. de Ledesma *concl*.5. Valentia *eadem proposit*.3. Vgolinus *eodem* §.1. *n*.2. & Azor. *eadem quæst*.4.

Et multò minùs etiam schismaticus erit, qui cùm 10 sit incola alicuius oppidi Pontificis temporali iurisdictioni subiecti, renuit Pontifici, vt temporali illius oppidi Domino, sed vult alteri Principi subjici; quia Pontifex, vt Dominus temporalis, non est Pontifex, & caput Ecclesiæ, sed est instar cuiuscumque alterius Domini. Itavt seiunctio, & rebellio huiusmodi non sit formaliter contra Pontificem vt Pontificem, nec contra officium illius, vt Pontifex est, quod ex dictis ad rationem schismatis expostulatur. Syluester, & Azorius *in locis suprà citatis*, Valentia *eodem punct*.1. *paulò post principium*,

principium, Nauarrus *de datis pro iustitia*, *vel gratia*, *notab.17.num.29.vers.3.* & Emanuël Sà *verb. schisma*, *num.* 1.

Aduerte 5. quod è contra ad rationem schismatis non expostuletur, quod quis velit se à Pontificis obedientia subtrahere directa intentione, sed sufficiat si id velit indirectè, nimitum ipso effectu, vel opere, v.g. si potiùs ita ac si Pontifici non subiectus, nec Ecclesiæ pars esset, se gerere eligat, quàm à peruerso proposito resilire: Qua ratione schismatici sunt, qui existentes in Anglia exhibent Regi obedientiæ signa, quibus etiamsi interiùs sic nullo modo credant, illum Christi Vicarium in spiritualibus esse testantur; quia sicuti dicebam, scissio ab vnitate Ecclesiæ, eiusque obedientia in opere ipso externo consistit, vt proinde isti tales sint verè schismatici; quamvis si non credant, non sint etiam hæretici. Vide Doctores, quos sequitur Suarez *de censuris, disp.21.sect.2.num.12.* Item ob eandem rationem etiam schismatici sunt, qui sine Pontificis auctoritate Concilium generale congregant, vel legitimè iam dissolutum prosequuntur; sicut vetus homicida non solùm est, qui directè vult occidere, sed etiam qui indirectè, non vitando scilicet ea, ex quibus ipse homicidium sequi præuidit. Caeterùm, *in sum. verb. schisma, &* 2.2.q.36.*art.1.vers.ad 4.autem dubium*, Ban. *ibid. dub.1. ad 3.* Vgolinos *de censuris Papæ reseruatis*, *part.2.cap.1. vers. necnon schismaticos*, §.1.*num.1.* Suarez *tom.5. in 3.part.disp.21. sect.2.num.13.* Pettus de Ledesma *in sum.tom.2.tract.3.cap.12.concl.3.* Valentia 2.2. *disp.3.quæst.15. punct.1. propos.3. vers. nam qui separant*, & Coninch *disp.13. dub.5. n.38.*

Aduerte 6. quod schisma charitati (de qua satis dixi *tractat. de simonia, dub.14.§.63. vsque ad §.81.*) contrarium sit, S.Thom. 2.2.q.39.*art.1.* & eum S.Thoma communiter omnes alij; quia charitatis est vnire, amicos conciliare, & pacem tueri: quæ omnia per schisma destruuntur.

Aduerte 7. quod schisma ex genere suo sit peccatum mortale, ita vt non possit esse veniale, nisi ex solo defectu perfectæ deliberationis, vel aduertentiæ, non autem ex paruitate materiæ; quia separatio ab vnitate Ecclesiæ, vel capitis (in qua formaliter schisma consistit) quoad nullam materiam potest esse leue; cùm leue esse non possit, quempiam ab vniuersali Ecclesia se seiungere, & superiorem, seu caput illius, etiam in re leuissima non agnoscere: Est enim hoc ipsum summa arrogantia, & diabolica superbia, & Dei Ecclesiæ grauissimus contemptus: sic Doctores, quos sequitur Valentia 2.2. *disp.3. quæst.15. punct.2.* & Bonacina *disp.3. quæst.4. de charitate, puncto vltimo, §.5. propositione 2.*

Aduerte 8. quod discrimen sit inter schisma, & hæresim, quia hæresis formaliter consistit in fidei doctrinæ negatione; schisma verò in Ecclesiæ mystici corporis vnitatis scissione: Quapropter omnis hæreticus est schismaticus (sub diuersis tamen rationibus; hæreticus scilicet, quatenus non credit Ecclesiæ; schismaticus autem, quatenus se separat ab vnitate illius, contrariam doctrinam sectando,) non tamen omnis schismaticus est hæreticus, quia potest quis amplectens vniuersam Ecclesiæ doctrinam, & credens, quod Pontifex sit suus superior, nolle ex malitia suæ voluntatis illum, tanquam suum superiorem agnoscere, illique tanquam suo superiori subijci, vel cum aliis Ecclesiæ membris vniri, S.Thomas 2.2. *quæst.39. art.1. ad 3.* Valentia *citata propos.3.* Fatinac. *de heresi, quæst.184. num.2.* Toletus *de casibus Cœnæ Domini, concl.3. excommun.1.* Bonacina *disp.3. quæst.4. puncto vltimo, §.5. num.5.* & alij passim.

SECTIO II.

Quidnam dicendum de illo, qui se separat ab vnitate Ecclesiæ Catholicæ, vel à capite illius, seu Vicario Christi Domini?

COROLLARIVM I.

SVMMARIVM.

1 *Schismaticus verò est, qui sic alterutro modo se separat ab vnitate Ecclesiæ Catholicæ, vel à capite illius.*

2 *Schismaticus est, qui Summo Pontifici subesse recusat, aut aliam Ecclesiam, vel alium Pontificem constituit.*

3 *Schismatici sunt, qui Summo Pontifici in quantum est Summus Pontifex, subesse renuunt, vel Ecclesiæ membris ei subiectis communicare recusant.*

4 *Schisma nihil aliud est, quàm separatio ab vnitate Ecclesiæ vniuersalis, qua Christianus vel subtrahit se ab obedientia capitis Ecclesiæ, scilicet Romani Pontificis, vt Ecclesiæ caput est, vel à communione membrorum Ecclesiæ, nolens esse eiusdem membrum.*

5 *Schisma propriè significat scissuram, quia scindit vnionem, quæ debet esse inter partes Ecclesiæ.*

6 *Schisma propriè opponitur charitati, quia separat ab vnione, quæ consistit in vnione omnium membrorum ad caput, & etiam inter se.*

EX dictis sequitur 1. quod qui sic alterutro modo se separat ab vnitate scilicet Ecclesiæ Catholicæ, vel à capite illius, verè schismaticus sit. S.Thom. *q.39. art.1.* Bannez *ibid. circa fin.* Caiet. *etiam ibidem, & in sum. verb. schisma*, Glossa *in cap. non autem, 7. q.1. & in cap. ad nostram, verbo Ecclesia, de heret. & in cap. vnico, de heretic. in 6.* in figuratione casus, quatenus ait: 2 Schismaticus est, qui Summo Pontifici subesse recusat, aut aliam Ecclesiam, vel alium Pontificem constituit. Sylvester *verb. schisma, in princ.* quatenus inquit: Schismatici sunt, qui Summo Pontifici, in quantum est Summus Pontifex, subesse renuunt, vel Ecclesiæ membris ei subiectis communicare recusant. Nauarrus *in summa, cap.27. n.57.* Valentia *tom.3. disp.3. q.15. punct.1. proposit.3.* Axot. *tom.1. institut. moral. lib.8. cap.10. q.1. & seqq.* Abbas *in cap.1. de schism. n.1.* Ioan. Andreas *ibid. num.3.* Butrius *num.4.* Diaz *in pract. crim. canon. verb. schismatici, cap.112. circa fin.* Ignatius Lopez *in addit. in princip.* Albertin. *in rubr. de haret. in 6. q.11. n.2.* Simanch. *de Cathol. inst. tit.58. n.1. & seqq.* Petr. Gregorius *Syntagm. iuris lib.33. cap.11. n.2.* Vgolinus *in Bull. Cœn. Domini, in prima clausula, vers. necnon schismaticos, in princip. n.1.* quatenus ait: Schisma nihil aliud est, quàm separatio ab vnitate Ecclesiæ vniuersalis, qua Christianus vel subtrahit se ab obedientia capitis Ecclesiæ, scilicet Romani Pontificis, vt Ecclesiæ caput est, vel à commonione membrorum Ecclesiæ, nolens esse eiusdem Ecclesiæ membrum; & alij, tam Theologiæ, quàm iuris canoniei, vel ciuilis Doctores omnes. 4

Quare schisma propriè significat scissuram, *c. schisma, 24. q.1.* & dicebam *sect. præcedenti*, & probat Caietanus *in summa, verb. schisma*, Paul. Grillandus *tract. de haretic. quæst.2. num.6.* & Decianus *in tractat. crim. lib.5. cap.6.* quia ex dictis citata sectione præcedenti, scindit vnionem, quæ debet esse inter partes Ecclesiæ, & cum capite illius, quod est Papa, Christi Domini Vicarius. 5

Et schisma propterea opponitur charitati, sicuti eadem *sectione præcedenti* dicebam, & probat S.Thomas 2.2. *quæst.39. artic.1.* quia separat ab vnione (quam charitas facit) quæ vnio consistit in vnione omnium 6

membrorum ad caput (quod est Christus, cuius vicem Papa gerit) & in vnione, seu connexione eorundem omnium membrorum inter se, quatenus sunt membra Ecclesiæ: sic S. Thomas *citato art.* 1. Caietanus, Syluester, & alij Doctores vbi suprà, item Marianus Socinus Senior *rubr. de schismaticis, num.* 5. & Sayrus *de censuris, lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 25.

SECTIO III.

Quotnam modis quis possit esse schismaticus?

COROLLARIVM II.

SVMMARIVM.

1 *Schismaticus esse potest duobus modis: Primò, si nolit obedire, nec se subjicere Romano Pontifici, vt Pontifex est. Secundò, si nolit esse pars Ecclesiæ, sed velit viuere separatus à cæteris fidelibus.*

2 *Schismatici, tam qui non agnoscunt Pontificem, vt supremum caput Ecclesiæ, seu Vicarium Christi, quàm ij, qui se separant ab vnione membrorum Ecclesiæ, excommunicantur in Bulla Cœnæ.*

3 *Tanquam schismatici excommunicantur etiam qui sine Summi Pontificis licentia congregant Concilium generale, vel illud legitimè dissolutum prosequuntur; quia licèt isti non se subtrahant ab obedientia Summi Pontificis verbis, subtrahunt se tamen ab obedientia illius factis; & ex dictis sufficit quod quis se subtrahat ab obedientia Summi Pontificis indirectè, vt fit schismaticus.*

4 *Schismatici indistinctè excommunicantur in Bulla Cœnæ, licèt non specificentur nisi ij, qui se subtrahunt ab obedientia Summi Pontificis; idque vt omnes magis timeant, se ab illa subtrahere.*

1 Sequitur 2. quod quis possit esse schismaticus duobus modis.

Primò, si nolit obedire, nec se subjicere Romano Pontifici, vt Pontifex est, nec illum agnoscere, vt Ecclesiæ caput est.

Secundò, si nolit esse pars Ecclesiæ, sed velit viuere separatus à cæteris fidelibus. Caiet. 2. 2. *quæst.* 39. *art.* 1. *& in summa, verb. schisma*, Petrus de Ledesma *in sum. tom.* 2. *tract.* 3. *cap.* 12. *conclus.* 3. Vgolinus *in cap.* 1. *Bulla Cœnæ, vers. necnon schismaticus, num.* 4. *&* 5. Valentia *loco suprà citato, punct.* 1. & alij passim.

2 Vbi aduerte, quod in Bulla Cœnæ Domini excommunicentur tam schismatici, qui non agnoscunt Pontificem vt supremum caput Ecclesiæ, seu Vicarium Christi, quàm schismatici, qui se separant ab vnione membrorum Ecclesiæ: sic Doctores communiter, quos sequitur Vgolinus *loco sup. cit. n.* 9. & Suarez *tom.* 5. *de* 3 *censuris, disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 12. Vbi tanquam schismatici excommunicantur etiam qui sine Summi Pontificis licentia congregant Concilium generale, vel illud legitimè dissolutum prosequuntur; quia licèt isti tales, vti *sect.* 1. dicebam, non se subtrahant ab obedientia Summi Pontificis verbis, subtrahunt se tamen ab obedientia illius factis. Et ex dictis ad schisma non requiritur, quod quis se subtrahat à Summi Pontificis obedientia directè, sed sufficit si se subtrahat indirectè, scilicet opere, vel effectu. Caietan. 2. 2. *q.* 39. *art.* 1. *vers. ad* 3. *& in sum. verb. schisma*, Bannez *eadem q.* 39. *dub.* 1. *ad* 1. Valentia 2. 2. *disp.* 3. *q.* 15. *punct.* 1. *propos.* 3. Vgolinus *loco sup. cit.* §. 1. *n.* 1. & Suarez *vbi sup. n.* 13.

4 Objicies: In Bulla Cœnæ Domini fit tantùm mentio de iis schismaticis, qui se subtrahunt ab obedientia Summi Pontificis: Ergo ibi tales tantùm schismatici excommunicantur.

Respondetur, nego antecedens: quod scilicet in Bulla Cœnæ Domini fiat tantùm mentio de iis schismaticis, qui se subtrahunt ab obedientia Summi Pontificis: sed assero, quod fiat quidem specialis mentio de huiusmodi schismaticis, idque vt omnes magis timeant se subtrahere ab obedientia Summi Pontificis, quia sæpiùs id contingere consueuit. Cæterùm cùm in Bulla Cœnæ Domini excommunicentur absolutè schismatici, eo ipso ibi excommunicantur etiam illi, qui se subtrahunt à communione membrorum Ecclesiæ vniuersalis; & excommunicantur etiam illi, qui sine facultate Summi Pontificis congregant Concilium generale, vel illud legitimè dissolutum prosequuntur; quia isti omnes sunt verè, & propriè schismatici.

SECTIO IV.

Quidnam dicendum de eo, qui se subtrahit ab obedientia Summi Pontificis materialiter?

COROLLARIVM III.

SVMMARIVM.

1 *Schismaticus verè, & propriè non est qui se subtrahit materialiter tantum ab obedientia Summi Pontificis, quapropter neque incurrit excommunicationem Bullarem; quia tunc non se subtrahit ab obedientia Summi Pontificis, vt Summus Pontifex est, & sic formaliter, sed tantum materialiter.*

2 *Qui se subtrahunt ab obedientia Summi Pontificis tantùm materialiter, non autem formaliter, non propriè, & verè se subtrahunt ab eius obedientia; atque adeò non propriè, & verè sunt schismatici.*

Sequitur 3. quod qui se subtrahit ab obedientia Summi Pontificis materialiter, vt si v. g. nolit obedire Summo Pontifici aliquid præcipienti, vel ratione rei præceptæ, quia eam apprehendit arduam, seu difficilem, vel ratione personæ præcipientis; quia eam apprehendit sibi infestam, seu parum beneuolam; cùm tamen agnoscat Summum Pontificem, tanquam caput Ecclesiæ, & Vicarium Christi, non fit propriè, & verè schismaticus, atque adeò non excommunicetur in Bulla Cœnæ Domini, quia tunc non se subtrahit ab obedientia Summi Pontificis (vt Summus Pontifex, & vt caput Ecclesiæ, & Vicarius Christi est) atque adeò non se subtrahit ab obedientia Summi Pontificis formaliter, sed solùm materialiter; sicque non est formaliter, seu propriè, & verè, sed solùm materialiter, seu impropriè, & largè schismaticus. Caietan. *in summa, verb. excommunicatio, num.* 7. Vgolinus *in Bulla Cœnæ Domini, vers. necnon schismaticos, in principio, num.* 9. Suarez *tom.* 5. *de censuris, disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 120. Azor. *tom.* 1. *institut. moral. lib.* 8. *cap.* 10. *quæst.* 5. & alij passim. 1

Objicies: In prima clausula excommunicationis 2 Bullæ Cœnæ Domini excommunicantur schismatici; & deinde excommunicantur illi, qui se subtrahunt ab obedientia Summi Pontificis: Ergo inter istos vltimos veniunt etiam, qui se subtrahunt ab obedientia Summi Pontificis tantùm materialiter: alioquin frustrà addetentur sequentia vltima verba.

Respondetur, concedo antecedens; at nego consequentiam, quia, qui se subtrahunt ab obedientia Summi Pontificis tantùm materialiter, non autem formaliter, non propriè, & verè se subtrahunt ab obedientia Summi Pontificis, atque adeò non propriè, & verè sunt schismatici: vt omittam, quod pœnæ, vtpote odiosæ, non sunt ampliandæ, sed potiùs restringendæ. Cæterùm quamvis

quamvis qui se subtrahunt ab obedientia summi Pontificis formaliter, comprehendantur sub nomina propriè, & verè schismaticorum, exprimuntur tamen deinde specialiter, vt hac ratione maior timor ipsis incutiatur; quia sæpiùs id contingere consueuit, vti *suprà* dicebam.

SECTIO V.

Quidnam dicendum de eo, qui putat, in Ecclesia non esse caput, vt si verbi graciâ puter, Romanum Pontificem non esse caput Ecclesiæ, nec Vicarium Christi?

COROLLARIVM IV.

SVMMARIVM.

1 *Schismaticus non solùm est, verùm etiam hæreticus, putans in Ecclesia non esse caput, v.g. Putans Romanum Pontificem non esse caput Ecclesiæ, nec Vicarium Christi; quia sic sentit aliquid contra fidem.*

2 *Schismaticus solùm est, non autem hæreticus, putans Romanum Pontificem esse caput Ecclesiæ, & Vicarium Christi, suumque superiorem; & tamen ex passione, vel ex malitia, non vult illum agnoscere vt Vicarium Christi, & caput Ecclesiæ, illique subesse, vel cum aliis membris communicare.*

3 *Quod tamen intellige, si nolit subesse Pontifici, vt Pontifici, seu vt est caput Ecclesiæ, & Vicarius Christi, seu vt fungitur officio Pontificio: secus si Pontificem agnoscat quidem vt caput Ecclesiæ, & Vicarium Christi, seu vt fungitur officio Pontificio; nolit tamen illi subesse, vel ratione rei præceptæ extra potestatem Pontificis, quam putat arduam, seu difficilem, vel ratione personæ præcipientis, &c.*

4 *Schismaticus item non est, si cùm habeat domicilium temporale in aliquo oppido subiecto temporali iurisdictioni Pontificis, nolit se subjicere Pontifici, tanquam habenti dominium temporale in illo oppido, sed velit in tali casu se subjicere alteri Domino; quia schisma est rebellio, & scinctio à Pontifice, vt esset caput Ecclesiæ, &c.*

1 SEquitur quartò, quod iste talis non solùm sit schismaticus, sed etiam hæreticus, quia sic sentit aliquid contra fidem. Syluester *verb. schisma, in principio*, Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 21. sect. 2. num. 12.* Castro *lib. 1. aduersus hæreses, cap. 9.* Turrecremata *lib. 4. de Ecclesia, part. 1. cap. 16.* Vgolinus *vbi suprà, vers. necnon schismaticos, §. 1. num. 2.* Graffioa *lib. 4. decisionum, cap. 18. num. 12. & 13.* Saytus *de censuris, lib. 3. cap. 5. num. 21.* & alij communiter.

2 At si putet, Romanum Pontificem esse caput Ecclesiæ, & Vicarium Christi, suumque superiorem, & tamen ex passione, vel ex malitia nolit illum agnoscere vt caput Ecclesiæ, & Vicarium Christi; & nolit illi subesse, vel nolit cum aliis membris Ecclesiæ communicare, tunc erit solùm schismaticus, non item hæreticus; quia tunc non sentit similiter aliquid contra fidem. Sic Doctores iidem, quos *suprà* citabam: item etiam & Armilla *verb. schisma, num. 1.* Butrius *in cap. 1. de schismat. num. 4.* Abbas *ibidem, num. 1.* Peña *in direct. part. 2. quæst. 48. comment. 73. lit. B*, Locatus *in Iud. Inquis. verb. schisma, num. 4.* Decianus *in tract. crim. lib. 5. cap. 18. n. 1.* & Carrer. *tract. de hæres. n. 32.*

3 Quod tamen, esse scilicet istum talem schismaticum, intellige, si nolit subesse Pontifici vt Pontifici, seu vt est caput Ecclesiæ, & Vicarius Christi, seu vt fungitur officio Pontificio; secus si Pontificem cognoscat quidem vt caput Ecclesiæ, & Vicarium Christi, seu vt fungitur officio Pontificio, nolit tamen illi subesse, vel ratione rei præceptæ, quam putat extra potestatem Pontificis, aut arduam, seu difficilem; vel ratione personæ præcipientis, v.g. in odium, aut vindictam illius; vel ob aliquod bonum temporale consequendum, vel ob inimicitias, quas cum illo gerit, vel ob aliquam similē aliam causam; quia tunc non est schismaticus; siquidem cum hac inobedientia stat recognitio prælationis Pontificis, ac proinde debita illi in aliis materiis subiectio, aliàs quilibet transgressor Ecclesiastici præcepti esset schismaticus; quod non est dicendum, vti dicebam *sect. 1. in aduertendo 4.* & tenent S. Thom. *2. 2. q. 39. art. 1.* Caiet. *ibid. dub. 2. & verb. excommun. n. 7.* Ban. *in cit. q. 39. circa fin.* Valent. *loc. cit. propos. 3.* Farin. *q. 184. n. 11.* Coninch *disp. 30. dub. 5. n. 42.* Bonac. *disp. 3. q. 4. punct. vlt. §. 5. n. 2. vers. sextò*, Syluest. *verb. schisma, in principio.* Probus *ad Ioannem Monachum, in c. præsidentes, de hær. in 6. num. 2.* Vgolin. *vbi sup. cit. num. 4.* Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 8. cap. 20. quæst. 4.* Sayr. *lib. 3. cap. 5. num. 21.* & Tolet. *lib. 1. cap. 19. & lib. 4. c. 11. n. 2.*

Qua ratione etiam non est schismaticus, si cùm habeat domicilium temporale in aliquo oppido subiecto 4
temporali iurisdictioni Pontificis, nolit se subjicere Pontifici, tanquam habenti dominium temporale in illo oppido, sed velit in tali casu se subjicere alteri Domino temporali, quia schisma, sicuti dicebam *eadem sect. 1.* est rebellio, & seiunctio à Pontifice, vt est caput Ecclesiæ, & Vicarius Christi, seu vt fungitur officio Pontificio: at qui sic se seiungit à Pontifice, non se seiungit à Pontifice, vt est Pontifex, seu vt est caput Ecclesiæ, & Vicarius Christi, seu vt fungitur officio Pontificio, sed se seiungit à Pontifice, vt est Pontifex solùm prædicti oppidi Dominus temporalis: ergo, &c. Ita Doctores communiter, quos sequitur Vgolinus *cit. §. 1. num. 4.* & Bonacina *vbi suprà*, §. 7.

SECTIO VI.

An sit schismaticus, qui non se separat à Romano Pontifice, nec ab vniuersis Ecclesiæ membris; sed solùm se separat ab aliquo Episcopo, renuens subesse auctoritati talis Episcopi, vel solùm se separat à fidelibus membris Diœcesis eiusdem Episcopi?

COROLLARIVM V.

SVMMARIVM.

1 *Schismaticus verè, & propriè non est qui non se separat à Romano Pontifice, nec ab vniuersis Ecclesiæ membris; sed tantùm ab aliquo Episcopo, renuens subesse auctoritati illius, vel solùm se separat à fidelibus membris Diœcesis eiusdem Episcopi, quia verum schisma dicit diuisionem formaliter ab Ecclesia vniuersali.*

2 *Schismaticus neque erit, si se separet à fidelibus illius Ecclesiæ, non quidem vt sunt partes Ecclesiæ vniuersalis, nec quatenus subduntur summo Pontifici tanquam capiti Ecclesiæ vniuersalis; sed quatenus sunt quidam homines constituentes talem Rempublicam, seu communitatem; quia sic non se separat formaliter ab vnitate Ecclesiæ vniuersalis.*

3 *Sanctus Cyprianus licèt huiusmodi hominem appellauerit schismaticum, non appellauit verè, & propriè, sed largè, & impropriè.*

4 *Limita si ita se separet ab vnius Episcopi, vel Cleri obedientia, & communicatione cum Pontifice, vt tamen interim communicet cum Pontifice, & cum aliis Ecclesiis; quia sic non se separat formaliter ab vnitate Ecclesiæ vniuersalis, secus è contra.*

2 SEquitur 5. quod iste talis non sit propriè, & verè schismaticus; quia verum schisma (sicuti *citata sect.* 1. dicebam) dicit diuisionem formaliter ab Ecclesia vniuersali, vel ab eius capite, qua ratione neque erit schismaticus, si se separet à fidelibus illius Ecclesiæ, non quidem vt sunt partes Ecclesiæ vniuersalis, nec
2 quatenus subduntur summo Pontifici, tanquam capiti Ecclesiæ vniuersalis, sed quatenus sunt quidam homines constituentes talem Rempublicam, seu communitatem; quia sic non se separat formaliter ab vnitate Ecclesiæ vniuersalis, Ostiensis *in cap.* 1. *num.* 1. *de schismaticis*, Abbas *in rubrica eiusdem tit.* n. 1. & 2. Ananias *ibidem*, *num.* 3. Socinus Senior *num.* 3. Vgolinus *de censuris Papæ reseruatis*, *part.* 2. *cap.* 1. *vers. necnon schismaticos, in principio, num.* 3. Azor. *tom.* 1. *inst. moral. lib.* 8. *cap.* 20. *q.* 4. Innocentius *in cap.* 1. *de schismaticis*, *vers. dicuntur etiam*, Butrius *ibidem*, *num.* 4. Anchar. *in rubrica de schismaticis*, *num.* 3. Butrius *ibidem, etiam circa fin.* Zabarella *num.* 1. Syluest. *verb. schisma, in principio*, Valentia 2. 2. *disp.* 3. *q.* 15. *punct.* 1. & Decian. *in tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 5.

3 Non obstat, quod S. Cyprianus, cuius sententia refertur *in c. scire debes*, 7. *q.* 1. & *in cap. loquitur Dominus*, 24. *q.* 3. istum talem schismaticum appellauerit.

Respondetur enim cum iisdem Doctoribus (quos citabam) quod schismaticum appellauerit, non quidem verè, seu strictè, & propriè, sed tantùm largè, & impropriè, idque ob rationem iam supradictam.

Quod tamen, esse scilicet istum talem non quidem verè, seu strictè, & propriè, sed tantùm largè, & impropriè schismaticum, intellige si ita se separet ab vnius Episcopi, vel Cleri obedientia, & communicatione, vt tamen interim communicet cum Pontifice, & cum aliis Ecclesiis, quia sic non se separat formaliter ab vnitate Ecclesiæ vniuersalis: at si ille Episcopus, & Clerus communicet cum Pontifice, & cum aliis Ecclesiis in illa re, in qua ipse communicare non vult, verè, seu strictè, & propriè schismaticus erit, si ab illius obedientia se separat; quia sic implicitè, & virtualiter se separat formaliter ab vnitate Ecclesiæ vniuersalis, scilicet à Summo Pontifice, & à reliquis Ecclesiæ membris, quatenus scilicet ille Episcopus, illiusque subditi habent subordinationem, & connexionem cum Pontifice, & cum aliis Ecclesiæ membris, vt quædam pars cum suo capite, & cum reliquis eiusdem corporis partibus: Et confirmatur, quod in tali casu sit verè, seu strictè, & propriè schismaticus, quia in tali casu ei tota Ecclesia vniuersalis resistit: atque sic præter alios docent Valentia *disp.* 3. *quæst.* 15. *punct.* 1. *post tertiam propositionem*, *vers. item eadem ratione*, Lorca *disp.* 48. *n.* 11. Coninck *disp.* 30. *dub.* 5. *n.* 40. & Farin. *q.* 184. *num.* 27. & 30.

de hæresi suspecti; tunc enim schisma est sine hæresi, quando quis recedit ab Ecclesia, & capitis vnitate, putans summum Pontificem non esse canonicè electum.

SEquitur 6. quod schisma non semper sit coniunctum cum hæresi, sed possit esse cum hæresi, & sine hæresi; quia ex dictis *sect.* 1. & 2. omnis schismaticus est hæreticus, quandoquidem omnis hæreticus se auertit, & seiungit ab Ecclesia, sicque omnis hæreticus est schismaticus, cùm schisma formaliter sit seiunctio ab Ecclesia; non tamen omnis schismaticus est hæreticus, cum schismaticus non necessariò credat, nec necessariò doceat dogmata, quæ sint contra fidem, seu contra Ecclesiam. 1

Aduerte tamen, quod schisma ordinariè sit coniunctum cum hæresi. Nauarrus *in summa*, *cap.* 27. *numero* 57. Valentia *tom.* 3. *disp.* 3. *quæst.* 15. *punct.* 1. Suarez *tom.* 5. *de censuris*, *disput.* 21. *sect.* 2. *num.* 32. Azor. *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 8. *cap.* 20. *quæst.* 1. & alij passim. Et patet *ex cap. inter hæresim*, 24. *quæst.* 3. vbi dicitur, quod schisma non sit sine hæresi, quia scilicet schisma ordinariè est coniunctum cum hæresi. 2

Aduerte 2. quod tales sint schismatici nostri temporis. Lopez *in addit. ad Diaz, verb. schismatici, cap.* 112. quatenus ait, schisma, & hæreses esse sorores; & nullum esse schisma, quod non sapiat hæresim. Petrus Gregorius *Syntagm. iuris lib.* 33. *cap.* 11. *num.* 8. quatenus loquit, schisma non esse aliud, quàm hæresim. Simanch. *de Cathol. institut. tit.* 58. *num.* 2. quatenus ait, schisma esse sororem hæresis. Et patet *ex cap. denique* 7. *quæst.* 1. & *in cap. firmissimè, de hæreticis*, vbi schismatici, & hæretici æquiparantur; & notant ibi Ostiensis *num.* 1. Butrius *num.* 5. Abbas *num.* 2. Felin. *in principio*, Ioan. Andreas *num.* 1. Socinus *num.* 4. & Ananias *num.* 1. Patet etiam *ex cap.* 1. *de schismaticis in* 6. ibi: [Ipsosque iudicauimus & blasphemos, & tanquam hæreticos puniendos:] Et notant ibi communiter Canonistæ, præcipuè Franch. *num.* 2. & Geminianus *num.* 1. & 4. 3

Aduerte 3. quod schismatici, quamvis (sicuti dicebam) non sint propriè hæretici, sint tamen de hæresi suspecti. S. Thomas 2. 2. *quæst.* 39. *art.* 2. *ad* 3. Caiet. *ibidem*, & *in sum. verb. schisma*, Menoch. *de præsumptionibus*, *lib.* 5. *præsumpt.* 6. *num.* 24. Azor. *tom.* 1. *institut. moral. lib.* 8. *cap.* 20. *quæst.* 4. *circa finem*, & alij, qui subdunt, quod tunc schisma sit sine hæresi, quando quis recedit ab Ecclesiæ, & capitis vnitate, eo quòd putet, Pontificem non fuisse legitimè electum, vel ob sua delicta esse Pontificia authoritate priuatum. 4

SECTIO VII.

An schisma semper sit coniunctum cum hæresi?

COROLLARIVM VI.

SVMMARIVM.

1 *Schisma non semper est coniunctum cum hæresi, sed potest esse cum hæresi, & sine hæresi; omnis enim hæreticus est schismaticus, non tamen è contra.*
2 *Schisma ordinariè est coniunctum cum hæresi.*
3 *Schismatici nostri temporis sunt hæretici etiam; schisma enim & hæresis sunt sorores, & nullum est schisma, quod non sapiat hæresim, & schismatici, & hæretici æquiparantur.*
4 *Schismatici, licèt non sint propriè hæretici, sunt tamen*

SECTIO VIII.

An in iure feratur ipso facto aliqua excommunicatio in schismaticos?

COROLLARIVM VII.

SVMMARIVM.

1 *In schismaticos non fertur in iure excommunicatio aliqua ipso facto, sed solùm per Bullam Cœnæ excommunicantur.*
2 *Verbum damnentur, non importat excommunicationem latæ sententiæ, sed tantùm ferenda.*
3 *Schismatici secundum alios Doctores sunt ipso facto excommunicati* in cap. licèt, de elect. *quod tamen verum non est, excommunicantur enim ibi solùm illi, qui creato vero Pontifice, alium tamen ipsi creant,*

illumque

illumque tanquam Ecclesiæ caput venerantur.

4 *Item secundùm alios censentur excommunicati ipso facto*, in cap. 1. de schismaticis, & in cap. nulli fas, dist. 19. & in cap. de Liguribus, 23. q. 5. *At in dictis locis non habetur talis excommunicatio lata, sed ferenda.*

5 *Item secundùm alios Doctores censentur excommunicati ipso facto*, in cap. 1. de schismaticis, & in d. cap. de Liguribus: *At in primo de excommunicatione nihil legitur, & in secundo solùm præcipitur, quod schismatici excommunicatione, & aliis pœnis puniantur.*

1 Sequitur septimò, quod in iure non feratur ipso facto aliqua excommunicatio in schismaticos, sed solùm schismatici sint ipso facto excommunicati in Bulla Cœnæ Domini, Butrius *in c. 1. de schismaticis, n. 2.* Azorius *tom. 1. Instit. moral. lib. 8. cap. 20. q. 6.* Sayrus *de censuris, lib. 3. cap. 5. n. 19.* & alij multi; quia
2 *in cap. in nomine, 24.* habetur, quod schismatici damnentur; quod verbum non significat excommunicationem latam, sed solùm ferendam.

3 Alij tamen, vt Innocentius *in cap. 1. de schismaticis, n. 2.* Socin. *ibidem, n. 6. & 7.* Decianus *in tract. crimin. lib. 5. cap. 64. n. 1. & cap. 63. n. 2. & seqq.* Hostiensis *in sum. §. qua pœna, n. 3.* Abbas *in rubrica de schismaticis, n. 2.* Rojas *tract. de haret. part. 1. n. 351.* Valent. 2. 2. *q. 39. art. 3. & 4.* Diaz *in practic. crimin. verb. schismaticis, cap. 112.* putant, schismaticos ipso facto excommunicatos esse *in cap. licet, de elect.*

At ibi ipso facto non excommunicantur in vniuersum omnes schismatici, sed tantùm illi, qui creato vero Pontifice, alium adhuc tamen ipsi creant, illumque tanquam Ecclesiæ caput venerantur.

4 Alij, inter quos Syluester *verb. schisma, n. 9.* putant, schismaticos ipso facto esse excommunicatos, *in c. 1. de schismaticis, in cap. nulli fas, distinct. 19. & in cap. de Liguribus, 23. q. 5.*

At in locis suprà allegatis non legitur, schismaticos ipso facto esse excommunicatos, sed esse excommunicandos.

5 Alij tandem, inter quos Turrecrem. *lib. 4. sum. p. 1. cap. 8.* putant, schismaticos esse excommunicatos ipso facto *in cap. 1. de schismaticis, & in d. cap. de Liguribus.*

At *in cap. 1. de schismaticis*, de excommunicatione nihil legitur, *& in d. cap. de Liguribus*, solùm præcipitur, quod schismatici excommunicatione, & aliis pœnis *puniantur*: quæ verba non important excommunicationem ipso facto, seu ipso iure latam, sed solùm ferendam.

SECTIO IX.

An sit verè, & propriè schismaticus, qui est excommunicatus.

COROLLARIUM VIII.

SUMMARIUM.

1 *Excommunicatus, quamvis ab Ecclesiæ communione sit separatus, verè tamen, & propriè non est schismaticus; quia schismaticus intendit se separare ab Ecclesiæ vnitate, quod facere non intendit excommunicatus, cùm non se separet ipse, sed potiùs separetur ab alio à communione fidelium.*

2 *Excommunicatus omnis pertinaciter se subtrahit ab obedientia Pontificis secundùm quid; at non absolutè, & simpliciter: absolutè enim se subtrahit non excommunicatus, sed solùm qui Pontificem non agnoscit vt superiorem, & non vult eidem esse vnitus.*

Sequitur octauò, quod excommunicatus, quamvis ab Ecclesiæ communione sit separatus, verè tamen, & propriè non sit schismaticus; quia schismaticus intendit se separare ab Ecclesiæ vnitate: Quod facere non intendit excommunicatus, cùm excommunicatus non se separet ipse, sed potiùs separetur ab alio à communione fidelium. Abbas *in c. 1. de schismaticis, n. 2.* Hostiensis *ibidem, n. 1.* Ioan. Andreas *in rubrica de schismaticis, n. 3.* Abbas *ibid. n. 1.* Zabarella *n. 1.* Anania *n. 2.* Aocbatanus *n. 1.* Marianus Socinus *n. 9.* Decianus *in tract. crim. lib. 5. c. 60. n. 3.* Tabiena *verb. schisma, in princ. vers. 2.* Armilla *eod. verb. schisma, n. 4.* Rojas *tract. de haret. part. 1. num. 504.* Paulus Grillandus *tract. de hareticis, q. 2. n. 7.* Suarez *tract. 5. de censuris, disp. 21. sect. 2. num. 13.* Reginaldus *lib. 9. n. 258.* Bonacina *disp. 3. q. 4. punct. vltimo, §. 5. vers. 3. propositione 1.* & alij complures, quos citat, & sequitur Fatin. *q. 184. n. 16.* 1

Objicies: Qui se subtrahit ab obedientia Pontificis, excommunicatur in Bulla Cœnæ Domini: sed omnis excommunicatus pertinaciter se subtrahit ab obedientia Pontificis: ergo omnis excommunicatus est schismaticus. 2

Respondetur: Concedo maiorem. At distinguo minorem: omnis excommunicatus pertinaciter se subtrahit ab obedientia Pontificis, secundùm quid, transeat: absolutè, seu simpliciter, nego. Absolutè enim, seu simpliciter ab obedientia Pontificis non se subtrahit excommunicatus, sed solùm ille, qui Pontificem non agnoscit vt superiorem, & non vult eidem Pontifici esse vnitus: Quod facere non intendit excommunicatus, qui tantùm renuit in vna, vel altera re obedire Pontifici: ita DD. quos sequitur Suarez *loco suprà cit. n. 13.*

SECTIO X.

An sit verè & propriè schismaticus, qui est in peccato mortali?

COROLLARIUM IX.

SUMMARIUM.

1 *Schismaticus neque verè, & propriè est, qui est in peccato mortali; quia peccator non se separat ab vnitate Ecclesiæ, cùm vnitas eius consistat in fide, & Sacramentorum vsu cum debita subiectione ad Christum, eiusque Vicarium.*

2 *Peccatores appellantur schismatici*, in cap. Sacerdotes, 1. q. 1. & in cap. Apostolicæ, 24. q. 3. *non strictè, verè, & propriè, sed amplè, & minus propriè.*

3 *Apostata neque est idem quod schismaticus, quia apostata recedens à fide Christi, vel accedit ad Paganismum, vel ad Iudaismum, quod minimè facit schismaticus.*

Sequitur nonò, quod neque verè, & propriè sit schismaticus, qui est in peccato mortali; quia peccator non se separat ab vnitate Ecclesiæ, cùm vnitas Ecclesiæ consistat in fide, & Sacramentorum vsu cum debita subiectione ad Christum, eiusque Vicarium. S. Thomas 2. 2. q. 39. *art. 1. ad 3.* Syluest. *verb. schisma, in princ.* Abbas *in rubrica de schismat. n. 1.* Socinus *ibidem, n. 7. & seq.* Aoanias *n. 1.* Butrius *n. 4.* Afflictus *in constitut. Regni de hareticis, cap. 1. n. 28. rubrica 3.* Tabiena *verb. schisma, in princ. n. 1. vers. 1.* Decianus *in tract. crim. lib. 5. cap. 60. n. 3.* Rojas *tract. de haret. p. 1. n. 503.* Reginaldus, Bonacina, & Farinacius *in locis suprà citatis.* 1

Objicies: *In cap. Sacerdotes, 1. q. 1. & in c. Apostolicæ, 24. q. 3.* peccatores appellantur schismatici: Ergo. 2

 Respon

Respondetur, appellantur schismatici, itavt nomen schismaticorum sumatur strictè, verè, & propriè, nego. Itavt sumatur amplè, & minùs propriè, concedo.

Vbi aduerte, quod neque apostata sit idem, quod schismaticus; quia apostata recedens à fide Christi vel accedit ad Paganismum, vel ad Iudaïsmum. Quod minimè facit schismaticus; cum schismaticus solùm velit Ecclesiam (quæ est vna) in plures Ecclesias diuidere, vel alterum caput constituere: Ita DD. quos sequitur Vgolinus in primam clausulam Bullæ Cœnæ Domini, *vers. necnon schismaticos*, §. 1. *n*. 8.

SECTIO XI.

An sit verè, & propriè schismaticus, qui cùm dubitetur, quisnam sit verus Pontifex, eo quòd plures electi sint Pontifices, nullum agnoscit vt Pontificem?

COROLLARIVM X.

SVMMARIVM.

1 *Schismaticus verè, & propriè non est, qui cum dubitatur, quisnam sit verus Pontifex, eo quòd plures electi sint, nullum agnoscit vt Pontificem: Et ideò neque contrahit dictam excommunicationem Bullarem; quia non renuit subesse Pontifici vt Pontifici, seu Pontifici formaliter; sed tantùm huic personæ, quam putat non esse Pontificem.*

2 *Dubitans prædicto modo, ignorans quisnam sit verus Pontifex, non peccat; consequenter excommunicationem non contrahit, vtpote pœna valde grauis.*

3 *Adhærens Pontifici non vero, in tali casu ob rationem iam dictam, neque contrahit prædictam excommunicationem Bullarem; quem tamen probabiliter putat esse verum, seu legitimè electum, & remouet se ab illo, qui est verus, siue legitimè electus, quem tamen ignorat esse verum, seu legitimè electum.*

4 *Non adhibens debitam diligentiam in inquirendo, quisnam sit verus, siue legitimè electus Pontifex, reputatur schismaticus.*

5 *Schismaticus non est, qui se subtrahit ab obedientia Pontificis, putans probabiliter non esse verum, seu canonicè electum Pontificem; quia tunc non peccat; non enim tenetur obedire superiori, nisi priùs morali certitudine nouerit esse illum superiorem.*

6 *Submittens se dubio Pontifici, potiùs fauet schismati. Quapropter cùm quis electus est in Pontificem, de cuius legitima electione non satis constat, Ecclesia non tenetur illum vt Pontificem acceptare, illique obedire, & consequenter neque ipse poterit Officium Pontificis exercere.*

7 *Pontifex etiam ille, de cuius legitima electione prudenter dubitari non potest, tenetur cedere iuri, quod habet, & renunciare Pontificatum, si cognoscat, quod alia via Ecclesia pacem habitura non sit, quia Officium boni pastoris est pro ouibus suis ponere animam suam.*

1 SEquitur decimò, quod nec iste talis sit verè, & propriè schismaticus, atque adeò nec contrahat excommunicationem in Bulla Cœnæ Domini; quia non renuit subesse Pontifici vt Pontifici, seu Pontifici formaliter, sed solùm huic personæ, quam putat non esse Pontificem, & consequenter Pontifici solùm materialiter. Caiet. *verbo schisma, circa finem*, Syluest. *eodem verbo, q. finali*, S. Antoninus 3. *p. tit*. 3. *cap*. 11. Simanch *de cathol. Instit. cap*. 56. *in fine*, Turrecrem. *tract. de Ecclesia, lib*. 4. *part*. 1. *cap*. 14. Sayrus *lib*. 3. *de censuris, cap*. 5. *n*. 22. Grassius *lib*. 4. *c*. 18. *n*. 54. Vgolin. *in primam clausulam Bullæ Cœnæ Domini, vers. necnon schismaticos*, §. 1. *n*. 2. *& seqq*. Valentia 2. 2. *disp*. 3. *q*. 15. *punct*. 1. *proposit*. 3. Petrus de Ledesma *in sum. tom*. 2. *tract*. 3. *cap*. 12. *concl*. 3.

2 Confirmatur, quia iste talis, cùm quisnam sit verus Pontifex, ignoret, non peccat: Ergo excommunicationem non contrahit; cùm excommunicatio, vtpote pœna valdè grauis, non contrahatur, nisi propter peccatum graue, seu mortale, *cap. nullus, & cap. nemo Episcoporum*, 11. *q*. 3.

3 Ob eandem rationem iam dictam neque contrahit excommunicationem in Bulla Cœnæ Domini, qui adhæret Pontifici non vero, quem tamen probabiliter putat esse verum, seu legitimè electum Pontificem: & remouet se ab illo, qui est verus, seu legitimè electus Pontifex; quem tamen ignorat esse verum, seu legitimè electum Pontificem. Glossa *in summario* 24. *q*. 1. *vers. qui verè*, Abbas *in c. quia, de elect. n*. 2. *& in rubrica de schismatic*. S. Antoninus 2. *p. tit*. 11. §. 6. Castro *lib*. 1. *aduersùs hæreses, c*. 9. *verb. schisma*, Turrecr. *lib*. 4. *de Ecclesia, part*. 1. *c*. 14. *proposit*. 4. Vgolin. *loco suprà citato*, §. 1. *n*. 3. Aluar. Pelagius *de Principatu Ecclesiæ, art*. 65. Simanch. *de cathol. instit. tit*. 58. *n*. 9. Rojas *de hæret. part*. 1. *n*. 507. & alij passim.

4 Aduerte tamen, quod qui non adhibet debitam diligentiam in inquirendo, quisnam sit verus, seu legitimè electus Pontifex, reputatur schismaticus, *c. quoties cordis*, 1. *q*. 1. *& in c. schisma*, 24. *q*. 1. & tradit Gloss. *ibi*, & *in c. Relegantes*, 23. *q*. 4. Socin. *in c. fraternitatis, de schismaticis, n*. 11. Fel. *in c*. 1. *de hæret. q*. 13. *c*. 24. & 25. & Turrecr. *in sum. de Ecclesia, lib*. 4. *p*. 1. *c*. 14. *propos*. 2.

5 Breuiter igitur dico, quod non sis schismaticus, si te subtrahas ab obedientia Pontificis, quem probabiliter putas, non esse verum, seu canonicè electum Pontificem; quia tunc non peccas: Non enim teneris obedire superiori, nisi priùs morali certitudine noueris, esse illum superiorem. Suarez *disp*. 12. *sect*. 2. *circa fin*. Valent. *disp*. 3. *q*. 15. *punct*. 1. *proposit*. 5. Coninch. *disp*. 30. *dub*. 5. *n*. 36. & 42. Sanchez *lib*. 2. *moral. c*. 36. *n*. 3. & alij communiter. 6 Imò potiùs schisma foueres, si dubio Pontifici te submitteres: quapropter cùm quis electus est in Pontificem (de cuius legitima electione non satis constat) Ecclesia non tenetur illum vt Pontificem acceptare, illique obedire, & consequenter neque ipse poterit Officium Pontificis exercere, cùm ad hoc Officium necessariò requiratur, quod possit cogere subditos, vt sibi obediant. Imò potiùs ipse tenetur iuri illi dubio suo cedere, ad hoc vt Ecclesia de pastore sibi prouideat. Non enim pastorem habet, dum dubium illum habet. Caietanus, & alij, quos sequitur Coninch. *cit. disp*. 30. *dub*. 5. *n*. 44. 7 vbi etiam ait, quod aliquando Pontifex, etiam ille de cuius legitima electione prudenter dubitari non potest, teneatur cedere Iuri, quod habet, & renunciare Pontificatum, si cognoscit, quod alia via Ecclesia pacem habitura nō sit, quia Officium boni pastoris est pro ouibus suis ponere animam, *Ioan*. 10. Ergo multò magis ponere honorem, & authoritatem: tum quia quilibet tenetur expendere proprium pro bono communi: ergo & Pontifex etiam tenebitur expendere authoritatem Pontificiam pro pace Ecclesiæ, quæ bonum commune est. Vide quæ dicentur *infrà, sect*. 14.

SECTIO XII.

Quàm graue sit peccatum schismatis?

COROLLARIVM XI.

SVMMARIVM.

1 *Schisma adeò graue peccatum est, vt nequeat esse veniale, nisi solùm ex defectu perfectæ deliberationis, non autem ex paruitate materiæ.*

1 *Schisma est summum malum, & à Deo punitur magis quàm parricidium, vel idololatria, &c.*

3 *Per schismatis peccatum grauiter offenditur diuina maiestas; schismaticus enim est rebellis, perfidus, & sacrilegus, inobsequens, famus, & filius impius.*

4 *Schismaticus quamvis grauissimè peccet, nihilominus si ad Ecclesiam redire velit, recipitur praua erroris abiuratione, & promittere tenetur se esse semper perstiturum in vnitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & nunquam ad schisma reuersurum.*

Sequitur vndecimò, quod adeò graue sit peccatum schismatis, vt non possit esse veniale, nisi solùm ex defectu perfectæ deliberationis, non autem ex paruitate materiæ, sicuti dicebam *supra sect.* 1. *aduert.* 7. & tradunt DD. communiter, quos *ibi* citabam.

2 Videri etiam poterit Ignatius Lopez *in Addit. ad Diaz in practica criminali, verbo schismatici, c.* 111. vbi ait, quod schisma sit summum malum, & à Deo puniatur magis, quàm parricidium, vel idololatria, &c. & Petrus Gregorius *syntagmat. iuris lib.* 33. *c.* 11. *n.* 1. vbi inquit, quod per hoc peccatum grauiter offendatur Diuina Maiestas, quodque schismaticus sit rebellis, perfidus, sacrilegus, inobsequens, seruus, & filius impius; & meritò, quia *in cap. alienus,* 24. *q.* 1. schismatici dicuntur hostes Dei, & *in cap. Quicumque,* eadem causa & quæstione, dicuntur esse in statu perditionis, & *in cap. afferamus,* eadem causa, & quæstione reputantur paganis deteriores.

3 Cæterùm, quamvis schismaticus grauissimè peccet, nihilominus si ad Ecclesiam reuerti velit, recipitur: debet tamen errorem suum abiurare, *cap. omnis cuiuslibet,* 1. *q.* 1. & *cap. quoties,* 1. *q.* 7. vbi refertur forma, qua debet vti in abiuratione: promittere enim tenetur schismaticus, quod semper sit perstiturus in vnitate S.R. Ecclesiæ. Quodque ounquam fit ad schisma ceuersurus, & tradunt Peña *in directorio Inquisitorum, p.* 2. *q.* 48. *comment.* 73. Vgolin. *vers. necnon schismaticos,* §. 2. *n.* 1. *in Bulla Cœna,* Gofftedus *in sum. de schismaticis, n.* 5. Simanch. *de cathol. Inst. tit.* 58. *n.* 6. Iacobatius *tract. de Conciliis, lib.* 7. *n.* 4. & alij passim.

SECTIO XIII.

An schismatici sint membra Ecclesiæ?

SVMMARIVM.

1 *Schismatici licèt secundùm aliquos DD. sint membra Ecclesiæ, probabilius tamen est oppositum.*

2 *Quod quidem primum probatur ex patribus, Cypriano, Augustino, & Fulgentio, necnon ex Iure Canonico,*

3 *Item ratione, quia Ecclesia debet esse vna vnione membrorum inter se, & cum suo capite, quam vnionem schismaticus sciungendo se ab aliis membris Ecclesiæ, & ab eius capite tollit.*

4 *Ecclesia in die Parasceues orat Deum, vt Hæreticos, & schismaticos dignetur reuocare ad Ecclesiam; ex quo infertur supponere, schismaticos non esse de Ecclesia.*

5 *Schismatici sunt membra Ecclesiæ ex parte, seu secundùm quid, non autem simpliciter, & absolutè.*

6 *Infideles, & gentiles multò magis non sunt de Ecclesia, seu de corpore Ecclesiæ, sed extra Ecclesiam.*

7 *Hæretici simpliciter, siue absolutè, non sunt de Ecclesia; sunt tamen ex parte, & secundùm quid, scilicet quoad baptismum.*

8 *Excommunicati absolutè, & simpliciter sunt membra Ecclesiæ, seu de corpore Ecclesiæ, vel intra Ecclesiam; quin possunt esse vniti Christo, non solùm per baptismum, sed etiam per fidem, & vlterius per charitatem, & pertinent ad Ecclesiam quoad externam gubernationem.*

9 *Iura, & DD. asserentes excommunicatos non esse membra Ecclesiæ, intelligendi sunt ex parte, siue secundùm quid, non autem simpliciter, siue absolutè.*

Respondetur, quod quamvis Alphonsus de Castro *lib.* 1. *de iusta hæreticorum punitione, c.* 24. Valentia *a.* 2. *disp.* 3. *q.* 15. *punct.* 3. Turrianus *de fide, disp.* 14. *dub.* 1. *diffic.* 3. affirment, probabilius sit oppositum, quod docent Vvaldensis *tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 9. *doctrinalis fidei antiquæ,* Driedo *lib.* 4. *de scripturis, & dogmat. Ecclesiast. c.* 2. *p.* 2. Decian. *in tract. criminal. lib.* 5. *c.* 67. *n.* 20. Imola *cons.* 164. *n.* 17. Bellarm. *tom.* 1. *lib.* 3. *de Ecclesia, c.* 5. Azor. *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 8. *c.* 20. *q.* 5. Iacobatius *de Conciliis, lib.* 7. *art.* 1. *ad* 3. *dubium,* Farinac. *de hæresi, q.* 174. §. 2. *n.* 4. & Ricciullus *de iure personal. lib.* 9. *c.* 2. *n.* 5. 1

Probatur ex Cypriano *lib.* 4. *epist.* 9. *ad Florentinum,* & refertur *in c. scire debes,* 7. *q.* 1. vbi dicitur: [Scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, vt Ecclesia est in Episcopo; & si quis in Episcopo non sit, in Ecclesia non esse.] Sed schismatici non sunt in Episcopo: ergo neque ctunt in Ecclesia. 2

Secundò probatur ex Augustino *lib. de fide & symbolo, cap.* 10. & refertur *in cap. loquitur Dominus,* 24. *q.* 1. vbi ait, quod neque hæretici, neque schismatici pertineant ad Ecclesiam.

Tertiò probatur *ex cap. pudenda, & c. schisma,* 24. *q.* 1. vbi Pelagius Papa probat, quod schismatici non sint de Ecclesia, idemque patet *ex c. Nouatianus,* 7. *q.* 1. *cap. non vos,* 24. *q.* 5. & *c. quoniam, q.* 1. & ex Catechismo Romano *in explicatione Symboli,* vbi etiam habetur, quod similiter schismatici non sint de Ecclesia, seu de corpore Ecclesiæ.

Quartò probatur ex Fulgentio *de fide ad Petrum, cap.* 38. & 39. vbi expressè tradit, quod schismatici sint extra Ecclesiam.

Quintò probatur ratione, quia Ecclesia debet esse vna anima membrorum inter se & cum suo capite; ideò enim vocatur *vnum ouile,* sub vno scilicet pastore, *Ioan.* 10. & vocatur *vnum corpus,* ad Roman. 10. ibi: *Vnum corpus sumus alterius membra:* & vocatur *vna sponsa,* atque *vna columba,* Cantic. 6. Sed schismaticus sciungendo se ab aliis membris Ecclesiæ, & à capite Ecclesiæ, tollit hanc vnionem; schismaticus enim non vult esse amplius membrum illius corporis, cuius sunt alij fideles; nec vult esse sub illo capite, sub quo sunt alij fideles: ergo non potest esse de Ecclesia, seu de corpore Ecclesiæ, vel intra Ecclesiam. 3

Confirmatur, quia Ecclesia in die parasceues orat Deum, vt hæreticos, & schismaticos dignetur reuocare ad Ecclesiam: ergo supponit, quod isti tales non sint de Ecclesia, sed sint extra Ecclesiam. 4

Obijcies ex aduersariis: schismatici sunt membra Ecclesiæ, cum schismatici habeant baptismum, & fidem, per quam homines sunt membra Ecclesiæ: ergo sunt de Ecclesia, seu de corpore Ecclesiæ, vel intra Ecclesiam, cùm Ecclesia sit Congregatio Catholicorum, *cap. Ecclesia, de consecratione dist.* 1. & cùm Ecclesia sit Congregatio fidelium, *cap. firmiter, de summa Trinitate, & fide Catholica:* Ergo, &c. 5

Respondetur distinguendo antecedens: schismatici sunt membra Ecclesiæ, ex parte, seu secundùm quid (scilicet quoad baptismum, & fidem) concedo: sunt membra Ecclesiæ simpliciter & absolutè, nego ob rationes iam dictas. Vt omittam, quod schismatici non sint propriè Catholici; quia ad hoc requiritur, vt profiteantur fidem Catholicam in Ecclesia Catholica; vtque omittam, quod in dictis capitibus non tradatur Ecclesiæ definitio plena, & perfecta, sed solùm quatenus per illa verba excluduntur hæretici ab Ecclesia.

Hinc

6 Hinc sequitur, quod moltò magis (simpliciter scilicet, & absolutè) non sint de Ecclesia, seu de corpore Ecclesiæ, sed extra Ecclesiam Infideles, & Gentiles, iuxta illud 1. Corinth. 5. *Quid enim mihi de his, qui foris sunt, iudicare?*

7 Sequitur secundò, quod neque (simpliciter scilicet & absolutè) sint de Ecclesia, seu de corpore Ecclesiæ, sed extra Ecclesiam Hæretici, licèt ex parte, seu secundùm quid (scilicet quoad baptismum, vel etiam quoad ipsius Baptismi, vel alterius Sacramenti characterem) possint dici esse de Ecclesia, seu de corpore Ecclesiæ, vel intra Ecclesiam.

8 Sequitur tertiò, quod è contra (simpliciter scilicet, & absolutè) sint membra Ecclesiæ, seu de corpore Ecclesiæ, vel intra Ecclesiam excommunicati; quia possunt isti esse vniti Christo, non solùm per baptismum, sed etiam per fidem, & vlteriùs per charitatem. Tum quia pertinent etiam ad Ecclesiam quoad externam gubernationem: tum quia hæc videtur esse sententia expressa S. Augustini *libro contra Donatum*, quatenus ibi ait: [Neque à populo Dei separamus, quos excommunicando ad humiliorem locum redigimus.]

9 Non obstat, quod nonnulli, vt Glossa *in cap. Si quis non rectè*, 24. q. 3. *& in cap. Quomodo*, 11. q. 3. *verbo non alligat*, & *in cap. 1. de sententia excommunicationis, in 6.* Geminianus *ibid. n. 17.* Innoc. *in cap. ex parte, de offic. Iud. ordin. circa fin.* Abbas *ibid. n. 6. & in cap. Per tuas, de senten. excommun. num. 3.* Thomas Vualdensis *tom. 1. doctrinalis fidei antiqua, lib. 2. c. 8.* Ioannes Driedo *lib. de scriptura, & Ecclesiast. Dogmatib. c. 2. part. 2.* Turrecr. *tom. 1. lib. 8. summa de Ecclesia, c. 3.* Bellarm. *lib. 3. de Ecclesia, c. 6.* Catechismus Romanus *in explicatione Symboli*, Alterius *de censuris, tom. 1. lib. 1. disp. 5. c. 10.* Seraphinus Costa *in cap. 1. de sent. excommun. n. 10.* Calder. *in cap. Ab excommunicato, de rescriptis, n. 6.* Anchar. *cons. 60. circa finem*, Romanus *cons. 369. n. 12.* Federicus de Senis *cons. 74. n. 4.* Corduba *lib. 1. quæst. q. 34.* & Clarus *in § finali, q. 77. n. 3.* tradunt oppositum, scilicet excommunicatos non esse membra Ecclesiæ, seu de corpore Ecclesiæ, sed extra Ecclesiam: & probant *ex cap. Omnis Christianus, cap. Cùm aliquis, c. Quicumque, cap. Videas, 11. q. 3. cap. de Communione, c. Sacerdotes, c. Apostolica, 24. q. 1. cap. Per tuas, de sent. excommun. & c. Canonica, 11. q. 3.* ibi: [Canonica instituta, & Sanctorum Patrum exempla sequentes, Ecclesiarum Dei violatores authoritate Dei, & Iudicio S. Spiritus à gremio sanctæ matris Ecclesiæ, & à consortio totius Christianitatis eliminamus.]

Respondetur enim, quod intelligant solùm ex parte, seu secundùm quid (quatenus scilicet excommunicati priuantur communi consortio fidelium,) non autem simpliciter, & absolutè; quia excommunicatio non separat hominem ab Ecclesia simpliciter, & absolutè, sed solùm ab Ecclesiæ Sacramentis, suffragiis communibus, & fidelium consortio.

SECTIO XIV.

An Summus Pontifex cogi possit ad renunciandum Pontificatum pro tollendo schismate?

SVMMARIVM.

1 *Pontifex verus, si constet esse verum, & legitimum Pontificem, & vexetur à pseudo-Pontifice iniustè, non est cogendus ad renunciandum Pontificatum; quia daretur ansa Principibus ad talem coactionem.*

2 *Scandalum, quod sequitur in Ecclesia casu quo verus, & legitimus Pontifex nolit renunciare Pontificatum, non sequitur ex culpa Pontificis, sed ex malitia hominum improborum.*

3 *Pontifex verus, & legitimus, cùm cogitur ad renunciandum Pontificatum, tota Ecclesia perturbatur: hinc infertur quod teneatur viriliter resistere.*

4 *Prælati debent pro domo Domini tanquam murum seipsos opponere; quia Christus Dominus, quamuis, vexaretur à Iudæis, non propterea cessauit variis argumentis, & miraculis suam dignitatem defendere, nec voluit sua dignitati renunciare.*

5 *Pontifex verus, & legitimus, qui admitteret suam dignitatem, dum videt Principes laicos venire aduersus eum verum, & legitimum, faceret contra Pastoris officium, qui dimittit oues dum videt lupum venientem.*

6 *Nauta perperam ageret contra suum officium, si dimitteret in fluctibus nauim in detrimentum nauis illius domini: sic perperam ageret contra suum officium verus, & legitimus Pontifex renunciando dignitati, &c.*

7 *Excipe, nisi Pontifex videat, quod si non renunciaret, alia via Ecclesia Christi pacem habitura non sit.*

8 *Pontifex, quando nullum est schisma, iurans ante electionem, quod quotiescumque Cardinales voluerint, Pontificatum renunciaturus sit, cogi postea non potest ad renunciandum; neque tale iuramentum obligat eum ad id faciendum, quia tale iuramentum, vtpote diminuens Romani Pontificis maiestatem, non est Deo acceptum, ac proinde non tenet, & est inualidum.*

9 *Schisma est quando quis eligitur in verum, seu legitimum Pontificem, iurans similiter ante electionem, quod si contingat, vt alter, qui se gerebat pro vero Pontifice, renunciet Pontificatum, vel decedat, ipse quoque renunciaturus sit, cogi è contra poterit ad renunciandum, si sic expediens fuerit Ecclesiæ Christi; quia tale iuramentum, cum præstetur propter commune bonum Ecclesiæ, est Deo acceptum.*

10 *Cardinales si in eligendo Pontifice non conuenia nt, itaut propterea plures Pontifices eligantur, nec constet de vero & legitimo Pontifice, tunc Concilium cos cogere poterit ad renunciandum Pontificatum, etiamsi tales electi non iurauerint ante electionem, quod renunciaturi sint post electionem; quia sic exigit in tali casu commune bonum Ecclesiæ.*

Respondetur, & dico primò: Quando constat, aliquem esse verum, seu legitimum Pontificem, & à pseudo-Pontifice (vt ipse pontificiam potestatem vsurpet) iniustè vexatur, cogi non potest verus, seu legitimus Pontifex ad renunciandum Pontificatum. 1 Baldus *in cap. Pastoralis, de elect. n. 11. & seqq.* Imola *in c. Nisi cùm pridem, §. Alia verò, de renunciat, n. 24.* Alban. *de potestate Papæ, p. 1. n. 197.* Turrecr. *in sum. de Ecclesia, lib. 4. p. 1. c. 14.* Bursat. *lib. 4. cons. 442. n. 37.* Gambar. *in repet. extrau. Iulij II. n. 256.* Ioan. Bapt. Castellinus *in Addit. ad Rem. sing. 803.* & Iacobat. *lib. 9. de Conciliis, art. 3.*

Probatur, quia sic possent Principes vexare verum, seu legitimum Pontificem, & cogere illum ad renunciandum Pontificatum, ex qua re complura mala, & scandala sequerentur.

Confirmatur, quia si interdum, cùm Pontifex verus, seu legitimus non vult renunciare Pontificatum, aliquod inconueniens, & scandalum in Ecclesia sequatur, non sequitur illud ex culpa Pontificis, sed ex malitia hominum improborum, & propterea non esset scandalum pusillorum, sed Pharisæorum: ergo tale inconueniens, & scandalum non est tribuendum Pontifici, & consequenter non tenetur Pontifex renunciare Pontificatum.

Confir

5 Confirmatur secundò, quia cùm iniustè cogitur Pontifex verus, seu legitimus renunciare Pontificatum, tota Ecclesia perturbatur: ergo tunc Pontifex verus, seu legitimus non solùm non tenetur renunciare Pontificatum, sed etiam tenetur viriliter resistere. Antecedens patet. Consequentia probatur, quia cùm id Principes tentant, fides impugnatur; cum vbi est schisma, ibi ordinariè sit hæresis, *cap. inter hæresim*, 24. q. 3. Ergo ex Augustino *in psalmum* 52. versic.
4 *Ecce elongaui fugiens*, Prælati debent pro domo Domini tanquam murum seipsos opponere: tum quia Christus Dominus quamuis vexaretur à Iudæis, qui nolebant eum, tanquam Dei filium acceptare, non propterea cessauit variis argumentis, & miraculis suam di-
5 gnitatem defendere, nec voluit suæ dignitati renunciare: tum quia, sicut facit contra pastoris officium, qui dimittit oues, dum videt lupum venientem, sic etiam faceret contra suum officium verus, seu legitimus Pontifex, qui dimitteret suam dignitatem, dum videt Principes laicos venire aduersùm suam veram, seu legitimam dignitatem, vt hac ratione dimittat oues, quarum à Christo Domino est creatus verus,
6 seu legitimus pastor: tum quia perperam ageret contra suum officium nauta, si dimitteret in fluctibus nauim, in detrimentum nauis illius Domini: ergo multò magis peperam ageret contra suum officium verus, seu legitimus Pontifex, si suam dignitatem veram, seu legitimam, cum iniquè vexatur ad illam renunciandam, dimitteret in detrimentum Ecclesiæ Christi.
7 Excipe tamen casum, si Pontifex videat, quod si non renunciet, alia via Ecclesia Christi pacem habitura non sit, iuxta ea, quæ diecbam *suprà sect.* 21. *circa* finem.
8 Dico secundò: si quando nullum est schisma, quis eligatur in verum, seu legitimum Pontificem, iurans ante electionem, quod quotiescumque Cardinales voluerint, ipse Pontificatum renunciaturus sit, cogi postea non potest ad renunciandum; nec tale iuramentum obligat eum ad id faciendum. Baldus *in cap. venerabile, de electione, n.* 20. Franch. *in cap.* 1. *de renunciat. in* 6. *n.* 3. Ancharanus *in Regulu accessoriorum, de Regul. iur. in* 6. *n.* 10. Iacobatius *lib.* 9. *de Conciliis, art.* 4. & alij passim.

Probatur, quia huiusmodi iuramentum, cum Romani Pontificis maiestatem, & authoritatem diminuat, non est Deo acceptum, ac proinde non tenet, sed est prorsus inualidum; & talis conditio, tanquam turpis, habetur pro non adiecta, iuxta doctrinam communem Iuristarum, & Canonistarum. Abb. *in cap. sicut e. de iureiurand. notabil.* 3. Felin. *in cap.* 1. *de probat. n.* 7. Alexandr. *lib.* 6. *consil.* 224. *n.* 2. Calderini *consil.* 3. *de iureiurand.* & aliorum passim.
9 Dico tertiò, si verò quando est schisma, quis eligatur in verum seu legitimum Pontificem, iurans similiter ante electionem, quod si contingat, vt alter, qui se gerebat pro vero Pontifice, renunciet Pontificatum, vel decedat, ipse quoque renunciaturus sit, cogi è contra poterit ad renunciandum, si sic expediens fuerit Ecclesiæ Christi, Baldus *cit. cap. venerabile, de elect. n.* 10. Franchus *cit. cap. de renunciatione, in* 6. Ancharanus *citato n.* 10. *q.* 6. Iacobatius *cit. lib.* 9. *art.* 3. & Butrius *in cap.* 1. *de constitutionib. n.* 1.

Probatur, quia tale iuramentum, cum præstetur propter commune bonum Ecclesiæ, est Deo acceptum, atque adeò est validum, & obligans iurantem, vt illud exequatur, & præstet.
10 Dico quartò: si Cardinales in eligendo Pontifice non conueniant, ita vt propterea plures Pontifices eligantur, nec constet de vero, seu legitimo Pontifice, tunc Concilium eos cogere poterit ad renunciandum Pontificatum, tametsi tales electi non iurauerint ante electionem, quod renunciaturi sint post electionem. Baldus *vbi suprà, n.* 17. Ancharanus *cit. Regula Accessoriorum, n.* 2. *& consil.* 66. Cardinalis *in cap. licet, de electione, vers. quintus modus*, & *consil.* 150. *numer.* 14. Decius *in cap. porrectum, de confirmatione vtili, vel inutili, numer.* 3. *& seqq.* Franchus *loco suprà citato*, Bursat. *lib.* 4. *consil.* 441. *n.* 37. Gamb. *in repetit. extrauag. Iulij* 11. *num.* 55. Barbat. *consil.* 1. *n.* 11. & alij communiter.

Probatur, quia in tali casu sic exigit bonum commune Ecclesiæ: vt omittam, quod nullus ex electis in Pontificatum ius certum habeat.

SECTIO XV.

An schismatici propter schismatis delictum priuentur omnibus beneficiis ante schisma obtentis;

SVMMARIVM.

1 *Schismatici propter schismatis delictum priuantur omnibus beneficiis ante schisma obtentis.*

2 *Schismatici quamuis ipso facto non priuentur beneficiis ante schisma obtentis, sunt tamen inhabiles in posterum ad beneficia obtinenda, necnon etiam ad ordines suscipiendos, quidquid alij in contrarium sentiant.*

3 *Summus Pontifex solus potest dispensare in hac inhabilitate, quia illius tantùm est soluere, cuius est ligare.*

4 *Excipe si delictum schismatis sit occultum; quia in tali casu in ea inhabilitate potest dispensare Episcopus ex vi decreti Tridentini.*

Affirmant Glossa *in cap.* 1. *de schismaticis*, Rebuff. 1 *in praxi beneficior. rubrica de modo amittendi beneficia, num.* 29. Simanch. *de catholic. institut. tit.* 58. *num.* 7. Parisius *de resignatione beneficij, lib.* 3. *quæst.* 1. *num.* 36. Azor. *lib.* 8. *instit. moral. tom.* 1. *cap.* 20. *quæst.* 8. & alij multi.

Probant *ex cap. quia diligentia, de elect.* At tenera ibi hoc non dicitur, sed solùm, quod schismatici sint inhabiles in posterum ad beneficia obtinenda.

Secundò probant *ex cap. non consuetudine, distinct.* 12. At reuera etiam nec ibi hoc dicitur. His ergo non obstantibus, meliùs

Respondetur, quod schismatici, quamuis ipso facto 2 non priuentur beneficiis ante schisma obtentis, sint tamen inhabiles in posterum ad beneficia obtinenda, necnon etiam ad ordines suscipiendos, quamuis (quidquid quidam in contrarium sentiant, vt *suprà dubit.* 48. *sect.* 4. dicebam) ad pœnitentiam redierint. Speculator *in tit. de dispensat.* §. *iuxta, vers.* 14. Raymundus *in summa, verbo schisma, vers. vltimo*, Ioan. Ananias *in rubrica de schismatic. n.* 1. Penna *in directorio Inquisit. part.* 2. *q.* 48. *commentar.* 73. *vers. cognitu dignum est*, Suarez *tom.* 5. *de censuris, disput.* 43. *sect.* 2. *num.* 7. Decianus *in tractat. criminal. lib.* 5. *cap.* 66. *num.* 7. *& cap.* 67. *num.* 10. *& seqq.* Maiolus *de irregularitate, lib.* 5. *cap.* 46. *num.* 2. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 36. *num.* 19. Iacobatius *tract. de consil. lib.* 7. *art.* 4. & Azor. *tom.* 1. *instit. moral. cap.* 20. *quæst.* 8.

Probatur *ex d. cap. quia diligentia, de electione*, & ex iis, quæ dicebam *dubit.* 48. *sect.* 4. *per totam.*

Hinc sequitur, quod solus Summus Pontifex possit 3 dispensare in hac inhabilitate; quia illius tantùm est soluere, cuius est ligare, & tenet Abbas *in eodem cap. quia diligentia, n.* 7.

Excipe, si delictum schismatis sit occultum, quia 4 in tali casu poterit in ea inhabilitate dispensare Episcopus ex vi decreti Tridentini Concilij *session.* 24.

de reformat. cap.6. quatenus ibi conceditur Episcopis, quod dispensare possint in omni inhabilitate, quæ prouenit ex delicto occulto. Vide quæ dicebam *cit. dub.48. sect.4. per totam.*

SECTIO XVI.

An schismatici sint irregulares?

SVMMARIVM.

1 *Schismatici, licèt secundùm aliquos Doctores sint irregulares; probabilius tamen est oppositum, quia id nullo iure habetur.*

2 Ex cap. Quia diligentia, de electione, *tantùm habetur, Schismaticos esse inhabiles ad beneficia consequenda; non autem esse irregulares.*

3 *Schismatis crimen si sit notorium, Schismatici sunt irregulares eo modo, quo irregulares sunt omnes, qui commiserunt crimen aliquod notorium depositione dignum, Quo casu talis irregularitas cessaret per pœnitentiam.*

1 RESpondetur, quod quamvis affirment Maiolus *lib.5.cap.46.de irregularitate,num.4.* Azor, *tom.1. Instit.moral.lib.8.cap.90.quæst.8.* Duard *in Bull.Cœna, lib.2.quæst.56.n.5.* & Peña *in directorio Inquis.part.2. q.48. commentar.73. vers. Cognitu dignum est.* Probabilius tamen sit oppositum, quod docent Suarez *tom.5. dispu.33.sect.2.num.7.* Sanchez *lib.2. moral. cap.16. n.10.* & Sayrus *de censuris, lib.7.cap.12. n.20.* Schismaticos scilicet non esse irregulares, sed iuxta ea, quæ dicebam *sect. præcedenti*, inhabiles solùm ad beneficia consequenda.

Probatur, quia nullo iure habetur, eos esse irregulares; & ex alio capite irregularitas ex communi sententia Doctorum, utpotè nimis odiosa, non est apponenda, vbi expressè non apparet.

2 Non obstat, si dicas cum aduersariis, id haberi *in cap. Quia diligentia, de electione.*

Respondetur enim, nego antecedens, cùm ibi tantùm habeatur, Schismaticos esse inhabiles ad beneficia consequenda, iuxta ea, quæ citata sectione præcedenti dicebamur.

3 Cæterùm, si crimen Schismatis sit irregulare, eo tamen modo, quo sunt irregulares omnes, qui commiserunt crimen aliquod notorium depositione dignum, quo casu cessaret talis irregularitas per pœnitentiam, sicut cessatet per pœnitentiam infamia orta ex tali delicto, ad quam infamiam sequebatur prædicta irregularitas. Vide quæ dicebam *suprà, dubitat. 48. sectione quinta.*

SECTIO XVII.

An collationes beneficiorum factæ ab Episcopis schismaticis sint ipso iure nullæ?

SVMMARIVM.

1 *Collationes beneficiorum factæ ab Episcopis Schismaticis sunt ipso iure nulla, contra nonnullos Doctores.*

2 *Gesta à Schismaticis vniuersaliter non esse valida, constat ex Iure.*

3 *Actus, qui fiunt sede vacante, dicuntur nulli, ac Ecclesia dicitur vacare, quamdiu habet Pastorem Schismaticum.*

4 *Schismatici cùm habeantur tanquam intrusi, alienationes ab illis factæ erunt inualidæ.*

1 RESpondetur, quod quamuis negent Suarez *tom.5. in 3.part.disp.33.sect.3. num.4.* & Sanchez *lib.2. moral.cap.36.num.10.* quatenùs aiunt, quod sint solùm annullandæ: probabilius tamen est oppositum, quod docent alij, esse scilicet ipso iure nullas.

Probatur *ex cap.1. de Schismaticis*, vbi dicitur, eos qui dignitates Ecclesiasticas, seu beneficia per Schismaticos acceperunt, carere impetratis, alienationes etiã ab ipsis factas de rebus Ecclesiasticis carere firmitate, & ad Ecclesias sine omni onere reuerti, quemadmodum similiter nullæ sunt etiam vniones, & tenet Rota in Valentina Vnionis, 2. Iunij 1606. coram Coccino.

2 Confirmatur, quia vniuersaliter gesta à Schismaticis non esse valida, constat *ex cap. 1. de Schismaticis*; & docent ibi Glossa *verb. firmitate, & in cap. precaria, 11. quæst.2. & in cap. alienationes, 12. q.2. verb. Alienationes*, Præpositus *ibidem, n.1.* & Rota *dec.512. apud Seraphinum.*

3 Confirmatur secundò, quia actus qui fiunt sede vacante, dicuntur nulli *in dicto cap. Precaria, & in cap. Si qua de rebus, 12. q.1.* & docet præter alios Abbas *in cap. Causam qua, de Iudic. num.11.* sed Ecclesia, quamdiu habet Pastorem Schismaticum, dicitur vacare, *cap.1. & cap. Cùm vobis, de præscription.* Ergo.

4 Confirmatur tertiò, quia cum Schismatici habeantur tanquam intrusi, alienationes ab illis factæ erunt inualidæ, siquidem *in cap. Nihil, de election. & in cap. Alienationes, 12. quæst.2.* dicitur, alienationes factas ab intrusis nihil valere. Vide quæ dicebam *dubitatione 48. sect.5.*

SECTIO XVIII.

An possint Inquisitores procedere contra Schismaticos?

RESpondemus: de hac re dixi *dubitat.48. sect.6.* Cætera quæ spectant ad Schismaticos, & ad istorum pœnas, vide *dub.47. & citat. dub.48. per totas.*



DVBITATIO CCXXXVI.

De apostatis à Religione.

DIxi *dubit.47.* quod triplex sit apostasia. Prima ab Ordine sacro vel Religione, secunda ab obedientia, tertia à Fide; de quibus omnibus ibi. Nunc autem hic diffusiùs dicam de apostasia, & apostatis à Religione; sicque etiam de Religiosis dimittentibus habitum, de euntibus ad studia sine licentia, de fugitiuis, de eiectis, & de transeuntibus ad aliam Religionem. Quare sit

SECTIO I.

An Religiosus dimittens, seu non deferens habitum suæ Religionis, excommunicationem incurrat?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus dimittens, seu non deferens habitum suæ Religionis, excommunicationem incurrit, ex Textu* in c. Vt periculosa, ne Clerici, vel Monach. in 6.

2 *Religiosus dimittens habitum suæ Religionis non incurrit*

incurrit dictam excommunicationem, si iusta de causa habitum suæ Religionis dimittat, seu non deferat; quia non dicuntur fieri temerè, quæ fiunt lege permittente.

3 *Religiosus non incurrit dictam excommunicationem, si dimittat, seu non deferat habitum suæ Religionis, cùm transit per loca periculosa.*

4 *Clericus in tali casu, vel ex alia iusta causa licitè potest deferre comam, & barbam, & etiam dimittere habitum.*

5 *Clericus in tali casu licitè potest deferre arma.*

6 *Clericus in tali casu licitè potest deferre vestes virgatas.*

7 *Religiosus licitè potest dimittere, seu non ferre habitum suæ Religionis ad tuendam vitam, vel famam proximi. Et multò magis licitè poterit dimittere, seu non deferre habitum suæ Religionis ad tuendam vitam, vel famam propriam.*

SVppono, quod licèt habitus, vt dici solet, non faciat Monachum: nihilominus, quia est signum Religionis, quam Religiosi profitentur, tenentur omnes, & singuli illum semper, & in omni occasione portare, *cap. 2. Ne Cleric. vel Monach. in 6. cap. Vidua, 20. q. 1. & cap. Sanctimonialis, dist. 23.* itaut illum temerè dimittentes sint excommunicati excommunicatione maiori, nulli tamen reseruata, *cit. cap. 2. Ne Cleric.* Quæ excommunicatio comprehendit non solùm Religiosos illarum Religionum, quæ tunc temporis erant, sed etiam quoscumque alios futuros; quia lex (cùm semper loquatur) afficit non solùm præsentes, & extantes, sed etiam in posterum extituros. Doctores communiter, quos sequitur Bonacina *de clausur. quæst. 2. punct. 2. §. 13.* His suppositis,

1 Respondetur affirmatiuè, iuxta tamen Textum *in cap. Vt periculosa, ne clerici, vel Monachi in 6.* vbi sic habetur [Vt periculosa Religiosis euagandi materia subtrahatur, districtiùs inhibemus, ne de cætero aliquis quamcumque Religionem tacitè, vel expressè professus in scolis, vel alibi temerè habitum Religionis suæ dimittat, nec accedat ad quæuis studia literarum, nisi à suo Prælato cum consilio sui Conuentus, vel maioris partis eiusdem sibi eundi ad studia licentia primitùs sit concessa: Siquis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto.]

2 Ex quibus verbis clarè colligitur, quod non incurrat hanc excommunicationem Religiosus, si iusta de causa habitum suæ Religionis dimittat, seu non deferat. Idemque multò magis dicas, si deferat, sed occultet sub alio habitu, etiam sæculari. Doctores communiter, quos sequitur Suarez *4. tom. de Religion. tract. 8. lib. 1. c. 3. num. 13.*) quia non dicuntur fieri temerè, quæ fiunt lege permittente, *l. finali, ff. qui satisd. cog. l. sancimus, ff. de minor. tutel. l. Nemo damnum, ff. de regul. Iur. & l. Gracchus, ff. ad leg. Iul. de Adulter.* & docet Glossa, *in cap. penultim. de vita, & honest. Clericor. verbo causa, & in Clement. 2. eodem titulo, verb. cessante, & in dicto cap. Vt periculosa,* verbo. *temerè,* Butrius *in cap. 3. de apostatis, num. 6.* Syluester *in summa, verbo Habitus, num. 3.* & Antoninus *3. part. tit. 24. cap. 33.* & alij communiter.

3 Verbi gratiâ, non incurrit excommunicationem Religiosus, si dimittat, seu non deferat habitum suæ Religionis, cùm transit per loca periculosa, vt Turcarum, Hæreticorum, vel aliorum Religionis habitus inimicorum; multò minùs, si captiuus inter tales homines viuat, quia tunc est causa rationabilis & iusta dimittendi habitum prædictum. Suarez *tom. 5. in 3. part. disputat. 23. sect. 4.* & Hieronymus Gratianus *in disciplin. regul. cap. 3. §. 2.* Quod patet etiam *ex cap. Si quis ex Clericis, de vita, & honest. Clericorum, vers. Nisi iusta causa timoris,* & tenet præter Doctores suprà citatos Glossa *ibidem, verb. Causa;* idémque patet *ex cap. 2. eodem titulo in 6.* & docet Glossa *ibidem, verbo rationabilis,* & *in cap. 2. verbo Clerici, & in cap. 4. verbo relaxauerit, de vita, & honest. Clericor.* Butrius *in cap. 3. de apostatis, num. 6.* Soccinus *in cap. 1. eodem titulo, num. 3.* Decianus *in tractat. crimin. cap. 75. num. 3.* Afflictus *in constitutione Apostatantes, num. 9.* Menoch. *de arbitr. cas. 146. num. 40.* Syluester *citato verbo habitus, num. 3.* & Sanctus Antoninus *3. part. titulo 24. cap. 33.*

Confirmatur, quia Clericus in tali casu, vel ex alia iusta causa licitè potest deferre comam, & barbam. Glossa *in cap. Si quis ex Clericis neque comam, de vita, & honest. Clericor.* Ergo Religiosus licitè poterit dimittere habitum suæ Religionis. 4

Confirmatur secundò, quia Clericus in dicto casu, vel ex alia iusta causa, licitè potest deferre arma. Gloss. *in cap. 2. de vita, & honest. Cleric.* Anchatan. *ibidem, n. 3.* & alij Canonistæ: ergo Religiosus licitè poterit dimittere habitum. 5

Confirmatur tertiò, quia Clericus in eodem casu, vel ex alia iusta causa licitè potest deferre vestes virgatas, *Clementina 2. verbo rationabilis, eodem titulo*: ergo Religiosus licitè poterit dimittere habitum suæ Religionis. 6

Confirmatur quartò, quia Religiosus licitè potest dimittere, seu non ferre habitum suæ Religionis, ad tuendam vitam, vel famam proximi. Glossa *in cap. 2. ne Clerici vel Monachi in 6. verbo temerè.* Dominicus *ibidem in principio, num. 9.* Ioan. Andreas *num. 4.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. centur. 6. cas. 546. num. 40.* Abbas *in cap. 1. de apostatis, num. 3.* Soccin. *ibidem, num. 3.* Potius *consil. 84. num. 10. & 11.* Suarez *tom. 5. disput. 23. sect. 4. n. 27. & sequentibus,* Mascardus *de probation. lib. 1. conclus. 112. num. 16.* Sanchez *lib. 6. moral. cap. 8. num. 41.* Azor. *lib. 12. Institut. moral. cap. 13. quæst. 16.* Graff. *part. 2. decis. lib. 3. cap. 26. num. 9.* Sayrus *de censur. lib. 3. cap. 33. num. 9.* & Grassus *de effect. clericat. effect. 1. num. 10. & 64.* Ergo multò magis licitè poterit dimittere, seu non deferre habitum suæ Religionis ad tuendam vitam, vel famam propriam. 7

SECTIO II.

Quid dicendum de Religioso, si dimittat, seu non deferat habitum suæ Religionis, ex causa quidem non iusta, seu rationabili, sed ignorantia, quamuis culpabili, vel ex passione, vel ex timore, vel ex animi leuitate, cum aliqua apparenti ratione, seu excusatione?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus dimittens, seu non deferens habitum suæ Religionis ex causa quidem non iusta, seu rationabili, sed ex ignorantia, quamuis culpabili, vel ex passione, vel ex timore, vel ex animi leuitate, cum aliqua apparenti ratione, non incurrit dictam excommunicationem; quia non facit temerè, sed ex ignorantia.*

2 *Excommunicatio quando fertur contra præsumentes aliquid facere, vel omittere, qui illud fecerit, vel omiserit ex ignorantia, vel metu etiam culpabili, excusatur ab ea lata contra præsumentes.*

3 *Amplia id verum esse, etiamsi ignorantia fuerit crassa, & supina quia particula (temerè) idem est quod consultò.*

4 *Temerè aliquid facere, vel omittere is dicitur, qui id facit saltem ex contemptu virtuali legis.*

5 *Temerè aliquid facere, vel omittere, est stultè, seu fatuè facere, ut omittere.*

6 *Excipe, si ignorantia fuerit nimis crassa, seu nimis supina; quia talis ignorantia æquiparatur scientiæ.*

1 RE spondetur, quod neque ex isto casu Religiosus incurrat excommunicationem. Doctores communiter (quos sequitur Suarez *tom. 5. in 3. part. disput. 4. sect. 1. & 3.* & Sanch. *de matrim. lib. 9. disp. 31. n. 38.*) contra Glossam *in cap. 1. de sentent. excommunicat. verb. Temerarius*, Dominicum *ibidem, num. 10.* Franchum *in cap. Vt periculosa, ne Monachi, vel Clerici, in 6. num. 4.* Nauarrum *in summa, cap. 27. num. 28.* & alios, quatenus aiunt, quod sola ignorantia inculpabilis, & inuincibilis excuset, ne Religiosus dimittens, seu non deferens habitum suæ Religionis, incurrat hanc excommunicationem.

Probatur, quia cùm Religiosus id faciat ex ignorantia (quamuis culpabili) vel ex passione, vel ex timore, vel ex animi leuitate cum aliqua apparenti ratione, seu excusatione, non facit temerè, sed potiùs ignoranter, timidè vel ex causa apparente, seu excusante: ergo neque in isto incurrit excommunicationem, vel alias pœnas latas contra temerè dimittentes habitum suæ Religionis; cùm hæc particula *temerè*, significet idem, ac *scienter*; & præsertim cùm hæc particula, *temerè*, bis ponatur *in dicto cap. Vt periculosa* (dicitur enim in principio, *temerè habitum dimittens*: Et postea subditur infrà: *Si quis horum temerarius violator extiterit.*) At quando in Canone, vel lege ciuili idem verbum repetitur, talis repetitio (vti docent Glossa *in Clementina prima, de Iurepatronat. verb. Diœcesanis*, & Imola *ibidem, num. 1.*) non caret mysterio: ergo non debet dicta particula quomodocumque, sed solùm propriè, & strictè desumi, & intelligi.

2 Confirmatur, quia quando excommunicatio fertur contrà præsumentes aliquid facere, vel omittere, qui illud fecerit, vel omiserit ex ignorantia, vel metu, etiam culpabili, excusatur ab excommunicatione lata contra præsumentes: ergo nunc etiam, cum excommunicatio feratur contra temerè dimittentes, seu non deferentes habitum suæ Religionis, si ex ignorantia, vel ex timore, etiam culpabili, Religiosus habitum suæ Religionis dimiserit, seu non detulerit, excusabitur etiam ab excommunicatione lata contra Religiosos temerè dimittentes, seu non deferentes habitum suæ Religionis.

3 Quod verum est, etiamsi ignorantia fuerit crassa, & supina, quia ly *temerè* (sicuti docent Cardinalis *in Clementina prima, §. Si quis, notabili primo de statu Monachor.* Ancharanus *ibidem, num. 15.* & alij, quos sequitur Suarez *de censuris, tom. 5. disput. 4. sect. 10. num. 3.*) idem est, ac consultò, dolosè, scienter, vel præsumendo; sed quotiescumque in iure imponuntur pœnæ contra scienter aliquid facientes, aut omittentes, vel contra præsumentes aliquid facere, aut omittere, excusat ab illis pœnis ignorantia etiam crassa, & supina, sicuti patebit ex iis, quæ dicam mox *infrà circa finem huius præsentis sectionis*: ergo, &c.

4 Confirmatur, quia is dicitur aliquid temerè facere, vel omittere, qui illud facit, vel omittit ex contemptu (saltem virtuali) legis, quia scilicet renuit illi subesse. Sanctus Thomas 2. 2. *quæst. 53. articul. 3. ad 3.* Caietanus *ibidem*, & alij, quos sequitur Suarez *tom. 5. citat. disputat. 23. sect. 4. num. 3.* sed qui ex ignorantia (etiam crassa, & supina) habitum suæ Religionis dimittit, seu non defert, non id facit ex contemptu legis: ergo non incurrit hanc excommunicationem.

5 Confirmatur secundò, quia temerè aliquid facere, vel omittere (sicuti docent Ioannes Monachus *in c. 1. num. 12. de sent. excommun. in 6.* Ioan. Andreas *ibidem, num. 5.* & alij Canonistæ) idem est, ac stultè, seu fatuè facere, vel omittere; sed qui ex ignorantia (etiam crassa, & supina) habitum suæ Religionis dimittit, non censetur stultè, seu fatuè illum dimittere; ergo, &c.

Excipe tamen, si ignorantia fuerit nimis crassa, seu nimis supina; quia talis ignorantia quidem, etsi sola, æquiparatur scientiæ, ita vt qui ex tali ignorantia aliquid fecerit, vel omiserit, censeatur scienter, consultò, dolosè, seu præsumendo facere, vel omittere. Antonius *in cap. 2. de constitut. n. 9.* Petrus de Ledesma *in summa de Sacramentis, cap. 3. de excommunicat. dub. vltimo, dicto 3.* & alij, quos sequitur Henriquez *lib. 13. cap. 23. n. 3.* 6

SECTIO III.

Quid dicendum de Religioso, si calumniosè, & iniustè apud suum superiorem fuerit accusatus, timeátque iniquè, & crudeliter vexari, & propterea occultet, seu occultè deferat habitum suæ Religionis?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, si calumniosè, & iniustè apud suum superiorem fuerit accusatus, timeatque iniquè, & crudeliter vexari, si propterea occultet, seu occultè deferat habitum suæ Religionis, non incurrit dictam excommunicationem; quia seruus, vt fugiat iram Domini sui, potest per aliquod tempus latêre.*

2 *Quilibet si iniustè vexetur, licitè potest se tueri.*

RE spondetur, quod Religiosus neque in isto casu excommunicationem præsentem incurrat. Videri poterit Portius *consil. 84.* 1

Probatur; quia seruus potest, vt Domini sui iram effugiat, vel vt faciliùs apud illum deprecatorem inueniat, per aliquod tempus latêre, *l. Bouem, in principio, ff. de ædilit. edict. & l. quid sit, §. sin autem, eodem titulo*: Ergo Religiosus etiam, vt hoc modo ab iniqua calumnia, iniuria, & vexatione se defendat, poterit per aliquod tempus occultare, seu occultè deferre habitum suæ Religionis.

Confirmatur argumento Clementinæ Pastoralis, 2
§. *quis enim, de sent. & re iudic.* quamuis hæc ibi habeantur: [Quis auderet talia Consistorij subire iudicium, & se in hostium sinu reponere, ac ad mortem, per violentam iniuriam, non per iustitiam inferendam vltroneum se offerre: Hæc quidem iure timentur: hæc de more vitantur: hæc humana fugit ratio: hæc abhorret natura, &c.] Si igitur potest quis ad se defendendum prædicta facere, multò magis poterit Religiosus ad eundem finem occultare, seu occultè habitum suæ Religionis deferre.

Confirmatur secundò, quia quilibet, si iniustè vexetur, licitè poterit se tueri, iuxta Textum *in l. si percussorem, Cod. de sicariis, l. scientiam, §. finul. ad leg. Aquiliam, l. 1. ff. de vi, & vi armata, l. Transigere, Cod. de transactionib. & cap. ius naturale, distinct. 1.* Ergo si Religiosus putauerit, quod non possit, nisi habitum suæ Religionis occultè deferendo, vel etiam illum dimittendo, consulere, licitè poterit id facere.

SECTIO

SECTIO IV.

Quid dicendum de Religioso, si commiserit aliquod delictum, & propterea occultauerit, seu occultè habitum suæ Religionis detulerit, vel dimiserit, ne à suo superiore capiatur, sicque debitas pœnas sustineat?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, si commiserit aliquod delictum, & propterea occultauerit, seu occultè habitum dimiserit, vel detulerit suæ Religionis, ne à suo superiore capiatur, sicque debitas pœnas sustineat, non effugit dictam excommunicationem, neque alias pœnas latas contra temerè dimittentes habitum, vel occultantes.*

2 *Is qui iustè detinetur in carcere, potest licitè fugere, etiamsi non reperiat ostium apertum, sed ipsemet illud aperiat, vel effringat.*

3 *Superior in tali casu iustè procedit contra talem Religiosum; cùm superioris munus sit malos homines punire, ne delicta remaneant impunita.*

4 *Is qui iustè detinetur in carcere, potest licitè fugere propter ius naturale maximum, quod habet in suam defensionem, etiamsi carceris ostium aperiat, vel effringat, & tamen si fortè deprehendatur in fuga, licitè etiam poterit puniri à superiore.*

5 *Seruus propter ius naturale maximum, quod habet in suam libertatem, licitè potest fugere à Domino; & tamen si fortè etiam deprehendatur in fuga, licitè etiam potest castigari à Domino.*

6 *Religiosus, qui deliquit, patienter debet ferre pœnitentias, quæ sibi imponuntur, & nullo modo dimittere habitum suæ Religionis.*

1 RESpondetur, quod è contra in tali casu Religiosus non effugiat excommunicationem, nec alias pœnas latas contra temerè dimittentes, vel occultantes habitum suæ Religionis.

Probatur, quia ex Glossa *in l. succurritur, ff. ex quib. caus.* Bald. *ibidem, circa finem*, Bartol. *in l. relegati, ff. de pœnis*, Abbat. *in cap. 1. & in cap. sicut 3. de testibus*, *Cardinal. in Clement. pastoralis, de re indic.* & aliis, is qui iustè detinetur in carcere, non potest licitè fugere, (quamuis reperiat ostium apertum): Ergo multò magis non poterit Religiosus licitè dimittere habitum suæ Religionis.

2 At hæc ratio, vt fatear, non conuincit; quia contraria opinio (& forsan communior, & probabilior) tenet, quod is, qui iustè detinetur in carcere, possit licitè fugere, etiamsi non reperiat ostium apertum, sed ipsemet illud aperiat, vel effringat. S. Thomas 2. 2. *q. 69. art. 4. ad 2.* Caietan. *ibidem*, Syluest. *verbo fugere, num. 1.* Sotus *de iust. & iur. lib. 5. quæst. 6. artic. 4.* Lessius *lib. 2. cap. 31. dub. 5. n. 31.* Driedo *lib. 2. de libertate christiana, cap. 6.* Nauarrus *in summa, cap. 17. n. 102.* Conarruu. *lib. 1. variar. cap. 2. num. 11.* Henriquez *quodlib. 9. q. 25.* Sayrus *in claui regia, lib. 12. cap. 18. num. 12.* & alij.

3 Probatur 2. quia superior in tali casu iustè procedit contra talem Religiosum, cùm superioris munus sit, malos homines punire, ne delicta remaneant impunita, *l. nullus, Cod. de Iudæis, l. vulneratus, ff. ad leg. Aquil. l. si reo, §. finali, ff. de fideiuss. & l. licitatio, ff. de public.* Ergo cùm superior in tali casu iustè procedat, non poterit Religiosus subditus licitè etiam dimittere habitum suæ Religionis, vt iustas, & debitas effugiat, sed hoc modo potiùs illicitè se defender, & iniusta defensio reprobatur, *l. si seruus, Cod. de his, qui ad Eccles. confug. l. si quis in graui, §. si maritus, ff. ad Syllan. & l. mulier, ff. de re militar.*

4 At hæc ratio (vt etiam fatear) neque conuincit; quia poterit quis concedere antecedens, & negare consequens: Nam quemadmodum suprà dicebam, is
qui iustè detinetur in carcere, propter ius naturale ma- 5
ximum, quod habet in suam defensionem, potest licitè fugere, etiamsi carceris ostium aperiat, vel effringat; & tamen si fortè deprehendatur in fuga, licitè etiam poterit puniri à superiore: similiter seruus propter ius naturale maximum, quod habet in suam libertatem, licitè potest fugere à Domino; & tamen si fortè etiam deprehendatur in fuga, licitè etiam potest castigari à Domino, & sic in similibus aliis quamplurimis casibus. Quod mirum esse non debet; quia sæpè sæpiùs per accidens ratione ignorantiæ veritatis, quæ est à parte rei, apparet probabilitas ex vtraque parte: Vnde fit, quod ex vtraque parte detur bellum iustum, non quidem materialiter, quia vna est veritas à parte rei, licèt nobis incognita, sed formaliter propter rationes probabiles ex vtraque parte apparentes, vt de facto compluries contingit in supremis Principibus Christianis, qui propter rationem dictam gerunt inter se bellum iustum formaliter ex vtraque parte.

Cæterùm, quamuis rationes istæ non conuincant euidenter; Religiosus tamen, qui deliquit, patienter debet ferre pœnitentias, quæ sibi imponuntur, & nullo modo dimittere habitum suæ Religionis; præsertim si adsit scandalum, & periculum incurrendi mali maioris. 6

SECTIO V.

Quid dicendum de Religioso, qui per breue tempus dimiserit habitum suæ Religionis in suo cubiculo, vel in aliquo loco secreto, vt meliùs quiescat, dormiat, vel studeat, &c.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui dimisit habitum suæ Religionis in suo cubiculo, vel in aliquo loco secreto, vt meliùs quiescat, dormiat, vel studeat, non incurrit dictam excommunicationem, vel alias pœnas latas contra temerè dimittentes habitum suæ Religionis; quia in tali casu non dimittit temerè habitum, contra nonnullos contrarium sentientes.*

2 *Textus, in quibus habetur, quod Religiosus semper debeat deferre habitum suæ Religionis, quocumque eat, & etiam quamuis quiescat, intelligendi sunt de consilio, non autem de præcepto.*

RESpondetur, quod Religiosus neque in isto casu etiam incurrat excommunicationem, vel alias pœnas latas contra temerè dimittentes habitum suæ Religionis: Ioan. Andreas *in dict. cap. vt periculosa, ne clerici, vel monachi, in 6.* Franchis *ibidem, numeru 5.* Dominianus *num. 9.* Henricus *in cap. 2. de apostat. n. 6.* Antonius *ibidem, num. 8.* Decianus *in tract. crimin. lib. 5. cap. 76. num. 8.* Syluest. *verbo excommunicatio 9. cas. 24. not. 2. & n. 54.* Nauarrus, *c. 27. n. 138.* Rodericus *tom. 2. quæst. regular. q. 76. art. 6. notab. 2.* Tabiena *verb. excommunicatio 5. cas. 23.* & S. Antoninus *3. part. tit. 24. c. 53.* 2

Probatur ex iis, quæ dicam *infrà sectione 6. & 7.* quia licèt Textus *in dicto cap. 2. ne clerici*, loquatur absolutè, si quis temerè dimiserit, Caietan. *in summa, verb. excommunicatio, cap. 61.* & Sanch. *lib. 6. moral. cap. 8. numero 48.*) Nihilominus, quia si dimiserit per breue tempus, moraliter loquendo secundùm prudentum æstimationem potiùs dicitur spoliatio, quàm dimissio habitus, excommunicationem prædictam non incurret; cùm lex pœnalis non sit extendenda, sed potiùs restringenda, Bannez 2. 2. *quæst. 12. articulo 1. dub. 2.*

& Azor.*lib.*2. *instit.moralium,cap.*13.q.5.*& cas.*16.

Quod ob eandem rationem, vt infrà dicam *eadem sect.*6.*&* 7.intellige, etiamsi id faciat animo exequendi pro illo breui tempore aliquid minùs licitum, vel etiam aliquid turpe, & illicitum. Nauarrus *in summa, cap.*26.*num.*131.& Azor.*vbi suprà*. Quin & si id faciat animo diuagandi, vel eundi ad quemcunque locum. Sanchez *citat.cap.*8.*n.*16. & confirmatur, quia Religiosus in tali casu non dimittit temerè habitum suæ Religionis,iuxta ea, quæ diccham *suprà sectione* 2. Ergo, &c.

2 Quamuis contrarium doceant alij (inter quos Archidiaconus *in dict. cap. vt periculoso, num.*1. & Graff. *lib.*3.*decis.cap.*5. *num.*75.) quatenus aiunt, quod Religiosus semper debeat deferre habitum suæ Religionis, quocumque eat, & quamuis etiam in lectulo quiescat, vt dicitur *in cap.vidua*, 20.*quæst.* 1. ibi: [seu io lectulo quiescens,seu in quocumque loco consistens,constanter vtatur apta Religionis professioni veste.] *In cap.sanctimonialis*,23.*dist. & in cap.clerici,de vita,& honestat. clericorum*; ita vt saltem si Religiosus omninò nudus, scilicet etiam sine camisia, causa aliqua non vrgente, in lectulo dormiat, mortaliter peccet.

3 At eum Syluestro, Nauarro,& S.Antonino *in locis suprà citatis*, respondetur, quod hi textus intelligendi sint de consilio, non autem de præcepto; ita vt es his textibus, præcisis constitutionibus, & Religionis statutis municipalibus, quæ obligent sub mortali, non inferatur peccatum, saltem mortale.

SECTIO VI.

Quid dicendum de Religioso, qui per breue tempus dimiserit habitum suæ Religionis, ex leuitate quadam, v. g. vt melius currat, saltet, ludat, vel lapidem proiiciat?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui ex quadam leuitate dimisit habitum,v.g.vt melius currat,saltet,ludat,vel lapidem proiiciat,neque incurrit excommunicationem præfatam, vel alias pænas latas contra temerè habitum dimittentes; quia non videtur esse mens Pontificis, vt incurratur pro dimissione habitus leui,contra nonnullos.*

2 *Religiosus in tali casu non dimittit habitum suæ Religionis animo vagandi,seu vt liberiùs vagetur,quod solùm videtur textus velle prohibere.*

3 *Non dicitur quis assumpsisse, quod statim est dimissurus; nec dimittere quod statim est reassumpturus.*

4 *Clericus si deferat vestes virgatas vel partitas, non continuò, neque causa vsus proprii, seu ad vtendum; sed ob festum socij,qui militat,vel doctoratur, vel vxorem ducit, &c. neque incurrit pœnam Clementinæ* Quoniam, de vita, & honestate Clericorum.

1 Respondetur, quod Religiosus neque in isto casu [illegible]am incurrat excommunicationem, vel alias pœnas latas contra temerè dimittentes habitum suæ Religionis.Paludanus *in* 4. *distinct.*18.*q.*3.*art.*3.*n.*41. Syluester *verbo habitus,q.*2.*& verbo excommunicatio* 9. *cas.*24.*n.*51.*notabili* 1.*& n.*53.*notab.*3. Tabiena *eodem verbo excommunicatio* 5. *cas.*23.*quæst.*1.*num,*2. Nauarrus *in summa,cap.*27.*n.*131. Sayr. *lib.*3. *de censur.c.*23. *n.*13.*&* 14. Rodericus *tom.*2.*quæst.Regul.q.*76.*art.*6. *notab.*2.S. Antoninus 3.*part.tit.*24.*c.*5.Suatez *tom.*5. *disp.*23. *sect.*4.*n.*27.*& seqq.*Azor.*tom.*1.*lib.*12.*cap.*13. *quæst.*5. *cas.* 16. qui subdunt, & rectè, id esse verum, etiamsi Religiosus deposito habitu suæ Religionis, ad breue tempus habitum alium assumpserit.

Probatur, quia non videtur esse mens Pontificis, vt incurratur excommunicatio pro dimissione habitus Religionis leui, seu ad breue tempus; quemadmodum cùm imponitur excommunicatio pro furto, non intelligitur imposita pro furto leui, seu quantitatis paruæ, sed quantitatis magnæ, & notabilis.

2 Secundò, quia Religiosus in tali casu non dimittit habitum suæ Religionis animo propriè vagandi, seu vt liberiùs propriè vagetur; cùm sit per breue tempus, quod solùm videtur velle prohibere textus *in cap. vt periculosa,ne Clerici, vel monachi,in* 6.

3 Tertiò, quia non dicitur quis assumpsisse, quod statim est dimissurus; nec dicitur quis dimittere, quod statim est reassumpturus: vnde si Religiosus vestem virgatam, vel partitam in momento assumeret, statim eam dimissurus, non dicitur eam assumpsisse, *l. diuortium, ff. de diuortiis*.

Quamuis contrarium doceant alij,inter quos Franchus *in dicto cap.vt periculosa*,quatenus expressè aiunt, quod Religiosus, qui dimittit habitum suæ Religionis ex leuitate, vt v.g.meliùs saltet, currat, vel caotet, &c. contrahat excommunicationem, & alias pœnas latas *in cit. cap.vt periculosa*, contra temerè dimittentes habitum suæ Religionis.

4 At quod dicebam,videtur mihi probabilius,propter rationes dictas.

Adde quod si Clericus deferat vestes virgatas, vel partitas, non continuò, neque causa vsus proprij, seu ad vtendum, sed ob festum socij, qui militat, vel doctoratur, vel vxorem ducit, &c. neque incurrat pœnam Clement. *Quoniam, de vita & honest. Clericorum*; quia talia rarò contingunt, & leges ex alio capite accommodantur ad ea,quæ frequentiùs accidunt, *l. nam ad ea,ff. de legibus*. Videri poterit Cardinalis *in d. Clementina,q.*3. Sylu.*verb.excommunicatio* 9.*cas.*24.*n.*53. *notab.*3.& Nauarrus *in summa, cap.*27.*n.*31.*declar.*5.

SECTIO VII.

Quid dicendum de Religioso, qui per breue tempus dimiserit habitum suæ Religionis ex turpi causa, v.g. vt secretò quid furetur, fornicetur,vel percutiat, &c. quin etiam vt diuagetur, vel eat ad quemcunque locum; statim tamen habitum illum semel dimissum iterum reassumpturus.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus qui dimittit habitum suæ Religionis ex turpi causa v.g.vt secretò furetur, vel fornicetur, vel percutiat,quin etiam vt diuagetur,vel eat ad quemuis locum,animo tamen statim reassumendi,quamuis grauiter peccet, non tamen incurrit dictam excommunicationem; quia non animo propriè vagandi, ad breue tempus dimittit: contra alios contrarium,& quidem satis probabiliter sentientes.*

Respondetur, quod Religiosus neque in isto casu, quamuis grauiter peccet aliunde,incurrat excommunicationem, vel alias pœnas latas contra temerè dimittentes habitum suæ Religionis. 1

Probatur, quia Religiosus in tali casu, cùm habitum suæ Religionis dimittat ad breue tempus, & non animo propriè vagandi ex iis,quæ dicebam *suprà sect.*5. *&* 6. non dicitur dimittere illum secundùm communem modum loquendi, & leges pœnales ex alio capite sunt strictè interpretandæ, & non extendendæ vltra proprietatem verborum: ergo.

Atque ita docent Syluester *verbo excommunicatio* 9. *cas.*

cas. 14. *num.* 53. *notabil.* 3. Tabiena *eodem verbo excommunicatio* 5. *cas.* 23. *q.* 3. *num.* 2. Azor. *tom.* 1. *instit. moral. cap.* 13. *q.* 5. *cas.* 16. & *cap.* 17. *q.* 9. Sà *verbo excommunicatio, num.* 9. Toletus *lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 4. Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 8. *num.* 57. Nauarrus *in summa, cap.* 27. *n.* 131. *declar.* 3. Saytus *de censuris, lib.* 3. *cap.* 33. *num.* 16. Pasrellus *in priuilegiis minimorum, cap.* 34. & Confectius *in priuileg. mendicant. post Bullas Pontificias, tit.* 13. *c.* 14.

Quamuis contrarium (& satis quidem probabiliter) doceant alij, vt Bannez 2. 2. *q.* 12. *art.* 2. *dub.* 2. *conclus.* 3. Rodericus *in summa, tom.* 1. *cap.* 43. *num.* 1. Paludanus *in* 4. *distinct.* 18. *q.* 3. *art.* 3. *num.* 41. S. Antoninus 3. *par. tit.* 24. *c.* 53. Rodericus *tom.* 2. *quæst. Regular. quæst.* 76. *art.* 6. *notab.* 2. & Suarez *tom.* 5. *disput.* 23. *sect.* 4. *n.* 31.

Ac quod dicebam, videtur mihi etiam satis probabile, ob rationes dictas.

SECTIO VIII.

Quid dicendum de Religioso, qui quidem non dimiserit habitum suæ Religionis, illum tamen habitum ita occultè detulerit, vt ille habitus nullo modo exteriùs appareat, sicque illum habitum deferens, nullo modo cognoscatur esse de tali Religione?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui quidem non dimisit habitum suæ Religionis, illum tamen ita occultè detulit, vt nullo modo exteriùs appareat, nulloque modo cognoscatur, incurrit excommunicationem, & alias pœnas latas contra temerè dimittentes habitum suæ Religionis.*

2 *Religiosus, qui ita occultat habitum suæ Religionis, vt talis habitus nullo modo appareat, sicque illum deferens non possit discerni, quod sit de tali Religione, est apostata; quia sic occultare perinde est ac illum non deferre. At probabilius est oppositum.*

3 *Apostata verè, & propriè est qui à Religione recedit animo nunquam ad illam redeundi, etiamsi habitum non dimittat.*

4 *Religiosus in tali casu licèt non dimittat habitum materialiter, & physicè, dimittit tamen formaliter, & moraliter.*

5 *Non deferre aliquid, & ita deferre illud, vt nullo modo videatur, æquiualent inter se.*

6 *Relicta in Testamento si non possint legi, non debent haberi pro relictis.*

7 *Religiosus ideo prohibetur dimittere habitum suæ Religionis, ne ex hac dimissione desumat occasionem vagandi.*

8 *Lex lata, ne Religiosi temerè dimittant habitum suæ Religionis, si non extenderetur ad Religiosum illum, modo quo suprà occultantem, frustraretur.*

9 *Iudæi si non deferant signum, quo possint discerni à Christianis, vel si occultent illud, vt nullo modo possint discerni, grauissimis pœnis afficiuntur.*

10 *Religiosis idèo præcipitur habitum suæ Religionis deferre, vt decenter, & honestè se gerant.*

11 *Religiosi sic occultantes habitum suæ Religionis, fraudem faciunt legi; quia ratio cur prohibeantur ne dimittant habitum, est vt cognoscantur, contra nonnullos contrarium satis probabiliter existimantes.*

12 *Habitum occultare, ita vt occultans nullo modo cognosci possit, quod sit de tali Religione, est formaliter, & moraliter dimittere habitum.*

13 *Religiosus dimittens habitum suæ Religionis exteriorem, retinens tamen habitum interiorem, non incurrit excommunicationem secundùm aliquos, quia non dicitur dimittere habitum simpliciter: at auctori id non probatur, & cur?*

Respondetur, quod Religiosus in tali casu incurrat excommunicationem, & alias pœnas latas contra temerè dimittentes habitum suæ Religioois. 1
Caiet. *verbo excommunicatio, n.* 61. Syluester *eodem verbo excommunicatio* 9. *cas.* 24. *n.* 53. *q.* 4. Armilla *cas.* 53. *n. vnico,* Nauarrus *cap.* 27. *n.* 131. S. Antoninus 3. *par. tit.* 16. *cap.* 6. Bannez 2. 2. *disput.* 1. *quæst.* 12. *punct. primo, circa finem.* Io. Andreas *in cap. Deus qui, de vita, & honest. Clericor. num.* 2. Ancharan. *ibidem, num.* 4. Antonio, *num.* 3. Azor. *tom.* 1. *institut. moral. lib.* 12. *cap.* 13. *q.* 5. *cas.* 16. Rodericus *tom.* 1. *quæstion. Regular. quæst.* 3. *art.* 2. Oldrad. *consil.* 184. *num.* 12. vbi subdit, ita fuisse responsum à Clemente V. Clar. *lib.* 5. *recept.* §. *finali, in practica criminali, q.* 76. *num.* 16. Rebuff. *in praxi benefic. tit. de dispensatione cum Regularib. num.* 43. Valentia *tom.* 3. *disput.* 1. *q.* 12. *puncto primo,* Roman. *consil.* 449. Thomas Triuisanus *decis.* 19. *lib.* 2. vbi subdit, ita fuisse iudicatum Venetiis. Ricciullus *lib.* 8. *de Iure pers. c.* 12. *n.* 1. & *seqq.* vbi subdit, hanc opinionem esse veram, & sic fuisse decisum à Rota die 28. Nouembris coram Otadino. Achill. *decis.* 1. *de apostat. n.* 10. & 11. vbi subdit, sic sensisse etiam antiquiores Pœnitentiariæ Residentes: & alij communiter.

Probatur; quia Religiosus, qui ita occultat habitum 2
suæ Religionis, vt talis habitus nullo modo appareat, sicque illum deferens non possit discerni, quod sit de tali Religione, est apostata. S. Antonin. 3. *par. tit.* 16. *cap.* 6. *in principio,* Io. Andreas. *in cap. Deus qui, de vita & honest. Clericor. num.* 2. Ancharan. *ibidem, n.* 4. Cardinalis *in Clementina* 2. *de vita, & honest. Cleric. verbo dignitatem, n.* 2. *q.* 3. Ananias *in rubr. de apostatis, n.* 3. Syluester *verbo excommunicatio* 9. *cas.* 14. *n.* 53. *q.* 4. & Rebuff. *in praxi benefic. tit. de dispensat. cum Regular. n.* 43. quia sic occultare habitum suæ Religionis, perinde est, ac illum non deferre, seu dimittere: ergo si excommunicationem incurrit, qui dimittit, excommunicationem etiam incurret qui sic habitum suæ Religionis occultat, vt talis habitus nullo modo appareat, sicque qui defert, nullo modo discerni possit, quod sit de tali Religione.

At hæc ratio non conuincit, quia probabilius est, 3
quod Religiosus habitum suæ Religionis deferens, & exteriùs talem habitum ita occultans, vt talis habitus nullo modo appareat, sicque deferens nullo modo discerni possit, esse de tali Religione, non sit verè & propriè apostata. Rodericus *tom.* 1. *quæstion. Regular. q.* 30. *art.* 2. Mandos. *in signat. gratiæ, verbo licentia, vers. qui licentia non obtenta,* & alij, quia verè, & propriè apostata est, qui à Religione recedit animo nunquam ad illam redeundi, etiamsi habitum non dimittat, vt infrà loco suo dicetur: quapropter meliùs probatur.

Secundò, quia Religiosus in tali casu, licèt non di- 4
mittat habitum suæ Religionis materialiter, & physicè, dimittit tamen formaliter, & moraliter; quia moraliter loquendo, & in ordine ad notitiam aspicientium idem est, omninò occultare habitum, ac illum dimittere; cùm dimittat illum sic, vt exteriùs nullatenus appareat, & deferens nullatenùs discerni possit, quod sit de tali Religione. Ergo.

Confirmatur, quia non deferre aliquid, & ita defer- 5
re illud, vt nullo modo videatur, æquiualent inter se. Franc. *in cap.* 2. *Ne Clerici, vel monac. in* 6. Ancharan. *in Clement. quoniam, de vita, & honest. Clericor. num.* 7. Mascard. *concl.* 112. *n.* 2. Franciscus de Platea *tract. de excommunicat.* §. 9. de Religioso, qui temerè habitum suæ Religionis dimittit, *num.* 5. & alij; quia quod latet, dicitur non existere, seu non esse, *l. in lege, ff. de contrah. emption. l. si fuerit, ff. de reb. dubiis, l. duo sunt, ff. de testam. tutor. l. quoties, ff. qui satisd. cogant. cap. finali, de Clerico non baptizato, & cap. solemnitates, de consecrat. distinct.* 1. & facit etiam textus *in l. in principio, & in* §. *sed si legi, ff. de iis, quæ in testamentis delentur,* quatenùs

ibi

ibi dicitur, quod ea, quæ relinquuntur in testamento, si non possint legi, non debeant haberi pro relictis: ergo si Religiosus non deferens habitum suæ Religionis incurrit excõmmunicationé, incurret etiam qui sic occultè illum defert, vt nullo modo videatur, sicque deferens nullo modo discerni possit, quod sit de tali Religione.

7 Tertiò, quia in d. c. *Vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi, in* 6. ideò prohibetur Religiosus dimittere habitum suæ Religionis, ne ex hac dimissione desumat occasionem vagandi: sed facilè hanc ipsam eandem occasionem vagandi desumere posset, si retineret quidem habitum suæ Religionis, sed ita occultaret illum, vt cognosci non posset, quod sit Religiosus de tali Religione: ergo cum sit eadem ratio, sequitur quod si dimittens habitum incurrit excommunicationem, incurret etiam habitum quidem retinens, sed ita illum occultans, vt nullo modo possit cognosci, quod sit Religiosus de tali Religione.

8 Confirmatur, quia lex lata, ne Religiosi temerè dimittant habitum suæ Religionis, si non extenderetur etiam ad Religiosum illum modo (quo suprà dicebam) occultantem, frustraretur fine suo: quod nullo modo est admittendum: ergo.

9 Quartò, quia eo quòd Iudæis præcipitur sub grauibus pœnis, vt deferant certum signum (quo possint discerni à Christianis) fit, quod si ita occultent illud, vt nullo modo possint discerni ab illis, afficiantur iisdem pœnis, quibus afficiuntur non deferentes: ergo idem dici debet de Religiosis habitum quidem deferentibus, sed ita tamen illum occultantibus, vt nullo modo possint cognosci, quod sint Religiosi de tali Religione.

10 Quintò, quia ideò præcipitur Religiosis habitum suæ Religionis deferre, vt decenter, & honestè se gerant, *cap. Clerici officia, de vita, & honest. Clericor.* Et vt ab aliis discernantur, *l. Stigmata, Cod. de Fabricen. lib.* 12. *l. Sed si accepta, ff. de Iur. fisci, & cap. Si Iudex, de sent. excommunicat.* At Religiosi, si sic occultè habitum suæ Religionis deferant, vt nullo modo cognosci possint esse tales, his omnibus effectibus priuantur: ergo meritò non euitabunt excommunicationem, nec alias pœnas latas *in c. V periculosa, ut Clerici vel Monachi in* 6. contra non deferentes, seu contra dimittentes habitum suæ Religionis.

11 Confirmatur, quia Religiosi sic occultantes habitum suæ Religionis fraudem faciunt legi. Doctores communiter (quos sequitur Calcanens *consil.* 113. *n.* 1.) quia ratio, cur prohibeantur, ne dimittant habitum, est, sicuti dicebam, vt cognoscantur, quod sint tales Religiosi: sed idem contingit, cum illum ita occultant, vt nullo modo cognosci possint, quod sint tales Religiosi: ergo non debent ex sua fraude commodum reportare, sed potiùs incurrere easdem pœnas, quas incurrunt Religiosi dimittentes habitum suæ Religionis.

Quamuis nonnulli, vt Paludanus *in* 4. *distinct.* 18. *quæst.* 3. *art.* 3. *num.* 41. Abbas *in cap. Deus qui, de vita, & honest. Clericor. num. vltimo*, Tabiena *verbo Excommunicatio* 5. *cas.* 23. *quæst.* 1. *num.* 1. Suarez *de censur. tom.* 5. *disput.* 23. *sect.* 4. *num.* 33 & Sayrus *de censuris lib.* 3. *cap.* 33. *num.* 9. & 10. contrarium, scilicet quod Religiosus, si quidem retineat habitum suæ Religionis, licèt ita occultet illum, vt exteriùs nullo modo appareat, sicque deferens nullo modo cognosci possit, quod sit de tali Religione, non incurrat excommunicationem, & alias pœnas latas contra dimittentes habitum suæ Religionis, teneant; & quidem satis probabiliter; quia in tali casu Religiosus non dicitur dimittere habitum suæ Religionis. *Et in c. Vt periculosa, ne Clerici vel Monachi, in* 6. prohibetur quidem Religiosis occasio vagandi, non tamen absolutè, & simpliciter, sed per dimissionem habitus, quem in dicto casu Religiosus non dimittit: ergo non incurrit excommunicationes, ac alias pœnas latas contra dimittentes habitum suæ Religionis.

At quod dixi, videtur mihi multò probabilius propter rationes iam dictas: Et fundamentum hoc aduersariorum non vrget. Tum quia ex dictis habitum occultare, ita vt occultans nullo modo cognosci possit, quod sit de tali Religione, est formaliter, & moraliter dimittere habitum suæ Religionis. Tum quia, si lex lata contra dimittentes habitum suæ Religionis, non extenderetur ad occultantes habitum eiusdem suæ Religionis modo, quo dicebamus, frustraretur fine suo. Sed lex, etiam pœnalis, si alioquin fine suo frustraretur, extendi debet, vti suprà etiam dicebam, & patet *ex cap. nonnullis, de Iudæis*, quatenus ibi, quia fertur lex, qua præcipitur Iudæis, vt deferant certum signum, quo à Christianis discernantur, prædicta lex extenditur ita, vt si Iudæi deferant quidem tale signum, sed tamen sic occultent illud, vt nullo modo exteriùs appareat, sicque deferentes nullo modo à Christianis discernantur, incurrant easdem pœnas, quas incurrunt non deferentes. Vide etiam quæ dicam *infrà*, *sect.* 17. *Petitione* 3. 12

Cæterùm, quod docet Abbas *in cap. Deus qui, de vita, & honest. clericor. num.* 2. (scilicet Religiosum dimittentem habitum suæ Religionis exteriorem, retinentem tamen habitum eiusdem suæ Religionis interiorem, quem per alium habitum superimpositum prorsus occultet, non incurrere hanc excommunicationem; quia in tali casu Religiosus, inquit ipse, non dicitur, habitum dimittere simpliciter) mihi non probatur; sed contrarium cum Dominico *in dicto cap. vt periculosa, num.* 6. & aliis Canonistis, quos sequitur Suarez *loco suprà citato*, dicendum videtur. Ratio, quia Textus *in dict. cap. vt periculosa*, loquitur de Religiosis dimittentibus habitum suæ Religionis, non interiorem, sed exteriorem (cùm per habitum exteriorem cognoscantur Religiosi, & per habitum exteriorem vitetur occasio vagandi.) At Religiosi habitum exteriorem occultantes, ita vt agnosci non possint, quod sint de tali Religione, ex dictis illum dimittunt formaliter, & moraliter, quod prohibetur *in dict. cap. vt periculosa, ne clerici, vel monachi in* 6. Ergo, &c. 13

SECTIO IX.

Quid dicendum de Religioso, qui occultet quidem habitum suæ Religionis, sed ita tamen, vt à domesticis, vel familiaribus suis (quamuis non ab omnibus) cognosci possit, quod sit de tali Religione?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui occultat habitum suæ Religionis, sed ita tamen vt à domesticis, vel familiaribus suis, quamuis non ab omnibus, cognosci possit, non incurrit dictam excommunicationem, neque alias pœnas latas contra temerè dimittentes habitum suæ Religionis; quia sic non dicitur dimittere absolutè & simpliciter, sed ex parte, & secundùm quid.*

2 *Excommunicatio prædicta fertur, ne Religiosus possit liberè vagari.*

Respondetur, quod Religiosus in tali casu non incurrat excommunicationem, neque alias pœnas latas contra temerè dimittentes habitum suæ Religionis. 1

Probatur, quia in dicto casu Religiosus non dicitur dimittere habitum suæ Religionis absolutè, & simpliciter, sed ad summum ex parte, & secundùm quid.

Confirmatur, quia hæc excommunicatio fertur, ne Religiosus possit liberè euagari, cum ex dimissione habitus non possit facilè cognosci, quod sit Religiosus: Ergo quotiescumque Religiosus ita occultat habitum, vt 2

vt possit cognosci (saltem à domesticis, vel familiaribus) quod sit de tali Religione, non incurret hanc excommunicationem.

Atque ita tenent Caietanus *in sum. verb. excommunicatio, c. 61.* quatenus ait, quod in tali casu Religiosus non dimittat habitum suæ Religionis, neque materialiter, neque formaliter ex toto, quamvis dici possit, quod dimittat aliqualiter secundùm quid ex parte. Nauarr. *in Manuali, cap. 27. n. 131. declarat. 6.* Bannez *2. 2. disp. 1. q. 12. punct. 1. circa fin.* Rodericus *tom. 2. q. regular. q. 76. art. 1. notab. 2.* Azor. *tom. 1. Instit. moral. c. 27. q. 10.* & priùs *c. 13. q. 5. cos. 16. versic. igitur*, quatenus hìc inquit : [Excommunicationem incurrit Religiosus, qui licèt non dimittat habitum, ita tamen occultat illum, vt non appareat.] Quapropter subdit Azorius : [Abbas qui oppositum insinuauit *in c. Deus qui, de vita, & honest. clericor.* videtur loquutus fuisse de eo, qui habitum occultat, ita vt facilè internosci, & discerni possit, saltem à domesticis, & familiaribus, quod sit de tali Religione.] Passarellus *in priuil. Minimor. c. 34. circa finem*, & alij communiter. Vide etiam quæ dicam *infrà, sect. 17. Petit. 3.*

SECTIO X.

Quid dicendum de Religioso, qui temerè dimiserit habitum suæ Religionis animo vagandi; at postea, mutata voluntate, illum statim reassumpserit?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui dimittit habitum suæ Religionis animo vagandi, & postea mutata voluntate, statim illum reassumpsit, non excusatur ob excommunicatione, & aliis pœnis latis contra temerè dimittentes habitum suæ Religionis.*

2 *Religiosus, in ipso actu dimissionis animo vagandi peccat mortaliter: Hinc non excusatur ab excommunicatione annexa tali peccato, contra nonnullos contrarium tenentes, ob leuem, & non notabilem habitus dimissionem.*

1 RESpondetur, quod in tali casu Religiosus non excusetur ab excommunicatione, & aliis pœnis latis contra temerè dimittentes habitum suæ Religionis: vide Doctores, quos sequitur Suarez *tom. 5. disp. 23. sect. 4. n. 3.* videri etiam poterit Caiet. *in sum. verb. excommunic. c. 61.* & Syluest. *verb. habitus, q. 2. circa fin.*

Probatur, quia Religiosus in ipso actu dimissionis tali, scilicet cum animo vagandi, peccat mortaliter: Ergo non excusatur ab excommunicatione annexa tali peccato mortali; quemadmodum non excusatur ab excommunicatione qui indebitè, vel illegitimè, atque adeò mortaliter extrahit reum à loco sacro, licèt postea, mutata voluntate, statim restituat illum loco sacro. Neque excusatur à peccato mortali, qui aliquid graue sumpsit animo retinendi, licèt postea, mutata voluntate, statim reddat illud ei, cui subrepserit.

2 Quamvis contrarium teneant Tabiena *verb. excommunic. 5. cas. 23. q. 1. n. 2.* Sayrus *lib. 3. de censuris, c. 33. n. 11.* Sanchez *lib. 6. moral. c. 8. n. 34.* quos tamen ego intelligo casu, quo Religiosus habitum suæ Religionis temerè dimiserit animo vagandi solùm per breue tempus, & postea mutata voluntate, statim reassumpserit; quia talis dimissio cum tali animo, seu cum tali intentione, dici potest non necessariò (vtpote leuis, & non notabilis, sed solùm ad breue tempus) inuoluere peccatum mortale (quod necessariò supponit excommunicatio, vtpote pœna grauis) vel casu, quo loquamur præsumptiuè in foro externo.

SECTIO XI.

An vt Religiosus incurrat hanc excommunicationem, requiratur quod non solùm temerè dimittat habitum suæ Religionis, sed etiam vt assumat alium ad vsum, seu ad vtendum?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, vt incurrat hanc excommunicationem, requiritur, quod non solùm dimittat habitum suæ Religionis, sed etiam vt assumat alium ad vsum, seu ad vtendum, quia lata est hæc excommunicatio, ne sumat occasionem liberè vagandi.*

2 *Leges non loquuntur de iis, quæ raro accidere solent; sed accommodantur ad ea, quæ frequentiùs accidunt.*

RESpondetur affirmatiuè, Syluester *verbo excommunicatio 9. cas. 24. n. 52. notab. 2.* Bannez *2. 2. q. 12. art. 1. dub. 2. concl. 2. coroll. 1.* Nauarr. *in sum. cap. 27. n. 231.* Rodericus *tom. 3. quæst. regular. q. 76. notab. 1. & 2.* Valent. *2. 2. disp. 1. q. 12. art. 1. vers. vbi tamen*, & alij contra Suar. *tom. 5. de censuris, disp. 23. sect. 4. n. 28.* 1

Probatur, quia lata est hæc excommunicatio, ne Religiosus arripiat occasionem liberè vagandi, sed non potest liberè vagari, nisi alium habitum assumat, cùm non soleat homo nudus incedere: Ergo, &c.

Confirmatur, quia leges non loquuntur de iis, quæ raro accidere solent, sed accommodantur ad ea, quæ frequentiùs accidunt, *l. nam ad ea, ff. de legibus.* 2

SECTIO XII.

An hanc excommunicationem incurrat Religiosus, qui temerè dimittit habitum suæ Religionis, & absque licentia sui Superioris à suo Monasterio discedit animo ingrediendi aliam Religionem laxiorem, quam de facto ingreditur?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui temerè dimittit habitum suæ Religionis, & absque licentia sui superioris à suo Monasterio discedit animo ingrediendi aliam Religionem laxiorem, quam de facto ingreditur, non incurrit hanc excommunicationem, quamvis aliunde peccet mortaliter, contra aliquos DD. contrarium tenentes.*

2 *Religiosus temerè dimittens habitum suæ Religionis ideò excommunicatur, ne ex tali dimissione desumat occasionem periculosè vagandi: quod non facit qui assumit habitum alterius Religionis.*

3 *Textus* in cap. vt periculosa, ne clerici, vel monachi, in 6. *qui non dicit Religionis in communi, sed suæ, non obstat, quia finis ipsius legis est adimere occasionem vagandi, quæ cessat quando quis dimittit habitum suæ Religionis, vt ingrediatur in alienam.*

RESpondetur negatiuè, quamvis aliunde peccet mortaliter, non tamen peccato apostasiæ: Angelus *verbo Apostasia, n. 11. & verbo Excommunicatio 7. cas. 17. n. 1. & verb. Religiosus, n. 37.* Abbas *in c. sanè de regular. num. 6. & in cap. finali, de apostatis, n. 4.* Ioan. Andr. *ibid. num. 4.* Anania *num. 3.* Butrius *n. ..* Bannez *2. 2. q. 12. art. 1. conclus. 4.* Armilla *verbo apostasia, n. 11.* Romanus *cons. 341. n. 1.* Rodericus *tom. 1. quæst. regular. q. 30. art. 1. & tom. 1. quæst. 76. art. 4. notab. 2.* Sayrus *de censuris, lib. 3. cap. 33. n. 17.* Aragonius 1

2.2.q.12.*art*.1.Rebuff.*in praxi benefic. tit. de translat. monachor.n.*11. Less. *de iust.& iur.lib.2.c.41.dub.*13. *n.*102. & Ricciullus *de iur.person.lib.*8.*c.*3.*n.*2.

Quamvis contrarium teneant Syluester *verb. excommunicatio* 9. *cas.*24.*n.*34. *circa finem, & verbo Religio* 4.*q.*4. Nauarr. *in sum. cap.*27.*n.*331.*declarat.*7. Suarez *tom.*5. *disp.*33.*sect.*4.*n.*32. Azotius *tom.*1.*instit.moral. lib.* 12.*c.*13.*q.*5. *cas.*16. vbi tamen contrariam opinionem vocat valdè probabilem, *& cap.*14. *q.*10.*& c.*17.*q.*11. & alij multi.

2 Probatur nostra responsio negatiua, quia ideò *in c.vt periculosa,ne clerici, vel monach. in 6.* excommunicatur Religiosus temerè dimitens habitum suæ Religionis, ne ex tali dimissione desumat occasionem periculosè vagandi, sicuti clarè colligitur ex ipsomet textu, & notant Caiet. *in sum. verb.excommunic.c.*61. Bannez 2.2.*q.*10.*art.*1.& Valentia *ibid.disp.*1.*q.*12. *punct.*1. sed qui discedit à sua Religione, & statim assumit habitum alterius Religionis, non exinde desumit talem occasionem vagandi, nec quod facit, id facit causa, vel animo vagandi; & cùm perseueret in Religione,licèt alia,quàm sua,non tam dimittit,quàm commutat habitum suæ Religionis: Ergo Religiosus in tali casu non incurrit hanc excommunicationem.

3 Objicies ex aduersariis: Textus *in dicto c.vt periculosa*,dicit ne quis temerè dimittat habitum suæ Religionis,& non dicit Religionis in communi,sed suæ; & prætetea talis Religiosus in tali caso grauissimè peccat, tam irrationabiliter discedendo à sua Religione, quam irrationabiliter etiam induendo habitum alterius Religionis: Ergo non est, cur non incurrat hanc excommunicationem.

Respondetur: Concedo antecedens, sique excommunicari quidem *in dicto c. vt periculosa*, Religiosum temerè dimittentem habitum suæ Religionis,sed si dimiserit tamen ad vagandum. Talis autem Religiosus, licèt quidem temerè dimittat habitum suæ Religionis, non tamen dimittit ad vagandum; quin sicut suprà dicebam,cum perseueret in Religione,licet alia, quàm sua,non tam censetur dimittere, quàm commutare habitum suæ Religionis: Quapropter peccabit quidem mortaliter contra canones, ob rationes suprà dictas; non tamen incurret hanc excommunicationem.

SECTIO XIII.

An hanc excommunicationem incurrat Religiosus, qui temerè dimittit habitum suæ Religionis, & assumit habitum alterius Religionis, quam tamen non ingreditur?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui temerè dimittit habitum sua Religionis, & assumit habitum alterius, quam tamen non ingreditur, incurrit dictam excommunicationem, quia incipit iam vagari.*

2 *Religiosus, si in tali casu cogeretur adire illam Religionem,cuius habitum assumpsit, facilè posset se expedire,probando quod non sit Religiosus de tali Religione, & consequenter solùm cogi posset deponere talem habitum, relicta sibi occasione, & facultate periculosè per diuersas mundi partes vagandi.*

1 RESpondetur,quod Religiosus è contra in tali casu incurrat hanc excommunicationem. Caietanus *in sum. verb. excommunicatio, c.*61. Rosella *eodem verbo, cas.*16.*n.*5. S. Antoninus 3.*p.tit.*24. *cap.*53. Bannez 2.2.*disp.*1.*q.*12.*art.*1.*concl.*2.*coroll.*2.Sayrus *lib.*3.*de censuris, c.*38.*n.*17. Rodericus *tom.*2. *quæst. regular. q.*76. *art.*2. *notab.* 2. *& confest. in priuileg. mendic.* post Bullas Apostolicas,in notabilibus,*tit.*13.*cap.*15.

Probatur,quia Religiosus in tali casu, cum non ingrediatur Religionem, incipit iam vagari: Ergo, &c.

Confirmatur,quia si Religiosus in tali casu cogeretur adire illam Religionem, cuius habitum assumpsit, facilè posset se expedire, probando quod non sit Religiosus de tali Religione; & consequenter solùm cogi posset deponere talem habitum, relicta sibi occasione,& facultate periculosè per diuersas mundi partes vagandi: quod prohibetur sub pœna excommunicationis ipso iure latæ *in dicto c.vt periculosa, ne clerici, vel monachi, in 6.* Ergo.

Hanc igitur excommunicationem incurrit Religiosus, qui habitum suæ Religionis dimittit, & habitum alterius Religionis,quam non ingreditur, induit; quia propter rationem iam dictam iste talis verè comprehenditur *in illo canone,c.2.ne cleric.vel monach.in 6.* 2

Quamvis si dimiserit habitum suæ Religionis, & assumpserit habitum alterius Religionis (quam adhuc non ingreditur) ex causa rationabili, v.g. quia in illa per tempus notabile ad prædicandum, ad docendum, vel ad quid aliud honestum exercendum morari debet, prædictam excommunicationem non incurrat; quia in tali casu non dimittit habitum suæ Religionis, & assumit habitum alterius Religionis (quam non ingreditur) temerè, sed ex causa honesta, & rationabili. Textus autem loquitur de dimissione, & mutatione habitus suæ Religionis temeraria. Bannez 2.2. *disp.*1. *q.*12.*art.*1.*dub.*2. & ex parte Azor. *tom.*1. *instit.moral. lib.*12.*cap.*17. *q.*4.

SECTIO XIV.

An hanc excommunicationem incurrat Religiosus, qui recedit à Religione cum licentia superioris; at posteà temerè dimittit habitum suæ Religionis? Vbi etiam quid dicendum, si dimittat prædictum habitum intra parietes Conuentus, vel Monasterij eiusdem suæ Religionis?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus,qui recedit à Religione cum licentia superioris,& temerè dimittit habitum sua Religionis,incurrit dictam excommunicationem; quia* in dicto cap.vt periculosa, *excommunicatur absolutè Religiosus temerè dimittens habitum sua Religionis.*

2 *Quod tamen intellige,dummodò Religiosus non dimiserit habitum,etiam per totum diem domesticè manendo; quia tunc propriè loquendo non est temeraria dimissio.*

3 *Religiosus si solùm dimittat habitum sua Religionis intra parietes Conuentus, vel Monasterij, non incurrit dictam excommunicationem.*

RESpondetur quoad primum affirmatiuè. Syluester *verb.excommunicatio* 9.*cas.*24.*n.*54.*q.*5.*& cas.*25. *n.*55. Rosella *eodem verbo Excommunicatio* 2. *cas.*16. *n.*5. Tabiena *eodem verbo excommunicatio* 5. *cas.*23. *q.*1.*n.*2. Sayrus *de censuris, lib.*4.*c.*33. *n.*19. Azotius *tom.*1.*instit.moral.lib.*12.*c.*17.*q.*15.Nauarrus *cap.*27. *n.*131.*declarat.*5. & alij communiter. 1

Probatur, quia *in dicto c.vt periculosa*, excommunicatur absolutè Religiosus temerè dimittens habitum suæ Religionis: Ergo, &c.

Quod tamen intellige cum Caiet. *in sum. verb. excommunic.c.*61.dummodò Religiosus non dimittat habitum (quamvis per totum diem) domesticè manendo intra parietes Conuentus,vel Monasterij suæ Religionis;quia tunc,propriè loquendo,non est temeraria dimissio, & quia tunc cessat legis ratio de non vagando, 2

do; cùm hoc pro ratione Canonis *in d. cap. expressè assignetur*, Caietanus *ibidem*.

Ex quibus contra Syluestrum *vbi suprà, cas. 25. n. 55.* & Graff. *1. p. decis. lib. 3. c. 5. n. 77.* sequitur, quod si Religiosus dimittat habitum suæ Religionis solùm intra parietes Conuentus, vel Monasterij eiusdem suæ Religionis, non incurrat hanc excommunicationem, Angelus *verb. excommunicatio 7. c. 27. in princ.* Et videri etiam poterit Probus *in eodem c. vt periculosa, in addit. ad Monachum, n. 7.* Franch. *ibid. in princ. n. 5.* Tabiena, & Sayrus *in locis suprà cit.* qui tamen duo DD. vltimi limitant, dummodò Religiosus non dimittat habitum continuè per multum tempus (idest, per multos dies) & dummodò non sic se objiciat oculis sæcularium aspicientium.

SECTIO XV.

An hanc excommunicationem incurrat Religiosus, qui temerè dimittit habitum suæ Religionis, quamvis sine animo apostatandi, vel eundi ad audiendam Physicam, aut Legem Ciuilem.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui temerè dimittit habitum suæ religionis, quamvis sine animo apostatandi, vel eundi ad audiendam Physicam, aut Legem Ciuilem, incurrit hanc excommunicationem; quia Religiosus in tali casu absque tali animo, adhuc tamen dimittit habitum suæ religionis.*

2 *Religiosus qui è religione fugit, si habitum temerè non dimittat, non incurrit dictam excommunicationem.*

3 *Amplia etiamsi religiosus fugeret animo apostatandi vel eundi ad audiendam Physicam, aut Legem Ciuilem; quia in dicto capite solùm excommunicatur religiosus, qui temerè dimittit habitum suæ religionis.*

4 *Excommunicatio prædicta non incurritur per solum exitum temerarium, & sine iusta causa iure communi, modò temerè non dimittatur habitus religionis; quia nullo Iure id cauetur, contra nonnullos Doctores contrarium asserentes.*

1 Respondetur affirmatiuè. Glossa *in c. vt periculosa, ne clerici, vel monachi, in 6. verbo horum*, Archid. *ibid. n. 6. circa fin.* Nauarr. *lib. 5. consil. tit. de apostatis, cons. vnic. n. 6.* Palud. *in 4. dist. 28. q. 3. art. 2. n. 41.* Valentia *2. 2. disp. 1. q. 12. punct. 1. in fine*, Lessius *de iust. & iur. lib. 2. c. 41. dub. 15. n. 101.* Roderic. *tom. 1. quæst. regular. q. 30. art. 1. & in sum. tom. 1. c. 43. n. 1.* Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 23. sect. 4. n. 26.* S. Antoninus *3. p. tit. 24. c. 53. circa finem*, & alij communiter.

Probatur, quia Religiosus in tali casu absque tali animo adhuc temerè dimittit habitum suæ Religionis, vti suppono: Et ex alio capite hæc excommunicatio incurritur solùm propter solam temerariam dimissionem habitus Religionis, cùm prædictus animus, seu prædicta conditio non assignetur *in d. cap. 2. ne Cleric. vel monachi, in 6.* nec includatur in dimissione habitus Religionis: Potest enim quis esse apostata cum habitu (si scilicet recedat cum habitu à Religione, animo deserendi in perpetuum Religionem) & non esse apostata dimittendo, si scilicet dimittat habitum non animo deserendi in perpetuum Religionem, Palud. & Nauarr. *in locis suprà cit.*

2 Non tamen hanc excommunicationem incurrit Religiosus qui è Religione fugit, si habitum temerè non dimittat; quia *in dict. cap. vt periculosa*, non excommunicatur Religiosus fugitivus, sed excommunicatur Religiosus, qui temerè dimittit habitum suæ Religionis.
3 Lessius *loco suprà citato*, qui subdit, & rectè, hoc esse verum, etiamsi Religiosus fugeret animo apostatandi, vel eundi ad audiendam Physicam, aut Legem Ciuilem; quia *in d. c. solùm excommunicatur Religiosus*, qui temerè dimittit habitum suæ Religionis. Et ex alio capite lex pœnalis extendi non debet vltra proprietatem verborum: Nauarr. *de regularib. comment. 2. n. 61.*
4 qui ait, quod per solum exitum temerarium, & sine iusta causa non incurratur iure communi hæc excommunicatio, modò temerè non dimittatur habitus Religionis; quia nullo iure id cauetur. Bannez *2. 2. q. 12. art. 1.* & alij passim.

Quamvis contrarium asserant quidam, quos sequitur Rebuff. *in praxi benefic. tit. de dispensat. cum regularib. n. 17.* sine tamen efficaci ratione, & sine Textu. Quinimò potiùs & contra Textum, cùm Textus *in extrauaganti Viam, de regularib.* requirat monitionem præuiam, vt Religiosus exiens sine licentia, excommunicatione puniatur.

SECTIO XVI.

An hanc excommunicationem incurrat Religiosus, qui temerè dimittit suæ Religionis habitum, quo vtuntur professi illius Religionis, & assumit habitum, quo vtuntur Nouitij eiusdem Religionis?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui temerè dimittit suæ Religionis habitum, quo vtuntur professi illius religionis, & assumit habitum, quo vtuntur Nouitij eiusdem religionis, hanc excommunicationem incurrit; quia in* dicto cap. vt periculosa, *excommunicatur Professus temerè dimittens habitum, &c.*

1 Respondetur affirmatiuè. Et probatur, quia *in c. vt periculosa, ne clerici vel monachi, in 6.* excommunicatur Religiosus professus temerè dimittens habitum suæ Religionis, & assumens alium habitum. At in hoc casu Religiosus professus temerè dimittit habitum suæ Religionis, & assumit habitum, qui non est Religionis, sed Nouitiorum (qui non sunt Religiosi:) Ergo incurrit hanc excommunicationem.

Confirmatur, quia *in dicto cap.* prohibetur Religiosus temerè dimittere habitum suæ Religionis, ne exinde desumat occasionem, vel materiam liberè vagandi: At Nouitij possunt liberè vagari (cùm non possint inuiti retineri in Religione; quamvis possint cogi ad dimittendum habitum Nouitiorum talis Religionis:) Ergo prohibetur temerè dimittere habitum Professorum, & assumere habitum Nouitiorum, cùm exinde desumat materiam, vel occasionem liberè vagandi, atque adeò incurrit hanc excommunicationem.

SECTIO XVII.

Quid dicendum de Religioso, si fiat Episcopus, vel Cardinalis?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, si fiat Episcopus, vel Cardinalis, tenetur adhuc deferre habitum suæ Religionis de iure communi.*

2 *Episcopi debent induere vestes Episcopales: Monachi tamen si assumantur ad dignitatem Episcopalem, deferre debent habitum monachalem.*

3 *Religiosus factus Episcopus in vestibus Episcopalibus conformat se aliis Episcopis, retento colore habitus suæ Religionis.*

4 *Religiosus, si factus Episcopus, dimittat habitum suæ Religionis, & assumat tunicam exteriorem Episcopalem, quamvis aliqui DD. sentiant, quod incurrat dictam excommunicationem latam contra Religiosos temerè dimittentes habitum suæ Religionis:*
5 *Probabilius tamen est oppositum; quia non afficitur excommunicatione lata in aliquo canone, quamvis perperam agat monachus factus Episcopus.*

1 RESpondetur: Tenetur adhuc deferre habitum suæ Religionis de iure communi. Gloss. *in cap. monachi*, 16. q. 7. quatenus ait, quod monachus factos Canonicus, vel Episcopus, habitum monasticum non amittit. Abbas *in c. penultimo, de vita, & honest. cleric. circa fin*, Imola *in Clem. 1. de statu monachor. n. 5.* Abulensis *in c. 30. Numerorum, q. 19.* Cooart. *in c. 1. de testam. n. 18.* Angel. *verb. Monachus, n. 7.* Naoarr. *cons. 15. de Regularib. num. 11.* Lessius *de iust. & iur. lib. 2. q. 40. dub. 14. n. 113.* Azor. *tom. 1. Instit. moral. lib. 12. cap. 7. q. 4.* Sà *verbo Episcopus, n. 11.* & alij communiter.

2 Et patet *ex cap. penultimo de vita, & honest. cleric. circa finem*, vbi dicitur: [Episcopos debere inducre vestes Episcupales. At verò monachos, si assumantur ad dignitatem Episcopalem, deferre debere habitum monachalem.]

3 Dixi de iure communi; quia nunc de consuetudine Religiosus factus Episcopus, in vestibus Episcopalibus conformat se aliis Episcopis, retento colore habitus suæ Religionis.

4 Quod si Religiosus factus Episcopus dimittat habitum suæ Religionis, & assumat tunicam exteriorem Episcopalem, quamvis Syluester *verbo Religio 7. q. 11.* Cardinalis *in Clem. 1. n. 9. q. 6. de statu monach.* Cuchus *lib. 3. Instit. canonicar. tit. 1. n. 157.* Surdus *de alimentis, tit. 8. priuileg. 79. n. 10.* & Maiolus *lib. 2. de irregularitate, c. 1. n. 13.* sentiant, quod incurrat hanc excommonicationem latam contra Religiosos temerè dimittentes habitum suæ Religionis. Probabilius tamen tenent oppositum Bonifacius *in Clem. 1. de statu monachor. §. rursus, n. 33. & 34.* Rodetic. *tom. 2. quæst. regular. q. 58. art. 3.* & Azor. *tom. 1. Instit. moral. lib. 12. cap. 7. q. 4. vers. verùm de habitu*; quia sicuti rectè ait Couarr. *de testam. c. 1. n. 18.* non afficitur excommonicatione in aliquo canone (quamvis perperam agat) monachus factus Episcopus, qui prætextu dignitatis Episcopalis albam illam, & candidam vestem (quam Episcopi exteriùs deferunt) assumit ad vtendum. Et probatur, quia *in cap. vt periculosa, ne clerici vel monachi, in 6.* est sermo de Religioso qui est subditus Abbati, & qui probibetur temerè dimittere habitum, ne propter taleio dimissionem (cùm facilè cognosci non possit, quod sit Religiosus) desumat materiam, & facultatem liberè vagandi: quæ conditiones Religioso ad dignitatem Episcopalem prouecto accommodati non possuot: Ergo, &c.

5 Et quod dixi de Religioso prouecto ad dignitatem Episcopalem, quod scilicet debeat deferre babitum suæ Religionis, idem dico de Religioso prouecto ad dignitatem Cardinalitiam; quia & iste etiam tenetur Religionis, quam ante dignitatem Cardinalitiam professus fuerat, habitum deferre. Fraochus *in rubrica de testam. in 6. n. 76. q. 15.* Sotus *de iust. & iur. lib. vlt. quæst. vlt. art. vlt. colum. 5. vers. circa secundum*, Rodericus *tom. 2. quæst. regular. q. 54. art. 7.* Pacianus *vol. 1. cons. 132. n. 39.* Angles *in floribus, p. 2. quæst. de voto, art. 2. diffic. 13. dub. 2.* & alij communiter.

Quamvis etsi iste talem habitum dimittat, non incurrat excommunicationem latam *in dicto c. vt periculosa*, propter eadem ratiooem, quam dicebam de Religioso prouecto ad dignitatem Episcopalem: & præter DD. quos suprà citabam, videri etiam poterit Bonifacius *in Clem. 1. de stat. monach. in § rursus, n. 33.*

PETITIO PRIMA.

Quid dicendum de Religioso, si fiat Protonotarius Apostolicus?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, etiamsi fiat Protonotarius Apostolicus, tenetur deferre habitum suæ Religionis.*

2 *Religiosus non potest exercere Officium Protonotariatus Apostolici sine Sedis Apostolicæ auctoritate.*

RESpuodetur: Tenetur etiam deferre habitum suæ Religionis; quia de facto quidam Religiosus, cùm ad tale officium Protooorariatus Apostolici promotus habitum suæ Religionis dimiserit, sub pœna graui coactus fuit à sacra Congregatione Regularium anoo 1649. prædictum habitum reassumere: 1
Ex cuius eiusdem sacr. Congregationis declaratione anni 1646. babetur, quod prædictum Officium Protonotariatus Apostolici siue Sedis Apostolicæ auctoritate à Religioso exerceri non possit. 2

PETITIO II.

Quid dicendum de Religioso, si deferat habitum alterius Religionis, vel ita similem, vt propterea censeatur vnus de ista altera Religione?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus si audeat deferre habitum alterius Religionis, vel ita similem, vt propterea censeatur vnus de ista altera Religione, absque Sedis Apostolicæ mandato speciali potest à Diœcesano per censuras Ecclesiasticas coërceri.*

2 *Habitum S. Claræ deferentes mulieres monitione præmissa, ex Gregor. IX. coërcendæ sunt sub censuris ferendis.*

3 *Idem dic de gestantibus habitum Minorum ex Innocentio IV.*

4 *Idem de gestantibus habitum Congregationis Cælestinorum, ex Cælestino V.*

5 *Ordinarius per censuras Ecclesiasticas potest compellere deferentes habitum istarum Religionum, & tenetur exequi sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda.*

6 *Habitu Religioso vtens ignominiosè, vti mimi, seu Histriones, peccant mortaliter, & grauiter puniri possunt.*

7 *Habitu cum Religioso si quis sepeliri velit, potest id licitè, & laudabiliter facere, etiam contradicentibus Parochis, ex Sixto IV. dummodo tamen Ecclesiæ Parochiali, eiusque Rectori debita soluantur emolumenta.*

8 *Prælati, & Ecclesiarum Rectores sub pœna excommunicationis, canonica monitione præmissa incurrenda, & soli Papæ reseruata, non possunt impedire quoque modo volentem taliter sepeliri, saluo tamen semper iure Ecclesiarum.*

9 *Habitu cum Religioso sepeliri volenti Pontifices concesserunt varias indulgentias, ad quas tamen consequendas non sufficit, quòd is mortuus induatur dicto habitu, sed requiritur, quod viuus, licèt moribundus, eo indutus moriatur. Sufficit tamen illum ponere super lectulum agonizantis, prout obseruatur in Regnis Hispaniarum.*

Responde

1 RESpondetur: si id facere audeat absque Sedis
Apostolicæ mandato speciali, potest à Diœcesa-
no contra ipsum per censuras Ecclesiasticas procedi.
Sic concessit Sixtus IV. in Bulla, quæ incipit, *Dum at-
tenta*, pro Carmelitis: speculum eorum *Relig. fol.* 89.
& 90. Sic etiam concessit Leo X. pro Minimis. Peyri-
nus *tom.* 1. *priuil. Minim. in const.* a. *Iuly II.* §. 18. *n.* 53.
2 Adde quod & Gregorius IX. probibuit sub censu-
ris ferendis, monitione præmissa, contra mulieres de-
ferentes habitum sanctæ Claræ. Casarub. *in compend.*
3 *priuil. Mendicant. verb. habitus, n.* 3. Idem similiter pro-
hibuit Innocentius IV. & Clemens IV. pro minoribus
contra gestantes eorum habitum. Casarub. *ibid. num.* 4.
4 *&* 5. Item & Cœlestinus V. prohiboit pro monachis
suæ Congregationis contra similem habitum portan-
tes: ita vt eos Ordinarius per censuras Ecclesiasticas
5 ad illum deponendum compellere possit, idque di-
ctus Ordinarius sub pœna suspensionis ipso facto in-
currenda exequi teneatur. Rodriquez *tom.* 2. *Regular.
quæst.* 75. *art.* 4.
6 Cæterùm si quis ignominiosè vtatur (idemque di-
cas de mimis, seu histrionibus) habitu Religioso, pec-
cat mortaliter, & grauiter puniri potest, *authent. de
Episc.* §. *vltimo, collat.* 9. & docent præter alios Syluest.
verb. habitus, num. 6. & Rodriquez *vbi suprà.*
7 E contra, si quis ex deuotione sepeliri velit in habi-
tu Religioso, potest id licitè, & laudabiliter facere,
etiam contradicentibus Parochis: ita concessit Sixtus
IV. pro minoribus, in Bulla quæ incipit *Apostolica
8 mansuetudinis*, apud Rodriq. *ibi art.* 8. & Confectium
in collect. literar. Apost. in Sixto IV. Bulla 7. vbi etiam
inhibentur Prælati, & Ecclesiarum Rectores sub pœna
excommunicationis, canonica monitione præmissa
incurrendæ, & soli Papæ reseruatæ, ne taliter sepeliri
volentem quoquo modo impediant; sed permittant,
eum patenter ad Ecclesiam, & sepulturæ locum in ha-
bitu huiusmodi deferri, Iure Ecclesiarum semper sal-
uo. Quod & simile quodlibet aliud priuilegium per
communicationem, quam habent, competit etiam aliis
Religionibus.
9 Quinimò in habitu religioso sepeliri volenti, sicut
& habitum religiosum toties quoties osculanti, Ponti-
fices varias concesserunt indulgentias, ad quas tamen
consequendas non sufficit, quod is mortuus induatur
dicto habitu religioso, sed requiritur, quod viuus (etsi
moribundus) eo indutus moriatur, prout colligitur ex
verbis Pontificum in ipsorum priuilegiis concessis;
quamvis sufficere videatur, quod prædictus habitus
Religiosus ponatur supar lectulum hominis agonizan-
tis, prout in Hispaniarum regnis obseruatur.

SECTIO III.

Quid dicendum de Religioso, si mutet habitum Religionis in sæcularem?

SVMMARIVM.

1 *Habitum Religionis, si Religiosus mutet in sæcularem serio, non autem ioci causa, & per tempus notabile, non autem per breue, etiamsi non mutet totum, sed ex parte, ita vt non cognoscatur esse Religiosus, committit peccatum mortale sufficiens ad incurrendam excommunicationem latam contra temerè dimittentes habitum suæ Religionis. Secus si mutet solùm ex parte, & ex altera parte dignoscatur esse Religiosus.*

1 RESpondetur, si mutet, scilicet seriò, non autem io-
ci causa, & mutet per tempus notabile, non autem
per tempus breue habitum totum, vel etiam ex parte,
ita vt ex altera parte, quæ remanet, non dignoscatur
esse Religiosus, committit peccatum mortale sufficiens
ad incurrendam excommunicationem latam contra te-
merè dimittentes habitum suæ Religionis; quia est id
legis transgressio grauis, & quoad materiam, & quoad
legis finem, qui est, quod Religiosus dignoscatur, &
habeatur vt talis: si verò mutet solùm ex parte (ita
vt ex altera parte, quæ remanet, adhuc dignoscatur,
quod sit Religiosus) non peccat, saltem mortaliter,
neque incurrit prædictam excommunicationem; quia
rum reuera non dimittit, neque occultat proprium sta-
tum. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 9.
& seqq. & alij, quos sequitur Bonacina *de clausur. q.* 2.
punct. 2. §. 8. Videri etiam poterunt Rosella *verb. ex-
communicatio*, & Nauar. *cons. de apostasia, num.* 6. videri
etiam poterunt quæ dicebam suprà, *sect.* 8. *&* 9.

SECTIO IV.

An dispensari possit cum Religioso, quod extra claustra non deferat habitum suæ Religionis, vel quod saltem deferat illum occultum, præsertim sub habitu clericali?

SVMMARIVM.

1 *Habitum suæ Religionis quod Religiosus non deferat extra claustra, dispensari potest, vel quod saltem deferat illum occultum, præsertim sub habitu clericali. Id enim non est de essentia status Religiosi.*

2 *Habitum suæ religionis quod religiosus deferat, est de iure positiuo: consequenter quid dispensabile, & multò magis commutabile in habitum clericalem, maximè extra claustra.*

3 *Religiosus fieri potest, quod debeat, & teneatur viuere extra claustra sine habitu Religionis, prout nonnulli fatentur in casu de necessitate extrema parentum.*

4 *Religioso permittendum etiam est, consideratis considerandis, etiam in casu de necessitate parentum graui, vel in alio casu simili viuere extra claustra.*

RESpondetur affirmatiuè, quia quod Religiosus de- 1
ferat habitum suæ Religionis, non est de essentia
status Religiosi; cùm possit Religiosus vota Religio-
nis essentialia obseruare extra claustra, absque vllo
habitu Religionis.
Confirmatur, quia quod Religiosus deferat habi- 2
tum suæ Religionis, est de iure positiuo, *cap. vt pericu-
losa, ne Cler. vel Monach. n.* 6. & docent communiter
Doctores, quos sequitur Sanch. *lib.* 6. *moral. c.* 6. *n.* 22.
Ergo est quid dispensabile, ac multò magis quid com-
mutabile, prout contingeret, quando habitus Reli-
giosus, seu regularis mutaretur in clericalem.
Confirmatur 2. quia fieri potest, quod Religiosus 3
non solùm possit, sed etiam teneatur viuere extra clau-
stra sine habitu Religionis, prout in casu de necessita-
te parentum extrema, fatentur Nauar. *lib.* 1. *cons. tit.
de Regul. cons.* 26. *num. vnico, edit.* 1. *& cons.* 3. *num. vni-
co, edit.* 2. Conrad. *in respons. tom.* 1. *quæst.* 61. Cordu-
ba *in sum. q.* 141. *art.* 2. *punct.* 2. & Sanch. *lib.* 4. *moral.
cap.* 20. *num.* 14. Ergo si id in casu de necessitate pa-
rentum extrema debet fieri, moltò magis permitti à
sacra Congregatione.
An verò possit ab eadem sacra Congregatione id 4
ipsum permitti in casu de necessitate parentum graui,
vel in casu alio simili?
Respondetur, quod quamvis, vt videre est apud
Sanchez *loco citato, n.* 15. *& seqq.* nonnulli negent, alij
tamen affirmant, & quidem de facto, consideratis
considerandis aliquando permissum est.

SECTIO XVIII.

An peccet, & excommunicationem incurrat Religiosus accedens ad studia sine licentia?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus accedens ad studia sine licentia sui Prælati, peccat & excommunicationem incurrit.*

2 *Prælati nomine non solùm venit Superior, vel Abbas Monasterij, sed etiam quicumque eius locum tenet; quia & iste est etiam verè Prælatus.*

3 *Excommunicatio lata* in dict. cap. Vt periculosa, *vt incurratur, quamvis Armilla putet requiri, quod Religiosus accedat ad studia habitu Religionis dimisso, alioquin eam non incurrat, oppositum tamen est verum, & cur?*

4 *Excommunicationem incurrere Religiosum, si accedat ad studia sine licentia, cum dicitur* in citato cap. Vt periculosa, *intelligitur etiamsi accedat ad studia statui religioso conuenientia.*

5 *Religiosus quando discedit ex suo Conuentu, vel Monasterio ad aliud Monasterium, vbi est Academia studiorum, etiam causa studiorum, sufficit tunc licentia superioris Conuentus, neque requiritur Concilium Conuentus, vel maioris partis ipsius.*

6 *Religiosus neque hanc excommunicationem incurrit, quando è suo Monasterio cum licentia sui superioris discedit, & aliud Monasterium eiusdem Religionis petit, vt ex illo adeat studia; quia tunc non immediatè accedit ad studia.*

7 *Religiosus neque incurrit dictam excommunicationem, quando manens sine licentia sui superioris extra Monasterium, adiret studia, quæ in eo loco, vbi ipse manet, constituta sunt; quia Textus* in cap. Vt periculosa, *loquitur de Religioso eunte ad alium locum.*

8 *Prior multò minùs incurrit dictam excommunicationem, quando ob alia negotia degit extra Monasterium, si exinde adeat studia, quæ ibi constituta sunt, propter eandem rationem.*

9 *Religiosus neque eandem excommunicationem incurrit, quando sine consilio maioris partis Capituli proficiscitur ad studia, mansurus extra Monasterium ex solo nutu, consensu, vel licentia illius superioris, cuius est mittere Religiosos aliò ad habitandam extra Monasterium; quia Textus loquitur solùm de Conuentus Prælatis proximis, & immediatis, non autem de remotis, & mediatis, scilicet de maioribus, seu maioris auctoritatis.*

10 *Religiosus neque dictam excommunicationem incurrit quando sine consilio maioris partis Capituli proficiscitur ad studia, mansurus similiter extra Monasterium ex nutu, consensu, vel licentia Generalis, vel Prouincialis, propter eandem rationem.*

11 *Religiosus neque incurrit hanc excommunicationem quando sine consilio maioris partis Capituli proficiscitur ad studia, mansurus etiam extra Monasterium ex nutu, consensu, vel licentia Episcopi; si tamen is fuerit subditus iurisdictioni Episcopi, & non exemptus ab illius iurisdictione; quia Textus citatus loquitur solùm de superioribus Conuentus proximis, & immediatis. Contra Sayrum de censuris, & alios.*

12 *Religiosus è contra incurrit dictam excommunicationem, quando quidem à superiore habet licentiam proficiscendi ad studia literarum; sed ita tamen vt talis licentia non sit legitima, sed sufficiens, eo quòd scilicet ea fuerit obtenta per subreptionem, vel per vim, metum, dolum, vel per alias causas, quæ reddunt licentiam insufficientem.*

13 *Matrimonium contrahens cum consanguineâ sine dispensatione incurrit excommunicationem latam contra huiusmodi contrahentes in Clementina vnica de consanguinitate; & idem est, si contrahat cum dispensatione, quæ non sit legitima, seu sufficiens: ex quo infertur, id etiam procedere in Religioso in casu prædicto.*

14 *Religiosus ex eo, quod donant aliquid absque licentia, peccat contra votum paupertatis, sequitur quod peccet contra idem votum, si peccet cum licentia, quæ similiter non sit sufficiens, neque legitima aliquo modo ex supradictis.*

15 *Religiosus non temerè accedit ad studia, si ignorantia excusetur: at secus si nouerit, quod talis licentia non sit legitima, seu sufficiens aliquo modo, sententia Suarez non obstante.*

16 *Religiosus, qui sine licentia descedit ex vno Conuentu, vel Monasterio ad aliud etiam causa studiorum, licèt hanc excommunicationem non incurrat, incurrit tamen eam in casu prædicto; nam* in c. Vt periculoso, cit. *ij non excommunicantur, at excommunicantur religiosi discedentes ad studia mansuri extra Conuentum, seu Monasterium absque legitima Superioris licentia.*

17 *Prælatus Conuentus, seu Monasterij, licèt non rectè agat, attamen dictam excommunicationem non incurrit accedens ad studia sine consilio maioris partis Capituli, quamvis mansurus extra omne Monasterium, & subiectus Superioribus, scilicet Prouincialis, vel Generali; quia Textus* in cit. cap. *loquitur solùm de religiosis, qui habent immediatum Superiorem illius Monasterij.*

18 *Prælatus Conuentus, seu Monasterij rarò contingit quod exeat de Conuentu, seu Monasterio extra omne Monasterium mansurus causa studiorum.*

REspondetur affirmatiuè, & patet *ex eod. cap. Vt periculosa, ne Clerici, vel Monach. in 6.* vbi sub pœna 1
excommunicationis latæ sententiæ præcipitur, ne Religiosus accedat ad quælibet studia literarum, nisi à suo Prælato cum consilio sui Conuentus, vel maioris partis eiusdem Conuentus sibi eundi ad studia licentia primitus concessa fuerit.

Vbi aduerte, quod nomine Prælati non solùm veniat 2
Superior, vel Abbas Monasterij, sed etiam quicumque eius locum tenet; quia & iste est etiam verè Prælatus. Archidiac. *in dict. cap. Vt periculosa, n. 3.* Franch. *ibid. n. 3.* & alij passim Canonistæ, S. Anton. 3. *part. tit. 24. cap. 53.* Tab. *verb. Excommun. 5. cas. 23. circa finem,* & Sayrus *lib. 3. de censur. cap. 33. num. 23.*

Aduerte secundò, quod ad incurrendam hanc secun- 3
dam excommunicationem latam *in d. cap. Vt periculosa,* quamvis Armilla *verb. Excommun. c. 53. circa fin.* allegando pro sua sententia Caiet. putet requiri, quod Religiosus accedat ad studia, habitu Religionis dimisso, alioquin prædictam excommunicationē non incurrat. Dicendum tamen sit omninò oppositum cum Anch. *in eod. c. Vt periculosa, circ. fin.* Franch. *ibid. §. Doctores, n. vn.* & alijs communiter. Præsertim quia & Caiet. non requirit Religionis habitus dimissionem, nisi in prima excommunicatione, de qua dicebam *sup. sect. præced.* & in tertia, de qua dicam *infr. sect. seqq.* Non autem in hac secunda, de qua loquimur nunc, quia in hac secunda excommunicatione nulla fit mētio de dimissione habitus religionis, neque apud textum, neque etiam apud Caiet.

Aduerte tertiò, quod cùm dicitur *in eod. c. Vt peri-* 4
culosa, Religiosum incurrere excommunicationem, si accedat ad studia sine licentia, intelligitur etiam quando Religiosus accedit ad studia statui Religioso conuenientia, v. g. ad studendum sacris literis, Theologiæ Scholasticæ, vel positiuæ, vel Canonibus, &c. quia *in dict. cap.* absolutè prohibetur, ne Religiosus accedat ad quælibet studia sine dicta licentia: Ioannes Andreas

Andreas *in eodem cap. vt periculosa, in principio*, Dominicus *ibid. n. 7.* Franch. *n. 3.* & alij Canonistæ communiter. Caiet. *in sum. verb. excomm. c. 61.* Sylvester *eod. verb. 9. c. 25. n. 55.* & S. Anton. *3. part. tit. 24. c. 53.*

5 Aduerte 4. quod quando Religiosus discedit ex suo Conuentu, vel Monasterio ad aliud Monasterium, vbi est Academia studiorum, etiam causa studiorum, sufficiat tunc licentia superioris conuentus, nec requiratur Concilium conuentus, vel maioris partis eiusdem conuentus. Caietanus *in sum. verb. excommunic. c. 61.* Angelus *eodem verbo, cas. 27. n. 3.* Nauar. *in sum. c. 27. n. 33. declarat. 5.* Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 12. c. 13. q. 5. c. 16. vers. de altera excommunicat.* Suarez *tom. 5. de censur. disp. 23. sect. 4. n. 35.* Sanchez *lib. 6. moral. c. 8. n. 75.* Sayrus *de censuris, lib. 3. c. 33. n. 21.* & alij communiter: quia in tali casu Religiosus non propriè accedit ad studia ipsa, idest ad manendum in studiis extra Monasterium; sed potius discedit de Monasterio ad Monasterium, vbi habitans commoditatem habet studendi; sicque potiùs hæc est mutatio Monasterij, quàm profectio ad studia.

6 Aduerte 5. quod neque hanc excommunicationem incurrat Religiosus, quando è suo Monasterio cum licentia sui superioris, quinimò & etiam sine tali licentia, quamvis in hoc casu aliunde peccet, & aliunde excommunicationem etiam incurrere possit, discedit ad aliud monasterium eiusdem religionis, vt ex illo adeat studia, quæ sunt extra suum monasterium, dummodo ipse Religiosus habitet in suo monasterio; quia tunc non immediatè accedit ad studia, sed ad aliud monasterium suæ Religionis, quamvis inde postea egrediatur ad studia constituta extra suum monasterium, in quo habitat. At excommunicatio fertur contra Religiosos euntes sine dicta licentia ad studia, manendo extra monasterium: ergo, &c. Caiet *loco suprà citato*, Ledesma *2. part. q. 26. ar. 2. n. 23.* & alij, quos sequitur Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 23. sect. 4. n. 35.*

7 Aduerte 6. quod neque hanc excommunicationem incurrat Religiosus, quando manens sine licentia sui superioris extra monasterium, adiret studia, quæ in eo loco, vbi ipse manet, constituta sunt; quia textus *in cap. vt periculosa*, loquitur de Religiosis euntibus ad alium locum sine licentia superioris, & consilio maioris partis conuentus, causa studiorum: at in hoc casu Religiosus non manet extra Monasterium causa studiorum: ergo, &c. Quamvis aliunde posset incurrere aliam excommunicationem, eo quòd scilicet maneat extra Monasterium sine licentia sui superioris.

8 Aduerte 7. quod multò minùs hanc excommunicationem incurrat prior, quando ob alia negotia degit extra Monasterium, si exinde adeat studia, quæ ibi constituta sunt, propter eandem rationem, quam suprà dicebam: & videri potetir etiam Paludanus *in 4. distinct. 18. q. 3. n. 42.*

9 Aduerte 8. quod neque hanc excommunicationem incurrat Religiosus, quando sine consilio maioris partis Capituli proficiscitur ad studia, mansurus extra monasterium ex solo motu, consensu, vel licentia illius superioris, cuius est mittere Religiosos aliò ad habitandum extra monasterium, quam facultatem habere solent Præfecti Ordinum Mendicantium. Nauar. *in sum. c. 27. n. 133. declarat. 3.* Sayrus *de censuris, lib. 3. c. 33. n. 21. vers. 5.* Et videri poterit etiam Ioan. Andreas *in dict. cap. vt periculosa, n. 2.* Franch. *ibid. n. 3.* Rosells *verb. Excommun. 5. casu 16. n. vltimo*, & Tabiena *eodem verb. excommunicatio 5. cas. 23. n. 6.* quia textus *in cit. cap. vt periculosa, ne clerici, vel monachi in 6*, loquitur solùm de conuentus Prælatis proximis, & immediatis, non autem de remotis, & mediatis, scilicet de Prælatis maioribus, seu maioris authoritatis.

10 Aduerte 9. quod neque hanc excommunicationem incurrat Religiosus, quando sine consilio maioris partis Capituli proficiscitur ad studia, mansurus similiter extra monasterium ex nutu, consensu, vel licentia Generalis, vel Prouincialis, cuius sola licentia consueuerit sufficere in Religione, quod Religiosus possit tam in studiis, quàm alibi extra monasterium manere, propter eandem rationem quam suprà dicebam, quod scilicet textus *in cap. vt periculosa, ne clerici, vel monachi in 6.* loquatur solùm de conuentus Prælatis proximis, & immediatis, non autem remotis, & mediatis. Caietanus *in summa, verb. excommunicatio, c. 61. circa fin.* & alij, quos sequitur Suarez *tom. 5. disp. 23. sect. 4. n. 36.* & Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 13. q. 5. cas. 16. vers. de altera.*

Aduerte 10. quod neque hanc excommunicationem incurrat Religiosus, quando sine consilio maioris partis Capituli proficiscitur ad studia, mansurus etiam extra monasterium ex nutu, consensu, vel licentia Episcopi; si tamen talis Religiosus fuerit subditus iurisdictioni Episcopi, & non exemptus à iurisdictione illius; quia sicuti dicebam, textus *in c. vt periculosa*, loquitur solùm de superioribus Conuentus proximis, & immediatis, vt istorum tantùm facultatem restringat, quod talem licentiam sine tali consilio maioris partis Capituli concedere non possint. De superioribus autem Conuentus mediatis, & remotis, nihil prorsus dicit: ergo, &c. Sylvester *in sum. verb. excommunicatio 9. cas. 25. n. 55. q. 2.* quatenus ait, omninò esse contra omnem rationem, quod vbi authoritas Abbatis, vel alterius Prælati conuentus, seu monasterij ab Episcopo dependet (scilicet in Conuentibus, seu monasteriis non exemptis) quod potest inferior, scilicet Abbas, vel quicumque alius Prælatus conuentus, seu monasterij, non possit superior, scilicet Episcopus, cui subditur Abbas, seu quicumque alius Prælatus conuentus, seu monasterij. 11

Quamvis contrarium teneat Ssyrus *de censuris, lib. 3. c. 33. n. 23.* allegando pro sua sententia Archidisconum *in citato cap. vt periculosa, n. 3.* Tabienam *verbo excommunicatio 5. cas. 23.* & S. Antoninum *3. part. tit. 24. cap. 53. circa finem.*

At quod dicebam cum Sylvestro *loco suprà citato*, satis rationabile, & probabile mihi videtur.

Aduerte 11. quod è contra hanc excommunicationem incurrat Religiosus, quando quidem à superiore habet licentiam proficiscendi ad studia literarum; sed ita tamen, vt talis licentia non sit legitima, seu sufficiens, eo quòd scilicet ea fuerit obtenta per subreptionem, vel per vim, metum, dolum, aut per alias causas, quæ faciunt, vt talis licentia non sit sufficiens, vel tandem ab eo, qui illam concedere non poterat; quia vt Religiosus in tali casu hanc excommunicationem non incurrat, requiritur licentia sui superioris; ergo prædictam excommunicationem incurret, si quidem superioris habeat licentiam, sed ita tamen, vt non sit legitima, seu sufficiens. Antecedens patet ex textu *in d. cap. vt periculosa*, Consequentia probatur, quia licentia, gratia, vel dispensatio, quæ non sit sufficiens aliquo modo ex modis, quos dicebam, est inualida, & reputatur ac si non esset concessa, *cap. ad aures, cap. constitutus, de rescriptis, cap. si motu proprio, de Prabendis in 6. & Clem. 1. de Prabend. vers. gratiam huiusmodi*; & etiam Glossa *in cap. ad audientiam 1. de rescriptis*, Abbas *ibid. n. 14.* Felin. *n. 22.* Nauar. *in cap. si quando, de rescriptis, praeludio primo*, Tusch. *conclus. 721. lit. S*, Oldrad. *cons. 257. n. 27.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. cas. 203. n. 2. & 16.* & alij communiter, quos sequitur Sanchez *de matrim. disp. 21. n. 3. & seqq.* 12

Confirmatur, quia ex eo, quod qui contrahit matrimonium cum consanguinea sine dispensatione, incurrit excommunicationem latam contra huiusmodi contrahentes *in Clem. vnica, de consanguinitate*, & docet Glossa, Cardinalis, Imola, Bonifacius, & alij Canonistæ passim ibidem, sequitur quod incurrat eandem excommunicationem, si contrahat matrimonium cum consan- 13

consanguinea cum dispensatione, quæ non sit legitima, seu sufficiens aliquo modo ex modis, quos suprà dicebam. Doctores communiter, quos citat, & sequitur Sanchez *citato lib. 8. de matrimonio, disp. 21.* Ergo sic & in casu nostro.

14 Confirmatur secundò, quia ex eo, quod Religiosus donans aliquid absque licentia, peccat contra votum paupertatis, sequitur quod peccet contra idem votum, si donet cum licentia, quæ similiter non sit legitima, seu sufficiens aliquo modo ex modis, quos suprà etiam dicebam: ergo sic etiam similiter & in casu nostro.

15 Non obstat, si dicas cum nonnullis (quos sequitur Suar. *tom. 5. de censur. disp. 23. sect. 4. n. 37.*) in illis Religionibus, in quibus facultas mittendi Religiosos ad studia publica reseruatur Generali, vel Prouinciali, si Prælatus conuentus, seu Monasterij immediatus det hanc licentiam suis subditis cum consilio maioris partis Capituli, tunc licèt dictus Prælatus minùs rectè operetur (non seruando scilicet regulas suæ Religionis) Religiosus tamen cum tali licentia ad studia publica accedendo, non incurret hanc excommunicationem, eo quòd ad incurrendam hanc excommunicationem requiritur, quod Religiosus temerè accedat ad talia studia: sed in casu nostro Religiosus, cùm immediatus conuentus, seu Monasterij Prælatus det licentiam ex consilio maioris partis Capituli, quamvia talia licentia sit reseruata soli Generali, vel Prouinciali, non temerè accedit ad studia: ergo, &c.

Respondetur enim, quod non temerè accedat ad studia, si ignorantiâ excusetur: at secus, si nouerit quod talis licentia non sit legitima, seu sufficiens aliqun modo, sicuti suprà dicebam, & patet etiam in exemplis, quæ in confirmationibus afferebantur.

16 Non obstat secundò, si dicas: Religiosus, qui sine licentia discedit ex vno conuentu, vel monasterio ad aliud, etiam causa studiorum, hanc excommunicationem non incurrit: ergo neque etiam illam incurret in casu nostro.

Respondetur enim: Nego consequentiam; & disparitas est, quia in citato *cap.* vt periculosa, non excommunicantur vniuersaliter Religiosi discedentes à suis Monasteriis ad alia Monasteria, etiam causa studiorum, absque licentia; sed excommunicantur solùm Religiosi discedentes ad studia, mansuri extra conuentum, seu Monasterium absque legitima superioris licentia.

17 Aduerte 12. quod è contra hanc excommunicationem non incorrat (etsi minùs rectè agat) Conuentus, seu Monasterij Prælatus accedens ad studia sine consilio maioris partis Capituli, tametsi mansurua extra omne Monasterium, & subiectus sit aliis superioribus, scilicet Prouinciali, seu Generali. Archidiac. *in dict. cap. vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi in 6. n. 5.* Ioan. Andreas *ibid. n. 2. & seqq.* Dominicus *num. 9.* Anchatanus *n. 2. notab. 3.* Angelus *verb. excommunic. 7. cas. 27. n. 4.* Nauarrus *in sum. cap. 27. n. 133. declarat. 4.* S Antoninus *3. part. tit. 24. cap. 53. circa finem,* Sayr. *de censuris, cap. 33. n. 22. vers. 6.* quamvia contrarium teneant Syluester *verb excommunicat. 9. cas. 25. q. 1.* & alij, ad quorum sententiam aliquo modo inclinat etiam Franch. *in dict. cap. vt periculosa, n. 5.* quia textus *in eodem cap. vt periculosa,* loquitur solùm de Religiosis, qui habent immediatum superiorem illius Monasterij, seu conuentus, in quo morantur; & ex alio capite pœnæ non sunt ampliandæ, sed potiùs restringendæ; ergo.

18 Confirmatur, quia rarò contingit, quod conuentus, seu Monasterij Prælatus, causa studiorum exeat de Conuentu, seu Monasterio extra omne Monasterium mansurus; & ex alio capite leges accommodantur ad ea, quæ frequentiùs accidunt, *l. nam ad ea, ff. de legibus:* Ergo, &c.

SECTIO XIX.

An vt conuentus, seu monasterij Superior immediatus possit dare legitimam, seu sufficientem licentiam adeundi studia Religioso, extra conuentum, seu monasterium suæ Religionis mansuro, sine consensu maioris partis Capituli, sufficiat si audiat consilium Capituli, vel teneatur sequi consilium maioris partis eiusdem Capituli?

SVMMARIVM.

1 *Superior immediatus conuentus, seu monasterij, vt possit dare legitimam, seu sufficientem licentiam adeundi studia Religioso extra Conuentum, seu Monasterium suæ Religionis mansuro sine consensu maioris partis Capituli, sufficit si solùm audiat consilium Capituli, vt in potestate talis superioris sit prodictum consilium sequi, vel non sequi, quia qui tenetur aliquid facere cum consilio alterius, tenetur solùm audire consilium, non exequi, contra Paludanum & alios.*

2 *Nemo tenetur sequi alterius consilium, & sequi alterius cohortationem.*

3 *Qui tenetur aliquid facere cum consilio alterius, licèt regulariter non sit obligatus illud sequi; hoc tamen fallit, quando tenetur petere consilium ab illo, tanquam à collega & participe officij, in qua ratione se fundant Paludanus, & alij.*

4 *Abbas, seu quicumque alius conuentus, seu monasterij superior in admittendo Nouitium ad professionem solùm tenetur audire consilium Capituli, non autem sequi consensum maioris partis eiusdem, contra Nauarrum & Rodericum contrarium sentientes ex eo, quod Capitulum sit Collega, & particeps officij.*

5 *Praxis tamen apud omnes Religiones est in contrarium, forsan quia professio est matrimonium quoddam spirituale, & vinculum perpetuum indissolubile, sicque vna ex rebus valdè arduis, & præcipuis conuentus. At non sic est in danda licentia adeundi studia Religioso, & cur?*

6 *Professio, vt sit legitima, seu valida, requiritur quod fiat de consensu illius, cuius est incorporare Religiosum; quia nulla professio est legitima, & valida, nisi duæ personæ concurrant, quarum vna obliget se Religioni tradendo se in ius illius: altera obliget Religionem illi, recipiendo suum in filium, & communicando illi iura reliquorum; cùm professio contineat reciprocam obligationem inter emittentem, & recipientem.*

7 *Religionis professio est inualida, si fiat sine consilio Capituli, quia vbi à Iure, vt in casu præsenti, consilium requiritur, actus est inualidus, nisi illud adhibeatur; superior tamen tenetur illud audire, non exequi, contra nonnullos.*

8 *Episcopus etiam in monasteriis sibi subiectis, atque adeò in se non exemptis, admittere potest ad professionem, quia in iis est superior.*

9 *Professio est inualida, si alius ad professionem admittat absque mandato superioris monasterij, seu conuentus, nisi nomine eiusdem recepta non fuerit; quia nemo ratum habere potest, quod suo nomine ratum non est.*

10 *Professus inualidè, quamuis probabile sit, quod maneat obligatus voto simplici, si velint eum recipere; quia quantum potuit ex parte sua obligauit se, cum hac tamen tacita conditione, si Religio vicissim acceptauit; probabile tamen est etiam oppositum, quia in*

contractibus

contractibus reciprocis consensus censetur renouatus, quamdiu ab altero ex contrahentibus non fuerit receptus, prout in emptionibus, & venditionibus.

1 RElpondetur sufficere, si solùm audiat consilium Capituli: ita vt in potestate prædicti superioris sit tale consilium sequi, vel non sequi. Franchus *in cap. Vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi in 6. num. 3. & 5.* & alij, quos sequitur Suarez *tom. 5. disput. 23. sect. 4. num. 37.*

Probatur, quia licèt qui tenetur aliquid facere cum consensu alterius, teneatur illum sequi; qui tamen, vt est in casu nostro, tenetur aliquid facere cum consilio alicuius, tenetur solùm illud audire, non autem illud sequi, sicuti patet *ex l. cùm pater, ff. de legib.* & docent communiter Doctores *in cap. cùm in veteri, de elect. & in cap. cùm olim, de arbitr.* Battol. *in l. 1. §. si plures, de exercit. action.* Paul. de Castro *in l. curpia, §. 1. tit. 3. de leg. 1.* Iason *ibid. n. 4.* Decius *in l. fœmina, ff. de regul. iur. n. 18. & in l. 1. de offic. assess. n. 3.* Felin. *in cap. ex parte, de constit. num. 4.* Crauetta *cons. 1. num. 3.* Ioannes de Anania *cons. 15.* Ruinus *cons. 126. num. 6. vol. 2.* Couar. *in epitome de matrim. cap. 3. §. 8. num. 3.* Cephal. *cons. 319. num. 42.* Menoch. *cons. 69. num. 17.* Molin. *lib. 2. de primogen. cap. 13. num. 36.* Mantica *de coniect. vlt. volunt. lib. 11. tit. 18. num. 10.* & Henriquez
2 *lib. 11. cap. 6. num. 6. & cap. 12. num. 6.* Et ratio est, quia nemo tenetur sequi alterius consilium, vt habet textus *in l. 2. ff. mandati, circa finem*, & tradit Glossa *in cit. cap. cùm olim*, sicut & nemo tenetur sequi alterius cohortationem, vt dicitur *in cap. vltimo, circa finem, dist. 4.* Ergo vt possit conuentus, seu monasterij Superior immediatus dare legitimam, seu sufficientem licentiam adeundi studia Religioso extra conuentum, seu monasterium suæ Religionis mansuro, sufficit si solùm audiat consilium Capituli, non autem tenetur sequi consensum maioris partis eiusdem Capituli.

3 Quamvis contrarium sentiant Paludanus *in 4. dist. 18. q. 3. art. 3. n. 42.* & alij, quos sequitur Sayrus *de censuris, lib. 3. cap. 23. n. 10.* Ea eo, quia licèt regulariter loquendo, qui tenetur aliquid facere cum consilio alterius, non sit obligatus illud sequi, hoc tamen fallit, quando tenetur petere consilium ab illo, tanquam à collega, & participe officij, sicuti docent Battol. *in l. 1. §. si plures, n. 7. de exercitor. action.* Dominicus *in cap. vnico, §. vbi verò, ne Sede vacante, in 6. n. 9.* Franch. *ibid. n. 5.* Nauarrus *cons. 9. de constit. num. 13.*
4 & Rodericus *tom. 3. quæst. Regular. q. 17. art. 7.* qui duo vltimo loco citati Doctores propterea putant, quod quando penes Abbatem, vel quemcunque alium Conuentus, seu Monasterij Superiorem est admittere Nouitium ad professionem cum consilio Capituli, non solùm teneatur sequi consensum maioris partis eiusdem Capituli: at in casu nostro de danda licentia adeundi studia Religioso extra Conuentum suæ Religionis mansuro, sicut & in casu de admittendo Nouitium ad professionem, tenetur Abbas, seu quicumque alius Conuentus, seu Monasterij Superior petere consilium à Capitulo, tanquam à collega, & sui officij participe, cùm hæc duo sint quædam ex rebus arduis, & præcipuis Conuentus, quæ propterea non potest Abbas, vel quicumque alius Conuentus, seu Monasterij Superior exequi, sed in illis exequendis Capitulum est collega, & particeps officij. Oldradus *cons. 97. n. 1.* Mandos. *in addit. ad Lupum, allegat. 31.* & alij expressè sentiunt, quod admittere Nouitium ad professionem, spectet ad Abbatem, seu quemcunque alium Conuentus, seu Monasterij Superiorem, & simul ad Capitulum, tanquam ad collegam, & participem officij: ergo, &c.

Respondetur: Nego assumptum, quandoquidem complures, & grauis authoritatis Doctores, vt Angelus *verb. professio, n. 1.* Syluester *verb. Relig. 3. q. 13. & quæst. 18. dicto 4.* & Felinus *in cap. quoniam, de simonia, n. 3.* tenent quod ob dictam nostræ sententiæ rationem Abbas, seu quicumque alius Conuentus, seu Monasterij superior in admittendo Nouitium ad professionem solùm teneatur audire consilium Capituli, non autem sequi consensum maioris partis eiusdem Capituli: at quoniam, vt fatetur, & notant Gloss. *in cap. porrectum, verb. monachum, de regular.* Anchatan. *in cap. finali, de regular. in 6. notab. 2.* & Spino *in speculo testament. gloss. 12. in princ. n. 2. & 3.*
5 ptaxis apud omnes Religiones est in contrarium, forsan quia professio est matrimonium quoddam spirituale, & vinculum perpetuum indissolubile, sicque vna ex rebus valdè arduis, & præcipuis Conuentus, concedo totum in admittendo Nouitium ad professionem; sed nego in danda licentia adeundi studia Religioso extra Conuentum suæ Religionis mansuro; cùm hic non militent eædem rationes, quæ militant ibi, scilicet in admittendo Nouitium ad professionem, vti dicebam. Vide quæ dicuntur *infrà, sect. 32.*

6 Quantum igitur spectat ad professionem, vt sit legitima, seu valida, requiritur, quod fiat consensu illius, cuius est incorporare Religioni. Syluester *verb. Relig. 3. quæst. 19.* Nauarrus *commentar. 4. de regular. num. 74.* & alij communiter; & ratio est, quia nulla professio est legitima, seu valida, nisi duæ personæ concurrant, quarum vna obliget se Religioni, tradendo se in ius illius, & obstringendo se ad manendum in illa. Altera obliget Religionem illi, recipiendo illum in filium, & communicando illi iura reliquorum; cùm professio contineat reciprocam obligationem inter eum, qui illam emittit, & inter eum, qui illum recipit, iuxta textum *in cap. ad Apostolicam, de regular.* Quæ potestas regulariter est apud Conuentus Superiorem; cùm incorporare Congregationi, & huius priuilegia, ac iura communicare sit illius, qui
7 illi præsidet: debet etiam Conuentus Superior ex dictis, nisi consuetudo, vel Regula aliud præscribat, aut priuilegium aliud concedat, adhibere consilium Capituli; quia Regula Monachorum præscribit, quod Abbas præcipua Conuentus (qualis est admissio ad professionem) explere debeat cum consilio Capituli; Quapropter admissio ad professionem iure communi erit inualida, si fiat sine tali consilio; quia vbi à iure consilium requiritur, actus est inualidus, nisi consilium adhibeatur, *cap. nouit*, de his quæ fiunt à Prælato, iuncta Glossa ibidem communiter recepta; non tamen Conuentus Superior tenetur consilium illud sequi, sed satis est, quod illud exquirat, & audiat, vti docent Syluester, Angelus, & Felinus *in locis suprà citat.* quamvis alij putent, non sufficere, quod is exquirat, & audiat consilium; sed requiri etiam, quod sequatur consensum maioris partis eiusdem Capituli, ex textu *in cap. ea noscitur, de his* quæ fiunt à Prælato, &c. vbi vt præsentatio, vel collatio facta per Abbatem, vtpote res vna ex præcipuis Conuentus, sit valida, requiritur consensus maioris, vel sanioris partis Conuentus: Quapropter hoc posterius videtur iure communi probabilius, quamvis vti suprà dicebam, & notat præter alios Abbas *in cap. ad Apostolicam, de regular.* in huiusmodi spectanda maximè sit recepta consuetudo.

8 Aduerte quod Episcopus etiam in monasteriis, scilicet sibi subiectis, atque adeò in se non exemptis, admittere possit ad professionem. Syluester *verb. relig. 3. q. 4.* & alij passim, quia Episcopus in iis est Superior, cui Abbas etiam subest.

9 Aduerte 2. quod si alius ad professionem admittat absque mandato Superioris Monasterij, seu Conuentus, professio sit inualida, quia non potest Religioni incorporare; si tamen nomine Superioris Monasterij, seu Conuentus admiserit, potest

superior Monasterij, seu Conuentus ratificare. Angelus *verb. Professio, n.* 1. Syluest. *loc. sup. cit. q.* 18. & alij passim: ante tamen ratificationem prædicti superioris talis admissio non habebit vim professionis, sed solùm voti simplicis, quia non obligat, sicut professio, omninò & absoluè, sed solùm sub conditione, si scilicet superior ratum habuerit: at si qui admissus fuit, admissus non fuerit nomine superioris, non potest superior ratificare; quia nemo ratum habere potest, quod suo nomine gestũ non est. *Regul. 9. de reg. iur. in 6.* quapropter si iste talis rursùs non profiteatur, professus non erit.

10 An autem ex huiusmodi professione maneat obligatus ad ingrediendum?

Respondetur, quod quamvis probabile sit, manere eum obligatum voto simplici, si velint eum recipere, quia quantum potuit ex parte sua obligauit se, cum hac tamen tacita conditione, si ipsi vicissim illum vellent recipere: quapropter tenetur inquirere, an velint, & si voluerint, tenetur rursùs profiteri; si verò noluerint, erit omninò liber: probabile tamẽ sit etiam oppositum, quia in tractatibus reciprocis consensus, & obligatio reuocari potest, quamdiu ab altera parte non fuerit acceptata, nisi fortè concessum sit tempus ad deliberandum: At in casu nostro non censetur acceptata, cùm altera pars nullam potestatem habuerit ad acceptandum: ergo, &c. Idem contingit in emptionibus, venditionibus, & similibus alijs contractibus, quamvis secus dicendum sit, si fiat sub ratihabitione superioris; quia tunc expectari debet ratihabitio, cùm in illam consenserint.

SECTIO XX.

An incurrant aliquam excommunicationem Magistri retinentes in suis scholis Religiosos?

SVMMARIVM.

1 *Magistri retinentes in suis scholis Religiosos incurrunt excommunicationem dictã* cap. Vt periculosa.

2 *Magistrorum, seu Doctorum nomine intelliguntur ij, qui docent; ita vt in dicto textu excommunicentur Magistri, seu Doctores, qui docent, si doceant siue in scholis, siue extra scholas, vel si retineant in scholis Religiosum habitu dimisso: quapropter eam non incurrunt, qui non docent.*

3 *Magistri, seu Doctores qui docent, si nouerint quod Religiosus ex domo aliqua scholis propinqua audiat ipsos Doctores, hanc excommunicationem non incurrunt, cùm ipsi id non intendant, nec possint prohibere, quod Religiosus domum illam non inhabitet: quapropter in hoc casu neque retinere dicuntur.*

4 *Magistri, seu Doctores, qui docent, Religiosum retinere dicentur, cum illum rogant, vel illi auxilium, aut fauorem præstant, vt in scholis remaneat, non tamen similiter, cum à docendo non desistunt, vel eum non expellunt, nisi casu quo ex officio competeret.*

5 *Magistri, seu Doctores neque incurrunt prædictam excommunicationem, siue doceant, siue retineant in scholis Religiosum, si Religiosus leges ciuiles, vel medicinam audiat ab ipsis absque habitus dimissione, contra nonnullos Doctores contrarium sentientes.*

6 *Magistri, seu Doctores, qui docent, vt incurrant excommunicationem; quia scilicet participant in crimine, ob quod religiosus est excommunicatus, requiritur, quod talis religiosus non solùm sit iam excommunicatus, sed etiam quod sit iam nominatim denunciatus vt talis; quia sic incurritur excommunicatio per participationem.*

7 *Magistri, seu Doctores, qui docent, vt incurrant excommunicationem, quæ infligitur in dict.* cap. Vt periculosa, *non requiritur, quod religiosus sit iam excommunicatus, & quod præterea sit iam nominatim denunciatus vt talis; sed sufficit, quod ipsi nouerint esse religiosum illum, qui leges, aut medicinam habitu dimisso audit.*

8 *Magistri, seu Doctores neque incurrunt dictam excommunicationem, si ex ignorantia iuris, vel facti doceant religiosum, qui habitu dimisso, prædictas facultates audit; quia lex requirit scientiam, quo casu ignorantia etiam culpabilis, eaque crassa, & supina, liberat ab excommunicatione.*

9 *Excipe nisi ignorantia sit nimis crassa, & supina; quia æquiualet scientiæ, præsumptioni, fraudi & dolo.*

10 *Magistri, seu Doctores, qui docent prædictas facultates Sacerdotem non religiosum, sed sæcularem, non incurrunt hanc excommunicationem; quia ista constitutio contra religiosum extendi non debet, vtpote odiosa contra Sacerdotem sæcularem.*

11 *Magistri, seu Doctores, qui docent alias disciplinas, quam leges ciuiles, & medicinam, religiosum, neque incurrunt dictam excommunicationem, propter eandem rationem.*

12 *Magister publicè docens in scholis, si sciat ibi esse religiosum, qui habitu dimisso suæ religionis, audiat leges ciuiles, vel medicinam, non tenetur eum vi repellere, nisi is esset simul Rector Vniuersitatis studiorum: contra nonnullos Doctores contrarium sentientes, & cur?*

13 *Magistri quotiescumque voluntariè talem religiosum dimisso habitu docent, siue in scholis, siue extra scholas, hanc excommunicationem incurrunt: at secus si retineant extra scholas, & eum tamen non doceant, ex dispositione dicti textus, &c.*

Respondetur affirmatiuè, quia *in dict. cap. Vt periculosa, ne clerici, vel monachi in 6.* excommunicantur etiam Magistri, seu Doctores legum, scilicet ciuilium, vel Physicæ, scilicet medicinæ, præsumentes retinere in suis scholis Religiosum, qui habitu dimisso operam dat prædictis facultatibus. 1

Vbi aduerte, quod per Magistros, seu Doctores intelligantur iidem, scilicet qui docent. Ioan. Andr. *in d. cap. Vt periculosa, §. Doctores, n.* 2. Franch. *ibid. in princ.* Caiet. *in sum. verb. Excomm. cap.* 61. & alij communiter: itavt in hoc textu excommunicentur Magistri, seu Doctores, qui docent, si doceant siue in scholis, siue extra scholas; vel si retineant in scholis Religiosum, habitu dimisso. 2

Quapropter hanc excommunicationem non incurrunt, qui non docent, quamvis sint gradu Doctoratus insigniti, & multò minùs, si non sint insigniti, etiam casu, quo retineant in scholis Religiosum, habitu dimisso; quia in prædicto textu excommunicantur solùm Magistri, seu Doctores, qui docent, siue in scholis, siue extra scholas, vel si retineant in scholis Religiosum, habitu dimisso, sicuti dicebam. Neque etiam hanc excommunicationem incurrunt Magistri, seu Doctores, qui docent, si nouerint quod Religiosus ex domo aliqua scholis propinqua audiat ipsos docentes; cùm ipsi id non intendant, nec possint prohibere, quod Religiosus domum illam, in qua tanquam in propria morantur, non inhabitet: quapropter neque retinere Religiosum in isto casu dicentur. Glossa *in cit. cap. Vt periculosa, verb. retinere.* Franch. *ibid. §. Doctores, circa finem.* Ostiensis *in summa, part. 2. lib. 7. tit. 2. art. 2. cas.* 37. Syluester *verbo Excommunicatio 9. cas. 26. num. 57. quæst.* 2. Tabiena *eodem verb. Excommunicatio 5. cas. 23. q. 4. n.* 5. & alij passim. 3

Tunc autem Magistri, seu Doctores, qui docent, retinere Religiosum dicentur, cùm illum rogant, vel illi auxilium, aut fauorem præstant, vt in scholis remaneat,

remaneat, non tamen similiter cum à docendo non desistunt, vel eum non expellunt, nisi casu quo ex officio competeret ipsis huiusmodi Religiosum expellere, quemadmodum de facto ex officio competit studiorum Rectori. Doctores communiter, quos sequitur Suarez *tom.5. de censuris, disp.23. sect.4. num.41.* & Sanchez *lib.6. moral. cap.8. num.97.*

5 Aduerte secundò, quod hanc excommunicationem neque incurrant Magistri, seu Doctores, qui docent, siue doceant, siue retineant in scholis Religiosum, si Religiosus prædictas facultates, scilicet leges ciuiles, vel medicinam, audiat ab ipsis absque habitus dimissione. Caiet. *in summa, verb. excommunicat. cap.6. circa fin.* Tabiena *eodem verbo excommunicatio 5. cas.23. q.3. n.4.* Nauarrus *in manuali, cap.27. num.134.* Suarez *citata sect.4. num.36.* & Sanchez *citato cap.8. n.90.* Ratio, quia *in dicto cap. Vt periculosa*, expressè dicitur, quod Magistri, vel Doctores, qui scilicet docent, hanc excommunicationem incurrant, quando docent siue in scholis, siue extra scholas, vel quando retinent in scholis Religiosum, qui habitum dimiserit.

Quamvis contrarium sentiant Archidiaconus *in eodem cap. Vt periculosa, num.7.* Ioan. Andr. *ibidem, num.6.* Rosella *verbo excommunicat.16. cas.16. num.5.* Syluest. *verb. excommunicat.9. cas.16. num.56. quæst.1.* & Astensis *in summa, part.2. lib.7. tit.2. art.2. cas.37.*

At minùs rectè, quia licèt auditio, non dimisso habitu, sufficiat vt Magister, seu Doctor, qui docet, incurrat aliam excommunicationem, *per cap. Nuper, & cap. si concubina, de sent. excommun.* latam contra participantes cum excommunicato in crimine, ob quod est excommunicatus, & participans Magister, seu Doctor, qui leges ciuiles, vel medicinam docet Religiosum, postquam Religiosus ob auditionem incurrit excommunicationem latam *in cap. finali, ne Clerici, vel Monachi*, si scilicet ipse Religiosus prædictas facultates audiat, etiam non dimisso, sed retento habitu; non tamen sufficit, quod idem Magister, vel Doctor, qui docet, incurrat etiam hanc excommunicationem latam *in cap. Vt periculosa*, quæ requirit dimissionem habitus, sicuti patet ex ipso eodem textu *Vt periculosa*, quem iam suprà adducebam.

6 Cæterùm vt Magistri, seu Doctores, qui docent, incurrant excommunicationem, quia scilicet participant in crimine, ob quod Religiosus est excommunicatus, quia scilicet audit leges ciuiles, vel medicinam, etiam retento habitu, requiritur quod talis Religiosus non solùm sit iam excommunicatus, sed etiam quod sit iam nominatim denunciatus vt talis, quia excommunicatio ob participationem solùm incurritur, quando is, cum quo in crimine participatur, est iam excommunicatus, & præterea est etiam iam nominatim denunciatus vt talis. Nauar. *in summa, cap.27. n.112.* Henriquez *lib.13. cap.9. num.1. & seqq.* & alij communiter, quos sequitur Suarez *tom.5. disp.23. sect.4. num.41. circa finem.*

7 At vt prædicti Magistri, seu Doctores, qui docent, incurrant excommunicationem, quæ infligitur *in dicto cap. Vt periculosa*, non requiritur, quod Religiosus sit iam excommunicatus, & quod præterea sit iam nominatim denunciatus vt talis; sed sufficit, quod ipsi nouerint, esse Religiosum illum, qui leges ciuiles, vel medicinam, habitu dimisso, audit; quia statim tunc prædictam excommunicationem incurrent.

8 Aduerte tertiò, quod excommunicationem neque incurrant Magistri, seu Doctores, qui docent, si ex ignorantia iuris, vel facti doceant Religiosum, qui habitu dimisso, prædictas facultates audit; quia textus inquit, *Qui scienter præsumpserit*: at quando lex petit, quod scienter aliquid fiat, ignorantia, etiam culpabilis, eaque crassa, & supina, liberat ab excommunicatione incurrenda; cùm non dicantur scienter aliquid facere, qui ex ignorantia, etiam culpabili, eaque crassa, & supina, illud facit. Imol. *in Clementina vnica, de consanguinitate, num.4.* Bonifacius *ibid. num.15.* Dominicus *in cap. is qui, de sententia excommunicationis in 6. §. Is verò, in principio*, Bartolus *in l. si adulterium, ff. ad leg. Iul. de adulteriis, numer.11.* Angelus *verb. Excommunicatio 5. cas.12. numer.15.* Caietanus *eodem verbo, cap.84.* Syluester *eodem verbo Excommunicatio 7. cas.14. dub.5. num.34. & verbo ignorantia, quæst.8.* S. Antoninus *3. part. titul.24. cap.54. vers. quarit item*, Nauarrus *in cap.27. n.155.* & Couarruuias *in cap. Alma mater, part.1. §.10. num.17.* Et patet ex iis, quæ dicebam *suprà sectione 5.*

9 Excipe, nisi ignorantia sit nimis crassa, & supina; quia talis ignorantia quidem æquiualet scientiæ, præsumptioni, fraudi, & dolo, sicuti dicebam *ibidem, sect.2.*

Aduerte quartò, quod hanc excommunicationem 10 neque incurrant Magistri, seu Doctores, qui docent prædictas facultates Sacerdotem non Religiosum, sed Sæcularem; quia cùm hæc excommunicatio lata sit contra Magistros, qui docent leges ciuiles, vel medicinam Religiosum (& Religiosum cum dimissione habitus suæ Religionis) extendi non debet, vtpotè odiosa, si doceant prædictas facultates Sacerdotem non Religiosum, sed Sæcularem. Glossa *in cap.5. Ne Clerici, vel Monachi in 6. verb. declaramus*, Franchus *in citato cap. Vt periculosa, §. Doctores, num. vnico*, & alij Canonistæ passim ibidem, & Tabiena *in sum. verb. Excommunicatio 5. cas.23. quæst.5. num.6. circa finem.*

Aduerte quintò, quod hanc excommunicationem 11 neque incurrant Magistri, seu Doctores, qui docent alias disciplinas, quàm sint leges, vel medicina, Religiosum, propter eandem rationem; quia scilicet textus *in dicto cap. Vt periculosa*, loquitur solùm si doceant has disciplinas, seu facultates Religiosum, non autem si doceant alias.

Aduerte sextò ex dictis, quod si Magister publicè docens in scholis sciat, ibi esse Religiosum, qui habitu dimisso suæ Religionis, audiat leges ciuiles, vel medicinam, non teneatur eum vi expellere, nisi prædictus Magister publicè docens in scholis esset simul Rector Vniuersitatis studiorum, ad quem ex officio spectat discipulos admittere, & non admittere, seu expellere; quia cùm ad ipsum Magistrum publicè docentem in scholis id non spectet ex officio, non censetur ipse eum docere, vel retinere in scholis, sed potiùs eum tolerare, seu permittere. Doctores, quos sequitur Suarez *tom.5. de censuris, disp.23. sect.4. num.40. & 41.* 12

Quamvis contrarium sentiant Glossa *in dicto cap. Vt periculosa, verbo Retinere*, Ioannes Andreas *ibidem, circa finem*, Archidiaconus *in fine*, Rosella *verbo Excommunicatio 1. cas.16. num.7.* Syluester *eodem verb. Excommunicatio 9. cas.26. num.57. quæst.3.* Armilla *eodem verbo, cas.53.* Tabiena *eodem verbo Excommunicatio 5. cas.53. quæst.4. num.5.* & Astensis *in summa, part.2. lib.7. tit.1. art.2. cas.37.* quatenus aiunt, quod Magister, qui docet, possit talem Religiosum exire renuentem vi expellere de scholis sine metu excommunicationis: quod si per se, vel per alios non possit expellere, sine periculo verberum, vel sanguinis, desistere debeat à docendo, vel exire de scholis, sicut dicimus, quando excommunicatus intrat Ecclesiam.

At quod priùs dicebam, videtur mihi probabilius propter rationem iam dictam.

Aduerte septimò, quod hanc excommunicationem 13 incurrant Magistri, quotiescumque voluntariè talem Religiosum, dimisso scilicet habitu, docent, siue in scholis, siue extra scholas, quia *in d. cap. Vt periculosa*, absolutè excommunicantur Magistri, qui docent; non autem dictam excommunicationem similiter incurrant

Magistri, si prædictum Religiosum retineant extra scholas, & eum tamen non doceant; quia non similiter in eodem textu absolutè excommunicantur Magistri, qui retinent, sed cum particula coarctatiua, qui retinent in scholis. Ioan. Audr. *ibid. n.3.* Franchis *ibid. §. Doctores, n. unico*, & alij Canonistæ communiter.

SECTIO XXI.

An aliquas pœnas incurrant Religiosi exeuntes de Monasteriis, seu Conuentibus suis ad medicinam, vel leges ciuiles audiendas?

SVMMARIVM.

1 *Religiosi exeuntes de Monasteriis, seu Conuentibus suis ad medicinam, vel leges ciuiles audiendas, incurrunt aliquas pœnas.*

2 *Excommunicatio lata* in cap. non magnopetè, ne Clerici, vel Monachi, *fuit postea commutata ab Honorio III.* in cap. super specula, eodem tit. *vbi est ipso Iure lata, non ferenda.*

3 *Excommunicatio ab Alexandro III. lata solùm contra Religiosos* in d. c. ab Honorio III. *postea extensa fuit ad quosdam alios Clericos.*

4 *Prælatus Religionis etiam cum consensu Capituli dare non potest Religioso facultatem, vt habitans extra Monasterium audiat medicinam, aut leges ciuiles, quia idipsum prohibetur.*

5 *Excommunicatio prædicta licèt non sit lata contra Superiores dantes talem licentiam, sed solùm contra Religiosos exeuntes de Monasteriis, seu Conuentibus; nihilominus consentiens tantæ enormitati est propriis honoribus spoliandus.*

6 *Excommunicatio prædicta vt incurratur, tria requiruntur: Primùm, vt Religiosus exeat ad medicinam, vel ad leges ciuiles audiendas: Secundum, vt exeat è claustro propter dictas disciplinas: Tertium, vt intra duos menses non redeat ad claustra.*

7 *Religiosus prædictam excommunicationem incurrit, si exeat de claustro cum animo audiendi medicinam, vel leges ciuiles, & intra duos menses non redeat ad claustrum; quamvis de facto illas postea non audiat; dummodo tamen fuerit extra claustrum cum proposito audiendi illas.*

8 *Religiosus è contra prædictam excommunicationem non incurrit, si exeat de claustro ad leges ciuiles, seu medicinam docendas; quia lex disponit de audientibus, non autem de docentibus.*

9 *Legendi verbum in constitutione Alexandri III. positum stat pro verbo studendi.*

10 *Non valet illatio à prohibitione auditionis ad dictionem; quia sumus in pœnalibus, in quibus non fit extensio.*

11 *Religiosus neque incurrit prædictam excommunicationem, si exeat de claustro ad prædictas facultates in Academia publica audiendas, & postea reuertatur ad claustrum, ita vt habitet in Monasterio; quia in dictis iuribus excommunicatur Religiosus, nisi redeat intra duos menses.*

12 *Honorius III. extendit prædictam excommunicationem ad omnes Presbyteros sæculares, & ad quosdam alios minores Clericos audientes prædictas facultates: at non inde potest inferri, dictos Religiosos statim redeuntes post lectionem ad claustrum suorum Monasteriorum esse excommunicatos, quia sumus in pœnalibus, &c.*

13 *Excommunicatio prædicta, vt locum habeat, necesse est, vt elabantur duo menses; quia sic statutum est* in citato cap.

14 *Menses duo prædicti sunt computandi à die exitus è claustro, & propterea, etiamsi incepto itinere Religiosus non peruenerit ad studia intra duos menses, incurrit nihilominus dictam censuram.*

RЕspondetur affirmatiuè, quia *in cap. magnoperè, ne* 1
Clerici vel Monachi, quod est desumptum ex Lateranensi Concilio sub Alexandro III. sic habetur: [Statuimus, vt nulli omnino post votum Religionis, & post factam in aliquo loco Religioso professionem, ad Physicam, idest ad medicinam, legesve mundanas permittantur exire; si verò exierint, & ad claustrum suum intra duorum mensium spatium non redierint, sicuti excommunicati ab omnibus euitentur, & in nulla causa, si patrocinium præstare voluerint, audiantur; & reuersi in Choro, Capitulo, Mensa, & cæteris, vltimi existant, & sine beneficio Romani Pontificis non promoueantur.]

Vbi aduerte, quod hæc excommunicatio fuerit po- 2
stea confirmata ab Honorio III. *in cap. super specula, eodem titulo, ne Clerici, vel Monachi*, vbi dicitur, quod prædicta excommunicatio lata contra dictos Religiosos, sit ipso iure lata, & non ferenda.

Aduerte secundò, quod quamvis excommunicatio 3
ab Alexandro III. lata fuerit solùm contra Religiosos, nihilominus ab Honorio III. postea extensa sit ad quosdam alios Clericos, sicuti infrà dicetur *sectione sequenti*.

Aduerte tertiò, quod Prælatus Religionis, etiam 4
cum consensu Capituli, dare non possit Religioso facultatem, vt habitans extra monasterium audiat medicinam, aut leges ciuiles; quia idipsum in dictis textibus prohibetur; & ex alio capite Prælatus Religionis, vtpote inferior, dispensare non potest in lege Pontificis, vtpote superioris.

Aduerte quartò, quod quamvis hæc excommuni- 5
catio non sit lata contra superiores dantes talem licentiam, sed solùm contra Religiosos exeuntes de Monasteriis, seu Conuentibus; nihilominus in Lateranensi Concilio sub Alexandro III. decernatur, quod Abbas, vel quicumque alius Religionis superior tantæ enormitati consentiens, sit propriis honoribus spoliandus, & ex Ecclesia arcendus.

Aduerte quintò, quod ad hoc, vt excommunicatio 6
prædicta incurratur, tria requirantur.

Primum, vt Religiosus exeat ad medicinam, vel ad leges mundanas audiendas.

Secundum, vt exeat extra claustrum propter dictas disciplinas, seu facultates: Quapropter Religiosus excommunicationem hanc non incurret, si audiat medicinam, vel leges ciuiles intra claustrum; quia odia, seu pœnæ non extendi, sed coarctari debent: ita Doctores, quos sequitur Sayrus *de censuris, lib. 3. cap. 33. num. 2.* Neque Religiosus excommunicationem hanc incurrit, si exeat quidem de claustro, non tamen ad audiendas istas facultates principaliter, sed ad alium finem, quamvis eum prauum, in quo peccet mortaliter, ita vt etiam sit apostata.

Tertium, vt intra duos menses non redeat ad claustra, quia si redeat, dictam excommunicationem neque etiam incurret, tametsi sæpè sæpiùs inter illos duos menses dictas facultates audiat; quemadmodum neque dictam excommunicationem incurret, si mutato consilio audiat Theologiam, vel Ius Canonicum, etiam vltra duos menses; quia ad incurrendam hanc excommunicationem requiritur propositum permanendi extra claustra per duos menses ad audiendas prædictas facultates; & requiritur etiam, vt exeat ad audiendas leges ciuiles, vel medicinam principaliter, & non ad honorandum v.g. medicum, vel iuris ciuilis Lectorem, aut Doctorem amicum. Abbas *in cap. fin. ne Clerici, vel Monachi, n. 14. & seqq.* Henricus *ibid. n. 4.* & alij, quos sequitur Toletus *in summa, lib. 1. c. 57. n. 6.*

Aduerte

7 Aduerte sextò, quod Religiosus prædictam excommunicationem incurrat, si exeat de claustro cum animo videndi medicinam, vel leges ciuiles, & intra duos menses non redeat ad claustrum; quamuis de facto illas postea non audiat, & interim propositum non mutauerit: quia si mutauerit, nec velit audire illas facultates, sed alias, vel etiam velit liberè vagari, prædictam excommunicationem non incurret. Abbas *in cit. c. Super specula*, *n.9.* Et videri etiam poterit Angel. *verb. Excommun. 7. cas. 9. n.3.* Sylv. *eod. verb. Excommun. 9. n.12.* Tab. *eodem etiam verb. Excommun. 5. cas. 12. §. 3.* & iterum Abbas *in d. c. Magnoperè, n.9.* qui subdunt, quod Religiosus dictam excommunicationem etiam incurrat, si exeat è claustro non cum proposito audiendi medicinam, vel leges ciuiles, sed ob alium finem, & postea, mutato proposito, velit audire istas facultates, & de facto audiat, & ad claustrum intra duos menses non redeat; non tamen similiter dictam excommunicationem incurrat, si exeat de claustro, vel etiam moretur extra claustrum, non tamen ad audiendas prædictas facultates principaliter, sed ad alium finem principalem (quamvis postea istas facultates audiat) nisi postea, murato proposito, permaneat extra Monasterium principaliter ad easdem facultates audiendas principaliter. Abbas, Angelus, Syluester, & Tabiena *in loc. supr. cit.*

8 Aduerte septimò, quod Religiosus è contra prædictam excommunicationem non incurrat, si exeat de claustro ad leges ciuiles, vel medicinam docendas. Abbas *in dicto c. Non magnoperè, ne Clerici, vel Monach. n.16.* & alij, quos sequitur Toletus *in sum. lib.1. c.37. n.4.* contra S. Antonin. *3. p. tit. 24. c. 52.* & quosdam alios.

Probatur, quia Honorius III. *in c. Super specula, eod. tit.* refert, quod constitutio Alexandri III. lata fuerit ab illo Pontifice contra Religiosos exeuntes de claustris ad prædictas facultates audiendas: ergo cùm constitutio Honorij III. sit posterior constitutione Alexandri III. & illam explicet de exeuntibus ad istas disciplinas audiendas, etiam constitutio Alexandri III. extendi non debet ad Religiosos, qui de claustris exeunt ad easdem facultates legendas, seu docendas.

9 Obijcies ex aduersarijs: *in d. cap. Non magnoperè,* vtitur Alexander III. verbo *legendi*, & ex alio capite ly *legere*, significat *docere*: ergo per hanc constitutionem excommunicantur etiam Religiosi exeuntes de claustris ad prædictas facultates docendas.

Respondetur: concedo priorem partem antecedentia, & distinguo posteriorem; aliquando, vel etiam vt plurimùm, concedo: semper, nego; quapropter nego etiam consequentiam, quia cum Honorius III. intellexerit constitutionem Alexandri III. de Religiosis exeuntibus è claustris ad illas facultates audiendas, in hoc eodem sensu constitutio Alexandri III. explicanda erit, itavt verbum *legendi*, sumatur pro verbo *studendi*, quemadmodum ipse Honorius III. explicauit.

10 Obijcies secundò: Religiosus incurrit prædictam excommunicationem, si exeat de claustro ad prædictas facultates audiendas: ergo multò magis eandem excommunicationem incurret, si exeat de claustro ad easdem facultates docendas.

Respondetur, nego consequentiam; quia pœnæ non extenduntur ob paritatem, vel etiam ob maioritatem rationia: Quapropter *in cap. Is qui, de sentent. Excommun. in 6.* dicitur, quod pœna non sit imponenda, nisi in iura sit expressa: Paritas igitur, vel etiam maioritas rationis est quidem fundamentum sufficiens, vt pœna possit imponi, non autem vt de facto sit imposita, nisi de facto in iure sit expressa.

11 Aduerte octauò, quod Religiosus prædictam excommunicationem neque incurrat, si exeat de claustro ad prædictas facultates in Academia publica audiendas, & postea reuertatur ad claustrum (itavt habitet in Monasterio) vel si (& multò magis) eas facultates audiat in Monasterio. Abbas *in dicto c. Non magnoperè, n.13.* Caiet. *verbo Excommunicatio, n.50.* Nauarr. *c.27. n.116.* Toletus *lib.1. c.37. n.4.* & Saytus *de censuris, lib.3. cap.33. n.2.*

Probatur, quia in dictis iuribus excommunicantur Religiosi exeuntes de claustro ad prædictas facultates audiendas, nisi redeant intra duos menses ad claustrum: ergo prædicta excommunicatio extendi non debet ad Religiosum in casu, quem suprà ponebam, si scilicet post lectiones auditas prædictarum facultatum redeat ad claustrum, vel prædictas facultates audiat in claustro, seu in Monasterio, sicuti suprà dicebam; præsertim cùm pœnæ non sint ampliandæ, sed potiùs restringendæ.

12 Obijcies: Honorius III. *in dicto cap. Super specula, ne Clerici, vel Monachi,* extendit hanc excommunicationem ad omnes Presbyteros sæculares, & ad quosdam alios Minores Clericos audientes prædictas facultates: ergo multò magis talis excommunicatio extendi debebit ad Religiosos, siue Religiosi istas facultates audiant in proprijs claustris, siue exeant ad easdem audiendas extra claustra, & eodem die reuertantur ad claustra: præsertim quia causa motiua ferendi talem excommunicationem videtur fuisse non solùm ne Religiosi habitarent extra claustra, sed etiam ne absolutè darent operam Medicinæ, aut legibus ciuilibus, tanquam ab instituto proprio Religiosorum alienis, sicuti patet ex illis verbis, quæ *in dicto cap. leguntur.* [Ne occasione scientiæ spirituales viri mundanis rursum actionibus inuoluantur.]

Respondetur: quæcumque causa motiua fuerit ferendi prædictam excommunicationem, nego consequentiam; quia pœnæ sine expresso textu non sunt extendendæ; & in pœnis extendendis paritas, seu maioritas rationis nihil confert, vti suprà dicebam.

Aduerte nonò, quod ad hoc, vt hæc excommunicatio locum habeat, necessariò requiratur, vt elabantur duo menses; quia quamvis *in dicto cap. Super specula, ne Clerici, vel Monachi*, dicatur ipso facto incurri talem excommunicationem, non tamen id intelligitur, vt incurratur ipso facto, quod Religiosus è claustro fuerit egressus propter talem finem, sed ipso facto quod elapsi fuerint duo menses. 13

Vbi aduerte, quod prædicti duo menses computari debeant à die exitus è claustro. Abbas *in dicto cap. Super specula, n.8.* Syluester *verbo excommunicat. 9. n.22. §.6.* Angelus *eodem verbo excommunicatio 7. cas. 7. n.1.* Tabiena *eodem verbo excommunicatio 5. cas. 12.* & alij, quos sequitur Saytus *de censuris, lib.3. c.33. n.4.* 14

Quod adeò verum est, quod si Religiosus exeat è claustro propter hunc finem, & deinde, vel quia non potuit causa itinetis peruenire ad Academiam publicam, vel prædictæ facultates non leguntur, vel ob aliquod aliud impedimentum, ceperit audire prædictas facultates, hanc excommunicationem incurrat statim, atque fuerint elapsi prædicti duo menses, quidquid in contrarium dixerint nonnulli, quod scilicet tempus computandum sit non à die, quo Religiosus exiit è claustro, sed à die, quo Religiosus cœpit audire tales facultates.

SECTIO XXII.

Ad quosnam Clericos sæculares Honorius Tertius extenderit excommunicationem?

SVMMARIVM.

1 *Honorius Tertius extendit dictam constitutionem* cap. Super specula, ne Clerici, vel Monachi, *ad omnes*

omnes Presbyteros, ad inferiores verò Clericos non omnes; sed solùm ad Archidiaconos, Decanos, Plebanos, Propositos, Cantores, & alios Personatum habentes.

2 *Plebanorum nomine non comprehenduntur habentes Ecclesias Parochiales.*

3 *Excommunicatio prædicta non comprehendit Subdiaconos, vel Diaconos, quamvis beneficium habeant.*

4 *Clerici sæculares non incurrunt dictam excommunicationem, nisi elapsis duobus mensibus à die, quo cœperunt audire prædictas facultates; incurrent autem eam si per duos menses audiant medicinam, vel ius ciuile, etiamsi non exeant ex propriis domibus ad audiendas prædictas facultates.*

5 *Clerici prædicti, & etiam Religiosi, si habeant priuatim in domibus propriis medicinæ, vel Iuris Ciuilis Lectorem, qui doceat ipsos priuatim prædictas facultates, non incurrent prædictam excommunicationem.*

6 *Pontifex si dispensauerit cum aliquo Sacerdote, quod possit audire ius ciuile, censetur etiam dispensare cum eodem, quod in ea scientia possit suscipere gradum Doctoratus.*

7 *Clerici Patauij secundùm aliquos Doctores possunt operam dare iuri ciuili per quinquennium.*

1 RESpondetur, ad omnes Presbyteros; ad inferiores verò Clericos, non omnes, sed solùm ad Archidiaconos, Decanos, Plebanos, Præpositos, Cantores, & alios Personatum habentes.

2 Vbi aduerte, quod sub nomine Plebanorum non comprehendantur habentes Ecclesias Parochiales, vti declarauit Bonifacius VIII. *in c.1. ne Clerici, vel Monachi, in 6.* nisi (inquit Pontifex) tales Ecclesiæ sint Plebaniæ habentes capellas, in quibus instituantur Clerici perpetui. Quemadmodum etiam præter alios notauit Abbas *in eodem cap. super specula, ne Clerici, vel Monachi, in 6.* & quamvis contrarium sentiat Innocentius, non erat id determinatum per dictum caput primum, quod est (vti dicebam) Bonifacij VIII. qui fuit post Innocentium: sicuti notauit etiam Toletus *in sum. lib. 1. cap. 37. n. 5.* qui subdit cum Geminiano in eodem capitulo primo, id quod dictum est de Plebania habente tales Capellas, dicendum etiam esse de Plebania Collegiata.

3 Aduerte secundò, quod sub hac excommunicatione non comprehendantur Subdiaconi, vel Diaconi; quamvis beneficium habeant, nisi forsan habeant Personatum.

4 Aduerte tertiò, quod dictam excommunicationem non incurrant dicti Clerici sæculares, nisi elapsis duobus mensibus à die, quo cœperunt audire prædictas facultates; incurrunt autem eam dicti Clerici, si per duos menses audiant medicinam, vel ius ciuile, etiamsi non exeant ex propriis domibus ad audiendas prædictas facultates. Henric. *in d. cap. super specula, n. 7.* Caietanus *in sum. verbo Excommunicatio, n. 50.* & alij,

5 quos sequitur Toletus *lib. 1. cap. 37.* Non tamen dictam excommunicationem incurrant isti, quemadmodum nec Religiosi, si habeant priuatim in domibus propriis medicinæ, vel Iuris Ciuilis Lectorem, qui doceat ipsos priuatim prædictas facultates. Anchar. *in d. cap. super specula, n. 4.* Nec etiam prædictam excommunicationem incurrent prædicti, si audiant ius ciuile, quatenus conducit, vel conducere potest ad notitiam Iuris Canonici. Henric. *in citato cap. super specula, ne Clerici, vel Monachi, n. 4.* Abbas *ibid. n. 2.* Ludouic. Gomez *in §. in persona, n. 18. Instit. de actionib.* Toletus *vbi suprà, n. 4.* Grassus *effect. 29. de Clericatu, n. 3.* & alij communiter; quamvis in foro externo, quod non iudicat de internis, præsumerentur excommunicati.

6 Aduerte quartò, quod si Pontifex dispensauerit cum aliquo Sacerdote, quod possit audire ius ciuile, censeatur etiam dispensasse cum eodem, quod in ea scientia suscipere possit gradum Doctoratus. Vincentius Carroccius *in repetitione cap. cùm quid, part. 1. §. seu sectione incipiente ad 4. de priuilegiis, de Regul. iur. in 6. n. 5.* & alij, quos sequitur Grassus *loco suprà cit. n. 5.* 7

Aduerte quintò, quod complures DD. testentur, Clericos Patauij posse iuri ciuili operam dare per quinquennium: qua de re Bart. de S. Blasio *tom. 1. tract. diuers. tract. de contract. Iuris Ciuilis & Canon. contr. 34.*

SECTIO XXIII.

Quisnam sit apostata à Religione, & quisnam fugitivus?

SVMMARIVM.

1 *Religiosi omnes, quicumque illi sint, obligantur ad aliquod genus clausuræ in claustris, & Monasteriis suarum Religionum seruandum.*

2 *Clausula huiusmodi inuoluit duo: Primum, non apostatare: Secundum, non egredi è Monasterio sine licentia Superioris.*

3 *Religiosus egrediens ex suo Monasterio sine licentia Superioris (nisi materiæ paruitas excuset) peccat mortaliter.*

4 *Religiosus cùm subdatur ex vi suæ professionis Superiori, vt ab illo gubernari possit, egrediens sine licentia obedientiam grauiter offendit, quia apud omnes Religiones talis egressus furtiuus, tanquam culpa grauis punitur. Præsertim si fuerit nocturnus, vtpote magis scandalosus, &c.*

5 *Egressus huiusmodi à Monasterio sine licentia superioris à Clemente VIII. includitur in casuum reseruatione.*

6 *Egressus è Monasterio vt licitè fiat, regulariter requiritur licentia explicita. Quamvis aliquando sufficiat implicita virtualis, vel etiam interpretatiua, vt si instet proximi necessitas spiritualis, vel temporalis.*

7 *Religiosus licitè poterit fugere à monasterio ad superiorem Prælatum, si euidenter constet, quod iniustè vexetur à suo monasterij superiore; defensio enim est de iure naturæ, & in tali casu præsumitur licentia superioris Prælati: secus si iustè detineatur in carcere in pœnam alicuius delicti. Et cur non possit licitè, cum id licitè possit secularis?*

8 *Limita in casu, quo illa pœna euidenter sit iniusta, vel alimenta necessaria ei denegentur.*

9 *Limita in casu, quo immineat periculum pœnæ capitis, vel abscissionis alicuius membri.*

10 *Limita, si immineat periculum damnationis ad triremes, quia hæc pœna est grauissima, & quodammodo perpetua mors.*

11 *Limita si damnatus fuerit ad talẽ carcerem in perpetuum, quamvis oppositũ non sit omninò improbabile.*

12 *Egressus Monasterio vt licitè fiat, requiritur licentia singulis vicibus impetrata, & non sufficit licentia ex vi alicuius licentiæ generalis, vel sine causa approbata, vel sine socio ad arbitrium superioris assignato.*

13 *Monasterij clausura, vt magis conseruetur, & omnis scandalorum, & vagationis occasio deuitetur, ex Clemente VIII. & Vrbano VIII. custodiendæ sunt ianuæ, qui diligentia, & morum integritate præditi sint.*

14 *Ianuæ Monasterij ianitor tenetur semper assistere, eamque nulli Religioso aperire, nisi socium, & licentiam obtinuerit.*

15 *Religiosi redeuntes ad Monasterium tenentur adire superiorem ab eo benedictionem recepturi, & vt socium interrogare possit de eo, quod actum est in itinere, &c.*

16 *Religio*

16 *Religiosis in Regnis Hispaniarũ per Vrbanum VIII. fuerunt reuocata omnia priuilegia, per quæ eximebantur ab obedientia suorum Prælatorum.*

17 *Religiosus eiectus non est apostata, neque est fugitiuus; quia fugitiuus est, qui sponte discedit, vel animo deserendi institutum Religiosum, & sic est apostata; vel vt sit extra potestatem superioris, & ad tempus liberè vagetur, cum animo postea redeundi, & sic solùm est fugitiuus.*

18 *Fugiens sic dimisso habitu religionis, est excommunicatus, licèt non fugiat animo apostatandi; quia temerè dimittit habitum suæ religionis.*

19 *Religiosus si habitum suæ religionis non dimittat, licèt fugiat ex Monasterio, non tamen est excommunicatus, nisi fortè fugiat animo apostatandi, quo casu in sententia aliquorum Doctorum, etiamsi habitum suæ religionis non dimittat, incidit in censuram. At de iure communi probabilius videtur oppositũ, & cur?*

20 *Lex pœnalis extendi non debet vltra verborum proprietatem.*

21 *Fugitiuus prædictus potest quidem puniri vt apostata, scilicet excommunicatione, carceris inclusione, suspensione ab Ordinibus, &c. Non tamen incurrit pœnam excommunicationis latæ sententiæ iure communi, nisi habitum suæ religionis dimiserit.*

22 *Religiones quædam habent priuilegia, quibus ipsarum apostata absolutè excommunicatur, licèt habitum suæ regionis non dimiserit, sed retinuerit.*

23 *Apostata est, qui sponte à Monasterio discedit animo deserendi institutum religiosum, siue habitum dimiserit, siue non.*

24 *Fugitiuus verò est, qui sponte etiam discedit, vt sit extra potestatem, & obedientiã superioris, & ad tempus liberè vagetur, cum animo tamen postea redeundi. Quapropter licèt non incurrat peccatum apostasiæ, incurrit tamen peccatum inobedientiæ, & rebellionis, contra præceptum superioris discedendo.*

25 *Apostata omnis est fugitiuus, licèt non omnis fugitiuus sit apostata.*

1 SVppono, quod omnes Religiosi, quicumque illi sint, obligentur ad aliquod genus clausuræ in claustris, & Monasteriis suarum Religionum seruandum. Patet ex vsu omnium Religionum, *& ex cap placuit 2. cap. iuxta, & cap. monachi, &c.*

2 Suppono 2. quod huiusmodi clausura inuoluat duo: Primum non apostatare, seu pro semper deserere Religionem: Secundum non egredi è Monasterio sine licentia superioris.

3 . Hinc si quis egrediatur ex suo Monasterio sine licentia illius (nisi materiæ paruitas excuset) peccabit mortaliter. Patet ex Concilio Chalcedonensi, *c. 4.* & aliis Conciliis apud Gratianum *16. q. 1.* & ex Tridentino *sess. 25. c. 4.* ibi: [Non liceat Regularibus à suis conuentibus recedere, etiam prætextu ad suos superio-
4 res adeundi, nisi ab eis missi, vel vocati fuerint.] Et ex ratione tam à priori, quàm à posteriori. A priori, quia cùm Religiosus ex vi suæ professionis subdatur superiori, vt ab illo gubernari possit, manifestum est, quod si à Monasterio sine licentia superioris egrediatur, cùm sic ab illo gubernari non possit, obedientiam grauiter offendat. A posteriori, quia apud omnes Religiones talis egressus furtiuus, tanquam culpa grauis, punitur. Præsertim si fuerit nocturnus, vtpote magis scandalo-
5 sus, & magis periculis subiectus. Vnde à Clemente VIII. in decretis *de reseruatione casuum*, includitur inter casus reseruabiles à superiore: quod est signum, esse peccatum mortale, cùm reseruari non possit, nisi mortale. Videri potest præter alios Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 6.*

6 Suppono 3. quod ad licitè egrediendum è Monasterio, regulariter requiratur licentia explicita.

Quamvis aliquando sufficiat implicita, virtualis, vel etiam interpretatiua, vt si instet proximi necessitas spiritualis, vel temporalis, sicque Religiosus egrediatur v. g. ad absoluendum moribundum, vel ad defendendum innocentem, vel ad quid aliud simile, & commodè non possit petere licentiam à superiore. Vide DD. communiter, quos sequitur Suarez *loco suprà cit. n. 11.*

Hinc etiam licitè poterit Religiosus fugere è Monasterio ad superiorem Prælatum, si euidenter constet, quod iniustè vexetur à suo Monasterij superiore; quia in tali casu, præterquam quod defensio est de iure naturali, quod præualet iuri positiuo Religionis, præsumitur interuenire licentia superioris Prælati, ad quem fugam capessit. Suarez *ibid. tract. 5. lib. 3. c. 1. n. 6.* 7

Dixi, *si euidenter constet, quod iniustè vexetur à superiore*; quia si iustè in carcere detinetur in pœnam alicuius delicti, fugere è carcere non poterit absque eo, quod sit vagus, vel fugitiuus. Nam etsi possit licitè sæcularis, non tamen potest licitè Religiosus, quia tenetur Religiosus obedire superiori quoad pœnas sibi iustè inflictas, cùm sine rationabili causa non possit se subtrahere à iugo, & obedientia suorum superiorum. Vide DD. quos sequitur Ledesma *in sum. tom. 2. tit. 8. cap. 24.* & Sayrus *in clau. regia, lib. 12. c. 18. n. 9.*

Limita si euidenter constet, quod ipsi pœna illa carceris iniustè imponatur, vel necessaria ad vitam denegentur, iuxta ea quæ dicebam, & tradunt Nauarr. *comment. 4. de Regularib. n. 64.* & Sayrus *ubi suprà, n. 10.* Vnde Religiosus condemnatus, quin & missus ad triremes, poterit multò magis licitè ex eis fugere, iuxta ea quæ dicam *infrà, sect. 27. Petit. 8.* Et videri poterit præter alios Cardinalis de Lugo *de contract. disp. 40. sect. 4. n. 54.* 8

Limita secundò cum Bannez *2. 2. q. 69. art. 4.* & aliis, si immineat periculum pœnæ capitis, vel abscissionis alicuius membri; quia iuxta ea quæ etiam dicebam, ius naturale conseruandi vitam, & membra sui corporis, præponderat iuri positiuo Religionis. 9

Limita tertiò, cum eodem Bannez *cit. art. 4.* contra Sanchez *lib. 6. moral. c. 8. n. 16.* si immineat periculum damnationis ad triremes, quia præterquam quod talis pœna est grauissima, ac veluti quædam perpetua mors, videtur contra decorum, & honestatem Religionis. 10

Limita quartò, cum eodem etiam Bannez *ubi supr.* si damnatus fuerit ad talem carcerem in perpetuum. Quamvis oppositum non omninò improbabiliter teneant Rodrig. *tom. 2. quæst. regular. q. 22. art. 6.* & alij, moti ex eo, quod pœna carceris, etiam in perpetuum, non sit disconueniens statui religioso, nec sit tam contraria iuri naturali, vt non possit censeri Religiosus ex vi professionis, quotiescumque crimen proportionatum perpetrauerit, ad talem pœnam se obligasse. 11

Suppono 4. quod ad licitè egrediendum è Monasterio requiratur licentia singulis vicibus impetrata, & non sufficiat licentia ex vi alicuius licentiæ generalis, vel sine causa approbata, vel sine socio ad arbitrium superioris assignato: sic Clemens VIII. in decretis pro reformatione Regularium à Sac. Congregatione iussu Vrbani VIII. approbatis, & innouatis, per hæc verba: [Nullus è conuentu egredi audeat, nisi ex causa, & cum socio, licentiaque singulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata, sociumque exituro adiungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eundem sæpiùs; licentiæ verò generales exeundi nulli omninò concedantur: Contrauenientes autem pœna graui, etiam carceris, ad superioris arbitrium plectantur; eandem etiam ianitor subeat, si sciens exeundi facultatem fecerit.] 12

Et ad huiusmodi clausuram in Monasteriis magis conseruandam Clemens VIII. & Vrbanus VIII. in decretis supradictis volunt, quod vt omnis scandali, & vagationis occasio deuitetur, Monasterij clausura perpetuò diligenter custodiatur, ac propterea a supe- 13

riore

riore ibi ianitor constituatur, qui diligentia, & morum integritate præditus sit.

14 Et quoad ipsum ianitorem, seu Monasterij ianuæ custodem præcipiunt, quod ianuæ custodiendæ semper assistat, eamque nulli Religioso aperiat, nisi socium, & egrediendi licentiam à superiore obtinuerit.

15 Et quoad redeuntes ad monasterium iubent, quod cùm quis in Monasterium reuertitur, superiorem iterum adeat, benedictionem recepturus, qui à socio itineris rationem, *& quid rei actum sit, diligenter perquirat.*

16 Et quoad Religiosos in Hispaniarum Regnis degentes Vrbanus VIII. ad instantiam Catholici Regis in Bulla edita anno 1624. reuocauit, cassauit, & annullauit omnia priuilegia iis concessa, per quæ iidem Religiosi ab eorum Prælatorum obedientia eximuntur, & ex eorum Monasteriis, & Regularibus domibus ad eorum libitum, & cum sociis sibi beneuisis, & iam destinatis, etiam superiorum suorum non petita licentia, egrediuntur.

17 Suppono 5. quod eiectus non sit apostata, neque etiam sit fugitivus, quia fugitivus est, qui sponte discedit, idque vel animo deserendi institutum religiosum, & sic apostata: vel vt sit extra potestatem superioris & ad tempus liberè vagetur, cum animo postea redeundi, & sic solùm est fugitivus. At qui ejicitur, non sponte discedit, sed iussus vel compulsus. Quapropter qui eiectus discedit, non incurrit excommunicationem, vel alias pœnas apostatarum.

18 Cæterùm qui fugit dimisso habitu Religionis, etsi id non faciat animo apostatandi, est tamen excommunicatus, *c. vt periculosa, ne clerici, vel monachi, in 6.* quia
19 temerè dimittit habitum suæ Religionis. Quod si habitum suæ Religionis non dimittit, etsi fugiat ex Monasterio, non est tamen excommunicatus, nisi fortè fugiat animo apostatandi, quo casu in sententia quorundam Doctorum, etiamsi habitum suæ Religionis nō dimittat, est excommunicatus. At de iure communi probabilius mihi videtur oppositum; quia *in d. c. vt periculosa,* solùm excommunicatur is, qui temerè dimittit habitum suæ Religionis: vnde passim DD. aiunt, talem esse apostatam, quod per se patet; cùm apostata dicatur à desertione instituti Religiosi, non autem à depositione habitus Religionis: non tamen aiunt, incurrere excommunicationem, quinimò Gloss. *in cap. 1. verb. Apostata, de tempor. ordin. in 6.* Hostiens. *in sum. tit. de apostat. n. 4.* Tabiena *verb. Apostata, n. 15.* Caiet. *in sum. etiam, verbo Apostasia,* Syluest. *eod. verbo 5. q. 8.* & alij manifestè insinuant, quod si habitum non dimiserit, quamvis sit excommunicandus, per textum *in c. si quis ex cleric. de vit. & honest. cleric.* vt communiter DD. cum Gloss. *in c. 2. ne cleric. vel monach. in 6. verb.*
20 *ipso facto*; non tamen sit excommunicatus. Et meritò, quia lex pœnalis extendi non debet vltra proprietatem verborum.

21 Non obstat, si dicas: est apostata, ergo incurrit apostatarum pœnas, inter quas est excommunicatio.

Respondetur enim, quod possit quidem puniri vt apostata, scilicet excommunicatione, carceris inclusione, suspensione ab ordinibus, &c. non tamen incurrat pœnam excommunicationis latæ sententiæ iure communi, nisi sicuti dicebam, habitum suæ Religionis dimiserit, quod ordinariè fieri solet.

22 Dixi, *Iure communi,* quia quædam Religiones habent priuilegia, quibus ipsarum apostatæ absolutè excommunicātur ipso facto, etiamsi habitum suæ Religionis non dimiserint, sed retinuerint, vt videre est *in compend. priuil. mendic. verb. Apostata, & in compend. priuil. Societatis Iesu, eodem verbo,* & notat præter alios Sanch. *lib. 6. mor. c. 8. n. 20.* Vide etiam *infrà, sect. 27.* At si dimittat habitum, ex hoc etiam capite excommunicatus est per *c. vt periculosa, ne cleric. vel monach.* Vndè si apostata celebraret, irregularis fieret. Menoch. *lib. 2. de arbitr. centur. 6. cas. 540. n. 7. 30. & 48.* Oldrad. *consil. 148. n. 12.* Thusc. *lit. N, concl. 329. n. 1. & 4.* & alij communiter. His suppositis,

Respondetur: Apostata est, qui sponte à Monasterio 23
discedit animo deserendi institutum Religiosum, siue
habitum dimiserit, siue non: fugitivus autem est, qui 24
sponte etiam discedit, vt sit extra potestatem, & obedientiam Superioris, & ad tempus liberè vagetur, cum animo tamen postea redeundi, itavt quamvis non incurrat peccatum apostasiæ, incurrat tamen peccatum inobedientiæ, & rebellionis, contra præceptum Superioris discedendo, quemadmodum etiam permanens in Monasterio, & nolens pertinaciter obedire Superiori aliquid iustè præcipienti, inobediens, & rebellis similiter est, non tamen apostata. Quapropter omnis apo- 25
stata est fugitivus, tametsi non omnis fugitivus sit apostata. Caiet. *2. 2. q. 12. art. 1. dub. 2. col. vlt.* Bannez *ibid. dub. 1. concl. 1. & 2.* Arag. *etiam ibid.* Nauarr. *consil. vnic. de apostatis, n. 8.* Sylv. *verb. Apostasia, vers. quartò quaro.* S. Antoninus *p. 2. tit. 12. cap. 6.* Valentia *2. 2. disp. 1. q. 12. vers. circa apostasiam,* & alij communiter, & sic etiam resolutum fuit in Rota Romana, teste Achill. *decis. 1. tit. de apostatis.*

COROLLARIA.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus egrediens è Monasterio sine licentia superioris cum animo redeundi, non est propriè apostata, sed vagus, vel fugitivus: Ratio enim apostasiæ consistit in hoc, quod quis recedat à Religione animo in perpetuum illam deserendi.*

2 *Religiosus qui recedit à religione animo illam deserendi, seu animo ad illam reuertendi solùm post longum tempus, v. g. post quinque, vel sex annorum spatium, vel donec aliquod diuturnum negotium compleuerit, &c. non est propriè apostata, quamvis in foro externo apostata præsumatur.*

3 *Religiosus, qui recedit à religione, etiam dimittens habitum, dummodo non habeat animum deserendi illam in perpetuum, non est propriè apostata, sed vagus, seu fugitivus, quamvis grauiter peccet.*

4 *Religiosus, qui recedit à religione animo illam in perpetuum deserendi, seu nunquam ad illam reuertendi, licèt non relinquat habitum, neque etiam habeat animum illum relinquendi, propriè apostata censetur. Habitus enim cum non faciat monachum, non tollit, quominus sit apostata, qui à religione cum dicto animo recedit.*

5 *Religiosus potest esse apostata, quamvis habitum suæ religionis non dimiserit, sed retinuerit: contra aliquos Doctores asserentes, ad incurrendum crimen apostasiæ requiri habitus suæ religionis dimissionem: At minùs rectè, quia habitus non est de essentia Religiosi.*

6 *Religiosus induens habitum sæcularem supra regularem, vel etiam dimittens simpliciter habitum regularem, non est apostata, siue in foro interno, siue etiam externo, si in alterutro foro constet, quod non habeat animum deserendi religionem.*

7 *Religiosus habitu dimisso præsumitur apostata, si non constet, quod habeat animum reuertendi.*

8 *Religiosus quidam Venetiis repertus cum habitu sæculari supra regularem, fuit iudicatus apostata; quia paria sunt non deferre habitum regularem, & deferre coopertum sæculari.*

9 *Apostata non est, qui tempore Nouitiatus à Religione recedit, & religionis habitum relinquit; quia antequam professionem emiserit, non propriè dicitur, quod religionem ingressus fuerit.*

10 *Amplia id verum esse, vt post Tridentinum Concilium distingui necesse non sit, an fuerit ingressus animo relinquendi sæculum, necne; quia ex eodem Concilio*

Concilio Professio intra annum probationis emissa, est ipso iure nulla.

11 Professus, licet ante Tridentinum Concilium non teneretur ad eam Religionem specialem, in qua ante annum Nouitiatus professionem emisit, tenebatur tamen ad religionem in genere.

12 Excipe mulieres, quæ Conuertitæ nominantur; quia istæ in ingressu religionis professionem emittunt, ex Concilio Tridentino sess. 25. de regularib. c. 18.

13 Apostata neque est, qui extra monasterium habitum alicuius religionis susceperit, si illum, quamuis per complurimos annos detulerit, dimittat; quia neque iste talis est propriè Religiosus.

14 Apostata neque est Monialis Turris speculorum de vrbe, si recedat à Monasterio habitu dimisso; quia neque ista propriè est Religiosa, contra aliquos contrarium tenentes.

15 Apostata neque est, qui à religione recedit, & statim postea proposito mutato ad illam reuertitur: quod tamen intellige, non quidem quoad forum internum apud Deum, sed quoad forum externum apud homines.

16 Statutum puniens fugientes è carcere, non comprehendit eos, qui post fugam captam statim reuertuntur.

17 Statutum puniens defraudantes gabellam non comprehendit eos, qui cœperunt illam defraudare; sed statim postea mutato proposito persoluunt.

18 Constitutio Ecclesiastica excommunicans extrahentes rem de loco sacro, in opinione multorum non comprehendit in foro externo eos, qui extrahunt, & postea mutato consilio statim restituunt.

19 Apostata neque est Religiosus, si detentus in carcere fugiat ad superiorem, timens ne Prælatus inferior nimis rigidè eum tractet, vel si fugiat ad amicum, vt eo, tanquam deprecatore, apud prædictum Prælatum inferiorem vtatur.

20 Religiosus neque est apostata, si dimittat habitum Religionis ad fugiendum rigorem superioris, vel ad quid aliud simile, si id faciat cum animo reassumendi prædictum habitum religionis; quia hoc non est retrocedere à Religione.

21 Amplia, id locum habere etiam in foro exteriori, si concurrat præsumptio de iusta causa habitum dimittendi, contra plures Doctores asserentes, id locum habere tantùm pro foro interiori. Et iusta causa potest esse grauamen ipsius superioris.

22 Limita, id locum habere quando habitus dimissio est necessaria ad se subtrahendum à rigore superioris, vel ab aliquo alio simili.

23 Religiosus factus Episcopus neque est apostata, si renuncians Episcopatui non redeat ad claustra, cùm is absoluatur à iugo monasticæ professionis per assumptionem ad Episcopatum, & amplius non obligetur religioni; siquidem apostasia consistit in recessione contra debitum.

24 Apostata vt aliquis sit, tria requiruntur, videlicet vt sit Religiosus professus, vt deserat habitum Religionis, quin & ipsam Religionem, & vt adsit animus non redeundi ampliùs ad religionem.

25 Animus non redeundi nihil aliud est, quàm animus viuendi in sæculo sæculariter.

26 Apostata vt aliquis verè sit non solùm quoad effectum, sed etiam quoad affectum, sicque contrahat pœnas apostasiæ, non sufficit animus viuendi in sæculo sæculariter, sed requiritur insuper effectuatio talis animi; apostasia enim vera dicit recessum actualem à religione.

27 Paruitas materiæ (v.g. recedens quis à Religione animo permanendi in sæculo sæculariter, si mutato animo statim redeat, excusatur) habet locum etiam in peccato apostasiæ.

28 Apostasia in foro externo expurgatur etiam per magnus tempus, adeò quod si post triduum redeat ad religionem, non censeatur apostata: Et hoc triduum non includit diem recessus, neque diem regressus.

29 Animus cùm sit occultus, colligi nō potest, nisi ex aliquo signo exteriori, quod sufficiēs est habitus dimissio.

30 Habitus dimissio facit solam præsumptionem talis animi non redeundi, ac proinde transfert onus probandi in eum, qui dimisit habitum; quod tamen enucuari potest per probationes in contrarium.

31 Religiosus neque est apostata, si transierit de vna Religione ad aliam, saltem claustralem, si transierit de claustrali etiam ad laxiorem sine licentia Superiorum; quia sic non deserit religionem, saltem in genere, seu statum religionis, saltem in genere.

Ex dictis sequitur, quod qui egreditur è Monasterio sine licentia superioris cum animo redeundi, non sit propriè apostata, sed vagus, vel fugitiuus. Angelus, Syluester, Caietanus, & alij, quos sequitur Banez 2. 2. q. 12. art. 1. Aragon. ibid. Valentia disp. 1. q. 12. punct. 1. Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. c. 1. Sanch. lib. 6. moral. c. 8. n. 5. & Tambur. de iur. Abbat. tom. 3. disp. 8. q. 1. n. 12. Quia iuxta ea quæ dicebam, ratio apostasiæ consistit in hoc, quod quis recedat à Religione animo in perpetuum illam deserendi, seu animo nunquam ad illam reuertendi: quapropter qui talem animum non habuerit, non erit propriè apostata, sed vagus, seu fugitiuus. 1

Hinc, quidquid in contrarium dixerit Suarez loco suprà cit. c. 22. & 23. neque erit propriè apostata, sed vagus, seu fugitiuus, qui recedit à Religione animo illam deserendi, seu animo ad illam non reuertendi solùm post longum tempus, v. g. post quinque, vel sex annorum spatium, vel donec aliquod diuturnum negotium compleuerit, vel ad suum arbitrium, seu suam determinationem annorum. Quamvis in foro externo præsumatur apostata, iuxta ea quæ suprà dicebam, & colligitur ex textu in §. Pauonum, Inst. de rerum diuisione, & in l. 3. & in l. 4. §. edita, eodem tit. & docet præter alios Tambur. vbi suprà, n. 13. 2

Item similiter neque erit propriè apostata, sed vagus, seu fugitiuus, qui recedit à Religione, etiam dimittens habitum, dummodò non habeat animum deserendi illam in perpetuum, quamvis grauiter peccet, & propter dimissionem habitus ipso facto excommunicatus sit, vti suprà dicebam. 3

Item è contra propriè apostata erit, qui recedit à Religione animo illam in perpetuum deserendi, seu nunquam ad illam reuertendi, tametsi non relinquat habitum, nec etiam habeat animum illum relinquendi; quia sicut habitus non facit monachum, cap. porrectum est, & cap. ex parte, de regular. ita retentio habitus non tollit, quominus sit apostata, qui à Religione recedit dicto animo, ad ipsam scilicet in perpetuum non reuertendi: Quod patet etiam ex decreto Clementis VIII. de casuum reseruatione pro Regularibus, quatenus ibi Pontifex inter casus à Regularibus reseruabiles ponit apostasiam à Religione, siue habitu dimisso, siue non dimisso, sed retento) quia per hæc verba manifestè supponit, quod possit esse apostasia, etiam habitu non dimisso, sed retento. Videatur præter alios D D. supracitatos Tambur. de iur. Abbat. tom. 3. disp. 8. q. 1. n. 12. 4

Ex dictis igitur sequitur, quod Religiosus possit esse apostata, quamvis habitum suæ Religionis non dimiserit, sed retinuerit. Et docent Abb. in c. 1. de apostatis, n. 2. Ananias ibid. n. 3. Sotin. n. 2. Angel. verb. Apostasia, n. 4. Armill. eod. verb. n. 11. Menoch. de arbitr. centur. 6. cas. 546. n. 36. Mascard. de probat. lib. 1. concl. 12. 4. 1. & Decian. in tract. crimin. lib. 5. cap. 73. n. 21. & seqq. 5

Quidquid in contrarium dixerint Calderin. cons. 1. de apostatis, & Iul. Clar. in pract. crimin. §. fin. q. 78. vers. Apostata punitur, quatenus aiunt, quod ad incurrendum crimen apostasiæ, necessariò requiratur dimissio habitus Religionis. 6

At minùs rectè, quia habitus non est de essentia Religiosi,

Religiosi, sicuti rectè dixit Abbas *in cap. porrectum, de regularibus, num.* 5. & Butrius *ibidem, num.* 5. Quapropter *& in dicto cap. porrectum*, dicitur quod non habitus, sed professio regularis faciat monachum. Idemque dicitur *in cap. ex parte, eodem titulo, & in cap. consuluit, qui clerici, vel vouentes*, & notat Ancharanus *ibi, n.* 1. & Baldus *in l. interdum, §. diuus, ff. de public.* vnde & rectè etiam Abbas *in dicto cap. porrectum, n.* 7. infert valere professionem factam, quamvis non fuerit susceptus habitus Religionis.

6 Sequitur 2. quod è contra Religiosus induens habitum sæcularem supra Regularem, vel etiam dimittens simpliciter habitum regularem, non sit apostata, siue in foro interno, siue etiam in foro externo, si constet siue in foro interno, siue etiam in foro externo, quod non habeat animum deserendi Religionem, *cap. 2. ne clerici, vel monach.* vbi Canonistæ, Rota coram Achille de Grassis *decis.* 346. quatenus expressè ait quod sola habitus dimissio, sine animo scilicet deserendi Religionem, non faciat apostatam. Rodriguez *tom. 1. quæst. regular. quæst. 30. art. 2.* & alij commu-
7 niter: Quamvis vt ibi dicitur *num.* 21. sit vagabundus, seu fugitivus, & dicatur impropriè, seu largo modo apostata. At si non constet in foro externo, quod scilicet non habeat animum deserendi Religionem, erit in foro externo apostata præsumptiuè, iux-
8 ta ea quæ dicam *infrà corollar.* 9. Et in hoc sensu intelligi debet *decis. 19. lib. 2.* Thomæ Triuisani, determinans, quod Venetiis fuerit apostata quidam Religiosus, repertus cum habitu sæculari suprà regularem; quia paria sunt, non deferre habitum regularem, & eum deferre coopertum sæculari, Ananias *in rubr. de apostat.* Caleaneus *cons.* 23. Achill. de Grassis *dec. 1. de apostat.* Henriquez *cons.* 22. Riccius *dec. Delph. in praxi rer. for. Eccles.* & Riccius *consil.* 60.

9 Sequitur 3. quod neque sit apostata, qui tempore Nouitiatus à Religione recedit, & Religionis habitum relinquit, *cap. consulti, & c. penultima, de regularib.* & docent præter Lapum *alleg.* 46. & Menochium *de arbitr. cas.* 546. *num.* 45. communiter Doctores, itavt & ad ordines promoueri possit, *cap. postulasti, de regularibus*, & expensas Monasterio restituere non teneatur. Iason *in l. 1. C. de sacrosanct. Eccles. num.* 4. Ananias *in cap. statuimus, de regularib.* Franchis *in cap. beneficium, de regularib. in 6.* Dominicus *ibid.* Syluest. *verbo Religio* 5. *q.* 8. Roderic. *tom. 3. quæst. regular. q.* 15. *art. vlt.* & Azorius *tom. 1. Instit. moral. lib.* 12. *cap.* 3. *quæst.* 6.

Probatur, quia Nouitius, antequam professionem emiserit, non propriè dicitur, quod Religionem ingressus fuerit, nisi quoad beneficium fori, canonis, & alia quædam priuilegia, *cap. Religiosi, §. quamvis, de sentent. excommunic. in 6.* & docent Bartol. *in l. 3. Cod. ne sanctum Baptisma, num. 4. & in Authent. ingressi, Cod. de sacrosanct. Ecclesiis, num.* 56. Iason *ibidem, num.* 50. & Rimioaldus Iunior *lib. 4. consil.* 477. *num.* 9.

10 Quod adeò verum est, vt post Tridentinum Concilium distingui necesse non sit, an fuerit ingressus animo relinquendi sæculum, necne; quia ex eodem Tridentino Concilio professio intra annum probationis emissa ipso iure nulla est, non solùm in Religionibus mendicantium, quod iam priùs statutum fuerat *in c. 1. de regularib. in 6.* sed etiam in Religionibus non mendicantium. Itavt ia non teneatur etiam ad Religionem in genere eodem Tridentino Concilio *sess. 25. cap. 16. de regularib.* & docent Nauarr. *in cap. nullum,* 18. *q.* 2. *num.* 45. Menochius *de arbitr. cas.* 546. *num.* 6. & alij passim.

11 Quod dixi, quia licèt ante Tridentinum Concilium is non teneretur ad eam Religionem specialem, in qua ante annum Nouitiatus professionem emisit, tenebatur tamen ad Religionem in genere, *cap. non solùm, de regularib. in 6.* ibi: [Decernimus eum, qui taliter receptus fuerit, nullatenus vestro ordini esse obligatum:] & tradit Glossa *ibid. verbo Vestro, & in cap. constitutionem, de regularib. in 6. verb. obligatum*, quam Glossam præter Syluestr. *verbo Religio* 3. *q.* 4. sequuntur cæteri Doctores.

Excipe mulieres, quæ Conuertitæ nominantur; quia 12
istæ in ingressu Religionis professionem emittunt ex Tridentino Concilio *citata sess. 25. de regularib. c. 18. circa finem*, ibi: Ab his tamen excipiuntur mulieres, quæ Pœnitentes, aut Conuertitæ appellantur, in quibus constitutiones earum seruentur.

Quamvis igitur neque sit apostata, qui tempore Nouitiatus à Religione recedit, & Religionis habitum relinquit; quia non est verè Religiosus, vti dicebam: Nihilominus si retineat habitum Religionis, poterit capi, & puniri tanquam fugitivus. Syluest. *verbo Apostata, n.* 3. Clarus *in pract. q. 78. n.* 4. & alij, quos sequitur Riccius *part. 2. praxis, resol. 11. n.* 15. quia dum retinet habitum Religionis, profitetur subiectionem respectu Religionis.

Hoc tamen non habet locum in Religione nostra Clericorum Regularium quoad hospites, seu pro illo tempore, quod præcedit annum probationis, quia nondum sunt solemni induti habitu Religionis; sicque, vt ita dicam, non deferunt habitum Religionis de iure, sed solùm de facto, sicut deferret sæcularis, si sæcularis de facto illum indueret.

Sequitur 4. quod neque sit apostata, qui extra Mo- 13
nasterium habitum alicuius Religionis susceperit, si illum, quamvis per complurimos annos detulerit, dimittat, *cap. vt clerici, de regularib.* & notat præter alios Hostiensis *ibi, num.* 1. Glossa *in Clementina eos, de regularib.* Felinus *cons.* 29. & Calderinus *cap. 5. de regularibus.*

Probatur, vt suprà; quia neque iste talis est propriè Religiosus, *cap. vnico, de voto, in 6.* & docent Ioan. Faber *in Auth. ingressi, C. de sacrosanct. Eccles. num.* 17. Menoch. *de præsumptionib. præsumpt.* 83. *num.* 55. Rota *part. 1. diuers. decis. 50. n.* 2. & iterum Rota apud Puteum *lib. 1. dec.* 136.

Sequitur 5. quod neque sit apostata monialis Tur- 14
ris speculorum de vrbe, quod moltò magis dicas de fœmina tertiaria, bizoca, seu mantellata, & de quacumque alia collegialiter viuente, sed non sub clausura, iuxta ea quæ dicebam *suprà dub.* 47. si recedat à Monasterio habitu dimisso, quia neque ista propriè est Religiosa: Nauarrus *consil. 6. & 7. de statu monach.* & Ricciull. *de iur. person. lib. 8. cap. 2. n.* 7. quamvis contrarium alij, vt Victorellus *de clausur. monial.* sentiant, & acriter defendant.

Sequitur 6. quod neque sit apostata, qui à Religio- 15
ne recedit, & statim postea, proposito mutato, ad illam reuertitur: Baldus *in l. 1. Cod. de ædilit. edict. numero* 19. Imola *consil. 84. numero* 18. Rodericus *tom. 1. quæst. regular. quæst. 30. art. 1. circa finem*, & in simili Abbas *in cap. super specula, ne clerici, vel monachi, numero* 9.

Quod tamen intellige, non quidem quoad forum internum apud Deum, quia iam apud Deum consummauit peccatum, sed quoad forum externum apud homines; quia moraliter apud homines, qui discedit ab aliquo loco, & statim reuertitur, recessisse non censetur, *cap. diuortium, de pœnitentia dist.* 1. cum Glossa *ibidem, & lib. 1. §. qui præsens, ff. de verb. obligationib.* & notat præter alios Alexander *ibidem*, & Baldus *in Authent. Habita, Cod. ne filius pro patre, numero* 39. Vide quæ dicam *Corollario* 9.

Quapropter statutum puniens fugientes è carcere, 16
non comprehendit eos, qui post fugam captam statim reuertuntur. Baldus *in l. 1. Cod. de seru. fugitiuis, num.* 27. Plot. *in l. si quando, Cod. vnde vi, num.* 283.

quorum

17 Item statutum punieos defraudantes gabellam, non comprehendit eos,qui cœperunt illam defraudare, sed statim postea,mutato proposito,persoluunt. Ioan. Andreas *in addit.ad Speculat.tit.de constitut.* §. 2. *num.* 8. *litt.G, vers. sed incidit*, & alij, quos sequitur Mascardus *de probat. part.* 2. *concl.* 834. *n.* 26.

18 Item constitutio Ecclesiastica excommunicans extrahentes reum de loco sacro, in opinione multorum non comprehendit (scilicet in foro externo, sicuti dicebam) eos, qui extrahunt, & postea mutato consilio, statim restituunt: qua de te tamen quid ego senriam, vide quæ dicebam *tractatu de immunit. & iurisd. Eccles. tom.* 2. *cap.* 16.

19 Sequitur 7. quod neque sit apostata Religiosus, si detentus in carcere, etiam dimisso Religionis habitu, fugit ad superiorem, timens ne Prælatus inferior nimis rigidè ipsum tractet. Bald. *in cap. ad nostram, de appellat. n.*4. Roderic. *tom.*1. *quæst. regular. q.* 30. *art.* 3. & alij. Vel si etiam similiter dimisso Religionis habitu, fugit ad amicum, vt eo, tanquam deprecatore apud prædictum Prælatum inferiorem vtatur, Ricciullus *lib.* 8. *de iur.person. c.*2. *n.* 24. Bossius *tit.de car. fideiuss.commit.num.*46. & colligitur *ex l.quis sit fugitiuus*, §. *sin autem*, & *ex l.bouem*, §. 1. *ff. de adilit. edict.*

20 Neque est igitur apostata Religiosus, si dimittat habitum Religionis ad fugiendum rigorem superioris, vel quid aliud simile, si id faciat cum animo reassumendi prædictum habitum Religionis; quia hoc non est retrocedere à Religione. In quo propriè consistit apostasia, sicuti dicebam, & videri potest etiam Nauarr. *lib.* 1. *consil.* 1. *in tit. de apostat. n.*6. *& seqq.*

21 Hoc tamen, quod dixi, locum habet, quando habitus dimissio est necessaria ad se subtrahendum à rigore superioris, vel ab aliquo alio simili; quia tunc adest rationabilis causa dimittendi habitum Religionis, vt si v. g. cogeretur accedere ad superiorem maiorem, & timeret, quod si habitum deferret, impediretur. Gloss *in cap. vt periculosa, verb. temerè, ne cleric. vel monach. in* 6. Portell. *in dub. regular. verb. habitus, in addit. n.*3. Azor. *part.* 1. *lib.* 12. *c.* 12. *q.* 8. & Peyrinos *tom.* 1. *de subdit. religios. q.* 1. *n.* 20.

22 Et quamvis nonnulli, vt Miranda *tom.* 1. *Manual. q.* 51. *art.* 1. *concl.* 1. Rodrig. *in compend.resol.* 11. *n.* 27. Bannez 2.2. *q.* 12. *art.* 1. *in disp. de apostasia, post concl.* 6. Coriolan. *de casib. reseruat. part.* 2. *cas.* 2. *de apostat. n.* 13. Peyrio. *de priuileg. ad constit.* 13. *Leonis X* §. 1. *n.* 3. & Portellius *in dub. regular. verb. Apostasia, in addit. n.* 3. velint id locum habere solùm in foro conscientiæ, non autem in foro exteriori. Id tamen, quod ipsi volunt, intelligi debet, vt tunc solùm non habeat locum in foro exteriori, quando nulla concurrit præsumptio de iusta causa dimittendi habitum Religionis. At si constaret de grauamine, quod subditus de facto pateretur à superiore, haberet locum etiam in foro exteriori, Rodrig. *p.* 1. *sum.c.* 43. *num.* 1. Sanchez *lib.* 6. *moral.c.* 8. *n.* 17. Donat. *in prax.regul.p.*2. *tract.* 7. *n.* 5. & alij passim; quia tunc in foro exteriori præsumi non potest, quod habitus Religionis dimissus sit ex animo deserendi Religionem, cùm præsumptio sit in contrarium iuxta ea, quæ suprà dicebam.

23 Sequitur 8. quod neque sit apostata Episcopus, si renuncians Episcopatui, non redeat ad claustra; quia cùm Episcopus ex Regularibus assumptus absoluatur à iugo monasticæ professionis, *iuxta cap. statutum*, 18. *q.* 1. & ampliùs non obligetur Religioni, in ipso, si non redeat ad Religionem, locum non habet apostasia; cùm non possit dici recedere, scilicet contra debitum, à Religione qui non est ampliùs obligatus Religioni; sicque non est apostata, siquidem apostasia consistit in recessione contra debitum à Religione cum animo ampliùs non redeundi ad eam; sicque supponit obligationem redeundi, & permanendi in ea. Caiet. 2. 2. *q.* 12. *art.* 1. quem sequuntur communiter Doctores.

Sequitur 9. quod ad hoc, vt quis sit apostata, tria requiruntur. Primum, vt sit Religiosus professus: vnde Nouitius deserens habitum Religionis, quin & ipsam Religionem, non est apostata. Secundum, vt deserat habitum Religionis, quin & ipsam Religionem. Vnde si transeat de vna ad aliam, etiam laxiorem Religionem sine licentia, neque est apostata. Tertium, vt simul adsit animus non redeundi ampliùs ad Religionem. 24

Animus autem non redeundi ampliùs ad Religionem, nihil aliud est, quàm animus viuendi in sæculo sæculariter, *cap.* 1. *de apostatis.* Quapropter aduerte, quod vt quis sit verè apostata, scilicet non solùm quoad affectum, sed etiam quoad effectum, sicque contrahat pœnas apostasiæ, non sufficit animus viuendi in sæculo sæculariter, sed præterea requiritur effectuatio talis animi, *cap. relatum, de cleric. non residentib.* quia apostasia vera dicit recessum actualem à Religione: vnde si quis recederet à Religione cum animo viuendi in sæculo sæculariter, & statim mutato animo, rediret ad Religionem, ratione breuitatis temporis, seu ratione paruitatis materiæ, excusaretur ab apostasia vera, vt scilicet non sit verè (etiam quoad effectum) apostata, sicque contrahat apostasiæ pœnas. Caiet. *in sum. verb. excommunicatio*, Graff. *lib.* 3. *decis. c.* 5. *n.* 77. & alij, quos sequitur Donatus *in praxi rer. regul. p.* 2. *tract.* 6. *de apostat. n.* 1. *vbi n.*4. hoc breue tempus extendit ad spatium vnius horæ, Caietanus autem, & Graffius *in loco suprà cit.* extendunt ad spatium trium horarum. Vide quæ dicebam *suprà, corollar.* 6. 25 26 27

Quia in foro externo admittitur etiam maius tempus ad expurgandam apostasiam, & ad effugiendas apostasiæ pœnas, adeò quod si post triduum redeat ad Religionem, adhuc non censeatur in foro externo apostata, neque contrahat in foro externo apostasiæ pœnas: sic colligitur *ex cap. ad nostram*, vbi Gloss *verb. Triduum, de regular. ex l.* 3. *C. de error. Aduocat. & l.ex l.finali, C. de iudic.* & docent Riccius *de iur. person. extra Ecclesi. grem. lib.* 8. *c.* 2. *num.* 31. Bonacina *de clausura, disp.* 2. *punct.* 2. *n.* 21. & Donatus *in praxi rer. regular. p.*2. *tract.* 6. *de apostat. q.* 4. *n.* 3. qui *n.*4. rectè subdit, quod hoc triduum non includat diem recessus, neque diem regressus; quia dies termini non computatur in termino. 28

Quomodo autem pro foro externo colligatur animus non redeundi ampliùs ad Religionem, sed viuendi in sæculo sæculariter? 29

Respondetur, quod cùm animus sit occultus, colligi non potest, nisi ex aliquo signo exteriori; signum autem sufficiens exterius est habitus dimissio. Riccius *p.* 2. *praxis, resol.* 11. *n.* 16. Donatus *in prax. rer. regular. part.* 2. *tract.* 6. *de apostat. q.* 3. *n.* 4. & alij passim; quia cum habitus sit signum professionis religiosæ, *c. clerici officia, de vit. & honest. cleric. & cap. in nonnullis, eod. tit. in* 6. consequens est, quod dimissio talis signi indicet sufficienter animum non redeundi ampliùs ad Religionem.

Vbi tamen aduerte, quod dimissio habitus faciat solùm præsumptionem talis animi, sicque faciat solùm probationem præsumptiuam, iuxta textum *in l. licet, ff. de leg.* 1. vt proinde transferat onus probandi contrarium in eum, qui dimittit habitum, *l. final. ff. quod met. caus.* possit tamen per probationes euacuare talem præsumptionem, *l. si Chirographum, ff. de probationib.* 30

Sequitur 10. quod neque sit apostata Religiosus, si transit de vna Religione ad aliam (saltem claustralem, si transierit de claustrali) etiam laxiorem sine licentia Superiorum; quia sic non deserit Religionem, saltem in genere (seu statum Religiosum, saltem in genere) etiam claustralem. Angel. *verb. Apostasia, n.* 5. Rosella *n.* 6. Syluester *n.* 9. Armilla *n.* 11. Bannez 2. 2. *q.* 12. *art.* 1. *vers.* 4. *conclusio*, & alij, quos sequitur Azor. *p.* 1. *lib.* 12. *c.* 13. *q.* 10. 31

Sed de his omnibus vide, quæ dicebam *sup. dub.* 47.

PETITIO PRIMA.

An & quid dicendum de quodam Religioso, qui propter delictum, sicque non iniustè, detentus in carcere, secessit è conuentu titulo, seu sub prætextu recusandi superiorem immediatum, vel titulo, seu prætextu appellandi ad superiorem mediatum?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui propter delictum, sicque non iniustè detentus in carcere, si decedat à conuentu titulo, seu sub prætextu recusandi superiorem immediatum, vel titulo, seu prætextu appellandi ad superiorem mediatum, indebitè & illicitè facit.*

2 *Religiosus sic discedens à conuentu sub prætextu recusandi dictum superiorem, facit contra Concilium Tridentinum* sess. 25. cap. 4. *cuius decretum ad minus intelligendum est de Regularibus, quando sine iusta causa iniqui grauaminis id faciant.*

3 *Item quando, licèt constet de iniquo grauamine, tamen aderat aliud remedium, quàm de facto ad superiorem accedere.*

4 *Item vel quando, licèt similiter constet de iniquo grauamine, tamen peti poterat priùs à superiore mediato licentia ad ipsum accedendi.*

5 *Religiosus sic recedens à conuentu facit etiam contra Bullas Sixtinas, 1. quæ incipit, Cùm de omnibus, 2. quæ incipit, Ad Romanum. Vide ibi per extensum particulas vtriusque tenoris.*

6 *Item facit contra declarationem Sacr. Congregationis Episcoporum, & Regularium sub eodem Sixto X. anno 1587. apud Quarantam in summa Bullar. verbo Monasteria.*

7 *Item contra decretum Clementis VIII. à Sac. Congregatione sub Vrbano VIII. confirmatum. Vbi accessus ad Romam sine legitima licentia prohibitus est Religiosis sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ ad biennium.*

8 *Non obstat dicere, quod prædictus Religiosus id fecit titulo, seu prætextu recusandi superiorem immediatum; quia de iure canonico recusatio non admittitur à iudice legitimo, nisi de illa fuerit iusta causa assignata, & probata coram ipso, vel saltem coram arbitris eligendis.*

9 *Neque obstat dicere, prædictum Religiosum id fecisse titulo, seu prætextu appellandi ad superiorem mediatum; quia cùm non grauetur iniustè, de iure non interuenit appellatio.*

10 *Causa prædicti Religiosi nullo modo dici potest deuoluta ad generalem; quia nulla causa, præsertim inchoata, deuoluitur à iudice inferiori ad superiorem, nisi per legitimam recusationem, vel appellationem.*

11 *Iura valdè fauent causæ inchoatæ non solùm ab Ordinariis, sed etiam à Commissariis.*

12 *Generalis stando etiam in terminis disciplinæ, & obseruantiæ regularis, non debet admittere recursum ad se prædicti Religiosi, sed remittere eum iudicandum ad superiorem immediatum.*

1 RESpondetur: indebitè, & illicitè fecit.

2 Primò, contra Tridentinum Concilium *sess. 25. c. 4.* ibi: [Nec liceat Regularibus à suis conuentibus recedere, etiam prætextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, vel vocati fuerint:] Cuius Concilij decretum ad minus intelligendum est de Regularibus, quando sine iusta causa iniqui grauaminis id faciunt. Vide DD. quos sequitur Sanch. *lib. 6. moral. c. 8. n. 17.* Vel quando licèt constet de iniquo grauamine, tamen aderat aliud remedium, quàm de facto ad superiorem accedere. Vide DD. quos sequitur Azor. *tom. 1. Instit. moral. lib. 13. cap. 11. q. 7. & 8.* vel quando 4 licèt similiter constet de iniquo grauamine, tamen poterat peti priùs à superiore mediato licentia ad ipsum accedendi, iuxta text. *in l. qui, ff. de adil. edict.* vide DD. quos sequitur Diana *p. 3. tract. 2. resol. 56.* Thesaur. *in praxi, p. 2. verb. Religiosi, c. 5.* & alij apud ipsos.

Secundò contra Sixtum V. qui cùm in Bulla, quæ 5 incipit, *Cum de omnibus, in 2. tom. Bullar. n. 71.* prohibuisset, ne Regulares reciperentur intra aliquod monasterium, etiam tanquam hospites, si licentiam à suis superioribus non haberent, postea in altera Bulla, quæ incipit, *ad Romanum*, id explicans ait: [Quod si dicerent, se ad Apostolicam Sedem confugere ob grauamina à suis superioribus sibi illata, & ideò ab ipsis superioribus licentiam, & literas obtinere non potuisse, non propterea vllo modo recipi valeant, nisi fide dignorum testimonio de petita ab ipsis licentia, & per suos superiores denegata constiterit. In alma verò vrbe nostra Religiosi aduenæ, & peregrini de grauaminibus sibi illatis conquerentes, nullibi sine huiusmodi literis, aut licentia recipiendi erunt, nisi priùs ad Congregationem Cardinalium super negotia Regularium à nobis deputatorum, & personarum qualitate, quid agendum sit statuatur.

Tertiò contra declarationem Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium sub eodem Sixto V. 6 anno 1587. apud Quarantam *in sum. Bullar. verbo Monasteria*, vbi de Regularibus Romam venientibus temerè, vel etiam ex causa leui, vel iniustè non vexatis, aut grauatis dicitur, quod remittendi sint ad suos superiores immediatos pœna seueriori puniendi.

Quartò contra decretum Clementis VIII. à sacra 7 Congregatione sub Vrbano VIII. confirmatum: vbi accessus ad Romam (temerè scilicet, vel etiam ex causa leui, modo quo suprà dicebam) sine legitima licentia prohibitus est Religiosis sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ ad biennium.

Non obstat, si dicas: Prædictus Religiosus id fecit 8 titulo, seu prætextu recusandi superiorem immediatum. Quia de iure canonico recusatio non admittitur à iudice legitimo, nisi de illa fuerit iusta causa assignata, & probata coram ipso, vel saltem coram arbitris eligendis, *c. legitima, de appell. in 6. c. secundò requiris, & cap. cum speciali, de appell.* videri poterit Sanch. *tom. 2. consil. moral. lib. 6. c. 8. dub. 3.* & Peyrin. *tom. 1. de subdito, q. 1. de obedientia, c. 19. §. 1. & 2.*

Neque obstat 2. si dicas: Prædictus Religiosus id 9 fecit titulo, seu prætextu appellandi ad superiorem mediatũ, quia cùm in hoc iussu non grauaretur iniustè, de iure nõ interuenit, neque interuenire potuit appellatio.

Ex his sequitur, quod causa prædicti Religiosi nullo modo dici possit deuoluta ad generalem; quia nulla 10 causa, præsertim inchoata, deuoluitur à iudice inferiori ad superiorem, nisi per legitimam recusationem, vel appellationem, quarum neutra fuit in hoc casu. Et dato, quod aliquando propter negligentiam iudicis inferioris causa deuoluatur ad superiorem, *argum. c. 2. de concess. præb. & Clement. vnica, de supplend. neglig. Præl.* Nihilominus cùm negligentia hæc non fuerit in præsenti, adhuc nullus locus datur dictæ deuolutioni.

Dixi, *Præsertim inchoata*, quia iura valdè fauent 11 causæ inchoatæ, non solùm ab Ordinariis, vti est in casu nostro, sed etiam à Commissariis, vti patet *ex cap. gratum, cap. relatum, & c. licèt vndique, de offic. delegat.* & tradunt Suarez *lib. 8. de legib. c. 31.* Bonac. *de legib. disp. 1. q. 3. p. 8. §. 1. n. 24.* & alij passim.

Sequitur 2. quod stando etiã in terminis disciplinæ, 12 & obseruantiæ regularis, Generalis non debeat admittere recursum ad se prædicti Religiosi, sed remittere eum iudicandum ad superiorem immediatum, quia alioquin daretur subditis occasio vagandi extra sua monasteria, & conremouendi auctoritatem superiorum immediatorum.

PETITIO

PETITIO II.

An possint Inquisitores procedere contra apostatas à Religione, vel ab Ordine?

RESpondetur: de hac re dixi *suprà, dubit.* 47. *petitione* 8.

SECTIO XXIV.

Quidnam dicendum de pœnis statutis in Bulla Pauli IV. quæ incipit, *Postquam diuina Bonitas*, contra Religiosos temerè extra claustra suorum regularium locorum degentes; & de aliis similibus pœnis statutis in Tridentino Concilio *sess.* 25. *cap.* 4 *de regular. & in Bulla Sixti V.* quæ incipit, Cùm de omnibus Ecclesiasticis ordinibus, contra alios similes Religiosos?

SVMMARIVM.

1 *Pœna statuta in Bulla Pauli IV. qua incipit,* Postquam diuina bonitas, *procedunt solùm contra veros, & proprios apostatas; non item contra Religiosos fugitiuos, qui ad tempus discedunt à Religione, aut liberè vagantur cum animo redeundi postea ad eam. Quod quidem probatur ex proœmio dicta Bulla.*

2 *Pœna statuta in eadem Bulla Pauli IV. comprehendunt omnes, & singulos Religiosos post emissam professionem, at non ideò sunt extendenda ad fugitiuos; quia illa verba, qui extra claustra degunt, intelligi debent de illis Religiosis solis, qui extra claustra degunt per veram, & propriam apostasiam.*

3 *Bulla Pij V. non obstat huic expositioni, quia de iis quos comprehendit Bulla Pauli IV. intelligi debet etiam Bulla Pij V. quippe qua eam explicat.*

4 *Vna pars legis explicatur per aliam partem legis.*

5 *Bulla Pij V. secundùm alios, cùm nihil dicat de pœnis contra apostatas, sed solùm prohibeat, ne ex vna Religione virtute facultatum aliquibus Religionibus particularibus concessarum transitus fiat ad aliam Religionem, non declarat Bullam Pauli IV.*

6 *Religiosus licèt in casu recensito ex dispositione Concilij Tridentini committat crimen apostasiæ: at secus est ex probabiliori sententia; nam Concilium non loquitur de Religioso adeunte Superiorem ex graui causa, vt si ab immediato Prælato Conuentus, seu Monasterij sit nimis grauatus.*

7 *Concilium intelligendum est de illo Religioso, qui non grauatus sine vlla appellatione Superiorem adit eo solùm, quod prætendat se licitè posse illum adire sine Prælati immediati licentia: secus si adeat eo quòd fuerit grauatus; quia si sic adeat, hoc ipso habet ius se defendendi, & se sistendi coram Immediato Superiore.*

8 *Non est petenda licentia ab illo, ad cuius grauamen tollendum pergitur ad Superiorem; Superioremque adire propter iniustum grauamen, vim appellationis habet.*

9 *Religiosus si sine mandato Superiorum in scriptis obtento repertus fuerit ab Ordinariis locorum, tanquam desertor sui instituti est puniendus; quod tamen non habet locum in Religioso, qui iniustè grauatus ad suos Superiores confugit.*

10 *Religiosus in tali casu secundùm Azorium neque tenetur licentiam petere; quia licentia, seu consensus peti non debet ab illo, qui iniustè vexat.*

11 *Sixtus V. in sua Bulla, qua incipit: Cùm de omnibus Ecclesiasticis ordinibus, mandat quod Religiosus, qui de vna Prouincia ad aliam sui Ordinis se confert, deferre debeat licentiam suorum Superiorum, alioquin non possit in hospitio recipi: at hac constitutio non afficit iniustè grauatum, qui ad sui defensionem ad Superiorem immediatum proficiscitur, &c.*

RESpondetur, quod pœnæ statutæ *in dicta Bulla Pauli IV.* procedant solùm contra veros, & proprios apostatas, non item contra Religiosos fugitiuos, qui ad tempus discedunt à Religione, vt liberè vagentur cum animo redeundi postea ad eum. Doctores, quos sequitur Nauarrus *consilio vnico de apostatis, num.* 9. & Rodericus *tom.* 1. *quæst. Regul. quæst.* 30. *articulo* 1. 1

Probatur ex proœmio talis Bullæ, & ex verbis eiusdem Bullæ; cùm in illa compluries repetatur particula illa *Apostata, & Apostasia:* Quæ res magnum mysterium importat, quemadmodum præter alios adnotarunt Nauarrus, & Rodericus *in locis suprà citatis.*

Objicies: pœnæ statutæ *in eadem Bulla Pauli IV.* comprehendunt omnes, & singulos, qui post professionem ab ipsis in ætate legitima constitutis in aliquo approbato (etiam militari) Ordine purè, & liberè emissam temeritate propria, vel quovis prætextu, vel causa extra claustra degunt; ergo etiam illæ pœnæ extenduntur ad Religiosos fugitiuos extra claustra degentes. 2

Respondetur: nego consequentiam, quia illa verba (scilicet extra claustra degunt) intelligi debent de illis Religiosis solis, qui extra claustra degunt per veram, & propriam apostasiam; cùm (sicuti dicebam) repetitio eiusdem verbi in eadem lege, vel Canone magnum mysterium importet, vt & adnotauit etiam Glossa *in Clem.* 1. *de Iurepatronatus, verbo Diœcesanis*, quam Glossam sequuntur Nauarrus & Rodericus *in locis suprà citatis*, & alij passim.

Instabis: huic expositioni obstat Bulla Pij V. quæ incipit: *Quacumque sacrarum*, &c. ergo, &c. 3

Respondetur: nego antecedens, quia sicuti adnotarunt etiam Nauarrus, & Rodericus *vbi suprà*, de iis, quos comprehendit Bulla Pij IV. intelligi debet etiam Bulla Pij V. quippe quæ explicat illam; & lex explicans aliam legem, intelligi debet de comprehensis in illa, itavt lex explicans recipiat omnes interpretationes, & limitationes, quas recipiebat lex explicata. Aretinus *conf.* 59. *in fine*, & Bero. *in cap. nolli, de reb. Eccles. non alienand. num.* 87. *& in cap. in præsentia, de probationibus, num.* 190. *&* 384.

Quod & patet ex authentica hæc constitutio, §. *Vnde, collatione* 3. & ex authentic. de filiis ante dotalia instrumenta, *collat.* 5. *circa finem*, vbi & Glossa, & ex Clementina statutum, *de electione*, vbi etiam & Glossa *verbo consuetudine, & ex cap. is qui, de elect. in* 6. *& etiam ex paritate rationis*, cùm vna pars legis explicetur per aliam partem legis, *l. verùm, ff. de petenda hæreditate*, & Doctores ibi communiter; & cùm similiter etiam vna pars testamenti declaretur per aliam partem testamenti. *l. si seruus*, §. *finali, & l. qui filiabus, in principio, Cod. de leg.* 1. *l. Hæredes palam*, §. 1. *ff. de testamentis, leg.* 1. *ff. de rebus dubiis, & l. numerus, ff. de leg.* 3. Ergo cum Bulla Pauli IV. declarata loquatur de solis veris, & propriis apostatis (vti dicebam) sequitur, quod & de eisdem solis veris, & propriis apostatis loquatur etiam Bulla Pij V. declarans. 4

Quamvis alij Doctores, & quidem rectè, quidquid in contrarium dixerit Donat. *in prax. rer. regul. part.* 2. *tract.* 6. *quæst.* 20. *num.* 5. putent, quod Bulla Pij V. 5

eùm sicuti patet ex inspectione totius tenoris Bullæ illius, nihil dicat de pœnis contra apostatas, sed solùm prohibeat, ne ex vna Religione, virtute facultatum aliquibus Religionibus particularibus concessarum, transitus fiat ad aliam Religionem, sed in hoc seruetur dispositio iuris communis, non declaret, neque confirmet Bullam Pauli IV. quam etiam priùs Pius IV. in sua constitutione, quæ incipit *Sedis Apostolicæ solertia*, edita anno 1560. reduxerat ad formam iuris, & constitutionum, quæ sunt *in cap. 1. de apostatis, & in cap. finali, de Regular.* vbi communiter Doctores, quos sequitur Prosp. Augustin. *in addit. ad Quarantam in sum. Bullar. verb. Apostata*: atque adeò non allegetur ad rem, seu pertinenter in casu nostro, de quo nunc loquimur.

6 Cæterùm in Tridentino Concilio *sessione 24. capite 4. de Regularibus*, contra Religiosos à suis Monasteriis, seu conuentibus discedentes ita statuitur: [Nec liceat Regularibus à suis Conuentibus recedere etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, vel vocati fuerint: qui verò sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab ordinariis locorum, tanquam desertor sui instituti puniatur.] Ex quibus verbis nonnulli Doctores, quos sequitur Bannez 2.2. *q.11.* censent, quod Religiosus in tali casu crimen apostasiæ incurrat.

At ex probabiliori sententia, quam sequitur Nauarrus *commentar. 2. num. 61. & commentar. 3. num. 51. de regularibus, vers. ad quartum*, Rodericus *tom. 1. quæst. Regular. quæst. 30. articul. 3.* Saytus *in claui Regia, lib. 15. cap. 17. numero* 40. & Azorius *tom. 1. Institutionum moral. lib. 12. capite 15. quæst. 7.* Concilium non loquitur de Religioso adeunte Superiorem ex graui causa (vt si ab immediato Prælato Conuentus, seu Monasterij sit nimis grauatus) sed solùm vetat, ne quis Religiosus possit discedere à Conuentu, seu Monasterio sine licentia immediati Prælati, etiam vt adeat Superiorem, sicque non vetat similiter, ne grauiter grauatus per viam iniusti grauaminis, & iustæ appellationis verbo, vel facto interpositæ possit adire Superiorem ad conquerendum de illo, iuxta doctrinam Baldi *in cap. ad nostram, de appellat. num. 4.*

7 & Decij *ibidem, num. 5.* cùm hoc obuiare possit iuri etiam naturali, quo malitiis hominum obuiandum est, *l. in fundo, ff. de rei vendic.* & ibi Doctores. Ita vt Concilium intelligendum sit de illo Religioso, qui non grauatus sine vlla appellatione Superiorem adit, eò solùm, quod prætendat, se licitè posse illum adire sine Prælati immediati licentia; secus si adeat, eo quòd fuerit grauatus, quia si sic adeat, hoc ipso habet ius se defendendi, & hoc ipso, quod è Monasterio, vt ad Superiorem confugiat, regreditur, tacitè censetur appellasse; appellare autem licitè posset ad Superiorem, quando iniustè, & iniquè vexatur, *cap. de Priore, de appellat.* Glossa *ibidem, verb. contempsit*, Abbas *num. 6. & cap. ad nostram, de appellat.* Gloss *ibidem, circa finem*, Ostiensis *num. 6.* Baldus *numer. 2.* Præpositus *num. 3. & cap. licèt, de officio ordinar.* Innocentius *in cap. cùm speciali, de Appellat. in fine*, Ostiensis *ibidem*, Syluester *verbo appellatio, quæst. 7. num. 9.* Nauarrus *consilio vnico, de sententia, & re iudicat.* Rodericus *vbi suprà, quæst. 29. art. 2.* & Saytus *citato cap. 17. num. 38.*

8 Vide Rodericum *quæst. 30. art. 3.* vbi subdit, quod non sit repetenda licentia ab illo, ad cuius grauamen tollendum pergitur ad superiorem, iuxta Glossam communiter receptam *in cap. cùm Pastoris, 2. q. 7.* quodque superiorem adire propter iniustum grauamen vim appellationis habeat apud Religiosos, à quorum superioribus verbo, vel facto appellari posse, tenent communiter Doctores.

9 Vide etiam Nauarrum *citato comment. 3. de regular. num. 51. circa finem*, Rodericum *citata quæst. 30. art. 4.* & Saytum *citato cap. 17. n. 40.* vbi subdunt, quod illa verba Concilij *in eodem cap. 4. sess. 25. de regular. in fine*, nempe si Religiosus sine mandato Superiorum in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinariis locorum, tanquam desertor sui instituti puniatur, intelligenda non sint de Religioso, qui iniustè grauatus ad suos Superiores confugit, ita vt licèt Ordinarius iustè possit capere talem Religiosum per suum territorium transeuntem, iuxta tenorem prædicti Concilij, non tamen iustè possit retinere, nec punire eum, si fidem faciat, se iniustè grauatum appellasse, vel de iniusto grauamine protestatum iter ad Superiorem arripuisse; ideoque licentiam scriptam secum non deferre, quia noluit eam concedere Prælatus, à quo appellauit, vel quia iustè timuit ipse eam ab illo petere, vel quia propter appellationem, aut licentiæ petitionem in carcerem iniustè coniectus fugam arripuit.

Vide etiam Azorium *cit. q. 7.* vbi subdit, quod Re- 10
ligiosus in tali casu neque teneatur licentiam petere; quia licentia, seu consensus peti non debet ab illo, qui iniustè vexat, vel cuius culpam iniustè vexatus expostulat emendandam, & corrigendam, eo quòd contra leges, & iura, & fas omne vexet; quia verisimile non est, quod Concilium velit punire actus licitos, & nolit, quod subditus possit iusta de causa ad Superiorem recurrere, contra textum *in cap. audita, §. quia tamen, de restit. spol. & in cap. factum legitimè, de regul. iur. in 6. & in l. 1. ff. de legibus, & in l. leges Sacratissimæ, Cod. eodem titulo*, & notat præter alios Cardinalis *cons. 146. num. 1.* quia similiter potest seruus, si à Domino iniquè tractetur, per fugam recurrere ad Superiorem, *§. sed maior, Instit. de his qui sunt sui, vel alienis iuris, & l. 2. ff. eodem titulo*: tum quia Superiores puniri debent, si se malè gerant in subditos, *citata l. 2. circa fin.* & notat præter alios Bald. *ibid. num. 2. & seqq.*

Objicies: Sixtus V. in Bulla, quæ incipit, *Cùm de* 11
omnibus Ecclesiasticis ordinibus, mandat quod Religiosus, qui de vna Prouincia ad aliam sui Ordinis Prouinciam se confert, deferre debeat licentiam suorum Superiorum; alioquin non possit in hospitio recipi, & præterea possit ab Ordinariis locorum capi, & in carcerem detrudi, tanquam suspectus, quod ordinem Religiosum deseruerit: ergo nullo modo concedi debet, quod Religiosus in aliquo casu possit ex vna Prouincia transire ad aliam sui Ordinis Prouinciam sine Superiorum licentia, seu facultatè.

Respondetur: Nego consequentiam, quia iuxta ea, quæ dicebam, id quod mandat Sixtus V. intelligi debet, quando non constat, quod Religiosus iniquè fuerit vexatus, seu grauatus à suo Superiore immediato. Nam si constet de iniquo, seu iniusto grauamine, & Religiosus non possit commodè sui Superioris licentiam habere, non videtur Sixtus V. velle, quod iste talis adire non possit alium Superiorem, vt se defendat ab iniqua, seu iniusta vexatione: ita Doctores, quos sequitur Emanuël Sà *verb. religio, n. 71.* Præsertim quia Canones animaduertunt in eum, qui impedit recursum ad Superiores, vti constat *ex cap. vnico, de Clerico peregrino, & ex cap. dilecti, de appellat.* & præter alios notat Abbas *ibid. in principio, & n. 6.*

SECTIO XXV.

Quænam pœnæ statutæ sint aduersùs apostatas.

SVMMARIVM.

1 *Apostata qui neque minis, neque etiam blanditiis reduci possunt, sunt carcerandi sub graui custodia, ita quod*

quod solummodò ipsis misera vita reseruetur, donec à proposito resipiscant.

2 Superior, vigore decreti Honorij III. in cap. A nobis, de apostatis, potest suum Religiosum apostatam, vel fugitiuum, etiam manentem extra suum Monasterium, & territorium, capere, & vinctum ad Monasterium reducere; quia qui possidet aliquam rem, potest propria auctoritate eam capere.

3 Dominus potest capere seruum suum, si fugerit, vbicumque eum inuenerit.

4 Curiæ, vel cohorti obligatus, si fugæ se dederit, capi potest auctoritate curiæ, vel cohortis.

5 Pontifices circa hoc plura priuilegia concesserunt Regularibus.

6 Religiosus apostata, vel fugitiuus potest vbique, etiam extra territorium à suo Superiore Religionis apprehendi, incarcerari, & duci ad Monasterium, inuocato ad id, si opus fuerit, brachij sæcularis adiutorio.

7 Amplia id procedere etiam quando Religiosus apostata, vel fugitiuus detinetur ab Episcopo propter constitutionem Pij V.

8 Amplia id procedere etiam quando Religiosus discessit cum licentia per certum temporis terminum, qui postea transactus fuerit.

9 Religionis Prælatus potest etiam auctoritate propria apprehendere, incarcerare, & ad Monastrium ducere suos apostatas, vel fugitiuos, sine inuocatione brachij, siue Secularis, siue Episcopalis.

10 Religionis Prælatus tenetur requirere suos apostatas, vel fugitiuos.

11 Apostata à Religione detinendus est, si potest aptè, in Monasterio, in locis competentibus ad agendam pœnitentiam, eique ibidem subministranda sunt alimenta necessaria à Religione, estque excommunicandus, si fuerit inuentus, donec ad mandatum Superiorum similiter reuertatur.

12 Sacra Congregatio Concilij in decreto de apostatis à Religione innouauit de anno 1624. antiqua iura, quæ non erant amplius in vsu.

13 Reducere Religiosum apostatam, vel fugitiuum in religionem spectat ad Superiorem religionis propter priuilegia Regularibus concessa, & in eorum defectu ad Ordinarios, & ita intelligi debet Concilium Tridentinum, sess. 25. cap. 4.

14 Congregatio Concilij postea decreuit, in dicto Decreto de apostatis, & fugitiuis, vt ij siue habitum deferant, siue non, possint, ac debeant ab Episcopo loci, vbi morantur, incarcerari, & Superioribus suis consignari secundùm instituta puniendi, &c.

15 Apostata à Religione in apostasia ordinem sacrum suscipiens, si postea ad religionem redeat, exercere non potest talem ordinem susceptum, nisi dispensauerit cum ipso summus Pontifex.

16 Religiosus, si deposita apostasia redeat ad religionem, potest in ea omnes Ordines suscipere, eosque susceptos exercere.

17 Apostata, vt habetur in cap. finali, de apostatis, non potest sine dispensatione Romani Pontificis ministrare in Ordine sacro suscepto, quantumlibet sit fuerit reconciliatus Abbati; non tamen ex hoc sequitur, quod per apostasiam Religiosus reddatur inhabilis ad ordines suscipiendos, & susceptos exercendos, apostasia dimissa; quia in textu citato solùm est sermo de eo, qui suscepit Ordinem sacrum in apostasia, & dispositio dicti textus, vtpotè odiosa, non est ad alium extendenda.

18 Religiosus, qui suscepit Ordinem sacrum in apostasia, non solùm non potest talem Ordinem sacrum exercere, sed neque etiam potest alios Ordines sacros Superiores suscipere; quia cui prohibentur minora, prohibita sunt maiora.

19 Apostata rediens ad religionem, potest exercere Ordinem sacrum, quem suscepit ante apostasiam; quia in dicto cap. finali, de apostatis, solùm prohibetur, ne possit vti Ordine sacro suscepto in apostasia.

20 Apostata, si susceperit in apostasia ordinem minorem, rediens similiter ad Religionem, potest etiam exercere talem ordinem minorem, dummodò propter apostasiam non contraxerit aliquam aliam censuram, contra aliquos Doctores contrarium tenentes; subdentes tamen posse Episcopum cum eo dispensare quoad vsum ordinis minoris suscepti, secus autem quoad maiorem.

21 Apostatas à religione admitti non debere ad Clericale officium, arguunt aduersarij ex c. finali, dist. 50. ex quo tamen textu non colligitur, quod si ad ordines etiam minores admissi fuerint, ordines etiam minores exercere non possint.

22 Apostata licèt secundùm aliquos sit irregularis, oppositum tamen est probabilius; quia id in iure non reperitur expressum, quamvis si ordinem susceptum exercuerit, irregularis sit ratione excommunicationis.

23 Apostata dum perseuerat in apostasia, & fugitiuus dum perseuerat in fuga, est irregularis; quia est ipso iure infamis, ideoque etiam vt talis non admittitur in testem.

24 Apostata, sicut & fugitiuus, non gaudet priuilegiis suæ religionis, propter decretum sacri Concilij Tridentini, sess. 25. cap. 19.

25 Apostata neque gaudet priuilegiis exemptionis, sicut gaudent cæteri religiosi; sed id intelligitur de apostata ab ordine, non à religione.

RESpondetur, & dico primò: Honorius III. *in cap. A nobis, de apostatis*, mandat apostatas, qui 1
minis, vel blanditiis nullatenus possunt induci, vt abiectum habitum reassumant, posse sub graui custodia carcerari, ita quod solummodò vita sibi misera reseruetur, donec à suæ præsumptionis nequitia resipiscant.

Quapropter vigore talis decreti potest Superior 2
suum Religiosum apostatam, vel fugitiuum, etiam manentem extra suum Monasterium, & territorium, capere, & vinctum ad Monasterium reducere. Nauarrus *commentar. 3. de Regular. num. 50.* Rodriquez *tom. 1. qq. Regul. q. 30. art. 6.* & alij passim; quia qui possidet aliquam rem (sicuti Religionis Superior possidet Religiosum) potest propria auctoritate eam capere, vbicumque eandem repererit, *leg. quis, §. differentis, ff. de acquir. possession.* Tum quia *in leg. 1. §. Per seruum, ff. de acquir. possessione*, potest Dominus ser- 3
uum suum, si fugerit, similiter capere, vbicumque eum inuenerit: tum quia *in leg. 1. Cod. vbi causa stat.* idem dicitur de ancilla fugiente, & iouenta, etiam extra Prouinciam: tum quia tandem *in leg. 1. Cod.* vbi 4
curialis, similiter dicitur, quod curiæ, vel cohorti obligatus, si fugæ se dederit, capi possit authoritate curiæ, vel cohortis, cui est obligatus: ergo idem dicendum erit de Religioso apostata, vel fugitiuo.

Accedit, quod multi Pontifices varia priuilegia de 5
hoc Ordinibus Regularibus concesserint, sicuti oblistat ex eorum priuilegiis *in verb. Apostata, & in verb. fugitiuus.*

Religiosus igitur apostata, vel fugitiuus potest 6
vbique, etiam extra territorium, à suo Superiore religionis apprehendi, incarcerari, & ad Monasterium duci, inuocato ad id, si oportuerit, adiutorio brachij sæcularis: tum ex vi iuris communis, quod concedit, vt sic capi possit seruus fugitiuus, vbicumque repertus fuerit, *leg. si quis, §. differenti, ff. de acquir. possess.* & ille qui alteri est obligatus, *leg. 1. §. Per seruum, ff. eodem titulo.* Tum etiam ex multis priuilegiis,

quæ

quæ Religionibus concessa sunt, vti dicebam.

7 Adde, id esse verum etiam quando Religiosus apostata, vel fugitiuus detinetur ab Episcopo, propter constitutionem Pij V. quæ incipit, *Etsi mendicantium*, præsertim quia qui debet aliis perpetuam obedientiam, capi potest de manu cuiuscumque: sic Doctores, quos sequitur Peyrinus *tom. 2. de priuil. Minimor. in constit. 7. Pij V. num. 20.*

8 Adde secundò, id esse verum etiam, quando Religiosus discessit cùm licentia per certum temporis terminum, qui posteà transactus fuerit.

9 Adde tertiò, posse Prælatum Religionis apprehendere, incarcerare, & ad Monasterium ducere suos apostatas, vel fugitiuos, etiam auctoritate propria, sine inuocatione brachij siue Sæcularis, siue Episcopalis. Doctores, quos sequitur Corneus *tom. 2. in 3. part. tract. 5. de excommunicat. disp. 6. dub. 5.*

10 Adde quartò, teneri Superiorem Religionis requirere dictos suos apostatas, vel fugitiuos: *in cap. enim finali de Regularibus*, præcipitur quod Præsidentes capitulis celebrandis, seu Patres, seu Abbates fugitiuos requirant solicitè annuatim; qui si in Monasteriis suis recipi possunt secundùm ordinem Regularem, Abbates, seu Priores eorum, monitione præuia, per censuram Ecclesiasticam compellantur ad receptionem eorum, salua ordinis disciplina: id est, si Religiosus apostata, vel fugitiuus non sit notabiliter scandalosus, & periculosus aliis Religiosis, & prætereà possit aptè, scilicet sine scandalo capi, & detineri. Syluester *verb. Apostasia, num. 10.* Rodericus *tom. 1. quæst. regular. q. 30. art. 5.*

11 In quo *eodem capit. finali, de Regularibus*, casu quo Religiosus apostata, vel fugitiuus non possit aptè in Monasterio detineri, præcipitur etiam, quod apud eadem Monasteria, si similiter sine scandalo fieri poterit, in locis competentibus detineantur; alioquin in aliis Religionis domibus eiusdem Ordinis ad agendum ibi pœnitentiam talibus vitæ necessaria ministrentur; si verò huiusmodi fugitiuos inobedientes inuenerint, eos excommunicent, & tamdiu faciant ab Ecclesiarum Prælatis excommunicatos publicè denunciari, donec ad mandatum ipsorum humiliter reuertantur.]

12 Quæ omnia anno 1624. innouata sunt à sacra Congregatione Concilij Trident. in decreto de apostatis, fugitiuis, & eiectis, itavt propterea, licèt aliàs non fuerint in vsu, modò tamen Prælati Religionum ea exequi teneantur, alioquin incurrerent pœnas in dicto decreto assignatas, & inflictas.

13 Cæterùm reducere in Religionem Religiosum apostatam, vel fugitiuum, spectat ad Prælatos Religionum, propter priuilegia Religionibus concessa, sicuti videre est apud compendium priuilegiorum, *verb. Apostata*, & apud Nauarrum *comment. 3. de regul. n. 50.*

Quapropter, quando Concilium Tridentin. *sess. 25. cap. 4.* videtur id remittere ad ordinarios, intelligitur casu, quo Prælati Religionum non fuerint diligentes, vel non fuerint in illis Diœcesibus, vbi apostata, vel fugitiuus repertus fuerit. Miranda *in manuali, tom. 1. q. 51. art. 3.* & alij passim.

14 Quamvis postea prædicta Congregatio Concilij Tridentini præceperit *in d. decreto de apostatis, & fugitiuis*, quod apostatæ, vel fugitiui, siue habitum Religionis deferant, siue non, possint, ac debeant ab Episcopo loci, vbi morantur, incarcerari, ac Religionum superioribus secundùm illorum instituta puniendi consignari, quodque ipsi etiam Religionum superiores teneantur prædictos apostatas, vel fugitiuos perquirere, ad Religionem reducere, atque efficere, vt si commodè poterint apprehendi, apprehendantur. Vide quæ dicam *infrà, in appendice post sect. 30.*

15 Dico secundò, apostata à Religione in apostasia Ordinem sacrum suscipiens, etiamsi postea ad Religionem redeat, ordinem illum sacrum susceptum exercere non potest, nisi dispensauerit cum ipso summus Pontifex. Doctores communiter, quos sequitur Suar. *tom. 5. in 3. part. disp. 31. sect. 6.* & Sanch. *lib. 6. moral. c. 8. n. 21.* & dicam etiam *infrà sect. 27. in petitionibus.*

Probatur *ex c. finali, de apostatis*, ibi: [Monachus suscipiens sacrum Ordinem in apostasia, quantumlibet suo fuerit reconciliatus Abbati, & receperit pœnitentiam absque dispensatione Romani Pontificis, ministrare non poterit in ordine suscepto.]

Quamvis, si deposita apostasia, apostata redeat ad suam Religionem, possit in ea omnes ordines suscipere, eosque susceptos exercere. Cardin. *in c. intelleximus, de ætate & qualitate*, Ioan. Andr. *ibid. n. vlt.* Ostiensis *in cit. c. finali, in principio*, Ioan. Andr. *ibid. n. 1.* Anch. *n. 3.* & alij, quos sequitur Suar. *tom. 5. de censur. disp. 31. sect. 6. n. 5.* Quia *in d. c. fin.* solùm habetur, quod non possit vti Ordine sacro is, qui illum suscepit in apostasia, sed in casu nostro non suscepit in apostasia, sed deposita apostasia: ergo id, quod ibi deciditur (cùm sit quid odiosum) extendi non debet ad eum, qui suscepit Ordinem sacrum, deposita apostasia. 16

Obijcies, *in d. c. finali, de apostatis*, dicitur quod apostata non possit sine dispensatione Romani Pontificis ministrare in Ordine sacro suscepto, quantumlibet suo fuerit reconciliatus Abbati, & receperit pœnitentiam: ergo propter peccatum apostasiæ commissum redditur inhabilis ad Ordines sacros suscipiendos, & ad eosdem Ordines sacros susceptos exercendos, vt propterea, quamvis egerit pœnitentiam de tali peccato commisso, non possit, nisi dispensetur cum ipso super inhabilitate à Romano Pontifice Ordines sacros suscipere, & eos si susceperit, vtpotè ab eorum exercitio suspensus, non possit exercere. 17

Respondetur, nego consequentiam; quia sicuti dicebam, in illo textu solùm est sermo de eo qui suscepit Ordinem sacrum in apostasia; itavt iste tantùm, si postea redeat ad Religionem, non possit in tali ordine suscepto ministrare, nisi summus Pontifex cum ipso dispensauerit: ergo prædicti textus dispositio, vtpotè odiosa, non est ad alium extendenda.

Dico tertiò, qui suscepit Ordinem sacrum in apostasia, non solùm non potest talem ordinem sacrum exercere, sed nec etiam potest alios ordines sacros superiores suscipere. Abbas *in d. c. finali, de apostatis, n. 2.* Ioan. Andr. *ibid. n. 1.* Cardin. *in fine*, Tabiena *verb. apostasia, q. 12. n. 15.* Armil. *eod. verb. n. 12.* & alij passim. 18

Probatur, quia *in c. gesta, dist. 74. c. Nulli liceat, dist. 44. c. miramur, 24. q. 1. c. illud, dist. 95. c. cùm illorum, de sent. excommun. & l. qui indignus, ff. de Senator.* Cui prohibentur minora, prohibita etiam sunt maiora: sed suscipere Ordines sacros superiores est quid maius, quàm exercere ordinem sacrum inferiorem susceptum: ergo, &c.

Hinc sequitur, quod apostata rediens ad Religionem possit exercere Ordinem sacrum, quem suscepit ante apostasiam, DD. quos sequitur Suar. *tom. 5. disp. 31. sect. 6. n. 22.* quia *in d. c. fin. de apostatis*, solùm prohibetur, ne possit vti Ordine sacro suscepto in apostasia: ergo, &c. 19

Sequitur secundò, quod si apostata susceperit in apostasia ordinem minorem, possit rediens similiter ad Religionem, etiam exercere talem ordinem minorem, dummodò propter apostasiam non contraxerit aliquam aliam censuram. DD. quos sequitur Suarez *cit. sect. 6. n. 5.* & Sanch. *lib. 6. moral. c. 8. n. 26.* quamvis contrarium teneant Ioan. Andr. *in d. c. fin. de apostatis, n. 1.* Cardin. *ibid. n. vnic. q. 1.* Anchar. *n. 1. &* a. Henric. *in c. ex parte, de tempor. ordinand. n. 4.* Astensis *in summa, part. 2. lib. 6. tit. 4. art. 3. col. 5. vers. sed quid de apostata*, Syluest. *verb. apostasia, q. 8. n. 11. circ. fin.* & Armilla *eod. verb. n. 12.* qui tamen subdunt, quod possit cum illo dispensare Episcopus quoad vsum ordinis suscepti minoris; 20

noris ; secus autem, si susceperit ordinem sacrum, seu maiorem ; quia tunc dispensatio reseruatur summo Pontifici.

Probatur, quia nullo iure id prohibetur, & Textus *in d. cap. finali de apostatis*, loquitor solùm de suscipientibus ordinem sacrum, seu maiorem (à cuius executione suspenditur:) ergo prædictus Textus (vtpotè odiosus) extendi non debet ad suscipientes ordinem minorem.

21 Obiicies fundamentum aduersatiorum, qui scilicet *in cap. finali, dist. 30.* dicitur, apostatas à Religione admitti non debere ad Clericale officium. Ergo, &c.

Respondetur: nego consequentiam, quia ex hoc textu solùm colligitur, quod apostatæ admitti non debeant ad ordines, non tamen colligitur, quod si ad ordines, etiam minores, admissi fuerint, ordines etiam minores exercere non possint.

22 Vbi aduertè, quod, licèt Henriquez *lib. 13. c. 39. n. 1. & cap. 40. etiam n. 1.* Maiolus *lib. 3. de Irregular. c. 34. n. 1.* & alij dicant, quod apostata sit irregularis, dicédum tamen sit oppositum, quia cum id, quod ipsi dicunt, nullo iure constet, gratis asseritur, præsertim quia irregularitas non incurritur, nisi fuerit in iure expressa.

Quamuis apostata, si ordinem susceptum exercuerit, irregularis sit ratione excommunicationis, quam ordinariè incurrit ob priuilegia Religionum, sicut & fugitiuus, si habitum dimiserit, *cap. Vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi, in 6.* At nos loquimur de apostasia ex se præcisè, & dicimus, quod apostasiæ ex se præcisè non sit de iure communi annexa irregularitas. Suarez *5. tom. in 3. p. disp. 31. sect. 6. n. 2.* & Sanchez *lib. 6. moral. cap. 8. num. 23. & seqq.*

23 Dici tamen potest, quod apostata, dum perseuerat in apostasia, sicut & fugitiuus, dum perseuerat in fuga, sit irregularis, quia est ipso iure infamis, ideoque etiam vt talis non admittitur in testem: Graf. *lib. 3. de casibus reseruat. cas. 2. num. 26.* & Peyrin. *tom. 1. de subdito, q. 1. de obedientia, cap. 26.*

24 Addunt alij, quod apostata, sicut & fugitiuus, non gaudeat priuilegiis suæ Religionis propter decretum Concilij Tridentini *sess. 25. cap. 19.* sed ibi non est sermo de quocumque apostata, sed de illo, qui dimittit habitum Religionis, & prætendit, quod per vim, & metum, vel quod ante legitimam ætatem fuerit professus, & de hoc dicitur ibi: *Nullo priuilegio suæ Religionis iuuetur.* Qua de re videatur præter alios Sanchez *lib. 6. moral. cap. 8. num. 34.*

25 Addunt etiam alij, vt Erasmus Cocher *de Iurisd. Ordin. in exempt. part. 1. quæst. 20.* quod apostata neque gaudeat priuilegiis exemptionis, quibus gaudent cæteri Religiosi ; sed id, vt alibi dixi, intelligendum arbitror de apostata ab ordine, non item de apostata à Religione, de quo nunc loquimur.

SECTIO XXVI.

An si Religiosus absque licentia sui Superioris transeat ex Religione strictiori ad aliam Relionem laxiorem, & in ea Ordinem sacrum suscipiat, suspensus sit ab executione talis Ordinis sacri suscepti?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, si absque licentia sui Superioris transeat ex Religione strictiori ad aliam laxiorem, & in ea Ordinem sacrum suscipiat, non est suspensus ab executione talis Ordinis sacri suscepti, si de Iure communi loquamur ; quia in nullo iure habetur in tali casu dicta suspensio.*

2 *Religiosus in tali casu non est verè, & propriè apostata, etiamsi transitus ad laxiorem sit publicus & non occultus, licèt peccet mortaliter, transeundo sine licentia sui Superioris ad aliam Religionem laxiorem ; quia iura non seruat, & Religiosos, quos dimittit, offendit, & turbat ; non tamen simpliciter recedit à Religione, sed à certa Religionis statuto.*

3 *Religiosus in dicto casu sicut non est verè, & propriè Apostata ; ita neque est verè, & propriè fugitiuus ; quia id facit animo vagandi, & redeundi postea ad suam Religionem ; sed potius facit animo nunquam redeundi ad illam, cum habeat animum permanendi semper in Religione.*

4 *Religiosus si absque licentia sui Superioris transeat ex Religione strictiori ad aliam laxiorem, & in ea Ordinem sacrum suscipiat, suspensus est ab executione Ordinis sacri suscepti, si loquamur de Iure communi ; secus si loquamur de Iure speciali seu priuilegiato quorumdam Religionum, & earum, quæ eadem priuilegia participant.*

Respondetur negatiuè, si de Iure communi loquamur, Gloss. *in cap. final. de apostatis*, Ostiensis, *in summa, titulo de apostatis, num. 3.* Astensis *part. 2. lib. 6. titul 4. art. 3. col. 5. vers. Sed quid de Apostata.* Sayrus *lib. 4. de censuris, cap. 13. num. 16.* & alij, quos sequitur Azorius *tom. 1. Instit. moral. lib. 12. cap. 17. quæst. 3.* quamuis contrarium teneant Glossa *in cap. Ex parte, de tempor. ordinat. verbo Liberè.* Henricus *ibidem, num. 6.* Bellameta *num. 3. vers. Quartè dic*, quorum Doctorum sententiam veram esse, si transitus ad Religionem laxiorem sit publicus, secus si sit occultus, docent etiam Abbas *in d. cap. Ex parte, circa finem*, Cardinalis *ibidem, numero vnico, oppositione prima*, Antonius *in fine*, & Majolus *de irregularitate, lib. 2. cap. 21. num. 15.* 1

Probatur nihilominùs responsio nostra ; quia nullo iure habetur, quod Religiosus in tali casu suspensus sit ab Ordine sacro suscepto : quinimò *in cap. Ex parte de tempor. ord.* dicitur, quod quidam Monachus, qui sic ad Religionem transierat, & in ea Sacerdotium susceperat, possit in Sacerdotio suscepto ministrare.

Obiicies : Religiosus in dicto casu est propriè, & verè apostata. Franchus *in cap. Vt periculosa, ne Clerici, vel Monach. in 6. numer. 7.* Dominicus *in citato cap. §. finali, numero vltimo*, & alij, quos sequitur Suarez *tom. 5. de censur. disputat. 31. sect. 6. num. 4.* Ergo in dicto casu suspensus est ab Ordine sacro suscepto. Consequentia patet ex iis, quæ dicebam sectione præcedenti, dicto secundo. Antecedens probatur, quia posterior Professio, cum dimiserit habitum absque licentia sui Superioris, est inualida : sed Religiosus si habitum suæ Religionis temerè dimittat cum animo ad eam nunquam redeundi, sicuti contingit in casu nostro, est propriè, & verè apostata: ergo, &c. 2

Respondetur : Nego antecedens cum Glossa *in Extrauaganti ambitiosa, de Regular. in fine, & in citato cap. Ex parte, verbo, Ad nigros*, Geminiano *in cap. Vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi in 6. circa finem*, Francho *ibidem, §. penultimo*, Baldo *in Authent. Iubemus, Cod. de Episcop. & Cler. num. 4.* Cardinali *in dicto cap. Ex parte, de tempor. ordinand. in fine*, Henrico *ibidem, num. 7.* Ostiensi *in cap. final. de Apostatis*, Anania *ibidem, num. 3.* Ostiensi *in cap. Intelleximus, de ætate, & qualitat. num. 5.* Abbate *ibidem, num. 1.* Caietano *2. 2. quæst. 12. art. 1. col. 2. versicul. In eodem articulo primo aduerte*, Bannez *ibidem dub. 1. conclus. 4.* Aragonius *dub. vnico*, Lapo *allegat. 33. & 130. num. 4.* Calcaneo *consil. 123. num. 2. & 3.* Rebuffo *in Praxi, tit. de Translationib. Monachor. n. 11.* Boetico *decis. 260. n. 29.* Deciano *lib. 1. consil. 20. n. 19.*

Romano *conf*.341. *num*.1.Valentia 2.2.*disput*.1.*q*.12. *punct*.1.*col*.3. *verf.circa apostasiam à Religione*, Azorio *tom*.1.*lib*.12.*cap*.17.*q*.7.Angelo *verbo apostasia,num*.5. Syluestro *eodem verbo*,*q*.4.*num*.9. Tabiena *q*.11.*n*.14. Nauarro *consil. vnico de apostatis*, *num*.5. Astensi *in summa*,2.*p.lib*. 6.*tit*.4.*art*.3.*col*.5.*vers*. *sed quid de apostata*,Lessio *de iust.& iure,lib*.2.*cap*.41.*dubit*.13.*n*.102. Roderico *tom*. 1.*quæst.regular.q*.30.*art*.1.& aliis; quia licèt Religiosus in dicto casu peccet moraliter (cùm transeundo sine licentia sui superioris ad aliam Religionem laxiorem iura non seruet; & præterea Religiosos, quos dimittit, offendat, ac turbet) non tamen propriè, & verè apostasiam committit; cùm non simpliciter à Religionis, sed à certæ Religionis instituto recedat: inde potest quidem incidere in alias pœnas iuris,non tamen in pœnas apostasiæ.

3 Instabis: saltem in dicto casu, sicuti docet Syluester *verbo Apostasia,q*.4.*n*.9.Religiosus,si non est propriè, & verè apostata,est tamen propriè, & verè fugitiuus; cum transeat sine licentia ad aliam Religionem laxiorem, & fugiat ab obedientia sui Prælati: ergo recurrit difficultas.

Respondetur: Nego antecedens, quia id Religiosus non facit animo vagandi, & redeundi postea ad suam Religionem; sed potiùs facit animo nunquam redeundi ad illam, cum habeat animum permanendi semper in Religione, ad quam transiit: nego etiam consequentiam quia licèt quodammodo sit fugitiuus, non tamen est cum dimissione habitus Religionis simpliciter; cum licèt dimittat habitum Religionis suæ, assumit tamen habitum alterius Religionis sicque non habet libertatem vagandi, sicuti haberet, si dimitteret habitum Religionis simpliciter, seu omnis Religionis.

4 Vrgebis: saltem si Religiosus est ex ordine mendicantium (& sic etiam eorum, qui per communicationem participant Priuilegia mendicantium) est ipso facto excommunicatus, sicuti patet *ex extrauag. viam ambitiosa, de Regularib. & transeuntib. ad Religionem*, vbi mendicantes transire ad Religionem non mendicantium, quocumque quæsito colore, prohibetur sub pœna excommunicationis, quam ipso facto incurrunt tam Religiosi recipientes, quacumque licentia non obstante: ergo recurrit difficultas.

Respondetur: Nego consequentiam, quia propterea diximus, si Religiosus absque licentia sui Superioris transeat ex Religione strictiori ad aliam Religionem laxiorem, & in ea Ordinem sacrum suscipiat, suspensus est ab executione talis Ordinis sacri suscepti, si loquamur de iure communi, vt insinuatem, quod secus sit, si loquamur de iure speciali, seu priuilegiato quarundam Religionum, & etiam aliarum, quæ illarum priuilegia participant per communicationem: vt omittam quod Patres Societatis Iesu habeant simile, & aliud maius quoddam priuilegium, si scilicet quis non velit transire ad Ordinem Carthusianorum.

SECTIO XXVII.

An apostata à Religione sit ipso facto excommunicatus?

SVMMARIVM.

1 *Apostata à Religione non est ipso facto excommunicatus, si etiam de iure communi loquamur; quia nullo iure id habetur: secus tamen est de iure speciali, seu priuilegiato omnium ferè Religionum.*

2 *Religiosus solùm excommunicatur* In dicto cap.2. ne Clerici, vel Monachi, *qui habitum sua Religionis dimittit. At apostata à iure communi excommunicationem non incurrit,si habitum Religionis non dimittat.*

1 Respondetur negatiuè, si etiam de Iure communi loquamur, Gloss. *in cap. 1.verb.apostata,de tempor. ordin.in 6*. Hostiens. *in sum.tit.de apostat.n*.4. Syluest. *verb.apostata, num*.11. Tabiena *num*.15.Imola *in cap. Deus qui, de vit. & honest. Cleric. num*. 2. Anaonias *in cap*.3. *de apostatis, num*.1. Astensis *in sum. part*.2.*lib*.7. *titul*.1. *articul*.2. *cas*.36. S.Antoninus 3.*part.titul*.24. *cap*.53. *circa finem*, Bannez 2.2.*q*.12.*dub*.1.*conclus*.2. Aragonius *ibidem, articul*. 1. Suarez *tom*. 5. *de censur. disput*. 31. *sect*.6.*num*.1. & Lessius *de iust.& iur.lib*.2. *cap*.41.*dub*.15.*num*.109. quamuis contrarium teneant Andreas *in cap.finali, de apostatis, num*. 1. Cardinalis *ibidem,num.vnico,quæst*.1. Bellarger.*in cap.Abbates*,18. *quæst*.2. *num*.4. Dominicus*in cap*.2.*ne Clerici vel Monachi,in 6.num*.11.Armilla *verbo apostata,num*.11.Tabiena *verbo excommunicatio* 5. *cas*.13.*q*.1.*num*.2.Henriquez *lib*.13.*cap*.39.*num*.1.& *cap*.40.*num*.1.& Azor. *tom*.1.*instit.moralium, lib*.12.*cap*.17.*q*.6. sed solùm est excommunicandus, *ex cap. si quis ex cleric. de vit. & honest. cleric*. vt communiter Doctores cum Gloss. *in cap*.2.*ne Cleric.vel monach.in 6.verb.ipso facto*.

Probatur, quia nullo Iure habetur, quod apostata à Religione sit ipso facto excommunicatus: ergo.

Quamuis ferè omnes Religiones habeant priuilegia particularia, in quibus ipso facto in fauorem ipsarum fertur excommunicatio in tales apostatas, vt videre est *in compendio priuileg. Mendicant. verb. Apostata, & in compendio priuileg. Societ. Iesu, verb. eodem*, & notat prætet alios Sanch.*lib*.6.*moral.cap*.8.*num*.20. Vide etiam quæ dicebam suprà, *sect*.23.

Obiicies: *In cap.2.ne Clerici, vel Monachi,in 6*. excommunicatur Religiosus habitum Religionis dimittens, ne ea dimissione habitus desumat occasionem liberè vagandi, & siue habitum non dimittat,siue dimittat, excommunicationem incurret. 2

Respondetur: Nego consequentiam; quia *in dicto cap*. solùm excommunicatur Religiosus habitum Religionis dimittens, vel ad studia sine licentia Superioris accedens. Nauarr. *commentar*.2. *de Regular*. Suar. *tom*. 4. *de Relig. tract*.8.*lib*.3.*cap*.1.*n*.9.& *tom*.5.*in* 3. *part. disp*.31.*sect*.6.& Aragon.2.2.*q*.12.*art*.1.At nos dicimus, quod apostata de iure communi excommunicationem non incurrat, si habitum Religionis non dimittat: Quinimò in eodem *cap, dicitur*, quod Religiosus excommunicationem incurrat, si habitum Religionis (quamuis non sit apostata) temerè dimittat; & in eo textu Religioso non tollitur occasio liberè vagandi quouis modo, sed solùm per temerariam habitus dimissionem; præsertim cùm Religiosus habitum Religionis retinens non habeat libertatem vagandi, sicut haberet, si habitum Religionis dimitteret; cùm habitum Religionis retinendo, facilè possit cognosci, capi, & compelli, quod ad suam Religionem reuertatur: vt omittam, quod odia, & pœnæ non sint ampliandæ, sed potiùs restringendæ.

PETITIO PRIMA.

Quænam in Iure non possit apostata?

SVMMARIVM.

1 *Apostata non potest facere testamentum, neque habet ius præsentandi ad beneficium sui Patronatus, neque potest esse testis, repellitur que ab omnibus actis legitimis. Neque esse Episcopus, nec Doctorari, estque*

estque inhabilis ad beneficia ecclesiastica, secundum Riccium, post alios.

2 *Riccius, & Doctores, quos citat, confundunt apostasiam à Religione cum apostasia à fide. Nam Religiosus quicumque, etiam non apostata, non habet factionem testamenti, & est inhabilis ad beneficia.*

3 *Fugitiuus, vel apostata à Religione, ratione talis apostasiæ non potest ea, quæ non potest excommunicatus; quia licèt de iure communi apostata à Religione non sit excommunicatus, sed solùm sit excommunicandus; ratione tamen priuilegiorum est ipso facto excommunicatus.*

4 *Religiosus si dimittat habitum, ex hoc etiam capite, quamuis tantùm fugitiuus, est etiam excommunicatus.*

5 *Apostata, seu tantùm fugitiuus, si celebret, fit irregularis.*

1 Quidam, quos citat Ricc. *var. resolut. res. 97.* tenent quod primò apostata non possit facere testamentum. Secundò, non habeat ius præsentandi, quamuis beneficium fuerit patronatum. Tertiò non possit esse testis. Quartò, repellatur ab omnibus actis legitimis. Quintò, non possit esse Episcopus, etiamsi Pontifex eum non agnoscens ad Episcopatum promoueret. Sextò, non possit doctorari, cùm doctoratus sit dignitas. Septimò, sit inhabilis ad beneficia Ecclesiastica.

2 At minùs rectè; quia facere testamentum non potest omnis Regularis, sicut etiam ad beneficia est inhabilis omnis Regularis, licèt non sit fugitiuus, vel apostata: quapropter hi Doctores confundentes apostatam à Religione cum apostata à fide, ponunt ea, quæ non potest apostata à fide. Meliùs igitur

3 Respondetur, quod in iure fugitiuus, vel apostata à Religione, ratione talis apostasiæ non possit ea, quæ non potest excommunicatus; quia (licèt vti dicebam *suprà in princip. sect. præced. & sect. 23.* apostata à Religione de iure communi non sit excommunicatus, sed

4 solùm sit excommunicandus: Ratione tamen priuilegiorum, quæ concessa sunt in fauorem Religionis, est ipso facto excommunicatus, & prætere à si dimittat habitum, ex hoc etiam capite (quamuis tantùm fugitiuus)

5 est ipso facto excommunicatus, *per cap. Vt periculosa, ne Cler. vel Monach.* Vnde fit, quod si in dicto casu apostata, vel etiam tantùm fugitiuus celebraret, fieret irregularis, vti *supr. loc. cit.* dicebam, & tenent Tusch. *lit. M, concl. 329. n. 1. & seqq.* Menoch. *lib. 2. de arbitr. centur. 6. cas. 546. n. 7. 30. & 48.* Oldrad. *cons. 148. num. 12.* & alij communiter.

SECTIO II.

Quinam sint effectus apostasiæ?

SVMMARIVM.

1 *Apostasiæ effectus recensentur secundùm aliquos Doctores, & Riccium: at minùs rectè, quia effectus recensiti conueniunt apostasiæ à fide, non autem à Religione. Vide ibi quinam ij sint.*

2 *Apostasiæ à Religione alij effectus competunt, scilicet quod præter excommunicationem trahat infamiam.*

3 *Apostata à Religione prohibetur suscipere ordines, & susceptos exercere, etiamsi redierit ad Religionem, itavt à solo Pontifice super hoc possit dispensari.*

4 *Apostata à Religione prohibetur etiam assumi ad dignitates.*

5 *Item potest carcerari, & affligi pœna statuta à Religione, etiam à quolibet, si non à propria, vel pœna arbitraria.*

6 *Apostata à Religione priuatur etiam priuilegio Clericali: at hoc valet de Clerico apostatante à Clericatu; non autem de Religioso.*

7 *Apostasiæ pœna grauis est apud Minores; si enim quis ex ipsis manserit supra duos menses extra Religionem, vltra congruas etiam carceris pœnitentias puniuntur priuatione vocis actiuæ, & passiuæ; vltra quod apostata solùm promoueri poterit ad aliquod officium, si per totum decennium laudabiliter vixerit in Religione.*

8 *Minorita si tertiò vicè inciderit in hanc apostasiam grauem, quamnam incurrat pœnam post decretum Vrbani VIII. de apostatis, & fugitiuis.*

9 *Apostata, vel etiam fugitiuus, quando resipiscens, & ad Religionem readmitti humiliter petens, spontaneè redit, benignè est excipiendus, & mitiùs puniendus; quia iam cessauit ipsa rebellio, & proptereà pœna non est necessaria vt resipiscat, &c. Nihilominus in hoc casu erit cum misericordia coniungenda iustitia.*

10 *Religiosum inducens ad apostatandum, aut ad fugiendum, vel cooperans in apostasiam, aut in fugam, tenetur ad omnia damna quæ inde obueniunt Religioni, sicut etiam pro expensis factis in ipso perquirendo, &c.*

11 *Non tamen tenetur pro illis, quos ita seduxit, ingredi Religionem, vel quærere alios, qui pro illis Religionem ingrediantur; quia religiosus ingressus debet esse omninò voluntarius.*

12 *An iste seductor, &c. sit de iure excommunicatus videndus est Suarez.*

13 *Religiosum apostatam, vel fugitiuum detinens, occultans, vel quomodocumque fauens, aut adiuuans in apostasiam, vel fugam, est ipso facto excommunicatus, ex multis priuilegiis in fauorem Religionum.*

14 *Episcopus non comprehenditur sub hac excommunicatione; non enim potest à Prælato Religionis excommunicari; quia habet priuilegium à iure communi, vt non possit excommunicari, nisi expressa mentio de ipso fiat.*

15 *Pius Secundus magnam concessionem Religionibus fecit contra Principes, Duces, aliosque Magnates fauentes apostatæ, fugitiuo, vel cuicumque alteri Religioso suis Religionis Superioribus inobedienti, quod scilicet possit contra prædictos fauentes procedi per censuras Ecclesiasticas vsque ad inuocationem brachij Sæcularis.*

16 *Religiosum apostatam, vel fugitiuum detinens, occultans, vel quomodocumque fauens, aut adiuuans, excommunicationem prædictam non incurrit, si probabiliter iudicet, quod talis Religiosus habeat legitimam causam non manendi in Religione, vel si faciat ad illum reducendum ad pœnitentiam. Et idem dic de consanguineis, amicis, & aliis ad dictum finem recipientibus, vel occultantibus.*

17 *Religiosum apostatam, vel fugitiuum recipiens, vel occultans incurrit excommunicationem, etiamsi id prætendat se aulliter esse professum, quia possessio stat pro Religione, donec non constet de nullitate professionis.*

1 Quidam, quos citat etiam Ricc. *cit. res. 97.* tenent quod primò bona apostatæ publicentur ipso iure. Secundò, quod licet crimina Rei morte extinguantur, crimen tamen apostasiæ morte non extinguatur. Tertiò, quod quilibet propter apostasiam à commercio hominum prohibeatur. Quartò, quod per apostasiam recedatur à Regulis Iuris communis. Quintò, quod apostata nulli possit succedere. Sextò, quod crimen apostasiæ sit crimen publicum. Septimò, quod licèt ius accusandi in aliis criminibus regulariter non permittatur, nisi tantùm illi, cuius interest. In hoc tamen crimine apostasiæ permittatur cuilibet, etiam illi, cuius non interest. Octauò, quod apostata possit carcerari, & affligi. Nonò, quod pœna apostasiæ etiam puniatur ille, qui apostatandi consilium, vel ordinem præbet. Decimò, quod suscipiens Ordines in apostasia, Ordines susceptos non possit exercere.

At etiam minùs rectè; quia effectus isti cunoeniunt apostasiæ à fide, de qua loco citato loquitur Riccius; non autem apostasiæ à Religione, cui alij effectus competunt, scilicet quod præter excommunicationem, de qua petitione præcedenti dicebam, trahat infamiam, *cap.alieni*, 2. *q.*7. Item quod apostata à Re- 3 ligione prohibeatoc suscipere Ordines Sacros, quos si susceperit, postea (tametsi redierit ad Religionem) prohibeatur exercere, ita vt à solo Pontifice super hoc possit dispensari, *cap.finali, de apostat.* & tradunt præter alios Suarez *tom. 5. in 3. part. disp.* 31. *sect.* 6. & Sanch *lib.*6.*mor.cap.*8. *num.*21. Vide etiam quæ dice- 4 bam *suprà sect.*25. Item quod prohibeatur assumi ad diguitates, *cap.legi*, 16.*q.*1. Item quod possit carcerari, 5 & affligi: At quoniam in iure communi non est determinata aliqua pœna imponenda apostatæ, quando retrahitur ad Religionem, propterea puniendus erit iuxta statuta specialia coiuscumque Religionis, vel pœ- 6 na arbitraria habita ratione circumstantiarum. Item tandem, quod priuetur priuilegio clericali, *cap.*1.*de apostat.* Cokiet. *de iurisd. ordin.in exempt.part.*1.*q.*20. At hoc valet solùm de Clerico apostatante à Clericatu, non autem de Religioso apostatante à Religione.

Aduerte tamen hîc, quod apud Fratres Minores 7 (vti testatur Sanctorius ad statuta ipsorum Minorum, *cap.*2. *statut.*67.) apostasia grauis (quæ est apud eosdem Minores, si quis supra duos menses manserit extra Religionem) vltra congruas, etiam carceris, pœnitentias, punitur priuatione vocis actiuæ, & passiuæ, vltra quod apostata solùm promoueri poterit ad aliquod officium, si per totum decennium laudabiliter vixerit in Religione (qua de re vide, quæ dicam *infrà* 8 *sect.sequent.*) At si tertia vica inciderit in hanc apostasiam grauem, vel eiicitor à Religione, quod tamen nunc ob nouum decretum *de apost. & fugitiu.* Vrbani VIII. executioni mandari non potest, nisi secuto anno probationis in carcere cum ieiunio, & pœnitentia, vel per decennium damnatur ad triremes.

9 Adoerte secundò, quod quando apostata, vel etiam fugitiuus, resipiscens, & ad Religionem readmitti humiliter petens, spontaneè ad Religionem redit, benignè sit excipiendus, & mitiùs puniendus; quia sic ratio naturalis, & clementia tam Ecclesiæ, quàm Religionis expostulat: tum quia iam cessauit in ipso rebellio, & propterea pœna non est necessaria, vt resipiscat; & præterea pœnitentia voluntariè suscepta facit, vt maiori misericordia sit dignus. Nihilominus erit cum misericordia coniungenda iustitia, tum ob correctionem ipsius, tum ob exemplum aliorum, ne scilicet facilitas condonandi crimen, sit incitamentom ad delinqoendum, sicque congruis pœnis puniendus. Gloss. *in cap. à nobis, verb.resipiscant, de apostat.* Nauar. *lib.*3. *consil.de Regul.consil.*66.*n.*1. Sanct.*loc.suprà cit.* Peyr. *in formulario, lit.A, cap.*20.*n.*5.*&* 6. Faustus *lib.*6.*thes. Relig.q.*234. Bordon.*in consil. Regular. resol.*41.*q.*11. & Donat. *in prax.rer. Regul.part.*2. *tract.*6 *q.*19.*n.*8.

10 Aduerte tertiò, quod si quis inducat Religiosum ad apostatandum, aut ad fugiendum, vel cooperetur ei in apostasiam, aut in fugam, teneatur ad omnia damna, quæ inde obueniunt Religioni (quales sunt pro apostata, vel fugitiuo perquirendo expensæ factæ, lucra cessantia, & alia huiusmodi) quia delinquit contra iustitiam, subtrahendo Religioni quod suum est, & eam damnificando: vnde tenetur etiam ad bonæ opinionis detrimentum compensandum, quod ob talem apostasiam, vel fugam subit Religio. Caietan. *in summa, verb. restitutio, cap.*7. & Suarez *tom.*4. *de Relig. tract.* 8.*lib.*3.*cap.*3.*n.*8.

11 Non tamen tenetur pro illis, quos ad apostatandum, vel fugiendum induxit, ipse Religionem ingredi, vel quærere alios, qui pro illis Religionem ingrediantur; quia Religionis ingressus debet esse omninò voluntarius, solumqoe propter finem vitæ perfectioris. Sotus *de iustitia, lib.* 4. *q.* 6. *art.*3. Ledesma 2.*par.*4.*q.*18. *art.*2. & alij passim.

An autem qui induxit Religiosum ad apostatandum, 12 vel ad fugiendum, sit de iure ecclesiastico excommunicatus, propter priuilegia scilicet mendicantium, videri potetit Suarez *tom.*4. *de Religione, tract.*8.*lib.*5.*c.*3.*n.*26.

Aduerte quartò, quod detinens, occultans, vel quo- 13 modocumque fauens, aut adiuuans apostatam, vel fugitiuum Religiosum in apostasiam, vel in fugam, sit ipso facto excommunicatus, ex multis priuilegiis in fauorem Religiooum concessis, sicuti videre est apud Casarub. *in compend.priuileg.verb. Apostata ab Ordine,* & Peyrin *de priuileg.ad constit.*2. *Iulij II.* §. 13. *n.*47.

Quamuis sub hac excommunicatione non com- 14 prehendatur, neqoe possit à Prælato Religionis excommunicari Episcopus; quia Episcopus habet priuilegium de iure coommuni, vt non comprehendatur sub excommunicatione, neque possit ab aliquo excommunicari, nisi expressa mentio de ipso fiat, *cap. quia periculosum, de sent. excommun.in* 6. At quia *in ista cap.* non est sermo de excommunicatione, sed de suspensione, & interdicto, propterea qood dixi, meliùs probatur ex Concilio Tridentino *sess.* 24. *c.* 5. *& ex cap. Sedes Apostolica, de rescript.*

Pius II. etiam magnam concessionem Religionibus 15 fecit contra Principes, Duces, aliosque magnates fauentes apostatæ, fugitiuo, vel cuicumque alteri Religioso suis Religionis Superioribus inobedienti, quod scilicet possit contra prædictos fauentes procedi per censuras ecclesiasticas vsque ad inuocationem Brachij sæcularis. Miranda *in Manuali, tom.*1.*q.*51.*art.*2.

Detinentes etiam in suis Monasteriis apostatas Religionis Patrum Prædicatorum sunt excommunicati excommunicatione Papali. S. Antonin. 3.*part.tit.* 24. *c.*7. & Filliucius *tom.*1.*quæst.moral.tract.*15.*c.*8.

Cæterùm detinens, occultans, vel qoomodocumque 16 fauens, aut adiuuans apostatam, vel fugitiuum Religiosum, excommunicationem prædictam non incurrit, si ipse probabiliter iudicet, quod talis Religiosus habeat legitimam caosam (v.g. ex eo, quod in illa non sit tutus, vel ex aliquo alio capite, &c.) non manendi in Religione; quia tunc non peccat, sed potiùs actum charitatis exercet. Similiter si id faciat ad hoc, vt prædictum Religiosum apostatam, vel fugitiuum reducat ad pœnitentiam; quia tunc neque peccat, sed potiùs fauet Religioni, & vtiliter gerit negotium Religionis, à qua prædictus Religiosus apostatauit, vel fugit. Similiter etiam, si detineat, vel occultet, &c. apostatam (non tanquam apostatam, seo contemplatione apostasiæ) vel fugitivum, non tanquam fugitiuum, seu contemplatione fugæ, sed vt consanguineum, amicum, vel familiarem, seo contemplatione consanguinitatis, amicitiæ, vel familiaritatis, etiamsi tunc monitus eum non eiiciat (præsertim cum proposito reducendi eum ad meliorem statum) quia tunc neque etiam peccat, sed exercet officium de se bonum; & quia excommunicatio lata est in odium apostasiæ, vel fugæ; & à simili, quia ex satis probabili sententia Doctorum excommunicationem non incurrit, qui recipit hæreticos, vel fauentes, &c. non tanquam hæreticos, vel fauentes, &c. sed tanquam consanguineos, amicos, vel familiares. Nauarr. *consil.*69.*de Regular. n.*1. *& in summa, c.*27.*num.*2. Miranda *tom.*1.*manual.q.*51.*art.*2. Portel. *in dubiis Regul. verb. Apostata, n.* 4. Rodriq. *tom.*1.*quæst. Regul.q.*30.*art.*9. & Peyrin. *de priuileg.ad constit.*2. *Iulij II.n.*49.

An autem recipiens, vel occultans, &c. apostatam, 17 vel fugitiuum Religiosum, neque incurrat excommunicationem, si talis Religiosus prætendat, se nulliter esse professum.

Respondetur negatiuè; quia quamdiu nulla, seu inualida non est declarata professio, in foro externo possessio stat pro Religione, & præsumptio contra ipsum

ipsum Religiosum, sicque habetur pro Professo, atque adeò pro apostata, vel fugitiuo, vt propterea ex hoc solo capite nullitatis professionis recipiens, vel occultans, &c. excusari non possit ab excommunicatione, & aliis pœnis, quas *suprà* dicebam.

SECTIO III.

An apostata in apostasia, sicque in excommunicatione vltra annum insordescens, ratione insordescentiæ (de qua Tridentinum *sess. 25. cap. 3. de reformat.* sit de hæresi suspectus, sicque denunciandus Tribunali Sanctæ Inquisitionis.

SVMMARIVM.

1 *Apostata in apostasia, sicque in excommunicatione vltra annum insordescens, licèt secundùm Farinacium, & alios sit denunciandus Tribunali Sanctæ Inquisitionis, vt de hæresi suspectus; probabilius tamen id habet locum, quando is esset denunciatus tanquam vitandus: insordescentia enim non habet locum, nisi quoad excommunicatos denunciatos.*

2 *Insordescentia in excommunicatione in tantum inducit hæresis suspicionem, in quantum ostendit contemptum aliquem clauium in facie Ecclesiæ: quo cessante, cessat etiam dicta suspicio.*

3 *Insordescens ad hoc vt inducat suspicionem hæresis post annum insordescentia, debet in facie Ecclesiæ esse excommunicatus denunciatus; nam Concilium Tridentinum requirit, quod contra ipsum præcedant legitima monitiones.*

4 *Idque frequenter seruatur in praxi.*

1 Respondetur, quod licèt Farin. *de hæres. q. 155. §. 8. num. 108.* Peytin. *de priuileg. ad constitut. a. Pauli V. §. 2. num. 13.* & Donat. *in praxi rer. Regul. p. 2. tract. 8. quæst. 41.* affirment simpliciter: probabilius tamen dicatur, id habere locum solùm quando apostata, vel etiam fugitiuos, esset denunciatus tanquam vitandus.

2 Probatur, quia Insordescentia non habet locum, nisi quoad excommunicatos denunciatos (cùm in tantum inducatur in hæresis suspicionem, in quantum insordescens contemnendo claues in facie Ecclesiæ, vel se illi contumacem exhibendo, videtur de illis malè sentire, sicuti desumitur *ex cap. Bona, de ætat. & qualit. & ex cap. cùm contumacia, de hæretic. in 6.* & docent Albertin. *de hæretic. num. 35.* Additionator *ad Sayrum de censur. lib. 2. cap. 10.* & Rota *decis. 132. num. 7. part. 1. recent.*) Sed quando insordescens non est denunciatus, non ostendit aliquem contemptum clauium in facie Ecclesiæ, neque se illi contumacem exhibet: Ergo tunc locum non habet insordescentia.

3 Confirmatur ex Concilio Tridentino *cit. sess. 25. cap. 3. de reformat. circa finem*, ibi: Excommunicatus verò quicumque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solùm ad Sacramenta, & communionem fidelium non recipiatur, sed si obduratio animo censuris annexus, in illis per annum insorduerit, etiam contra eum, tanquam de hæresi suspectum, procedi possit; quia si requiritur, quod præcedant legitimæ monitiones, insordescens debet in facie Ecclesiæ esse excommunicatus, atque adeò denunciatus, sicque coram ipsa se obduratum ostendere.

4 Confirmatur secundò, quia sic etiam praxis in dies seruare videtur.

PETITIO IV.

Quisnam in crimine apostasiæ, & à censuris, aliisque pœnis huiusmodi crimini annexis si scilicet apostata redeat ad Religionem, absoluere possit?

SVMMARIVM.

1 *Apostasia à crimine, & à censuris, aliisque pœnis huiusmodi crimini annexis (si scilicet apostata redeat ad Religionem) potest absoluere quilibet confessarius in conuentu, vel Monasterio deputatus, si crimen apostasiæ non sit reseruatum, &c.*

2 *Apostata vel fugitiuus si contraxerit irregularitatem, poterit dispensari à Prælatis suæ Religionis, dummodo non sit bigamia, mutilationis membrorum, vel homicidij voluntarij; quia hi virtute suorum priuilegiorum dispensare possunt cum suis subditis ab omni alia irregularitate, exceptis suprà dictis.*

3 *Prælati Regularium dispensare possunt ab irregularitate ex homicidio voluntario secuto ante ingressum Religionis, in foro tamen conscientiæ tantùm ex priuilegio Pij V. concesso Monachis Cassinensibus.*

Respondetur, si crimen apostasiæ, vel etiam fugæ, non sit reseruatum, absoluere potest quicumque Confessarius in Conuentu, vel Monasterio deputatus; si verò sit reseruatum, recurrendum erit ad superiorem, cui facta est reseruatio. 1

Probatur, quia ad hunc finem, scilicet quoad casus reseruatos apud Regulares, non prodest Bulla Cruciatæ, nec Iubilæum particulare, nec alia huiusmodi concessio, iuxta Constitutionem 105. Vrbani VIII. *tom. 4. Bullar.* Et notat præter alios Portell. *in dub. Regular. verb. Apostata, in addit. n. 1.*

Ab irregularitate autem, si quam prædictus apostata, vel etiam fugitiuus contraxerit, dummodo non sit bigamiæ, mutilationis membrorum, vel homicidij voluntarij, dispensare poterunt Prælati suæ Religionis; quia hi virtute suorum Priuilegiorum dispensare possunt cum suis subditis ab omni alia irregularitate, exceptis eis, quas suprà dicebam, S. Antonin. *3. par. tit. 28. cap. 7. §. vlt. in fine*, Casarub. *in compend. Priuileg. verb. Dispensatio*, Sotbus *ibidem, verb. ordines sacri*, Mirand. *tom. 2. manual. q. 8. art. vlt.* Peyrin. *q. 1. de subdito Religioso, cap. 26. vers. sed quæres*, Naldus *in summa, verb. infamia, n. 1.* Thesaurus *in praxi, part. 2. verb. Missa, cap. 5. §. item si esset*, & Bordonus *in consil. Regular. resol. 51. n. 50.* Quinimò etiam ex priuilegio Pij V. (quod concessum est monachis Sancti Benedicti Religionis Cassinensium anno 1571. vt in sua constitutione 129. *tom. 2. Bullary*) dispensare possunt ab irregularitate ex homicidio voluntario secuto ante ingressum, in foro tamen conscientiæ, vti passim Doctores aduertunt. 2 3

PETITIO V.

An Religiosus ex legitima causa possit, retento habitu Religionis extra Monasterium viuere?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus potest ex legitima causa, retento habitu Religionis, viuere extra Monasterium; quia id non solùm non est intrinsecè malum, sed neque derogat votis Religionis; cùm ea etiam extra claustra possint seruari.*

2 *Religiosorum Prælati, quamuis concedere possint licentiam viuendi extra Monasteria de Iure communi, cùm*

id spectet ad iurisdictionem ; non tamen concedere possunt de iure nouo Clementis VIII.

3 *Sacra Congregatio Regularium talem licentiam concedere solet cum quibusdam certis conditionibus, v.g. ad manendum apud aliquem Episcopum, vt ei Religiosus inseruiat in spiritualibus negotiis, & necessitatibus Episcopatus, &c. Vide ibi.*

4 *Religiosus non potest sola licentia sui Superioris manere extra monasterium ad inseruiendum alicui sæculari beneficio, siue simplici, siue curato, neque alicui dignitati Ecclesiasticæ.*

5 *Religiosus casu quo ex priuilegio Sedis Apostolicæ beneficium aliquod, siue simplex, siue curatum obtinuerit, licèt illud postea dimiserit, non potest amplius in Capitulis Generalibus, vel prouincialibus absque licentia Generalis admitti, vel officium aliquod in Religione habere, sub pœna excommunicationis.*

6 *Religiosus quamuis ob necessitatem parentum possit habitu retento, manere extra monasterium de iure communi, non tamen potest de iure nouo Clement. VIII. & Vrbani VIII.*

7 *Religiosus si de facto egrediatur è monasterio sine legitima licentia ad subueniendum parentibus in extrema necessitate, non est apostata, neque fugitiuus, etiamsi in tali necessitate id fecerit erga alios extraneos.*

8 *Religiosus si de facto egrediatur è monasterio sine legitima licentia ad subueniendum parentibus in graui aut grauissima necessitate, contradistincta scilicet ab extrema, est apostata, & fugitiuus.*

9 *Religiosus nullus absque licentia sui superioris potest se mancipare obsequio alicuius loci, vel personæ, ex Concilio Tridentino, & ex decreto Sacræ Congregationis.*

10 *Religionum Prælati possunt reuocare suos subditos seruitio alicuius extra Religionem deputatos, eosque corrigere, cùm præceptis suorum superiorum obedire teneantur, eorumque censuris ligentur, neque sine eorum licentia eos aliquis potest in socios assumere.*

11 *Legatus à latere, Prælatus quicumque, & quæcumque persona Religiosa, vel sæcularis non potest assumere in socium Religiosum, nisi quem Magister Generalis, vel Prouincialis duxerit assignandum, sine speciali indulto Sedis Apostolicæ.*

12 *Commissarius Cruciatæ nisi habeat facultatem specialem, non potest assumere socios Religiosos, inconsultis Superioribus Religiosis.*

1 REspondetur affirmatiuè ; quia id non solùm non est intrinsecè malum, sed nec etiam derogat votis Religionis ; cùm etiam extra monasterium Religiosus possit obseruare votum paupertatis, obedientiæ, & castitatis : vide Doctores communiter, quos sequitur Soarez *tom. 4. de Religion. tract. 8. lib. 3. cap. 7.*

2 Cæterùm, quamuis Prælati Religionum hanc licentiam concedere possint de iure communi ; quia id spectat ad iurisdictionem, quam ipsi de facto habent supra subditos, Nauarr. *comment. 2. de Regular. n. 16. & 40. & comment. 4. n. 14.* non tamen concedere possunt de iure nouo Clementis VIII. in decretis pro reformatione Regularium à sacra Congregatione iussu Vrbani VIII. approbatis, & innouatis, quia in his sic habetur. [Incatur ratio, qua sublatis licentiis, & facultatibus hactenus quibuscumque concessis, degentes extra conuentus claustra, ad ea quamprimùm reuocentur, nec de cætero, nisi ex grauissima causa à Sede Apostolica approbanda, huiusmodi facultates concedi possint.]

3 Hinc sacra Congregatio Regularium talem licentiam concedere solet cum quibusdam certis conditionibus, v.g. ad manendum apud aliquem Episcopum, vt ei Religiosus inseruiat in spiritualibus negotiis, & necessitatibus Episcopatus ; vel ad seruitium alicuius confraternitatis ; vel ad subueniendum parentibus senibus, aut egenis, & omni humano auxilio destitutis ; Non item ad seruitium alicuius Principis sæcularis. Quinimmò eadem Sac. Congregatio anno 1644. Generali cuiusdam Religionis iussit, quod suos Religiosos sub hoc titulo extra claustra degentes ad ea reuocaret.

Hinc 2. Religiosus non potest sola licentia sui Superioris manere extra monasterium ad inseruiendum alicui sæculari beneficio, siue simplici, siue curato, neque alicui dignitati Ecclesiasticæ. Idque non solùm ex decretis Clementis VIII. & Vrbani VIII. supradictis, sed etiam ex multis iuribus, & auctoritatibus apud Syluestrum *verb. Religio 7. q. 3.* 4

Quinimmò casu quod Religiosus ex gratia Sedis Apostolicæ beneficium aliquod simile, siue simplex, siue curatum obtinuerit, tamen si illud postea dimiserit, non potest ampliùs in Capitulis generalibus, vel prouincialibus absque licentia Generalis admitti, vel officium aliquod in Religione habere, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ : sic concessit Sixtus IV. Carmelitis, vti videre est apud specul. Ordinis, *fol. 90.* & apud Rodriq. *tom. 2. q. 64. art. 3.* 5

Hinc 3. quamuis Religiosus ob necessitatem parentum possit, habitu retento, manere extra monasterium de iure communi, Nauarr. *lib. 3. consil. de Regular. cons. 54. & 55.* cum S. Thoma *2. 2. q. 101. art. 4.* Tamen non potest de iure nouo Clementis VIII. & Vrbani VIII. supradicto, nisi ad id interuenerit licentia Sedis Apostolicæ talem causam approbantis. 6

An autem si de facto Religiosus egrediatur è monasterio sine legitima licentia ad subueniendum parentibus in necessitate extrema, quæ scilicet sit talis, vt sine egressu ipsius Religiosi mox, vel breui tempore sequeretur mors parentum, sit apostata, vel fugitiuus? 7

Respondetur negatiuè, ita vt in tali casu Religiosus non solùm possit egredi è monasterio, etiam sine licentia quacumque, si illam obtinere non potuerit, sed etiam teneatur, quia casus necessitatis extremæ de iure naturali est tam vrgens, vt in tali casu, cùm ius naturale sine comparatione præponderet iuri positiuo, teneatur non solùm parentibus, sed etiam extraneis subuenire.

Quamvis non idem dicendum sit in necessitate graui, vel etiam grauissima, quæ scilicet extrema, qualem suprà dicebam, non sit. Ita vt Religiosus, quamuis apostata, vel fugitiuus non sit, si sine legitima licentia egrediatur è monasterio ad subueniendum parentibus in necessitate extrema ; tamen apostata, vel fugitiuus sit, si sine dicta legitima licentia egrediatur è dicto monasterio ad subueniendum parentibus in necessitate graui, vel grauissima, contradistincta scilicet ab extrema. Nauarr. *in commentar. de regul. ad cap. nullam 18. q. 2. num. 42.* Reginald. *tom. 2. lib. 20. cap. 2. de obligat. filior. num. 13.* Portell. *in respons. moral. tom. 2. cas. 72.* & Tamburin. *de iur. Abbat. tom. 3. disp. 8. q. 6.* 8

Hinc 4. nullus Religiosus absque licentia sui superioris potest se mancipare obsequio alicuius loci, vel personæ : quia vt omittam de hac re prohibitionem Concilij Tridentini *sess. 25. de Regular. cap. 4.* ex sacræ Congregationis decreto supradicto concedere licentiam Religioso, quod maneat extra monasterium, pertinet ad eandem sacram Congregationem. 9

Qualiter autem possint Prælati Religionum suos subditos seruitio alicuius extra Religionem deputatos corrigere, & ad Religionem reuocare, cùm præceptis suorum superiorum obedire teneantur, eorumque censuris ligentur : Qualiter etiam nemo possit illos in socios sibi assumere sine licentia eorundem Prælatorum, docent Rodrig. *tom. 2. q. 64. art. 1.* & Peyrinus *tom. 1. priuileg. minimor. in constitutione 2. Iulij II. §. 11. n. 43.* Et extat etiam priuilegium Sixti IV. Carmelitis in Bulla *Dum attenta*, apud specul. Ordin. *fol. 89.* concessum, quo conceditur, quod Generalis Magister, vel Priores Prouinciales, & ipsorum Vicarij illos ex fratribus, de quibus auctoritate literarum Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ipsius, Archiepiscopis, & Episcopis, ac aliis 10

quibus

quibuscumque prouisum existit, vel in posterum contigerit prouideri, corrigere, ac etiam, non obstante contradictione aliqua, possint ad suum ordinem reuocare, nec per literas eiusdem Sedis, seu legatorum ipsius iam obtentas, vel de cætero obtinendas aliquos de fratribus ipsius ordinis, præfatis Archiepiscopis, & Episcopis, aut aliis teneantur in socios deputare, nisi dictæ literæ Apostolicæ obtinendæ de indulto eiusdem, & ordine ipso expressam fecerint mentionem, & alias id honestati ordinis, & illorum saluti viderint expedire.

11 Addit insuper idem Pontifex ibidem: [Nullus autem Legatus, etiam de latere nostro missus, auctoritate literarum Sedis Apostolicæ specialem de hoc indulto, & ordine nostro non facientium mentionem, nullusque Prælatus, nec aliqua persona Religiosa, vel sæcularis de fratribus eiusdem ordinis ad sua, seu Ecclesiæ negotia procuranda, vel secum manendum aliquos assumere valeat, nisi quos Generalis Magister in toto ordine, & Priores Prouinciales in suis prouinciis ipsorum, tanquam idoneos, & discretos sibi duxerint assignandos, quos etiam subiacere volumus Ordinis disciplinæ.]

12 Ex quibus rectè resoluit Portellius *in respons. moral. tom. 1. cas. 92.* de quodam Religioso (quem extra voluntatem sui Prælati quidam Commissarius Bullæ cruciatæ ad sui obsequium, mittendo illum ad quendam locum pro negotio quodam peragendo assumpserat) propter adducta ex Concilio Tridentino, & ex priuilegio Sixti IV. prædicto, quod id non potuerit facere, nisi in casu, quo dictus Commissarius Cruciatæ aliud priuilegium (quod & vt ipsi crederetur, ostendere debebat) Concilio, & Sixti IV. priuilegio derogans haberet.

PETITIO VI.

Ad quæ loca Religiosus sine licentia Superiorum non possit se transferre, neque ibi prædicare?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus sine licentia Superiorum non potest se transferre ad partes transmissas, adeo quod si sine tali licentia de facto ad eas se transferat, sit excommunicatus excommunicatione Pontifici reseruata.*

2 *Limita, in prædictam excommunicationem non incurrere Religiosos se transferentes ad partes transmarinas, in quibus multi fideles inueniuntur.*

3 *Monachus etiam, vel Canonicus Regularis nullam administrationem habens, sine speciali Prælatorum suorum licentia non potest se transferre ad Principum Curias, ita vt si ex tali translatione Prælatis suis, seu monasterio damnum causetur, sit excommunicatus, etiam ipso facto.*

4 *Monachus etiam, vel Canonicus Regularis prædictam excommunicationem non incurrit, si se transferat ad prædictas Curias bono animo, etiamsi postea malum animum conceperit, neque incurrit, si se transferat animo nocendi priuato Religioso.*

5 *Religiosis omnibus prohibitum fuit per Gregor. XIII. anno 1585. se transferre ad Iaponium, & partes propinquas, præter quam Religiosis è Societate Iesu; sed per Clementem VIII. hæc facultas Ordinibus Regularibus concessa fuit anno 1600. Vide ibi.*

6 *Clemens VIII. monet superiores Religionum, quod curent, missiones prædictas vtiles esse conuersioni infidelium; & quod prædicti Missionarij debeant esse sub obedientia suorum Superiorum.*

7 *Religiosi Missionarij sub excommunicationis Papæ reseruata sententia, & sub aliis pœnis non possunt ex insulis Philippinis, siue ex qualibet alia Indiarum Occidentalium transire in Iaponias, vel alias illi Prouincias adiacentes, & finitimas insulas, &c.*

8 *Religiosis Missionariis Paulus V. indulsit, quod etiam per aliam viam, quàm per Lusitaniam ad dictas Iaponicas, & alias Occidentis plagas se transferre possint.*

9 *Religiosi ad Indiarum partes ob finem catholicam prædicandam, vel ob alia Ecclesiastica ministeria exercenda missi, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, non possunt in itinere immorari, vel ad alia loca eis non destinata declinare.*

10 *Religiosi extra claustra, & obedientiam suarum Religionum viuentes, prohibentur etiam quorumcunque priuilegiorum prætextu permitti ab Episcopis prædicare, donec ab ipsis super hac re Sedes Apostolica consulatur.*

11 *Religiosorum bona extra claustra degentium, etiam de suorum Superiorum licentia spectant ad Cameram Apostolicam, tanquam ipsius spolia.*

RESpondetur, & dico primò: Religiosus sine licentia superiorum non potest se transferre ad partes transmarinas, adeò quod si sine tali licentia de facto ad eas se transferat, sit excommunicatus excommunicatione Pontifici reseruata, *extrauag. ad nostrum, de Regul.* & videri poterit præter alios Filliuccius *quæst. moral. tract. 15. cap. 8.* 1

Est autem in dicta extrauaganti sermo de Religioso transferente se ad partes transmarinas, in quibus pauci fideles reperiuntur: Quapropter excommunicatio prædicta non comprehendit Religiosum illum, qui se transfert ad partes transmarinas, in quibus multi fideles inueniuntur: vide Doctores communiter, quos sequitur Bonacina *de clausur. q. 2. punct. 4.* 2

Dico secundò: Monachus etiam, vel Canonicus Regularis, nullam administrationem habens, sine speciali Prælatorum suorum licentia non potest se transferre ad Principum Curias, adeò quod si (vt damnum aliquod Prælatis suæ Religionis, vel monasterio causet) se transferat ad illas, sit excommunicatus etiam ipso facto. *Clement. ne in agro, de statu monachor.* & videri poterit præter alios Miranda *tom. 2. q. 35. art. 18.* 3

Quamuis si se transtulerit ad prædictas Curias bono animo, sed postea ibi existens conceperit malum animum, nocendi scilicet suis Prælatis, aut suo monasterio: Probabiliter contra Suarez *de censuris, disput. 22. sect. 5. n. 6.* & alios, excommunicatus non fit: vide Doctores, quos sequitur Bonacina *loco suprà cit. punct. 5. §. 4.* qui benè subdit, quod hæc excommunicatio non incurratur, si Religiosus se transferat animo nocendi priuato Religioso, vel etiam Religioso alterius Religionis, quantumuis Prælato: Neque etiam incurratur, nisi solùm à monachis, & Canonicis Regularibus, non autem ab aliis Religiosis; quia Textus solùm de illis, non autem de istis loquitur. 4

Dico tertiò: tametsi priùs ex Gregorio XIII. anno 1585. se transferre ad Iaponium, & partes propinquas, prohibitum fuerit omnibus Religiosis, præter quam Religiosis è Societate Iesu: Postea tamen ex Clemente VIII. in Bulla edita anno 1600. quæ incipit *Onerosa*, conceditur facultas omnibus, & singulis mendicantium Ordinum Magistris, Ministris, seu Prioribus Generalibus pro tempore existentibus, [vt cùm necessitas postulauerit, quilibet Ordinis sui spectatæ vitæ, & eruditionis Religiosos, quos nimirùm ad prædicta officia, & ministeria idoneos, & vtiles fore in Domino iudicauerit, per Lusitaniam dumtaxat, & suscepta inde nauigatione in Indias, & ciuitatem Goam, atque ad superiores ordinum in illis partibus existentes transmittere, & tam ipsi sic transmittendi, quàm alij supradictorum Ordinum Religiosi in eisdem Indiarum partibus existentes, & ad hoc munus obeundum à suis magistris, ministris, vel Prioribus Generalibus, seu aliis superioribus electi, & approbati, tam ad Iaponias prædictas

dictas, quàm alias proximas, & adiacentes etiam Chinæ, & finitimorum, & terræ firmæ Indiæ Orientalis insulas, Regiones, & Prouincias accedere.]

9 Deinde idem Pontifex monet superiores Religionum, quod curent prædictas missiones vtiles esse infidelium conuersioni. Monet etiam, qualiter ipsi Religiosi missi, sub obedientia suorum superiorum, & ordinariorum debeant esse.

7 Ac tandem sub excommunicationis Papæ reseruatæ sententia, & sub aliis pœnis præcipit quibuscumque Religiosis (ne ex insulis Philippinis, siue ex qualibet alia Indiarum Occidentalium (vel quæ pro partibus Indiarum Occidentalium parte tunc habetur) parte ad illas pertinente in Iaponias, vel alias illi proximas adiacentes, & finitimas Insulas, Prouincias, & Regiones prædictas transire audeant.] Quod siquis aliter fecerit, sub eisdem pœnis redire teneatur.

8 Quamuis postea Paulus V. in Bulla (quæ incipit *Sedis apostolicæ*, & habetur *in Appendice ad 3. tom. Bullar. fol.* 48.) concesserit omnibus Religiosis, quod etiam per aliam viam, quàm per Lusitaniam, ad dictas Iaponicas, & alias Indiarum Orientalium Regiones se transferre possint; seruata tamen in reliquis dictarum Clementis VIII. literarum forma.

9 Vbi aduerte, quod Religiosi ad Indiarum partes ob fidem catholicam prædicandam, vel ob alia Ecclesiastica ministeria exercenda missi, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ non possint in itinere immorari, vel ad loca eis non destinata declinare; Paulus V. in Bulla, quæ incipit *Accepimus*, & est inter Bullas huius Pontificis *in 3. tomo Bullarij*.

10 Aduerte 2. quod Religiosi extra claustra & obedientiam suarum Religionum viuentes prohibeantur, etiam quorumcumque priuilegiorum prætextu, permitti ab Episcopis prædicare, donec ab ipsis Episcopis super hac re Sedes Apostolica consulatur, Tridentin. Concil. *sess. 5. cap. 2.*

11 Aduerte 3. quod bona Religiosorum extra claustra, etiam de suorum Superiorum licentia viuentium, post mortem ipsorum spectent ad Cameram Apostolicam, tanquam ipsius spolia. Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit *Officij nostri*, & est inter Bullas huius Pontificis *in 2. tom. Bullar.*

PETITIO VII.

An, & quomodo Religiosus extra claustra delinquens puniendus sit?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus delinquens extra claustra puniendus est iuxta modum præscriptum à Concilio Tridentino.*

2 *Religiosorum Prælati ad præcauendas fraudes, quæ interueniebant eludendo decretum sacri Concilij Tridentini ex Clemente VIII. tenentur certiorem facere Episcopum de pœnis inflictis in Religiosos extra claustra delinquentes in ipsius Diœcesi.*

3 *Religiosus, qui deliquit extra claustra, dimissus impunitus, est reuocandus à suo superiore instante Episcopo loci commissi delicti, & infrà tempus præfigendum ab Episcopo per suos superiores puniendus, &c. sub pœnis, &c.*

4 *Ordinarius loci, quò transmissus fuit Religiosus delinquens à suo superiore impunitus, si is demum instante Episcopo loci delicti non puniat, quid facere debeat eodem pariter instante.*

5 *Episcopo neque ex motu Clementis VIII. neque ex decreto sacri Concilij Tridentini, neque ex declarationibus Sacræ Congregationis conceditur, vt possit per se, vel per alios ad capturam Religiosi extra claustra notoriè delinquentis procedere; sed solùm vt debeat instare apud Prælatũ Religionis pro punitione illius. Quãuis probabiliter oppositũ doceant alij in casu suspicionis fugæ, vel flagrantis criminis.*

6 *Episcopus, vt teneatur instare Prælato Religionis, quod puniat Religiosum delinquentem extra claustra, delictum illius debet esse notorium, ac proinde non sufficit, esse notum tantum alicui, vel aliquibus paucis personis.*

7 *Qualitas fundans Iurisdictionem debet constare. Iudex debet agnoscere, an sua sit iurisdictio.*

8 *Iurisdictio competens ex qualitate, competit sub conditione. Ideo prius purificari debet conditio.*

9 *Ordinarius contra Religiosum extra claustra delinquentem non potest componere processum; testesque assumptos ad deponendum de scãdalo, & criminis notorietate, superiori Religionis succedere debet.*

10 *Motus prædictus Clementis VIII. exigit dolum in Superiore, videlicet quod ob finem non puniendi Religiosum, illum aliò transmittat extra Diœcesim Episcopi loci delicti, quo cessante cessat dicta dispositio, vt si v.g. transmittat in pœnam delicti.*

11 *Quid facere debeat superior Religionis ab Episcopo monitus.*

12 *An sufficiat, quod ad Episcopum mittat sententiam contra suum Religiosum latam, vel copiam, vel acta super delictum.*

13 *Intra quod tempus superior Religionis teneatur suum Religiosum punire.*

RESpondetur: Puniendum esse iuxta modum præscriptum à decreto Concilij Tridentini *sess. 25. cap. 14.* ibi: [Regularis non subditus Episcopo, qui intra claustra monasterij degit, & extra ea ita notoriè delinquit, vt populo scandalo sit, Episcopo instante, à suo superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum seuerè puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat; sin minùs à suo superiore officio priuetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit.] 1

At quia aliqui superiores Religionum admoniti de delictis suorum Religiosorum, eos extra Episcoporum Diœcesim ex industria impunitos transmittebant, vel ipsimet Religiosi delinquentes ad alias Prouincias se transferebant, sicque nec Religiosus delinquens poterat ab Episcopo puniri, nec superior officio priuari, ideò Clemens VIII. in motu proprio (qui incipit *suscepti muneris*, & est inter Bullas huius Pontificis 39. præcipit omnibus, & singulis cuiuscumque Religionis superioribus in virtute sanctæ obedientiæ, & indignationis Apostolicæ, ac priuationis dignitatum, & officiorum per eos obtentorum, eo ipso incurrendis pœnis, quod iuxta decretum prædictum quilibet ipsorum Religiosum suum non subditum Episcopo, intra claustra degentem, & extra ea sic notoriè delinquentem, vt populo scandalo sit, Episcopo instante, intra tempus ab Episcopo præfigendum seuerè puniat, & de punitione Episcopum certiorem faciat, quodque decretum ipsum in omnibus, & per omnia exequatur. 2

Quod si superior Religiosum suum sic delinquentem non puniuerit, quinimmò illum impunitum ad alia suæ Religionis loca extra Episcopi Diœcesim transmiserit, decreuit idem Pontifex, quod superior, instante Episcopo, intra terminum ab Episcopo præfigendum, & sub eisdem indignationis, ac priuationis dignitatum & officiorum, necnon & sub inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ac alterius priuationis actiuæ, & passiuæ vocis (ad quas à nemine præterquam à Romano Pontifice pro tempore existente restitui possit) ipso facto similiter incurrendis pœnis ipsum Religiosum delinquentem à loco ad quem transmissus fuit, reuocare, & in quo deliquit, constituere teneatur. 3

Quod si hoc etiam facere prætermiserit, statuit quod Ordinarius loci, ad quem Religiosus delinquens transmissus fuerit, super præmissis ab ipso ordinario loci, in quo deliquit, similiter requisitus, vel aliàs de illius 4

d. licto

delicto informatus, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus prædictum Concilij decretum omninò exequi, & Religiosum delinquentem acriter punire possit, & debeat. Videatur Quaranta *in summa Bullary, verb. exemptio*, & Aldret. *lib. 1. de Religios. discipl. cap. 3. num. 35. & seqq.*

Verba prædicti motus, seu Constitutionis Clementis VIII. sunt hæc.

CONSTITVTIO CLEMENTIS VIII. super exequutione decreti Concil. Trid. sess. 25. cap. 14. contra Regulares non subditos Episcopo intra claustra degentes, & extra ea ita notoriè delinquentes, vt populo scandalo sint: ac contra eorum Superiores illos punire negligentes, aut impunitos ad alia suorum Ordinum loca transmittentes, vel transmissos ad locum, in quo deliquerunt, non reuocantes. Romæ publicata die 18. Martij 1596.

CLEMENS PAPA VIII.

SVscepti muneris ratio postulat, vt ea, quæ in Sac. Tridentino Concil. prouidè constituta sunt, ab iis, ad quos spectat, inuiolatè obseruari curemus. Maturo sane consilio, ipsius Concilij decreto prouisum est, vt quicumque Regularis non subditus Episcopo intra claustra degens, extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo scandalo sit, Episcopo instante, à suo Superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum seuerè puniatur, & Superior de punitione Episcopum certiorem faciat; sin minùs ipse à suo item superiore officio priuetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit. Verùm quia experientia compertum est, interdum in huiusmodi decreti exequutione nimis remissè procedi; cùm enim Episcopus instat, aliquem regularem eo, quo suprà dictum est, modo delinquentem, à suo superiore puniri, sæpè fit, vt superior Regularem delinquentem ad alia suorum Ordinum loca, extra Episcopi Diœcesin ex industria impunitum transmittat, atque etiam ipse aliquando ad alias Prouincias se conferat, nec vlteriùs super delinquentis excessibus inquirat, nec de eius punitione Episcopum certiorem reddat. Vnde nec Regularis delinquens tunc ab Episcopo puniri potest, cùm extra ipsius Diœcesim existat, nec Superior, qui delinquentem corrigere negligit, officio priuetur: nos pro Pastorali nostra sollicitudine, præfati decreti executioni, quantum cum Domino possumus, fauere, & præmissis malis, vt par est, opportuno aliquo remedio occurrere volentes: de venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium prædicti Concilij interpretum sententia, motu proprio, & ex certa scientia nostra, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura constitutione omnibus, & singulis cuiuscomque Ordinis, & instituti Regularium, etiam mendicantium Superioribus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ, ac priuationis dignitatum, & officiorum per eos obtentorum eo ipso incurrendis pœnis præcipimus, & mandamus, vt iuxta prædictum decretum quilibet ipsorum, Regularem non subditum Episcopo, intra claustra degentem, & extra ea ita notoriè delinquentem, vt populo scandalo sit, Episcopo instante, intra tempus ab Episcopo præfigendum seuerè puniat, ac de punitione Episcopum certiorem faciat, & aliàs decretum ipsum in omnibus, & per omnia exequatur. Cæterùm si Superior in Regularem delinquentem non animaduertit, quinimò si illum impunitum ad alia suorum Ordinum loca, extra Episcopi Diœcesin, vt præfertur, transmiserit: volumus, & simili motu, atque auctoritate decernimus, vt Superior, instante Episcopo, intra terminum ab Episcopo præfigendum, & sub eisdem indignationis nostræ, ac priuationis dignitatum, & officiorum obtentorum, nec-non & sub Inhabilitatis ad illa, & alia imposterum obtinenda, ac vlteriùs priuationis actiuæ, & passiuæ vocis, ad quas à nemine, præterquam à nobis, & Romano Pontifice pro tempore existente restitui possit, ipso facto similiter incurrendis pœnis, ipsum Regularem delinquentem à loco, ad quem transmissus fuit, reuocare, & in quo deliquit, constituere, seu sistere teneatur. Quod si hoc etiam facere prætermiserit, per præsentes similiter statuimus, vt Ordinarius loci, ad quem Regularis delinquens transmissus fuerit, super præmissis ab ipso Ordinario loci, in quo deliquit, similiter requisitus, vel aliàs de illius delicto informatus, vt præfertur, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, prædictum Concilij decretum omninò exequi, & in Regularem delinquentem seuerè animaduertere possit, & debeat. Decernentes sic, & non aliter per quoscumque Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes, eiusdem Roman. Eccles. Cardinales, & causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, & diffiniri debere irritum quoque, & inane, quidquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, &c.

Aduerte tamen hic, quod neque ex decreto Concilij, neque ex motu Clementis VIII. concedatur Episcopo, quod possit per se, vel per alios ad captoram Religiosi, extra claustra notoriè delinquentis procedere; sed solùm quod debeat instare Prælato Religiosi pro punitione illius. Peyrin. *tom. 1. Priuil. Minimor. in Constitut. 2. Sixti IV. §. 15. num. 62. & seqq.* Noonr. *in Lucern. Regular. verb. delinquens, num. 6.* & Cespedes *de exempt. Regular. cap. 15. dub. 238.* quia Concilium (sicut & Constitutio Clementis VIII.) tantùm Episcopo dat facultatem, quod instet apud Superiorem Religionis pro Religioso extra claustra delinquentis punitione, ita vt si eum punire negligat Superior Religionis, punire possit ipsemet Episcopus; non autem dat facultatem, quod eum detineat: ergo si eum detineat, excedit contra exceptum terminos suæ facultatis, ac proinde incurrit censuras à Summis Pontificibus, & à Iure statutas, & decretas: vnde id non esse licitum Episcopo, declarauit etiam Sacra Congregatio apud Gallemart. *ad cap. 14. de reformat. sess. 25.* per hæc verba.

[Quando extra claustra Regularis delinquit notoriè, dubitatum fuit, an detinendus sit in carceribus Episcopi, donec processus in Curia Episcopali formetur, eoque compilato, instante Superiore remittendus sit vnà cum processu puniendus, an potiùs, non expectata compilatione processus, statim remittendus sit ad Superiorem vnà cum his probationibus, quæ habentur? Sacra Congregatio respondit, statim eum esse remittendum, etiam posito quod Superior Religionis nullam instantiam faceret.]

Et rursus eadem S. Congregatio apud Collector. in Bullar. ad eundem locum Concilij, clariùs respondit per hæc alia verba.

[Episcopus non potest Regularem delinquentem incarcerare, vel processare, sed solùm instare apud Superiorem Religionis pro pœna.]

Quamvis oppositum videantur docere Portell. *in addit. ad dubia Regul. verb. punitio Relig. extra Conuentum, num. 17.* Genuens. *in prax. Archiepisc. cap. 59. n. 3.* Piasecius *in prax. Episcop. part. 2. cap. 5. n. 43.* Nauar. *in Lucerna regul. verb. delinquens, num. 5.* & Barbosa *de potest. Episc. part. 3. allegat. 10. num. 19.* Quod tamen intellige in casu, quo Episcopus fugam Religiosi timeret, vel Religiosum in fragranti crimine, verbi gratiâ in domo meretricis, comprehenderet: in quo vtroque casu adhuc illum captum rectà via ad superiorem Religionis deferendum curare tenebitur, ita vt

Episcopus, si differat capere informationem, & Religiosum petentem nollet remittere, ad finem, vt illum carcere vexaret, excommunicationem incurrat, tanquam detinens carceratum Religiosum in casibus à iure non permissis. Glossa *in Clement. frequens, verb. capiunt, de excessib. Prælator.* & Abbas cum aliis *ibidem.* Vide *infrà, aduertendo 3.*

6 Aduerte 2. quod ad hoc, vt Episcopus teneatur instare Prælato Religionis, quod puniat Religiosum, modo suprà dicto delinquentem, delictum illius debeat esse notorium, & populo scandalosum; quia sic expressè habetur etiam in decreto Concilij Tridentini; & quia alioquin potiùs generaretur scandalum cum detrimento bonæ famæ Religiosorum. Non igitur sufficiet, quod tale delictum sit notum solùm alicui, vel aliquibus paucis personis. Vide Doctores, quos sequitur Peyrin. *loco suprà citato, num. 63.*

Et quidem, quod qualitas notorietatis, & scandali in delicto Religiosi delinquentis extra claustra debeat esse notorium, & probari summariè, patet ex eo, quia agitur de iurisdictione, quæ Ordinario à Concilio solùm conceditur ex qualitate delicti; sed quando qualitas fundat iurisdictionem, debet de qualitate priùs constare, sicuti tradunt communiter Doctores, quos
7 citat, & sequitur Menoch. *cons. 1045. n. 3.* ex eo, quia quando iurisdictio conuenit ex qualitate, remanet dubia, nisi constet de qualitate, ac proinde debet iudex cognoscere, an sua sit iurisdictio, *l. 2. §. sed si dubitetur, & l. si quis, ff. de iudic.* Et qui vult vti aliqua iurisdictione, debet scire, se illam habere, *l. hac autem, §. 1. ff. ex quib. caus. in possess. eat.* quod in præsenti non potest contingere, nisi constet de qualitate, ex qua conuenit iurisdictio: Ergo, &c.

8 Patet etiam ex eo, quia iurisdictio, quæ conuenit ex qualitate, conuenit sub conditione qualitatis; cùm si deficit qualitas, deficiat etiam iurisdictio: sed quando iurisdictio conuenit sub conditione, debet purificari conditio priùs, quàm competat iurisdictio. Glossa *in Clement. 1. de officio delegat.* Cardinalis *in Clement. 1. de concess. Prabend. num. 18.* Ancharan. *cons. 36. num. 4.* Decius *cons. 603. num. 9.* & Gozadinus *cons. 2. num. 16.* quos sequitur Rota coram Ludouisio *decis. 3. num. 3.* Ergo, &c.

9 Aduerte 3. quod non possit Ordinarius contra Religiosum modo suprà dicto delinquentem componere processum, iuxta dicta in aduertendo primo. Quod si quos testes ad hoc, vt de scandalo, & de criminis enormitate constet, examinandos curauerit, eorum depositionem superiori Religionis tradere debebit.

Quamvis igitur, vti suprà dicebam, nec Concilium Tridentinum, nec Clemens VIII. statuerint, quod Ordinarius prædictum Religiosum intra claustra degentem, & extra illa delinquentem possit incarcerare, prout etiam declaratum est à sacra Congregatione apud Aldretum *lib. 1. de Religios. discipl. cap. 3. num. 40.* sed solùm debeat instare Prælato Religionis pro punitione talis Religiosi: Nihilominus quia nonnulli id fieri posse dicunt, intellige iuxta ea, quæ suprà dicebam, casu quo Ordinarius timeret fugam Religiosi, aliàs non, quia (cùm Ordinarius dictum Religiosum punire non possit, neque fugam illius timeat) non est, cur possit illum incarcerare; casu tamen quo incarcerauerit, quamvis similiter nec Concilium Tridentinum, nec Clemens VIII. habeat, quod Ordinarius possit sumere informationes super delictum, eiusque notorietatem: Nihilominus, quia ex quadam declaratione Sacræ Congregationis Barbosa *de offic. & potest. Episc. allegat. 105. num. 20.* & Nouarius *in lucerna Regular. verb. delinquens, n. 9.* id fieri posse tenent, intellige iuxta ea quæ suprà etiam dicebam, dummodò statim, & sine mora id fiat, & informatio statim ad superiorem Religionis remittatur, prout etiam innuit Barbosa *suprà num. 9.* Piasecius *in praxi Episcop. part. 2. cap. 3. numero 45.* & afferens de hoc declarationem S. Congregationis, Nouarius *num. 6.* qui ex Genuensi *in praxi, cap. 19.* iuxta ea, quæ suprà etiam dicebam, rectè subdit, quod si Ordinarius differret capere informationem, & Religiosum carcere vexaret, absque dubio contraheret excommunicationem impositam, scilicet in Ordinarios procedentes contra Religiosos exemptos, & impositam in *can. Si quis suadente diabolo.*

10 Aduerte 4. quod motus Clementis VIII. solùm procedat, quando superior Religionis Religiosum extra claustra notoriè, & scandalosè delinquentem transmittit ad locum extra Diœcesim eo fine, vt sic impunitus remaneat; secus quando transmittit in pœnam delicti commissi, vel eo fine, vt sic ibi decentiùs puniatur. Rodriquez *tom. 2. quæst. regular. quæst. 2. art. 6.* & Peyrin. *vbi suprà, num. 69.*

11 Aduerte 5. quod quamvis etiam ad hoc, vt superior Religionis debeat punire prædictum Religiosum, possit, quantum est ex vi decreti Concilij Tridentini, & motus Clementis VIII. expectare, vt sæpiùs de ea re moneatur ab Ordinario; quia Concilium, & Pontifex vtuntur verbo *instare*, quod denotat vrgere cum quadam importunitate. Baldus *in l. eos, §. Apostolos, Cod. de appellat. num. 3.* Rodriquez, & alij quos citat, & sequitur Aldrete *lib. 1. de Religios. discipl. cap. 3. n. 37.* Et meritò, quia contingere potest, quod Ordinarius sit deceptus, vel de Religiosi delicto non benè informatus: Nihilominus dictus superior Religionis debeat statim ad primam monitionem Ordinarij procedere ad puniendum talem Religiosum, non solùm ne propter suam moram videatur illius delicto connuere, seu acquiescere, prout habet idem Aldrete *vbi suprà, num. 38.* sed etiam, quia sic declarauit Sacra Congregatio, teste Barbosa *suprà, numero 20.* & Nouario *numero 9.*

12 Aduerte 6. quod cùm in dicto decreto Concilij Tridentini, & motu Clementis VIII. statuatur, à Prælato Religionis Ordinarium certiorem fieri de punitione prædicti Religiosi. Propterea non sufficiat à Prælato Religionis ad Ordinarium mitti sententiam, seu copiam illius, vel acta super delictum; sed requiratur, à Prælato Religionis Ordinarium certiorem fieri de ipsa punitione, seu executione sententiæ, prout etiam declarauit Sacra Congregatio, teste eodem Barbosa, & Nouario *suprà.*

Quod tamen intellige, nisi executio sententiæ requireret successionem temporis, vt si v.g. Religiosus propter illud delictum condemnatus esset ad ieiunium, vel disciplinam per annum singulis Feriis sextis; quia tunc sufficeret, Ordinarium certiorem fieri de sententia pœnitentiæ impositæ, quodque quidem ea in executione poni, & adimpleri iam cœperit.

13 Aduerte 7. quod cùm Concilium Tridentinum, & Clemens VIII. statuant, Prælatum Religionis teneri punire prædictum Religiosum intra tempus ab Ordinario designandum, si intra illud tempus ob defectum iurisdictionis, vel ob aliam causam non potuerit eum punire, postulare debeat ab Ordinario termini prorogationem, quam debet Ordinarius concedere; quia terminus competens concedi debet, *cap. 1. de dilationibus, cap. secundò requiris, §. 1. de appell. & cap. legitima. eodem tit.* Et quia alioquin inuenta esset via, qua posset semper breuissimo tempore assignato, Ordinarius contra Religiosorum exemptionem Religiosum punire. Vide Doctores, quos citat, & sequitur Aldrete *loco suprà citato, num. 38.*

PETITIO

PETITIO VIII.

An Religiosus exemptione quadam speciali, quam habet, possit se tueri contra Episcopum procedentem in vigore prædictæ Constitutionis Clementis VIII.

SVMMARIVM.

1 *Religiosi speciali exemptione, quam habent, possunt se tueri contra Episcopum procedentem vigore Constitutionis Clementis VIII. quia delegatio est facta in ordine ad Exemptos exemptione communi, & non speciali.*

2 *Exemptio specialis superueniens exemptioni communi aliquid super ipsam debet operari.*

1 Respondetur, quamvis quidam negent, quia Episcopus cõtra talem Religiosum procedit tanquam delegatus Sedis Apostolicæ; & pro se adducunt Rotam *in decis. Seraphin. in vna Salamantina Iurisdictionis* 14. Non omninò improbabiliter tamen affirmant alij; quia delegatio est facta in ordine ad exemptos exemptione communi: Ergo cùm iurisdictio delegata strictè sit interpretanda, *cap. 1. de rescrips. in 6.* extendi non poterit ad exemptum exemptione speciali.

2 Confirmatur, quia exemptio specialis superueniens exemptioni communi, debet aliquid super ipsam operari: Ergo debet tollere subiectionem, quam habet exemptus exemptione communi, atque adeò eam, quam habet respectu Ordinarij, tanquam Sedis Apostolicæ delegati.

PETITIO IX.

In quo prædicta constitutio Clementis VIII. contineat nouum ius?

SVMMARIVM.

1 *Constitutio Clementis VIII. nouum ius continet, quo onerat superiores ad reuocandum delinquentem in locum delicti sub grauioribus pœnis quàm infliguntur à Concilio Tridentino.*

2 *Episcopus loci tenetur coërcere delinquentem ad seipsum transmissum, instante Ordinario loci delicti.*

3 *Superior Religionis amittit suum ius, si intra præfixum tempus non reuocauerit delinquentem in locum delicti.*

1 Respondetur: Continet nouum ius in eo, in quo onerat superiores ad reuocandum delinquentem in locum delicti sub pœnis grauioribus, quàm infli-
2 guntur à Concilio Tridentino: tum in eo, quod easdem pœnas infligit eisdem negligentibus coërcere Regulares: tum etiam in eo, quod obligat Episcopum loci, ad quem delinquens transmissus fuerit, quod illum puniat,
3 instante Ordinario loci delicti, si Religionis superior, qui transmisit, intra præfixum tempus non reuocet delinquentem in locum delicti.

PETITIO X.

An Religiosus degens extra claustra de licentia superioris, puniri, si delinquat extra claustra, possit ab Ordinario loci?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus extra claustra monasterij degens de licentia sui superioris potest puniri ab Ordinario loci, si extra claustra deliquerit.*

2 *Religiosus degens in domo ad monasterij erectionem destinata, vbi non vrget regularis obseruantia, potest puniri ab Ordinario loci; quia ita fuit sancitum à sacra Congregatione Concilij Tridentini.*

3 *Religiosus degens extra monasterium cum licentia sui superioris, non subijcitur Ordinario, modò non deliquerit, quia in odiosis non est facienda extensio.*

4 *Religiosus manens extra monasterium cum licentia sui superioris, dicitur esse in Monasterio.*

5 *Religiosi degentes extra monasterium sine licentia superioris, possunt puniri ab Ordinario loci, tanquam desertores sui Ordinis.*

6 *Religiosi degentes extra monasterium apud Vniuersitates, studiorum causa, subijciuntur Ordinario loci.*

7 *Religiosi degentes in grangiis, vel in aliis locis annexis monasterio, si deliquerint, non subijciuntur Ordinario; quia cùm ista loca sint membra monasterij, manent sub directione superioris, à quo possunt puniri.*

8 *Religiosus degens in loco ad erectionem monasterij destinato, vbi adest superior, quocumque nomine ille vocetur, si deliquerit, non subijcitur Ordinario; quia ibi adest aliqua forma monasterij; neque subditus est destitutus correctione.*

9 *Religiosus degens in loco ad erectionem monasterij destinato, vbi non viget regularis obseruantia, neque viuitur conuentualiter, subijcitur Ordinario.*

10 *Facultas Ordinarij loci quoad superiores Religionum est cumulatiuè, & non priuatiuè concessa.*

11 *Milites Hierosolymitani degentes extra monasterium, non comprehenduntur in decreto Concilij Tridentini, nisi in casu delicti notorij præbentis scandalum populo: quia cum ferè omnes extra monasterium, vel conuentum degant, ipsorum exemptio corrueret.*

Affirmant quidam, vt Rubinus *decis. 15.* & Pichardus *consil. 91.* quatenus expresse aiunt, quod Re- 1
ligiosus manens extra claustra de licentia Superioris, 2
etiam in domo ad monasterij erectionem destinata, nisi in dicta domo sit regularis obseruantia, vt saltem viuat sub superiore conuentualiter, potest puniri ab Ordinario loci, quia sic declarauit Sacra Congregatio Concilij Tridentini.

Neque obstat, subdunt, quod qui abest à claustro de licentia Superioris, censetur residere in claustro, argumento textus *in l. quæsitum, §. 1. ff. de legat. 3. & in l. Sola, ff. de fund. instruct.* quia id, respondent, procedit extra casum delicti; cùm tunc sit acquisitum ius Ordinario loci, & consequenter tolli non possit illud per licentiam Superioris. His tamen non obstantibus.

Respondetur: Id minùs rectè dictum esse videtur, quia si attendatur prædicta Constitutio Clementis VIII. & decretum Concilij Tridentini *session. 25. cap. 14. de Regularibus & Monialibus*, cùm disponant de Religioso intra claustra degente, & extra claustra notoriè, & cum scandalo delinquente, non video quomodo hæc dispositio extendi possit ad eum, qui degit extra claustra de licentia superioris; quia in odiosis non est facienda extensio: tum quia Tridentinum Concilium de degentibus extra claustra iam disposuerat *sess. 6. cap. 3. de reformat.* vbi ad Regulares extra claustra degentes puniendos constituit Episcopos, tanquam Sedis Apostolicæ delegatos, ibi: [Nemo Regularis extra Monasterium degens, etiam sui Ordinis priuilegij prætextu, tutus censeatur, quominus si deliquerit, ab Ordinario loci, tanquam super hoc à Sede Apostolica delegato, secun-

dum canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat.

An autem decretum hoc habeat locum, quando Religiosus degit extra claustra de licentia superioris?

4 Respondetur, quamvis satis probabiliter negent quidam, quos sequitur Peyrinus *Constit.* 5. *Sixti IV.* §. 11. *numer.* 25. quia manens extra Monasterium de licentia Superioris dicitur esse in monasterio, *cap. ex rescripto, de iureiurand.* Tum quia æquum non est, vt is, qui quando opus est, à suo superiore visitatur, & punitur, extraordinario iudici subsit: Probabiliùs tamen affirmant Genuens. *in praxi, cap.* 59. *num.* 2. Campanil. *in diuers. iuris, cap.* 12. *rubric.* 13. *num.* 22. Ciarlin. *lib.* 1. *controuers. forens. cap.* 50. *num.* 6. Piasecius *part.* 1. *praxis, cap.* 3. *num.* 42. & Barbosa *de potest. Episcop. allegat.* 105. *num.* 16.

5 Probatur, quia Concilium Tridentinum, quando loquitur de Religiosis repertis extra Monasteria sine licentia suorum Superiorum, iniungit Ordinario, quod eos puniat, tanquam desertores sui Ordinis, vt *sess.* 25.

6 *cap.* 34. *de Regularibus*, vbi etiam subdit Episcopo eos, qui extra Monasterium, seu Conuentum manent studiorum causa apud Vniuersitates: Ergo si intelligeret de iis, qui extra claustra degunt absque licentia, bis de iisdem disposuisset; & in decreto, de quo agitur, dixisset, vt puniantur absolutè, tanquam apostatæ, vel fugitiui; non autem dixisset, quod puniantur, si delinquant. Dum enim dicit, vt puniantur, si delinquant, tacitè concedit, quod muuere possint extra claustra, quod non fecisset, si intelligeret de iis, qui degunt sine licentia.

Non obstant opposita, quia manens extra Monasterium de licentia Superioris, dicitur esse in Monasterio fictione iuris, & quoad participationem iurium, priuilegiorum, &c. Concilium autem considerat eos, qui materialiter, & quoad habitationem degunt extra Monasterium. Nec dici potest, quod subsit is visitationi sui Superioris; quia hæc non exercetur, nisi quoad eos, qui sunt intra claustra, vel in locis annexis, iuxta ea, quæ mox dicentur.

7 Aduerte hîc igitur, quod decretum hoc Concilij non habeat locum quoad eos, qui degunt in Grangiis, vel in aliis locis annexis Monasterio. Riccius *decis.* 231. *numero* 4. *part.* 4. & Barbos. *de potest. Episcop. allegat.* 105. *numero* 17. quia hæc loca, cùm sint membra Monasterij, manent sub directione Superioris monasterij, atque adeò etiam ij, qui ibi degunt, ideoque si delinquant, ab ipso poterunt puniri, sicque necessarium non est, quod ne delicta remaneant impunita, subdantur Ordinario, sicuti subduntur ij, qui degunt extra claustra Monasterij.

8 Quod si quis manens in loco ad erectionem Monasterij destinato, delinquat, puniri potest ab Ordinario; quia sic declarauit Sacra Congregatio: intellige tamen, si ibi maneat absque Superiore. Piasecius *parte* 2. *praxis Episcop. cap.* 3. Campanil. *in diuers. iur. rubric.* 12. *cap.* 13. *numero* 22. Genuens. *in praxi, cap.* 59. *num.* 2. Riccius *decision.* 255. *numero* 5. *parte* 1. & Sperellus *decis.* 38. *numero* 21. *parte* 1. Quia si ibi adsit superior, quocumque nomine ille vocetur, puniri non poterit; cùm ibi tunc adsit aliqua forma Monasterij, seu regiminis Regularis, neque subditus sit destitutus correctione. Sic sacra Congregatio apud Gullemart. *ad cap.* 3. *de reformat. sess.* 6. per hæc verba.

9 Fuit dubitatum, vtrum existentes in aliqua domo ad erectionem Monasterij destinata, comprehendantur in hoc decreto? Et fuit resolutum die 24. Maij, anno 1588. quod licèt ibi existerent de licentia suorum Superiorum; tamen si non haberent in dicta domo Priorem, seu Guardianum, & non viuerent iuxta institutum Regulæ illius Religionis, comprehendantur in dicto decreto, vt ab Ordinario puniri possint; non possint autem, si in ea domo sub superiore Conuentualiter viuant.

Ex qua declaratione sequitur, quod si quis, vbi est Monasterium, degeret in aliqua domo ad aliud nouum Monasterium erigendum destinata, præsens decretum locum non habeat; quia is, qui ibi degeret, maneret sub cura, & regimine Superioris monasterij iam erecti, & illa domus censeretur pro tunc, tanquam membrum Prioris monasterij, sicque se haberet ille non secus, ac si degeret in aliqua Grangia, seu in aliquo loco, qui sit annexus Monasterio.

Aduerte 2. quod hæc facultas non sit concessa Ordinario priuatiuè quoad superiores Religionum, sed cumulatiuè ad illos: Quapropter poterunt illi etiam punire tales Religiosos, & præuenire Ordinarium. 10
Vide Doctores, quos sequitur Vuamesius *consil.* 465. *tom.* 2. quia Concilium Religiosos degentes extra claustra non eximit à iurisdictione suorum Superiorum, atque adeò neque à correctione illorum; cùm iurisdictio semper censeatur concessa cumulatiuè respectu iudicis ordinarij, Bartolus *in l.* 1. *Cod. de offic. Praefect. Vrb. num.* 1. Baldus *in l. vnica*, §. *vbi autem*, *Cod. de caduc. tollend. num.* 6. Decius *consil.* 3. *num.* 3. Anebaran. *consil.* 164. *num.* 5. Surd. *consil.* 56. *num.* 19. Ruin. *consil.* 7. *num.* 5. *lib.* 4. & alij, quos sequitur Ludouis. *decis.* 4. *num.* 9.

Aduerte 3. quod dictum Tridentini decretum non comprehendat milites Hierosolymitanos; idque propter rationem, quæ mox infrà dicetur.

Excipe casum delicti notorij, ita vt illi populo scandalum præbeant, & si sui superiores ab Episcopo moniti illos non correxerint; quia tunc subintrat alia Concilij dispositio, cuius vigore illi puniri poterunt, sicuti sæpè declarauit Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium; siquidem Pius V. in Constitutione, quæ incipit *Expossit Pastoralis officij*, subiecit visitationi Ordinariorum, vt Apostolicæ *Sedis* delegatorum, Ecclesias ipsorum militum, quibus cura animarum incumbit, personasque omnes eam exercentes, in iis tantùm, quæ ad dictam curam pertinent; in cæteris autem exemptos reliquit: Et Gregorius XIII. in *Constitutione* 67. quæ incipit *Circumspecta in omnibus*, reduxit priuilegia dictorum militum quoad Capellanos, Vicarios, Procuratores, Colonos, familiares seruientes, cæterasque personas, iisdem militibus quomodocumque addictas ad terminos Concilij Tridentini, & solùm excepit eos, qui Ecclesiis, aliisque locis dictorum militum actu deseruiunt, & intra eorum septa & domos resident, ac sub eorum obedientia viuunt; quæ omnia debere simul concurrere, intelliguntur: Et eos, qui legitimè, & secundùm Regulam prædictæ Religionis professionem fecerint, de qua loci Ordinario constare debeat. 11

Ex quibus omnibus sequitur, quod non possint Ordinarij circa milites Hierosolymitanos extra Monasterium, seu Conuentum degentes se ingerere: Et ratio est, quia cùm milites Hierosolymitani ferè omnes extra Monasterium, seu Conuentum degant, ipsorum exemptio corrueret.

PETITIO

PETITIO XI.

An Religiosus inferens iniuriam Episcopo iurisdictionem exercenti, possit ab illo puniri? Vbi etiam quomodo Episcopus dicatur Ordinarius, Diœcesanus, & an ipsorum iurisdictio sit de iure communi?

SVMMARIVM.

1 *Religiosi inferentes iniuriam Episcopo exercenti iurisdictionem, possunt ab illo puniri: Nam delegatus potest punire delinquentes in suam personam, si ex hoc turbetur eius iurisdictio; & concessa iurisdictione, censentur concessa omnia, sine quibus exerceri non potest.*
2 *Sub nomine Episcopi includuntur, quæ sunt tantùm Ordinis, & sic non comprehenduntur Episcopi electi ante consecrationem.*
3 *Sub nomine Ordinarij includuntur, quæ sunt Ordinis, & quæ sunt iurisdictionis.*
4 *Sub nomine Diœcesani comprehenduntur, quæ sunt potestatis, seu dignitatis.*
5 *Ordinariorum iurisdictio est de iure communi.*
6 *Iurisdictio ipsorum est super omnes de Diœcesi, exceptis exemptis.*

1 Respondetur quoad primum, quod videatur affirmandum; quia *in l. nullum, C. de testib.* exemptus punitur propter aures offensas: tum quia à delegato puniri potest extraneus delinquens in eius personam, si per hoc contingat, turbari eius iurisdictionem. Innoc. *in c. dilectus, de pœnis*, & Abbas *in c. 1. de offic. delegat.* tum quia, concessa iurisdictione, censentur concessa omnia, sine quibus ea exerceri non potest, *l. 2. ff. de iurisd. omn. iudic. & c. præterea, de offic. delegat.*
2 Cæterùm quoad secundum, in ly *Episcopus*, includuntur quæ sunt tantùm Ordinis, & sic non compre-
3 henditur Episcopus electus ante consecrationem: In ly *Ordinarius*, includuntur quæ sunt Ordinis, & quæ
4 sunt iurisdictionis. In ly *Diœcesanus*, includuntur quæ sunt potestatis, seu dignitatis, vt per iura, quæ præter
5 alios allegat Butrius *cons. 19. n. 2.* Et iurisdictio ipsorum est de iure communi, *cap. omnes Basilica, 16. q. 7.*
6 *& c. cùm persona, de privileg. in 6.* Estque super omnes de Diœcesi, exceptis exemptis, *cap. sanè, de excessib. Prælator.* & ibi Glossa.

PETITIO XII.

An Religiosus amittat priuilegia, si viuat irregulariter? Vbi etiam, an eadem amittat ob non vsum, vel ob cessionem, seu renunciationem eorum, volens verbi gratia se submittere Ordinario?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus amittit Priuilegium, si viuat irregulariter, & seruare omittat regulam non in aliquibus, sed in omnibus.*
2 *Religiosus amittit Priuilegia suæ religionis non per simplicem non vsum, sed per prohibitionem vsus, & acquiescentiam religionis.*
3 *Religiosus, vtpote exemptus, & immediatè Sedi Apostolicæ subiectus, non potest renunciare priuilegium exemptionis.*
4 *Priuilegia concessa ratione status neque possunt renunciari; secus alia priuilegia.*

Respondetur, & dico primò: Religiosus amittit 1
priuilegia, si viuat irregulariter, ita tamen vt Regulam seruare omittat, non quidem tantùm in aliquibus, sed in omnibus, sicque solùm habitu, vel nomine sit Religiosus. Rodrig. *tom. 1. quæst. regular. q. 9. art. 10.* Cherubin. *in compend. Bullar. in Constitutione Pij V. Etsi Mendicantium, in fine.* Mirand. *tom. 2. Manual. Prælator. quæst. 43. art. 3.* & Donatus *part. 1. prax. rer. regular. tract. 12. q. 15.*

Probatur, tum ex Bulla Eugenij, qua concessit scholaribus Vniuersitatis Salmanticensis fructus beneficij in absentia studiorum causa; si tamen reuera studiis operam nauarint: tum ex ratione, quia cùm priuilegia concessa sint Religioni in communi, & ratione ipsius Religionis in communi se extendant ad personas singulares, quatenus in eadem regulari societate viuendi communicant, consequens est, quod si Religiosus relinquat Regulam in omnibus, & solùm retineat habitum, vel nomen Religiosi, sicque deficiat fundamentum extensionis Religionis ad ipsum, deficiat etiam extensio priuilegiorum ad eundem, iuxta Regulam *in cap. cùm cessante, de appellat.* nempe quod cessante causa, cesset effectus.

Dico secundò: Si priuilegia sint facultatiua (quidquid sit de alia) ea Religiosus non amittit per simplicem non vsum, sed per prohibitionem vsus, & 2
acquiescentiam Religionis. Felin. *in cap. Pastoralis, num. 5. de offic. Ordinar.* Franch. *in cap. significante, num. 3. de appellat.* Castrensis *in l. qui luminibus, n. 2. ff. de seruitute vrb. præd.* Afflict. *decis. 378. num. 2.* Surd. *cons. 127. num. 21.* Seraphin. *decis. 1086. n. 1.* Rota *decis. 550. num. 2. part. 2. recent. & decis. 106. numero 9. coram Merlino:* In quo sensu intelligitur clausula illa, quæ apponitur à Summis Pontificibus in confirmatione Priuilegiorum regularium sub istis verbis: Quatenus in vsu sint, & sacris Canonibus, & decretis Sacri Concilij Tridentini non aduersentur.

Dico tertiò: Religiosus, vtpote exemptus, & immediatè Sedi Apostolicæ subiectus, non potest cedere, seu renunciare priuilegium exemptionis, quia est 3
priuilegium, quod habet implicatum ius tertij, scilicet Summi Pontificis, ideoque non potest se subijcere Ordinario, quia interest Sedis Apostolicæ, ne quis in sibi immediatè subiectum manus apponat. Abbas *in cap. 1. numero 11. de re iudic.* Ioan. Andr. *in cap. sciens, in fine, de regul. iur. in 6.* Franch. *ibidem, numero 4.* Felin. *in cap. cùm olim, num. 3. de præscript.* Castrensis *cons. 432. num. 3. lib. 1.* Rota *in Vyssipenen. Monasterij, die 19. Nouembris, anno 1625. coram Coccino, & in Gandauensi Monasterij, die 24. Aprilis, 1641. coram Panzirolo, & in decis. Seraph. 595. num. 7.*

Confirmatur, quia dictum priuilegium exemptionis, sicut priuilegium canonis, &c. concessum est ratione status, non autem ratione personæ; qui autem 4
priuilegium aliquod habet sibi concessum ratione personæ, potest illud renunciare, & tunc sibi tantùm, non autem aliis consimilibus præiudicare. Eadem Rota *in dict. decis.* Seraphin. *595. num. 7.* & Ferret. *consil. 102. lib. 1. n. 18.* & Cor. *cons. 214. lib. 2. n. 8.*

PETITIO XIII.

An Religiosus, si discedat à suo Conuentu sine licentia, possit ab Ordinario puniri?

SVMMARIVM.

1 *Episcopus iuxta Decretum Vrbani VIII. potest iudi-*

bere, vt Religiosi discedentes à Monasterio sine licentia Superioris, capiantur tanquam desertores Religionis, sed debet eos tradere Superioribus ipsorum, vt puniantur.

2 *Per Decretum Vrbani VIII. fuit derogatum Concilio quoad facultatem puniendi, Episcopis concessam.*

1 Respondetur, quamvis videatur affirmandum; quia ex Concilio Tridentino *loco suprà citando*, licet Religioso, etiam prætextu adeundi suos Superiores, nisi ab iis missus, vel vocatus fuerit, à suo Conuentu discedere: qui verò sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinariis locorum, tanquam desertor sui instituti, puniatur. Sic expressè prædictum Concilium *sess. 25. cap. 4. de regularib.* Nihilominus ob Decretum Vrbani VIII. *de apostat. & elect.* in quo decernitur quod apostatæ, vel fugitiui, siue habitum regularem dimiserint, siue non, debeant ab Episcopo loci, vbi moram faciunt, in carceres conijci, & Superioribus Regularibus iuxta eorum regularia instituta puniendi consignari: dicendum est, quod prædictus Religiosus possit ab Ordinario solùm capi, debeat autem suis Superioribus modo supradicto puniendus consignari,
2 itavt per hoc Decretum Vrbani VIII. derogatum sit Concilio supradicto quoad facultatem puniendi Episcopis concessam. Miranda *tom. 1. Manual. quæst. 51. art. 3.* Lezana *tom. 1. quæst. regular. cap. 16. num. 17.* & Sesped. *de exempt. regular. cap. 16. numero 3.*

PETITIO XIV.

An Religiosus, si quærat eleemosinas, Conuentui scilicet superfluas, possit ab Ordinario impediri?

SVMMARIVM.

1 *Religiosi mendicantes sine necessitate, grauiter delinquunt: Auferunt enim panem verè indigentibus, & sic merentur priuari priuilegio mendicandi.*

2 *Episcopi tamen non possunt impedire Religiosos mendicantes sine necessitate, & circa hoc se ingerere; neque etiam titulo defensionis naturalis, cùm sint reuera defensores, Patres, & Protectores Pauperum.*

3 *Episcopi, qui impediunt Religiosos mendicantes sine necessitate, incurrunt pœnas interdicti ab ingressu Ecclesiæ, & suspensionis ab administratione, & regimine suarum Ecclesiarum.*

4 *Prædicti Religiosi non possunt molestari à laicis; atque adeò neque ab Episcopis, vtpote neque iurisdictioni Episcoporum subiecti.*

5 *Dixi, si quærat eleemosinas, Conuentui scilicet superfluas, seu supra Conuentus indigentiam; quia aliàs in omnium sententia ab Ordinario ob indultum, & Priuilegium Pontificium,* vt in compend. Priuileg. mendicant. verb. Eleemosinæ, *sine dubio impediri non potest. Hoc supposito,*

1 Affirmant nonnulli; quia Religiosi in dicto casu mendicantes sine necessitate, cùm panem verè indigentibus auferant, grauiter delinquunt, *c. Pastor, 2. quæst. 1.* Ripa *de peste, & remed. preseruat. n. 169.* Quapropter id facere prohibentur *l. vnica, Cod. de mendicantib. valid. lib. 11.* vbi præter alios Lucas de Peña; & expelli de ciuitate debent, Ripa *loc. suprà cit.* & Imola *in cap. Odoardus, de solutionib.* Quod ex officio spectat ad Episcopos, tanquam ad Patres, & Protectores Pauperum, quos defendere tenentur, *distinct. 87. per totam, & cap. super quibusdam, de verb. significat. & cap. 1. dist. 82.* vbi dicitur, quod Episcopi, in quantum ipsis possibile est, teneantur prouidere necessitatibus pauperum; fauetque etiam textus *in cap. 8. sess. 22. de reformat. Concilij Tridentini*: Ergo possunt Episcopi, tanquam Patres, & Protectores, seu defensores pauperum, quibus victus aufertur, ad obuiandum tali delicto tales mendicantes ab eleemosinis superfluis quærendis impedire, præsertim cùm prædictorum Religiosorum Priuilegium de mendicando non sit intelligendum cum fraude, & præiudicio aliorum, *l. 2. §. meritò, & §. si quis à Principe, ff. ne quid in loc. public.* His tamen non obstantibus.

Respondetur: Contrarium esse tenendum, quia 2 licèt prædicti Religiosi, quærentes scilicet eleemosinas superfluas, seu supra ipsorum indigentiam, cùm præiudicent pauperibus verè indigentibus, malè faciant, vt proinde tanquam abutentes priuilegio, mereantur illo priuari, iuxta *cap. vbi ista, dist. 74. cap. Priuilegium, 11. q. 3. cap. licet, de regularib. & cap. Tuarum, de priuileg.* Non tamen spectat ad Ordinarium 3 prædictos Religiosos exemptos prædicto priuilegio, si eo abutantur, priuare, neque illud aliquo modo restringere, vel ne in executione ponatur, aliquo modo impedire, adeò quod si id faciant, incurrant pœnas interdicti ab ingressu Ecclesiæ, & suspensionis 4 ab administratione, & regimine suarum Ecclesiarum; quas pœnas posuit Sixtus IV. ad fauorem Patrum Prædicatorum, Minorum, & Carmelitarum, & Innocentius VIII, ad fauorem Seruitarum, vt in priuilegiis eorum.

Confirmatur, quia prædicti Religiosi circa præ- 5 dictum eleemosinas quærendi priuilegium, non possunt molestari à laicis, eo quòd non subdantur iurisdictioni ipsorum laicorum: ergo neque poterunt molestari ab Ordinario, eo quòd vtpote exempti, neque subdantur iurisdictioni ipsius Ordinarij.

PETITIO XV.

An, & quomodo Religiosus, si committat fraudem circa exemptiones sibi concessas, puniatur in virtute Clementinæ primæ de decimis?

SVMMARIVM.

1 *Pœna Religiosorum fraudantium decimas de non exemptis.*

2 *Dispositio Clement. 1. de decimis, habet locum probata solùm contrauentione.*

3 *Quando dicta dispositio dictæ Clement. 1. habet locum, constat etiam de dolo.*

Respondetur: in hac Clementina 1. de decimis, 1 nequaquam imponitur pœna Religioso committenti fraudem circa exemptiones sibi concessas, sed solùm iis, qui à soluendis decimis exempti committunt fraudem circa res non exemptas, vt si v. g. immisceant animalia aliena cum propriis: Quapropter, cùm sit lex ista pœnalis, extendi non debet vltra materiam, pro qua imponitur; ideoque Glossa *ibid. verbo immiscentium*, ait quod Religiosi immiscentes animalia decimis subiecta cum suis non subiectis, non amittant priuilegium quoad propria animalia.

Cæterùm, vt locum habeat pœna prædictæ Cle- 2 ment. 1. de decimis, sufficit probatus actus absque eo, quod probetur dolus; quia Religiosus habet contra se

sic ius commune, *c. ad decimas, de restit. spol.* nisi forsan aliqua rationabilis præsumptio sit pro Religioso, sicut aduertit Zabarella *in repetit. dicta Clementina, n.3.* & Bellamera *ibid. n.206.*

3 Stando igitur intra terminos dispositionis prædictæ Clementinæ 1. non est probandus dolus; quia nunquam bona fides potest habere locum, quando pœna ibi imposita habet locum, nisi ab habentibus interesse requisitio interponatur, vt clarè ibi disponitur per ista verba: [Nisi post requisitionem per eos, quorum interierit, super hoc eis factam, à præmissis destiterint infra mensem; aut si de iis, quæ contra præmissa vsurpare, vel retinere præsumpserint, infra duos menses damnificatis Ecclesiis emendam non fecerint competentem, fiunt & tamdiu maneant ab officiis, administrationibus, & beneficiis suis suspensi, &c.] Vnde quando eò deuenitur, vt pœna locum habeat, iam constat de dolo; quia si Religiosus haberet aliquam exceptionem, opponere posset infra tempus concessum ad satisfaciendum.

PETITIO XVI.

An Religiosus, si notoriè, & scandalosè delinquat intra Ecclesiam sui Monasterij, possit ab Ordinario puniri?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus notoriè, & scandalosè delinquens intra Ecclesiam sui Monasterij, non est puniendus ab Ordinario.*

2 *Prædictus Religiosus notoriè, & scandalosè delinquens intra Ecclesiam Monasterij, etiam suæ Religionis, vbi ipse non degit, potest puniri ab Ordinario.*

1 Respondetur, quamvis affirment Barbosa *in collectan. ad cap. vltimum, n.8. de stat. Monach.* Spetell. *decis.138.n.15. part.1.* & Nauarrus *in Lucern. regular. verb. delinquens, n.9.* afferendo declarationem S. Congregationis, quod scilicet etiam in hoc casu locum habeat dispositio Concilij Tridentini; negat tamen Nouarius *in sum. Bullar. tit. de Regularib. delinquent. ad Bullam Clementis VIII. n.9.* afferendo aliam declarationem in contrarium.

Quapropter, cùm ex his declarationibus contrariis mens Sacræ Congregationis nobis non constet, consequens est, quod quandiu Sacra Congregatio quid senserit, clariùs non declarauerit, standum sit posteriori declarationi: tum ex eo, quod est posterior: tum etiam ex eo, quod posterior ista declaratio magis congruit Decreto Concilij Tridentini; quia qui est intra Ecclesiam, verè est intra claustra: tum quia totum Monasterium simul cum Ecclesia est de iurisdictione Prælati Religionis, estque veluti territorium ipsius Prælati Religionis; vnde non videtur delictum spectare ad Episcopum, sicut nisi obstaret exemptio, spectaret, si committeretur extra claustra; quia commissum esset in territorio Episcopi.

2 Vel dicendum, quod prior declaratio locum habeat, si Religiosus notoriè, & scandalosè delinquat intra Ecclesiam, etiam suæ Religionis Monasterij, in quo tamen non degit; posterior autem declaratio locum habeat, si Religiosus notoriè, & scandalosè delinquat intra Ecclesiam suæ Religionis Monasterij, in quo degit; sicque rectè concordantur prædictæ declarationes, quæ prima facie inter se contrariæ videbantur.

PETITIO XVII.

An Religiosus, si ob notorium crimen, v.g. percussionis Clerici, duelli vel violationis clausuræ Monialium, &c. incurrat excommunicationem, possit ab Ordinario excommunicatus declarari?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus incurrens excommunicationem ob aliquod notorium crimen, non potest declarari excommunicatus ab Ordinario.*

2 *Episcopus non habet iurisdictionem in Religiosos exemptos.*

Respondetur negatiuè, atque ita ex Butrio *in cap. non potest, de sent. & re iudic.* Abbate *ibid. num.6.* & Felino *n.3.* docent Graffius *part.1. decis.2. cap.49. num.70.* Nauarrus *cons.2. n.2. de sent. excommunicat.* Rodrig. *tom.1. quæst. regular. q.63. art.7.* Sorbus *in compend. priuileg. verb. exemptio, §.14. in annotation.* Zerola *in prax. Episcop. part.1. verb. excommunicatio,* Brun. *de Priuileg. regular. tract.2. cap.4. proposit.6.* Peyrin. *de priuileg. ad constitut.2. Sixti IV.§.10.* Vulpes *in prax. c.42.n.25.* & Antonellus *de regimin. Eccles. lib.7. cap. vlt. num.2.* Quia ad declarandum aliquem excommunicatum, requiritur iurisdictio supra illum: debet enim citari ad dicendum, quare non debeat declarari excommunicatus, debetque, illo audito, ferri iudicium, an incurrerit excommunicationem: Quæ omnia fiunt actu iurisdictionis, quam Ordinarius non habet in Religiosos exemptos: ergo. 1

Non obstat textus *in cap. nulli, de sent. excommunic.* 2 Quia ibi non datur Ordinariis facultas declarandi excommunicatos exemptos; quod hodie extenditur solùm ad denunciatos: vnde facultas declarandi relinquitur iuri communi, cui derogare non potest nisi Summus Pontifex, vel Sacra Congregatio de speciali consensu Summi Pontificis.

PETITIO XVIII.

An licitè possit Religiosus propter crimina grauia condemnari, & mitti ad triremes?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus propter crimina grauia licitè potest condemnari, & mitti ad triremes; quia sic habet consuetudo.*

2 *Religiosus secundùm Peñam transmittendus ad Triremes est degradandus. Quod tamen gratis dixit.*

3 *Ministri triremium verberantes talem Religiosum ad eas missum, dummodo modus non excedatur, neque tempus condemnationis completum fuerit, non incurrunt excommunicationem Canonis, Si quis suadente.*

4 *Religiosus rediens completo tempore condemnationis à triremibus ad Religionem, readmitti non potest ad celebrandum sine dispensatione; quia vt infamis infamia iuris, est irregularis, si fuerit damnatus, tali pœna ob causam famosam; dispensabilis tamen à Prælato religionis.*

5 *Triremium pœna, licet sit noua, cum Religionum funda*

fundatores ad suos Religiosos puniendos, non ea, sed disciplinis, mortificationibus, & carceribus tantùm vsi fuerint; successit tamen in locum antiqua pœna deportationis, vel condemnationis ad opus publicum.

6 *Religiosos puniri pœna triremium, licèt sit inconueniens, cùm per eam collocentur inter homines scelestos, & propterea Vrbanus VIII. substituerit pœnam ergastuli, est tamen licitum; quia non extat prohibitio in contrarium, & aliter condignè quidam religiosi puniri non possunt.*

7 *Religiosi si aliter condignè puniri possunt, non sunt puniendi pœna triremium; quia prædicta pœna est periculosa saluti spirituali animæ, &c.*

8 *Religiosos regressos à triremibus completo termino, conueniens esset non reassumere habitum Religionis, & quia puniti fuerunt pœna irrogante infamiam, & quia præsumuntur imbibisse ob pessimorum consuetudinem prauos mores.*

9 *Id tamen non est in vsu, præcipuè propter decretum sacræ Congregationis de apostatis, & eiectis, iussu Vrbani VIII. editum, &c.*

10 *Religiosi damnati ad triremes licèt non peccent, si ex eis fugiant; peccant tamen mortaliter triremium Capitanei, si non recipiant Religiosos ad eas damnatos, vel si receptos ex eis dimittant, non consentiente religione.*

11 *Limita nisi prædicti Capitanei certò nouerint, quod prædicti religiosi iniustè tali pœna damnati fuerint.*

12 *Religiosi quæ acquirunt in triremibus, acquirunt religioni, quia per hoc non sunt omninò à religione derelicti. Secus verò si in prædictis triremibus moriantur; quia tunc acquirunt Cameræ Apostolicæ.*

1 RESpondetur affirmatiuè, quia sic habet consuetudo, & aliquando sic est necessarium; cùm aliter interdum similia delicta condignè puniri non possint: Doctores, quos sequitur Peyrinus *tom.1. de subdito, q.1. de obedientia, cap.27.*

2 Vbi aduerte, quod quidam, vt Peña *in 3.part. directorij Inquisition. comment. 46.* velint, quod priusquam talis Religiosus mittatur ad triremes, sit degradandus. At quidquid sit de hoc,

3 Aduerte secundò, quod Ministri triremium verberantes talem Religiosum ad eas missum, dummodò modus non excedatur, neque tempus condemnationis completum fuerit, non incurrant excommunicationem *Can. si quis suadente Diabolo*; quia præterquam sic etiam habet consuetudo, ideò ad illas mittitur, vt sic puniatur: ergo licitè faciunt: Nauarrus *comment.3. de regular. num.52.* & Miranda *tom.1. Manual. q.52. art.8.*

4 Aduerte tertiò, quod prædictus Religiosus rediens postea completo tempore condemnationis, à triremibus ad Religionem, readmitti non possit ad celebrandum sine dispensatione; quia vtpote *ex l. Ad tempus, C. ex quibus cauf. infam. irreg.* infamis infamia iuris est irregularis. Toletus *in summa, lib. 1. cap.62.* Rodriguez *tom. 1. quæst. regular. quæst. 24. art. 6.* & alij communiter. Quod intellige, si fuerit damnatus ad talem pœnam ob causam famosam. Doctores, quos sequitur Thesaur. *in praxi, p.1. cap.33. §. talis est*, & *part.2. verbo Missa, cap.5. §. Item si esset.*

Quamvis ab hac irregularitate dispensari possit à superiore suæ Religionis, iuxta ea quæ suprà dicebam *Petitione 4. circa finem*: dummodo exinde non sequatur scandalum, neque quid forsan obstet quoad forum externum.

5 Aduerte quartò, quod licèt pœna triremium sit noua; cùm Religionum Fundatores ad suos Religiosos puniendos non ea, sed disciplinis, mortificationibus, & carceribus tantùm vsi fuerint, Nauarrus *comment. 3. de regularibus, num. 52.* & Peyrinus *tom.1. de subdito, quæst.1. cap.27.* successerit tamen in locum antiquæ pœnæ deportationis, vel condemnationis ad opus publicum: Clarus, Farinacius, & alij, quos sequitur Thesaurus *in praxi, part.1. c.33. §. Talis est, & parte 2. verbo Missa, cap. 5. §. Item si esset.*

Aduerte quintò, quod licèt sit inconueniens, 6
Religiosos puniri pœna triremium, cùm per talem pœnam collocentur inter scelestos homines, Nauarr. *loco suprà citato, num.5.* Clarus *in Practica, lib.5. §. finali*, & Diax *in Praxi, cap.143.* Vt propterea Vrbanus VIII. loco pœnæ triremium substituerit pœnam ergastuli: tamen iuxta ea, quæ dicebam, sit licitum; quia non extat prohibitio in contrarium, & sic obtinuit vsus Religionum, & sunt quoad hoc aliqua priuilegia concessa quibusdam Religionibus, scilicet Religioni Sancti Hieronymi in Hispania à Pio V. & Religioni sancti Francisci de Paula à Clemente VII. & experientia docuit, quod aliter criminosi quidam Religiosi puniri condignè non possint. Peyrinus *loco suprà citato*, Aldret. *de disciplina Religiosa, lib.2. cap.17. num. 16. & 17.* & Rodriguez *tom. 2. quæstionum regularium, quæstione 24. art.1.* Qui subdunt de modo, quo Religionum Superiores in tali pœna infligenda procedere debeant.

Hinc triremium pœna Religiosi puniri non debe- 7
bunt, si aliter ij condignè puniri potuerint: tum propter rationem dictam: tum quia prædicta pœna est periculosa saluti spirituali animæ, non solùm propter societatem scelestorum hominum (etiam infidelium) qui in triremibus reperiuntur, sed etiam propter participationem grauium peccatorum, quæ ibi perpetrantur: Diaz, & Peyrinus *in locis suprà citatis.* Videri etiam poterit Viuald. *in tract. de depositione & degradatione subditi, n.38.*

Hinc quoque conueniens esset, quod prædicti Re- 8
ligiosi, quando completo tempore è triremibus reuertuntur, habitu Religionis spoliati remaneant: tum quia inconueniens est, quod homines tam infami pœna puniti, habitum Religionis gestent: tum quia propter societatem pessimorum hominum pessimos mores imbibere solent, vt propterea meritò de Religiosorum consortio seiungi debeant. Rodriguez, & Peyrinus *vbi suprà.*

Id tamen in vsu non est, quinimò reuersi genitu- 9
ram non amittunt: Sylnester, Nauarrus, & alij, quos sequitur Peyrinus *loco suprà citato.* Præcipuè propter decretum Sacræ Congregationis de apostatis, & eiectis, iussu Vrbani VIII. editum de non eijciendo aliquem è Religione, nisi seruatis quibusdam conditionibus, quæ sæpè sæpiùs in Religiosis istis ad triremes condemnatis non reperiuntur: etsi dicendum sit, quod propter rationes dictas, dum mittuntur ad triremes, & in eis morantur, habitum Religionis gestare non debeant. Doctores, quos sequitur Bordonus *resol.35. num.29.*

Aduerte sextò, quod licèt Religiosi ad triremes 10
damnati non peccent, si ex eis fugiant, propter ea, quæ dicebam *suprà, sect.23.* peccent tamen mor taliter triremium Capitanei, si non recipiant Religiosos ad eas damnatos, vel si receptos ex eis dimittant, non consentiente Religione. Doctores, quos sequitur Peyrinus *vbi suprà*, qui *tom. 3. priuilegior. Minimorum, c.6. n.5.* rectè limitat, nisi prædicti Capitanei certò nouerint, quod prædicti Religiosi iniustè ad talem pœnam damnati fuerint.

Aduerte septimò, quod quæ acquirunt Religiosi 11
ad triremes siue ad tempus, siue in perpetuum damnati, acquirant ea Religioni; quia per hoc non sunt omninò

omninò à Religione derelicti, sed solùm separati; cuius rei signum est, quod ex causa rationabili possint exinde ab eadem Religione reuocari.

Quamvis, si ibi extra claustra moriantur, quæ prædictis Religiosis supersunt, spectent ad Cameram Apostolicam, propter Constitutionem Gregorij XIII. quæ incipit, *Officij nostri*, iuxta ea quæ dicam *infrà post sect. 30. in appendice, aduertendo 9.*

PETITIO XIX.

Quid dicendum in ordine ad causas ciuiles, & criminales in communi Religiosorum?

SVMMARIVM.

1 *Causæ ciuiles religiosorum, cum ipsi sunt actores, à quibus cognoscantur.*
2 *An possint religiosi tum agere coram iudice sæculari.*
3 *Quid quando ipsi religiosi sunt rei.*
4 *Quid de religiosis extra Monasterium degentibus.*
5 *Quomodo* cap. volentes, de priuileg. *& Tridentinum intelligi debeant.*
6 *Nec in prima instantia religiosi coram Ordinariis trahi possunt.*
7 *Quomodo Bulla Pauli V. intelligi debeat.*
8 *Causa de nullitate Professionis apud quos tractari debeant.*
9 *Quid de causis criminalibus Religiosorum.*
10 *An possint religiosi trahere reos coram aliis iudicibus.*
11 *Quid quando ipsi sunt rei.*
12 *Coram Ordinariis quando trahi possint.*
13 *Quid de criminibus spectantibus ad S. Officium.*
14 *Quid de crimine Monasterij, tam in Italia, quàm in insulis Italiæ, vel extra Italiam.*
15 *Quid si Ordinarij procedant contra ipsos in casibus non permissis.*
16 *An saltem possint procedere, data negligentia Superiorum religionum.*

1 Respondetur, & loquendo de causis ciuilibus, dico primò: si Religiosi sunt actores, & ipsis illata est iniuria, vel violentia manifesta, ipsorum causæ ciuiles cognosci possunt à Conseruatoribus, ex Constitutione Gregorij XV. quæ incipit, *Sanctissimus*, & ex declaratione S. Congregationis super illam, etsi nonnulli, quos sequitur Sanchez *lib. 6. moral. c. 6. dub. 6.* teneant oppositum; nisi casu, quo Religio spoliaretur bonis aliquibus quæ possidet. Si verò ipsis non est illata iniuria, vel violentia manifesta, ipsorum eædem causæ ciuiles non possunt cognosci à Conseruatoribus, sed ab aliis iudicibus competentibus; quia licèt ante dictam Constitutionem Gregorij XV. fieri potuisset, post illam tamen fieri non potest, eo quòd per dictam Constitutionem Gregor. XV. clarè decernitur, quod Conseruatores nullam habeant iurisdictionem *in causis, in quibus Regulares actores fuerint.* Quod explicans Sacr. Congreg. excipit si Religiosis illata sit iniuria, vel violentia manifesta: ex quo infertur, quod si iis illata non sit iniuria, vel violentia manifesta, id fieri non possit. In quo etiam sensu intellige, cùm dicitur à quibusdã Doctoribus, non posse nunc Conseruatores Religiosorũ procedere in causis ciuilibus eorum, qui aliquã summam pecuniæ, vel aliquã aliam rem ex locationibus, legatis, aut testamentis, &c. Religiosis debent, id scilicet non posse, si Religiosis iniuria, vel violentia manifesta illata non sit, posse verò ex vi declarationis Sacr. Congregationis supradictæ, si Religiosis iniuria, vel violentia manifesta illata sit.

2 Cæterùm in eisdem causis ciuilibus, in quibus ipsi Religiosi sunt similiter actores, possunt (ex licentia scilicet suorum Superiorum) siue ipsis iniuria, vel violentia manifesta illata sit, siue non, agere coram iudice sæculari, ex prædicta Constitutione Gregorij XV. adeò vt si etiam (quando possunt, coram Conseruatoribus non agant) sibi nullo modo præiudicent. Federic. de Senis *cons. 14. n. 5.* & alij passim, quos sequitur Laurettus de Franchis *in controuers. Episc. & regul. super dictam Constitutionem Gregorij XV. pag. 178. in responsione ad 4.*

3 Dico 2. In prædictis causis ciuilibus si Religiosi sunt rei, tetrahi, seu conueniri debent coram ipsorum Superioribus Religionum, quia ij sunt legitimi ipsorum Iudices: tum quia ex priuilegio sunt exempti à quibuscumque Iudicibus, etiam Ecclesiasticis; poterunt tamen trahi, seu conueniri etiam coram Conseruatoribus, tum ex constitutione prædicti Gregorij XV. vbi id expressè habetur: tum ex declaratione S. Congregationis super illam sub Paulo V.

4 Dico 3. Religiosi tamen extra Monasterium degentes, si vbi degunt, certum Iudicem à Sede Apostolica deputatum non habeant, conueniri debent coram Ordinariis, tanquam in hoc à Sede Apostolica delegatis, in ciuilibus causis mercedum, & miserabilium personarum, scilicet in causis stipendiorũ, seu salariorum Operariis, vel Mercenariis debitorum. Henriq. *lib. 7. de Indulgent. c. 25. n. 5. in commeat. lit. O*, & Sanch. *cit. lib. 6. c. 9. dub. 2. n. 5. & 6.* vbi etiam tractat, quæ sint istæ miserabiles personæ, de quibus loquitur Concilium Trident. *loco mox infrà citande*, DD. communiter, quia sic expressè determinatur in dicto Concilio Trident. *sess. 7. c. 14.*

At quia Religiosus dicitur degere intra Monasteriũ, quando extra illud degit de licentia sui Superioris, Angelus, Abbas, Syluester, Nauarrus, Henriquez, & alij passim, quos citat, & sequitur Sanch. *vbi sup. n. 4.* Ideò satis probabiliter Religiosus degens extra claustra ex legitima licentia sui Superioris, conueniri non potest coram Ordinario, etiam in dictis causis ciuilibus mercedum, & miserabilium personarum; quia ex dictis iste talis censetur degere intra Monasterium: vnde etiam inferunt Rodrig. *tom. 2. quæst. regul. q. 4. art.* 8. Peyrin. *tom. 1. priuil. Minim. const. 2. Sixti IV. n. 29.* & Tambur. *de iur. Abbat. tom. 1. disp. 15. q. 7. n. 9.* quod Religiosi inseruientes alicui beneficio, vel addicti seruitio monialium, non comprehendantur supradicto decreto; quia non degunt extra Monasterium ex speciali priuilegio, vel licentia, sed ex instituto.

5 Non obstat, si dicas, Religiosos ratione *c. volentes, de priuil. in 6.* quod Concil. Trid. *suprad. sess. 7. c. 14.* innouat, & obseruari præcipit in causis exemptorum, posse trahi, seu conueniri coram Ordinariis; cùm Innoc. IV. *in d. c. volentes*, de exemptis loquens, sic habeat: [Declaratione irrefragabili definimus, quod quantumcumque sic exempti gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, siue contractus, aut rei, de qua contra ipsos agitur, ritè possint coram locorum Ordinariis conueniri.] Ergo cùm Concil. Trid. innouet prædictum caput volentes, videtur iuxta illud dicendum, Religiosos posse trahi, seu conueniri coram Ordinariis.

Respondetur enim in ista satis probabili sententia, quam suprà dicebam, nego consequentiam; quia expressè Paulus V. in præd. Bulla, & S. Congregatio super illam declararunt, *in eo c. volentes*, nõn comprehendi Religiosos. Accedit, quod vt probat ex multis Sanchez *in c. 9. dub. 1. n. 25.* & Barbosa *de offic. & potest. alleg. 105. num. 23.* dictum *c. volentes*, solùm loquitur de exemptis ratione loci; tales enim si deliquerint, vel contraxerint in loco non exempto, vel circa rem sitam in loco non exempto, conueniri poterunt coram Ordinariis. Non autem loquitur de habentibus exemptionem personalem, quales sunt Religiosi.

6 Neque obstat, si dicas, Religiosos ratione decreti Concilij Trident. *sess. 24. c. 20.* posse conueniri coram Ordinariis, saltem in prima instantia; cùm Concilium Tridentinum ibi sic habeat: *Causæ omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinariis locorum duntaxat cognoscantur*: Ergo.

6 Respondetur enim in eadem satis probabili sententia supradicta, nego antecedens; quia Paulus V. in eadem Bulla, & S. Congregatio declararunt, huiusmodi Concilij Tridentini decretum non pertinere ad Religiosos, neque per illud esse immutatas, vel restrictas eorum Conseruatorias, neque aliquid noui inductum quoad illarum primam instantiam: sicque etiam tradunt DD. quos sequitur Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg.* 81. *n.* 13. afferens aliam S. Congregationis declarationem, & Rotæ decisionem in Osceosi Iurisdictionis, die 12. Decembris, anno 1614.

7 Vbi aduerte pro iis, quæ dicebam de ista Bulla Pauli V. & declaratiuue Sacr. Congregationis ibidem inserta, quod licèt supplicatio facta per Religiosos ad Sacr. Congregationem solùm esset de Religiosis degentibus intra claustra, ac isti comprehenderentur tum *in d. cap. volentes*, inoouato à Concilio Tridentino *sess.* 7. *c.* 14. Tum in decreto eiusdem Coocilij Trident. *sess.* 24. *c.* 20. Ipsa tamen S. Congregatio respondit sine dicta determinatione de Religiosis degentibus intra claustra, sed indefinitè, & generaliter de Religiosis: per quod denotare videtur, quod Religiosi, siue degant intra claustra, siue extra, non comprehendantur *in c. volentes*, neque in decreto Concilij Tridentioi *sess.* 7. *c.* 14. illud iooooantis, neque etiam in decreto eiusdem Concilij Tridemini *sess.* 24. *c.* 20. vide dictam Bullam Pauli V. *in* 3. *tom. Bullarij*, inter Bullas eiusdem Pauli V. *n.* 34. & apud Peyrinum *tom.* 1. *priuil. Mendicant. in Constit.* 2. *Sixti IV. n.* 32. vide etiam Barbosam *vbi suprà, de offic. & potest. Episc. alleg.* 105. *n.* 23. & Nouarium *in Lucerna Regular. verb. causa, n.* 3. *& seqq.*

8 Dico quartò: causæ de nullitate professionis tractari debent coram Ordinario, & Superiore Religionis, ex Concilio Trideotino *sess.* 25. *de Regul. c.* 19.

Vbi aduerte, quod si huiusmodi causæ non determinentur intra biennium, trahi possint ad Iudices Superiores, ex eodem Concilio Tridentino *sess.* 24. *c.* 20. Nisi assignentur causæ legitimæ, propter quas non sint determinatæ, sicque etiam habent Sacr. Congregationis plores declarationes, quas refert Armendariz *in addit. ad Recopil. leg.* Nauarr. *lib.* 2. *tit.* 18. *l.* 7. *de Religion. n.* 40. Riccius *in praxi, resol.* 134. Francisc. Leo *in Thesaur. for. Eccles. p.* 2. *c.* 1. *n.* 72. & Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg.* 81. *n.* 8. *& collectan. Bullar. verb. causa:* loquendo autem de causis crimioalibus,

9 Dico quintò, iuxta ea quæ dicebam de causis ciuilibus, si in causis criminalibus Religiosi sunt actores, & ipsis illata est iniuria, vel violentia manifesta, possunt reos trahere etiam coram Conseruatoribus, ex eadem Constitutione Gregorij XV. & ex eadem declaratione Sacr. Congregationis super illam, quatenus expressè habet: Minimè sublatam esse facultatem, quam habent Conseruatores defendendi Regulares à manifestis iniuriis, ac violentiis, dummodò obseruent formam præscriptam in Constitutionibus Innocentij IV. & Bonifacij VIII. relatis *in c.* 1. *& in cap. finali, de offic. delegat. in* 6.

10 Si verò ipsis Religiosis non est illata iniuria, vel violentia maoifesta, debent trahere reos coram Iudicibus competentibus, vel Iudicibus specialibus à Principe, vel à Magistratu designatis; etiam in causa sanguinis, facta tamen protestatione, iuxta ea quæ dicebam *in tract. de irregularitate.*

11 Dico sextò: in prædictis causis criminalibus, si Religiosi sunt rei, trahi debent coram ipsorum Superioribus Religionum; quia ij soli sunt legitimi Iudices ipsorum, iuxta ea quæ dicebam *suprà, dicto* 2. Poterunt tamen trahi etiam coram Conseruatoribus, ex dicta Constitutione Gregorij XV. & dicta declaratione Sac. Congregationis. At id non est expediens bono nomini, & famæ Religiosorum, neque etiam est vsu receptum.

Dico septimò: Coram Ordinariis tamen prædicti Religiosi nunquam trahi possunt, nisi in casibus à Concilio Tridentino permissis, vt si Religiosus degat, & delinquat extra Mooasterium, iuxta ea quæ dicebam *Petit.* 10. Quod Riccius *in collectaneis, decis.* 503. & Nouarius *in Lucern. Regular. verb. delinquens, n.* 2. extendunt etiam ad Equites Hierosolymitanos, qua de re vide quæ dicebam ibi. Item, si Religiosus degat intra claustra, sed notoriè, & scandalosè delinquat extra illa, iuxta ea quæ dicebam *eadem petit.* 10. Item si Religiosus sine mandato suorum Superiorom in scriptis, extra suos Conuentus fuerit repertus; vel si missos ad vniuersitates in Conueotu non inhabitet, iuxta ea quæ dicebam *Petit.* 10. Item si obloquatur in materia Conceptionis Immaculatæ Virginis, iuxta ea quæ dicebam *sect.* 234 *dub.* 15. Item si indebitè colat non canonizatos, aut beatificos, iuxta ea, quæ dicebam *cit. dub.* 234. Item si Religiosus sit executor testamenti; 13
vel si simus in casu hæresis, vel Astrologiæ iudiciariæ; vel si, cùm non sit Sacerdos, celebret missam, iuxta ea, quæ suprà dicebam in suis locis. Item si sollicitet in in confessione ad venerea, iuxta ea quæ dicam *infrà, dub ultima.*

Item si Religiosus sit Monetarius: quo casu ex Constitutione Vrbani VIII. quæ incipit, *Cùm itaque*, Religiosus in Italia (cùm prædicta Constitutio, vt patet ex verbis ipsius, solùm sit in Italia) subditur etiam Ordinario, & cognosci non potest à suæ Religionis Superioribus, qui ex dicta Constitutione Vrbani VIII. non solùm prohibentur id facere, sed etiam, sub pœnis excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis beneficiorum, atque officiorum obtentorum, & inhabilitatis ad alia in futurum, atque vocis actiuæ, & passiuæ, prohibentur impedire, molestare, vel perturbare Iudices in eadem Constitutione à Papa designatos. Quin etiam iubetur, quod quoties ad id ipsorum Religiosi requisiti fuerint, etiamsi alicuios loci Regularia Superiores actu inueniantur, ipsis Legatis, Prolegatis, & Ordinariis, vel aliis, quibus iidem Legati, Prolegati, & Ordinarij mandauerint, eum scripturis, & actis (si quæ facta fuisse reperiantur) tradant, & consignent; in insulis tamen Siciliæ, Sardiniæ, & Corsicæ adiacentibus, iuxta opinionem Gambaruptæ *de casib. reseruat. c.* 3. *n.* 8. Peyrini 3. *tom. Priuileg. Minimor. in Constitutione* 12. *Vrbani VIII. cap.* 12. *num.* 8. Dianæ *part.* 3. *tract.* 17. *resol.* 30. & aliorum tenentium, quod nomine Italiæ noo veniant, præsertim in odiosis, insulæ supradictæ Italiæ adiacentes, poterunt Prælati Religionum, sicut in aliis Orbis Terræ partibus extra Italiam suos subditos crimen istud perpetrantes cognoscere, & secundùm suarum Religionum iura punire; idque propter rationem dictam, quod scilicet nomine Italiæ non veniant, præsertim in odiosis, insulæ adiacentes Italiæ. 14

Ex dictis sequitur, quod si Ordinarij tentent contra Religiosos exemptos in aliis casibus sibi non permissis in Iudicio, vel extra, aut contra res Monasterij in quacumque causa ciuili, vel criminali, &c. procedere (cùm nullam habeant iurisdictionem sic facientes) processus, sententiæ & indè sequuta ipso Iure sunt nulla, & nullum inferunt præiudicium, nullumque operantur effectum, nec sententia transit in rem iudicatam, nec mandari debet executioni: Ita Doctores communiter, quos sequitur Henriquez *lib.* 7. *de Indulgent. cap.* 25. *per totam, n.* 5. & Sanchez *lib.* 6. *moral. c.* 9. *dub.* 1. *n.* 27. 15

Quæ omnia intellige, etiam in casu quo Prælati Religionum in suis subditis corrigendis fuerint negligentes; quia non propterea ius aliquod deuoluitur ad Ordinarios, sed ad Prælatum Superiorem Prælatis illis negligentibus. Henriquez *vbi suprà, n.* 4. & Sanchez *num.* 26. 16

PETITIO

PETITIO XX.

Quænam sit Constitutio Gregorij XV. quæ viget hodie, quoad electiones de Iudicibus Conseruatoribus.

Respondetur: & hæc sequitur.

REVOCATIO QVARVMCVMQVE Electionum de Iudicibus Conseruatoribus hactenus factarum.

Et noua de eis, earumque electionibus in posterum faciendis dispositio. Vbi dubium exortum super nonnullis verbis huius Constitutionis, declaratum per Congregationem Concilij Tridentini Interpretum recensetur, cuius tenor est infrascriptus.

Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus noster D. Gregorius Diuina Prouidencia Papa XV. ex certis rationabilibus causis animum suum mouentibus, & de voto Venerabilium Fratrum suorum S. R. E. Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, partim fel. rec. Clementis Papæ VIII. prædecessoris sui vestigiis inhærendo.

§. I. Reuocauit, ac nullas, & inualidas decreuit omnes, & quascumque Iudicum Conseruatorum electiones, nominationes, seu deputationes, tam in vim literarum Conseruatoriarum iuxta formam in quinterno Cancellariæ descriptam, quàm in vim quorumcunque priuilegiorum perpetuò, vel ad tempus nondū elapsum Apostolica auctoritate concessorum, seu aliàs quocumque Iure vel titulo hactenus factas pro quibuscumque Conuentibus, Capitulis, militiis etiam S. Ioannis Hierosolymitani, Congregationibus, Collegiis, Ordinibus, Monasteriis, Hospitalibus, aut aliis quibusvis piis, tam sæcularibus, quàm cuiusvis Ordinis, etiam Mendicantium, seu instituti, vel Societatis Regularibus locis, quantumvis exemptis, etiam de necessitate exprimendis, seu illorum personis, cuiusvis qualitatis, seu conditionis existant.

§. II. In futurum verò sanctitas sua hac generali, & perpetuò valitura Constitutione statuit, & decreuit, vt Iudices Conseruatores huiusmodi, siue principales, siue subrogati, eligi, nominari, aut deputati non possint, nisi non solùm habeant qualitates requisitas, & descriptas in Constitutione similis rec. Bonifacij VIII. etiam prædecessoris sui, quæ incipit (statutum) itavt vel dignitate Ecclesiastica præditi, vel personatum obtinentes, vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici existant; sed etiam in Cōciliis Prouincialibus, aut Diœcesanis, iuxta decretum Concilij prædicti Iudices electi, seu designati sint.

§. III. Quodque deinceps Literæ Conseruatoriæ per Sedem Apostolicam concedendæ supràscriptis tantùm dirigantur, & si quæ literæ aliter expediantur, illæ, ac deputationes huiusmodi, omniaque exinde sequenda nullius sint roboris, vel momenti.

§. IV. Et nihilominus qui secus, quàm iuxta formam superiùs præscriptam, Conseruatores huiusmodi cum essemus, eligere, nominare, seu deputare, aut electis, nominatis, seu deputatis vti ausi fuerint: Regulares quidem voce actiua, & passiua sint ipso iure priuati, adeò vt habilitationem à nemine, præterquam à Romano Pontifice consequi valeant; reliqui verò aliis pœnis arbitrio Sanctitatis suæ coërceantur, & prædictorum omnium Conuentus, Monasteria ac loca huiusmodi, eorumque personæ, ac bona careant Conseruatore ad annum, itavt illorum causæ interea coram locorum Ordinariis dumtaxat cognosci, ac diffiniri debeant.

§. V. Cæterùm, vt latiùs pateat Conseruatorum huiusmodi deligendorum facultas, Sanctitas sua admonitos voluit omnes locorum Ordinarios, vt in Synodis Prouincialibus, aut Diœcesanis quamplures personas ex habentibus qualitates in prædicta Constitutione eiusdem Bonifacij Prædecessoris contentas, & alioquin ad id aptas designari procurent, & si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum Concilio Capituli alium in eius locum vsque ad futuram Prouincialem, aut Diœcesanam Synodum.

§. VI. Insuper Sanctitas sua, inhærendo hac in parte decreto similis recordationis Gregorij Papæ XIII. etiam prædecessoris sui, statuit, & ordinauit, vt Regulares, ac personæ huiusmodi in Italia infrà duos, extra Italiam verò infra sex menses à die publicationis in vrbe præsentis Constitutionis inchoandos, debeant sibi eligere, seu assumere Conseruatores iuxta formam superiùs propositam.

§. VII. Eiusque electionis, seu assumptionis documentum infrà tempus huiusmodi penes acta Curiæ Ordinariorum exhibere, & admittere teneantur: alioquin eo termino elapso, quamdiu Conseruatores secundùm formam præsentis Constitutionis non elegerint, coram eisdem Ordinariis conueniantur.

§. VIII. Quodque Conseruatores huiusmodi semel legitimè deputati, nisi ex legitima causa à Sede Apostolica, aut locorum Ordinariis, prout iisdem Regularibus, & aliis supradictis libuerit, approbanda, durante quinquennio à die deputationis, amoueri, aut mutari nullatenus possint, aut valeant.

§. IX. Ad hæc statuit Sanctitas sua, vt coram ipsis Conseruatoribus Regulares, ac personæ supradictæ conueniri quidem, aut trahi debeant, sed alios conuenire, aut trahere non possint, itavt memorati Conseruatores in causis, in quibus Regulares, & alij actores fuerint, nullam prorsus iurisdictionem habeant, sed in iis tantùm, in quibus rei extiterint, neque extra ciuitates seu Diœceses, in quibus fuerint deputati, contra quoscumque procedere præsumant.

§. X. Si qua verò inter Iudices Conseruatores huiusmodi, & locorum Ordinarios controuersia super competentia iurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per arbitros in forma iuris electos super iurisdictionis competentia fuerit iudicatum.

§. XI. Quod si qui Conseruatores, siue in hac parte, siue aliàs quomodolibet suos limites excesserint, per annum ab Officio Conseruatoris huiusmodi suspensi sint, & pars quæ hoc fieri procurauerit, sententiam excommunicationis incurrat iuxta formam alterius Constitutionis eiusdem Bonifacij prædecessoris, quæ incipit (hac Constitutione) quam Sanctitas sua in omnibus, quæ præsenti Constitutioni non aduersantur, innouauit, & innoat.

§. XII. Per hoc tamen non intendit Sanctitas sua prohibere quominus Regulares & alij supradicti in casibus à iure permissis petant iudicem non suspectum à Principibus, seu Magistratibus sæcularibus, dum tamen hæc tria copulariuè concurrant: videlicet vt Regulares, & alij prædicti sint actores, non autem rei; vtque agant contra laicum, non autem contra Ecclesiasticum, vel aliàs à iurisdictione sæculari exemptum; atque vt causa, in qua Iudex deputatus fuerit, prophana, non autem Ecclesiastica, & in ea iuxta Sacrorum Canonum dispositionem laicus, vt præfertur, eligendus, Iudex competens existat.

§. XIII. Quæ omnia, & singula in præsenti Constitutione contenta Sanctitas sua voluit inuiolabiliter obseruari, decernens sic in iis, cæterisque omnibus præmissis per quoscumque, &c. necnon irritum, & inane, &c.

§. XIV. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac literis conseruatoriis, quas omnes ad formam præsentis Constitutionis reduxi, in fauorem quorumcunque Ordinum, tam mendicantium, quàm non mendicantium, Militiarum, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, Congregat. Societatum, aut cuiusvis alterius instituti, etiam necessariò exprimendi, Collegiorum, Capitulorum, Ecclesiarum, Monasterio-

rum, ac piorum quorumcunque, tam sæcularium, quàm Regularium locorum, necnon illorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam ex causa, & titulo oneroso indultis, & literis Apostolicis, etiam mari magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque tenoribus, & formis specialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quibus quoad ea, quæ præsentibus aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogauit, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. XV. Cæterùm, vt præsens constitutio faciliùs omnibus innotescat, Sanctitas sua voluit, & mandauit, vt non solùm in Cancellaria Apostolica, sed etiam ad Valuas Basilicæ Principis Apostolorum de vrbe, & in Acie Campi Floræ publicetur, illiusque exempla in iisdem locis affixa dimittantur, ac in Quinterno Cancellariæ inter Constitutiones perpetuas describatur, & annotetur. Anno 1621. die 20. Septembris.

Sequitur dubium super ista Constitutione exortum, cum sua declaratione.

In Constitutione de Conseruatoribus edita à Gregorio X V. ex sententia Sacræ Congregationis Concilij Trid. inter cætera statutum est, vt coram Conseruatoribus Regulares conueniri quidem, aut trahi debeant, sed alios conuenire, aut trahere non possint, itavt prædicti Conseruatores in causis, in quibus Regulares, & alij fuerint Actores, nullam protsùs iurisdictionem habeant, sed in iis tantùm, in quibus rei extiterint.

Dubitatur nunc, an per hæc verba sublata sit facultas, quam habent Conseruatores defendendi Regulares, & alios à manifestis iniuriis, & violentiis, quæ illis de facto inferuntur, dum à suis possessionibus dejiciuntur, & propriis bonis vel, aut frui impediuntur.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum censuit, huiusmodi verbis minimè sublatam fuisse facultatem quam habent Conseruatores defendendi Regulares à manifestis iniuriis, ac violentiis, dummodò obseruent formam præscriptam Constitutionibus Innocentij IV. & Bonifacij VIII. relatis *in c. 1. & vlt. de offic. deleg. in 6.* S. Cardinalis de Torres.

Prosper Fagnanus S. Congreg. Secr.

PETITIO XXI.

An Conseruatores possint subdelegare?

SVMMARIVM.

1 *Conseruatores possunt subdelegare.*
2 *Delegatus Principis potest subdelegare.*
3 *Conseruatores sunt delegati ad vniuersitatem causarum.*
4 *Comparantur Iudicibus Ordinariis.*
5 *Delegatus ad vniuersitatem causarum potest subdelegare.*
6 *Conseruator, re integra, potest reuocare subdelegationem.*
7 *Et etiam potest reuocare, re non integra, si scilicet subdelegatus cæperit vti iurisdictione subdelegata.*

1 Respondetur affirmatiuè. Pgtr. Greg. *in syntagm. iur. lib. 47. c. 22. n. 27.* Rodrig. *tom. 1. quæst. Regul. q. 65. art. 10.* Sorbus *in compend. Priuil. Mendicant. tit. Conseruator, vers. item Conseruator,* Passarell. *in not. ad priuil. notab. 32.* Confectius *in compend. priuil. Mendicant. tit. 4. c. 7. vers. possunt item,* Moneta *de Conseruator. c. 7. n. 58.* Peyrin. *de priuil. ad Constit. 5. Gregorij XV. §. 2. n. 5.* & alij communiter, & patet ex *c. vlt. §. vices, de offic. deleg. in 6. ex Constitutione Clementis VII.* quæ incipit Conquestionem delictorum, ibi: [Quatenus vel duo, aut vnus vestrûm per vos, vel alium, seu alios, etiamsi sint extra loca, in quibus deputati estis Conseruatores,] Ex Mari Magno Carmelitarum per Sixtum IV. & ex conseruatoria Gregorij XIII. pro Patribus Societ. Iesv.

Et quidem Conseruatores ex duplici capite possunt suam iurisdictionem alteri subdelegare.

2 Primò quia sunt Delegati Principis, scilicet Summi Pontificis, quibus conuenit facultas subdelegandi, *cap. Pastoralis, cap. final. de Offic. delegat. cap. statutum, §. in nullo, de rescript. in 6. & l. A iudice, C. de Iudic.*

3 Secundò, quia sunt delegati ad vniuersitatem causarum, cùm sub vniuersali verbo *Conseruatorum*, causæ commissæ sint. Gloss. *in l. 1. verb. ab eo, ff. quis, & à quo appell.* Iason *in l. à iudice, n. 8. C. de iudic. & ibid.* Bald. & Salycet. Menoch. *lib. 1. de arbitr. q. 67. n. 48.* & Sanch. *de matr. lib. 1. disp. 31. n. 4.* Vt proinde comparentur Iu-4 dicibus Ordinariis. Gloss. *in c. cùm causam, de appell. & ibid.* Franch. Decius, & Præpositus, rursùs Glossa *in d. l. à iudice, C. de Iud. & ibid.* Iason *n. 8.* Menoch. *cit. q. 67. n. 52.* & Sbroz. *de Vicar. lib. 1. q. 22. n. 12.*

5 Delegatus autem ad vniuersitatem causarum potest subdelegare. Glossa *in cap. super quæstionum, §. si verò, verb. delegare, de offic. deleg. & ibid.* Abbas, & alij, Hostiensis *in sum. tit. de offic. delegat. n. 6.* Franch. *in c. cùm causam, n. 20. de appell.* Decius *ibid. in fine.* Rursùs Gloss. *in l. 1. §. 1. ff. quis & à quo appell.* Bartol. *in l. More, n. 11. ff. de iurisd. omn. Iudic.* & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 31. n. 2.*

6 Vbi aduerte, quod quamvis quis Conseruator Iurisdictionem suam in totum subdelegauerit, possit tamen adhuc subdelegationem à subdelegato reuocare, priusquam subdelegatus vti incipiat iurisdictione sibi subdelegata, *cap. quamvis, de offic. delegat. in 6.* Et redditur ibi ratio, quia scilicet ante vsum iurisdictionis delegatæ non censetur ea transire efficaciter in subdelegatum. Quin-7 imò etiamsi subdelegatus cœperit vti iurisdictione subdelegata, adhuc Conseruator poterit eam reuocare, per textum *in l. iudicium soluitur, ff. de iudic.* ibi: *Vitante eo, qui iudicare iusserat.* Et notat præter alios Couarruuias *pract. quæst. c. 10. n. 1.* Præsertim si in commissione iurisdictionis subdelegatæ adsit Conseruatoris clausula, *donec vices suas iusserit reuocandas*; quia cùm liberum sit Conseruatori vices suas huic, vel illi committere, seu subdelegare, & subdelegatus non procedat iurisdictione propria, sed aliena, liberum etiam erit subdeleganti reuocare iurisdictionem subdelegatam; vt tamen iustè eam reuocet, iusta causa requiritur. DD. quos sequitur Couar. *loco suprà cit.*

PETITIO XXII.

An Conseruatores sint Iudices delegati? Vbi etiam an sint æquiparandi Iudicibus Ordinariis; & an etiam aliquo modo dici possint Iudices Ordinarij?

SVMMARIVM.

1 *Conseruatores sunt Iudices delegati.*

2 *Morta*

2 *Morte concedentis expirat officium conseruatoris.*
3 *Conseruatores aquiparantur Iudicibus Ordinariis.*
4 *Conseruatores sunt delegati ad vniuersitatem causarum.*
5 *De Iure nouo Conseruatores sunt Iudices Ordinarij.*
6 *Iurisdictio Ordinaria requirit necessariò territorium formale, non materiale.*

1 RΕspondetur quoad primum affirmatiuè, & tradunt Glossa *in cap. 1. de offic. delegat. in 6.* Franch. *ibidem, num. 3.* Bottius *num. 4.* Ancharan. *num. 2.* Archidiac. *num. 1.* Syluester *verb. Conseruator, num. 3.* Armilla *eodem verbo, num. 4.* Nauarrus *lib. 1. de offic. delegat. cons. 1. num. 1.* Petrus Gregorius *in syntagm. iur. lib. 47. cap. 55. n. 53.* S. Antoninus *3. part. tit. 9. cap. 4. §. 2.* Clar. *part. 5. lib. 5. cap. 34. in princ.* Thuscus *lib. 2. de Visitatione, cap. 53. n. 3.* Iason *consil. 145. vol. 4.* Neuizanus *consil. 35. num. 9.* Moneta *de conseruator.*
2 *cap. 7. num. 36.* & alij communiter; & patet ex dictis petitione præcedenti. Item ex eo, quia de illis tractatur *in cap. 1. & vltimo, de officio delegati in 6.* Item etiam ex eo, quia morte concedentis expirat officium Conseruatoris, *cit. cap. vltimo, §. officium autem, de offic. delegat. in 6.* non autem morte concedentis expirat similiter iurisdictio Ordinaria.

Et quamvis quoad secundum Franch. *in cap. cùm causam, de appellat. num. 27.* Anchar. *in cap. vltimo, de offic. delegat. in 6. num. 5.* Menoch. *lib. 1. de arbitr. q. 67. num. 63.* & Neuizanus *cit. consil. 15. num. 13.* negent, quod Conseruatores æquiparandi sint Iudicibus Ordinariis, eo quòd non sunt delegati ad vniuersitatem causarum vnius territorij, sed tantùm vnius generis
3 personarum; meliùs tamen affirmant Geminianus *in cap. vltimo, §. officium autem, de offic. delegat. in 6. n. 5.* Franch. *ibid.* Aufret. *ad Capel. Tolos. decis. 38.* Nauar. *cons. 3. de offic. delegat. num. 5.* Confectius *in compend. priuil. tit. 4. cap. 7. in princ. vers. praterea conseruator,*
4 Moneta *de conseruator. cap. 7. num. 37.* eo quòd sunt delegati ad vniuersitatem causarum, cùm sint ipsis vnico verbo vniuersali causæ commissæ, *l. 1. ff. quis, & à quo appell.* At hoc sufficit, vt æquiparentur Iudicibus Ordinariis, Glossa *in l. à iudice, num. 8. Cod. de Iudic. & ibid.* Baldus, Salycetus, & Iason, Castrensis *in l. 5. ff. de offic. eius, &c. n. 3.* Socin. Senior *in l. more, ff. de iurisd. omn. iudic. n. 41.* Franch. *in cap. cùm causam, de appellat. num. 27.* Curtius Iun. *cons. 5. n. 7.* & Sanch. *de matrim. lib. 3. disp. 31. num. 4.* Ergo, &c.

5 Et hoc adeò verum est, scilicet de Iure veteri, vt ex Iure nouo conseruatores sint Iudices ordinarij. Doctores, quos sequitur Peyrinus *de priuil. ad Constitutionem quintam Gregorij XV num. 2.* & Lezana *2. tom. sum. cap. 10. n. 25.* sicque declarauit Sacra Congregatio *in collect. ex Biblioth.* Bellarmin. *ad cap. 5. sess. 14. Concilij Tridentini*, per hæc verba: [Conseruatores sunt iudices Ordinarij, sed illis committuntur causæ vt Sedis Apostolicæ delegatis.] Quod intellige de commissione causarum, quæ aliàs ad ipsos non spectarent, sicque etiam indicat Constitutio prima Gregorij XIII. *in Bullario, §. 5.* quæ incipit: *Æquum reputantes*, quatenus habet, quod Conseruatores habeant potestatem, & iurisdictionem perpetuam, ac proinde ordinariam; cùm non expiret morte concedentis, *l. Et quia, ff. de Iurisd. omn. iudic. & cap. 2. de offic. legat. in 6.* Cumque sit à lege, quæ non constituit delegationem, *cap. à iudicibus, 2. quæst. 6.*

6 Non obstat, quod non habeant territorium; quia quando dicitur, quod iurisdictio ordinaria requirat territorium, non intelligitur de territorio materiali, prout scilicet importat certum locum, seu certam regionem, vt *in l. pupillus, §. territorium, ff. de verb. signific.* sed de territorio formali, prout scilicet importat certos fines, intra quos in determinatas personas inhabitantes exerceri potest iurisdictio. Doctores quos sequitur Osuald. *lib. 17. comm. cap 9. n. 6. & seqq.* Et quod iurisdictio ordinaria non requirat territorium materiale, territorium enim formale absque dubio requirit, expressè tenet Glossa *in Clementina Romani, §. sanè, verb. Diœcesim, de elect. argum. ex cap. 1. de Relig. domib.* Felin. *in cap. post cessionem, in princ. de probat.* Geminian. *in cap. de Ordinariis, de offic. ordin. in 6.* Sarauia *de iurisd. q. 33. n. 41.* Rota *decis. 354. num. 10. part. 1. recentior.* Maranta *in specul. part. 4. dist. 5. tit.* An sit iudicium Ordinarij, *n. 5.* Moneta *de conseruat. cap. 7. n. 41.* & Merolla *tom. 3. disp. 7. cap. 5. dub. 2. n. 59.*

PETITIO XXIII.

An Conseruatores possint citare?

SVMMARIVM.

1 *Conseruatores possunt citare.*
2 *Conseruatores, mediante citatione, perpetuant suam iurisdictionem.*
3 *Citatio est necessaria in actibus iudicialibus.*
4 *Conseruatores debent citare etiam in notoriis.*
5 *Citatio per edictum est Principi reseruata.*
6 *Conseruatores possunt aliquando citare per edictum.*
7 *Delegatus Principis potest citare per edictum.*

RΕspondetur affirmatiuè, si citandus existat in loco citantis. Iason *cons. 145. lib. 4. n. 6.* vel in loco 1
non multùm distante. Gratian. *lib. 1. discept. forens. c. 170. n. 30. & 31.* Innocentius *in cap. 1. & vltimo, de offic. delegat. in 6.* Syluester *verb. Conseruatores 3. vers. Dico quintò*, Butrius *tract. de notorio, art. 4. num. 13.* Calderin. *in cap. Vestra, de cohabit. Clericor.* aliique passim; & habetur *ex dict. c. 1. de offic. delegat. in 6.* quatenus ibi dicitur, quod conseruator delegatus perpetua- 2
re possit suam iurisdictionem, quæ perpetuari quidem non potest sine citatione, *cap. Gratum, de offic. delegat. in 6.* ibi: [Citationibus, & sententiarum denunciationibus dumtaxat exceptis, quas per alios valeant exercere.] Et ratio est, quia in actibus iudicialibus 3
est necessaria citatio, *l. de vnoquoque, ff. de re iudic. & cap. cùm olim, de testib.* Ergo cùm conseruatores habeant iudicare, debent posse citare; quia concessa iurisdictione, conceduntur omnia ea, quæ ad ipsam exercendam sunt necessaria.

Et hoc adeò verum est, vt conseruatores possint, & 4
debeant citare etiam in notoriis, iuxta ea, quæ cum Glossa *in cap. ad nostram, de iureiur. & in cap. cùm sit Romana, §. fin. de appell.* tradunt *ibid.* Innocentius, Abbas, Imola, & Ioan. Andreas, Anchoranus *in cap. 1. n. 6. de offic. delegat. in 6.* Alexand. *in l. à Diuo Pio, §. In venditione, ff. de denunciat. num. 9.* Aret. *cons. 163. n. 7.* Clar. *§. final. q. 9. num. 4.* Farinac. *lib. 9. quæst. crim. q. 51. num. 67.* Caputs *tract. de notorio, membr. 4. n. 20.* Et habetur *ex Clementina Pastoralis, de re iudic. ex cap. Deus omnipotens, & ex cap. scelus, 2. quæst. 1.*

Non obstat, quod nonnulli, quos sequitur Scaccia *de re iud. cap. 76. num. 8.* teneant oppositum propter nonnullos textus, quos adducunt pro sua sententia; quia id solùm habet locum, quando constat, quod reo nulla possit competere defensio.

Quin quamvis citatio per edictum, cùm sit prin- 5
cipi reseruata, regulariter non sit permissa, Felinus *in cap. 2. de constit. n. 7.* Vantius *de nullitat. in rubric. de nullitate ex defectu citationis*, & alij; nihilominus quia in nonnullis casibus à iure permittitur, poterit conseruator etiam in iis casibus citare per edictum. Scaccia *de iud. cap. 34. num. 4.* Gayll. *obseruat. 57. pract. num. 14. lib. 1.* Rebuffus *tom. 3. ad constit. Gall. titulo de citatione, in præfatione, num. 93.*

Confectius *de priuil. Mendicant. tit.4. cap.7. in princip. & verb. Aduertendum est*, & Moneta *de Conseruatoribus, cap.8. n.39.* quia scilicet conseruatores sunt delegati summi Pontificis, & delegati principis possunt citare per edictum, *Auth. qui semel, Cod. quomodo & quando iud.* Et constat etiam *ex Constitutione 3. Pij V.* apud Confectium *de priuileg. Mendicant.*

PETITIO XXIV.

An Prælatus Regularis sibi præiudicet, si non vtatur foro conseruatorum?

SVMMARIVM.

1 *Prælatus Regularis non vtens foro Conseruatorum sibi non præiudicat.*

2 *Priuilegium respiciens plures actus non deperditur, nisi pro illa vice, pro qua quis illo non vtitur.*

3 *Ex actu contrario censetur renunciatum priuilegio tantum, quantum indicat actus contrarius.*

4 *Priuilegio, quod Religiosi conueniantur coram conseruatoribus, non potest renunciare Religiosus particularis.*

5 *Renunciatio priuilegij de conseruatoribus per actum contrarium, non tenet non consentientibus superioribus.*

6 *Spatio 40. annorum contra Ecclesias inferiores præscribitur priuilegium actu contrario.*

7 *Non sic similiter præscribitur priuilegium, ne Religiosi conueniri debeant coram conseruatoribus.*

8 *Decretum irritans impedit præscriptionem.*

9 *Habentes conseruatorem non possunt consentire, quod conueniantur coram Ordinario, si sint Religiosi, quia redundaret etiam in præiudicium Sedis Apostolicæ, cuius interest, subditos suos ab alio non iudicari.*

10 *Possunt tamen consentire alij, si scilicet non sint Religiosi: præiudicant autem sibi solis, at non alijs.*

1 Respondetur negatiuè. Doctores communiter, quos sequitur Federicus de Senis *cons.14. num.5.* Et ratio est, quia quod Religiosi conueniri debeant coram conseruatoribus, est priuilegium ipsorum Religiosorum: ergo si velint, poterunt illo non vti.

2 Vbi aduerte, quod si quis Religiosus pateretur, se conueniri coram alio iudice, quàm coram suo conseruatore, non propterea amitteret priuilegium pro omni vice; quia cùm priuilegium habeat tractum successiuum, respiciens scilicet plures actus, ad summum amitteret priuilegium pro illa vice. Bartol. *in l.1. §. Hoc interdicto, ff. de iter. act. priuil.* Cynus *in l. voluntariè, Cod. de excus. tut.* Salycet. *ibid.* Bald. *cons.237. in fine, lib.4. & in cap. plerumque, de rescript.* Alexand. *cons.195. lib.5.* Decius *in cap. cùm accessissent, de const. num.17.* Abbas *ibidem*, Felinus *num.27.* Puteus *decis.118. num.3.* & Rodriguez *tom.1. quæst. regular.*
3 *quæst.41. art.5.* Quia priuilegij renunciatio, cùm pendeat ex voluntate renunciantis, mensuratur ex voluntate eiusdem renunciantis, vt propterea ex actu contrario tantùm solummodò censeatur renunciatum, quantum indicat actus contrarius, *l. finali, Cod. ne vxor pro marito.* Ergo sicut actus contrarius solummodò trahit voluntatem renunciantis pro illa vice, sic etiam solummodò trahet renunciationem similiter pro illa vice.

4 Imò neque pro illa vice Religiosus validè priuilegium renunciaret, quia priuilegium, vt Religiosi conueniantur coram conseruatoribus, est Religionis priuilegium, cui non potest persona priuata renunciare, *cap. si dilecti, de for. comp.* Abb. *in c. ad audientiam, n.12. de præscrip.* Felin. *ibid.* Cened. *lib.1. pract. q.26. n.9.* Coch. *de iurisd. Ord. in exempt. part.3. q.12. n.4.* Rot. *dec.240. n.5. p.4. diuers. & decis.704. n.9. coram Buratto, & dec.72. n.9. part.1. recent. & decis.63. n.10. part.5.*

Præsertim, quia tractatur de superiorum Iure, quod 5
læditur per huiusmodi actum contrarium. Ideoque non consentientibus ipsis Superioribus, non tenet renunciatio per prædictum actum contrarium. Roman. *cons.369. n.18.* Cardin. *cons.38. circa finem*, Castrensis *cons.431. n.3.* Afflict. *decis.173.* Gratian. *decis.78. n.50.* Gayll. *obseruat.40. n.3. lib.1.* Thuscus *lit.C, concl.1027.* Cened. *vbi suprà, quæst.52. n.8.* & Costa *de scientia & ignorantia, censur.2. dist.66. n.5.* Vt propterea possint superiores prohibere, ne subditus prosequatur causam coram illo iudice, possintque causam reducere ad conseruatorem.

Imò etiam, quamvis per actus contrarios priuile- 6
gium contra inferiores Ecclesias spatio 40. annorum præscribatur, *cap. accedentibus, de priuil.* vbi præter alios Innocentius, & Abbas, & Syluest. *verb. Priuil.*
num.11. Nihilominus priuilegium hoc, vt scilicet 7
Religiosi conueniri debeant coram conseruatoribus, neque etiam spatio 40. annorum deperdetur; quia habet clausulam præseruatiuam Decreti irritantis, vti constat ex præcedenti constitutione Gregorij XV. §.12. vbi cùm priùs, §.9. Pontifex decreuerit, quod Religiosi conueniri debeant coram conseruatoribus, subdit: [Quæ omnia, & singula in præsenti constitutione contenta Sanctitas sua voluit inuiolabiliter obseruari, decernens sic in iis, cæterisque omnibus præmissis per quoscumque, &c. etiam sacri Palatij Apostolici Auditores, necnon sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata, &c. iudicari, &c. Necnon irritum,
& inane, &c.] Decretum autem irritans facit, vt per 8
actus contrarios, tanquam per actus nullos, non præscribatur Priuilegium. Abbas *in cap. cùm accessissent, de constit. num.6.* Imola *ibid. n.7.* Felinus *n.30.* Burg. *n.217.* Ant. Gabr. *lib.6. commun. concl. tit. de claus. conclus.3. n.39. & seqq.* Menoch. *de præsumpt. lib.6. præsumpt.41. n.10.* Rodriquez *tom.3. quæst. Regular. q.41. art.6.* & Moneta *de conseruatoribus, cap.10. n.430.*

Hinc sequitur, quod si Religiosi immediatè subie- 9
cti Sedi Apostolicæ, & habentes conseruatorem, conueniantur coram Ordinario, non possint consentire; quia (præterquam quod est Priuilegium concessum statui, non personæ) redundaret etiam in præiudicium Sedis Apostolicæ, cuius interest subditos suos ab alio non iudicari. Abb. *in cap.1. de re iudic. n.19.* Felin. *in cap. cùm olim, de præscript. num.3.* Ioan. Andr. *in cap. scienti, de Regul. iur. in 6. verb. si verò*, Franch. *ibid. num.4.* Castrens. *cons.432. n.3. lib.1.* Rota *in decis. Seraph.595. n.7. & in Vlyssiponensi Monasterij, die 19. Nouemb. anno 1625. coram Coccino, & in Gandauensi Monasterij, die 29. Aprilis, anno 1641. coram Pancirolo:* & fauet constitutio Gregorij XV. *de conseruatoribus*, §.9. ibi: [Statuit Sanctitas sua, vt coram ipsis conseruatoribus Regulares, ac personæ suprascriptæ conueniri, vel trahi debeant, &c.] & etiam §.12. vbi ponit Decretum irritans omnia contraria iis, quæ in ea constitutione disposita sunt.

Et hoc locum habet, etiamsi agatur de Iuribus competentibus ea cessione, siue causa sit criminalis, siue mixta, non obstante Concilio Tridentino *sess.14. cap.5. de reformat.* quia Concilium, ne sub illa dispositione comprehendantur, excludit Religiosos, sicut etiam excludit Vniuersitates Generales, Collegia Doctorum, Scholarium, & Hospitalia actu hospitantia, sicuti rectè præter alios aduertit Anguianus *lib.3. de legib. controuers.33. num.5. & 6.* & Moneta *de conseruat. cap.7. num.126.*

Sequitur secundò, quod si alij, præter Religiosos, 10
subiecti similiter conseruatoribus, conueniantur coram Ordinario, possint quidem è contra consentire; quia quilibet cedere potest Iuri, & priuilegio suo particulari, sed præiudicent tamen sibi solis, & non alijs. Rot. *in cit. decis. Seraph.595. n.7.* Ferretus *consil.102. n.18. lib.1.* & Corn. *cons.214. n.8. lib.2.*

PETITIO XXV.

Ad quem appelletur à Conseruatoribus?

SVMMARIVM.

1 *A conseruatore appellatur solùm ad Papam.*
2 *Appellatur ad eum, qui dedit iudicem.*
3 *Appellatur ad Papam, etiamsi conseruator datus à Papa sit laicus.*
4 *A conseruatore Clerico, qui sit datus à Principe laico, appellatur ad Principem laicum.*
5 *A conseruatore non appellatur ad Legatum, etiam à latere.*
6 *Delegatus Papæ in causa sibi commissa est maior Legato à latere.*
7 *Delegatus Papæ in causa sibi commissa est maior quocumque Ordinario.*
8 *A subconseruatore ad quem appelletur.*
9 *De Iure ciuili semper appellatur ad committentem.*

1 RESpondetur: solùm ad Papam, quia conseruatores sunt Iudices delegati in causa sibi commissa à Papa, *cap. 1. & 2. de offic. Iudic. delegat. in 6.* Ancharanus *consil. 72. num. 1.* & alij communiter, & desumitur *ex cap. super quæstionum, de offic. delegat. ex cap. si duo, titul. eodem in 6.* & ex iis, quæ tradit Abbas *in cap. 2. de offic. legat.* & Speculator *titul. de appellat. rubric. ad quem sit appellandum, §. nunc tractemus, n. 5.*
2 Et constat ex Regula generali, quod scilicet sit appellandum ad eum, qui dedit iudicem, *l. 1. ff. quis, & à quo appell. l. Imperatores, ff. de appellat. & l. Præcipimus, §. hac si, Cod. de Iudic.*
3 Hinc sequitur, quod etiamsi Papa det conseruatorem laicum, adhuc appelletur ad Papam. Doctores *in cap. 2. de iudic. & in cap. cùm sit generale, de foro competent.* Specolat. *vbi suprà, num. 8.* Germonius *de sacror. Immunit. lib. 3, cap. 19. num. 86.* & Moneta *de conseruator. cap. 9. num. 184.* Et desumitur *ex cap. si duobus, §. de-
4 nique, de appellat. & ex cap. nouit, de iudic.* Sicut etiam si Princeps laicus det conseruatorem Clericum, appellatur ad Principem laicum. Doctores *in cap. in Archiepiscopatu, de raptorib.* & Felinus *in dicto cap. cùm sit generale, de for. compet.*
5 Quin ita appellatur à conseruatoribus ad Papam, vt non possit appellari ad Legatum, etiam à latere. Ancharan. *consil. 132.* Ruin. *consil. 3. lib. 4.* & Confect. *de priuileg. Mendicant. titul. 3. cap. 5. circa finem.* Vbi subdunt, neque etiam valere consuetudinem, quod à conseruatoribus appelletur ad Legatum de latere; redduntque optimam rationem, quia non potest consuetudine introduci, quod à maiori appelle-
6 tur ad iudicem minorem: Conseruator autem tanquam delegatus Sedis Apostolicæ in causa sibi commissa, est maior Legato de latere; quia Legatus de latere habet iurisdictionem ordinariam, *cap. 2. de
7 offic. legat. in 6.* Et delegatus Papæ in causa sibi commissa est maior quocunque Ordinario, *cap. sanè 2. de officio delegat. & cap. Pastoralis, §. præterea, de officio Ordinar.* Quin quod delegatus Papæ in causa sibi commissa sit maior Legato de latere, desumitur etiam *ex cap. studuisti, de offic. legat.* vbi Doctores communiter, Ancharanus *consil. 132. num. 2.* Speculat. *titulo de legatis, §. superest, num. 48.* Ruinus *consil. 3. lib. 4.* & Mandos. *in prax. verb. Conseruatoria, in principio.*
8 Ad quem autem appelletur à subconseruatore? Respondetur distinguendo: si conseruator, etiam quoad vnam causam, commisit subconseruatori totam suam iurisdictionem, appellatur solùm ad Papam; si verò sibi reseruauit aliquid de iurisdictione, appellatur ad conseruatorem. Pars prior habetur *ex cap. super quæstionum, de offic. delegat.* ibi: [Cùm delegatus à nobis iurisdictionem suam in alium transfert totam, si fuerit appellandum, non ad eum, sed ad nos appellari debebit.] Et ratio est, quia si transtulit totam suam iurisdictionem in subconseruatorem, non remanet apud ipsum alia iurisdictio, cuius vigore in causa appellationis possit procedere. Pars posterior desumitur *ex cap. cùm te, de offic. delegat. ex cap. si delegatus, tit. eodem, in 6. & etiam ex dicto cap. super quæstionum,* indirectè, scilicet à contrario sensu; quia si ratio, cur non possit ad ipsum appellari, prouenit ex eo, quia commisit totam iurisdictionem; consequens est, quod si non commisit totam, sed sibi reseruauit aliquid, possit ad ipsum appellari.

Hoc autem procedit de Iure canonico, non de Iure 9
ciuili; quia de Iure ciuili semper appellatur ad committentem, *l. 1. ff. quis, & à quo appell. l. præcipimus, § hac si, Cod. de appell. & l. finali, circa fin. Cod. de iud.* Quia de Iure ciuili nunquam iurisdictio ita censetur committi in totum, quin remaneat etiam apud committentem.

PETITIO XXVI.

An constitutio Gregorij XV. de conseruatoribus afficiat Equites Hierosolymitanos?

SVMMARIVM.

1 *Constitutio Gregorij XV. non afficit Equites Hierosolymitanos.*
2 *Possunt tamen eligere Conseruatorem.*
3 *Asseruare tenentur, si eligant, formam ibi præscriptam.*

RESpondetur negatiuè, nisi quoad eligendos iudices 1
conseruatores; & quidem Equitum Hierosolymitanorum Religioni adhuc ius iudices conseruatores 2
eligendi competere, declarauit sacr. Congregatio Concilij Tridentini die 6. Februarij, anno 1627. per hæc verba: [Sacra Congregatio Illustrissimorum Cardinalium Concilij Tridentini interpretum censuit, constitutionem Gregorij XV. de conseruatoribus non afficere Religionem Hierosolymitanam, nisi quoad iudices conseruatores, sicque eidem Religioni adhuc ius eiusmodi iudices conseruatores eligendi competere.] Supradicta declaratio reperitur impressa *in Bullario Vrbani VIII. fol. 392.* quæ incipit: *Exponi nobis, &c.*

Accedit, quod cùm prædicta constitutio quoad Iudices conseruatores afficiat Equites Hierosolymitanos, consequens est, quod si prædicti Equites Hierosolymitani velint conseruatores eligere, tenentur illos eligere iuxta formam ibi præscriptam. Quod rursùs 3
etiam colligitur ex eadem constitutione prædicta; cùm reuocet illa electiones conseruatorum in specie, etiam Equitum Hierosolymitanorum, detque formam eligendi in posterum. Vnde fit, quod ipsi quoque Equites Hierosolymitani, cùm quoad hoc comprehendantur sub constitutione, teneantur seruare formam ibi præscriptam; quia non possunt eligi conseruatores alio modo, nisi secundùm formam ibidem præscriptam, præsertim stante decreto irritanti, *vt in §. 12.*

PETITIO XXVII.

Quid dicendum de electione conseruatorum, siue quoad tempus, siue quoad locum facienda?

SVMMARIVM.

1 *Religiosi possunt semper eligere conseruatorem, seruata forma.*

2 *Si iurisdictio conseruatoris extenditur ad plures Episcopatus, debet electio illius notificari apud omnes Episcopatus.*

3 *Electio conseruatoris non potest mutari intra quinquennium, nisi ex iusta causa, & à quo approbanda.*

1 Respondetur, & dico primò: Religiosi, quamvis conseruatorem non elegerint intra tempus à Gregorij XV. Constitutione præstitutum, poterunt nihilominùs eum semper eligere, dummodo eligant iuxta formam in eadem Gregorij XV. Constitutione præscriptam: sic declarauit sacra Congregatio die 18. Septembris, anno 1627. sicque etiam satis indicat eadem Gregorij XV. Constitutio, §.7. ibi: [Alioquin eo termino elapso, scilicet præscripto in constitutione ad eligendum, & docendum de electione, quamdiu conseruatores secundùm formam præsentis constitutionis non elegerint, coram eisdem Ordinariis conueniantur.] Ex quibus constat, quod conseruatorem eligendi facultas conceditur pro quocumque tempore.

2 Cæterùm, cùm iurisdictio conseruatoris pro Religiosis ex constitutione Pij V. ad tres dietas extendatur, fieri potest, quod extendatur ad plures Episcopatus; & cùm ex prædicta constitutione Gregorij XV. debeant, qui eligunt, notificare conseruatoris electionem Curiæ Ordinarij, necesse est, quod eam notificent Curiæ cuiuscumque Ordinarij, ad cuius Episcopatum iurisdictio conseruatoris potest extendi; alioquin solùm uti poterunt conseruatore, quem elegerint in illo Episcopatu, cuius Curiæ dicta electio notificata fuit: sic declarauit sacra Congregatio die 11. Iulij, anno 1620.

3 Dico secundò: conseruator electus secundùm formam Constitutionis Gregorij XV. durante quinquennio à die suæ electionis, mutari non potest, nisi interuenerit legitima causa, quæ vel à Sede Apostolica, vel à locorum Ordinariis approbanda erit: Poterunt tamen Religiosi, prout magis voluerint, pro approbatione causæ recurrere vel ad Sedem Apostolicam, vel ad loci Ordinarium: sic habet prædicta constitutio Gregor. XV. §.8. Poterit etiam conseruator Religiosorum durare in officio vltra quinquennium; quia decretum Tridentini Concilij *sess. 14. c. 5. de reform. vt conseruat. non duret vltra quinquennium*, non se extendit ad conseruatores Religiosorum, & nonnullos alios: sic habet Concilium *in fine cit. cap. 5. de reform.* Quapropter officium conseruatoris non est temporale. Doctores, quos sequitur Miranda *tom. 1. Manualis Prælator, quæst. 47. art. 6.*

PETITIO XXVII.

An conseruator possit recusari tanquam suspectus?

SVMMARIVM.

1 *Conseruator potest recusari tanquam suspectus, nisi debeat cognoscere de iniuriis notoriis, & notorium sit permanens, non transiens.*

2 *Recusato conseruatore, tanquam suspecto, sunt eligendi arbitri, qui iudicent de causis suspicionis.*

3 *Quid si oriatur competentia iurisdictionis inter conseruatorem, & Ordinarium?*

1 Respondetur affirmatiuè, existente tamen iusta causa, itavt etiam actores possint tunc recusare conseruatorem Religiosorum, & nolle, quod causa coram ipso agitetur; quia cùm conseruator sit Iudex, est eadem ratio de ipso, ac de aliis iudicibus: Iudex autem suspectus recusari potest, *leg. apertissimi, Cod. de iud. cap. Postremò, & cap. cum speciali, de appellat.*

Quamvis id locum non habeat, quando conseruator cognoscere debet de iniuriis notoriis, *cap. proposuit, de appellat.* Gloss. *ibidem, verb. manifesto*, Innoc. *in cap. 1. n. 4. de offic. delegat. in 6.* Hostiensis *ibid.* Sylvest. *verb. conseruat. n. 5.* Ceuallos *tom. 4. commun. contra com. q. 897. n. 779.* Caualcan. *decis. 33. n. 5. part. 3.* Farinac. *in quæst. crim. q. 25. n. 129.* Campanil. *in diuersor. Iur. rubr. 12. cap. 13. num. 25.* & alij communiter, dummodò tamen notorium sit permanens, non autem transiens. Farinac. *vbi suprà, q. 31. num. 131.* Bursat. *cons. 21. n. 23. lib. 1.* Carauit. *in Rit. Mag. Cur. rit. 265. n. 11.* & Lancell. *de attentat. part. 2. c. 6. n. 33.*

Si ergo contingat, quod conseruator recusetur tanquam suspectus, eligendi erunt arbitri, qui iudicent de causis suspicionis, vt de delegatis Apostolicis deciditur *in cap. cum speciali, de appellat.* & de conseruatoribus deciditur in Concilio Tridentino, *sess. 14. cap. 5. de reformat.* Erunt autem arbitri eligendi à partibus: quod si non adsit aduersarius, eligentur à recusante, & recusato; & si electi non concordent, addetur tertius, vt *in cit. cap. cum speciali, de appellat.* 2

Idemque erit seruandum, si oriatur controuersia super competentia iurisdictionis inter conseruatorem, & Ordinarium. Sic enim decernitur in Tridentino Concilio *loco suprà cit. & in constitut. Gregor. XV. §. 10.* 3

Quapropter Moneta *de conseruatoribus, cap. 9. n. 36.* minùs rectè dixit, quod conseruator, tanquam Index delegatus, sicque maior Ordinario, debeat cognoscere de competentia iurisdictionis, eo quòd qui est dignior, de controuersia, quando oritur inter duos Iudices, cognoscere debet: sic Doctores *in cap. Pastoralis, & cap. super literis, de rescript. & in cap. cùm sit generale, de for. competent.* quos sequitur Roman. *cons. 160.* Minùs rectè, inquam, Moneta sic dixit; quia hoc non valet in casu nostro; cùm in eo aliter à Iure sit expressè dispositum, vti dicebam.

PETITIO XXVIII.

An apostata, vel fugitiuus, si ad Religionem reuertatur, possit in Superiorem eligi?

SVMMARIVM.

1 *Apostata si ad Religionem reuertatur, potest in superiorem eligi, si ad eam reuersus religiosè viuat; quia oppositum in nullo iure habetur.*

2 *Textus in cap. per tuas, de Voto, de apostatis à Religione nihil prorsus dicit; sed solùm disponit, quod is, qui promotus est ad dignitatem Episcopalem, debeat illam resignare, cùm non impleuerit votum emissum ingrediendi Religionem.*

Respondetur affirmatiuè, si ad Religionem reuersus in ea religiosè viuat. Ancharan. *in cap. 2. Ne Clerici, vel Monachi in 6. n. 3.* Franch. *ibid. n. 7.* Oldrad. *cons. 202.* & alij, quos sequitur Azor. *tom. 1. Inst. moral. lib. 12. cap. 17. q. vltima*, quamvis contrarium sentiant Bellamera *in cap. leges 16. quæst. 1. in princ.* Sylvest. *verb. Excommunicatio 9. cas. 24. num. 51. not. 2.* & S. Anton. *3. part. tit. 24. cap. 53.* Vide quæ dicebam *suprà, sect. 27. petit. 1. 2. 3. & 4.* 1

Probatur, quia nullo Iure prohibetur, quod iste talis in Religionis superiorem eligatur: ergo.

Neque obstat textus *in cap. per tuas, de voto*, quem aduersarij contra nos adducunt; quia talis textus solum habet, quod is, qui promotus est ad dignitatem Episcopalem, debeat illam, cùm non impleuerit Religionem ingrediendi votum, quod priùs emiserat, resignare; & de apostatis à Religione nihil prorsùs dicit: Quapropter prædictus textus non facit ad rem. Videatur Azor. *lib. 12. instit. moral. cap. 17. q. vltima*, 2

Sanchez

Sanchez *lib. 6. moral. cap. 8. n. 32.* & Tamburinos *de iur. Abbat. tom. 3. disp. 8. q. 9. n. 4.* qui subdunt, quod textus videatur loqui solùm in casu, quo culpa perseuetat, & Religiosus non fuerit verè correctus.

SECTIO XXIX.

An Religio debeat apostatis, vel fugitiuis alimenta præbere?

SVMMARIVM.

1 *Religio non debet apostatis, vel fugitiuis præbere alimenta; quia in tantùm ea tenetur Religioso alimenta præbere, in quantum ei ipse seruit, & ministrat: quod non facit apostata, & fugitiuus.*

2 *Pater non tenetur alimenta præbere filio, qui voluntariè, & culpa sua recedit, & fugit ab eo.*

3 *Maritus neque tenetur alimenta præbere vxori, quæ voluntariè, & culpa sua diuertit, & fugit ab eo.*

1 RESpondetur negatiuè. Surdus *de alimentis, tit. 8. Priuil. 97. n. 6. & tit. 9. q. 27. n. 22.* Henricus *in cap. finali, de Regular. num. 6.* & alij passim.

Probatur, quia in tantùm Religio tenetur Religioso alimenta præbere, in quantùm ei Religiosus seruit, ac ministrat, ac quidquid acquirit, eidem acquirit. Surd. *de aliment. tit. 6. q. 15. n. 1.* Paulus *cons. 76. num. 1. vol. 1.* & alij communiter: at Religiosus apostata, vel fugitiuus Religioni non seruit, neque ministrat, idque voluntariè, & culpa sua: ergo non est, cur Religio teneatur ei alimenta præbere.

2 Confirmatur, quia si filius voluntariè, & culpa sua recedat, ac fugiat à Patre, non tenetur ei alimenta præbere pater Ascanius *in Clement. tit. de Patr. potest. effect. 17. num. 32.* Surd. *de aliment. tit. 7. quæst. 7. n. 1.* & Pinell. *in cap. 1. part. 1. num. 54. Cod. de bonis matern.* Ergo sic, &c.

3 Confirmatur secundò, quia si similiter vxor voluntariè, & culpa sua diuertat, ac fugiat à marito, non tenetur ei alimenta præbere maritus: Gloss. *in cap. significasti, verb. matrimonio, de diuortio.* Ioan. Lapus *in rubric. de donation. vir. & vxor. §. 64. n. 6. & 10.* & Surd. *cit. q. 7. n. 2.* Ergo neque Religioso apostatæ, vel fugitiuo tenebitur alimenta præbere Religio.

SECTIO XXX.

Ad quemnam pertineant bona acquisita à Religioso apostata, vel fugitiuo?

SVMMARIVM.

1 *Apostata, vel fugitiui bona, siue ad ipsum deueniant ab intestato, siue ex donatione, siue ex quocumque alio titulo, pertinent ad Cameram Apostolicam, si talis Religiosus moriatur extra Religionem, ex Constitutione Gregorij XIII.*

2 *Bona acquisita à Religioso apostata, vel fugitiuo, vel etiam eiecto, minùs rectè dixerunt aliqui spectare ad Cameram Apostolicam simpliciter, moti ex eo, quod Bulla Gregorij XIII. loquitur de Religiosis vagantibus, & morantibus extra claustra; quia cùm de Iure communi omnia, quæ acquirit Religiosus, acquirat Religioni, fit quod etiam apostata, & fugitiuus, quin & eiectus, cùm sit adhuc Religiosus, acquirat Religioni.*

3 *Non obstat Bulla Gregorij XIII. quia Pontifex in illa non applicat absolutè Cameræ Apostolicæ eorum bona, sed secuta eorundem morte, sicuti constat ex illis verbis, si decesserint sine facultate testandi. Dictio enim, si, importat conditionem, quâ non purificata, non habet locum dispositio; & idem dicendum est de bonis, quæ Religio vendicat sibi ante eorum obitum.*

4 *Bona acquisita à Religioso apostata, vel eiecto, qui prius fuerit in alia Religione, minùs rectè aliqui dixerunt spectare ad Cameram Apostolicam simpliciter; quia id locum habet solùm in casu, quo talis Religiosus decedat extra claustra: at priusquam ipsius mors eueniat, bona ab ipso acquisita erunt posterioris Religionis.*

5 *Apostata, & fugitiui bona prædicta antè talem Bullam deuoluebant ad illud Monasterium, ex quo prædictus Religiosus fugam arripuerat; quia Monasterium talem religiosum à se non abdicauit.*

6 *Bona serui fugitiui pertinent ad Dominum, à quo fugam fecit.*

7 *Religiosus apostata, vel fugitiuus, si consequatur Beneficium aliquod Ecclesiasticum, tunc cùm tale Beneficium tuta conscientia retinere non possit, quæ acquirit intuitu personæ pertinent ad Monasterium.*

8 *Religiosus apostata, vel fugitiuus, si transeat ad aliam religionem illegitimè, tunc bona, quæ talis religiosus acquirit, si posterior religio talem transitum esse illegitimum agnoscens, adhuc transeuntem recipiat, pertinent ad religionem priorem; quia quæ acquirit seruus, pertinent ad Dominum priorem, & non ad posteriorem.*

9 *Religio posterior, si dictum religiosum apostatam, vel fugitiuum recipiat bona fide, tunc bona, quæ acquirit talis religiosus, pertinent ad religionem posteriorem, quia quæ acquirit seruus fugitiuus, pertinent ad Dominum posteriorem bona fide illum possidentem: contra nonnullos putantes etiam in hoc casu pertinere ad religionem priorem.*

RESpondetur: Bona acquisita à Religioso apostata, vel fugitiuo, siue talia bona deueniant ad ipsum apostatam, vel fugitiuum ex intestato, siue ex donatione, siue ex quocumque alio titulo, pertinent ad Cameram Apostolicam, si talis Religiosus moriatur extra Religionem. Secus si non, iuxta ea, quæ mox infrà dicentur. 1

Probatur, quia sic expressè definitur in Bulla Gregorij XIII. quæ incipit: *Officij nostri*, anno 1577. & notat præter alios Nauar. *consil. 17. de statu Monachor.*

Vbi aduerte, quod minùs rectè simpliciter dixerint aliqui, bona acquisita à Religioso apostata, vel fugitiuo, vel etiam eiecto, spectare ad Cameram Apostolicam, moti ex eo, quod prædicta Bulla Gregorij XIII. loquatur de Religiosis vagantibus, & morantibus extra claustra, sicuti colligitur, inquiunt ipsi, ex illis verbis Bullæ: *Si decesserint sine facultate testandi.* Quæ facultas considerari non potest in Monacho, Auth. ingressi, *Cod. de Sacros. Eccles.* vbi communiter Canonistæ, & Lapus *allegat. 129. num. 18.* Et sicuti colligitur etiam in illis aliis verbis eiusdem Bullæ: *Extra claustra degentium*; & paulò infrà: *Post eorum obitum*, siquidem verbum *eorum*, est repetitiuum præcedentium cum omnibus eius qualitatibus. Bartol. *in leg. si quis seruum, §. finali, ff. de legat. 2. num. 5. & in leg. 1. ff. de receptator.* & Parisius *consil. 18. lib. 2. numero 32.* Ratio autem, cur minùs rectè sic simpliciter dixerint, est quia (cùm de Iure communi omnia, quæ acquirit Religiosus, acquirat Religioni) fit quod etiam apostata, vel fugitiuus, 2

quio & eiectus, cùm sit adhuc Religiosus, acquirat Religiooi, sicque acquisita ab ipso pertineant ad Religionem, *cap. Abbates*, 18. *q.*2. & notant Doctores, quos citat, & sequitur Donatus *in praxi rer. Regular. part.*2.*tract.*6. *de apostatis*, *q.*32. *n.*2. vt propterea si redeat ad Religionem, sint ipsius Religionis. Vide *infrà*, *sect.*43.44. & 45.

3 Non obstat prædicta Bulla Gregorij XIII. quam pro se adducebant aduersarij, quia Pontifex in illa non applicat absolutè Cameræ Apostolicæ eorum bona, sed secuta eorundem morte, sicuti constat ex illis verbis, *Si decesserint sine facultate testandi*; dictio enim, *si*, importat conditionem, qua non purificata, non habet locum dispositio: Vnde in præsenti purificari debet, quod decedant sine facultate testandi; & sicuti colligitur etiam ex illis aliis verbis, *Post eorum obitum*: Dictio enim, *post*, importat tempus, in quo locum habere incipit dispositio: Vnde si Religio vendicet sibi bona acquisita à Religioso apostata, vel fugitiuo, vel etiam eiecto, priusquam succedat illorum obitus, spectabunt prædicta bona ad ipsam Religionem, eruntque ipsius Religionis; quia Bolla loquitur de bonis apud ipsos repertis, dum obeunt, seu moriuntur. Vide *cit. sect.*43. 44. & 45. & quæ dicentur mox *infrà in petitione*.

4 Aduerte secundò, quod etiam minùs rectè simpliciter dixerint alij, bona acquisita à Religioso apostata, vel eiecto, qui priùs fuerit in alia Religione, spectare similiter ad Cameram Apostolicam, moti ea eo, quod prædicta Bulla etiam in tali casu pro Camera Apostolica clarè loquatur. Ratio autem, cur etiam minùs rectè sic simpliciter dixerint alij, est quia, sicuti dicebam, id locum habet solùm in casu, quo talis Religiosus apostata, vel fugitiuus, quin etiam & eiectus decedat extra claustra; at priùs quàm succedat ipsius mors, bona ab ipso acquisita erunt posterioris Religionis, si ad ipsam transiuerit legitimè, iuxta Regulam generalem, quod Monachus quidquid acquirit, acquirit Monasterio, seu Religiosus Religioni: Quod si non transiuerit legitimè, erunt Prioris Religionis; quia adhuc est membrum Prioris Religioois, & Religio posterior non acquirit aliquod ius per exceptionem ipsius illegitimam, vt dicam moa infrà in aduertendo 5. Imò peccant grauiter, & incurrunt excommunicatiooem ipso facto, qui ipsum recipiunt, iuxta priuilegia apud compendium Priuilegiorum Mendicantium, verb. Apostata, & iuxta constitutionem Pij V. (quæ incipit cuicumque sacrarum Religionum) de quibus videatur præter alios Bordon. *in consil. Regular. resol.*41. *quæst.*12.

5 Aduerte tertiò, quod ante talem Bullam prædicta bona simpliciter, & in omni casu pertinebant ad illud Monasterium, ea quo prædictus Religiosus fugam arripuerat, *cap. Abbates*, 18. *q.*2. & docent Imola *in l.*1. *§. per seruum, ff. de acquir. poss. n.*30. Iason *ibid. n.*13. Abbas *in cap. quod ante, de Cleric. coniug. n.*7. Innocentius *in cap. cùm olim* 2. *de Priuileg. n.*4. Ostiens. *ibid. n.*13. Ioan. Andr. *n.*7. Ostiensis *in cap. finali, de Regular. num.*3. Cardin. *ibid. n.*2. *q.*1. Rosella *verb. Religio* 4. *q.*10. Syluest. *verb. Apostata*, *q.*9. *n.*12. S. Antoninus 3. *part. titul.*16. *cap.*5. §.1. & alij communiter; quia Monasterium talem Religiosum à se non abdicat:

6 tum à pari, quia bona serui fugitiui pertinent ad Dominum, à quo fugam fecit, *l.*1. §.1. *ff. de acquir. vel amittend. possess.* Ergo bona Religiosi fugitiui pertinent ad Monasterium, à quo fugam arripuit.

7 Aduerte 4. quod si Religiosus apostata, vel fugitiuus consequatur beneficium aliquod Ecclesiasticum, tunc cùm tale beneficium tuta conscientia retinere non possit, quæ acquirit intuitu Ecclesiæ, pertinent ad Ecclesiam, *cap. cùm in officiis, de testament.* Quæ verò acquirit intuitu personæ, pertinent ad Monasterium, ea quo exiuit. Abbas *in cap. finali, de Regularib. num.*3. Ancharan. *ibid. in fine*, Henric. *num.*2. Tabiena *verb. Religio*, *q.*27. *num.*28. S. Anton. 3. *part. tit.*16. *cap.*5. §.1. & alij, quos sequitur Azor. *tom.*1. *Instit. moral. lib.*12. *cap.*16. *quæst.*8.

Aduerte quintò, quod si Religiosus apostata, vel 8
fugitiuus transeat ad aliam Religiooem illegitimè, tunc bona, quæ talis Religiosus acquirit (si posterior Religio talem transitum esse illegitimum agnoscens, adhuc transeuntem recipiat) pertineot ad Religiooem priorem. Angelus *verbo Religiosus*, *num.*44. Syluest. *verbo Religio* 4. *quæst.*10. Molin. *de iust. & iur. tom.*1. *disp.*144. *col.*12. *vers. quando Religiosus*, post Nauar. *commentar.*4. *de Regular. num.*24. Roderic. *tom.*2. *quæst. Regular. quæst.*79. *art.*2. Azorium *citato lib.*12. *cap.*15. *q.*3. Redoanus *de spoliis Eccles. q.*8. *num.*78. & alij passim: Quia quæ acquirit seruus, pertinent ad Domioum priorem, & non ad possessorem posteriorem malæ fidei, cùm ratione malæ fidei nullum ius in dicti serui bona comparauit: Ergo quæ acquirit Reliosus fugitiuus, pertineot similiter ob eandem rationem ad Religionem priorem, noo autem ad posteriorem.

Quod si verò è contra Religio posterior dictum 9
Religiosum apostatam, vel fugitiuum recipiat bona fide, tunc bona, quæ acquirit talis Religiosus, pertinent ad Religionem posteriorem. Socinus *in l.*1. *§. per seruum, ff. de acquir. possess. n.*12. Aretin. *ibidem*, *§. item acquirimus*, *num.*55. Nauarrus *comment.*2. *de Regular. num.*30. & alij, quos sequitur Azor. *cit. lib.*12. *cap.*10. *quæst.*1. quia quæ acquirit seruus fugitiuus, pertinent ad Dominum posteriorem bona fide illum possidentem, *l. si seruus, & l. Homo liber, §. quidquid, ff. de acquir. rer. domin.* Ergo sic, &c. in casu, quamuis nonnulli cum Alexandro *in citata l.*1. *§. per seruum, ff. de acquir. possess. n.*14. puteot quod etiam in hoc casu bona talis Religiosi pertineaot ad Religionem priorem: at quod priùs dicebam, videtor mihi probabilius.

PETITIO.

An si apostata tempore apostasiæ, vel etiam fugitiuus tempore fugæ contraxerit debita, & postea redeat in Religionem, Religio teneatur soluere prædicta debita creditoribus?

SVMMARIVM.

1 *Apostata tempore apostasia, vel etiam fugitiuus tempore fuga, si contraxerit debita, & postea redeat in Religionem, Religio non tenetur soluere pradicta debita creditoribus.*

2 *Religiosus non potest pro aliquo fideiubere, aut pecuniam mutuò accipere absque licentia maioris partis Capituli, & Abbatis, alioquin non tenetur Conuentus pro his aliquatenus respondere, nisi forsè in vtilitatem domus ipsius manifestè constiterit redundasse.*

3 *Apostata, vel etiam fugitiuus, cùm adhuc sit verè Religiosus, subiacet legibus caeterorum Religiosorum: hinc non potest se alteri obligare independenter à Conuentu.*

4 *Ratio naturalis dictat, quod qui sentit commodum, debeat sentire incommodum, & è contra, quod qui nullum commodum sentit, nullum sentire debeat incommodum.*

5 *Religio tenetur alere religiosum, quamdiu manet sub obedientia; secus si culpa sua fuerit extra.*

6 *Excipe debita contracta in vtilitatem religionis; quia si euidenter constiterit de dicta vtilitate, Monasterium tenetur persoluere illi vtilitatem perceptam.*

7 *Excipe*

7 *Excipe etiamsi apostata, vel etiam fugitiuus rediens in religionem secum afferat aliqua bona; quia tunc etiam Monasterium tenebitur soluere debita, non quidem ratione contractus, sed ratione vtilitatis perceptæ, & iuxta vtilitatem tantùm.*

8 *Apostata, vel etiam fugitiuus, si moriatur extra Religionem, bona ab ipsis quocumque titulo acquisita pertineat ad Cameram Apostolicam, ex dispositione Gregorij XIII.*

9 *Amplia etiamsi fuerint acquisita per illicitam negotiationem, aut quodlibet aliud exercitium Clericis prohibitam, vt medendi, aduocandi, Principibus inseruiendi, &c. si moriantur extra Religionem; secus si in Religione.*

10 *Amplia etiam ad ea quæ acquisiuerunt contra iustitiam, quamvis cum ipsis bonis in tali casu in Cameram, vel Monasterium transeat obligatio restituendi.*

11 *Bona apostatæ à Religione, vel fugitiui, quandiu is vixerit, possunt vendicari à Religione, vt sunt ipsius Religionis, si dictus apostata, vel fugitiuus redeat ad ipsam, vel reducatur, & in tali casu tenetur ad restitutionem eorum, quæ acquisita fuerunt contra iustitiam.*

12 *Apostata, vel etiam fugitiuus, si impetrauerit aliquod beneficium, bona ab vtroque acquisita ex fructibus beneficij, vel intuitu Ecclesiæ, spectabunt ad ipsam Ecclesiam; secus acquisita intuitu personæ, quia spectabunt ad Monasterium.*

1 RESpondetur negatiuè. Nauarrus *cons. 73. num. 3. lib. 3.* Portellus *in dubiis regular. verb. Apostata, num. 7.* Rodriquez *tom. 1. quæst. Regular. q. 30. art. 11.* & alij, quos sequitur Donatus *in praxi rer. Regular. tract. 6. q. 16. num. 1.*

2 Probatur authoritate, *ex cap. non dicatis, 12. q. 1. & ex cap. quod quibusdam, de fideiussor.* ibi: [Ne quis Religiosus absque maioris partis Capitoli, & Abbatis sui licentia pro aliquo fideiubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuam accipiat vltra summam à Capitulo constitutam; alioquin non teneatur Conuentus pro his aliquatenus respondere, nisi fortè in vtilitatem domus ipsius manifestè constiterit redundasse.]

3 Probatur secundò ratione, quia apostata, vel etiam fugitiuus, cùm adhuc sit verè Religiosus, subiacet legibus cæterorum Religiosorum: ergo (cùm non habeat velle, nec nolle, instar cæterorum Religiosorum) non potest contrahere, nec se aliquo modo alteri obligare independenter à Conuentu, itavt quidquid in contrarium egerit, sit nullum, & inualidum defectu potestatis.

4 Confirmatur, vnde & probantur exceptiones, quæ sequuntur; quia sicut ratio naturalis dictat, vt qui sentit commodum debeat sentire incommodum, iuxta Regulam Iuris *in 6.* sic etiam dictat è contra, quod qui nullum sentit commodum, nullum sentire debeat incommodum.

5 Neque dicas: Religio tenetur alere professum: ergo alens ipsum repetere potest à Religione.

Respondetur enim, iuxta ea quæ sectione præcedenti dicebam, quod Religio solùm teneatur alere Religiosum, quamdiu manet sub obedientia; secus si culpa sua fuerit extra.

6 Excipe tamen debita, quæ contracta fuerint in vtilitatem Religionis, & euidenter constiterit, Religionis Monasterium commodum percepisse; quia tunc tenebitur Monasterium persoluere illa, iuxta vtilitatem perceptam, vt habetur *in citat. cap. quod quibusdam*; & patet ex ratione, quia par non est, quod quis ex alieno ditescat.

7 Excipe secundò, si apostata, vel etiam fugitiuus, rediens in Religionem secum afferat aliqua bona; quia tunc etiam Religionis Monasterium tenebitur soluere debita. Miranda *tom. 1. manual. q. 31. art. 8. concl. 1.* Portellus *in dub. Regul. verb. Apostata, n. 7.* & alij, quos sequitur Donatus *in praxi rer. Regal. part. 1. tract. 6. q. 16. n. 10.* Non quidem ratione contractus, sed ratione vtilitatis perceptæ; sicque tantùm iuxta quantitatem bonorum perceptorum, vti dicebam.

Cæterùm, vti etiam dicebam, si apostata, vel etiam 8 fugitiuus, moriatur extra Religionem, bona ab ipsis quocumque titulo acquisita pertinent ad Cameram Apostolicam, ex dispositione Gregorij XIII. *in sua Constitutione 43.* quæ incipit, *Officij nostri partes.* Vbi declarans Constitutionem Pauli IV. de hac eadem materia, sic decreuit: [Bona quæcumque per Regulares extra claustra Ecclesiarum, Monasteriorum, domorum, & quomodocumque Regularium locorum degentes, quocumque iure, & actione, siue ex causa testati, siue intestati acquisita, & in posterum acquirenda, vel ad eos delata, in quibusvis Prouinciis, dominiis, regnis, & locis consistant, nisi iidem, ad quos illa spectauerint, sufficienti fuerint testandi, aut de illis disponendi facultate suffulti, eaque legitimè vsi fuerint, ad eandem Cameram Apostolicam pleno iure pertinuisse, & spectare, ac bona quæcumque eorundem sub spoliorum nomine comprehensa per ipsam Cameram, eiusque nomine à quibusvis illa quandoque occupantibus, & detinentibus recuperari, & vendicare potuisse, & posse, ac iuxta Pauli III. & aliorum prædecessorum nostrorum literas, eadem Camera Apostolica in huiusmodi bonis, spolia nuncupatis, verè vniuersaliter succedente.]

Quapropter omnia bona ab apostata, vel etiam à 9 fugitiuo acquisita, quamvis per illicitam negociationem, aut quodlibet aliud exercitium Clericis prohibitum (vt medendi, chirurgiam exercendi, Aduocandi, aut Principibus inseruiendi, &c.) pertinent ad Cameram Apostolicam post mortem ipsorum, si moriantur extra Religionem, vel si (vti præter alios notat Nauarrus *comment. de spoliis, §. 7. num. 4. & 5.*) in vita prædictis bonis per sententiam priuentur.

Quod etiam extenditur ad acquisita contra Iusti- 10 tiam: quamvis obligatio restituendi ea (cùm sequatur ipsa bona) transeat cum ipsis bonis ad eandem Cameram Apostolicam, quæ proinde tenebitur restituere creditoribus prædicta bona acquisita contra iustitiam.

At quia dispositio Gregorij XIII. (vti etiam di- 11 cebam) procedit tantùm de bonis relictis post mortem, ibi: *Si decesserint sine facultate testandi*; & ibi: *Post eorum obitum*, fit quod quamdiu vixerit apostata, vel etiam fugitiuus, bona ab vtroque acquisita possint extrahi à Religione; atque adeò si dictus apostata, vel etiam fugitiuus, redeat ad Religionem, sint ipsius Religionis; quia (cùm apostata, vel etiam fugitiuus, sit verè Religiosus) acquirit Religioni, vt propterea auferri debeant vtrique, & incorporari bonis Religionis, iuxta textum *in cap. Abbates, 18. quæst. 2.* ibi: [Quod si quis per contumaciam exstiterit indeuotus, aut per loca aliqua vagari, aut peculiare aliquid habere præsumpserit, omnia quæ acquisiuerit, ab Abbatibus auferantur, secundùm Regulam Monasterio profutura.] Vbi Glossa *verb. Acquisiuerit, & cap. cùm olim 2. de priuil.* vbi Innocentius, & alij Canonistæ, *& authentic. ingressi, Cod. de sacrosanct. Eccles.* vbi Doctores, & docent Syluester *verb. Apostata, n. 12.* Rosella *verb. Religio 1. n. 1.* S. Anton. *3. part. tit. 16. cap. 5.* Rodriq. *tom. 1. quæst. Regular. q. 30. art. 11.* Portell. *in dub. Regal. verb. apostata, num. 2.* & Sanchez *lib. 7. moral. cap. 33. num. 6.*

Quapropter bona omnia, quocumque titulo acquisita fuerint ab apostata, vel etiam à fugitiuo, spectabunt in tali casu ad Religionem, quæ solùm tenebitur ad restitutionem eorum, quæ contra iustitiam acquisita fuerint, vti dicebam de ipsa Camera Apostolica.

12 Quod si apostata, vel etiam fugitiuus, impetrauerit aliquod beneficium, bona ab vtroque acquisita ex fructibus beneficij, vel intuitu Ecclesiæ spectabunt ad ipsam Ecclesiam; itavt si alteruter redeat ad Religionem, teneatur ea relinquere Ecclesiæ: at si acquisiuerit intuitu personæ, vel ex propria industria, spectabunt ad Religionem; quia cùm acquisitio personalis sequatur personam, & persona translata sit in Religionem, fit quod ipsa quoque acquisitio transferatur in eandem Religionem. Vide *suprà in principio sectionis, aduertendo* 4.

APPENDIX.

Ad ea, quæ de fugitiuis, & apostatis suprà dicebantur?

SVMMARIVM.

1 *Regulares fugitiui, vel apostatæ sunt perquirendi à suis Religionum superioribus, & reducendi ad Religionem.*

2 *Religionum superioribus tunc insurgit obligatio perquirendi Religiosos fugitiuos, vel apostatas, quando habetur aliqua notitia vbi perquiri possunt.*

3 *Religiosos apostatas, vel fugitiuos perquirendi obligatio non solùm afficit Superiores Monasterij, à quibus aufugerunt, sed etiam Superiores maiores, & alios Superiores locales aliorum Conuentuum.*

4 *Religionum Superiores non tenentur perquirere, & reducere ad Religionem fugitiuos, vel apostatas, si non adsit spes emendationis illorum, vel si timeatur, quod aliis scandalum, vel periculum causaturi sint.*

5 *Religionum Superiores possunt suos subditos, vel apostatas capere vbicumque reperiantur, etiam extra territorium, & in manu cuiuscumque fuerint, nulla etiam præmissa monitione de reditu ad Religionem, & etiam si opus fuerit, inuocato brachio sæculari.*

6 *Iudices sæculares requisiti à Religionum superioribus ob præstandum brachium sæculare ad capiendum suos subditos apostatas, vel fugitiuos, tenentur præstare sub peccato mortali; quia agitur de re graui, quæ cadit sub obligatione ex connexione mutua, quam inter se inuicem habent iurisdictio spiritualis, & temporalis, & aliàs pœnis ad id cogi poterunt.*

7 *Apprehendentes, ligantes, & cogentes religiosum fugitiuum, vel apostatam, si adhibeatur brachium sæculare, vt redeat ad religionem, non incurrunt excommunicationem Canonis, etiamsi prædictum apostatam, vel fugitiuum resistentem pugnis, vel alio modo percutiant, aut etiam necessitate cogente vulnerent.*

8 *Religiosum fugitiuum, vel apostatam capere non solùm spectat ad Superiores religionum, sed etiam ad Ordinarios.*

9 *Religiosus fugitiuus, vel apostata, si non possit sine graui scandalo, vel periculo nouæ fugæ, vel apostasiæ ad agendum pœnitentiam detineri in vno Monasterio, ad proprij Monasterij expensas pro alimentis in alio Monasterio eiusdem religionis reponendus est. Et idem dic de vna Prouincia in alia, debetque eo casu recipi.*

10 *Bona quæ acquirit religiosus apostata, vel fugitiuus, pertinent ad suam religionem.*

11 *Amplia etiamsi sit in remotissimis partibus apud Indos, & etiam per longum tempus.*

12 *Item etiamsi acquisierit contra voluntatem religionis, & illicitè contra sacros Canones, peccando scilicet aliquo genere peccati, quod tamen non sit contra iustitiam.*

13 *Apostata in apostasia, vel fugitiuus in fuga, si impetrauerit beneficium alicuius Ecclesiæ, acquirit Ecclesiæ, si intuitu Ecclesiæ; & religioni, si intuitu personæ, vel sua industria acquisiuerit.*

14 *Si verò moriatur in dicta apostasia, vel fuga, pertinent acquisita ad Cameram Apostolicam.*

15 *Secus quæ prædictus religiosus in vita sua dederit religioni; quia tunc ea erunt religionis, & ad ipsam spectabunt.*

Regulares fugitiuos, vel apostatas esse perquirendos à suis Religionum Superioribus, & reducendos ad Religionem, decernitur *in cap. finali, de regul.* Quod innouat decretum de apostatis, & eiectis, anno 1624. ad constitutionem 26. Vrbani VIII. & §. 8. etiam [Quod fugitiui, vel apostatæ, siue habitum regularem deferant, siue non, possint, ac debeant ab Episcopo loci, vbi moram trahant, in carcerem conjici, ac Superioribus Religionum consignari secundùm regularia statuta puniendi; atque ipsi quoque Superiores Religionum teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere, atque efficere, vt apprehendantur, salua tamen in omnibus facultate Ordinariis locorum attributa decreto Concilij Tridentini *cap. 3. sess. 6.*] 1

Vbi aduerte, quod tunc Superioribus Religionum insurgat obligatio perquirendi Religiosos fugitiuos, vel apostatas, quando habetur aliqua notitia, vbi perquiri possint, alioquin præciperetur perquisitio non prudens, sed inanis, sine spe scilicet illos reperiendi. 2

Aduerte secundò, quod prædicta obligatio non solùm afficiat Superiores illos, in quorum Conuentu, vel Monasterio reperiebantur fugitiui, vel apostatæ, quando fugam arripuerunt, vel apostatarunt, sed etiam Superiores maiores, & alij Superiores locales aliorum Conuentuum; quia curare bonum commune Religionis spectat ad omnes, & fugitiui, vel apostatæ non sunt membra vnius Conuentus, sed totius Religionis. 3

Aduerte tertiò, quod prædicti Superiores Religionum non teneantur perquirere, & reducere ad Religionem fugitiuos, vel apostatas, si non adsit spes emendationis illorum, vel si timeatur, quod aliis scandalum, vel periculum causaturi sint, vel si commodè, seu aptè capi, vel detineri non potuerint. Syluest. *verb. Apostasia, n.* 10. Rodriq. *tom. 2. qq. regul. q. 30. art. 5.* Riccius *resol. 16. n. 4. part. 3.* Mirand. *tom. 1. manual. q. 51. art. 4.* & Donatus *in praxi rer. regul. part. 2. tract. 6. q. 15. n. 2.* Ratio, quia *in cap. finali, de regul.* innouato per dictum Decretum de apostatis, &c. dicitur, quod Superiores Religionum teneantur, etiam per censuras compellere fugitiuos, vel apostatas ad redeundum in Religionem, *salua Ordinis disciplina*: Ergo si hæc periclitaretur ex aliquo capite ex dictis, cessabit obligatio. Ex quo inferunt Syluest. & alij (quos sequitur Riccius *loc. sup. cit.*) quod neque teneantur Superiores Religionum illos perquirere, si ipsorum Regula contradicat, vt v. g. apud Benedictinos, qui prohibentur recipere eum, qui ter apostatauerit à Religione. Quapropter ad mentem prædictorum Doctorum recipiendus non est Religiosus fugitiuus, vel apostata, etiam sponte rediens, si non redeat facti pœnitentia ductus, sed vel ex necessitate, vel ex alio motiuo cópulsus, aut si exinde timeatur scandalum, vel periculum aliquod aliis secuturum. 4

Aduerte quartò, quod Superiores Religionum possint suos subditos fugitiuos, vel apostatas capere, vbicumque reperiantur, etiam extra territorium, & in manu cuiuscumque fuerint, nulla etiam præmissa monitione de reditu ad Religionem, & etiam, si opus fuerit, inuocato brachio sæculari. Tum ex multis priuilegiis, quæ concessa sunt Religionibus, vt videre est in compendio priuilegiorum, verbo apostata, & in mari magno Carmelitarum, §. Apostatas corrigi: tum etiam ex ratione; quia Religiosus comparatur seruo: seruus autem si fugerit, capi potest vbicumque fuerit, *l.* 1. *§. per seruum, ff. de acquirend. possess. & l. 5. Cod.* de curialib. &c. 5

Atque

Atque ita tenent Nauarr. *comment. 3. de regul. n. 50.* Rodrig. *tom. 1. q. regular. q. 30. art. 6.* Corn. *3. p. tract. 5. de excommunic. disp. 6. dub. 5.* Leander à Murcia *in c. 2. Regulæ S. Francisci, q. 15. n. 6.* Peyrin. *de priuil. ad const. 13. Leonis X. n. 7.* Donat. *in praxi rer. regul. tract. 6. q. 17. n. 1.* & Auila *de censur. p. 2. c. 3. disp. 2. dub. 4.* Qui tradit am Doctrinam extendunt etiam ad eum Religiosum, qui transacto termino extra Religionem morandi sibi concesso, renuit postea redire ad obedientiam Superiorum.

6 Aduerte 3. quod cùm ex dictis possint Superiores Religionum ad capiendos suos fugitiuos, vel apostatas inuocare brachium sæculare, teneantur Iudices laici sub mortali illud præstare; quia agitur de re graui, quæ cadit sub obligatione ex connexione mutua, quam inter se inuicem habent iurisdictio spiritualis, & temporalis; quæ cùm, vtpote temporalis, sicque Ordinis inferioris, subordinetur spirituali, sicque Ordinis superioris, debet quotiescumque opus fuerit, huic deseruire. DD. quos sequitur Peyrin. *de priuileg. ad constit. 1. Iulij II. n. 97.* Et ideò Iudices laici poterunt ad id cogi, & arbitrio Iudicis puniri, vel sub pœna excommunicationis compelli (cùm ex generali Regula possint per censuras compelli inobedientes. Menoch. *lib. 2. de arbitr. cas. 452.* & Rodrig. *tom. 1. quæst. regular. loc. suprà cit. ex cap. Administratores, 23. q. 5.*

7 Aduerte 6. quod si adhibeatur brachium sæculare, apprehendentes, & cogentes Religiosum fugitiuum, vel apostatam, vt redeat ad Religionem, non incurrant excommunicationem Canonis *Si quis suadente diabolo*, ex concessione quadam à Leone X facta Fratribus Minimis apud Peytin. *de priuileg. vbi suprà*, & est XIII. eiusdem Leonis X. Quin neque etiam iidem incurrant prædictam excommunicationem, si prædictum Religiosum fugitiuum, vel apostatam ipsis resistentem, pugnis, vel alio modo vrgeant, percutiant, aut etiam, necessitate cogente, vulnerent: Doctores, quos sequitur Peytin. *loco suprà cit. de priuil. ad constitut. 1. Iulij II. n. 95. & cap. si Clericos, de sent. excommunic. in 6.* ibi: [Nisi ex proposito excedatur in ipsis,] eum Gloss. & Alciato *verb. excedatur*.

8 Aduerte 7. quod capere Religiosum fugitiuum, vel apostatam, non solùm spectet ad Superiores Religionum, sed etiam ad Ordinarios, vt constat ex Trident. Concilio *sess. 25. c. 4. de reform. & ex decreto de fugitiuis, & apostatis*, itavt detur inter ipsos præuentio, sicque possint se inuicem præuenire; quia si Ordinarius præuenerit, tenetur prædictum fugitiuum, vel apostatam consignare Superioribus suæ Religionis, ab illis iuxta suas Regulas, & constitutiones puniendum.

Vnde fit, quod Officium Ordinarij sit solùm cooperari capturæ Religiosi fugitiui, & apostatæ, sicuti constat ex eodem decreto de apostatis suprà citato: vnde etiam fit, quod cum *in c. finali, de regul.* statuatur illis verbis. [Si verò huiusmodi fugitiuos inobedientes inuenerint, eos excommunicent, & tamdiu faciant ab Ecclesiarum Prælatis excommunicatos publicè nunciari, donec ad mandatum ipsorum humiliter reuertantur.] Teneatur Ordinarius ad instantiam Superiorum Religionum Religiosum fugitiuum, vel apostatam excommunicatum, atque adeò vitandum, donec resipiscat, denunciare.

9 Aduerte 8. quod si Religiosus fugitiuus, vel apostata non possit sine graui scandalo, vel periculo nouæ fugæ, vel apostasiæ ad agendam pœnitentiam detineri in vno Monasterio, ad proprij Monasterij expensas pro alimentis in alio Monasterio eiusdem Religionis reponendus sit, *c. finali, de regul.* quod iam innouatum est *in prædicto decreto de fugitiuis, & apostatis.* Vnde fit quod si quis Religiosus fugitiuus, vel apostata non possit detineri in aliqua Prouincia, possit cum administratione alimentorum transferri etiam ad aliam Prouinciam, & hæc teneatur cum recipere; quia quando edita fuit constitutio *dicti c. finalis, de regularib.* Monasteria ad inuicem inter se minùs communicabant; quàm nunc communicent Prouinciæ: Ergo potiot ratio nunc militat quoad Prouincias, quàm tunc militabat quoad Monasteria, eiusdem scilicet Religionis.

Aduerte 9. quod ea, quæ acquirit Religiosus apostata, vel fugitiuus, pertineant ad suam Religionem; tum quia sic definitur *in cap. Abbas, 18. q. 2.* tum quia tam apostata, quàm fugitiuus est verè Religiosus: ergo acquirere debet Religioni. Syluest. *verb. Apostata, q. 9. n. 12.* S. Antoninus *3. p. tit. 16. c. 5.* & alij passim. 10

Quod intellige etiamsi fit in remotissimis partibus apud Indos, & etiamsi sit per longum tempus in possessione suæ apostasiæ, fugæ, vel libertatis; quia est eadem ratio. Cardinalis de Lugo *tom. 1. de iust. & iur. disp. 2. sect. 11. n. 235.* 11

Item intellige etiam, si acquisiuerit contra voluntatem Religionis, & illicitè contra Sacros Canones, peccando scilicet aliquo genere peccati, quod tamen non sit contra iustitiam; quia tunc nulli alteri dominium acquiritur, sed remanet apud Dominum. Rosella *in sum. verbo Religio 1. num. 1.* Nauarr. *in commentariò de spoliis, §. 7. n. 3. & seqq.* Suarez *4. tom. de religion. tract. 8. lib. 3. c. 2. n. 23. & seqq.* Sanchez *lib. 7. moral. cap. 33. n. 6.* 12

Quod si apostata in apostasia, vel fugitiuus in fuga impetrauerit beneficium alicuius Ecclesiæ, ea quæ acquirit intuitu talis Ecclesiæ, pertinent ad talem Ecclesiam; quia ea illi Ecclesiæ acquirit, vt pars illius Ecclesiæ: ea verò, quæ acquirit intuitu personæ, vel sua industria, acquirit Religioni; quia persona, & industria personæ pertinent ad Religionem. S. Antonin. *3. part. tit. 16. c. 5. §. 1.* Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 12. c. 16. q. 8.* & alij communiter. 13

Quod si tandem Religiosus moriatur in apostasia, vel in fuga, vel alio modo extra claustra, extra quæ tamen viuebat, etiam de licentia suorum Superiorum, quæ supersunt, pertinent (dummodò iuxta ea, quæ dicebam, non fuerint acquisita contra iustitiam,) ad Cameram Apostolicam; quia sic declarauit Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit, *Officij nostri*, edita anno 1577. & est in secundo Tomo Bullarij, inter Bullas huius Pontificis *n. 43.* & tradunt præter alios Nauarrus *lib. 3. consilior. tit. de regularib. consil. 80. edit. prima, & tit. de statu Monachorum, cons. 17. edit. secunda*, Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. c. 2. n. 30.* & Sanchez *lib. 7. moral. c. 33. n. 9.* Vide quæ dicebam *suprà, sect. 25.* 14

Secus quæ prædictus Religiosus in vita sua dederit Religioni; quia tunc ea erant Religionis, & spectabunt ad Religionem. Excipe, si culpa aliqua fuerit ex parte Religionis (eo quòd scilicet ea egressus, vel non reuersus fuerit ad Religionem culpa ipsius Religionis; quia tunc poterit in pœnam Religio iis à Camera priuari, sicque tenebitur Religio ea Cameræ restituere, si Camera petierit. Quod dixi, quia nemo tenetur ad pœnam ante instantiam, & condemnationem. Videatur præter alios Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. ... c. 2. n. 27.* 15

SECTIO XXXI.

An Religio aliquando possit ejicere Religiosum?

SVMMARIVM.

1 *Religio aliquando potest ejicere religiosum ob grauia & enormia delicta, si scilicet ob illa sit incorrigibilis; tunc enim id non fit crudeliter, sed misericorditer, ex communi Doctorum sententia.*

 2 *Religios.*

2 *Religiosi eiecti subiecti sunt Ordinario, eo quòd per eiectionem dissoluitur quodammodo contractus, per quem Religiosus tanquam membrum incorporabatur Religioni, sicque quodammodo fit extraneus.*

3 *Ejiciendi licentia seu facultas Religiosum incorrigibilem, fuit à Summis Pontificibus concessa pluribus Ordinibus.*

4 *Ejiciendi Religiosum incorrigibilem Priuilegiis vti possunt omnes illa religiones, qua habent priuilegium communicationis.*

5 *Superiores tantùm ex priuilegio Alexandri VI. & aliorum possunt è religione ejicere eos Religiosos, quos incorrigibiles esse, prudenter iudicauerint.*

6 *Praxis ejiciendi incorrigibiles viget in omnibus religionibus.*

7 *Regula S. Benedicti, & S. Augustini expressè tradit, quod Religiosum improbus, si corrigi nolit, ejici possit.*

8 *Regula S. Benedicti expressè etiam tradit, quod monachus tertiò fugiens, non sit ampliùs admittendus; quod perinde est, ac si dicatur, quod tertiò fugiens ejici debeat.*

9 *Quadrant pro dicta eiectione Apostoli verba*, cap. 5. ad Galatas: *Vtinam abscindantur qui vos conturbant, idest qui conturbant patem vestram.*

10 *Malum est auferendum, inquit S. Thomas, secundùm Apostolum, ne modicum fermentum totam massam corrumpat; ideò monachus, si corrigi, & emendari renuerit, tùm contumax est, meritò repellitur.*

11 *Resecanda sunt putridæ carnes, & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Arrius enim in Alexandria vna tantùm scintilla fuit; sed quia non statim oppressa est, totum Orbem eius flamma est populata, &c.*

12 *Bonum commune præferri debet bono particulari: consequenter Religiosus incorrigibilis tanquam homo pestiferus ejici debet.*

13 *Religiosus incorrigibilis, si è Religione ejiciatur, faciliùs à multis obiurgari, & hac ratione resipiscere potest, & suo exemplo, improbisque moribus minùs alios nocebit, &c.*

14 *Abscindi debent vulnera, quæ fomentum medicina non recipiunt.*

15 *Religiosus improbus tùm suis moribus conatur peruertere institutum, aliosque Religiosos institutum profitentes, non obseruat, quod in professione promisit, se scilicet institutum esse obseruaturum.*

16 *Respublica debet expurgari improbis hominibus, & consequenter Religio improbis religiosis.*

17 *Senatores ob grauia delicta ejiciuntur à numero Senatorum, & milites priuantur insigniis militaribus.*

18 *Iudices Ecclesiastici ob grauia delicta in sæculo spoliant, & priuant Clericos sæcularee habitu clericali, & aliis Priuilegiis tali statui concessis, traduntque eos ad mortem Magistratui sæculari.*

19 *Religio tenetur alere Religiosum, si is viuat modo Religioso: secus si viuat modo non Religioso, & grauia delicta committat; quia tunc potest ei alimenta denegare, vt & alij non labantur, & ipse resipiscat.*

20 *Religiosus si è religione ejiciatur, habet occasionem liberiùs peccandi, ita tamen vt occasio sumpta & scandalum Pharisaïcum, non vt occasio data, & sic sit scandalum pusillorum.*

21 *Contumax etiam per excommunicationem ejicitur ab Ecclesia, vt similiter & alij non cadant, & ipse celeriùs emendetur.*

22 *Nullus homo, quantumvis malus, si velit corrigi, & non sit inobediens, seu contumax, debet excommunicari: sic etiam nullus religiosus, quantumvis improbus, si velit emendari, & non sit incorrigibilis, non debet à religione ejici.*

R_Espondetur affirmatiuè, v. g. ob grauia, & enormia delicta, si scilicet ob illa sit incorrigibilis: Quod tunc, vt habetur *in Regula S. August. c.* 20. non fit crudeliter, sed misericorditer, ne scilicet talis improbus Religiosua plurimos contagione pestifera perdat in damnum totius communitatis. 1

Probatur primò, quia ex communi sententia Doctorum ita tenent S. Thomas *quodlibet.* 12. *art. vlt.* Anton. *in c. cùm olim* 2. *de priuil. n.* 36. Nauarr. *comment.* 2. *de Regular. n.* 33. *vers.* 2. & *cons.* 77. *n.* 1. *de regul.* & *in c. nullum,* 18. *q.* 2. *n.* 52. S. Antoninus 3. *p. tit.* 16. *c.* 4. *in fine,* Glossa & Abbas *in c. vlt. de regul.* Lessius *de Iust. & Iur. lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 104. *n.* 106. Syluest. *verb. Religio* 6. *q.* 17. & *verbo Abbas, q.* 3. *n.* 6. *vers.* 2. Tabiena *eodem verbo Religio, q.* 45. Armilla *n.* 28. Corduba *in explicat. Regul. S. Francisci, cap.* 2. *q.* 21. *punct.* 1. Molina *de Iust. & Iur. tom.* 1. *disp.* 130. *vers. de eiectis à religione,* Miranda *tom.* 1. *Manualis, quæst.* 52. *art.* 1. *concl.* 1. S Bonauent. *in quæstionibus circa Regulam Sancti Francisci, c.* 14. Vmbert. *in expositione Regulæ Sancti Augustini, c.* 99. Turrecrem. *in exposit. Regula S. Benedicti, tract.* 88. & alij passim, quos sequitur Azor. *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 12. *c.* 16. *q.* 2.

Videri præter alios poterit Innocent. *in c. cùm dilectus,* 2. *n.* 4. *de priuil.* Hostiens. *in c. Quod Dei, de stat. Monach.* Ioan. Andr. *in Clement.* 1. *eodem titulo,* & Pasqualig. *in Addit. ad Lauretum, tit. de eiectis, & apostatis.* Quatenus id supponendo inquiunt, quod eiecti sint subiecti Ordinario, eo quòd per eiectionem dissoluitur quodammodò contractus, per quem Religiosus, tanquam membrum, incorporabatur Religioni; sicque quodammodò fit extraneus. Et idcò non potest frui exemptione, quæ conceditur Religioni (cùm exemptio non se extendat, nisi ad membra Religionis) & etiam statim ac est eiectus è Religione, subditur Episcopo, vt eum recognoscat tanquam superiorem. 2

Quamvis id sit contra Imolam *in cap. cùm in Ecclesia, de maioritate, & obedientia, n.* 8. Ioan. Andr. *ibid. n.* 8. Cardinalem Zabarellam apud Nauarrum *in citatate comment.* 2. *n.* 33. Angelum *verb. Abbas, num.* 18. Graffium *in decis. p.* 1. *lib.* 3. *c.* 5. *n.* 145. Quatenus aiunt, quod Religiosus ob nullum crimen à Religione sit ejiciendus, sed si rebellis, & incorrigibilis fuerit, sit apud Monasterium in carcerem conjiciendus.

Secundò probatur, quia sicuti videre est, præsertim apud Compendium *Priuil. Mendicant. verb. ejicere,* & apud Cordubam *in Regul. S. Francisci, c.* 2. *q.* 21. *p.* 1. plures Pontifices Romani pluribus Ordinibus sacris facultatem ejiciendi è Religione subditos Religiosos incorrigibiles de facto iam concesserunt; sic Innocentius IV. Ministris Ordinis S. Francisci in quodam Priuilegio, quod incipit, *Iustis petentium,* & in alio, quod incipit, *Paci & tranquillitati.* Sic etiam Alexander IV. iisdem Ministris eiusdem Ordinis *S. Francisci* in quodam Priuilegio, quod etiam incipit, *Iustis petentium,* Sixtus IV. & alij complures Pontifices, vt habetur *in Mari magno* prædicti Ordinis Sancti Francisci, & in compendio Priuilegiorum, verbo Apostata ab ordine, & quidem *in* §. 4. *dicto verbo ejicere,* habemus, Alexandrum VI. concessisse facultatem Generalibus Ordinum Minimorum, quod per semetipsos dumtaxat, & Prouincialibus, quod per ipsos cum consensu maioris partis Capituli Prouincialis Religiosos dicti Ordinis, quos incorrigibiles inuenerint, possint habitu spoliare, & ab Ordine ejicere, & cótra quoscumque eis auxilium, consilium vel fauorem publicè, vel occultè, directè, vel indirectè, vel quovis quæsito colore super dicti habitus delatione præstantes, cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis, & conditionis fuerint, etiam per censuras Ecclesiasticas, ac alia Iuris opportuna remedia, appellatione postposita, procedere, inuocando etiam, si opus fuerit, auxiliũ brachij sæcularis. Et tandem Vrb. III. vti videre est *infrà, sect.* 3 2. & 79. 3

Vbi

4 Vbi aduerte, quod prædictis priuilegiis possint vti illæ omnes Religiones, quæ habent priuilegium communicationis. Est sententia communis Doctorum.

5 Aduerte secundò, quod ex hoc priuilegio Alexandri I. sicuti etiam ex aliis priuilegiis aliorum Romanorum Pontificum, Superiores tantùm possint è Religione ejicere eos Religiosos, quos incorrigibiles esse prudentes indicauerint; & ex decreto nouissimo Vrbani VIII. solus Pater Generalis cum consensu sex aliorum Patrum, vt videre est etiam *infrà, cit. sect. 3 a. & cit. sect. 70.*

6 Tertiò probatur, quia sic habet Praxis omnium Religionum.

7 Quartò, quia regula S. Benedicti *cap.* 28. & regula S. Augustini *cap.* 10. expresè tradunt, quod Religiosus improbus, si corripi nolit, ejici possit.

8 Quintò, quia regula eiusdem S. Benedicti *cap.* 29. expresè etiam tradit, quod Monachus tertiò fugiens non sit ampliùs admittendus; idque perinde est, ac si dicatur, quod reuersus ejici debeat.

9 Sextò, quia sic colligitur ex Apostolo *c. 5. ad Galatas*, ibi: *Vtinam abscindantur, qui vos conturbant*, id id est, qui conturbant pacem vestram, & bonam famam; quemadmodum interpretatur S. Bonauent. *in regula S. Francisci, q.* 14. Quapropter & S. Thomas

10 etiam *quodlib.* 12. *quaest. vlt.* inquit: [Quoniam secundùm Apostolum malum est auferendum, ne modicum fermentum totam massam corrumpat. Ideò Monachus, si corrigi, & emendari renuerit, cùm contumax est, meritò repellitur.] Item sic colligitus *ex c. Resecandæ*, 24. *q.* 3. quod est desumptum ex S. Hieronymo *in*

11 *epist. ad Galatas, cap.* 5. ibi: [Resecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant: Arrius enim in Alexandria vna tantùm scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum Orbem eius flamma est populata:] Item sic colligitur *ex cap. finali, de Regularib. & ex cap. Cùm ad Monasterium, de statu Monachor.* vbi dicitur, expellendum esse è Monasterio Monachum proprietarium. Item tandem sic etiam colligitur *ex cap. Illud sanè*, 24. *q.* 3. vbi dicitur, iis quibus non potuit prodesse correctio, non debere parere abscissionem.

12 Septimò ratione, quia bonum commune præferri debet bono particulari: ergo Religiosus incorrigibilis, tanquam homo pestiferus, ejici debet, ne tota Religio perturbetur, & inficiatur: Vnde rectè dixit Sanctus Bernardus: Meliùs est, vt pereat vnus, quàm vnitas: ideoque in Republica sunt exilia, & in Ecclesia excommunicationes; quapropter hoc ius ex naturali iure descendit: in carcerem autem omnes Religiosos incorrigibiles includere nimis graue onus Religionis esset, & sæpè propter consanguineos, atque amicos fieri non potest, multáque alia incommoda secum inuoluit.

13 Confirmatur, quia si Religiosus incorrigibilis è Religione ejiciatur, faciliùs à multis obiurgari, & hac ratione resipiscere poterit, & suo exemplo, impróbique moribus minùs aliis nocebit; cùm tamen, si in Religione permaneret, multos peruerteret, *cap. Nec liceat, distinct.* 57. *cap. Nemo, distinct.* 83. *& cap.* 1. *dist.* 96. Poterit etiam esse, vt ex status mutatione mutet ipse mores, *cap. Valet, distinct.* 81. ergo meritò conceditur facultas ejiciendi Religiosos incorrigibiles è Religione.

14 Confirmatur secundò, quia abscindi debent vulnera, quæ fomentum Medicinæ non recipiunt, *c. Quia, circa finem, dist.* 85. Et magis expedit Religioni, quod tales Religiosos à se ejiciat, quàm quod in illis in æternum puniatur, *c. Illud sanè*, 24. *q.* 3.

15 Confirmatur tertiò, quia cùm Religiosus improbis suis moribus c onetur peruertere institutum, aliosque Religiosos in stitutum profitentes, non obseruat, quod in professione promisit, se scilicet institutum esse obseruaturum: vnde & Monasterium illi tacitè etiam promisit de retinendo ipsum, tanquam filium in Religione: ergo cum fidem datam ipse non obseruet, nec altera pars fidem illi datam de retinendo ipso in Religione obseruare debebit, sed poterit illum, tanquam ouem scabiosam, & pestiferam, ex suo ouili depellere. Antecedens patet: Consequentia probatur, quia frangenti fidem fides pariter frangenda est, *c.* 3. *de iureiurand. cap. frangenti, de regul. Iur. c. si infideli*, 28. *q.* 1. *& l.* 1. *circa finem, ff. de locis publicis.*

16 Confirmatur quartò, quia Respublica debet expurgari improbis hominibus, *l.* 3. *& l. Congruit, ff. de offic. Præsidis*: ergo & Religio debet expurgari improbis Religiosis.

17 Confirmatur quintò, quia ob grauia delicta Senatores ejiciuntur à numero Senatorum, *l.* 2. *& 3. ff. de Senatoribus*, & milites priuantur insigniis militaribus, *l.* 3. *§. si infrà vociferationem, ff. de re militari*. Ergo & ob grauia delicta Religiosi ejici debent è Religione.

18 Confirmatur sextò, quia ob grauia delicta etiam Iudices Ecclesiastici in sæculo spoliant, & priuant Clericos sæculares habitu Clericali, & aliis priuilegiis tali statui concessis, traduntque eos ad mortem magistratui sæculari, vt sic timore pœnarum alij non cadant, sed contineantur in suo officio Ecclesiastico: ergo multò magis ob grauia delicta Prælati Regulares poterunt è Religione ejicere suos subditos Regulares, vt sic timore ejectionis è Religione alij non labantur, & contineantur in officio regulari.

19 Objicies: Religio tenetur alere Religiosum. Innocentius *in cap. Quanto, de offic. ordin. num.* 2. Abbas *in cap. Ex parte, de accusat. n.* 8. Surd. *de aliment. tit.* 1. *q.* 75. *n.* 5. & alij passim: ergo non potest ejicere illum.

Respondetur ex dictis, distinguo antecedens: si Religiosus viuat modo religioso, concedo; si viuat modo non religioso, & grauia delicta committat, nego; quia tunc Religio potest ei alimenta denegare, vt & alij non labantur, & ipse faciliùs resipiscat, præsertim si aliunde poterit sibi victum acquirere: quod mirum esse non debet, quia & parentes liberis quos de iure naturæ tenentur alere, *l. prima, §. huius, ff. de iust. & iure, & instit. de iure natural.* si contumaces sint, possunt etiam alimenta non præstare, *l. Aliud quoque, Authent. Vt cum, de appell. cognosc.*

20 Instabis: si religiosus è religione ejiciatur, habet occasionem liberiùs peccandi: ergo non est, cur ejiciatur: sed potiùs debebit apud religionem in carcerem intrudi.

Respondetur: distinguo antecedens, Itavt sit occasio sumpta, & sic sit scandalum Pharisæorum, concedo. Itavt sit occasio data, & sic sit scandalum pusillorum, nego; quia rationabiliter, vti suprà dicebam, ejicitur, cùm alioquin suis prauis moribus, & suasionibus possit multis obesse, iuxta id, quod habetus *in l. omne delictum, §. qui in acie, ff. de re militar.* Sic 21 etiam per excommunicationem ejicitur contumax ab Ecclesia, vt similiter & alij non cadant, & ipse celeriùs emendetur: quapropter optimè dixit Syluester *verbo Religio* 6. *n.* 17. Quod sicut nullus homo, quan- 22 tumvis malus, si velit corrigi, & non sit inobediens, seu contumax, debet excommunicari, vel ab excommunicatione absolutione priuari, sic etiam nullus Religiosus, quantumvis improbus, si similiter velit emendari, & non sit incorrigibilis, non debeat è Religione ejici.

COROLLARIVM.

SVMMARIVM.

1 *Ejectio est remedium ordinarium præcipuè in facie-*

rem, & bonum religionis; quia cùm illi, qui ejiciuntur, suis prauis moribus inficere possint alios, adinuentum est tale remedium eiectionis ad præcauendam infectionem aliorum: & est etiam ordinatum in fauorem ipsius eiecti, hoc est ad eius correctionem.

1 EX dictis sequitur, quod eiectio sit remedium ordinatum, præcipuè in fauorem, & bonum Religionis, quia cùm illi, qui ejiciuntur, suis prauis moribus inficere possint alios, adinuentum est tale remedium eiectionis ad præcauendam infectionem aliorum, vt habetur in ipso decreto Sacræ Congregationis Concilij Tridentini *de eiectis*, §. 6. ibi: [Ne contagione pestifera plurimos perdat, tanquam pecus morbids, & membrum putre, ejici tandem possit.] Est etiam ordinatum in fauorem, & bonum ipsius eiecti, vt ipse scilicet considerans suum miserabilem statum, pudore compulsus tandem resipiscat, & corrigatur: vnde fit quod non possit quis ejici, nisi sit verè incorrigibilis, vt habetur in eodem decreto Sacræ Congregationis Tridentini; quinam autem dicatur verè incorrigibilis, dicam *infrà*, *sect.* 33.

SECTIO XXXII.

A quonam Religiosus incorrigibilis è Religione ejici possit?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus incorrigibilis à Religione ejici non potest, nisi à Generali, vel præciso nouissimo Vrbani VIII. Decreto, etiam à Prouinciali, cum consensu maioris partis Capituli prouincialis: quod probatur ex priuilegiis Pontificiis.*

2 *Generales omnium Religionum vti possunt hoc Priuilegio, qua priuilegiorum communicationem habent.*

3 *Verba*, De Concilio Patrum Monasterij S. Bartholomæi de Luparia, *sunt apposita, quia Generalis illius Ordinis ibi ordinariè residere solet. Quapropter si inde discesserit, poterit etiam prædicto Priuilegio vti de consilio Patrum illius Monasterij.*

4 *Prælati Regulares volentes ex Ordine ejicere suos Religiosos incorrigibiles virtute Priuilegij Alexandri VI. concessi Generalibus Ordinis Minorum, quod per semetipsos dumtaxat, & Prouincialibus de consensu maioris Partis Capituli Prouincialis possint Religiosos dicti Ordinis, quos incorrigibiles nouerint, habitu spoliare, & ab Ordine ejicere, tenentur sequi consilium maioris partis Capituli, imò & obtinere consensum vigore dicti Priuilegij: aliter eiectio erit nulla.*

5 *Pius V. concessit Ordini S. Hieronymi, quod possit Generalis per se, vel per suos ministros ejicere è Religione suos Religiosos incorrigibiles de consilio Patrum ipsius. Quare Prælati Regulares volentes vti hoc priuilegio non teneantur sequi dictum consilium; quia consilium non requiritur ad necessitatem, sed tantùm ad vtilitatem.*

6 *Prælatus si ejiciat suum subditum Religiosum incorrigibilem, cum alij patres, quos consulere tenetur, aliud sentiant de illius eiectione, potest eiectus ab illius sententia appellare: At non inde sequitur, quod Prælatus teneatur sequi consilium maioris partis prædictorum patrum; sed quod causa appellationis eiectis sit rationabilis, &c.*

7 *Prælatus quando ejicit à Religione Religiosum incorrigibilem ex priuilegio Pij V. tenetur id facere de consilio patrum; at non tenetur sequi maiorem partem illorum, quia sæpè contingere potest, vt quia consultores aliter sentiunt, quamvis Prælatus audiendo ab illis aliquas causas, vel rationes, mutet sententiam.*

8 *Recensetur decretum editum die* 21. *Septembris, anno* 1624. *de Regularibus apostatis, & eiectis per Sacram Congregationem Eminentissimorum Cardinalium.*

9 *Prælati Regulares vigore dicti decreti tenentur fugitiuos & apostatas perquirere, vt ad Religionem reducantur.*

10 *Nullus legitimè professus è religione vigore dicti decreti ejici potest, nisi sit verè incorrigibilis secundùm iura, & nisi sit per vnius anni spatium in pœnitentia, & ieiunio probatus.*

11 *Incorrigibilitatis declaratio vigore dicti decreti fieri debet à Patre Generali tantùm cum consilio, & assensu sex Patrum eligendorum à Capitulo Generali.*

12 *Eiectus extra religionem degens est perpetuò suspensus vigore dicti decreti, &c.*

13 *Sacra Congregatio prædicta innouat, & extendit textum* in cap. finali, *extra de regularibus, etiam ad eiectos è religione, iuris ordine seruato.*

14 *Religiosus quis vt iustè è religione ejiciatur, & habitu priuetur, tria sunt necessaria, & quænam sint, vide ibi per extensum.*

REspondetur: Non nisi à Generali cum consensu sex aliorum Patrum, vel præciso nouissimo Vrbani VIII. Decreto, de quo mox *infrà*, *sect.* 70. etiam à Prouinciali cum consensu maioris partis Capituli Prouincialis. 1

Probatur ex priuilegio Alexandri VI. de quo dicebam sectione præcedenti, & etiam ex Priuilegio Pij V. concesso Ordini S. Hieronymi in Hispania, an. 1566. in quo Pius V. concedit, sicuti patet in compendio Priuilegiorum eiusdem Ordinis S. Hieronymi, *verbo Condemnatio*, facultatem, quod Capitulum generale, vel priuatum tantùm, Religiosos delinquentes in casibus, in quibus reus de iure communi ad mortem condemnatur, possit perpetuò in carcerem, vel perpetuò, aut ad tempus in triremes condemnare, & in aliis delictis grauioribus, vel grauissimis (vt inobedientiæ, contumaciæ, vel incorrigibilitatis) vsque ad priuationem habitus inclusiuè castigare: & idem Pius V. concedit eandem facultatem, scilicet Religiosos delinquentes in triremes perpetuò, vel ad tempus condemnandi, necnon & habitu etiam priuandi Generali eiusdem Ordinis per se, vel per suos Ministros de consilio Patrum Monasterij S. Bartholomæi de Luparia.

Vbi aduerte, quod hoc eodem Priuilegio possint 2 vti omnes alij Generales aliarum Religionum, quæ Priuilegium communicationis habent.

Aduerte secundò, quod illa verba, de consilio Pa- 3 trum Monasterij S. Bartholomæi de Loparia, sint apposita, quia Generalis illius Ordinis ibi ordinariè residere solet. Quapropter si inde discesserit, poterit etiam prædicto Priuilegio vti de consilio Patrum illius Monasterij, in quo ad tempus habitaret; cùm huiusmodi Priuilegium non sit locale, sed personale, sequens scilicet personam ipsius Generalis.

Aduerte tertiò, quod quoniam Alexander VI. (vti 4 suprà dicebam) concessit Generalibus Ordinis Minorum, quod per semetipsos dumtaxat, & Prouincialibus de consensu maioris partis Capituli Prouincialis possint Religiosos dicti Ordinis, quos incorrigibiles inuenerint, habitu spoliare, & ab ordine ejicere; sequitur quod Prælati Regulares volentes ex ordine ejicere suos Religiosos incorrigibiles virtute dicti Priuilegij, teneantur sequi consilium maioris partis Capituli; quia,

quia ex vi talis priuilegij non conceditur ipsis facultas ejiciendi de consilio, sed de consensu maioris partis eiusdem Capituli : ergo si illos ejiciant sine tali consensu, inualidè ejicient, cum consensus significet approbationem ; sicque si maior pars non approbet, eiectio è Religione sit inualida, Gloss. quam præter Palleothum *de Sacr. Concil. comprob. par.1. q. 3. art. 1.* sequuntur communiter Doctores *in cap. 1. §. final. ne sede vacante in 6. & in cap. si porrò, verb. assensu, de restit. in 6.* vbi aduertit, quod quando in aliquo statuto, vel Regula apponitur clausula, vt aliquid fiat de consensu aliquarum personarum, requiratus consensus illarum, vt actus sit validus, alioquin erit nullus, & inualidus.

5 At quoniam è contra Pius V. (vti suprà etiam dicebam) concessit Ordini S. Hieronymi, quod possit Generalis ejicere è Religione suos Religiosos incorrigibiles per se, vel per suos ministros de consilio Patrum ipsius, sequitur quod virtute talis Priuilegij Prælati Regulares in ejiciendis è Religione prædictis Religiosis incorrigibilibus, non teneantur sequi consilium aliorum Patrum, iuxta ea, quæ dicebam *suprà, sect. 29.* quia cùm ad aliquid faciendum requiritur consilium aliorum, principalis non tenetur sequi consilium illorum; cum consilium tantùm requiratur, vt meliùs ille suum officium exercere possit; sicque consilium non requiratur ad necessitatem, sed solùm ad vtilitatem, *l. non dubium, Cod. de repud.* Quapropter Imperator ait, se cum consilio prudentum, & petitorum omnia facturum, cum tamen non teneatur sequi consilium illorum, *l. humanum, Cod. de legib.* & Pontifex *in cap. de quibus, distinct. 20.* inquit. [Nos de omnibus rebus debemus consulere peritos, vt veritas meliùs cognoscatur.] Ergo enim Prælati Regulares virtute Priuilegij Pij V. possint ejicere suos subditos incorrigibiles de consilio Patrum, sequitur quod virtute eiusdem priuilegij Pij V. possint ejicere eosdem incorrigibiles, quamuis prædicti Patres tali eiectioni non consenserint; sicque sicut in aliis rebus consilium tantùm, vt meliùs negotia tractentur, requiritur; non tamen ordinariè obligat consulentem illud sequi, nisi aliud dicatur : ita etiam in casu Religiosorum eiectionis è Religione dicendum sit.

6 Objicies : si Prælatus ejiciat suum subditum Religiosum incorrigibilem, cum alij Patres, quos consulere tenetur, aliud sentiant de illius eiectione, poterit eiectus ab illa sententia appellare (sicuti præter alios asserit Iason *in rubrica de iuramento, circa finem*) : Ergo Prælatus tenetur sequi consilium maioris partis prædictorum Patrum.

Respondetur : Nego consequentiam, quia solùm in tali casu exinde sequitur, quod eiectus possit non solùm, vt in aliis casibus, appellare ad Superiorem, sed etiam possit faciliùs probare, quod sententia contra se pronunciata fuerit iniusta, quodque sine rationabili causa fuerit è Religione eiectus; cum alij Patres prudentes, & discreti huiusmodi eiectioni non consenserint.

7 Instabis : In prædicto Priuilegio Pij V. dicitur, quod quando Prælatus ejicit è Religione Religiosum incorrigibilem, teneatur id facere de consilio Patrum : ergo tenetur sequi maiorem partem illorum, alioquin frustrà illi in consilium adhiberentur.

Respondetur : Nego etiam consequentiam, quia sæpè contingere potest, vt quia consultores aliter sentiant, quàm Prælatus, Prælatus audiendo ab illis aliquas causas, vel rationes mutet sententiam, sicque non faciat, quod alioquin fecisset, si illorum consilium non petiisset, seu illos in consilium non adhibuisset.

8 Aduerte quartò, quod die 21. Septembris anno 1624. editum fuerit decretum de Regularibus apostatis, & eiectis per Sacram Eminentissimorum Cardinalium Congregationem super Tridentino Concilio iussu Sanctissimi Vrbani VIII. in quo infrascripta fuerunt statuta.

Primò, quod teneantur Prælati Regulares è Religione fugitiuos, & apostatas perquirere, vt ad Religionem seducantur; atque operari, vt prædicti è Religione fugitiui, & apostatæ apprehendantur, *§. rursus statuit, &c.* 9

Secundò, quod nullus legitimè professus è Religione eiici possit, nisi sit verè incorrigibilis secundùm Iura, & nisi sit pes vnius anni spatium in pœnitentia & ieiunio probatus, *§. ad hæc.* 10

Tertiò, quod incorrigibilitatis declaratio fieri debeat à Patre Generali tantum, cum consilio, & assensu sex Patrum eligendorum à Capitulo generali, *§. Ad hæc.* 11

Quartò, quod eiectus extra Religionem degens sit perpetuò suspensus ab exercitio Ordinum, sublata locorum Ordinariis facultate dictam suspensionem relaxandi, vel etiam moderandi, *§. item vt eiecti.* 12

Quintò innouat, & extendit textum *in cap. finali, extra de regularib.* etiam ad eiectos è Religione, iuris ordine seruato; dummodo tamen in eiectis subsit spes euidens emendationis, ex litteris saltem testimonialibus Ordinarij, *§. Ac postremò censuit.* 13

Aduerte quintò, quod vt quis Religiosus iustè è Religione ejiciatur, & habitu priuetur, tria sint necessaria. 14

Primum, vt talis eiectio fiat pro criminibus, pro quibus de Iure communi esset delinquens ad mortem condemnandus, vel perpetuo carceri mancipandus, vel in perpetuum, aut ad tempus in triremes relegandus, vel pro aliis criminibus grauissimis inobedientiæ, contumaciæ, aut apostasiæ, &c. per tres vices replicatæ, non autem pro quocumque peccato mortali.

Secundum, quod prædicta eiectio fiat à Capitulo generali, vel à Patre generali cum consilio, & assensu sex Patrum à Capitulo generali eligendorum, sicut in præcedenti *Aduertendo* 4. dicebam.

Tertium, quod eadem eiectio fiat seruatis seruandis, scilicet causa cognita, & per sententiam diffinitiuam, Archidiaconus *in c. peruenit, circa finem, 17. q. 1.* Nauar. *conf. 50. de Regularib.* Graff. *in dec. lib. 3. c. 5. n. 82. vol. 1. & consil. 5. de Regular. n. 19.* Videri etiam poterit S. Bonauentura *in quæstionibus supra Regulam Fratrum Minorum, q. 14.* (quem refert etiam Collector Priuilegiorum Ordinis eorundem Fratrum Minorum *in suo compendio, sub titulo ejicere, post §. 4.*) Ludouicus Miranda *in manuali Prælator. tom. 2. q. 7.* & Sanchez *lib. 6. moralium, c. 9.* at de hac re, & de nouissimo Vrbani VIII. decreto vide quæ diffusè dicam *infrà sect. 70. per totam.*

PETITIO I.

An possit Generalis quempiam declarare incorrigibilem, & è Religione ejicere de consilio, & consensu sex Patrum per sententiam ad tempus determinatum, quo finito, teneatur eiectus redire ad Religionem.

SVMMARIVM,

1 *Generalis non potest declarare quempiam incorrigibilem, & è Religione ejicere de consilio, & consensu sex Patrum per sententiam ad tempus determinatum, quo finito teneatur eiectus redire ad Religionem post nouum decretum Sacra Congregationis.*

2 *Religiosus si ejiciatur tanquam incorrigibilis verè, ejici debet per sententiam definitiuam in perpetuum, neque potest readmitti ad Religionē, nisi se correxerit. Si verò non ejiciatur, itaquā incorrigibilis verè,* essat

cessat facultas eiiciendi per dictum nouum decretum.

1 Respondetur, post nouum decretum sacræ Congregationis negatiuè. Doctores communiter, quos sequitur Leander *in cap. 4. Regulæ S. Francisci, c. 16. circa finem.*

2 Probatur, quia vel ejicitur tanquam incorrigibilis verè, & tunc ejici debet per sententiam definitiuam in perpetuum. Itavt non possit readmitti ad Religionem, nisi se correxerit; quia cùm eiectio sit propter bonum commune Religionis, non potest tractari, nisi cesset causa eiectionis, scilicet incorrigibilitas: Vel non ejicitur tanquam incorrigibilis verè, & tunc cessat facultas ejiciendi per dictum nouum decretum sacræ Congregationis.

PETITIO II.

An possit Generalis quempiam declarare incorrigibilem, & è Religione ejicere, de consilio, & consensu sex Patrum per sententiam in perpetuum, sub conditione, quod aliam Religionem ingrediatur?

SVMMARIVM.

1 *Generalis post nouum decretum de apostatis, & fugitiuis non potest quempiam declarare incorrigibilem, & è Religione ejicere de consilio, & consensu sex Patrum per sententiam in perpetuum, sub conditione, quod aliam Religionem ingrediatur, quamuis forsan olim potuerit.*

1 Respondetur, quod quamuis forsan olim potuerit sic illum ejicere, & illi virtute priuilegiorum, de quibus *in compendio priuilegiorum mendicantium, verb. apostata, n. 9.* concedere ad hunc effectum literas testimoniales, qui propterea, vt volunt Laym. *lib. 4. tract. 5. c. 13. q. 5. n. 9.* Passarell. *in compend. priuileg. Minimor. c. 16.* & complures alij tenebatur adimplere talem conditionem. Modò tamen post nouum decretum de apostatis, & eiectis non possit, quia id expresse prohibetur per dictum decretum *in §. 9.* per hæc verba: [Præterea statuit, vt iidem superiores nemini ex Religiosis expulsis litteras testimoniales concedant, illos ad sedem Apostolicam reiicientes, vel iubentes aliam ingredi Religionem.]

An autem eiectus possit transire ad aliam Religionem authoritate propria, dicam *infrà sect. 56.*

PETITIO III.

An possit Generalis quempiam declarare incorrigibilem, & è Religione ejicere, per sententiam scilicet in perpetuum, de consilio, & consensu maioris partis ex dictis sex Patribus ad talem finem electis?

SVMMARIVM.

1 *Generalis potest quempiam declarare incorrigibilem, & è Religione eiicere, per sententiam scilicet in perpetuum de consilio, & consensu maioris partis ex dictis sex Patribus ad talem finem electis.*

2 *Sex Patres electi à Religiose non sunt forenses sententiam eiectionis, sed tantum consulentes, & consentientes in sententiam, sicque non faciunt vnum corpus in iudicando, ac definiendo cum Generali.*

3 *Generalis cùm debeat ferre sententiam de consilio, & assensu sex Patrum, verificari debet, quod interueniat consilium, & assensus illorum sex Patrum, quod fieri non potest, si tres tantùm consulant, & assentiantur; secus si quatuor, cùm solùm dicatur fieri ab omnibus, quod fit à maiori parte.*

4 *Generalis poterit validè eiectionis ferre sententiam, dummodo sex Patrum omnium, & singulorum votum per vocem, vel per litteras audiuerit; secus si etiam Patris vnius votum non audierit, quia tunc forsitan opinionem mutasset.*

Respondetur affirmatiuè; quia sic (sicuti in declarationibus sacræ Congregationis *infrà post sectionem 69.* referendis videre est) ipsa sacra Congregatio declarauit; siquidem interrogata, vtrùm Generalis, vel delegatus possit ferre sententiam eiectionis è Religione, quando à tribus ex sex Patribus electis, vel ab illorum maiori parte dicta sententia approbatur, an potiùs sit necessarium, vt omnes sex dent votum, ita vt ex defectu voti, etiam vnius, non possit sententia validè ferri? Respondit, quod sententia eiectionis è Religione ferri debeat, saltem de voto maioris partis sex Patrum electorum. Et quidem rectè; quia sic desumitur ex decreto de apostatis, & eiectis: quandoquidem *ibi §. 6.* statuitur, quod permanens in sua incorrigibilitate, eiici possit à Generali tantùm de consilio, & consensu sex Patrum ex grauioribus Religionis. Per quæ verba satis clarè significatur, quod sententia eiectionis feratur à solo Generali, cum consilio, & consensu sex Patrum: ergo hi sex Patres non sunt ferentes sententiam, sed tantùm consulentes, & consentientes in sententiam, sicque non faciunt vnum corpus in iudicando, & definiendo cum Generali, ac proinde sensus Generalis non vnitur cum sensu sex illorum Patrum, quia est diuersæ rationis; cùm sex illi Patres concurrant vt consulentes, & consentientes; Generalis verò concurrat vt definiens, & operans principaliter. Rursus ex alio capite, cùm Generalis debeat ferre sententiam de consilio, & assensu sex Patrum, verificari debet, quod interueniat consilium, & assensus illorum sex Patrum. At hoc verificari non potest, si tres tantùm Patres consulant, & assentiantur, cùm solùm dicatur fieri ab omnibus, quod fit à maiori parte, *cap. Ne Episcopi, de tempor. ordinat. & c. Ex parte, de consib.* ergo dum maior pars illorum sex Patrum consulit, & assentitur, scilicet ad minùs quatuor, omnes consulere, & assentiri censentur. Et sic Generalis poterit validè ferre sententiam, dummodò sex Patrum omnium, & singulorum votum per vocem, vel per litteras audiuerit; secus si etiam Patris vnius votum non audierit, quia tunc, cùm forsan si audisset, opinionem mutasset, & eiectionis sententiam, quam nunc de facto fert, non tulisset, inualidè ferret sententiam.

(margin numbers beside this response: 1, 2, 3, 4)

PETITIO IV.

An Generalis possit alteri delegare causam incorrigibilitatis?

SVMMARIVM.

1 *Generalis non improbabiliter potest alteri delegare causam incorrigibilitatis, quamuis videatur non posse; cùm ei hæc facultas commissa sit per particulam taxatiuam Tantum.*

2 *Particula, seu dictio taxatiua ponitur ad excludendas alias personas, tanquam Iudices ordinarios; consequenter Generalis, cùm sit Iudex Ordinarius, poterit alteri delegari: non enim dicta particula excludit id, ad quod fit extensio virtute iuris communis, seu alicuius legis.*

3 *Triden.*

3 *Tridentinum Concilium* sess. 24. cap. 6. de reformat. *quando facultatem absoluendi ab hæresi occulta tantum Episcopis, non autem eorum Vicariis Generalibus concedit, intelligendum est de Iure ordinario, & veluti ex officio generaliter, scilicet ad omnes casus; ita tamen, vt interim nihil obstet, quominus Episcopus Vicario suo, vel alteri idoneo viro talem facultatem specialiter ad casum particularem hîc, & nunc occurrentem, cõmittere possit.*

4 *Episcopus si in sua Diœcesi reseruet aliquos casus, sed multis Religionum Superioribus det potestatem ab illis absoluendi, poterunt hi hîc & nunc in contingentia alicuius casus particularis alterum subdelegare, licèt non possit ad nudum ministerium delegatus subdelegare.*

5 *Sacra Congregatio Regularium interrogata sub hac disiunctione, an Generalis, vel delegatus possit ferre sententiam eiectionis? Respondit interrogationi prædictæ simpliciter: ergo approbare videtur, quod ferre sententiam eiectionis possit etiam delegatus.*

6 *Eadem Sacra Congregatio respondit etiam quod Generalis Ordinis non possit delegare facultatem ejiciendi à Religione Prouincialibus pro eorum Prouinciis, seu Commissariis, vel Vicariis Generalibus.*

7 *Quæ competunt Episcopo ratione potestatis iurisdictionis de Iure, competunt etiam Vicario Generali; quia facit vnum Tribunal cum Episcopo.*

8 *Appellatio quod detur à Vicario Generali ad Episcopum, nulla consuetudine introduci potest.*

9 *Vicarius Generalis, sicut & ipse Episcopus, potest dare licentiam egressus de clausura, & causam talis egressus approbare.*

10 *Vicarius Generalis potest dare licentiam extractionis Rei de loco Sacro, si non gaudeat Ecclesia immunitate, & causam talis extractionis iudicare.*

11 *Vicarius Generalis Sacerdos potest confessiones Diœcesanorum audire, eorumque matrimoniis validè assistere, & similes facultates aliis delegare.*

12 *Vicarius Generalis in foro externo potest controuersas causas cognoscere, iudicare, præcidere, atque etiam excommunicare.*

13 *Vicarius Generalis, attento Iure communi, non potest concedere meras, & voluntarias gratias, cuiusmodi sunt collatio beneficiorum, dispensatio in irregularitatibus ex occulto delicto, in denunciationibus matrimonij, & similibus.*

14 *Episcopo non prohibetur tribuere suo Vicario maiorem facultatem, quàm ei de Iure communi cõpetat.*

1 RESpondetur, quod quamuis videatur esse negandum, quia in decreto de apostatis, & eiectis, §. 6. dicitur; *Ab ipsomet Generali tantùm*; quæ particula taxatiua excludit omnes alias personas, quæ in ipsa persona non comprehenduntur, *cap. cùm Ecclesia Sutrina, §. pars Canonic. de caus. possess. & propriet.* Nihilominùs de Iure non omninò improbabiliter possit dici oppositum, nempe quod Generalis possit alteri delegare dictam causam incorrigibilitatis.

2 Probatur, quia particula, seu dictio taxatiua ponitur ad excludendas alias personas tanquam Iudices Ordinarios: ergo Generalis, cùm sit Iudex Ordinarius, poterit de Iure alteri delegare, quia dicta particula, seu dictio taxatiua, non excludit id ad quod fit extensio virtute Iuris communis, seu alicuius legis, vt habetur *in l. 1. ff. de Regul. Iur.* & notant cum Bartolo *in l. ob æs, Cod. de prod. minor.* & cum Salyceto *in l. 1. Cod. de bonor. possess. cont. tab.* communiter Doctores: at extensio ad delegatum fit virtute Iuris communis, seu legis concedentis Ordinario facultatem delegandi: Ergo.

3 Confirmatur primò, quia sicuti *in tractatu de Comitiis seu Parlamentis, dubit. 4. sect. 19. subsect. 35. edition. 1.* dicebam cum Nauarro *lib. 5. consil. 11. de priuilegiis, edit. 2.* Henriquez *lib. 6. c. 14. n. 7.* & in Glossa *litt. O*, Gran. *in 2. 2. S. Thomæ, contron. 1. tract. 15. disp. 14. sect. 2. n. 8.* & 9. Rodriq. *tom. 1. qq. Reg. q. 20. art. 11.* Azorio *tom. 1. lib. 8. c. 10. q. 11.* Sanchez *lib. 2. moral. c. 15. n. 23.* Sà *verb. Episcopus, num. 37.* & aliis, quando Tridentinum Concilium *sess. 24. cap. 6. de reformat.* facultatem absoluendi ab hæresi occulta tantùm Epispis, non etiam eorum Vicariis Generalibus concedit, intelligendum est de Iure ordinario, & veluti ex officio, generaliter ad omnes casus; ita tamen, vt interim nihil obstet, quominus Episcopus Vicario suo, vel alteri idoneo viro talem facultatem specialiter ad casum particularem hîc & nunc occurrentem, committere possit. Argum. *cap. vltimi, de offic. Ordinar. iuncta glossa*, vbi dicitur: [Si cui ex officio, vel priuilegio dignitatis suæ competit absoluere, aliumve iurisdictionis actum exercere, potest id etiam per alium facere.] Et fauet ratio, quia correctio iuris antiqui sine necessitate non debet introduci.

4 Confirmatur secundò, quia sicuti docent Zerola *in prax. pœnit. c. 25. q. 17. & in praxi Episc. part. 1. verf. Pœnitentiarius, q. 4.* Riccius *in praxi for. Eccles. p. 1. resol. 419. n. 1.* Piasecius *in prax. Episc. p. 2. c. 1. n. 15.* Finellius *de casib. reseruat. c. 9. n. 11.* Homobon *de casib. reforn. p. 1. c. 5.* & videri etiam poterunt Molina *de Iust. & Iur. tract. 5. disp. 15. n. 4.* & Sanchez *de matrim. lib. 3. disp. 31. per totam*, si Episcopus in sua Diœcesi reseruet aliquos casus, sed multis Religionum Superioribus det potestatem ab illis absoluendi, licèt prædicti Religionum Superiores non possint eandem potestatem, nisi ad id ab Episcopo licentiam expressam habuerint, alteri subdelegare; cùm delegatus ad nudum ministerium non possit subdelegare, sicque ipsi non possunt omnes casus simul alicui Confessario, vt ab eis absoluat toties quoties, concedere; possunt tamen absolutionem casus particularis in facto contingenti, vt si quis ipsorum petitus ab aliquo Confessario inferiori, aiente se habere pœnitentem cum tali reseruato, alteri committere; ita vt tunc possit dictus Religionis Superior petitus, idemque dico de pœnitentiario, dare auctoritatem dicto Confessario, vt dictum pœnitentem etiam à dicto casu reseruato cum aliis casibus non reseruatis absoluat.

Confirmatur tertiò; quia sicuti videre est *infrà in declarationibus Sac. Congregationis, post sect. 69.* referendis, Sac. Congregatio interrogata sub hac disiunctione, an Generalis, vel delegatus possit ferre sententiam eiectionis? Respondit interrogationi prædictæ, nihil dicens de delegato: ergo tacitè approbare videtur, quod ferre sententiam possit etiam delegatus. 5

Dixi: Nihilominùs de Iure non omninò improbabiliter posse dici oppositum, nempe quod Generalis possit alteri delegare, &c. quia ex alia parte in contrarium obstare videtur alia *in citato loco Sac. Congregationis* clarior declaratio; siquidem interrogata dicta Sac. Congregatio, an Generalis Ordinis possit delegare facultatem eiiciendi è Religione Prouincialibus pro eorum Prouinciis, seu Commissariis, vel Vicariis Generalibus; & an delegatio sit à Generali facienda in quolibet casu, an verò indefinitè in omnibus casibus? Respondit, quod Generalis Ordinis non possit delegare facultatem ejiciendi è Religione Prouincialibus pro eorum Prouinciis, seu Commissariis, vel Vicariis Generalibus. 6

Vbi tamen aduerte, quod sicuti dicebam *in tract. de immunit. & iurisd. Ecclesiast. c. 19. dub. 8.* ea quæ competunt Ordinario, seu Episcopo ratione potestatis iurisdictionis, de Iure competant etiam Vicario Generali; quia Vicarius Generalis habet vnam, eandemque Iurisdictionem, & constituit vnum, idemque Tribunal cum Ordinario, seu Episcopo, ita vt nulla consuetudine introduci possit, quod à Vicario Generali ad Episcopum detur appellatio, *c. 1. de consuetud. in 6. iuncta glossa verb. Officiali*, ideoque in omnibus Bullis, & decretis nomine Ordinarij, seu Episcopi venit etiam Vicarius Generalis. 7

9 Quapropter, ficuti dicebam ibidem, poteft Vicarius Generalis (ficut & ipfe Ordinarius, feu Epifcopus) dare licentiam egreffus de claufura, & caufam talis egreffus approbare.

10 Item poteft Vicarius Generalis dare licentiam extractionis Rei de loco facro (fi fcilicet Reus Ecclefiæ immunitate non gaudeat) & caufam talis extractionis indicare; præfertim cùm in Bulla Gregorij XIV. expreffè id committatur. Epifcopo, & eius officiali, feu Vicario Generali, quafi independenter ab ipfo Epifcopo.

11 Item poteft Vicarius Generalis Diœcefanorum omnium Confeffiones audire, eorúmque matrimoniis validè affiftere, atque huiufmodi facultates, & fimiles (vt fubfequentes) etiam aliis Sacerdotibus delegare.

12 Item poteft Vicarius Generalis in foro externo controuerfas caufas cognofcere, iudicare, præcipere, atque etiam excommunicare.

13 Non tamen poteft, attento iure communi, concedere meras, & volontarias gratias: cuiufmodi funt collatio beneficiorum, difpenfatio in irregularitatibus ex occulto delicto, in denunciationibus matrimonij, & in fimilibus.

14 Dixi, *attento iure communi*; quia licèt iura decernant, quanta iurifdictio Vicario Generali competat, non tamen prohibetur Epifcopus fuo Vicario iam in foro interno, quàm externo (fiue contentiofo, fiue voluntario) tribuere maiorem iurifdictionem, quàm ei iure ordinario competat: at de his omnibus vide diffusè *cit. cap. 19. dubit. 8. per totam, de immunitat. & Iurifdictione Ecclef.*

PETITIO V.

Quid præter dicta aliud in declarandis, & è Religione eiiciendis incorrigibilibus Generalis debeat feruare?

Refpondetur: Vide quæ dicam *infrà fectione fequenti, in Corollariis.*

SECTIO XXXIII.

Quandonam Religiofus incorrigibilis effe dicatur?

SVMMARIVM.

1 *Religiofus incorrigibilis effe dicitur, quando quis fi effet Clericus fæcularis, poffet degradari, & brachio fæculari tradi, fi bis ipfi fuerit condonatum.*

2 *Religiofus in Religione S. Dominici incorrigibilis dicitur, itavt è Religione eiici poffit, quando culpas committere non timet, & pœnas fuftinere non vult, vel ex pœnarum inflictione fæpè repetita difcretorum iudicio proficere non iudicatur.*

3 *Religiofus in Religione S. Francifci incorrigibilis dicitur, quando ter fuerit iuridicè conuictus, & punitus de eodem crimine graui, & non fuerit correptus, &c.*

4 *Incorrigibilis dicitur in fententia aliorum, quando perfeuerat in delictis commiffis, itavt de emendatione ipfius penitus defperetur.*

5 *Incorrigibilis quis verè eft, fi concurrant requifita de Iure communi ad incorrigibilitatem, & de iure nouo fit probatus per annum in carcere cum ieiunio, & pœnitentia.*

6 *Incorrigibilis vt quis de Iure communi dicatur ad effectum vt poffit eiici à Religione, requiritur primò, quod commiferit aliquod graue delictum, vt furti, proprietatis, homicidy, inobedientia, adultery, fornicationis, aut quid fimile.*

7 *Secundò, quod de delicto legitimè conftet, fcilicet ipfe reus vel fit illud confeffus, vel de illo conuictus.*

8 *Tertiò, quod fit de delicto condemnatus & puniens.*

9 *Quartò, quod pluries grauiter delinquerit, & fuerit conuictus, condemnatus, & punitus pro fingulis delictis.*

10 *Qui femel deliquit, non poteft dici verè incorrigibilis; cùm non fit contumax, nec perfeuerans in delictis.*

Refpondetur: in decreto Parlamenti Parifienfis, ficuti refert IuliusClarus *in pract. crimin. q. 36. n. 34.* & Salzedo *in Pract. Bernardi Diaz, c. 140. 5. Incorrigibilis*, Religiofus incorrigibilis effe dicitur, quando quis, fi effet Clericus Sæcularis, poffet degradari, & brachio fæculari tradi, fi bis ipfi fuerit condonatum. 1

In Religione verò S. Dominici, ficuti habetur in Conftitutionibus eiufdem Religionis Romæ impreffis anno 1566. *prima dift. c. 19.* incorrigibilis dicitur, ita vt è Religione eiici poffit, quando culpas committere non timet, & pœnas fubftinere non vole, vel ex pœnarum inflictione fæpius repetita difcretorum iudicio proficere non iudicatur; tunc enim talis, *vt ibid.* fubiicitur, de confilio difcretorum, fi fic expedire iudicauerint, poterit habitu exutus è Religione expelli. 2

In Religione S. Francifci, ficuti habetur in conftitutionibus generalibus Toletanis eiufdem Religionis, *c. 6. tit. de incorrigibilib.* incorrigibilis dicitur, quando ter fuit iuridicè conuictus, & punitus de eodem crimine graui, & non fuerit correptus: vel ficuti habetur in Conftitutionibus eiufdem Religionis in Capitulo generali editis anno 1593. quando ter fuerit conuictus, & punitus de aliquibus delictis grauibus, etiam diftinctis, & nunquam fuerit emendatus. 3

In fententia aliorum, quos fequitur Graffius *in decif. 1. part. lib. 2. cap. 14. n. 14* & Maiolus *lib. 5. de irregularitate, cap. 26. n. 4.* Incorrigibilis dicitur, quando perfeuerat in delictis commiffis, itavt de emendatione ipfius penitus defperetur; præfertim fi pœnitentias non acceptet, vel non exequatur. 4

Cæterùm tandem, quandonam nouiffimè ex decreto de Regularibus apoftatis, & fugitiuis per facram Eminentiffimorum Cardinalium Congregationem fuper Tridentino Concilio iuffu fanctiffimi Vrbani Papæ VIII. edito die 21. Septembris, anno 1624. Religiofus incorrigibilis dicatur, & in qua forma eius incorrigibilitas declarari debeat? Vide *fuprà à fectione præcedenti, in aduertendo 4. & 5. & infrà fect. 70. & fequenti.*

Et quidem ex dicto decreto S. Congregat. Trident. Concil. verè quis incorrigibilis eft, fi concurrant requifita de iure communi ad incorrigibilitatem, & prætereà de iure nouo eiufdem decreti fit probatus per annum in carcere cum ieiunio, & pœnitentia; itavt adhuc elapfo anno perfeueret in fua incorrigibilitate, & fpem emendationis vllam non præftet. 5

De iure autem communi, vt quis dicatur Incorrigibilis ad effectum, vt poffit eiici è Religione, requiritur primò, quod commiferit aliquod graue delictum, vt furti, proprietatis, homicidij, inobedientiæ, adulterij, fornicationis, aut quid fimile, &c. ficuti defumitur ex *cap. Cùm ad Monafteria, de ftatu Monach. & ex c. Cùm non ab homine, de iud.* & dicam *infr. fect. feq.* Secundò, quod de delicto legitimè conftet, fcilicet ipfe reus aut fit illud confeffus, aut fit de illo conuictus, ficuti habetur ex *d. c. Cùm non ab homine, & ex c. Vt famæ, de fent. excomm.* Tertiò, quod fit de delicto condemnatus, & punitus, ficuti defumitur ex eifdem textibus cit. Quartò, quod pluries grauiter deliquerit, & fuerit conuictus, condemnatus, & punitus pro fingulis delictis, ficuti 6 7 8 9

sicuti expressè habetur ex iisdem etiam Textibus, quos citabam; & meritò, quia qui semel delinquit,
10 non potest dici verè incorrigibilis, cùm sit contumax, nec perseuerans in delictis: imò si post primum delictum non committit aliud delictum, præsumitur correctus, nedum præbens spem quod fuerit corrigendus. Quod sufficit, vt non dicatur incorrigibilis.

COROLLARIVM I.

An possit quis declarari incorrigibilis, & eiici è Religione ob vnum sæuum, & enorme delictum?

SVMMARIVM.

1 *Incorrigibilis quis declarari, & eiici à Religione non potest ob certum sæuum, & enorme delictum, contra nonnullos; quia licèt per illud possit puniri graui pœna, putà triremis, aut ergastuli, non tamen poterit declarari incorrigibilis.*

2 *Textus in cap. cùm non ab homine, de Iudiciis, quatenus statuit, quod pro delictis ibi distinctiuè enumeratis Clericus possit deponi, non obstat: diuersa enim sunt, quempiam deponi, & declarare incorrigibilem, &c.*

3 *Decretum sacræ Congregationis Regularium prædictum disponit, vt declaratio locum habere possit, quod declarandus incorrigibilis probetur per annum in carcere cum ieiunio, & pœnitentia, &c.*

1 Respondetur ex dictis, quidquid in contrarium dixerit Rodriquez *tom. 1. quæst. Regular. q. 30. art. 5.* & Grass. *de effectib. Clericat. effect. 1. n. 882.* negatiuè: Quia licèt ob vnum sæuum, & enorme delictum puniri possit aliqua pœna (v. g. triremis, aut ergastuli, &c.) ob quam extra Religionem manere debeat; non tamen poterit declarari incorrigibilis, cum reuera non sit incorrigibilis ob vnum tantùm delictum commissum, vti *suprà* dicebam.

2 Neque obstat Textus *in cap. cùm non ab homine, de Iudic.* Quatenus statuit, quod pro delictis ibi distinctiuè enumeratis Clericus possit deponi, sieque pro vno tantum delicto commisso; quia aliud est, quempiam deponi, & aliud declarari incorrigibilem; siquidem depositio est pœna, quæ solùm commensurari debet delicto; at declaratio, cùm non faciat, sed supponat, quod declarat, debet, vt habeat locum, necessariò supponere incorrigibilitatem.

3 Confirmatur, quia Decretum Sacræ Congregationis prædictum disponit, vt declaratio locum habere possit, quod declarandus incorrigibilis per annum in carcere cum ieiunio, & pœnitentia probetur, ant persistat in incorrigibilitate, itavt spem vllam non præbeat correctionis.

COROLLARIVM II.

An possit quis declarari incorrigibilis, & ejici è Religione ob conspirationem in aliquem ex suis Superioribus?

SVMMARIVM.

1 *Incorrigibilis quis declarari non potest, & eiici à Religione ob conspirationem in aliquem ex suis Superioribus; quia saltem post nouum Decretum Sacræ Congregationis Tridentini nullus ejici potest, nisi sit verè incorrigibilis.*

1 Respondetur etiam ex dictis, quidquid in contrarium dixerint Vivald. *in Candelabr. part. 3. tit. de depositien. n. 29.* Diaz *in Practic. cap. 90.* & alij, moti ex eo, quod magis tenetur Religiosus obedire suis Superioribus, quàm Clericus Episcopo, & tamen si Clericus in Episcopum conspiret, deponitur: Ergo, &c. negatiuè; quia saltem post nouum Decretum Sacræ Congregationis Tridentini, nullus è Religione ejici potest, nisi sit verè incorrigibilis, vti constat *ex illis verbis, §. 6.* [Ad hæc, vt in posterum è Religionibus nullus legitimè professus ejici possit, nisi sit verè incorrigibilis.] At ob vnum, quamuis sæuum, & enorme delictum, non est verè incorrigibilis, vt *suprà* probabam: Ergo, &c.

COROLLARIVM III.

An vt possit quis declarari incorrigibilis, & ejici è Religione, præter perseuerantiam in malo, requiratur monitio?

SVMMARIVM.

1 *Incorrigibilis vt quis possit declarari, & ejici è Religione præter perseuerantiam in malo, non sufficit monitio verbalis, sed requiritur pœna debita imposita delictis, cùm pœna sit effectus Iustitiæ coërcitiuæ, & habeat vim coërcendi à delictis magis, quàm monitio verbalis.*

2 *Incorrigibilis vt quis dicatur, licèt secundùm aliquos sufficiant duo delicta punita; probabilius tamen requirantur tres monitiones, seu tria delicta punita.*

1 Respondetur etiam ex dictis distinguendo: si loquamur de monitione verbali tantùm, nego: si loquamur de monitione vel verbali, vel reali, scilicet de debita pœna imposita delictis, cùm pœna sit effectus Iustitiæ coërcitiuæ, & habeat vim coërcendi à delictis magis, quàm monitio verbalis; ideòque potentiori modo æquiualet monitioni verbali, concedo. Et patet ex dictis *suprà circa finem præsentis sect. onis*; quia ad hoc, vt quis sit verè incorrigibilis, præter probationem per annum in carcere cum ieiunio, & pœnitentia, requiritur quod pluries deliquerit, & fuerit conuictus, condemnatus, & punitus pro singulis delictis.

2 Quot autem monitiones, seu quot delicta punita requirantur, vt possit quis declarari verè incorrigibilis?

Respondetur, quod quamuis Menoch. *cons. 83. num. 130.* Castrens. *lib. 2. de iust. hæretic. punit. cap. 2.* & alij teneant, quod requirantur duæ monitiones, seu duo delicta punita: Probabilius tamen putent Abbas *in cap. cùm non ab homine, de Iudic. num. 30.* Butrius *ibidem, num. 22.* & Donatus *in prax. rer. Regul. part. secunda, tract. 8. quæstione 10. numero secundo*, quod requirantur tres monitiones, seu tria delicta punita.

Probatur, quia *in citat. cap. cùm non ab homine*, dicitur quod Clericus, desperata emendatione, consignandus sit, tanquam in vltimum remedium, sæculari potestati, vt exilio, vel alia pœna puniatur. At tunc, vt ibidem dicitur, est desperata emendatio, quando ter deliquit, & ter etiam fuit punitus, & tamen non resipiscit: Ergo sic & in casu nostro; quia in ejiciendis militat eadem causa finalis, quam Textus ibi exprimit, scilicet ne serpat vltrà perditio plurimorum.

COROLLARIVM. IV.

An possit quis declarari incorrigibilis, & transacto anno probationis, ejici è Religione, si priùs fuerit scandalosus, & frequènter delinquens dumtaxat?

SVMMARIVM.

1 *Incorrigibilis non potest quis declarari, & transacto anno probationis ejici è Religione, etiamsi fuerit scandalosus, & frequenter delinquens dumtaxat: atque sic declarauit Sacr. Congregatio Concilij Tridentini anno 1635. Non enim dicitur quis verè incorrigibilis, nisi respuerit monitionem, & ex illa non profecerit.*

1 RESpondetur etiam ex dictis negatiuè, nisi sit verè incorrigibilis modo, quo suprà dicebam circa finem præsentis sectionis. Atque sic declarauit Sacra Congregatio Concilij Tridentini Anno 1635. vt proinde, quamuis plura delicta commiserit, non possit dici verè incorrigibilis, nisi ob illa delicta vel fuerit etiam punitus, vel saltem verbaliter monitus authenticè, scilicet à Superioribus authoritatiuo modo; quia non dicitur quis verè incorrigibilis, nisi respuerit monitionem, & ex illa non profecerit. Vnde, nisi præcesserit authentica monitio, non poterit haberi authenticè pro incorrigibili; & proinde etiam Annus probationis in carcere cum ieiunio, & pœnitentia, &c. indicendus erit modo authoritatiuo, ad finem, quod si transacto anno correctus non fuerit, à Religione ejici possit tanquam incorrigibilis.

COROLLARIVM V.

An possit quis, saltem in aliquo casu, declarari incorrigibilis, & ejici è Religione, non seruata forma præscripta per Decretum Sacræ Congregationis Tridentini prædictum?

SVMMARIVM.

1 *Incorrigibilis quis saltem in aliquo casu potest declarari, & ejici è Religione, non seruata forma præscripta per Decretum Sacræ Congregationis Tridentini, præsertim si id per constitutiones Religionis permitteretur, v. g. casu quo timeretur Religioni graue scandalum, vel grauis infamia.*

2 *Religio de Iure naturali habet, quod à se auertere possit quodlibet graue scandalum, vel quamlibet grauem infamiam, cui Iuri naturali derogare non potest Ius positiuum humanum.*

3 *Forma præscripta quotiescumque propter aliquam superuenientem necessitatem redditur moraliter impossibilis, non est seruanda, sed censetur remissa.*

4 *Casus prædictus de omittenda forma præscripta in declarando quem incorrigibilem, videtur Authori moraliter impossibilis, quòd aliter non possit occurri graui scandalo, vel infamiæ graui Religionis.*

1 RESpondetur: Affirmant (præsertim si id per constitutionem Religionis permitteretur) sed ante tale Decretum, Syluest. *verb. Abbas, quæst. 5. num. 6.* Affirmant etiam post tale Decretum alij, quos sequitur Leander *in cap. 6. Regula Sancti Francisci, c. 16. num. 17.* Verbi gratia casu quo timeretur Religioni graue scandalum, vel grauis infamia, si differretur ejectio, & in ea exequenda seruaretur forma præscripta talis Decreti.

Ratio, quia Religio de Iure naturali habet, quod 2 à se auertere possit quodlibet graue scandalum, vel quamlibet grauem infamiam: cui Iuri naturali derogare non potest ius positiuum humanum, *l. scientiam, §. qui cùm aliter, ff. ad leg. Aquil.* Idque etiam ex intentione Summi Pontificis, qui scilicet operetur de plenitudine potestatis: non tamen intendit impedire quæ sunt de Iure naturali, *cap. cùm inter, de exception.* & Clement. *Pastoralis, §. cæterùm, de sent. & re iudicat.* Quapropter (vt adnotarunt Felin. *in cap. quantum, vt lit. non contest.* Paris. *cons. 38. n. 29. lib. 2.* Roland. *consil. 81. n. 25. & seqq.* Tiraquell. *ad leg. connub. glos. 6. n. 34.* & alij) forma præscripta, quotiescumque 3 propter aliquam superuenientem necessitatem redditur moraliter impossibilis, non est seruanda, sed censetur remissa.

At hic casus videtur mihi metaphysicus; quia videtur mihi moraliter impossibile, quod non possit occurri graui scandalo, vel graui infamiæ Religionis, nisi omittatur forma præscripta à prædicto Decreto Sacræ Congregationis Concilij Tridentini: Quapropter qui talem doctrinam in praxi sequi voluerint, videant ipsi, an id quod fecerint, futurum sit, quod acceptetur, & firmum habeatur à prædicta Sacra Congregatione Concilij Tridentini. 4

COROLLARIVM VI.

An possit declarari incorrigibilis, & ejici è Religione, non solùm qui est incorrigibilis de Iure, sed etiam qui est incorrigibilis de facto?

SVMMARIVM.

1 *Incorrigibilis de Iure est, qui est talis secundùm dispositionem Iuris, eo quòd non obstante multiplici punitione perseuerat in malo.*

2 *Incorrigibilis de facto est, qui licèt punitus non sit, perseuerat tamen in malo sine vlla spe correctionis, multiplicando delicta, & scandalizando cæteros.*

3 *Incorrigibilis non solùm qui est de Iure, sed etiam de facto ante Decretum Sacræ Congregationis Tridentini sine dubio poterat declarari incorrigibilis, & ejici è Religione.*

4 *Incorrigibilis non solùm qui est de Iure, sed etiam qui est de facto, potest declarari talis, & ejici è Religione, dummodò tamen incorrigibilis de facto probetur in carcere, & ieiunio, & pœnitentia.*

5 *Incorrigibilis de facto est adhuc secundùm se verè incorrigibilis, & Decretum Tridentini non excludit incorrigibilitatem de facto.*

6 *Incorrigibilitas de facto est secundùm dispositionem Iuris, cùm in ipso Iure fundamentum habeat.*

7 *Contumaces, & rebelles de Iure sunt, quando scilicet iuridicè puniti non resipiscunt.*

SVppono, quod incorrigibilis de Iure sit, qui est 1 talis secundùm dispositionem Iuris, eo quòd scilicet non obstante multiplici punitione perseuerat in malo: Incorrigibilis autem de facto est, qui scilicet 2 (licèt punitus non sit, vel eo quòd ipsius delicta fuerint dissimulata, vel acta non fuerint ritè confecta, vel crimina non fuerint plenè probata) perseuerat tamen in malo sine vlla spe correctionis, multiplicando delicta, & scandalizando cæteros.

Suppono secundò, quod ante Decretum Sacræ Congregationis Tridentini sine dubio poterit declarari incorrigibilis, & ejici è Religione non solùm qui est 3 incorrigibilis de Iure, sed etiam qui est incorrigibilis de facto. Miranda *tom. 1. manual. quæst. 52. artic. 2. conclus.*

concluf. 1. Rodriquez tom. 2. quaest. Regular. quaestione 30. art. 15. Portell. in dubitat. Regular. verb. ejicere ab Ordine, numero 1. & alij passim. Difficultas igitur est, an idem fieri possit post dictum Decretum Sacrae Congregationis Tridentini. His suppositis.

4 Respondetur ex non omninò improbabili sententia quorumdam (quos sequitur Alphonsus de Leone de Censur. resolut. 6. verb. ejicere, num. 314.) affirmatiuè, dummodò tamen per annum similiter incorrigibilis de facto probetur in carcere, in ieiunio, & poenitentia, iuxta formam praescriptam ab ipso Decreto.

5 Probatur, quia qui est incorrigibilis de facto, est adhuc secundùm se verè incorrigibilis, & Decretum Sacrae Congregationis Tridentini non excludit incorrigibilitatem de facto; siquidem quamuis decernat, quod quis non sit iudicandus incorrigibilis, nisi fuerit talis ex dispositione Iuris: Haec tamen verba ponuntur ad excludendam incorrigibilitatem, quam ponebant statuta, & constitutiones aliquarum Religionum, eum recipiant declarationem, & restrictionem à subsequentibus verbis: sublatis in hac parte statutis, &c. Ergo.

6 Confirmatur, quia etiam incorrigibilitas de facto est secundùm dispositionem Iuris; cùm ipso Iure fundamentum habeat, vt dicitur de ignorantia Iuris, & facti.

7 Confirmatur secundò, quia sic in cap. finali, de stat. Monachor. habetur: [Quos contumaces inuenerint, & rebelles, iuxta modum culpae vice nostra ejicient:] At possunt inueniri contumaces, & rebelles de Iure, quando scilicet iuridicè puniti non resipiscunt; & possunt inueniri contumaces, & rebelles de facto, quando scilicet factis ipsis tales se praebent: Ergo si accesserit probatio praescripta à Decreto Sacrae Congregationis Tridentini, poterunt tanquam seruata forma, declarari incorrigibiles, & ejici è Religione, sicut incorrigibiles de Iure.

COROLLARIVM VII.

An possit quis declarari incorrigibilis, & ejici è Religione, si infra annum probationis è carcere fugam arripuerit?

SVMMARIVM.

1 *Incorrigibilis quis dicendus non est, neque ejiciendus è Religione, si infra annum probationis è carcere fugam arripuerit, contra nonnullos oppositum sentientes: Decretum enim Sacrae Congregationis Tridentini requirit pro forma annum integrum probationis in carcere cum ieiunio, & poenitentia.*

2 *Ita declarauit Sacra Congregatio apud Peyrinum de Priuileg. Regular. circa finem, &c.*

3 *Vrbanus VIII. in casu de quodam Carthusiano, qui fractis carceribus non completo anno aufugit, & hoc non obstante fuit per Superiorem declaratus incorrigibilis, & eiectus, approbauit per breue speciale dictam eiectionem, ne contagione pestifera sit causa perditionis.*

1 Respondetur, quod quamuis affirment nonnulli, quos sequitur Bellet. part. 2. disquisit. Clerical. tit. de poenis Clericorum, §. 25. numero 13. ex eo quod nullum sit maius signum incorrigibilitatis, quàm nolle sustinere poenas correctionis; tamen dicendum sit oppositum.

Probatur, quia Decretum Sacrae Congregationis Tridentini ad inducendam incorrigibilitatem requirit pro forma annum integrum probationis in carcere cum ieiunio, & poenitentia: Ergo: sicut Professio esset nulla, quando non praemittitur integer annus probationis in Nouitiatu, defectu formae praescriptae, ita etiam in casu nostro.

2 Confirmatur, quia sic declarauit eadem Sacra Congregatio die 13. Nouembris 1632. apud Peyrinum de Priuileg. Regular. circa finem, in Decretis Sacrae Congregationis, per haec verba: [Legitimè professus non potest à Religione ejici, nisi postquam per annum in carcere cum ieiunio, & poenitentia detentus, & probatus fuerit, & eo elapso, non resipuerit; sed animo indurato in sua pertinacia perseuerauerit. Fugiens verò vt suprà è carcere, etiam pro eiusmodi fugae delicto erit puniendus, & poterit ferrea custodia in carcere detineri.] Et iterum die 21. Iulij 1653. per haec verba: [Religiosus delinquens, vt incorrigibilis, à Religione ejici non potest, anno carcerationis nondum expleto.] Ergo iuxta hanc declarationem etiam erit iterum conjiciendus in carcerem, & poterit propter fugae delictum ferrea custodia detineri in carcere.

3 Vbi tamen aduerte, quod in casu particulari de quodam Carthusiano è Religione eiecto propter delicta ab ipso commissa, & propter è carcere fugam, eiusdemque carceris effractionem, quamuis non omnia, quae ex vi praedicti Decreti obseruari deberent, ad vnguem obseruata fuerint: Nihilominus, non obstante tali Decreto, Vrbanus VIII. die 13. Ianuarij, anno 1637. per Breue speciale approbauerit talis Religiosi eiectionem, attenta ipsius pertinacia: & ne, inquit Pontifex, contagione pestifera sit causa perditionis. Per quae verba satis insinuatur, quod de benignitate Sedis Apostolicae attemperari possit praedictum Decretum, quotiescumque illud in casu particulari ad vnguem obseruari non potest; tametsi non interueniente eiusdem Sedis Apostolicae auctoritate, obseruandum sit, quantum fieri poterit.

COROLLARIVM VIII.

An possit quis declarari incorrigibilis, & ejici è Religione, etiam propter illa delicta, de quibus priùs absolutus fuit?

SVMMARIVM.

1 *Incorrigibilis quis declarari, & ejici è Religione non potest propter illa delicta, à quibus prius absolutus fuit, eo quòd per absolutionem declaratus fuerit ea non commisisse.*

2 *Amplia id locum habere, etiamsi delicta verè commissa adhuc non potuerint probari; quia sententia absolutionis abstergit omnem maculam.*

Respondetur negatiuè, quia cùm delicta, de quibus prius absolutus fuit, eo quòd per absolutionem declaratus fuerit ea non commisisse, non sint, non possunt dici correcta, vel non correcta, quandoquidem, vti dici solet: Non entis nullae sunt partes, nullaeque qualitates. Sic Doctores, quos sequitur Riccius decis. 102. circa finem, part. 4. & Donat. in praxi rer. Regular. part. 2. tract. 8. q. 14. 1

Et hoc etiam locum habet, tametsi praedicta delicta fuerint ab ipso commissa, sed non potuerint probari; quia sententia absolutionis abstergit omnem maculam, quae ex fama, vel ex indiciis ob talia delicta contracta fuerit. 2

COROL

COROLLARIUM IX.

An possit quis declarari incorrigibilis, & ejici è Religione, si detentus, etiam per annum in carcere cum ieiunio, & pœnitentia, libenter pœnitentias iniunctas sustinuerit, & executus fuerit?

SUMMARIUM.

1 *Religiosus detentus in carcere etiam per annum cum ieiunio, & pœnitentia, si libenter pœnitentias iniunctas sustinuerit, & executus fuerit voluntate se corrigendi, non est declarandus incorrigibilis. Secus si voluntatem malè agendi adhuc conseruet, propter contrariam rationem.*

2 *Præsertim si prædictas pœnitentias iniunctas libenter sustinuerit, & executus fuerit ex desiderio, quod declararetur incorrigibilis, & ejiceretur è Religione; quia nullum maius signum incorrigibilitatis est, quàm velle declarari incorrigibilem.*

1 RESpondetur distinguendo: si id fecerit ductus pœnitentia suorum delictorum, & ex voluntate se corrigendi, nego; quia sic iam deposuit voluntatem malè agendi, atque adeò suam incorrigibilitatem. At si prædictam voluntatem malè agendi adhuc conseruet, affirmo, propter contrariam rationem: Donat. *loco suprà citat. quæstione 12. num. 1.* & Alphonsus de Leone *de Censuris, recollect. 6. anm. 318*

2 Præsertim, si prædictas pœnitentias iniunctas libenter sustinuerit, & executus fuerit ex desiderio, quod declararetur incorrigibilis, & ejiceretur è Religione; quia nullum maius signum incorrigibilitatis est, quàm velle declarari incorrigibilem, & ejici è Religione, vt proinde si quis post commissa delicta instaret, quod probetur in carcere cum ieiunio, & pœnitentia, ad finem, vt expleto anno probationis, declararetur incorrigibilis, & ejiceretur è Religione, & expleto anno, adhuc in hoc prauo proposito persisteret, habendus esset perquam maximè incorrigibilis; quia quammaxima incorrigibilitatis signa præberet.

COROLLARIUM X.

An completo anno probationis in carcere, ad dignoscendum, vtrum quis persistat in sua incorrigibilitate, formandus sit processus de persistentia in tali incorrigibilitate?

SUMMARIUM.

1 *Incorrigibilis vt quis esse dicatur, completo anno probationis in carcere, ad dignoscendum vtrum quis persistat in sua incorrigibilitate, formandus est processus de pœnitentia in illa; aliàs deueniri non potest ad sententiam declarationis, & eiectionis è Religione.*

2 *Incorrigibilitatis persistentia probatur per instantiam ipsius incorrigibilis, cui proinde sufficit eam in actis referre. Quod si non instet, examinandi sunt testes ex Patribus grauioribus, qui deponant de dicta persistentia in incorrigibilitate, & quid facere debeant, vt deponere possint ibi.*

3 *Incorrigibilis prius, quam aliquis declaretur, & ejiciatur è Religione, necessaria est sententia declaratoria incorrigibilitatis, vt proinde compilandus sit processus, ex quo constet de tali incorrigibilitate; maximè cùm post supradictum decretum electio notificanda sit Ordinario.*

4 *Electus per electionem priuatur iure, quod per professionem acquisiuit ad conuiuendum cum aliis intra claustra, & ad exigenda alimenta à Religione. Quod fieri non potest, nisi per sententiam, compilatoque processu, contra nonnullos contrarium sentientes, &c.*

5 *Incorrigibilitati non sufficit quod probetur in genere, sed probari debet in specie per tale, vel tale delictum, itavt probata maneant delicta, in quibus ea fundatur, & quorum intuitu incorrigibilis ad annum probationis in ordine ad eiectionem admissus fuerit.*

6 *Processus nouus fabricare de anteactis delictis ad deueniendum de dicta incorrigibilitate, non est necessarium, sed sufficit inserere nouo processui priores processus per extensum; quia sic plenè remanent probata omnes causæ prædictæ eiectionis.*

7 *Generalis Religionis ferre debet hanc sententiam incorrigibilitatis de consensu, & consilio sex Patrum ex grauioribus ad hunc finem in singulis Capitulis generalibus eligendorum,*

8 *Generalis, vel aliquis ex dictis sex Patribus non est necessarium, vt compilet processum, sed eius compilatio potest alteri delegari.*

9 *Neque est necessarium, vt in compilando processu seruentur apices Iuris, sed sufficit, quod ille sit compilatus secundùm stylum, & consuetudinem Religionis.*

10 *Generalis quando est in visitatione Prouinciarum, potest in vnaquaque Prouincia, vbi reperitur, eligere dictos sex Patres pro ferenda sententia incorrigibilitatis, ex declaratione sacræ Congregationis.*

11 *Electio sex horum Patrum pro singulis Prouinciis facienda est in Capitulo, seu Congregatione generali per singulas Prouincias; quia electio fuit concessa Generali pro illa vice vsque ad proximum Capitulum.*

12 *Decretum de electione facienda à Capitulo generali debet intelligi, quando sententia ferenda est in ipso Capitulo generali, vel in loco, vbi regulariter moratur Generalis.*

13 *Electio dictorum sex Patrum si ex obliuione, vel ex alia causa non fuerit facta in Capitulo generali, non potest amplius fieri, sed recurrendum est ad sacram Congregationem in singulis casibus.*

14 *Neque necesse est, vt dicti sex Patres, quando ferenda est sententia, simul resideant, vel conueniant; sed sufficit, quod singuli expenso processu incorrigibilitatis suum votum in scriptis significent Generali, qui postea iuxta vota sententiam ferat.*

RESpondetur affirmatiuè, quia (cùm non possit quis declarari incorrigibilis, & ejici è Religione, nisi sit verè incorrigibilis, itavt ex dictis suprà debeat per annum in carcere cum ieiunio, & pœnitentia probari, vtrùm persistat in sua incorrigibilitate, deueniri non poterit ad sententiam declarationis, & eiectionis è Religione, nisi constet, quod completo tali anno, persistat in sua incorrigibilitate: ergo formandus erit processus de persistentia in dicta incorrigibilitate. 1

Et quidem si ipse instet, quod declaretur incorrigibilis, sufficiet reduci in actis talem instantiam; quia sic superabundanter declarat suam incorrigibilitatem, vti *suprà corollario 8.* dicebam: si verò ipse non instet, examinandi sunt testes, præsertim ex Patribus grauioribus, qui deponant de persistentia in dicta incorrigibilitate: quod vt deponere possint, necesse erit, vt durante anno probationis in carcere carceratum inuisitant, & ad emendationem hortentur, sicque diligenter obseruent, vtrùm incorrigibilitatem suam deposuerit, necne, ad hoc, vt in testificando posteà sui dicti rationem reddere possint; quod si dum fuerit in carcere, delictum aliquod attentauerit, quamuis illud 2

executus

executus non fuerit, iuuabit plurimùm ad probandam ipsius incorrigibilitatem; quia sufficienter per prauum desiderium, quod habet malè agendi, illam demonstrat. Videatur præter alios Donatus *in Praxi rer. Regular. part. 2. tract. 8. q. 19. n. 3.*

3 Vbi aduerte, quod priusquam aliqua declaretur Incorrigibilis, & ejiciatur è Religione, necessaria sit sententia declaratoria incorrigibilitatis, vt proinde compilandus sit processus, ex quo constet de tali incorrigibilitate. Quod saltem dicendum est post nouum Decretum de apostatis, & eiectis; quia tale Decretum expressè decernit, vt sententia eiectionis notificetur

4 Ordinario: Ergo supponit, quod sit ferenda. Et meritò quidem, quia per eiectionem eiectus priuatur Iure, quod per professionem acquisiuit ad conuiuendum cum aliis intra claustra, & ad exigenda alimenta à Religione. At hoc Iure priuari non potest, nisi per sententiam, sicque compilato processu, ex quo constet de incorrigibilitate; quia cùm non possit hoc Iure priuari, nisi causa iusta subsistente, necesse est quod de ea iudicè constet: Ergo semper necessaria fuit sententia, sicque compilatio processus, ex quo constet de incorrigibilitate. Clat. *in Pract. q. 36. n. 34. vers. sed quæritur.* Felin. *in c. cùm non ab homine, n. 10. de Iudic.* Capyc. *dec. 112. n. 6.* Foller. *in Prax. crimin. verb. Andiatur, n. 4.* & Donat. *in Praxi rer. Regul. part. 2. tract. 8. q. 19. n. 2.*

Quidquid in contrarium dixerint Farin. *q. 8. n. 49.* & Nouarius *in sum. Bullar. tit. de apostat. & eiect. n. 21.* quatenus volunt, quod id necessarium non fuerit ante prædictum nouum Decretum *de apostat. & eiectis.*

5 Aduerte secundò, quod cùm ex eodem nouo Decreto de apostatis, & eiectis plenè probandæ sint eiectionis causæ in plurali, non sufficiat, quod probetur incorrigibilitas in genere, sed probanda sit incorrigibilitas in specie, ex tali scilicet, vel tali delicto, itavt probata maneant delicta, in quibus fundatur prædicta incorrigibilitas, & quorum intuitu incorrigibilis ad annum probationis in ordine ad eiectionem admissus fue-

6 rit. Quamvis necessarium non sit instituere nouos Processus de iis delictis, sed sufficiat inserere nouo Processui priores processus, quorum vi punitus fuit; quia sic planè remanent probatæ omnes causæ prædictæ eiectionis. Non sufficiet tamen remissio ad priores processus, sed per extensum erunt illi inserendi ad hoc, vt Iudices incorrigibilitatis videre possint, an plenè probatæ sint causæ eiusdem eiectionis.

7 Aduerte tertiò, quod hanc sententiam ferre debeat Generalis Religionis de consilio, & consensu sex Patrum ex grauioribus ad hunc finem in singulis Capitulis generalibus eligendorum iuxta prædictum nouum Decretum de apostatis, & eiectis, per quod abrogata sunt Religionibus concessa priuilegia aliter ejiciendi incorrigibiles: sic DD. communiter, quos sequitur Nouarius *de Iur. Pontificio, concl. 83. n. 3. & in sum. Bullar. tit. de eiect. n. 21.*

8 Quamvis non sit necessarium, quod Generalis, vel quia ex dictis sex Patribus compilet processum, sed eius compilatio possit alteri delegari; quia dictum nouum Decretum tantùm requirit, quod Generalis ferat sententiam de consilio, & consensu dictorum sex Patrum.

9 Nec etiam sit necessarium, quod in compilando processu seruentur apices Iuris, sed sufficiat, quod ille sic compilatus secundùm stylum, & consuetudinem Religionis, vt habetur *eodem decreto, §. 6.* ibi: [Nonnisi instructo secundùm eorum stylum, & constitutiones processu, & plenè probatis causis expulsionis ad sacrosum Canonum præscriptum.]

10 Aduerte quartò, quod cùm difficulter Generalis cum dictis sex Patribus ferre possit sententiam eiectionis pro omnibus incorrigibilibus, Sacra Congregatio declarauerit, quod quando Generalis non moratur in aliquo loco, sed ferè continuò visitat Prouincias, possit in qualibet Prouincia eligere sibi alios sex Patres, de quorum similiter consilio, & consensu ferat in illa Prouincia sententiam incorrigibilitatis, iuxta tamen responsionem eiusdem Sacræ Congregationis, de qua videri poterit infrà in aliis ipsius declarationibus post *sectionem 69.* referendis.

Aduerte quintò, quod electio sex horum Patrum 11 pro singulis Prouinciis facienda sit in Capitulo, seu Congregatione generali, quia electio fuit concessa Generali pro illa vice vsque ad proximum primum Capitulum generale. Et Decretum de eiectione facienda à 12 Capitulo generali debet intelligi, quando sententia ferenda est in ipso Capitulo generali, vel in loco, vbi regulariter moratur Generalis. Sic declarauit Sacr. Congregatio die 9. Augusti. 1625. Qua de re videri poterit etiam infrà in aliis dictis eiusdem Sacræ Congreg. declarationibus post dictam *sectionem* 69. adducendis. Et notauit præter alios Peyrin. *de Priuil. ad Constit.* 50. *Vrbani VIII.* Alphonsus de Leone *de censur. recollect.* 5. *n. 322.* Nouarius *part. 5. Bullar. tit. de apost. n. 35.* & Donat. *in Prax. rer. Regul. p. 2. tract. 8. q. 17.*

Aduerte sextò, quod si ex obliuione, vel ex alia cau- 13 sa non fuerint electi dicti sex Patres in Capitulo generali, non possint ampliùs eligi, sed recurrendum sit ad Sacram Congregationem in singulis casibus: sic declarauit Sacr. Congreg. sicuti videre est in eiusdem Sacræ Congregationis declarationibus infrà post dictam *sect. 69.* apponendis; siquidem interrogata, quid si à Religione huiusmodi sex Patres non fuerint electi in Capitulo generali, seu Congregatione generali, faciendum sit vsque ad primum Capitulum generale. Respondit, quod sit recurrendum ad ipsam Sacram Congregationem in singulis casibus.

Aduerte septimò, quod non sit necessarium, vt di- 14 cti sex Patres, quando ferenda est sententia, simul resideant, vel conueniant; sed sufficiat, quod singuli, expenso processu incorrigibilitatis, suum votum in scriptis significent Generali, qui postea iuxta vota sibi significata sententiam ferat: sic etiam declarauit Sacra Congregatio, sicuti videre est in eisdem Sacræ Congregat. declarationibus post dictam *sect. 69.* referendis; siquidem interrogata, an sufficiat, quod Prælatus Conuentualis, seu Prouincialis conficiat processum stylo Religionis seruato, & illius summarium transmittat Generali, vel illius delegato, qui adhibitis sex Patribus electis, quilibet eorum videat eundem processum, & transmittat votum suum per literas eidem Generali, vel delegato? Respondit, quod processus conficiendus sit iuxta stylum, & constitutiones Religionis, & ipsius transumptum authenticum sit transmittendum ad singulos ex dictis sex Patribus, qui per literas votum suum datum significent. Et quidem rectè; quia Decretum de apostatis, & eiectis tantùm requirit, quod Generalis ferat sententiam de consilio, & consensu illorum sex Patrum, qui siue sint præsentes, siue absentes, sufficienter poterunt consilium & consensum suum ad talem finem præstare.

PETITIO.

Quid præter dicta aliud in declarandis, & è Religione ejiciendis incorrigibilibus Generalis debeat seruare?

Respondetur: Vide quæ dicebam *suprà, sectione præcedenti, in Petitionibus.*

SECTIO XXXIV.

Ob quænam delicta Religiosus, tanquam incorrigibilis, è Religione ejici possit?

SVMMARIVM.

1 *Delicta, ob quæ Religiosus tanquam incorrigibilis est ejiciendus*

ejiciendus è Religione, vbinam colligi possint, recensentur.

2 Religiosus regulariter, tanquam incorrigibilis è religione ejici potest propter illa delicta, quæ si in sæculo committeret, puniretur pœna mortis, putà propter homicidium, extractionem rei ad mortem condemnati, sodomiam, & similia grauia delicta, &c.

3 Homicidio annexa est pœna mortis.

4 Excipe, si Religiosus homicidium commiserit ex iracundia quadam, & de eo commisso magnum dolorem conceperit.

5 Extractioni rei ad mortem condemnati annexa pariter est pœna mortis.

6 Excipe, si Religiosus id fecerit ex quadam pietate.

7 Sodomiæ etiam annexa est pœna mortis, quod adeò verum est, vt qui de tali crimine conuictus fuerit, etiam post mortem igni tradendus sit.

8 Religiosus sodomita tanquam incorrigibilis erit ejiciendus à religione, sicut & Clericus sæcularis, si prædictum peccatum committat, erit ejiciendus à clero, & in Monasterium ad agendam pœnitentiam detrudendus; forsan casu quo sodomiæ delictum non fuerit plenè, & per probationes luce meridiana clariores probatum, vel non fuerit consummatum, vel dumtaxat attentatum.

9 Recensentur pœnæ statutæ contra sodomitas à Pio V.

10 Constitutio Pij V. nullam pœnam de nouo inducit contra sodomitam laicum, sed tantùm contra sodomitam clericum.

11 Clericus sodomita non incurrit pœnas prædictæ constitutionis, si semel, bis, vel ter tantùm huiusmodi crimen commiserit; quia pœnæ in dicta constitutione statutæ sunt contra exercentes sodomiæ peccatum. Quod verbum exercere, significat frequentem & continuatum vsum.

12 Non obstat constitutio prior Pij V. cuius vigore, qui semel tale peccatum perpetrauit, damnandus erat pœna mortis, quia fuit declarata per posteriorem constitutionem, in qua cum sit verbum exercuerit, requirit non vnicum, sed duos vel tres actus consummatos.

13 Constitutio prædicta Pij V. non extenditur ad exercentes vitium bestialitatis, contra nonnullos contrarium tenentes: quia licèt hoc vitium sit contra naturam, non tamen est propriè sodomiæ peccatum.

14 Bestialitatis vitium est peccatum contra naturam, & grauius vitio nefando. At quia in pœnalibus non fit extensio, neque valet argumentum à minoritate ad maioritatem rationis, non est eadem ratio, neque eadem Iuris dispositio.

15 Pius V. edidit talem constitutionem contra sodomitas, eo quòd plures essent, qui committerent hoc peccatum, non autem similiter essent plures, qui committerent vitium bestialitatis, ob quam rationem interdum delicta leuiora, eo quòd sunt frequentiora, grauiùs puniuntur, quàm grauiora.

16 Neque est verum, quod in odiosis, & pœnalibus (præsertim in foro conscientiæ) fiat extensio de casu ad casum, quamuis sit eadem, vel maior ratio.

17 Identitas, vel maioritas rationis, licèt sit fundamentum, & imponatur eadem pœna; non tamen censeri debet vt ea de facto sit imposita, nisi de facto fuerit expressa.

18 Moniales professæ nubentes, & accipientes illas in vxores, & etiam Professi contrahentes matrimoniū excommunicantur in Clement. vnic. de consang. & affinit. Et nihilominus licèt sit eadem ratio si aliqua fœmina sæcularis contrahat matrimonium cum professo, non incurrit, sicut incurrit mas sæcularis.

19 Religiosus si sine licentia Parochi administret Sacramentum Eucharistiæ, Matrimonij, vel Extremæ-Vnctionis. At licèt sit eadem ratio, non similiter punitur, si administret Sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ.

20 Fœminas cogentes ad ingressum religionis excommunicantur per Tridentinum. At licèt sit eadem ratio, non excommunicantur cogentes mares ad huiusmodi ingressum.

21 Monasteria Monialium ingredientes prætextu licentiarum excommunicantur per Bullam Greg. XIII. At non excommunicantur ingredientes sine prædicto prætextu.

22 Immunitate Ecclesiæ priuantur in Bulla Greg. XIV. occidentes, vel mutilantes in Ecclesia, vel Cœmeterio. At non ea priuantur etiam vulnerantes, furantes, blasphemantes, vel alia delicta non excepta committentes, licèt sit eadem ratio.

23 Confessarius sollicitans fœminas tanquam suspectus de hæresi in Bullis prioribus erat denunciandus S. Officio. At non sic sollicitans mares, quod tamen fuit Decretum in posterioribus Bullis.

24 Pœna Textus in Clement. 1. de Decimis, lata contra Religiosos eas fraudantes, non extenditur ad Clericos sæculares idem facientes.

25 Pœna lata in Textu cap. finalis, de Offic. delegati, contra Conseruatores, non extenditur contra delegatum idem facientem.

26 Pœna lata in cap. statutum, de rescript. contra Legatum Pontificis, non extenditur ad delegatos Ordinarij.

27 Sodomiæ delicto reseruato alicubi, non censetur per hoc esse reseruatum etiam delictum bestialitatis.

28 Constitutio prædicta Pij V. contra sodomitas secundùm aliquos ob eandem rationem non extenditur contra exercentes peccatum sodomiæ cum femellis contra alios contrarium sentientes.

29 Pœna constituta in dicta Constitutione Pij V. vt locum habeant, requiritur quod peccatum sodomiæ sit in sua specie consummatum; contra plures contrarium sentientes, quatenus aiunt, crimen sodomiæ propter eius enormitatem, etiamsi fuerit solùm attentatum, & non sequuto effectu, pœna mortis puniatur.

30 Lex quando prohibet aliquod delictum, loquitur de delicto consummato, & sodomiæ delictum non dicitur consummatum, nisi semen sit emissum, & emissum intra vas contra naturam; secus si non sit emissum, etiamsi per multum spatium temporis incœperit, & prosequutus fuerit actum sodomiticum.

31 Sodomia ad incurrendum casum reseruatum, requiritur quod sit actus consummatus modo supradicto, contra plures contrarium sentientes ob criminis enormitatem, quatenus aiunt, quod clericus in affectu, & conatu hoc delictum committens, etiam non sequuto effectu, puniri debeat eadem pœna, qua punitur is, qui in effectu & realiter illud committit.

32 In delictis grauibus, & atrocibus punitur similiter affectus & conatus, licèt similiter sequutus non sit effectus.

33 Clericus sodomita virtute dictæ constitutionis amittit ipso Iure beneficia, seu priuatur ipso Iure beneficiis, contra nonnullos non omninò improbabiliter contrariū sentientes; quia lex imponens simpliciter pœnā, non præsumitur regulariter ipso iure eam imponere.

34 Sodomiam exercens non tenetur in foro conscientiæ dimittere Officium, vel Beneficium ante Iudicis sententiam, ex communi sententia Doctorum.

35 Lex positiua pœnalis, quæ non potest executioni demandari absque hominis actione, etiamsi pœnam ipso Iure, vel ipso facto ferat, dicendo, ipso facto sit priuatus, vel etiamsi dicat, nulla expectata declaratione, in conscientia non obligat ante Iudicis sententiam, & cur. Vide ibi plures rationes.

36 Lex positiua exempli gratiâ de ieiunando, de festo seruando, &c. non obligat cum magno incommodo, neque cum periculo notabilis damni, etiam fortunæ bonorum.

37 *Reus, si agatur de causa graui, vt capitis, mutilationis, exilij duri, triremis, carceris perpetui, confiscationis omnium, vel maioris partis bonorum, non tenetur in conscientia, etiamsi legitimè interrogetur, respondere ad mentem Iudicis interrogantis, sed licitè potest æquiuocare, dicendo v.g. Nescio, subintelligendo, vt dicam tibi.*

38 *Reus etiam licitè propter delictum, si de facto sit graui pœna condemnatus, vt exilij duri, triremis, vel carceris perpetui, non tenetur in conscientia illam subire, seu pati, sed licitè potest fugere.*

39 *Lex positiua pœnalis, quæ non potest executioni demandari absque Iudicis actione, etiamsi pœnam ipso iure, vel ipso facto, vel nulla expectata declaratione infligat, in conscientia non obligat ante Iudicis sententiam.*

40 *Bulla Sixti IV. contra Clericos non deferentes habitum, & Bulla Clementis VIII. contra Religiosos munera largientes, & quæcumque alia non obligat quoscumque alios in conscientia ad pœnas, quas infert.*

41 *Lex imponens taxam rebus venalibus, & imponens pœnam contra eum, qui contrauenerit, non obligat in conscientia ante sententiam Iudicis quoad pœnam impositam; secus tamen quoad restitutionem in foro animæ.*

42 *Beneficiatus non tenetur in conscientia abdicare beneficium, donec delictum, propter quod ipso facto est priuatus tali beneficio, probetur, nisi forsan in lege dicatur, quod pœnam statim in foro conscientiæ subire debeat.*

43 *Rectores Ecclesiarum alienantes bona Ecclesiastica absque Iuris solemnitatibus necessariis, neque tenentur abdicare beneficia per extrauagantem Ambitiosè, de rebus Eccles. non alienand. ante Iudicis latam sententiam.*

44 *Religiosus admittens mulierem inter septa Monasterij, neque tenetur abdicare Officium per Motum proprium Pij V. ante Superioris sententiam.*

45 *Superior alicuius Religionis incidens ipso facto in priuationem Prioratus, vel Guardianatus, etiamsi palam constet de delicto, non tenetur ante sententiam priuationis dimittere, etiam in conscientia.*

46 *Iudex, qui propter crimen ipso facto est priuatus titulo, neque tenetur in conscientia abdicare officium, sed licitè potest adhuc Iudicis officium exercere.*

47 *Is cuius bona ipso Iure confiscantur, non tenetur ante Iudicis sententiam dicta bona fisco, seu alteri consignare.*

48 *Lex positiua, seu humana, quæ statuit priuationem Officij, vel Beneficij, aut confiscationem bonorum, non habet eam vim, vt commisso crimine statim Officium, vel Beneficium vacet, aut statim bona pertineant ad fiscum, non obstantibus clausulis, ipso facto, absque declaratione.*

49 *Clausula (absque alia declaratione) intelligenda est de declaratione, qua declaretur pœnam esse incursam; non autem de declaratione, qua declaretur, crimen esse commissum: quæ distinctio vsu comprobatur.*

50 *Pœna conuentionalis debetur ex vi pacti initi inter contrahentes, sicque communis hominum sensus, eam accipit: quapropter multùm differt à pœna legali, & iudiciali.*

51 *Pœna legalis, & iudicialis, sicut non debetur ante sententiam Iudicis, sic etiam non debetur pœna conuentionalis ante exactionem Partis, seu creditoris.*

52 *Pœna conuentionalis in sententia nonnullorum Theologorum neque debetur in foro conscientiæ, priusquam debitor talis pœnæ ad eam soluendam etiam per sententiam Iudicis cogatur. Quod quidem non est omninò improbabile, & cur.*

53 *Pœna conuentionalis, & pœna legalis, seu iudicialis simpliciter non debetur in conscientia, nisi sit moderata iuxta mensuram culpæ, & nisi sit etiam post moram culpabilem, eamque notabilem.*

54 *Pactum legis commissoriæ in pignoribus est Iure prohibitum.*

55 *Pœna tota exigi non potest, si pars debiti soluta fuerit.*

56 *Pœna non potest imponi sine culpa, siue sit iudicialis, quæ per sententiam imponitur à Iudice, siue legalis, quæ imponitur à lege, siue conuentionalis, quæ ex constitutione partium.*

57 *Pœna non debetur, si contractus, cui apposita est, sit Iure irritus, quia sine peccato potest talis contractus non seruari; secus forsan si talis contractus sit iuramento firma[tus].*

58 *Ad pœnam non tenetur q[ui]s, si soluendo factus est impotens, siue sine culpa, siue etiam culpa sua, &c.*

59 *Ad pœnam incurrendam vnius di[ei], vel etiam vnius hebdomadæ spatium ordinariè non debet esse sufficiens, quamuis hìc spectari deb[e]at qualitas negotij.*

60 *Bulla, Constitutiones, aut leges p[œn]ales cum clausulis ipso Iure, ipso facto, absque al[ia] declaratione, efficiunt, vt quis ipso Iure priuatus, st[atim] amittat titulum, ius scilicet illud firmum, qu[od] accepit per collationem, quo aliàs non poterat inui[tus] priuari; retinet tamen possessionem priorem, qua priuari non potest, nisi causa cognita.*

61 *Possessio Iuris dicitur, si Iure permittente retineatur; facti autem possessio dicitur, si ius resistit illi possessioni, obstringens reum ad illam deserendam.*

62 *Executio in dictis pœnis retrotrahitur vsque ad tempus commissi criminis; quia ex eo tempore titulus Officij, vel Beneficij est amissus, & ex illo tempore dominium bonorum translatum ad fiscum.*

63 *Actus factus à prædictis delinquentibus, qui ipso facto per legem priuati sunt officio, & beneficio, sunt validi ante sententiam Iudicis, inualidandi tamen post sententiam. Idem dic de Iudice officium exercente, de alienatione, & dispositione bonorum.*

64 *Is qui ipso Iure priuatus est officio, vel beneficio, vt euitemus omnem difficultatem, quæ occurrit in recensita distinctione, meliùs dici potest, quod non solùm retineat Officij, vel Beneficij possessionem, quæ sit Iuris, sed etiam retineat titulum Officij, vel Beneficij.*

65 *Is qui ipso Iure priuatus est bonis, non solùm retinet bonorum possessionem, quæ sit Iuris, sed etiam dominium, & proprietatem bonorum, non quidem completè, & simpliciter, sed incompletè, seu secundùm quid, donec scilicet ponatur sententia Iudicis.*

66 *Pœna, quod non debeatur in conscientia ante sententiam Iudicis, patitur nonnullas exceptiones; & primò excipe si sic in lege dicatur, ipso facto sit priuatus, vt exinde clarè constet, quod talis fuerit mens legislatoris, vt si addatur, teneri in conscientia dimittere, &c.*

67 *Excipe secundò si simus in censuris, vt in excommunicatione, suspensione, interdicto, & etiam in irregularitate, quæ possunt executioni demandari absque hominis actione.*

68 *Excipe tertiò, si simus in pœnis testamentariis, vt si v.g. Testator relinquat suorum bonorum vsumfructum, vel quid aliud vxori, si castè vixerit, vel si ad secundas nuptias non transierit; quia tenetur in conscientia ante sententiam Iudicis quidquid à Testatore relictum habet, hæredi tradere.*

69 *Excipe quartò ex probabiliori sententia Doctorum, si simus in pœna conuentionali, cùm debeatur in conscientia, post tamen exactionem partis.*

Respondetur, id colligi ex prædicto priuile- 1
gio Pij V. concesso Religioni Sancti Hieronymi in Hispania an. 1566. quo Priuilegio possunt etiam vti omnes aliæ illæ Religiones, quæ Priuilegiorum communicationem habent, & ex prædicto etiam nouissimo decreto Regularibus apostatis & eiectis

eiectis per sacram Eminentissimorum Cardinalium Congregationem super Tridentino Concilio iussu Sanctissimi Vrbani PP. VIII. edito die 21. Septembris, anno 1620. quatenus concedunt, posse Religiosos delinquentes in casibus, in quibus reus de Iure communi ad mortem condemnaretur, perpetuò in carcerem conijci, vel perpetuò, aut ad tempus in triremes relegari. Et posse etiam in aliis delictis grauibus, vt inobedientiæ, contumaciæ, vel apostasiæ, &c. per tres vices replicatæ, &c. vsque ad priuationem habitus inclusiuè puniri, & castigari.

2 Regulariter igitur Religiosus, tanquam incorrigibilis, è Religione ejici potest propter illa delicta, propter quæ si prædicta delicta in sæculo committeret, pœna mortis afficeretur verbi gratia, propter homicidium, propter rei ad mortem condemnati extractionem de manu Iudicis, propter sodomiam, &c. Item propter delicta, vel æquè, vel etiam minùs grauia, vt propter adulterium, fornicationem, furtum, proprietatem, & etiam ebrietatem scandalosam. Sic Doctores, quos sequitur Pe... in *Respons. moral. tom.2. cas.35.* non autem propter quodcumque delictum, seu peccatum mortale, sicuti dicebam *suprà, sect.32. & 33.* & dicam *infrà sect.70. & seqq.*

3 Dixi, *propter homicidium*; quia quod homicidio annexa sit pœna, patet *ex §. Item lex Cornelia, Instit. de public. iudic. ex l.penultima, §. qui alias personas, ff. de parricid.ex l.1.C.de raptu virginis, & ex l.3.§.pœnatur, C.de Episc.audient.* Et docent Marsil. *in l.1. n.1. & in l.qui cadem, n.1. ff.ad leg.Cornel.de sicariis.* Soc.*lib.2. cons.137.n.10.* Decius *cons.66. n.1.* Couarr. *lib.2.var. c.9.n.1.* & alij passim, quos sequitur Bossius *tit.de homicidio, n.109.*

4 Excipe, si Religiosus homicidium commiserit ex iracundia quadam, & de eo commisso magnum dolorem conceipiat; quia tunc eùm diminuatur ratio liberi, diminuitur ratio delicti, vt non sit ita graue delictum, ob quod Religiosus è Religione tanquam incorrigibilis ejici debeat.

5 Dixi secundò, *Propter rei ad mortem condemnati extractionem* de manu Iudicis, quia & quod tali delicto annexa sit etiam pœna mortis, patet *ex l.quisquis, ff. ad leg. Iul. Maiest.* & docent communiter DD. Bartolus *in l. Addictos, n.4. C. de Episc. audient.* Iason *in l. §. quod Prætor, n.12. ff. ne quis eum qui in ius vocatur,* Salycet. *in l.vnica, n.31. C.de rapt. virgin.* Alexander *cons.35.n.4.vol.2.* Clarus *in Practica criminali, q.68.n.10.* Ant.Gomez *tom.3. var.cap.1.n.7.* Decian. *in tract.criminal. tom.2.lib.7.c.11.n.1.& seqq.* & Marsilius *tract.de Bannitis, verbo Capti, n.8.*

6 Excipe, si Religiosus id fecerit ex quadam pietate; quia tunc tam in isto casu, quàm in alicto supradicto ob rationem ibi dictam videtur, quod Religiosus, tanquam incorrigibilis, è Religione ejici non debeat.

7 Dixi tertiò, *Ob sodomiam*; quia & quod sodomiæ annexa sit similiter pœna mortis, patet *ex l. cùm vir, C.ad leg. Iul. de adulteriis,* vbi communiter DD.*ex Authent.vt non luxurientur,§.propter,* vbi Glossa, & communiter etiam Doctores, *ex l.2. §.qui puero, ff. de extraordinar. crimin. ex §.Item lex Iulia, Instit. de public. Iudic. & ex cap.sollicitatores, §.si puero, 33.q.3.* & docent cum Glossa *in cap. vt Clericorum, verbo Ira Dei, de Vita, & honest. Clericorum, & in cap. Clerici, verbo subdantur, de excessibus Prælatorum,* passim DD. quos refert, & sequitur Thesaurus *in addition.ad decis. ibi,* & Aloysius Riccius *p.5.collect.1877.*

Quod adeò verum est, vt qui de tali crimine conuictus fuerit, etiam post mortem igni tradendus sit. Clarus *in Practica, §. Sodomia, n.2. & seqq.* Ignatius Lopez *in additionib.ad Diaz in Practica criminali,c.86. littera S, verbo detestanda,* & Menoch. *de arbitr.lib.2. cas.286. n.23.& seqq.* sicque consuetudine receptum esse, testantur Gomez *in l. 80. Tauri, n. 32.* Azorius *part.3. lib.3. cap.19. in principio,* Riccius *in praxi fori Ecclesiast. resol.302. num.1.* & alij, quos citat, & sequitur Barbosa *de offic. Episc. part.2. alleg.44. n.5.* & de hac re extat etiam in vrbe statutum *lib.2. cap. 48.* 8

Quapropter in casu sine dubio Religiosus, tanquam incorrigibilis, erit ejiciendus è Religione, sicut & Clericus, si prædictum peccatum committat, erit ejiciendus è clero, & in Monasterium ad pœnitentiam faciendam detrudendus, *ex cap. Clericus, de excessib. Prælator.* & docent Bernardus *in practica, cap.88.* Salzedo *ibidem,* & Clarus *vbi suprà, verbo sodomia, n.5.* forsan (cum potiùs ex dictis sit morti tradendus) in casu, quo sodomiæ delictum non fuerit plenè, & per probationes luce meridiana clariores probatum, vel non fuerit consummatum, sed dumtaxat attentatum, iuxta ea quæ dicam *sectione sequenti.*

QVASNAM AVTEM POENAS Pius V. contra peccatum sodomiæ statuerit.

Respondetur: In quadam sua constitutione, quam refert Nauarrus *in sum. cap.27. n.249.* has pœnas Pius V. in his verbis statuit: [Omnes, & quoscumque Presbyteros, & alios Clericos sæculares, & Regulares cuiuscumque gradus, & dignitatis, tam dirum nefas exercentes omni Priuilegio clericali, omnique officio, dignitate, & beneficio Ecclesiastico, præsentis Canonis authoritate priuamus. Itavt per Iudicem Ecclesiasticum degradati, potestati statim sæculari tradantur, quæ de iis illud idem capiat supplicium, quod in laïcos hoc in exitium deuolutos legitimis reperitur sanctionibus constitutum.] 9

ADVERTENDVM PRIMVM.

Contra quem Sodomitam in hac Constitut. Pij V. de nouo pœna statuta sint?

Aduerte primò, quod in hac Constitutione Pij V. de nouo nulla pœna contra Sodomitam laïcum, sed solùm contra Sodomitam Clericum statuta sit. Patet ea contextu, & præter alios notant Nauarrus *loco suprà cit. vers. Ad quod dico primo,* & Graffius *1.part.decis. lib.2. cap.9. n.11.* 10

ADVERTENDVM II.

An prædictæ Constitutionis Pij V. pœnas Clericus Sodomita incurrat, si semel, bis, vel ter crimen Sodomitæ commiserit?

Aduerte secundò, quod prædictæ Constitutionis Pij V. pœnas Clericus Sodomita non incurrat, si semel, bis, vel ter tantùm crimen sodomiæ commiserit, Abb. *in cap.1. de Iud. num.14.* Emanuel de Valle *de incantationibus, sect.3. cap.1. n.21.* Henriquez *in sum. lib.13. cap.36.* in Glossa *litt.N, & lib.14. cap.5. n.1.* in Glossa F.Lopez *tom.1. cap.23.* Vgolinus *de irregularitate, cap.43.§.2.n.4.* Nauarrus *c.27.n.249. vers.3. dico,* vbi subdit, quod Gregorius XIII. à se de hac re interrogatus, ita responderit: Suarez *tom.5. de censuris, disp.31. sect.4. n.21.* Prosper de Augustino *in addit.ad summ. Bullarij Quarantæ, verbo Sodomia, limit.4.* Madius *in tract.de Sacr.Ordin. cap.12.num.9.* Belloch. *de cas.reser.p.2.q.1.n.217.* Graff. *in decis.p.1.lib.2.c.90. n.12.* Rodr. *in sum. p.1.cap.208. n.1.* Homob. *de cas. reser.p.1.cap.4.sect.5.* Campanil. *in diuers. Iur. Canonic. rubr.11.c.22.n.11.* Floron. *de cas.res.p.2.cas.7.§.1.n.9.* Zanard. *in director.Theol. part. 2.præcept.9.c.9.* Fincll. *de casib. reseru. cas.9. num. 6.* Azorius *part.3. lib.3. capite 19. num.2.* Coriolan. *de casib. reseruat. part.2. cas.9. num.25.* Filliuc. *tom.1. tract.17.cap 7.num.127.* Sayrus *de censuris, lib.7.cap.12. num.23.* Genuensis *in Praxi* 11

*Praxi Archiepisc.cap.*18.*n.*15. vbi propterea ait, quod non sit denuncianda mulier, quæ semel maleficium, aut superstitionem committit, nisi manifestè hæresim saperet, & simplicitas, vel alia iusta causa non excusaret, *& cap.*82.*num.*1. Rodericus *tom.*1. *quæst. Regular. quæst.*30.*art.*19. Auila *de censuris, part.*7.*disp.*4.*dub.*7. Maiolus *lib.*5.*cap.*43. *n.*3. Franciscus Leo *in thesauro fori Ecclesiast.part.*3.*cap.*4.*n.*30. Ricciua *in praxi fori Eccles. resol.*302. Ledesma *in sum. part.*2. *tract.*27. *cap.*15.*concl.*4. Garxiaa *de beneficiis, part.* 11. *cap.*10. *num.*198. Philiarcus *de offic. Sacerdot. part.*1.*lib.*4.*c.*15. & Barbosa *de offic. Episcop. part.*2.*allegat.*44.*n.*25.

Quamvis contrarium teneant Aacued. *lib.*8. *recop. leg.*1.*tit.*21.*n.*22.*&* 23. Ioan. de Vela *de pœn. delictor. cap.*33. Aldret. *de discipl. relig. lib.*2.*cap.*15.§.5. *num.*8. Salzedo *in practica crimin. c.*8.*lit.C, & c.*66. *addit.*2. Ceuallos *tract. de cognit. per viam violem. part.*2. *q.*87. *n.*4. *& in opinionib. commun. q.*228. *n.*4. & Cherubinus *in dictam Bullam Pij V. schol.*2. & ex probabili etiam Ledesma *in sum. part.*2.*tract.*27. *punct.*17.*c.*15.*concl.*4.

At contra posteriores citatos Doctores probatur nostrum aduertendum 2. quia prædictæ pœnæ in prædicta Constitutione Pij V. statutæ sunt contra exercentes peccatum sodomiæ: sed non dicitur quia aliquid exercere, nisi frequenti, & continuato vsu illud fecerit, §. *Item lex Iulia, de adulter. Instit. de public. iudic.* & docent Doctores *ibi, verbo Exercere*, Bartolus *in proœmio ff. n.*10. *& in l.*2.*ff. de furtis, n.*3. Salicet. *in l. falsus, Cod. eodem tit.* & Abbas *in cap.*1.*de Iudic. n.*24. Et meritò, quia v.g. non dicitur quis viarum grassator, neque agrorum depopulator, neque maleficus, qui Inquisitoribus sit denunciandus, ex vno, vel altero crimine talis naturæ commisso, sicuti dicebam *tractatu de immunitate, & iurisdictione Ecclesiastica, cap.*16. *tom.*2. Neque dicitur mercator ex vnica, vel altera negociatione, seu mercatura, sicuti tradit Glossa *in l.*1. *§. mercis, ff. de tributis*, Strac. *tract. de mercatura, part.*1. *in princip. n.*6. & Grass. *effect.*6. *de Cleric. num.*20. Neque etiam dicitur Hospitator ex vnica, vel altera hospitatione, sicuti habetur *in l.*1. *ff. de tributis*: vnde & dici consueuit, quod vnus flos, vel vna hirundo non facit ver.

12 Neque obstat, si dicas cum aduersariis, quemlibet Clericum sodomitam prædictas pœnas incurrere, quamvis ipse semel peccatum sodomiæ commiserit, eo quòd in priori Constitutione, quam idem Pius V. edidit, incipiente: *Cùm primum Apostolici Officij*, dicatur: *Si quis tale peccatum perpetrauerit*, curiæ sæculari, etsi fuerit Clericus, tradatur puniendus, omnibus Ordinibus degradatus simili pœnæ subjiciatur; sicque satis sit ad prædictas pœnas contrahendas, si semel Clericus hoc peccatum commiserit.

Respondetur enim, quod cùm hæc Pij V. posterior Constitutio, in qua dicitur, *Si quis exercuerit*, sit explicatiua Constitutionis prioris, in qua dicitur, *Si quis perpetrauerit*, Constitutio prior intelligi debeat ad sensum Constitutionis posterioris, præsertim quia sic respondit Gregorius XIII. de hac re interrogatus, teste Nauarro. Vt omittam dici posse, quod licèt pœnæ constitutæ in Constitutione priori Pij V. quæ sunt minùs graues, comprehendant perpetrantes; pœnæ tamen constitutæ in constitutione posteriori, quæ sunt grauiores, comprehendunt tantùm exercentes.

ADVERTENDVM III.

An prædicta Constitutio Pij V. non extendatur ad Clericum exercentem vitium bestialitatis?

13 Aduerte tertiò, quod prædicta Constitutio Pij V. non extendatur ad Clericum exercentem vitium bestialitatis. Bañez 2. 2. *q.*64.*art.*9.*in princip.* Garxias *de benef. part.*11. *cap.*10. *num.*204. & alij quos sequitur Barbos. *in collect. tom.*2. *lib.*5. *tit.*31. *cap.*4. *num.*12. *& de offic. Episcop. part.*2. *alleg.*44. *num.*22. Quamvis contrarium teneant Rodericus *tom.*1. *summa, cap.*208. *num.*2. Riccius *in praxi, tom.*3.*resol.*59. Campanil. *in diuers. iur. Canon. rub.*11. *cap.*22. *num.*18. Rolandus à Valle *vol.*1.*cons.*7.*num.*2. Ledesma *in summa, tom.*2. *tract.*27.*cap.*11.*concl.*4. Vega *in summa, tom.*2. *c.*102. *cas.*2. Homobon. *in examin. Eccles. part.*2. *tract.*11. *cap.*12. *num.*26. Narbona *in* 3. *part. recop. lib.*4.*tit.*5. *leg.*20. *gloss.*8.*num.*13. Belloch. *de casib. reseruat. part.*2. *quæst.*2. *num.*39. Farinac. *in praxi crim. quæst.*148. *num.*47. & Prosper de Augustino *in addit. ad sum. Bullar.* Quarantæ, *tit. verbo Sodomia, ampliat.*1. quia licèt hoc vitium sit contra naturam, non tamen est propriè peccatum sodomiæ, sed species quædam ab illo distincta: sicuti rectè probat S. Thomas 2. 2. *quæst.*154.*art.*11. quem sequuntur Caietanus *ibi*, Syluester *verbo Luxuria*, §.1. S. Antoninus *in sum.*2.*part. tit.*5.*cap.*4. & alij passim.

Non obstat, si dicas cum aduersariis: Vitium bestialitatis est peccatum contra naturam, & est grauius vitio nefando: ergo constitutio prædicta Pij V. extendetur etiam ad bestialitatis vitium exercentes; cùm lex pœnalis extendatur de casu ad casum, quando est eadem, vel maior ratio. Gloss. *in cap.*1. *de tempor. ordinat. in* 6. *verb. Italie*, quam Glossam singularem appellat Abbas *in cap. nihil, de election. & in cap. fin. de rescriptis.* 14

Respondetur enim, nego consequentiam, & probationem illius; quia vt omittam, non esse eandem rationem; Nam Pius V. edidit talem Constitutionem, eo quòd plures essent, qui committerent vitium sodomiæ, sicuti patet ex verbis eiusdem Constitutionis: non autem similiter essent plures, qui committerent vitium bestialitatis; ob quam rationem interdum delicta leniora, quia sunt frequentiora, grauiùs puniuntur, quàm grauiora, non est verum, quod in odiosis, & pœnalibus, præsertim in foro conscientiæ, fiat extensio de casu ad casum, quamvis sit eadem, vel maior ratio, ex Regula *Odia, de regul. Iur. in* 6. *& ex cap. pœna, de pœnit. dist.*1. quod scilicet odia, & pœnæ restringi debeant, & notant præter Dominicum, & alios Canonistas *ibi*, Iason *in l. cùm quidam, ff. de libr. & posthum. n.*9. Deciua *in l. si quis, ff. de iurisd. omn. Iudic. num.*47. Castrus *de pœnis, lib.*1. *cap.*7. *document.*3. *lib.*6. *cap.*3. *num.*5. *& cap.*4. *n.*1. Henriquez *in summa, lib.*7.*cap.*30.*n.*4. *in glossa, lit.C*, Garcias *de benef. tom.*2. *part.*11. *cap.*10. §.2. *num.*236. Miranda *in manual. Prælat. tract. de monial. q.*2. *art.*10. *concl.*1. Auila *de censur. part.*6. *disp.*7. *dub.*5. & Sanchez *de matrim. tom.*3. *lib.*10. *disp.*4. *num.*3. Et ratio vlterius est, quia licèt identitas, vel maioritas rationis sit fundamentum, vt imponatur eadem pœna, non tamen censeri debet, quod ea de facto sit imposita, nisi de facto fuerit expressa, propter rationem iam dictam, quod scilicet odia, & pœnæ restringi debeant.

15 (margin beside "Respondetur enim"), 16 (beside "puniuntur"), 17 (beside "Et ratio")

Et hæc responsio probatur etiam exemplis.

Primò, quia *in Clement. vnica, de consanguin. & affin.* excommunicantur moniales professæ nubentes, & accipientes illas in vxores, & excommunicantur etiam professi contrahentes matrimonium; ideò licèt sit eadem ratio, notant Cardinalis, Ancharanus, & Bonifacius *ibi*, S. Anton. *part.*3.*tit.*24.*art.*34. Caiet. *in summa, verb Excommunicatio, cap.*47. & Sanchez *de matrim. lib.*7. *disp.*48. *num.*2. quod si aliqua fœmina sæcularis contrahat matrimonium cum Professo, non incurrat dictam excommunicationem, sicut incurrit mas sæcularis contrahens matrimonium cum moniali; quia textus, inquiunt ipsi, loquitur de maribus sæcularibus contrahentibus matrimonium cum monialibus, & non de fœminis sæcularibus nubentibus cum Professis: lex igitur pœnalis est restrin- 18

genda, matrimoniom cum Monialibus, & non de fœminis sæcularibua nubentibus cum professis; lex igitur pœnalis est restringenda, non autem amplianda, etiam ex identitate, vel maioritate rationis.

19 Secundò, quia *in Clem. 1. de priuil.* punitur Religiosus, si sine licentia Parochi administret sacramentum Eucharistiæ, Matrimonij, vel Extremæ-Vnctionis; ideò (licèt sit eadem ratio) adnotant Glossa, & Abbas *ibidem*, & Capel.Tolos. *decis.* 151. quod non similiter puniatur, si sine licentia Parochi administret sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ; quia textus loquitur in ordine ad sacramentum Eucharistiæ, Matrimonij, vel Extremæ-Vnctioois, non autem in ordioe ad sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ.

20 Tertiò, quia in Tridentino Concilio *sess.* 25. *de reg. cap.* 8. excommunicantur qui cogunt fœminam ad ingressum Religionis, vt scilicet habeatur libertas talis ingressus: ideò licèt sit eadem ratio, docent Bannex, Suarex, & alij apud Sanch. *tom.* 1. *moral. lib.* 4. *c.* 4. *n.* 3. quod non excommunicentur etiam qui cogunt marem; quia Concilium loquitur de iis, qui cogunt fœminam, non autem de iis, qui cogunt marem.

21 Quartò, quia in Bulla Gregorij XIII. excommunicantur, qui ingrediuntur monasteria Monialium prætextu licentiarum, ideò non excommunicantur etiam qni ingrediuntur prædicta Monasteria sine prætextu talium licentiarum. Doctores apod Suarex *de censur. disp.* 21. *sect.* 6. *num.* 11.

22 Quintò, quia in Bulla Gregorij XIV. priuantur immunitate Ecclesiæ, qui occidunt, vel mutilant in Ecclesia, vel in Cœmeterio; ideò non priuantur etiam prædicta immunitate qui vulnerant, furantur, blasphemant, vel alia delicta non excepta (vt hæresim, vel crimen læsæ Maiestatis in personam Principis, &c. committunt in alterutro ex prædictis locis.

23 Sextò, quia in Bullis prioribus, tanquam suspectus de hæresi sancto Officio denunciandus erat Confessarius, qui in Confessione sollicitabat fœminam, ideò ex communiori sententia non erat etiam vt talis denunciandus Confessarius, qui in confessione sollicitabat marem, adeò quod vt iste etiam Confessarios, vt talis sit similiter denunciandus, in Bullis posterioribus postea à summis Pontificibus iam expressum sit.

24 Septimò, Glossa *in Clement.* 1. *de decimis*, pœnam talis textus contra Religiosos fraudantes decimas Ecclesiæ, de quibus loquitur textus, non extendit ad Clericos sæculares idem facientes.

25 Octauò, Glossa *in cap. finali, de offic. deleg. in* 6. *verb. suspensi*, pœnam talis textus contra conseruatores, de quibus loquitur textus, non extendit ad delegatum idem facientem.

26 Nonò, Gloss. *in c. statutum*, §. *insuper, de rescript. verb. Moderatas*, pœnam talis textus contra Pontificis legatum, de quo loqnitur textus, non extendit ad delegatos Ordinatij eundem excessum circa expensas facientes.

27 Hinc si alicubi reseruetur delictum sodomiæ, cùm reseruatio, vtpotè odiosa, sit restringenda, non censetur per hoc esse reseruatum etiam delictum bestialitatis. Reginald. *in praxi, tom.* 1. *cap.* 11. *sect.* 1. *n.* 127. Coriol. *de casib. reseruat. part.* 1. *sect.* 5. *n.* 4. Naldus *in summa, verb. casus, num.* 3. Chapeauilla *de casibus reseru. cap.* 6. *q.* 1. Bonac. *de matrim. disp.* 4. *punct.* 11. *num.* 5. *& de sacrament. disp.* 5. *q.* 7. *punct.* 5. §. 3. *n.* 1. & Homobon. *part.* 1. *de casib. reseru. cap.* 2. contra Grassium *in praxi, lib.* 1. *cap.* 4. *regul.* 4. *n.* 55. Finellium *de casib. reseruat. cas.* 4. *n.* 15. *& cas.* 5. *n.* 3. & Floronum *de cas. reseruat. part.* 1. *cap.* 1. *num.* 30. *&* 40.

28 Ob eandem rationem, quam supià in principio aduertendi dicebam, nonnulli non omninò improbabiliter putant, quod prædicta Constitutio Pij V. neque extendatur ad exercentes peccata contra naturam cum fœmellis, quia nec tale peccatum etiam est propriè sodomia; cùm licèt in tali casu vas sit contra naturam, sicqoe non seruetur debitum vas, seruetur tamen debitus sexus. S.Th. 2. 2. *q.* 154. *art.* 11. Caiet. *ibid.* Azor. *part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 19. *q.* 3. Floronus *de casib. reseru. part.* 2. *cas.* 7. §. 1. *n.* 9. Belloch. *de casib. reseruatis, part.* 2. *q.* 1. *n.* 521. Taoner. *in* 2. 2. *disp.* 3. *q.* 3. *punct.* 6. *n.* 149. Valent. *tom.* 3. *disp.* 9. *q.* 3. *punct.* 3. Zanard. *in direct. part.* 2. *præcept.* 6. *c.* 10. Ledesm. *part.* 2. *tract.* 27. *c.* 15. *concl.* 1. Henr. *lib.* 11. *c.* 17. *n.* 6. Gloss. *lit. A, & D.* Ioan. de la Crux *in direct. consc. p.* 1. *præcept.* 7. *art.* 7. *dub.* 8. *concl.* 1. Bonac. *de matr. q.* 4. *punct.* 11. *propos.* 1. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 30. *c.* 8. *n.* 158. & ex probabili etiam Barb. *in collect. tom.* 2. *lib.* 5. *tit.* 31. *c.* 4. *n.* 10. Quamvis contrariũ sentiant Menoch. *de arbitr. cas.* 386. *n.* 5. vbi citat Cardinalem, & Decium, Garc. *de benef. part.* 11. *c.* 10. *n.* 207. Campanil. *in diuers. iur. canon. rubr.* 11. *c.* 52. *n.* 17. Patin. *in praxi crimin. q.* 148. *n.* 36. Prosper de Augustino *verb. Sodomia, in princ.* vbi citat Afflictum, Clarum, Couar. & alios, Sayr. de *cens. lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 23. Homobon. *in exam. Eccles. q.* 1. *tract.* 7. *c.* 28. *q.* 114. Reginald. *in prax. tom.* 2. *lib.* 55. *c.* 3. *sect.* 10. *n.* 49. Less. *de iust. lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 13. *n.* 90. Plin. *in sum. part.* 3. *c.* 8. *n.* 21. Lambert. *de iurepatr. part.* 1. *lib.* 2. *in art.* 1. *princip. num.* 3. Ricc. *in prax. for. Eccles. res.* 305. *n.* 2. *& in collect. decis. part.* 5. *collect.* 1877. *dub.* 1. & alij quos sequitur Barbos. de *offic. Episcop. part.* 2. *alleg.* 44. *num.* 23. eo quòd peccatum contra naturam, siue cum masculis, siue cum fœmellis, sit eiusdem rationis.

At quod dicebam in contrarium suprà, non est omninò improbabile: ita vt si alicubi reseruetur sodomia, cùm reseruatio, vtpotè odiosa, sit restringenda, non etiam veniat ibi reseruatus concubitus cum fœmella à parte posteriori: sicut nec bestialitas, vti *suprà* dicebam. Syluius *in* 2. 2. *cap.* 154. *art.* 12. Summa Corona *part.* 2. *c.* 2. *n.* 16. Chapeauilla *de casib. reser. c.* 15. *quæst.* 2. Iacob. de Graff. sibi contrarius *tom.* 2. *lib.* 5. *c.* 3. Floronus *de casib. reseru. part.* 2. *cas.* 7. *n.* 6. & Bonacina *de matr. q.* 4. *punct.* 11. *propos.* 1. *n.* 5. contra Iacob. de Graffiis *lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 5. Riccium *in praxi, part.* 2. *resol.* 302. *n.* 2. *& part.* 3. *resol.* 60. *n.* 4. Gambaruptam *de casib. reseru. cas.* 5. *n.* 1. & Homobonum *de casib. reseruat. part.* 2. *cas.* 5. *sect.* 5.

ADVERTENDUM IV.

An ad hoc, vt pœna constituta in prædicta Constitutione Pij V. locum habeant, requiratur sodomia crimen esse in sua specie consummatum?

Aduerte quartò, quod ad hoc, vt pœnæ constitutæ 59
in prædicta Constitutione Pij V. locum habeant, requiratur sodomiæ crimen esse in sua specie consummatum, Itavt semen sit emissum, & emissum intra vas contra naturam; secus si nullo modo sit emissum, vel emissum extra dictum vas. Lælius Zech. *in respons. cas. conscientia, cas.* 1. *tit. de irregul.* 5. *de irregularitate prouenien-te ex delict. qualit.* Suarex *tom.* 5. *de censur. sect.* 4. *n.* 21. Belloch. *de casib. reseruat. part.* 2. *q.* 1. *n.* 250. Azor. *part.* 3. *lib.* 3. *c.* 19. *q.* 4. Salzed. *in addit. ad Pract. crim. Diaz, c.* 88. Iacob. de Graff. *in decis. part.* 1. *lib.* 2. *c.* 90. *n.* 11. Rodriq. *in sum. part.* 1. *c.* 208. Floron. *de casib. reseru. part.* 2. *cas.* 7. *n.* 8. *&* 9. Sayr. *de censur. lib.* 6. *cap.* 15. *n.* 23. Campan. *in direct. iur. canon. rubr.* 11. *c.* 21. *n.* 14. Ledesma *in sum. tom.* 2. *tract.* 27. *c.* 15. *concl.* 4. Zanard. *in Theol. part.* 2. *præcept.* 6. *c.* 9. Chapeauilla de *casib. reseru. c.* 15. *quæst.* 3. Finell. *de casib. reseru. cas.* 9. *n.* 6. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 17. *c.* 7. *n.* 127. Prosper de Augustino *in addit. ad summam* Quarantæ, *verb. sodomia*, Coriol. *de cas. reseru. part.* 2. *cas.* 9. *n.* 56. Vgolinos *de irregul. cap.* 43. Garcia *citato cap.* 10. *n.* 203. Rodericus *tom.* 1. *quæst. regul. quæst.* 30. *art.* 18. Riccius *in praxi for. Eccles. resol.* 302. *limitat.* 1. Alterius de *censur. tom.* 2. *disp.* 15. *cap.* 3. *vers. tertiò notandum*, Bonacina *de matrimon. q.* 4. *punct.* 11. *n.* 2. & alij quos citat, & seqoitur Barbos. *de offic. Episc. part.* 2. *alleg.* 44. *n.* 24.

Probatur

30 Probatur, quia quando lex prohibet aliquod delictum, intelligit de delicto consummato, *cap. hac autem, dist. 5. de poenit. & l. 1. §. hac verba, ff. quod quisque Iuris.* Ac sodomiæ delictum non est consummatum, nisi semen sit emissum, & emissum intra vas contra naturam; secus si non sit emissum, etiamsi quis per multum spatium temporis inceperit, & prosequutus fuerit actum sodomiticum, vel sit emissum extra vas contra naturam, vti dicebam, & docent Reginaldus *tom. 2. lib. 22. cap. 3. sect. 10. num. 49.* Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 10. disp. 2. n. 13.* Molfes. *in summa, tom. 1. tract. 7. cap. 20. cas. 9. num. 109.* & alij communiter: Ergo.

31 Hinc ad incurrendum casum reseruatum sodomiæ requiritur, cùm reseruatio, vtpote odiosa, sit restringenda, sit modo supradicto consummata. Graff. *tom. 1. lib. 5. cons. 3. n. 20. de adult.* Finel. *de cas. reser. c. 9. n. 6.* Chapeauil. *c. 25. quæst. 2.* Bonac. *de matrim. q. 4. punct. 11. n. 2.* & Homob. *de casib. reseru. par. 1. c. 4. sect. 5. & in examin. Ecclesiast. part. 1. tract. 7. c. 38. quæsit. 114.*

Quamvis contrarium, tam quoad primam, quàm quoad secundam partem, sentiant alij, vt Clar. *in pract. §. fornicat. n. 22.* Menoch. *lib. 2. cas. 186. n. 44.* Petr. Gregor. *syntagm. iur. lib. 36. c. 14. n. 1.* Roland. *lib. 1. cons. 7. n. 4.* & Boërius *decis. 316. n. 1. & seqq.* quatenus aiunt, quod crimen sodomiæ propter eius enormitatem, etiamsi fuerit solùm attentatum, & non sequuto effectu, poena mortis puniatur, & Barbatia *lib. 1. cons. 64. n. 10. & seqq.* Andr. Gaillus *de pace publica, lib. 1. c. 14. n. 16.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. cas. 360. n. 6.* Iodoc. *in pract. crimin. c. 96. n. 16.* & Quaranta *in sum. Bullar. verb. Sodomia, limit. 3.* quatenus inquiunt, quod Clericus in affectu, & conatu hoc delictum committens, etiam non sequuto effectu, puniri debeat eadem poena, quâ punitur is, qui in effectu, & realiter illud committit, afferúntque de hac re & statutum Vrbis *lib. 3. c. 48.* & rationem, quia scilicet, vt suprà dicebatur, in atrocissimis delictis punitur affectus, & conatus, tametsi secutus non sit effectus, & Glossa *in l. 1. §. hac autem, verb. putamus, ff. quod quisque iuris,* quam sequuntur Albericus *in l. si quis non dicam, Cod. de Episc. & Cler. n. 2. & seqq.* Bald. *in l. si fugitiui, Cod. de seru. fugit. n. 2.* Cepolla *ibid. n. 10.* Salyc. *in cap. si qui, n. 4. Cod. ad leg. Cornel. de sicariis,* Felin. *in c. 1. de offic. deleg. n. 1.* Couar. *in Clementina si furiosus, n. 6.* & Boërius *decis. 316. n. 4.* adeò vt etiam in delictis grauibus, & atrocibus puniatur similiter affectus, & conatus, tametsi similiter secutus non sit effectus, ex Paulo de Castro *in citata l. si quis non dicam, Cod. de Episc. & Cleric.* Salycet. *ibidem, in summario,* Ioan. Fabro *n. 4.* Glossa *in l. 1. §. hac autem, verb. putamus, ff. quod quisque Iuris,* Bartol. *ibid. n. 4.* Alberico *n. 1.* Decio *in l. si fugitiui, Cod. de seru. fugit. n. 43.* Corneo *lib. 1. cons. 202. n. 1.* Ant. Gom. *de delictis, c. 3. n. 30.* & aliis: Et quidem hæc posterior opinio, si locum habet, præcipuè locum habet in foro externo.

ADVERTENDVM V.

An virtute prædictæ constitutionis Pij V. Clericus sodomiam exercens amittat ipso Iure priuilegium Clericale, officia, beneficia, &c.

32 Aduerte quintò, quod Quaranta *in sum. Bullar. verb. Sodomia, circa finem,* Cherubinus *in dictam constitutionem Pij V. scholio 1.* Campanil. *dicta rubr. 11, cap. 12. num. 10.* Bonac. *de matrim. q. 4. punct. 11. c. 2. n. 2.* Rebuffus *in praxi, titulo de mod. amittend. benef. n. 38.* & Barbosa *de officio Episc. part. 2. alleg. 44. n. 29.* putent, virtute dictæ Constitutionis Pij V. Clericum sodomiam exercentem amittere ipso iure priuilegium Clericale, officia, beneficia, seu esse priuatum iis ipso iure; quia dicta Constitutio Pij V. sic habet: [Omnes, & quoscumque Presbyteros, & alios Clericos sæculares cuiuscumque gradus, & dignitatis, tam dirum nefas (scilicet sodomiam) exercentes, omni priuilegio Clericali, omnique officio, dignitate, & beneficio Ecclesiastico præsentis Canonis authoritate priuamus, ita quod per Iudicem Ecclesiasticum degradati, potestati statim sæculari tradantur.] At quando lex imponit poenam loquendo per verba temporis præsentis, censetur illam imponere ipso facto, seu ipso iure, quia continet sententiam latam, Lapus *alleg. 16.* Tiraquell. *de reuocand. donat. verb. Reuertatur,* & Rota *decis. 728. part. 3. lib. 3. diuers.* ergo, &c.

Quamvis contrarium, scilicet non esse ipso iure priuatum, sed priuandum, non omninò improbabiliter sentiant Menoch. *de arbitr. cas. 286.* Mandos. *de signatur. gratiæ, titulo de priuat. vers. Fortius procedere, cons. 275.* Beroard. Diaz *in pract. c. 86.* Ant. Gomez *l. 80. Tauri, n. 31. & 33.* Staphil. *tit. de variis modis vacationis 9. Quando quis veniat priuandus beneficio, n. 4.* & alij, quia lex imponens simpliciter poenam, non præsumitur regulariter ipso iure eam imponere: Ergo, &c.

33 Et quidem in dubio (si verè dubium sit) sic præsumi debet, Anchar. *cons. 145. n. 2.* Bald. *in l. 1. Cod. de leg. in fine,* Capycius *decis. 121. n. 13.* Marsil. *in Practica, §. Aggrediar, n. 124.* Suarez *tract. de legib. lib. 5. cap. 6. n. 2. & c. 7. n. 5.* Alexand. *lib. 1. cons. 114. in princ.* Tuscus *verb. Poena, concl. 238. n. 4. & verb. priuatio, concl. 719. n. 17.* Ioan. Salas *de legib. q. 96. tract. 14. disp. 15. sect. 6. n. 79.* & alij passim, eo quòd in poenis benignior facienda sit interpretatio, *ex cap. in poenis, de regul. iur. in 6.* Et poenæ sint restringendæ, non ampliandæ.

34 At quidquid sit de hoc, illud tamen dicendum erit, quod sodomiam exercens non teneatur in foro conscientiæ dimittere priuilegium Clericale, officium, vel beneficium ante Iudicis sententiam; quia generaliter qui commisit delictum, ob quod priuatur priuilegio Clericali, officio, vel beneficio, &c. non tenetur in conscientia dimittere illa ante Iudicis sententiam. Est communis sententia Doctorum, Nauar. *comment. de datis & promiss. n. 61.* Molinæ *de iust. tom. 1. d. 96.* Couar. *in 4. decret. part. 2. c. 6. §. 8. n. 8.* Lessij *de iust. lib. 2. c. 29. n. 63. & 64. & c. 44. n. 14. & 188.* Sayr. *de censur. lib. 7. c. 12. n. 24.* Sanch. *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 46. n. 28.* qui citat Graffium, Vegam, & Rodriguez, Auilæ *de censur. part. 7. disp. 4. dub. 7. concl. 7.* Homobon. *de exam. Eccles. part. 1. tract. 11. c. 12. sect. 26.* Florion *de casib. reseru. respons. part. 2. cas. 7. §. 1. n. 8.* Finell. *de casib. reseruat. cas. 9. n. 6.* Zanard. *in direct. part. 2. præcept. 6. c. 9.* Filliucij *tom. 1. tract. 17. n. 117.* Henriquez *lib. 7. cap. 36. n. 1. lit. I. & lib. 13. c. 56. n. 1.* Suarez *tom. 5. de censur. disp. 27. sect. 1. n. 8. & disp. 40. sect. 2. n. 17. & 22.* Vasquez *prima secundæ, tom. 2. disp. 168. n. 23.* Azorij *tom. 1. institut. moral. lib. 5. c. 8. q. 3.* & aliorum communiter.

35 Probatur hæc opinio, quia lex positiua poenalis, quæ non potest executioni demandari absque hominis actione, etiamsi poenam ipso iure, vel ipso facto ferat, dicendo *ipso facto sit priuatus*, vel etiam sic dicat, *nulla expectata declaratione*, in conscientia non obligat ante Iudicis sententiam, non solùm ex eo, quia vsu, & consuetudine, quæ est optima legum interpres, receptum est, vt nemo se priuet re priùs obtenta, nisi declaratoria criminis sententia à Iudice feratur; sed etiam ex eo, quia si talis lex in conscientia obligaret ante Iudicis sententiam, esset nimis rigida, cogeret enim homines ad se prodendum, & ad in se durissimam poenam exequendum: ad quod nulla lex positiua in conscientia obligat; cùm lex positiua, vt in conscientia obliget, debeat esse facilis, tolerabilis, atque humanæ imbecillitati conformis, & accommodata. Alioquin non esset in ædificationem, sed potiùs in destructionem, neque esset in commune bonum, sed potiùs in commune detrimentum; cùm vix vnus ex mille esset illam obseruaturus: Quapropter dici consueuit, quod lex positiua, v.g. de ieiunando, de festo seruando, &c. non obliget cum magno incommodo, neque cum periculo notabilis

notabilis damni, etiam fortunæ bonorum; quapropter etiam, vt alibi dicebam, reus si agatur de causa graui, vt capitis, mutilationis, exilij duri, triremis, carceris perpetui, confiscationis omnium, vel maioris partis bonorum, non tenetur in conscientia, etiamsi legitimè interrogetur, respondere ad mentem iudicis interrogantis, sed licitè potest æquiuocare, dicendo v.g.
38 Nescio, mente subintelligendo, vt dicam tibi: item si de facto sit, etiam licitè propter delictum, ad grauem pœnam condemnatus, vt exilij duri, triremis, vel carceris perpetui, &c. neque tenetur in conscientia illam sustinere, seu pati, sed licitè potest fugere.

39 Atque ita, quod scilicet lex positiua pœnalis, quæ non potest executioni demandari absque hominis actione, etiamsi pœnam ipso iure, vel ipso facto ferat, dicendo, ipso facto sit priuatus, vel etiam si dicat, nulla expectata declaratione, in conscientia non obliget ante Iudicis sententiam, propter rationes dictas, docent Vasquez *in* 1.2.*tom*.2. *disp*.168. *n*.14. Molina *de iust.& iur. tom*.1.*tract*.2. *disp*.95. *num*.14. qui subdit, sententiam hanc esse communem inter Theologos, & Iuristas. Salas *de legib.disp*.15. *sect*.2. *num*.30. Couar. *in* 4.*part*.2. §.8.*num*.3.*illat*.3. Becanus *in* 1.2. *tract*.3.*cap*.2. Lorca *in* 1.2. *tom*.2. *disp*.24. *de legib.* Lessius *de iust. & iur. lib*.2. *cap*.29. *dub*.8. *num*.63. Suarez *de legib. lib*.5.*cap*.5.& 6. Villalobos *in summa, tract*.2. *diffic*.26. *num*.2. Surd. *decis*.147. *per totam*, Molfes. *in summa, tom*.1.*tract*.9. *cap*.9. *num*.35. Azor. *part*.1. *lib*.5.*cap*.7. *quæst*.6. Ioan.de la Cruz *in direct. comment. part*.1. *in princip. dub*.3. *de legib.* Nauar. *in summa, cap*.27.*num*.110. Sanchez *lib*.2.*moral. cap*.21. *num*.20. Rodriq.*in explicat. Bullæ Pij V. contra Religiosos admittentes mulierem intra septa Monasterij, num*.32. Ioan. Valerus *in differentiis vtriusque fori, verb. pœna, differ*.10. *n*.4. & alij passim.

40 Hinc Bullæ Sixti V. contra Clericos non deferentes habitum, & Bulla Clementis VIII. contra Religiosos munera largientes, & quæcumque similis alia Bulla, vel positiua lex contra quoscumque alios non obligat in conscientia ad pœnas, quas infert, vel imponit, nisi post iudicis sententiam: videatur præcipuè Molfesius.

41 Item secundò lex imponens taxam rebus venalibus, & imponens pœnam contra eum, qui contrauenerit, licèt non obliget in conscientia ante sententiam iudicis, ita vt in conscientia restituere excessum pretij teneatur, cùm rem vendendo supra pretium lege taxatum, siue supra pretium legitimum, pecauerit contra iustitiam, non tamen teneatur in conscientia ad pœnam impositam, nisi à iudice ad eam condemnetur: videatur præcipuè Villalobos.

42 Item tertiò, beneficiatus non tenetur in conscientia abdicare beneficium, donec declaretur delictum, propter quod ipso facto est priuatus tali beneficio nisi forsan, vt infrà dicam, in lege dicatur, quod pœnam statim in foro conscientiæ subire debeat: videatur præcipuè Surdus, & Azorius.

43 Item quartò: Rectores Ecclesiarum alienantes bona Ecclesiastica absque iuris solemnitatibus necessariis neque tenentur abdicare beneficia per extrauagantem Ambitiosè, *de reb. Eccles. non alien.* ante iudicis latam sententiam. Videantur præcipuè Nauarrus, & Sanchez.

44 Item quintò, Religiosus admittens mulierem intra septa Monasterij, neque tenetur abdicare Officium per motum proprium Pij V. priusquam ad id à Superiore condemnetur. Videatur præcipuè Rodriquez.

45 Item sextò, Superior alicuius Religionis incidens ipso facto in priuationem Prioratus, vel Guardianatus, &c. etiamsi palam constet de delicto, neque incurrit dictam pœnam, donec per Superiorem officio priuatus declaretur, ita vt interim licitè possit ipse in conscientia perseuerare in officio, & è contra licitè non possint in conscientia subditi eum repellere à cura, seu gubernatione: videatur præcipuè Ioannes Valerus.

Item septimò, Index qui propter crimen ipso facto 46 est priuatus titulo, neque tenetur in conscientia abdicare officium, sed licitè potest adhuc iudicare, seu iudicium exercere absque peccato vsurpationis Iudicij, & ferre sententias validas, donec per sententiam Superioris de crimine fuerit condemnatus.

Item octauò, is cuius bona ipso iure confiscantur, 47 vt propter crimen hæresis, iuxta *cap. cùm secundùm leges, de hæret. in* 6. aut propter incestas nuptias, iuxta *idem cap.& auth. incestas, Cod. de incest. nupt.* vel cuius bona ipso iure cadunt in commissum, vt propter rerum illicitarum transuectionem, aut rerum vectarum omissam professionem, iuxta *d. cap.* & alia iura, non tenetur ante iudicis sententiam dicta bona fisco, vel alteri consignare. Videatur præcipuè Sanchez *vbi supr. cap*.10. *num*.7.

Lex igitur positiua, seu humana, quæ statuit priua- 48 tionem officij, vel beneficij, aut confiscationem bonorum, non habet eam vim, vt commisso crimine statim officium, vel beneficium vacet, aut statim bona ad fiscum pertineant, ita vt reus ipse teneatur ea dimittere ante sententiam iudicis.

Idque etiamsi in lege dicatur: ipso facto sit priuatus. S.Thom. 2.2.q.62.*art*.3. Caietan.*ibidem*, Adrian. *quodlib*.6.*art*.1. Sotus *de iust. lib*.1.*q*.6.*art*.6. Couar. *de matrim. part*.2. *cap*.6. §.8. *num*.9. & *seqq.* & alij, quos *suprà* dicebam.

Et etiam si in lege dicatur: *Ipso facto sit priuatus, absque alia declaratione.* Sotus & Couar.*in locis suprà citatis*, & Henriq. *de excommun. cap*.56. præter alios quos suprà etiam citabam.

Qui expressè tenent, adhuc in tali casu non vacare, 49 sed adhuc in tali casu requiri sententiam declaratoriam criminis, subduntque clausulam illam, *absque alia declaratione*, intelligendam esse de declaratione, qua declaratur, pœnam esse incursam, non autem de declaratione, qua declaratur, crimen esse commissum: Quæ explicatio licèt videatur aliquantulum extorta, & violenta, vsu tamen ipso comprobatur; cùm sic de facto receptæ sint similes leges, vt scilicet ante declarationem criminis possessores non teneantur resignare quod possident: Quinimò vsus habet, quod nisi executio fiat per sententiam, ita vt per eam non solùm declaretur crimen, sed etiam reus ipse priuetur officio, beneficio, vel aliis bonis supradictis, non censeatur omninò priuatus. Doctores apud Couarruuiam *loco suprà citato.*

Objicies: pœna conuentionalis, scilicet moderata, 50 post moram scilicet culpabilem, eamque notabilem, debetur in foro conscientiæ ante iudicis sententiam: ergo & pœna legalis atque iudicialis.

Respondetur: Transeat antecedens; quia pœna conuentionalis debetur ex vi pacti initi inter contrahentes, sicque communis hominum sensus eam accipit: Quapropter multùm differt hæc pœna conuentionalis à pœna legali, & iudiciali, quæ non debetur, vti dicebam, ante sententiam; quia non est ex vi pacti, & promissionis rei, sed ex præcepto iuris, aut iudicis delictum punientis. Syluest. *verb.pœna, n*.14. Couar. *in epitom*.4. *decret*.2. *part. cap*.6. §.8. *num*.12.& Molina *de iustitia, disp*.97.

Qui rectè subdunt, quod sicut non debetur pœna legalis, & iudicialis ante sententiam iudicis, sic etiam non debeatur pœna conuentionalis ante exactionem partis, seu creditoris, cuius exactio hic supplet vicem iudicis, cùm sit nimis durum, & moribus hominum non satis accommodatum, quod debeatur ante exactionem; sit tamen æquum, quod debeatur parte, seu creditore exigente, quia debetur ex pacto: Quapropter sicuti non licet resistere iudici iubenti, sic etiam neque licebit resisti

resisti parti, seu creditori pœnam conuentam exigenti.

52 Dixi, *transeat antecedens*, quia ex sententia Adriani *quodl.6. art.1.concl.2.illat.3.*Lop.*de contr. lib.1.c.31.& lib.2.c.34.*Nau.*in sum.c.23.n.68.* Sanch.*de matr. lib.1. disp.37.*& aliorum, neque pœna conuentionalis debetur in foro conscientiæ, priusquam debitor talis pœnæ teneatur ad eam soluendã, etiam per sententiam iudicis.

Quod quidem non est omninò improbabile, non tam ex eo, quia sicuti quidam volunt, cùm etiam pœna hæc conuentionalis sit contra voluntatem, ipsius etiam conditio naturalis requirit, vt neque ipsa etiam debeatur, nisi debitor ipsius etiam per sententiã iudicis cogatur, quod enim ex pacto debetur, non videtur requirere sententiam iudicis, qui cogat, sed potiùs ex eo, quia hæc videtur esse contrahentium, & pœnam apponentium, nisi aliud exprimant, mens & intentio, vt scilicet neque pœna hæc conuentionalis debeatur in conscientis, nisi debitor talis pœnæ etiam ad illam soluendam per sententiam iudicis cogatur: Ideò enim videntur apponere pœnam, vt scilicet sic secum contrahentem cogant ad seruandam fidem, vtque scilicet sic ius habeant compellendi eum ad soluendam pœnam, si fidem non seruauerit.

53 Cæterùm pœna conuentionalis, idemque dicas de pœna legali, & iudiciali, simpliciter non debetur in conscientia, nisi sit moderata iuxta mensuram culpæ, & nisi sit etiam post moram culpabilem, eamque notabilẽ.

Probatur quoad primum, quia si pœna sit immoderata, iniquè quis cogitur in eam consentire, ac proinde non potest exigi, qua parte iustum modum excedit.

54 Hinc pactum legis commissoriæ in pignoribus, scilicet vt pignus sit creditoris, si certo tempore debitor debitum non soluerit, est iure prohibitum, *cap. significante, de pignorib. & l.1. & 2. de pact. pignor.*

55 Hinc etiam, si pars debiti soluta fuerit, non potest exigi tota pœna, sed pars tantùm, quæ scilicet parti debiti non soluti proportionabiliter correspondeat.

56 Probatur quoad secundum, quod scilicet pœna simpliciter neque debeatur in conscientia, nisi sit etiam post moram culpabilem, itavt debitor, v.g. verè sit in culpa, non soluendo debitum, quia sine culpa non potest imponi pœna, siue sit iudicialis, quæ per sententiam imponitur à iudice, siue legalis, quæ imponitur à lege, siue conuentionalis, quæ imponitur ex constitutione partium.

57 Hinc non tenetur quis ad pœnam, si contractus, cui apposita est pœna, sit iure irritus, quia sine peccato potest talis contractus non seruari; quamuis si prædictus contractus sit iuramento confirmatus, pœna forsan tunc potest exigi, quia forsan tunc contractus obligat, ac proinde eius violatio forsan tunc esset peccatum, quod pœnam meretur.

58 Hinc etiam non tenetur quis ad pœnam, si soluendo factus sit impotens, siue sine culpa sua, siue etiam culpa sua, dummodò tamẽ nullo modo aduerterit, quod ex negligentia, vel ex actione sua culpabili, v.g. ex ludo, vel ex commessatione secutura sit soluendi impotentia, secus si aduerterit; quia tunc non soluere est culpabile, vtpote volitum in causa culpabili. Videatur Nauar.*c.17.n.215.*

59 Probatur quoad tertium, quod scilicet pœna simpliciter neque debeatur in conscientia, nisi sit etiam similiter post moram culpabilem, eamque notabilem, quia vnius diei, vel etiam vnius hebdomadæ spatium ordinariè non debet esse sufficiens ad pœnam incurrendam, quamuis hic spectari debeat qualitas negotij, & consuetudo Prouinciæ; quia si concessum fuerit spatium sufficiens, intra quod solutio facta non sit, poterit tunc, etiamsi vel vnus dies excesserit, exigi pœna, si rigore Iuris vti velit is, cui debetur pœna.

60 Obijcies secundò: quam ergo vim habent huiusmodi Bullæ, Constitutiones, aut leges, quibus aliquis ipso iure priuatus est Officio, vel Beneficio, siue propter crimen, siue propter adeptionem alterius beneficij incompatibilis, vel quibus aliquis ipso iure priuatus est bonis, siue propter eorum confiscationem, siue ex eo, quod ea ceciderunt in commissum ipso iure.

Respondent communiter sic DD. Prædictæ Bullæ, constitutiones, aut leges efficiunt hoc, vt is qui ipso iure priuatus est, statim amittat titulum, ius scilicet illud firmum, quod accepit per collationem, quo aliàs non poterat inuitus priuari, itavt non sit amplius Dominus beneficij, retineat tamen possessionem priorem, qua priuari non potest, nisi causa cognita, sicuti docet Glossa *in c.licet Episc. de prabend. in 6.* Et quamuis ille textus solùm loquatur in casu adeptionis beneficij incompatibilis; tamen Glossa, & alij DD. quos ibi citat, volunt quod sit eadem ratio in cæteris, quotiescumque scilicet quis ipso iure priuatus est re aliqua, quam possidet, cùm sic quamplurimùm expediat ad pacem, & tranquillitatem communem: quo titulo amisso retinet adhuc, vt dicebatur, Officij, vel Beneficij possessionem priorem, quam antè habebat, propter rationem dictam.

Et quidem si iure permittente illam retineat, itavt ius non obliget ipsum ad illam deserendam, vocatur *possessio Iuris*; si verò ius resistat illi possessioni, obstringens reum ad illam deserendam, vocatur possessio facti. 61

Retinet igitur & is, qui ipso Iure priuatus est Officio, vel Beneficio, possessionem iuris, sicque & vsum talis Officij, vel Beneficij, donec secuta sententia declaratoria, per istam prædicta possessione Iuris, & prædicto vsu eiusdem Officij, vel Beneficij quoque spolietur.

Simili modo, quando quis ipso iure priuatus est bonis, siue per confiscationem eorum, siue ex eo, quia ea ceciderunt in commissum ipso iure, statim amittit etiam prædictorum bonorum, quæ sunt confiscata, vel in commissum ceciderunt ipso iure, dominium, & proprietatem, statimque eam acquirit fiscus, vt expressè habetur *in cap.cùm secundum leges, de haret.in 6.* & in aliis iuribus. Retinet tamen similiter, qui ipso iure priuatus est bonis, possessionem iuris: sicque & vsum talium bonorum, donec similiter secuta sententia declaratoria, per istam prædicta possessione iuris, & prædicto vsu eorundem bonorum etiam spolietur.

Hinc fit quod executio retrotrahatur vsque ad tempus commissi criminis, quia ex illo tempore titulus Officij, vel Beneficij est amissus, & ex illo tempore dominium, seu proprietas bonorum translata est ad fiscum, & consequenter omnes fructus ex illo tempore percepti, spectant ad eundem fiscum. 62

Interim tamen, quia is qui ipso iure priuatus est officio, retinet Officij possessionem Iuris, sicque & vsum, subdunt prædicti communiter DD. quod si iste talis iudicium exerceat, & ferat sententiam, non vsurpet iudicium, quin & faciat acta valida, inualidanda tamen post secutam sententiam. Item quod propter eandem rationem si is, qui ipso iure priuatus est beneficio, resignet, vel permutet beneficium, faciat similiter actus validos, inualidandos tamen similiter post secutam sententiam. Item quod propter eandem etiam rationem, si is qui ipso iure priuatus est bonis, de illis disponat, quin & illa alienet, faciat etiam similiter actus validos, inualidandos tamen etiam similiter post secutam sententiam. 63

At quoniam non faeilè intelligibile est, quomodo quis solùm retineat officij possessionem, quæ etiam sit iuris, nedum facti, & interim faciat acta valida: item quomodò quis solùm retineat beneficij possessionem, quæ etiam sit iuris, nedum facti, & interim validè resignet, vel permutet beneficium: item quomodò quis solùm retineat bonorum possessionem, quæ & similiter etiam sit iuris, nedum facti, & interim validè de illis disponat, quin & validè illa alienet. Ideò meliùs, & commodiùs contra communem DD. opinionem dico, quod is, qui ipso iure priuatus est Officio, vel Beneficio, non solùm retineat officij, vel beneficij possessionem, quæ sit iuris, sed etiam retineat titulum officij, vel beneficij: similiter quod is, qui ipso iure priuatus est bonis, non solùm retinear bonorũ possessionem, quæ sit iuris, sed etiam dominium, & proprietatem bonorum, 64 65

non quidem completè, & simpliciter, cum iam ipso iure priuatus sit Officio, Beneficio, vel bonis, &c. sed incompletè, seu secundùm quid, donec scilicet ponatur sententia iudicis, qua posita, completè, & simpliciter priuetur Officio, beneficio, vel bonis, &c. Et executio retrotrahatur vsque ad tempus commissi criminis; sicque omnes actus, & contractus ex illo tempore celebrati inualidentur, & consequenter omnes fructus, etiam ex illo tempore percepti spectent ad fiscum.

66 Cæterùm cùm dixi, quod pœna non debeatur in conscientia ante sententiam iudicis.

Excipe forsan primò, si sic in lege dicatur, *ipso facto sit priuatus*, vt exinde clarè constet, quod talis fuerit mens legislatoris, v.g. si addatur, teneri in conscientia dimittere, vel non posse absolui, nisi dimittat, vel bona, officium, aut beneficium, &c. eo ipso vacare, ita vt alteri liberè conferri possint, sicut in casu *cap. dudum, 2. de elect.* quando scilicet quis accipit secundum beneficium incompatibile.

67 Excipe secundò, si simus in censuris (vt in excommunicatione, suspensione, vel interdicto, & etiam in irregularitate) quæ possunt executioni demandari absque hominis actione; quia sic vsu, & consuetudine, quæ est optima legum interpres, receptum est, vt ipsæ scilicet ante vllam iudicis sententiam obstringant in conscientia, & meritò propter rationem iam dictam.

68 Excipe tertiò, si simus in pœnis testamentariis, vt si v.g. testator relinquat suorum bonorum vsumfructum, vel quid aliud vxori, si castè vixerit, vel si ad secundas nuptias non transierit; quia hoc ipso, quod vxor, etiam occultissimè castè non vixerit, vel ad secundas nuptias transierit, tenetur in conscientia ante vllam sententiam iudicis, quidquid à testatore relictum habet, hæredi consignare; cùm pœnæ testamentariæ non sint propriè pœnæ, sed propriè conditiones, sub quibus sic, & sic testator de suis bonis disponit, seu sic & sic vult, quod bona sua ad quempiam spectent, & non aliter: consequenter vt quis ad huiusmodi pœnas in conscientia teneatur, non requiritur vlla sententia iudicis, sicut neque in vlla alia eiusdem, vel alterius testatoris dispositione, quæcumque fuerit.

69 Excipe quartò, ex probabiliori sententia Doctorum, si simus in pœna conuentionali; quia pœna conuentionalis ex probabiliori sententia Doctorum in conscientia debetur ante sententiam iudicis, post tamen exactionem partis, scilicet eius, cui talis pœna debetur, vti suprà dicebam.

COROLLARIVM.

Qualis debeat esse praxis Confessarij circa absolutionem Clerici sodomiam exercentis?

SVMMARIVM.

1 *Clericus si sodomiam non exerceat, sed bis, ter, vel quater tantùm eam commiserit, absque dubio à Confessario absolui potest.*

2 *Clericus, si exerceat sodomiam, licèt nonnulli velint, quod tunc absolui non possit, nisi per ipsum Confessarium, vel alium virum secretum nouam Officij, Beneficij, vel dignitatis prouisionem procuret: Probabilius tamen est, quod adhuc absque noua prouisione in conscientia absolui possit; quia non tenetur in conscientia pœnas Bullæ Pij V. subire ante sententiam Iudicis criminis declaratoriam.*

3 *Bulla Pij V. quoad forum internum probabile est, quod non sit vsu recepta.*

4 *Clericus sodomita occultus non est suspensus, sicque si celebret, non fit irregularis, contra aliquos Doctores oppositum sentientes; quia nullum delictũ, quantumuis sit enorme, etiam degradatione dignum, si non fuerit notorium, præter homicidiũ, inducit irregularitatem.*

5 *Sodomia licèt ratione infamia inducat irregularitatem, quia est crimen enormissimum; secus tamen si non est publicum, sed occultum, quia crimen occultum non parit infamiam.*

6 *Idẽ dic de quolibet alio crimine, cui annexa est infamia.*

7 *Constitutio Pij V. contra Clericos sodomiam exercentes, non imponit pœnam suspensionis, & irregularitatis, sed alias.*

8 *Constitutio prædicta Pij V. quoad forum internum non est vsu recepta.*

9 *Sodomita occultus non est suspensus, sicque celebrando non efficitur irregularis; ita neque est prohibitus suscipere Ordines, vel obtinere beneficia.*

10 *Clericus sodomita, seu sodomiam exercens, etiam occultus, licèt secundùm aliquos Doctores sit suspensus ab Ordinis executione, sicque si postea etiam peracta pœnitẽtia ministret, efficiatur irregularis solùm à Papa dispensandus: tamen omninò dicendum est oppositum; quia nullum crimen, quamvis enorme, excepto homicidio, licèt occultissimo, irregularitatem inducit.*

11 *Clericus sodomita occultus neque dicendus est irregularis propter criminis enormitatem.*

12 *Sodomita notorius cum sit infamis, est etiam irregularis, neque potest obtinere beneficia, ob eandem rationem.*

13 *Sodomitæ notorij omnia bona confiscantur.*

14 *Sodomita etiam notorius non potest testari.*

15 *Clericus sodomita non solùm agens, sed etiam patiens incurrit pœnas latas in constitutione Pij V. quia vterque dicitur sodomita, & in correlatiuis quod disponitur de vno, censetur dispositum de altero.*

16 *Reseruata sodomia, secundùm aliquos, vterque tam agens, quàm patiens venit sub reseruatione, quamvis de patiente opinio opposita non sit omninò improbabilis, eo quòd patiens, vt patiens, potius dicitur mollis, quàm sodomita.*

17 *Mollis dupliciter dicitur, vel quia peragit in se pollutionem voluntariam, vel quia patiens est cum aliis.*

18 *Discrimen magnum est inter agentem & patientem ex diuersitate grauitatis delicti, & pœna in vtroque foro.*

19 *Sodomiæ reseruatio, secundùm Graffium, extenditur tantùm ad agentem.*

REspondetur ex dictis: si Clericus sodomiam non 1
exerceat, sed bis, ter, vel quater tantùm eam com-
miserit, absque dubio absolui potest; si verò exerceat, 2
scilicet frequenter, seu quasi continuè eam commiserit,
licèt nonnulli velint, quod tunc absolui non possit, nisi
per ipsum Confessarium, vel alium virum secretum no-
uam Officij, Beneficij, vel dignitatis, &c. prouisionem
procuret. Probabilius tamen est, quod adhuc absque no-
ua prouisione in conscientia absolui possit; quia sicuti
dicebam, Clericus sodomiam exercens non tenetur in
conscientia pœnas istius Bullæ Pij V. subire ante sen-
tentiam Iudicis declaratoriam. Accedit quod, vt suprà
etiam dicebam, probabile præterea est, quod dicta Bul-
la Pij V. quoad forum internum non sit vsu recepta: 3
Quapropter ob istas ambas rationes dictas satis proba-
bile erit, quod Clericus sodomiam exercens, si sit con-
tritus, possit etiam retento Officio, Beneficio, vel digni-
tate, &c. in conscientia absolui absque eo, quod interim
prouisionem vllam nouam procuret.

ADVERTENDVM VI.

An virtute prædictæ constitut. Pij V. Clericus sodomita occultus sit suspensus, sicque si celebret, fiat irregularis.

Aduerte sextò, quod licèt virtute dictæ constitutio- 4
nis Pij V. Clarus *in §. sodomia, n. 5.* Foller. *in praxi crimin. Canon. part. 6. c. 37. n. 11.* Cauale, *dec. 13. n. 15. part. 5.* Couar. *in Clem. si furios. part. 1. §. 1. n. 6.* Franc. Marc. *p. 2. dec. 687. n. 16.* Lambert. *de iurepatron. part. 1. lib. 2. q. 2. art. 18. n. 4.* Salzed. *in addit. ad practicam crimin.* Bernard. Diaz, *cap. 88.* Alterius *de censur. tom. 2. disp. 15. cap. 3. in princip.* & Delph. *decis. 687. num. 6. part. 2.* putent, Clericum sodomitam occultum esse suspensum; sicque si celebret, fieri irregularem, cum quo solus Papa possit dispensare: dicendum tamen sit oppositum,

Clericum

Clericum scilicet sodomitam occultum non esse suspensum, nec vllo modo irregularem, quia nullum delictum, quantumvis sit enorme, etiam degradatione dignum, si non fuerit notorium, præter homicidium, inducit irregularitatem, *cap. ex tenore, de temporib.* &
5 *cap. finali, eodem titulo*: licèt igitur sodomia ratione infamiæ inducat irregularitatem, *cap. infames 6. q. 1.* quia est crimen enormissimum, *cap. adulterium 32. q. 7.* Nihilominus si non sit publicum, sed occultum, non inducit irregularitatem, quia crimen occultum
6 non parit infamiam; secus si sit publicum, vti iam *sup.* dicebam: quæ doctrina procedit in omni alio crimine, cui à Iure annexa est infamia, vti sunt vsuræ vsurarum, periurium in iudicio, simonia, sacrilegium, duellum, hæresis, eiusque fauor, crimen læsæ Maiestatis, hostilis persecutio Cardinalium, & similia.

7 Confirmatur, quia in dicta Constitutione Pij V. non imponitur pœna suspensionis, vel irregularitatis; sed imponuntur aliæ pœnæ, quod scilicet sodomiam exercens omni Clericali priuilegio, officio, dignitate, & beneficio priuetur, quodque degradatus potestati sæculari tradatur. Atque sic tenent Nauar. *cap. 27, n. 249.* Lazarius *de sodomia, num. 3.* Aretinus *in cap. tùm non ab homine, de Iudiciis, num. 90.* Vgolinus *de irregularitate, cap. 43. §. 2. num. 4.* Prosper de Augustino *in addit. ad summam Bullary Quaranta, verb. Sodomia, limit. 1.* Valent. *tom. 4. disp. 7. q. 19. punct. 3. de quinta specie irregularitatis,* Petrus Ledesma *in summa, 2. part. tract. 27. cap. 15. concl. 3.* Floronus *de casib. reseruat. part. 2. cas. 7. n. 7.* Sayr. *de censur. lib. 1. cap. 12. num. 22.* Finell. *de casib. reseruat. cas. 9. n. 6.* Orria *in summa, cap. 17. n. 114.* Graffius *lib. 2. cap. 89. num. 1.* Ludouicus Lopez *tom. 2. cap. 23.* Rodericus *in summa, tom. 1. cap. 209. n. 1.* Henriquez *in summa, lib. 13. c. 36. & lib. 14. cap. 5. §. 1.* Campanil. *in diuers. iur. Canonic. rubr. 11. cap. 22. n. 9.* Garcias *de benef. part. 11. c. 10. n. 195.* Auila *de censur. part. 2. disp. 5. dub. 3. & part. 7. disp. 4. dub. 7. concl. 7.* Toletus *lib. 1. cap. 74. num. 3.* Coninch *de sacrament. disp. 18. dub. 7. n. 56.* & Barbosa *de offic. Episcop. part. 2. allegat. 43. num. 27. & in collectan. tom. 2. lib. 5. tit. 31. cap. 4. num. 5.*

8 Vt omittam, dictam constitutionem Pij V. ex probabili sententia Doctorum, quoad forum internum non esse vsu receptam. Et tenent Vgolinus, Henriquez, Prosper de Augustino, Rodericus *in locis suprà citat.* Azorius *tom. 2. Instit. moral. lib. 7. cap. 18. circa finem,* Graffius *in decis. lib. 2. cap. 90. num. 14.* Auila *de censuris, part. 7. disp. 4. circa fin.* Campanilis *citata rubrica 11. cap. 22. num. 13.* Sayr. *lib. 7. cap. 22. n. 24.* Belloch. *de casib. reseruat. part. 2. quæst. 1. n. 221.* Suarez *de censur. disp. 31. sect. 4. n. 12.* Filliuc. *de casib. reseruat. part. 2. cap. 7. §. 1. num. 3.* & Barbosa *citata allegat. 44. num. 16.* contra Nauarrum *in summa, c. 27. num. 249.* Gambaruptam *de casib. reseruat. cas. 2. n. 4.* & alios.

9 Hinc sequitur, quod sicut Clericus sodomita, seu sodomiam exercens occultus, non est suspensus, sicque si celebrat, non efficitur irregularis, ita neque est prohibitus suscipere Ordines, vel obtinere beneficia, Achill. de Grass. *decis. vnica, titulo de pœnis,* Campanil. *dicto cap. 22. num. 19.* & alij quos sequitur Barbosa *loco suprà citato, num. 28.*

10 Quamvis igitur nonnulli velint, quod Clericus sodomita, seu sodomiam exercens, etiam occultus, ipso iure sit suspensus ab ordinis executione, sicque si postea (etiam post peractam pœnitentiam) ministret, efficiatur irregularis, in qua irregularitate solus Papa potest dispensare: tamen omninò dicendum est oppositum, quia sicuti dicebam, nullum crimen, quamvis enorme (excepto homicidio, licèt occultissimo) irregularitatem inducit, *cap. ex tenore, de temper. ord.* vbi expressè dicitur, quod ex nullo crimine, quantumcunque graui, etiam degradatione digno, inducatur suspensio ab Ordinibus suscipiendis, vel irregularitas ab Ordinibus susceptis, & *c. fin. eod. tit.* vbi expressè habetur, quod propter grauissima crimina, vt adulterium, periurium, &c. excepto homicidio, non debeat quis post pœnitentiam à susceptione, vel ab vsu ordinum impediri, nisi in iudicio prædicta crimina probata, vel notoria fuerint.

Non obstat, si dicas cum aduersariis, Clericum sodomitam, seu sodomiam exercentem, etiam occultum, esse irregularem, non ob canones, & iura (cùm nulla sint, quæ talem irregularitatem inducant), sed propter enormitatem, & grauitatem criminis. 11

Respondetur enim, id minùs rectè dici, quia *ex c. is qui, de sent. excommun. in 6.* nulla irregularitas inducitur, nisi expressa reperiatur in iure, quæ tamen in casu nostro expressa non reperitur, sicuti patet ex dictis.

Quod si tamen est sodomita notorius, tunc cùm sit 12 infamis, Cardosus *in praxi iudic. verb. Sodomia, num. 8,* Donell. *comment. iur. ciuil. lib. 18. c. 7. col. 1.* & Barbos. *de offic. Episc. part. 2. alleg. 45. n. 7. & seqq.* sicque irregularis, Nauar. *in sum. c. 27. n. 204.* Villadiego *de irregul. c. 11. n. 31.* Henriq. *lib. 14. cap. 3. §. 3.* Roderic. *tom. 1. quæst. regular. q. 24. art. 6.* Auila *de censur. part. 7. disp. 4. dub. 5. & 7.* Hier. Llamas *in methodo, c. 12. §. 10.* Valent. *tom. 4. disp. 7. q. 15. punct. 3. in 2. specie irregularitatis,* Sayr. *de censur. lib. 7. c. 11. n. 6. & 11. c. 12. n. 11.* Tolet. *lib. 1. c. 62.* Vgolin. *de irregularitate, cap. 60.* & alij passim, neque potest suscipere ordines, *cap. infames, cap. finali, 51. dist. & c. accusatum, de simonia,* & docent Garcias *de benef. part. 7. c. 8. num. 5.* Viuald. *in appendice ad candelabrum aureum, c. 10. n. 3.* Campanil. *in diuersorio iur. Canon. rubr. 11. c. 18. n. 1. & seqq.* & Belleti *part. 1. disquisit. Cleric. §. 10.* quia infamibus portæ dignitatum, & honorum, qualis est ordo, *c. admittentur, dist. 34. cap. 1. de obligat. ad ratiocin. & l. Officiales, Cod. de Episcop. & Cleric.* patere non debent, *c. infamibus, de reg. iur. in 6.*

Neque potest obtinere beneficia, ob eandem rationem: vnde collatio beneficij facta infami est inualida. Abbas *in cap. Querelam, de iureiur. n. 3. & in c. super eo, de elect. n. 5. & in cap. inter dilectos, de excessib. Prælat. n. 6.* Sylu. *verb. infamia, n. 15.* Armil. *eodem verb. n. 4. & in fin.* Lambert. *de iurepatr. part. 1. lib. 2. q. 9. art. 16. n. 3. & 10.* Parisius *lib. 4. de resign. benef. q. 3. n. 2.* Selua *de benef. part. 3. q. 2. & q. 5. n. 31.* Suarez *de Relig. tom. 2. tract. 5. lib. 3. cap. vltim. n. 4. & 3.* Zech. *de Beneficiis, & pension. cap. 3. vers. 2. si collatio,* & Auila *de censuris, part. 7. disp. 4. dub. 7.*

ADVERTENDVM VII.

An sodomitæ, scilicet notorij, omnia bona confiscentur?

Aduerte septimò, quod sodomitæ, scilicet notorij, 13 omnia bona confiscentur, Menoch. *de arbitr. cas. 286. num. 9.* Peregrin. *de iur. fisc. lib. 5. tit. 1. n. 169.* Gomez *in l. 80. Tauri, n. 32. circa finem,* & alij passim.

ADVERTENDVM VIII.

An sodomita, scilicet etiam notorius, non possit testari?

Aduerte octauò, quod sodomita, scilicet etiam notorius, non possit testari. Dec. *in l. 1. Cod. de secund. nupt. n. 8.* Gulielm. *in c. Raynutius, verb. mortuo, n. 139.* Couar. *in Clement. si furiosus, part. 1. § 1. n. 6.* Menoch. *loc. sup. cit. n. 19. & cas. 360. n. 59.* Campan. *in diuersorio iur. Canon. rubr. 11. c. 22. n. 4.* Dalph. *decis. 892.* & alij quos sequitur Ricc. *in collect. decis. part. 1. collect. 184. circà fin.* 14

ADVERTENDVM IX.

An pœnas prædictæ constitutionis Pij V. contra Clericum sodomitam latas incurrat Clericus non solùm agens, sed etiam patiens?

Aduerte 9. quod pœnas prædictæ constitut. Pij V. 15

contra Clericum sodomitam latas incurrat Clericus, non solùm agens, sed etiam patiens. Floroo. *de casib. reseruat. cap. 2. cas. 7. §. 1. n. 6.* Riccius *in praxi, tom. 3. resol. 57. n. 7.* Coriolan. *tract. de casib. reseru. part. 2. cas. 9. §. 10. n. 30.* Bonacina *tract. de matrim. q. 4. punct. 11. n. 2.* & Fioell. *de casib. reseruat. cas. 9. n. 5.* quia tam Clericus agens, quàm patiens dicitur sodomita; & iura pœnas infligentia contra sodomitam, loquuntur tam de agente, quàm de patiente, sicuti patet *ex l. cùm vir, Cod. de adulter. §. 1. authent. vt non luxurientur contra naturam.* Et meritò, quia in correlatiuis quod disponitur de vno, censetur dispositum de altero.

16 Hinc Bonacina, & Finellius *in locis suprà citatis*, putant in casum sodomiæ reseruatum incurrere non solùm agentem, sed etiam patientem.

17 Quamvis non improbabiliter dici possit contrarium, eo quòd patiens, vt patiens, non propriè dicitur perpetrare, vel exercere sodomiam, neque propriè dicitur sodomita, sed mollis, iuxta illud Apostoli 1. Corinth. 6. *Neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores Regnum Dei possidebunt:* vbi Glossa, quam sequitur S. Thomas 2. 2. *q.* 138. *art.* 1. *ad* 1. & Caietan. *in sum. verb. mollities, in fine*, exponens ait, quod mollis dupliciter dicatur, vel quia peragit in se pollutionem voluntariam, vel quia patiens est cum aliis.

18 Accedit, quod non solùm ex diuersitate vocabuli, sed etiam ex diuersitate grauitatis delicti, & grauitatis pœnæ magnum discrimen est inter agentem, & patientem. Quandoquidem, vt annotauit S. Antonin. *part. 3. tit. 17. c. 17. §. 4.* quoad forum internum maius est delictum agentis, quàm patientis, & quoad forum externum maior pœna imponitur agenti, quàm patienti: & ex alio capite in odiosis non semper, præsertim in foro interno, quod disponitur in vno ex correlatiuis, disponitur in altero, sicuti dicebam *suprà in aduertendo* 3.

19 Hinc Iacobus de Graff. *de casib. reseru. lib. 1. cap. 11. n. 7. 8. &* 26. & alij putant, sodomiæ reseruationem extendi solùm ad agentem, & non ad patientem.

SECTIO XXXV.

An Religiosus eiectus è Religione teneatur ad illam redire?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, si sit eiectus à Religione ad tempus, tunc tenetur se emendare, & rursùs se offerre Religioni, vt de nouo recipiatur.*

2 *Eiectus è Religione per sententiam secundùm aliquos non tenetur se offerre, neque potest ad id compelli per Superiorem Monasterij; quia contractu rescisso per eiectionem, tollitur omnis obligatio Religiosi.*

3 *Iudex post latam sententiam absolutè, cum iam functus fuerit officio suo, nullam ampliùs iurisdictionem habet in illam causam, de qua iudicauit.*

4 *Iudex non potest ferre sententiam extra territorium, in quo iurisdictionem non habet.*

5 *Iurisdictionis propter defectum non tenetur quis obedire Iudici ferenti sententiam extra suum territorium.*

6 *Clericus citatus à Iudice laico, non tenetur comparere coram illo.*

7 *Textus* in cap. vltimo, de Regular. *intelligendus est de eiectis iniustè, vel inordinatè, vel saltem non per sententiam diffinitiuam, sed solùm ad tempus: vel illius dispositio secundùm alios non est vsu recepta, quo casu non obligat.*

8 *Textus prædicti dispositio secundùm Syluestrum, & alios intelligenda est, si sine detrimento Religionis eiecti reuocari possint, quia si non esset spes emendationis, & eorum reuocatio Religioni detrimentum afferre potest, tunc prædicta dispositione non obligantur Prælati ad prædictos eiectos reuocandos.*

9 *Textus prædicti dispositio secundùm alios intelligenda esset, quando eiectos reuocare non esset contra Regulas, vel constitutiones alicuius Religionis.*

10 *Textus prædicti dispositio secundùm alios non est vsu recepta; quamuis summus Pontifex posset statuere, vt Superiores procurent eos ad religionem reuocare.*

11 *Obligatio requirendi singulis annis Religiosos fugitiuos, & eiectos imponitur omnibus Superioribus Religionis, atque etiam immediatis Superioribus Monasterij.*

12 *Abbatum nomine in dicta constitutione intelliguntur primo loco Abbates, Priores, aut Visitatores, aut qui præsident Conuentibus, & Comitiis, scilicet Capitulis generalibus celebrandis; & secundo loco intelliguntur Abbates, & Priores minores singulis Monasteriis, Cœnobiis, Domiciliis, aut Collegiis præfecti.*

13 *Locorum competentium nomine, in quibus* d. c. finali de Regular. *præcipitur Prælatis, vt dictos eiectos apud eadem, vel alia eiusdem religionis Monasteria retineant, intelliguntur carceres, aut similes domus, in quibus prædicti eiecti in pœnam suorum delictorum ab aliis Religiosis seiuncti vitam degant.*

14 *Religiosus etiam eiectus per sententiam, probabilius est quod teneatur redire ad Religionem, præsertim si à suis Superioribus ad id requiratur.*

15 *Religiosus si nolit redire, potest, & debet excommunicari tanquam contumax; quia ex vi votorum, & professionis suæ tenetur manere in Religione sua quamdiu vixerit, & priùs in tantùm excusabatur, in quantum non poterat redire.*

16 *Eiectus per eiectionem non soluitur à vinculo votorum Religionis, neque ab obligatione tendendi ad perfectionem, atque adeò se corrigendi, & redeundi ad religionem; & licèt per eiectionem eximatur à vita communi, quæ tenditur ad perfectionem, non autem liberatur ab obligatione de tendendo ad ipsam.*

17 *Coniux nocens facto diuortio per sententiam diffinitiuam, si coniux innocens velit eum in gratiam recipere, & sibi reconciliare, tenetur redire, consequenter etiam religiosus per sententiam absolutè eiectus tenebitur reuerti, si religio illum velit repetere, quia coniux innocens non est per diuortium priuatus Iure suo.*

18 *Professio sicut est spirituale coniugium, ita eiectio è religione est spirituale quoddam diuortium.*

19 *Sententia lata in religiosum eiectum à Prælatis Regularibus, licèt absoluat religionem ab obligatione illum retinendi, non tamen absoluit eiectum ab obligatione permanendi in religione, neque tamen dicta sententia est iniusta, quia debet fauere innocenti, & non reo.*

20 *Eiecto è religione non conceditur libertas per sententiam latam suæ eiectionis, quia per eam libertas conceditur solùm Religioni, vt non teneatur eiectum amplius recipere, cùm prædicta sententia lata sit in fauorem religionis innocentis.*

21 *Religio per sententiam latam non cessit iuri, quod habetur in religiosum eiectum; quia solùm per sententiam latam liberata fuit ab onere illum alendi, & retinendi.*

22 *Religiosus quamvis sua culpa eiectus fuerit è religione, per eiectionem tamen ipsius culpa punita fuit; at hinc non sequitur, quod non possit cogere religiosum ad redeundum, per hoc enim eiectus non iterum punitur, sed adhuc iustè cogitur.*

23 *Seruus si à Domino ejiciatur, efficitur sui iuris, neque amplius est sub potestate Domini, qui possit illum iterum redigere ad seruitutem; at non sic religiosus, quia religiosus ob professionem emissam non potest à vinculo voti liberari, nec per eiectionem desinit esse religiosus.*

24 Supe

24 *Superiores non possunt eiecto, cùm eum ex ipsorum potestate, cura, & obedientia eiecerint, quidquam praecipere. At non sequitur ex hoc, quod non possint eum cogere ad redeundum; quia eiectus licèt in aliis non teneatur obedire suis Superioribus, qui ipsum extra ipsorum curam proiecerunt. Nihilominus si à suis Superioribus iubeatur, quod redeat ad Religionem, tenebitur obedire; quia in substantia remanet Religiosus.*

25 *Dispositio* in cap. finali, de Regulat. *per quam Superiores possunt cogere etiam censurâ eiectum ad redeundum, non potest dici, quod non sit vsu recepta; quia est innouata in Decreto de apostatis, & eiectis. Neque est eadem ratio de seruo manumisso, quia facta manumissione remanet omninò liber: At in eiectis remanet obligatio votorum.*

26 *Religio tamen non tenetur recipere ejectos, nisi sit spes euidens emendationis, & sic etiam perquirere, & reducere non tenetur, nisi sit eadem spes: cùm enim per sententiam sint declarati incorrigibiles, praesumptio stat pro re iudicata.*

1 Svppono, quod si solùm eiectus sit ad tempus (vt scilicet se emendet) tunc absque dubio tenetur se emendare, seque habilem reddere, & rursùs se offerre Religioni, vt denuò recipiatur: difficultas igitur est, an si sit eiectus per definitiuam sententiam absolutè; & tunc in isto casu

2 Quidam, vt Nauarrus *consil.78. num. 2.* & *consil.80. numero etiam secundo de Regularib. & in cap. Non dicatis, de Regular. comment. 2. num. 33. & seqq.* Sayrus *in Thesauro casuum, tom. 2. lib. 6. cap. 9. n. 26.* Azorius *tom. 1. Instit. moral. lib. 12. cap. 16. quaest. 6. & cap. 17. quaest. 1.* Villalob. *part. 2. sum. tract. 35. diffic. 39. num. 2.* Rodrig. *tom. 2. quaest. Regular. quaest. 30. art. 2.* Diana *part. 3. tract. 2. resol. 6.* & alij, quorum sententiam probabilem vocat Sorbus in Priuilegiis mendicantium, verbo *ejicere, in principio*, tenent quod eiectus è Religione per definitiuam sententiam, absolutè non teneatur se offerre, imò neque possit per Superiorem Monasterij compelli, quod redeat, vel ingrediatur aliam Regionem.

Probatur, quia Religiosus sic eiectus è Religione per talem sententiam (cùm tunc omninò rescindatur contractus, atque adeò extinguatur in eiecto omnis obligatio permanendi in ea Religione, quam fuerat priùs professus; sicque talis obligatio in ipso non ampliùs reuiuiscat, *argum. l. Qui res, §. Aream, ff. de solutionib.* definit esse membrum illius Religionis, ac proinde eximitur à Iurisdictione illius, sicut seruus eiectus à Domino, efficitur sui Iuris, & definit esse sub potestate Domini. Ergo non potest compelli, neque quod redeat ad propriam, neque quod ingrediatur aliam Religionem, quia super Religiosum eiectum per definitiuam sententiam absolutè Praelati Regulares nullam iurisdictionem retinent, vti dicebatur, & docet Glossa *in Clement. 1. §. Ad haec, de statu Monachorum, verbo Claustrum, cap. si quis iam translatus, 21. q. 1. & in cap. quondam, 16. q. 2.*

3 Confirmatur, quia Iudex post latam definitiuam sententiam absolutè, cùm iam functus fuerit officio suo, nullam ampliùs Iurisdictionem habet in illam causam, de qua iudicauit, *argumento l. Iudex posteaquam, ff. de re iudicata, cap. in litteris, de Offic. delegati, & cap. finali, de Regul. Iuris.*

Confirmatur secundò, quia Iudex non potest ferre sententiam extra Territorium, in quo Iurisdictionem non habet: Ergo neque potest ferre sententiam extra illud tempus, in quo similiter Iurisdictionem non habet, cùm per eiectionem Religiosi è Religione desierit tempus, intra quod Praelatus Religionis in illum Iurisdictionem habebat. Antecedens patet ex iis, quae mox *infra* dicuntur. Consequentia probatur, quia valet argumentum de loco ad tempus, *l. vnum, ff. si cert. pet.* & ibi communiter sic Doctores.

5 Confirmatur tertiò, quia propter defectum Iurisdictionis non tenetur quis obedire Iudici ferenti sententiam extra suum Territorium, *l. finali, ff. de Iurisdict. omn. iudic. & cap. 2. de constitut. in 6.* Neque tenetur quis obedire Iudici ordinario in loco exempto. Sic Doctores etiam communiter *in dicta l. finali*, & praecipuè Decius *ibidem, num. 2.* Neque clericus citatus à Iudice 6 laico tenetur comparere coram illo. Glossa communiter recepta *in cap. conuersis, verbo congruere, 23. q. 8.* Ergo, &c.

7 Si dicas; *cap. vltimum, de Regularib.* quod est Concilij Lugdunensis sub Gregorio X. iubet, quod Visitatores, vel Abbates maiores, vel Priores quolibet anno requirant fugitiuos, & eiectos (sicque cogant Monasteria, quod eos recipiant) eosque compellant, quod redeant ad Religionem, & si nolint redire, quod eos excommunicent: Ergo signum est, quod eiecti teneantur redire.

Respondent, id intelligendum esse de eiectis iniustè, vel inordinatè, vel saltem non per sententiam diffinitiuam, sed solùm ad tempus. Alij (sicut *infrà* diffusiùs dicetur) respondent, quod dispositio illius *cap. non sit vsu recepta*; quia Praelati Religionum nec fugitiuos quidem requirere consueuerunt. Etsi enim eiecti possint cogi ad reditum per Summum Pontificem, qui etiam statuere potest, quod quaerantur, & reducantur ad Religionem. Nihilominus, si talis dispositio non est vsu recepta, vel est per contrariam consuetudinem abolita, non obligat. Alij tandem alio modo respondent.

Et quidem Nauarrus *consil.78. de Regularib. n. 3. & cap. non dicatis, num. 36.* Roderic. *tom. 1. quaestion. regular. quaest. 30. art. 22.* Azorius *tom. 1. Instit. moral. lib. 12. cap. 16. quaest. 2. circa finem, & capite 17. quaestione 2.* & Ricciullus *lib. 8. cap. 10. num. 13.* respondent, id intelligendum esse de Religiosis eiectis absque iusta causa, & per iniquam sententiam, & non fortè debito iure: Quapropter non fit ibi mentio de iis, qui eiiciuntur iusta de causa (scilicet qui recusant emendari) neque de iis, qui propter grauia delicta per iustam, & legitimam sententiam ejiciuntur.

Alij, vt Syluester *verbo Apostasia, num. 10. quaest. 6. circa finem*, Armilla *verbo Religio, num. 16.* S. Antoninus *3. part. tit. 16. cap. 5. §. 1. in fine*, Corduba *in Regulis S. Francisci, cap. 2. quaestione 21. puncto 2.* & Graffius *in decisionib. 1. parte, lib. 3. cap. 5. num. 15.* 8 respondent, id esse intelligendum, si fine detrimento Religionis reuocari possint; quia si non esset spes emendationis, & eorum reuocatio Religioni detrimentum afferre posset, tunc praedicta dispositione non obligarentur Praelati ad praedictos eiectos reuocandos, & videtur colligi ex praedicto *cap. finali*, in illis verbis: *Quando sine graui scandalo id fieri poterit:* Itavt secus sit, non esse reuocandos, quando Religiosi illius Monasterij, ad quod reuocantur, ita offenduntur, vt nolint cum illis habitare, dicantque se potiùs velle recedere è Monasterio, quàm cum dictis hominibus conuersari. Quemadmodum illa verba explicant S. Antoninus *in dicto cap. 5. §. 2.* & Azorius *tom. 1. Instit. moral. lib. 12. cap. 17. q. 2.* ex Hostiensi *in cap. fin. n. 9.* Cardinal. *ibid. n. 1. notabil. 4.* & Ancharan. *num. 6.*

9 Alij, vt Ioan. Andreas *in dicto cap. finali, de Regularibus, num. 4.* Cardinal. *ibidem, num. 1. notabil. 5.* Henricus *in fine*, Syluester *verbo Apostasia, quaest. 5. & 7. num. 10.* Armilla *ibid. n. 14.* S. Antonin. *d. cap. 5.* & Azor. *dicta quaest. 2.* respondent id esse intelligendum quando illos reuocare non esset contra Regulas, vel constitutiones alicuius Religionis, quia si aliqua Religio haberet regulam, vel constitutionem, ne qui post-

 quam

ejectis per sacram Eminentissimorum Cardinalium Congregationem super Tridentino Concilio iussu Sanctissimi Vrbani PP. VIII. edito die 21. Septembris, anno 1620. quatenus concedunt, posse Religiosos delinquentes in casibus, in quibus reus de Iure communi ad mortem condemnatur, perpetuò in carcerem coniici, vel perpetuò, aut ad tempus in triremes relegari. Et posse etiam in aliis delictis grauibus, vt inobedientiæ, contumaciæ, vel apostasiæ, &c. per tres vices replicatæ, &c. vsque ad priuationem habitus inclusiuè puniri, & castigari.

2 Regulariter igitur Religiosus, tanquam incorrigibilis, è Religione eiici potest propter illa delicta, propter quæ si prædicta delicta in sæculo committeret, pœna mortis afficeretur verbi gratia, propter homicidium, propter rei ad mortem condemnati extractionem de manu Iudicis, propter sodomiam, &c. Item propter delicta, vel æquè, vel etiam minùs grauia, vt propter adulterium, fornicationem, furtum, proprietatem, & etiam ebrietatem scandalosam, Sic Doctores, quos sequitur Pe...ill. *in Respons. moral. tom. 2. cas. 35.* non autem propter quodcumque delictum, seu peccatum mortale, sicuti dicebam *suprà, sect. 32. & 33.* & dicam *infrà sect. 70. & seqq.*

3 Dixi, *propter homicidium*; quia quod homicidio annexa sit pœna, patet *ex §. Item lex Cornelia, Instit. de public. indic. ex l. penultima, §. qui alias personas, ff. de parricid. ex l. 1. C. de raptu virginis, & ex l. 3. §. patuatur, C. de Episc. audient.* Et docent Matsil. *in l. 1. n. 1. & in l. qui cædem, n. 1. ff. ad leg. Cornel. de sicariis,* Soc. *lib. 2. cons. 137. n. 10.* Decius *cons. 66. n. 1.* Couarr. *lib. 2. var. c. 9. n. 2.* & alij passim, quos sequitur Bossius *tit. de homicidio, n. 109.*

4 Excipe, si Religiosus homicidium commiserit ex iracundia quadam, & de eo commisso magnum dolorem concipiat; quia tunc cùm diminuatur ratio liberi, diminuitur ratio delicti, vt non sit ita graue delictum, ob quod Religiosus è Religione tanquam incorrigibilis eiici debeat.

5 Dixi secundò, *Propter rei ad mortem condemnati extractionem* de manu Iudicis, quia & quod tali delicto annexa sit etiam pœna mortis, patet *ex l. cumsequente, ff. ad leg. Iul. Maiest.* & docent communiter DD. Bartolus *in l. Addictos, n. 4. C. de Episc. audient.* Iason *in l. §. quod Prætor, n. 12. ff. ne quis eum qui in ius vocatur,* Salycet. *in l. vnica, n. 31. C. de rapt. virgin.* Alexander *cons. 35. n. 4. vol. 2.* Clarus *in Practica criminali, q. 68. n. 10.* Ant. Gomez *tom. 3. var. cap. 2. n. 7.* Decian. *in tract. criminal. tom. 2. lib. 7. c. 11. n. 1. & seqq.* & Marsilius *tract. de Bannitis, verbo Capti, n. 8.*

6 Excipe, si Religiosus id fecerit ex quadam pietate; quia tunc tam in isto casu, quàm in altero supradicto ob rationem ibi dictam videtur, quod Religiosus, tanquam incorrigibilis, è Religione eiici non debeat.

7 Dixi tertiò, *Ob sodomiam*; quia & quod sodomiæ annexa sit similiter pœna mortis, patet *ex l. cùm vir, C. ad leg. Iul. de adulteriis,* vbi communiter DD. *ex Authent. vt non luxurientur, §. propter,* vbi Glossa, & communiter etiam Doctores, *ex l. 2. §. qui puero, ff. de extraordinar. crimin. ex §. Item lex Iulia, Instit. de public. Iudic. & ex cap. sollicitatores, §. si puero, 33. q. 3.* & docent cum Glossa *in cap. vt Clericorum, verbo Ira Dei, de Vita, & honest. Clericorum, & in cap. Clerici, verbo subdantur, de excessibus Prælatorum,* passim DD. quos refert, & sequitur Thesaurus *in addition. ad decis. ibi,* & Aloysius Riccius *p. 5. collect. 1577.*

Quod adeò verum est, vt qui de tali crimine conuictus fuerit, etiam post mortem igni tradendus sit. Clarus *in Practica, §. Sodomia, n. 2. & seqq.* Ignatius Lopez *in additionib. ad Diaz in Practica criminali, c. 86. littera S, verbo detestanda,* & Menoch. *de arbitr. lib. 2. cas. 286. n. 23. & seqq.* sicque consuetudine receptum esse, testantur Gomez *in l. 80. Tauri, n. 32.* Azotius *part. 3. lib. 3. cap. 19. in principio,* Riccius *in praxi fori Ecclesiast. resol. 102. num. 2.* & alij, quos citat, & sequitur Barbosa *de offic. Episc. part. 2. alleg. 44. n. 5.* & de hac re extat etiam in vrbe statutum *lib. 2. cap. 48.* 8 Quapropter in casu sine dubio Religiosus, tanquam incorrigibilis, erit eiiciendus è Religione, sicut & Clericus, si prædictum peccatum committat, erit eiiciendus è clero, & in Monasterium ad pœnitentiam faciendam detrudendus, *ex cap. Clericus, de excessib. Prælator.* & docent Bernardus *in practica, cap. 88.* Salzedo *ibidem,* & Clarus *vbi suprà, verbo sodomia, n. 5.* forsan (cum potiùs ex dictis sit morti tradendus) in casu, quo sodomiæ delictum non fuerit plenè, & per probationes luce meridiana clariores probatum, vel non fuerit consummatum, sed dumtaxat attentatum, iuxta ea quæ dicam *sectione sequenti.*

QVASNAM AVTEM POENAS *Pius V. contra peccatum sodomiæ statuerit.*

Respondetur: In quadam sua constitutione, quam 9 refert Nauarrus *in sum. cap. 27. n. 249.* has pœnas Pius V. in his verbis statuit: [Omnes, & quoscumque Presbyteros, & alios Clericos sæculares, & Regulares cuiuscumque gradus, & dignitatis, tam dirum nefas exercentes omni Priuilegio clericali, omnique officio, dignitate, & beneficio Ecclesiastico, præsentis Canonis authoritate priuamus. Ita vt per Iudicem Ecclesiasticum degradati, potestati statim sæculari tradantur, quæ de iis illud idem capiat supplicium, quod in laïcos hoc in exitium deuolutos legitimis reperitur sanctionibus constitutum.]

ADVERTENDVM PRIMVM.

Contra quem Sodomitam in hac Constitut. Pij V. de nouo pœna statuta sint?

Aduerte primò, quod in hac Constitutione Pij V. 10 de nouo nulla pœna contra Sodomitam laïcum, sed solùm contra Sodomitam Clericum statuta sit. Patet ex contextu, & præter alios notant Nauarrus *loco suprà cit. vers. Ad quod dice primo,* & Graffius *1. part. decis. lib. 2. cap. 9. n. 11.*

ADVERTENDVM II.

An prædictæ Constitutionis Pij V. pœnas Clericus Sodomita incurrat, si semel, bis, vel ter crimen Sodomitæ commiserit?

Aduerte secundò, quod prædictæ Constitutionis 11 Pij V. pœnas Clericus Sodomita non incurrat, si semel, bis, vel ter tantùm crimen sodomiæ commiserit, Abb. *in cap. 1. de Iud. num. 14.* Emanuel de Valle *de incantationibus, sect. 3. cap. 1. n. 21.* Henriquez *in sum. lib. 13. cap. 36.* in Glossa *litt. N, & lib. 14. cap. 5. n. 1.* in Glossa F. Lopez *tom. 2. cap. 23.* Vgolinus *de irregularitate, cap. 43. §. 2. n. 4.* Nauarrus *c. 27. n. 249. vers. 3. dico,* vbi subdit, quod Gregorius XIII. à se de hac re interrogatus, ita respondertt: Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 31. sect. 4. n. 21.* Prosper de Augustino *in addit. ad summ. Bullarij Quaranta, verbo Sodomia, limit. 4.* Madius *in tract. de Sacr. Ordin. cap. 22. num. 9.* Belloch. *de cas. res. p. 2. q. 1. n. 217.* Graff. *in decis. p. 1. lib. 2. c. 90. n. 12.* Rodr. *in sum. p. 1. cap. 208. n. 2.* Homob. *de cas. res. p. 1. cap. 4. sect. 5.* Campanil. *in diuers. Iur. Canonic. rubr. 11. c. 12. n. 11.* Floron. *de cas. res. p. 2. cas. 7. §. 1. n. 9.* Zanard. *in director. Theol. part. 2. præcept. 9. c. 9.* Finell. *de casib. reseru. cas. 9. num. 6.* Azorius *part. 3. lib. 3. cap. 19. num. 2.* Cotiolan. *de casib. reseruat. part. 2. cas. 9. num. 25.* Filliuc. *tom. 1. tract. 17. cap. 7. num. 127.* Sayrus *de censuris, lib. 7. cap. 12. num. 25.* Genuensis *in Praxi*

*Praxi Archiepisc.cap.*18.*n.*15. vbi propterea ait, quod non sit denuncianda mulier, quæ semel maleficium, aut superstitionem commisit, nisi manifestè hæresim sapetet, & simplicitas, vel alia iusta causa non excusaret, *& cap.*8 a.*num.*1. Rodericus *tom.*1. *quæst. Regular, quæst.* 30.*art.* 19. Auila *de censuris, part.* 7. *disp.* 4. *dub.* 7. Maiolus *lib.* 5. *cap.* 43. *n.* 3. Franciscus Leo *in thesauro fori Ecclesiast. part.* 3. *cap.* 4. *n.* 30. Riccius *in praxi fori Eccles. resol.* 302. Ledesma *in sum. part.* 2. *tract.* 27. *cap.* 15. *concl.* 4. Garzias *de beneficiis, part.* 11. *cap.* 10. *num.* 198. Philiarcus *de offic. Sacerdot. part.* 1. *lib.* 4. *c.* 15. & Barbosa *de offic. Episcop. part.* 2. *allegat.* 44. *n.* 25.

Quamvis contrarium teneant Azeued. *lib.* 8. *recop. leg.* 1. *tit.* 21. *n.* 22. *&* 23. Ioan. de Vela *de pœn. delictor. cap.* 33. Aldret. *de discipl. relig. lib.* 2. *cap.* 15 §. 5. *num.* 8. Salzedo *in practica crimin.* c. 8. *lit. C, & c.* 66. *addit.* 2. Cenallos *tract. de cognit. per viam violent. part.* 2. *q.* 87. *n.* 4. *& in opinionib. commun. q.* 228. *n.* 4. & Cherubinus *in dictam Bullam Pij V. schol.* 2. & ex probabili etiam Ledesma *in sum. part.* 2. *tract.* 27. *punct.* 17. *c.* 15. *concl.* 4.

Ar contra posteriores citatos Doctores probatur nostrum aduertendum 1. quia prædictæ pœnæ in prædicta Constitutione Pij V. statutæ sunt contra exercentes peccatum sodomiæ: sed non dicitur quia aliquid exercere, nisi frequenti, & continuato vsu illud fecerit, §. *Item lex Iulia, de adulter. Instit. de public. iudic.* & docent Doctores *ibi, verbo Exercere*, Bartolus *in proœmio ff. n.* 10. *& in l.* 1. *ff. de furtis, n* 3. Salicet. *in l. falsus, Cod. eodem tit.* & Abbas *in cap.* 1. *de Iudic. n.* 24. Et meritò, quia v.g. non dicitur quis viarum grassator, neque agrorum depopulator, neque maleficus, qui Inquisitoribus sit denunciandus, ex vno, vel altero crimine talis naturæ commisso, sicuti dicebam *tractatu de immunitate, & iurisdictione Ecclesiastica, cap.* 16. *tom.* 2. Neque dicitur mercator ex vnica, vel altera negociatione, seu mercatura, sicuti tradit Glossa *in l.* 1. §. *mercis ff. de tributis*, Strac. *tract. de mercatura, part.* 1. *in princip. n.* 6. & Grass. *effect.* 6. *de Cleric. num.* 20. Neque etiam dicitur Hospitator ex vnica, vel altera hospitatione, sicuti habetur *in l.* 1. *ff. de tributis*: vnde & dici consueuit, quod vnus flos, vel vna hirundo non faciat ver.

12 Neque obstat, si dicas cum aduersariis, quemlibet Clericum sodomitam prædictas pœnas incurrere, quamvis ipse semel peccatum sodomiæ commisetit, eo quòd in priori Constitutione, quam idem Pius V. edidit, incipiente: *Cùm primum Apostolici Officij*, dicatur: *Si quis tale peccatum perpetrauerit*, curiæ sæculari, etsi fuerit Clericus, tradatur puniendus, omnibus Ordinibus degradatus simili pœnæ subijciatur; sicque satis sit ad prædictas pœnas contrahendas, si semel Clericus hoc peccatum commiserit.

Respondetur enim, quod cùm hæc Pij V. posterior Constitutio, in qua dicitur, *Si quis exercuerit*, sit explicatiua Constitutionis prioris, in qua dicitur, *Si quis perpetrauerit*, Constitutio prior intelligi debeat ad sensum Constitutionis posterioris, præsertim quia sic respondit Gregorius XIII. de hac re interrogatus, teste Nauarro. Vt omittam dici posse, quod licèt pœnæ constitutæ in Constitutione priori Pij V. quæ sunt minùs graues, comprehendant perpetrantes; pœnæ tamen constitutæ in constitutione posteriori, quæ sunt grauiores, comprehendunt tantùm exercentes.

ADVERTENDVM III.

An prædicta Constitutio Pij V. non extendatur ad Clericum exercentem vitium bestialitatis?

13 Aduerte tertiò, quod prædicta Constitutio Pij V. non extendatur ad Clericum exercentem vitium bestialitatis. Bañez 2. 2. *q.* 64. *art.* 9. *in princip.* Garzias *de benef. part.* 11. *cap.* 10. *num.* 204. & alij quos sequitur Barbos. *in collect. tom.* 2. *lib.* 5. *tit.* 31. *cap.* 4. *num.* 11. *& de offic. Episcop. part.* 2. *alleg.* 44. *num.* 22. Quamvis contrarium teneant Rodericus *tom.* 1. *summa, cap.* 208. *num.* 2. Riccius *in praxi, tom.* 3. *resol.* 59. Campanil. *in diuers. iur. Canon. rub.* 11. *cap.* 12. *num.* 18. Rolandus à Valle *vol.* 1. *consil.* 7. *num.* 2. Ledesma *in summa, tom.* 2. *tract.* 27. *cap.* 11. *concl.* 4. Vega *in summa, tom.* 2. *c.* 102. *cas.* 2. Homobon. *in examin. Eccles. part.* 2. *tract.* 11. *cap.* 12. *num.* 26. Narbona *in* 3. *part. recop. lib.* 4. *tit.* 1. *leg.* 20. *gloss.* 8. *num.* 13. Belloch. *de casib. reseruat. part.* 2. *quæst.* 2. *num.* 39. Farinac. *in praxi crim. quæst.* 1 8. *num.* 47. & Prosper de Augustino *in addit. ad sum. Bullar.* Quarantæ, *cit. verbo Sodomia, ampliat.* 2. quia licèt hoc vitium sit contra naturam, non tamen est propriè peccatum sodomiæ, sed species quædam ab illo distincta: sicuti rectè probat S. Thomas 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 11. quem sequuntur Caietanus *ibi*, Syluester *verbo Luxuria*, §. 1. S. Antoninus *in sum.* 2. *part. tit.* 5. *cap.* 4. & alij passim.

Non obstat, si dicas cum aduersariis: Vitium bestialitatis est peccatum contra naturam, & est grauius vitio nefando: ergo constitutio prædicta Pij V. extendetur etiam ad bestialitatis vitium exercentes; cùm lex pœnalis extendatur de casu ad casum, quando est eadem, vel maior ratio. Gloss. *in cap.* 1. *de tempor. ordinat. in* 6. *verb. Italia*, quam Glossam singularem appellat Abbas *in cap. nihil, de electiòn. & in cap. fin. de rescriptis.* 14

Respondetur enim, nego consequentiam, & probationem illius; quia vt omittam, non esse eandem rationem: Nam Pius V. edidit talem Constitutionem, eo quòd plures essent, qui committerent vitium sodomiæ, sicuti patet ex verbis eiusdem Constitutionis: non autem similiter essent plures, qui committerent vitium bestialitatis; ob quam rationem interdum delicta leuiora, quia sunt frequentiora, grauiùs puniuntur, quàm grauiora, non est verum, quod in odiosis, & pœnalibus, præsertim in foro conscientiæ, fiat extensio de casu ad casum, quamvis sit eadem, vel maior ratio, ex Regula *Odia, de regul. Iur. in* 6. *& ex cap. pœnæ, de pœnit. dist.* 1. quod scilicet odia, & pœnæ restringi debeant, & notant præter Dominicum, & alios Canonistas *ibi*, Iason *in l. cùm quidam, ff. de liber. & posthum. n.* 9. Decius *in l. si quis, ff. de iurisd. omn. Iudic. num.* 47. Castrus *de pœnis, lib.* 1. *cap.* 7. *documento.* 3. *lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 5. *& cap.* 4. *n.* 1. Henriquez *in summa, lib.* 7. *cap.* 30. *n.* 4. *in glossa, lit. C*, Garcias *de benef. tom.* 2. *part.* 11. *cap.* 10. §. 2. *num.* 236. Miranda *in manual. Prælat. tract. de monial. q.* 2. *art.* 10. *concl.* 1. Auila *de censur. part.* 6. *disp.* 7. *dub.* 5. & Sanchez *de matrim. tom.* 3. *lib.* 10. *disp.* 4. *num.* 5. Et ratio vlterius est, quia licèt identitas, vel maioritas rationis sit fundamentum, vt imponatur eadem pœna, non tamen censeri debet, quod ea de facto fit imposita, nisi de facto fuerit expressa, propter rationem iam dictam, quod scilicet odia, & pœnæ restringi debeant. 15 16 17

Et hæc responsio probatur etiam exemplis.

Primò, quia *in Clement. vnica, de consanguin. & affin.* excommunicantur moniales professæ nubentes, & accipientes illas in vxores, & excommunicantur etiam professi contrahentes matrimonium; ideò licèt sit eadem ratio, notant Cardinalis, Ancharanus, & Bonifacius *ibi*, S. Anton. *part.* 3. *tit.* 24. *art.* 34. Caiet. *in summa, verb Excommunicatio, cap.* 47. & Sanchez *de matrim. lib.* 7. *disp.* 48. *num.* 2. quod si aliqua fœmina sæcularis contrahat matrimonium cum Professo, non incurrat dictam excommunicationem, sicut incurrit mas sæcularis contrahens matrimonium cum moniali; quia textus, inquiunt ipsi, loquitur de maribus sæcularibus contrahentibus matrimonium cum monialibus, & non de fœminis sæcularibus nubentibus cum Professis: lex igitur pœnalis est restrin- 18

Mmm 3 genda,

genda, matrimonium cum Monialibus, & non de fœminis sæcularibus nubentibus cum professis; lex igitur pœnalis est restringenda, non autem amplianda, etiam ex identitate, vel maioritate rationis.

19 Secundò, quia *in Clem. 1. de priuil.* punitur Religiosus, si sine licentia Parochi administret sacramentum Eucharistiæ, Matrimonij, vel Extremæ-Vnctionis; ideò (licèt sit eadem ratio) adnotant Glossa, & Abbas *ibidem*, & Capel. Tolos. *decis.* 121. quod non similiter puniatur, si sine licentia Parochi administret sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ; quia textus loquitur in ordine ad sacramentum Eucharistiæ, Matrimonij, vel Extremæ-Vnctionis, non autem in ordine ad sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ.

20 Tertiò, quia in Tridentino Concilio *sess.* 25. *de reg. cap.* 8. excommunicantur qui cogunt fœminam ad ingressum Religionis, vt scilicet habeatur libertas talis ingressus: ideò licèt sit eadem ratio, docent Bannez, Suarez, & alij apud Sanch. *tom. 1. moral. lib. 4. c. 4. n. 3.* quod non excommunicentur etiam qui cogunt marem; quia Concilium loquitur de iis, qui cogunt fœminam, non autem de iis, qui cogunt marem.

21 Quartò, quia in Bulla Gregorij XIII. excommunicantur, qui ingrediuntur monasteria Monialium prætextu licentiarum, ideò non excommunicantur etiam qui ingrediuntur prædicta Monasteria sine prætextu talium licentiarum. Doctores apud Suarez *de censur. disp.* 21. *sect.* 6. *num.* 11.

22 Quintò, quia in Bulla Gregorij XIV. priuantur immunitate Ecclesiæ, qui occidunt, vel mutilant in Ecclesia, vel in Cœmeterio; ideò non priuantur etiam prædicta immunitate qui vulnerant, furantur, blasphemant, vel alia delicta non excepta (vt hæresim, vel crimen læsæ Maiestatis in personam Principis, &c. committunt in alterutro ex prædictis locis.

23 Sextò, quia in Bullis prioribus, tanquam suspectus de hæresi sancto Officio denunciandus erat Confessarius, qui in Confessione sollicitabat fœminam, ideò ex communiori sententia non erat etiam vt talis denunciandus Confessarius, qui in confessione sollicitabat marem, adeò quod vt iste etiam Confessarius, vt talis sit similiter denunciandus, in Bullis posterioribus postea à summis Pontificibus iam expressum sit.

24 Septimò, Glossa *in Clement. 1. de decimis*, pœnam talis textus contra Religiosos fraudantes decimas Ecclesiæ, de quibus loquitur textus, non extendit ad Clericos sæculares idem facientes.

25 Octauò, Glossa *in cap. finali, de offic. deleg. in 6. verb. suspensi*, pœnam talis textus contra conseruatores, de quibus loquitur textus, non extendit ad delegatum idem facientem.

26 Nonò, Gloss. *in c. statutum*, §. *insuper, de rescript. verb. Moderatas*, pœnam talis textus contra Pontificis legatum, de quo loquitur textus, non extendit ad delegatos Ordinarij eundem excessum circa expensas facientes.

27 Hinc si alicubi reseruetur delictum sodomiæ, cùm reseruatio, vtpotè odiosa, sit restringenda, non censetur per hoc esse reseruatum etiam delictum bestialitatis. Reginald. *in praxi, tom. 1. cap. 11. sect. 1. n. 127.* Coriol. *de casib. reseruat. part. 1. sect. 5. n. 4.* Naldus *in summa, verb. casus, num.* 3. Chapeauilla *de casibus reseru. cap. 6. q. 1.* Bonac. *de matrim. disp. 4. punct. 11. num. 5. & de sacrament. disp. 5. q. 7. punct. 5. §. 3. n. 1.* & Humobon. *part. 1. de casib. reseru. cap. 2.* contra Graffium *in praxi, lib. 1. cap. 4. regul. 4. n. 25.* Finellium *de casib. reseruat. cas. 4. n. 15. & cas. 5. n. 3.* & Flotonum *de cas. reseruat. part. 1. cap. 1. num. 30. & 40.*

28 Ob eandem rationem, quam suprà in principio aduertendi dicebam, nonnulli non omninò improbabiliter putant, quod prædicta Constitutio Pij V. neque extendatur ad exercentes peccata contra naturam cum fœmellis, quia nec tale peccatum etiam est propriè sodomia; cùm licèt in tali casu vas sit contra naturam, sicque non seruetur debitum vas, seruetur tamen debitus sexus. S. Th. 2. 2. *q. 154. art. 11.* Caiet. *ibid.* Azor. *part. 3. lib. 3. cap. 19. q. 3.* Floronus *de casib. reseru. part. 2. cas. 7. §. 1. n. 9.* Belloch. *de casib. reseruatis, part. 2. q. 1. n. 221.* Tanner. *in 2. 2. disp. 3. q. 3. punct. 6. n. 149.* Valent. *tom. 3. disp. 9. q. 3. punct. 3.* Zanard. *in direct. part. 2. præcept. 6. c. 10.* Ledesm. *part. 2. tract. 27. c. 15. concl. 1.* Henr. *lib. 11. c. 17. n. 6.* Gloss. *lit. A. & D.* Ioan. de la Cruz *in direct. consc. p. 1. præcept. 7. art. 7. dub. 8. concl. 1.* Bonac. *de matr. q. 4. punct. 11. propos. 1.* Filliuc. *tom. 1. tract. 30. c. 8. n. 158.* & ex probabili etiam Barb. *in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 31. c. 4. n. 10.* Quamvis contrariũ sentiant Menoch. *de arbitr. cas.* 386. *n. 5.* vbi citat Cardinalem, & Decium, Garc. *de benef. part. 11. c. 10. n. 207.* Campanil. *in diuers. iur. canon. rubr. 11. c. 22. n. 17.* Farin. *in praxi crimin. q. 148. n. 36.* Prosper de Augustino *verb. Sodomia, in princ.* vbi citat Afflictum, Clarum, Couar. & alios, Sayr. *de cens. lib. 7. cap. 12. num. 23.* Humobon. *in exam. Eccles. q. 1. tract. 7. c. 28. q. 114.* Reginald. *in prax. tom. 2. lib. 22. c. 3. sect. 10. n. 49.* Less. *de iust. lib. 4. cap. 3. dub. 13. n. 90.* Plin. *in sum. part. 3. c. 8. n. 21.* Lambert. *de iurepatr. part. 1. lib. 2. in art. 1. princip. num. 3.* Ricc. *in prax. for. Eccles. res. 302. n. 2. & in collect. decis. part. 5. collect.* 1877. *dub. 1.* & alij quos sequitur Barbos. *de offic. Episcop. part. 2. alleg. 44. num. 23.* eo quòd peccatum contra naturam, siue cum masculis, siue cum fœmellis, sit eiusdem rationis.

At quod dicebam in contrarium suprà, non est omninò improbabile: ita vt si alicubi reseruetur sodomia, cùm reseruatio, vtpotè odiosa, sit restringenda, non etiam veniat ibi reseruatus concubitus cum fœmella à parte posteriori: sicut nec bestialitas, vti *suprà* dicebam. Syluius *in 2. 2. cap. 154. art. 11.* Summa Coruna *part. 2. c. 2. n. 16.* Chapeauilla *de casib. reser. c. 15. quæst. 2.* Iacob. de Graff. sibi contrarius *tom. 2. lib. 5. c. 3.* Floronus *de casib. reseru. part. 2. cas. 7. n. 6.* & Bonacina *de matr. q. 4. punct. 11. propos. 1. n. 5.* contra Iacob. de Graffiis *lib. 1. cap. 11. n. 2.* Riccium *in praxi, part. 2. resol. 301. n. 2. & part. 3. resol. 60. n. 4.* Gambaruptam *de casib. reseru. cas. 1. n. 3.* & Humobonum *de casib. reseruat. part. 2. cas. 5. sect. 5.*

ADVERTENDUM IV.

An ad hoc, vt pœna constituta in prædicta Constitutione Pij V. locum habeant, requiratur sodomiæ crimen esse in sua specie consummatum?

Aduerte quartò, quod ad hoc, vt pœnæ constitutæ 29 in prædicta Constitutione Pij V. locum habeant, requiratur sodomiæ crimen esse in sua specie consommatum, itavt semen sit emissum, & emissum intra vas contra naturam; secus si nullo modo sit emissum, vel emissum extra dictum vas. Lælius Zech. *in respons. cas. conscientia, cas. 1. tit. de irregul. §. de irregularitate prouenient. ex delict. qualit.* Suarez *tom. 5. de censur. sect. 4. n. 21.* Belloch. *de casib. reseruat. part. 2. q. 1. n. 220.* Azor. *part. 3. lib. 3. c. 19. q. 4.* Salzed. *in addit. ad Pract. crim. Diaz, c. 88.* Iacob. de Graff. *in decis. part. 1. lib. 2. c. 90. n. 11.* Rodriq. *in sum. part. 1. c. 208.* Floron. *de casib. reseru. part. 2. cas. 7. n. 8. & 9.* Sayr. *de censur. lib. 6. cap. 12. n. 23.* Campan. *in direct. iur. canon. rubr. 11. c. 22. n. 14.* Ledesma *in sum. tom. 2. tract. 27. c. 15. concl. 4.* Zanard. *in Theol. part. 2. præcept. 6. c. 9.* Chapeauilla *de casib. reseru. c. 15. quæst. 3.* Finell. *de casib. reseru. cas. 9. n. 6.* Filliuc. *tom. 1. tract. 17. c. 7. n. 127.* Prosper de Augustino *in addit. ad summam Quatauitæ, verb. sodomia,* Coriol. *de cas. reseru. part. 2. cas. 9. n. 26.* Vgolinus *de irregul. cap. 43.* Garcia *citato cap. 10. n. 203.* Rodericus *tom. 1. quæst. regul. quæst. 30. art. 18.* Riccius *in praxi for. Eccles. resol. 302. limitat. 1.* Alterius *de censur. tom. 2. disp. 15. cap. 3. vers. tertiò notandum,* Bonacina *de matrimon. q. 4. punct. 11. n. 2.* & alij quos citat, & sequitur Barbos. *de offic. Episc. part. 2. alleg. 44. n. 24.*

Probatur

30 Probatur; quia quando lex prohibet aliquod delictum, intelligit de delicto consummato, *cap. hac autem, dist. 5. de pœnit.* & *l. 1. §. hac verba, ff. quod quisque Iuris.* At sodomiæ delictum non est consummatum, nisi semen sit emissum, & emissum intra vas contra naturam; secus si non sit emissum, etiamsi quis per multum spatium temporis incœperit, & prosequutus fuerit actum sodomiticum, vel sit emissum extra vas contra naturam, vti dicebam, & docent Reginaldus *tom. 2. lib. 22. cap. 9. sect. 10. num. 49.* Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 10. disp. 6. n. 13.* Molfes. *in summa, tom. 1. tract. 7. cap. 20. cas. 9. num. 109.* & alij communiter: Ergo.

31 Hinc ad incurrendum casum reseruatum sodomiæ requiritur, cùm reseruatio, vtpotè odiosa, sit restringenda, sit modo supradicto consummata. Graff. *tom. 1. lib. 5. cons. 3. n. 20. de adult.* Finel. *de cas. reseru. c. 9. n. 6.* Chapeauil. *c. 25. quæsit. 2.* Bonac. *de matrim. q. 4. punct. 11. n. 2.* & Homob. *de casib. reseru. part. 1. c. 4. sect. 5.* & *in examin. Ecclesiast. part. 1. tract. 7. c. 38. quæsit. 124.*

Quamvis contrarium, tam quoad primam, quàm quoad secundam partem, sentiant alij, vt Clar. *in pract. §. fornicat. n. 12.* Menoch. *lib. 2. cas. 186. n. 44.* Petr. Gregor. *syntagm. iur. lib. 36. c. 14. n. 1.* Ruland. *lib. 1. cons. 7. n. 4.* & Boerius *decis. 316. n. 1. & seqq.* quatenus aiunt, quod crimen sodomiæ propter eius enormitatem, etiamsi fuerit solùm attentatum, & non sequuto effectu, pœna mortis puniatur, & Barbatia *lib. 1. cons. 64. n. 10. & seqq.* Andr. Gaillus *de pace publica, lib. 1. c. 14. n. 16.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. cas. 360. n. 6.* Ioduc. *in pract. crimin. c. 96. n. 16.* & Quaranta *in sum. Bullar. verb. Sodomia, limit. 3.* quatenus inquiunt, quod Clericus in affectu, & conatu hoc delictum committens, etiam non sequuto effectu, puniri debeat eadem pœna, quâ punitur is, qui in effectu, & realiter illud committit, afferúntque de hac re & statutum Vrbis *lib. 8. c. 48.* & rationem, quia scilicet, vti suprà dicebatur, in atrocissimis delictis punitur affectus, & conatus, tametsi secutus non sit effectus, & Glossa *in l. 1. §. hac autem, verb. putamus, ff. quod quisque iuris*, quam sequuntur Alberic. *in l. si quis non dicam, Cod. de Episc. & Cler. n. 2. & seqq.* Bald. *in l. si fugitiuus, Cod. de seru. fugit. n. 2.* Cepolla *ibid. n. 10.* Salyc. *in cap. is qui, n. 4. Cod. ad leg. Cornel. de sicariis*, Felin. *in c. c. de offic. delegat. n. 1.* Couar. *in Clementina si furiosus, n. 6.* & Boerius *decis. 316. n. 4.* adeò vt etiam in delictis grauibus, & atrocibus puniatur similiter affectus, & conatus, tametsi similiter secutus non sit effectus, ex Paulo de Castro *in citata l. si quis non dicam, Cod. de Episc. & Cleric.* Salycet. *ibidem, in summario*, Ioan. Fabro *n. 4.* Glossa *in d. l. 1. §. hac autem, verb. putamus, ff. quod quisque Iuris*, Bartol. *ibid. n. 4.* Alberico *n. 1.* Decio *in l. si fugitiui, Cod. de seru. fugit. n. 43.* Corneo *lib. 1. cons. 202. n. 1.* Ant. Gom. *de delictis, c. 3. n. 30.* & alia: Et quidem hæc posterior opinio, si locum habet, præcipuè locum habet in foro externo.

ADVERTENDVM V.

An virtute prædictæ constitutionis Pij V. Clericus sodomiam exercens amittat ipso Iure priuilegium Clericale, officia, beneficia, &c.

32 Aduerte igitur, quod Quaranta *in sum. Bullar. verb. Sodomia, circa finem*, Cherubinus *in dictam constitutionem Pij V. scholio 1.* Campanil. *dicta rubr. 11, cap. 12. num. 10.* Bonac. *de matrim. q. 4. punct. 11. c. 22. n. 2.* Reboff. *in practica, titulo de mod. amittend. benef. n. 38.* & Barbosa *de officio Episc. part. 2. alleg 44. n. 19.* putent, virtute dictæ Constitutionis Pij V. Clericum sodomiam exercentem amittere ipso iure priuilegium Clericale, officia, beneficia, seu esse priuatum iis ipso iure; quia dicta Constitutio Pij V. sic habet: [Omnes, & quoscumque Presbyteros, & alios Clericos sæculares cuiuscumque gradus, & dignitatis, tam dirum nefas (scilicet sodomiam) exercentes, omni priuilegio Clericali, omnique officio, dignitate, & beneficio Ecclesiastico præsentis Canonis authoritate priuamus, ita quod per Iudicem Ecclesiasticum degradati, potestati statim sæculari tradantur.] At quando lex imponit pœnam loquendo per verba temporis præsentis, censetur illam imponere ipso facto, seu ipso iure, quia continet sententiam latam. Lapus *alleg. 16.* Tiraquell. *de reuocand. donat. verb. Reuertatur*, & Rota *decis. 728. part. 3. lib. 3. diuers.* ergo, &c.

Quamvis contrarium, scilicet non esse ipso iure priuatum, sed priuandum, non omninò improbabiliter sentiant Menoch. *de arbitr. cas. 286.* Mandos. *de signatur. gratiæ, titulo de priuat. vers. Fertius procedere, cons. 275.* Bernard. Diaz *in pract. c. 86.* Ant. Gomez *l. 80. Tauri, n. 32. & 33.* Staphil. *tit. de variis modis vacationis 9. Quando quis veniat priuandus beneficio, n. 4.* & alij, quia lex imponens simpliciter pœnam, non præsumitur regulariter ipso iure eam imponere: Ergo, &c.

Et quidem in dubio (si verè dubium sit) sic præsumi debet, Anchar. *cons. 145. n. 1.* Bald. *in l. 1. Cod. de leg. in fine*, Capycius *decis. 121. n. 23.* Marsil. *in Practica, §. Aggrediar, n. 124.* Suarez *tract. de legib. lib. 5. cap 6. n. 1. & c. 7. n. 5.* Alexand. *lib. 1. cons. 124. in princ.* Tuscus *verb. Pœna, concl. 238. n. 4. & verb. priuatio, concl. 719. n. 17.* Ioan. Salas *de legib. q. 96. tract. 14. disp. 15. sect. 6. n. 79.* & alij passim, eo quòd in pœnis benignior facienda sit interpretatio, *ex cap. in pœnis, de regul. iur. in 6.* Et pœnæ sint restringendæ, non ampliandæ. 33

At quidquid sit de hoc, illud tamen dicendum erit, quod sodomiam exercens non teneatur in foro conscientiæ dimittere priuilegium Clericale, officium, vel beneficium ante Iudicis sententiam; quia generaliter qui commisit delictum, ob quod priuatur priuilegio Clericali, officio, vel beneficio, &c. non tenetur in conscientia dimittere illa ante Iudicis sententiam. Est communis sententia Doctorum, Nauar. *comment. de datis & promiss. n. 61.* Molinæ *de iust. tom. 1. disp. 96.* Couar. *in 4. decret. part. 2. c. 6. §. 8. n. 8.* Lessij *de iust. lib. 2. c. 29. n. 63. & 64. & c. 44. n. 14. & 188.* Sayr. *de censur. lib. 7. c. 12. n. 24.* Sanch. *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 46. n. 28.* qui citat Graffium, Vegam, & Rodriguez, Auilæ *de censur. part. 7. disp. 4. dub. 7. concl. 7.* Homobon. *de exam. Eccles. part. 1. tract. 11. c. 12. sect. 16.* Floroni *de casib. reseru. respons. part. 2. cas. 7. §. 1. n. 8.* Finell. *de casib. reseruat. cas. 9. n. 6.* Zanard. *in direct. part. 2. præcept. 6. c. 9.* Filliucij *tom. 1. tract. 17. n. 127.* Henriquez *lib. 7. cap. 36. n. 3. lit. I, & lib. 13. c. 56. n. 2.* Suarez *tom. 5. de censur. disp. 27. sect. 1. n. 8. & disp. 40. sect. 2. n. 17. & 22.* Vasquez *prima secunda, tom. 2. disp. 168. n. 23.* Azorij *tom. 1. instit. moral. lib. 5. c. 8. q. 3.* & aliorum communiter. 34

Probatur hæc opinio, quia lex positiua pœnalis, quæ non potest executioni demandari absque hominis actione, etiamsi pœnam ipso iure, vel ipso facto ferat, dicendo *ipso facto sit priuatus*, vel etiam sic dicat, *nulla expectata declaratione*, in conscientia non obligat ante Iudicis sententiam, non solùm ex eo, quia vsu, & consuetudine, quæ est optima legum interpres, receptum est, vt nemo se priuet re priùs obtenta, nisi declaratoria criminis sententia à Iudice feratur; sed etiam ex eo, quia si talis lex in conscientia obligaret ante Iudicis sententiam, esset nimis rigida, cogeret enim homines ad se prodendum, & ad in se durissimam pœnam exequendum: ad quod nulla lex positiua in conscientia obligat; cùm lex positiua, vt in conscientia obliget, debeat esse facilis, tolerabilis, atque humanæ imbecillitati conformis, & accommodata. Alioquin non esset in ædificationem, sed potiùs in destructionem; neque esset in commune bonum, sed potiùs in commune detrimentum; cùm vix vnus ex mille esset illam obseruaturus: Quapropter dici consueuit, quod lex positiua, v.g. de ieiunando, de festo seruando, &c. non obliget cum magno incommodo, neque cum periculo notabilis 35

notabilis damni, etiam fortunæ bonorum; quapropter etiam, vt alibi dicebam, reus si agatur de causa graui, vt capitis, mutilationis, exilij duri, triremis, carceris perpetui, confiscationis omnium, vel maioris partis bonorum, non tenetur in conscientia, etiamsi legitimè interrogetur, respondere ad mentem iudicis interrogantis, sed licitè potest æquiuocare, dicendo v.g.
38 Nescio, mente subintelligendo, vt dicam tibi: Item si de facto sit, etiam licitè propter delictum, ad grauem pœnam condemnatus, vt exilij duri, triremis, vel carceris perpetui, &c. neque tenetur in conscientia illam sustinere, seu pati, sed licitè potest fugere.

39 Atque ita, quod scilicet lex positiua pœnalis, quæ non potest executioni demandari absque hominis actione, etiamsi pœnam ipso iure, vel ipso facto ferat, dicendo, ipso facto sit priuatus, vel etiam si dicat, nulla expectata declaratione, in conscientia non obliget ante Iudicis sententiam, propter rationes dictas, docent Vasquez *in* 1.2.*tom.*1.*disp.*168.*n.*14. Molina *de iust.& iur. tom.*1.*tract.*1.*disp.*95.*num.*14. qui subdit, sententiam hanc esse communem inter Theologos, & Iuristas. Salas *de legib.disp.*15.*sect.*5.*num.*30. Couar. *in* 4.*part.*2.*§*.8.*num.*3.*illat.*3.Becanus *in* 1.2. *tract.*3.*cap.*2. Lorca *in* 1.2.*tom.*2.*disp.*24.*de legib.* Lessius *de iust.& iur. lib.*2.*cap.*29.*dub.*8.*num.*63. Suarez *de legib.lib.*5.*cap.*5.*& 6.* Villalobos *in summa, tract.*2.*diffic.*26.*num.*2. Surd. *decis.*147.*per totam,* Molfes. *in summa, tom.*1.*tract.*9.*cap.*9.*num.*35. Azor. *part.*1.*lib.*5.*cap.*7.*quæst.*6. Ioan.de la Cruz *in direct. comment. part.*1. *in princip. dub.*3.*de legib.* Nauar. *in summa, cap.*27.*num.*110. Sanchez *lib.*2.*moral. cap.*31. *num.*50.Rodriq.*in explicat. Bulla Pij V. contra Religiosos admittentes mulierem intra septa Monasterij,num.*35. Ioan. Valerus *in differentiis vtriusque fori, verb. pœna, differ.*10.*n.*4. & alij passim.

40 Hinc Bulla Sixti V. contra Clericos non deferentes habitum, & Bulla Clementis VIII. contra Religiosos munera largientes, & quæcumque similis alia Bulla, vel positiua lex contra quoscumque alios non obligat in conscientia ad pœnas, quas infert, vel imponit, nisi post iudicis sententiam: videatur præcipuè Molfesius.

41 Item secundò lex imponens taxam rebus venalibus, & imponens pœnam contra eum, qui contrauenerit, licèt non obliget in conscientia ante sententiam iudicis, itavt in conscientia restituere excessum pretij teneatur, cùm rem vendendo supra pretium lege taxatum, sicque supra pretium legitimum, peccauerit contra iustitiam, non tamen teneatur in conscientia ad pœnam impositam, nisi à iudice ad eam condemnetur: videatur præcipuè Villalobos.

42 Item tertiò, beneficiarius non tenetur in conscientia abdicare beneficium, donec declaretur delictum, propter quod ipso facto est priuatus tali beneficio nisi forsan, vt infrà dicam, in lege dicatur, quod pœnam statim in foro conscientiæ subire debeat: videatur præcipuè Sotus, & Azorius.

43 Item quartò: Rectores Ecclesiarum alienantes bona Ecclesiastica absque iuris solemnitatibus necessariis neque tenentur abdicare beneficia per extrauagantem Ambitiosè, *de reb. Eccles.non alien.* ante iudicis latam sententiam. Videantur præcipuè Nauarrus, & Sanchez.

44 Item quintò, Religiosus admittens mulierem intra septa Monasterij, neque tenetur abdicare Officium per motum proprium Pij V. priusquam ad id à Superiore condemnetur. Videatur præcipuè Rodriquez.

45 Item sextò, Superior alicuius Religionis incidens ipso facto in priuationem Prioratus, vel Guardianatus, &c. etiamsi palam constet de delicto, neque incurrit dictam pœnam, donec per Superiorem officio priuatus declaretur, itavt interim licitè possit ipse in conscientia perseuerare in officio, & è contra licitè non possint in conscientia subditi eum repellere à cura, seu gubernatione: videatur præcipuè Ioannes Valerus.

Item septimò, Iudex qui propter crimen ipso facto est priuatus titulo, neque tenetur in conscientia abdicare officium, sed licitè potest adhuc iudicare, seu iudicium exercere ab que peccato vsurpationis Iudicij, & ferre sententias validas, donec per sententiam Superioris de crimine fuerit condemnatus. 46

Item octauò, is cuius bona ipso iure confiscantur, vt propter crimen hæresis, iuxta *cap. cùm secundùm leges, de hæret. in* 6. aut propter incestas nuptias, iuxta *idem cap.& auth.incestas, Cod. de incest. nupt.* vel cuius bona ipso iure cadunt in commissum, vt propter rerum illicitarum transvectionem, aut rerum vectarum omissam professionem, iuxta *d. cap.* & alia iura, non tenetur ante iudicis sententiam dicta bona fisco, vel alteri consignare. Videatur præcipuè Sanchez *vbi supr. cap.*10.*num.*7. 47

Lex igitur positiua, seu humana, quæ statuit priuationem officij, vel beneficij, aut confiscationem bonorum, non habet eam vim, vt commisso crimine statim officium, vel beneficium vacet, aut statim bona ad fiscum pertineant, ita vt reus ipse teneatur ea dimittere ante sententiam iudicis. 48

Idque etiamsi in lege dicatur: Ipso facto sit priuatus. S.Thom. 2.2.q.62.art.3. Caietan.*ibidem*, Adrian. *quodlib.*6.*art.*1.Sotus *de iust.lib.*1.*q.*6.*art.*6. Couar. *de matrim.part.*2.*cap.*6. §.8. *num.*9. *& seqq.* & alij, quos suprà dicebam.

Et etiam si in lege dicatur: *Ipso facto sit priuatus, absque alia declaratione.* Sotus & Couar. *in locis suprà citatis*, & Henriq. *de excommun. cap.*56. præter alios quos suprà etiam citabam.

Qui expressè tenent, adhuc in tali casu non vacare, sed adhuc in tali casu requiri sententiam declaratoriam criminis, subduntque clausulam illam, *absque alia declaratione*, intelligendam esse de declaratione, qua declaretur, pœnam esse incursam, non autem de *declaratione*, qua declaretur, crimen esse commissum: Quæ explicatio licèt videatur aliquantulum extorta, & violenta, vsu tamen ipso comprobatur; cùm sic de facto receptæ sint similes leges, vt scilicet ante declarationem criminis possessores non teneantur resignare quod possident: Quinimò vsus habet, quod nisi executio fiat per sententiam, itavt per eam non solùm declaretur crimen, sed etiam reus ipse priuetur officio, beneficio, vel aliis bonis supradictis, non censeatur omninò priuatus. Doctores apud Couarruuiam *loco suprà citato.* 49

Objicies: pœna conuentionalis, scilicet moderata, post moram scilicet culpabilem, eamque notabilem, debetur in foro conscientiæ ante iudicis sententiam: ergo & pœna legalis atque iudicialis. 50

Respondetur: Transeat antecedens; quia pœna conuentionalis debetur ex vi pacti initi inter contrahentes, sicque communia hominum sensus eam accipit: Quapropter multùm differt hæc pœna conuentionalis à pœna legali, & iudiciali, quæ non debetur, vti dicebam, ante sententiam; quia non est ca vi pacti, & promissionis rei, sed ex præcepto iuris, aut iudicis delictum punientis. Syluest. *verb.pœna, n.*14. Couar. *in epitom.*4. *decret.*2. *part. cap.*6. §.8. *num.*55.& Molina *de iustitia, disp.*97.

Qui rectè subdunt, quod sicut non debetur pœna si legalis, & iudicialis ante sententiam iudicis, sic etiam non debeatur pœna conuentionalis ante exactionem partis, seu creditoris, cuius exactio hîc supplet vicem iudicis, cùm sit nimis durum, & moribus hominum non satis accommodarum, quod debeatur ante exactionem; sit tamen æquum, quod debeatur parte, seu creditore exigente, quia debetur ex pacto: Quapropter sicuti non licet resistere iudici iubenti, sic etiam neque licebit resisti

resisti parti, seu creditori pœnam conuentam exigenti.

52 Dixi, *transeat antecedens*, quia ex sententis Adriani *quodl.6. art.1.concl.3.illat.3.* Lop. *de contr. lib.1.c.31.& lib.1.c.34.* Nau. *in sum.c.33.n.68.* Sanch. *de matr. lib.1. disp.57.* & aliorum, neque pœna conuentionalis debetur in foro conscientiæ, priusquam debitor talis pœnæ teneatur ad eam soluendā, etiam per sententiam iudicis.

Quod quidem non est omninò improbabile, non tam ex eo, quia sicuti quidam volunt, eùm etiam pœna hæc conuentionalis sit contra voluntatem, ipsius etiam conditio naturalis requirit, vt neque ipsa etiam debeatur, nisi debitor ipsius etiam per sententiā iudicis cogatur, quod enim ex pacto debetur, non videtur requirere sentētiam iudicis, qui cogat, sed potiùs ex eo, quia hæc videtur esse contrahentium, & pœnam apponentium, nisi aliud exprimant, mens & intentio, vt scilicet neque pœna hæc conuentionalis debeatur in conscientia, nisi debitor talis pœnæ etiam ad illam soluendam per sententiam iudicis cogatur: Ideò enim videntur apponere pœnam, vt scilicet sic secum contrahentem cogant ad seruandam fidem, vtque scilicet sic ius habeant compellendi eum ad soluendam pœnam, si fidem non seruauerit.

53 Cæterùm pœna conuentionalis, idemque dicas de pœna legali, & iudiciali, simpliciter non debetur in conscientia, nisi sit moderata iuxta mensuram culpæ, & nisi sit etiam post moram culpabilem, eamque notabilē.

Probatur quoad primum, quia si pœna sit immoderata, iniquè quis cogitur in eam consentire, ac proinde non potest exigi, qua parte iustum modum excedit.

54 Hinc pactum legis commissoriæ in pignoribus, scilicet vt pignus sit creditoris, si certo tempore debitor debitum non soluerit, est iure prohibitum, *cap. significante, de pignorib. & l. 1. & 2. de pact. pignor.*

55 Hinc etiam, si pars debiti soluta fuerit, non potest exigi tota pœna, sed pars tantùm, quæ scilicet parti debiti non soluti proportionabiliter correspondeat.

56 Probatur quoad secundum, quod scilicet pœna simpliciter neque debeatur in conscientia, nisi sit etiam post moram culpabilem, itavt debitor, v.g. verè sit in culpa, non soluendo debitum, quia sine culpa non potest imponi pœna, siue sit iudicialis, quæ per sententiam imponitur à iudice, siue legalis, quæ imponitur à lege, siue conuentionalis, quæ imponitur ex constitutione partium.

57 Hinc non tenetur quis ad pœnam, si contractus, cui apposita est pœna, sit Iure irritus, quia sine peccato potest talis contractus non seruari; quamvis si prædictus contractus sit iuramento confirmatus, pœna forsan tunc potest exigi, quia forsan tunc contractus obligat, ac proinde eius violatio forsan tunc esset peccatum, quod pœnam meretur.

58 Hinc etiam non tenetur quis ad pœnam, si soluendo factus sit impotens, siue sine culpa sua, siue etiam culpa sua, dummodò tamē nullo modo aduerterit, quod ex negligentia, vel ex actione sua culpabili, v.g. ex ludo, vel ex commessatione secutura sit soluendi impotentia, secus si aduerterit; quia tunc non soluere est culpabile, vtpote volitum in causa culpabili. Videatur Nauar. *c.17.n.215.*

59 Probatur quoad tertium, quod scilicet pœna simpliciter neque debeatur in conscientia, nisi sit etiam similiter post moram culpabilem, eamque notabilem, quia vnius diei, vel etiam vnius hebdomadæ spatium ordinariè non debet esse sufficiens ad pœnam incurrendam, quamvis hîc spectari debeat qualitas negotij, & consuetudo Prouinciæ; quia si concessum fuerit spatium sufficiens, intra quod solutio facta non sit, poterit tunc, etiamsi vel vnus dies excesserit, exigi pœna, si rigore Iuris vti velit is, cui debetur pœna.

60 Obijcies secundò: quam ergo vim habent huiusmodi Bullæ, Constitutiones, aut leges, quibus aliquis ipso iure priuatus est Officio, vel Beneficio, siue propter crimen, siue propter adeptionem alterius beneficij incompatibilis, vel quibus aliquis ipso iure priuatus est bonis, siue propter eorum confiscationem, siue ex eo, quod ea ceciderunt in commissum ipso Iure.

Respondent communiter sic DD. Prædictæ Bullæ, constitutiones, aut leges efficiunt hoc, vt is qui ipso iure priuatus est, statim amittat titulum, ius scilicet illud firmum, quod accepit per collationem, quo aliàs non poterat inuitus priuari, itavt non sit amplius Dominus beneficij, retineat tamen possessionem priorem, qua priuari non potest, nisi causa cognita, sicuti docet Glossa *in c.licèt Episc. de præbend. in 6.* Et quamvis ille textus solùm loquatur in casu adeptionis beneficij incompatibilis; tamen Glossa, & alij DD. quos ibi citat, volunt quod sit eadem ratio in cæteris, quotiescumque scilicet quis ipso iure priuatus est re aliqua, quam possidet, eùm sic quamplurimùm expediat ad pacem, & tranquillitatem communem: quo titulo amisso retinet adhuc, vt dicebatur, Officij, vel Beneficij possessionem priorem, quam antè habebat, propter rationem dictam.

Et quidem si iure permittente illam retineat, itavt ius non obliget ipsum ad illam deserendam, vocatur *possessio Iuris*; si verò ius resistat illi possessioni, obstringens reum ad illam deserendam, vocatur possessio facti. Retinet igitur & is, qui ipso Iure priuatus est Officio, vel Beneficio, possessionem iuris, sicque & vsum talis Officij, vel Beneficij, donec secuta sententia declaratoria, per istam prædicta possessione Iuris, & prædicto vsu eiusdem Officij, vel Beneficij quoque spolietur. 61

Simili modo, quando quis ipso iure priuatus est bonis, siue per confiscationem eorum, siue ex eo, quia ea ceciderunt in commissum ipso iure, statim amittit etiam prædictorum bonorum, quæ sunt confiscata, vel in commissum ceciderunt ipso iure, dominium, & proprietatem, statimque eam acquirit fiscus, vt expressè habetur *in cap. cùm secundum leges, de hæret. in 6.* & in aliis iuribus. Retinet tamen similiter, qui ipso iure priuatus est bonis, possessionem iuris: sicque & vsum talium bonorum, donec similiter secuta sententia declaratoria, per istam prædicta possessione iuris, & prædicto vsu eorundem bonorum etiam spolietur.

Hinc sit quod executio retrotrahatur vsque ad tempus commissi criminis, quia ex illo tempore titulus Officij, vel Beneficij est amissus, & ex illo tempore dominium, seu proprietas bonorum translata est ad fiscum, & consequenter omnes fructus ex illo tempore percepti, spectant ad eundem fiscum. 62

Interim tamen, quia is qui ipso iure priuatus est officio, retinet Officij possessionem iuris, sicque & vsum, subdunt prædicti communiter DD. quod si iste talis iudicium exerceat, & ferat sententiam, non vsurpet iudicium, quin & faciat acta valida, inualidanda tamen post secutam sententiam. Item quod propter eandem rationem si is, qui ipso iure priuatus est beneficio, resignet, vel permutet beneficium, faciat similiter actus validos, inualidandos tamen similiter post secutam sententiam. Item quod propter eandem etiam rationem, si is qui ipso iure priuatus est bonis, de illis disponat, quin & illa alienet, faciat etiam similiter actus validos, inualidandos tamen etiam similiter post secutam sententiam. 63

At quoniam non facilè intelligibile est, quomodo quis solùm retineat officij possessionem, quæ etiam sit iuris, nedum facti, & interim faciat acta valida: item quomodò quis solùm retineat beneficij possessionem, quæ etiam sit iuris, nedum facti, & interim validè resignet, vel permutet beneficium: item quomodò quis solùm retineat bonorum possessionem, quæ & similiter etiam sit iuris, nedum facti, & interim validè de illis disponat, quin & validè illa alienet. Ideò meliùs, & commodiùs contra communem DD. opinionem dico, quod is, qui ipso iure priuatus est Officio, vel Beneficio, non solùm retineat officij, vel beneficij possessionem, quæ sit iuris, sed etiam retineat titulum officij, vel beneficij: similiter quod is, qui ipso iure priuatus est bonis, non solùm retineat bonorū possessionem, quæ sit iuris, sed etiam dominium, & proprietatem bonorum, 64

non quidem completè, & simpliciter, cum iam ipso Iure priuatus sit Officio, Beneficio, vel bonis, &c. sed incompletè, seu secundùm quid, donec scilicet ponatur sententia iudicis, qua posita, completè, & simpliciter priuetur Officio, beneficio, vel bonis, &c. Et executio retrotrahatur vsque ad tempus commissi criminis; sicque omnes actus, & contractus ex illo tempore celebrati inualidentur, & consequenter omnes fructus, etiam ex illo tempore percepti spectent ad fiscum.

66 Cæterùm cùm dixi, quod pœna non debeatur in conscientia ante sententiam iudicis.

Excipe forsan primò, si sic in lege dicatur, *ipso facto sit priuatus*, vt exinde clarè constet, quod talis fuerit mens legislatoris, v.g. si addatur, teneri in conscientia dimittere, vel non posse absolui, nisi dimittat, vel bona, officium, aut beneficium, &c. eo ipso vacare, itavt alteri liberè conferri possint, sicut in casu *cap. dudum, 2. de elect.* quando scilicet quis accipit secundum beneficium incompatibile.

67 Excipe secundò, si simus in censuris (vt in excommunicatione, suspensione, vel interdicto, & etiam in irregularitate) quæ possunt executioni demandari absque hominis actione; quia sic vsu, & consuetudine, quæ est optima legum interpres, receptum est, vt ipsæ scilicet ante vllam iudicis sententiam obstringant in conscientia, & meritò propter rationem iam dictam.

68 Excipe tertiò, si simus in pœnia testamentariis, vt si v.g. testator relinquat suorum bonorum vsumfructum, vel quid aliud vxori, si castè vixerit, vel si ad secundas nuptias non transierit; quia hoc ipso, quod vxor, etiam occultissimè castè non vixerit, vel ad secundas nuptias transierit, tenetur in conscientia ante vllam sententiam iudicis, quidquid à testatore relictum habet, hæredi consignare; cùm pœnæ testamentariæ non sint propriè pœnæ, sed propriè conditiones, sub quibus sic, & sic testator de suis bonis disponit, seu sic & sic vult, quod bona sua ad quempiam spectent, & non aliter: consequenter vt quis ad huiusmodi pœnas in conscientia teneatur, non requiritur vlla sententia iudicis, sicut neque in vlla alia eiusdem, vel alterius testatoris dispositione, quæcumque fuerit.

69 Excipe quartò, ex probabiliori sententia Doctorum, si simus in pœna conuentionali; quia pœna conuentionalis ex probabiliori sententia Doctorum in conscientia debetur ante sententiam iudicis, post tamen exactionem partis, scilicet eius, cui talis pœna debetur, vti suprà dicebam.

COROLLARIVM.

Qualis debeat esse praxis Confessarij circa absolutionem Clerici sodomiam exercentis?

SVMMARIVM.

1 *Clericus si sodomiam non exerceat, sed bis, ter, vel quater tantùm eam commiserit, absque dubio à Confessario absolui potest.*

2 *Clericus, si exerceat sodomiam, licèt nonnulli velint, quod tunc absolui non possit, nisi per ipsum Confessarium, vel alium virum secretum nouam Officij, Beneficij, vel dignitatis prouisionem procuret: Probabilius tamen est, quod adhuc absque noua prouisione in conscientia absolui possit; quia non tenetur in conscientia pœnas Bullæ Pij V. subire ante sententiam Iudicis criminis declaratoriam.*

3 *Bulla Pij V. quoad forum internum probabile est, quod non sit vsu recepta.*

4 *Clericus sodomita occultus non est suspensus, sicque si celebret, non fit irregularis, contra aliquos Doctores oppositum sentientes; quia nullum delictū, quantumuis sit enorme, etiam degradatione dignum, si non fuerit notorium, præter homicidiū, inducit irregularitatem.*

5 *Sodomia licèt ratione infamia inducat irregularitatem, quia est crimen enormissimum; sicut tamen si non est publicum, sed occultum, quia crimen occultum non parit infamiam.*

6 *Idē dic de quolibet alio crimine, cui annexa est infamia.*

7 *Constitutio Pij V. contra Clericos sodomiam exercentes, non imponit pœnam suspensionis, & irregularitatis, sed alias.*

8 *Constitutio prædicta Pij V. quoad forum internum non est vsu recepta.*

9 *Sodomita occultus non est suspensus, sicque celebrando non efficitur irregularis; ita neque est prohibitus suscipere Ordines, vel obtinere beneficia.*

10 *Clericus sodomita, seu sodomiam exercens, etiam occultus, licèt secundùm aliquos Doctores sit suspensus ab Ordinis executione, sicque si postea etiam peracta pœnitentia ministret, efficiatur irregularis solùm à Papa dispensandus: tamen omninò dicendum est oppositum; quia nullum crimen, quamvis enorme, excepto homicidio, licèt occultissimo, irregularitatem inducit.*

11 *Clericus sodomita occultus neque dicendus est irregularis propter criminis enormitatem.*

12 *Sodomita notorius cum sit infamis, est etiam irregularis, neque potest obtinere beneficia, ob eandem rationem.*

13 *Sodomita notorij omnia bona confiscantur.*

14 *Sodomita etiam notorius non potest testari.*

15 *Clericus sodomita non solùm agens, sed etiam patiens incurrit pœnas latas in constitutione Pij V. quia vterque dicitur sodomita, & in correlatiuis quod disponitur de vno, censetur dispositum de altero.*

16 *Reseruata sodomia, secundùm aliquos, vterque tam agens, quàm patiens venit sub reseruatione, quamvis de patiente opinio opposita non sit omnino improbabilis, eo quòd patiens, vt patiens, potius dicitur mollis, quàm sodomita.*

17 *Mollis dupliciter dicitur, vel quia peragit in se pollutionem voluntariam, vel quia patiens est cum aliis.*

18 *Discrimen magnum est inter agentem & patientem ex diuersitate grauitatis delicti, & pœna in vtroque foro.*

19 *Sodomia reseruatio, secundùm Graffium, extenditur tantùm ad agentem.*

Respondetur ex dictis: si Clericus sodomiam non exerceat, sed bis, ter, vel quater tantùm eam commiserit, absque dubio absolui potest; si verò exerceat, scilicet frequenter, seu quasi continuè eam commiserit, licèt nonnulli velint, quod tunc absolui non possit, nisi per ipsum Confessarium, vel alium virum secretum nouam Officij, Beneficij, vel dignitatis, &c. prouisionem procuret. Probabilius tamen est, quod adhuc absque noua prouisione in conscientia absolui possit; quia sicuti dicebam, Clericus sodomiam exercens non tenetur in conscientia pœnas istius Bullæ Pij V. subire ante sententiam Iudicis declaratoriam. Accedit quod, vt suprà etiam dicebam, probabile præterea est, quod dicta Bulla Pij V. quoad forum internum non sit vsu recepta: Quapropter ob istas ambas rationes dictas satis probabile erit, quod Clericus sodomiam exercens, si sit contritus, possit etiam retento Officio, Beneficio, vel dignitate, &c. in conscientia absolui absque eo, quod interim prouisionem vllam nouam procuret. 1 2 3

ADVERTENDVM VI.

An virtute prædicta constitut. Pij V. Clericus sodomita occultus sit suspensus; sicque si celebret, fiat irregularis.

Aduerte sextò, quod licèt virtute dictæ constitutionis Pij V. Clarus in *§. sodomia, n. 5.* Follet. *in praxi crimin. Canon. part. 6. n. 37. n. 11.* Causlc. *dec. 13. n. 15. part. 5.* Couar. *in Clem. si furios. part. 1. §. 1. n. 6.* Franc. Marc. *p. 2. dec. 687. n. 16.* Lambert. *de iurepatron. part. 1. lib. 2. q. 2. art. 18. n. 4.* Salzed. *in addit. ad practicam crimin.* Bernard. Diaz, *cap. 88.* Alterius *de censur. tom. 2. disp. 15. cap. 3. in princip.* & Delph. *decis. 687. num. 6. part. 2.* putent, Clericum sodomitam occultum esse suspensum; sicque si celebret, fieri irregularem, cum quo solus Papa possit dispensare: dicendum tamen sit oppositum, Clericum 4

Clericum scilicet sodomitam occultum non esse sus-
pensum, nec vllo modo irregularem, quia nullum deli-
ctum, quantumvis sit enorme, etiam degradatione di-
gnum, si non fuerit notorium, præter homicidium,
inducit irregularitatem, *cap. ex tenore, de temporib.* &
5 *cap. finali, eodem titulo:* licèt igitur sodomia ratione
infamiæ induceat irregularitatem, *cap. infames 6. q. 1.*
quia est crimen enormissimum, *cap. adulterium 32.*
q. 7. Nihilominus si non sit publicum, sed occultum,
non inducit irregularitatem, quia crimen occultum
6 non parit infamiam; secus si sit publicum, vti iam *sup.*
dicebam: quæ doctrina procedit in omni alio crimi-
ne, cui à Iure annexa est infamia, vti sunt vsuræ vsu-
rarom, periurium in iudicio, simonia, sacrilegium,
duellum, hæresis, eiusque fauor, crimen læsæ Maie-
statis, hostilis persecutio Cardinalium, & similia.
7 Confirmatur, quia in dicta Constitutione Pij V.
non imponitur pœna suspensionis, vel irregularitatis;
sed imponuntur aliæ pœnæ, quod scilicet sodomiam
exercens omni Clericali priuilegio, officio, dignitate, &
beneficio priuetur, quodque degradatus potestati sæ-
culari tradatur. Atque sic tenent Nauar. *cap. 27.*
n. 249. Lazatius *de sodomia, num. 3.* Aretinus *in cap.*
cùm non ab homine, de Iudiciis, num. 90. Vgolinus *de*
irregularitate, cap. 43. §. 1. num. 4. Prosper de Augu-
stino *in addit. ad summam Bullary Quaranta, verb. So-*
domia, limit. 1. Valent. *tom. 4. disp. 7. q. 19. punct. 3. de*
quinta specie irregularitatis, Petrus Ledesma *in summa,*
2. part. tract. 27. cap. 15. concl. 3. Floronus *de casib. re-*
seruat. part. 1. cas. 7. n. 7. Sayr. *de censur. lib. 1. cap. 13.*
num. 18. Fincll. *de casib. reseruat. cas. 9. n. 6.* Ortiz *in*
summa, cap. 17. n. 114. Graffius *lib. 1. cap. 89. num. 2.*
Ludouicus Lopez *tom. 2. cap. 23.* Rodericus *in summa,*
tom. 1. cap. 209. n. 1. Henriquez *in summa, lib. 13. c. 36.*
& lib. 14. cap. 5. §. 1. Campanil. *in diuers. iur. Canonic.*
rubr. 11. cap. 22. n. 9. Gareias *de benef. part. 11. c. 10.*
n. 195. Auila *de censur. part. 2. disp. 5. dub. 3. & part. 7.*
disp. 4. dub. 7. concl. 7. Toletus *lib. 1. cap. 74. num. 3.*
Coninch *de sacrament. disp. 18. dub. 7. n. 56.* & Barbo-
sa *de offic. Episcop. part. 2. allegat. 43. num. 27. & in*
collectan. tom. 2. lib. 5. tit. 31. cap. 4. num. 5.
8 Vt omittam, dictam constitutionem Pij V. ex pro-
babili sententia Doctorum, quoad forum internum
non esse vsu receptam. Et tenent Vgolinus, Henri-
quez, Prosper de Augustino, Rodericus *in locis su-*
prà citat. Azorius *tom. 2. Instit. moral. lib. 7. cap. 18. cir-*
ca finem, Graffius *in decis. lib. 2. cap. 90. num. 14.*
Auila *de censuris, part. 7. disp. 4. circa fin.* Campanilis
citata rubrica 11. cap. 23. num. 13. Sayr. *lib. 7. cap. 23.*
n. 24. Belloch. *de casib. reseruat. part. 1. quæst. 1. n. 221.*
Suarez *de censur. disp. 31. sect. 4. n. 12.* Filliuc. *de casib.*
reseruat. part. 2. cap. 7. §. 1. num. 3. & Barbosa *citata*
allegat. 44. num. 16. contra Nauarrum *in summa, c. 17.*
num. 249. Gambatuptam *de casib. reseruat. cas. 2. n. 4.*
& alios.
9 Hinc sequitur, quod sicut Clericus sodomita, seu
sodomiam exercens occultus, non est suspensus, sicque
si celebrat, non efficitur irregularis, ita neque est pro-
hibitos suscipere Ordines, vel obtinere beneficia,
Achill. de Grass. *decis. vnica, titulo de pœnis,* Campanil.
dicto cap. 22. num. 19. & alij quos sequitur Barbosa
loco suprà citato, num. 28.
10 Quamvis igitur nonnulli velint, quod Clericus so-
domita, seu sodomiam exercens, etiam occultus, ipso
iure sit suspensus ab ordinis executione, sicque si po-
stea (etiam post peractam pœnitentiam) ministret,
efficiatur irregularis, in qua irregularitate solus Papa
potest dispensare: tamen omninò dicendum est oppo-
situm, quia sicuti dicebam, nullum crimen, quam-
vis enorme (excepto homicidio, licèt occultissimo)
irregularitatem inducit, *cap. ex tenore, de tempor. ord.*
vbi expressè dicitur, quod ex nullo crimine, quorum-
cunque graui, etiam degradatione digno, inducatur sus-
pensio ab Ordinibus suscipiendis, vel irregularitas ab
Ordinibus susceptis, *& c. fin. eod. tit.* vbi expressè ha-
betur, quod propter grauissima crimina, vt adulterium,
periurium, &c. excepto homicidio, non debeat quis
post pœnitentiam à susceptione, vel ab vsu ordinum
impediri, nisi in iudicio prædicta crimina probata,
vel notoria fuerint.
Non obstat, si dicas cum aduersariis, Clericum so- 11
domitam, seu sodomiam exercentem, etiam occultum,
esse irregularem, non ob canones, & iura (cùm nulla
sint, quæ talem irregularitatem inducant) sed propter
enormitatem, & grauitatem criminis.
Respondetur enim, id minùs rectè dici, quia *ex c. is*
qui, de sent. excommun. in 6. nulla irregularitas induci-
tur, nisi expressa reperiatur in iure, quæ tamen in casu
nostro expressa non reperitur, sicuti patet ex dictis.
Quod si tamen est sodomita notorius, tum cùm sit 12
infamis, Cardosus *in praxi iudic. verb. Sodomia, num. 8.*
Donell. *comment. iur. ciuil. lib. 18. c. 7. col. 1.* & Barbos.
de offic. Episc. part. 2. alleg. 45. n. 7. & seqq. sicque irregu-
laris, Nauar. *in sum. c. 27. n. 204.* Villadiego *de irregul.*
c. 11. n. 31. Henriq. *lib. 14. cap. 5. §. 3.* Roderic. *tom. 1.*
quæst. regular. q. 24. art. 6. Auila *de censur. part. 7. disp. 4.*
dub. 5. & 7. Hier. Llamas *in methodo, c. 12. §. 10.* Valent.
tom. 4. disp. 7. q. 15. punct. 3. in 1. specie irregularitatis,
Sayr. *de censur. lib. 7. c. 11. n. 6. & 11. c. 12. n. 11.* Tolet.
lib. 1. c. 62. Vgolin. *de irregularitate, cap. 60.* & alij pas-
sim, neque potest suscipere ordines, *cap. infamis, cap. fi-*
nali, 51. dist. & c. accusatum, de simonia, & docent Gar-
cias *de benef. part. 7. c. 8. num. 5.* Viuald. *in appendice ad*
candelabrum aureum, c. 10. n. 3. Campanil. *in diuersorio*
iur. Canon. rubr. 11. c. 18. n. 1. & seqq. & Bellet. *part. 1. dis-*
quisit. Cleric. §. 10. quia infamibus portæ dignitatum, &
honorum, qualis est ordo, *c. admittentur, dist. 54. cap. 1.*
de obligat. ad ratiocin. & l. Officiales, Cod. de Episcop. &
Cleric. patere non debent, *c. infamibus, de reg. iur. in 6.*
Neque potest obtinere beneficia, ob eandem ratio-
nem: vnde collatio beneficij facta infami est Inualida.
Abbas *in cap. Querelam, de iureiur. n. 3. & in c. super eo,*
de elect. n. 5. & in cap. inter dilectos, de excessib. Prælat.
n. 6. Sylu. *verb. infamia, n. 15.* Armil. *eodem verb. n. 4. &*
in fin. Lambert. *de iurepatr. part. 1. lib. 2. q. 9. art. 16. n. 3.*
& 10. Parisius *lib. 4. de resign. benef. q. 3. n. 2.* Selua *de*
benef. part. 3. q. 2. & q. 5. n. 31. Suarez *de Relig. tom. 2.*
tract. 5. lib. 5. cap. vltim. n. 4. & 5. Zech. *de Beneficiis, &*
pension. cap. 3. vers. 2. si collatio, & Auila *de censuris,*
part. 7. disp. 4. dub. 7.

ADVERTENDUM VII.

An sodomitæ, scilicet notorij, omnia bona confiscentur?

Aduerte septimò, quod sodomitæ, scilicet notorij, 13
omnia bona confiscentur, Menoch. *de arbitr. cas. 286.*
num. 9. Peregrin. *de iur. fisc. lib. 5. tit. 1. n. 169.* Gomez
in l. 80. Tauri, n. 32. circa finem, & alij passim.

ADVERTENDUM VIII.

An sodomita, scilicet etiam notorius, non possit testari?

Aduerte octauò, quod sodomita, scilicet etiam no- 14
torius, non possit testari. Dec. *in l. 2. Cod. de secund. nupt.*
n. 8. Gulielm. *in c. Raynutius, verb. mortuo, n. 139.* Couar.
in Clement. si furiosus, part. 1. §. 1. n. 6. Menoch. *loc. sup. cit.*
n. 10. & cas. 560. n. 59. Campan. *in diuersorio iur. Canon.*
rubr. 11. c. 22. n. 4. Delph. *decis. 892.* & alij quos sequi-
tur Ricc. *in collect. decis. part. 1. collect. 184. circà fin.*

ADVERTENDUM IX.

An pœnas prædictæ constitutionis Pij V. contra Clericum
sodomitam latas incurrat Clericus non solùm
agens, sed etiam patiens?

Aduerte 9. quod pœnas prædictæ constitut. Pij V. 15

contra Clericum sodomitam latas incurrat Clericus, non solùm agens, sed etiam patiens. Floron. *de casib. reseruat. cap. 2. cas. 7. §. 1. n. 6.* Riccius *in praxi, tom. 5. resol. 57. n. 7.* Coriolan. *tract. de casib. reseru. part. 2. cas. 9. §. 10. n. 30.* Bonacina *tract. de matrim. q. 4. punct. 11. n. 2.* & Fioell. *de casib. reseruat. cas. 9. n. 5.* quia tam Clericus agens, quàm patiens dicitur sodomita; & iura pœnas
1 infligentia contra sodomitam, loquuntur tam de agente, quàm de patiente, sicuti patet *ex l. cùm vir, Cod. de adulter. §. 1. authent. vt non luxurientur contra naturam.* Et meritò, quia in correlatiuis quod disponitur de vno, censetur dispositum de altero.

16 Hinc Bonacina, & Finellios *in locis suprà citatis*, putant in casum sodomiæ reseruatum incurrere non solùm agentem, sed etiam patientem.

17 Quamvis non improbabiliter dici possit contrarium, eo quòd patiens, vt patiens, non propriè dicitur perpetrare, vel exercere sodomiam, neque propriè dicitur sodomita, sed mollis, iuxta illud Apostoli *1. Corinth. 6. Neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores Regnum Dei possidebunt:* vbi Glossa, quam sequitur S. Thomas *2. 2. q. 138. art. 1. ad 1.* & Caietan. *in sum. verb. mollities, in fine*, exponens ait, quod mollis dupliciter dicatur, vel quia peragit in se pollutionem voluntariam, vel quia patiens est cum aliis.

18 Accedit, quod non solùm ex diuersitate vocabuli, sed etiam ex diuersitate grauitatis delicti, & grauitatis pœnæ magnum discrimen est inter agentem, & patientem. Quandoquidem, vt annotauit S. Antonin. *part. 3. tit. 17. c. 17. §. 4.* quoad forum internum maius est delictum agentis, quàm patientis, & quoad forum externum maior pœna imponitur agenti, quàm patienti: & ex alio capite in odiosis non semper, præsertim in foro interno, quod disponitur in vno ex correlatiuis, disponitur in altero, sicuti dicebam *suprà in aduertendo 3.*

19 Hinc Iacobus de Graff. *de casib. reseru. lib. 1. cap. 11. n. 7. 8. & 26.* & alij putant, sodomiæ reseruationem extendi solùm ad agentem, & non ad patientem.

SECTIO XXXV.

An Religiosus eiectus è Religione teneatur ad illam redire?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, si sit eiectus à Religione ad tempus, tunc tenetur se emendare, & rursus se offerre Religioni, vt de nouo recipiatur.*

2 *Eiectus è Religione per sententiam secundùm aliquos non tenetur se offerre, neque potest ad id compelli per Superiorem Monasterij; quia contractu rescissa per eiectionem, tollitur omnis obligatio Religiosi.*

3 *Iudex post latam sententiam absolutè, cum iam functus fuerit officio suo, nullam ampliùs iurisdictionem habet in illam causam, de qua iudicauit.*

4 *Iudex non potest ferre sententiam extra territorium, in quo iurisdictionem non habet.*

5 *Iurisdictionis propter defectum non tenetur quis obedire Iudici ferenti sententiam extra suum territorium.*

6 *Clericus citatus à Iudice laico, non tenetur comparere coram illo.*

7 *Textus* in cap. vltimo, de Regular. *intelligendus est de eiectis iniustè, vel inordinatè, vel saltem non per sententiam diffinitiuam, sed solùm ad tempus: vel illius dispositio secundùm alios non est vsu recepta, quo casu non obligat.*

8 *Textus prædicti dispositio secundùm Syluestrum, & alios intelligenda est, si sine detrimento Religionis eiecti reuocari possint, quia si non esset spes emendationis, & eorum reuocatio Religioni detrimentum afferre potest, tunc prædicta dispositione non obligantur Prælati ad prædictos eiectos reuocandos.*

9 *Textus prædicti dispositio secundùm alios intelligenda esset, quando eiectos reuocare non esset contra Regulas, vel constitutiones alicuius Religionis.*

10 *Textus prædicti dispositio secundùm alios non est vsu recepta; quamuis summus Pontifex possit statuere, vt Superiores procurent eos ad religionem reuocare.*

11 *Obligatio requirendi singulis annis Religiosos fugitiuos, & eiectos imponitur omnibus Superioribus Religionis, atque etiam immediatis Superioribus Monasterij.*

12 *Abbatum nomine in dicta constitutione intelliguntur primo loco Abbates, Priores, aut Visitatores, aut qui præsident Conuentibus, & Comitiis, scilicet Capitulis generalibus celebrandis; & secundo loco intelliguntur Abbates, & Priores minores singulis Monasteriis, Cœnobiis, Domiciliis, aut Collegiis præfecti.*

13 *Locorum competentium nomine, in quibus* d. c. finali de Regular. *præcipitur Prælatis, vt dictos eiectos apud eadem, vel alia eiusdem religionis Monasteria retineant, intelliguntur carceres, aut similes domus, in quibus prædicti eiecti in pœnam suorum delictorum ab aliis Religiosis seiuncti vitam degant.*

14 *Religiosus etiam eiectus per sententiam, probabilius est quod teneatur redire ad Religionem, præsertim si à suis Superioribus ad id requiratur.*

15 *Religiosus si nolit redire, potest, & debet excommunicari tanquam contumax; quia ex vi votorum, & professionis suæ tenetur manere in Religione sua quamdiu vixerit, & priùs in tantùm excusabatur, in quantum non poterat redire.*

16 *Eiectus per eiectionem non soluitur à vinculo votorum Religionis, neque ab obligatione tendendi ad perfectionem, atque adeò se corrigendi, & redeundi ad religionem; & licèt per eiectionem eximatur à vita communi, qua tenditur ad perfectionem, non autem liberatur ab obligatione de tendendo ad ipsam.*

17 *Coniux nocens facto diuortio per sententiam diffinitiuam, si coniux innocens velit eum in gratiam recipere, & sibi reconciliare, tenetur redire, consequenter etiam religiosus per sententiam absolutè eiectus tenebitur reuerti, si religio illum velit repetere, quia coniux innocens non est per diuortium priuatus Iure suo.*

18 *Professio sicut est spirituale coniugium, ita eiectio è religione est spirituale quoddam diuortium.*

19 *Sententia lata in religiosum eiectum à Prælatis Regularibus, licèt absoluat religionem ab obligatione illum retinendi, non tamen absoluit eiectum ab obligatione permanendi in religione, neque tamen dicta sententia est iniusta, quia debet fauere innocenti, & non reo.*

20 *Eiecto è religione non conceditur libertas per sententiam latam suæ eiectionis, quia per eam libertas conceditur solùm Religioni, vt non teneatur eiectum ampliùs recipere, cùm prædicta sententia lata sit in fauorem religionis innocentis.*

21 *Religio per sententiam latam non cessit iuri, quod habetur in religiosum eiectum; quia solùm per sententiam latam liberata fuit ab onere illum alendi, & retinendi.*

22 *Religiosus quamvis sua culpa eiectus fuerit è religione, per eiectionem tamen ipsius culpa punita fuit; at hinc non sequitur, quod non possit cogere religiosum ad redeundum, per hoc enim eiectus non iterum punitur, sed adhuc iustè cogitur.*

23 *Seruus si à Domino ejiciatur, efficitur sui iuris, neque ampliùs est sub potestate Domini, qui possit illum iterum redigere ad seruitutem; at non sic religiosus, quia religiosus ob professionem emissam non potest à vinculo voti liberari, nec per eiectionem desinit esse religiosus.*

24 *Superiores non possunt eiecto, cùm eum ex ipsorum potestate, cura, & obedientia eiecerint, quidquam præcipere. At non sequitur ex hoc, quod non possint eum cogere ad redeundum; quia eiectus licèt in aliis non teneatur obedire suis Superioribus, qui ipsum extra ipsorum curam proiecerunt. Nihilominus si à suis Superioribus iubeatur, quod redeat ad Religionem, tenebitur obedire; quia in substantia remanet Religiosus.*

25 *Dispositio* in cap. finali, de Regular. *per quam Superiores possunt cogere etiam censuris eiectum ad redeundum, non potest dici, quod non sit vsu recepta; quia est innouata in Decreto de apostatis, & eiectis. Neque est eadem ratio de seruo manumisso, quia facta manumissione remanet omninò liber: At in eiectis remanet obligatio votorum.*

26 *Religio tamen non tenetur recipere ejectos, nisi sit spes euidens emendationis, & sic etiam perquirere, & reducere non tenetur, nisi sit eadem spes: cùm enim per sententiam sint declarati incorrigibiles, præsumptio stat pro re iudicata.*

1 SVppono, quod si solùm eiectus sit ad tempus (vt scilicet se emendet) tunc absque dubio tenetur se emendare, seque habilem reddere, & rursùs se offerre Religioni, vt denuò recipiatur: difficultas igitur est, an si sit eiectus per definitiuam sententiam absolute; & tunc in isto casu

2 Quidam, vt Nauarrus *consil.*78. *num.* 2. & *consil.*80. *numero etiam secundo de Regularib. & in cap. Non dicatis, de Regular. comment.*2. *num.*33. *& seqq.* Sayrus *in Thesauro casuum, tom.*2. *lib.*6. *cap.*9. *n.*26. Azorius *tom.*1. *Institut. moral. lib.*12. *cap.*16. *quæst.*6. *& cap.*17. *quæst.*1. Villalob. *part.*2. *sum. tract.*35. *diffic.*39. *num.*2. Rodrig. *tom.*2. *quæst. Regular. quæst.*30. *art.*21. Diana *part.*3. *tract.*2. *resol.*6. & alij, quorum sententiam probabilem vocat Sorbus in Priuilegiis mendicantium, verbo *ejicere, in principio*, tenent quod eiectus è Religione per definitiuam sententiam, absolutè non teneatur se offerre, imò neque possit per Superiorem Monasterij compelli, quod redeat, vel ingrediatur aliam Regionem.

Probatur, quia Religiosus sic eiectus è Religione per talem sententiam (cùm tunc omninò rescindatur contractus, atque adeò extinguatur in eiecto omnis obligatio permanendi in ea Religione, quam fuerat priùs professus; sicque talis obligatio in ipso non ampliùs reuiuiscat, *argum. l. Qui res, §. Aream, ff. de solutionib.* desinit esse membrum illius Religionis, ac proinde eximitur à Iurisdictione illius, sicut seruus ejectus à Domino, efficitur sui Iuris, & desinit esse sub potestate Domini. Ergo non potest compelli, neque quod redeat ad propriam, neque quod ingrediatur aliam Religionem, quia super Religiosum eiectum per definitiuam sententiam absolutè Prælati Regulares nullam iurisdictionem retinent, vti dicebatur, & docet Glossa *in Clement.* 1. §. *Ad hæc, de statu Monachorum, verbo Claustrum, cap. si quis iam translatus,* 21. *q.*1. *& in cap. quondam,* 16. *q.*2.

3 Confirmatur, quia Iudex post latam definitiuam sententiam absolutè, cùm iam functus fuerit officio suo, nullam amplius Iurisdictionem habet in illam causam, de qua iudicauit, *argumento l. Iudex posteaquam, ff. de re iudicata, cap. in litteris, de Offic. delegati, & cap. finali, de Regul. Iuris.*

Confirmatur secundò, quia Iudex non potest ferre sententiam extra Territorium, in quo Iurisdictionem non habet: Ergo neque potest ferre sententiam extra illud tempus, in quo similiter Iurisdictionem non habet, cùm per eiectionem Religiosi è Religione desierit tempus, intra quod Prælatus Religionis in illum Iurisdictionem habebat. Antecedens patet ex iis, quæ mox *infrà* dicuntur. Consequentia probatur, quia valet argumentum de loco ad tempus, *l. vnum, ff. si cert. pet.* & *ibi* communiter sic Doctores.

Confirmatur tertiò, quia propter defectum Iurisdictionis non tenetur quis obedire Iudici ferenti sententiam extra suum Territorium, *l. finali, ff. de Iurisdict. omn. iudic. & cap.* 2. *de constitut. in* 6. Neque tenetur quis obedire Iudici ordinario in loco exempto. Sic Doctores etiam communiter *in dicta l. finali*, & præcipuè Decius *ibidem, num.*2. Neque clericus citatus à Iudice laïco tenetur comparere coram illo. Glossa communiter recepta *in cap. conuersis, verbo congruere,* 23. *q.*8. Ergo, &c. 5 6

Si dicas: *cap. vltimum, de Regularib.* quod est Concilij Lugdunensis sub Gregorio X. iubet, quod Visitatores, vel Abbates maiores, vel Priores quotannis requirant fugitiuos, & eiectos (sicque cogant Monasteria, quod eos recipiant) eosque compellant, quod redeant ad Religionem, & si nolint redire, quod eos excommunicent: Ergo signum est, quod eiecti teneantur redire. 7

Respondent, id intelligendum esse de eiectis iniustè, vel inordinatè, vel saltem non per sententiam diffinitiuam, sed solùm ad tempus. Alij (sicut *infrà* diffusiùs dicetur) respondent, quod dispositio illius *cap. non sit vsu recepta*; quia Prælati Religionum nec fugitiuos quidem requirere consueuerunt. Etsi enim eiecti possint cogi ad reditum per Summum Pontificem, qui etiam statuere potest, quod quærantur, & reducantur ad Religionem. Nihilominus, si talis dispositio non est vsu recepta, vel est per contrariam consuetudinem abolita, non obligat. Alij tandem alio modo respondent.

Et quidem Nauarrus *consil.*78. *de Regularib. n.*3. *& cap. non dicatis, num.*36. Roderic. *tom.*1. *quæstion. regular. quæst.*30. *art.* 22. Azorius *tom.* 1. *Instit. moral. lib.*12. *cap.*16. *quæst.*2. *circa finem, & capite* 17. *quæstione* 2. & Ricciullus *lib.*8. *cap.*10. *num.*13. respondent, id intelligendum esse de Religiosis eiectis absque iusta causa, & per iniquam sententiam, & non seruato debito iure: Quapropter non fit ibi mentio de iis, qui eiiciuntur iusta de causa (scilicet qui recusant emendari) neque de iis, qui propter grauia delicta per iustam, & legitimam sententiam ejiciuntur.

Alij, vt Syluester *verbo Apostasia, num.*10. *quæst.*6. *circa finem*, Armilla *verbo Religio, num.*16. S. Antoninus 3. *part. tit.*16. *cap.* 5. §. 1. *in fine*, Corduba *in Regulis S. Francisci, cap.*2. *quæstione* 21. *puncto* 2. & Graffius *in decisionib.* 1. *parte, lib.*3. *cap.*5. *num.* 151. respondent, id esse intelligendum, si sine detrimento Religionis reuocari possint; quia si non esset spes emendationis, & eorum reuocatio Religioni detrimentum afferre posset, tunc prædicta dispositione non obligarentur Prælati ad prædictos eiectos reuocandos, & videtur colligi ex prædicto *cap. finali*, in illis verbis: *Quando sine graui scandalo id fieri poterit:* Itavt sensus sit, non esse reuocandos, quando Religiosi illius Monasterij, ad quod reuocantur, ita offenduntur, vt nolint cum illis habitare, dicantque se potiùs velle recedere è Monasterio, quàm cum dictis hominibus conuersari. Quemadmodum illa verba explicant S. Antoninus *in dicto cap.*5. §. 2. & Azorius *tom.*1. *Instit. moral. lib.*12. *cap.*17. *q.*2. ex Hostiensi *in cap. fin. n.*9. Cardinal. *ibid. n.*1. *notabil.*4. & Aochoran. *num.*6. 8

Alij, vt Ioan. Andreas *in dicto cap. finali, de Regularibus, num.*4. Cardinal. *ibidem, num.*1. *notabil.*3. Henricus *in fine*, Syluester *verbo Apostasia, quæst.*5. *&* 7. *num.*10. Armilla *ibid. n.*14. S. Antonin. *d. cap.*5. & Azor. *dicta quæst.*2. respondent id esse intelligendum quando illos reuocare non esset contra Regulas, vel constitutiones alicuius Religionis, quia si aliqua Religio haberet regulam, vel constitutionem, ne qui post- 9

quam semel eiecti fuerint per definitiuam sententiam absolutè reuocentur, tunc prædicta dispositione non obligantur Superiores Religionum eos reuocare, & videtur colligi *ex d.cap.finali*, in illis verbis: Quando salua ordinis disciplina admitti possunt.

10 Alij tandem, vt Azorius *citato lib.* 12. *cap.* 17. *q.* 1. respondent, quod prædicta dispositio non sit vsu recepta, quodque quamvis Summus Pontifex possit statuere, vt eiecti cogantur redire ad Religionem, & possit etiam statuere, vt Superiores procurent eos ad Religionem reuocare, & forsan id ibi disposuit: Nihilominus, quia id non fuit vsu receptum, vel fuit per consuetudinem contrariam abolitum, non teneantur Superiores id obseruare: cum leges, & statuta non recepta non obligent, quamvis primi non recipientes, non recipiendo peccauerint, contra tamen ius naturale solum, si scilicet non erat, cur non reciperent, *l.de quibus, ff.de legibus, & cap.In istis, §.leges, dist.* 4. & tradunt Couarr. *lib.* 2. *var. cap.* 16. *n.* 6. Menoch. *de præsumpt. lib.* 2. *præsumpt.* 2. *n.* 1. Mantica *de tacit. & ambig.conuention. lib.* 5. *tit.* 1 4. *n.* 35. Mandos. *regul.* 23. *Cancellar. q.* 1. *n.* 4. *& seqq.* Valentia *tom.* 2. *disp.* 7. *q.* 5. *punct.* 5. *q.* 4. Medina *part.* 2. *q.* 90. *art.* 3. *ad* 2. & Azorius *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 5. *c.* 4. Quia lex censetur esse lata sub conditione si recipiatur, vt præter alios dixit Dominicus *in cap.* 1. *de tregua, & pace, gloss.* 2. *circa fin.* cùm lex, quæ non recipitur, non videatur, præsertim posita hominum fragilitate, bono communi conuenire.

11 Vbi aduerte, quod cùm prædicta obligatio requirendi singulis annis Religiosos fugitiuos, & eiectos imponitur omnibus Superioribus Religionis, atque etiam immediatis Superioribus Monasterij, nomine
12 Abbatum ibi primo loco intelligantur Abbates, & Priores, aut Visitatores, aut qui præsident Conuentibus, & Comitiis, scilicet Capitulis generalibus celebrandis: secundo loco intelligantur Abbates, & Priores minores singulis Monasteriis, Cœnobiis, Domiciliis, aut Collegiis præfecti. Abb. *in d.cap.finali, de Regular. n.* 3. Cardinal. *ibid. n.* 2. *q.* 6. Bellamer. *num.* 2. Roderic. *tom.* 1. *quæst. regul. q.* 3. *art.* 5. & alij, quos sequitur Azorius *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 12. *cap.* 17. *q.* 2. *circa finem.*

13 Aduerte secundò, quod cùm *in d. c.finali, de Regularib.* præcipitur Prælatis, vt dictos eiectos in locis competentibus apud eadem vel alia eiusdem Religionis Monasteria teneant, nomine locorum competentium intelligantur carceres, aut similes domus, in quibus prædicti eiecti in pœnam suorum delictorum, ab aliis Religiosis seiuncti vitam degant. Archidiacon. *in cap. Abbates*, 18. *q.* 2. *n.* 3. Abbas *in eod. cap. finali, de Regularib. n.* 1. *notabil.* 4. Henric. *ibid. n.* 7. & alij passim Canonistæ.

14 His tamen non obstantibus.

Respondetur, contrarium quod docent Syluester *verb. Apostasia, q.* 6. *n.* 10. *& verb. Religio* 6. *q.* 12. *n.* 12. S.Bonauent. *in Regulam S.Francisci, c.* 14. *circa finem*, Vbertus *in Regulam S. Augustini*, *q.* 99. Addentes ad Nauarr. *consil.* 77. *de Regular.* Molina *de Inst. & Iur. tom.* 1. *disp.* 140. *col. vlt. vers. Nauarrus in c. non dicatis*, Vasquez 1. 2. *disp.* 165. *cap.* 8. *n.* 87. Sot. *de Iust. & Iur. lib.* 7. *q.* 1. *art.* 1. *circa fin.* Graff. *p.* 1. *decis. lib.* 3. *c.* 5. *n.* 147. *& consil.* 7. *lib.* 3. *tom.* 1. Layman *lib.* 4. *Theol. moral. tract.* 5. *c.* 13. *n.* 6. Philiarch. *tom.* 1. *de offic. Sacerd. p.* 2. *lib.* 2. *c.* 21. Bonac. *de clausur. q.* 2. *punct.* 12. *§.* 2. *num.* 1. Conrad. *p.* 1. *Resp. q.* 185. Nouarius *in sum. Bullar. tit. de eiectis, & apostat. n.* 27. Faustus *lib.* 6. *thes. Religios. q.* 216. Donat. *in praxi Regular. p.* 2. *tract.* 8. *q.* 15. Burdon. *in controuers. moral. cap.* 8. *n.* 10. Less. *de iust. & iur. lib.* 2. *dub.* 15. *n.* 111. Suar. *de cens. disp.* 27. *sect.* 5. *n.* 20. Sanch. *lib.* 6. *moral. cap.* 9. *n.* 30. Cordub. *in Reg. S. Francisci, cap.* 2. *q.* 25. *num.*.. *punct.* 3. & alij, quos sequitur Passatellus *in Priuilegiis Minimorum*, *c.* 16. esse multò probabilius, scilicet quod Religiosus, etiam eiectus per definitiuam sententiam absolutè, teneatur redire ad Religionem, præsertim si à suis Superioribus ad id requiratur. Vide quæ dicebam *infrà*, *sect.* 70. *in Corollariis, corollar.* 6.

15 Primò probatur, quia si nolit redire, potest & debet excommunicari, tanquam contumax, vt expressè habet textus *in d. c. finali*, *de Regularib.* iam renouatus à S. Congregationis Concilij decreto iussu Vrbani edito, vbi supponit Concilium, quod is saltem tunc ad Religionem redire teneatur: Non enim Concilium imponit ei nouam obligationem, sed eius Superioribus, vt scilicet eum quærant, & redire compellant: loquitur autē simul cum prædicto decreto innouante de omnibus eiectis, etiamsi iustè, diffinitiuéque, & iuris ordine seruato eiecti fuerint, dummodò tamen in eiectis huiusmodi subsit spes euidens emendationis ex literis saltem testimonialibus Ordinarij, cuius conscientiam in his literis concedendis S. Congregatio seriò onerauit; & de omnibus fugitiuis: ergo per eiectionem in eiecto obligatio redeundi ad Religionem extincta non est, sed nihilominus in ipsa Religione potestas Iurisdictionis, vt illum iterum ad se reuocet, manet; & ille etiam eiectus votis, quæ in Religione emisit, obstrictus perseuerat. Alioquin frustra præciperetur Prælatis Regularibus requirere, & reducere ad Religionem eiectum, quando est emendatus, si non teneretur iste se emendare, & ad Religionem redire.

Secundò probatur, quia ex vi votorum, & Professionis suæ tenetur manere in Religione sua, quamdiu vixerit: ergo quantum in se est, tenetur id efficere, & impedimenta remouere, ac perinde cùm iam facta sit ipsi potestas redeundi, tenetur redire, vt præstet scilicet quod Deo promisit.

Confirmatur, quia priùs in tantùm solùm excusabatur, in quantum non esset in ipsius potestate ibi manere: ergo cùm ipsis id iam requirentibus suis Superioribus factum sit possibile, recurrit vis suæ prioris obligationis.

26 Confirmatur secundò; quia eiectus per eiectionem non soluitur à vinculo votorum Religionis: ergo neque soluitur ab obligatione tendendi ad perfectionem, atque adeò se corrigendi, & redeundi ad Religionem. Antecedens patet, quia Prælatus Religionis non potest prædicta vota relaxare, neque etiam potest Summus Pontifex absque causa vrgentissima. Molina *de Inst. & Iur. disp.* 140. *§. quando verò*, Rodrig. *tom.* 1. *quæst. Regular. quæst.* 50. *articulo* 19. Suarez *de censur. disput.* 21. *sect.* 1. *numero* 20. Vasquez 1. 2. *disp.* 165. *num.* 87. Ledesma *part.* 2. *summæ*, *tract.* 10. *cap. vlt. dub.* 2. Corduba *in Regul. S. Francisci, cap.* 2. *quæst.* 21. *punct.* 3. Lessius *de Inst. & Iur. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 15. *num.* 113. Azor. *part.* 1. *lib.* 12. *cap.* 16. *quæst.* 4. *&* 7. Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 9. *num.* 27. Donat. *in praxi, part.* 2. *tract.* 8. *de eiectis*, *q.* 23. *& seqq.* Burdon. *controuers. moral.* 8. *num.* 18. & alij communiter. Consequentia probatur, quia per vota Religionis essentialia suscipitur obligatio tendendi ad perfectionem; cùm suscipiatur status Religiosus, qui est status tendens ad perfectionem. Doctores communiter cum S.Thoma 2. 2. *quæst.* 84. *art.* 5. *in corpore*: Ergo si durant vota, durat etiam & obligatio tendendi ad perfectionem, atque adeò se corrigendi, & redeundi ad Religionem.

Non obstat, quod ejiciatur extra Religionem, sicque extra communionem in disciplina Regulari, quia per hoc solùm fit, quod de facto non admittatur ad exercendos illos actus, quibus in communi vita Regulari tenditur ad perfectionem, non autem quod liberetur ab obligatione de tendendo ad perfectionem; quia cùm vota contineant promissionem de ducenda vita religiosa Deo factam, sicque de

tendendo

tendendo ad perfectionem, non relaxatur hæc promissio, sicque remanet obligatio, quæ per illam inducitur de ducenda vita religiosa, & de tendendo ad perfectionem.

17 Tertiò probatur, quia facto diuortio per sententiam diffinitiuam, coniux nocens tenetur redire, si coniux innocens velit eum in gratiam recipere, & sibi reconciliare: ergo similiter Religiosus per sententiam absolutè eiectus tenebitur reuerti, si Religio illum velit repetere. Probatur antecedens, quia sic communiter tradunt DD. Glossa *in cap. ex literis, de diuortio, verbo redire*, Hostiensis *ibidem, num.* 2. Ioan. Andreas *num.* 1. Abbas *circa finem*, Alexander *n.* 20. Anchatan. *numero* 20. Henricus *num.* 13. Cardinalis *in fine*, S. Thomas *in 4. distinct. 35. quæst. vnica, art. 6. ad* 3. S. Bonauentura *ibidem, art. vnico, quæst.* 5. Durandus *quæst.* 2. *art.* 1. *num.* 6. S. Antoninus 3. *part. tit.* 1. *cap.* 21. §. 6. Angelus *verbo Matrimonium* 4. *num.* 5. Syluester *verbo diuortium*, *q.* 10. & alij communiter; quia coniux innocens non est per diuortium priuatus Iure suo; cùm illud in odium coniugis adulteri, & in fauorem ipsius factum sit: Quod autem in fauorem alicuius factum est, non debet in eius damnum retorqueri, *ex Regula Iuris* 61. *in* 6. *& l. quod fauore, Cod. de legib.* & cum pœna (prout est diuortium) immunitatem coniugi adultero tribuere non debeat, *l. Relegatorum, in fine, ff. de interdictis & relegatis*: & cum contra rationem sit, quod coniux adulter ex suo crimine commodum reportet, *l. itaque fullo, ff. de furtis*.

18 Quodque sententia prosit reo, contra quem lata fuit, *l. euidenter, ff. de except. rei iudic.* Probatur consequentia; quia sicut Professio est spirituale coniugium, ita eiectio è Religione est spirituale quoddam diuortium: quapropter sententia lata contra Religiosum eiectum suffragari non debet illi, sed soli Religioni, quæ cùm per professionem emissam ius acquisiuerit in Religiosum, cogere potest illum, quod reuertatur. Quin etiam dicendum, quod non sit tutus in conscientia, nisi se correxerit, & se Religioni, vt readmittatur, præsentauerit, itavt per ipsum reuera non stet; vel nisi cum ipso à Papa fuerit dispensatum, si non quoad vota essentialia, in quibus Papa non dispensat, nisi ex vrgentissima causa, saltem quoad vitam claustralem. Vide *etiam infrà, sect.* 70. *corollar.* 6.

Atque hinc, & ex dicendis mox infrà respondetur ad rationes aduersariorum oppositas.

OBIECTIONES.

19 Objicies: Per sententiam in Religiosum eiectum à Prælatis Regularibus latam absoluitur Religio ab obligatione illum retinendi, & etiam absoluitur eiectus ab obligatione permanendi in Religione: ergo sicut Religio non tenetur illum recipere, quamvis eiectus petat, quod recipiatur, ita nec eiectus tenebitur redire, quamvis Religio petat, quod redeat; aliàs sententia claudicaret, atque adeò iusta non esset.

Respondetur: Nego secundam partem antecedentis; quia per prædictam sententiam latam non tollitur obligatio ex vtraque parte, sed tantùm ex parte Religionis, quæ non tenetur eum recipere, cùm prædicta sententia sit lata in fauorem Religionis, & in odium, ac pœnam Religiosi delinquentis: Quapropter eadem prædicta sententia, licèt videatur claudicare, non tamen est iniusta; quia sententia debet fauere innocenti, & non reo, seu nocenti, & consequenter debet fauere Religioni, quatenus possit eiectum repetere, & non Religioso delinquenti, quatenus debeat admitti quotiescumque voluerit redire, adeò quod, si aliter sententia ferretur, illa iniusta & iniqua foret.

20 Objicies secundò: *In cap. quod semel, 6. quæst.* 4. dicitur, quod standum sit sententiæ semel latæ, in qua vtrique parti libertas conceditur, donec illa sententia à Superiore fuerit reuocata: sed per sententiam eiectionis, tam Religioni ejicienti Religiosum, quàm Religioso eiecto è Religione conceditur libertas: ergo donec talis sententia non fuerit retractata, Religiosus eiectus est in libertate sua non redeundi ad Religionem, quamvis Superiores Religionis velint quod redeat ad Religionem

Respondetur: Nego minorem, quia per sententiam illam latam libertas conceditur solùm Religioni, vt non teneatur scilicet eiectum ampliùs recipere, cùm prædicta sententia lata sit in fauorem Religionis innocentis, & non in fauorem eiecti nocentis, vti patet ex dictis.

Objicies tertiò: Religio per sententiam latam cessit Iuri, quod habebat in Religiosum eiectum: ergo non poterit ampliùs eum cogere, quod redeat ad Religionem. 21

Respondetur: Nego antecedens, quia solùm per sententiam latam Religio liberata fuit ab onere illum alendi, & retinendi, non autem per hoc etiam voluit se omninò eximere à Iurisdictione, quam per professionem acquisiuit in Religiosum eiectum, vti patet etiam ex dictis.

Objicies quartò: Religiosus, quamvis sua culpa eiectus fuerit è Religione, per eiectionem tamen ipsius culpa punita fuit: ergo non debet, neque potest ampliùs cogi, quod redeat ad Religionem; cùm iam delictum sit debita pœna punitum, & cùm pro eodem delicto non debeat quis duplici pœna puniri, *cap. at si clericis, de iudiciis*; & cum qui sentit onus, vel incommodum, debeat etiam sentire commodum illi annexum, *cap. qui sentit, de regularib. in* 6. *& l. secundùm naturam, ff. eodem*. 22

Respondetur: Nego consequentiam, quia per hoc Religiosus eiectus non iterum punitur, sed adhuc iustè cogitur, quod redeat ad Religionem: Nam cùm in Religione professionem emiserit, hoc ipso se obligauit ad permanendum in illa, quamdiu vixerit, ex parte sua, & quamdiu Superior voluerit, sicque hoc ipso etiam se obligauit, quod redeat ad illam, si Superior ita ipsi præceperit: Quapropter cùm ex dictis adhuc remaneat Religiosus, seu Religionis votis obstrictus, adhuc tenetur præstare obedientiam Superiori, si Superior præcipiat, quod iterum ad Religionem redeat, & iterum sub obedientia viuat.

Objicies quintò, servus si à domino ejiciatur, efficitur sui Iuris, nec ampliùs est sub potestate domini, qui possit illum iterum redigere ad seruitutem: ergo similiter Religiosus, si à Religione expellatur, redditur sui Iuris, nec ampliùs erit sub potestate Prælati Regularis, qui possit illum iterum reducere ad Religionem: Quæ ratio magis viget in Religioso eiecto, qui post debitam emendationem petit admitti ad Religionem, & iterum ejicitur, quem propterea liberari à voto paupertatis, & obedientiæ, & posse tutò in sæculo manere, docent Sotus *de iustitia, lib.* 7. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 3. Aragon. 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. *vers. Hucusque diximus*, Angles *in floribus*, 2. *part.* vbi agit *de voto, q. vnica, art.* 2. *difficult.* 8. Sayr. *in claui regia, lib.* 10. *cap.* 9. *n.* 17. *& seqq.* Conradus *part.* 2. *respons. q.* 285. & alij complures. 23

Respondetur: concedo antecedens, at nego consequentiam, & disparitas est; quia ex dictis Religiosus, & qui in Religione professionem emisit, non potest à vinculis voti liberari, nec per eiectionem desinit esse Religiosus, nec Prælatus Religionis potest facere, quod qui est Religiosus, fiat non Religiosus, seu de Monacho fiat non Monachus: at verò servus potest à Domino manumitti, & effici absolutè liber, seu sui Iuris.

Objicies

24 Objicies sextò: Superiores non possunt eiecto, cùm eum ex ipsorum potestate, cura, & obedientia eiecerint, quidquam præcipere: ergo neque etiam poterunt eum cogere, quod redeat ad Religionem.

Respondetur, nego consequentiam; quia licèt Religiosus eiectus in aliis non teneatur obedire suis superioribus, qui ipsum extra ipsorum curam proiecerunt; quia, vipotè eiectus, non ducit vitam religiosam, seu claustralem, scilicet in claustris simul cum aliis Religiosis; nihilominus si à suis superioribus iubeatur, quod redeat ad Religionem, tenebitur obedire; quia in substantia remanet Religiosus, cùm vota, quæ semel emisit in Religione per professionem, extincta non fuerint per eiectionem, vti dicebam. Vide Molinam *de Iust. tom. 1. disp. 140. col. vlt. vers. Nauarrus in cap. Non dicatis*, & Rodericum *tom. 1. quæst. regular. q. 30. art. 20.* quatenus aiunt, quod Religiosus eiectus satis sit, si conetur taliter viuere, vt dignus sit, qui iterum admittatur, paratusque sit in eadem Religione Prælatis obedire, si sublatis impedimentis iterum admittatur. Vide etiam Azorium *tom. 1. Instit. moral. lib. 12. c. 16. q. 11.* quatenus ait, quod Religiosus eiectus, quamvis absque Religione sit, quia est per iustam sententiam è Religione depulsus; sit tamen propriè & verè Religiosus, sicut Episcopus sua Ecclesia spoliatus, est verè, & propriè Episcopus, sicque sit tribus votis obstrictus, vt hoc ipso debeat eo animo esse, vt superioris iussis obtemperet, si ea facta fuerint ipsi.

Vide etiam & omninò *citat. cap. final. de Regular.* vbi disponitur, quod possint superiores etiam censuris cogere eiectum ad redeundum.

25 Nec potest dici, quod hæc dispositio non sit vsu recepta; quia vt omittam, quod innouata iam sit in decreto de apostatis, & eiectis, vbi declaratum fuit, quod locum habeat etiam in eiectis iustè in perpetuum per sententiam diffinitiuam, ibi: [Postremò censuit esse innouandam, & suæ Beatitudinis authoritate innouat constitutionem fel. record. Gregorij IX. relatam *in cap. final. de Regularib.* At præterea declarat, eam constitutionem in iis quoque vendicare sibi locum, seruandamque esse, qui iustè, diffinitiueque, ac iuris ordine seruato repulsi fuerint.] Vbi Pontifex non disponit de nouo, sed supposita facultate superiorum reuocandi eiectos, & supposita obligatione istorum ad redeundum, quæ prouenit ex obligatione votorum, monet Prælatos Regulares de sua obligatione, & dat illis facultatem adhibendi censuras contra prædictos eiectos: vnde non est eadem ratio de seruo manumisso, quia facta manumissione, remanet is omninò liber; in eiectis autem remanet obligatio votorum, vti dicebam.

26 Aduerte tamen, quod cùm prædictum decretum de apostatis, & eiectis moderetur *citat. cap. final. de regular.* quatenus scilicet obligat Religionem recipere eiectos, nisi quando spes adest euidens correctionis eorum, sit quod neque teneatur eos perquirere, & reducere, nisi quando existit eadem spes euidens correctionis eorundem, secundùm quam moderationem intelligendum est *dictum cap. finale*: quapropter Religio non tenetur eos perquirere, & reducere, quando non habet notitiam talis spei, sicuti notant Doctores, quos sequitur Leander à Murcia *in cap. 2. Regula Sancti Francisci, cap. 16. num. 13.* quia stante incorrigibilitate, cùm incorrigibilis semper præsumatur talis donec contrarium constet, *cap. Mandata, & cap. Ex studiis, de præsumptione*, adest semper violenta præsumptio contra ipsos: tum quia, cùm per sententiam sint declarati incorrigibiles, præsumptio stat pro re indicata, *cap. Cùm inter, de sententia & re iudicat.* Tum quia, cùm teneatur se corrigere, & ad Religionem redire, donec non petit admitti signum euidens est, quod perseueret in sua incorrigibilitate.

SECTIO XXXVI.

An Religiosus eiectus è Religione, quæ nolit ipsum, quamvis se correxerit, iterum admittere, teneatur ad aliam Religionem transire?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus eiectus à religione, quæ nolit ipsum, quamvis se correxerit, iterum admittere, non tenetur ad aliam religionem transire, contra Syluestram, Armillam, Sanctum Antoninum, & alios.*

2 *Nullus Prælatus, nec inferior, nec supremus potest cogere vllum religiosum ad transeundum ad aliam Regulam strictiorem: tum quia quis cogi non potest ad crescendum per ascensum ad religionem, quam non est professus.*

3 *Neque cogi potest ad aliam, siue æqualem, siue etiam laxiorem; quia similiter non vouit eam, & nemo cogi potest vouere.*

4 *Summus Pontifex neque potest cogere vitam monachalem agentes ad ingrediendam, & profitendam aliam religionem.*

5 *Superior non potest iubere subdito suo regulari propter delicta etiam incorrigibilitatis, vt ingrediatur aliam religionem.*

6 *Eiectus non tenetur ingredi aliam religionem, etiamsi laxior fuerit religione, à qua fuit eiectus, etiamsi Pontifex id ipsi concedat; quia hoc ipse non vouit.*

7 *Religiosus eiectus, qui citra probabile salutis periculum in sæculo viuere non potest, in sententia Sancti Bonauenturæ tenetur transire ad aliam religionem. At regulariter nullo iure qui est per sententiam iustam eiectus, potest cogi ad aliam religionem transire.*

8 *Vota quæ emittuntur in religione, debent voluntariè emitti: consequenter Prælati Regulares non possunt obligare eiectum, vt ingrediatur aliam religionem.*

9 *Reus, seu delinquens non potest per sententiam diffinitiuam in pœnam suorum delictorum obstringi, quod fiat religiosus, cùm professio debeat esse voluntaria: consequenter neque poterit eiectus obstringi, quod aliam religionem ingrediatur.*

10 *Religiosus eiectus, licèt causam dederit, vt ejiciatur, nihilominus dum se correxerit, & fecerit quantum est in se, vt readmitteretur, satisfecit propriæ obligationi, & stante religionis recusatione redditur ipsi impossibile, quod viuat regulariter, & redeat ad religionem, sicut deberet: Consequenter non tenetur redire, neque aliam ingredi; quia ex vi professionis se tantùm obligauit religioni, à qua eiectus est.*

11 *Religiosus, cùm religionem professus est, non obligauit se ad viuendum religiosè in genere, vt supponitur in argumento; & quatenus se obligasset, non ideò si non potest permanere in vna Religione, debet ratione voti emissi transire ad aliam, quia iste talis adhuc viuit religiosè.*

12 *Religiosus transtulit suum dominium in Deum quoad regulares obseruantias, & constitutiones, non omnes, seu quascumque, sed quoad certas, seu quasdam, quas solas vouit.*

13 *Religiosus, qui animum tendendi ad perfectionem secundum*

secundùm regulas non habet, est in statu peccati mortalis: at qui vult remanere in sæculo, itavt non cures emendari, & iterum recipi in Religionem, quam vouit, non habet talem animum, nec in aliam, quam non vouit.

14 *Religiosus ob sua delicta eiectus è religione, tenetur curare quod in suam religionem iterum recipiatur, vel quod ad aliam admittatur.*

15 *Religiosus vt possit à claustro penè absolui, necesse est, vt ad aliud Monasterium, vel ad curam animarum transferatur.*

16 *Is qui propter culpam suam ejicitur à Prælato, adhuc est subditus, sicut ouis morbida, quæ licèt expulsa à grege, adhuc est Pastoris.*

17 *Religiosus eiectus à religione ter, cum in sententia S. Bonauentura non possit amplius recipi, declarat hanc clausulam referri ad eiectum, non ad Prælatum, cui facultas non tollitur repetendi illum, si non transierit ad alias.*

18 *Religiosus eiectus à religione tenetur totis viribus procurare, & humiliter petere, quod iterum ad religionem à qua fuit eiectus, recipiatur, & disponere se, quod aptus reddatur; quia nemo debet ex delicto suo reportare commodum.*

19 *Religiosus eiectus, licèt religio liberetur ab obligatione erga illum, ipse tamen non liberatur ab obligatione circa religionem, quam fuit semel professus; & consequenter non potest in sæculo, & in statu Clericatus saluari, nisi adsit specialis Pontificis dispensatio ob iustam causam, & rationabilem ipsi concessa.*

20 *Superior quod possit cogere religiosum propter eius delicta ad ingrediendam aliam religionem, præter Sanctum Bonauenturam, tenent etiam non improbabiliter alij Doctores.*

21 *Religiones aliquæ, quod à Sede Apostolica habeant priuilegium, vt possint subditos suos religiosos compellere ad ingrediendum aliam religionem propter grauia delicta, ob quæ meritò per sententiam diffinitiuam ejiciuntur, tenet Sanctus Bonauentura in expositione Regulæ Sancti Francisci.*

22 *Superiores Regulares secundùm prædictos Doctores præcipiunt eiectis, vt ad aliam religionem transeant, non auctoritate propria, sed auctoritate Summorum Pontificum, qui talem facultatem ipsis concesserunt.*

23 *Prælati Regulares possunt etiam de iure communi suos subditos religiosos propter eorum crimina, quando per sententiam diffinitiuam iuridicè latam, eos ejiciunt à religione, obligare ad ingressum alterius religionis, eosque absoluere à votis suæ religionis, cum conditione, quod aliam religionem ingrediantur.*

24 *Sententia negatiua in principio sectionis allata Auctorè magis probatur, prædictis non obstantibus, saltem ex eo, quod professio, seu vota solemnia in quacumque religione debent esse voluntaria.*

25 *Religiosus eiectus à religione, si in principio sui ingressus vouerit religionem in communi, secundùm Sanctum Bonauenturam, & alios tenetur ingredi aliam religionem: at probabilius est oppositum, quia hoc votum religionis in communi extinctum fuit per professionem factam in prima religione, in quam ingressus est.*

26 *Votum religionis in genere, seu in communi sufficienter impletum fuit per ingressum in religionem determinatam.*

27 *Eiectus remanet verè religiosus, cùm remaneat obstrictus tribus votis substantialibus religionis.*

28 *Mens ipsius eiecti non videtur fuisse, se obstringere ad ingressum alterius religionis, si post professionem contingeret, quod ejiceretur ex ista, nisi fortè id expressè cogitauerit, & apud se statuerit, cum voueret, &c.*

Respondetur, quod quamvis affirment Syluester 1
verbo Religio 6. q. 12. Armill. *eodem verbo, n. 25.*
Sanctus Antoninus *3. parte, tit. 1. cap. 4. circa finem,*
Corduba *in regulam Sancti Francisci, cap. 2. quæst. 21.*
punct. 3. Federicus de Senis *consil. 38. Mendicant,*
verbo ejicere, in fine Annot. S. Bonauentura *in regula*
Sancti Francisci, quæst. 14. in fine, Altisiodorens. *lib. 3.*
summæ, tract. 22. quæstione penultima, Tabiena *ver-*
bo religio, num. 26. Angelus *verb. religiosus, num. 41.*
Passarellus *ad priuil. Minimorum, cap. 26.* & alij, ex
eo, quia putant, eum esse obligatum Religioni in
genere, seu in communi. Probabiliùs tamen negent
Sotus *de Iustit. & Iure, lib. 7. quæst. 2. art. 1. ad 3.*
argumentum in fine, vbi ait, quod qui post solemne
votum, tanquam incorrigibilis è Monasterio depel-
litur, quamdiu per ipsum steterit, quominus recipia-
tur, non sit tutus in conscientia, sed teneatur se emen-
dare, & in viam redire; quia cum ex culpa sua fuerit
depulsus, quamdiu in tali culpa perseuerauerit, ver-
sabitur in periculo salutis: sed si, correcta vita, ad
claustra rediens non admittatur, tutus maneat in sæ-
culo: quapropter ad mentem Soti non tenebitur tran-
sire ad aliam Religionem. Nauarrus *commentar. 2. de*
regularibus, num. 56. vbi inquit, quod talis Religio-
sus ad aliam Religionem transire nullo iure cogatur:
& *commentar. 4. de regularibus, num. 21.* vbi scribit, 2
quod nullus Prælatus, nec inferior, nec supremus
possit cogere vllum Religiosum ad transeundum ad
aliam regulam strictiorem: tum quia quis cogi non
potest ad crescendum per ascensum ad Religionem,
quam non est professus, *cap. Gesta, cum Glossa, dist. 74.*
Tum quia non vouit illam, & hæc res est voti, non
præcepti, *cap. Integritas, 32. quæst. 1.* Neque quis co- 3
gi potest ad aliam, siue æqualem, siue etiam laxio-
rem; quia similiter non vouit eam, & nemo cogi
potest vouere; & *consil. 16. de Regularibus, num. 5.*
vbi docet, quod neque etiam Pontifex possit coge- 4
re vitam monachalem degentes ad ingrediendam, &
profitendam aliam Religionem: & *num. 6.* vbi ait,
quod omnes Doctores in hoc conueniant, Religio-
sum scilicet cogi non posse ad profitendam nouam
regulam, quam priùs ipse non vouerat, & *consil. 77.*
num. 2. vbi inquit, quod superior non possit iube- 5
re subdito suo regulari propter delicta, etiam incor-
rigibilitatis, vt ingrediatur aliam Religionem. Mo-
lina *disputat. 190. vers. Nauarrus*, vbi docet, quod 6
eiectus non teneatur ingredi aliam Religionem, etiam-
si laxior fuerit Religione, à qua fuit deiectus, &
etiamsi Pontifex id ipsi concedat; quia hoc ipse non
vouit. Lessius *de Iustitia & Iure, lib. 2. cap. 41. du-*
bit. 15. num. 111. & 114. vbi tradit, quod eiectus
non teneatur intrare aliud Monasterium, quia ad hoc
se non obstrinxit, sicque quod vel teneatur redire
ad suum, cui erat obstrictus, vel ad nullum. Ro-
dericus *tom. 1. quæst. regular. quæst. 30. art. 2.* vbi
inquit, quod obligare aliquem per sententiam diffi-
nitiuam, vt strictiorem, seu etiam laxiorem Religio-
nem ingrediatur, metas naturæ voti transgredi vi-
deatur; quia vota, quæ in qualibet Religione
emittuntur, debent esse voluntaria; sicque, sicut
non potest quis propter ipsius delicta in pœnam
illorum obligari, vt Religionem ingrediatur, &
ibi professionem emittat, ita similiter non pote-
rit eiectus ad id ipsum obstringi, propter eandem
dictam rationem. Azorius *tomo primo Institutio-*
num moralium, libro duodecimo, capite decimosexto,
quæstione septima, vbi ait, quod Religiosus per sen-
tentiam iustam eiectus è Religione, possit in sæ-
culo manere, nec teneatur ad aliam Religionem

transire, quia nunquam vouit ingressum alterius Religionis, *& eodem cap. quæst.* 13. vbi citans Sanctum Bonauenturam *in opusculo de determinationibus circa Regulam Sancti Francisci, cap.* 14. *circa finem*, docentem, quod eiectus è Religione transire debeat ad aliam, nec possit iure in sæculo manere, interpretatur dictum
7 Sanctum Bonauenturam intelligendum esse de eiecto, qui in sæculo citra probabile salutis æternæ periculum viuere non potest. *Et cap.* 12. *quæst.* 2. vbi scribit, quod nullo iure qui est per sententiam iustam eiectus è Religione, cogi possit ad aliam Religionem transire; quodque tribus votis solutus non sit, quamvis in sæculo commoretur.

Idemque docent Sanch. *lib.* 6. *moral. cap.* 9. *n.* 34. Graff. *conf.* 3. *num.* 4. *de Regularib. lib.* 3. Fanst. *lib.* 6. *Thes. Relig. q.* 206. Layman. *lib.* 4. *Theol. moral. tract.* 5. *c.* 13. *n.* 8. Donat. *in praxi rerum Regular. p.* 2. *tract.* 8. *q.* 28. *n.* 1. & alij, quos citat, & sequitur Barbos. *ad cap. final. de Regular. n.* 9.

8 Probatur, quia vota quæ emittuntur in Religione, debent voluntariè emitti: ergo Prælati Regulares non possunt obligare eiectum, vt ingrediatur aliam Religionem; cùm hoc repugnet naturæ voti, quæ in voluntaria promissione consistit.

9 Confirmatur, quia non potest reus, seu delinquens per sententiam diffinitiuam in pœnam suorum delictorum obstringi, quod fiat Religiosus; cùm Professio debeat esse voluntaria, ex dictis: ergo neque poterit eiectus obstringi, quod aliam Religionem ingrediatur; cùm & professio in ea Religione debeat esse voluntaria, etiam ex dictis.

10 Probatur secundò, quia Religiosus eiectus, licèt causam dederit, & ejiciatur; nihilominus dum se correxerit, & fecerit quantum est in se, vt readmitteretur, satisfecit propriæ obligationi, & stante Religionis recusatione, redditur ipsi impossibile, quod viuat regulariter, & redeat ad Religionem, sicuti deberet: ergo non tenetur redire, nec tenetur Religionem aliam ingredi; quia ex vi professionis se tantùm obligauit Religioni, è qua eiectus est: ergo si hoc ipsi reddatur impossibile, non tenetur Religionem aliam ingredi, quemadmodum qui vouit ingredi determinatam Religionem, si nolit illa ipsum recipere, non tenetur ingredi aliam, quamvis teneatur honestè viuere, & in quantum patitur ille status, vota seruare. Idemque dicas cum Sanchez, & aliis contra Altisiodorensem *in locis suprà citatis*, quod neque teneatur Religiosus, cuius Religio est extincta, ingredi aliam Religionem, cùm militet eadem ratio.

11 Objicies: Religiosus, cùm Religionem professus est, obligauit se ad viuendum religiosè in genere: ergo si non potest permanere in vna Religione, debet ratione voti emissi transire ad aliam Religionem.

Respondetur: transeat antecedens, at nego consequentiam; quia iste talis adhuc viuit religiosè; cùm remaneat verè, & propriè Religiosus, atque tribus Religionis votis obstrictus; quamvis in pœnam suorum delictorum è Religione fuerit eiectus, & moretur in sæculo.

Respondetur secundò: nego antecedens, quia falsum est, quod vouerit Religionem in genere, cum vouerit potiùs Religionem in particulari: quapropter si non permittatur viuere in illa, non propterea ratione voti emissi tenebitur transire ad aliam.

12 Objicies secundò: Religiosus transtulit sui Dominium in Deum quoad regulares obseruantias, & constitutiones: ergo si non potest istas seruare in vna Religione, tenebitur seruare in alia.

Respondetur: distinguo antecedens, transtulit sui dominium in Deum quoad regulares obseruantias, & constitutiones omnes, seu quascumque, quas non vouit, nego antecedens: quoad certas, seu quasdam quas solas vouit, concedo antecedens.

Objicies tertiò: Religiosus, qui animum tendendi 13 ad perfectionem secundùm Regulas non habet, est vti rectè præter alios probat Nauarr. *comment.* 1. *de Regul. n.* 10. in statu peccati mortalis: at talem animum habere non videtur is, qui vult remanere in sæculo: ergo.

Respondetur: distinguo minorem, qui vult remanere in sæculo, itavt non curet emendari, & iterum recipi in Religionem, quam vouit, concedo: itavt non curet emendari, & recipi in aliam Religionem, quam non vouit, nego, cum ad id ex dictis ratione voti emissi non teneatur.

APPENDIX

Ad ea, quæ suprà dicebantur: vbi quid dicendum, si Religiosus eiectus à principio vouerit Religionem in genere, non determinando hanc, vel illam Religionem in particulari: vbi etiam an propria authoritate possit ad aliam Religionem transire?

CÆterùm rectè noui, præter prædictos Doctores, 14 quos suprà citabam, alios complures tenere, quod Religiosus ob sua delicta eiectus è Religione iterum recipiatur, vel quod ad aliam admittatur: ita enim tenet Federicus de Senis *consil.* 134. vbi ait, quod ad 15 hoc, vt Religiosus possit è claustro penè absolui, necesse sit, vt ad aliud Monasterium, vel ad curam animarum transferatur. Vmbertus super Regulam Sancti Dominici, vbi sicuti patet ex constitutionibus super eandem Regulam Sancti Dominici habitis in Capitulo genetali Parisiis celebrato 1276. *dist.* 2. *cap.* 19. inquit, quod is, qui propter culpam suam ejicitur à 16 Prælato, adhuc sit subditus; sicut ouis morbida, quæ licèt expulsa à grege, adhuc est Pastoris: vnde talis eiectus non est absolutus ab obedientia Prælati, quousque transierit ad aliquam Religionem, & in ea professus fuerit. S. Bonauent. *in loc. infrà citand.* vbi lo- 17 quens de Religioso ter eiecto è Religione, & dicens, huuc non posse amplius recipi, subdit: Aduerte, quod hæc clausula refertur ad eiectum, cui adimitur ius implorandi officium Iudicis, vt recipiatur, non tamen ad Prælatum, vbi facultas non tollitur, scilicet repetendi illum, si non transierit ad aliam. Corduba *in Expositione Regulæ S. Francisci, c.* 2. *q.* 21. *punct.* 3. vbi tenet, 18 quod eiectus è Religione teneatur totis viribus procurare, & humiliter petere, quod iterum ad Religionem, è qua fuit eiectus, recipiatur, & disponere se, quod aptus reddatur; quia nemo debet ex delicto suo reportare commodum, quod reportaret eiectus, si posset in sæculo tuta conscientia remanere: quapropter licèt 19 Religio liberetur ab obligatione erga eiectum; eiectus tamen non liberatur ab obligatione circa Religionem, quam fuit semel professus; & consequenter non potest in sæculo, & in statu Clericatus saluari, nisi adsit specialis Pontificis dispensatio ob iustam, & rationabilem causam ipsi concessa; quod si tamen non inuenerit Religionem, quæ velit ipsum admittere, tunc tandem ipse poterit viuere in statu Clericali.

Idemque tenent Miranda *tom.* 2. *in Manuali, q.* 52. *art.* 3. *conclus. vnica, addentes ad consil.* 77. Nauarri *de regularibus*, Saytus *lib.* 10. *de censuris, cap.* 9. *num.* 25. *& sequentibus*, Aragonius 2.2. *quæst.* 88. *art.* 3. §. *Hac vsque diximus*, Zerola *in praxi Episcopor.* 2. *parte, verbo regularis*, Angles *in floribus*, 2. *part. in tract. de voto, quæst. vnica, art.* 2. *difficult.* 8. Graffius *in decision. part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 147. Conradus 1. *p. responsionum, q.* 285. & Philiarchus *tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 2. *c.* 25. *circa finem.*

10 Et quidem, quod possit Superior cogere Religiosum propter eius delicta ad ingrediendam aliam Religionem, tenent præter S. Bonav. *in Regulam S. Francisci, q.14.* Anton. de Amatis *decis. Genuens. 46. circa finem*, & Passarellus *in Priuileg. Minimor. c. 16.* quorum sententiam probabilem iudicat Sorbus in compendio Priuilegiorum mendicantium, verbo ejicere.

11 Et quod habeant aliquæ Religiones à Sede Apostolica Priuilegium, vt possint subditos suos Religiosos compellere ad ingrediendam aliam Religionem propter grauia delicta, ob quæ meritò per sententiam diffinitiuam ejiciuntur è Religione, tenet S. Bonav. *in expositione regulæ S. Francisci, c. 2. & in quæstionib. super eandem regulam, q. 14.* vbi ait: Sed ne damnabiliter eiectus vagetur in sæculo, ex gratia Sedis Apostolicæ ei, quem Religio iudicat non esse recipiendum, licentiam concedit ad aliam determinatam Religionem transeundi, vbi saluetur, ad quam transire tenetur, si possit; alioquin non erit in statu salutis. Et paulò post, vbi inquit: Et ideò, si demeretur in Religione, quam vouit, non retineri; cùm ex facto suo non sit conditio ipsius melior facta, vt possit esse liber, sed potiùs deterior, oportet quod ipse aliam Religionem intret, & seruet, si vult saluari. Et paulò post, vbi asserit: ex authoritate Summi Pontificis, à cuius Iurisdictione eiectus non est exemptus, potest eum Religio compellere, & per censuras Ecclesiasticas, vel aliàs pœnas corporales iure Summi Pontificis coërcere, quando non habuerit alium Iudicem Regularem, cui se subjecit, Regulam, & Ordinem illius stabiliter assumendi. Et Corduba *in expositione eiusdem regulæ Sancti Francisci, cap. 2. q. 21.* vbi ait, quod Ordo S. Francisci habeat Priuilegium, vt possit cogere eiectum ad ingrediendam aliam Religionem, vtqua possit punire illum, si id non fecerit, sed in sæculo manserit: & quidam alij.

12 Quapropter prædicti Doctores, quod Superiores Regulares præcipiant eiectis, vt ad aliam Religionem transeant, non authoritate propria, sed authoritate Summorum Pontificum, qui talem facultatem ipsis concesserunt; quodque licèt per eiectionem eiecti reddantur exempti à Iurisdictione Prælatorum Regularium, non tamen reddantur exempti à Iurisdictione Sedis Apostolicæ; sicque Prælati regulares ex authoritate Summi Pontificis possint illis præcipere, vt ad aliam Religionem transgrediantur.

13 Subdunt, quod possint Prælati Regulares, etiam de Iure communi, suos subditos Religiosos propter eorum crimina, quando per sententiam diffinitiuam iuridè latam eos è Religione ejiciunt, obligare ad ingressum alterius Religionis, eosque absoluere à votis suæ Religionis, cum conditione, quod aliam Religionem ingrediantur; quia sicut de Iure communi possunt eos obligare, vt non permaneant, neque moreotur in aliquo loco vnde fuerunt eiecti, vel in aliquo alio loco iustis de causis; & possunt eis imponere pœnas graues, si non obedierint, vti patet ex communi Praxi omnium Religionum; ita etiam poterunt de Iure communi eos obligare, vt in aliam Religionem transeant: Quod præceptum eis imponitur, vt pœna quædam debita ipsorum delictis; & quamvis Prælati Regulares non habeant Iurisdictionem in Religiosum eiectum è Religione, habeant tamen Iurisdictionem in illum, eùm per sententiam diffinitiuam volunt illum ejicere, imponendo illi, quod ad aliam Religionem transeat, sicut etiam facit Iudex sæcularis, cùm fert sententiam condemnatoriam contra delinquentes: ad hoc enim vt Iudex possit in alterum sententiam ferre, sufficit si tempore, quo fert sententiam, is qui condemnatur, sit ipsi subditus, sitque intra ipsius territorium.

14 Sed nihilominus adhuc mihi magis probatur sententia negatiua Soti, Nauarri, Lessij, Roderici, Azorij, Sorbi, & aliorum, quam *suprà in principio sectionis* dicebam, saltem ex eo, quod Professio, seu vota solemnia in quacumque Religione debeant esse voluntaria, cùm hilarem Doctorem diligat Deus.

Petes, quid si eiectus è Religione à principio sui ingressus ad Religionem vouerit Religionem in communi? 15

Respondetur, quod quamvis præter S. Bonauenturam, Cordubam, & alios Doctores suprà citatos, Sotus *de Iustit. & Iur. lib. 7. q. 2. art. 1. ad 3.* & quidam alij putent, quod eiectus è Religione in tali casu teneatur ingredi aliam Religionem, si in sua non recipiatur; quia manet votum Religionis, cui tenetur, & cui potest satisfacere: Tum quia vouens Religionem in genere, si non recipiatur ab vna, tenetur ingredi aliam: Ergo & eiectus, si non potest viuere in vna, debet viuere in alia. Probabilius tamen sit oppositum, quod docent Nauarrus *consil. 87. n. 2. & consil. 80. num. 2. de Regularibus, & cap. non dicatis, de regularibus, comment. 2. num. 53. & sequentibus*, & Lessius *de Iustit. & Iur. lib. 2. cap. 41. dub. 15. numero 110.*

Probatur, quia votum Religionis in genere, seu in communi sufficienter impletum fuit per ingressum in Religionem determinatam; siquidem cùm species contineat genus, adimplens votum in specie, adimplet etiam votum in genere, seu in communi: Ergo extincta remansit obligatio talis voti, quæ non potest de nouo ampliùs reuiuiscere sine noua voluntate vouentis: & ratio vlterius est, quia votum de aliqua re in genere, seu in communi, non est votum de omni specie illius generis, sed solùm de ipso genere determinandi in aliqua specie. 16

Confirmatur, quia eiectus remanet verus Religiosus, cùm remaneat obstrictus tribus votis substantialibus Religionis, vti toties dicebam. 17

Probatur 2. quia hoc votum Religionis in communi extinctum, fuit per professionem factam in hac Religione; cùm omnia vota simplicia commutentur in vota solemnia Religionis, scilicet in votum paupertatis, castitatis, & obedientiæ, *cap. Scripturæ, de voto*, vbi Alexander III. inquit: [Reus fracti voti aliquatenus non habeatur, qui temporale obsequium in perpetuam Religionis obseruantiam noscitur commutare.]

Confirmatur, quia mens ipsius eiecti non videtur fuisse se obstringere ad ingressum alterius Religionis, si post professionem contingeret, quod ejiceretur ex ista, nisi fortè id expressè cogitauerit, & apud se statuerit, cùm voueret. Quo casu, si de eo constaret, quamvis communius, & probabilius sit, quod debeat aliam Religionem intrare, nec possit in sæculo remanere; quia illud votum non fuit per professionem commutatum, cùm nulla ratio commutationis subfuerit; oppositum tamen non omninò improbabile mihi videtur, cùm & prædictum votum etiam, sicut & alia, per professionem, vtpote priuilegiatum, commutari videatur. 18

SECTIO XXXVII.

An Religiosus eiectus è Religione, quæ nolit ipsum, quamvis se emendauerit, iterum recipere, possit absque alia dispensatione Summi Pontificis in sæculo remanere, & eum quo habitu?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus eiectus è religione, quæ nolit ipsum, quamvis se emendauerit, iterum recipere, potest absque alia*

alia dispensatione Summi Pontificis in saeculo remanere, cum habitu tamen Clericali, iuxta ordines sacros ab ipso eiecto receptos, quia in tali casu non tenetur, quinimò non potest vti habitu suæ Religionis, neque alterius.

2 *Quod tamen intellige de Religiosis eiectis per sententiam diffinitiuam, non autem de Religiosis eiectis immaturè per iracundiam quandam; quia quæ facta sunt per iracundiam, durare non debent.*

3 *Opinio Sayri, Rodriguez, Sanchez, & Tamburini, videlicet quod eiecti teneantur deferre habitum suæ Religionis, si cum eo ejiciantur, eo quòd non possint illum propria auctoritate dimittere, Auctori non probatur; quia hoc ipso quod ejiciuntur à corpore Religionis, priuantur etiam communicatione in habitu eiusdem Religionis, &c. vide ibi rationes, quas affert.*

4 *Conuersi eiecti à Religione non tenentur deferre habitum, contra nonnullos: ad illum enim tantùm tenentur ordinati.*

1 RESpondetur affirmatiuè, ex dictis *sectione præcedenti*, habitu tamen clericali iuxta ordines ab ipso eiecto receptos. Nauartus *in cap. non dicatis, de Regular. comment. 2. n. 36. & cons. 78. n. 2. de Regul. edit. 2.* Cespedes *de exempt. Regular. c. 21. dub. 315. n. 11.* Donatus *in praxi rer. regul. p. 2. tract. 8. de eiectis, q. 41. n. 5.* Suarez *de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 3. c. 6. n. 14.* Lessi. *de Iust. & Iur. c. 41. dub. 15. num. 112.* Roderic. *tom. 1. quæst. Regul. q. 30. art. 21.* & Azorius *tom. 1. Instit. moral. lib. 12. c. 16. q. 13.*

Probatur, quia in tali casu non tenetur, quinimò nec potest vti habitu suæ Religionis, cùm ab illa iam fuerit eiectus; neque vti habitu alterius Religionis, cùm iam in illa non fuerit admissus: ergo superest, quod vtatur habitu clericali conuenienti Ordinibus, quibus ipse eiectus initiatus fuerit.

2 Quod tamen (sicut & alia, quæ suprà dicebam) intellige de Religiosis eiectis per sententiam diffinitiuam, non autem de Religiosis eiectis immaturè per iracundiam quandam, sicuti rectè præter alios annotauit Nauarr. *cons. 3. de statu Monachor. n. 1.* quia quæ facta sunt per iracundiam, durare non debent, *cap. diuortium, de pœnitentia dist. 1. & cap. si quis iratus, 2. q. 3.* Et quia sententia prolata, non seruato Iuris ordine, valida non est, *cap. ad nostram 1. de iureiur. & l. prolatam, Cod. de sent. interlocutor.*

3 Cæterùm doctrina, quam tradunt Sayr. *lib. 6. c. 9. n. 28. vers. denique,* Rodrig. *tom. 1. quæst. Regular. q. 30. art. 27.* Sanch. *lib. 6. moral. c. 9. n. 55.* & Tambur. *tom. 3. de Iure Abbat. disp. 8. q. 8. n. 10.* scilicet quod eiecti deferre teneantur habitum suæ Religionis, si cum eo ejiciantur, eo quòd non possint illum propria auctoritate dimittere, mihi minùs probatur; quia hoc ipso, quod ejiciuntur è corpore Religionis, priuantur etiam communicatione in habitu eiusdem Religionis; sicque licèt non interueniat habitus spoliatio materialis, remanent tamen illo per sententiam spoliati: tum quia si illum portarent, cederet in dedecus Religionis, si non primariò, saltem secundariò; cùm licèt cedat principaliter in dedecus eiecti, cédat etiam aliquo modo in dedecus ipsius Religionis: tum quia sic absolutè decreuit Sacr. Congregatio Tridentini Concilij *in decreto de eiectis, & apostatis, §. 7,* ibi: [Sic verò eiecti, quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant.]

4 Quid autem dicendum, si nec in Ordinibus minoribus constituti sint, sed fuerint conuersi, vel laici.

Respondetur, quod quamvis probabiliter putent nonnulli, quos sequitur Nouarius *in Lucerna Regul. verb. eiecti, n. 7.* & Cespedes *de exempt. Regular. c. 21. dub. 315.* quod eiecti tunc non teneantur incedere cum habitu clericali, & fanet ipsis quædam Sac. Congregationis declaratio 1. Aprilis, an. 1628. apud Nouarium *in Lucerna Regular. verb. eiecti à Religione, n. 7.* quatenus sit, quod eiecti incedere debeant in habitu clericali, si in ordinibus, etiam minoribus constituti sint; probabiliùs tamen affirmant alij, quos sequitur Donatus *in praxi rer. Regul. p. 2. tract. 8. de eiectis, q. 45. n. 2.* quia decretum de apostatis & eiectis loquitur generaliter, & absolutè sine vlla restrictione: ergo comprehendit omnes eiectos, siue sint, siue non sint in Ordinibus aliquibus constituti: tum quia eiecti, licèt in nullo Ordine constituti, & nullis muneribus clericalibus destinati sint, sunt tamen verè Religiosi, & viuunt sub obedientia Ordinarij, & gaudent priuilegio fori, & Canonis: ergo tanquam Ecclesiastici debent incedere in habitu Ecclesiastico conformi statui, & priuilegiis, quibus fruuntur. Vide quæ dicam *infrà, sect. 70.*

SECTIO XXXVIII.

Cuinam Episcopo subiectus sit Religiosus eiectus è Religione, quamdiu moratur in sæculo?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus eiectus subiectus est Episcopo originis, quia domicilium originis est immutabile.*

2 *Domicilium acquisitum per Abbatiam, Monachatum, vel quodcumque aliud beneficium, non durat, nisi quamdiu quis fuerit Abbas, Monachus, vel Beneficiarius.*

3 *Religiosus eiectus à Monasterio secundùm Azorium, & alios, more aliorum Clericorum subjicitur Episcopo, in cuius Diœcesi tunc moratur.*

4 *Religiosus eiectus secundùm alios potest subjicere se cuicumque Episcopo, scilicet originis, domicilij, vel beneficij.*

5 *Religiosus eiectus à religione, quamdiu moratur in saeculo, ex probabiliori sententia Doctorum ex vi sui voti, seu professionis non cecidit in obedientiam Episcopi, sed solùm tenetur illi obedire, sicut alij de Clero, quia sic per totum orbem vsu receptum videtur; secus si Religiosus eiectus non fuerit de Monasterio exempto.*

RESpondetur: Episcopo originis. Nauarrus *comment. 2. de Regul. in c. non dicatis, n. 34. & cons. 79. n. 4. de Regular. in nouis.* Vgolin. *de potest. Episc. c. 2. §. 9. circa fin.* Riccius *decis. 95. n. 1. p. 3. & resolut. 185. n. 3.* qui subdit, ita sensisse Curiam Archiepiscopalem Neapolitanam, Mart. *de Iurisdict. p. 4. cas. 182. n. 4.* Federic. de Senis *cons. 5. n. 2. vers. secundùm hoc,* & alij, quos sequitur Miranda *in Manuali, tom. 1. q. 52. art. 4. concl. 2.* 1

Probatur, quia domicilium originis est immutabile, *l. assumptio, ff. ad municipal.* Ergo.

Secundò, quia domicilium acquisitum per Abbatiam, Monachatum, vel quodcumque aliud beneficium, non durat, nisi quamdiu quis fuerit Abbas, Monachus, vel Beneficiatus: ergo similiter domicilium acquisitum per Religionem non durat, nisi quamdiu quis fuerit Religiosus, sicque Religiosus solutus à Religione redit ad pristinum domicilium. 2

Quamvis alij, quos sequitur Azorius *tom. 1. Instit. moral. lib. 12. cap. 16. q. 24.* Molina *de Iust. tom. 1. disp. 140.* qui volunt, sententiam Nauarri locum habere quoad eiectos non exemptos, Faust. *lib. 6. thes. q. 128.* Pasqualig. *in addit. ad Lauret. tit. de Regularib. eiectis, & apostatis,* & Donat. *in prax. Regul. p. 3. tract. 8. q. 33. n. 3.* putent, quod Religiosus eiectus è Religione, more aliorum Clericorum subjiciatur Episcopo, in cuius Diœcesi tunc temporis moratur; sicque nunc, cùm 3

nomine

nomine Ordinatij loci, potiùs veniat Ordinatius loci, in quo eiectus moratur, quàm Ordinarius loci, in quo eiectus est natus, dicendum videtur ex dispositione decreti Sacræ Congregationis *de eiect. & apostat.* §. 7. ibi: Sic verò eiecti, quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant, atque Ordinarij loci iurisdictioni, & obedientiæ subsint, proindeque Generalis illicò expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur. Vnde cùm decretum sit generale, procedit tam de Religiosis exemptis, quàm de Religiosis non exemptis.

4 Quinimò alij, quos sequitur Rodericus *tom. 1. quæst. Regul. q. 30. art. 15.* volunt quod talis eiectus possit se subijcere cuicumque Episcopo, scilicet originis, domicilij, vel beneficij, si ipse eiectus beneficium aliquod consecutus fuerit.

5 Vbi aduerte, quod Religiosus eiectus è Religione, quamdiu moratur in sæculo, ex probabiliori sententia Doctorum, vt Molinæ *disput. 140.* Azot. *lib. 12. cap. 16. quæst. 11.* & aliorum ex vi sui voti, seu suæ professionis non deueniat in obedientiam Ordinatij, quamvis contrarium velint Pasqualigus *in loc. sup. cit.* & alij cum Nauarro *in comment. 2. num. 34. & seqq.* Addo quod eiectus transferre se non possit ad alium locum, præsertim mutando domicilium, absque licentia sui Ordinarij, quam si suus Ordinarius concedat, tenebitur suus Ordinarius de statu eiecti monere nouum Ordinarium, loci scilicet, ad quem eiectus de nouo se confert, & tenebitur eiectus se præsentare tali nouo Ordinario; quia, inquiunt ipsi, ex verbis decreti de eiectis, & apostatis, eiecti non solùm sunt sub iurisdictione Episcopi, quemadmodum cæteri clerici sæculares, sed etiam sub obedientia Episcopi; & ideò non possunt se subtrahere ab obedientia Episcopi per mutationem loci, nec possunt recedere à Diœcesi Episcopi, nisi violent obedientiam illius; quia ratione obedientiæ debitæ coarctantur manere intra terminos Diœcesis illius, sed solùm teneatur obedire ordinario, sicut alij de Clero; & hoc solùm important illa verba decreti; atque Ordinatij loci iurisdictioni, & obedientiæ subsint: & ratio est, quia sic per totum orbem vsu receptum videtur; & Episcopi nihil peculiaris iuris in Religiosos eiectos vsurpant; nam isti Religiosi eiecti in professione non intendunt se obstringere per votum obedientiæ Episcopo, sed solùm suis Prælatis Regularibus, & medijs istis Romano Pontifici, qui est omnium Religiosorum communis Summus Superior, cùm ab ipso omnis iurisdictio spiritualis ad illos descendat: Quapropter cum promissio, seu votum non operetur vltra intentionem promittentis, seu vouentis, non tenentur Episcopo obedire ex vi voti; Quod dictum præcipuè locum habet in iis eiectis, qui erant ab Episcoporum iurisdictione exempti: Nam in non exemptis valdè probabilis est sententia contraria Nauarri, cùm non exempti ex vi voti subsint Episcopo; non tamen tenentur se illi offerre, vt Episcopus ipsos dirigat specialiter, & ipsi ab Episcopo dependeant specialiter, vltra quàm Clerici sæculares, quemadmodum contendit Nauarrus, quia sicuti dicebam, hunc modum viuendi extra Religionem minimè vouerunt, sicuti neque propter eandem rationem tenentur ex vi voti ad aliam Religionem transire, quin neque possunt à Romano Pontifice ad id compelli, quemadmodum etiam idem Nauarrus docet *conf. 17. de Regularibus*, & nos *suprà* suo loco dicebamus. Vide etiam quæ dicentur *infrà, sect. 42. & sect. 70. in corollarijs, coroll. 6.*

SECTIO XXXIX.

An Religiosus eiectus è Religione, si nullà spes sit, quod ad priorem Religionem iterum admittatur, possit propria voluntate, absque vllius licentia ad aliam Religionem transire?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus eiectus è Religione, si nulla spes sit, quod ad priorem Religionem iterum admittatur, potest propria voluntate, absque vllius licentia transire ad aliam Religionem, etiam ad laxiorem; quia per diffinitiuam sententiam extincta est obligatio, quâ tenebatur Religioni: contra Angelum, Tabienam, & alios asserentes, Religiosum eiectum non posse transire ad Religionem aequalem, vel laxiorem, nisi cum licentia suorum Superiorum, & contra Cordubam, & Suarez sentientes, id non posse facere, nisi cum licentia summi Pontificis.*

2 *Coniux innocens monitus si nolit post latam diuortij sententiam coniugem adulteram emendatam sibi reconciliare, potest coniux adultera ingredi Religionem, itavt post professionem in illa emissam non possit exinde amplius reuocari; cùm in tali casu videatur adultera à coniuge innocente concessa licentia.*

3 *Coniux innocens post diuortium licèt habeat facultatem reuocandi coniugem adulteram ad secum habitandum, si tamen nolit id facere, non propterea habet ius in illam ita strictum, vt adultera, quasi ligata non possit ingredi Religionem.*

4 *Religiosus eiectus, si prior Religio nolit ipsum iam emendatum recipere, potest remanere in sæculo.*

5 *Religiosi eiecti, vel egressi de ordine fratrum Minorum ex indulto Innocentij IV. possunt transire ad alios ordines approbatos, præterquam quod ad Ordines sancti Augustini, Templariorum, Hospitalariorum, & aliorum Religiosorum arma portantium, deferendo tamen literas testimoniales Generalis, vel Prouincialis.*

6 *Professio dictorum eiectorum Fratrum Minorum in alia Religione sine dictis literis testimonialibus est nulla; quia cùm aliquid debeat confirmari, ita tamen quod debeat praecedere inquisitio, confirmatio non est valida, nisi præcedat inquisitio, contra Rodericum sentientem contrarium.*

7 *Facultas cum conceditur faciendi aliquid, adiecta tamen certa forma, si ea non seruetur, gesta ipsius non valent.*

8 *Contraria sententia, quod scilicet eiectus non possit propria auctoritate ad aliam Religionem transire, non est omninò improbabilis.*

9 *Neque erat omninò improbabilis ante peadictum decretum de eiectis, quia eiectus vel corrigebatur, & tunc tenebatur redire ad propriam Religionem, vel non, & tunc durabat causa finalis eiectionis.*

10 *Quod saltem nunc locum habet, etiam stantibus priuilegiis, &c.*

Respondetur affirmatiuè, etiam ad laxiorem. Nauarrus *conf. 78. de Regularib. num. 1.* quatenus ait, quod quando Generalis, seruatis seruandis, fert sententiam diffinitiuam priuationis habitus, & expulsionis ab ordine contra Religiosum, propter demerita, tunc talis Religiosus possit sine vllius licentia ad quamcunque Religionem, etiam laxiorem, quàm posset intrare, ac si nunquam intrasset illam, à qua est iam solutus per diffinitiuam sententiam, quia per talem diffinitiuam 1

nitiuam sententiam, inqoit ipse, extincta est obligatio, qua tenebatur illi religioni; & ex alio capite extincta obligatio non potest reuiuiscere, neque impedimentum tollere, vel afferte, *l. qui res, §. aream, ff. de solutionib.* S. Antonioos *3. part. tit. 16. cap. 4. circa finem*, quatenus inquit, quod si quis propter sua demerita ejiceretur de Ordine mendicantium, quod fieri potest, tunc videtur, quod talis eiectus possit transire ad Ordinem Monachalem quemcunque, qui velit eum recipere; quia extra Religionem & habitum Religionis, inquit ipse, esse non potest: Quapropter non videtur tunc necessaria dispensatio Summi Pontificis. Rodericus *tom. 1. quæst. Regular. q. 30. art. 22.* Sorbus *in compendio Priuil. Mendicantium, verb. ejicere, in fine annot.* & alij, quos sequitur Passarellus *in priuil. Minimor. cap. 39. circa finem.*

Quamvis Angelus *verb. Religio, num. 42.* Tabiena *eodem verbo*, Beller. *part. 2. disquis. Cleric. tit. de pœnis Cleric. 6. 25. num. 22.* Donat. *in praxi rer. regalar. part. 1. tract. 8. quæst. 57. num. 3.* & alij teneant, quod Religiosus eiectus non possit transire ad Religionem æqualem, vel laxiorem, nisi cum licentia suorum Superiorum.

Et quamvis Corduba *in Regulam sancti Francisci, cap. 2. quæst. 21. punct. 3.* & Suarez *tom. 5. de censur. disp. 22. sect. 3. num. 10.* sentiant quod prædictus Religiosus eiectus id non possit facere, nisi cum licentia summi Pontificis.

2 Probatur tamen nostra responsio, quia si coniux innocens monitus nolit post latam diuortij sententiam coniugem adulterum emendatum sibi reconciliare, potest coniux adulter ingredi Religionem, ita vt post professionem in illa factam, non possit exinde amplius reuocari. Ostiensis *in cap. Gaudemus, de conuersione coniugator. num. 3.* Cardinalis *q. 3.* & alij, quos sequitur Veracruz *3. part. speciali, art. 3. concl. 2.* cùm in tali casu videatur coniux innocens concedere licentiam coniugi adultero, quod possit fieri Religiosus: Quandoquidem si in dicto casu licentiam illi denegaret, irrationabiliter illi denegaret: ergo similiter in casu nostro, si Religiosus eiectus petat redire ad Priorem Religionem, & Religio nolit eum recipere, eo ipso videtur illi concedere licentiam, vt ingrediatur Religionem quamcunque ipse voluerit, quandoquidem similiter si licentiam ei denegaret, irrationabiliter etiam ei denegaret.

3 Confirmatur, quia licèt coniux innocens post diuortium habeat facultatem reuocandi coniugem adulterum ad secum cohabitandum; si tamen nolit id facere, non propterea habet ius in illum ita strictum, vt coniux adulter quasi ligatus, non possit ingredi Religionem: Ergo similiter licèt Religio in casu nostro habeat ius reuocandi Religiosum eiectum, non tamen si Religio recuset illum iterum recipere, habet ius ita rigorosum, vt possit illi denegare licentiam ingredi aliam Religionem, vt scilicet suæ saluti spirituali consulat.

4 Confirmatur secundò, quia Religiosus eiectus, si prior Religio nolit eum iam emendatum recipere, potest remanere in sæculo, sicuti suprà *sect. 37.* dicebam: ergo multò magis poterit adire quamcunque voluerit Religionem, etiam laxiorem.

5 At aduerte, quod Innocentius IV. sicuti habetur in libro inscripto, *Monumenta Ordinum Fratrum Minorum*, fol. 37. in impressione prima, & fol. 120. in impressione 2. concesserit quod eiecti, vel egressi de prædicto Ordine Fratrum Minorum possint transire ad alios Ordines approbatos, præterquam ad Ordines Sancti Augustini, Templariorum, Hospitalariorum, & aliorum Religiosorum arma portantium, deferendo tamen literas testimoniales Generalis, vel Prouincialis; & inhiberit districtè præterea, ne tales Religiosi aliter ad alium Ordinem transeant, neve aliqui eos recipere, seu retinere præsumant absque licentia Sedis Apostolicæ faciente de præsentibus mentionem: Quod priuilegium participant per communicationem ferè omnes aliæ Religiones.

6 Quapropter ob hoc priuilegium, quamvis contrarium sentiat Rodericus *in sum. c. 6. n. 11. tom. 2.* si quis ordo accipiat huiusmodi eiectos absque literis dimissoriis testimonialibus prædictis, & huiusmodi eiecti emittant ibi professionem, talis professio sit nulla. DD. quos sequitur idem Rodericus *tom. 1. quæst. regul. q. 30. art. 92. circa fin.* sibimet ipsi contrarius.

Probatur, quia cùm aliquid debet confirmari, ita tamen quod debeat præcedere inquisitio, confirmatio non est valida, nisi præcedat inquisitio. Glossa *in Clement. 1. vers. adhibentes, de iurepatron. & in cap. prouidi, de elect. in 6.* Ergo similiter etiam in casu nostro non erit valida receptio, vel professio eiectorum in aliis Ordinibus, si non præcesserit inquisitio de literis testimonialibus prædictis.

7 Confirmatur, quia cum alicui conceditur facultas faciendi aliquid, adiecta tamen certa forma, si eam non seruet, gesta ipsius non valent. Felinus *in cap. ex parte, col. 4. de constit.* & alij, quos sequitur Tiraquel. *de Iudicio in rebus exiguis, n. 12.* Ergo cùm ex dicto Priuilegio detur facultas Religiosis eiectis transeundi ad alios Ordines, adiecta tamen forma, quod debeant deferre literas testimoniales Generalis, vel Prouincialis, si eas non deferant, talis receptio, vel professio non valebit.

8 Cæterùm contraria sententia, quod scilicet eiectus non possit propria authoritate ad aliam Religionem transire, non est omninò improbabilis *ex decreto de eiectis, 6. 7.* ibi: [Sic verò eiecti, quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu Clericali incedant, atque Ordinarij loci iurisdictioni, & obedientiæ subsint.] Ergo cùm præfigatur eiecto habitus Clericalis, & viuere sub obedientia Ordinarij, non poterit pro sua libertate eligere alium statum, sed tenebitur viuere in statu præfixo.

9 Quinimò prædicta contraria sententia neque etiam erat omninò improbabilis ante prædictum decretum de eiectis; quia vel eiectus corrigebatur, & tunc tenebatur redire ad propriam Religionem, iuxta textum *in cap. fin. de regal.* Vel non corrigebatur, & tunc durabat causa finalis eiectionis, atque adeò periculum infectionis aliorum; ideoque non poterat recipi ab vlla Religione: Ergo vt ad aliam Religionem transeat, vel transierit, requiritur, & requirebatur licentia Summi Pontificis, & Prælati suæ Religionis. Suarez *de censur. disp. 22. sect. 3. n. 20.* & Corduba *in cap. 2. Regal. S. Franc. q. 21. part. 3.* quos suprà citabam.

10 Quod saltem nunc locum habet, etiam stantibus priuilegiis, præsertim illo Innocentij IV. in fauorem Minimorum, & participantium, apud Rodrig. *tom. 1. quæst. Regal. q. 30. art. 21.* Quia per decretum de eiectis derogatum est omnibus priuilegiis eidem decreto de eiectis contrariantibus. Vide etiam quæ dicam *infrà, sect. 70. in corollariis, corollar. 7.*

SECTIO XL.

An si Religiosus eiectus, sed iam correctus, petat reuerti ad Religionem, teneatur Religio illum iterum recipere?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus eiectus, si iam correctus petat reuerti ad Religionem, licèt secundùm aliquos teneatur religio illum iterum recipere, quod tamen non teneatur, probat Sanctus Bonauentura; quia talis eiectum longo vsu tepefactus, rarissimè verè, & perseueranter*

feueranter emendatur, & facilè ipsius remissio aliis prabet ansam delinquendi.

2 *Sedes Apostolica, qua vnicuique ius suum seruat, & religionem in sua puritate permanere desiderat, non cogit religionem ad iterum recipiendum eiectum, cuius conuersatio eidem sit noxia; quia tunc faueret reis.*

3 *Eiecti à religione sunt infames, & praterea si iterum recipiantur, dedecorant religionem.*

4 *Sixtus V. in quadam sua constitutione pracepit, ne admitteretur ad religionem qui propter delicta ab ipsis commissa habentur tanquam infames.*

5 *Religiones habent à Sede Apostolica priuilegium ejiciendi incorrigibiles ad semper, seu in perpetuum.*

6 *Incorrigibiles iusta sententia condemnati sunt, quod in perpetuum viuant extra religionem.*

7 *Religio saltem id facere potest ad terrorem aliorum.*

8 *Coniux innocens post sententiam diuortij non potest compelli ad reconciliandum se alteri coniugi, quamuis se correxerit.*

9 *Religio habet ius reuocandi eiectum, at non è contra eiectus habet ius post emendationem redeundi.*

10 *Religio modò ex resolutione sacra Congregationis super Concilio Tridentino iussu Sanctissimi Vrbani Papa VIII. videtur probabile esse, quod possit cogi ad recipiendum eiectos, si fuerint emendati, & spes sit eos in emendatione perstituros, nisi iustas causas habeat recusandi.*

11 *Nauarrus rejicitur, quòd minùs rectè dixerit pradictos eiectos redeuntes ad religionem teneri de nouo professionem emittere; quia per eiectionem non liberantur à votis, neque ab obligatione, quam habent respectu religionis, cùm ea non extinguantur, sed tantùm suspendantur.*

12 *Eiecti à religione licèt secundùm aliquos Doctores probabiliter quando redeunt ad ipsam non sine restituendi ad eosdem gradus, honores, prarogatiuas, antiquitatem, &c. probabiliter etiam secundùm alios dicendum est oppositum, nisi aliter per constitutiones, vel per sententias dispositum sit, &c.*

13 *Religio non tenetur readmittere eiectos, si correctio sit pratensa, seu prasumpta; quia per Decretum de eiectis, & apostatis adesse debet de correctione spes euidens, qua debet saltem esse testificata per literas Ordinarij.*

14 *Religio neque tenetur readmittere eiectum, si exinde timeat sibi scandalum; quia charitas, & ius positiuum, quod inducitur per pradictum Decretum de eiectis, & apostatis, non obligant cum tanto incommodo.*

15 *Religio neque tenetur readmittere eiectos, si exinde timeat sibi notabilem infamiam, seu notabile sui honoris detrimentum, vt si v.g. Religiosus eiectus, postquam fuerit eiectus, crimen haresis, vel lasa Maiestatis commiserit.*

16 *Religio neque tenetur readmittere eiectos, si exinde timeat sibi malum, tametsi tantùm temporale, propter rationes supradictas.*

17 *Religiosus si à Religione eiectus fuerit verbaliter, & absque priuatione, & spoliatione habitus, licèt secundùm Mirandam talem eiectum readmittere spectet ad generalem, & si fuerit eiectus solemniter, & prauia degradatione, ad Summum Pontificem; quod erat de Iure communi; de iure tamen nouo tenentur Superiores eiectum hoc ipso quod se correxerit, readmittere.*

18 *Incorrigibiles Religiosi possunt vltra eiectionem pradictam puniri etiam aliis pœnis à iure statutis.*

19 *Religio non tenetur soluere debita, qua eiectus tempore eiectionis etiam pro alimentis contraxit. Secus si Religio ex eiectione consecuta fuerit aliqua bona; quia tunc tenebitur proportionaliter pro quantitate bonorum.*

Respondetur, quod quamvis affirment Syluester *verbo Apostasia, q.5.* Nauar. *cons.18. de Regul. in fin.* S.Anton.*3. part. tit.16.cap.5.* Molina *de iust. & iur.tom.1.disp.145.col.penult.vers.quid ad votum,* Tapia *authent.ingressi,verb.sua,cap.5.n.43.* Donat.*in praxi rer.Regul.part.2.tract.8.q.16.n.1.* Murcia *in cap.2. Regul.S.Francisci,c.16.n.2.* Corduba *in Regul. S.Francisci, cap.2.q.71.punct.2.* Lessius *de iust. & iur. lib.2. cap.41. dub.15.n.112.* & alij; neget tamen S.Bonau. *quast.14. in quastionib. super Regul. S.Francisc.* Azor. *part.1.lib.12.cap.17.quast.2.* Rodr.*tom.1.quast.Regul. q.3.art.20. in fine,* Sanch. *lib.6.moral. cap.9. n.32.* & Faust. *lib.6. Thes.relig. quast.227.* 1

Probatur ex eodem S. Bonauent.*ibi*, quia talis eiectus longo vsu tepefactus rarissimè, verè, & perseueranter emendatur; & facilis ipsius remissio aliis præbet ansam delinquendi, & ipse non potest allegare, fieri sibi iniuriam, eo quòd iterum non recipiatur; quia ipse ex propria sua culpa talem se præstitit, indignumque se reddidit, quod iterum reciperetur: Quin potiùs Religio legitimam causam habet contra ipsum agendi, eo quòd ipse Religionem dehonestauerit: Ergo meritò Religio poterit ipsum punire, & tradere sæculo, cui seruiuit, & non iterum acceptare.

Addit etiam S.Bonau.*ibid.* quod Sedes Apostolica, quæ vnicuique ius suum seruat, & Religionem in sua puritate permanere desiderat, non cogit Religionem, quod iterum recipiat eiectum, cuius conuersatio noxia sit Religioni; quia tunc Sedes Apostolica faueret reis, seu nocentibus, & puniret innocentes, & daret occasionem Religionis corruptioni per huiusmodi pestiferas personas, si eas iterum Religio recipere teneretur. 2

Secundò probatur sic; quia eiecti è Religione sunt infames: DD. quos sequitur Lapus *super consil.38.* Federici, & diffusè dicam *infrà, sect.70. in aduertendis. aduertendo 6.* & præterea dedecorant Religionem: Ergo Religio non tenetur illos iterum recipere, cùm Religio non teneatur recipere homines infames. 3

Confirmatur, quia Sixtus V. in quadam sua constitutione præcepit, ne admitterentur ad Religionem, qui propter delicta ab ipsis commissa habentur tanquam infames: at isti propter delicta, quorum causa eiecti fuerunt è Religione, sunt (vt suprà dicebatur) homines infames: Ergo Religio non tenetur eos iterum recipere. Non obstat, quod prædicta Sixti V. constitutio explicitè loquatur de sæcularibus petentibus habitum Religionis; quia pari ratione extendenda videtur ad prædictos eiectos, cùm postquam soluti sunt ab obedientia suorum Prælatorum, reputentur tanquam sæculares. 4

Confirmatur secundò, quia Religiones habent à Sede Apostolica Priuilegium ejiciendi incorruptibiles ad semper, seu in perpetuum: Ergo qui semel eiecti sunt, non possunt compellere Religionem, quod ipsos iterum recipiat, alioquin priuilegium vi sua dispoliaretur, & inane, seu frustratorium redderetur. 5

Confirmatur tertiò, quia incorrigibiles iusta sententia condemnati sunt, quod in perpetuum viuant extra Religionem: Ergo Religio compelli non potest, quod eos iterum admittat. 6

Confirmatur quartò, quia id saltem Religio facere potest ad terrorem aliorum, vt scilicet alij Religiosi in officio suo retineantur: Ergo reprehendi non debet Religio, quòd eiectos nolit iterum recipere. 7

Confirmatur quintò, quia post sententiam diuortij, coniux innocens non potest compelli, quod reconcilietur alteri coniugi, quamvis se correxerit: Ergo neque post sententiam eiectionis è Religione Religio innocens poterit cogi, quod iterum recipiat eiectum è Religione, quamvis se emendauerit. 8

Non obstat, si dicas: Religio habet ius reuocandi eiectum è Religione ad Religionem: ergo etiam eiectus è Religione habebit ius compellendi Religionem

nem ad ipsum iam emendatum recipiendum ad Religionem, alioquin dispar esset ratio contractus celebrati inter Religionem, & Religiosum eiectum è Religione.

Respondetur enim, nego consequentiam; quia cùm Religio sit innocens, mirum non est, si potiori Iure gaudeat, quàm Religiosus, qui suis prauis moribus Religionem deturpauit: Quemadmodum patet facto diuortio, in coniuge innocente respectu alterius coniugis nocentis, vti *suprà* dicebam.

10 Cæterùm, quia *cap. vltimum, de Regular.* quod est Concilij Lugdunensis sub Gregorio X. iubet, quod visitatores, vel Abbates maiores, vel Priores requirant suos fugitiuos, & eiectos, & cogant monasteria ad eos recipiendos; & quod eos; si reuerti noluerint, excommunicent: & Pius IV. in quodam suo motu proprio (quem refert Passarellus *in compendio Priuilegiorum, fol. 180.*) præcipit quod apostatæ recipiantur ad Religionem, & nouissimè die 21. Septembris 1624. Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium super Concilio Tridentino iussu Sanctissimi Vrbani PP. VIII. decreuit, quod Religionum Superiores suos fugitiuos, atque apostatas è Religione perquirant, & ad Religionem reducant, & efficiant quod apprehendantur, *§. rursus statuit, &c.* Dicendum mihi videtur, quod si euidens sit, eiectos esse emendatos, & in emendatione persistituros, debeant illi recipi, & Religio cogi possit eos admittere, nisi iustas causas habeat recusandi; præsertim quia sic ipsemet Pius IV. explicauit motum suum proprium, quem suprà dicebam; & præsertim quia sic optimè conciliantur opiniones prædictæ, quæ inter se prima facie contrariæ videbantur; & præsertim etiam, quia prædictum *cap. vlt. de Regular.* est innouatum in prædicto decreto Vrbani VIII. de eiectis, & apostatis: vbi quoque est declaratum, quod comprehendat etiam iustè eiectos per definitiuam sententiam; & meritò, quia licèt tales eiecti non debeant recipi de iustitia, cùm sibi imputare debeant, quod occasionem dederint, vt in perpetuum reijciantur, nihilominus recipi debent ex charitate ne relinquantur in periculo satisfaciendi propriæ obligationi, quam habent ratione votorum, quæ per eiectionem non extinguuntur, sed tantùm suspenduntur, sicque perdendi animas suas. Vide etiam quæ dicebam *infrà, sect. 70. coroll. 5.*

11 Vnde minùs rectè dixit Nauar. *cons. 80. de Regul. lib. 3. edit. 2.* quod prædicti eiecti, dum redeunt ad Religionem, teneantur de nouo professionem emittere; quia per eiectionem non liberantur à votis, nec ab obligatione, quam habent respectu Religionis; cùm ea, sicuti dicebam, per eiectionem non extinguantur, sed tantùm suspendantur. Rodriq. *tom. 1. quæst. Regul. q. 30. art. 28.* Sanch. *lib. 6. moral. c. 9. n. 33.* Faust. *lib. 3. Thes. Relig. q. 232.* Donat. *in praxi rer. regul. part. 2. tract. 8. q. 27. n. 1.* & alij communiter. Vide etiam quæ dicam *infr. cit. sect. 70. corollar. 5. & 6.* Hinc dum redeunt ad Religionem, incipiunt obligare de nouo, licèt de nouo non emittantur, etiam vota specialia Religionis; quia neque ista vota per eiectionem obligare cessauerant, nisi ex subtractione materiæ, quatenus scilicet erant emissa in consequentiam ad communionem Religiosam. Quapropter cum prædicti eiecti de nouo redeant ad Religionem, applicatur de nouo eadem materia, ac proinde reuiuiscit de nouo eadem obligatio prior.

12 An autem tales eiecti, cum redeunt ad Religionem, restituendi sint ad eosdem gradus, honores, prærogatiuas, antianitatem, &c. quibus ante eiectionem fruebantur?

Respondetur, quod quamvis probabiliter negent Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. c. 5. n. 27.* Rodriq. *in compend. resol. 57. num. 3.* & Donat. *in praxi rer. Regul. part. 2. tract. 8. q. 27. n. 3.* ex eo, quod æquum non est, vt præcedant alios Religiosos, qui laudabiliter semper vixerunt, & pondus diei, & æstus portarunt, probabiliter tamen etiam, nisi aliter per constitutiones, vel per sententiam dispositum sit, affirment alij, quos sequitur Sanch. *lib. 6. moral. c. 9. n. 33.* ita vt saltem prærogatiuæ illæ, quæ sunt personales, & perpetuæ, vt Doctoratus, Magisterium, & Antianitas, sint ipsis conseruandæ; quia per eiectionem similiter non sunt extinctæ, sed suspensæ; ita vt quemadmodum, secuta correctione, dum ad Religionem readmittuntur, recuperant Iura communia cum aliis Religiosis, ita etiam recuperent iura propria; cùm sit eadem ratio, præsertim quia dum readmittuntur de nouo, tanquam correcti restituuntur ad suum pristinum statum; & præsertim etiam, quia sic magis alliciuntur, vt redeant ad Religionem.

ADVERTENDA.

Aduerte tamen quod Religio non teneatur readmittere eiectos, si correctio sit prætensa, seu præsumpta; quia per decretum de eiectis, & apostatis adesse debet de correctione spes euidens, quod scilicet non sint ampliùs similia delicta commissuri; quæ spes debet esse saltem testificata per literas testimoniales Ordinarij, in quo ipsius Ordinarij conscientia oneratur: cùm igitur adesse debeat non qualiscumque, sed euidens spes correctionis, quando de ipsa correctione aliunde non constat, quàm ex literis testimonialibus Ordinarij, non sufficit quæcumque attestatio ipsius Ordinarij, sed opus erit, quod sit talis, vt fundet spem euidentem correctionis. DD. quos sequitur Leander à Murcia *in c. 2. Regul. S. Franc. c. 16. n. 14.* Quapropter non sufficiet simplex attestatio, sed opus erit, quod sit innixa tali informationi, quæ reddat euidentem, seu certam correctionem eiecti, sicque quod dicta attestatio fiat causa cognita cum iuramento honestarum personarum, omni exceptione maiorum, deponentium super prædictam correctionem eiecti; quod si non præcedat talis attestatio Episcopi, causare non poteris euidentem, seu certam spem prædictæ correctionis; *sicque* semper Religio poterit excipere, quod attestatio sit insufficiens. 13

Aduerte secundò, quod Religio neque teneatur readmittere eiectum, si exinde timeat sibi scandalum. Glossa *in cap. finali, de Regul. verb. si absque scandalo,* Syluest. *verb. Apostasia, n. 10.* Armilla *verb. Relig. n. 16.* S. Anton. *3. part. tit. 16. c. 5.* Rodriq. *tom. 1. quæst. Regul. q. 30. art. 5.* Grass. *part. 1. dec. lib. 3. c. 5. n. 151.* Corduba *in cap. 2. Regula S. Franc. q. 21. punct. 2.* Layman. *lib. 4. Theol. moral. tract. 5. c. 13. n. 7.* Sanch. *lib. 6. moral. c. 9. n. 10.* Murcia *cit. c. 16. n. 15.* & Donat. *in prax. rer. Regul. part. 2. tract. 8. q. 26. n. 12.* quia charitas, & ius positiuũ, quod inducitur per prædictum decretum de eiectis, & apostatis, non obligant cum tanto incommodo; neque ita est consulendum eiectis, vt ex eorum culpa sequantur scandala; præsertim quia magis est consulendum innocentibus, quàm nocentibus, præsertim etiam, quia commune bonum Religionis præferri debet priuato. Accedit quod quando timetur scandalum, non habetur de eiectis spes euidens correctionis, sicque non vrget tunc obligatio eos readmittendi. 14

Aduerte tertiò, quod Religio neque teneatur readmittere eiectos, si exinde Religio sibi notabilem infamiam, seu notabile sui honoris detrimentum timeat, vt si v.g. Religiosus eiectus, postquam fuerit eiectus, crimen hæresis, vel læsæ Maiestatis commiserit. DD. quos sequitur Donat. *cit. q. 26. n. 3.* & Leander à Murcia *in c. 2. Regul. S. Francisci, c. 16. n. 17.* Idque propter easdem rationes supradictas, præsertim quia subintrat ius naturale, vt Religio conseruet se illæsam, & auertat à se tale detrimentum, præsertim etiam, quia sicuti dicebam, in præsenti concurrunt interesse commune Religionis, & interesse priuatum eiecti, quod debet cedere communi. 15

Aduerte quartò, quod Religio neque teneatur 16
readmittere

readmittere eiectos, si exinde timeat sibi malum, tametsi tantùm temporale, vt si v. g. eiectus contraxerit interim morbum contagiosum. Idque etiam propter easdem rationes suprадictas. Donatus à Murcia *in loc. suprà citat.* & Nouarius *part. 2. summæ Bullar. titul. de eiectis, num. 8.* Quod & locum habet, si eiectus factus fuerit inhabilis ad seruitia Religionis, idque similiter propter easdem rationes, quas suprà dicebam: Quapropter & id etiam intelligitur exceptum in decreto de eiectis, & apostatis; quia leges humanæ non obligant cum graui incommodo, nec obligant communitatem, quando ex accidenti vergunt in detrimentum illius, nec quando contra ipsas subiorirur ius naturale, sicuti totica dicebam.

17 Aduerte quintò, quod licèt Miranda in Manual. Prælator. doceat, quod si Religiosus è Religione eiectus fuerit verbaliter, & absque priuatione, & spoliatione habitus, readmittere talem eiectum spectet ad Generalem Religionis; si verò fuerit eiectus solemniter, & actualiter illum degradando à Religione, spectet ad solum Summum Pontificem, id locum habeat solùm de iure communi, non autem de iure nouo; quia per decretum nouum de eiectis, & apostatis ob solam incorrigibilitatem ejiciuntur, & eiectio est dictio simplex; itavt teneantur Superiores Religionis eiectum, hoc ipso, quod se correxerit, readmittere ad Religionem; sicque sententia definitiua eiectionis stet cum hoc, quod secuta correctione, Religiosus de nouo debeat readmitti, atque adeò locum ampliùs non habeat distinctio Mirandæ, & aliorum.

18 Cæterùm, cùm prædictum decretum de apostatis, & eiectis disponat solùm de incorrigibilibus, non tollit, quin seclusa incorrigibilitate, Religiosi delinquentes non possint puniri pœnis à iure statutis: Quapropter remanet in vigore Priuilegium, quod teste Rodrig. *tom. 1. quæst. Regul. quæst. 30. art. 16.* & Miranda *tom. 1. manual. quæst. 52. articul. 1. concl. 8.* concessit anno 1566. Generali Religionis sancti Hieronymi Hispaniæ, sicque cæteris Religionibus communicationem habentibus; puniendi delinquentes subditos suos ad perpetuos triremes; quamvis hodie loco triremium successerit ergastulum ab Vrbano VIII. erectum.

19 Aduerte sextò, quod Religio neque teneatur soluere debita, quæ eiectus tempore eiectionis, etiam pro alimentis contraxerit. Surdus *de alimentis, titul. 7. quæst. 35. num. 1.* Castrensis *consil. 76. num. 1. vol. 1.* & alij quos sequitur Sanchez *lib. 6. moralium, cap. 9. num. 20.* quia cùm religio ipsum iam à se praeciderit, itavt culpa sua sub obedientia religionis ampliùs non degat, extincta est Religionis obligatio ipsum alimentandi, sicque soluendi debita, etiam pro alimentis contracta: quod si eiectus, quando readmittitur, habeat aliqua bona tempore eiectionis acquisita, tunc quamvis illa acquisita fuerint non ipsi eiecto, sed religioni, cùm quidquid acquirit Religiosus, acquirat Religioni: Nihilominus ex concessione implicita ipsiusmet Religionis, quæ pro illo tempore eiectionis concessit eiecto liberam administrationem acquisitorum, censentur affecta, seu obligata creditoribus, vt ex prædictis acquisitis solui, seo satisfieri debeat creditoribus.

SECTIO XLI.

Quidnam autem dicendum, si Religiosus iniustè eiectus fuerit è Religione?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus si iniustè eiectus fuerit è Religione, potest eam compellere ad ipsum iterum recipiendum, & alendum, dum viuit extra religionem; quia in tali casu iniustè priuatus est iure suo manendi in religione, & percipiendi ab ipsa alimenta.*

Respondetur, quod in tali casu eiectus absque dubio compellere possit Religionem, quod iterum ipsum recipiat, & alimentet, dum viuit extra Religionem. Auanias *in cap. ex parte, de accusat. num. 3.* Imola *in Clement. 1. de statu Monachor. num. 37.* Cardinalis *ibidem, §. quia verò, num. 7. quæst. 4.* Lara *in leg. si quis à liberis, §. si vel parens, ff. de liber. agnoscend. n. 59.* Simon de Prætis *de interpret. vltim. volunt. lib. 5. dub. 2. num. 12. & seqq.* Afflictus *decis. 10. num. 4.* Felin. *in cap. cùm dilecta, de rescript. num. 16. fallentia 3.* Nauarrus *commentar. 2. de regularib. num. 65. vers. addo septimò.* Velascus *tom. 1. consf. 7. num. 3.* Lancellot. *de attentat. part. 2. cap. 4. limit. 11. num. 30.* Boërius *dec. 324. num. 5.* Surdus *de alimentis, tit. 5. q. 1. num. 48. & tit. 6. q. 19. circa finem, & q. 37. n. 6.* Menoch. *de præsumpt. lib. 1. quæst. 35. num. 21.* Molina *de iust. & iur. tom. 1. disp. 140.* & alij passim. 1

Probatur, quia Religiosus in tali casu iniustè priuatus est iure suo manendi in Religione, & percipiendi à religione alimenta: ergo compellere potest religionem, vt & ipsum iterum recipiat, & alimentet, quousque vixerit extra religionem.

SECTIO XLII.

An Religiosus eiectus è Religione, solutus sit votis Religionis?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus eiectus è Religione non est solutus votis religionis, adeò vt teneatur seruare sua vota religionis solemniter emissa, scilicet paupertatis, castitatis, & obedientiæ; est enim verè, & propriè religiosus, sicut Episcopus sua Ecclesia spoliatus est verè, & propriè Episcopus.*

2 *Eiectus è religione, si non est obligatus ad vota emissa in professione, reportaret commodum ex sua eiectione, quod non est dicendum.*

3 *Eiectus è religione, vtpotè tantummodò eiectus ex illa; remanet verè, & propriè religiosus.*

4 *Eiectus è religione remanet obstrictus voto castitatis.*

5 *Religiosus si fiat Episcopus, remanet obstrictus voto castitatis, & obedientiæ, quia licèt non teneatur tunc obedire Superioribus religionis, tenetur tamen obedire Summo Pontifici, quemadmodum etiam Generalis religionis.*

6 *Religiosus factus Episcopus, ex communiori, & probabiliori sententia Doctorum remanet etiam obstrictus voto paupertatis, cùm non efficiatur Dominus redditnum Ecclesiasticorum, sed solùm administrator.*

7 *Obligatio prædicta quoad quosdam effectus, vel necessariò, vel quammaximè conuenientes statui extra religionem, est ad summum aliquo modo suspensa, quandiu scilicet religiosus eiectus vixerit extra religionem; non enim si recipiatur, debet iterum emittere professionem.*

24 Obijcies sextò: Superiores non possunt eiecto, cùm eum ex ipsorum potestate, cura, & obedientia eiecerint, quidquam præcipere: ergo neque etiam poterunt eum cogere, quod redeat ad Religionem.

Respondetur, nego consequentiam; quia licèt Religiosus eiectus in aliis non teneatur obedire suis superioribus, qui ipsum extra ipsorum curam proiecerunt; quia, vtpotè eiectus, non ducit vitam religiosam, seu claustralem, scilicet in claustris simul cum aliis Religiosis; nihilominus si à suis superioribus iubeatur, quod redeat ad Religionem, tenebitur obedire; quia in substantia remanet Religiosus, cùm vota, quæ semel emisit in Religione per professionem, extincta non fuerint per eiectionem, vti dicebam. Vide Molinam *de Iust. tom. 1. disp. 140. col. vlt. vers. Nauarrus in cap. Non dicatis*, & Rodericum *tom. 1. quæst. regular. q. 30. art. 20.* quatenus aiunt, quod Religiosus eiectus satis sit, si conetur taliter viuere, vt dignus sit, qui iterum admittatur, paratusque sit in eadem Religione Prælatis obedire, si sublatis impedimentis iterum admittatur. Vide etiam Azorium *tom. 1. Instit. moral. lib. 12. c. 16. q. 11.* quatenus ait, quod Religiosus eiectus, quamvis absque Religione sit, quia est per iustam sententiam è Religione depulsus; sit tamen propriè & verè Religiosus, sicut Episcopus sua Ecclesia spoliatus, est verè, & propriè Episcopus, sicque sit tribus votis obstrictus, vt hoc ipso debeat eo animo esse, vt superioris iussis obtemperet, si ea facta fuerint ipsi.

Vide etiam & omninò *citat. cap. final. de Regular.* vbi disponitur, quod possint superiores etiam censuris cogere eiectum ad redeundum.

25 Nec potest dici, quod hæc dispositio non sit vsu recepta; quia vt omittam, quod innouata iam fit in decreto de apostatis, & eiectis, vbi declaratum fuit, quod locum habeat etiam in eiectis iustè in perpetuum per sententiam diffinitiuam, ibi: [Postremò censuit esse innouandam, & suæ Beatitudinis authoritate innouat constitutionem fel. record. Gregorij IX. relatam *in cap. final. de Regularib.* At præterea declarat, eam constitutionem in iis quoque vendicare sibi locum, seruandamque esse, qui iustè, diffinitiueque, ac iuris ordine seruato repulsi fuerint.] Vbi Pontifex non disponit de nouo, sed supposita facultate superiorum reuocandi eiectos, & supposita obligatione istorum ad redeundum, quæ prouenit ex obligatione votorum, monet Prælatos Regulares de sua obligatione, & dat illis facultatem adhibendi censuras contra prædictos eiectos: vnde non est eadem ratio de seruo manumisso, quia facta manumissione, remanet is omninò liber; in eiectis autem remanet obligatio votorum, vti dicebam.

26 Aduerte tamen, quod cùm prædictum decretum de apostatis, & eiectis moderetur *citat. cap. final. de regular.* quatenus scilicet obligat Religionem recipere eiectos, nisi quando spes adest euidens correctionis eorum, fit quod neque teneatur eos perquirere, & reducere, nisi quando existit eadem spes euidens correctionis eorundem, secundùm quam moderationem intelligendum est *dictum cap. finale*: quapropter Religio non tenetur eos perquirere, & reducere, quando non habet notitiam talis spei, sicuti notant Doctores, quos sequitur Leander à Murcia *in cap. 2. Regula Sancti Francisci, cap. 16. num. 13.* quia stante incorrigibilitate, cùm incorrigibilis semper præsumatur talis donec contrarium constet, *cap. Mandata*, & *cap. Ex studiis, de præsumptione*, adest semper violenta præsumptio contra ipsos: tum quia, cùm per sententiam sint declarati incorrigibiles, præsumptio stat pro re indicata, *cap. Cùm inter, de sententia & re iudicat.* Tum quia, cùm teneatur se corrigere, & ad Religionem redire, donec non petit admitti signum euidens est, quod perseueret in sua incorrigibilitate.

SECTIO XXXVI.

An Religiosus eiectus è Religione, quæ nolit ipsum, quamvis se correxerit, iterum admittere, teneatur ad aliam Religionem transire?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus eiectus à religione, quæ nolit ipsum, quamvis se correxerit, iterum admittere, non tenetur ad aliam religionem transire, contra Syluestrum, Armillam, Sanctum Antoninum, & alios.*

2 *Nullus Prælatus, nec inferior, nec supremus potest cogere vllum religiosum ad transeundum ad aliam Regulam strictiorem: tum quia quis cogi non potest ad crescendum per ascensum ad religionem, quam non est professus.*

3 *Neque cogi potest ad aliam, siue æqualem, siue etiam laxiorem; quia similiter non vouit eam, & nemo cogi potest vouere.*

4 *Summus Pontifex neque potest cogere vitam monachalem agentes ad ingrediendam, & profitendam aliam religionem.*

5 *Superior non potest iubere subdito suo regulari propter delicta etiam incorrigibilitatis, vt ingrediatur aliam religionem.*

6 *Eiectus non tenetur ingredi aliam religionem, etiamsi laxior fuerit religione, à qua fuit eiectus, etiamsi Pontifex id ipsi concedat; quia hoc ipse non vouit.*

7 *Religiosus eiectus, qui citra probabile salutis periculum in sæcule viuere non potest, in sententia Sancti Bonauenturæ tenetur transire ad aliam religionem. At regulariter nullo iure qui est per sententiam iustam eiectus, potest cogi ad aliam religionem transire.*

8 *Vota quæ emittuntur in religione, debent voluntariè emitti: consequenter Prælati Regulares non possunt obligare eiectum, vt ingrediatur aliam religionem.*

9 *Reus, seu delinquens non potest per sententiam diffinitiuam in pœnam suorum delictorum obstringi, quod fiat religiosus, cùm professio debeat esse voluntaria: consequenter neque poterit eiectus obstringi, quod aliam religionem ingrediatur.*

10 *Religiosus eiectus, licèt causam dederit, vt ejiciatur, nihilominus dum se correxerit, & fecerit quantum est in se, vt readmitteretur, satisfecit propriæ obligationi, & stante religionis recusatione redditur ipsi impossibile, quod viuat regulariter, & redeat ad religionem, sicut deberet: Consequenter non tenetur redire, neque aliam ingredi; quia ex vi professionis se tantùm obligauit religioni, à qua eiectus est.*

11 *Religiosus, eum religionem professus est; non obligauit se ad viuendum religiosè in genere, vt supponitur in argumento; & quatenus se obligasset, non ideò si non potest permanere in vna Religione, debet ratione voti emissi transire ad aliam, quia iste talis adhuc viuit religiosè.*

12 *Religiosus transtulit sui dominium in Deum quoad regulares obseruantias, & constitutiones, non omnes, seu quascunque, sed quoad certas, seu quasdam, quas solas vouit.*

13 *Religiosus, qui animum tendendi ad perfectionem secundùm*

secundùm regulas non habet, est in statu peccati mortalis: at qui vult remanere in sæculo, itavt non curet emendari, & iterum recipi in Religionem, quam vouit, non habet talem animum, nec in aliam, quam non vouit.

14 *Religiosus ob sua delicta eiectus è religione, tenetur curare quod in suam religionem iterum recipiatur, vel quod ad aliam admittatur.*

15 *Religiosus vt possit à claustro penè absolui, necesse est, vt ad aliud Monasterium, vel ad curam animarum transferatur.*

16 *Is qui propter culpam suam ejicitur à Prælato, adhuc est subditus, sicut ouis morbida, quæ licèt expulsa à grege, adhuc est Pastoris.*

17 *Religiosus eiectus à religione ter, tum in sententia S. Bonauentura non possit amplius recipi, declarat hanc clausulam referri ad eiectum, non ad Prælatum, cui facultas non tollitur repetendi illum, si non transierit ad alias.*

18 *Religiosus eiectus à religione tenetur totis viribus procurare, & humiliter petere, quod iterum ad religionem à qua fuit eiectus, recipiatur, & disponere se, quod aptus reddatur; quia nemo debet ex delicto suo reportare commodum.*

19 *Religiosus eiectus, licèt religio liberetur ab obligatione erga illum, ipse tamen non liberatur ab obligatione circa religionem, quam fuit semel professus; & consequenter non potest in sæculo, & in statu Clericatus saluari, nisi adsit specialis Pontificis dispensatio ob iustam causam, & rationabilem ipsi concessa.*

20 *Superior quod possit cogere religiosum propter eius delicta ad ingrediendam aliam religionem, præter Sanctum Bonauenturam, tenent etiam non improbabiliter alij Doctores.*

21 *Religiones aliquæ, quod à Sede Apostolica habeant priuilegium, vt possint subditos suos religiosos compellere ad ingrediendum aliam religionem propter grauia delicta, ob quæ meritò per sententiam diffinitiuam ejiciuntur, tenet Sanctus Bonauentura in expositione Regulæ Sancti Francisci.*

22 *Superiores Regulares secundùm prædictos Doctores præcipiunt eiectis, vt ad aliam religionem transeant, non auctoritate propria, sed auctoritate Summorum Pontificum, qui talem facultatem ipsis concesserunt.*

23 *Prælati Regulares possunt etiam de iure communi suos subditos religiosos propter eorum crimina, quando per sententiam diffinitiuam iuridicè latam, eos ejiciunt à religione, obligare ad ingressum alterius religionis, eosque absoluere à votis suæ religionis, cum conditione, quod aliam religionem ingrediantur.*

24 *Sententia negatiua in principio sectionis allata Auctori magis probatur, prædictis non obstantibus, saltem ex eo, quod professio, seu vota solemnia in quacumque religione debent esse voluntaria.*

25 *Religiosus eiectus à religione, si in principio sui ingressus vouerit religionem in communi, secundùm Sanctum Bonauenturam, & alios tenetur ingredi aliam religionem: at probabilius est oppositum, quia hoc votum religionis in communi extinctum fuit per professionem factam in prima religione, in quam ingressus est.*

26 *Votum religionis in genere, seu in communi sufficienter impletum fuit per ingressum in religionem determinatam.*

27 *Eiectus remanet verè religiosus, cùm remaneat obstrictus tribus votis substantialibus religionis.*

28 *Mens ipsius eiecti non videtur fuisse, se obstringere ad ingressum alterius religionis, si post professionem contingeret, quod ejiceretur ex ista, nisi fortè id expressè cogitauerit, & apud se statuerit, cùm voueret, &c.*

RESpondetur, quod quamvis affirment Syluester 1
verbo Religio 6. q. 12. Armill. *eodem verbo, n. 25.* Sanctus Antoninus *3. parte, tit. 1. cap. 4. circa finem,* Corduba *in regulam Sancti Francisci, cap. 2. quæst. 2 1. punct. 3.* Federicus de Senis *consil. 38. Mendicant, verbo ejicere, in fine Annot.* S. Bonauentura *in regula Sancti Francisci, quæst. 14. in fine,* Altisiodorens. *lib. 3. summa, tract. 22. quæstione penultima,* Tabiena *verbo religio, num. 26.* Angelus *verb. religiosus, num. 41.* Pallarellus *ad priuil. Minimorum, cap. 26.* & alij, ex eo, quia putant, eum esse obligatum Religioni in genere, seu in communi. Probabiliùs tamen negent Sotus *de Iustit. & Iure, lib. 7. quæst. 2. art. 1. ad 3. argumentum in fine,* vbi ait, quod qui post solemnia votum, tanquam incorrigibilis è Monasterio depellitur, quamdiu per ipsum steterit, quominus recipiatur, non sit tutus in conscientia, sed teneatur se emendare, & in viam redire; quia cum ex culpa sua fuerit depulsus, quamdiu in tali culpa perseuerauerit, versabitur in periculo salutis: sed si, correcta vita, ad claustra rediens non admittatur, tutus maneat in sæculo: quapropter ad mentem Soti non tenebitur transire ad aliam Religionem. Nauarrus *commentar. 2. de regularibus, num. 16.* vbi inquit, quod talis Religiosus ad aliam Religionem transire nullo iure cogatur: & *commentar. 4. de regularibus, num. 21.* vbi scribit, 2
quod nullus Prælatus, nec inferior, nec supremus possit cogere vllum Religiosum ad transeundum ad aliam regulam strictiorem: tum quia quis cogi non potest ad crescendum per ascensum ad Religionem, quam non est professus, *cap. Gestu, cum Glossa, dist. 74.* Tum quia non vouit illam, & hæc res est voti, non præcepti, *cap. Integritas, 32. quæst. 1.* Neque quis co- 3
gi potest ad aliam, siue æqualem, siue etiam laxiorem; quia similiter non vouit eam, & nemo cogi potest vouere; & *consil. 16. de Regularibus, num. 5.* vbi docet, quod neque etiam Pontifex possit coge- 4
re vitam monachalem degentes ad ingrediendam, & profitendam aliam Religionem: & *num. 6.* vbi ait, quod omnes Doctores in hoc conueniant, Religiosum scilicet cogi non posse ad profitendam nouam regulam, quam priùs ipse non vouerat, & *consil. 77. num. 2.* vbi inquit, quod superior non possit iube- 5
re subdito suo regulari propter delicta, etiam incorrigibilitatis, vt ingrediatur aliam Religionem. Molina *disputat. 190. vers. Nauarrus,* vbi docet, quod 6
eiectus non teneatur ingredi aliam Religionem, etiamsi laxior fuerit Religione, à qua fuit deiectus, & etiamsi Pontifex id ipsi concedat; quia hoc ipse non vouit. Lessius *de Iustitia & Iure, lib. 2. cap. 41. dubit. 15. num. 111. & 114.* vbi tradit, quod eiectus non teneatur intrare aliud Monasterium, quia ad hoc se non obstrinxit, sicque quod vel teneatur redire ad suum, cui erat obstrictus, vel ad nullum. Rodericus *tom. 1. quæst. regular. quæst. 30. art. 2.* vbi inquit, quod obligare aliquem per sententiam diffinitiuam, vt strictiorem, seu etiam laxiorem Religionem Ingrediatur, metas naturæ voti transgredi videatur; quia vota, quæ in qualibet Religione emittuntur, debent esse voluntaria; sicque, sicut non potest quis propter ipsius delicta in pœnam illorum obligari, vt Religionem ingrediatur, & ibi professionem emittat, ita similiter non poterit eiectus ad id ipsum obstringi, propter eandem dictam rationem. Azotius *tomo primo Institutionum moralium, libro duodecimo, capite decimosexto, quæstione septima,* vbi ait, quod Religiosus per sententiam iustam eiectus è Religione, possit in sæculo manere, nec teneatur ad aliam Religionem transire

transire, quia nunquam vouit ingressum alterius Religionis, *& eodem cap. quæst.* 13. vbi citaos Sanctum Bonauenturam *in opusculo de determinationibus circa Regulam Sancti Francisci, cap.* 14. *circa finem*, docotem, quod eiectus è Religione transire debeat ad aliam, nec possit iure in sæculo manere, interpretatur dictum
7 Sanctum Bonauenturam intelligendum esse de eiecto, qui in sæculo citra probabile salutis æternæ periculum viuere non potest. *Et cap.* 12. *quæst.* 2. vbi scribit, quod nullo iure qui est per sententiam iustam eiectus è Religione, cogi possit ad aliam Religionem transire; quodque tribus votis solutus non sit, quamvis in sæculo commoretur.

Idemque docent Sanch. *lib.* 6. *moral. cap.* 9. *n.* 34. Graff. *conf.* 3. *num.* 4. *de Regularib. lib.* 4. Faust. *lib.* 6. *Thes. Relig. q.* 206. Layman. *lib.* 4. *Theol. moral. tract.* 5. *c.* 13. *n.* 8. Donat. *in praxi rerum Regular. p.* 2. *tract.* 8. *q.* 28. *n.* 1. & alij, quos citat, & sequitur Barbos. *ad cap. final. de Regular. n.* 9.

8 Probatur, quia vota quæ emittuntur in Religione, debent voluntariè emitti: ergo Prælati Regulares non possunt obligare eiectum, vt ingrediatur aliam Religionem; cùm hoc repugnet naturæ voti, quæ in voluntaria promissione consistit.

9 Confirmatur, quia noo potest reus, seu delinquens per sententiam diffinit uam in pœnam suorum delictorum obstringi, quod fiat Religiosus; cùm Professio debeat esse voluntaria, ex dictis: ergo neque poterit eiectus obstringi, quod aliam Religionem ingrediatur; cùm & professio in ea Religione debeat esse voluntaria, etiam ex dictis.

10 Probatur secundò, quia Religiosus eiectus, licèt causam dederit, & ejiciatur; nihilomious dum se correxerit, & fecerit quantum est in se, vt readmitteretur, satisfecit propriæ obligatiooi, & stante Religionis recusatione, redditur ipsi impossibile, quod viuat regulariter, & redeat ad Religionem, sicuti deberet: ergo non tenetur redire, nec tenetur Religionem aliam ingredi; quia ex vi professioois se tantùm obligauit Religioni, è qua eiectus est: ergo si hoc ipsi reddatur impossibile, non tenetur Religionem aliam ingredi, quemadmodum qui vouit ingredi determinatam Religionem, si nolit illa ipsum recipere, non tenetur ingredi aliam, quamvis teneatur honestè viuere, & in quantum patitur ille status, vota seruare. Idemque dicas cum Sanchez, & aliis contra Altisiodorensem *in locis suprà citatis*, quod neque teneatur Religiosus, cuius Religio est extincta, ingredi aliam Religionem, cùm militet eadem ratio.

11 Objicies: Religiosus, cùm Religionem professus est, obligauit se ad viuendum religiosè in genere: ergo si non potest permanere in vna Religione, debet ratione voti emissi transire ad aliam Religionem.

Respondetur: transeat antecedens, at nego consequentiam; quia iste talis adhuc viuit religiosè; cùm remaneat verè, & propriè Religiosus, atque tribus Religionis votis obstrictus; quamvis in pœnam suorum delictorum è Religione fuerit eiectus, & moretur in sæculo.

Respondetur secundò: nego antecedens, quia falsum est, quod vouerit Religionem in genere, cum vouerit potiùs Religionem in particulari; quapropter si non permittatur viuere in illa, noo propterea ratione voti emissi tenebitur transire ad aliam.

12 Objicies secundò: Religiosos transtulit sui Dominium in Deum quoad regulares obseruantias, & constitutiones: ergo si non potest istas seruare in voa Religione, tenebitur seruare in alia.

Respondetur: distinguo antecedens, transtulit sui dominium in Deom quoad regulares obseruantias, & constitutiones omnes, seu quascumque, quas non vouit, nego antedens: quoad certas, seu quasdam quas solas vouit, concedo antecedens.

Objicies tertiò: Religiosus, qui animum tendendi 13 ad perfectionem secundùm Regulas non habet, est vti rectè præter alios probat Nauarr. *comment.* 1. *de Regul. n.* 10. in statu peccati mortalis: at talem animum habere non videtur is, qui vult remanere in sæculo: ergo.

Respondetur: distinguo minorem, qui vult remanere in sæculo, itavt non curet emendari, & iterum recipi in Religionem, quam vouit, concedo: itavt non curet emendari, & recipi in aliam Religionem, quam non vouit, nego, cum ad id ex dictis ratione voti emissi non teneatur.

APPENDIX

Ad ea, quæ suprà dicebantur: vbi quid dicendum, si Religiosus eiectus à principio vouerit Religionem in genere, non determinando hanc, vel illam Religionem in particulari: vbi etiam an propria authoritate possit ad aliam Religionem transire?

CÆterùm rectè noui, præter prædictos Doctores, 14 quos suprà citabam, alios complures tenere, quod Religiosus ob sua delicta eiectus è Religione iterum recipiatur, vel quod ad aliam admittatur: ita enim tenet Federicus de Senis *consil.* 134. vbi ait, quod ad 15 hoc, vt Religiosus possit è claustro penè absolui, necesse sit, vt ad aliud Monasterium, vel ad curam animarum transferatur. Vmbertus super Regulam Sancti Dominici, vbi sicuti patet ex constitutionibus super eandem Regulam Sancti Dominici habitis in Capitulo generali Parisiis celebrato 1276. *dist.* 1. *cap.* 19. inquit, quod is, qui propter culpam suam ejicitur à 16 Prælato, adhuc sit subditus; sicut ouis morbida, quæ licèt expulsa à grege, adhuc est Pastoris: vnde talis eiectus non est absolutus ab obedientia Prælati, quovsque transierit ad aliquam Religionem, & in ea professus fuerit. S. Bonauent. *in loc. infrà citand.* vbi loquens de Religioso ter eiecto è Religione, & dicens, 17 hunc non posse amplius recipi, subdit: Aduerte, quod hæc clausula refertur ad eiectum, cui adimitur ius implorandi officium Iudicis, vt recipiatur, non tamen ad Prælatum, vbi facultas non tollitur, scilicet repetendi illum, si non transierit ad aliam. Cordoba *in Expositione Regula S. Francisci*, *c.* 2. *q.* 21. *punct.* 3. vbi tenet, 18 quod eiectus è Religione teneatur totis viribus procurare, & humiliter petere, quod iterum ad Religionem, è qua fuit eiectus, recipiatur, & disponere se, quod aptus reddatur; quia nemo debet ex delicto suo reportare commodum, quod reportaret eiectus, si posset in sæculo tuta conscientia remanere: quapropter licèt 19 Religio liberetur ab obligatione erga eiectum; eiectus tamen non liberatur ab obligatione circa Religionem, quam fuit semel professus; & consequenter non potest in sæculo, & in statu Clericatus saluari, nisi adsit specialis Pontificis dispensatio ob iustam, & rationabilem causam ipsi concessa; quod si tamen non inuenerit Religionem, quæ velit ipsum admittere, tunc tandem ipse poterit viuere in statu Clericali.

Idemque tenent Miranda *tom.* 2. *in Manuali, q.* 52. *art.* 3. *conclus. vnica, addentes ad consil.* 77. Nauarri *de regularibus*, Sayros *lib.* 10. *de censuris, cap.* 9. *num.* 25. *& sequentibus*, Aragonius 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 3. §. *Hac vsque diximus*, Zerola *in praxi Episcopor.* 2. *parte, verbo regularis*, Angles *in floribus*, 2. *part. in tract. de voto, quæst. vnica, art.* 2. *difficult.* 8. Graffius *in decision. part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 147. Conradus *t. p. responsionum, q.* 285. & Philiarchus *tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 2. *c.* 21. *circa finem.*

Et

10 Et quidem, quod possit Superior cogere Religiosum propter alius delicta ad ingrediendam aliam Religionem, tenent præter S. Bonav. *in Regulam S. Francisci, q.* 14. Anton. de Amatis *decis. Genuens.* 46. *circa finem*, & Passarellus *in Priuileg. Minimor. c.* 16. quorum sententiam probabilem iudicat Sorbus in compendio Priuilegiorum mendicantium, verbo ejicere.

11 Et quod habeant aliquæ Religiones à Sede Apostolica Priuilegium, vt possint subditos suos Religiosos compellere ad ingrediendam aliam Religionem propter grauia delicta, ob quæ meritò per sententiam diffinitiuam ejiciuntur è Religione, tenet S. Bonav. *in expositione regulæ S. Francisci, c.* 2. & *in quæstionib. super eandem regulam, q.* 14. vbi ait: Sed ne damnabiliter eiectus vagetur in sæculo, ex gratia Sedis Apostolicæ ei, quem Religio iudicat non esse recipiendum, licentiam concedit ad aliam determinatam Religionem transeundi, vbi saluetur, ad quam transire tenetur, si possit; alioquin non erit in statu salutis. Et paulò post, vbi inquit: Et ideò, si demeretur in Religione, quam vouit, non retineri; cùm ex facto suo non sit conditio ipsius melior facta, vt possit esse liber, sed potiùs deterior, oportet quod ipse aliam Religionem intret, & seruet, si vult saluari. Et paulò post, vbi asserit: ex authoritate Summi Pontificis, à cuius Iurisdictione eiectus non est exemptus, potest eum Religio compellere, & per censuras Ecclesiasticas, vel alias pœnas corporales iure Summi Pontificis coërcere, quando non habuerit alium Iudicem Regularem, cui se subjecit, Regulam, & Ordinem illos stabiliter assumendi. Et Corduba *in expositione eiusdem regulæ Sancti Francisci, cap.* 2. *q.* 21. vbi ait, quod Ordo S. Francisci habeat Priuilegium, vt possit cogere eiectum ad ingrediendam aliam Religionem, vtque possit punire illum, si id non fecerit, sed in sæculo manserit: & quidam alij.

12 Quapropter prædicti Doctores, quod Superiores Regulares præcipiant eiectis, vt ad aliam Religionem transeant, non authoritate propria, sed authoritate Summorum Pontificum, qui talem facultatem ipsis concesserunt; quodque licèt per eiectionem eiecti reddantur exempti à Iurisdictione Prælatorum Regularium, non tamen reddantur exempti à Iurisdictione Sedis Apostolicæ; sicque Prælati regulares ex authoritate Summi Pontificis possint illis præcipere, vt ad aliam Religionem transgrediantur.

13 Subdunt, quod possint Prælati Regulares, etiam de Iure communi, suos subditos Religiosos propter eorum crimina, quando per sententiam diffinitiuam iuridicè latam eos è Religione ejiciunt, obligare ad ingressum alterius Religionis, eosque absoluere à votis suæ Religionis, cum conditione, quod aliam Religionem ingrediantur; quia sicut de Iure communi possunt eos obligare, vt non permaneant, neque morentur in aliquo loco vnde fuerunt eiecti, vel in aliquo alio loco iustis de causis; & possunt eis imponere pœnas graues, si non obedierint, vti patet ex communi Praxi omnium Religionum: ita etiam poterunt de Iure communi eos obligare, vt in aliam Religionem transeant: Quod præceptum eis imponitur, vt pœna quædam debita ipsorum delictis; & quamvis Prælati Regulares non habeant Iurisdictionem in Religiosum eiectum è Religione, habeant tamen Iurisdictionem in illum, cùm per sententiam diffinitiuam volunt illum ejicere, imponendo illi, quod ad aliam Religionem transeat, sicut etiam facit Iudex sæcularis, cùm fert sententiam condemnatoriam contra delinquentes: ad hoc enim vt Iudex possit in alterum sententiam ferre, sufficit si tempore, quo fert sententiam, is qui condemnatur, sit ipsi subditus, sitque intra ipsius territorium.

14 Sed nihilominus adhuc mihi magis probatur sententia negatiua Soti, Nauarri, Lessij, Roderici, Azorij, Sorbi, & aliorum, quam *suprà in principio sectionis* dicebam, saltem ex eo, quod Professio, seu vota solemnia in quacumque Religione debeant esse voluntaria, cùm hilarem Doctorem diligat Deus.

Petes, quid si eiectus è Religione à principio sui ingressus ad Religionem vouerit Religionem in communi? 15

Respondetur, quod quamvis præter S. Bonauenturam, Cordubam, & alios Doctores suprà citatos, Sotus *de Iust. & Iur. lib.* 7. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 3. & quidam alij putent, quod eiectus è Religione in tali casu teneatur ingredi aliam Religionem, si in sua non recipiatur; quia manet votum Religionis, cui tenetur, & cui potest satisfacere: Tum quia vouens Religionem in genere, si non recipiatur ab vna, tenetur ingredi aliam: Ergo & eiectus, si non potest viuere in vna, debet viuere in alia. Probabilius tamen sit oppositum, quod docent Nauarrus *consil.* 87. *n.* 2. & *consil.* 80. *num.* 2. *de Regularibus*, & *cap. non dicatis, de regularibus, comment.* 2. *num.* 33. & *sequentibus*, & Lessius *de Iustit. & Iur. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 15. *numero* 110.

Probatur, quia votum Religionis in genere, seu in communi sufficienter impletum fuit per ingressum in Religionem determinatam; siquidem cùm species contineat genus, adimplens votum in specie, adimplet etiam votum in genere, seu in communi: Ergo extincta remansit obligatio talis voti, quæ non potest de nouo ampliùs reuiuiscere sine noua voluntate vouentis: & ratio vlteriùs est, quia votum de aliqua re in genere, seu in communi, non est votum de omni specie illius generis, sed solùm de ipso genere determinandi in aliqua specie. 16

Confirmatur, quia eiectus remanet verus Religiosus, cùm remaneat obstrictus tribus votis substantialibus Religionis, vti toties dicebam. 17

Probatur 2. quia hoc votum Religionis in communi extinctum, fuit per professionem factam in hac Religione; cùm omnia vota simplicia commutentur in vota solemnia Religionis, scilicet in votum paupertatis, castitatis, & obedientiæ, *cap. Scriptura, de voto*, vbi Alexander III. inquit: [Reus fracti voti aliquatenus non habeatur, qui temporale obsequium in perpetuam Religionis obseruantiam noscitur commutare.]

Confirmatur, quia mens ipsius eiecti non videtur fuisse se obstringere ad ingressum alterius Religionis, si post professionem contingeret, quod ejiceretur ex ista, nisi fortè id expressè cogitauerit, & apud se statuerit, cùm voueret. Quo casu, si de eo constaret, quamvis communius, & probabilius sit, quod debeat aliam Religionem intrare, nec possit in sæculo remanere; quia illud votum non fuit per professionem commutatum, cùm nulla ratio commutationis subfuerit; oppositum tamen non omninò improbabile mihi videtur, cùm & prædictum votum etiam, sicut & alia, per professionem, vtpote priuilegiatum, commutari videatur. 18

SECTIO XXXVII.

An Religiosus eiectus è Religione, quæ nolit ipsum, quamvis se emendauerit, iterum recipere, possit absque alia dispensatione Summi Pontificis in sæculo remanere, & cum quo habitu?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus eiectus è religione, quæ nolit ipsum, quamvis se emendauerit, iterum recipere, potest absque alia*

alia dispensatione Summi Pontificis in sæculo remanere, cum habitu tamen Clericali, iuxta ordines sacros ab ipso eiecto receptos, quia in tali casu non tenetur, quinimò non potest uti habitu sua Religionis, neque alterius.

2 *Quod tamen intellige de Religiosis eiectis per sententiam diffinitiuam, non autem de Religiosis eiectis immaturè per iracundiam quandam; quia quæ facta sunt per iracundiam, durare non debent.*

3 *Opinio Sayri, Rodriguez, Sanchez, & Tamburini, videlicet quod eiecti teneantur deferre habitum suæ Religionis, si cum eo ejiciantur, eo quod non possint illum propria auctoritate dimittere, Auctori non probatur; quia hoc ipso quod ejiciuntur à corpore Religionis, priuantur etiam communicatione in habitu eiusdem Religionis, &c. vide ibi rationes, quas affert.*

4 *Conuersi eiecti à Religione non tenentur deferre habitum, contra nonnullos: ad illum enim tantum tenentur ordinati.*

1 Respondetur affirmatiuè, ex dictis *sectione præcedenti*, habitu tamen clericali iuxta ordines ab ipso eiecto receptos. Nauarrus *in cap. non dicatis, de Regular. comment. 2. n. 36. & conf. 78. n. 5. de Regul. edit. 2.* Cespedes *de exempt. Regular. c. 21. dub. 315. n. 11.* Donatus *in praxi rer. regul. p. 2. tract. 8. de eiectis, q. 41. n. 5.* Suarez *de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 3. c. 6. n. 14.* Less. *de Iust. & Iur. c. 41. dub. 15. num. 112.* Roderic. *tom. 1. quæst. Regul. q. 30. art. 21.* & Azorius *tom. 1. Instit. moral. lib. 12. c. 16. q. 13.*

Probatur, quia in tali casu non tenetur, quinimò nec potest vti habitu suæ Religionis, cùm ab illa iam fuerit eiectus; neque vti habitu alterius Religionis, cùm iam in illa non fuerit admissus: ergo superest, quod vtatur habitu clericali conuenienti Ordinibus, quibus ipse eiectus initiatus fuerit.

2 Quod tamen (sicut & alia, quæ suprà dicebam) intellige de Religiosis eiectis per sententiam diffinitiuam, non autem de Religiosis eiectis immaturè per iracundiam quandam, sicuti rectè præter alios annotauit Naoarr. *cons. 3. de statu Monachor. n. 1.* quia quæ facta sunt per iracundiam, durare non debent, *cap. diuortium, de pœnitentia dist. 1. & cap. si quis iratus, 2. q. 3.* Et quia sententia prolata, non seruato Iuris ordine, valida non est, *cap. ad nostram 1. de iureiur. & l. prolatam, Cod. de sent. interlocutor.*

3 Cæterùm doctrina, quam tradunt Sayr. *lib. 6. c. 9. n. 28. vers. denique*, Rodrig. *tom. 1. quæst. Regular. q. 30. art. 27.* Sanch. *lib. 6. moral. c. 9. n. 55.* & Tambur. *tom. 3. de Iure Abbat. disp. 8. q. 8. n. 10.* scilicet quod eiecti deferre teneantur habitum suæ Religionis, si cum eo ejiciantur, eo quòd non possint illum propria auctoritate dimittere, mihi minùs probatur; quia hoc ipso, quod ejiciuntur à corpore Religionis, priuantur etiam communicatione in habitu eiusdem Religionis; sicque licèt non interueniat habitus spoliatio materialis, remanent tamen illo per sententiam spoliati: tum quia si illum portarent, cederet in dedecus Religionis, si non primariò, saltem secundariò; cum licèt cedat principaliter in dedecus eiecti, cedat etiam aliquo modo in dedecus ipsius Religionis: tum quia sic absolutè decreuit Sacr. Congregatio Tridentini Concilij *in decreto de eiectis, & apostatis, §. 7.* ibi: [Sic verò eiecti, quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant.]

4 Quid autem dicendum, si nec in Ordinibus minoribus constituti sint, sed fuerint conuersi, vel laici?

Respondetur, quod quamvis probabiliter putent nonnulli, quos sequitur Nauarrus *in Lucerna Regul. verb. eiecti, n. 7.* & Cespedes *de exempt. Regular. c. 21. dub. 315.* quod eiecti tunc non teneantur incedere cum habitu clericali, & fauet ipsis quædam Sac. Congregationis declaratio 1. Aprilis, an. 1628. apud Nauarrum *in Lucerna Regular. verb. eiecti à Religione, n. 7.* quatenus ait, quod eiecti incedere debeant in habitu clericali, si in ordinibus, etiam minoribus constituti sint; probabiliùs tamen affirment alij, quos sequitur Donatus *in praxi rer. Regul. p. 2. tract. 8. de eiectis, q. 42. n. 2.* quia decretum de apostatis & eiectis loquitur generaliter, & absolutè sine vlla restrictione: ergo comprehendit omnes eiectos, siue sint, siue non sint in Ordinibus aliquibus constituti: tum quia eiecti, licèt in nullo Ordine constituti, & nullis muneribus clericalibus destinati sint, sunt tamen verè Religiosi, & viuunt sub obedientia Ordinarij, & gaudent priuilegio fori, & Canonis: ergo tanquam Ecclesiastici debent incedere in habitu Ecclesiastico conformi statui, & priuilegiis, quibus fruuntur. Vide quæ dicam *infrà, sect. 70.*

SECTIO XXXVIII.

Cuinam Episcopo subiectus sit Religiosus eiectus è Religione, quamdiu moratur in sæculo?

SUMMARIUM.

1 *Religiosus eiectus subiectus est Episcopo originis, quia domicilium originis est immutabile.*

2 *Domicilium acquisitum per Abbatiam, Monachatum, vel quodcumque aliud beneficium, non durat, nisi quamdiu quis fuerit Abbas, Monachus, vel Beneficiarius.*

3 *Religiosus eiectus à Monasterio secundùm Azorium, & alios, more aliorum Clericorum subjicitur Episcopo, in cuius Diœcesi tunc moratur.*

4 *Religiosus eiectus secundum alios potest subjicere se cuicumque Episcopo, scilicet originis, domicilij, vel beneficij.*

5 *Religiosus eiectus à religione, quamdiu moratur in sæculo, ex probabiliori sententia Doctorum ex vi sui voti, seu professionis non cecidit in obedientiam Episcopi, sed solùm tenetur illi obedire, sicut alij de Clero, quia sic per totum orbem vsu receptum videtur; secus si Religiosus eiectus non fuerit de Monasterio exempto.*

Respondetur: Episcopo originis. Nauarrus *comment. 2. de Regul. in c. non dicatis, n. 34. & cons. 79. n. 4. de Regular. in nouis.* Vgolin. *de potest. Episc. c. 5. §. 9. circa fin.* Riccius *decis. 95. n. 1. p. 3. & resolut. 185. n. 3.* qui subdit, ita sensisse Curiam Archiepiscopalem Neapolitanam, Mart. *de Iurisdict. p. 4. cas. 182. n. 4.* Federic. de Senis *cons. 5. n. 1. vers. secundùm hoc*, & alij, quos sequitur Miranda *in Manuali, tom. 1. q. 52. art. 4. concl. 1.* 1

Probatur, quia domicilium originis est immutabile, *l. assumptio, ff. ad municipal.* Ergo.

Secundò, quia domicilium acquisitum per Abbatiam, Monachatum, vel quodcumque aliud beneficium, non durat, nisi quamdiu quis fuerit Abbas, Monachus, vel Beneficiarius: ergo similiter domicilium acquisitum per Religionem non durat, nisi quamdiu quis fuerit Religiosus, sicque Religiosus solutus à Religione redit ad pristinum domicilium. 2

Quamvis alij, quos sequitur Azorius *tom. 1. Instit. moral. lib. 12. cap. 16. q. 24.* Molina *de Iust. tom. 1. disp. 140.* qui volunt, sententiam Nauarri locum habere quoad eiectos non exemptos, Faust. *lib. 6. thes. q. 128.* Pasqualig. *in addit. ad Laurer. tit. de Regularib. eiectis, & apostatis*, & Donat. *in prax. Regul. p. 4. tract. 8. q. 33. n. 3.* putent, quod Religiosus eiectus è Religione, more aliorum Clericorum subjiciatur Episcopo, in cuius Diœcesi tunc temporis moratur; sicque nunc, cùm nomine 3

nomine Ordinarij loci, potiùs veniat Ordinarius loci, in quo eiectus moratur, quàm Ordinarius loci, in quo eiectus est natus, dicendum videtur ex dispositione decreti Sacræ Congregationis *de eiect. & apostat.* §.7. ibi : Sic verò eiecti, quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant, atque Ordinarij loci iurisdictioni, & obedientiæ subsint, proindeque Generalis illicò expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur. Vnde cùm decretum sit generale, procedit tam de Religiosis exemptis, quàm de Religiosis non exemptis.

4 Quinimò alij, quos sequitur Rodericus *tom.1.quest. Regul.q.30. art.25.* volunt quod talis eiectus possit se subjicere cuicumque Episcopo, scilicet originis, domicilij, vel beneficij, si ipse eiectus beneficium aliquod consecutus fuerit.

5 Vbi aduerte, quod Religiosus eiectus è Religione, quamdiu moratur in sæculo, ex probabiliori sententia Doctorum, vt Molinæ *dispu.*140. Azor. *lib.*12. *cap.*16. *quest.*11. & aliorum ex vi sui voti, seu suæ professionis non deueniat in obedientiam Ordinarij, quamvis contrarium velint Pasqualigus *in loc. sup.cit.* & alij cum Nauarro *in comment.2. num.34. & seqq.* Addo quod eiectus transferre se non possit ad alium locum, præsertim mutando domicilium, absque licentia sui Ordinarij, quam si suus Ordinarius concedat, tenebitur suus Ordinarius de statu eiecti monere nouum Ordinarium, loci scilicet, ad quem eiectus de nouo se confert, & tenebitur eiectus se præsentare tali nouo Ordinario; quia, inquiunt ipsi, ex verbis decreti de eiectis, & apostatis, eiecti non solùm sunt sub iurisdictione Episcopi, quemadmodum cæteri clerici sæculares, sed etiam sub obedientia Episcopi; & ideò non possunt se subtrahere ab obedientia Episcopi per mutationem loci, nec possunt recedere à Diœcesi Episcopi, nisi violent obedientiam illius; quia ratione obedientiæ debitæ coarctantur manere intra terminos Diœcesis illius, sed solùm teneatur obedire ordinario, sicut alij de Clero; & hoc solùm important illa verba decreti : atque Ordinarij loci iurisdictioni, & obedientiæ subsint : & ratio est, quia sic per totum orbem vsu receptum videtur; & Episcopi nihil peculiaris iuris in Religiosos eiectos vsurpant : nam isti Religiosi eiecti in professione non intendunt se obstringere per votum obedientiæ Episcopo, sed solùm suis Prælatis Regularibus, & mediis istis Romano Pontifici, qui est omnium Religiosorum communis Summus Superior, cùm ab ipso omnis iurisdictio spiritualis ad illos descendat : Quapropter cum promissio, seu votum non operetur vltra intentionem promittentis, seu vouentis, non tenentur Episcopo obedire ex vi voti : Quod dictum præcipuè locum habet in iis eiectis, qui erant ab Episcoporum iurisdictione exempti : Nam in non exemptis valdè probabilis est sententia contraria Nauarri, cùm non exempti ex vi voti subsint Episcopo; non tamen tenentur se illi offerre, vt Episcopus ipsos dirigat specialiter, & ipsi ab Episcopo dependeant specialiter, vltra quàm Clerici sæculares, quemadmodum contendit Nauarrus, quia sicuti dicebam, hunc modum viuendi extra Religionem minimè vouerunt, sicuti neque propter eandem rationem tenentur ex vi voti ad aliam Religionem transire, quin neque possunt à Romano Pontifice ad id compelli, quemadmodum etiam idem Nauarrus docet *conf.17. de Regularibus*, & nos *suprà* suo loco dicebamus. Vide etiam quæ dicentur *infrà, sect.42. & sect.70. in corollariis, corell.6.*

SECTIO XXXIX.

An Religiosus eiectus è Religione, si nulla spes sit, quod ad priorem Religionem iterum admittatur, possit propria voluntate, absque vllius licentia ad aliam Religionem transire?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus eiectus è Religione, si nulla spes sit, quod ad priorem Religionem iterum admittatur, potest propria voluntate, absque vllius licentia transire ad aliam Religionem, etiam ad laxiorem; quia per diffinitiuam sententiam extincta est obligatio, quâ tenebatur Religioni: contra Angelum, Tabienam, & alios asserentes, Religiosum eiectum non posse transire ad Religionem æqualem, vel laxiorem, nisi cum licentia suorum Superiorum, & contra Cordubam, & Suarez sentientes, id non posse facere, nisi cum licentia summi Pontificis.*

2 *Coniux innocens monitus si nolit post latam diuortij sententiam coniugem adulteram emendatam sibi reconciliare, potest coniux adultera ingredi Religionem, itaut post professionem in illa emissam non possit exinde amplius reuocari; cùm in tali casu videatur adultera à coniuge innocente concessa licentia.*

3 *Coniux innocens post diuortium licèt habeat facultatem reuocandi coniugem adulteram ad secum habitandum, si tamen nolit id facere, non propterea habet ius in illam ita strictum, vt adultera; quasi ligata non possit ingredi Religionem.*

4 *Religiosus eiectus, si prior Religio nolit ipsum iam emendatum recipere, potest remanere in sæculo.*

5 *Religiosi eiecti, vel egressi de ordine fratrum Minorum ex indulto Innocentij IV. possunt transire ad alios ordines approbatos, præterquam quod ad Ordines sancti Augustini, Templariorum, Hospitalariorum, & aliorum Religiosorum arma portantium, deferendo tamen literas testimoniales Generalis, vel Prouincialis.*

6 *Professio dictorum eiectorum Fratrum Minorum in alia Religione sine dictis literis testimonialibus est nulla; quia cùm aliquid debeat confirmari, ita tamen quod debeat præcedere inquisitio, confirmatio non est valida, nisi præcedat inquisitio, contra Rodericum sentientem contrarium.*

7 *Facultas cum conceditur faciendi aliquid, adiecta tamen certa forma, si ea non seruetur, gesta ipsius non valent.*

8 *Contraria sententia, quod scilicet eiectus non possit propria auctoritate ad aliam Religionem transire, non est omninò improbabilis.*

9 *Neque erat omninò improbabilis ante prædictum decretum de eiectis, quia eiectus vel corrigebatur, & tunc tenebatur redire ad propriam Religionem, vel non, & tunc durabat causa finalis eiectionis.*

10 *Quod saltem nunc locum habet, etiam stantibus priuilegiis, &c.*

Respondetur affirmatiuè, etiam ad laxiorem. Nauarrus *conf.78. de Regularib. num.2.* quatenus ait, quod quandò Generalis, seruatis seruandis, fert sententiam diffinitiuam priuationis habitus, & expulsionis ab ordine contra Religiosum, propter demerita, tunc talis Religiosus possit sine vllius licentia ad quamcunque Religionem, etiam laxiorem, quàm posset intrare, ac si nunquam intrasset illam, à qua est iam solutus per diffinitiuam sententiam, quia per talem diffi- 1

nitiuam sententiam, inquit ipse, extincta est obligatio, qua tenebatur illi religioni; & ex alio capite extincta obligatio non potest reuiuiscere, neque impedimentum collere, vel afferre, *l. qui res, §. aream, ff. de solutionib.* S. Antoninus *3. part. tit. 16. cap. 4. circa finem*, quatenus inquit, quod si quis propter sua demerita ejiceretur de Ordine mendicantium, quod fieri potest, tunc videtur, quod talis eiectus possit transire ad Ordinem Monachalem quemcunque, qui velit eum recipere; quia extra Religionem & habitum Religionis, inquit ipse, esse non potest: Quapropter non videtur tunc necessaria dispensatio Summi Pontificis. Rodericus *tom. 1. quæst. Regular. q. 30. art. 22.* Sorbus *in compendio Priuil. Mendicantium, verb. ejicere, in fine annot.* & alij, quos sequitur Passatellus *in priuil. Minimor. cap. 39. circa finem.*

Quamvis Angelus *verb. Religio, num. 48.* Tabiena *eodem verbo*, Beller. *part. 2. disquis. Cleric. tit. de pœnis Cleric. §. 25. num. 22.* Donat. *in praxi rer. regular. part. 2. tract. 8. quæst. 57. num. 3.* & alij teneant, quod Religiosus eiectus non possit transire ad Religionem æqualem, vel laxiorem, nisi cum licentia suorum Superiorum.

Et quamvis Corduba *in Regulam sancti Francisci, cap. 2. quæst. 21. punct. 3.* & Suarez *tom. 5. de censur. disp. 22. sect. 5. num. 20.* sentiant quod prædictus Religiosus eiectus id non possit facere, nisi cum licentia summi Pontificis.

2 Probatur tamen nostra responsio, quia si coniux innocens monitus nolit post latam diuortij sententiam coniugem adulterum emendatum sibi reconciliare, potest coniux adulter ingredi Religionem, ita vt post professionem in illa factam, non possit exinde ampliùs reuocari. Ostiensis *in cap. Gaudemus, de conuersione coniugator. num. 3.* Cardinalis *q. 3.* & alij, quos sequitur Veracruz *3. part. speciali, art. 3. concl. 8.* cùm in tali casu videatur coniux innocens concedere licentiam coniugi adultero, quod possit fieri Religiosus: Quandoquidem si in dicto casu licentiam illi denegaret, irrationabiliter illi denegaret: ergo similiter in casu nostro, si Religiosus eiectus petat redire ad Priorem Religionem, & Religio nolit eum recipere, eo ipso videtur illi concedere licentiam, vt ingrediatur Religionem quamcunque ipse voluerit, quandoquidem similiter si licentiam ei denegaret, irrationabiliter etiam ei denegaret.

3 Confirmatur, quia licèt coniux innocens post diuortium habeat facultatem reuocandi coniugem adulterum ad secum cohabitandum; si tamen nolit id facere, non propterea habet ius in illum ita strictum, vt coniux adulter quasi ligatus, non possit ingredi Religionem: Ergo similiter licèt Religio in casu nostro habeat ius reuocandi Religiosum eiectum, non tamen si Religio recuset illum iterum recipere, habet ius ita rigorosum, vt possit illi denegare licentiam ingredi aliam Religionem, vt scilicet suæ saluti spirituali consulat.

4 Confirmatur secundò, quia Religiosus eiectus, si prior Religio nolit eum iam emendatum recipere, potest remanere in sæculo, sicuti suprà *sect. 37.* dicebam: ergo multò magis poterit adire quamcunque voluerit Religionem, etiam laxiorem.

5 At aduerte, quod Innocentius IV. sicuti habetur in libro inscripto, *Monumenta Ordinum Fratrum Minorum*, fol. 37. in impressione prima, & fol. 120. in impressione 2. concesserit quod eiecti, vel egressi de prædicto Ordine Fratrum Minorum possint transire ad alios Ordines approbatos, præterquam ad Ordines Sancti Augustini, Templariorum, Hospitalariorum, & aliorum Religiosorum arma portantium, deferendo tamen literas testimoniales Generalis, vel Prouincialis; & inhibuerit districtè præterea, ne tales Religiosi aliter ad alium Ordinem transeant, neve aliqui eos recipere, seu retinere præsumant absque licentia Sedis Apostolicæ faciente de præsentibus mentionem: Quod priuilegium participant per communicationem ferè omnes aliæ Religiones.

Quapropter ob hoc priuilegium, quamvis contra- 6
rium sentiat Rodericus *in sum. t. 6. n. 18. tom. 2.* si quis ordo accipiat huiusmodi eiectos absque literis dimissoriis testimonialibus prædictis, & huiusmodi eiecti emittant ibi professionem, talis professio sit nulla. DD. quos sequitur idem Rodericus *tom. 1. quæst. regul. q. 30. art. 92. circa fin.* sibimet ipsi contrarius.

Probatur, quia cùm aliquid debet confirmari, ita tamen quod debeat præcedere inquisitio, confirmatio non est valida, nisi præcedat inquisitio. Glossa *in Clement. 1. vers. inhibemus, de iurepatron. & in cap. prouidi, de elect. in 6.* Ergo similiter etiam in casu nostro non erit valida receptio, vel professio eiectorum in aliis Ordinibus, si non præcesserit inquisitio de literis testimonialibus prædictis.

Confirmatur, quia cum alicui conceditur facultas 7
faciendi aliquid, adiecta tamen certa forma, si eam non seruet, gesta ipsius non valent. Felinus *in cap. ex parte, col. 4. de constit.* & alij, quos sequitur Tiraquel. *de Iudicio in rebus exiguis, n. 12.* Ergo cùm ex dicto Priuilegio detur facultas Religiosis eiectis transeundi ad alios Ordines, adiecta tamen forma, quod debeant deferre literas testimoniales Generalis, vel Prouincialis, si eas non deferant, talis receptio, vel professio non valebit.

Cæterùm contraria sententia, quod scilicet eiectus 8
non possit propria authoritate ad aliam Religionem transire, non est omninò improbabilis *ex decreto de eiectis, §. 7.* ibi: [Sic verò eiecti, quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu Clericali incedant, atque Ordinarij loci iurisdictioni, & obedientiæ subsint.] Ergo cùm præfigatur eiecto habitus Clericalis, & viuere sub obedientia Ordinarij, non poterit pro sua libertate eligere alium statum, sed tenebitur viuere in statu præfixo.

Quinimò prædicta contraria sententia neque etiam 9
erat omninò improbabilis ante prædictum decretum de eiectis; quia vel eiectus corrigebatur, & tunc tenebatur redire ad propriam Religionem, iuxta textum *in cap. fin. de regul.* Vel non corrigebatur, & tunc durabat causa finalis eiectionis, atque adeò periculum infectionis aliorum; ideoque non poterat recipi ab vlla Religione: Ergo vt ad aliam Religionem transeat, vel transierit, requiritur, & requirebatur licentia Summi Pontificis, & Prælati suæ Religionis. Suarez *de censur. disp. 22. sect. 5. n. 20.* & Corduba *in cap. 2. Regul. S. Franc. q. 21. part. 3.* quos suprà citabam.

Quod saltem nunc locum habet, etiam stantibus 10
priuilegiis, præsertim illo Innocentij IV. in fauorem Minimorum, & participantium, apud Rodrig. *tom. 1. quæst. Regul. q. 30. art. 22.* Quia per decretum de eiectis derogatum est omnibus priuilegiis eidem decreto de eiectis contrariantibus. Vide etiam quæ dicam *infrà, sect. 70. in corollariis, corollar. 7.*

SECTIO XL.

An si Religiosus eiectus, sed iam correctus, petat reuerti ad Religionem, teneatur Religio illum iterum recipere?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus eiectus, si iam correctus petat reuerti ad Religionem, licèt secundùm aliquos teneatur religio illum iterum recipere, quod tamen non teneatur, probat Sanctus Bonauentura; quia talis eiectus longo vsu tepefactus, rarissimè verè, & perseueranter*

seueranter emendatur, & facilè ipsius remissio aliis præbet ansam delinquendi.

2 *Sedes Apostolica, quæ vnicuique ius suum seruat, & religionem in sua puritate permanere desiderat, non cogit religionem ad iterum recipiendum eiectum, cuius conuersatio eidem sit noxia; quia tunc faueret reis.*

3 *Eiecti à religione sunt infames, & præterea si iterum recipiantur, dedecorant religionem.*

4 *Sixtus V. in quadam sua constitutione præcepit, ne admitteretur ad religionem qui propter delicta ab ipsis commissa habentur tanquam infames.*

5 *Religiones habent à Sede Apostolica priuilegium ejiciendi incorrigibiles ad semper, seu in perpetuum.*

6 *Incorrigibiles iusta sententia condemnati sunt, quod in perpetuum viuant extra religionem.*

7 *Religio saltem id facere potest ad terrorem aliorum.*

8 *Coniux innocens post sententiam diuortij non potest compelli ad reconciliandum se alteri coniugi, quamuis se correxerit.*

9 *Religio habet ius reuocandi eiectum, at non è contra eiectus habet ius post emendationem redeundi.*

10 *Religio modò ex resolutione sacræ Congregationis super Concilio Tridentino iussu Sanctissimi Vrbani Papæ VIII. videtur probabile esse, quod possit cogi ad recipiendum eiectos, si fuerint emendati, & spes sit eos in emendatione perstituros, nisi iustas causas habeat recusandi.*

11 *Nauarrus rejicitur, quòd minùs rectè dixerit prædictos eiectos redeuntes ad religionem teneri de nouo professionem emittere; quia per eiectionem non liberantur à votis, neque ab obligatione, quam habent respectu religionis, cùm ea non extinguantur, sed tantùm suspendantur.*

12 *Eiecti à religione licèt secundùm aliquos Doctores probabiliter quando redeunt ad ipsam non sint restituendi ad eosdem gradus, honores, prærogatiuas, antiquitatem, &c. probabiliter etiam secundùm alios dicendum est oppositum, nisi aliter per constitutiones, vel per sententias dispositum sit, &c.*

13 *Religio non tenetur readmittere eiectos, si correctio sit prætensa, seu præsumpta; quia per Decretum de eiectis, & apostatis adesse debet de correctione spes euidens, quæ debet saltem esse testificata per literas Ordinarij.*

14 *Religio neque tenetur readmittere eiectum, si exinde timeat sibi scandalum; quia charitas, & ius positiuum, quod inducitur per prædictum Decretum de eiectis, & apostatis, non obligans cum tanto incommodo.*

15 *Religio neque tenetur readmittere eiectos, si exinde timeat sibi notabilem infamiam, seu notabile sui honoris detrimentum, vt si v.g. Religiosus eiectus, postquam fuerit eiectus, crimen hæresis, vel læsæ Maiestatis commiserit.*

16 *Religio neque tenetur readmittere eiectos, si exinde timeat sibi malum, tametsi tantùm temporale, propter rationes supradictas.*

17 *Religiosus si à Religione eiectus fuerit verbaliter, & absque priuatione, & spoliatione habitus, licèt secundùm Mirandam talem eiectum readmittere spectet ad generalem, & si fuerit eiectus solemniter, & præuia degradatione, ad Summum Pontificem; quod erat de Iure communi; de iure tamen nouo tenentur Superiores eiectum hoc ipso quod se correxerit, readmittere.*

18 *Incorrigibiles Religiosi possunt vltra eiectionem prædictam puniri etiam aliis pœnis à iure statutis.*

19 *Religio non tenetur soluere debita, quæ eiectus tempore eiectionis etiam pro alimentis contraxit. Secus si Religio ex eiectione consecuta fuerit aliqua bona; quia tunc tenebitur proportionaliter pro quantitate bonorum.*

RESpondetur, quod quamuis affirment Syluester 1
verbo Apostasia, q.5. Nauar. *cons. 18. de Regul. in fin.* S. Anton. *3. part. tit. 16. cap. 5.* Molina *de iust. & iur. tom. 1. disp. 145. col. penult. vers. quid ad votum,* Tapia *authent. ingressi, verb. sua, cap. 5. n. 43.* Donat. *in praxi rer. Regul. part. 1. tract. 8. q. 26. n. 1.* Murcia *in cap. 2. Regul. S. Francisci, c. 16. n. 2.* Corduba *in Regul. S. Francisci, cap. 2. q. 71. punct. 2.* Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 41. dub. 15. n. 112.* & alij; neget tamen S. Bonau. *quæst. 14. in quæstionib. super Regul. S. Francisc.* Azor. *part. 1. lib. 12. cap. 17. quæst. 2.* Rodr. *tom. 1. quæst. Regul. q. 3. art. 20. in fine,* Sanch. *lib. 6. moral. cap. 9. n. 32.* & Faust. *lib. 6. Thes. relig. quæst. 227.*

Probatur ex eodem S. Bonauent. *ibi*, quia talis eiectus longo vsu tepefactus rarissimè, verè, & perseueranter emendator; & facilis ipsius remissio aliis præbet ansam delinquendi, & ipse non potest allegare, fieri sibi iniuriam, eo quòd iterum non recipiatur; quia ipse ex propria sua culpa talem se præstitit, indignumque se reddidit, quod iterum reciperetur: Quin potiùs Religio legitimam causam habet contra ipsum agendi, eo quòd ipse Religionem dehonestauerit: Ergo meritò Religio poterit ipsum punire, & tradere sæculo, cui seruiuit, & non iterum acceptare.

Addit etiam S. Bonau. *ibid.* quod Sedes Apostolica, 2
quæ vnicuique ius suum seruat, & Religionem in sua puritate permanere desiderat, non cogit Religionem, quod iterum recipiat eiectum, cuius conuersatio noxia sit Religioni; quia tunc Sedes Apostolica faueret reis, seu nocentibus, & puniret innocentes, & daret occasionem Religionis corruptioni per huiusmodi pestiferas personas, si eas iterum Religio recipere teneretur.

Secundò probatur sic; quia eiecti è Religione sunt 3
infames: DD. quos sequitur Lapus *super consil. 38.* Federici, & diffusè dicam *infrà, sect. 70. in aduertendis, aduertendo 6.* & præterea dedecorant Religionem: Ergo Religio non tenetur illos iterum recipere, cùm Religio non teneatur recipere homines infames.

Confirmatur, quia Sixtus V. in quadam sua consti- 4
tutione præcepit, ne admitterentur ad Religionem, qui propter delicta ab ipsis commissa habentur tanquam infames: at isti propter delicta, quorum causa eiecti fuerunt è Religione, sunt (vt suprà dicebatur) homines infames: Ergo Religio non tenetur eos iterum recipere. Non obstat, quod prædicta Sixti V. constitutio explicitè loquatur de sæcularibus petentibus habitum Religionis; quia pari ratione extendenda videtur ad prædictos eiectos, cùm postquam soluti sunt ab obedientia suorum Prælatorum, reputentur tanquam sæculares.

Confirmatur secundò, quia Religiones habent à 5
Sede Apostolica Priuilegium ejiciendi incorruptibiles ad semper, seu in perpetuum: Ergo qui semel eiecti sunt, non possunt compellere Religionem, quod ipsos iterum recipiat, alioquin priuilegium vi sua dispoliaretur, & inane, seu frustratorium redderetur.

Confirmatur tertiò, quia incorrigibiles iusta sen- 6
tentia condemnati sunt, quod in perpetuum viuant extra Religionem: Ergo Religio compelli non potest, quod eos iterum admittat.

Confirmatur quartò, quia id saltem Religio facere 7
potest ad terrorem aliorum, vt scilicet alij Religiosi in officio suo retineantur: Ergo reprehendi non debet Religio, quòd eiectos nolit iterum recipere.

Confirmatur quintò, quia post sententiam diuortij, 8
conjux innocens non potest compelli, quod reconcilietur alteri coniugi, quamvis se correxerit: Ergo neque post sententiam eiectionis è Religione Religio innocens poterit cogi, quod iterum recipiat eiectum è Religione, quamvis se emendauerit.

Non obstat, si dicas: Religio habet ius reuocandi eiectum è Religione ad Religionem: ergo etiam eiectus è Religione habebit ius compellendi Religio-

nem ad ipsum iam emendatum recipiendum ad Religionem, alioquin dispar esset ratio contractus celebrati inter Religionem, & Religiosum eiectum è Religione.

Respondetur enim, nego consequentiam; quia cùm Religio sit innocens, mirum non est, si potiori Iure gaudeat, quàm Religiosus, qui suis prauis moribus Religionem deturpauit: Quemadmodum patet facto diuortio, in coniuge innocente respectu alterius coniugis nocentis, vti *suprà* dicebam.

10 Cæterùm, quia *cap. vltimum, de Regular.* quod est Concilij Lugdunensis sub Gregorio X. iubet, quod visitatores, vel Abbates maiores, vel Priores requirant suos fugitiuos, & eiectos, & cogant monasteria ad eos recipiendos; & quod eos; si reuerti noluerint, excommunicent: & Pius IV. in quodam suo motu proprio (quem refert Passatellus *in compendio Priuilegiorum, fol.* 180.) præcipit quod apostatæ recipiantur ad Religionem, & nouissimè die 21. Septembris 1624. Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium super Concilio Tridentino iussu Sanctissimi Vrbani PP. VIII. decernit, quod Religionum Superiores suos fugitiuos, atque apostatas è Religione perquirant, & ad Religionem reducant, & efficiant quod apprehendantur, §. *rursus statuit, &c.* Dicendum mihi videtur, quod si euidens sit, eiectos esse emendatos, & in emendatione persistoros, debeant illi recipi, & Religio cogi possit eos admittere, nisi iustas causas habeat recusandi; præsertim quia sic ipsemet Pius IV. explicauit motum suum proprium, quem suprà dicebam; & præsertim quia sic optimè conciliantur opiniones prædictæ, quæ inter se prima facie contrariæ videbantur; & præsertim etiam, quia prædictum *cap. vlt. de Regular.* est innouatum in prædicto decreto Vrbani VIII. de eiectis, & apostatis: vbi quoque est declaratum, quod comprehendat etiam iustè eiectos per definitiuam sententiam; & meritò, quia licèt tales eiecti non debeant recipi de iustitia, cùm sibi imputare debeant, quod occasionem dederint, vt in perpetuum rejiciantur, nihilominus recipi debent ex charitate ne relinquantur in periculo satisfaciendi propriæ obligationi, quam habent ratione votorum, quæ per eiectionem non extinguuntur, sed tantùm suspenduntur, sicque perdendi animas suas. Vide etiam quæ dicebam *infrà, sect.* 70. *coroll.* 5.

11 Vnde minùs rectè dixit Nauar. *cons.* 80. *de Regul. lib.* 3. *edit.* 2. quod prædicti eiecti, dum redeunt ad Religionem, teneantur de nouo professionem emittere; quia per eiectionem non liberantur à votis, nec ab obligatione, quam habent respectu Religionis; cùm ea, sicuti dicebam, per eiectionem non extinguantur, sed tantùm suspendantur. Rodriq. *tom.* 1. *quæst. Regul. q.* 30. *art.* 28. Sanch. *lib.* 6. *moral. c.* 9. *n.* 33. Faust. *lib.* 3. *Thes. Relig. q.* 232. Donat. *in praxi rer. regul. part.* 2. *tract.* 8. *q.* 27. *n.* 1. & alij communiter. Vide etiam quæ dicam *infr. cit. sect.* 70. *corollar.* 5. & 6. Hinc dum redeunt ad Religionem, incipiunt obligare de nouo, licèt de nouo non emittantur, etiam vota specialia Religionis; quia neque ista vota per eiectionem obligare cessauerant, nisi ex subtractione materiæ, quatenus scilicet erant emissa in consequentiam ad communionem Religiosam. Quapropter cum prædicti eiecti de nouo redeant ad Religionem, applicatur de nouo eadem materia, ac proinde reuiuiscit de nouo eadem obligatio prior.

12 An autem tales eiecti, cum redeunt ad Religionem, restituendi sint ad eosdem gradus, honores, prærogatiuas, antianitatem, &c. quibus ante eiectionem fruebantur?

Respondetur, quod quamvis probabiliter negent Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *c.* 5. *n.* 27. Rodriq. *in compend. resol.* 57. *num.* 3. & Donat. *in praxi rer. Regul. part.* 2. *tract.* 8. *q.* 27. *n.* 3. ex eo, quod æquum non est, vt præcedant alios Religiosos, qui laudabiliter semper vixerunt, & pondus diei, & æstus portarunt, probabiliter tamen etiam, nisi aliter per constitutiones, vel per sententiam dispositum sit, affirment alij, quos sequitur Sanch. *lib.* 6. *moral. c.* 9. *n.* 33. ita vt saltem prærogatiuæ illæ, quæ sunt personales, & perpetuæ, vt Doctoratus, Magisterium, & Antianitas, sint ipsis conseruandæ; quia per eiectionem similiter non sunt extinctæ, sed suspensæ; ita vt quemadmodum, secuta correctione, dum ad Religionem readmittuntur, recuperant iura communia cum aliis Religiosis, ita etiam recuperent iura propria; cùm sit eadem ratio, præsertim quia dum readmittuntur de nouo, tanquam correcti restituuntur ad suum pristinum statum; & præsertim etiam, quia sic magis alliciuntur, vt redeant ad Religionem.

ADVERTENDA.

Aduerte tamen quod Religio non teneatur readmittere eiectos, si correctio sit prætensa, seu præsumpta; quia per decretum de eiectis, & apostatis adesse debet de correctione spes euidens, quod scilicet non sint ampliùs similia delicta commissuri; quæ spes debet esse saltem testificata per literas testimoniales Ordinarij, in quo ipsius Ordinarij conscientia oneratur: cùm igitur adesse debeat non qualiscumque, sed euidens spes correctionis, quando de ipsa correctione aliunde non constat, quàm ex literis testimonialibus Ordinarij, non sufficit quæcumque attestatio ipsius Ordinarij, sed opus erit, quod sit talis, vt fundet spem euidentem correctionis. DD. quos sequitur Leander à Murcia *in c.* 2. *Regul. S. Franc. c.* 16. *n.* 14. Quapropter non sufficiet simplex attestatio, sed opus erit, quod sit innixa tali informationi, quæ reddat euidentem, seu certam correctionem eiecti, sicque quod dicta attestatio fiat causa cognita cum iuramento honestarum personarum, omni exceptione maiorum, deponentium super prædictam correctionem eiecti; quod si non præcedat talis attestatio Episcopi, causare non poterit euidentem, seu certam spem prædictæ correctionis; sicque semper Religio poterit excipere, quod attestatio sit insufficiens. 13

Aduerte secundò, quod Religio neque teneatur readmittere eiectum, si exinde timeat sibi scandalum. Glossa *in cap. finali, de Regul. verb. si absque scandalo,* Syluest. *verb. Apostasia, n.* 10. Armilla *verb. Relig. n.* 26. S. Anton. 3. *part. tit.* 16. *c.* 5. Rodriq. *tom.* 1. *quæst. Regul. q.* 30. *art.* 5. Grass. *part.* 1. *dec. lib.* 3. *c.* 5. *n.* 15. Cordub. *in cap.* 2. *Regula S. Franc. q.* 21. *punct.* 2. Layman. *lib.* 4. *Theol. moral. tract.* 5. *c.* 13. *n.* 7. Sanch. *lib.* 6. *moral. c.* 9. *n.* 10. Murcia *cit. c.* 16. *n.* 15. & Donat. *in prax. rer. Regul. part.* 2. *tract.* 8. *q.* 26. *n.* 12. quia charitas, & ius positiuũ, quod inducitur per prædictum decretum de eiectis, & apostatis, non obligant cum tanto incommodo; neque ita est consulendum eiectis, vt ex eorum culpa sequantur scandala; præsertim quia magis est consulendum innocentibus, quàm nocentibus, præsertim etiam, quia commune bonum Religionis præferri debet priuato. Accedit quod quando timetur scandalum, non habetur de eiectis spes euidens correctionis, sicque non vrget tunc obligatio eos readmittendi. 14

Aduerte tertiò, quod Religio neque teneatur readmittere eiectos, si exinde Religio sibi notabilem infamiam, seu notabile sui honoris detrimentum timeat, vt si v. g. Religiosus eiectus, postquam fuerit eiectus, crimen hæresis, vel læsæ Maiestatis commiserit. DD. quos sequitur Donat. *cit. q.* 26. *n.* 3. & Leander à Murcia *in c.* 2. *Regul. S. Francisci, c.* 16 *n.* 17. Idque propter easdem rationes supradictas; præsertim quia subintrat ius naturale, vt Religio conseruet se illæsam, & auertat à se tale detrimentum, præsertim etiam, quia sicuti dicebam, in præsenti concurrunt interesse commune Religionis, & interesse priuatum eiecti, quod debet cedere communi. 15

Aduerte quartò, quod Religio neque teneatur 16

readmittere

readmittere eiectos, si exinde timeat sibi malum, tametsi tantùm temporale, vt si v. g. eiectus contraxerit ioterim morbum contagiosum. Idque etiam propter easdem rationes supradictas. Donatus à Mureia *in loc. suprà citat.* & Nouarius *part. 2. summa Bullar. titul. de eiectis, num. 8.* Quod & locum habet, si eiectus factus fuerit inhabilis ad seruitia Religionis, idque similiter propter easdem rationes, quas suprà dicebam: Quapropter & id etiam intelligitur exceptum in decreto de eiectis, & apostatis; quia leges humanæ non obligant cum graui incommodo, nec obligant communitatem, quando ex accidenti vergunt in detrimentum illius, nec quando contra ipsas subintrat ius naturale, sicuti toties dicebam.

17 Aduerte quintò, quod licèt Mirands in Manual. Prælator. doceat, quod si Religiosus è Religione eiectus fuerit verbaliter, & absque priuatione, & spoliatione habitus, readmittere talem eiectum spectet ad Generalem Religionis; si verò fuerit eiectus solemniter, & actualiter illum degradando à Religione, spectet ad solum Summum Pontificem, id locum habeat solùm de iure communi, non autem de iure nouo; quia per decretum nouum de eiectis, & apostatis ob solam incorrigibilitatem ejicitur, & eiectio est dictio simplex; itavt teneantur Superiores Religionis eiectum, hoc ipso, quod se correxerit, readmittere ad Religionem; sicque sententia definitiua eiectionis stet cum hoc, quod secuta correctione, Religiosus de nouo debeat readmitti, atque adeò locum ampliùs non habeat distinctio Mirandæ, & aliorum.

18 Cæterùm, cùm prædictum decretum de apostatis, & eiectis disponat solùm de incorrigibilibus, non tollit, quin seclusa incorrigibilitate, Religiosi delinquentes non possint puniri pœnis à iure statutis: Quapropter remanet in vigore Priuilegium, quod teste Rodrig. *tom. 1. quæst. Regul. quæst. 30. art. 16.* & Miranda *tom. 1. manual. quæst. 52. articul. 1. concl. 8.* concessit anno 1566. Generali Religionis sancti Hieronymi Hispaniæ, sicque cæteris Religionibus communicationem habentibus, puniendi delinquentes subditos suos ad perpetuas triremes; quamvis hodie loco triremium successerit ergastulum ab Vrbano VIII. erectum.

19 Aduerte sextò, quod Religio neque teneatur soluere debita, quæ eiectus tempore eiectionis, etiam pro alimentis contraxerit. Surdus *de alimentis, titul. 7. quæst. 35. num. 1.* Castrensis *consil. 76. num. 1. vol. 1.* & alij quos sequitur Sanchez *lib. 6. moralium, cap. 9. num. 30.* quia cùm religio ipsum iam à se præciderit, itavt culpa sua sub obedientia religionis ampliùs non degat, extincta est Religionis obligatio ipsum alimentandi, sicque soluendi debita, etiam pro alimentis contracta: quod si eiectus, quando readmittitur, habeat aliqua bona tempore eiectionis acquisita, tunc quamvis illa acquisita fuerint non ipsi eiecto, sed religioni, cùm quidquid acquirit Religiosus, acquirat Religioni: Nihilominus ex concessione implicita ipsiusmet Religionia, quæ pro illo tempore eiectionis concessit eiecto liberam administrationem acquisitorum, censentur affecta, seu obligata creditoribus, vt ex prædictis acquisitis solui, seu satisfieri debeat creditoribus.

SECTIO XLI.

Quidnam autem dicendum, si Religiosus iniustè eiectus fuerit è Religione?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus si iniustè eiectus fuerit è Religione, potest eam compellere ad ipsum iterum recipiendum, & alendum, dum viuit extra religionem; quia in tali casu iniustè priuatus est iure suo manendi in religione, & percipiendi ab ipsa alimenta.*

Respondetur, quod in tali casu eiectus absque dubio compellere possit Religionem, quod iterum ipsum recipiat, & alimentet, dum viuit extra Religionem. Ananiaa *in cap. ex parte, de accusat. num. 3.* Imola *in Clement. 1. de statu Monachor. num. 37.* Cardinalis *ibidem, §. quia verò, num. 7. quæst. 4.* Lara *in leg. si quis à liberis, §. si vel parens, ff. de liber. agnoscend. n. 59.* Simon de Prætis *de interpret. vltim. volunt. lib. 5. dub. 2. num. 12. & seqq.* Afflictus *decis. 10. num. 4.* Felin. *in cap. cum dilecta, de rescript. num. 16. fallentia 3.* Nauarrus *commentar. 2. de regularib. num. 65. vers. addo septimò.* Velascus *tom. 1. consil. 7. num. 3.* Laucellot. *de attentat. part. 2. cap. 4. limit. 11. num. 30.* Boërius *dec. 324. num. 5.* Surdus *de alimentis, tit. 5. q. 1. num. 48. & tit. 6. q. 19. circa finem, & q. 37. n. 6.* Menoch. *de præsumpt. lib. 1. quæst. 35. num. 21.* Molina *de iust. & iur. tom. 1. disp. 140.* & alij passim. 1

Probatur, quia Religiosus in tali casu iniustè priuatus est iure suo manendi in Religione, & percipiendi à religione alimenta: ergo compellere potest religionem, vt & ipsum iterum recipiat, & alimentet, quousque vixerit extra religionem.

SECTIO XLII.

An Religiosus eiectus è Religione, solutus sit votis Religionis?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus eiectus è Religione non est solutus votis religionis, adeò vt teneatur seruare sua vota religionis solemniter emissa, scilicet paupertatis, castitatis, & obedientiæ; est enim verè, & propriè religiosus, sicut Episcopus sua Ecclesia spoliatus est verè, & propriè Episcopus.*

2 *Eiectus è religione, si non est obligatus ad vota emissa in professione, reportaret commodum ex sua eiectione, quod non est dicendum.*

3 *Eiectus è religione, vtpotè tantummodò eiectus ex illa, remanet verè, & propriè religiosus.*

4 *Eiectus è religione remanet obstrictus voto castitatis.*

5 *Religiosus si fiat Episcopus, remanet obstrictus voto castitatis, & obedientiæ, quia licèt non teneatur tunc obedire Superioribus religionis, tenetur tamen obedire Summo Pontifici, quemadmodum etiam Generalis religionis.*

6 *Religiosus factus Episcopus, ex communiori, & probabiliori sententia Doctorum remanet etiam obstrictus voto paupertatis, cùm non efficiatur Dominus redditunm Ecclesiasticorum, sed solùm administrator.*

7 *Obligatio prædicta quoad quosdam effectus, vel necessarios, vel quammaximè conuenientes statui extra religionem, est ad summum aliquo modo suspensa, quandiu scilicet religiosus eiectus vixerit extra religionem; non enim si recipiatur, debet iterum emittere professionem.*

8 *Religiosus eiectus à religione non tenetur statim se præsentare Episcopo, eique significare, se esse eiectum à religione, tenerique Episcopo obedire ex voto, modo ferè eodem, quo tenebatur obedire Prælato sæculari, contra Nauarrum, & aliquos alios Doctores; nullibi enim id seruatur in praxi.*

9 *Religiosus eiectus à religione, non tenetur ex vi voti aliquid aliud obseruare, quàm id, ad quod ex voto se obstrinxit.*

10 *Eiectus neque ex vi voti tenetur obedire Summo Pontifici, quia priusquam ejiceretur, neque tenebatur obedire, nisi quatenus est Summus Prælatus omnium religionum, ad quem se extendit votum factum Prælatis regularibus, quibus mediantibus obligatur etiam Summo Pontifici.*

11 *Religiosus eiectus à religione, etiamsi religio, à qua fuit eiectus, & Summus Pontifex id ipsi concedant, non tenetur ex vi voti ingredi aliam etiam laxiorem, neque ex vi voti obedire Episcopo.*

12 *Eiectus desinit quodammodò esse membrum religionis, atque ita desinit quodammodò esse religiosus, nempè quoad modum viuendi claustralem; quia per eiectionem religio abdicat quodammodò à se ius, quod habet in religiosum.*

13 *Eiectus non cessat omninò esse religiosus, neque omninò eximitur à iurisdictione religionis, contra nonnullos contrarium asserentes.*

14 *Recensentur Doctores tenentes per eiectionem non eximi quoquam à iurisdictione religionis.*

15 *Religiosus eiectus à religione, quod non sit liber à voto paupertatis, sicque sit dominij incapax, eorum quæ acquirit, non habet dominium; sed solùm ex tacita quadam Superiorum concessione, commoditatem, vsum, & administrationem.*

1 RÉspondetur negatiuè, adeò vt teneatur seruare tria vota religionis in professione solèniter emissa, scilicet votum paupertatis, castitatis, & obedientiæ. Sotus *de iust. & iur. lib. 7. q. 1. art. 1.* Nauar. *comment. 2. de Regular. n. 24. & comment. 3. n. 46.* Corduba *in Regulam S. Francisci, cap. 2. q. 21. punct. 3.* Federic. *cons. 34.* Molina *de iust. & iur. tom. 1. disp. 140. vers. Quando verò,* & *tom. 2. disp. 276. §. quoad cæteros.* Rodericus *tom. 1. quæstion. regul. q. 30. art. 20.* Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 41. dub. 15. n. 115.* quatenus ait, quod eiectus è Religione non sit solutus suis votis, & quod licèt cesset ea parte executio ob defectum materiæ, nempe quia caret Superiore, à quo dirigatur, debeat tamen ea seruare in præparatione animi. Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 21. sect. 1. n. 20.* Vasquez *part. 3. disp. 165 n. 87.* Azorius *tom. 1. Institut. moral. lib. 12. c. 16. q. 4. & 7. & cap. 17. q. 2.* quatenus inquit, quod eiectus è religione sit verè, & propriè religiosus, quamvis sit absque religione; sicut Episcopus sua Ecclesia spoliatus, est verè, & propriè Episcopus, quamvis sit sine Ecclesia; & consequenter, quod talis eiectus sit tribus votis Religionis obstrictus, atque adeò debeat esse eo animo, quod Superiorum iussis obtemperet, quotiescumque interuenerint. Petrus de Ledesma *in summa, tom. 2. tract. 10. cap. vltimo, dub. 2.* Miranda *in Manuali, quæst. 52. art. 5. concl. 1.* & alij communiter.

2 Probatur, quia alioquin eiectus è Religione commodum, scilicet liberationem à vinculis votorum, ex suo delicto reportaret, quod est contra textum *in cap. 1. de postulat. Prælator. & in c. Sedes Apostolica, de rescript.*

3 Confirmatur, quia eiectus è Religione, vtpotè tantummodo eiectus ex illa, remanet verè, & propriè Religiosus: ergo remanet obstrictus tribus votis Religionis, cùm de essentia Religiosi sit, quod obstrictus sit tribus votis Religionis, *cap. cùm ad Monasterium, de statu Monachor.*

4 Confirmatur secundò, quia eiectus è Religione, remanet obstrictus voto castitatis: Ergo & voto etiam paupertatis, & obedientiæ; cùm omnia tria vota pari modo sint de essentia Religiosi, & omnia tria vota pari modo emissa sint in professione.

Confirmatur tertiò, quia Religiosus, si fiat Epi- 5
scopus, remanet obstrictus voto castitatis, & obedientiæ. S. Thomas *in 4. distinct. 38. quæst. 1. articul. 4. quæstiuncul. 1. ad 5.* S. Bonauentura *ibidem, articul. 2. quæstione vltima, ad vltimum,* Maior *quæst. 20.* Sotus *de iustitia & iure, lib. vltimo, quæstione vltima, artic. vltimo, col. 3. versic. de singulis.* Syluester *verbo Religio 6. quæst. 10.* Nauarrus *consil. 6. de donationibus, num. 10.* Couarruuias *in cap. 1. de testament. num. 18.* Vasquez *part. 2. disput. 168. cap. 8. num. 93.* Valentia *2. 2. disput. 10. quæst. 3. punct. 8. versic. Secundum certum,* Turrecremata *in cap. de Monachis, 16. quæstione 1. num. 3.* & alij passim, cùm licèt non teneatur nunc obedire Superioribus Religionis, teneatur tamen obedire Summo Pontifici, quemadmodum Generalis Religionis, licèt non teneatur obedire vlli Superiori Religionis, tenetur tamen obedire eidem Summo
Pontifici. Remanet etiam, ex communiori, & proba- 6
biliori sententia Doctorum, obstrictus voto paupertatis. Glossa *in capite quia tua, 12. quæst. 1. verb. Sensum.* Ancharan. *in cap. cùm olim 2. de Priuileg. num. 8.* Gullielmus Benedictus *in cap. Raynutius, de testam. verbo Mortuo itaque testatore, num. 301.* S. Thomas *2. 2. quæst. 88. art. 11. ad 4.* S. Bonauentura *in 4. distinct. 38. artic. 2. quæstione vltima, ad vltimum,* Maior *ibidem, quæst. 1. argumento 3. contra primam conclusionem.* Molina *lib. de primogen. cap. 10. num. 28.* Corduba *in Regulam Sancti Francisci, capite 2. quæst. 20. puncto 3.* Turrecremata *in cap. non dicatis, 12. quæst. 1. art. 1. num. 2.* & alij multi, cùm ex communiori, & probabiliori sententia Doctorum non efficiatur dominus redditutum Ecclesiasticorum, sed solùm administrator; quia tantùm solummodò sufficit ad statum Episcopalem, vt derogetur de voto paupertatis, quod cum prædicto statu Episcopali videtur repugnare: ergo etiam Religiosus, si ejiciatur è Religione, remanebit obstrictus prædictis tribus votis Religionis.

Aduerte tamen, quod hæc obligatio quoad quosdam 7
effectus, vel necessarios, vel quammaximè conuenientes statui extra Religionem, sit ad summum aliquo modo suspensa, quamdiu scilicet Religiosus è Religione eiectus vixerit extra Religionem: Quapropter minùs rectè dixit Nauarrus *cons. 80. de Regul. in fine,* quod forsan huiusmodi eiectus, si redeat ad Religionem, debeat iterum in ea professionem emittere: minùs rectè, inquam, sic dixit Nauarrus, quia cùm prædictus Religiosus è Religione eiectus à prioribus votis, sicque à priori professione non fuerit absolutus, non indiget noua professione, sicuti rectè præter alios adnotauit Rodericus *tom. 1. quæst. regul. quæst. 30. artic. 29.*

Aduerte secundò, quod licèt Ostiens. *in cap. Quod* 8
Dei, de stat. Monach. Ioan. Andr. *in Clem. 1. eod. tit.* Suarez *tom. 4. de relig. lib. 3. cap. 6. n. 4.* Nauar. *cons. 77. n. 3. & cons. 78. n. 2. & cons. 79. de Regul. & comment. 2. de Regul. n. 34. & commentar. 3. num. 46.* Fredericus de Senis *cons. 38* Zerola *in praxi Episcop. part. 2. verb. Regul. vers. 3.* Sorbus *in priuil. Mendicant. verb. ejicere, in annot. circa finem,* & alij putent, Religiosum eiectum è religione teneri statim se præsentare *Episcopo,* eique significare, se esse eiectum è religione, tenerique talem eiectum è religione Episcopo obedire ex voto, modo ferè eodem, quo tenebatur obedire Prælato Regulari. Probabilius tamen sit oppositum, quod docent Less. *de iust. & iur. lib. 2. cap. 41. dub. 15. n. 114.* Roderic. *tom. 1. qq. regul. q. 30. n. 19.* Molin. *de iust. & iur. tom. 1. disp. 140.* vocans sententiam Nauarri improbabilem. Azor. *tom. 1. Institut. moral. lib. 2. cap. 16. q. 11.* Sanchez *lib. 6. moral. c. 9. n. 29.* Lopez à Texeda *lib. 2. contr. dub. 9.* Portell. *in dubit.*

dubit. Regul. verb. ejicere, in addit. num. 6. Layman. lib. 4. Theol. moral. tract. 5. cap. 13. num. 3. Cespedes de exempt. Regul. cap. 41. dubit. 315. num. 3. Barbos. ad cap. finale, num. 11. de eiectis, Faust. lib. 6. Thes. q. 158. Donat. in prax. rer. Regul. part. 2. tract. 8. de eiectis, quaest. 34. & alij passim, scilicet quod eiectus è Religione non teneatur vnquam se offerre Episcopo, vt ab illo in omnibus dirigatur, & dependeat, præsertim si eiectus sit ex iis Religiosis, qui ab Episcoporum iurisdictione sunt exempti.

Primò, quia nullibi est talis praxis in Ecclesia Dei, quod eiectus è Religione teneatur se offerre, seu præsentare Episcopo.

Secundò, quia Religiosus eiectus è Religione non tenetur ex vi voti aliquid aliud obseruare, quàm id ad quod ex voto se obstrinxit: at ex voto non se obstrinxit obedire Episcopo (præsertim si ab illo fuerit exemptus) extra Religionem, sed solùm obedire suo Prælato in Religione, alioquin etiam ante eiectionem teneretur Episcopo; cùm votum sit semper idem, & eodem modo obligans, & non possit sine nouo consensu vouentis extendi ad alias personas, ad quas priùs non extendebatur. Ergo ex vi voti si ejiciatur è Religione, non tenetur obedire Episcopo extra Religionem, sed tenetur solùm obedire illi extra Religionem eo modo, quo tenentur alij Clerici, qui sunt sæculares, & non Religiosi.

10 Neque dicas, quod teneatur ex vi voti obedire Summo Pontifici; quia priusquam ejiceretur, neque tenebatur obedire Summo Pontifici, nisi quatenus est Summus Prælatus omnium Religionum, ad quem se extendit votum factum Prælatis Regularibus, quibus mediantibus, obligatur etiam Summo Pontifici, sicuti dicebam: Quapropter cùm cesset obligatio obediendi quoad Prælatos Regulares, & votum remaneat solùm in habitu, cessabit etiam obligatio eiusdem voti quoad Summum Pontificem, sicuti rectè præter alios adnotarunt etiam Sanchez, & Lopez à Texeda in locis suprà citatis.

11 Tertiò, quia Religiosus eiectus è Religiones, etiamsi Religio, è qua fuit eiectus, & Summus Pontifex id ipsi concedant, non tenetur ex vi voti ingredi aliam etiam laxiorem Religionem, ex eodem Nauarro comment. 5. de Regul. n. 36. quia illam, vt inquit ipse, non vouit: Ergo neque tenebitur ex vi voti obedire Episcopo extra Religionem, sicque alio modo, quàm tenentur cæteri Clerici sæculares, qui talem obedientiam non vouerunt, propter eandem rationem, quia scilicet neque id similiter vouit. Vide quæ dicebantur sup. sect. 38. & quæ dicentur infrà sect. 70. in corollariis, coroll. 6.

12 Ex dictis sequitur, quod eiectus desinat esse membrum Religionis, atque adeò desinat quodammodo esse Religiosus, nempe quoad modum viuendi claustralem, cap. ne pro cuiuslibet, 16. q. 5. & notat Abbas in cap. 1. de Infant. & Ananias, & Socinus ibid. Ricciul. de Iure personar. extr. Eccles. grem. exist. lib. 8. c. 11. num. 3. Quia per eiectionem Religio abdicat quodammodo à se ius, quod habet in Religiosum, & consequenter non potest ampliùs, vt priùs, in illum exercere iurisdictionem: Quapropter & eiectus non babet ampliùs, vt priùs, suum velle alligatum voluntati Religioois, sed illud recuperat quodammodo quoad suum exercitium; cùm possit exercere quodammodo, seu in aliquibus independenter à Religione.

13 Non tamen eiectus cessat omninò esse Religiosus, neque omninò eximitur à iurisdictione Religionis, quidquid in contrarium dixerit Nauar. commentar. 5. n. 36. de Regul. & cons. 18. n. 2. cons. 64. n. 1. & cons. 79. n. 1. de Regul. edit. 1. Rodrig. tom. 1. quaest. Regul. q. 30. art. 20. Azor. tom. 1. lib. 12. instit. moral. cap. 16. q. 6. & c. 17. q. 2. Sorb. in compend. priuileg. verb. ejicere, & alij moti ex eo, quod per sententiam eiectionis fiat totalis separatio; sicque eiectus omninò desinat esse membrum Religionis, sicuti seruus per manumissionem omninò eximitur à potestate Domini, & ex eo quod sententia de se est perpetua, & seruanda; l. res iudicata, ff. de Regul. iur. quia ex dictis hæc non conuincunt; siquidem eiectio non est totalis separatio, sed aliqualis (qualis est separatio thori quoad habitationem) quoad claustralem disciplinam solùm, ac proinde eiectus non omninò desinit esse membrum Religionis. Quemadmodum ex dictis etiam coniuges facta separatione thori, non omninò absoluuntur à vinculo matrimoniali. Sententia autem est de se perpetua, & seruanda, quatenus sententia est, non autem res circa quam sententia versatur: Hæc enim res mutari potest iuxta potestatem, quæ relinquitur in sententia: Quapropter cùm eiectus non omninò per sententiam eiectionis eximatur à Religione, remanet subiectus Religioni secundùm mensuram subiectionis, quæ relinquitur; sicque non est eadem ratio de seruo manumisso à domino, cùm seruus per manumissionem totaliter liberetur à Domino.

Atque ita, quod scilicet eiectus per eiectionem non omninò, seu totaliter à iure Religionis eximatur, tenent Graff. part. 1. decis. lib. 3. cap. 5. num. 147. Zerola in praxi Episc. part. 2. vers. Regul. Sylvester verb. Apostasia, quaest. 6. Molina de iustit. & iure, tom. 1. disp. 140. §. Quoad votum, Vasq. s. s. disp. 165. cap. 8. num. 67. Suarez de censur. disp. 57. sect. 3. num. 20. Aragon. s. 2. quaest. 88. art. 3. §. Hucusque diximus, Sotus de iust. & iur. lib. 7. quaest. 5. art. 5. ad 3. Philiarch. tom. 1. de Offic. Sacerd. part. 2. lib. 2. cap. 21. circa fin. Conrad. part. 1. respons. quaest. 285. Angles in floribus quaestione de voto, art. 2. diffic. 8. Corduba in Regul. S. Francisci, cap. 5. quaest. 21. punct. 3. Sanchez libro 6. moral. cap. 9. num. 25. Lessius de iust. & iur. cap. 41. dub. 15. num. 111. Passarell. ad Priuileg. Minimor, cap. 16. Barbos. ad cap. final. de Regularibus, num. 7. Peyrin, quaest. 1. de subdito Relig. cap. 55. verb. Dico quintò, Donat. in Praxi rer. Regul. part. 2. tractat. 8. de eiectis, quaest. 25. Bonacina de clausur. quaest. 2. punct. 12. §. 3. num. 1. Miranda resp. 57. num. 4. tom. 3. & alij passim. 14

Et ista constant etiam ex cap. finali de Regularibus, vbi Pontifex præcipit, quod eiecti (salua Ordinis disciplina, quando scilicet sine detrimento disciplinæ reduci possunt) annuatim requirantur, vt reducantur ad Religionem, quod cap. final. quoad hanc partem innouatum est iam à Decreto prædicto de eiectis, & apostatis: at locum non haberet, si eiectus omninò, seu totaliter à iure Religionis eximeretur. Vide quæ dicentur infrà, sect. 70. in Corollariis, Corollar. 3.

Sequitur secundò: Quod cum Religiosus eiectus è Religione non sit liber à voto paupertatis, sicque sit dominij incapax eorum quæ acquirit, non habeat dominium, sed solùm ex tacita quadam Superiorum concessione commoditatem, vsum, & administrationem, itavt illis vti solùm possit ad se alendum iuxta statum, in quo positus fuerit. Nauarrus comment. 5. de Regularibus, numero 35. Molina de Iustitia & Iure, tom. 1. disput. 140. circa finem, vers. Quando verò, Azorius tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 16. quaest. 4. & alij communiter. Vide quæ dicentur infrà, sectione 46. 15

8 *Religiosus eiectus à religione non tenetur statim se præsentare Episcopo, eique significare, se esse eiectum è religione, tenerique Episcopo obedire ex voto, modo ferè eodem, quo tenebatur obedire Prælato seculari, contra Nauarrum, & aliquos alios Doctores; nullibi enim id seruatur in praxi.*

9 *Religiosus eiectus à religione, non tenetur ex vi voti aliquid aliud obseruare, quàm id, ad quod ex voto se obstrinxit.*

10 *Eiectus neque ex vi voti tenetur obedire Summo Pontifici, quia priusquam ejiceretur, utque tenebatur obedire, nisi quatenus est Summus Prælatus omnium religionum, ad quem se extendit votum factum Prælatis regularibus, quibus mediantibus obligatur etiam Summo Pontifici.*

11 *Religiosus eiectus à religione, etiamsi religio, à qua fuit eiectus, & Summus Pontifex id ipsi concedant, non tenetur ex vi voti ingredi aliam etiam laxiorem, neque ex vi voti obedire Episcopo.*

12 *Eiectus desinit quodammodò esse membrum religionis, atque ita desinit quodammodò esse religiosus, nempè quoad modum viuendi claustralem; quia per eiectionem religio abdicat quodammodò à se ius, quod habet in religiosum.*

13 *Eiectus non cessat omninò esse religiosus, neque omninò eximitur à iurisdictione religionis, contra nonnullos contrarium asserentes.*

14 *Recensentur Doctores tenentes per eiectionem non eximi quenquam à iurisdictione religionis.*

15 *Religiosus eiectus à religione, quod non sit liber à voto paupertatis, sicque sit dominij incapax, eorum quæ acquirit, non habet dominium; sed solùm ex tacita quadam Superiorum concessione, commoditatem, vsum, & administrationem.*

1 RESpondetur negatiuè, adeò vt teneatur seruare tria vota religionis in professione solèniter emissa, scilicet votum paupertatis, castitatis, & obedientiæ. Sotus *de iust. & iur. lib. 7. q. 1. art. 1.* Nauar. *comment. 2. de Regular. n. 34. & comment. 3. n. 46.* Corduba *in Regulam S. Francisci, cap. 2. q. 21. punct. 3.* Federic. *cons. 34.* Molina *de iust. & iur. tom. 1. disp. 140. vers. Quando verò,* & *tom. 2. disp. 276. §. quoad cæteros.* Rodericus *tom. 1. quæstion. regul. q. 30. art. 20.* Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 41. dub. 15. n. 115.* quatenus ait, quod eiectus è Religione non sit solutus suis votis, & quod licèt cesset ex parte executio ob defectum materiæ, nempe, quia caret Superiore, à quo dirigatur, debeat tamen ea seruare in præparatione animi. Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 21. sect. 1. n. 20.* Vasquez *part. 2. disp. 265. n. 87.* Azorius *tom. 1. Instit. moral. lib. 12. c. 16. q. 4. & 7. & cap. 17. q. 2.* quatenus inquit, quod eiectus è religione sit verè, & propriè religiosus, quamvis sit absque religione; sicut Episcopus sua Ecclesia spolians, est verè, & propriè Episcopus, quamvis sit sine Ecclesia; & consequenter, quod talis eiectus sit tribus votis Religionis obstrictus, atque adeò debeat esse eo animo, quod Superiorum iussis obtemperet, quotiescumque interuenerint. Petrus de Ledesma *in summa, tom. 1. tract. 10. cap. vltimo, dub. 2.* Miranda *in Manuali, quæst. 52. art. 5. concl. 1.* & alij communiter.

2 Probatur, quia alioquin eiectus è Religione commodum, scilicet liberationem à vinculis votorum, ex suo delicto reportaret, quod est contra textum *in cap. 1. de postulat. Prælator. & in c. Sedes Apostolica, de rescrip.*

3 Confirmatur, quia eiectus è Religione, vtpotè tantummodo eiectus ex illa, remanet verè, & propriè Religiosus: ergo remanet obstrictus tribus votis Religionis, cùm de essentia Religiosi sit, quod obstrictus sit tribus votis Religionis, *cap. cùm ad Monasterium, de statu Monachor.*

4 Confirmatur secundò, quia eiectus è Religione, remanet obstrictus voto castitatis: Ergo & voto etiam paupertatis, & obedientiæ; cùm omnia tria vota pari modo sint de essentia Religiosi, & omnia tria vota pari modo emissa sint in professione.

Confirmatur tertiò, quia Religiosus, si fiat Episcopus, remanet obstrictus voto castitatis, & obedientiæ. S. Thomas *in. 4. distinct. 38. quæst. 1. articul. 4. quæstiuncul. 1. ad 5.* S. Bonauentura *ibidem, articul. 2. quæstione vltima, ad vltimum,* Maior *quæst. 20.* Sotus *de iustitia & iure, lib. vltimo, quæstione vltima, artic. vltimo, col. 3. versic. de singulis.* Syluester *verbo Religio 6. quæst. 10.* Nauarrus *consil. 6. de donationibus, num. 12.* Couarruuias *in cap. 1. de testament. num. 18.* Vasquez *part. 2. disput. 168. cap. 8. num. 93.* Valentia *2. 2. disput. 10. quæst. 3. punct. 8. versic. Secundum certum,* Turrecremata *in cap. de Monachis, 16. quæstione 1. num. 3.* & alij passim, cùm licèt non teneatur tunc obedire Superioribus Religionis, teneatur tamen obedire Summo Pontifici, quemadmodum Generalis Religionis, licèt non teneatur obedire vlli Superiori Religionis, tenetur tamen obedire eidem Summo Pontifici. Remanet etiam, ex communiori, & probabiliori sententia Doctorum, obstrictus voto paupertatis. Glossa *in capite quia tua, 12. quæst. 1. verb. Sensum.* Ancharan. *in cap. cùm olim 2. de Priuileg. num. 8.* Gulielmus Benedictus *in cap. Raynutius, de testam. verbo Mortuo itaque testatore, num. 301.* S. Thomas *2. 2. quæst. 88. art. 11. ad 4.* S. Bonauentura *in 4. distinct. 38. artic. 2. quæstione vltima, ad vltimum,* Maior *ibidem, quæst. 1. argumento 3. contra primam conclusionem.* Molina *lib. de primogen. cap. 10. num. 28.* Corduba *in Regulam Sancti Francisci, capite 2. quæst. 20. puncto 3.* Turrecremata *in cap. non dicatis, 12. quæst. 1. art. 1. num. 2.* & alij multi, cùm ex communiori, & probabiliori sententia Doctorum non efficiatur dominus redditnum Ecclesiasticorum, sed solùm administrator; quia tantùm solummodò sufficit ad statum Episcopalem, vt derogetur de voto paupertatis, quod cum prædicto statu Episcopali videtur repugnare: ergo etiam Religiosus, si ejiciatur è Religione, remanebit obstrictus prædictis tribus votis Religionis. 5

6 Aduerte tamen, quod hæc obligatio quoad quosdam effectus, vel necessarios, vel quammaximè conuenientes statui extra Religionem, sit ad summum aliquo modo suspensa, quamdiu scilicet Religiosus è Religione eiectus vixerit extra Religionem: Quapropter minùs rectè dixit Nauarrus *cons. 20. de Regul. in fine,* quod forsan huiusmodi eiectus, si redeat ad Religionem, debeat iterum in ea professionem emittere: minùs rectè, inquam, sic dixit Nauarrus, quia cùm prædictus Religiosus è Religione eiectus à prioribus votis, sicque à priori professione non fuerit absolutus, non indiget noua professione, sicuti rectè præter alios adnotauit Rodericus *tom. 1. quæst. regul. quæst. 30. artic. 29.* 7

Aduerte secundò, quod licèt Ostiens. *in cap. Quod Dei, de stat. Monach.* Ioan. Andr. *in Clem. 1. eod. tit.* Suarez *tom. 4. de relig. lib. 3. cap. 6. n. 4.* Nauar. *cons. 77. n. 3. & cons. 78. n. 2. & cons. 79. de Regul. & comment. 2. de Regul. n. 34. & comment. 3. num. 46.* Federicus de Senis *cons. 38* Zerola *in praxi Episcop. part. 1. verb. Regul. vers. 3.* Sorbus *in priuil. Mendicant. verb. ejicere, in annot. circa finem,* & alij putent, Religiosum eiectum è religione teneri statim se præsentare *Episcopo,* eique significare, se esse eiectum è religione, tenerique talem eiectum è religione Episcopo obedire ex voto, modo ferè eodem, quo tenebatur obedire Prælato Regulari. Probabilius tamen sit oppositum, quod docent Less. *de iust. & iur. lib. 2. cap. 41. dub. 15. n. 114.* Roderic. *tom. 1. qq. regul. q. 30. n. 19.* Molin. *de iust. & iur. tom. 1. disp. 140.* vocans sententiam Nauarri improbabilem. Azor. *tom. 1. Instit. moral. lib. 2. cap. 16. q. 11.* Sanchez *lib. 6. moral. c. 9. n. 29.* Lopez à Texeda *lib. 2. contr. dub. 9.* Portell. *in dubit.* 8

dubit. *Regul. verb. ejicere*, *in addit. num.*6. Layman. *lib.*4. *Theol. moral. tract.*5. *cap.*13. *num.*3. Cespedes *de exempt. Regul. cap.*41. *dubit.*3. 5. *num.*3. Barbos. *ad cap. finale, num.*11. *de eiectis*, Fauft. *lib.*6. *Thes. q.*128. Donat. *in prax. rer. Regul. part.*2. *tract.*8. *de eiectis, quaest.*34. & alij passim, scilicet quod eiectus è Religione non teneatur vnquam se offerre Episcopo, vt ab illo in omnibus dirigatur, & dependeat, praesertim si eiectus sit ex iis Religiosis, qui ab Episcopotum iurisdictione sunt exempti.

Primò, quia nullibi est talis praxis in Ecclesia Dei, quod eiectus è Religione teneatur se offerre, seu praesentare Episcopo.

Secundò, quia Religiosus eiectus è Religione non tenetur ex vi voti aliquid aliud obseruare, quàm id ad quod ex voto se obstrinxit: at ex voto non se obstrinxit obedire Episcopo (praesertim si ab illo fuerit exemptus) extra Religionem, sed solùm obedire suo Praelato in Religione, alioquin etiam ante eiectionem teneretur Episcopo; cùm votum sit semper idem, & eodem modo obligans, & non possit sine nouo consensu vouentis extendi ad alias personas, ad quas priùs non extendebatur. Ergo ex vi voti si ejiciatur è Religione, non tenetur obedire Episcopo extra Religionem, sed tenetur solùm obedire illi extra Religionem eo modo, quo tenentur alij Clerici, qui sunt saeculares, & non Religiosi.

10 Neque dicas, quod teneatur ex vi voti obedire Summo Pontifici; quia priusquam ejiceretur, neque teneebatur obedire Summo Pontifici, nisi quatenus est Summus Praelatus omnium Religiosorum, ad quem se extendit votum factum Praelatis Regularibus, quibus mediantibus, obligatur etiam Summo Pontifici, sicuti dicebam: Quapropter cùm cesset obligatio obediendi quoad Praelatos Regolares, & votum remaneat solùm in habitu, cessabit etiam obligatio eiusdem voti quoad Summum Pontificem, sicuti rectè praeter alios adnotarunt etiam Sanchez, & Lopez à Texeda *in locis suprà citatis*.

11 Tertiò, quia Religiosus eiectus è Religiones, etiamsi Religio, è qua fuit eiectus, & Summus Pontifex id ipsi concedant, non tenetur ex vi voti ingredi aliam etiam laxiorem Religionem, ex eodem Nauarro *comment.*2. *de Regul. n.*36. quia illam, vt inquit ipse, non vouit: Ergo neque tenebitur ex vi voti obedire Episcopo extra Religionem, sicque alio modo, quàm tenentur caeteri Clerici saeculares, qui talem obedientiam non vouerunt, propter eandem rationem, quia scilicet neque id similiter vouit. Vide quae dicebantur *sup. sect.* 38. & quae dicentur *infrà sect.*70. *in corollariis, coroll.*6.

12 Ex dictis sequitur, quod eiectus desinat esse membrum Religionis, atque adeò desinat quodammodo esse Religiosus, nempe quoad modum viuendi claustralem, *cap. ne pro cuius libet*, 16. *q.*1. & notat Abbas *in cap.*1. *de Infant.* & Ananias, & Socinus *ibid.* Riccinl. *de Iure personar. extr. Eccles. grem. exist. lib.*8. *c.*11. *num.*3. Quia per eiectionem Religio abdicat quodammodo à se ius, quod habet in Religiosum, & consequenter non potest ampliùs, vt priùs, in illum exercere iurisdictionem: Quapropter & eiectus non habet ampliùs, vt priùs, suum velle alligatum voluntati Religionis, sed illud recuperat quodammodo quoad suum exercitium; cùm possit exercere quodammodo, seu in aliquibus independenter à Religione.

13 Non tamen eiectus cessat omninò esse Religiosus, neque omninò eximitur à iurisdictione Religionis, quidquid in contrarium dixerit Nauar. *commentar.*2. *n.*36. *de Regul. & conf.*18. *n.*2. *conf.*64. *n.*1. & *conf.*79. *n.*1. *de Regul. edit.*1. Rodrig. *tom.*1. *quaest. Regul. q.*30. *art.*20. Azor. *tom.*1. *lib.*12. *instit. moral. cap.*16. *q.*6. & *c.*17. *q.*1. Sorb. *in compend. priuileg. verb. ejicere*, & alij moti ex eo, quod per sententiam eiectionis fiat totalis separatio; sicque eiectus omninò desinat esse membrum Religionis, sicuti seruus per manumissionem omninò eximitur à potestate Domini, & ex eo quod sententia de se est perpetua, & seruanda, *l. res iudicata, ff. de Regul. iur.* quia ex dictis haec non conuincunt; siquidem eiectio non est totalis separatio, sed aliqualis (qualis est separatio thori quoad habitationem) quoad claustralem disciplinam solùm, ac proinde eiectus non omninò desinit esse membrum Religionis. Quemadmodum ex dictis etiam coniuges facta separatione thori, non omninò absoluuntur à vinculo matrimoniali. Sententia autem est de se perpetua, & seruanda, quatenus sententia est, non autem res circa quam sententia versatur: Haec enim res mutari potest iuxta potestatem, quae relinquitur in sententia: Quapropter cùm eiectus non omninò per sententiam eiectionis eximatur à Religione, remanet subiectus Religioni secundùm mensuram subiectionis, quae relinquitur; sicque non est eadem ratio de seruo manumisso à domino, cùm seruus per manumissionem totaliter liberetur à Domino.

Atque ita, quod scilicet eiectus per eiectionem non 14 omninò, seu totaliter à iure Religionis eximatur, tenent Graff. *part.*1. *decis. lib.*3. *cap.*5. *num.*147. Zerola *in praxi Episc. part.*2. *vers. Regul.* Sylvester *verb. Apostasia, quaest.*6. Molina *de iustit. & iure, tom.*1. *disp.*140. §. *Quoad votum*, Vasq. 2.2. *disp.*165. *cap.*8. *num.*67. Suarez *de censur. disp.*27. *sect.*5. *num.*20. Aragon. 2.2. *quaest.*88. *art.*3. §. *Hucusque diximus*, Sotus *de iust. & iur. lib.*7. *quaest.*2. *art.*5. *ad* 3. Philiarch. *tom.*1. *de Offic. Sacerd. part.*2. *lib.*2. *cap.*21. *circa fin.* Contad. *part.*1. *respons. quaest.*285. Angles *in floribus quaestione de voto, art.*2. *diffic.*8. Cordubz *in Regul. S. Francisci, cap.*2. *quaest.*21. *punct.*3. Sanchez *libro* 6. *moral. cap.*9. *num.*25. Lessius *de iust. & iur. cap.*41. *dub.*15. *num.*111. Passerell. *ad Priuileg. Minimor. cap.*16. Barbos. *ad cap. final. de Regularibus, num.*7. Peyrin. *quaest.*1. *de subdito Relig. cap.*25. *verb. Dico quintò*, Donat. *in Praxi rer. Regul. part.*2. *tractat.*8. *de eiectis, quaest.*22. Bonacina *de clausur. quaest.*2. *punct.*12. §.3. *num.*1. Miranda *resp.*57. *num.*4. *tom.*3. & alij passim.

Et ista constant etiam *ex cap. finali de Regularibus*, vbi Pontifex praecipit, quod eiecti (salua Ordinis disciplina, quando scilicet sine detrimento disciplinae reduci possunt) annuatim requirantur, vt reducantur ad Religionem, quod *cap. final.* quoad hanc partem innouatum est iam à Decreto praedicto de eiectis, & apostatis: at locum non haberet, si eiectus omninò, seu totaliter à iure Religionis eximeretur. Vide quae dicentur *infrà, sect.*70. *in Corollariis, Corollar.*3.

Sequitur secundò: Quod cum Religiosus eiectus 15 è Religione non sit liber à voto paupertatis, sicque sit dominij incapax eorum quae acquirit, non habeat dominium, sed solùm ex tacita quadam Superiorum concessione commoditatem, vsum, & administrationem, itavt illis vti solùm possit ad se alendum iuxta statum, in quo positus fuerit. Nauarrus *comment.*2. *de Regularibus, numero* 35. Molina *de Iustitia & Iure, tom.*1. *disput.* 140. *circa finem, vers. Quando verò*, Azotius *tom.*1. *instit. moral. lib.*12. *cap.*16. *quaest.*4. & alij communiter. Vide quae dicentur *infrà, sectione* 46.

SECTIO XLIII.

Cuinam acquirat Religiosus iustè per sententiam diffinitiuam eiectus è Religione, si non transierit ad aliam Religionem, sed maneat in sæculo?

SVMMARIVM.

1 *Eiectus licèt bonorum post suam eiectionem acquisitorum ex concessione Superioris sibi acquirat ad vitam sustentandam vsum quendam proportionatum, & sufficientem, non tamen eorum etiam sibi acquirit dominium; quia dominij incapax est, stante voto solemni paupertatis, à quo per eiectionem non soluitur: nemo enim debet ex sua culpa commodum reportare.*

2 *Eiectus si acquirat bona immobilia, vel mobilia pretiosa, non potest ea alienare, & quia sunt facta bona Ecclesiastica, & quia non habet dominium.*

3 *Regularis factus Episcopus neque potest testari, vel causa mortis donare; quia similiter solùm habet dispensationem rerum Ecclesiasticarum. Quod dic etiamsi eiectus obtineret indultum Apostolicum, &c.*

4 *Religiosus eiectus à Religione, si non transierit ad aliam, sed maneat in sæculo, licèt in sententia aliquorum Doctorum non acquirat Religioni, à qua fuit eiectus; quia Religio solùm acquirit ius in bona Religiosi, quamdiu in ea permanserit, &c. dicendum tamen est oppositum, scilicet quod eiectus acquirat adhuc religioni, vel dominium, data illius capacitate, vel saltem commoditatem, data incapacitate; quia religio non debet amittere ius suum per culpam sui religiosi, &c.*

5 *Infans si fuerit expositus, vel eiectus à parente, eximitur à patria potestate, neque acquirit parenti: & seruus similiter si fuerit expositus, vel eiectus à Domino, efficitur liber; at non sic Religiosus, quia illud statutum fuit in pœnam crudelitatis parentis, vel serui: at in Religione nulla potest considerari crudelitas, vel culpa in eiectione religiosi incorrigibilis; idque procedit etiamsi interuenerit aliqua culpa Prælati, vel maioris partis Capituli, &c.*

6 *Religiosus eiectus si obtinuerit beneficium, acquirit beneficio, & sua Ecclesiæ.*

7 *Fugitiuus autem, & apostata acquirit religioni, absque vllo dubio.*

8 *Excipe si fugitiuus, vel apostata moriatur extra religionem; quia tunc omnia acquisita à fugitiuo post fugam, vel ab apostata post apostasiam, ex quodam motu proprio Gregorij XIII. spectant ad Cameram Apostolicam.*

9 *Religiosus eiectus à religione, quidquid sit de iure antiquo, modò si manens in sæculo acquisiuerit bona, succedit in vniuersa eius hæreditate Camera Apostolica ex quodam motu Gregorij XIII. si decedat extra Religionem. Idem dicendum de quocumque alio religioso, si permanenter viuat extra Religionem, & similiter decedat extra religionem.*

10 *Religiosus eiectus, antequam decedat extra religionem, ex sententia nonnullorum acquirit Romano Pontifici, vel Ecclesiæ, vel Episcopo.*

11 *Religiosus eiectus à religione, si non erat exemptus ab Episcopo, acquirit Episcopo, secundùm aliquos: at secus si erat exemptus, quia tunc acquirit religioni, à qua iustè eiectus est.*

12 *Rejicitur sententia Bellamera, Ostiensis, Ioan. Andr. & Rosella asserentium, eiectum à Religione nullè acquirere dominium bonorum, quæ post eiectionem acquirit.*

SVppono, quod eiectus, licèt bonorum post suam eiectionem acquisitorum ex concessione Superioris sibi acquirat ad vitam sustentandam vsum quendam proportionatum, & sufficientem: Nauar. *comment. 2. de Regul. n. 35.* Molin. *de iust. & iur. tom. 1. disp. 140.* Rodr. *qq. Regul. tom. 1. q. 30. art. 29.* Less. *de iust. & iur. lib. 2. cap. 41. dub. 15.* Sayr. *lib. 6. Thes. cap. 9. n. 18.* Azor. *part. 1. lib. 12. c. 16. q. 4.* Faust. *lib. 6. Thes. relig. q. 221.* & Barbos. *in cap. fin. de Regul. n. 12.* quia non repugnat id voto solemni substantiali paupertatis, sed stare potest cum substantia voti solemnis paupertatis: non tamen eorum etiam sibi acquirat dominium, quia dominij non est capax, stante voto solemni paupertatis, à quo per eiectionem non soluitur, *cap. non dicatis, 12. q. 1.* & dicebam *sup. sect. praeced.* & docent Innocent. *in cap. dilectus 2. de Simon.* dicendo quod Monachus per depositionem non desinat esse Monachus. Et Cardin. *in Clem. 1. §. Quia verò, de stat. Monach. q. 1. & in cap. finali, de Regul.* dicendo quod Monachatus est character quidam indelebilis. Et Nauar. *in cap. nullum, 18. q. 1.* cum aliis dicendo, quod nemo debet ex sua culpa commodum reportare, iuxta textum *in l. itaque fullo, ff. de furt.* & *cap. 1. de postul.* 1

Hinc fit, quod si eiectus acquirat bona immobilia, vel mobilia pretiosa, non potest ea alienare, non solùm quia prædicta bona facta sunt Ecclesiastica, sed etiam defectu dominij. Fit etiam, quod eiectus non possit testari, neque causa mortis donare; quia testamentum, & causa mortis donatio supponunt dominium, cùm dicant translationem dominij factam causa mortis. 2

Quapropter neque Regularis factus Episcopus potest etiam testari, vel causa mortis donare, quia similiter solùm habet dispensationem rerum Ecclesiasticarum: S. Thom. *2. 2. q. 185. art. vltimo, ad 5.* & alij Doctores communiter: quapropter etiamsi eiectus obtineret indultum Apostolicum, vt de acquisitis possit testari, vel causa mortis donare, censeretur ipsi solùm concessa potestas extendendi dispensationem acquisitorum post mortem suam valitura, quia cum per hoc non liberetur à voto solemni paupertatis, remaneret adhuc incapax dominij, atque adeò & incapax testandi, vel causa mortis donandi cum translatione dominij. His suppositis 3

Respondetur, quod quamvis in tali casu sententia Nauarri *comment. 2. de Regularibus, num. 35. vers. 2. Quod,* Innocentij *in cap. cùm olim 2. de Priuileg. num. 3.* Ostiensis *ibidem, num. 12.* Cardinalis *num. 4.* Abbatis *in cap. vnico, de infantibus & languid. exposit. in fine,* Rosellæ *verb. Religio, num. 1.* Azorij *tom. 1. Institut. moral. lib. 12. cap. 16. quæst. 9.* & aliorum, non acquirat Religioni, è qua fuit eiectus; quia Religio solùm acquirit ius in bona Religiosi, quamdiu in ea permanserit, secus si ex ea eiectus fuerit; tum quia Religiosus eiectus non est ampliùs Religionis membrum, nec ei ampliùs subiectus; sicque si exemptus est, acquirat Summo Pontifici; si non exemptus, acquirat Episcopo loci: dicendum sit tamen oppositum, quod docent S. Antonin. *3. part. tit. 16. cap. 5. §. 4.* Lopez à Texeda *tom. 1. lib. 5. tractat. 1. controuers. 10. dubit. 1. numer. 12.* Faust. *lib. 6. Thes. quæst. 221. verb. Cæterum verius.* Molina *de iustit. & iur. tom. 1. disput. 140.* Lessius *lib. 2. cap. 41. dubit. 15. num. 112.* & alij complures, scilicet quod eiectus acquirat adhuc Religioni, vel dominium, si Religio est capax, vel saltem commoditatem post mortem, si Religio non est capax; quia Religio per culpam, & punitionem Religiosi ius suum, quod in bonis illius habebat, amittere non debet; nec est simile de seruo eiecto, quia seruus per eiectionem à Domino, efficitur liber, & dominij capax, non sic Religiosus; tum quia Religiosus eiectus non est ita à sua Religione præcisus, quin teneatur reuerti, præsertim 4

tim si Religio velit; & quia si se correxerit, cogi non possit Religio, quod ipsum readmittat, nisi iustas causas habeat non admittendi, sic vt suprà suo loco dicebam: tum quia Religio per eiectionem solùm separat suum Religiosum à conuictu, ne cæteros inficiat; non autem abdicat à se iura, & debita, quæ habet contemplatione illius; cùm teneatur procurare reductionem illius, & illum, si coerectus redire velit, recipere de nouo, sicuti constat *ex cap. finali, de Regular.* innouato per præsens decretum de apostatis, & eiectis: vnde durante Iure acquisito, quidquid eiectus acquisiuerit, transit in Ius Religionis; sicque si eiectus redeat ad Religionem, tenebitur secum deferre quidquid acquisiuit, & illud consignare Religioni.

5 Obijcies: si infans fuerit expositus, vel eiectus à parente, eximitur à patria potestate, nec acquirit patri: similiter si fuerit expositus, vel eiectus seruus à Domino, efficitur liber, sicuti colligitur *ex c. vnico, de infantib. & languid.* Ergo pari modo, si Religiosus fuerit eiectus è Religione, eximetur à Iure Religionis, nec acquiret ampliùs Religioni, sed Pontifici, vel Episcopo.

Respondetur, concedo antecedens: at nego consequentiam: & disparitas est, quia illud prius statuum fuit in pœnam crudelitatis patentis, vel Domini; pœna verò non debet extendi vltra suum casum, præsertim cum Religionis nulla sit crudelitas, vel culpa in eiectione Religiosi; sed si in hac re est aliqua culpa, vel illa est solius Prælati, & sic non debet nocere Religioni (cùm delictum personæ redundare non debeat in Ecclesiam, vel Religionem, *Regul. 76. in 6.* idemque dicendum, si culpa sit minoris partis Capituli) vel est maioris partis eiusdem Capituli, & sic licèt Religio possit priuari, non tamen iure suo priuata est ante sententiam Iudicis.

6 Quod si eiectus obtinuerit beneficium, acquiret beneficio, & suæ Ecclesiæ.

7 De fugitiuo autem, & apostata dubium non est, quod acquirat Religioni, quia Religio Religiosum fugitiuum, vel apostatam à se non abdicauit, vt suprà etiam suo loco dicebam.

8 Excipe, si fugitiuus, vel apostata moriatur extra Religionem, quia tunc omnia acquisita à fugitiuo post fugam, vel ab apostata post apostasiam, ex motu quodam Gregorij XIII. infrà recensendo, spectant ad Cameram Apostolicam. Qua de re vide *suprà, sect. 30. & mox infrà, n. 5. sequenti.*

9 At quidquid sit, cuinam Religiosus eiectus è Religione acquirat, hodie tamen, si Religiosus iustè per sententiam diffinitiuam è Religione eiectus extra Religionem moriatur, omnia quæ post eiectionem acquisiuerit (sicut & quicumque alius Religiosus permanenter extra claustra viuens, si similiter extra Religionem moriatur) Cameræ Apostolicæ acquirit, vt patet ex motu quodam proprio Gregorij XIII. qui incipit, *Officij nostri partes, tom. 2. Bull.* sicque præter alios aduertunt Campan. *in diuersor. Iur. rub. 12. c. 15. n. 9.* Rodr. *tom. 1. quæst. Regul. q. 90. art. 39. circa fin.* Nald. *in sum. verb. Religiosus, n. 35.* Sanch. *lib. 7. moral. c. 33. n. 82.* Riccius *dec. 245. p. 4.* Bonac. *de clausur. q. 2. punct. 12. §. 7. n. 34.* Alphons. de Leone *de censur. recoll. 6. n. 332.* Barbos. *ad c. final. de regul. n. 15.* Nouar. *in praui noui Iuris Pontificij, de bon. regul. concl. vnica, & in Lucerna Religios. verb. Eiecti, n. 11.* & Donat. *in prax. rer. regul. p. 2. tract. 8. de eiectis, q. 46. n. 5.*

Per hoc tamen, quod post mortem extra Religionem bona tam eiecti, quàm cuiuscumque alterius Religiosi permanenter extra claustra viuentis, ad Cameram Apostolicam pertineant, non tollitur, quin interim ante mortem ipsorum non possint ad alterum pertinere, & sub alterius dispositione esse, sicuti constat in bonis acquisitis ab Episcopo, de quibus, potest iste liberè disponere. Quamvis vbi sit spolium post mortem ipsius pertineant ad Cameram Apostolicam. Quapropter in hoc casu etiam adhuc post hunc motum Gregorij XIII. durat difficultas inter DD. cuinam talis è Religione eiectus acquirat, vti suprà annuebam.

10 Et quidem ex sententia nonnullorum acquirit Romano Pontifici, vel Ecclesiæ, vel Episcopo, itavt ipsius eiecti bona post eiectionem acquisita pertineant ad Romanum Pontificem, vel ad Ecclesiam, vel ad Episcopum, instar eorum bonorum, quæ vacantia dicuntur; quia sicut eius, qui absque hærede decedit, bona, tanquam vacantia, pertinent ad Rempublicam, vel Principem, ita similiter bona Religiosi è Religione eiecti, tanquam similiter vacantia, pertinent ad Summum Pontificem, vel ad Ecclesiam, vel ad Episcopum in cuius diœcesi moritur, vel alterius: videatur præter Syluestrum *verb. Apostasia, q. 9.* & Abbatem *in cap. fin. de regul.* Sayr. *in claui regia, lib. 6. c. 9. num. 28.* & Azor. *tom. 1. Instit. moral. lib. 12. c. 16. q. 9.*

Videri etiam poterit Nauarrus *citato comment. 2. de Regularib. n. 33.* quatenus ait, bona talis è Religione eiecti quoad verum dominium pertinere ad Deum, quoad ius administrandi summum pertinere ad Pontificem, tanquam Dei vicarium, quoad ius administrandi speciale pertinere ad Ecclesiam sæcularem, vel Regularem, si ad eam iam legitimè translatus, seu addictus fuerit, iuxta *c. si quis iam translatus 21. q. 2. & c. ne pro eminsibet, 16. q. 1.* & docent Abbas *in c. finali, de Regul. n. 3.* Anch. *in c. cùm olim 2. de priuil. in fine,* Bart. *in l. si seruus 37. ff. de stipul. seruor. n. 6.* Specul. *in tit. de statu Monachorum, q. 23. §. vnico, num. 29.* & ea Theologia S. Thom. *2. 2. q. 188. art. 8. ad 3.* Sotus *de iust. & iur. lib. 10. q. vlt. art. vlt. ad 3.* Less. *lib. 2. c. 41 dub. 15. n. 112.* & tandem ex Summistis Tab. *verb. Religio, q. 27. n. 28.* & alij, quos citat & sequitur Azor. *citata q. 9.*

Alioquin pertinebunt ad Episcopum domicilij, vel originis, vel alterius, sicuti tradunt Abbas *in c. finali, de regularib. in fine,* Anton. *in cap. cùm olim 2. de Priuileg. n. 36.* Angel. *verbo Monasterium, n. 6.* & Tabiena *verbo Apostasia, q. 15. n. 18.* Quia cùm Religiosus è Religione eiectus acquirat verum dominium Deo, & ius administrandi Superiori, sequitur quod acquirat illud Episcopo domicilij, originis, vel alterius.

11 Et ex sententia aliorum, quos sequitur Syluester *verb. Apostasia, q. 9. n. 12.* prædictus è Religione eiectus acquirit quidem Episcopo, si talis Religiosus è Religione eiectus non erat exemptus ab Episcopo: at secus si erat exemptus, quia tunc acquirit Religioni, è qua iustè eiectus est, iuxta ea quæ dicebam suprà ad mentem Molinæ, Lessij, & aliorum.

12 Cæterùm sententia Bellameræ *in cap. Abbates, 18. q. 2.* Hostiensis *in cit. c. cùm olim, n. 12.* Ioan. Andreæ *ibid, n. 5.* & Rosellæ *verbo Religio 1. n. 1.* quod scilicet è Religione eiectus nulli acquirat dominium bonorum quæ post eiectionem acquirit, mihi nullo modo probatur; quia cùm talia bona non haberentur pro derelictis (alioquin essent primi occupantis) necessariò sequitur, quod sub alicuius dominio, & administratione esse debeant.

SECTIO XLIV.

Cuinam acquirat Religiosus iustè per sententiam diffinitiuam eiectus è Religione, si transierit ad aliam Religionem, & non maneat in sæculo.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus iustè per sententiam diffinitiuam eiectus à religione, si transierit ad aliam, & non maneat in sæculo, acquirit secunda religioni.*

2 *Religio secunda, si incapax sit possidendi, bona acquisita per eiectum spectant ad dantem.*

3 *Dans pecuniam Religioni S. Francisci, potest illam, quamdiu non fuerit alienata, reuocare, cùm illius dominium retineat ipsemet dans.*

4 *Ius reuocandi pecuniam datam in eleemosinam non transit ad hæredes dantis, sed cessat morte ipsius dantis.*

5 *De Iure nouissimo etiam pecunia data in eleemosinam dominium non remanet apud dantem, sed est sicut & aliorum bonorum penes Sedem Apostolicam.*

6 *Eiectus si ingressus fuerit aliam Religionem, & in ea professus, bona ipsius acquisita ante ingressum posterioris pertinebunt ad priorem.*

7 *Eiectus si dispensetur, & alicui Ecclesiæ in officio addicatur, quæ acquirit postea pertinebunt ad istam Ecclesiam.*

8 *Excipe hæreditates, ad quas Religio prior per ipsius eiecti professionem iam ius acquisierat, quia tunc transibunt ad religionem, vel ad Ecclesiam, cui ipse postea inseruit.*

1 RESpondetur quod talis eiectus in tali casu acquirat secundæ Religioni, itavt bona, quæ post professionem in ista secunda Religione acquirit, pertineant ad secundam Religionem. Syluester *verbo Apostasia, q.9. n.12.* Tabiena *verb. Religio, q.27.n.28.* Azor. *tom.1.instit.moral. lib.12.c.16. q.9.* & alij communiter; quia iam est factus membrum huius secundæ religionis, itavt ali debeat ab hac secunda Religione.

2 Quod si hæc secunda religio sit incapax succedendi qualis est Religio Fratrum Minorum S. Francisci de Obseruantia, tunc bona quæ acquirit prædictus eiectus in prædicto casu (quatenus spectat ad dominium) pertinent ad dantem, si acquisita res fuerit pecunia in eleemosinam data; vel ad Pontificem, si acquisitæ res fuerint alia bona præter pecuniam. Petrus Ledesma *2.p.q.18.art.1.dub.1.* Rebellius *de Iust.p.1.lib.1.q.7. sect.4.n.33.* Salonius *2.2.q.62.in tract.de dominio, q.1. art.2.coroll.1.* Et patet *ex cap. Exiit qui seminat, de verb.signif. in 6. §.Caterùm, & §. Ad hæc.*

3 Hinc sequitur, quod qui pecuniam dat religioni S.Francisci prædictæ, potest illam (quamdiu non fuerit aliena) reuocare; cùm illius dominium retineat ipsemet dans, vt habetur *in d. c. Exiit qui seminat*, & tradunt Bartol. *in tract. Minoritarum, lib.2.dub.4.c.2.* Sot. *de Iust.& Iur.lib.4.q.1.art.1.circa fin.vers. Hisce tamē,* Azor. *tom.1.Instit.mor. lib.15.c.24.q.5.* Quemadmodum & de aliis bonis Religionis S.Francisci prædictæ præter pecuniam potest disponere Pontifex; cùm illorum, præterquam pecuniæ dominium, habeat ipsemet Pontifex, sicuti præter alios adnotarunt Ledesma *loc. suprà cit.* & Less. *de Iust.& Iur. lib.2.c.4.dub.5.n.19.*

4 Aduerte tamen, quod hoc ius reuocandi pecuniam datam in eleemosinam non transeat ad hæredes dantis, sed cesset morte ipsius dantis. S.Bonauent. in regulam S. Francisci, *cap.4. ad 4.* Corduba *in eandem regulam eiusdem S. Francisci, c.6.q.11.punct.4.* Roderic. *tom.2. quæst.regular.q.126.art.1.* Sorbus *in compendio priuil. mendicant. verb. Legata, in annot. vers. Sed si aliquid,* & constat ex citato *cap. Exiit qui seminat, §. In eo verò casu.*

5 Aduerte secundò, quod de iure nouissimo etiam pecuniæ in eleemosinam datæ dominium non remaneat apud dantem, sed sit (sicut & aliorum bonorum) apud Sedem Apostolicam; quia sic nouissimè per suas constitutiones statuerunt Martinus V. & Paulus III. sicuti videre est apud Roder. *tom.2.quæst.regular. q.25. art.6.dicto primo, in fine,* vbi & subdit, quod sic etiam decisum fuerit in quodam Capitulo generali prædictorum Fratrum eiusdem S. Francisci.

6 Ex dictis igitur, si eiectus ingressus fuerit aliam religionem, & in ea professus, bona ipsius acquisita ante ingressum talis religionis pertinebunt ad religionem priorem, è qua eiectus est; acquisita verò post prædictum ingressum, pertinebunt ad religionem posteriorem; quia tunc est membrum huius religionis posterioris, non prioris.

Similiter si eiectus dispensetur, & alicui Ecclesiæ in officio addicatur, quæ acquirit postea, pertinebunt ad istam Ecclesiam; quia tunc similiter est membrum istius Ecclesiæ. 7

Excipiuntur tamen hæreditates, ad quas religio prior per ipsius eiecti professionem iam ius acquisierat; quia tunc, cùm ea non priuetur suo iure, hæreditates non transibunt ad religionem, vel ad Ecclesiam, cui ipse postea inseruit, sed illas adibit religio prior, quocumque modo se habeat eiectus; & solùm si ipse non habeat vnde viuat, tenebitur ipsi religio alimenta præbere. Excipe, nisi eiectus ascenderit ad Episcopatum; quia tunc, tanquam omninò à religione liberatus, acquiret ipse hæreditates, iuxta textum *in cap. statutum, 18.quæst.1.* 8

SECTIO XLV.

Cuinam acquirat Religiosus, si fuerit iniustè eiectus è Religione, vel si fuit iustè eiectus, adhuc (quamvis se correxerit, & petierit reuerti) iniustè non fuerit iterum de nouo receptus?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, si fuerit iniustè eiectus è religione, vel si fuit iustè eiectus, probabiliùs acquirit religioni, à qua fuit iniustè eiectus, vel si fuerit iustè eiectus contra omne ius, vtpote iam correctus, & petens reuerti, non fuerit iterum receptus, contra Syluestrum, quia per talem iniustam eiectionē non absoluitur à votis religionis.*

2 *Religio quod debeat priuari bonis religiosi iniustè eiecti vel iustè eiecti, & post correctionem iterum non recepti, est pœna, quæ non solet, vtpote priuationis bonorum, infligi ante sententiam Iudicis.*

3 *Religiosus eiectus non habetur pro derelicto rationabiliter, sed irrationabiliter.*

4 *Delictū personæ non debet nocere religioni, quādo culpa interuenisset in eiectione, & ageretur de bonis eiecti iam defuncti, si solum ea culpa fuerit in Prælato, vel etiam in minori parte Capituli; quia religio habet ius acquisitum in bona, quæ acquisiuit religiosus.*

5 *Monasterium, vel etiam maior pars Capituli, si eiiciat quempiam, vel nolit de nouo recipere eiectum, adhuc eiectus acquirit Monasterio, quia per hoc non abdicat à se ius proprium.*

RESpondetur, quod talis Religiosus (si sequamur sententiam illorum, qui volunt, iustè eiectum, si se correxerit, & petierit reuerti, iterum recipiendum esse. Quorum Doctorum sententiam, tanquam probabiliorem, præsertim post decretum S.Congreg. Concilij innouans *c.fin.de regularib.* sequebamur *sup.sect.40.*) probabiliùs acquirat Religioni, è qua fuit iniustè eiectus, vel si fuerit iustè eiectus, iniustè, vtpote iam correctus, & petens reuerti, non fuerit iterum de nouo receptus. 1

Sic contra Syluestrum *verbo Apostasia, q. 9. n.12.* Hostiensem *in sum.tit.de apostatis, n.4.* Archid. *in cap. Abbatis, 18.q.2.circa fin.* Cardinalem *in c. Quod ad te, de Cleric.coniugat.n.vnico,* Abbatem *in c.sicut nobis, de regularib.in fine, & in c.vnico, de infant. & languid. expost.in fine,* Innoc. *in c.olim 2. vers. Sed si expulsus, de priuil.* Angelum *verb. Monasterium, n.6.* Bellarm. *in cap. Quando, de offic.ordinar. n.11.* S. Antonin. *2.p.tit.16. c.5.§.4.* Surd *de aliment.tit.7.q.3.n.9.* Redoan. *de spoliis Ecclesiast.q.8.in princ.n.76.* & alios docent Molin. *de Iust.& Iur.tom.1.disp.140.in fin. vers. Quod ad votum,* quatenus ait, quod si quando culpa interuenisset 2

in

in eiectione, & ageretur de bonis eiecti iam defuncti, etto fuisset iniustè eiectus à maiori parte Capituli, sicque à Capitulo ipso, iustumque iudicaretur, quod religio propterea puniatur amissione commoditatis, & vsus illorum bonorum; non tamen id locum habeat ante latam sententiam. Et Lessius *lib. 2. cap. 41. dub. 15. n. 112. in fine*, quatenus similiter inquit, quod si culpa esset in maiori parte Capituli, sicque religio posset priuari, non tamen ipso iure priuata sit ante sententiam Iudicis, & alij recentiores passim.

Probatur, quia per talem iniustam eiectionem Religiosus non absoluitur à votis Religionis, & Religio non poterat illum ejicere; & in casu, quod iustè ejecerit, tenetur illum (si fuerit correctus, & petat reuerti) iterum recipere, atque etiam alimentare: ergo quamvis peccet Religio illum iniustè ejiciendo, vel illum justè eiectum, sed iniustè (vtpote correctum, & petentem reuerti) iterum de nouo non recipiendo, non propterea Religio amittit ius, quod habet in bona, quæ pro tunc talis Religiosus acquirit.

2 Confirmatur, quia quod Religio debeat priuari bonis Religiosi iniustè eiecti, vel iustè eiecti, & post correctionem iterum de nouo non recepti, est pœna: sed pœna priuationis bonorum non solet ordinariè infligi ante sententiam Iudicis: ergo quamdiu Religio non fuerit in pœnam priuata bonis talis Religiosi, semper retinebit ius ea capiendi, atque etiam retinendi.

3 Objicies fundamentum aduersariorum in contrarium: talis Religiosus habetur pro derelicto: ergo quæ acquirit, non acquirit Religioni; atque adeò non requiritur sententia Iudicis ad hoc, vt Religio amittat bona, quæ acquirit prædictus Religiosus.

4 Respondetur, distinguo antecedens: habetur pro derelicto, irrationabiliter, transeat; rationabiliter, nego: & cùm talis Religiosus ex alio capite non sit à votorum vinculis absolutus, & sit verè Religiosus (quem Religio non poterat, nisi iniustè, ejicere, vel si iustè eiecit, tenebatur illum, vtpote iam correctum, & reuerti petentem, iterum de nouo recipere, atque etiam alimentare) ius habet Religio in bona prædicti Religiosi, quãdiu illis ipsa non priuatur per sententiam Iudicis.

Et quod dixi, scilicet quod talis Religiosus acquirat Religioni, ex qua iniustè fuit eiectus, vel si fuit iustè eiectus, iniustè, vtpote iam correctus, & reuerti petens, non fuit iterum de nouo receptus, certum saltem videtur, si prædictus Religiosus fuerit iniustè eiectus, vel si fuit iustè eiectus, iniustè, vtpote iam correctus, & reuerti petens, non fuerit iterum de nouo receptus absque consensu maioris partis Capituli, sed solùm cum consensu minoris partis eiusdem Capituli. Abbas *in cap. Sicut nobis, de regularib. in fine*, Cardinalis *in cap. vnico, de infant. & languid. exposit. n. 3.* Antoninus *ibid. num. 5.* Molina *de Iust. & iur. tom. 1. q. 140. circa finem*, quatenus ait, quod quando culpa interuenisset in eiectione, & ageretur de bonis eiecti iam defuncti, si solùm ea culpa fuerit in Prælato, vel etiam in minori parte Capituli, delictum personæ non debeat nocere Religioni, *regula delictum 76. de regul. iur. in 6.* & ibi communiter DD. Henriquez *in cap. finali, de regularib. n. 2.* Anchar. *cons. 352. n. 4.* Angelus *in summa, verbo Monasterium, n. 6.* Lessius *de Iustit. & iur. lib. 2. cap. 41. dub. 15. n. 112.* & alij communiter: & ratio est, quia Religio habet ius acquisitum in bona, quæ acquirit Religiosus: ergo si Prælatus, etiam cum minori parte Capituli, injustè ejiciat Religiosum, vel si iustè eiecit, injustè illum, vtpote iam correctum, & petentem reuerti, iterum de nouo non recipiat, non debet Religio huiusmodi iure acquisito priuari propter delictum personæ, vel etiam paucarum personarum, iuxta *regulam delictum 76.* quam *suprà* tradebam, cum communi etiam sententia Doctorum.

5 Ex dictis sequitur, quod si Monasterium, vel etiam maior pars Capituli ejiciat quempiam, vel nolit de nouo recipere eiectum, adhuc eiectus acquirat Monasterio, quia per hoc, quod Monasterium, vel etiam maior pars Capituli ejiciat quempiam, vel nolit de nouo recipere eiectum, non abdicat à se ius proprium, quod habet in illum; neque eiectus liberatur à paupertatis voto solemni, quo tenetur in ordine ad suam Religionem; imò non tenetur Religio illum de nouo recipere, nisi fuerit correctus: ergo ipse adhuc acquirit suæ Religioni; cùm maneat idem ius, & idem fundamentum, neque adsit aliquod ius priuans in tali casu Religionem iure iam acquisito: quod est verum, etiamsi Religio injustè ejiceret quempiam, vel injustè nollet de nouo recipere correctum; quia licèt religio tunc peccaret, & ad recipiendum illum cogi posset, non tamen cederet iuri suo, neque ex aliqua lege iure suo caderet, sed ad summum in pœnam posset priuari, sicuti dicebam.

SECTIO XLVI.

An Religiosus eiectus validè possit insumere bona, quæ possidet, ad vsus superfluos, illicitos, vel turpes, verbi gratiâ ad actus meretricios, vel ad ludos prohibitos, &c. itavt recipiens huiusmodi bona ab illo, non teneatur restituere? Vbi etiam an prædictus Religiosus eiectus de prædictis bonis possit facere eleemosinas, testari, vel causa mortis disponere, & donare?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus eiectus, si insumat bona, quæ possidet, ad vsus superfluos, illicitos, vel turpes, accipiens huiusmodi bona ab illo, ex non improbabili sententia aliquorum non tenetur restituere; quia is quoad acquisitionem, & administrationem talium bonorum se habet quodammodo independenter à Prælato religionis, sicque vsu magis receptum videtur.*

2 *Religiosus, si dum viuit intra claustra, insumat, vel expendat aliqua bona ad vsus superfluos, vanos, turpes, vel illicitos, recipiens ea ab illo, restituere tenetur: at non si viuat extra claustra.*

3 *Etiamsi religiosus in priori casu habuerit à superiore licentiam insumendi bona ad quoscumque vsus ipse voluerit, quia tunc censetur ipsi data licentia ad vsus licitos, & honestos, ille qui accepit ad vsus superfluos, vanos, turpes, vel illicitos, tenetur restituere.*

4 *Superior si daret subdito religioso licentiam, vt aliqua bona insumat etiam ad vsus turpes, vel illicitos, adhuc accipiens teneretur restituere; quia is dare non potest religioso talem licentiam.*

5 *Religiosus etiam intra claustra viuens, secundùm aliquos, si habeat à superiore licentiam insumendi bona ad quoscumque vsus voluerit, non peccat contra iustitiam, seu contra votum paupertatis, si insumat ad actus meretricios, vel ludos prohibitos; quia Prælatus in tali casu videtur solùm inuitus quoad modum, non autem quoad substantiam actus.*

6 *Item qui accepit prædicta bona à prædicto religioso, cogitare potest, quod illa non sint religiosi, seu religionis, sed alicuius alterius, qui eidem, tanquam distributori talia bona præbuerit.*

7 *Religiosus eiectus è religione potest absque vllo peccato de bonis, quæ pro tunc habet, facere eleemosinas; quia etiam Religiosus manens extra claustra de licentia Prælati causa studiorum, potest facere aliquas eleemosinas.*

8 *Religiosus*

8. *Religiosus prædictus eiectus è religione, vtpote iure inhabilis, non potest de bonis, quæ possidet, testari, vel causa mortis disponere, itavt talis dispositio sit nulla.*

9 *Religiosus eiectus è religione, eorum quæ acquisiuit, tam ad alimenta, quàm ad pias causas, habet administrationem; quia hæc ipsi, dum ejicitur, tacitè conceditur: non tamen de iis potest testari, vel causa mortis disponere; quia iure ad hoc est inhabilis.*

10 *Religiosus eiectus, si in illicita expenderit, quamvis probabilius sit, quod tunc accipiens ab eo aliquid, ad restitutionem teneatur, quia is non est Dominus, sed solùm administrator; contrarium tamen est magis vsu receptum, & non omninò improbabile.*

DIxi: *An Religiosus eiectus validè possit insumere bona, quæ possidet, ad vsus superfluos illicitos, vel turpes, &c.* Suppono enim cum Doctoribus communiter, quos sequitur Faustus *lib.6. Thes.relig. quæst.222.* Texeda *tom.1.lib.2.tract.1.controu.10.n.17.*& Donat. *in praxi rer.regul. part.2.tract.de eiectis, q.50.num.1.* quòd absque dubio licitè non possit; quia adhuc religiosus eiectus tenetur voto paupertatis solemni, neque habet vsum liberum acquisitorum, nisi quatenus ipsi tacitè licentia conceditur à superioribus; sicque secundùm illam mensuram, secundùm quam concedi potest, & consequenter secundùm mensuram voti solemnis paupertatis, cùm intra talis voti terminos includatur potestas concedendi: sed omnis vsus illicitus est contra votum paupertatis, cùm per ipsum relinquantur solùm ea, quæ sunt licita, & pertinentia ad statum: ergo etiam licentia concessa foret nulla defectu potestatis.

1 Quamvis licitè possit prædictus Religiosus eiectus exponere ludo aliquid modicum; quia cùm ludus ordinetur ad honestam animi relaxationem, nec dedeceat Religiosum viuentem in habitu Clericali sæculari extra claustra, censetur id, cùm licitè concedi possit, licitè esse concessum: habet enim totam illam facultatem, quæ licitè concedi potest, vti dicebam. His suppositis,

2 Respondetur ex non improbabili sententia aliquorum, affirmatiuè. Sic docent Molina *de Iustit. & iure, tom.2. disp.176. vers. Quoad cæteros, & disp.120. circa principium*, Less. *lib.2.c.41.dub.15.n.113.* Salas *tract.1. de ludo, dub.21.n.3.* Sanch. *lib.6.moral.c.9.n.47.* Bonac. *de clausura, q.1.punct.12.§.3.n.2.* & Diana *p.7.q.12. resol.5.* quamvis contrarium probabiliùs doceant alij, quos sequitur Faustus *lib.6.Thes.Relig.q.222.* Texeda *tom.1.lib.2.tract.1.controu.10 c.17.* & Donat. *in praxi rer.regul. p.2. tract.8.de eiectis, q.50.n.7.* ex eo, quod eiectus, licèt ipsi fiat aliqua relaxatio voti solemnis paupertatis, remanet tamen adhuc obstrictus tali voto, permanétque in ipso substantia talis voti, itavt concedator ipsi acquisitorum solùm amplior administratio, & vsus, non autem etiam dominium: ergo debet quæ possidet, administrare, & vti iuxta facultatem, quam accipere potest à superioribus suis: ergo inualidè, seu nulliter transfert; præsertim quia talis facultas nec etiam à superioribus ipsi concedi potest. Accedit, quod priusquam ejiceretur, non poterat transferre Dominium per vsum illicitum: ergo neque poterit, postquam fuit eiectus; quia vt possit, debet ab illis recipere hanc facultatem, quam tamen ab illis nec etiam tacitè recipit, cùm non possint illi concedere, sicuti dicebam. Videantur etiam quæ dicam *infrà, sect.70. in Corollariis, coroll.6.*

Probatur, quia talis Religiosus eiectus è Religione, quoad acquisitionem, & administrationem talium bonorum se habet quodammodo independenter à Prælato Religionis, veluti ac si quodammodo dominium illorum haberet, & quodammodo sui iuris, sicque sæcularis, & non Religiosus, sed verus eorum bonorum dominus esset: ergo, &c.

Confirmatur, quia sic etiam vsu magis receptum videtur; cùm nulli curæ sit, quomodo ille pro tunc bona quæ possidet, insumat, vel expendat; nec Religio censeat res illius in bonis suis ante mortem illius habere.

Confirmatur secundò, ex iis quæ dicentur *infrà, num.3. & seqq.*

Objicies: si Religiosus, dum viuit intra claustra, insumat, vel expendat aliqua bona ad vsus superfluos, vanos, turpes, vel illicitos, recipiens ea ab illo restituere tenetur: ergo etiamsi viuat extra claustra. Consequentia patet à pari. Antecedens tradit Syluester *verbo Religio 6. quæst.7. notabil. 2.* Abulensis *in c.6. Matthæi, quæst.37.* Nauarrus *comment.2. de Regularib. num.21. & consil.3. de statu Monachorum, n.33.* Molina *de Iustitia & iure, tom.1. disp.94. col.7. vers. Si gaudet, disp.140. col.7.vers.Si aliquid testamento*, Less. *lib.2. cap.18. dub.11.n.83.& cap.41. dub.8. num.73.* Rodericus *tom.2. quæst.Regular. quæst.125.art.2.* Sanctus Antoninus *3.part. tit.16. cap.2. §.11.* Azorius *tom.1. Institut. moral. lib.12. cap.22. quæst.5.* Saytus *in Claui regia, lib.9.cap.16. num.22.* & Petrus Nauarrus *lib.3. de restitutione, cap.1. part.3. dub.2. num.168. & sequentibus.* Et suadet ratio, quia cùm is, qui recepit à Religioso, recepit rem, quæ erat Religionis, absque dubio tenetur restituere Religioni, cuius erat dominium illius rei, quam recepit à Religioso. 2

Quod verum est, etiamsi Religiosus habuerit à superiore licentiam insumendi bona ad quoscumque vsus ipse voluerit; quia tunc etiam censeretur licentia tantùm data esse ad vsus licitos, & honestos; cùm in generali concessione non censeantur esse concessa ea, quæ si in particulari peterentur, non concederentur. Regula in generali 81. *de regul. iur. in 6.* Tum quia (cùm superior non possit dare sine graui peccato subdito Religioso licentiam, vt bona, quæ possidet, insumat ad vsus turpes, vel illicitos) non præsumitur quod velit dare licentiam tam amplam, sed solùm ad vsus honestos, vel licitos Religioso statui conuenientes. 3

Imò si superior daret subdito Religioso licentiam, vt aliqua bona insumat, etiam ad vsus turpes, vel illicitos, adhuc accipiens ab huiusmodi Religioso teneretur restituere; quia cùm superior non sit dominus, sed solùm administrator bonorum Religionis, dare non potest subdito Religioso talem licentiam; cùm ius superiori Religionis solùm concedat, quod possit dare subdito Religioso licentiam insumendi ad vsus licitos, vel honestos statui religioso congruentes: quapropter si daret licentiam insumendi ad vsus etiam turpes & illicitos, talis licentia esset nulla; cùm fuerit data ab illo, qui illam dare non potest, & cùm in hoc casu Religiosus peccet contra solemne votum paupertatis, sicuti rectè dixerunt Nauarrus *commentar.2. de Regularibus, num.21.* Lessius *de Iustitia & iure, lib.2. cap.41. dub.9. num.79.* Graffius *in decisionibus, part.2. lib.3. cap.19. num.13.* Azorius *tom.1. Instit. moral. lib.12.cap.18.quæst.2.* & Petrus Nauarra *lib.3. de restitut. cap.1. p.3. dub.1. num.168. corollar.3.* fit quod accipiens ab huiusmodi Religioso, teneatur restituere Religioni quidquid recepit ab illo. 4

Respondetur: nego consequentiam, & disparitas est, quia cùm ex dictis Religiosus eiectus è Religione habeat commoditatem, & administrationem bonorum, quæ possidet, quodammodo independenter à Prælato Religionis, fit quod possit de illis agere, veluti ac si esset sæcularis, & verus dominus illorum; itavt quamvis ipse peccet insumēdo talia bona ad vsus turpes,

turpes, vel illicitos accipiens, tamen excusetur à restitutione propter rationes supradictas. Præsertim cùm talis eiectus non sit perfectè vinculo solemnis voti paupertatis obstrictus, sed solùm imperfectè & secundum quid, vti dixerunt Conradus *1.p. Respons.q.285.* Philiarchus *tom.1.p.1.lib.3.c.21. circa fin.* Angles *in floribus, p.2.de voto, q.unica, art.2.diffic.8.* & Monaldus *cons.69.a.5.*

5 Vt omittam, quod nonnulli censent, Religiosum etiam intra claustra viuentem, si habeat à superiore licentiam insumendi bona ad quoscumque vsus ipse Religiosus voluerit, non peccare contra iustitiam, seu contra votum paupertatis, si insumat ad actus meretricios, vel ludos prohibitos, &c. sicque recipiens aliquid ab illo, neque teneatur in isto casu restituere, sicuti notabam *in tract. de immunit. & iurisd. Eccles. c.1. dub.11. sect.2. num.5. & 6.* ex Bannez *2.2.q.61.art.5. dub.5.* Lopez *lib.2.de contractib. c.40.* Rebello *de obligat. iustit. p.2.lib.12.q.4.sect.2.n.6.* & aliis; & ratio esse potest, quia cùm Prælatus Religionis dederit subdito suo Religioso licentiam insumendi aliqua bona ad aliquem vsum (quamvis licitum, & honestum) si talis Religiosus insumat prædicta bona ad alium vsum (quamvis illicitum, & inhonestum) prædictus superior Religionis videtur solùm inuitus quoad modum, non autem quoad substantiam actus; & consequenter qui prædicta bona recepit à tali Religioso, videtur quod neque in isto casu teneatur illa restituere Religioni.

6 Accedit, quod & qui recepit prædicta bona à prædicto Religioso, cogitare potest, quod illa non sint Religiosi, seu potiùs Religionis, sed alicuius alterius, qui talia bona præbuerit prædicto Religioso, itavt eorum bonorum non sit quidem Dominus, sed solùm administrator, vel distributor; atque adeò ex hoc capite etiam videtur, quod non teneatur illa restituere Religioni.

7 Ex dictis sequitur, quod Religiosus eiectus è Religione possit validè, & licitè absque vllo peccato de bonis quæ pro tunc habet, facere eleemosynas: patet ex iis, quæ dicebam *suprà.*

Confirmatur, quia Religiosus cum licentia superioris extra Monasterium causa studiorum, vel aliorum negotiorum manens potest facere aliquas eleemosinas, vti rectè dixerunt Syluester *verbo eleemosina, n.7. q.5. dicto 2. & verbo donatio 1. q.1. vers. 5.* Angelus *eodem verbo eleemosina, n.6.* & *eodem verbo donatio 1.a.9.* Abulensis *in cap.6. Matthæi, quæst.61.* Nauarr. *comment.1. de Regularib. n. 8.* Molina *de Iustit. & Iure, tom.2. disp.276. circa fin.* Lessius *lib.2. c.18. dub.11. n.85.* Valentia *2.2.disp.10.q.4. punct.3.corollar.5.* Rodericus *tom.1.quæst.Regular. q.17.art.1.* Azor. *tom.1. Instit. moral. lib.12. cap.10. q.3.* & alij passim: ergo multò magis poterit facere Religiosus eiectus, qui bonorum, quæ possidet, plenam administrationem habet, veluti ac si illorum dominium haberet, vti *suprà* dicebam.

8 Aduerte tamen, quod prædictus Religiosus eiectus è Religione, vtpote iure inhabilis, non possit similiter de bonis, quæ possidet, testari, vel causa mortis disponere, & donare. Molina *de Iustit. & Iure, tom.2. disp. 277. vers. Quoad cæteros,* Sayr. *in Claui regia, lib.6.c.9. n.28.* Lessius *lib.2.c.41.dub.15.num.113.* & alij communiter: sed sicuti de illis non potest testari, vel causa mortis disponere, & donare (itavt talis dispositio & donatio sit nulla) Religiosus viuens intra claustra, vt habetur *Auth. Ingressi, Cod. de Sacrosanct. Eccles. cap. quia ingredientibus, 19. q.3. cap.1. de testament.* & docent præter alios Bartol. *in l.1. Cod. de Sacros. Eccles. q.3.* Baldus *ibid. a.15.* Magdalenus *de numero testium, 2.p. cap.4. circa finem,* Syluester *verbo Testamentum 1. quæst.4. in fine,* & Armilla *eodem verbo, num.2.* Ita similiter neque poterit Religiosus eiectus è Religione. Præsertim cùm post obitum talia eiecti, Religio, Episcopus, vel Camera Apostolica, cui ille acquirebat, iuxta ea quæ *suprà, & sect. præcedenti* dicebantur, curet, quod prædicti eiecti res habeat in suis bonis. Vide quæ dicebantur *suprà, sect.41.* & quæ dicentur *infrà, sect.70. in Corollariis, coroll.6.*

Breuiter igitur dico, quod Religiosus eiectus è Religione eorum quæ acquirit, tam in ordine ad alimenta, quàm in ordine ad pias causas, habeat validam & licitam administrationem; quia hæc ipsi dum ejicitur, tacitè conceditur. Non tamen de iis potest testari, vel causa mortis disponere & donare; quia iure ad hoc est inhabilis, vt patet ex dictis. 9

Quod si dictus eiectus in illicita expenderit, quamvis probabiliùs sit, quod tunc accipiens ab eo aliquid, ad restitutionem teneatur; quia is reuera non est Dominus, sed solùm administrator, ob quam causam restitutioni obnoxium est, quod Abbas, vel alius Regularis illicitè expendit; contrarium tamen est magis vsu receptum, & non omninò improbabile; quia eorum, quæ de nouo acquirit, commoditas, quovsque viuit, ipsi relinquitur, ac si quodammodo Religiosus non esset; & nemo curat quomodo is expendat, quia Religio, Episcopus, vel Camera Apostolica (cui acquirebat) non censet res eius ante mortem eiusdem in bonis suis habere. 10

SECTIO XLVII.

An Religiosus eiectus è Religione teneatur ad obseruantias præscriptas in Religione, verbi gratiâ ieiunium, vigilias, vel delectum ciborum, &c. vbi etiam, an ad easdem teneatur Religiosus, si factus fuerit Episcopus? Et an qui vouit ieiunare qualiber feria sexta, teneatur ieiunare in die natali Domini, si dies natalis Domini venerit in feria sexta?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus eiectus è religione non tenetur ad obseruantias præscriptas in religione, verbi gratiâ, ieiunium, vigilias, vel delectum ciborum, etiamsi obligent sub mortali.*

2 *Religiosus eiectus è religione, si non fuerit in sacris, non tenetur recitare horas canonicas, contra Nauarrum, qui tenet oppositum, si fuerit iustè eiectus.*

3 *Neque etiam tenetur ad ieiunia, & alia annexa religioni, quia de illis non fuit votum expressum.*

4 *Votum non obligat vltra intentionem vouentis, & ex alio capite religiosus emittens professionem non se obligat ad obseruantias regulares absolutè, sed solùm in consequentiam ad statum, & communionem religiosam, sicque ad obseruantias regulares, quatenus includantur in statu religioso.*

5 *Amplia idem procedere etiam in ordine ad obseruantias regulares, quæ obligant sub mortali, quia militat eadem ratio: diuersificatur enim solùm obligatio, non autem obligationis radix.*

6 *Item procedit etiam in ordine ad horas canonicas, dummodò tamen eiectus non sit constitutus in sacris, quia tali casu absque dubio ad illas tenetur, quia obligatio horarum canonicarum est etiam quid annexum statui religioso, prout dicit vitam claustralem.*

7 *Item procedit etiam in ordine ad vota specialia, quæ in quibusdam determinatis Religionibus emittuntur; est enim eadem ratio de his votis, ac de cæteris obseruantiis regularibus.*

8 *Non obstat, quod quodlibet ex prædictis votis sit vo-*

tum

tum essentiale; quia non est votum essentiale status religiosi, vt sic, sed talis status, & ideò obligat secundum mensuram, secundum quam vouent se obligauit ad talem statum.

9 *Item procedit etiam in cæteris religiosis, qui ratione verbi gratiâ alicuius officij, vel dignitatis extrahuntur à claustro.*

10 *Item procedit etiam non solùm in ordine ad eiectos in perpetuum, sed etiam in ordine ad eiectos ad tempus.*

11 *Religiosus eiectus è religione commodum non reportaret, si hoc esset ex propria iniquitate per se, & directè, sed per accidens, & indirectè.*

12 *Religiosus si promoueatur ad Episcopatum, non tenetur ad sua religionis obseruantias regulares, scilicet ad ieiunia, delectum ciborum, & alia huiusmodi sub peccato mortali; sed solùm ex quadam conuenientia, decentia, & honestate, seu ex debito quodam morali, si non impediant munus Episcopale.*

13 *Religiosus promotus ad Episcopatum, neque tenetur ad pœnas, vel censuras contra Religiosum sua religionis obseruantias, & Regulas transgredientem statutas.*

14 *Religiosus promotus ad Episcopatum, si contra id, quod precipitur in sua Regua, seu religione, feria sexta carnibus vescatur, non peccat mortaliter, contra Caietanum; potestque in illa die, si tunc incidit Natale Christi Domini, vesci carnibus.*

15 *Religiosus ad Episcopatum promotus in tali die, vt se cum aliis sibi subditis conformet, conueniens est, vt carnibus vescatur.*

16 *Vouens qualibet feria sexta ieiunare, si in illam diem incidat Natale Christi Domini, non tenetur ieiunare, neque se abstinere à carnibus; quia non censetur habuisse intentionem se obligandi ad ieiunandum in illa die, talemque diem excepisset, si aduertisset; secus autem si aduertisset is, qui vouit, & tamen vouisset in illa die ieiunare.*

17 *Vouens in dubio an talem diem inclusisset, necne, adhuc non tenetur ieiunare, quia in dubiis melior est conditio possidentis; & in dubio præsumitur quod is voluerit se conformare vsui Ecclesiæ vniuersalis.*

1 RESpondetur negatiuè, etiamsi sint compossibiles cum ipsorum statu, atque ita contra Cordubam *in Regulam S. Francisci, c.2. q.21. punct.3.* Syluestrum *verbo Religio 6. q.17.* Rodericum *tom.1. quæstion. Regular. q.30. art.20.* S. Antoninum *part.3. tit.16. cap.5. §.8.* Mirandam *tom.1. Manualis, q.52. art.5. concl.1.* Peytinum *tom.1. de subdit. Relig. q.1. cap.25. §. dico 4.* Hieronymum Rodriguez *in compendio, res. 57. n.6.* Donat. *in Praxi rer. Regular. part. 2. tract. 8. de eiectis, q.52. n.9.* Passatellum *in Priuilegiis Minimorum, c.59. circa finem*, & alios satis probabiliter docent Sotus *de iust. & iur. lib.7. q.2. art.1. ad 3.* Nauarrus *cons.78. de Regularib. num. 2.* quatenus ait, quod per eiectionem è Religiona extincta sit in Religioso obligatio, qua tenebatur Regulæ illius Religionis, & *commentar. 3. de Regularib. n.46.* quatenus inquit, quod quicumque per iustam & diffinitiuam sententiam ejicitur è Religione, non teneatur seruare talis Religionis obseruantias regulares, v.g. abstinere à carnibus prohibitis in illa Religione, deferre habitum Priorem Religionis iustè sibi per sententiam ablatum, ieiunare, vel se disciplinare iuxta præscripta Religionis, vel si fuerit è Religione Fratrum Minorum S. Francisci de Obseruantia, non tangere pecuniam numeratam, licèt hoc sub peccato mortali vetitum sit in tali Regula; quia neque hoc est de substantia alicuius trium votorum, Lessius *lib.2. de Iust. & Iur. c.41. dub.15. n.115.* quatenus docet, quod Religiosus eiectus è Religione liber sit à quibusdam Monasticis obseruantiis, & à ieiuniis, vigiliis, delectu ciborum, vel silentio, &c. quia comitantur vitam Monasticam. Philiarchus *in primam part. 2. lib.3. cap.21. circa fin.* quatenus tradit, 2
qood qui post votum solemne, tanquam incorrigibilis ejicitur è Religioone, si non fuerit in sacris, non teneatur recitare horas canooicas, contra Nauarrum *c.7.
de orat. n.19.* qui tenet oppositum, si fuerit iustè eie- 3
ctus è Religione: Nec etiam teneatur ad ieiunia, & alia anneaa Religioni; quia de illis non fecit votum expressum; & quia ad illa non tenebatur, nisi ratione Religionis, à qua est eiectus. Sorbus *verb. ejicere, in fine Annotationum*, Aragon. *2.2. q.55. art.3. §. Huc vsque diximus.* Contad. *part.1. Respons. q.255.* Saytus *lib.6. c.9. n.28.* Sà *verb. Religio, n.40.* Layman. *lib.4. Theol. moral. tract.5. cap.13. n.5.* Graff. *consil.3. de regularib. n.9. tom.1.* Sanchez *lib.6. moral. c.9. n.52.* Faustus *lib.6. Thesaur. relig. q.213.* Barbosa *ad cap. finale, n.12. de regularib.* Diana *p.3. de dubiis regularib. resolut.116.* Bordonus *controuers. moral. 8. n.19.* Vega *2. p. sum. cap.86. cas.16.* Ioannes Suarez *in Enchirid. lib.3. §. de voto obedientia*, & alij communiter.

Probatur, quia votum non obligat vltra intentio- 4
nem vouentis; & ea alio capite Religiosus emittens professionem non se obligat ad obseruantias Regulares absolutè, sed solùm in consequentiam ad statum, & communionem Religiosam: quod inde colligitur, quia ipsius principalis intentio fuit se obligare ad statum religiosum, sicque ad obseruantias regulares, quatenus includuntur in statu religioso; Regulares autem obseruantiæ, quamvis executioni mandandæ sint per personas singulares, tamen non immediatè pertinent ad personas singulares, quatenus sunt singulares, sed solùm quatenus sunt membra communitatis Regularis; sicque obligatio ad illas afficit solùm Regulares, quatenus sunt membra communitatis Regularis, quæ tenentur cooperari vitæ Regulari; atque adeò Religiosus emittens professionem intendit solùm se obligare, quatenus se facit membrum communitatis Regularis; & ideò cùm per eiectionem desinat esse actu membrum communitatis Regularis, desinit etiam actu obligati ad obseruantias Regulares.

Et hoc procedit etiam in ordine ad obseruantias re- 5
gulares, quæ obligant sub mortali, quia militat eadem ratio: diuersificatur enim solùm obligatio, non autem obligationis radix, quæ cùm cesset inducere actualem obligationem, cessat etiam quæcumque obligatio exinde proueniens; præsertim quia tales obseruantiæ regulares sunt præcepta monicipalia imposita per se primò tali communitati, sicque per se primò imposita membris talis communitatis: vnde cùm eiectus desinat esse membrum talis communitatis, desinit etiam obligari hisce præceptis; sicut & ciuis, si moret domicilium, desinit obligari legibus municipalibus, DD. præsertim Sanch. & Bordon. *in locis suprà cit.*

Item secundò procedit etiam io ordine ad horas ca- 6
nonicas, dommodò tamen eiectus non sit constitutus in sacris: Nam si sit in sacris constitutus, absque dubio ad illas tenebitur; cùm absque dubio annexa sit Ordini sacro obligatio illarum independenter à quocumque alio. Ratio, quia obligatio horarum canonicarum est etiam quid anneaum statui Religioso, prout dicit vitam claustralem: Ergo, cùm ea dictis cesset in casu nostro obligatio ad ea, quæ sunt anneaa statui religioso, prout dicit vitam claustralem, cessat etiam in casu nostro obligatio horarum canonicarum propter eandem rationem. Sot. *de Iust. & Iur. lib.7. q.2. art.1.* Sanch. *tom.4. de relig. tract.8. lib.3. cap.6. n.12.* Faustus *lib.6. Thesaur. relig. q.216.* & Ioan. Suarez *in Enchirid. lib.3. de voto obedientia*, & alij, contra Nauarrum *de horis canonicis, cap.7. n.20.* Ledesmam *2. part. summa, tract.9. c.4. dub.2.* Rodrig. *tom.1. qq. regul. q.30. art.20.* Peyrin. *de subdit. relig. q.1. cap.25. §.2.* & Donatum *in Praxi rerum Reg. part.2. q.8. de eiect. quæst.32. n.9.*

Item

7 Item tertiò procedit etiam in ordine ad vota specialia, quæ in quibusdā determinatis Religionibus emittuntur, vt v. g. de vita quadragesimali seruanda, de pecunia non tangenda, de Captiuis redimendis, &c. quia & in his determinatis Religionibus Religiosus emittens professionem, emittit prædicta vota, quatenus sunt de materia quæ includitur in obseruantia regulari talis communitatis, seu quatenus est pars obseruantiæ regularis talis communitatis, ac proinde non intendit se obligare, nisi quatenus se obligat ad obseruantias Regulares, & ad statum regularem, seu religiosum talis communitatis; atque adeò quatenus se facit membrum talis communitatis: vnde cùm per eiectionem postea desinat esse actu membrum talis communitatis, ex intentione ipsius vouentis suspenditur obligatio talium votorum, itavt actu non obligetur ad illa vota, sicut nec actu obligatur ad alias obseruantias regulares. Est igitur eadem ratio de suis votis ac est de cæteris obseruantiis regularibus talis communitatis, quia prædicta vota respiciunt partem obseruantiæ regularis talium Religionum, sicque fundamentum prædictorum votorum est, quod emittens professionem in aliqua ex talibus Religionibus, se constituat membrum talis Religionis, quæ seruat talem obseruantiam regularem, ac proinde intentio vouentis (cùm innitatur huic fundamento) est etiam secundùm mensuram huius fundamenti. Ideoque corruente fundamento in Religioso eiecto, quatenus scilicet desinit esse actu membrum talis communitatis, corruit etiam intentio extendendi votum ad talem casum, atque adeò corruit etiam, durante tali statu, ipsius voti obligatio. Vega *tom. 2. sum. c.86.* Sanch. *lib.6.moral.c.9.n.56.* Bordonus *contin.8. moral. n.19.* Pauft. *lib.6. thes. Relig. q.213.* Leander à Murcia *in c.8. Regul.S.Francisci, c.17.n.10.* & alij, contra Ledesm. *in sum c.3. de stat. Episc. concl.55. diffic.1.* Peytin. *de subdit. Relig. q.1. cap.55.§.1. vers. Dico 4.* & alios complures apud Donatum *in Praxi Regul. part.2. tract.8. de eiectis, q.51.n.2. & 3.*

8 Non obstat, quod quodlibet ex prædictis votis sit votum essentiale, quia non est votum essentiale status Religiosi vt sic, sed talis status; & ideò obligat secundùm mensuram secundùm quam vouens se obligat ad talem statum, scilicet secundùm quod se facit membrum talis Religionis, seu communitatis, vti dicebam *suprà.* Vide etiam quæ dicam *infrà, sect.70. in Aduertendis, Aduertend. 1. & 5.*

9 Item quartò procedit etiam non solùm in ordine ad eiectos, sed etiam in ordine ad illos qui legitimè, ratione scilicet alicuius officij, vel dignitatis (vt Episcopatus est) extrahuntur à claustro. Idque propter easdem rationes.

10 Item quintò procedit etiam non solùm in ordine ad eiectos in perpetuum per sententiam diffinitiuam, sed etiam in ordine ad eiectos ad tempus, vt se corrigant, contra Sanch. *lib.6. mor. c.9.n.54.* qui quoad hos tenet oppositum, eò quòd cum ejiciantur, vt se corrigant, liberi non sint à iugo Regulæ; quia cùm etiam eiecti in perpetuum per sententiam diffinitiuam remaneant obstricti votis essentialibus, adhuc & ipsi tenentur se corrigere, vti dicebam *suprà, sect. 35. & 40.* & dicam *infrà, sect. 70. coroll. 3. & 5.* Quapropter iuxta Decretum Sacræ Congregationis de apostatis, & eiectis, tenetur Religio eos, si habeant literas testimoniales ab Ordinario de emendatione, recipere, & tamen per ipsum Sanchez sunt liberi à iugo Regulæ. Ergo cum militet eadem ratio, erunt etiam liberi eiecti ad tempus, vt se corrigant; cùm pro illo tempore similiter hi non sint membra incorporata Religioni, ac proinde non afficiatur iis obligationibus, quæ sunt propriæ membrorum incorporatorum eidem Religioni.

OBIECTIONES.

11 Objiciēs ex aduersariis: Si hoc esset, sequeretur quod eiectus è Religione commodum reportaret ex propria iniquitate: Sed hoc est absurdum, & contra textum in *cap. Tua, de Cleric. non resid.* Ergo.

Respondetur: distinguo sequelam maioris, commodum reportaret ex propria iniquitate, per se, & directè, quasi ex propria iniquitate reportaret commodum, cùm potiùs ex propria iniquitate reportaret priuationem communionis vitæ Regularis, & priuationem bonorum omnium spiritualium, quorum participes sunt cæteri Regulares eiusdem Religionis: quod incommodum, seu malum spirituale est absque comparatione maius commodo temporali, nego; & tunc concedo minorem, esse scilicet absurdum, & contra textum *in cit. cap. Tua,* per accidens, & indirectè, in quantum per propriam iniquitatem ponitur conditio, scilicet eiectio, quæ faciat suspendi in ipso obligationes, ex quarum suspensione ipsi oriatur prædictum commodum temporale, concedo: & tunc nego minorem; quia cùm Religiosus ista teneatur obseruare ratione perseuerantiæ in Religione, eo ipso quod in Religione per iustam eiectionem non perseuerat, per accidens, & indirectè, seu per quandam consequentiam redditur solutus, seu liber ab huiusmodi obligationibus; quia huiusmodi obseruantias non vouit per se, & immediatè, sed supposito, quod perseueret in Religione, cùm solùm per se, & immediatè voueris castitatem, obedientiam, & paupertatem. Nec desunt exempla: sic enim excommunicatus non tenetur (etiam in die festo) sacrum audire, nec (si sit addictus choro) cum aliis in choro canere. Item qui non potest se continere, sæpè sæpiùs contra votum castitatis peccando, obtinet dispensationem in tali voto; & qui habuit copulam cum consanguinea, vel affine, obtinet dispensationem ad matrimonium cum illa contrahendum, & similia.

12 Objicies secundò, Religiosus tenetur ad suæ Religionis obseruantias Regulares, si promoueatur ad Episcopatum: ergo multò magis tenebitur ad illas, si propter sua delicta ejiciatur à Religione. Consequentia patet à fortiori: Antecedens probatur, quia sic tenent Tabiena *verbo Episcop. q.6.n.7.* Armilla *eodem verbo, n.8.* Rodet. *tom.1. quæst. regul. q.58 art.5.* & alij, quapropter & Cajet. etiam 2.2.q.185. *art.8. dub.1. circa fin.* ait, quod Religiosus, qui ex Regula prohibetur vesci carnibus feria sexta, peccet mortaliter, si in illa die (quamvis tunc inciderit Natale Christi Domini) carnibus vescatur; quia licèt, sicut constat *ex cap. explicari, de obseruat. ieiunij,* licitum sit omnibus in illa die vesci carnibus; cùm tamen ex deuotione licitè possint etiam abstinere, nihilominus id licitum non est ei, qui prohibetur ex voto, vel ex Regula suæ Religionis vesci carnibus in illa die.

Respondetur contra Tabienam, Armillam, Rodericum, & alios: Nego antecedens, quia *ex c.vnico, 18, q.1.* Religiosus promotus ad Episcopatum non tenetur ad regulares obseruantias suæ Religionis (scilicet ad ieiunia, delectum ciborum, & alia huiusmodi) sub peccato mortali. Couarr. *in cap.1. de testam. n.18.* Valentia *2.2. disp.10.q.5. punct.8. circa fin.* Azor. *tom.1. Instit. moral. lib.12.c.7.q.4.* & alij passim, quinimò neque tenetur ad prædictas regulares obseruantias sub peccato veniali. Hostiensis *in sum. tit. de statu Monachor. n.5.* Sot. *de Iust. & Iur. lib.10.q.5. art.7. vers. circa secundum autem.* Nauarr. *cons.6. de donat. n.1.* Lessius *de Iust. & Iur. lib.2.c.40. dub.14.n.115.* & alij complures, & constat *ex c.vnico, 18.q.1.* sed solùm ad illas tenetur ex quadam conuenientia, decentia, vel honestate, seu ex debito quodam morali. Idque si non impediant munus Episcopale: & multo minùs Religiosus promotus 13 ad Episcopatum tenetur ad pœnas, vel censuras contra Religiosum suæ Religionis obseruantias, & Regulas transgredientem statutas. Cajetanus *in opuscul. tom.1. tract.15. de obligat. & obseru. præcept. q.2.* Sotus *loc. supr. cit.* Valent. *2.2. disp.10.q.5. punct.8. col.2.* Angles *in florib. p.2. q.4. vnica de voto, art.25. diffic.13. dub.3.*

Azor. *tom.* 1. *Inst. mor. lib.* 12. *c.* 7. *q.* 4. & alij cōmuniter, & colligitur *ex c. Quia periculosum, de sent. excomm. in* 6.

Quapropter quod dicebat Caiet. 2. 2. *q.* 185. *art.* 8. *dub.* 1. *circa fin.* scilicet Religiosum promotum ad Episcopatum, si contra id, quod præcipitur in sua Regula, seu Religione, feria sexta carnibus vescatur, peccare mortaliter, mihi non probatur; sed dicendum videtur, posse illum in illa die, si tunc incidat natale Christi Domini, vesci carnibus; cùm ex dictis prædictus Religiosus ad Episcopatum promotus non teneatur observare talem Regulam ex debito legali, sed solùm ex debito morali, seu ex quadam scilicet conuenientia, decentia, vel honestate: & textus *in d. c. explicari, de obseru. Ieiunij*, loquitur de iis, qui tenentur ad talem abstinentiam ex debito legali, non autem de iis, qui tantùm tenentur ad illam ex debito morali, vel honestatis.

25 Quinimò, quod Religiosus ad Episcopatum promotus in tali die, vt se cum alijs sibi subditis conformet, carnibus vescatur, conueniens esse docent Couarr. *in cit. cap.* 1. *de testam. n.* 18. Sotus *cit. q.* 5. *art.* 7. Rodericus *in sum. tom.* 2. *c.* 10. *n.* 4. & etiam Caietanus ipse *in cit. tract.* 25. *q.* 2.

26 At qui vouit qualibet feria sexta ieiunare, in sententia Molinæ *de Iust. tom.* 1. *disp.* 272, *vers. exempla sunt*, Azorij *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 11. *c.* 20. *q.* 3. & aliorum (si in illam diem incidat natale Christi Domini) non tenetur ieiunare, neque se abstinere à carnibus; quia non censetur, quod habuerit intentionem se obligandi ad ieiunandum in illa die, sed quod talem diem excepisset, si aduertisset. In sententia autem Palud. *in* 4. *dist.* 38. *q.* 7. *art.* 4. *n.* 26. Cardinalis *in c. finali, de obseru. ieiuniorum, in fine*, Abbatis *ibid. n.* 3. Vasquez *part.* 1. *q.* 7. *art.* 4. *disp.* 30. *c.* 4. *n.* 26. Suarez *lib.* 4. *de voto, c.* 20. *n.* 5. & 6. Cordubæ *in sum. q.* 169. Sanchez *lib.* 4. *moral. c.* 11. *n.* 61. Sayri *in Claui regia, lib.* 6. *c.* 8. *n.* 11. & Reginald. *lib.* 8. *n.* 290. tenetur *ex d. c. explicari, de obseru. ieiunij*, quia votum prædictum est generale, per quamlibet scilicet anni feriam sextam.

Ego tamen, quamvis vtraque sententia supradicta sit satis probabilis, ita distinguerem: Vel qui vouit qualibet feria sexta ieiunare, ita vouit, vt si aduertisset ad diem natalem Christi Domini, adhuc illum inclusisset, & tunc in dicto die tenetur ieiunare; quia tunc virtualiter, seu intentione quadam virtuali talem diem inclusit: vel ita vouit, vt si aduertisset, non inclusisset, & tunc è contra in dicto die non tenetur ieiunare; quia è contra virtualiter, seu virtuali quadam
27 intentione talem diem non inclusit. Quod si vouens sit in dubio, an inclusisset necne, tunc neque tenetur ieiunare; quia in dubio melior est conditio possidentis, & quia in dubio factum non præsumitur, nisi demonstretur, vti colligitur *ex l. in bello, §. facta, ff. de captiuis & postlimin. reuers. & ex l.* 2. *ff. de probat.* & quia in dubio præsumitur, quod voluerit se conformare vsui Ecclesiæ vniuersalis, quæ in dicto die Natalis Christi Domini (etiamsi inciderit in feria sexta) non ieiunat. Vt omittam, quod etiam præsumitur non voluisse domesticos contristare, si se non conformando cum illis, in dicto die ieiunaret.

PETITIO I.

An eiectus teneatur manibus propriis laborare?

SVMMARIVM.

1 *Eiectus non tenetur manibus propriis laborare, quia licèt ad id teneretur iuxta statuta sua Regula, cessaret tamen in illo hoc ipso, quod eiectus fuerit. Secus si non haberet vnde viueret, quia tunc teneretur de iure natura propriis manibus conseruare vitam.*

2 *Per laborem manuum propriarum non solùm intelliguntur officia mechanica, sed etiam quæcumque alia, ex quibus licitè victum sibi quærere potest.*

3 *Fides paupertatis in ordine ad dispensationes matrimoniales, in qua attestandum sit, quod Oratores viuant propriarum manuum labore, fieri poterit omnibus, qui quocumque officio humano licitè sibi victum quærunt.*

4 *Eiectus cum incedere debeat habitu clericali, non tenetur, nec debet, vt sibi victum quærat, exercere officia vilia, & clericis prohibita.*

RESpondetur negatiuè, quia licèt iuxta statuta suæ 1
Regulæ teneretur manibus propriis laborare, cessaret tamen in illo, hoc ipso quod eiectus fuerit, talis obligatio; cùm cesset in illo, hoc ipso quod eiectus sit, obligatio suæ Regulæ, sicuti patet ex dictis *sect. præcedent.*

Quod si non haberet vnde viueret, de Iure naturæ teneretur ad propriam vitam conseruandam propriis manibus victum sibi quærere. S. Thom. 2. 2. *q.* 187. *art.* 3. *in corpore*, quem sequuntur communiter DD.

Per laborem autem propriarum manuum non so- 2
lùm intelliguntur officia mechanica, sed etiam quæcumque alia officia, ex quibus licitè victum sibi quærere potest. S. Thom. *loc. supr. cit.* cum cæteris Doctoribus: Quapropter Ludimagistri, Medici, Procuratores, Aduocati, & cætari similes Professores, qui suis officiis sibi victum quærunt, dicuntur manibus propriis laborare, seu manuum propriarum labore victum sibi quærere.

Hinc Fides paupertatis in ordine ad dispensationes 3
matrimoniales faciends, in qua attestandum sit, quod oratores viuant manuum propriarum labore, fieri poterit omnibus, qui quocumque officio humano licitè sibi victum quærunt. Ratio vlteriùs est, quia quicumque ex opibus propriis viuere non potest, pauper appellatur, *l. paupertas, ff. de excusat. tut.* vbi Glossa, *cap. super his, de voto*, vbi Abb. *n.* 3. & *l. si constantia, ff. solut. matrim. a.* 147. & Doctores, quos sequitur Barbos. *in l. maritum, ff. eodem.*

Cæterùm, cùm eiectus ex dictis *sect.* 37. incedere 4
teneatur in habitu clericali, non tenetur, nec debet, vt sibi victum quærat, exercere officia vilia, & clericis prohibita; quia hæc exercere etiam Religiosis claustraliter viuentibus non conuenit. S. Thom. 2. 2. *q.* 187. *art.* 4. & *opusc.* 19. *c.* 5. quem sequuntur alij DD. communiter; sed quotiescumque ab Episcopo prouisus non fuerit, poterit etiam ostiatim mendicando, eleemosinas quæritare. S. Thom. *vbi supr.* Nauarr. *in c. non dicatis, n.* 37. & alij passim. Quapropter tunc solùm tenebitur manuum propriarum labore victum quærere, quando non habet vnde viuat; & ex alio capite potest honesta officia exercere: sic DD. quos sequitur Graff. *p.* 1. *decis. lib.* 1. *c.* 5. *n.* 82. & *cons.* 3. *de Regul. n.* 8. *tom.* 1.

PETITIO II.

An eiectus in tali casu petere possit alimenta à Religione?

SVMMARIVM.

1 *Eiectus in tali casu paupertatis non potest petere alimenta à religione, quia culpâ suâ est extra eam: obligatio enim ad alendos religiosos oritur ex eo, quod sibi religio eos incorporat tanquam membra.*

RESpondetur negatiuè, quia culpa sua non est in 1
Religione; & quidem obligatio Religionis ad alimentandos suos Religiosos oritur ex eo, quod ipsos sibi incorporat, tanquam membra; & mutua interuenit,

nit obligatio inter Religiosos, & ipsam Religionem, ex parte Religiosorum, scilicet quod inseruiant Religioni, tanquam eiusdem membra in functionibus, quæ sunt propriæ Religionis; & ex parte Religionis, scilicet quod habeat ipsos tanquam membra, ac proinde ipsis alimenta præstet: Quapropter cùm per eiectionem dissoluatur hæc obligatio, & eiectus tanquam membrum putridum separetur è corpore Religionis, & non ampliùs inseruiat Religioni, cessat in Religione obligatio alimentandi talem eiectum Religiosum. Sic communiter Doctores.

PETITIO III.

An eiectus in dicto casu petere possit alimenta è Religione, saltem si ipse aliqua bona intulerit Religioni, vel ipsius intuitu, v. g. titulo legati, vel hæreditatis, aliqua bona ante eiectionem obuenerint Religioni?

SVMMARIVM.

1 *Eiectus in tali casu paupertatis potest petere alimenta à Religione, si ipsa aliqua bona intulerit Religioni, vel ipsius intuitu aliqua bona eidem obuenerint, saltem ratione cuiusdam conuenientiæ, & gratitudinis.*

1 Respondetur in tali casu affirmatiuè, saltem ratione cuiusdam conuenientiæ, & gratitudinis; quia non debet donatarius esse ingratus suo donatori. Accedit quod emittens professionem in tantùm videtur transferre sua bona, & sua iura in Religionem, in quantum Religio suscipit obligationem eum saltem alimentandi, & consequenter in quantum supponit, quod saltem talibus bonis non debeat ampliùs indigere; sicque censetur transferre sub hac tacita conditione, quod saltem sit recepturus alimenta à Religione.

PETITIO IV.

An eiectus in eodem dicto casu petere possit alimenta à Religione, saltem si correctus petat de nouo recipi in Religionem, habeatque Ordinarij attestationem de sua correctione?

SVMMARIVM.

1 *Eiectus laborans paupertate petere potest alimenta à Religione, saltem si correctus petat de nouo recipi in eam, habeatque Ordinarij attestationem de sua correctione; secus si fides Ordinarij non sit facta legitimè.*

1 Respondetur in tali casu etiam affirmatiuè, adeò quod in tali casu Religio teneatur, & cogi possit ad eum alimentandum; quia tunc illum non recipiendo iniuriam illi facit, siquidem iuxta *cap. final. de Regular.* à præsenti decreto de apostatis, & eiectis innouatum Religio tenetur illum recipere: ergo per hoc, quod renuat illum recipere, cùm teneatur illum recipere, non absoluitur ab obligatione alimentandi.

Cæterùm, si Ordinarij attestatio de correctione eiecti secuta non sit facta secundùm formam præsentis decreti, scilicet consideratè, & maturè, & ita vt fundetur in correctione eiusdem eiecti euidenti, non autem ficta, vel præsumpta, Religio non tenebitur eum recipere, atque adeò neque tenebitur eum alimentare. Doctores quos sequitur Donat. *in praxi rer. Regul. part. 1. tract. 8. q. 31. n. 5.* quatenus aiunt, quod non possit eiectus, licèt se correxerit, prætendere statim alimenta à Religione, quasi habeat ius ad regressum; quia ad hunc regressum iustificandum multa requiruntur.

SECTIO XLVIII.

An Religiosus si factus fuerit Episcopus, teneatur, si non ad obseruantias Regulares, saltem ad tria vota substantialia Religionis? Vbi etiam an possit de bonis, quæ possidet, testari, vel causa mortis disponere?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, si factus fuerit Episcopus, tenetur saltem ad tria vota substantialia religionis, itavt quamvis exemptus sit à Regularibus obseruantiis, exemptus tamen non est à tribus votis substantialibus; quia cùm remanet verè, & essentialiter Religiosus, remanet etiam obstrictus his tribus votis.*

2 *Religiosus factus Episcopus dubium non est, quod remaneat obstrictus voto castitatis.*

3 *Religiosus factus Episcopus, quod remaneat obstrictus voto obedientiæ, itavt teneatur peculiari voto obedientia obedire Pontifici, docent Doctores.*

4 *Religiosus factus Episcopus, quod remaneat etiam obstrictus voto paupertatis, pariter docent Doctores.*

5 *Nauarrus, & Aragonius id extendunt etiam ad religiosum assumptum ad Pontificatum, itavt si malè administret, peccet etiam contra votum paupertatis.*

6 *Religiosus promotus ad Episcopatum, cùm non eximatur à voto paupertatis, sicque remaneat incapax dominij, tanquam iure inhabilis, non potest de bonis patrimonialibus, neque de bonis propria industria acquisitis testari, vel causa mortis disponere.*

Respondetur quoad priorem partem affirmatiuè; itavt quamvis Religiosus factus Episcopus ex dictis *sect. præcedenti*, exemptus sit ab obseruantiis regularibus, exemptus tamen non sit à tribus votis substantialibus Religionis, scilicet castitatis, obedientiæ, & paupertatis. 1

Probatur, quia cùm factus Episcopus remaneat verè, & propriè Religiosus, necessariò remanet etiam obstrictus his tribus votis; cùm hæc tria vota sint de essentia status Religiosi, *cap. cùm ad Monasterium, in fine, de statu Monachorum.*

Et quidem, quod remaneat obstrictus voto castitatis, dubium non est. 2

3 Quod autem remaneat obstrictus voto obedientiæ, itavt factus Episcopus teneatur peculiari voto obedientiæ obedire Pontifici, docent Henriquez *lib. 10. cap. 15. circa fin.* Suarez *tom. 2. de Religione, in tract. de voto, lib. 6. cap. 7. n. 10.* Vasq. *1. 2. q. 96. art. 4. diff. 165. cap. 8. num. 93.* Valent. *2. 2. q. 10. quæstiuncul. 3. punct. 8.* & Aragonius *ibid. q. 88. art. 11.* Quia à principio suæ Professionis vouit obedientiam, etiam Pontifici, & præcipuè tanquam Prælato Prælatorum.

4 Quod autem remaneat etiam obstrictus voto paupertatis, itavt redituum Ecclesiasticorum non sit dominus, sed solùm administrator, tradunt Iason *in auth. ingressi, Cad. de Sacros. Eccl. n. 13.* S. Bonau. *in 4. dist. 18. art. 2. q. vltima, ad vltimum,* Maior *ibid. q. 20. arg. 3. contra primam conclusionem,* Syluest. *verb. Religio 6. q. 10.* Atmilla *verb. Episcop. n. 8.* Nauar. *comment. 1. de Regul. n. 31. & conf. 6. de donat. n. 11. & conf. 2. de Regul. n. 17. & in conf. 13. de statu Monach. n. 20.* Aragon. *2. 2. q. 88. art. 11.* Turrecrem. *in cap. non dicatis, 12. q. 1. art. 1. n. 21* Corduba *in Regul. S. Franc. cap. 2. q. 10. punct. 3.* Couar. *in cap. 1. de testament. num. 18.* Lessius *de iust. & iur. lib. 2.*

lib.2.cap.40.dub.14.num.113.& Azorius *tom.1. instit. moral. lib.12.cap.7. quest.2.* quia ad statum Episcopalem tantùm solùm sufficit derogare de voto paupertatis : quod prædicto statui Episcopali videtur repugnare.

5 Vbi aduerte, quod rectè Nauarrus *in cit. cons.2. de Regular. num.17.& in cit. cons.13.de statu Monachor. num.20.* & Aragonius *in cit. quest.48. art.11.* id extendant ad Religiosum, tametsi promotus fuerit ad Pontificatum, itavt propter eandem rationem, si malè administret, peccet etiam contra votum paupertatis, sicuti peccaret, si tantùm promotus fuerit ad Episcopatum.

6 Ex his igitur, cùm Religiosus promotus ad Episcopatum non eximatur à voto paupertatis, sicque remaneat incapax dominij, sequitur quod tanquam iure inhabilis, non possit de bonis patrimonialibus, neque de bonis propria industria acquisitis testari, vel causa mortis disponere. Paludanus *in 4. distinct.38. quest.4. art.2. concl.11. num.49.* Supplementum Gabrielis *ibid. quest.1. artic. vltimo*, Cardinalis *in cap.1. de testamentis, num.3.* Præpositus *in cap. nulli dubium, 12. quest.5. num.22.* Anchatan. *in cap. cùm olim 2. de priuileg. num.8.* Syluester *verbo Testamentum 1. quest.2. vers.11.* Tabiena *verbo Episcopus, quest.6. num.7.* Sotus *de Iust. lib.vlt. quest.5. art.7. ad vltim.* Rodericus *tom.3. quest. Regul. quest.69. art.4.* Graffius *in decis.2.part.lib.3. cap.19. num.87.* & Redoanus *de spoliis Eccles. quest.3. §.vltim. num.14.*

SECTIO XLIX.

Ob quas causas possit Religio ejicere, seu dimittere Religiosum?

SVMMARIVM.

1 *Religio potest ejicere, seu dimittere Religiosum, primò si nolit corrigi.*

2 *Secundò, si commiserit aliquod delictum, propter quod in illa Religione constituta est eiectio, vel propter quod timetur infamia Religioni.*

3 *Item tertiò, si tacuerit aliquod impedimentum, quod in illa Religione censetur essentiale.*

4 *Non obstat quod ista duæ posteriores causæ non sint iure communi expressæ; quia sufficit quod sint approbatæ à Sede Apostolica.*

1 RESpondetur: Prima est, si Religiosus nolit corrigi, seu emendari, quæ sola causa est iure communi expressa.

2 Secunda, si commiserit aliquod delictum, propter quod in illa Religione constituta est eiectio, vel propter quod timetur infamia Religioni; quia sicut Religio non tenetur retinere subditum Religiosum cum detrimento disciplinæ, quando scilicet est incorrigibilis : ita neque etiam tenebitur retinere eum cum detrimento famæ, quando scilicet suis delictis factus est infamis.

3 Tertia, si tacuerit aliquod impedimentum, quod in illa Religione censetur essentiale, vel admodum graue, quia dolus dedit causam admissionis contractui : ergo meritò tunc Religio non tenebitur eum retinere.

4 Non obstat, quod istæ duæ posteriores causæ non sint iure communi expressæ; quia sufficit, quod sint approbatæ à Sede Apostolica, & cognitæ cuilibet ante professionem; præsertim quia sunt valdè consentaneæ iuri gentium, & iuri naturali.

SECTIO L.

An si Religio aliquem ejiciat, seu dimittat absque iusta causa, peccet contra iustitiam? Vbi etiam an iure statui possit talis Religio? Et an eiectis debeat aliquid dare pro alimentis?

SVMMARIVM.

1 *Religio si aliquem ejiciat, seu dimittat absque iusta causa, peccat contra iustitiam, & quidem si ille est professus, & renuit dimitti; quia fit ei iniuria, cùm professio sit contractus reciprocus, &c.*

2 *Religiosus si nondum est professus, est tamen factus Religiosus per tria vota substantialia, iure statui potest, quod absque vlla iniuria dimitti possit, quamvis alia causa non subsit; quia iure, & absque vlla iniuria statui potest, quod vota illa habeant tacitè, vel expressè hanc conditionem, si Religio me retinere voluerit.*

3 *Qui admittitur à principio, scit, & accepit huiusmodi statutum; consequenter scienti, & volenti non fit iniuria.*

4 *In contractu statui potest, quod non sit vltro citroque obligatio in multis casibus, sed solùm ex altera parte, sicque contractus claudicet, quando scilicet aliqua causa subest, prout in contractu sponsalium impuberis cum pubere; quia pubes resilire non potest, impubes autem potest.*

5 *Maior septennio si contrahat sponsalia cum infante, contractus sponsalium est inualidus, non autem ex parte maioris septennio; cùm iste resilire non possit à tali contractu, donec infans peruenerit ad septennium, quo volente maior tenetur stare contractui.*

6 *Contractus pupilli sine auctoritate tutoris, & etiam contractus minoris potest sibi obligare maiorem, & non è contra.*

7 *Amplia id esse verum non solùm in contractu pupilli vel minoris, sed etiam in omni contractu inito ab illis, quibus prohibitum est administrare bona.*

8 *Contractus initus à minore cum maiore, & à fœmina est validus, si talis contractus sit illis vtilis, quamvis statutum sit in aliquo loco, quod non valeat contractus ab illis initus sine interuentu consanguineorum.*

9 *Vassallus, quamvis non possit alienare feudum sine consensu Domini, valet tamen alienatio ab illo facta sine consensu eiusdem domini, si fuerit vtilis, & in augmentum feudi.*

10 *Contractus initus à pupillo sine auctoritate Tutoris, vel à minore sine auctoritate Curatoris, sustinetur in fauorem, & non in odium pupilli, vel minoris; ne quod in fauorem pupilli, vel minoris leges statuerunt, in eorum detrimentum redundet.*

11 *Dicta de pupillo intelligi etiam debent de pupillo proximo pubertati, nempe qui habet decem annos cum dimidio.*

12 *Pubertas incipit in mare anno 14. completo : in fœmella verò 12. item completo, itavt tunc finiatur ætas pupillaris, & incipiant vocari puberes, seu minores.*

13 *Minor potest etiam, quamvis contraxerit cum auctoritate Curatoris, petere, si læsus fuerit, restitutionem in integrum.*

14 *Amplia id verum esse, non solùm si minor contraxerit cum auctoritate Curatoris, sed etiam cum decreto iudicis; quia auctoritas Curatoris, & decretum*

tum Iudicis solùm faciunt, quod actus sit validus, non tamen priuant minorem beneficio restitutionis in integrum.

15 *Minor tunc dicitur læsus, itaut possit petere dictam restitutionem in integrum, cùm facit contractum ex quo non vtilitatem, sed detrimentum percipere possit.*

16 *Secularis obligatio ex contractu religioso; at non è contra.*

17 *Religiosus in professione tacitè facta intra annum probationis per susceptionem habitus Professorum in Religione non mendicantium ante Tridentinum Concilium, quia Professus non erat obstrictus Religioni, sicut religio erat obstricta erga ipsum.*

18 *Contractus alienationis initus per Ecclesiam sine debita solemnitate, & assensu Apostolico claudicat in fauorem Ecclesiæ, itaut ea si velit, possit resilire: at non tamen qui cum Ecclesia contraxerit.*

19 *Ecclesia potest sine debita solemnitate iuris facere contractum sibi vtilem, & talis contractus est validus, & firmus.*

20 *Ludens pecunia præsenti in Regno Castellæ, si amittat, non potest repetere solutum, si verò ludit pecunia credita, non tenetur neque etiam in foro conscientiæ soluere amissum.*

21 *Priuilegium restitutionis in integrum multis est concessum, cùm quibus si contrahat alter parem cum illis conditionem non habet, quia non competit ipsi similiter dictum priuilegium.*

22 *Quod fit in fauorem minoris ætatis, multò meliùs fieri debet in fauorem Religionis ob causas maioris momenti, vt religio scilicet commodiùs in obsequium Dei, & proximorum vacare possit.*

23 *Maximè quia hac ratione faciliùs in officio suo Religiosi se continebunt, ne scilicet dimittantur.*

24 *Ingrediens huiusmodi religionem, scit à principio se esse obstrictum ad perseuerandum in illa, & religionem posse ipsum dimittere, si minùs aptus receptus fuerit.*

25 *Religio quamuis possit dimittere Religiosum, non tamen id facit, nisi iustis de causis.*

26 *Religiosum ordinariè, quinimò ferè nunquam dimittitur, qui vult se corrigere, & in posterum religiosam vitam ducere.*

27 *Religio, vt religiosus in vita spirituali, & in literis proficiat, multùm laborat, & in dimittendis religiosis, quos ad prædictum finem magnis cum laboribus, & sumptibus per multos annos nutriuit, magnam adhibet diligentiam.*

28 *Qualibet alia religio in beneficium publicum ipsiusmet religionis, habet ius dimittendi religiosum incorrigibilem, & contumacem, quamuis talis dimissus non eximitur à votis.*

29 *Religio quamuis admittat vota huiusmodi religiosi, & acquirat ius in illum sic vouentem, non tamen admittit, itaut non possit illum dimittere.*

30 *Qui se alteri in seruitutem tradit, manet illi obstrictus, neque potest ab illo recedere, cùm tamen dominus possit illum dimittere.*

31 *Religiosus quamuis in prædicta religione dimitti possit quantum est ex vi admissionis, & illius contractus, non tamen potest dimitti, quantum est ex vi constitutionum.*

32 *Institutum huiusmodi per Sedis Apostolicæ, & Concilij Tridentini auctoritatem est tam meritò satis approbatum.*

33 *Religiosus licèt possit dimitti in prædicta religione, est tamen verè Religiosus, quia ad essentiam religionis, aut alterius status propriè dicti non requiritur tanta firmitas, vt per Superiorem religiosus non possit solui, sed sufficit vt semetipsum non possit soluere.*

34 *Neque est iniquum, vt postquam prædictus Religiosus absque vlla spe recuperationis bonis suis renunciauerit, dimittatur à Religione ob rationes supradictas, præsertim quia ratione Constitutionum non potest dimitti, nisi propter graues causas, &c.*

35 *Religioso prædicto eiecto à tali religione, constituto in sacris, si pauper est secundùm aliquos Religio tenetur prouidere de sufficienti patrimonio: at oppositum est probabiliùs, quia inueterata omnium religionum consuetudo est, quod talibus eiectis pro alimentis nihil detur, &c.*

36 *Declaratio Eminentissimorum Cardinalium super Concilio Tridentino est in contrarium, videlicet in fauorem eiectorum, quod scilicet prouideantur de sufficienti redditu; at de tali declaratione non constat authenticè.*

37 *Religiosus in prædicta religione liberatur à votis, quæ emiserat in eadem Religione.*

38 *Superior in tali casu non dispensat, neque commutat vota, vel relaxat; sed qui ingreditur talem religionem, emittit vota cum conditione tacita adimplendi ea quamdiu fuerit membrum talis Religionis, seu quamdiu Superior eum retinuerit.*

39 *Superior cùm dimittit à tali religione religiosum ex auctoritate à Sede Apostolica sibi concessa, dispensat in votis cum illo.*

1 Respondetur affirmatiuè: & quidem si ille est professus, & renuit dimitti. Patet responsio; quia fit ei iniuria: ergo Religio lege Iustitiæ tenetur eum non dimittere, cùm professio sit contractus reciprocus, per quem, sicut Religiosus obstringitur Religioni ad manendum, & perseuerandum in illa, sic similiter Religio obstringitur Religioso ad illum tractandum, & retinendum tanquam filium, nisi contigerit, quod fiat noxius ipsi Religioni.

2 Si verò nondum est professus, est tamen factus Religiosus per tria vota substantialia, iure statui potest, quod absque vlla iniuria dimitti possit; quamuis alia causa non subsit, quàm qood decursu temporis deprehendatur illi Religioni minùs conueniens, aptus, vel idoneus.

Probatur, quia iure, & absque vlla iniuria statui potest, quod vota illa, quibus quis efficitur Religiosus, habeant tacitè, vel expressè hanc conditionem, *si Religio me retinere voluerit:* quo posito licèt ipse obstringatur Religioni, & transeat in ius Religionis, Religio tamen ex vi acceptationis voti, & contractus, qui in admissione conficitur, non obstringitur Religioso: ergo quantum est ex vi huius contractua, potest Religiosus absque vlla iniuria dimitti, quamuis ipse ex parte sua obstrictus sit ad perseuerandum in Religione.

Antecedens, quod scilicet hoc iure, & absque vlla iniuria statui possit,

3 Primò probatur, quia qoi admittitur, à principio scit, & acceptat huiusmodi statutum: ergo, &c. cùm scienti, & volenti nulla iniuria fiat, vt habet Regula Iuris 27. *in 6.*

4 Secundò probatur, quia in multis casibus iure, & absque vlla iniuria statui potest, quod in contractu non sit vltro citroque obligatio, sed solùm ex altera parte, sicque contractus claudicet, quando scilicet aliqua causa subest: ergo etiam in casu nostro.

Antecedens patet in contractu sponsalium impuberis cum pubere, quia puber resilire non potest, impubes autem, cùm ad pubertatem peruenerit, etsi non priùs, poterit à contractu recedere, vt habetur *in c. p. de illis 1. de dispensat. impuberum,* & notant Gloss. *ibi, vers. semel,* Ostiensis *ibid. verbo negauerit,* Innocent. *in princ.* Henricus *n. 5.* Angelus *verb. sponsalia, 17.* Syluest. *eod. verbo, q. 10. cas. 12.* Couar. *in 4. decret. part. 1. cap. 5. §. 1. n. 1.* Henriq. *lib. 11. cap. 13. n. 5.* & alij communiter.

5 Quemadmodum etiamsi maior septennio contrahat sponsalia cum infante, contractus sponsalium est inualidus ex parte infantis, non autem ex parte maioris septennio; cùm iste resilire non possit à tali contractu,

donec

donec infans peruenetir ad septenniom; quo volente, maiur septennio tenetur stare prædicto contractui. Syluester *verbo sponsalia*, q.2. *dicto* 2. Tabierna *eodem verbo*, q.4.§.5. Armilla *n*.4. S.Antoninus 3.*part.tit.*1. *cap*.18. & alij quamplures.

6 Item patet secundò, in contractu pupilli sine auctoritate Tutoris, & in contractu minoris sine authoritate Curatoris inito cum maiore; quia pupillus, & minor possunt efficaciter sibi obligare maiorem, quamvis ipsi non possint similiter obligari maiori, vt habetur *Instit. de authorit. Tutor.in princ. &* §.*pupillus*, *de inutil.stipul.& in l. non eo minus,Cod.de procurat.* & in aliis multis iuribus mox *infrà* citandis, itavt contractus claudicet in fauorem pupilli, & minoris: Nam si pupillus contrahat absque authoritate Tutoris, vel minor absque auctoritate Curatoris cum maiore, contractus est validus in fauorem pupilli, vel minoris, non autem est validus etiam in fauorem maioris; sicque pupillus, vel minor potest in tali casu recedere, vel non recedere à contractu, non item maior; atque adeò maior inest obligatio ex vna parte, quàm ex altera, §. *ex contrario*, *Institut.* quibus alienare non licet; & contractus sustinetur in fauorem, sed non in odium pupilli, vel minoris, *l.non eo minus, Cod.de procuratorib.* ibi: [Minoribus ætas in damnis subuenire, nec in prosperis gestis obesse consueuit:] *& Instit.de author. tutor. in principio*, ibi: [Placuit meliorem quidem suam conditionem pupillum facere posse, etiam sine tutoris authoritate, deteriorem verò non aliter, quàm cum tutoris authoritate.] Vnde in iis casibus, in quibus obligationes mutuæ nascuntur, vt in captionibus, venditionibus, conductionibus, locationibus, mandatis, depositis, &c. si authoritas Tutoris, vel Curatoris non interueniat, ij qui cum pupillo vel minore contrahunt, obligantur. At pupillus, vel minor non itein. Glossa *loco suprà citato*, *verbo non obligantur.* Idemque habetur *in l.contra iuris, ff. de pactis, & in l.neque, Cod. de contrahend. & committend. stipulat.* & tenent Romanus *cons.*316. Alexand.*cons.*59. *vol.*2. Abbas *cons.*22.*col.*7.*vol.*1. Seraphinus *de priuileg. iurament.priuileg.*83.*num.*50.*&* 51.Molina *de iust.tom.*1.

7 *disp.*224. Tiraquell.*tract. de legib. connubial. gloss.*8. *num.* 66. 67. *&* 91. vbi subdit, id esse verum, non solùm in contractu pupilli, vel minoris, sed etiam in omni contractu inito ab illis, quibus prohibitum est administrare bona, cessare scilicet quando geritur vtiliter actus, talem prohibitionem. Baldus *cons.*72. *vol.*4.*& in dict.l.neque,Cod.de contrah.& commiss. stipulat.*

8 vbi subdit, validum esse contractum initum à minori cum maiori, & à fœmina, si talis contractus sit illis vtilis, quamvis statutum sit in aliquo loco, quod non valeat contractus ab illis initus sine interuentu consanguineorum. Antonius Gomez *tom.*2. *variar.cap.*14. *n.*1. Sarmiento *de reddit. part.*1. *cap.*2. *n.*16. *&* 17. & Sanchez *de matrim. lib.*6. *disput.*38. *num.*9.

9 Sicut etiam quamvis vassallus non possit alienare feudum sine consensu Domini, valet tamen alienatio ab illo facta sine consensu eiusdem Domini, si fuerit vtilis, & in augmentum feudi, Baldus *in cap.* 1. §.*contrarium, de inuestitura de re alien.fact.* Isernia *in cap.Imperialem,col.*6.*in fine, vers.item secus,de prohibit. feud. alienat.* Afflictus *ibid. n.*55. *& in decis. cap.*11. *n.*1. Capycius *decis.*100.*n.*3. Duenas *regul.*40.*limit.*6. & alij passim.

10 Et quidem contractum initum à pupillo sine authoritate tutoris, vel à minori sine authoritate curatoris, sustineri in fauorem, & non in odium pupilli, vel minoris, habetur etiam *in* §.*pupillus, Instit.de inutil. stipulat.* Et ratio est, ne quod in fauorem pupilli, vel minoris leges statuerunt, in eorum detrimentum redundet.

11 Vbi aduerte, quod *in dict.*§.Pupillus, addatur, cùm quid de pupillo dicitur, id etiam intelligendum esse de pupillo proximo pubertati, nempe qui habet decem annos cum dimidio, si fuerit mas; vel nouem cum dimidio, si fuerit fœmella, quandoquidem ante hoc tempus dicitur infans, vel infantiæ proximus: vnde

Aduerte secundò, quod pubertas incipiat in Mare 12
14. anno completo; in fœmella verò duodecimo item completo, itavt tunc finiatur ætas pupillaris, & incipiant vocati puberes, seu minores vsque ad 25. annum completum, quo finito, vocantur maiores.

Aduerte tertiò, quod minor possit etiam, quamvis 13
contraxerit cum authoritate Curatoris, petere, si læsus fuerit, restitutionem in integrum, *l.*1. *&* 2. *Cod. si tutor interuenerit*: & tradunt Glossa *in l.pupillus,ff. de Regul.iur.* Paulus *in l.si Curatorem,Cod.de in integr.restitut. num.*3. & alij communiter Iuristæ, quos sequitur Molina *de iust.& iur. tom.*1.*disp.*224.

Quod adeò verum est, vt idem, si scilicet minor 14
læsus fuerit, dicendum sit, non solùm si contraxit cum authoritate Curatoris, sed etiam cum decreto iudicis, *l.*1.*& seqq.ff.de minorib.& ff.de in integr.restitut.* & docet præter alios Paulus *vbi suprà*, *citato num.*3. quia authoritas Curatoris, & decretum iudicis solùm faciunt, quod actus sit validus; non tamen priuant etiam minorem beneficio restitutionis in integrum. Doctores quos sequitur Lessius *de iust. & iur. lib.*2. *cap.*17. *dubit.*9. *num.*63.

Aduerte quartò, quod tunc minor dicatur esse læ- 15
sus, vt possit petere dictam restitutionem in integrum, cùm facit contractum, ex quo non vtilitatem, sed detrimentum percipere poterit. Doctores quos sequitur Sarmiento *lib.*3. *selectar. cap.*13. *num.*2.

Item patet tertiò in contractu sæcularis cum Reli- 16
gioso, quia sæcularis obligatur Religioso, non item similiter Religiosus obligatur sæculari: qua de re præter alios videri poterit Nauar. *comment.*2. *de Regular. num.*30. *&* 65.

Item patet quartò in professione tacitè facta intra 17
annum probationis per susceptionem habitus Professorum in Religione non mendicantium, ante Tridentinum Concilium; quia qui sic professus erat, non erat obstrictus illi Religioni; Religio tamen erat ipsi obstricta, itavt illum, si ipse manere vellet, Religio teneretur retinere. DD. communiter *in cap. Constitutionem, de Regul. iur. in* 6.

Item patet quintò in contractu inito cum Eccle- 18
sia; quia si Ecclesia alienet bona immobilia, vel bona aliqua mobilia pretiosa sine debita solemnitate, & assensu Apostolico, talis contractus claudicat in fauorem Ecclesiæ; itavt Ecclesia, si vult, possit stare contractui, vel ab eo resilire; alter verò, cum quo Ecclesia contraxit, non possit ab eodem contractu, si Ecclesia renuit, similiter resilire, dummodo tamen Ecclesia curet, quod ratificetur contractus, vt suppleatur prædicta solemnitas iuris. Decius *in l. non omnes, ff.si cert. petat.& in cap.Qua in Ecclesiarum,de constit. num.*101. Albericus *in auth. Hoc ius porrectum, Cod. de Sacros. Ecclesiis.* Faber in §. *& ne huius, Instit.de eo cui liber.* Bald.*in l.contra iuris, ff.de pactis,* quatenus inquit, quod Ecclesia possit sine legitima solemnitate iuris facere contractum sibi vtilem, quodque talis contractus sit validus, & firmus. Tiraqoell. *de legib. connubial. gloss.*8. *num.*62. Antonius Gabriel *lib.*3. *commun.opinion.titul.de reb.Eccles.non alienand.concl.*1. Afflictus *in consilio Pia memoria*, *num.*66. Mascardus *de probat. conclus.*68. Redoanus *in tract. de reb. Eccles. non alien.in rubrica de causis vtilitatis,num.*174. Rebuffus *in compendio alienat. rer. Eccles. num.*34. Abbas *in cap. diuersis fallaciis, de Cleric.coniugat. num.*6. Menoch.*de arbit. in addit.ad cas.*172. *num.*62. Capycius *in decis.vol.*1.*dec.*123. Sarmiento *de redditibus,part.*1. *cap.*2.

cap. 1. *n.* 18. Puteus *lib.* 1. *decis.* 310. & *lib.* 2. *decis.* 365. *n.* 5. Carol de Graſſis *in tract. de except. in except.* 20. *num.* 22. Leſſius *de iuſt. & iur. lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 8. *n.* 62. Rota *in decis. diuerſ. decis.* 153. *num.* 11. & 12. *vol.* 1. & *decis.* 662. *n.* 9. *part.* 1. Rota etiam in vna Peruſina reſciſſionis contractus, 24 Feb. 1588. coram Blancheito, & in vna Romana domus coram Mantica, 4. Decembris 1592. & in vna Romana cenſus coram Merlino, 10. Decembris 1590. & in vna Vlyſſiponenſi nullitatis locationis, 1. Iulij 1596. coram Pamphilo, itavt Eccleſia vtatur iure minoris. Gloſſa *in cap. auditis, de reſtit. in integr.* & Abbas *ibidem, n.* 15.

20 Item patet ſextò in contractu eius, qui ludit pecunia credita cum eo, qui ludit pecunia præſenti; quia qui ludit pecunia præſenti in Regno Caſtellæ poſt conſtitutionem Caroli V. ſi amittat, non poteſt repetere ſolutum; qui verò ludit pecunia credita, ſi è contra ipſe amittat, non tenetur, nec etiam in foro conſcientiæ, ſoluere amiſſum. Couar. *ad Regul. peccatum, part.* 2. §. 4. *n.* 8. Alphonſus à Caſtro *lib.* 1. *de poteſt. leg. pœnal. cap.* 2. *corollar.* 5. Molina *de iuſt. tom.* 2. *diſput.* 515. *verſ. quoad ſecundum*, Henriquez *lib.* 7. *de indulgentiis, cap.* 15. *num.* 6. Bannez 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. Aragonius *ibid. eodem art.* 7. Leſſius *de iuſt. & iur. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 14. *num.* 167. Salonius 2. 2. *quæſt.* 62. *de domin o, art.* 6. & alij, quos ſequitur Sanchez *de matrim. lib.* 1. *diſp.* 31. *num.* 2.

21 Item patet ſeptimò, quia multis eſt conceſſum priuilegium reſtitutionis in integrum, cum quibus ſi contrahat alter, cui ſimiliter idem Priuilegium conceſſum non ſit, parem cum illis conditionem non habet; quia non competit ipſi ſimiliter dictum Priuilegium. Dixi, *cui ſimiliter idem priuilegium conceſſum non ſit*; quia ſi ipſi ſimiliter idem priuilegium conceſſum fuerit, conquaſſantor priuilegia, veluti ac ſi ex vtraque parte nulla forent.

22 Conſequentia ſecundæ rationis, quam ſuprà ponebam pro noſtra reſponſione, probatur; quia ſi in fauorem minoris ætatis, & eorum qui ſunt in aliena poteſtate, vel ob ſimiles cauſas minoris momenti iure poteſt ſtatui hæc inæqualitas, & vni parti, altera manente obſtricta, à conuentione recedendi concedi facultas, non eſt cur etiam iure eadem ſimiliter ſtatui non poſſit in admiſſione ad Religionem ob cauſas maioris momenti, ſcilicet quod Religio, vt commodiùs ſaluti proximorum, & aliis miniſteriis, & exercitiis maximi momenti in obſequium Dei, & totius orbis vacare poſſit, non grauetur hominibus inutilibus, parum aptis, vel idoneis, quique aliis poſſint eſſe ſcandalo, vel impedimento in damnum publicum, cùm longè minùs incommodi ſit tales dimitti, & loco eorum alios vtiles, aptos, vel idoneos ſubſtitui, quàm Religionem huiuſmodi hominibus grauari cum magno in damnum publicum præcipuarum functionum detrimento.

23 Confirmatur, quia hac ratione, quatenus ſcilicet vident, ſi ſecus fecerint, ſe poſſe dimitti, ſinguli faciliùs in officio ſuo ſe continebunt, & meliùs ad inſtitutum ſuum ſe applicabunt: ergo iure optimo inſtitui poteſt Religio, quæ facultatem habeat dimittendi Religioſum, ſi religioſè non vixerit; cùm huiuſmodi facultas ſoleat, & debeat promouere Religioſum, vt omni alia cura poſtpoſita, ad religioſè viuendum ſe totum conferat.

24 Confirmatur ſecundò, quia qui ingreditur huiuſmodi Religionem, ſcit à principio, quod ipſe ſit obſtrictus ad perſeuerandum in illa, quodque Religio poſſit ipſum, ſi minùs aptus repertus fuerit, dimittere: ergo Religio nullam committit iniuſtitiam illum dimittendo; cùm ſcienti & volenti nulla fiat iniuria, iuxta Regulam *Scienti, de Regul. iur. in* 6. & *iuxta c. ad Apoſtolicam, de Regular.* vbi dicitur, quod quilibet ſuæ priuatæ vtilitati renunciare poſſit.

25 Confirmatur tertiò, quia quamvis talis Religio poſſit dimittere Religioſum, non tamen id facit, niſi iuſtis de cauſis, itavt ordinaria cauſa, cur dimittatur, non tam procedat à Religione, quæ dimittit, quàm ab ipſomet Religioſo, qui dimittitur: ergo dimiſſus non poteſt iure de Religione conqueri, quòd iniuriam ab illa patiatur propter ſuimetipſius dimiſſionem.

26 Confirmatur quartò, quia ordinariè, quinimò ferè nunquam dimittitur Religioſus, qui vult ſe corrigere, & in poſterum religioſam vitam ducere; ſed quicumque dimittitur, ideò dimittitur, quia parum curat religioſè viuere: ergo nullam patitur iniuriam, ſi dimittatur.

27 Confirmatur quintò, quia religio vt religioſus in vita ſpirituali, & in literis proficiat, multùm laborat, & in dimittendis Religioſis, quos ad prædictum finem magnis cum laboribus, & ſumptibus per multos annos nutriuit, magnam adhibet diligentiam: ergo culpa dimiſſionis non procedit à Religione, quæ dimittit, ſed potiùs ab ipſomet Religioſo, qui ob ſuas culpas dimittitur; cùm non curet ſe emendare, nec pœnitentias ſibi impoſitas iuxta debitum adimplere.

28 Confirmator ſextò, quia quælibet alia Religio in beneficiom publicum ipſiuſmet Religionis, ne ſcilicet morbida pecus totum corrumpat ouile, habet ius dimittendi Religioſum incorrigibilem, & contumacem, quamvis talis Religioſus dimiſſus non eximatur à votis, quæ emiſerat in Profeſſione: ergo iure optimo poterit inſtitui Religio, quæ habeat ius dimittendi Religioſum minùs vtilem, aptum, vel idoneum, quique aliis malum exemplum, & ſcandalum præbet, præſertim ſi talis Religioſus dimiſſus liberetur, quemadmodum de facto liberatur, vt dicetur infrà in reſponſione ad oppoſitas rationes, à vinculis votorum, quæ emiſit in Religione.

29 Confirmatur ſeptimò, quia quamvis religio admittat vota huiuſmodi Religioſi, & acquirat ius in huiuſmodi Religioſum ſic vouentem; non tamen admittit itavt non poſſit illum, quod & ipſe optimè nouit, ſi rationabiliter voluerit, dimittere: ergo nullam iniuriam committit religio, ſi dimittat prædictum religioſum, qui non ſolùm non proficit in virtutibus, ſed potiùs aliis præbet ſcandalum, & malum exemplum.

30 Confirmstur octauò, qui ſe alteri in ſeruitutem tradit, manet illi obſtrictus, neque poteſt ab illo recedere, cùm tamen Dominus poſſit illum dimittere. Ergo qui ſe tradit alicui religioni, vt in ea religioſè viuat, quamvis ipſe ſit obſtrictus ad perſeuerandum in ea, poterit tamen religio à Summo Pontifice facultatem habere dimittendi illum, ſi alios ſcandalizet, & religioſum Conuentum perturbet, itavt talis religioſus non habeat iuſtam cauſam conquerendi, ſi ob ſua demerita dimittatur.

31 Confirmatur nonò, quia quamvis in prædicta religione religioſus dimitti poſſit, quantum eſt ex vi admiſſionis, & illius contractus; non tamen poteſt dimitti quantum eſt ex vi conſtitutionum; quia ſi conſtitutiones ſpectentur, non poterit dimitti, niſi propter graues cauſas ibidem expreſſas: ergo quamvis religio ad illum retinendum non obſtringatur ex vi admiſſionis, obſtringetur tamen ex vi conſtitutionum.

Confirmatur decimò, quia huiuſmodi inſtitutum per Sedis Apoſtolicæ, & Concilij Tridentini authoritatem eſt iam meritò ſatis approbatum.

OBIECTIONES.

32 Non obſtat, ſi dicas: In prædicta religione talis Religioſus poteſt dimitti: ergo non eſt verè Religioſus; cum non habeat ſtatum firmum, & immobilem.

33 Respondetur enim: Nego consequentiam, quia ad essentiam Religionis, aut alterius status propriè dicti non requiritur tanta firmitas, vt per Superiorem Religiosus non possit solui, sed sufficit, vt semetipsum non possit soluere, sicuti patet in statu seruorum, qui tamen à Domino possunt manumitti, & in statu Religiosorum professorum, qui tamen per authoritatem Summi Pontificis possunt liberari: Quapropter cùm prædictus Religiosus in casu nostro nullo modo possit seipsum à vinculis votorum soluere, habet eam firmitatem quæ sufficiat ad statum perpetuum, & immobilem Religionis; quamvis reuera non habeat tantam firmitatem, quantam habet Religiosus professus: sed hæc tanta firmitas non est necessaria ad essentiam Religionis, vti *suprà* dicebam, & præter alios tradit Nauar. *de Regularibus, comment. 2. n. 19.*

34 Neque obstat secundò, si dicas: iniquum videtur, vt postquam prædictus Religiosus absque vlla spe recuperationis bonis suis renunciauerit, dimittatur è Religione, & cogatur sibi victum procurare: Ergo, &c.

Respondetur enim: Nego antecedens, idque ob rationes iam suprà dictas; præsertim quia ratione constitutionum non potest dimitti, nisi propter graues causas; vnde non plus incommodi est hic, quàm in dimissione Professorum; præsertim etiam, quia rarissimè contingit, vt quis post renunciationem dimittatur: ob quam etiam causam interdum permittitur, vt renunciationem ad aliquod tempus differat, præsertim tandem etiam quia proportionata alimenta, saltem dum legatum, donatum, beneficium, vel quid aliud, quod ipsi ad viuendum sufficiat, aliunde acquisiuerit, de facto recipit à Religione, sicut quilibet donans, etiamsi culpa sua ad egestatem deuenerit, recipit à donatario; cùm alioquin donationem factam possit ob ingratitudinem reuocare.

35 An autem eiecto è tali Religione, si sit constituta in sacris (quamvis, vtpote pauper, nihil renunciauerit de suo prædictæ Religioni) debeatur aliquid pro alimentis, vel pro patrimonio?

Respondetur, quod quamvis si beneficium, vel patrimonium, vnde viuere possit, non habeat, affirment Bossius *in moral. tom. 2. tit. 3. §. 9. n. 24.* Martinus *de Sacrament. Ordin. tract. 2. part. 6. cap. 4. n. 5.* Leander *de Sacram. tom. 2. tract. 6. disp. 9. q. 2.* Martinus de Sancto Ioseph *tom. 1. lib. 1. tract. 8. de Ordin.* & alij, dicendum tamen de iure sit oppositum cum Pagundez *in precept. Decalog. tom. 2. lib. 7. c. 6. n. 5.* & aliis.

Probatur, quia inueterata consuetudo omnium Religionum est, quod huiusmodi eiectis nihil pro alimentis, vel pro patrimonio detur; tum quia sic iudicatum fuit in Parlamento Tolosano, sicuti videre est *in decretis legitimæ Congregationis generalis, cap. 1. §. extat, num. 7.* Tum quia alioquin dolus & fraus patrocinaretur delinquenti, & delinquens ex suo delicto commodum reportaret: tum quia talis ejicitur in pœnam suorum delictorum; & iudex, cuius munus gerit Religio, quando ipsum dimittit, non solet alimenta tribuere ei, quem punit: tum tandem quia totum redundaret in damnum temporale Religionum, etiam contra expressam, vel tacitam voluntatem eorum, qui Religiones, & Monasteria dotarunt, & in damnum spirituale eorundem Religiosorum; cùm eainde facilè ipsi assumerent occasionem deserendi Religionem, & Deum, cui piè, & laudabiliter se iam semel dedicauerant.

Objicies: extat in contrarium declaratio Sacræ Congregationis Eminentissimorum *sess. 21. cap. 2. de reformat.* in his verbis: [Quoad Iesuitas, cum post Sacerdotium exire non possint, nisi à Superioribus dejiciantur, prouideatur illis de redditu 40. aureorum annuorum ex bonis Religionis, quoad alios qui arbitrio suo exire, quando volunt, possunt, ne detur illis occasio exeundi, vt fruantur illo redditu, vocentur priùs, & intelligant, qua alia via prosp ici possit, deindè maturè deliberandum.

Respondetur, videndum esse, an talis declaratio extet, & constet authenticè; cùm alioquin faciat solùm opinionem probabilem, etsi satis, & valdè probabilem, saltem ab extrinseco, sicuti probabam *in tractat. de immunit. & iurisdict. Ecclesiast.* 36

Aduerte tamen hîc, quod vti suprà dicebam, in prædicta Religione Religiosus dimissus liberetur à votis, quæ emiserat in eadem Religione. 37

Non obstat si dicas: Non potest quis à votis liberari, nisi in iis fiat dispensatio, commutatio, vel relaxatio: sed cùm Religiosus sic dimittitur, non apparet talis dispensatio, commutatio, vel relaxatio: Ergo non debet dici, quod Religiosus è tali Religione dimissus liberetur à votis, quæ emiserat in eadem Religione. 38

Confirmatur, quia vota castitatis, & religionis sunt reseruata Summo Pontifici: ergo non potest Superior religionis liberare religiosum, quem dimittit, à vinculo talium votorum.

Respondetur enim, quod Superior in tali casu non dispenset, neque commutet, vel relaxet vota, sed qui ingreditur talem religionem, emittit vota cum conditione tacita adimplendi prædicta vota, quamdiu fuerit membrum talis religionis, seu quamdiu Superior eum retinuerit in religione: Quapropter statim ac à Superiore dimissus fuerit, liberatur ab huiusmodi votis, sicut qui emittit votum ingrediendi aliquam religionem, emittit illud cum conditione tacita, si talis religio velit ipsum recipere: Quapropter si illa nolit ipsum recipere, statim liberatur à voto, ita vt non requiratur alia dispensatio, commutatio, vel relaxatio. 39

Respondetur secundò, posse dici, quod cùm Superior dimittit è tali religione religiosum, ex authoritate à Sede Apostolica sibi concessa dispenset in votis cum illo; quia cùm prædicta religio sit confirmata à Summo Pontifice, censetur hoc ipso Summus Pontifex concedere religionis Superiori facultatem, quod dispenset in votis cum illis, quos iudicans minùs aptos ad suum institutum, minusque religiosè viuere, sed aliis scandalosos esse, è religione dimiserit.

SECTIO LI.

An qui ingreditur Religionem, in qua ex Pontificis facultate Superiori conceditur facultas, quod inferiorem, si hic importunè post vota emissa petat dimitti, non habens animum quiescendi, donec Superior concesserit dimissionem, vel illam quomodocumque per iniuriam, vt si per metum, vim, vel fraudem extorqueat, possit è Religione dimittere, eumque à votis liberare, sit ille in statu peccati mortalis, nec liberetur à votis, quamvis Superior illum dimittat?

SVMMARIVM.

1 *Ingrediens Religionem, in qua ex Pontificis facultate Superiori conceditur facultas, quod inferiorem possit è Religione dimittere, eumque à votis liberare, est in statu peccati mortalis, nisi paratus sit impedimenta per malitiam posita tollere. Et si renuat obsequium praestare, casu quo Superior velit illum admittere,*

incurrit

incurrit pœnas latas contra apostatas, & est verè apostata.

2 *Locans opera sua alicui ad certum tempus, si malè agat, itaut cogat dominum conductorem ad eum ejiciendum, non est tutus in conscientia.*

3 *Extorquens dimissionem per iniuriam, vel per fraudem, infert iniuriam Hospitali, vel Monasterio, & Prælato, adimendo illi libertatem, quam habere debet ad huiusmodi actum, & cogendo illum ad id, quod aliàs nollet facere.*

4 *Quotiescumque per iniuriam, vt per metum, siue grauem, siue leuem, modo iniuria sit causa, sine qua alter nollet dissoluere, vel per vim aut fraudem cogit aliquem ad aliquem contractum, tenetur illum restituere suæ libertati.*

5 *Quotiescumque aliqua modo per iniuriam extorquet quis ab altero condonationem illius rei, quam illi debet ex iustitia, vel alia tum obligatione, non liberatur, nisi illum restituat suæ libertati.*

6 *Vouens aliquem finem, censetur tacitè vouere media necessaria ad illum finem.*

7 *Votum non potest tolli per dispensationem, cùm non subsit iusta causa, cuius defectu omnis dispensatio irrita est.*

8 *Is non videtur posse verè pœnitere coram Deo, nisi paratus sit sarcire iniuriam, quam intulit Hospitali, vel Monasterio.*

9 *Omnis promissio facta alicui sub conditione posita in arbitrio alterius, ita intelligitur, vt illi alteri debeat relinqui libertas, quod conditionem ponat, vel tollat.*

10 *Omnis conditio ita intelligi debet, vt non det occasionem violandi votum, vel contractum.*

11 *Vouens se perseueraturum in aliquo Hospitali, Monasterio, vel religione toto tempore, quo Superior illum retinere voluerit, censetur iniquè, & irreligiosè vouere, & huiusmodi votum esset inualidum, & Superior illud nullo modo acceptaret.*

12 *Emittens absolutè vota Religionis, si postea prauè se gerendo dimittatur è religione, non liberatur à votis emissis in religione.*

13 *Emittens vota in tali religione, de qua nunc loquimur, absolutè quantum ex parte sua vouet.*

14 *Vouens ingredi religionem, illamque ingreditur, sed ante professionem culpa sua ex eadem dimittitur, non liberatur à voto religionis priùs emisso; sed tenetur procurare regressum ad eundem religionem.*

15 *A voto vt quis liberetur, debet esse iusta causa dispensationis in voto, qualis non est in eo, qui sic cogit superiorem ad dispensandum.*

16 *Vouens se facturum aliquid sub conditione, si ipse postea impedit ne conditio impleatur, ligatur voto, non secus ac si esset impleta conditio.*

17 *Vouens ingredi religionem, eumque ingreditur, & in ea professionem emittit, si ejiciatur, tenetur se corrigere, & si non vult ingredi aliam religionem, saltem procurare, quod iterum admittatur.*

18 *Vouens ingredi Religionem, si postea petit pertinaciter à Pontifice, vt secum dispenset, itaut illum quodammodo cogat ad secum dispensandum, non liberatur à tali voto religionis.*

19 *Petens per iniuriam, vel per fraudem à Pontifice liberationem à voto, non liberatur.*

20 *Item qui per iniuriam, vel per fraudem petit, vt liberetur ab aliquo iuramento, voto, promissione, vel obligatione.*

21 *Item qui querendo se grauibus carnis stimulis vexari, neque vis resistere posse, cum tamen totum sit falsum, petit dimissionem à Religione, non liberatur.*

22 *Item qui aliquid alicui promisit, & postea eum cogit, vt ipsi condonet quod promisit, non liberatur.*

23 *Superior si in tali religione religiosum dimittere sponte sua, religiosus ille ad nihil ampliùs teneretur, etiamsi nulla causa dimissionis subesset; at non ideò vt Religiosus sit liber.*

24 *Votum illud habebat tacitam conditionem, si Superior me retinere voluerit; non tamen si retinere non voluerit, ad nihil tenebitur religiosus: in casu enim priori illa dimissio est valida, quia sponte est facta: in posteriori autem conditio extorta est per iniuriam.*

25 *Dimissio est valida, quando Superior vult plenè, & omnino liberè dimittere; non autem quando per iniuriam, vel fraudem aliquo modo cogitur.*

26 *Superior prædictum Religiosum dimittit, itavt sit in posse ipsius Superioris eum dimittere plenè, & omninò liberè, negatur. Secus autem non plenè, & non omnino libere.*

27 *Religio habet facultatem dimittendi religiosum, qui malè se gerit in religione, itavt eum qui malè se gerit, dimittat eodem modo liberè, negatur; secus autem non omninò liberè.*

28 *Religiosus prædictus erit tamen liber à votis religionis, & in conscientia tutus quotiescumque humiliter proponeret superiori se magnam difficultatem habere quoad permanendum in religione, neque posse se facilè accommodare statui religionis, quamuis in superandis difficultatibus, & impedimentis occurrentibus magnam adhibeat diligentiam.*

29 *Romani Pontifices concedunt religioni, quod possit dimittere suos religiosos, voluntque vt sic dimissi à votis religionis fiat liberi, & in conscientia tuti, si sint dimissi plenè, seu omninò liberè; secus si sint dimissi non plenè, seu non omninò liberè.*

30 *Religiosi etiam, qui per iniuriam, vel per fraudem dimissionem è religione extorserunt, solent frequentare Sacramenta Confessionis, & Communionis, & à doctis Confessariis absolui: at id non est signum, quod sint à votis religionis liberi, si correcti priùs non petierint, vt iterum recipiantur.*

31 *Religiosus eiectus, si postea correctus petit vt iterum recipiatur ad Religionem, & repulsam patiatur à Prouinciali, omninò est liber à vinculis votorum religionis, idque seruatur in praxi.*

32 *Vouens in Hospitali, vel Monasterio non solùm obsequium, & famulatum, sed etiam continentiam perpetuam sub eadem tacita, & expressa conditione, dimissione postea per iniuriam, vel fraudem extorta, quamvis probabile sit, non teneri voto castitatis, quia mens ipsius non videtur talis fuisse, nisi manens in obsequium Hospitalis; satis tamen probabile est etiam oppositum.*

33 *Vouens ante dimissionem se recitaturum quotidie Officium B. Virginis toto tempore vitæ suæ, per talem dimissionem non liberatur.*

SVppono, quod solutio huius difficultatis pendeat à solutione illius alterius difficultatis, an scilicet obligatio voti, quod habet tacitam, vel expressam conditionem, cesset si conditio tollatur per iniuriam, vt per metum, vim, vel fraudem ipsius vouentis, v. g. vouisti Deo, & Superiori perpetuò seruire in aliquo Hospitali, vel Monasterio sub hac tacita, vel expressa conditione, *si Superior te voluerit retinere*, quod votum Superior legitimè acceptauit, an obligatio huius voti cesset, si tu per iniuriam, vt per metum, vim, vel fraudem, scilicet de industria malè seruiendo, damna supellectili inferendo, vel omnia perturbando, &c. dimissionem extorseris. Hoc supposito

Respondetur affirmatiuè, esse scilicet illum in sta- 1
tu peccati mortalis, nec esse tutum in conscientia, nisi paratus sit impedimenta per malitiam posita tollere, & rursùm ad obsequium præstandum, si Superior velit eum admittere, se ipsum offerre, itavt alioquin subiaceat pœnis latis contra apostatas; cùm alioquin sit reuera apostata. Richardus *in 4. dist. 38. art. 5. quæst. 3. in corpore*, Angelus *verbo votum, num. 10.*

Syluester *eodem verbo votum* 2. q. 1. Tabiena *eodem verbo votum* 3. q. 2. *in princip.* Lopez *in instruct. part.* 1. *cap.* 44. *vers. Qui vouit*, & alij passim.

2 Probatur, quia si alicui locares operam ad certum tempus certo pretio, sub hac conditione, *Si is te voluerit in domo sua retinere*; & postea aliquo modo per iniuriam, vt per metum, vim, vel fraudem, malè scilicet agendo eo fine, vt te è domo sua dimittat, liber non eris in conscientia, nisi rursùs illi te offeras ad præstandum contractum, promissa correctione: ergo sic & in casu nostro. Antecedens patet: tum quia iniuria, & fraus nemini debent patrocinari; tum etiam quia, sicuti liberi debent esse contractus, ita etiam similiter liberi debent esse distractus, seu contractuum dissolutiones. Consequentia probatur, quia non minùs libertas requiritur ad condonationem voti, vel talis promissionis, quàm ad dissolutionem alicuius alterius contractus.

3 Secundò, quia si per iniuriam, vel per fraudem extorqueas dimissionem, infers iniuriam Hospitali, vel Monasterio, & Prælato, adimendo illi libertatem, quam habere debet ad huiusmodi actum, & cogendo illud ad id, quod aliàs nollet facere: ergo teneris illum, reddita libertate quod faciat quidquid voluerit, restituere in priorem statum: at hoc fieri non potest, nisi paratus sis rursùs ad obsequium præstandum recipi, & quantum in te est, omnia reddere infecta, ea in priorem statum reuocando: ergo.

4 Confirmatur, quia quotiescumque per iniuriam, vt per metum, siue grauem, siue leuem, modò iniuria sit causa, sine qua alter nollet dissoluere, vel per vim, aut fraudem cogis alterum ad aliquem contractum, vel distractum, teneris illum restituere suæ libertati, & te præbere paratum ad reducenda omnia in priorem statum, vt per se patet: at in tali voto interPrælatum, & te vouentem est aliquis contractus, & tu cogis illum per iniuriam ad contractum dissoluendum: ergo.

5 Confirmatur secundò, quia quotiescumque aliquo modo per iniuriam extorques ab altero condonationem illius rei, quam illi debes ex iustitia, vel alia stricta obligatione, non liberatis, nisi illum restituas suæ libertati, vt liberè tibi condonet: at tu vouens, ex iustitia teneris manere, & extorques per iniuriam dimissionem: ergo non liberatis.

6 Tertiò, quia quotiescumque voues aliquem finem, censeris tacitè etiam vouere media necessaria ad illum finem, vt per se patet: at in casu nostro medium necessarium ad finem est, non ponere directè impedimenta implendi votum, & si posueris, ea tollere quantum potes: ergo cùm noueris perpetuum obsequium in alio aliquo Hospitali, vel Monasterio, teneris non ponere directè impedimenta implendi huiusmodi obsequium, & si posueris, ea tollere, quantum potes, ac proinde mutatis motibus, te rursùs ad prædictum obsequium præstandum exhibere.

7 Neque dicas, id esse verum ante dimissionem, quando scilicet votum principale adhuc obligat; secus autem quando illud sublatum est per dispensationem; quia certum est, quod huiusmodi votum non possit tolli per dispensationem, cum non subsit iusta causa, sicuti suppono, cuius defectu omnia dispensatio irrita est: per irritationem autem, vel potiùs per desitionem conditionis, sub qua factum est, quamvis quidem tolli possit, nihilominus cùm per iniuriam extorta sit, non potest ita tollere votum, vt cesset omnis obligatio, nec potest te reddere tutum in conscientia, nisi paratus sis omnia in priorem statum reuocare; sicut si quid mihi, vel alteri in meum fauorem promisisti, & cogas me ad condonationem, non liberatis, vti suprà diximus.

8 Quartò, quia non videris posse verè pœnitere coram Deo, nisi paratus sis sarcire iniuriam, quam intulisti Hospitali, vel Monasterio, & Prælato, vtendo scilicet modis illis iniquis, sicque te ab obsequio promisso subtrahendo, præsertim cùm ei lege iustitiæ, vel quasi iustitiæ propter promissionem factam sit obstrictus. Hoc enim habet omnis iniuria, vt non possimus de ea verè pœnitere, sicuti oportet ad salutem, nisi parati simus illam, si alter velit, sarcire; idemque dico de iniuria facta Deo, cogendo Prælatum condonare quod ipsi promiseras; sed iniuriam istam non potes sarcire, nisi dolendo ex animo de eo, quod fecisti, & te paratum exhibendo ad omnia in integrum reuocanda, quantum poteris: ergo, &c.

Quintò, quia omnis promissio facta alicui sub conditione posita in arbitrio alterius, ita intelligitur, vt illi alteri debeat relinqui libertas, quod conditionem ponat, vel tollat, itavt si tu promissor eum alterum cogas ad tollendam conditionem, non censeatis idcircò liber. V.g. promisisti Titio centum, si parens eius consenserit, deinde cogis parentem, vt non consentiat, non idcircò censeris liber, quia non sic ab initio conditionem intellexisti; cùm omnis conditio ita intelligi debeat, vt non det occasionem violandi votum, vel contractum: Quam occasionem conditio maximè daret, si ita intelligeretur, vt posset huiusmodi prauis artibus euerti: ergo, &c. 9 10

Sextò, quia si voueas te perseueraturum in aliquo Hospitali, Monasterio, vel Religione toto tempore, quo Superior te retinere voluerit; ita tamen vt si tu velis extorquere per vim, vel per fraudem dimissionem, sis liber à voto, censeris iniquè & irreligiosè vouere, & huiusmodi votum esset inualidum, & Superior illud nullo modo acceptaret: ergo si cùm de facto nunc voueris, te perseueraturum in Religione, & postea extorqueas per vim, vel fraudem dimissionem, esses liber à voto, essesque tutus in conscientia, sequeretur, quod tacitè votum emiseris sub prædicta formula iniqua, & irreligiosa; nam sic votum intelligi deberet, si quiuis modus tollendæ conditionis, & obtinendæ dimissionis ad liberationem sufficeret, quod nullo modo est dicendum. 11

Septimò, si quis emittat absolutè vota Religionis, & postea procuret se getendo dimittatur à Religione, non liberatur à votis emissis in Religione: ergo neque liberabitur qui emisit vota cum conditione tacita manendi in Religione, quamdiu Superior Religionis illum retinere voluerit; quia talis conditio non apponitur in fauorem ipsius vouentis, quasi possit ipse licitè à Religione recedere, si velit, sed solùm in fauorem Religionis, vt scilicet possit ipsa dimittere Religiosum, si scilicet eum ineptum iudicauerit ad suum institutum. 12

Confirmatur, quia qui emittit vota in tali Religione, de qua nunc loquimur, absolutè, quantum est ex parte sua, vouet: ergo si dimissionem extorqueat, non erit liber à votis. 13

Octauò, qui nouit ingredi Religionem, & posteà per fraudem, seu malitiam facit aliqua, ne admittatur in Religionem, non liberatur à voto Religionis: ergo multò magis qui ingressus est Religionem, & postea per fraudem, seu malitiam facit aliqua, vt dimittatur à Religione, non liberabitur à votis emissis in Religione.

Nonò, qui vouit ingredi Religionem, illamque ingreditur, sed ante professionem culpa sua ex eadem dimittitur, non liberatur à voto Religionis priùs emisso, sed tenetur procurare regressum ad eandem Religionem. DD. quos sequitur Toletus *in summa, lib.* 4. *c.* 17. *n.* 6. *& cap.* 18. *n.* 5. Ergo multò magis non liberabitur à votis, qui per extorsionem procurauit dimissionem à Religione. 14

Decimò, ad hoc vt quis liberetur à voto, debet esse iusta causa dispensationis in voto; sed qui cogit superiorem, 15

periorem, vt ipsum dimittat à religione, non habet iustam causam, cur superior cum ipso dispenset, ipsumque dimittat à Religione: ergo sic dimissus non liberabitur à votis emissis in Religione.

16 Vndecimò, qui vovit se facturum aliquid sub conditione, & ipse postea impedit, ne conditio impleatur, ligatur voto, non secus ac si esset impleta conditio, sicuti docent Angelus *verbo votum* 1. *num.* 10. Sylvester *eodem verbo votum* 2. *q.* 2. *dicto* 2. Nauarrus *in sum. c.* 12. *n.* 42. *& conf.* 30. *de voto, num.* 2. Angles *in floribus, p.* 2. *q. de voto, art.* 8. *diff.* 17. *dub.* 8. Rodet. *in sum. tom.* 2. *c.* 98. *circa fin.* & alij, quos sequitur Azor. *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 11. *c.* 20. *q. vlt.* & patet *ex c. in executione, de verb. obligat.* vbi dicitur, quod quicumque sub conditione obligatus curauerit, ne conditio existeret, nihilominus obligetur, vti dicitur *in c. Adversus, de immunit. Eccles.* quia fraus, & dolus nemini patrocinantur: quapropter si iuro, me daturum tibi centum, si ingrediatis aliquem locum, & ego postea ne ingrediaris, impedio, teneor ex iuramento dare tibi centum; quia fraus, & malitia non debent mihi patrocinari: ergo similiter si voueam perseuerare in Religione, & postea per fraudem, seu malitiam procurem non perseuerare in Religione, sed dimitti ex illa, non liberabor à voto Religionis.

17 Duodecimò, qui vovit ingredi Religionem, eamque ingreditur, & in ea professionem emittit, sed ob sua delicta postea dimittitur ex illa, tenetur se corrigens, si non ingreditur in aliam Religionem, saltem procurare, quod iterum admittatur in eandem Religionem, itavt aliter sic dimissus non sit tutus in conscientia; cùm votum adhuc permaneat, sicuti priùs: Ergo propter eandem rationem idem dicendum erit, si quis per fraudem vel malitiam extorqueat dimissionem è Religione; cùm similiter vota emissa priùs in Religione adhuc permaneant, etiam sicuti priùs.

18 Trigesimò, qui vovit ingredi Religionem, & postea petit pertinaciter à Pontifice, quod secum dispenset, itavt illum quodammodò cogat ad secum dispensandum in tali voto, non liberatur à voto Religionis: Ergo neque liberabitur religiosus, qui post vota emissa priùs in religione petit dimitti è religione, itavt sua pertinacia quodammodo etiam cogat superiorem, quod ipsum dimittat è religione.

19 Item qui per iniuriam, vel per fraudem petit à Pontifice liberationem à voto, non liberatur à voto: Ergo neque qui per iniuriam, vel per fraudem petit dimissionem à religione, liberabitur à votis emissis in religione.

20 Item qui similiter per iniuriam, vel per fraudem petit, vt liberetur ab aliquo iuramento, voto, promissione, vel obligatione, &c. non liberatur ab illis: Ergo neque religiosus, qui per iniuriam, vel per fraudem petit dimissionem è religione, liberabitur à votis emissis in religione.

21 Item qui fingendo se grauibus carnis stimulis vexari, neque eis resistere posse (cùm tamen totum in falsum) petit dimissionem è religione, non liberatur à votis emissis in religione, cùm non voluntariè Superior illum dimittat, sed per fraudem, seu malitiam: ergo neque qui prauè se gerendo in religione extorquet dimissionem è religione, liberabitur ab iisdem votis emissis in religione.

22 Item qui aliquid alicui promisit, & postea eum cogit, vt ipsi condonet quod promisit, non liberatur, vti *suprà* dicebam, à promissione: Ergo neque qui promisit Deo, & Prælato perseuerare, & postea cogit Prælatum, vt ipsum dimittat è religione, liberabitur à votis emissis in religione.

OBIECTIONES.

23 Obijcies: si superior in tali religione religiosum dimitteret sponte sua, religiosus ille ad nihil ampliùs teneretur, etiamsi nulla causa dimissionis subesset, idque ob tacitam conditionem, quæ voto ipsius subest: ergo similiter in casu nostro religiosus ad nihil amplius tenebitur, sed liber erit; cùm absolutè dimittatur à Superiore.

Respondetur, concedo antecedens: At nego consequentiam; & disparitas est; quia in casu nostro superior, licèt dimittat absolutè, non tamen dimittit omninò, & plenè liberè, sed quodammodo coactè; quæ autem vi, vel metu sunt facta, in irritum sunt reuocanda, & sic sunt rescindenda, ac si facta non fuissent, *cap.* 2. de iis quæ vi.

24 Obijcies 2. illud votum habebat tacitam conditionem, *si superior me retinere voluerit*: ergo si me retinere non voluerit, sed dimiserit, ad nihil ampliùs tenebor, sed liber ero: Antecedens patet. Consequentia probatur, quia non refert, ex quanam causa proueniat, quod non velit me retinere, quando reuera liberè dimittit.

Respondetur: concedo etiam antecedens: at nego etiam consequentiam: & disparitas similiter est, quia ideò in casu priori illa dimissio est valida, quia sponte est facta; tollitur enim illa conditio, quæ tacitè inerat omninò liberè. In posteriori autem conditio extorta est per iniuriam: Nego etiam probationem consequentiæ; quia quammaximè refert, à quanam causa proueniat consensus in omni contractu: nam si extorqueatur per iniuriam, contractus est irritus, vel irritabilis, seu in irritum reuocabilis; & qui extorsit, tenetur si alter velit, omnia reducere ad priorem statum. Neque etiam verum est, quod talis dimittatur omninò, & plenè liberè, seu ea libertate, quæ sufficiat vt actus sit omninò validus, reddatque ipsum securum in conscientia; sicuti patet in condonationibus simili modo extortis, & in eo, qui vrgente tempestate, proijcit merces suas in mare; cùm vtrobique, licèt adsit voluntas seu libertas, multùm tamen inuoluatur de inuoluntario.

Obijcies tertiò: Superior non vult talem religiosum retinere: ergo dimissio est valida.

25 Respondetur: distinguo antecedens. Non vult retinere plenè, & omninò liberè, nego: non vult retinere per iniuriam, vel fraudem quodammodo coactus, concedo: At nego consequentiam, quia tunc dimissio est valida, quando Superior vult plenè, & omninò liberè dimittere; non autem quando per iniuriam, vel fraudem aliquo modo cogitur: quemadmodum contractus rescindi potest, si rescissio fiat plenè, & omninò liberè: at secus si fiat per iniuriam, vel per fraudem; quia tunc rescissio non valet, vel saltem est in irritum reuocabilis. Ita dimissio erit in religioso valida, quando Superior illum plenè, & omninò liberè dimittit. At secus si per iniuriam, vel per fraudem quodammodo dimittere cogatur.

26 Instabis: Superior prædictum religiosum dimittit, itavt sit in posse ipsius Superioris eum dimittere, vel non dimittere: ergo dimittit liberè. Ergo dimissio est valida, atque adeò religiosus sic dimissus erit in conscientia tutus.

Respondetur iuxta quæ *suprà* dicebam, distinguo antecedens quoad ly, *itavt sit in posse ipsius Superioris eum dimittere, vel non dimittere*, plenè, & omninò liberè, seu ea libertate, quæ sufficiat ad reddendam dimissionem validam, nego antecedens. Non plenè, & non omninò liberè, sed sit per iniuriam, vel per fraudem quodammodo coactus, seu ea libertate, quæ non sufficiat ad reddendam dimissionem validam, concedo antecedens. Et eodem modo distinguo consequens. At nego vltimam consequentiam; & sic contingit in cæteris contractibus, quia si mihi debeas centum, & à me per iniuriam, vel per fraudem extorqueas, vt remittam tibi illa centum; quamvis liberè remittam, ea tamen libertas, quia non est

est plena) non sufficit, vt tu à priori debito liber sis, sed ad hoc vt sis liber, & in conscientia tutus, debes iterum à me petere, vt sponte, & omninò liberè tibi remittam illa centum; sic etiam contingit in casu nostro; quia si per iniuriam, vel per fraodem extorsisti dimissionem è Religione, debet à Superiore Religionis vt te (si re,vt iterum recipiaris,iudicet esse aptum) iterum recipiat, petere,& sic omnia ad priorem statum redigere.

27 Objicies quartò, Religio habet facultatem dimittendi Religiosum, qui malè se gerit in Religione: Ergo is,quamvis malè se gerat in Religione,erit liber à votis Religionis, & in conscientia tutus.

Respondetur: distinguo antecedens, itavt eum, qui malè se gerit in religione, dimittat eodem modo liberè, quo dimittat eum, qui est minùs aptus, seu minùs idoneus religioni, nego antecedens; itavt dimittat diuerso modo liberè, concedo antecedens; cùm in casu, quo dimittit eum, qui malè se gerit in religione, intercedat iniuria, vel fraus ex parte religiosi dimissi, etsi admisceatur quid de inuoluntario ex parte religionis dimittentis. Non sic in casu, quo dimittit eum, qui est minùs aptus, seu minùs idoneus re-

28 ligioni. Erit tamen religiosus liber à votis religionis, & in conscientia tutus quotiescumque humiliter proponeret Superiori, se magnam difficultatem habere quoad permanendum in religione, nec posse se facilè accommodare statui religionis; quamvis in superandis difficultatibus,& impedimentis,quæ sibi objiciuntur,moralem adhibeat diligentiam; quia tunc similiter abest ex parte religiosi dimissi omnis iniuria,seu fraus, & nihil inuoluitur de inuoluntario quoad dimissionem talis religiosi ex parte religionis dimittentis.

29 Objicies quintò, Romani Pontifices concedunt religioni, quod possit dimittere suos religiosos; voluntque, vt sic dimissi à votis religionis sint liberi, & in conscientia tuti: Ergo quamvis quis religiosus extorqueat dimissionem è religione, erit tamen adhuc à votis religionis liber, & in conscientia tutus.

Respondetur: Concedo partem priorem antecedentis: at distinguo partem posteriorem, *voluntque vt sic dimissi à votis religionis, sint liberi, & in conscientia tuti*: si sint dimissi plenè, seu omninò liberè (quo modo dimittuntur qui sunt minùs apti, seu minùs idonei religioni) concedo: si sint dimissi non plenè, seu non omninò liberè, quo modo dimittuntur qui sunt inobedienter, & proterui, & per iniuriam, vel per fraudem extorquent dimissionem è religione, nego.

30 Objicies sextò: etiam qui per iniuriam, vel per fraudem dimissionem è religione extorserunt, solent frequentare Sacramenta Confessionis, & Communionis,& à doctis Confessariis absolui: Ergo signum est, quod & isti etiam sint à votis religionis liberi, & in conscientia tuti.

Respondetur: Transeat antecedens. At distinguo consequens; si correcti priùs non petierint, vt iterum recipiantur ad religionem, nego: si correcti priùs petierint, vt iterum recipiantur ad religionem, concedo; quia si quis correctus priùs petierit, vt iterum recipiatur ad Religionem; & Superior iustis de causis eum non receperit, cùm tunc ipse fecerit quantum in se eft, vt iterum recipiatur ad Religionem, & per ipsum non steterit, erit quidem à votis Religionis liber,

31 & in conscientia tutus; & Generalis (penes quem solum est hæc potestas) censeretur in tali casu, quando scilicet sic dimissus, & postea correctus priùs, petit vt iterum recipiatur ad Religionem, regulam patitur à Prouinciali, eum omninò liberare à vinculis votorum Religionis; & hæc solet esse praxis in ista re,vt scilicet quando quis sic dimissus fecerit quantum in se est, vt iterum recipiatur, & tamen Prouincialis eum iterum non receperit, in tali casu Generalis omninò, & absolutè eum liberet à prædictis vinculis votorum religionis.

Petes: An si quis in Hospitali, vel in Monasterio 32 non solùm vovit obsequium, & famulatum, sed etiam continentiam perpetuam sub eadem tacita, vel expressa conditione, dimissione postea per iniuriam, vel fraudem extorta, teneantur adhuc voto castitatis?

Respondetur, quamvis probabile sit, talem non teneri immediatè huiusmodi voto; quia mens ipsius non videtur fuisse ad hanc se obstringere, nisi maneret in obsequium Hospitalis, vel Monasterij, non autem si contingeret quod exinde dimittatur, teneri tamen mediatè, quatenus obligatur se rursus exhibere, vt recipiatur ad præstandum seriò, & bona fide prædictum obsequium, & famulatum, quem promisit; cùm ibi receptus fuerit, rursus teneatur ex vi prioris voti: Probabile tamen sit etiam oppositum (teneri scilicet immediatè) quia conditio, sub qua promisit, non fuit sublata eo modo, quo tolli debuit, vt votum cessaret; cùm mens ipsius vouentis fuerit se obstringere, quamdiu superios ipsum sponte non dimitteret, seu quamdiu superior ipsum sponte retinere vellet. At nunc ipsum non dimittit sponte, sed ab ipsomet per iniuriam, vel fraudem quodammodò coactus, & adhuc, quantum est ex parte sua, ipsum retinere cupit: ergo conditio non est sublata eo modo, quo tolli debebat, atque adeò obligatio adhuc manet, sicut manebat priùs.

Hinc sequitur, quod si cùm ante dimissionem vo- 33 visset se v. g. quotidie recitaturum officium B. Virginis toto tempore, quo erit in Hospitali, vel Monasterio, dimissionem extorqueat, non liberetur ab illo debito, sed ex vi prioris voti de permanendo in Hospitali, vel Monasterio, quamdiu Superior ipsum sponte non dimitteret, seu quamdiu Superior ipsum sponte retinere vellet, teneatur immediatè, vel saltem mediatè (non secus ac si permaneret adhuc in Hospitali, vel Monasterio) quotidie recitare Officium B. Virginis; quemadmodum & idem officium B. Virginis quotidie recitare etiam teneretur, si capessisset fugam è Religione, propter eandem rationem.

SECTIO LII.

An Religiosus possit aliquando licitè transire ex vna Religione ad aliam; & quomodo? Vbi etiam quandonam possit reuocari, vel non reuocari ad Religionem priorem, ex qua transiit.

SVMMARIVM.

1 *Transitus de vna religione ad aliam, non subsistente magna causa, neque fieri, neque consuli debet, & ob præceptum Apostoli, & ob scandalum.*

2 *Transitus de vna religione ad aliam, subsistente legitima causa, licitè fit.*

3 *Constitutio Py V. edita anno 1569. qua statuitur, non posse recipi, neque retineri ab vlla religione religiosos alterius religionis, eò tendit, vt id fieri non possit solùm ex vi priuilegiorum aliquibus religionibus concessorum.*

4 *Transitus de vna religione ad aliam subsistit legitima causa. Primò si fiat non ex temeritate, animi leuitate, odio, ira, contemptu, vel quacumque alia animi perturbatione, sed affectu, & desiderio vitæ perfectioris, sitque etiam sine iactura religionis.*

5 Item

5 *Item secundò, si fiat petita licentia à superiore, ne obedientia contemni videatur; sufficitque quod sit petita, licèt non obtenta iniustè denegetur.*

6 *Superior peccat mortaliter, iniustè denegans huiusmodi licentiam.*

7 *In dubio, an superior licentiam transeundi ad aliam religionem iustè, vel iniustè deneget, standum est ipsius arbitrio.*

8 *Religiosus, qui ad aliam religionem transire desiderat, si ei facultas denegetur à superiore, poterit appellare ad superiorem alterius religionis, à quo res decernatur de Iure communi.*

9 *Carmelitarum Discalceatorum religio habet à Paulo V. priuilegium, vt sub excommunicatione ipso facto incurrenda transire non possit quis ex ipsa ad religionem etiam Carthusianam, nisi petita, & obtenta à superioribus licentia.*

10 *Transitus iste licitè fit, si ad religionem perfectiorem.*

11 *Item si non sit alicui à Sede Apostolica interdictus.*

12 *Transitus ad aliam religionem interdictus est religiosis, vt sunt Mendicantes, Trinitarij discalceati, Cistercienses, Patres è Societate Iesu, & Carmelita discalceati (excepta Carthusiana.)*

13 *Clerici Regulares Ministrantes infirmis prohibentur transire ad aliam religionem, etiam Carthusianam, sine speciali licentia Sedis Apostolica.*

14 *Item Capuccini prohibentur transire ad FF. Minimos.*

15 *Item discalceati S. Augustini ad calceatos eiusdem religionis, quin & ad quamcunque aliam laxiorem sine licentia speciali Sedis Apostolica.*

16 *Item Fratres B. Maria de Mercede prohibentur transire ad Mendicantes.*

17 *Item discalceati B. Maria de Mercede prohibentur transire ad calceatos.*

18 *Defectus primæ, & secunda conditionis ex assignatis, non irritat transitum ex vna religione ad aliam. Nec irritat professionem factam in posteriori religione, ad quam fit transitus, sed solùm reddit illam illicitam, saltem in Iure communi.*

19 *Defectus tertia conditionis, nisi adsit legitima dispensatio, quod scilicet transitus fiat ad æquè strictam, vel laxiorem, irritat transitum, & professionem factam in posteriori religione.*

20 *Defectus quarta conditionis aliquando irritat transitum, & professionem factam in posteriori religione, ad quam fit transitus, & aliquando solùm reddit illam illicitam.*

21 *Religiosus potest aliquando licitè transire de vna religione ad aliam, si scilicet fuerit melior, strictior, vel perfectior. Quod quidē probatur ex Iure, & ratione; quia ipsis licitè potest commutare votum in melius.*

22 *Id intellige non solū de religiosis promotis ad ordines, vel promouendis, sed etiam de Conuersis & Oblatis.*

23 *Religiosus ad religionem prædictam meliorem transiens debet priùs à superiore petere licentiam, quam si ipse iniustè denegauerit, poterit ipse, petita & non obtenta, ad illam transire.*

24 *Religiosus quod in dicto casu debeat petere licentiam à suo superiore, tenent Doctores.*

25 *Verbum, debet, significat aliquid faciendum esse non solùm ex debito honestatis, seu conuenientia; sed etiam ex debito præcepti, seu necessitatis.*

26 *Religiosus quod non debeat in dicto casu petere licentiam, non improbabiliter tenet S. Thom. Verbum enim debet, non semper importat necessitatem, sed conuenientiam.*

27 *Religiosus si non petita licentia à suo superiore ad arctiorem religionem transierit, potest ante professionem in hac arctiori religione emissam, ad laxiorem religionem, ex qua transiit, reuocari; contra Paludanum, & alios.*

28 *Religiosus prædictus non seruauit de facto ordinem præscriptum in Iure in faciendo talem transitum.*

29 *Religiosus prædictus, vt habetur* in cap. licèt, de Regularib. *reuocari non debet, si constiterit, quod ad religionem arctiorem bono zelo transiuerit, qui quidē zelus non præsumitur in non petente licentiam.*

30 *Inutilis censetur licèt sit cauendus; attamen quia potest esse, vt is, qui non petita licentia transit ad strictiorem, reuocatus à superiore, mutet propositum, & maneat in prima laxiore, non est frustra ista reuocatio.*

31 *Religiosus si transeat ad religionem strictiorem, in eaque emittat professionem non petita licentia, professio est valida; quia potest quis absque vlla licentia commutare votum in melius.*

32 *Textus* in cap. licèt, de Regular. *præscribit modum transeundi ad strictiorem, non tamen inualidat professionem iam emissam in strictiori, etiam sine licentia; quia in tali decreto nulla apposita fuit clausula irritans.*

33 *Pontifex prohibet in multis casibus fieri matrimonium, & tamen si vlterius non apponat Decretum irritans, matrimonium contra talem prohibitionem factum erit validum.*

34 *Qui non petita licentia, transit ad secundam religionem etiam strictiorem, potest ad primam laxiorem ante emissam professionem reuocari; at non post emissam professionem.*

35 *Religiosus potest propria auctoritate redire ad priorē religionem laxiorem in casu, quo non emiserit professionem in secunda strictiori; secus si emiserit.*

36 *Religiosus, qui non petita licentia transit ad strictiorem, licèt non possit præsumi transire malo zelo, quatenus etiam præsumatur; non tamen potest reuocari post emissam professionem, estque valida secunda professio; quia citatum* cap. licèt, de Regularibus, *nihil disponit de professione.*

37 *Religiosus, qui ad aliam religionem transiit legitimè, seu iustè, si ante professionem in ista posteriori factam redire velit ad priorem religionem, est in illa admittendus, quia adhuc manet cum vinculo prioris professionis.*

SVPPOSITA.

SVppono, quod non subsistente magna causa, transitus de vna Religione ad aliam neque fieri, neque consuli debeat: Tum ex illo 1. Corinth. 7. *Quisque in vocatione, qua vocatus est, permaneat:* Tum ex Patribus, Cassiano *collat.* 14. *cap.* 4. Basilio *constit. Monast. c.* 34. Bernardo *in epist.* 1. *ad Robertum,* & aliis: Tum ex eo, quia tali transitu sæpè sæpiùs inquietudo, murmuratio, scandalum, & infamia Religiosorum sequi solet. S. Thomas 2. 2. *q.* 189. *art.* 8. & alij, quos sequitur Suarez 4. *tom. de Relig. lib.* 3. *c.* 9. 1

Suppono 1. quod subsistētē legitima causa, prædictus transitus licitè fiat: quod mox infrà etiam probabo. 2

Non obstat Constitutio Pij V. anno 1569. quæ incipit, *quæcumque sacrarum,* vbi statuit Pontifex, quod non possint recipi, neque retineri ab vlla Religione Religiosi alterius Religionis, sed remitti debeant ad proprias Religiones. 3

Respondetur enim, quod mens Pontificis ibi (sicuti constat ex contextu) sit solùm, id fieri non posse ex vi facultatum, vel priuilegiorum aliquibus Religionibus concessorum, Nauarr. *lib.* 3. *consil. tit. de Regul. cons.* 88. & alij, quos sequitur Suarez *vbi suprà*, *c.* 12.

Suppono 3. quod subsistat prædicti transitus legitima causa.

Primò, si is fiat non ex temeritate, animi leuitate, odio, ira, contemptu, vel quacumque alia animi perturbatione, sed affectu & desiderio vitæ perfectioris, fiatque etiam sine iactura, vel detrimento Religionis, à qua fit transitus, *cap. licèt, de Regularib.* & docent præter alios Syluester *verb. Religio* 4. *q.* 1. S. Antonin. 3. *part. tom.* 1. *cap.* 4. Bonacina *de clausura, q.* 1. *punct.* 9. §. 3. 4

§.3. diff.2. num.1. & Pottel. *in dub.regular. verb.Religionis transitus, n.6.*

Vnde si qui transit, sit vir insignis, vel valdè doctus, vel in aliqua re magnæ æstimationis, non videtur posse licitè transire; quia talis transitus infert magnam iacturam, & detrimentum religioni, de qua transit. DD. quos sequitur Portellus *vbi suprà*; & quamvis defectus huius conditionis, vt dicam infrà, non irritet transitũ, & Professionem, quæ fit in Religione, ad quam est transitus; hoc tamen non obstante Religio, de qua transiit, habet ius repetendi prædictum Religiosum, qui cum notabili iactura, & detrimento prædictæ Religionis ad aliam transiit; quia sic colligitur *ex cit.cap. licet.* Tum quia religioni, quotiescumque læsa fuerit, competit ius petendi restitutionem in integrum, *C.de in integr.restit.* Angelus, Syluester, S.Antoninus, Tabiena, & alij, quos sequitur Sanch. *lib.6.moral.c.7.n.11. & q.2.* & Bonac. *loc. supr. cit.* Excipe, si culpa Religionis, de qua fit transitus, vt si v.g. in ipsa sint malè morigerati Religiosi, fiat talis transitus; quia tunc sibi prædicta Religio imputare debet iacturam, & detrimentum, quod patitur ob prædictum transitum. DD. quos sequitur Sanchez *vbi suprà, n.11.*

5 Secundò, si is fiat petita licentia à superiore, *cit. cap.15. licet*; scilicet obedientia contemni videatur. Nauarr. *vbi suprà, cons.52.* & Abulensis *c.3. Num.q.53.* Quamvis sufficiat, quod licentia sit petita, tametsi non obtenta, quando iniustè illam denegat superior, *eod.c.licèt*, & docet præter alios Rodrig. *3.tom. quæst. Regular. q.52. art.3.* Sylvest. *verb. Religio 4. q.1. notab.5.* Vechius *in praxi Nouit. disp.15. dub.2.* Barb. *de iur. Ecclesi. lib.1.c.42. n.69. & seqq.* & Miranda *in Manuali, tom.1. q.31.art.6.* qui subdunt, quod quando iniustè illam denegat superior, mortaliter peccet,
6 Argum. *cap.licèt quibusdam, de Regularib.* ibi: *Prælatus subdito sine difficultate, & prauitate qualibet debet transeundi licentiã indulgere, ne videatur propositum im-*
7 *pedire diuinitus inspiratum.* In dubio tamen vtrum iustè, an iniustè deneget, standum erit Iudicio superioris: Caiet. *2.2. q.189. art.8.* & alij, quos sequitur
8 Sanch. *lib.6. moral.c.5. n.16.* Poterit tamen tunc Religiosus, qui ad aliam Religionem transire desiderat, appellare ad alium superiorem, à quo res decernatur: Syluester. *vbi suprà, q.1.* & alij, quos sequitur Azor.
9 *tom.1. Instit.moral.lib.12.c.14.q.5.* Quod tamen intellige de iure communi: Quia Religio Carmelitarum discalceatorum habet à Paulo V. priuilegium anno 1610. concessum, vt sub excommunicatione ipso facto incurrenda transire non possit quis ex ipsa ad Religionem etiam Carthusianam, nisi petita, & obtenta à superioribus licentia.

10 Tertiò, si is fiat ad Religionem perfectiorem, *cit. cap. licèt, de Regularib.* Quid autem intelligatur per Religionem perfectiorem, dicam *infrà, sect.60.*

11 Quartò, si is non sit alicui à Sede Apostolica interdictus: quia quamvis si seruentur tres conditiones, quas suprà dicebam, licitum sit omnibus Religiosis ad Religionem perfectiorem transire, sunt tamen specialia quædam iura, seu priuilegia quibusdam Religionibus concessa, quæ talem transitum ex eis ad alias, etiam perfectiores Religiones interdicunt, iuxta ea quæ dicam *infrà, sect.62.64.& 65.*

12 Pro nunc autem breuiter Religiosi, quibus interdictus est transitus ad aliam Religionem (excepta Carthusiana) sunt Mendicantes, Trinitarij Discalceati, Cistercienses, Patres è Societate Iesu, & Carmelitæ Discalceati.

13 Item Clerici Regulares Ministrantes Infirmis prohibentur à Paulo V. in Bulla *Romanum, tom.3. Bullarij inter Bullas Pauli V. n.29.* transire sine speciali licentia Sedis Apostolicæ, etiam ad Carthusianos.

14 Item Capuccini prohibentur à Pio V. & Gregorio XIII. transire ad Fratres Minimos.

Item Discalceati Sancti Augustini prohibentur à Clem.VIII. transire ad Calceatos eiusdem Religionis, quin & ad quamcunque aliam Religionem laxiorem, sine speciali licentia similiter Sedis Apostolicæ. 16

Item Fratres Religionis B. Mariæ de Mercede prohibentur à Calixto III. transire ad Mendicantes.

Item Discalceati huius Religionis prohibentur ab 17
Vrbano VIII. transire ad Calceatos. Videantur quæ dicam *infrà cit. sect.62. 64. & 65.* Videantur etiam Sotbus *in addit. ad compend. Priuil. Mendicant. verb. Recipere*, Barbosa *in collectaneis Bullar. verb. Transitus Religionis, & de Iure Ecclesiast. lib.1. cap.42. n.43. & seqq.* Peyrin. *tom.3. Priuileg. Minim.c.12.in constit.11. & 21. Vrbani VIII.* Bordon. *resol.29. n.17. & seqq.* Tambur. *de Iur. Abbat. tom.3. disp.7. quæsito 2.* Thesaur. *in Praxi, p.2. verb. Religionis, c.4.n.4. & seqq.* & Nouarius *in lucerna Regular. verb. Translatio, n.9. & seqq.*

Quomodo autem intelligenda sint hæc, & similia priuilegia prohibentia talem transitum, & an non obstantibus huiusmodi priuilegiis permitti possit prædictus transitus. Videantur quæ dicam *infrà, sect.58. & 59.* Videantur etiam Vechius *in Praxi Nouit. disput.15. dub.3.* & Barbosa *de Iur. Ecclesiast. loco suprà cit. num.51.*

Vbi aduerte, quod ex conditionibus assignatis, pri- 18
mæ & secundæ defectus non irritet transitum ex vna Religione ad aliam, nec irritet professionem factam in posteriori Religione, ad quam fit transitus, sed solùm reddat illam illicitam, saltem stando in Iure communi; quia vt omittam, quod cùm non sint contra substantiam transitus, & professionis prædictæ, non debent irritare transitum, & professionem prædictam, in Iuribus adductis nullũ fundamentum est irritationis, cùm non apponantur ibi prædictæ conditiones vt forma seruandæ, sed vt modus ex Ecclesiæ præcepto requisitus: cùm igitur aliàs ex Iure naturæ non sit irritus talis transitus, neque sit irrita talis professio, quia est de meliori bono, scilicet de Religione imperfectiori ad perfectiorem, vti suppono, non est irrita professio. Suarez *tom.4. de religionibus, lib.3.c.10. n.22.* Bonacina *de clausura, q.1. punct.9. §.3. diff.2. n.4.* & Bordonus *resol.29.n.48.* Vide etiam *quæ dicam mox infrà, corollar.2.* quidquid in contrarium sentire videatur Thesaurus *in praxi, part.2. verb. Religiosus, c.40. num.2.*

Defectus tamen 3. conditionis, nisi adsit legitima 19
dispensatio, quod scilicet transitus fiat ad æquè strictam vel laxiorem Religionem, iuxta ea quæ dicam *infrà, sect.58. & 59.* irritat transitum, & professionem factam in posteriori Religione, ad quam fit transitus; quia transitus ad Religionem non perfectiorem, cùm non sit de maiori bono, & aliàs sit ex natura sua contra priorem professionem, per quam Religiosus, & obligatus priori Religioni, in qua est professus, nullo Iure est permissus; & Religiosus sui Iuris non est, vt validè possit in prioris Professionis, & Iuris per talem professionem priori Religioni acquisiti præiudicium profiteri in alia Religione æquè stricta, vel laxiori. DD. quos sequitur Sanchez *lib.6.moral.c.7. n.93.*

Defectus autem quartæ conditionis aliquando irri- 20
tat transitum, & professionem factam in posteriori Religione, ad quam fit transitus: aliquando verò solùm reddit illam illicitam; quia in Priuilegiis, quæ quibusdam Religionibus concessa sunt, ne ex eis fiat transitus ad alias, etiam perfectiores Religiones, aliquando apponuntur verba irritantia. Aliquando autem apponuntur verba solùm prohibentia: pro quo extat notabile priuilegium Innocentij VI. in fauorem Fratrum Seruitarum, in Annalibus Religionis eorum, *centur.2. lib.2. cap.5.* Quapropter quoad hoc spectanda erunt verba prædictorum Priuilegiorum, sicuti rectè præter alios adnotauit Sanchez *vbi suprà, num.88.* His suppositis sit,

Dubita

Dubitationis Resolutio.

21 Respondetur, quod Religiosus possit aliquando licitè transire ex vna Religione ad aliam, si scilicet fuerit strictior, vel perfectior, seruatis etiam tribus aliis conditionibus, quas *suprà in tertio supposito* dicebam. Est sententia communis Doctorum.

Probatur primò authoritate ex textu *in cap. licèt, cap. non est, cap. sanè, cap. significatum, de Regularibus, cap. statuimus, & cap. mandamus*, 19. *quæst*. 3. vbi id ipsum habetur expressè.

Secundò ratione, quia licitè potest quis commutare votum in melius, vti habetur *in cap. Peruenit* 2. *de iureiur.* ibi: [Promissum non infringit, qui illud in melius commutat.] Et *cap. Scriptura, de voto*, ibi: [Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur Religionis obseruantiam commutare.] Vbi & ipsa hæc ratio redditur, quod scilicet commutatio fiat in melius. Et tradunt Maior *in* 4. *dist*. 38. *quæst*. 3. Caietanus 2. 2. *quæst*. 88. *art*. 12. Valentia *ibidem, disp*. 6. *q*. 6. *punct*. 7. *vers. Hac ipsa ratione*, Sanchez *lib*. 6. *moral. cap*. 7. *numero* 2. *&* 3. Nauarrus *in summa, cap*. 12. *numero* 75. Suarez *tom*. 2. *de religione, tract. de voto, lib*. 6. *cap*. 18. *numero* 4. & alij passim: ergo licitè etiam potest commutare vnam Religionem in aliam, scilicet strictiorem, vel perfectiorem.

22 Vbi aduerte, quod id intelligendum sit non solùm de Religiosis promotis, vel promouendis ad Ordines, sed etiam de Conuersis, & Oblatis. Felinus *cap. in præsentia, de probation. num*. 47. Tapia *in Authent. Ingressi, Cod. de Sacrosanct. Eccles. verb. sua, cap*. 6. *numero* 57. & complures alij. Idque ob eandem rationem iam dictam. Quidquid in contrarium dixerint Barbatia *citato cap. in præsentia, numero* 18. Angelus *verbo Monachus, n*. 1. & Tabiena *eodem verbo, numero etiam primo.*

23 Aduerte secundò, quod Religiosus ad Religionem prædictam meliorem transiens, necessariò debeat priùs à superiore petere licentiam, quam si is iniustè denegauerit, poterit ipse, petita, & non obtenta, ad illam transire, *dicto cap. licèt, de Regularibus*, & ibi communiter Canonistæ.

24 Quod autem Religiosus in dicto casu necessariò debeat priùs à superiore petere licentiam, tenent Abbas *in eodem cap. licèt, num*. 10. Ioan. Andreas *num*. 5. Cardinalis *num*. 1. & Nauarrus *cons*. 52. *de Regularib.* Quia *in dicto cap. licèt*, expressè dicitur, quod subditus, si transire velit ad Religionem strictiorem, seu
25 arctiorem, petere debeat licentiam. At verbum *debet*, significat, aliquid faciendum esse non solùm ex debito honestatis, seu conuenientiæ, sed etiam ex debito præcepti, seu necessitatis, *ex cap. oblati, de appellat. cap. vt fame, §. Respondemus, de sentent. excommunic. cap. si Episcop*. 11. *q*. 3. *l*. 1. *§. qui magistratum, ff. quod quisque Iuris*, & *l. Prætor, in princ. ff. de edendo*, & tradunt Glossa *in Clement*. 2. *de statu Monachorum, verb. debent*, Seraphin. *decis*. 335. *in principio*, Hippolytus *consil*. 60. *num*. 4. Menoch. *de præsumpt. lib*. 5. *q*. 47. *n*. 9. Seraphinus *de Priuileg. Iurament. priuileg*. 33. *n*. 70. Tabiena *verbo lex, quæst*. 28. *num*. 29. Felinus *in cap. Nam concupiscentiam, de constit. num*. 6. Ioseph de Sesse *decis*. 230. *n*. 15. Vasquez *p*. 2. *disp*. 158. *c*. 3. *n*. 21. Bobadilla *in Politica, lib*. 1. *cap*. 12. *num*. 40. Azor. *tom*. 1. *Institut. moral. lib*. 5. *cap*. 6. Rodericus *tom*. 3. *quæstion. Regular. quæstione* 47. *art*. 4. Tuschus *tom*. 2. *lit. D, conclus*. 32. *numero* 2. *&* *conclus*. 262. *num*. 1. & Rota Bononiensis *diuersor. decis*. 8. *numero* 21. Ergo, &c.

26 Quamvis contrarium non improbabiliter teneant S. Thom. 2. 2. *quæst*. 189. *art*. 8. *in corpore*, Caietanus *ibidem*: Et colligitur *ex cap. licèt, de Regularib.* & ex Glossa, ibi: *verbo sufficit, in fine.* Et quidem, quod verbum *debet*, non semper importet præceptum, seu necessitatem, sed aliquando solùm decentiam, conuenientiam, seu vrbanitatem, docent Glossa *in l*. 3. *Cod. de Pignoribus, verbo debent*, Tuschus *in citata concl*. 32. *numero* 3. Gratian. *tom*. 1. *discept. cap*. 146. *num*. 19. & Burgos de Paz *consil*. 46. *numero* 3. & satis colligitur etiam *ex l. Non solent, §*. 1. *ff. de nou. oper. nunciat.*

Hinc sequitur, quod si Religiosus, non petita licentia à Superiore, ad arctiorem Religionem transiuerit, possit ante professionem in hac arctiori Religione emissam, ad laxiorem Religionem, ex qua transiit, reuocari. Et tenent Maior *in* 4. *distinct*. 38. *quæst*. 21. Hostiensis *in cap. licèt, de Regularibus, num*. 9. *&* 15. Antoninus *ibidem, numero* 13. Abbas *numero* 6. *& consil*. 95. *num*. 2. Ioan. Andreas *in cap. licèt, de Regularibus*, Rosella *verbo Religio* 4. *numero* 4. *&* 6. Lessius *de Iustit. & Iure, cap*. 41. *dub*. 13. *numero* 101. Romanus *consil*. 341. *num*. 3. *& sequentibus*, Nauarrus *consil*. 52. *de Regularibus, numero* 2. & alij, quos sequitur Azorius *tom*. 1. *Instit. moral. lib*. 12. *cap*. 40. *quæstione* 6. quibus fauet declaratio Sacræ Congregationis apud Barbosam *de Iure Ecclesiast. lib*. 1. *cap*. 42. *num*. 43. Quamvis contrarium sentiant Paludanus *in* 4. *dist*. 38. *q*. 4. *art*. 4. *n*. 43. Syluester *verbo Religio* 4. *q*. 1. *notab*. 4. & alij quos sequitur S. Anton. 2. *part. tit*. 11. *c*. 2. *§*. 9. *vers. hæc autem videtur.* 27

Probatur, quia talis religiosus Ordinem in Iure præscriptum (scilicet quod talem transitum non faciat, nisi priùs licentiam à superiore petierit) quem ordinem seruare debebat, de facto non seruauit. 28

Confirmatur, quia *in d. cap. licèt*, habetur quod prædictus religiosus reuocari non debeat, si constiterit, quod ad religionem arctiorem bono zelo transiuerit. At qui transiit non petita licentia, ex probabili sententia Hostiensis *in sum. tit. de regular. n*. 7. Abbatis *in dicto cap. licèt, n*. 10. Henrici *n*. 8. Astensis *in sum. part*. 1. *lib*. 1. *tit*. 20. *art*. 10. *q*. 1. *circa fin.* & aliorum censetur transiisse non bono zelo, sed ex leuitate vel temeritate quadam: Ergo ad priorem religionem laxiorem, ex qua transiit, reuocari potest. 29

Dixi, quod qui transiit ad religionem strictiorem, non petita licentia, censeatur non bono zelo, sed ex leuitate, vel temeritate quadam transiisse, ex probabili sententia Hostiensis, Abbatis, Henrici, Astensis, & aliorum; quia contrarium satis probabiliter etiam tenent alij, sicuti infrà patebit ex iis, quæ dicam Corollario sequenti, in responsione ad primum Argumentum.

Objicies fundamentum aduersariorum: si prædictus religiosus reuocetur ad priorem religionem laxiorem, ex qua transiit, poterit postea, petita licentia, etiamsi superior illam ipsi denegauerit, iterum redire ad posteriorem religionem arctiorem, ad quam transierat: Ergo frustra reuocatur. 30

Respondetur, concedo antecedens: at nego consequentiam; quia interim fieri potest, quod mutet sententiam, & permaneat in sua priori religione laxiore, ex qua transiit.

Sequitur secundò, quod è contra, si religiosus, non petita licentia, transiens ad aliam religionem arctiorem, in eaque emittat professionem, talis professio sit valida, & consequenter huiusmodi professus non possit ad priorem religionem laxiorem reuocari. S. Antoninus *in summa, part*. 3. *tit*. 16. *cap*. 4. *circa medium, vers. quod si etiam*, Bonacina *de clausura, quæst*. 1. *punct*. 9. *§*. 3. *diff*. 1. Turrecremata *in cap*. 1. *numero* 219. *quæst*. 3. & alij, quamvis contrarium sentire videantur Abbas *lib*. 1. *consil*. 95. *numero* 2. Rosella *verbo Religio* 4. *numero* 6. Sanchez *lib*. 6. *moral. cap*. 7. *numero* 21. Mandozius ad Lapum, 31

*alleg.*61. in casu, quo Religiosus transierit ad Religionem strictiorem non bono zelo, sed ex leuitate, vel temeritate quadam.

Probatur, quia potest quis absque vlla alia licentia vel dispensatione commutare votum in melius, itavt sit valida commutatio huius voti, vt habetur *in cap. peruenit 2. de iureiur. & cap. scriptura, de voto*: Quod non solùm est verum in voto simplici, sed etiam in voto solemni. Caietan. 2. 2. *q.*88. *art.*12. *circa principium, vers. Ad huius euidentiam*, & Carolus Tapia *in Auth. ingressi, cap.*9. *n.*59. & rectè, quia vtrobique videtur esse eadem ratio: ergo poterit similiter Religiosus absque vlla alia licentia, vel dispensatione commutare Religionem laxiorem in arctiorem, itavt similiter sit valida commutatio huius laxioris Religionis.

32 Objicies: *In cap. licèt, de Regularib.* habetur, quod de tali transitu petenda sit licentia Superioris: Ergo si Religiosus transiens illam non petat, quamvis emittat professionem in Religione strictiori, professio ipsius, tanquam contra Canones facta, erit inualida.

Resp. vt omittam, S. Thomam 2.2. *q.*189. *art.*8. *in corpore*, & alios sentire, talem licentiam esse petendam solùm ex humilitate, & propter bonum obedientiæ, ne Religiosus videatur illam contemnere, sicuti habetur *in d. c. licèt, de Regularib.* cùm nihilominus adhuc præsumendum sit, quod talis transitus fiat instinctu Spiritus sancti, ex Glossa *in d. c. licèt, verbo sufficit, in fine*, & ex Caietano *loco suprà cit.* nego consequentiam. Quia quamvis in eo textu habeatur, quod de tali transitu petenda sit licentia superioris, id fit quatenus præscribitur modus, qui debet in hoc transitu seruari. Non tamen vlteriùs propterea disponitur, quod qui talem modum non seruauerit, & in Religione strictiori, ad quam transiit, professionem emiserit, reddatur talis Religiosi professio inualida, iuxta ea quæ dicebam *suprà, in suppositis*.

Et quidem, quod quotiescumque lex præcipit, vt aliquid fiat, vel prohibet ne fiat (si præterea non addat Decretum irritans, si scilicet secus fiat) non ideò illud sit inualidum, tradunt Glossa *in Clem.* 1. *de iurepatronat. verbo inhibentes*, Imola *ibid. n.*3. *& seqq.* Abbas *lib.*5. *consil.*91. *n.*6. *vers. Ad prædicta induco*, Anch. *in c. statutum, §. finali, de rescript. in* 6. Felin. *in c.* 2. *n.* 2. *&* 3. *de iudiciis, & in c. ex parte, limit.* 5. *n.* 10. *de constitut.* Salas *de legibus, q.*96. *tract.*14. *disp.*16. *sect.*8. *n.*33. Suarez *de legib. lib.*5. *c.*31. *n.*10. & alij passim: Ergo licet minùs rectè fecerit Religiosus si transeundo ad Religionem strictiorem non petierit licentiam, non tamen propterea professio ipsius erit inualida; cùm multa facta teneant, quæ fieri prohibentur, *cap. ad Apostolicam, de Regularibus*.

33 Quod inde etiam patet; quia in multis casibus Pontifex prohibet fieri matrimonium, & tamen si vlterius non apponat decretum irritans, matrimonium contra talem prohibitionem factum erit validum, vt patet in matrimonij impedimentis impedientibus tantùm, & non irritantibus: Innoc. *in cap. penult. de desponsat. impuber. circa finem*, Alexander *ibid. n.* 21. Palud. *in* 4. *dist.* 34. *q.* 1. *art.* 1. *n.* 10. Ricardus *ibid. dist.* 32. *art.* 5. *q.* 2. *circa finem*. Syluester *verb. Matrimonium* 7. *q.* 1. *dicto* 3. S. Anton. 3. *p. tit.* 1. *cap.* 16. *in princ.* Turrecr. *in cap. non oportet* 1. 33. *quæst.* 4. *num.* 2. *ad* 3. & alij communiter.

34 Objicies 2. qui non petita licentia transit ad secundam Religionem, etiam strictiorem, potest sicuti *suprà* dicebam *corollario* 1. ad primam Religionem laxiorem antè emissam Professionem reuocari: Ergo etiam post emissam.

Respondetur: Nego consequentiam. Quia transitus non est absolutè perfectus, neque Religionis commutatio est absolutè facta, itavt possideat secunda Religio strictior ante emissam professionem. Secus autem post emissam dictam professionem.

Objicies 3. Religiosus potest propria authoritate redire ad priorem Religionem laxiorem, *c. mandamus*, 19. *q.* 3. *& cap. intelleximus, de ætate & qualitate*, ibi: *Ad primam domum redire curasse*. Ergo. 35

Respondetur: Iura hæc intelligi, casu quo Religiosus non emiserit Professionem in secunda Religione strictiori, secus si emiserit.

Instabis: Qui non petit licentiam, quod possit transire ad aliam Religionem strictiorem, præsumitur malo zelo transire ad eam: Ergo poterit reuocari ad Religionem priorem, etiam post professionem emissam in Religione posteriori. 36

Respondetur: vt omittam, Sanctum Thomam, & alios negare antecedens, iuxta ea quæ dicebam in Responsione ad primum argumentum, nego consequentiam; quia *in cap. licèt, de regularib.* nihil de nouo disponitur de valore professionis, sed solùm præscribitur modus ei, qui à Iure naturali, & positiuo facultatem habet transeundi ad strictiorem Religionem, scilicet quod is debeat petere licentiam à Superiore Religionis; cùm tamen ibi vlteriùs non dicatur, quod professio talis Religiosi sit inualida, si prædictam licentiam à Superiore Religionis non petierit.

Sequitur tertiò, quod Religiosus, qui ad aliam Religionem transiit legitimè, seu iustè, si ante professionem in ista posteriori factam redire velit ad priorem Religionem, sit in illa admittendus, quia adhuc manet cum vinculo professionis factæ in priori Religione, à qua discessit, & adhuc est membrum illius. Syluester *verb. Religio, quæst.* 5. & alij communiter, quos sequitur Azor. *tom.* 1. *Institut. moral. lib.* 12. *cap.* 14. *quæst.* 11. Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 7. *n.* 105. & Bordonus *resolut.* 59. *num.* 57. Idemque dicendum, si transiit ad aliam Religionem illegitimè, seu iniustè, propter eandem, quinimò propter maiorem rationem. Sanchez *ibidem*.

SECTIO LIII.

In quanam Religione Religiosus, si non petita licentia transierit ad aliam Religionem, & interim oriatur lis, apud quamnam Religionem esse teneatur, in tali casu, lite pendente, permanere debeat?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, si non petita licentia transierit ad aliam religionem, & interim oriatur lis, apud quamnam religionem esse teneatur, lite pendente permanere debet in posteriori religione.*

2 *Prior religio ad religiosum recuperandum triplicem habet actionem, & quænam sint.*

3 *Religiosus est liber à priori religione, quando bono zelo transierit ad aliam strictiorem, & in ea professus fuerit.*

4 *Professio prioris religionis licèt sit antiquior, attamen non est manutenibilis, quando religiosus professus est in secunda strictiori, maximè quia non recuperauerit intra annum.*

5 *Religio laxior non præsumitur ignorasse, quod religiosus transierit ad strictiorem; sed tantummodò præsumitur in ea quadam negligentia intercessisse.*

6 *Regula, quod nemo ex culpa sua debeat commodum reportare, fallit in multis, & præsertim quando culpa interuenit ex vtraque parte, prout in casu præsenti.*

7 *Religio secunda non est de facto spolianda sua possessione, licèt prior probet suam antiquiorem, & legitimam; quia potiùs fauendum est strictiori, & arctiori, quàm laxiori.*

Respondetur

1 Respondetur: In posteriori, Hostiensis *in c. licèt, de regularib. num.* 16. Abbas *ibid. circa fin.* Ioan. Andreas *num.* 11. & alij; quamvis contrarium satis probabiliter etiam teneant Innocent. *in dicto c. licèt, n.* 4. Ancharanus *ibid. num. penult.* & Cardinalis *n.* 2. *quæst.* 13.

2 Probatur, quia prior Religio ad Religiosum recuperandum triplicem habet actionem, scilicet rei vendicationem, ea communi sententia Doctorum: 2. condictionem, *ex c. statuimus,* 19. q. 3. 3. officium Iudicis, ex Innocentio *in citato cap. licèt,* Butrio *ibid. n.* 9. Hostiensi *n.* 16. Cardinali *n.* 3. q. 14. Abbate *n. vlt.* & aliis passim, quæ omnes actiones sunt petitoriæ, & non possessoriæ: ergo non potest in tali casu Religiosus, lite pendente, cogi quod redeat ad priorem Religionem; cùm is cui competunt remedia petitoria ad aliquid recuperandum, non habeat ius, vt illa res, de qua vertitur controuersia, maneat apud ipsum Actorem.

3 Confirmatur, quia Religiosus dicit, quod sit liber à priori Religione, quodque bono zelo transierit ad aliam posteriorem Religionem strictiorem: Ergo non potest cogi ad redeundum in priorem Religionem. Quapropter si vtraque Religio ageret, & Religiosum illum ad se pertinere prætenderet, in tali casu manutentio dari debet possessori, sicuti colligitur ex doctrina Bart. *in l.* 1. §. *huius autem Interdicti, ff. vti possidet. n.* 3. Goffr. *de libellis, tit. de action. in rem. praeindicand.* qua quæritur, an aliquis habeat filium in potestate, & aliorum complurium Doctorum.

Objicies ex aduersatiis: Possessio prioris Religionis est antiquior: Ergo manutentio debetur priori Religioni, iuxta Textum *in §. hodie, Instit. de interdict.*

4 Respondetur: Nego consequentiam; quia cùm Religiosus emiserit professionem in secunda Religione strictiori, prima Religio laxior, cùm illius Religiosi recuperationem per anni spatium non curauerit, censetur in tali casu, quamvis non interuenerit decennium, quod aliàs requireretur *ex l. Adeò, §. si fortè, ff. de acquirend. possess.* amisisse possessionem: sic DD. quos sequitur Aymon *consil.* 265. Quapropter manutentio non debetur primæ Religioni laxiori.

5 Instabis: Prima Religio laxior potuit ignorare, quod ille transierit ad aliam Religionem: Ergo non est dicendum, quod amiserit sui Religiosi possessionem.

Respondetur, distinguo antecedens: Potuit ignorare, ita vt interim præsumatur, quod id non ignorauerit, sed quod per negligentiam, vel alias causas illius recuperationem non curauerit, præsertim cùm Superiores Religionum teneantur suos Religiosos fugitiuos perquirere, *cap. finali, de Regularibus,* & Doctores, quos sequitur Rodericus *tom.* 1. *quæst. Regular. q.* 30. *art.* 5. concedo antecedens: Potuit ignorare, ita vt interim non ita præsumatur, sed oppositum, nego antecedens: cum igitur in recuperatione Religiosi prima Religio fuerit negligens, manutentio debetur secundæ Religioni.

6 Objicies secundò: Superior Religionis, ad quam Religiosus transiit, non debebat talem Religiosum admittere sine literis dimissoriis Superioris alterius Religionis, *cap. statuimus,* 19. *quæst.* 3. & tenent Hostiensis *in d. cap. licèt, de regularibus, num.* 17. Ioan. Andr. *ibidem, n.* 13. & alij passim: Ergo recipiendo culpauit, atque adeò propter culpam non debet lucrum reportare, sed debet in pœnam tali Religioso priuari.

Respondetur: distinguo primum consequens: *Erga recipiendo culpauit,* ita vt etiam culpauerit Superior primæ Religionis, cùm illius Religiosi recuperationem non curauerit, concedo. Ita vt etiam non culpauerit prædictus Superior primæ Religionis, nego. Regula autem illa, quod nemo ex culpa sua debeat lucrum reportare, fallit in multis. Præsertim si cul-

pa etiam ex altera parte intercedat, vt ex dictis contingit in casu nostro.

7 Objicies tertiò: Prima religio erat in legitima possessione illius religiosi propter in ipsa professionem emissam: Ergo non debet illo spoliari.

Respondetur: Nego consequentiam; quia cùm nunc possessio de facto sit penes secundam Religionem, licèt quid de Iure dubitetur, non est hæc secunda Religio spolianda tali Religioso. Præsertim, quia potiùs perfectiori, & arctiori, quam laxiori fauendum est Religioni.

SECTIO LIV.

An aliquando Religiosus transire non possit ad aliam Religionem, quamvis strictiorem?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus aliquando transire non potest ad aliam religionem, quamvis strictiorem, ex communi Doctorum sententia.*

2 *Religiosus primò transire non potest ad strictiorem, quando prior religio ob hunc transitum infamiam, vel damnum magnum pateretur.*

3 *Religiosus secundò transire non potest, quando dubitatur, an religio, ad quam transire cupit, sit arctior sua religione; quia tunc in dubio melior est conditio religionis possidentis.*

4 *Religiosus tertiò transire non potest, quando petita licentia dubitatur, vtrùm bono, an malo animo moueatur ad transeundum in aliam religionem.*

5 *Religiosus quando asserit, id facere studio maioris perfectionis, & ratio euidens, vel ferè euidens non est in contrarium, eius verbis standum est.*

6 *Religiosus transire non potest ad religionem strictiorem, quando religio, de qua transit, habet perfectiorem finem, & media proportionata ad talem finem: Transitus enim fieri debet propter maiorem gloriam Dei, & maiorem perfectionem religiosorum, quæ reperiuntur in fine perfectiori.*

7 *Religiosus transire non potest ad religionem strictiorem, quando religio, de qua transit, habet priuilegium, vt ex ipsa non fiat transitus.*

8 *Religiosus transire non potest ad religionem strictiorem, quando religio, ad quam transit, est strictior quoad primam Institutionem, & regulam; non tamen quoad præsentem obseruantiam, & modum.*

9 *Transitus seruatis seruandis licitus est, quando aliqua religio in se perfectior, vel strictior relaxata est, etiam ad minùs perfectam, & minùs strictam.*

10 *Religiosus transire non potest ad religionem strictiorem, quando strictiorem hanc religionem paratam non habet, vt ab ipsa statim recipiatur, ne propterea occasionem habeat vagandi.*

Respondetur affirmatiuè: est communis sententia 1 Doctorum.

Primò transire non potest, quando prior Religio ob hunc transitum infamiam, vel damnum magnum pateretur. Adeò quod in tali casu si transiret, reuocari posset ad priorem Religionem. Ioannes Andreas *in cap. licèt, de regularib. n.* 22. Ancharan. *ibid. n.* 117. Henricus *num.* 7. & complures alij Canonistæ, Syluester *verbo Religio* 4. q. 1. *circa finem,* S. Antoninus 3. *p. tit.* 1. *cap.* 4. *in principio.* Et constat *ex dicto cap. licèt.* Et ratio est, quia præferri debet bonum commune Religionis.

3 Secundò transire non potest, quando dubitatur, an Religio, ad quam transire cupit, sit arctior sua Religione. Abbas *in d. cap. licèt*, *n.3.* Henricus *ibid. num.* 11. Syluester *vbi suprà, q.* 1. *&* 2. Angelus *verb. Religiosus, n.* 34. Astensis *in sum. pars.* 1. *lib.* 2. *tit.* 20. *art.* 10. *quastiuncul.* 1. *&* 2. & alij, quos sequitur Azor. *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 12. *cap.* 14. *q.* 5. & constat *ex eodem cap. licèt.* Et probatur: Quia tunc in dubio melior est conditio Religionis possidentis. Quapropter in tali casu requirendum erit iudicium Superioris, ne forsan, vt dicitur *in eodem cap. licèt*, Angelus sathanæ transformet se in Angelum Lucis.

4 Tertiò transire non potest, quando petita licentia dubitatur, vtrum bono, an malo animo moueatur ad transeundum in aliam Religionem strictiorem: Ancharanus *in citato cap. licèt, de Regularib. n.* 7. quem sequuntur alij communiter, quia cùm talis mutatio non semper sit laudabilis: Nam vnusquisque, *ex Apostolo* 1. *Corinth.* 7. manere debet in ea vocatione, qua vocatus est, præsumi potest, quod moueatur non bono animo, sed ex leuitate, vel temeritate quadam, quamvis ordinariè præsumi debeat, quod ad transeundum in aliam Religionem arctiorem bono animo moueatur. Glossa *in d. cap. licèt*, Hostiensis *ibidem, circa fin.* & alij passim.

5 Et quidem, quando Religiosus asserit, quod id faciat studio maioris perfectionis, & ratio euidens, vel ferè euidens non est in contrarium, eius verbis stari debet; quia cùm cordis intima nobis sint incognita, & testibus probari non possint, proprio dicto standum est. Præsertim si illud iuramento confirmetur: Glossa *in §. Alia, instit. de Action. & in cap. si verò* 2. *de sent. excommunic.* Iason *in §. sed & iste, Instit. de Action. n.* 89. Abbas *in cap. cognoscentes, de constit. n.* 9. Decius *ibid. n.* 18. Felin. *in c. Quoad consultationem, n.* 31. *de re iudic.* Hostiens. *in c. licèt, de regular. circa fin.* Castr. *lib.* 2. *de leg. pœnal. cap.* 14. *§. sicut dictum est*, Surdus *lib.* 1. *consil.* 5. *n.* 36. Gratian. *regul.* 270. *in princ.* Couarr. *lib. practic. quæst. cap.* 32. *n.* 5. *vers. Cæterùm quidam, & lib.* 2. *var. cap.* 10. *n.* 1. *vers.* 3. *Admittenda est.* Menoch. *de arbitr. cas.* 86. *n.* 5. *& de præsumpt. lib.* 4. *præsumpt.* 95. *n.* 1. Roman. *cons.* 328. *n.* 4. Mascard. *de probat. concl.* 881. *n.* 1. Alciat. *de præsumpt. regul.* 2. *præsumpt.* 10. Farin. *cons.* 60. *q.* 105. Decian. *tract. criminal.* 1. *p. lib.* 4. *c.* 9. *n.* 23. Nauarrus *cons.* 1. *n.* 6. *& seqq. de constitut.* Salzedo *in addit. ad regul. Bernardi Diaz, cap.* 323. Tiraquall. *tract. de vtroque retractu*, §. 35. *glossa* 4. *n.* 9. *& de leg. connub. gloss.* 8. *n.* 183. & Guido Papus *singul.* 358. *vers. decem dicc.*

6 Quartò transire non potest ad Religionem strictiorem in sententia S. Thomæ 2.2. *q.* 189. *art.* 8. & aliorum, quando Religio, de qua transit, habet perfectiorem finem, & media proportionata ad talem finem. Quia tota ratio, quare de Religione ad Religionem transitus ex natura rei, & iure Ecclesiastico licitus est, est propter maiorem gloriam Dei, & maiorem perfectionem Religiosorum. At hoc magis reperitur in Religione, quæ habet perfectiorem finem, & media proportionata ad talem finem: ergo. Vnde transire à Religione perfectiori ad arctiorem non est ascendere, sed descendere, & commutare votum de actu virtutis perfectioris in actum virtutis strictioris, non est licitum: S. Thom. *vbi supr.* Nauarr. *comment.* 4. *de regular. n.* 2. *&* 3. & Suar. *tom.* 4. *de relig. lib.* 3. *c.* 9. *n.* 10.

7 Quintò transire non potest ad Religionem strictiorem, quando Religio, de qua transit, habet priuilegium, vt ex ipsa non fiat transitus ad aliam, quamvis perfectiorem, iuxta ea quæ dicam *infrà, sect.* 62. *&* 64.

8 Sextò transire non potest ad Religionem strictiorem, quando Religio ad quam transit, est strictior quoad animarum institutionem, & Regulam, non tamen quoad præsentem obseruantiam, & modum, quo in illa Religione viuitur. Quia tunc qui transit, per talem transitum non consequitur finem suum, vt scilicet degat ibi vitam perfectiorem, quam degere desiderat. Lessius *de Iust. & Iur. lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 13. & Azor. *lib.* 12. *Inst. moral. cap.* 14. *q.* 3. *&* 8.

Quod adeò verum est, vt quando aliqua Religio, in se perfectior, vel strictior, relaxata est, licitum sit, seruatis seruandis, de illa transire ad aliam, etiam minùs perfectam, vel minùs strictam, sed reformatam. Quia finis, propter quem omni iure licèt transitus de vna religione ad alias, est vt ibi quis degat perfectiorem vitam. Quod in proposito casu contingit. S. Thom. 2.2. *q.* 189. *art.* 8. & alij, quos sequitur Miranda *in Manuali, tom.* 1. *q.* 31. *art.* 4. 9

Septimò transire non potest ad Religionem strictiorem, quando strictiorem hanc Religionem paratam non habet, vt ab ipsa statim recipiatur, & propterea occasionem habeat vagandi, vel apostatandi, iuxta Concilij Sacræ Congregationis decretum de apostatis, & eiectis, iussu Vrbani VIII. anno 1624. editum, ibi: Deinde vt apostatandi opportunitas Regularibus præripiatur, statuit vt de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi priùs superiori legitimè constiterit, eam Religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit: Tumque Regularis recta via se transferat ad arctiorem; Quod vt reipsa adimpleatur, idem superior omni studio, ac diligentia inuigilet. Quæ omnia locum etiam habent quotiescumque Religiosus transiret ad aliam Religionem æquè strictam, vel minùs strictam, seu laxiorem, propter eandem, quinimò propter maiorem rationem. Videantur præter alios Vechius *in praxi nouit. disp.* 15. *dub.* 2. *n.* 9. & Bordon. *resol.* 29. *n.* 3. 10

SECTIO LV.

An qui petita licentia, transire cupit ad Religionem strictiorem, possit statim ad illam transire?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus transire cupiens ad religionem strictiorem, non potest statim petita licentia ad illam transire. Quia ne detur ipsi occasio vagandi, priùs quærendum est, an secunda religio strictior, ad quam transire cupit, velit illum recipere, adeò vt si statim ex Monasterio, in quo degit, recedat, grauiter peccet.*

2 *Amplia, id ita verum esse, quod superior religionis, ex qua dictus religiosus recedere cupit, non teneatur illi statim responsum dare, sed debeat maturè negotium pertractare.*

3 *Subditus religiosus si petat causam à superiore cur nolit illi concedere licentiam transeundi ad strictiorem, & Superior nullam alleget causam, tunc potest tuta conscientia transire sine eius licentia.*

4 *Religiosus subditus debet petere hanc licentiam priusquam transeat ad religionem strictiorem, itavt minùs rectè faceret, si post transitum tantùm vellet illam petere.*

5 *Superior religiosus debet interrogare religiosum, qua de causa moueatur ad transeundum in aliam religionem strictiorem, vt exinde possit cognoscere, vtrum subditus id faciat ex bono animo, & ex desiderio maioris perfectionis.*

Respondetur negatiuè; quia ne detur ipsi occasio vagandi, priùs quærendum est, an secunda Religio strictior, ad quam transire cupit, velit ipsum recipere, adeò vt si statim ex Monasterio, in quo degit, recedat, grauiter peccet. Et Andreas *cap. finali, de renunciat.* 1

ciat. num. 7. Abbas *ibidem*, *n.* 3. Aneharan. *in cap. cùm, de prabendis in* 6. *n.* 2. Barthol. Socin. *vol.* 1. *conf.* 1 2 2. *n.* 3. & alij, quos sequitur Rodericus *tom.* 3. *quast. Regul. q.* 52. *art.* 19. *in fine.*

2 Quod adeò verum est, vt neque Superior Religionis, ex qua dictus Religiosus recedere cupit, teneatur illi statim responsum dare, sed debet maturè negotium pertractare, & subditus tenetur expectare, quid Superior ipsi respondeat, iuxta id, quod habetur *in cap. cùm in veteri, de elect. circa finem*, & docent Cardinalis *in cap. licèt, de regular. n.* 2. *opposit.* 3. Antonius *ibid. n.* 12. Rosella *verbo religio* 4. *n.* 4. Syluest. *eodem verbo religio* 4. *q.* 1. *notabil.* 2. & alij quos sequitur Azor. *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 12. *cap.* 14. *q.* 5. *vers. Quares an postquam.*

3 Ac si subditus petat licentiam transeundi ad Religionem strictiorem, & Superior nullam causam allegando licentiam deneget, & subditus, cur eam deneget, instanter petat, & adhuc nihilominus Superior nolit causam allegare, poterit tunc subditus tuta conscientia transire ad Religionem illam strictiorem. Ioan. Andr. *in dict. cap. licèt, n.* 9. Ostiensis *ibid. n.* 16. & alij Canonistæ communiter, sicut etiam similiter tuta conscientia transire poterit, si Superior alleget quidem causam, sed illam alleget euidenter friuolam, vel accidentaliter iniustam. Ostiensis *vbi sup. n.* 15. Abb. *ibid. n.* 9. Syluester *verb. religio* 4. *q.* 1. *notab.* 2. & alij, quos sequitur Azor. *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 12. *cap.* 14. *q.* 5. secus si alleget causam verisimilem, quia tunc recurri debet ad Superiorem, cuius est dijudicare, vtrum iustè, an iniustè licentia denegetur. Syluest. *loc. sup. cit.* Rosella *eodem verb. relig.* 4. *num.* 3. & Tabiena *quast.* 24. *num.* 25.

4 Vbi aduerte, quod religiosus subditus debeat petere hanc licentiam, priusquam transeat ad religionem strictiorem, itavt minùs rectè faceret, si post transitum tantùm vellet illam petere. Angelus *verb. relig. n.* 15. & alij passim, quos sequitur Azor. *dict. cap.* 14. *q.* 6.

5 Aduerte 2. quod Superior religionis debeat interrogare religiosum, qua de causa moueatur ad transeundum in aliam religionem strictiorem, vt exinde possit cognoscere, vtrum subditus id faciat bono animo, & ex desiderio maioris perfectionis; an autem malo animo, & ex leuitate, aut temeritate quadam. Ioan. Andr. *in dict. cap. licèt, de regul. n.* 3. Ostiensis *ibidem, n.* 8. & alij Canonistæ communiter.

SECTIO LVI.

An si Religiosus, petita, & obtenta licentia, transeat ad Religionem strictiorem, & ante professionem ibi emissam exinde dimittatur, vel mutata voluntate, redire velit ad priorem Religionem, teneatur prior Religio ipsum admittere?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, si petita, & obtenta licentia transeat ad religionem strictiorem, & ante professionem ibi emissam dimittatur, vel mutata voluntate redire velit ad priorem Religionem, tenetur Prior religio illum admittere.*

1 RESpondetur affirmatiuè, si id contingat ante professionem emissam in religione posteriori, secus si contingat post illam emissam. Syluester *verb. Religio* 4. *q.* 5. Tabiena *eodem verbo, q.* 24. *n.* 25. *circa finem*, Astensis *in summa, part.* 1. *lib.* 1. *tit.* 20. *art.* 10. *q.* 45. S. Antoninus 3. *part. tit.* 16. *cap.* 4. §. *finali*, & alij, quos sequitur Azor. *tom.* 1. *inst. moral. lib.* 12. *cap.* 14. *q.* 11. & Sanch. *lib.* 6. *moral. cap.* 7. *n.* 105. & patet ex iis quæ dicebam *suprà. sect.* 52. *in corollariis.*

Videri etiam poterit Abbas *vol.* 1. *conf.* 95. *num.* 2. vbi vult, quod religio debeat etiam illum admittere, si redire similiter velit ad priorem Religionem, casu quo licentia non petita, vel iustè denegata, transierit ad Religionem aliam strictiorem.

Religiosus igitur, qui transiit ad aliam Religionem legitimè, si ante professionem in ista posteriori factam redire velit ad priorem Religionem, est in illa admittendus; quia adhuc manet cum vinculo professionis factæ in Religione priori, à qua discessit, & adhuc est membrum illius, idemque dicendum, si transiit ad aliam Religionem illegitimè, seu iniustè, propter eandem, quinimò propter maiorem rationem, vti *supr. sect.* 52. *circa fin.* dicebam.

SECTIO LVII.

A quonam Religionis Superiore Religiosus petere debeat licentiam, si transire velit ad Religionem aliam strictiorem.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus transire volens ad aliam religionem strictiorem, sufficit, quod petat licentiam à Superiore immediato loci, vel Monasterij, in quo degit.*

2 *Superior immediatus si velit transire, debet licentiam petere à Prouinciali, Prouincialis à Generali, & Generalis à Summo Pontifice.*

3 *Licentia peti debet à Pralato religionis, ne bonum obedientia contemnatur.*

4 *Amplia id ita verum esse, quod neque religiosus teneatur eam petere à Pralato, & Conuentu simul.*

5 *Superior non solùm, verùm etiam tota Prouincia habet ius in religiosum; at non ad effectum, vt is teneatur petere licentiam exeundi ab alio, quàm à Pralato immediato loci; quia habet à iure hanc facultatem transeundi ad strictiorem.*

RESpondetur sufficere, quod licentiam petat à Superiore immediato loci, vel Monasterij, in quo 1
Religiosus degit, quod si Superior immediatus velit 2
transire, debet Superior immediatus licentiam petere à Prouinciali, & Prouincialis à Generali, & Generalis à summo Pontifice. Nauar. *comment.* 4. *de regular. n.* 10. & alij, quos sequitur Azorius *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 12. *cap.* 14. *q.* 7. quamvis contrarium teneant Rebuffus *in praxi benef. tit. de translat. Monach. n.* 7. Anton. Chuecus *lib.* 3. *Instit. canonic. tit.* 1. *n.* 137. & alij, quos sequitur Rodericus *tom.* 3. *quast. Regul. quast.* 52. *art.* 3. quatenus aiunt, quod immediatus Superior Monasterij non possit concedere talem licentiam, sed solùm Generalis, vel Prouincialis.

Probatur, quia *in cap. licèt, de Regularib.* dicitur, 3
quod licentia petenda sit à Prælato Religionis, ne bonum obedientiæ contemni videatur; at immediatus Superior Monasterij est verè, & propriè Prælatus, &
Religiosus, qui transire cupit, ab illo licentiam petens, non censetur contemnere bonum obedientiæ, sed potiùs illud æstimare; ergo Religiosus ab immediato Superiore Religionis petens licentiam poterit tuta conscientia transire ad Religionem strictiorem; cùm sic, seu hac ratione seruet iam ordinem præscriptum *in dicto cap.* licèt, vt non teneatur propterea vlterius eam petere à Provinciali, vel Generali.

Quod adeò verum est, vt neque tunc, vti patebit 4
è responsione ad fundamentum oppositum, teneatur eam petere à Prælato, & Conuentu simul, sed satis

 sit,

sit, si petat solùm à Prælato. Abbas *in cap. non est, de Regularib.* Cardinalis *in cap. finali, de renanciat. n.2.* Franchus *in cap. statuimus, 19. q.3. §. prohibemus, n.3.* Nauarrus *comment.4. de Regular. num.10.* Astensis *in summa, part.1. lib.1. tit.20. art.10. quæst.4.* & alij, quos sequitur Rodericus *tom.3. quæst. regul. q.52. art.3.* quamvis in contrarium inclinent Ostiensis *in cit. cap. finali, de renunciat. n.3.* Antoninus *ibid. num.13.* & alij, quos sequitur Turrecremata *in cit. cap. statuimus, n.2.* quatenus aiunt, quod petere dictam licentiam à Prælato, & à Conuentu simul, sit quid tutius, etsi non quid simpliciter necessarium.

5 Objicies: in Religiosum qui permanet in suo Monasterio, non solùm habet ius immediatus Superior Monasterij, sed etiam tota Prouincia: ergo talem religiosum, vti toti Prouinciæ obnoxium, non poterit alienare, eique dare licentiam, vt transeat ad religionem strictiorem, solus immediatus Superior Monasterij, sed id pertinebit saltem ad Prouincialem illius Prouinciæ, præsertim quia Superior immediatus Monasterij non potest prædicto Religioso dare licentiam, vt eat ad habitandum aliud Monasterium eiusdem Religionis: ergo multò minùs poterit dare licentiam, vt transeat ad aliam Religionem, quamvis strictiorem.

Respondetur, nego consequentiam; quia Religiosus habet à Iure non solùm canonico, sed etiam naturali, & diuino, ad aliam Religionem strictiorem transeundi facultatem, quam non potest impedire Superior Religionis, ita vt Religiosus transeundo ad aliam Religionem strictiorem vtatur iure suo. Accedit quod in Iure canonicó solùm requiritur, vt Religiosus ob bonum obedientiæ petat licentiam à Superiore, qua petita, si etiam Superior illam denegauerit, poterit licitè transire ad aliam Religionem strictiorem.

SECTIO LVIII.

Quid dicendum, si Religiosus, nulla existente causa, transire velit ad Religionem æquè strictam?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus si nulla existente causa, transire velit ad religionem æquè strictam, non potest dare hanc licentiam transeundi, nisi Summus Pontifex.*

2 *Licentia prædicta obtenta à Summo Pontifice probabiliter excusat non solùm in foro exteriori, verùm etiam in foro interiori.*

3 *Prælatus Summo Pontifice inferior poterit etiam dare hanc licentiam transeundi ad æquè strictam, si iusta, seu legitima causa existat.*

4 *Prælatus Summo Pontifice inferior, erit solùm Generalis, vel Prouincialis, non item immediatus Prælatus Monasterij.*

5 *Prouincialis, seu Generalis, cùm casus, de quo agitur, sit de grauioribus, non potest facere sine consensu Conuentus, vel Capituli. Quamvis secundùm Ioannem Andream id non sit simpliciter necessarium, sed solùm quid tutius.*

6 *Episcopus potest dare huiusmodi licentiam Religiosis non exemptis, sicut Prouincialis, & Generalis potest exemptis.*

1 Respondetur, quòd in tali casu licentiam dare non possit, nisi solus Pontifex; quia solus Pontifex est supremus Prælatus omnium Religionum, sicque in tali casu mutare Religiosum de vna Religione ad aliam, spectat ad solùm Pontificem, sicut mutare de vna Prouincia ad aliam, spectat ad Generalem, & mutare de vno Conuentu ad alium spectat ad Prouincialem: illicitè tamen faceret Pontifex, si nulla existente causa in dicto casu talem licentiam daret; quia hoc esset contra ius religionis, à qua sit transitus: tum quia mutationes sunt ex sua natura odiosæ, & parum vtiles. Suarez *tom.4. de Relig. lib.3. cap.12. n.8.* Abbas *in cap. non est, de Regular. n.6.* Cardinalis *in cap. finali, de renunciat. n.2. q.3.* Syluester *verb. Religio 4. q.2.* Tabiena *eodem verbo, q.23. n.24.* & alij, quos sequitur Azor. *tom.1. instit. moral. lib.12. cap.14. q.9.* & patebit magis ex dicendis.

Vbi aduerte, quod talis licentia obtenta à Summo 2
Pontifice probabiliter excuset non solùm in foro exteriori, sed etiam in interiori. Angelus *verb. Religiosus, num.34.* Quamvis alij, quos sequitur Franchus *in cap. cùm singula, de Prebendis in 6. §. prohibemus, num.4.* Probabiliter etiam, & forsan probabiliùs doceant oppositum, scilicet quod excuset solùm in foro exteriori, non item in interiori; quia licèt votum commutetur quidem in æquale, ius tamen priori Religioni per professionem in ea emissam acquisitum, adimitur illi sine iusta causa: quapropter Religiosus non videtur esse tutus in conscientia.

Dixi, *nulla existente causa*; quia si iusta, seu legitima 3
aliqua causa existat, poterit etiam Prælatus Summo Pontifice inferior concedere talem licentiam, siquidem Prælatus religionis, si subsit rationabilis causa, & ab Ecclesia non prohibeatur, habet potestatem dispensandi de rebus suæ religionis: at in casu de diœcesano, quod religiosus transeat ad religionem æquè strictam, est causa rationabilis, vti suppono, & ex alio capite per talem transitum nihil derogatur Priori professioni, cùm commutetur in æqualem, neque ab Ecclesia hoc prohibetur, cùm iura quæ in contrarium adduci possent, solùm loquantur quando non est rationabilis causa dispensandi: ergo. Rodrig. *tom.3. q.52. art.8.* Suarez *4. tom. de Relig. lib.3. cap.11. n.1.* & alij quos referam *infrà, sect. sequenti, num.3.*

Talis autem Prælatus Summo Pontifice inferior, 4
qui possit concedere dictam licentiam, erit solùm Generalis, vel ad summum in sententia quorundam etiam Prouincialis; quia cùm concedere talem licentiam sit alienare religiosum à tota religione, id spectare potest ad solùm Generalem, vel ad summum in sententia quorundam etiam ad Prouincialem: non item erit immediatus Superior Monasterij, nisi regula Religionis aliud disposuerit. DD. quos sequitur Chuccus *lib.3. instit. canonic. tit.1. num.137.* Rodrig. *in sum. tom.2. cap.6. num.8.* & Sanchez *lib.6. moral. cap.7. num.63.* quia cùm in talem Religiosum ius acquisitum habeat tota Prouincia, itavt ad totam Prouinciam pertineat, immediatus Superior Monasterij non habet potestatem eum alienandi; sed talis potestas erit ad summum penes Prouincialem, seu Superiorem, qui totam Prouinciam gubernat.

Vbi aduerte, quod id cùm sit aliquid de grauiori- 5
bus religionis, non possit facere Generalis, & multò minùs Prouincialis, sine consensu Conuentus, seu Capituli. Glossa *in cap. cùm singula, de Prabend. in 6.* Anchara n. *ibid. num.2.* Bellamera *in cap. ex parte, de tempor. ordin. circa fin.* Angelus *verb. Religiosus, n.34.* & alij, quos sequitur Lessius *de iust. & iur. cap.40. dub.13. num.107.*

Quamvis Ioan. Andr. *in cap. finali, de renanciat. n.7.* Innocentius *ibidem, n.1.* & Franchus *in d. cap. cùm singula, §. prohibemus*, inclinent in contrarium, quatenus aiunt, id solùm esse quid tutius, non autem quid simpliciter necessarium.

Cæterùm ex declaratione Sacr. Congregationis, quam referunt Rodrig. *tom.3. quæst. Regular. quæst.52. art.20.* Quaranta *in summa Bullar. verb. Monasteria,* & Barbos. *in collectan. Bullar. verb. transitus religiosus,* transitus etiamsi fiat ad Religionem arctiorem, nedum ad parem, vel laxiorem, fieri non potest, nisi causa cognita, idque ex approbatione Capituli generalis

generalis, qoamvis contrarium, quatenus ſcilicet ſaltem ſpectat ad approbationem Capitu i generalis, in religionibus practicetur; attendi tamen debebit vſus, & ſtylus Religionis.

6 Aduerte ſecundò, quod in Religioſis non exemptis, ſed Epiſcopo ſubiectis id, quod facere in eaemptis, & Epiſcopo non ſubiectis poteſt Generalis, vel etiam Prouincialis, dare ſcilicet iis, cauſa aliqua iuſta eaiſteote, licentiam quod tranſeant ad aliam Religionem æquè ſtrictam, facere etiam poſſit Epiſcopus; quia reſpectu talium Religioſorum, ſcilicet oon eaemptoſum, ſed ipſi Epiſcopo ſobiectorum, Epiſcopus eſt verus Superior, & ſe habet tanqnam Prouincialis. Ioan. Andr. *in cit. cap. finali, de renunciat. num.* 7. Inoocentius *ibid. num.* 1. Archidiacon. *in cap. ſi Religioſus, circa finem, de elect.* in 6. Angelus *verb. Religioſus, num.* 14. Syluest. *verb. Religia* 4. *quaſt.* 9. Tabicoa *eodem verbo Religio,* q. 23. n. 24. & alij commooiter, qoos *ſectione ſequenti* citabo.

SECTIO LIX.

Quid dicendum, ſi Religioſus, nulla ſimiliter exiſtente cauſa, tranſire velit ad Religionem laxiorem?

SVMMARIVM.

1 *Religioſus, ſi nulla ſimiliter exiſtente cauſa, tranſire velit ad Religionem laxiorem, non poteſt dare hanc licentiam, niſi Summus Pontifex.*

2 *Licentia huiuſmodi obtenta à Pontifice valet ſolùm pro foro exteriori, non item pro foro interiori, quia votum commutatur in minus; quod fieri non poteſt ſine iuſta cauſa, cum votum ſit de iure diuino.*

3 *Prælatus Summo Pontifice inferior, iuſta cauſa exiſtente, v.g. ſi ſit collapſa diſciplina in Religione ſtrictiori, vel Religioſus, vtpatè infirmus, ſufferre non poſſit auſteritatem illius Religionis, vel ſit exoſus, aut malè tractetur, &c. poteſt dare licentiam tranſeundi ad laxiorem.*

4 *Nullus Religioſus poteſt transferri ad laxiorem ex Concilio Tridentino vigore cuiuſvis facultatis, ſi non intercesſerit aliqua iuſta cauſa; ſecus ſi iuſta cauſa intercesſerit.*

5 *Mendicantes, vt habetur* in eatrauaganti Viam ambitioſæ, de Regular. *abſque licentia Romani Pontificis tranſire non poſſunt ad aliam Religionem, excepta Cartuſiana. Quod tamen intellige, ſi abſque iuſta cauſa tranſire velint.*

6 *Prælatus iſte Summo Pontifice inferior, qui poteſt intercedente aliqua cauſa iuſta dare prædictam licentiam, non eſt Prælatus immediatus Monaſterij, ſed ſolùm Generalis, vel Prouincialis.*

7 *Epiſcopus etiam poteſt dare prædictam licentiam Religioſis non exemptis, ſicut Prouincialis, vel Generalis eam dare poteſt exemptis.*

8 *Generalis, Prouincialis, & Epiſcopus ita poſſunt prædictam licentiam dare, vt tamen requiratur conſenſus Conuentus, ſeu Capituli, quamuis contrarium non improbabiliter teneant aliqui Doctores.*

9 *Pontifex cum concedit alicui Religioſo facultatem tranſeundi ad Religionem laxiorem, non requiritur quod expreſſè deroget decreto Concilij Tridentini, contra nonnullos, & cur?*

1 RESpondetur, quod io tali caſo ſimiliter non poſſit dare liceotiam, niſi ſolus Pontifea. Nauarrus *lib. 3. conſ. tit. de Regular. & comment. de Regularib. num.* 10. Leſſios *lib. 2. de iuſt. cap.* 41. *dub.* 13. Gratiaous *cap.* 434. *num.* 2. *& ſeqq.* & alij paſſim, quos ſeqoitor Ricciullus *lib. 8. cap. 4. num.* 8. & patet ex dictis *ſectione præcedenti*, & etiam ea dicendis mox *infrà*.

Vbi aduerte, quod talis licentia obtenta à Pontifice 2
valeat ſolùm pro foro exteriori. Gloſſa *in cap. cùm ſingula, §. finali, verbo Canonicè, de præbend.* in 6. Franch. *ibidem, num.* 3. Gemioian. *num.* 5. Cardioalis *conſ.* 128. *num.* 4. Lapua *allegat.* 130. *num.* 3. Nauarrus *in cap. ſtatuimus,* 19. *q.* 3. *notab.* 4. *num.* 12. Rebuff. *in praxi, tit. de ſtatu Monachor. num.* 12. & Gratianus *diſcept. forenſ. cap.* 434. *num.* 6. Non item pro foro interiori, itavt ſcilicet talis Religioſus ſit etiam tutus in conſcientia. Gloſſ. *in cap. non eſt, de voto*, Abbas *ibidem, num.* 9. Franch. *in cap. cùm ſingula, de præbendis in* 6. *num.* 4. Maior *in* 4. *diſt.* 38. *quaſt.* 21. *concl.* 3. Nauarrus *conſil.* 56. *de Regular. num.* 2. *& comment.* 4. *de Regularib. num.* 10. *& in cap. ſtatuimus,* 19. *quaſt.* 3. *notab.* 4. *n.* 12. Leſſius *de iuſt. & iur. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 13. *num.* 102. Gratiauus *cit. cap.* 434. *num.* 17. Rodericus *tom.* 3. *quaſt. Regul. q.* 52. *art.* 10. *& in ſumma, tom.* 2. *cap.* 6. *num.* 8. & alij quos ſequitur Azor. *tom.* 1. *inſtit. moral. lib.* 12. *cap.* 14. *quaſt.* 8. *circa finem.* Et ratio eſt, quia cùm votum commutetur in minus, in tali commutatione interuenit quædam diſpenſatio: ſed diſpeoſatio voti, cùm eius obligatio ſit de iure diuino, oon valet non intercedente aliqua iuſta cauſa: ergo.

Quod ſi aliqua iuſta cauſa ioterceſſerit, vt ſi v.g. ſit 3
collapſa diſciplina in Religione ſtrictiori, vel Religioſus auſteritatem Religionis propter infirmam corporis valetudioem ferre non poſſit, vel in illa Religione ſit eaoſus, aut malè tractetur, vel ſimilis alia cauſa, &c. de quibus Franchus *in cit. cap. cùm ſingula, de præbend. in* 6. *§. prohibemus, n.* 4. Abbas *in cap. non eſt, de Regul. num.* 6. Rodericus *tom.* 3. *quaſt. regular. q.* 52. *art.* 9. Suarez, Sanchez, Diana *in locis infrà citandis*, & Azor. *tom.* 1. *inſtit. moral. lib.* 12. *cap.* 14. *q.* 8. *verſ. Quares*, tunc probabiliter, vti patebit ex reſponſiooe ad oppoſitas aduerſariorum rationes, etiam Prælatus Summo Pontifice inferior, quamvis contrarium dixerint Abb. *vol.* 1. *conſ.* 96. *tom.* 3. Geminian. *in cap. cùm ſingula, §. Prohibemus, de præbend. in* 6. *num.* 6. Henricus *in cap. licèt, de Regul. num.* 10. Ricciullus *lib.* 8. *de iur. perſonar. cap.* 4. *num.* 10. poterit dare prædictam licentiam, quod ſcilicet cauſa iuſta intercedente, Religioſus tranſire poſſit ad minùs ſtrictam Religionem. Azorius *vbi ſuprà*, Rebuff. *in praxi, tit. de tranſlat. Monach. n.* 10. Nauat. *in cap. ſtatuimus,* 19. *quaſt.* 3. *comment.* 4. *tabul.* 3. *n.* 10. Suar. 4. *tom. de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 11. Sanch. *lib.* 6. *moral. cap.* 7. *num.* 68. Diana *tract.* 2. *de dub. regul. reſol.* 43. *part.* 3. Fagundez *in* 2. *Eccleſ. præcept. lib.* 8. *cap.* 5. *n.* 10. Peyrin. *tom.* 1. *de ſubdito, q.* 1. *cap.* 14. *§. dico ſextò*, Barboſ. *in collect. Bullar. verb. clauſtrales, num.* 78. Tamburin. *de iur. Abbat. tom.* 3. *diſp.* 7. *quaſt.* 5. *num.* 7. Veccb. & Fauſt. quos refert, & ſequitur Nouarius *in Lucerna Regul. verb. Tranſlatio, n.* 6. & 7. Vide priuilegia particularia Religiooom, præcipuè Benedictinorum & Hieronymianorum apud Rodriquez *tom.* 3. *quaſt. Regul. q.* 52. *art.* 10. & Portellum *in dubiis regular. verb. Religionis tranſitus, n.* 10. *&* 11. vide etiam quæ dicentur *infrà, ſect.* 63. *&* 65. *coroll.* 7. *&* 8.

Objicies ex Abbate, Geminiano, Henrico, Ric- 4
ciullo, & aliis aduerſariis: In Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. *de regular. cap.* 19. dicitur, quod nullus Religioſus poſſit transferri ad Religionem laaiorem vigore cuiuſcumque facultatis: ergo falſum eſt, quod Prælatus Summo Pontifice inferior poſſit dare hanc licentiam.

Reſpondetur: diſtinguo antecedens, ſi non interceſſerit aliqua iuſta cauſa, concedo: ſi ioterceſſerit aliqua iuſta caoſa, nego; quia Concilium ibi ſolùm vult, ne talis licentia detur abſque iuſta, ſeu legitima cauſa, ſolumqoe vult tollere quendam abuſum, qui olim erat, quod ſcilicet quidam ſuperiores proprio arbitratu, non præcedcote

præcedente legitima causæ cognitione, dabant talem licentiam. Nauarrus *lib.5. cons. tit. de regularib. consil.56. n.3.* Lessius *de iust. & iur. lib.2.cap.41.dub.13. n.103.* & alij quos sequitur Azor. *tom.1. instit.moral. lib.12.cap.15. quæst.1.*

5 Objicies 2. *in extrauaganti Viam ambitiosæ, de Regularibus*, prohibetur, ne mendicantes absque licentia Romani Pontificis transire possint ad aliam religionem, excepta Carthusiana, adeò quod ibidem excommunicentur tam illi qui transeunt, quàm illi, qui eos recipiunt: ergo solus Pontifex dare potest hanc licentiam.

Respondetur, distinguo antecedens eodem modo, quo suprà, itaut scilicet verba illa extrauagantis citatæ intelligantur solùm de transeuntibus absque iusta causa. Lessius *vbi suprà*, & Sanchez *lib.6. moral. cap.7. num.68.* & manifestè indicant illa alia: *sueatis coloribus, & vt liberius degant, & beneficia Monastica consequantur*, &c. vt omittam, nonnullos, quos sequitur Lessius *loco suprà citato, n.104.* sentire, quod extrauagans ea non sit nunc vsu recepta.

6 Aduerte tamen, quod iste Prælatus summo Pontifice inferior, qui possit, intercedente aliqua causa iusta, dare prædictam licentiam, transeundi scilicet ad minùs strictam religionem, non sit Prælatus immediatus Monasterij, sed solùm Generalis, vel ad summum etiam Prouincialis; quia cùm in tali casu religiosus non vtatur iure suo, sed quod facit, faciat ex concessione Superioris, id debet facere saltem ex concessione illius, qui gubernat totam Prouinciam, iuxta ea, quæ dicebam *sect.27. & 28.* Nauarrus *cons.56. de Regularib. n.1.* Rodericus *in summa, tom.2. cap.6. n.8.* & videri etiam poterit compendium Priuilegiorum Societatis Iesu, *verbo Apostata, n.9.*

7 Aduerte 2. quod quemadmodum prædictam licentiam, transeundi scilicet ad minùs strictam Religionem intercedente aliqua iusta causa, potest dare Generalis, vel etiam Prouincialis Religionis sibi subditis, & ab Episcopo exemptis, ita similiter etiam & dare possit Episcopus Religiosis sibi subditis, & ab ipso Episcopo non exemptis, quia sicuti *sect. præced.* dicebam, Episcopus respectu talium Religiosorum non exemptorum est verus Superior, & se habet tanquam Prouincialis. Angelus *verbo religiosus,n.34.* Speculator *tit.de dispensat. §. nunc, n.3. vers.20.* Innoc. *in cap. fin. de renunc. n.1.* Abbas *ibid.n.1.* Ioan. Andr. *n.7.* Tabiena *verb.religio, q.13. n.24.* & alij communiter, quos sequitur Lessius *de iust. & iur. lib.2. cap.41.dub.13. n.103.*

8 Aduerte 3. quod Generalis, Prouincialis, & Episcopus ita possint prædictam licentiam dare, vt tamen necessariò requiratur consensus Conuentus, seu Capituli, Rosella verbo Abbas, *n.4.* Syluest. *verbo religio 4.q.2.* Nauarrus *cons.56. de regular. n.3.* & alij quos sequitur Lessius *loco suprà cit. n.103.* quamvis contrarium non improbabiliter teneant Ostiensis *in cap. finali, de renunc. n.3.* Anton. *ibidem, n.13. & addens. ad Abbatem in cap. non est, de regul. lit. C, circa finem*, quatenus aiunt, id non esse simpliciter necessarium, sed solummodo quid tutius. Sed de hac re vide quæ dicebam *suprà, sect. præcedenti, num.5.*

9 Aduerte 4. quod cùm Pontifex concedit alicui Religioso facultatem transeundi ad religionem laxiorem, non requiratur, quidquid in contrarium dixerint Nauarrus *cons.6 a circa finem, de regular.* Gratian. *cap.434. num.10* & alij, quod exprèssè deroget decreto Tridentini Concilij paulò priùs citato, quia Concilium ibi loquitur casu, quo quis transire possit virtute facultatis concessæ: sed Pontifex non dat hanc potestatem virtute facultatis sibi concessæ, sed ex propria sua facultate, quæ ex se ipsimet competit: ergo cum Pontifici non conueniant verba Concilij, neque etiam Pontifici conuenire debet dispositio eiusdem Concilij, *l. semper in ciuitate, §. id est, ff. de iure immunitatis*, & tradit Bartol. *in l.1. §. ait Prætor, ff. ne quid in flumine public.* quem cum Francisco Becio *cons.54.n.9.* sequuntur communiter Doctores.

COROLLARIA.

SVMMARIVM.

1 *Transitus ad minus strictam, seu laxiorem religionem, non solùm est prohibitus religiosis, sed etiam si causa rationabilis non subsistat, non potest saltem quoad forum interius concedi ab ipso Papa; quia talis transitus est commutatio voti de meliori bono in minus bonum.*

2 *Papa potest ius naturale, vel diuinum interpretari, & si causa rationabilis subsistat, in quocumque voto dispensare.*

3 *Prælati Papa inferiores, stante legitima causa, probabile est, quod possint concedere licentiam transeundi de vna ad aliam religionem, etiam laxiorem.*

4 *Prælati Papa inferiores, ad quos ex probabili sententia Doctorum, spectat etiam hanc facultatem concedere, sunt Episcopi respectu regularium non exemptorum: respectu verò exemptorum sunt Prælati Superiores religionum, scilicet Generales, vel ad summum etiam Prouinciales.*

5 *Transitum concedendi ad laxiorem causa legitima arbitrio prudentis viri dispensantis relinquitur: sunt autem causa legitima infirma corporis valetudo, vel fragilis corporis natura, magna necessitas parentum, vtilitas religionis, ad quam transit, & onus religionis, à qua inimicitia, infamia, &c.*

6 *Opinio quod Prælati inferiores possint dispensare cum religioso in transitu etiam ad laxiorem, est tantùm practicabilis pro foro interno, non externo.*

Ex dictis igitur transire ad minùs strictam, seu laxiorem religionem non solùm esse prohibitum religiosis, vti patet ex iuribus adductis suprà *sect.51.* sed etiam, si causa rationabilis non subsistat, non potest, saltem quoad forum interius, concedi etiam ab ipso Papa; quia talis transitus est commutatio voti de meliori bono in minus bonum: quod cùm sit contra ius Diuinum, & naturale, inualidè, si causa rationabilis non subsistat, fit etiam ab ipso Papa; si causa tamen rationabilis subsistat, dispensare potest non solùm Papa, sed ex probabili dispensare possunt etiam Prælati Papa inferiores.

Et quidem quoad Papam patet; quia Papa potest ius naturale, vel diuinum interpretari, & si causa rationabilis subsistat, in quocumque voto dispensare. 2

Quoad alios autem Prælatos Papa inferiores probatur, quia ex nullo iure constat, quod talis dispensatio sit reseruata Papæ; siquidem Tridentinum Concilium quando *sess.25. de regularibus, cap.19.* decernit, quod nemo Religiosus cuiuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem, loquitur de facultate obtenta sine legitima causa; & similiter quando *extrauagans Viam ambitiosæ, de regularibus*, prohibet ne mendicantes transeant ad aliam Religionem, præter Carthusianam, intelligitur etiam de transeuntibus sine legitima causa, vel dispensatione: cùm igitur ex alio capite authoritatis concedendi talem facultatem sit ferè necessaria ad bonum regimen Religionis, & per factam subiectionem inferiorum ad Superiores, satis probabile est, quod possint dictam facultatem concedere etiam alij Prælati Papa inferiores. 3

Prælati autem Papa inferiores, ad quos ex probabili sententia Doctorum spectat etiam hanc facultatem concedere, sunt respectu Regularium non exemptorum Episcopi, respectu verò exemptorum, sunt Prælati Superiores Religionum, scilicet generales, vel 4

ad summum etiam Prouinciales, non item Prælati immediati Locorum, Conuentuum, Domuum, seu Monasteriorum, proptec rationem, quam adducebsm *sectione præcedenti*

5 Causæ legitimæ concedendi transitum ad Religionem laxiorem (cum nihil circa hoc aliquo iure præscriptum sit) arbitrio prudentis viri dispensantis relinquuntur; magis tamen generales causæ solent esse, si (vti dicebam) sit infirma valetudo, vel fragilis corporis natuta, quæ Religionis strictioris austeritatem ferre non possit. Azor. *cit. lib.* 12. *cap.* 14. Item si sit magna necessitas Patentum, quibus Religiosus subnenire non possit in Religione, de qua transit, possit autem in Religione, ad quam transit, Rodriguez *citata quæst.* 52. *artic.* 9. Item si Religiosus sit vtilis in Religione, ad quam transit, sit autem inutilis, vel onerosus in religione, de qua transit. Suarez *citato tractat.* 8. *lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 21. Item si religiosus iniustè vexetur, malè tractetuc, vel odio habeatur in religione, de qua transit. Azorius, & Rodriguez *vbi suprà*. Item, si sit in religione, de qua transit, infamatus de aliquo delicto, vt propterea necessariò magnum pudorem, & magnam tristitiam semper ibi patiatue. Doctores, quos sequitur Diana *citat. Tractatu secundo, de dubiis Regular. resolut.* 43.

Aduerte tamen hic, quod ex declaratione Sacr. Congregationis, quam referunt Quaranta *in sum. Bullar. verb. Monasterium, vers. quod transitus*, & Barbosa *in collect. Bullar. verb. claustrales*, religiosis claustralibus non licet transire ad non clsustrales, quales sunt militares, & Hospitalarij, per licentias, quæ conceduntur claustcalibus ingrediendi quacumque religionem.

6 Aduerte 2. quod licèt probabilis sit opinio, posse Prælatos Pontifice inferiores, scilicet religionum Prælatos supremos, ex legitima causa dispensare cum suis subditis, quod transeant ad religionem, etiam laxiorem, nihilominus probabilitas huius opinionis solùm videtur peacticabilis pto foro interno, idque cùm certa, & indubitata causa talis dispensationis eaistit, non autem pro foro eaterno; idqne propter Decretum Concilij Tridentini suprà adductum, & propter alia, quæ adducit Pegrin. *tom.* 1. *de subdito, §. dixi & §. caeterùm*, itavt pro foro externo semper sit consulenda Sedes Apostolica, provt laudabilitee consulitur etiam, quando transitus est ad Religionem strictioeem. DD. quos sequitur Erasmus Gochier. *de iurisdict. ordinarij in exempt. part.* 4. *q.* 12. *circa finem*.

SECTIO LX.

Quidnam cùm in iure conceditur, quod Religiosus transire possit ad Religionem perfectiorem, intelligatur nomine Religionis perfectioris?

SVMMARIVM.

1 *Religionis perfectioris nomine non intelligitur ea Religia, quæ in se est perfectior, & fructuosior; sed quæ in se est arctior, asperior, & durior. Quod probatur auctoritate, & ratione à posteriori; quia in omnibus religionibus excipitur, quod religiosus, qui non potest transire ad aliam religionem, possit tamen transire ad Carthusianam.*

2 *Transitus ad aliam Religionem ideò conceditur, vt salus Religiosi, qui transit, in statu magis tuto collocetur.*

3 *Canonici Regulares, licèt Religio Monachorum sit magis arcta, non tamen possunt transire ad illam, si transeant ex leuitate, temeritate, odio, vel aliqua alia animi perturbatione. Secùs autem, si bono zelo, & desiderio, seu studio.*

4 *Religio, absolutè loquendo; aliud est, quod sit perfectior, aliud verò, quod sit arctior, vel asperior; quia religionis perfectio sumitur à meliori, & perfectiori fine.*

5 *Religio quanam sit arctior, vel asperior, pensandum est ex præsenti modo viuendi: Quapropter si aliqua Religio ex primæua sua Institutione sit valdè aspera, si postea sit collapsa, non potest quis licitè ad illam transire.*

6 *Item non tantùm est aspicienda externa corporis asperitas, vel votorum multitudo, sed etiam alia vitæ ratio, verbi gratiâ, exacta paupertas, stricta propria voluntatis abnegatio.*

Respondetur, qnod non intelligatuc ea Religio, quæ in se est perfectior, & fructuosior, seu habet perfectiorem, & fructuosiorem finem, & media proportionata ad talem finem, sed quæ in se, seu quoad obseruantias eatcriores est arctior, asperior, & durior. Abb. *in cap. sanè, de Regularib. in fine*, Henricus *ibidem*, *n.* 16. Antonius *n.* 7. Angelus *verbo Religiosus*, *n.* 34. Lessius *de iust. & iure, cap.* 41. *dub.* 13. *n.* 100. Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 7. *num.* 21. Azor. *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 12. *cap.* 14. *quæst.* 2. Fagundez *lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 6. Tamburin. *de iur.* Abbat. *tom.* 3. *disp.* 7. *q.* 1. *num.* 18. Bonacina *de claus. q.* 1. *punct.* 9. §. 3. *diff.* 3. *num.* 2. Bordon. *resol.* 19. *num.* 11. & alij, quos sequitur Ricciullus *lib.* 8. *cap.* 6. Quamvis contrarium non improbabilitet teneant præter S. Thomam 2. 2. *quæst.* 189. *art.* 8. Paludanus *in* 4. *distinct.* 38. *quæst.* 2. *n.* 17. & *q.* 3. *art.* 1. *n.* 11. Syluester *verbo Religio* 4. *q.* 1. *notabil.* 3. & *q.* 3. *circa finem*. Tabiena *eodem verbo*, *q.* 23. *n.* 24. Nauarrus *comment.* 4. *de Regular. n.* 2. & S. Antoninus 3. *part. tit.* 16. *cap.* 4. *in principio*, & Suarez 4. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 10. eo quòd tota ratio, quare transitus iste liceat ea natura rei, & iure Ecclesiastico, est propter maiorem glotiam Dei, & maiorem perfectionem Religiosi, qui transit, quod maximè reperitur in Religione; quæ habet perfectiorem finem, & media proportionata ad talem finem: vnde transita de Religione perfectiori ad Religionem arctiorem non est ascendere, sed descendere; & commutare, votum de actu virtutis perfectioris in actum virtutis strictioris non est licitum. 1

At Responsio nostra

Probatur primò auctoritate *ex cap.* 1. 20. *q.* 4. vbi: [Virgines sacræ, si pro lucro animæ suæ propter districtiorem vitam ad aliud Monasterium pergere disposuerint, Synodus concedit.] Et *ex cap. licèt, de Regularib.* ibi: [arctioris vitæ prætextu:] & paulò post ibi: *vt apud eos vitam duceret arctiorem.*

Secundò probatur ratione à posteriori; quia in omnibus Religionibus excipitur, quod Religiosus, qui non potest transire ad aliam Religionem, possit tamen transire ad Carthusianam; & tamen hæc in sententia multorum non est aliis perfectior, sed propter silentium, & arctissimam clausuram asperior, arctior, & durior: ergo signum est, quod cùm in iure conceditur huiusmodi transitus, non habeatur ratio ad maiorem perfectionem, sed ad maiorem asperitatem Religionis.

Tertiò probatur ratione à priori; quia ideò transitus ad aliam Religionem concedi videtur, vt salus Religiosi, qui transit, in statu magis tuto collocetur: At in statu magis tuto collocatur salus Religiosi, qui transit, si amplectatur Religionem arctiorem vel duriorem, quàm si retineat Religionem per ordinem ad finem, & salutem animarum perfectiorem, & fructuosiorem, cum non leue periculum subeat, qui aliorum curam suscipit: ergo, &c. quod aduertant præcipuè Religiosi, si cùm sint Religiosi, Episcopatum ambitiosè desiderent, & procurent. 2

3 Objicies: Religio Monachórum est arctior Religione Canonicorum Regularium, *c. quod Dei timorem, de stat. Monach.* & tamen Canonici Regulares transire non possunt ad Religionem Monachorum, *c. 2. 19. q. 3.* cum Religio Canonicorum Regularium sit perfectior, vtpote ordinata ad finem altiorem, scilicet ad salutem animarum prædicationibus, lectionibus, aliisque mediis huic fini quamplurimùm accommodatis incumbendo, penes quem finem potissimum attenditur Religionis perfectio, S. Thomas 2. 2. *q.* 188. *art.* 6. S. Antoninus 3. *p. tit.* 16. *c.* 4. §. 4. & alij passim: ergo cum in iure conceditur, quod quis transire possit ad Religionem perfectiorem, nomine Religionis perfectioris non intelligitur Religio, quæ est asperior quoad obseruantias exteriores, sed quæ est in ordine ad suum finē perfectior, & fructuosior, seu habet perfectiorem, & fructuosiorem finē, & media proportionata ad talē finem.

Respondetur: concedo priorem partem antecedentis. At cum Glossa *in cap. licèt, de Regularib. verb. licentia*, distinguo posteriorem partem eiusdem antecedentis, scilicet, *& tamen Canonici Regulares transire non possunt ad Religionem Monachorum*, si transeant ex leuitate, temeritate, odio, vel aliqua alia animi perturbatione, concedo; si transeant ex bono zelo, & desiderio, seu studio vitæ perfectioris, nego.

4 Aduerte tamen, quod licèt hîc nomine Religionis perfectioris intelligatur Religio arctior, vel asperior, absolutè tamen loquendo aliud est, quod Religio sit perfectior, aliud verò, quod Religio sit arctior, vel asperior; quia Religionis perfectio sumitur à meliori, & perfectiori fine, vitæ scilicet contemplatiuæ, vel actiuæ, per virtutum perfectiorum exercitium. At Religionis strictio, vel asperitas sumitur ab arctioribus, & asperioribus vitæ, & corporis actionibus, vt à maiori ieiunio, silentio, clausura, cilicijs, &c. quæ in ipsa Religione exercentur. Vnde contingere potest, vt vna Religio sit arctior, vel asperior, altera verò (licèt sit minùs stricta, vel aspera) sit perfectior, eo quod habeat meliorem, & perfectiorem finem per virtutum perfectiorum exercitium, vti dicebam: Doctores, quos sequitur Portell. *vbi suprà, n.* 1.

5 Aduerte 2. quod ad iudicandum, quænam Religio sit arctior, vel asperior, spectari debet modus viuendi præsens: quapropter, si aliqua Religio ex primitiua sua Institutione sit valdè aspera, postea verò sit collapsa, non poterit licitè quis ad illam transire, si Religio, ex qua transire cupit, nunc de præsenti sit reformatior, vel obseruantior, & propterea forsan austerior, quàm illa; quia tunc transeundo ad illam non consequitur finem suum, vt scilicet degat ibi vitam perfectiorem, quam degere desiderarit. Abbas *in dicto c. licèt, n.* 7. Felin. *in c. Ad nostram, de appell. n.* 6. Ioan. Andr. *in c. sanè, de Regularib. n.* 1. Anchar. *ibid. num.* 2. Bellamera *in c. 2. 19. q. 3. in princ.* Maior in 4. *dist.* 38. *q.* 19. *punct.* 2. Syluester *verb. Religio* 4. *q.* 2. *&* 6. Lessius *de iust. lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 13. Azor. *lib.* 12. *Instit. moral. c.* 14. *q.* 3. *&* 8. Roderic. *tom.* 3. *quæst. regul. q.* 52. *art.* 5. Sanch. *lib.* 6. *moral. c.* 7. *n.* 24. Bonacina *de clausur. q.* 1. *punct.* 9. §. 3. *diff.* 3. *n.* 3. Peyrin. *tom.* 1. *de subdito, q.* 1. *cap.* 24. §. *nota tamen*, Bordonus *resol.* 29. *n.* 15. & constat *ex dicto cap. sanè.*

6 Aduerte 3. quod in iudicando, quæ Religio sit arctior, vel asperior, non solùm inspici debet externa corporis asperitas, vel votorum multitudo, sed etiam alia vitæ ratio, vt v. g. exacta paupertas, stricta propriæ voluntatis abnegatio, &c. quia hæc corporis asperitatem quamplurimùm superant. Hinc meritò Summi Pontifices aliquando interdixerunt quibusdam Religionibus, ne Fratres Minores, vel alios strictioris Regulæ prætextu quarti voti, quod ipsæ habeant, reciperent. Sanch. & Bonac. *in locis sup. cit.* Hinc etiam cessare videntur opiniones aliquorum Doctorum, qui propterea solùm putant, aliquas Religiones esse strictiores, & propterea solùm contendunt, posse ad eas transire quoscumque Religiosos (etiam Carthusianos) eo quòd scilicet in eis sit aliquod quartum votum.

SECTIO LXI.

Quænam de iure competat Religioso facultas transeundi ad aliam Religionem perfectiorem?

SVMMARIVM.

1 *Religioso competit secundùm aliquos facultas transeundi ad religionem perfectiorem de Iure Canonico. At probabilius est, quod competat de iure naturali, & diuino.*

2 *Pius V. in sua constitutione non reuocauit huiusmodi facultatem; quia non loquitur de his Religiosis, qui transeunt ad aliam religionem, non petita licentia; sed de iis, qui petunt eam.*

3 *Pontifex potest alicui religioni concedere, ne quis ex illa transire queat sine licentia obtenta ad aliam religionem austeriorē, & perfectiorem iusta de causa, ne scilicet inter religiones oriantur scandala, &c.*

4 *Pontifex ordinariè quotiescumque alicui religioni concedit, ne ex illa transferri possit ad aliam religionem austeriorem, & perfectiorem, mens ipsius censenda est, ne talis transitus fiat temerè, & leuiter.*

RESpondetur, quod quamvis Sayrus *in claui Regia, lib.* 6. *c.* 10. *n.* 9. & Azor. *tom.* 1. *Inst. mor. lib.* 12. *c.* 17. *q.* 18. putent competere de Iure Canonico. Probabilius tamen sit, competere non solùm de Iure Canonico, *ex c. licèt, c. statutum, c. mandamus*, 19. *q.* 3. *c. non est, c. sanè, & c. significatum*, sed etiam de iure naturali, & diuino; quia ipsummet ius naturale, & diuinum dictat, quod quilibet tendat de virtute in virtutem, & ad perfectiora; & docet præter alios Cajet. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *vers. Ad huius euidentiam*, Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 3. *c.* 8. & Sanch. *lib.* 6. *moral. c.* 7. *n.* 2. *&* 3. 1

Quapropter dicendum, quod talem facultatem non reuocauerit Pius V. in sua constitutione, quæ incipit, *Quacumque sacrarum*, quatenus ibi præcipit, ne vlla Religio recipiat, neve retineat Religiosos alterius Religionis, sed eos remittat ad propria Instituta. 2

Respondetur enim, quod prædicta constitutio loquatur de iis Religiosis, qui transeunt ad aliam religionē, non petita licentia, sicuti putant nōnulli, quos sequitur Roder. *tom.* 3. *qq. Reg. q.* 52. *art.* 8. vel quod loquatur de iis Religiosis, qui transeunt vigore Priuilegiorum aliquibus Religionibus concessorum, quæ omnia prædicta constitutio irritat; non autem de iis, qui transeunt vigore iuris communis concessi *in d. c. licèt, de Regul.* quin etiam vigore iuris naturalis, & diuini, sicuti præter alios putat Nav. *cons.* 88. *de Regul. n.* 1. & Suar. *tom.* 4. *de Relig. lib.* 3. *c.* 12. vt omittam, nonnullos quos sequitur idem Roder. *in sum. tom.* 2. *c.* 7. *num.* 7. putare, quod prædicta constitutio non sit vsu recepta.

Aduerte tamen, quod Pontifex possit alicui Religioni concedere, ne quis ex illa transire queat sine licentia obtenta ad aliam religionem austeriorem, & perfectiorem iusta de causa. Ne scilicet inter religiones exoriantur scandala, perturbationes, vel lites, &c. Et ne Religio patiatur detrimentum ex iactura Religiosi, quem suis sumptibus in studiis, & virtutibus enutriuit, vt præter alios adnotauit Corduba *in Regulam S. Francisci, c.* 2. *q.* 17. *punct.* 4. & vti de facto iam concessit Paulus V. anno 1610. die 3. Aprilis Religioni Carmelitarum discalceatorum, ne quis scilicet sub excommunicatione ipso facto incurrenda de tali Religione transire possit etiam ad Religionem Carthusianam, nisi petita, & obtenta licentia à superioribus. 3

Quamvis

4 Quamvis ordinariè Pontifex, quotiescumque alicui Religioni concedit, ne ex illa transitus fieri possit ad aliam Religionem austeriorem, & perfectiorem, mens Pontificis censenda sit, ne talis transitus fiat leuiter, & temerè; secus si fiat ex bono zelo, & studio maioris perfectionis, sicuti adnotarunt Ioan. Andreas *in dicto cap. licèt, de regularib. n. 2.* & Antonius *ibidem, n. 3.* & videri poterunt etiam Sanchez *lib. 6. moral. cap. 7. n. 10.* Vechius *in prax. nouit. disp. 15. dub. 3.* & Barbosa *de iure Eccles. lib. 1. cap. 32. num. 51.* cùm non videatur velle Pontifex absque causa impedire impulsum Spiritus sancti excitantis Religiosum ad perfectiora. Vide quæ dicebam *sect. 52.* & quæ dicam *sect. sequenti, in fine. Quapropter cit. sect. 52.* dicebam etiam, quod Prælatus in tali casu, si deneget subdito licentiam, peccet mortaliter, & citabam præter alios Vechium *in praxi nouit. disp. 15. dub. 2.* & Barbosam *de iur. Eccles. lib. 1. cap. 42. n. 69. & seqq.*

SECTIO LXII.

An quis Religiosus transire possit ex aliquo ordine Mendicantium ad quemcunque alium ordinem?

SVMMARIVM.

1 *Nullus Religiosus transire potest ex aliquo ordine mendicantium ad quemcunque alium ordinem, præterquam ad Carthusianum, sub pœna excommunicationis ipso iure latæ, Pontifici reseruata.*

2 *Ordines Mendicantium sunt quatuor, scilicet sancti Augustini, sancti Dominici, sancti Francisci, & Carmelitarum.*

3 *Potest quis transire ab ordine Carthusiano ad ordinem S. Dominici, & ad ordinem S. Francisci, & secundùm alios ad quemcunque ordinem Mendicantium. At hæc sententia non probatur, cùm nullo iure fundetur.*

4 *Quispiam secundùm Sylvestrum & sanctum Antoninum non potest ab ordine Prædicatorum transire ad alium ordinem, sicut secundum S. Bonauenturam, neque ab ordine Minorum potest transire ad alium ordinem: posse alios autem religiosos transire ad ordinem Minorum.*

5 *Sententia istorum Auctorum non probatur, & cur?*

6 *Cisterciensibus Monachis indulsit Eugenius IV. quod nemo ex ipsorum religione transire possit ad aliam; præterquam ad Carthusianam.*

7 *Clericis regularibus Ministrantibus infirmis concessit Paulus V. quod transire non possint ad Carthusianos absque licentia Sedis Apostolicæ.*

8 *Carmelitis discalceatis concessit Paulus V. vt nemo ex illo ordine transire possit etiam ad ordinem Carthusianum, non obtenta à superioribus licentia sub pœna excommunicationis.*

9 *Priuilegium huiusmodi concesserunt prius Innocentius VIII. Martinus V. & alij Summi Pontifices ordini S. Hieronymi Hispaniarum, Benedictus XI. Cælestinis: Sixtus IV. Canonicis Regularibus: Paulus III. & Gregorius XIII. Societati Iesu: Item Clericis sancti Pauli Decollati: Sixtus V. Somaschis.*

1 RESpondetur negatiuè: Quia *in extrauag. viam, de regular. & in regula 23. Cancellariæ,* expressè prohibetur, ne fiat transitus ex vllo ordine Mendicantium ad quemcunque alium ordinem, præterquam ad Carthusianum. Vbi & excommunicatur excommunicatione ipso iure lata, & reseruata Pontifici ipse Religiosus, qui transit, & etiam Religiosi, qui illum recipiunt. Benedictus XII. etiam in Bulla anno 1335. edita (quæ incipit, *Regularem vitam*) prohibet ne fratres Mendicantes transeant ad Monachos nigros, & Cistercienses. Videatur Miranda *in Manual. tom. 1. q. 31. art. 7.* Suarez *tom. 2. de Relig. tract. de voto, lib. 3. c. 6. n. 24. & tom. 5. in 3. part. disp. 22. sect. 5. n. 17.* Sanchez *lib. 6. moral. cap. 7. n. 28. & seqq.* & Bonacina *de clausur. q. 1. punct. 9. §. 5. difficult. 2.* Vide etiam quæ dicam *infrà, sect. 65. positione 12.*

2 Aduerte tamen hîc, quod vt habetur *in cap. vnico, §. sanè, de regularib.* ordines Mendicantium sint quatuor, scilicet S. Augustini, S. Dominici, S. Francisci, & Carmelitarum, quibus postea additi sunt ordines sancti Francisci de Paula, & Societatis Iesu.

3 Aduerte 2. quod Syluester *verbo Religio 4. q. 6.* & S. Antoninus *3. p. tit. 16. c. 4. §. 4.* putent, posse quempiam transire ab ordine Carthusiano ad ordinem sancti Dominici, vbi perfectè illius ordinis regulæ obseruantur: & quod Corduba in expositione regulæ Minorum, *cap. 1. q. 17. punct. 1.* & alij putent, posse similiter quempiam transire ab ordine Carthusiano ad ordinem S. Francisci. Et quod Nauarrus *consil. 68. de regular. in fine,* Rodericus *in sum. tom. 2. cap. 6. n. 9.* & Lessius *de iust. & iur. lib. 2. c. 41. dub. 13. n. 100.* putent, posse similiter quempiam transire ab ordine Carthusiano ad quemcumque ordinem Mendicantium, si id fiat sine scandalo, & litibus.

At hæc istorum Authorum sententia minùs mihi probatur; quia nulla Canonum authoritate nititur, cùm nullibi habeatur, ab ordine Carthusiano transire posse ad alium ordinem: quinimò potiùs habeatur oppositum ex *dicta Extrauag. viam, de regular.* vbi expressè Religiosis omnibus conceditur transitus ad ordinem Carthusianum.

4 Aduerte 3. quod Sylvester, & S. Antoninus *in loc. suprà cit.* putent etiam, non posse quempiam ab ordine Prædicatorum transire ad alium ordinem, sicut & S. Bonauentura *in expositione regulæ Minorum, c. 2. q. 12. & 13. in 1. tom.* & Corduba *vbi supr.* putant, non posse similiter quempiam ab ordine Minorum transire similiter ad alium ordinem; posse autem alios Religiosos ad ordinem Minorum.

5 At hæc istorum Authorum sententia minùs etiam mihi probatur, propter eandem iam dictam rationem.

6 Aduerte 4. quod Eugenius IV. in Bulla anno 1439. edita, quæ incipit, *Regularem vitam,* concesserit Monachis Cisterciensibus, quod nemo ex ipsorum Religione transire posset ad aliam, præterquam ad Carthusianam; *Compend. Bullar. 1. tom. fol. 59.* quod idem etiam concesserunt Pius IV. & Pius V. Societati Iesu, *Compend. priuil. eiusdem Societatis Iesu, verb. Apostata, §. 4.* & Suarez *tom. 5. in 3. p. disp. 22. sect. 5. n. 19.* Quin 7 & Paulus V. in Bulla an. 1606. quæ incipit, *Romanam decet, 3. tom. Bullar. inter Bullas Pauli V. n. 29.* concessit Clericis regularibus, qui ministrant infirmis, quod transire non possint, etiam ad Carthusianos, absque licentia Sedis Apostolicæ. Videantur Miranda *in Manual. tom. 1. q. 31. art. 6.* Suar. *tom. 2. de Relig. tract. de voto, lib. 3. cap. 6. n. 14. & tom. 5. in 3. p. cit. disp. 22. sect. 5. n. 17. & seqq.* Sanch. *lib. 6. mor. c. 7. n. 28. & seqq.* & Bonac. *de clausur. q. 2. punct. 9. §. 5. diffic. 2.*

8 Aduerte 5. quod Paulus V. an. 1610. die 3. Aprilis concesserit etiam (vti dicebam suprà, sect. 61.) Carmelitis discalceatis, vt nemo ex ipsorum ordine transire posset ad ordinem Carthusianum, sine licentia obtenta à Superioribus, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ.

9 Simile priuilegium concesserant prius Innocentius VIII. Martinus V. & alij Summi Pontifices ordini sancti Hieronymi Hispaniarum, vt *in compendio prædicti ordinis, titulo transeuntes ad aliam Religionem, §. 1. 3. & seqq.* & dictum priuilegium confirmatum fuit à Gregorio XIII. sicuti refert Capucinus *in suis annotationibus in compendio Minorum; titulo*

Apostata ab ordine, circa finem, & Benedictus XI. Cœlestinus, *vt in tom. 3. in Appendice Bullarij, Bulla secunda*, quæ incipit, *Religiosam vitam, &c. §. 13. fol. 14.* & Sixtus IV. Canonicis Regularibus, *vt in tom. 1. Bulla* 10. quæ incipit, *Dum ad vniuersos, §. 13. fol. 347.* & Paulus III. Societati Iesu, *vt in tom. 1. Bulla* 48. quæ incipit, *Licèt debitum, &c. §. 11. fol. 687.* & Gre-
2 gorius XIII. eidem Societati, *vt in tom. 2. Bulla* 77. in eius extensione, quæ incipit, *Cum aliàs, & fol. 461.* & idem Gregorius XIII. clericis S. Pauli decollati, *vt in Bulla* 48. quæ incipit, *In specula, &c. fol. 418.* & Sixtus V. Somaschis, *vt in tom. 1. Bulla* 1. quæ
3 incipit, *Æquum reputauimus, &c. §. 3. fol. 490.* vt scilicet nullus Professus ex eis, quas dicebam, religionibus transire possit ad alium quemcunque ordinem, quamvis strictiorem, etiam Carthusianorum, bona licèt intentione ductus, seu motus, prætextu quorumcunque Priuilegiorum dictis ordinibus concessorum, & quarumcunque litterarum Apostolicarum, quascumque clausulas, etiam derogatorias in se continentium, quibuscumque alicuius ex eisdem, quas dicebam religionibus, Professis in posterum concedendarum, nisi in literis ipsis expressus consensus Generalis accesserit, & nisi de licentia eiusdem Generalis petita, & obtenta. Alioquin tam recipientes, quàm recepti excommunicationis sententiam, à qua nonnisi à Romano Pontifice, vel à dicto Generali, præterquam in articulo mortis constituti, absolui possint, eo ipso incurrunt. Vide etiam *infra, sect. 64.*

Hoc autem, sicut & quod in Aduertendo quarto dicebam, aduerte pro nostra, & pro omni ferè alia religione, quæ per communicationem idem Priuilegium participat, vt præter alios adnotauit Peregrinus *in compendio Priuilegiorum nostræ Religionis, titulo Transire, §. 1.*

Quomodò autem intelligenda sint hæc, & similia Priuilegia prohibentia talem transitum, & an his priuilegiis non obstantibus permitti possit prædictus transitus, videantur quæ dicebam *supr. sect. præcedenti*, & quæ dicam *infrà, sect. 65. corollar. 7. & 8.* Videatur etiam Sanchez *lib. 6. moral. c. 7. n. 10.* Vechius *in Praxi monit. disp. 15. dub. 3.* & Barbosa *de iure Eccles. lib. 1. cap. 42. n. 51.*

SECTIO LXIII.

An etiam Monialis transire possit de vna Religione in aliam strictiorem?

SVMMARIVM.

1 *Monialis etiam transire potest de vna religione ad aliam strictiorem, contra nonnullos; quia nullo iure constat id Monialibus esse nunc temporis detractum, seu interdictum. Adeò quod iusta causa intercedente potest transire etiam ad laxiorem.*

2 *Pius V. in constitutione, quæ incipit,* Decori, *prohibet ne Moniales egrediantur à Monasterio sine consensu Superioris, & nonnisi in casu incendij, vel morbi leprosi. At non ideò prohibuit transitum ad religionem strictiorem.*

3 *Abbatissa non potest concedere Monialibus hanc licentiam; sed Episcopus, vel alius Prælatus, cui Monasterium illarum subsit.*

4 *Abbatissa in Moniales non habet potestatem spiritualem, sed solàm domesticam, & ciuilem, qualem habent matres in filios, & filias.*

5 *Transitus Monialis ad Monasterium strictioris disciplinæ vt obtineatur, adiri debet Sacra Congregatio Regularium, vt concedat licentiam, pro qua requiruntur quatuor conditiones.*

6 *Monialis non potest transire ad aliud Monasterium, nisi quatuor concurrentibus: nempe primò, quod habeat aliud Monasterium paratum recipere. Secundò vt persoluat dotem. Tertiò quod non possit redire ad primum. Quartò quod recto tramite ducatur comitantibus matronis honestis, & consanguineis.*

7 *Monialibus licitum est absque vlla controuersia transire ex Monasteria non seruante clausuram, ad aliud Monasterium seruans illam.*

RESpondetur affirmatiuè.

Idque non solùm olim, sicuti docent S. Thom. 1
2. 2. q. 188. Glossa *in c. vnico, de statu Regul. in 6. verbo perpetua*, Gemin. *ibid. n. 11.* Archid. *n. 1.* Abbas *in c. finali, de statu Monach. n. 7.* Franc. *in c. 1. de Rel. domib. n. 2.* Syluest. *verbo Relig. 4. q. 16. d. 2.* Socin. *lib. 2. cons. 27.* Dec. *respons. 20. n. 13.* Greg. Lopez *in l. 9. verbo Relig. tit. 7. punct. 1.* & alij, quos sequitur Carolus Tapia *c. 9. n. 37. de sacrosanct. Eccles.* Quia quotiescumque quid disponitur de Monachis, idem censetur, si sexus qualitas non repugnet, disponi etiam de Monialibus, vt habetur *in cit. c. fin. de statu Monach. in fine, & in c. licet, §. cum etiam, de Reg.* & docent Bartol. *in l. 1. C. de Colleg. illicit. n. 16.* Decian. *vbi suprà*, Cardin. *in clem. 1. de Regul. q. 7.* Natta *lib. 2. cons. 432. n. 9. & seqq.* & Mandos *de signat. Gratiæ, titulo de licentiis, vers. qua vtrò.* Tum quia *in c. 1. 20. q. 4.* sic expressè disponitur in istis verbis: [Virgines sacræ, si pro lucro animæ suæ propter districtiorem vitam ad aliud Monasterium pergere disposuerint, Synodus concedit.] Vbi & id ipsum tradit Glossa verbo Virgines, communiter recepta.

Sed etiam, quidquid in contrarium dixerint alij, quos sequitur Azor. *tom. 1. Instit. moral. lib. 13. c. 8. q. 5.* nunc temporis, sicuti docent Zerola *in Praxi, p. 1. verb. Moniales, in fin.* Nauar. *in c. statuimus, 19. q. 3. notabil. 4. num. 48. & cons. 5. de statu Monach. n. 3. & seqq.* Roder. *tom. 3. qq. reg. q. 51. art. 6.* Tapia *cit. n. 37.* & Ricc. *lib. 8. c. 5. n. 4.* Et ita decisum est à Sac. Congreg. in vna Nannetensi, 16. Ianu. 1615. & in altera Redonensi, 31. Ianu. 1617. vti refert Ricc. *vbi sup. n. 4.* & meritò; quia nullo iure constat, id esse Monialibus nunc temporis detractum, vel interdictum; adeò quod iusta causa intercedente, Moniales possint transire etiam ad laxiorem Religionem. Decian. & Ricc. *in locis suprà cit.* & ita etiam Decisum esse ab eadem Sacr. Congreg. in allegata Nannetensi, refert Ricc. *in eodem loco cit.*

Objicies fundamentum aduersariorum: Pius V. in 2
constitutione, quæ incipit, *Decori*, prohibet ne Moniales egrediantur è Monasterio sine consensu Superioris, & nonnisi in casu incendij, vel morbi leprosi: Ergo prædictus transitus Monialiũ, de vna scilicet Religione ad aliam strictiorem, nõ est nunc tẽporis eis licitus.

Respondetur; Nego consequentiam, quia Pius V. in 3
dict. Constitutione *Decori*, non voluit aliquid de nouo prohibere Monialibus quoad transitum de vna Religione ad aliam Religionem strictiorem, nec voluit occludere etiam Spiritui sancto excitanti Moniales ad perfectiora, sed solùm voluit, nec Moniales aliis de causis, præter causam incendij, vel morbi leprosi dictã, egredi possint è Monasterio. Quapropter non voluit Monialibus prohibere, quod de iure communi positiuo, quinimò de iure naturali, & diuino eis competit. Adeò quod sicuti potest Religiosus, petita licentia, quamvis non obtenta, transire ad aliam Religionem strictiorem, ita & etiam possit similiter Monialis.

Aduerte tamen, quod Monialibus hanc licentiam non possit concedere Abbatissa, sed Episcopus, vel alius Prælatus, cui Monasterium illarũ subsit: sic DD. communiter, quos sequitur Roderic. *tom. 3. qq. regular. q. 52. art. 6.* quia cùm egredi è Monasterio Monialem sit quid magni momenti, non conuenit, quod id arbitrio mulieris committatur. Tum quia *in c. licèt, de Regular.* expressè habetur, quod in transitu ad aliam Religionem licentia petenda sit à Prælato; sed Abbatissa

non

non est propriè Prælata, sicuti rectè adnotatuot Syluester *verb. Abbatissa, in princip.* Armilla *ibid. num. 1.*
4 & alij passim; & meritò, quia Abbatissa in Moniales non habet potestatem spiritalem, sed solùm domesticam, & ciuilem, qualem habent matres in filios, & filias. Victoria *de potest. Eccles. q. 2. n. 4. & in summa, vbi agit de clauibus, n. 355.* Ledesma 5. *part. q. 50. art. 4.* Sotus *in 4. distinct. 50. q. 1. art. 4. col. 7. vers. hinc fit,* Henriquez *lib. 6. cap. 5. n. 3. & seqq.* & alij, quos sequitur Rodericus *tom. 1. quæst. regul. q. 15. art. 2. circa fin. & quæst. 15. art. 5.* ergo, &c.

5 Aduerte 5. pro foro externo, quod sæpè Sacr. Congregatio, præsertim in quadam Nanoetensi, & Rhedonensi respondetit, in tali casu recurrendum esse ad ipsammet Sacr. Congregationem, quæ etiam similes licentias concedere non solet, nisi quatuor conditionibus existentibus, quarum est

6 Prima, quod priusquam Monialis egrediatur à primo Monasterio, aliud Monasterium paratum sit ipsam recipere, & quod beneuolas habeat receptatrices, & quod etiam in hoc alio Monasterio per secreta suffragia capitulariter recipiatur.

Secunda, quod persoluat dotem à cæteris Monialibus persolui consuetam.

Tertia, quod ipsi Moniali transeunti spes auferatur redeundi ampliùs ad primum Monasterium.

Quarta, quod ad aliud Monasterium, comitantibus matronis, consanguineis, & grauibus, transeat recta via absque diuerticulo, & ita vt nullibi pernoctent, nisi solùm causâ hospitij, & tunc non nisi apud honestas personas. Videantur præter alios Barbosa *in collectan. Bullar. verb. Claustrales, n. 45. & 46.* & Portellus *in dubiis Regul. verb. Religionis transitus, n. 8. & 9.*

7 Aduerte 3. quod teste Ricciullo *vbi suprà, n. 6.* Sacra Congregatio responderit in allegata Rhedonensi, licitum esse absque vlla controuersia Monialibus transire de Monasterio non seruante clausuram ad aliud Monasterium seruans illam; quodque eadem sacra Congregatio responderit in altera Messanensi, die 9. Octob. 1618. licitum etiam esse hunc transitum ad alterius Monasterij gubernationem, seu instructionem, vel ad collapsæ disciplinæ restitutionem.

An autem ibi debeat facere Nouitiatum, & Professionem de nouo? vide *infrà, sect. 65. coroll. 6. & petit. 6.*

P E T I T I O.

An Monialis transiens de vna Religione ad aliam, debeat secum deferre dotem.

S V M M A R I V M.

1 *Monialis transiens de vna Religione ad aliam debet secum deferre dotem: Dos etiam esse debet, vbi sunt onera matrimonij, daturque pro Moniali accessoriè ad personam.*

2 *Monialis si transeat de vna religione ad aliam solùm ex voluntate propria & religionis, ad quam transit, satis probabile est, quod tunc non debeat secum deferre dotem; quia cùm religio, de qua transit, non consenserit in tali transitu, non debet priuari dote iam semel sibi acquisita.*

3 *Monialis si transeat ad Monasterium eiusdem Religionis, satis probabile est, quod non teneatur secum deferre dotem.*

4 *Dos Monialis Professæ transit ad Monasterium ea mortua fauore religionis, non ad heredes, seu dotantes; secus dic in matrimonio carnali. Et etiam si Monialis mortua fuerit in Nouitiatu ante Professionem; quia tunc Monasterium tenetur restituere dotantibus vnà cum fructibus, deductis tamen expensis.*

Respondetur affirmatiuè, si transeat de licentia, 1
vel consensu Religionis, de qua transit.

Probatur, quia dos, vt habetur *in l. si is qui, ff. de iur. dot.* esse debet, vbi sunt onera matrimonij; tum quia dos datur pro Moniali accessoriè ad personam ipsius Monialis, sicque sub tacita conditione, dum illa perseuerauerit in Religione: Quam conditionem inuoluit etiam dos, quæ datur viro ob matrimonium carnale. Bald. *in nouell. de dote, part. 1. n. 10.* Socin. *consil. 225. n. 3. vol. 5.* Tapia *in auth. ingressi, verb. sua, cap. 6. n. 10.* & alij passim; tum quia sic decisum videtur in vna Barcinon. die 10. Aprilis, anno 1615. vt ex Barbosa refert Tambur. *de iur. Abbat. disp. 5. quæst. 6.* Quatenus ibi inter conditiones necessarias pro transitu Monialium vna est, vt persoluat dotem à cæteris Monialibus persolui consuetá, sicuti *sup.* dicebam.

Dixi, si transeat de licentia, vel consensu Religio- 2
nis, de qua transit; quia si solùm transeat ex voluntate propria, & religionis, ad quam transit, satis probabile est, quod tunc non debeat secum deferre dotem; quia cùm Religio, de qua transit, non consenserit in tali transitu, non debet priuari dote iam sibi semel acquisita: Et cùm Religio, ad quam transit, volens Monialem transeuntem admittat, sibi tale incommodum imputare debet; In quo sensu intelligo Nauarrum, & Rodriguez, quos sequitur Sanchez *lib. 7. moral. c. 32. n. 15.*

Dixi etiam, *si transeat ad aliam Religionem*; quia si 3
solùm transeat ad aliud Monasterium eiusdem Religionis, satis probabile etiam est, neque tunc requiri, quod Monialis transiens deferat secum dotem; quia inter Monasteria eiusdem religionis est maior conuenientia, & communicatio, sicque veluti implicita quædam conuentio, quod ad inuicem, quotiescumque oportuerit, præsertim si superioris accesserit voluntas, quæ omninò necessaria est pro his casibus, talis transitus admittatur: Et in hoc sensu intelligo id, quod Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg. 105. n. 56.* ex Azmendariz *in addit. ad recopilat. leg. Nauar. lib. 5. tit. 18. l. 7. de Relig. n. 100. & seqq.* refert decisum de dote relinquenda Monasterio, de quo transit Monialis.

Vbi aduerte id, quod suprà dixi, applicari posse etiam ad casum, in quo Monialis ex sola voluntate summi Pontificis transeat de vno loco ad alium, itavt scilicet, si transeat ad eandem Religionem, non debeat secum deferre dotem; secus verò si transeat ad diuersam, propter rationes, quas *suprà* dicebam.

Aduerte 2. licèt dos, quæ datur pro matrimonio 4
carnali, non maneat apud virum mortua vxore, sed transeat ad heredes vxoris, Syluester *verb. Dos, n. 32.* & alij passim, in fauorem tamen Religiosi status consuetudine introductum esse, quod dos, quæ datur pro Moniali, remaneat apud Monasterium, etiam mortua Moniali; dummodò tamen ibi Monialis Professionem emiserit. Doctores, quos sequitur Sanchez *lib. 7. moral. cap. 9. num. 53.*

Dixi, *dummodo tamen ibi Monialis Professionem emiserit*, quia si ibi Professionem non emiserit, sed tempore Nouitiatus mortua fuerit, Monialis heredibus dos restitui debet, eaque etiam cum fructibus, si quos Monasterium receperit, deductis inde expensis victus, & vestitus, prout declarauit Sacra Congregatio apud Azmendariz *vbi suprà, num. 30.* & Barbosam *in collect. Bullar. verb. dos.*

At de his omnibus quæ dixi, tam quoad transitum, Nouitiatum, & Professionem de nouo, quàm quoad dotem Monialis, videantur præter Doctores supracitatos, Cardinalis de Lugo *de iust. & iur. tom. 1. disput. 3. sect. 13. n. 259.* Portellus *in dub. Regular. verb. Religionis transitus, num. 8. & 9.* Barbos. *in collectan. Bullar. verb. Claustrales, num. 45. & 46.*

& Tamburinus *vbi suprà*, *disp. 5. quæsit. 8.* Videantur etiam quæ dicentur *infrà*, *sect. 65. corollar. 6. & petitione 6.*

SECTIO LXIV.

Quidnam dicendum sit de Religione Minimorum Sancti Francisci de Paula.

SVMMARIVM.

1 *Religio Minimorum sancti Francisci de Paula est valdè stricta, & aspera, adeò quod nonnullis videatur strictior Religione Carthusianorum: quod probatur ex Constitutionibus Pontificiis idipsum asserentibus contra Nauarrum.*

2 *Religiosi prædicti Sancti Francisci de Paula ex voto tenentur abstinere semper ab esu carnium, lacticiniorum, ouorum, excepto tempore infirmitatis.*

3 *Leo X. in sua Constitutione ait B. Franciscum de Paula Regulam strictissimam instituisse, & eam sub perpetua quadragesimali vita per Fratres Ordinis huiusmodi obseruari: subdens esse contra Regulam, & contra votum eos carnes, & lacticinia comedere.*

4 *Carthusianus, vt dicitur in Constitutione Iulij II. & Leonis X. potest transire ad Religionem Sancti Francisci de Paula. Quamvis id quidem prohibeatur Fratribus minoribus de obseruantia.*

1 RESpondetur: Huiusmodi Religio est valdè stricta, & aspera, adeò quod nonnullis contra Nauarrum, & alios videatur esse strictior Religione Carthusianorum.

Et probant ex Constitutione Iulij II. quæ incipit: *Ex iniuncto nobis*, promulgata die 29. Martij, an. 1507. & ex altera Constitutione eiusdem Pontificis promulgata die 7. Maij, anno 1508. quæ referuntur in compendio Priuilegiorum eiusdem Religionis, quatenus in eis expressè dicitur, vitam Ordinis Minorum sancti Francisci de Paula cæteris aliorum Religiosorum Religionibus esse strictiorem, & arctiorem.

Probant secundò ex Constitutione Leonis X. promulgata die 18. Augusti, anno 1516. quatenus ibi etiam expressè dicitur, vitam & obseruantiam huius Ordinis, cæterorum quatuor Mendicantium Ordinum, & aliorum Religiosorum esse arctiorem, & strictiorem, vbi & Leo confirmat, quod priùs statuerat Iulius II. nullum scilicet eiusdem Ordinis Religiosum absque sua, & Generalis Correctorij licentia ad vllum alium Ordinem posse transire.

Quamvis Nauarrus cum quibusdam aliis, vt *suprà* dicebam, contrarium sentiat *consil. 21. de Regul.* quod scilicet prædicta Minimorum sancti Francisci de Paula Religio strictior, & arctior sit Religione Carthusianorum; adeò quod non peccet mortaliter Religiosus sancti Francisci de Paula transiens, nisi transgrediatur tria vota substantialia Religionis: quod improbant authores contrariæ sententiæ prioris, quia reuera,
2 subdunt ipsi, Religiosi prædicti S. Francisci de Paula ex voto tenentur abstinere semper ab esu carnium, lacticiniorum, & ouorum, excepto tempore infirmitatis, sicuti constat ex dicta Constitutione Leonis X. & ex altera Constitutione eiusdem Pontificis edita die
3 20. Martij, anno 1519. quatenus Pontifex ibi expressè ait, Beatum Franciscum de Paula regulam strictissimam instituisse, & eam sub perpetua quadragesimali vita per Fratres Ordinis huiusmodi obseruari, subdens esse contra Regulam, & contra votum eos carnes, & lacticinia comedere.

4 Accedit, quod in dictis Constitutionibus Iulij II. & Leonis X. dicitur: posse Carthusianos, & alios quoscumque Religiosos transire ad Religionem sancti Francisci de Paola, quamvis id quidem prohibeatur Fratribus Minoribus de obseruantia; quia Iulius II. prohibuit, ne possent isti Religiosi transire ad dictam Religionem sancti Francisci de Paula, vti patet ex quadam Constitutione eiusdem Pontificis, edita die 9. Iunij, anno 1555. Quemadmodum Pius V. etiam prohibuit, ne possent Capucini transire ad dictum Ordinem, nec Religiosi sancti Francisci de Paula transire ad Capucinos, vti constat ex Constitutione eiusdem Pontificis, promulgata die 6. Octobris, anno 1567. quæ omnia referuntur in Priuilegiis Ordinis prædicti sancti Francisci de Paula: sed de hac re, & de multis aliis, quæ spectant ad transitum Religiosi de vna Religione ad aliam, siue strictiorem, siue etiam laxiorem; vide quæ dicam infrà sectione sequenti, & quæ dicebam *suprà*, *sect. 52. 61. 62. & 63.*

SECTIO LXV.

COROLLARIA.

SVMMARIVM.

1 *Omnes Religiosi de iure transire possunt ad Religionem arctiorem; quamvis hoc non sit laudabile, nisi propter notabilem necessitatem, & vtilitatem; quia Apostolus hortatur ad manendum in vocatione: & ex tali transitu scandala oriri possunt.*

2 *In transitu prædicto non tam attenditur quænam Religio sit maioris perfectionis; sed quænam sit arctioris obseruantia.*

3 *Omnes Religiosi etiam Mendicantes de iure transire possunt ad Ordinem Carthusianorum, quamvis absolutè hic ordo non sit omnium perfectissimus.*

4 *Religio ad quam fit transitus, non est necesse vt sit in omnibus arctior; quia Religio Minimorum est in victu arctior, quàm Religio Carthusianorum, & tamen Minimi de iure præcisis priuilegiis transire possunt ad Carthusianos.*

5 *Canonici Regulares de iure transire possunt ad Religionem Monachorum; quia Religio Monachorum est strictior Religione Canonicorum.*

6 *Cluniacenses de iure transire possunt ad Ordinem Cisterciensem; idque propter eandem rationem.*

7 *Mendicantes, sicut de iure possunt transire ad Ordinem Carthusianum; ita è contra Carthusiani ad Ordinem Mendicantium.*

8 *Transitus ad Religionem etiam arctiorem fieri debet matura deliberatione, & studio melioris vitæ. Secundò, vt licentia petatur à Prælato, qui tenetur eam dare. Tertiò, vt Monasterium ad quod fit transitus, sit arctius. Quartò, vt expleat annum probationis, si transeat ad Ordinem distinctum, &c.*

9 *Transiens de vna ad aliam religionem, tenetur de nouo facere nouitiatum vnius anni completi, & de nouo profiteri, itavt id necessarium sit etiam quando transit de vna familia ad aliam eiusdem Ordinis.*

10 *Excipe primò, nisi quis transeat de vna Religione ad aliam, vt sit ibi Prælatus, quia tunc sufficit professio tacita.*

11 *Excipe 2. si quis transeat de statu Clericorum ad statum laicorum, seu conuersorum in eadem religione.*

12 *Excipe 3. si quis ex Fratribus discalceatis Sanctissimæ Trinitatis transeat ad calceatos; quia licèt teneatur facere annum probationis, non tamen tenetur ad nouam professionem.*

13 *Religiosi si iusta causa subsit, v.g. collapsa sit disciplina in strictiore, vel odia, & simultates in illa vigeant, potest transire ad laxiorem, &c.*

14 *Pontifex sine iusta causa, neque potest dare licentiam Religioso transeundi ad laxiorem; quia interuenit quadam votorum relaxatio. Quod non est quando*

Relig io

Religio, ad quam fit transitus, est absolutè perfectior, quia tunc est commutatio.

15 *Transitus quando fit ad religionem laxiorem, non sufficit, quod qui transit, petierit licentiam, sed requiritur praeterea, quod eam obtinuerit; quamvis non censeatur apostata, si sine licentia superioris dimissa habitu transeat.*

16 *Neque in dicto casu excommunicationem incurrit, contra nonnullos contrarium tenentes.*

17 *Episcopus potest dare dictam licentiam, si Monasterium sit ei subiectum, & si sit exemptum, dare potest Superior, qui habet iurisdictionem quasi Episcopalem.*

18 *Decretum Concilij Tridentini prohibet talem transitum si fiat sine iusta causa; secus è contra iusta causa interueniente.*

19 *Neque obstat, quod Mendicantes de iure communi etiam cum licentia sui Generalis transire non possint ad non Mendicantes, praeterquam ad Carthusianos, quia extrauagans id prohibens non est vsu recepta.*

20 *Extrauagans citata agit solùm de illis, qui id faciendi iustam causam non habent.*

21 *Generales ex priuilegio possunt interdum suis subditis dare hanc licentiam.*

22 *Priuilegium praedictum intelligitur solùm de Ordinibus claustralibus.*

23 *Congregatio Clericorum Regularium Theatinorum, & aliae religiones participant dictum priuilegium, licèt in eo sit clausula prohibitiua communicationis, & participationis per Priuilegium Gregorij XIV. concessum Congregationi sancti Bernardi Regnorum Hispaniae, & per alia priuilegia.*

24 *Religiosus Mendicantium transiens ad Ordinem non Mendicantium, etiam cum facultate Pontificis, redditur inhabilis ad omnes dignitates, & beneficia intra, vel extra Ordinem obtinenda, ad curam animarum, & ad omnia officia, etiam nomine Vicarij, &c.*

25 *Religiosus quilibet generatim ad aliam Religionem etiam arctiorem translatus est incapax beneficiorum saecularium, etiamsi fuerint curata, debetque perpetuò manere in claustro.*

1 EX dictis *sect. 52. & seqq.* sequitur, quod omnes Religiosi de iure transire possint ad Religionem arctiorem, *cap. licèt, de Regularibus.*

Quamvis hoc non sit laudabile (nisi propter notabilem necessitatem, vel vtilitatem) quia Apostolus 1. Corinth. 7. inquit, quod *quisque in vocatione, in qua vocatus est, permaneat*, quod praesertim locum habet in statu perfectionis: tum quia ex tali transitu saepè saepius scandalizantur illi, ex quibus fit transitus; tum quia faciliùs quilibet proficit in ea Religione, in qua consueuit, quàm in alia, in qua non consueuit. S. Thomas 2. 2. q. 189. art. 8. tum tandem, quia Cassian. ex Abbate Nestorete *collat. 14. cap. 5.* ait, quod cuique vtile est, vt secundùm propositum, quod elegit, summo studio, ac diligentia ad operis arrepti perfectionem peruenire festinet, & nequaquam à sua, quam semel elegit, professione discedat.

2 Dixi, *ad Religionem arctiorem*; quia in tali transitu non tam attenditur, quaenam religio sit maioris perfectionis, quamvis contrarium non omninò improbabiliter teneant S. Thomas, Paludanus, Sanctus Antoninus, Sylvester, & alij; sed quaenam religio sit arctioris obseruantiae, in qua religiosus, qui transit, tutiùs, & meliùs possit salutem suam operari, sicuti tenent communiter Doctores, & colligitur *ex dicta cap. licèt.* Hinc

3 Sequitur secundò, quod omnes Religiosi, etiam Mendicantes, de iure transire possint ad Ordinem Carthusianorum, vt habetur in extrauaganti Martini IV. quae incipit: *Viam Ambitiosa*, in communibus, quamvis absolutè hic Ordo non sit omnium perfectissimus.

Vbi aduerte, quod non necesse sit, vt Religio, ad quam fit transitus, sit in omnibus arctior; quia Religio Minimorum, cum non vtatur ouis, nec lacticiniis, est in victu arctior, quàm Religio Carthusianorum; & tamen Minimi de iure, quidquid sit ex Priuilegiis specialibus tali Religioni concessis, eum numerentur inter Mendicantes, transire, sicut & Capucini, possunt ad Carthusianos; Religio tamen Carthusianorum est arctior in silentio, solitudine, & officij diuini prolixitate. 4

Sequitur tertiò, quod Canonici Regulares de iure transire possint ad Religionem Monachorum, vbi disciplina benè seruatur, *cap. sanè, de Regular.* Quia Religio Monachorum est strictior Religione Canonicorum Regularium, vt habetur *in cap. quod Dei timore, de statu Monachor.* 5

Neque obstat textus *in cap. Mandamus, & in cap. Nullus, 19. quaest. 3.* vbi id videtur prohiberi; quia ibi solùm prohibetur, ne transitus iste fiat ex ira, odio, leuitate animi, vel alia perturbatione, vel cum detrimento aliquo Ecclesiae, vt *ibidem* notat Glossa, quam sequuntur alij communiter Doctores.

Sequitur quartò, quod Cluniacenses de iure transire possint ad Ordinem Cisterciensium, *cap. licèt, de Regularib.* idque propter eandem rationem. 6

Sequitur quintò, quod ex Syluestro *verbo Religio 4. q. 6.* Nauarro *tit. de Regularib. consil. 68.* & aliis, sicuti de iure Mendicantes transire possunt ad Carthusianos, ita vicissim de iure Carthusiani transire possint ad Mendicantes, si hîc Regula benè seruetur, & transitus sine lite, & alio graui incommodo fiat, quamuis contrarium ego, tanquam quid probabilius, *suprà sect. 62.* tradiderim. 7

Sequitur sextò, quod transitus ad religionem etiam arctiorem fieri debeat matura deliberatione, & studio melioris vitae. 8

Secundò, vt licentia, ne obedientia contemni videatur, petatur à Praelato, qui tenetur eam dare, quia si non det, hoc ipso ius eam concedit, vt habetur *in dicto cap. licèt*: quod si non petita licentia transeat, poterit saltem ante professionem in posteriori Religione factam reduci ad prioris Religionis Monasterium, vt faciat quod iure debebat: sic Doctores, quos sequitur Nauarrus *de Regul. cons. 59.* quamvis si non leuitate animi, sed matura deliberatione transiuerit, reduci forsan non debeat, vt alij tradunt, & colligitur *ex cap. sanè, de Regularibus.*

Tertiò, si scilicet sine dispensatione superioris ex causa aliqua rationabili loquamur, vt Monasterium, ad quod quis transit, sit arctius, non solùm instituto, sed etiam vsu, & obseruatione, quia ideò fit commutatio, vt Religiosus, qui transit, ibi sanctius, & tutius viuat.

Quartò, vt expleat annum probationis. Nauarrus *lib. 3. consil. de Regul. consil. 5.* & alij passim, quia Tridentinum Concilium generatim requirit hunc annum, quo expleto Religiosus, qui transiit, profiteri debet, & iuxta ordinem huius professionis in Capitulo locum obtinebit, vt idem Nauarrus docet *loco suprà citato, consil. 60.*

Quicumque igitur transit de vna religione ad aliam, tenetur de nouo facere Nouitiatum vnius anni completi, & de nouo profiteri, itavt id necessarium sit etiam quando transit de vna familia ad aliam eiusdem Religionis, vt si v.g. transeat à Carmelitis discalceatis ad Carmelitas Obseruantes, vel à Capucinis ad Fratres Minores, aut è contra, quia etiam istae Religiones habent diuersas austeritates, & diuersos modos viuendi, vt propterea tam ex parte Religionis, ad quam fit transitus, quàm ex parte Religiosi, qui transit, fieri debeat probatio de nouo per annum completum in Ordine ad nouam professionem in Religione, ad quam fit transitus. Et ideò Rota apud Farinacium *decis. 135. num. 7. part. 2. recent.* censuit, quod 9

Monialis

Monialis vnius Monasterij, transiens ad aliud, si in hoc alio, ad quod transit, non emiserit Professionem, non fit Monialis talis Monasterij, ad quod iam transit, quamvis n. 8. teneat sufficere professionem emissam in Monasterio, de quo transit, quotiescumque transit de vno Monasterio ad aliud Monasterium eiusdem Regulæ. Barbosa *in collect. Bullar. verb. Claustralis, num.* 85.

10 Excipe primò, si quis transeat de vna Religione ad aliam, vt sit ibi Prælatus; quia tunc sufficiet Professio tacita, nec opus erit annus probationis; quinimò non videtur opus esse Professio noua, quia substantialia sunt eadem; & ad cætera satis obligari censetur ea lege, & consuetudine, qua cæteri Prælati Regulares tenentur se communi Regulæ, & loci statutis conformare. DD. quos refert, & sequitur idem Nauarrus *citato cons.* 3.

11 Excipe 2. si quis transeat de statu Clericorum ad statum laïcorum, seu conuersorum in eadem Religione, iuxta ea quæ dicam *infrà, petit.* 5.

12 Excipe 3. si quis ex Fratribus discalceatis Sanct. Trinitatis transeat ad calceatos; quia & talis non tenetur emittere nouam Professionem, licèt debeat facere de nouo annum probationis, iuxta declarationem Sacr. Congregationis apud Barbosam *in collectan. Bullar. verb. Claustrales, n.* 86. & Nouatium *in lucerna Regul. verb. Translatio, n.* 25.

Sed quoad Nouitiatum, & Professionem de nouo faciendam, vel non faciendam, vide quæ dicentur *infrà, petit.* 6.

13 Sequitur 7. quod Religiosi, si iusta causa subsit; v.g. vti diffusiùs dicebam *suprà, sect.* 59. collapsa sit disciplina in Religione strictiori, vel odia, & simultates in illa vigeant, vel quis ex ipsis sit aliis exosus; vel ob corporis debilitatem non possit ferre rigorem, cum licentia Superioris transire possint ad ordinem laxiorem. Glossa *in cap. non est dubium, de Regul.* Abbas *ibidem*, & *in cap. significatum, eodem tit.* Innocentius *ibidem*, Ostiensis *in sum.* Sylvester *verb. Religio* 4. *q.* 2. Nauar. *comment.* 4. *n.* 11. & alij passim, & vsus ipse confirmat. Vide quæ dicebam *suprà, sect.* 59.

14 Dixi, *si iusta causa subsit*; quia sine causa nec Pontifex potest concedere; quia interuenit quædam votorum relaxatio, quæ sine causa validè fieri non potest.

Cùm autem fit transitus ad Religionem strictiorem, vel talis Religio est absolutè perfectior, & sic solùm interuenit commutatio in meliùs, itavt opus non sit relaxatione; vel solùm est arctior, & sic interuenit aliqua votorum relaxatio, cùm qui transit, liberetur ab obligatione operum perfectiorum, itavt ea commutentur in obligationem operum pœnitentiæ, quæ sunt in se ipsis minùs perfecta, quamvis ei, qui transit, ob fragilitatem sint magis conducentia ad salutem.

15 Dixi 2. *cum licentia Superioris*; quia quando fit transitus ad Religionem laxiorem, non sufficit quod qui transit, petierit licentiam, sed requiritur prætereà, quod eam obtinuerit, quia ius aliter non concedit.

Quamvis si sine licentia Superioris dimisso habitu transeat, non censeatur apostata, sicuti quidam contendunt, quia in tali casu qui transit, statum Religiosum non absolutè deserit, sed potiùs commutat, vti suprà loco suo dicebam. Vide etiam quæ dicam *infrà, petit.* 10.

16 An autem incurrat excommunicationem?

Respondetur, quod quamvis Sylvester, Caietanus, & alij, quos citat, & sequitur Nauarrus *in summa, cap.* 22. *n.* 131. *circa fin.* affirment ob textum *in cap.* 2. *ne Clerici, vel Monach. in* 6. Probabilius tamen Dominicus, & Ioan. Andreas *in dict. cap.* 2. Abbas *in cap. sanè, de regular.* & Angelus *verbo Religiosus, n.* 37. negent, ob similem rationem; quia in dicto casu, qui transit, habitum Religiosum non tam dimittit, quàm commutat; præsertim cùm immediatè assumit alium; neque id facit causa euagandi: Quæ fuit ratio tam acriter id prohibendi; quapropter cùm lex pœnalis strictè sit interpretanda, non extendenda videtur ad hunc casum: quod & colligitur *ex cap. in parte, de tempor. ordin.*

Sequitur 8. quod si Monasterium sit subiectum Episcopo, hanc licentiam dare possit Episcopus; si sit exemptum, dare possit Superior, qui iurisdictionem habet quasi Episcopalem in suos subditos; requiritur tamen consensus Capituli. Sylvester *verb. Religio* 4. *q.* 2. Glossa *in cap. non est dubium, de Regularib.* Rosella *verbo Abbas, n.* 4. Nauarrus *cons.* 56. *de regul. n.* 3. & alij passim; quia hæc res est vna de maioribus Monasterij negotiis, in quibus iuxta regulam, & Canones requiritur consensus Capituli; quamvis in contrarium inclinent Ostiensis *in cap. finali, de renuntiat. n.* 3. Antonius *ibidem, n.* 13. & Addent. *ad Panormitanum in cap. non est, de regular. lit. C, circa finem*, quatenus aiunt, id non esse simpliciter quid necessarium, sed solùm quid tutius. 17

Non obstat, quod Tridentinum Concilium *sess.* 25. *cap.* 19. decernat, vt nullus Religiosus vigore cuiuscumque facultatis transferatur ad Religionem laxiorem. 18

Respondetur enim cum Nauarro *citato cons.* 56. dictum Concilium intelligi, si id fiat absque iusta causa, vel non præmissa causæ cognitione (quemadmodum olim interdum fiebat, quibusdam Prælatis id suo arbitratu concedentibus) vel denique si fiat sine consensu Capituli, ad mentem scilicet nonnullorum, quos suprà dicebam.

Non obstat secundò, quod Mendicantes de iure communi, etiam cum licentia sui Generalis, transire non possint ad non Mendicantes (præterquam ad Carthusianos) absque licentia Pontificis: adeò quod si contrafecerint, tam recipientes, quàm recepti sint ipso facto excommunicati, & Professio sit nulla, sicuti patet *ex extrauaganti prima de Regular.* quæ incipit: *Viam Ambitiosæ*, in communibus. 19

Respondetur enim, extrauagantem istam non esse vsu receptam: quapropter Nauarrus *dicto consil.* 56. absolutè docet, quod Generalis Ordinis sancti Augustini suis subditis concedere possit facultatem transeundi ad Religionem laxiorem, ex iusta scilicet causa; idque probat de iure communi, nec huius extrauagantis, vtpote non vsu receptæ, aliquam mentionem facit; vel

Respondetur 2. quod dicta extrauagans agat solùm de illis, qui id faciendi iustam causam non habent: quod satis clarè insinuatur in illis verbis: *Fucatis coloribus*, & vt liberiùs degant, & beneficia Monastica consequi valeant. 20

At quidquid sit de hoc, dicendum saltem est, quod interdum Generales ex priuilegio possint subditis suis hanc licentiam dare; quia, vt omittam alios, Gregorius XIII. Priuilegium, quod incipit: *cùm alias*, quodque refert de verbo ad verbum Rodericus *in sua collectione Priuilegiorum, Bulla* 24. *sub Gregorio XIII. & est in Bullario Romano tom.* 2. *Bulla* 77. *in eius extensione, fol.* 463. *col.* 1. dic 22. Decembris, anno 1582. Societati Iesu concessit, vt Generalis dictæ Societatis, seu Religionis possit suis subditis concedere licentiam transeundi ad quemcumque alium Ordinem Mendicantium, vel non Mendicantium, paris, laxioris, vel arctioris obseruantiæ per ipsum Generalem illis præscribendum. Vide quæ dicebam *supr. sect.* 59. 21

Vbi aduerte, quod prædictum Priuilegium solùm intelligatur de ordinibus claustralibus, non item de ordinibus militantibus. 22

Aduerte 2. quod licèt in dicto Priuilegio adsit clausula prohibitiua communicationis, & participationis, nostra tamen Clericorum Regularium, sicut 23

&

& omnis alia ferè Religiosorum aliorum religio, non obstante hac clausula, priuilegium hoc participat per priuilegium Gregorij XIV. concessum Congregationi sancti Bernardi Regnorum Hispaniæ, & per alia priuilegia aliorum Pontificum, sicut præter alios adnorarunt Rodericus *tom. 1. quæst. regular. q. 55. art. 17.* & Peregrin. *in compend. priuilegiorum nostra prædicta religionis, verb. transire, §. 2. in scholio, circa finem.*

24 Cæterum, quatenus spectat ad Religiosos mendicantes, si quia ex ipsis Religiosis mendicantibus transeat ad ordinem non mendicantem, etiam cum facultate Pontificis, redditur inhabilis ad omnes dignitates, & beneficia intra, vel extra ordinem obtinenda, ad curam Animarum, & ad omnia officia, etiam nomine Vicarij, seu vt locum tenens, & caret loco, & voce actiua, & passiua in Capitulo, sicuti patet ex Clementina prima, vt professores, de regularibus, vbi sub nomine officij Doctores intelligunt etiam officium Prædicatoris. Et quidam etiam officium Lectoris Theologiæ; cùm hæc omnia in Religione communiter dicantur officia. *Vide quæ dicam infrà, petitione 9.*

25 Accedit, quod generatim quilibet Religiosus ad aliam religionem etiam arctiorem translatus, fit incapax beneficiorum sæcularium, etiamsi fuerint curata, debeatque perpetuò manere in claustro sub obedientia Superioris, vti decreuit Tridentinum Concilium *sess. 15. cap. 11.* Vide quæ dicam *infrà, cit. petitione 9.*

Sed vt hæc, quæ dixi, meliùs habeantur, sint petitiones sequentes.

PETITIO I.

An, & quid dicendum, si quis ingreditur aliquam religionem animo transeundi ad aliam, postquam professionem emiserit, vel animo reuertendi ad sæculum postquam studiorum cursum compleuerit, vel Presbyteratum consequutus fuerit.

SVMMARIVM.

1 *Ingrediens aliquam religionem animo transeundi ad aliam, postquam professionem emiserit, vel animo reuertendi ad sæculum, postquam studiorum cursum compleuerit, vel presbyteratum consequutus fuerit, peccat grauiter, quia religionem decipit in re graui, tenerurque ad compensationem expensarum; secus si postea de facto legitimo modo transierit, quia tunc vtitur iure suo.*

1 Respondetur: peccat grauiter, quia religionem decipit in re graui, quinimmò videtur, quod teneatur ad compensationem expensarum, quas conuentus, vel Monasterium fecit in ipso nutriendo (detractis iis, quæ ipse proprio labore, & ministerio in vtilitatem Conuentus, vel Monasterij fecit) quia cùm malitiosè Conuentui, vel Monasterio damnum intulerit, videtur quod teneatur tale damnum compensare, Sanchez *lib. 6. moral. cap. 10. n. 2.* & alij quos sequitur Bonacina *in tract. de clausur. q. 4. punct. 9. §. 1. n. 2.*

Cæterùm si de facto posteà legitimo modo transierit ad aliam religionem, transitus erit validus; quia vtitur Iure suo, Sanchez, & Bonac. *in locis suprà citatis.*

PETITIO II.

An, & quid dicendum de Concilij Tridentini *sess. 14. de reform. cap. 11.* Decreto, vbi dicitur [quia verò regulares de vno ordine ad alium ordinem translati, facile à suo Superiore licentiam standi extra Monasterium obtinere solent, ex quo vagandi, & apostatandi occasio tribuitur, nemo cuiuscumque ordinis Prælatus, vel Superior vigore cuiusvis facultatis aliquem ad habitum, & professionem admittere possit, nisi vt in ordine ipso, ad quem transferitur, sub sui Superioris obedientia in claustris perpetuò maneat.]

SVMMARIVM.

1 *Recipiens, & transiens ex vna ad aliam religionem ex vi decreti Tridentini cap. 11. sess. 14. de reformat. animo non manendi intra claustra perpetuò, grauiter peccat, quia in re graui facit contra Decretum.*

2 *Receptio istius non est irrita, neque irritus transitus ex vi prædicti decreti.*

3 *Religionis Superior, non obstante prædicto decreto potest dare Religioso sic transeunti eas licentias standi extra Monasterium, quas aliàs licitè, & de iure communi dare potest aliis Religiosis.*

4 *Sacra congregatio declarauit posse Prælatum prædictis transeuntibus concedere licentiam morandi ad modicum tempus extra Monasterium, seu conuentus, causa prædicandi verbum Dei, vel audiendi confessiones.*

Respondetur, & dico primò, ex vi talis decreti, tam recipiens, quàm transiens ex vna Religione ad aliam animo non manendi intra claustra perpetuò, grauiter peccat; quia in re graui facit contra decretum. 1

2 Dico 2. ex vi prædicti decreti non est tamen irrita receptio, neque irritus transitus; quia Concilium non apponit clausulam irritantem.

3 Dico 3. Non obstante prædicto decreto potest etiam Superior religionis dare Religioso sic transeunti licentias statim extra Monasterium, quas aliàs licitè, & de Iure communi dare potest aliis Religiosis eiusdem religionis; quia Concilium solùm videtur intendere, quod Religioso sic transeunti non dentur ex licentiæ existendi extra Monasterium, quibus vagandi, vel apostatandi occasio tribuitur.

4 Confirmatur, quia de facto sacr. Congregatio *apud Armendariz. in addition. ad recopilat. legum Nauarræ, lib. 1. tit. 18. leg. 7. de Relig. n. 69.* & Barbosam *in collectan. Bullar. verb. claustrales, n. 103.* declarauit, posse Prælatum prædictis transeuntibus concedere licentiam morandi ad modicum tempus extra Monasteria, seu conuentus, causa prædicandi verbum Dei, vel audiendi confessiones.

Videantur de hac re præter alios Suarez *4. tomo de religione, tract. 8. lib. 3. cap. 15. n. 8.* & Sanchez *lib. 6. moral. cap. 7. n. 83.*

PETITIO III.

An transire possit ad religionem arctiorem totus Conuentus?

SVMMARIVM.

1 *Conuentus totus transire potest ad religionem striciorem, seruatis seruandis; est enim eadem ratio de transitu totius Conuentus, ac de transitu particularis Religiosi.*

1 Respondetur affirmatiuè, seruatis tamen seruandis, quæ suprà dicebam. Rodrig. *tom. 3. q. 55. art. 6.* & alij, quos sequitur Bonacina *de clausur. q. 2. punct. 9. §. 1. n. 5.* & Bordon. *resolut. 19. num. 64.*

Probatur, quia sic supponitur *in cap. Recolentes, verb. cæterùm, de stat. monach.* Tum quia est eadem ratio de transitu totius Conuentus, ac de transitu particularis Religiosi.

PETITIO IV.

An transire possit ad religionem arctiorem Episcopus regularis? vbi etiam an transire possint

possint Laïci professi, Religiosi Militares, Tertiarij, seu Tertiariæ, & oblati, vel Donati?

SVMMARIVM.

1 *Episcopus Regularis, Laici Professi, Religiosi Militares, Tertiarij, vel Tertiariæ, & Oblati transire possunt ad Religionem arctiorem, cum licentia tamen summi Pontificis; quia arctior semper præsupponitur maioris perfectionis.*

2 *Episcopi redeuntes ad Religionem transire possunt ad arctiorē cum licentia superioris Prælati religionis.*

3 *Laici professi, sicut & clerici transire possunt ad religionem strictiorem, seruatis iisdem conditionibus.*

4 *Religiosi Militares transire possunt ad Religionem arctiorem, etiam absque licentia suorum Superiorum, & ad quoscumque claustrales, cùm in claustris non degant.*

5 *Tertiarij, & Tertiariæ, cum non sint verè Religiosi, transire possunt ad quamcumque religionem.*

6 *Oblati, seu donati, qui etiam votorum professionem non emittunt, pariter possunt transire ad aliam religionem strictiorem, & etiam ad quamcunque.*

1 Respondetur affirmatiuè, cum licentia summi Pontificis, Sanchez *lib. 6. moral. cap. 7. n. 8.* & Bonacina *loc. citato.*

Probatur quoad partem priorem; quia Religio arctior semper præsupponitur esse maioris perfectionis, quàm sit Religio laxior; & ex alio capite cuilibet licitum est semper quærere perfectionem maiorem.

2 Probatur quoad partem posteriorem; quia sic desumitur *ex cap. licet, de regul.* vbi generaliter prohibetur Episcopis, ne transire possint ad Religionem absque licentia summi Pontificis: quod idem propter eandem rationem dicendum est de Episcopis Regular. qui iam ex licentia summi Pontificis Episcopatū renunciarunt.

Quamuis, si isti redeant ad suam Religionem sub obedientia Prælatorum eiusdem suæ Religionis, satis sit, vt transire possint, quod licentiam petant à Superioribus suæ Religionis, sicut & alij: videantur Sanchez, & Bonacina *in locis suprà citatis.*

3 Cæterum transire possunt etiam ad Religionem strictiorem Laici Professi, sicut & Clerici, seruatis eisdem conditionibus, quas *suprà sect. 5 2.* diccbam de *Clericis.* Videri poterit præter alios Suarez 4. *tom. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 10. n. 1.*

4 Item transire possunt Religiosi Militares, adeò quod tales, cùm in claustris vitam communem non degant, etiam absque licentia suorum Superiorum transire possint ad quoscumque claustrales: Et resoluit Rota in vna Bononiensi Professionis, anno 1612. die 14. Maij, corā Merl. *apud Vecchiam in Praxi Nouit. disp. 15. dub. 2. n. 14.* & Barb. *in collect. Bullar. verbo claustrales, n. 64.*

5 Item transire possunt Tertiarij, & Tertiariæ, adeo quod & tales, cùm non sint verè Religiosi, transire similiter possint ad quamcunque Religionem; quia quælibet Religio est perfectior statu quem de facto obtinent, & seruant.

6 Item transire possunt Oblati, seu Donati, qui trium Votorum Professionem non emittunt, sed se, & sua Monasterio, seu Conuentui donatunt, quidquid in contrarium dixerint quidam Doctores, negantes id ex eo: quia prædicti Oblati, seu Donati sint quasi serui Conuentuum, seu Monasteriorum, quibus se donarunt. At minùs rectè, quia reuerà non sunt serui Conuentuum, seu Monasteriorum, sed ad pias operationes exercendas pij, & deuoti Oblatores sui, suorumque bonorum: Et quamuis id fecerint per pactum, vel donationem irreuocabilem, habent tamen semper implicitè imbibitam illam conditionem, sicut & contingit in quacumque obligatione facta cum homine, nisi ad meliorem statum, sicque multò magis ad Religionem se recipere voluerint. Sanch. *lib. 6. moral. cap. 7. n. 9.* Bordon. *resol. 29. n. 54.* Suarez *vbi suprà*, qui rectè subdit, quod & possint etiam, cùm non sint verè Religiosi, transire ad quamcunque Religionem, sicuti de Tertiatiis *suprà* dicebam.

PETITIO V.

An iussu, & authoritate Superiorum transire, vel transferri, seu deiici possit ad statum Laicorum, seu conuersorum in eadem Religione Clericus ad chorum deputatus? Vbi etiam an è contra transferri possit ad statum Clericorum Laicus, seu Conuersus?

SVMMARIVM.

1 *Clericus ad Chorum deputatus in eadem Religione iussu & authoritate Superiorum transire, vel trāsferri potest ad statum Laicorum. Potest enim is affici pœna eiectionis, triremis, vel carceris per Superiorem.*

2 *Causæ translationis Clerici ad statum Laici sunt tres, videlicet punitio delicti, ineptitudo ad litteras, & magnus ardor vitæ humilis.*

3 *Item non debet, vt ejiti, vel transferri possit ad statum Laicalem, existere in Sacris.*

4 *Item sic translatus non tenetur horas recitare.*

5 *Laicus, seu conuersus è contra transferri non potest in eadem religione ad statum Clericorum, ve ij sequantur suam vocationem, ex Apostolo.*

6 *Laicus, vel Conuersus casu quo ad Tonsuram, vel ad Ordines etiam Sacros sine legitima facultate se promoueri fecerit, his omnibus priuandus est, vt præcipuè puniatur in eo, in quo deliquit.*

7 *Laicus, seu Conuersus prædictus, non solum priuatur vti Tonsura Clericali, sed non potest exercere ordines quoscumque suscepit; neque potest more Clericorum officium Canonicum recitare, quòd in religione non fuerit choro destinatus.*

8 *Laicus, seu conuersus prædictus, casu quod ad statum Clericorum transferri (siue licitè, siue illicitè id factum fuerit) non requiritur reiteratio Nouitiatus Clericatui proportionati; quia pro legitimo anno Nouitiatus sufficit, si solum in genere maneat sub obedientia Prælati toto illo anno.*

9 *Referuntur hac in re plura decreta Sacræ Congregationis Episcoporum.*

Respondetur affirmatiuè. Ledesma 2. *part. summa, tract. 9. cap. 4.* Sotus *de Iust. lib. 10. q. 9. art. 3.* Azor *tom. 1. Institut. moral. lib. 10. cap. 6. q. 7.* Sanchez *lib. 6. mor. c. 7. n. 81.* & Laurentius de Peyrinis *tom. 1. de subdito, q. 1. de obedientia, cap. 24.* 1

Probatur, quia potest prædictus Clericus à suis Superioribus affici pœna eiectionis, triremis, vel carceris, &c. maiori. Ergo & affici poterit pœna ista minori.

Vbi aduerte, quod causæ propter quas Clericus ad Chorum deputatus possit transire, vel transferri, seu dejici ad Laicos, seu Conuersos (regulariter sint tres, scilicet punitio delicti, ineptitudo ad litteras discendas, & magnus ardor vitæ humilioris. 2

Aduerte 1. quod (vt prædictus Clericus transire, vel transferri, seu dejici possit ad statum Laicorum, seu Conuersorum (necesse sit, quod non existat in Sacris; quia si in Sacris existat, ad ordinem inferiorem transire, vel transferri, seu deiici non poterit, etiamsi à suis Ordinibus Sacris suspendatur. 3

Aduerte 3. quod prædictus Clericus (scilicet ad chorum deputatus, & non existens in Sacris) transiens, vel translatus, seu deiectus ad ordinem Laicorum, seu Conuersorum, non teneatur horas Canonicas recitare; quia tota ratio, cur Clericus deputatus ad chorum, & non existens in Sacris, teneatur illas recitare, est dicta deputatio, seu destinatio ad chorum, & religionis consuetudo, quæ vtraque cessat in casu, de quo loquimur. Videantur Doctores iidem, quos *supr.* citabā. 4

An

An autem è contra transferri possit in eadem Religione ad statum Clericorum laicus, seu Conuersus?

Respondetur negatiuè, etiamsi professus ibi fuerit.

Probatur, quia sic habetur in Decretis Clementis VIII. pro institutione Nouitiorum in monasteriis designatis, vel designandis (quæ decreta sunt etiam approbata à Sacra Congregatione sub Vrbano VIII. & habentur simul cum decretis de apostatis, & eiectis) ibi: [Qui ad Conuersorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possunt:] Quamuis à Sacra Congregatione Regularium die 10. Februarij, anno 1634. permissus fuerit transitus cuiusdam Conuersi ad statum Clericalem solùm pro esu, quo in statu laicali non fecerit Professionem tacitam, vel expressam; & videri poterunt etiam quæ dicam infrà in fine Petitionis præsentis; & meritò tum ex eo, vt Laici, seu Conuersi sequantur suam vocationem iuxta præscriptum Apostoli 1. *Corinth.* 7. Tum ex eo, vt non habeant ansam, vel occasionem talis ambitionis, quam sæpe sæpius habere consueuerunt.

6 Vbi aduerte, quod casu quo quis Laicus, vel Conuersus ad Tonsuram, vel ad Ordines, etiam Sacros, sine legitima facultate se promoueri fecerit, his omnibus priuari debeat: tum ex eo, ne (vtpotè rebellis, & inobediens) sit melioris conditionis, quàm Laici, seu Conuersi quieti, & obedientes, qui sua Professione contenti talem ambitionem non exercuerunt; tum ex eo, vt præcipuè puniatur in eo, in quo deliquit, iuxta Ius tam Canonicum, quàm Ciuile, Casarubius *in compend. Priuileg. Mendicant. verb. Laici Fratres*, Rodriquez & Peyrin. *com.* 2. *quæst. Regular. q.* 153. *art.* 4.

7 Aduerte 2. quod prædictus Laicus, seu Conuersus priuatus, & non permissus vti Tonsura Clericali, neque exercere Ordines quoscumque susceperit, non teneatur more Clericorum Officium Canonicum recitare; quia solùm illud recitare tenentur Religiosi choro destinati, vel pro ordinatis admissi, iuxta ea, quæ *suprà* dicebam, & videri poterit Casarub. *vbi suprà*.

Idque adeo verum est, vt neque debeat prædictus Laicus seu Conuersus, permitti prædictum Officium Canonicum persoluere: Doctores, quos sequitur *tom.* 1. *de Prælato, q.* 5. *cap.* 7. *n.* 17.

8 Aduerte 3. quod casu quo prædictus Laicus, seu Conuersus ad statum Clericorum transierit, siue licitè, siue illicitè id factum fuerit, non requiratur reiteratio Nouitiatus Clericatui proportionati; quia pro legitimo anno Nouitiatus non requiritur, quod Nouitius experiatur omnes Religionis asperitates, sed sufficit, si solùm in genere maneat sub obedientia Prælati pro eo toto anno, Suar. z. Sanchez, Barbosa, Bartholomæus à Sancto Fausto, Rodriquez, & alij, quos citat & sequitur Peyrinus *loca suprà citata*.

9 Confirmatur, quia Sac. Congregatio Episcoporum, & Regularium, anno 1645. die 19. Septembris, de quodam Conuerso (qui bona fide transierat ad statum clericalem sine licentia Sedis Apostolicæ, dum supplicaret pro rehabilitatione) rescripsit generali eiusdem Religionis, vt constito ipsi, quod idem Orator non fraudulenter, & dolosè, sed bona fide minores, maioresque Ordines suscepisset, & probata idoneitate eiusdem Oratoris coram Ordinario loci, eundem Oratorem prævio examine rigoroso ad exercitium Prædicatorum Ordinum reciperet. Similiter de alio Conuerso bona fide etiam ordinato, & posteà suspenso, statuit eadem Sacra Congregatio anno 1648. die 17. Iunij, quod talis Conuersus similiter prævio rigoroso examine rehabilitari posset; & de quadam etiam Conuersa Moniali, quod transferri posset ad statum, seu gradum Choristarum: extant litteræ eiusdem Sacræ Congregationis anno 1647. die 8. Nouembris ad Episcopum transmissæ.

PETITIO VI.

An qui transit de vna Religione ad aliam, debeat in Religione, ad quam transit, esse de nouo Nouitius per annum, & completo Nouitiatu, de nouo profiteri?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus transiens de vna Religione ad aliam, debet in Religione, ad quam transit, esse de nouo Nouitius per annum, & completo Nouitiatu, de nouo profiteri.*

2 *Amplia etiamsi transeat, vt sit ibi Prælatus, contra nunnullos id negantes; quia hoc ipso ibi implicitè profitetur.*

3 *Amplia etiam si transeat de vna ad aliam familiam eiusdem Religionis, vt si de Capucinis ad Fratres Minores, &c.*

4 *Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium concedere solet Religioso, qui transit de vna Religione ad aliam, quod compleat Nouiciatum & Professionē emittat infrà annū post aliquot menses tantū.*

Respondetur affirmatiuè; quia Concilium Tridentinum *sess.* 25. *de regul. cap.* 15. id præcipiens generaliter præcipit. Nauarr. *lib.* 3. *consilior. de regularib. cons.* 3. *n.* 1. & *cons.* 49. *n.* 1. Miranda *in Manuali, tom.* 2. *q.* 31. *art.* 21. & 22. & alij passim. 1

Qui id extendunt ad casum, quo quis transit de vna Religione ad aliam, vt sit ibi Prælatus; quamuis alij negent; quia hoc ipso, inquiunt, ibi implicitè profitetur. Videatur Erasmus Cochet *in tract. de Iurisd. ord. in exempt. par.* 5. *q.* 14. 2

Extendunt etiam ad casum, quo quis transit de vna ad aliam familiam eiusdem Religionis, vt si transeat de Capucinis ad Fratres Minores, de Carmelitis discalceatis ad Obseruantes, &c. vel è contra; quia licet tales Religiones censeantur vna, & eadem Religio ratione Regulæ, & Fundatoris, sunt tamen diuersæ religiones ratione diuersarum asperitatum, & ratione diuersi modi viuendi, vt proptereà necessarius sit nouus Nouitiatus in ordine ad nouam Professionem emittendam, tam ex parte eius, qui transit (vt sic experiatur diuersas prædictas asperitates, & diuersum prædictum modum viuendi) quàm ex parte Religionis, quæ recipit, vt & sic ipsa experiatur mores, & qualitates Religiosi, qui transit. 3

Quamuis sæpè sæpius Sacra Congregatio Episcoporum, & regularium concedere soleat Religioso, qui transit de vna Religione ad aliam, quod compleat Nouitiatum, & emittat Professionem infrà annū post aliquot menses tantum. Vide quæ dicebam *suprà, corol.* 6. 4

PETITIO VII.

An, & quem locum, qui transit de vna Religione ad aliam, tenere debeat in Religione ad quam transit?

SVMMARIVM.

1 *Transiens de vna religione ad aliam tenere debet locum, non quem habebat in religione, ex qua transiuit, sed suæ Professionis, in religione, ad quam transit.*

2 *Limita nisi transeat, vt ibi sit Prælatus.*

3 *Amplia, quia completa etiam tempore Prælationis, debet habere locum Prælato proximiorem.*

Respondetur: Tenere debet locum, non quem habebat in religione, de qua transiit, sed locum ex tempore Professionis emissæ in religione, ad quam transit. Nauarr. *lib.* 3. *consil. tit. de regularib. cons.* 61. *edit.* 1. Rodriq. *tom.* 3. *quæst. regular. q.* 52. *art.* 29. & Sanch. *lib.* 6. *moral. cap.* 7. *n.* 86. Videri poterit etiam Barbosa

Barbosa *in collectan. Bullar. verb. claustrales, num.* 88. & 89. & Bordonus *resol.* 29. *num.* 57.

2 Excipe, si qui transit de vna Religione ad aliam, transeat, vt in religione, ad quam transit, sit illius Prælatus; quia tunc absque dubio debet in ea primum locum habere; cùm inconueniens sit, quod Prælatos habeat ad subditos suos inferiorem locum.

3 Quod adeò verum est, vt etiam postea completo officio, debeat saltem de conuenientia habere locum immediatè post Prælatum, & non locum ex tempore Professionis emissæ in ista posteriori Religione, ad quam transiit.

Dixi, *saltem de conuenientia*; quia de rigore Iuris attendi debebit ad consuetudinem, & statuta talis religionis. Nauarr. & Rodriquez *in locis suprà citatis.*

PETITIO VIII.

An si Religiosus exemptus transeat in Prælaturam Conuentus, seu Monasterij non exempti, remaneat exemptus, vel non?

Respondetur: de hac re videri poterunt quæ dicebam *in tractatu de immunit. & Iurisd. Ecclesiast.* & videri etiam poterit præter alios Erasmos Cochet. *in tract. de Iurisd. ordin. in exempt. part.* 5. q. 14.

PETITIO IX.

An Religiosus, qui transit de vna Religione ad aliam, teneatur ad obseruantias prioris Religionis, de qua transit?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus qui transit de vna Religione ad aliam, non tenetur ad prioris obseruantias, sed tantùm ad posterioris.*

2 *Neque tenetur ad vota specialia in Professione prioris religionis, de qua transit, olim emissa.*

3 *Transiens de vna religione ad aliam (etiamsi sit Canonicus regularis) adhuc est omninò incapax cuiuscumque beneficij secularis, etiam curati, etiamsi transeat ad religionem strictiorem.*

4 *Refertur hac in re Constitutio Vrbani VIII. Edita anno 1635.*

5 *Mendicantes qui etiam auctoritate Apostolica transeunt ad non Mendicantes, priuantur voce in Capitulo, sicque tam actiua, quàm passiua.*

6 *Item priuantur loco in eodem Capitulo, neque possunt assumi ad Prioratus administrationes, aut quæcumque alia officia, etiam tanquam Vicarij, seu Ministri, vel aliorum locum tenentes, nec possunt pro se, vel pro aliis exercere curam, aut regimen Animarum.*

7 *Limita prædictam decisionem ex quadam Cardinalium declaratione in Carthusianis.*

1 Respondetur negatiuè. Suar. *tom.* 2. *de religion. tract. de Voto, lib.* 6. *cap.* 3. *n.* 7. Sanch. *lib.* 6 *moral. cap.* 7. *n.* 87. & alij, quos sequitur Barbosa *in collectan. Bullar. verb. Claustrales, num.* 90. & Bonacina *de horis Canonicis, disp.* 1. q. 1. *punct.* 2. *n.* 5. Quia iam exemptus est à iugo prioris religionis, de qua transit: vnde etiamsi de religione (in qua Clericus existens tantùm in Minoribus, sed deputatus ad chorum, tenetur ex obligatione orta à consuetudine, quæ ibi viget, recitare horas Canonicas) transeat ad aliam religionem, In qua talis consuetudo non viget, non tenetur (si ipse scilicet existat tantùm in Minoribus, licèt deputatus ad Chorum) illas recitare; quia cessat in hac alia Religione, ad quam transit, ratio obligationis, scilicet consuetudo de recitandis horis Canonicis, quam suprà dicebam. Doctores, quos sequitur Bonacina *loco citato.*

2 Quinimò neque tenetur ad Vota specialia in Professione Prioris religionis, de qua transit, olim emissa, v. g. si transeat de religione Minimorum, non tenetur ad degendam vitam quadragesimalem, ad quam Religio Minimorum ex vi quarti Voti tenetur; quia Vota specialia sunt annexa Professioni Prioris religionis, de qua quis transit: Ergo cessant ipsa, tanquam quædam accessoria. Suarez & Sanchez *in locis suprà citatis.*

3 Aduerte tamen, quod qui transit ex vna religione ad aliam, etiamsi sit Canonicus Regularis, adhuc est ex Concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.* 11. omninò incapax cuiuscumque beneficij sæcularis, etiam curati; quia sic expressè dicitur in Concilio Tridentino *loco suprà citato.* Et ratio decisionis est, ne quis transeat ex vna religione ad aliam sub spe obtinendi aliquod beneficium sæculare. Suarez 4. *tom. de religion. tract.* 8. *lib.* 5. *cap.* 15. Lessius *de Iust. lib.* 2. *cap.* 41. *dubit.* 13. *n.* 105. & Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 7. *n.* 108. quod intellige, quamois transeat ad religionem strictiorem; quia Concilium loquitur generaliter, & vtrobique est eadem ratio: inde propter eandem rationem, si transeat de religione, quæ habet votum de non acceptando Episcopatu, transibit ipse cum eodem voto, quamuis religio, ad quam transit, non habeat tale votum.

4 Qua de re extat prætereà nunc constitutio Vrbani VIII. edita anno 1635. die 21. Maii, in qua expressè statuitur, quod Religiosi, qui ex suo instituto habent votum, vel iuramentum de non procuranda, vel acceptanda extra suam religionem dignitate, vel superioritate aliqua, transeuntes, etiam cum licentia Pontificis, ad aliam religionem, vel ex illa dimissi, seu eiecti, remaneant obstricti dicto voto, vel iuramento: Quapropter esto, quod prædicti Religiosi transeuntes, vel dimissi, non tenerentur dicto voto vel iuramento, eo quod hæc censentur annexa, ac veluti accessoria priori Professioni; nihilominus hoc nouo Iure prædictæ Cõstitutionis Vrbani VIII. inducta est præsumptio Iuris, quod ea nunc censeatur principaliter in cultum Dei, & non vt annexa priori Professioni, facta. Doctores, quos sequitur Thesaur. *in Praxi, par.* 2. *verb. Religiosus, c.* 4. *n.* 13. qui licet cum iisdem Doctoribus putet tale votum, vel iuramentum de Iure communi non esse reseruatum Pontifici, nihilominus ex alia Constitutione eiusdem Vrbani VIII. data anno 1643. die 26. Februarii, declaratum est, prædictum Votum, vel Iuramentum non posse dispensari, aut relaxari, nec aduersus illud aliquam licentiam vel indultum obtineri, nisi tantùm à Romano Pontifice pro tempore existente, sublata facultate id faciendi omnibus, & quibuscumque Superioribus, Nunciis Apostolicis, Legatis, etiam de latere, sublatis etiam quibuscumque Priuilegiis, Indultis, & facultatibus in contrarium.

5 Aduerte 2. quod Mendicantes, qui etiam authoritate Apostolica transeunt ad non Mendicantes, ex *Clementina* 1. *de Regular.* priuantur voce in Capitulo, sicque tam voce actiua, quam passiua; quia Textus generaliter loquitur, quamuis id ipsis ab aliis concedatur. Item 6 priuantur loco in eodem Capitulo. Item non possunt assumi ad Prioratus, Administrationes, aut quæcumque alia officia, etiam tanquam Vicarij, seu Ministri, vel aliorum locum tenentes, nec possunt pro se, vel pro aliis exercere curam, aut Animarum regimen; ita vt quidquid in contrarium factum fuerit, irritum sit; quia sic expressè deciditur *in prædicta Clementina* 1. *de reg.* & ratio decisionis est, vt sic Mendicãtes quietiùs persistant in hac sua vocatione. Azor. *lib.* 12. *Inst. moral. t.* 14. *q.* 12. Sanchez *lib.* 6. *moral. c.* 7. *n.* 109. *& seq.* & alij, quos sequitur Bonac. *de clausura, punct.* 2. *q.* 9. §. 5. *n.* 2.

Quamuis

7 Quamuis quædam Cardinalium declaratio prædictam decisionem pro transeuntibus ad Carthusianos limitet per hæc verba: Omnes cuiuscumque Religionis legitimè translati ad Carthusianos possunt in eadem Carthusiensi Religione in claustro Priores, & extra claustrum Procuratores esse. Videantur Suarez *tom. 4. de Religion. tract. 8. lib. 3. cap. 15. n. 6.* Sanchez, & Bonacina *in locis sup. à citatis.*

At de his omnibus videantur quæ dicebam *suprà, corollar. 7. & 8.*

PETITIO X.

An qui illegitimè, scilicet sine causa, vel licentia, vel contra Iuris prohibitum, transit ex vna Religione ad aliam, sit apostata, vel fugitiuus?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus transiens illegitimè ex vna Religione ad aliam, non est apostata, sed fugitiuus: Non est Apostata, quia non recedit à statu Religioso.*

2 *Religiosus recedens à Religione sine voluntate superiorum, etiamsi transeat ad aliam strictiorem, est fugitiuus; secùs si cum licentia superiorum transeat ad aliam etiam laxiorem.*

3 *Profugus, vel fugitiuus non est, qui legitimè, seruatisque seruandis transit de vna Religione ad aliam: desertor enim sua Religionis solùm est, qui vagus, seu profugus suam Religionem deserit.*

4 *Verba præcedentia declarant subsequentia.*

1 RESpondetur: Non est apostata, benè tamen fugitiuus.

Probatur quoad partem priorem; quia licèt sic illicitè, & etiam aliquando inualidè recedat de Religione, transit tamen ad aliam, sicque non recedit à statu Religioso, seu à vita religiosa simpliciter, quod requiritur ad apostasiam, vti dicebam *suprà, sect. 23.)* sed solùm à certæ Religionis Instituto, cum in qualibet Religione tria vota Religiosi instituti substantialia repetiantur: Ergo non est apostata. Sylvester *verb. apostasia, q. 4. n. 9.* Lessius *de Iustitia, lib. 2. cap. 41. dubit. 13.* Azor. *lib. 12. Institut. moral. cap. 17. q. 7.* Bannez, Nauarrus, Valentia, Rodriguez, Aragonius, Emanuel Sà, & alij, quos sequitur Sanchez *lib. 6. moral. cap. 8. num. 8.* contra Suarez *5. tom. in 3. part. disp. 31. sect. 6. n. 4.* & contra quosdam Antiquiores.

2 Probatur quoad partem posteriorem; quia cùm sic etiam indebitè recedat contra voluntatem suorum superiorum, est fugitiuus. Lessius, & Azor. *in locis sup. à citatis.*

3 Hinc qui transit de vna Religione ad aliam, etiam laxiorem, cum licentia superiorum, neque etiam erit fugitiuus, quia fugitiuus est, qui contra, vel præter obedientiam suorum superiorum recedit: Sylvester, & Sanchez *vbi suprà.*

Hinc etiam, si in aliqua Religione sit statutum prohibens, ne ad ipsam recipiatur apostata, vel desertor alterius Religionis, recipi poterit qui legitimo modo, seruatisque seruandis transire vult de sua Religione ad hanc aliam Religionem, quæ tale prohibens statutum habet; quia sicuti dicebam, iste talis, qui sic transit, non est apostata, neque desertor suæ Religionis, cum *ex l. desertorem, ff. de re militar.* desertor sit, qui per prolixum tempus euagatus reducitur, & consequenter desertor suæ Religionis solùm est, qui vagus, seu profugus suam Religionem deserit, non autem qui legitimè, seruatisque seruandis, non intermedio tempore vult transire de sua Religione ad aliam.

Confirmatur vlteriùs ex illa voce, apostata, præcedente, per quam explicatur illa alia vox, desertor, subsequens; siquidem verba præcedentia declarant subsequentia, *l. qui filiabus, in principio, & l. si seruum, §. finali, ff. de legat. 1. & l. vtrum, ff. de petition. hæredit.* & docent Surd. *decis. 288. n. 80. & seqq.* Castro *consil. 347. num. 2. lib. 2.* Paris *consil. 23. n. 118. lib. 1.* Cephal. *consil. 156. n. 10. & 11.* & *consil. 351. n. 38.* Marc. Anton. *variar. Resolut. lib. 3. resol. 1. n. 60.* Tusch. *tom. 8. litt. V, conclus. 144. n. 21.* & Farinac. *in Praxi crimin. part. 4. consil. 30. n. 155.* & *consil. 61. n. 110.* 4

PETITIO XI.

Ad quamnam Religionem spectent bona Religiosi, qui de vna Religione transit ad aliam?

SVMMARIVM.

1 *Bona Religiosi, qui transit de vna Religione ad aliam, si post emissam professionem, spectant ad priorem Religionem; si verò ante, ad posteriorem: secus si transit illegitimè, quia tunc bona spectant ad priorem Religionem, in qua professus fuit.*

2 *Religiosus, qui de vna Religione transit ad aliam, non potest ex bonis, quæ ad vsum suum habebat in Religione, de qua transit, deferre quidquam, nisi solùm id, quod sibi gratiosè concessum fuerit à superioribus Religionis.*

RESpondetur: Omnia bona Religiosi (qui legitimè, & etiam cum licentia suorum superiorum transit ad aliam) ante professionem in Religione posteriori (ad quam transit) factam acquisita, vel quomodocumque ad ipsum pertinentia, spectant ad Religionem priorem, de qua transit. Nauarrus *commentar. 4. numero 24. vers. per vndecim, & libro quinto, consil. quinquagesimo-quinto, numero nono.* Azorius *prima tom. Institut. moral. libro duodecimo, capite decimo-quinto, quæstione tertia, & capite decimo, quæstione octaua.* Portellius *in dubitat. Regular. verb bona transeuntium, numero primo,* Barbosa *in collectan. Bullar. verb. claustrales, numero nonagesimo primo,* & Bordon. *resolut. vigesima nona, numero octuagesimo-octauo, & sequentibus*; quia ante professionem in Religione posteriori (ad quam transiit) factam, semper manet membrum Religionis prioris, de qua transit: ergo semper pro toto illo tempore, quidquid acquirit, acquirit prædictæ Religioni priori, de qua transit. 1

Quod multò magis dicas, si transiit quocumque modo illegitimè, quia tunc non solùm bona ante, sed etiam post professionem in posteriori Religione (ad quam transiit) factam acquisita spectant ad Religionem priorem, de qua transiit. Nam (cum tunc transitus sit illegitimus, & inualidus) nullum Ius in prædicta bona peruenire potest Religioni posteriori, ad quam transiit. Molina *de Iustitia, tom. 1. disput. 144.* Azor. *cit. cap. 15. q. 3.*

Hinc sequitur, quod Religiosus, qui de vna Religione transit ad aliam, non possit ex bonis (quæ ad vsum suum habebat in Religione, de qua transit) deferre quidquam, nisi solùm id, quod sibi gratiosè concessum fuerit à superioribus religionis, de qua transit: Nauarrus *in cap. non dicatis, num. 30. & 31. & in cap. statuimus, num. 24.* & alij passim. 2

At de pœnis de vna ad aliam religionem illegitimè transeuntium, vide Thesaurum *in praxi, p. 2. verb. Religiosus, cap. 4. per totum.*

PETITIO XII.

An Religiosi, si recipiant quempiam alterius Religionis, peccent mortaliter, sintque excommunicati?

SVMMARIVM.

1 *Religiosi cuiuscumque Religionis, exceptis Carthusianis, si præter ordinem Iuris recipiant quempiam alterius Religionis, peccant mortaliter, suntque excommunicati.*

2 *Excommunicatio Martini V. lata specialiter pro Mendicantibus transeuntibus ad Monachales, exceptis Carthusianis.*

3 *Religiosi Ordinis B. Mariæ de Mercede non possunt etiam prætextu quarti voti, recipere Minores de Obseruantia, vel alterius religionis strictioris professores.*

4 *Recipientes quempiam de Fratribus Minimis sunt excommunicati à Iulio II.*

5 *Nulli Religiosi religionis, quæ sit paris, vel minoris austeritatis, possunt recipere quempiam de Fratribus Carmelitis.*

6 *Fratres Prædicatores, vel Minores, vel Augustiniani neque possunt quempiam de dictis Fratribus Carmelitis ad suam religionem recipere, vel retinere sine licentia eiusdem Generalis.*

1 RESpondetur: Religiosi cuiuscumque religionis, exceptis Carthusianis, si præter ordinem Iuris recipiant quempiam alterius religionis, peccant mortaliter, suntque excommunicati, iuxta ea, quæ dicebam *suprà, sectione 62. & extrauag. viam, de regularibus*; qua de re vide ibi.

2 Accedit, quod extat etiam excommunicatio ista specialiter Martini V. pro Medicantibus transeuntibus ad Monachales, exceptis similiter Carthusianis. Miranda *in manual. tom. 1. q. 51. art. 5.* Castrub. *in compend. Priuileg. verb. apostata ab Ordine*, & Bonacina *de clausur. q. 2. punct. 9 §. 5.* Ita vt nulla religio, excepta Carthusiana, possit recipere ad se quempiam de Medicantibus, sub pœna excommunicationis istæ.

3 Item Religiosi Ordinis B. Mariæ de Mercede non possunt (etiam prætextu quarti voti) recipere Minores de Obseruantia, vel alteriùs religionis strictioris professores. Clemens VIII. in Bulla *Nuper ad nos*, anno 1596. edita, vbi satis declarat, quod Religio strictior iudicanda non sit, eo quòd habeat quartum votum.

4 Item qui recipiunt quempiam de Fratribus Minimis, sunt excommunicati à Iulio II. in Bulla *Sacer Ordo*, anno 1508. edita. Videatur Peyrinus *tom. 1. de subdito, q. 1. de Obedientia, cap. 54.*

5 Item ex priuilegio Alexandri IV. nulli Religiosi Religionis, quæ sit paris, vel minoris austeritatis, possunt quempiam de Fratribus Carmelitis ad suam religionem recipere sine consensu Generalis eiusdem religionis Carmelitarum, itavt si de facto quempiam ex dictis Carmelitis receperint, teneãtur illũ restituere.

6 Item ex Priuilegio Ioannis XXII. Fratres Prædicatores, vel Minores, vel Augustiniani neque possunt quempiam de dictis Fratribus Carmelitis ad suam religionem recipere, vel retinere sine licentia eiusdem Generalis religionis Carmelitarum, ita vt si quempiam de iisdem Fratribus Carmelitis receperint, vel retinuerint sine eiusdem Generalis licentia, pœnam priuationis officij, vel administrationis, & inhabilitatis ad alia ipso facto incurrant: speculum Ordinis *dictor. Carmelitar. fol. 71.* Et videri poterit præter alios Bonacina *loco suprà citato.*

SECTIO LXVI.

An Summus Pontifex, si iusta causa subsit, dispensare possit in voto solemni castitatis Religiosi?

SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex, si iusta causa subsit, dispensare potest in voto solemni castitatis Religiosi probabilius contra nonnullos Doctores.*

2 *Pontifex potest dispensare in voto simplici castitatis perpetuæ, consequenter etiam in voto solemni; quia voti solemnitas est inducta ex sola constitutione Ecclesiæ.*

3 *Voti solemnitas consistit in eo, quod ipsum votum coniunctum sit susceptioni Ordinis sacri, vel professioni Religionis approbatæ; quodque ex coniunctione cum tam præclaro actu solemne dicatur.*

4 *Ecclesia approbat Religiones, sine cuius approbatione vota Religionis non essent solemnia.*

5 *Ecclesia statuit, vt ratione huius coniunctionis vota illa censeantur solemnia, & certos habeant effectus, quos per se non haberent, scilicet vt votum castitatis reddat hominem inhabilem ad matrimonium, & votum paupertatis priuet eundem omni dominio, illiusque reddat incapacem.*

6 *Solemnitas voti non consistit in aliqua benedictione, vt innuit S. Thomas, vel consecratione, quia nulla harum est necessaria præter eam, quæ fit ab ipso vouente.*

7 *Non obstat, quod in aliquibus Religionibus fiat aliqua benedictio à superiore, quia hæc non fit in omnibus.*

8 *Voti solemnitas neque consistit in traditione, & acceptatione, vt volunt Sotus, & Aragonius; quia etiam in voto simplici fit traditio.*

9 *Pontifex, si causa legitima subsit, potest dispensare in voto solemni clericorum.*

10 *Non obstat, quod votum solemne clericorum non sit essentialiter annexum Ordini sacro; quemadmodum votum solemne Religiosorum est essentialiter annexum statui Religioso, & cur?*

11 *Summus Pontifex de facto pluries dispensauit in voto solemni castitatis Religiosi; nam Alexander III. dispensauit cum Nicolao Iustiniano Veneto Monacho professo in Monasterio Sancti Nicolai, & etiam cum Rege Aragoniæ. Cælestinus III. dispensauit cum Constantia filia Regis Siciliæ, quæ erat Monialis professa Panormi. Gregorius XIII. cum Germano Cardinali Ioyosa Sacerdote professo, & Prouinciali Ordinis Capucinorum. Clement VIII dispensauit cum multis Religiosis.*

12 *Votum castitatis est essentialiter annexum statui religioso, vt per Sanctum Thomam, vt proinde illud diuelli non possit ab hoc statu; non tamen sequitur quod non possit diuelli ab homine habente talem statum, quia talis status non consistit in aliqua consecratione distincta ab obligatione votorum.*

13 *Res quæ Deo consecrantur, ex causa conuerti possunt in vsus prophanos, vt fiebant panes propositionis, quamuis essent consecrati Deo, & soli Sacerdotes iis vti, & vesci possent; ex causa enim, scilicet in necessitate, Dauid, & eius socij illis vsi fuerunt.*

14 *Consecrationes alias ab Ecclesia institutas eiusdem Ecclesiæ auctoritate, rebus ipsis saluis manentibus, tolli posse à rebus consecratis, & benedictis, vt à Tẽplis, Altaribus, Calicibus, &c. valde probabile est.*

15 *Omnis talis benedictio, & consecratio non est aliud, quàm deputatio ad vsum sacrum cum inuocatione diuinæ virtutis, & assistentia, vel ad debitum vsum, vel ad excitandam deuotionem, & reuerentiam.*

16 *Oratio*

16 *Oratio, & contemplatio, cùm sint finis continentiæ, sunt quid melius, & tamen votum illarum potest relaxari; & Scriptura non prafert continentiam cæteris virtutibus, sed potius talentis auri.*

17 *Tam in voto simplici, quàm in solemni non solùm est promissio, verùm etiam traditio; cùm per votum simplex castitatis vouens statim teneatur ad omnia ea, ad qua tenetur per votum solemne eusdem.*

18 *Apostolus Matthaus noluit dispensare cum Iphigenia Regis Æthiopum filia, quia Hirtacus non sincero animo conuersionem suã, atque regni promiserat.*

19 *Pontifex si posset dispensare in voto solemni castitatis, fieri non posset, quod supponitur, scilicet quod quis viuente priore vxore ducere posset secundam, &c.*

20 *Potest non solum Pontifex voti vinculum relaxare, sed etiam vinculum matrimonij, cum matrimonium ratum soluatur per professionem religionis, neque hoc est absurdum, posse scilicet cum iusta causa dispensare matrimonium ratum, non consummatum.*

21 *Summus Pontifex neque potest sine iusta causa indulgere licentiam Religioso habendi proprium; quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, est annexa Regula Monachali; potest tamen iusta causa interueniente.*

22 *Potestas Pontificis in dispensatione voti paupertatis, & dispensatione voti castitatis æquiparantur.*

23 *Commutatio voti castitatis perpetua solemnis in castitatem coniugalem, non mutat substantiam Regula.*

24 *Votum prædictum coniugale in religione Sancti Iacobi, Alcantara, vel Calatraua, &c. potest dici aliquo modo solemne, scilicet quoad perpetuitatem absolutam.*

1 Respondetur, quod quamuis negent Glossa *in cap. cum ad Monasterium, de statu monachor. & in cap. 1. de voto, & voti redemptione*, S. Thomas 2. 2. q. 88. *art. 1.* Altisiodorensis *lib. 3. summa, cap. 22.* Albertus *in 4. dist. 38. art. 7.* Syluester *verbo votum*, 4. q. 5. Almaynus *tract. de potest. Pontific. cap. 2.* Armilla *verbo dispensatio, n. 11.* Aragonius 2. 2. q. 88. *art. 11.* & Sotus *de Iust. & Iur. lib. 7. q. 4. art. 2.* Probabiliùs tamen affirmant (ita vt & qui fuit Religiosus, matrimonium possit contrahere) ferè communiter Theologi. Henricus *quodlibeto 5. quæst. 28.* S. Thomas *in 4. dist. 38. q. 1. art. 4. quæstiunc. 1. ad 3.* (quamuis in summa mutauerit sententiam ex minùs rectò intellectu decretalis Cum ad Monasterium, teste Caietano) Riccardus *in eadem dist. 4. art. 9. q. 1.* Durandus *q. 2.* Scotus *q. vnica*, Paludanus *q. 4. art. 5. consil. 11.* & 12. Caietanus 2. 2. q. 88. *art. 11.* Angelus *verbo votum* 4. q. 5. & alij (quos sequitur S. Antoninus 2. *par. tit. 11. cap. 2.* §. 9.) & omninò communiter Canonistæ (quos sequitur Nauarrus *in summa, cap. 11. n. 77.* & Recentiores (vt Henriquez, Vasquez, Sanchez, Azorius, Tannerus, Præpositus, Reginaldus, Lessius, Coninch, Rebellius, & alij) quos citat, & sequitur Diana *part. 8. tract. 1. resol. 73.*

2 Probatur: potest Pontifex dispensare in voto simplici Castitatis perpetuæ: ergo etiam & in voto solemni castitatis. Antecedens est in cõfesso apud omnes: consequentia probatur, quia voti solemnitas est introducta ex sola constitutione Ecclesiæ (sicuti habetur in constitutione Gregorij XIII. quæ incipit: *Ascendente Domino, & in cap. quod votum, de voto in 6.* ibi: [quod votum debeat dici solemne, ac ad dirimendum matrimonium efficax, nos consulere voluisti. Nos igitur attendentes, quod voti solemnitas ex sola Ecclesiæ constitutione est inuenta, matrimonij verò vinculum ab ipso Ecclesiæ capite, rerum omnium conditore, ipsum in Paradiso, & in statu innocentiæ instituente, vnionem, & indissolubilitatem acceperit, præsentibus declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solemne (quantum ad post contractum matrimonium dirimendum) quod solemnizatum fuerit per susceptionem Sacri ordinis, aut professionem expressam, vel tacitam alicui de Religionibus per Apostolicam sedem approbatis.] Ergo si voti solemnitas est introducta ex sola constitutione Ecclesiæ, non est, cur summus Pontifex non possit in illa dispensare; cùm non sit cur non possit suam constitutionem relaxare.

3 Vbi aduerte, quod tam ex dicta constitutione Gregorij XIII. quæ incipit, *Ascendente Domino*, quàm ex dicto *cap. quod votum, de voto in 6.* voti solemnitas consistat in eo, quod ipsum votum coniunctum sit susceptioni ordinis Sacri, vel Professioni religionis approbatæ, quodque ex coniunctione cum tam præclaro actu solemne dicatur; ait enim Pontifex ibi: Votum per susceptionem Sacri ordinis, aut professionem religionis solemnizari, scilicet solemne fieri. Consistit igitur voti solemnitas formaliter in hac coniunctione. Dicitur autem hæc voti solemnitas esse ex con- 4 stitutione Ecclesiæ, quia Ecclesia approbat Religiones (sine qua approbatione vota illa non essent solemnia, sed simplicia) & annectit ordini Sacro votum castitatis. Tum quia statuit, vt ratione huius coniunctionis 5 censeantur solemnia, & certos habeant effectus (quos per se non haberent) scilicet vt votum castitatis reddat hominem inhabilem ad matrimonium, & votum paupertatis priuet eundem omni dominio, illiusque reddat incapacem. Tum quia Ecclesia ad voti solemnitatem potest plura, vel pauciora requirere, & ei plures, vel pauciores effectus tribuere; sicut etiam ad matrimonij solemnitatem plura, vel pauciora potest expostulare; & olim erat votum solemne, etiamsi religio non esset à Sede Apostolica, seu à summo Pontifice approbata, sicuti tradunt communiter Doctores in tractatu de statu Religioso.

6 Ex dictis sequitur, quod solemnitas voti non consistat, vt inuit S. Thomas, in aliqua benedictione, vel consecratione; quia nulla benedictio, vel consecratio est necessaria præter eam quæ fit ab ipso vouente per votum, per quod ipse se Deo consecrat, qualis repetitur etiam in voto simplici.

7 Non obstat, quod in aliquibus religionibus fiat aliqua benedictio à Superiore; quia hæc non fit in omnibus; non enim fit in religionibus Mendicantium, neque est constitutiua rei Sacræ, qua res accipiat quodam esse Sacrum, maneatque immobiliter ad vsum Sacrum deputata, qualis est benedictio aquæ, salis, vestium sacrarum, &c.) sed est tantùm inuocatiua, sicut benedictio Pontificis, & Episcopi super Populum, benedictio mensæ, & similia: qua de re Caietanus *citato art. 11.*

8 Sequitur secundò, quod solemnitas voti neque consistat, vt volunt Sotus, & Aragonius *locis suprà citatis*, in traditione, & acceptatione, quia etiam in voto simplici fit traditio sui ad cultum Dei; & acceptatio tam à Deo, quàm à Prælato, sicuti patet in illis qui vouent castitatem in manibus Episcopi; & in illis qui emittunt tria vota substantialia in societate Iesu, in qua statim, emissis votis post biennium probationis, vouens manet ligatus eodem modo, quo professus; ita vt & ipse vouens etiam transeat in ius religionis: & quidem non potest reddi ratio, cur homo non possit se tradere iam Deo, quàm Prælato per votum simplex, ita vt Prælatus in illum ius acquirat, accedente præsertim Ecclesiæ ordinatione, qua hic modus approbetur, & Prælato authoritas acceptandi concedatur.

9 Secundò probatur: potest Pontifex, si causa legitima subsit, dispensare in voto solemni Religiosorum. Antecedens est in confesso apud omnes, etiam apud ipsum S. Thomam; & satis fauet vsus Ecclesiæ Græcæ. Consequentia probatur, quia votum solemne clericorum non est minùs solemne: neque minùs continet sui traditionem, quàm votum solemne Religiosorum.

Non obstat, quod votum solemne clericorum non in-

fit

sit essentialiter annexum Ordini Sacro, quemadmodum votum solemne Religiosorum est essentialiter annexum statui Religioso; quia exinde tantum sequitur, quod fieri non possit, vt quis maneat Religiosus, soluto voto, sicuti fieri potest, vt quis maneat ordinatus sublato voto; non autem sequitur, quod votum tolli non possit simul cum statu religioso; quinimò sequitur, & conuincitur, quod ipse quoque status Religiosus tolli possit; cùm hic non consistat, nisi in obligatione votorum.

11 Tertiò probatur, quia de facto summus Pontifex plures dispensauit in voto solemni castitatis Religiosi: sic etenim (vt habetur *in vita sancti Laurentij Iustiniani apud Surium 8. Ianuarij, & apud Volaterranum lib. 4. histor.*) Alexander III. dispensauit cum Nicolao Iustiniano Veneto Monacho professo in Monasterio S. Nicolai, vt posset, ne ipsius familia tam illustris extingueretur, ducere vxorem, ex qua susceptis sex filiis, & tribus filiabus, rediit ad Monasterium, miraculis posteà clarus, & vt testatur Paludanus *dist. 38. q. 4. art. 4. conclus.* 11. & referunt Annales Hispaniarum, dispensauit cum Rege Aragoniæ, qui cum esset Monachus professus, & eius Pater obiisset sine liberis, solutus est, vt vxorem duceret, votis solemnibus Religionis; & vt refert Platina in Cœlestino Tertio, dispensauit cum Constantia filia Regis Siciliæ, moniali professa, vt nuberet Henrico VI. & vt aduertunt alij, Gregorius XIII. dispensauit cum germano Cardinalis Ioyosæ, sacerdote professo, & Prouinciali Ordinis Capucinorum: & vt aduertunt Azorius *tom. 1. Instit. mor. lib. 1. cap. 7. q. 1.* & Rocafull. *in Praxi Theolog. moral. tom. 2. lib. 3. par. 2. Decalogi, cap. 4. num.* 104. Clemens VII. dispensauit cum multis Religiosis Equitibus professis in religione Alcantaræ, & Calatrauæ, quod vxores ducerent eo tempore, quo castitatem absolutam vouebant.

OBIECTIONES.

12 Objicies fundamentum S. Thomæ: votum castitatis est essentialiter annexum statui Religioso, vt proinde illud diuelli non possit ab hoc statu: Ergo sit non potest diuelli ab hoc statu, neque etiam poterit diuelli ab homine habente talem statum; cùm talis status ab homine, dum viuit, diuelli non possit: Antecedens patet, quia status Religiosus essentialiter consistit in tribus votis, scilicet castitatis, paupertatis, & obedientiæ; & apertè colligitur ex capite Cum ad Monasterium, de statu monachorum. Consequentia probatur, quia dictus status consistit in quadam consecratione, per quam totus homo consecratur Deo: quod autem semel est consecratum Deo, non potest amplius conuerti ad vsus humanos, neque potest desinere esse consecratum, quandiu integrum manet, vt patet in calice consecrato, & in homine consecrato in sacerdotem: ergo qui semel per votum solemne religionis est consecratus Deo, non potest, dum viuit, desinere esse Religiosus: vnde vlteriùs refert S. Thomas, quod summus Pontifex neque dispensare possit in voto solemni paupertatis, & obedientiæ; cùm hæc etiam vota sint eodem modo essentialiter annexa statui Religioso.

Respondetur, concedo Antecedens; at nego consequentiam, statum scilicet Religiosum non posse diuelli ab homine talem statum habente, quandiu viuit; quia talis status ex dictis non consistit in aliqua consecratione distincta ab obligatione votorum, vti supponit argumentum, sed consistit solùm in ipsa obligatione votorum: Quapropter cùm obligatio prædicti voti diuelli possit ab homine habente statum Religiosum (sicuti patet in voto solemni sacris Ordinibus annexo) sequitur, quod diuelli possit ab eodem homine consecratio illa, quæ est in ipso homine per votum. Et confirmatur exemplo illarum rerum, quæ sic Deo consecrantur (vt sunt res omnes, quæ ex voto offeruntur Deo) quæ tamen ex causa conuerti possunt ad vsus prophanos: sic etiam Panes propositionis, quamuis essent consecrati Deo, & soli Sacerdotes iis vti, seu vesci possent, ex causa tamen, scilicet in necessitate, Dauid, & eius socij illis vsi fuerunt: sic similiter etiam sæpè factum est in terra consecrata, in armis, vestibus, & similibus rebus oblatis Deo. 13

Accedit, quod valdè probabile sit, etiam alias consecrationes ab Ecclesia institutas, eiusdem Ecclesiæ authoritate (rebus ipsis saluis manentibus) tolli posse à rebus consecratis, & benedictis, vt à templis, Altaribus, Calicibus, aqua benedicta, vestibus sacris, & similibus: non enim potest reddi ratio, cur Ecclesia non possit constituere, quod templum consecratum consecrationem amittat, dum polluitur, vel prophanatur; vel calix, dum à fabro malleo tangitur, aut percutitur; vel etiam quod consecratio non duret, nisi ad certum tempus, & tunc per se euanescat; quia omnis talis benedictio, & consecratio non videtur esse aliud, quàm deputatio ad vsum sacrum cum inuocatione diuinæ virtutis, & assistentiæ, vel ad debitum vsum, vel ad excitandam reuerentiam, & deuotionem, vel ad consequendum finem nostrarum precum, cùm hæc duo satis sint, vt res dicatur consecrata, & sacra; nec alia ratione videatur Ecclesia posse rei sanctitatem extra Sacramentum conferre) sed illa duo, scilicet deputatio, & inuocatio, non habent vim, neque durationem, nisi secundùm intentionem deputantis: ergo, &c. 14 15

Objicies fundamentum Glossæ, & Altisiodorensis: Nihil est continentiâ melius, quo possit ea compensari, iuxta illud Ecclesiast. 26. *Omnis ponderatio non est digna animæ continentis*: Ergo. 16

Respondetur, nego antecedens (sicut & negat ipse Sanctus Thomas) quia oratio, & contemplatio (cùm sint finis continentis) sunt quid melius, & tamen votum illarum potest relaxari. Accedit, quod Scriptura non præfert continentiam cæteris virtutibus, sed potiùs talentis auri.

Objicies tertiò: fundamentum aliorum, in voto simplici solùm est promissio, in voto autem solemni est etiam traditio sui; sed quod semel est traditum, non potest vnquam repeti: Ergo, &c. 17

Respondetur, nego maiorem; quia & in voto simplici non tantùm est promissio, sed etiam traditio sui; cum per votum castitatis simplex homo statim teneatur ad omnia ea, ad quæ tenetur per votum castitatis solemne: Quinimò per vota simplicia potest homo (si Sedes Apostolica ad hunc finem ea acceptet) fieri verus Religiosus, vt patet in Societate Iesu: Quapropter votum non est, quod votum simplex se habeat ad votum solemne, sicut se habent sponsalia ad matrimonium; nisi loquamur de certo, & particulari illo voto simplici, quo quis vouet, se fore religiosum; huiusmodi enim votum se habet ad vota solemnia sicut se habent sponsalia ad matrimonium.

Objicies quartò: Apostolus Matthæus noluit dispensare cum Iphigenia Regis Æthiopum filia, vt cum Hirtaco (etiamsi ille conuersionem sui, atque Regni promitteret) matrimonium contraheret: Ergo. 18

Respondetur: concedo antecedens; at nego consequentiam. Tum quia non est certum (vti cum Caietano complures testantur) quod Hirtacus petierit ab Apostolo Matthæo, vt cum Iphigenia dispensaret. Tum quia etiamsi petierit, non videtur, quod sincero animo conuersionem sui, atque Regni promiserit, & forsan in illis principiis Ecclesiæ id non erat expediens, & Iphigenia non erat contenta. Accedit, quod si argumentum quid probaret, nimis probaret, nempe quod Summus Pontifex neque dispensare possit in voto simplici castitatis.

Objicies quintò: Si Pontifex posset dispensare in voto

voto solemni castitatis fieri posset, quod quis, viuente priori vxore, ducere posset secundam vxorem, atque adeò habere duas vxores viuentes, v. g. si Titius, ducta vxore, ante matrimonium consummatum, ingrediatur Religionem; deinde Pontifice dispensante, egrediatur, & ducat secundam vxorem; sed hoc est falsum: ergo.

Respondetur, nego sequelam maioris, quia prior vxor, soluto vinculo matrimonij per professionem Religionis, desiit esse vxor.

10 Instabis: si Pontifex posset talis voti vinculum relaxare, posset etiam relaxare vinculum matrimonij rati, cùm matrimonium ratum soluatur per professionem Religionis: at hoc videtur absurdum: ergo.

Respondetur: concedo sequelam maioris; at nego minorem, esse scilicet absurdum, cùm multò probabilius sit, quàm oppositum, posse Pontificem ex causa iusta dispensare in matrimonio rato non consummato, sicuti ex communi tenent Canonistæ, quos citat, & sequitur Nauarrus *in summa, cap. 22. n. 21.* quod adeò verum, vt & de facto plures Pontifices in dicto casu matrimonij rati dispensauerint; sic enim præter alios Paulus III. Pius IV. & Gregorius XIII. qua de ra videri poterit Caietanus *tom. 1. opuscul. 28.* Nauarrus *loco sup. citato*, & Henriq. *de matrim. cap. 8. n. 12.*

11 Objicies 6. *in cap. cùm ad Monasterium, de statu Monachor.* habetur: [Neque æstimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo dispensare; quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò est annexa Regulæ Monachali, vt contra eam nequè etiam summus Pontifex possit licentiam indulgere:] ergo, &c.

Respondetur cum Durando *in 4. dist. 38. q. 2.* consultò textum dicere, quod neque etiam summus Pontifex possit dictam licentiam indulgere, quia summus Pontifex non potest ad libitum, & absque iusta causa, vel vt volunt alij, quia non potest coniunctiuè nempè facere, quod Religiosus, quamdiu manet Religiosus, proprium habeat, vxorem ducat, & liber sit ab obedientia, eo modo, quo sunt & cæteri sæculares; cùm hæc pugnent cum natura status Religiosi, non autem quia non potest disjunctiuè nempe facere, quod qui aliàs erat Religiosus, ex iusta causa desinat esse Religiosus, habeat proprium, vxorem ducat, & liber sit ab obedientia eo modo, quo & sunt prædicti cæteri sæculares.

12 Et hoc summum Pontificem posse facere, confirmatur *ex eodem cap. cùm ad Monasterium, de statu Monachor.* Ex quo patet, quod potestas Pontificis in dispensatione voti paupertatis, & potestas eiusdem Pontificis in dispensatione voti castitatis æquipatentur, & pari passu ambulent: sed ex dictis *sect. 67.* summus Pontifex cum Religioso ex causa dispensare potest in voto paupertatis: ergo & similiter dispensare poterit in casu nostro, & simul commutare votum castitatis perpetuæ solemne, in votum castitatis coniugalis; quia sicuti dicebam, potestas dispensandi in voto paupertatis, & potestas dispensandi in voto castitatis æquiparantur, & pari passu ambulant: & ex alio capite, etiam sicuti

13 latitudinem habet votum paupertatis, ita & latitudinem habet votum castitatis: vnde commutatio voti castitatis perpetuæ solemne in castitatem coniugalem non mutat substantiam Regulæ. Doctores, quos sequitur Riccius *in praxi, part. 4. resol. 76. num. 3.* Sperellus *tom. 1. dec. 2. n. 64.* Machin. *in allegat. pro iurisdictione Ordinum militantium, art. 1. num. 12.* & Rota *diuers. part. 2. decis. 166. num. 6.*

14 Accedit, quod vt rectè adnotarunt Suarez *de Relig. tom. 4. tract. 9. cap. 5. n. 19.* Lezana *tom. 2. cap. 5. n. 9.* & Pellizzarius *tom. 1. tract. 1. c. 3. n. 32.* prædictum coniugale votum in Religione sancti Iacobi, Alcantaræ, vel Calatrauæ, &c. potest aliquo modo, scilicet quoad perpetuitatem absolutam, dici solemne: ergo, &c.

SECTIO LXVII.

An summus Pontifex dispensare possit etiam in voto solemni paupertatis, & obedientiæ?

SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex dispensare potest etiam in voto solemni paupertatis, & obedientiæ, si iusta causa subsit; quia in his non est maior difficultas, quàm in voto castitatis, contra nonnullos putantes subesse non posse iustam causam dispensandi, præsertim in voto paupertatis, quia sufficit ei absque dominio plena administratio.*

2 *Idemque tradunt de voto obedientiæ, quia neque necesse est vinculum obedientiæ relaxari; sed sufficit materiam subtrahi, tollendo subiectionem, quam subditus habet ad suum Prælatum, ita vt tunc maneat solum subiectus summo Pontifici.*

3 *Dispensandi in votis paupertatis, & obedientiæ subesse posse iustam causam censet auctor ejus probabilius, vt si v. g. dispensetur Religiosus, vt fiat Princeps sæcularis, & ducat vxorem; quia tunc est sufficiens causa, quod ei votum paupertatis dispensetur.*

4 *Idem dic etiam de voto obedientiæ, quod etiam videtur cessare hoc ipso, quod quis desinit esse Religiosus; quod tamen non procedit in Episcopis, in quibus mutatur in obedientiam erga summum Pontificem.*

5 *Amplia id adeo verum esse, vt nonnulli putent de facto cum Religioso, cùm fit Episcopus, dispensari à Pontifice in voto paupertatis; quamuis contrarium auctori magis probetur.*

6 *Obligatio horum votorum est de essentia Religionis, consequenter Episcopus eum non desinat esse Religiosus, non soluitur voto.*

7 *Religiosus factus Episcopus necesse non est, quod sit dominus sua portionis, vel aliorum bonorum, quæ possidet; sed satis est, quod plenam administrationem solummodo habeat.*

8 *Religiosus factus Episcopus, quoad dominium non obtinet portionem sibi assignatam, sicut Episcopus sæcularis; sicut quoad administrationem plenam.*

9 *Religiosus factus Episcopus, licèt liberetur ab obseruantiis Regularibus, non tamen absoluitur à votis essentialibus; & ideò per Episcopatum non acquirit ius successionis, sed per Episcopatum tantùm fit, vt quod acquirit, non cedat Monasterio, sed suæ Ecclesiæ.*

10 *Pontifex interdum Religioso facto Episcopo concedit potestatem vt omnia bona sæcularia, & illa relinquat cuicumque voluerit; sed non ita vt illi concedat dominium talium bonorum, sed tantùm plenam administrationem.*

Respondetur affirmatiuè, si iusta causa subsit: Probatur, quia in his non est maior difficultas, quàm in voto castitatis. 1

Dixi, *si iusta causa subsit*, quia nonnulli, quos sequitur Nauarrus *comment. 2. de Regul. num. 17.* censent; non posse subesse iustam causam, præsertim vt dispensetur in voto paupertatis; quia sufficit, inquiunt ipsi, in tali casu, vt ei, cui dispensatur, absque dominio concedatur plena administratio, quæ tamen aliquo modo dependens sit ab arbitrio summi Pontificis, cùm hæc plena administratio ad omnes actus necessarios, vt ad donandum, ad acquirendum, ad contrahendum, ad condendum testamentum, & similia, abundè sufficiens sit. Idemque tradunt de voto obedientiæ, 2 neque necesse est vinculum obedientiæ relaxari, sed etiam sufficit, materiam subtrahi, tollendo subiectionem,

quam subditus habet ad suum Prælatum, itavt is maneat tunc soli Summo Pontifici subiectus, sicuti contingit quando Religiosus fit Episcopus, vel Cardinalis.

3 At contrarium, posse scilicet subesse iustam causam, arbitror ego probabilius, vt si v.g. dispensetur, quod Religiosus fiat Princeps sæcularis, & ducat vxorem; quia tunc saltem est sufficiens causa, quod ei votum paupertatis (ne affectu proprietatis, largitionibus, sumptibus superfluis, vel aliis diuersis modis, qui facilè in hoc statu possunt euenire, mortaliter pec-

4 cet contra dictum votum) omninò relaxetur. Idemque dico de voto obedientiæ; quinimmò tale votum videtur cessare hoc ipso, quo is desiuit esse Religiosus; cùm dictum votum obedientiæ non intelligatur, nisi de iis, quæ continentur in Regula, vel de iis, quæ diriguntur ad obseruationem Regulæ. In Episcopo tamen non desinit, sed mutatur in obedientiam ad summum Pontificem, congruentem illi statui ipsiusmet Religiosi iam Episcopi facti, tacito, vel expresso consensu à principio suæ professionis, quando scilicet in Religione vota solemnia emisit in manu Prælati; cùm summus Pontifex sit omnium Religionum Prælatorum Prælatus.

5 Et quod dixi, adeò verum est, vt nonnulli, quos sequitur Sotus *de Iust. & Iur. lib.*10.*q.*5. *art.*7. putent, de facto cum Religioso, cùm fit Episcopus, dispensari à Pontifice in voto paupertatis.

Quamvis mihi contrarium, quod cum S. Thoma 2.2.*q.*88.*art.*11. *ad* 4. docent Syluest. *verb. Religio* 6. *n.*10. Armilla *eodem verbo, n.*25. Nauarrus *de redditib. q.*3. *monit.*15. & alij communiter Doctores, videatur probabilius, cum Religioso scilicet, quando fit Episcopus, de facto non dispensari à Pontifice in voto paupertatis, sicut nec in voto obedientiæ.

6 Primò, quia obligatio horum votorum, vti dicebam *sect. præcedenti*, & apertè colligitur *ex cap. cùm ad Monasterium, de statu Monachor.* est de essentia Religionis: ergo cùm Religiosus per Episcopatum non desinat esse Religiosus, non soluitur de facto iste talis huiusmodi votis.

7 Secundò, quia necesse non est, quod Religiosus factus Episcopus sit dominus suæ portionis, & aliorum bonorum, quæ possidet; sed satis est, quod plenam administrationem, qualem Canones, tum ad suam sustentationem, tum ad pias causas ipsi permittunt, solummodò habeat, cùm talis administratio ad tales actus abundè sufficiat: ergo, &c.

8 Objicies fundamenta aduersariorum: Primò, quatenus spectat ad prouentus Ecclesiasticos, Religiosus factus Episcopus obtinet portionem sibi assignatam eodem modo, quo obtinet Episcopus sæcularis suam: at Episcopus sæcularis, ex probabiliori sententia Doctorum, portionem suam ita obtinet, vt dominium eius habeat: ergo & Religiosus factus Episcopus suæ portionis dominium habebit.

Respondetur distinguo maiorem: [Religiosus factus Episcopus obtinet portionem sibi assignatam eodem modo quo obtinet Episcopus sæcularis suam.] Quoad dominium, nego quoad plenam administrationem, concedo.

9 Objicies 2. quatenus spectat quoad bona sæcularia, *in cap. statutum*, 18.*q.*1. dicitur: [Statutum est, vt Monachus, quem electio Canonica à iugo Regulæ, & professionis Monachalis absoluit, & Sacra Ordinatio de Monacho Episcopum fecit, velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea iure vendicandi potestatem habeat.] Vbi duo dicuntur: Primum, quod Monachus per electionem canonicam, confirmatam scilicet à Pontifice, liberetur à iugo Regulæ, itavt non ampliùs teneatur ieiuniis, abstinentia carnium, vsu lanceorum, silentio, & reliquis Monasticis obseruationibus in Regula præscriptis; excipe tamen habitum, quem vt Religiosus factus Episcopus seruet, decernit textus *in c. Clerici officia, de vita & honest. cleric.* quamvis in quibusdam locis id non seruetur, secundùm quod illic *habeat ius successionis hereditaria*: quod intellige, tametsi fortè tale ius fuerit quasi extinctum, vt si fuerit ex ordine Mendicantium; quia non fuit extinctum absolutè, sed suùm sub conditione, nisi scilicet fieret Episcopus: ergo signum est, quod Religiosus factus Episcopus (quatenus spectat ad bona sæcularia) dominium illorum habeat.

Respondetur: Nego consequentiam, quia Religiosus factus Episcopus, per Episcopatum non acquirit ius successionis, cùm illud etiam antea, existens Monachus iam semper habuerit, vti constat ex *cap. si qua mulier*, 19.*q.*3. *& ex l. Deo nobis, Cod. de Episc. & Cleric.* sed per Episcopatum tantùm fit, vt si quid ipse in posterum acquirat, id cedat non Monasterio, sicut antea, sed cedat Ecclesiæ ipsius; & hoc est, quod disponitur *in dicto cap. statutum*, quod si scilicet ipse sit ex Ordine Mendicantium, sicque aliquo modo extinctum ius successionis, per Episcopatum illud reuiuiscit; in commodum tamen Ecclesiæ ipsius, itavt rei sic acquisitæ Ecclesia dominium, ipse verò tantùm administrationem habeat: qua de re videri præter alios poterit Syluester *verb. Religio* 4. *q.*10.

Objicies 3. Pontifex interdum Religioso facto Epi- 10
scopo concedit potestatem, vt emat bona sæcularia, & illa relinquat cuicumque voluerit: ergo signum est, quod Religiosus factus Episcopus, bonorum quæ possidet, dominium habeat.

Respondetur distinguo antecedens, itavt tunc Pontifex illi concedat dominium talium bonorum, nego: itavt tunc concedat administrationem illorum, concedo: vnde nego consequentiam.

SECTIO LXVIII.

An Summus Pontifex dispensare possit, quod quis Eques ex Religione Hierosolymitana Sancti Ioannis transeat ad Religionem Sancti Iacobi, Alcantaræ, vel Calatrauæ, &c.

SVMMARIVM.

1 *Pontifex dispensare potest, quod quis eques Hierosolymitanus sancti Ioannis transeat ad Religionem sancti Iacobi, Alcantara, vel Calatrana, &c. si similiter iusta causa subsit, quia potest dispensare, vt quis transeat à strictiori ad laxiorem, & potest totaliter dispensare in voto castitatis: at hic tantùm commutat, quod est quid minus.*

2 *Religio Sancti Iacobi, Alcantara, vel Calatrana, &c. non est vera Religio, qualis est Hierosolymitana sancti Ioannis: at rationes superius allegata in iis etiam habent locum, quia reuera est vera Religio, prout asserunt plures Doctores.*

3 *Votum castitatis coniugalis, licèt ad constituendum votum solemne castitatis, seu ad constituendum veram Religionem, non sufficiat de Iure communi, sufficere tamen potest ex priuilegio; nam cùm solemnitas voti inducta sit de Iure positiuo Ecclesiastica, potest illa, si rationabilis causa subsit, minui, vel augeri à Pontifice.*

4 *Obligatio voti licèt sit inducta de Iure naturali, & diuino, solemnitas tamen eiusdem voti inducta est de Iure positiuo Ecclesiastico: Pontifex enim induxit, quod ad constituendum votum solemne Religionis, seu ad constituendum veram Religionem, requirantur tria vota, scilicet castitatis integra, paupertatis, & obedientia, &c. & consequenter potuit etiam inducere, quod sufficiat castitas coniugalis.*

5 Omnes

5 *Omnes Religiosi, licèt emittant votum paupertatis, non tamen omnes pari modo obligantur ad illam seruandam; quia Franciscani de obseruantia, & Capucini tenentur illam seruare in particulari, & in communi: quidam autem alij, siue Mendicantes, siue non Mendicantes, tantùm in particulari, & non in communi.*

6 *Mendicantes prædicti ante Concilium Tridentinum non poterant habere in communi, nisi cum certa limitatione, modo possunt post Concilium habere sine dicta limitatione.*

7 *Religiosi aliqui, qui non possunt de iure communi habere proprium, possunt ex priuilegio certo modo testari.*

8 *Equites prædicti sancti Iacobi, Alcantaræ, vel Calatrauæ gaudent priuilegio fori, Canonis, & exemptionis gabellarum.*

9 *Equites prædicti, emissa professione, relinquendo Religionem, sunt apostatæ.*

10 *Neque possunt emittere professionem, nisi completo anno 16. & non nisi completo anno Nouitiatus.*

11 *Item post professionem fornicantes committunt sacrilegium, étavt in confessione tenentur explicare talem circumstantiam.*

12 *Equites prædicti deserentes portare habitum, peccant mortaliter, & excommunicationem incurrunt.*

13 *Equites prædicti, tanquam veri Religiosi, à Clemente VIII. excepti fuerunt, ne comprehendantur in Bulla de munerum largitione.*

14 *Equites prædicti possunt tandem tanquam veri Religiosi eligere sibi Confessarium ab ordinario non approbatum.*

15 *Equites sancti Iacobi, Alcantaræ, vel Calatrauæ emittunt tantùm votum castitatis coniugalis; Hierosolymitani verò Sancti Ioannis votum solemne, quod Summus Pontifex non potest ita dispensare, vt totaliter illud remittat, secus si partim remittat.*

16 *Pontifex non dispensat cum dicto Equite Hierosolymitano in voto solemni, sed ponit illum in tali statu, in quo amplius dicti voti solemnis obligatio ipsum non obstringit, itavt in hoc casu nequè sit dispensatio mera, neque admixta commutationi, sed tantùm ex vera, & rationabili causa translatio ex vno ad alium statum.*

17 *Religiosus ex Minimis, vel Mercenariis, si transiret v.g. ad Carmelitas, non tenetur ad votum quadragesimale, nec ad votum Redemptionis Captiuorum, non ex eo quod Pontifex dispensauerit cum illo in dictis votis, sed ex eo quod transtulerit in statum, in quo non amplius seruantur illa vota.*

18 *Votum quodcumque annexum priori professioni, casu quo Religiosus professus legitimè transferit ad alium Ordinem, vbi denuò profiteatur, illud dissoluitur, & omninò desinit obligare.*

19 *Excipe votum de non petenda dignitate extra religionem, quale votum in præsenti non cessat per quamcunque Religiosi translationem.*

20 *Licentia concessa à Pontifice transeundi à strictiori ad laxiorem, continet dispensationem, seu commutationem votorum, secundùm probabiliorem sententiã.*

1 RESpondetur ex dictis etiam affirmatiuè, si similiter iusta causa subsit.

Probatur, quia ex dictis *sect.* 59. Summus Pontifex dispensare potest, quod quis transeat à Religione arctiori ad Religionem laxiorem: Ergo, &c. Secundò, quia ex dictis *sect.* 66. dispensare potest in voto solemni castitatis totaliter illud relaxando: Ergo & dispensare poterit in eodem illud commutando in votum castitatis coniugalis; cùm in tali casu Summus Pontifex absque dubio quid minus relaxet. Tertiò, quia ex dictis *sect.* 67. dispensare potest in voto solemni paupertatis, & Obedientiæ: Ergo & dispensare poterit in voto solemni castitatis, cùm *ex cap. cùm ad Monasterium, de statu Monachor.* potestas Summi Pontificis in dispensatione voti solemnis castitatis æquiparetur, seu pari passu ambulet.

Objicies 1 Religio sancti Iacobi, Alcantaræ, vel Calatrauæ, &c. non est vera Religio, qualis est Religio Hierosolymitana sancti Ioannis; sic Doctores, quos sequitur Sotus *de iust. & iur. lib. 7. q. 5. art. 3. ad 3.* Ergo prima ratio nostra non conuincit.

Respondetur: transeat antecedens, at nego consequentiam, saltem propter secundam, & tertiam rationem eiusdē nostræ responsionis affirmatiuæ principalis.

Respondetur secundò: Nego antecedens, quod scilicet Religio S. Iacobi, Alcantaræ, vel Calatrauæ, &c. non sit vera Religio, atque ita probabam *tract. de Immunit. & iurisd. Eccl. cap. 1. dub. 11.* & tenent Faber *in Cod. lib. 6. tit. 12. different. 33. n. 2.* Suarez *de Relig. tom. 4. lib. 1 c. 4. n. 8. & seqq.* Sanchez *lib. 7. moral. c. 29. n. 105.* Pontius *in tract. de impediment. matrim. caus. 27. q. 1. §. 4.* itavt oppositum iudicet ipse nimis licentiorè dictum; cùm literæ Pontificiæ pleno ore Equites S. Iacobi, Alcantaræ, vel Calatrauæ, &c. appellent Religiosos; & cùm vera Religio constare possit etiam ex castitate coniugali, eo quòd sicut datur latitudo in paupertate, sic etiam & datur in castitate, quæ est materia voti. Valenzuela *conf. 95. n. 9.* Velasc. *consult. 108. n. 27.* Carlenal. *de iudiciis, tom. 1. lib. 1. tit. 1. disp. 2. q. 6. n. 416.* Zipæus *de iurisd. lib. 1. cap. 13. n. 1.* Ferentillus *in decis. 2. Buratti,* Guazzinus *defens. 20. n. 16.* Riccius *in prax. tom. 4. resol. 170. & resol. 176.* Pereyra *decis. 58.* Megallius *tom. 4. lib. 4. cap. 20. q. 5. n. 40.* Transmiera *de Polygamia, lib. 3. q. 22. n. 26.* Valerus *in different. vtriusque fori, verb. munera, differ. 1. n. 12. & 13.* Nouarius *in lucerna Regular. n. 16.* Pellizzarius *in manuali Regul. tom. 1. tract. 1. cap. 3. n. 58.* Lezana *in sum. tom. 1. cap. 5. n. 6.* Bordonus *in conf. Regul. tom. 1. resol. 18. num. 33.* Leander *de Sacram. tom. 1. tract. 5. disp. 13. q. 47.* Sperellus *tom. 1. decis. 2. n. 64.* Martinus de San Iuan *in monit. confess. tom. 1. tract. 34. de pœnit. n. 4.* Sancius *in selectis, disp. 49. n. 10.* Faustus *in thes. lib. 5. q. 11.* & complures alij, quos citabam *citato cap. 1. dub. 11. de immunit. & iurisd. Eccles.*

Et ratio est, quia licèt votum castitatis coniugalis ad constituendum votum solemne castitatis, seu ad constituendam veram religionem non sufficiat de iure communi, sufficere tamen potest ex priuilegio: nam cùm solemnitas voti inducta sit de iure positiuo Ecclesiastico, potest illa, si rationabilis causa subsit, minui, vel augeri à Pontifice, sicque sicut Pontifex potest facere Religioso facultatem aliquo modo testandi, vel aliquo modo quid, vt v.g. pensionem habendi, & possidendi, moderando scilicet solemnitatem voti paupertatis; ita etiam poterit facere facultatem vtendi legitimo coniugio, minuendo similiter solemnitatem voti castitatis. Deinde licèt obligatio voti sit inducta de iure naturali, & diuino; solemnitas tamen eiusdem voti inducta est de iure positiuo Ecclesiaco: Pontifex enim induxit, quod ad constituendum votum solemne Religionis, seu ad constituendam veram Religionem requirantur tria vota, scilicet castitatis integræ, paupertatis & obedientiæ. Item & quod hæc tria vota fiant in Religione approbata. Item & quod fiant in manibus, qui potest vouentem incorporare Religioni, alioquin non sint vota solemnia; & ideò sicut Pontifex induxit, quod omnia prædicta requirantur, vt vera Religio constituatur, seu quod aliquod votum dicatur solemne, & sufficiens ad faciendum aliquē verum Religiosum, & ad quosdam alios certos effectus, &c. Ita etiam Pontifex poterit inducere, quod ad ea, quæ dicebam, aliquid ampliùs requiratur, vel aliquid minùs sufficiat; & consequenter potest efficere, quod ad eadem, quæ dicebam, non solùm sufficiat votum castitatis integræ, sed etiam votum castitatis coniu-

galis; cùm quilibet Pontifex æqualam, quinimò eandem potestatem Ecclesiasticam immediatè à Deo, sicuti & ipse Petrus, habeat, & possideat, *argumento, cap. nono, 21. dist. cap. cuncta, cap. ipsi sunt, 9. q.3. &*
5 *cap. 1. de homicid. in 6.* vnde fit, quod licèt omnes Religiosi emittant votum paupertatis, non tamen omnes Religiosi pari modo obligentur ad illam seruandam; quia Franciscani de Obseruantia, Capucini, & quidam alij tenentur illam seruare in particulari, & in communi; quidam autem alij, siue non Mendicantes, siue Mendicantes, tantùm in particulari, & non in
6 communi; quin & hi Mendicantes ante Tridentinum Concilium non poterant habere in communi, nisi cum certa limitatione: Nunc autem post dictum Concilium possunt habere etiam sina tali limitatione, iuxta
7 *cap. 2. sess. 25.* aiusdem Concilij, quin etiam & aliqui Religiosi, qui non possunt de iure communi habere proprium, possunt ex priuilegio certo modo, vt v.g. pensionem habera, & possidera per limitationem voti paupertatis; quaptopter non est mirum, quod Ecclasia statuerit, vt quidam Religiosi ax Religionibus ad militiam armatam constitutis propter maximam difficultatem, quam conuersando ferè semper cum sæcularibus hominibus, & fœmellis, seruandi votum integræ castitaris habent, satisfacerent voto statui Religioso necessario, seruando solùm castitatem coniugalem.
8 Ex quibus *in citato tractat. de Immunit. & Iurisd. Ecclesiast.* deducebam, quod prædicti Equites sancti Iacobi, Alcantaræ, vel Calatrauæ, &c. gaudeant Priuilegio fori, Canonis, & exemptionis gabellarum:
9 Item quod emissa professione relinquendo Religio-
10 nem sint apostatæ: Item quod non possint emittere professionem, nisi completo anno decimosexto, &
11 non nisi completo anno Nouitiatus: Item quod post professionem fornicantes committant sacrilegium, itavt in confessione teneantur explicare talem circunstantiam, tam ipsi, quàm mulieres, quæ cum iis fornican-
12 tur: Item quod deserentes gestare habitum, mortali-
13 ter peccent, & excommunicationem incurrant: Item quod tanquam veri Religiosi, à Clemante VIII. excepti fuerint, ne comprehendantur in Bulla, in qua
14 illa interdixit Religiosis munerum largitionem: Item, quod tandem possint, tanquam etiam veri Religiosi, aligere sibi confessarium ab Ordinario non approbatum: sic quos sequitur Riccius *in praxi, tom. 4. resol. 170. n. 2.* Maximus de sancto Ioseph *in Monita Confessarior. tom. 1. lib. 1. tract. 24. de pœnitentia, n. 4.* Nonarius *de elect. for. q. 69. n. 23. sect. 2.* & Leander *de Sacram. tom. 1. tract. 5. disp. 12. quæst. 47.*
15 Objicies secundò: In Religione Sancti Iacobi, Alcantaræ, vel Calatrauæ, &c. emittitur tantùm votum castitatis coniugalis; in Religione verò Hierosolymitana Sancti Ioannis emittitur votum castitatis perpetuæ solemna; sed in hoc ex Sancto Thoma 2.2. *quæst. 88. art. 11.* quem sequuntur ferè communiter Thomistæ, non potest Summus Pontifex dispensare: Ergo, &c.

Respondetur: Nego minorem ex iis, quæ dicebam *sect. 66.* vel

Respondetur secundò, distinguo minotem: Non potest Summus Pontifex dispensate, itavt totaliter illud remittat, & sit dispensatio mera, transeat: non potest dispensara, itavt illud partim remittat, partim verò commutet, & non sit dispensatio mera, sed admixta commutationi, &c. nego, vt patet ex iis, quæ dicebam *citata sect. 66. in responsione ad sextum Argumentum.*
16 Vt omittam tettiò, dici etiam posse, quod in tali casu Pontifex non dispenset in voto solemni castitatis, sed tantùm ponat Equitem Religionis Hierosolymitanæ Sancti Ioannis (cum quo dispensat) in alio statu, in quo ampliùs dicti voti solemnis obligatio illum non obstringit, itavt in hoc casu, de quo loquimur, nequa sit dispensatio mera, neque etiam sit dispensatio admixta commutationi, sed tantùm ex iusta, & rationabili causa translatio ex vno statu ad alium statum, in quo posteriori statu non adsunt obligationes eodem modo, quo aderant in priori; & ideò si quis v.g. ex Capucinis cum licentia Pontificis transiret ad Canonicos Regulares, vel ad Franciscanos Conuentuales, non teneretur ad votum paupertatis tam rigidè, sicut antea: sic Doctores quos sequitur Cenedo *de paupertate religiosa, dub. 50. num. 18.* & Machin. *in allegatione pro Iurisd. Ordin. militar. art. 3. num. 34.* Et si quis v.g. 17
ex Minimis, vel ex Mercenariis transirat ad Carmelitas, non teneretur ad votum quadragesimala, nec ad votum Redemptionis Captiuorum, non eo quòd Pontifex dispensauerit cum illo in omnibus supradictis votis, sed eo quòd transtulerit illum in statum, in quo non adest ampliùs obligatio obseruandi illa vota. Et ratio horum omnium ast, quia per legitimum transitum ad aliam Religionem dissoluitur vinculum prioris professionis, quatenus scilicet vnus status Religionis mutatur in alium, iuxta diuersitatem professionum,
quæ in talibus Religionibus respectiuè emittuntur: sic 18
DD. quos sequitur Sanchez *lib. 6. moral. c. 7. n. 87.* & Pelliazarius *in manuali Regularium, tom. 1. tract. 1. c. 2. n. 34. & tract. 3. cap. 5. sect. 1. n. 11.* Itavt si quod aliud votum, siue solemne, siue non solemne, erat annexum priori professioni, casu quo Religiosus professus legitimè transierit ad alium otdinem, vbi denuò profiteatur, illud dissoluatur, & omninò desinat obli-
gare. Excipe tamen votum de non petenda, vel acce- 19
ptanda dignitate extra Religionem: quale votum in præsenti non cessat per quamcunque Religiosi translationem, habitus priuationem, vel dimissionem, &c. ax constitutione Vrbani VIII. in ordine 140.
Quamvis, vt fatear, ax communiori, & probabi- 20
liori sententia Doctorum in licentia à Pontifice ad transitum Religionis laxioris concessa adsit dispensatio in voto solemni Religionis strictioris (etsi partim admisceatur commutatio) itavt propterea talis licentia non possit absque iusta causa à Pontifice concedi: sic Doctores, quos citat, & sequitur Sanch. *lib. 6. moral. cap. 7. n. 52.* & Ricciul. *de iur. person. lib. 4. cap. 8. n. 4.*

SECTIO LXIX.

Quænam sit iusta causa, ob quam Summus Pontifex (dispensando implicitè, & simul commutando votum castitatis perpetuæ solemne in votum castitatis coniugalis) indulgere possit, quod quis Eques ex Religione Hierosolymitana Sancti Ioannis transeat ad Religionem Sancti Iacobi, Alcantaræ, vel Calatrauæ, &c.

SVMMARIVM.

1 *Duplex est iusta causa, ob quam Summus Pontifex indulgere potest, quod Eques Hierosolymitanus Sancti Ioannis transeat ad Religionem Sancti Iacobi, Alcantara, vel Calatraua: vna priuata, altera publica.*

2 *Causa priuata est periculum damni spiritualis, quod prædictus Eques Hierosolymitanus subit propter suam fragilitatem, contra alios Doctores non admittentes hanc esse iustam causam, qui tamen intelligi debent casu, quo is peteret dispensationem absolutam à voto, & religione.*

3 *Item intelligi debent prædicti Doctores, casu quo prædictus Eques non adduceret aliam causam, quàm suam fragilitatem; secus si adduceret quandam inconsiderationem, vel leuitatem in emittendo votum.*

4 Qua

4 *Quas duas causas esse sufficientes, scilicet leuitatem in emittendo votum, & fragilitatem, asserunt dicti Doctores.*

5 *Publica causa est, ne illustris, seu nobilis aliqua familia extinguatur. Et hanc causam propter bonum publicum esse iustam causam dispensandi in voto solemni castitatis, tradunt Doctores.*

6 *Gregorius XIII. dispensauit cum quadam comitissa in voto castitatis ab illa emisso in manu Episcopi, vt matrimonium contraheret cum marito olim suæ sororis, & cum suo Patruo.*

7 *Ad publicam causam reducitur, si adsint merita alicuius magni principis intercedentis pro eo, qui petit dispensationem, quia multùm expedit Ecclesiæ habere magnos principes specialiter sibi deuinctos.*

8 *Alexander III. dispensauit cum Nicolao Iustiniano etiamsi, esset Monachus professus, & etiamsi esset vir priuatus, & non magni Principis filius, ne scilicet eius familia illustris, seu nobilis extingueretur.*

9 *Fauendum, & adhærendum est in his materiis Auctoritati Summi Pontificis.*

10 *In secundo gradu, licet ex dispositione Concilij Tridentini non sit dispensandum, nisi inter magnos Principes: dispensari solet aliquando etiam inter Barones feudatarios, & inter alios viros nobiles, nec ex causa publica, scilicet quæ directè tangat bonum publicum, sed tantùm bonum priuatum.*

11 *Summus Pontifex dispensat etiam cum personis inferioris notæ, etiamsi non adsit causa publica.*

12 *Sanctus Thomas, Sotus, & alij Doctores asserentes, infidelem esse dispensatorem, nisi dispenset propter bonum commune, intelligendi sunt, nisi dispenset propter bonum commune saltem per accidens, indirectè, remotè, vel mediatè. Et ideò in dispensatione voti solemnis castitatis sufficere priuatam causam ex parte vouentis, docent plures Doctores.*

13 *Summus Pontifex si non dispenset simpliciter, multò magis concedere potest dictam licentiam, cùm pro dicto transitu sufficiat tantùm bonum priuatum.*

1 RESpondetur: duplex, vna priuata, altera publica.

2 Priuata est periculum damni spiritualis, quod prædictus Eques Religionis Hierosolymitanæ Sancti Ioannis perseuerando in hac Religione subit propter suam fragilitatem; & hanc causam, vtpote spectantem ad salutem animæ, esse iustam causam dispensandi in voto solemni castitatis integræ, tenent Lessius *de Iust. & Iur. lib. 2. cap. 40. dub. 17. n. 120.* Sanchez *lib. 4. moral. c. 41. n. 40.* Præpositus *in part. 2. S. Thomæ, q. 97. dub. 3. num. 28.* Raphaël de la Torre *in 2. 2. S. Thomæ, tom. 1. q. 88. art. 12. disp. 4. art. 4.* Laym. *lib. 4. tract. 4. c. 8. n. 5.* Stephanus *de Sacrament. lib. 3. c. 113. n. 3.* Martinus Perez *de matrimon. disp. 45. sect. 5. n. 13.* Nauarr. Suarez & Sayrus, quos citat, & sequitur Ochagauia *de Sacrament. tract. 4. de dispensat. matrim. q. 6. n. 6.*

Quod si alij, quos sequitur Gratianus *discept. 457. n. 16.* & quidem satis probabiliter, non admittant hanc esse iustam causam, vt ob illam Summus Pontifex dispensare possit in voto castitatis Equitis Religionis Hierosolymitanæ Sancti Ioannis.

3 Respondetur, quod ij Doctores id intelligant casu, in quo prædictus Eques peteret dispensationem absolutam à voto, & Religione: Quod non contingit in casu nostro, in quo prædictus Eques transeundo ad Religionem Sancti Iacobi, Alcantaræ, vel Calatrauæ, &c. adhuc manet Religiosus, & non obtinet dispensationem absolutam à voto, & Religione, sed tantùm ipsius votum castitatis absolutum commutatur in votum castitatis coniugalis. Vel

Respondetur secundò, quod prædicti Doctores id intelligant casu, in quo prædictus Eques non adduceret aliam causam, nisi solam suam fragilitatem in obseruando voto; secus autem si præterea adduceret aliam causam, v. g. quandam inconsiderationem, vel leuitatem in emittendo voto, quam esse iustam causam ad dispensandum, tradunt: sic Doctores, quos citat, & sequitur Castrus Palaus *tom. 3. tract. 13. punct. 9. n. 7.* Ochagauia *tract. 4. de matrim. q. 7. n. 5.* & Stephanus *de Sacrament. lib. 3. cap. 113. n. 3.* quia fieri potest, quod plures causæ, quarum singulæ disiunctim non sufficerent, coniunctim sufficiant. Castrus Palaus *tom. 5. disp. 4. tract. vlt. §. 12. n. 2.* Trullench. *de Sacram. lib. 7. cap. 10.* Perez *de matrim. disput. 45. sect. 5. n. 3.* Leand. *de Sacr. p. 1. tract. 9. disp. 24. q. 23.* & Hurtadus *de matrim. disp. 26. diffic. 5. n. 13.*

Et duas prædictas causas coniunctim sumptas, sci- 4
licet leuitatem in emittendo votum, & periculum labendi ex fragilitate, sufficientes esse, vt Summus Pontifex concedat licentiam transeundi ad Religionem laxiorem, tradunt Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 6. moral. cap. 7. n. 72.*

Publica causa est, ne Illustris, seu Nobilis aliqua 5
familia extinguatur; & hanc causam, vtpote spectantem ad bonum publicum, esse iustam causam dispensandi similiter in voto solemni castitatis, patet *ex l. 1. §. denunciare, vers. publicè, ff. de ventr. inspic.* & tenent Perez *de matrim. disp. 45. sect. 5. n. 10.* Castrus Palaus *tom. 5. disp. 4. punct. vltimo, §. 2. n. 2.* Bassæus *verb. matrim 9. n. 5.* Stephanus *de Sacram. lib. 3. cap. 113. n. 2.* Trullench. *de Sacram. lib. 7. cap. 10. dub. 2. num. 9.* Sanchez, Coninch, & alij, quos citat, & sequitur Gaspar Hurtadus *de matrim. disp. 26. diffic. 3. n. 12.*

Videri etiam poterit Villalob. *in sum. tom. 1. tract. 14. disput. 26. n. 6.* vbi notat, quod ob dictam causam (ne scilicet familia Illustris, seu Nobilis extingueretur;
quia ad publicum, & commune commodum specta- 6
bat) Gregorius XIII. dispensauerit cum quadam Comitissa in voto castitatis ab illa emisso in manu Episcopi, vt matrimonium contraheret cum marito olim suæ sororis, & cum suo Patruo.

Ad hanc publicam causam reducitur, si adsint me- 7
rita alicuius Magni Principis intercedentis pro eo, qui petit dispensationem; quia multùm expedit Ecclesiæ, quod ipsa habeat Magnos Principes specialiter sibi deuinctos: Et propterea hanc esse iustam causam dispensandi, & per consequens concedendi licentiam in voto solemni castitatis, docent Sanchez *de matrim. lib. 8. disp. 19. num. 22.* Molfesius *in summa, tom. 1. tract. 4. cap. 12. n. 57.* Reginaldus *tom. 3. lib. 31. cap. 26. n. 19.* Castrus Palaus *tom. 1. disp. 4. punct. vltimo, §. 2. n. 1.* Coninch. *de Sacram. disput. 23. dub. 5. num. 49.* Villalobos *tom. 1. tract. 4. difficult. 26. n. 8.* Hurtadus, & Perez *locis suprà citatis.*

Vbi aduerte primò, quod ob dictam causam (ne 8
scilicet familia Illustris, seu Nobilis extingueretur) Alexander tertius dispensauerit cum Nicolao Iustiniano, etiamsi Nicolaus esset Monachus professus, & etiamsi esset vir priuatus, & non Magni Principis filius, & etiam absolutè, & totaliter, itavt & posset vxorem ducere.

Aduerte secundò, quod in his materiis semper ad- 9
hærendum sit sententiæ, quæ fouet, & ampliat potestatem Summi Pontificis, vti rectè dixerunt: sic Doctores quos sequitur Michaël Medina *de Sacram. lib. 5.* & Pellizzarius *tom. 1. tract. 3. cap. 5. sect. 1.*

Aduerte tertiò, quod licèt in Concilio Tridentino 10
sess. 24. cap. 5. de reformat. matrim. habeatur quod in secundo gradu nunquam dispensetur, *nisi inter magnos Principes*, & ob publicam causam: hoc tamen non obstante, vt aduertunt Sanch. *de matrim. lib. 6. disp. 19.* Zerola *in Praxi, part. 1. verb. dispensatio, §. 1.* Zipæus *lib. 4. tit. de eo qui cognouit vxor. n. 7.* Baldell. *tom. 2. lib. 5. disp. 51. n. 9.* Pontius *de matrim. lib. 9. c. 14. n. 12.* Roccaful. *p. 3. lib. 6. cap. 17. q. 4.* Filliucius *tom. 1. tract. 10. p. 2. cap. 10. n. 318.* Trullench. *de Sacram. lib. 7. c. 10. dub. 2.*

num. 15. & Villalobos *tom. 1. tract. 14. difficult. 16. n. 4.* Pontifices in secundo gradu aliquando dispensare solent etiam inter Barones feudatarios, & inter alios viros nobiles, nec ex causa publica, scilicet quæ per se, directè, proximè, vel immediatè tangat bonum publicum, sed tantùm quæ per se, directè, proximè, vel immediatè tangat bonum priuatum, & per accidens, indirectè, remotè, vel mediatè tangat bonum publicum; quia sicuti patet ex eodem Concilio Trident. *sess. 25. c. 18. de reform.* non semper requiritur ad iustitiam causæ dispensationis faciendæ, quod causa per se, directè, proximè, vel immediatè tendat in bonum commune, sed satis est, si tendat in illud per accidens, indirectè, remotè, vel mediatè. Quandoquidem bonum commune pendet ex bono priuatorum, seu priuato; vnde bonum priuatorum, seu priuatum aliquo modo
11 dici potest bonum commune. Et in Dataria videmus, quod Pontifices dispensent cum personis, etiam inferioris notæ, tametsi non adsit causa publica, quæ per se, directè, proximè, vel immediatè respiciat bonum commune.

12 Hinc sequitur, quod quando S. Thom. *in p. 2. q. 97. art. 4.* Sotus *de iust. lib. 1. q. 7. art. 3.* & alij docent, quod infidelis sit dispensator, nisi dispenset propter bonum commune, intelligendi sint, nisi dispenset propter bonum commune, saltem per accidens, indirectè, remotè, vel mediatè; & ideò etiam in dispensatione voti solemnis castitatis sufficere priuatam causam ex parte voventis, docuerunt Henric. de Gandauo *quodlibet. 5. q. 28.* Richard. *in 4. dist. 38. art. 9.* Cajet. *tom. 1. opusc. tract. 27. de dispensat. q. vnica*, & ex probabili Valentia *tom. 3. disp. 6. q. 6. punct. 7.* Quam sententiam etiam damnare non audet Medina *de Sacram. lib. 5. c. 35. & 37.* eò quòd in praxi posita sit à Clemente VII. quoad dispensationem cum Equitibus Alcantaræ, & Calatrauæ, sicut *sup. sect. 66.* dicebam.

13 Sequitur 2. quod multò magis dictam licentiam concedere possit Summus Pontifex, si non dispenset simpliciter, nec faciat de Religioso non Religiosum eum, cum quo dispensat, sed tantùm commutet illius votū solemne castitatis absolutæ in votum castitatis coniugalis, stante licentia, quam illi præbet transeundi ex Religione Hierosolymitana S. Ioannis ad Religionem S. Iacobi, Alcantaræ, vel Calatrauæ, &c. Pro quo transitu sufficere tantùm bonum priuatum, tradunt DD. quos sequitur Sanch. *cit. lib. 8. de matr. disp. 19.* Quod moltò magis locum habebit, si concedatur etiā pro Illustri, seu Nobili familia aliqua conseruanda, quia id pertinet ad bonum publicum, vti *suprà* dicebam.

APPENDIX

Ad ea, quæ per Dubitationem præsentem totam dicebantur.

DECRETA

Sacræ Congregationis Concilij Tridentini de Religiosis apostatis, de fugitiuis, de dimittentibus habitum Religionis, de eiectis, & de transeuntibus ad aliam Religionem.

SAcra Congregatio Cardinalium Concil. Trid. interpretum, Regularium eiectorum, & fugitiuorum statui consulere, illorumque scandala summouere, & succrescentem numerum frangere operæpretium existimans, auditis religionum superioribus, rèque diligentissimè perpensa, communicato etiam consilio cum S. D. N. Vrbano VIII. atque ea peculiari Sanctitatis suæ facultate infrascripta edidit.

§. 1. Ac primò, vt infecta semina, è quibus praui eiusmodi fructus potissimùm prodeunt, deinceps ne serantur in vinea Domini, censuit esse innouandas, & Sanctiss. auctoritate innouat constitutiones, & decreta generalia fauc. mem. Clem. VIII. ad Regularium reformationem, ac Nouitiorum receptionem, professionem, atque Institutionem spectantia, districtèque præcipit Generalibus, atque aliis omnibus ordinum Superioribus, vt illa exactè obseruent, atque vt obseruentur, efficiant, sub pœnis statutis in iisdem constitutionibus.

§. 2. A quibus tamen excipiendum censuit caput illud, quo decernitur, vt in Conuentibus, seu Monasteriis ad Nouitios recipiendos hactenus designatis, & approbatis, seu imposterum designandis, & approbandis, Nouitij ad habitum vllatenus recipi possint, nisi priùs à Congregatione Reformationis Apostolicæ, vel à propriis locorum Ordinariis expressè, & nominatim approbati fuerint. A cuius quidem Decreti obseruatione Sacra Congregatio iustis de causis censuit Regulares esse absoluendos, prout auctoritate S. D. N. absoluit, atque eximit.

§. 3. Deinde, vt apostatandi opportunitas Regularibus præcipiatur, statuit vt de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi priùs superiori legitimè constiterit, eam Religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, tumque Regularis rectà se transferat ad arctiorem. Quod vt reipsa adimpleatur, idem superior omni studio, ac diligentia inuigilet.

§. 4. Rursus statuit, vt fugitiui, & apostatæ, siue habitum regularem deferant, siue non, possint, ac debeant ab Episcopo loci, vbi moram trahunt, in carceres conijci, ac superioribus Regularibus consignari, secundùm Regularia instituta puniendi; vtque ipsi quoque superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere, atque efficere, vt apprehendantur; salua tamen in omnibus facultate Ordinariis locorum attributa *Decreto Concily, cap. 3. sess. 6.*

§. 5. Quod si apostata huiusmodi citra montes infrà quatuor, vltra montes verò infra octo menses à præsentis Decreti publicatione incboandos, sua sponte ad suam quisque Religionem redierit, tum pœnarum omnium ipsis propter apostasiam inflictarum, aut infligendarum remissionem, atque impunitatem assequantur. Ita tamen, vt debeant à superiore absolutionem humiliter petere, & coram eo culpam fateri, atque emendationem polliceri; superior verò è contra benignè illos teneatur ab huiusmodi pœnis absoluere, & paterna charitate complecti.

§. 6. Ad hæc, vt in posterum è Religionibus nullus legitimè professus ejici possit, nisi sit verè incorrigibilis: verè autem incorrigibilis minimè censeatur, nisi non solùm concurrant ea omnia, quæ ad hoc ea iuris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte statutis, & constitutionibus cuiusque Religionis, & Ordinis, etiam à Sede Apostolica approbatis & confirmatis: verùm etiam vnius anni spatio in ieiunio, & pœnitentia probetur in carceribus; proindéque vnaquæque Religio priuatos habeat carceres in qualiber saltem Prouincia. Elapso autem anno, si nihilominus non resipuerit, sed animo induratо in sua peruicacia perseuerauerit, ne contagione pestifera plurimos perdat, tanquam pecus morbida, ac membrum putre ejici tandem possit, sed ab ipsomet Generali tantùm, de consilio, & assensu sex Patrum ex grauioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus. Tumque non nisi iustructo secundùm eorum stylum, & constitutiones processu, & plenè probatis causis expulsionis ad sacrum Canonum præscriptum. Interea tamen vsque ad primum generale Capitulum, seu Congregationem proximè celebrandam, si quempiam ex iustis, & necessariis causis expellere oportebit, eiectio fieri possit à Generali cum consilio, & assensu sex Patrum,

Patrum, vt suprà, quos idemmet Generalis eligere debeat infrà quatuor menses à præsentis Decreti publicatione; seruata tamen in reliquis forma superiùs præscripta.

§. 7. Sic verò eiecti, quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu Clericali incedant, atque Ordinarij loci Iurisdictioni, & Obedientiæ subsint; proindéque Generalis illico expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur.

§. 8. Cæterùm Sacra Congregatio Religionum Superiores seriò admonet, ac per Iesu Christi viscera obtestatur, vt memores paternæ charitatis, & mansuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, vt lucrentur animas fratrum suorum ferè in profundum malorum delapsas, antequam grauissimum, atque extremum expulsionis remedium experiantur. Idque eo magis, quod subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium, & sui officij immemorum Prælatorum regimine peribunt, Dominus Noster Iesus Christus in supremo Dei iudicio de eorumdem Prælatorum manibus sit requisiturus.

§. 9. Præterea statuit, vt iidem superiores nemini ex Religiosis expulsis literas testimoniales concedant, illos ad Sedem Apostolicam rejicientes, vel iubentes aliam ingredi Religionem.

§. 10. Item, vt eiecti extra Religionem degentes sint perpetuò suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi.

§. 11. Ac postremò censuit, esse innouandam, & suæ Beatitudinis auctoritate innouat constitutionem fel. record. Gregorij IX. relatam *in cap. finali, extra de Regular.* ac præterea declarat, eam constitutionem in ila quoque vendicare sibi locum, seruandamque esse, qui instè, diffinitiuéque, ac Iuris ordine seruato, expulsi fuerint; dummodò tamen in expulsis huiusmodi subsit spes euidens emendationis, ex literis saltem testimonialibus Ordinarij, cuius conscientiam in his literis concedendis Sacr. Congregatio seriò onerauit.

§. 12. Ne qua verò difficultas in supradictis Decretis, & ordinationibus exequendis suboriatur, Sacra Congregatio, S. N. D. annuente, atque approbante, vniuersis Generalibus, Prouincialibus, Commissariis, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicariis, & quibuscumque aliis Superioribus quorumcunque Ordinum, vel Congregationum, Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium vbique locorum existentium iniungit, serióque mandat, vt illa diligenter obseruent, atque obseruari procurent in omnibus Cœnobiis, ac Monasteriis, Collegiis, ac Domibus quorumcunque Monachorum, ac Regularium vbique locorum existentibus, efficiantque, vt tam Decreta supradicta fel. record. Clementis VIII. quàm præsentes Ordinationes in singulis huiusmodi locis bis saltem in anno legantur in publica Mensa.

§. 13. Si quis verò ipsorum aduersùs ea quæ superiùs præscripta sunt, vel eorum aliquid, quoquo modo facere, vel moliri præsumpserit, ipso facto pœnam incurrat priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque actiuæ, & passiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda, pœnaque huiusmodi sit Sanctitati suæ, ac Sedi Apostolicæ reseruata, iisdem superioribus, etiam Generalibus, & Protectoribus illam moderandi, seu relaxandi potestate penitus interdicta, & nihilominus sit irritum, & inane quidquid secus à quoquam actum extiterit.

§. 14. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis in fauorem quarumcunque personarum atque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicãtium, Congregationum, Monasteriorum, Conuẽtuum, Domorum, ac locorum Regularium quorumcunque, necnon illorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, Indultis, & Priuilegiis, etiam in corpore Iuris clausis, aut ex causa, vel titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiã derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus Decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus & formis, specialis & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset. Tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quibus quoad ea, quæ supradictis quomodolibet aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter, & expressè Sanctitatis suæ auctoritate derogat, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ die 21. Sept. 1624.

C. Carden. de Torres.

Prosper Fagnanus S. Congr. Secr.

Eiusdem Sacræ Congregat. Concilij Tridentini Declarationes, & solutiones aliquorum dubiorum circa incorrigibiles.

PRocurator Generalis Ordinis B. Mariæ de Mercede de Redemptionis Captiuorum, mediante intercessione Eminentissimi Card. de Lugo Protectoris, supplicat pro sua (vt inquit) & aliorum Superiorum Regularium instructione, per hanc Sac. Congreg. responderi ad infrascripta quæsita super Decreto de apostatis, & eiectis, iussu Summi Pontificis ex sententia eiusdem Sacræ Congregationis edito anno 1614. & impresso *in Bullario nouo, tom. 4. pag. 267. vers. Ad hac.*

Primò: An Regularis constitutus in carceribus spatio vnius anni, in ieiunio, & pœnitentia, ad finem, vt tanquam incorrigibilis à Religione ejiciatur, si è carceribus fugiat, dicto carcerationis anno nondum expleto, & deinde sit captus, possit tunc vt incorrigibilis ejici. An verò quid aliud faciendum sit?

Secundò: An Regularis pluribus interpolatis vicibus pro reiteratis delictis in diuersis temporibus commissis in carceribus detentus, possit vno carcerationis anno, vt suprà interpolatè expleto, tanquam incorrigibilis è Religione ejici, si post dictum annum carcerationis interpolatum, animo indurato in sua pertinacia perseuerans iterum delinquat?

Tertiò: An generalis Ordinis possit delegare facultatem ejiciendi à Religione Prouincialibus pro eorum Prouinciis, seu Commissariis, vel Vicariis Generalibus, & an delegatio sit à Generali facienda in quolibet casu, an verò indefinitè in omnibus casibus?

Quartò: An sex Patres, de quorum consilio, & assensu eiectio fieri debet, sint eligendi de tota Religione, an potiùs sufficiat ex qualibet Prouincia, seu Regno?

Quintò: Quod si à Religione huiusmodi sex Patres non fuerint electi in Capitulo, seu Congregatione generali, quid faciendum sit vsque ad primum Capitulum generale?

Sextò: An sufficiat, vt Prælatus Conuentualis, seu Prouincialis conficiat processum, stylo Religionis seruato, & illius summarium transmittat Generali Ordinis, seu illius delegato, qui adhibitis sex Patribus electis, quilibet eorum videat eundem Processum, & transmittat votum suum per literas eidem Generali, seu delegato.

Septimò, An generalis, seu delegatus possit ferre sententiam eiectionis à Religione, quando à tribus ex sex Patribus electis, seu ab illorum maiori parte dicta sententia approbetur? An potiùs sit necessarium, vt omnes sex dent votum, itavt ex defectu voti etiam vnius, non possit sententia validè ferri?

Die 21. 1651. Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, omnibus maturè perpensis:

Ad Primum: Respondit, Regulares delinquentes, vti incorrigibiles ejici non posse à Religione, anno carcerationis nondum capleto.

Ad secundum Respondit, non sufficere annum carcerationis interpolatè expletum, sed requiri spatium vnius anni continuum, & integrum.

Ad tertium Respondit, Generalem Ordinis non posse delegare facultatem ejiciendi à Religione, Prouincialibus per eorum Prouincias, seu Commissariis, vel Vicariis Generalibus.

Ad Quartum, inhærendo declarationi aliàs factæ, die 9. Augusti 1625. à sanct.mem. Vrbano VIII. approbatæ, Respondit, sex Patres eligi posse in vnaquaque Prouincia, seu Regno.

Ad quintum Respondit, recurrendum ad Sacr. Congregationem in singulis casibus.

Ad sextum, Processus esse conficiendos iuxta stylum, & constitutiones Religionis, & illorum transumptum authenticum esse transmittendum ad singulos ex sex Patribus electos, qui per litteras possunt votum dare.

Ad septimum, sententiam eiectionis à Religione ferri debere, saltem de voto maioris partis sex Patrum electorum. Petrus Aloysius Cardinalis Carafa Præfectus. Loco † sigilli. Francisc. Paulutius S.C.Secret.

Ego Præsentatus Frater Ferdinandus de Galatea, Notarius publicus & Apostolicus in Archiuio huius Romanæ Curiæ descriptus, ac Secretarius Reuerendi admodum Patris nostri Magistri Fratris Michaëlis de Alcantara Vicarij Generalis Italiæ, & Procuratoris Generalis totius Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, S. Inquisitionis Qualificatoris, & Sacr. Congregationis Indicis Consultoris, eiusdē iussu fidem facio, huiusmodi copiam propria manu ex Originali, quod quidem in Archiuio nostræ Sacræ Religionis in hoc Conuentu S. Adriani remanet, accuratè transumptam, posteaque diligenter collationatam, cum illo fideliter concordare. In cuius rei testimonium præsentes literas nomine meo subscrisi, meoque signo communiui. Romæ in hoc prædicto Conuentu S. Adriani, die 8. Augusti anni 1653. In testimonium veritatis. Locus † sigilli. De mandato R.A.P.N. Vicarij, & Procuratoris generalis: Frater Ferdinandus de Galatea Præpositus, & Secretarius, Notarius publicus, & Apostolicus.

Frater Michaël de Alcantara Vicarius Generalis Italiæ, & Procurator Generalis totius Ordin. B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, S. Inquisitionis Qualificator, & Sacr. Congregat. Indicis Consultor, tenore præsentium fidem facimus, & attestamur, Eminentissimum, & Reuerendiss. Card. de Lugo, nostri sacri Ordinis Protectorem, transumptum infrascripti decreti nobis propria manu dedisse, quod & ab Illustriss. D Francisco Paulutio Sacr. Congreg. Concilij Secretario, sibi remissum, & tandem Sacr. Congreg. nobis tradi præcepisse affirmauit, pro pleniori videlicet intelligentia declarationis ad quartum dubium ab ipsa ad nostram instantiam nuper factæ. Tenor autem Decreti talis est.

Die 9. Augusti 1625. Sacra Congregatio Concilij, S.D.N. approbante declarauit, sex Patres in singulis Capitulis, vel Congregationibus Generalibus eligendos, de quorum consilio, & assensu, Generalis posset Regulares incorrigibiles à Religione ejicere, in vnaquaque Prouincia eligi posse, eosd[illegible] electos Generalis tam longè absuerit, vt [illegible] non possit, debere ad eundem transmitti[illegible] Processus, vnà cum eorum voto, vt iuxta ill[illegible] lis possit ad sententiam expulsionis proc[illegible] tamen vsque ad primum generale Capitul[illegible] gregationem proximè celebrandam, Sanct[illegible] nuit, vt eiectio (seruata in reliquis form[illegible] de hac re editi) fieri possit à Generali, itidem [illegible] silio, & assensu sex Patrum, quos ide[illegible] in qualibet Prouincia infrà quatuor men[illegible]. Datum Romæ in hoc nostro Conuentu S. [illegible] 21. Augusti 1653. Frater Michaël de A[illegible] suprà, manu propria.

His omnibus adde, quod in casu particu[illegible] dam Carthusiano è Religione eiecto [illegible] ab ipso commissa, & propter è carcere [illegible] que carceris effractionem, quamvis non [illegible] quæ ex vi prædicti Decreti obseruare deberent, [illegible] obseruata fuerint: Nihilominus, non [illegible] tali Decreto, Vrbanus VIII. die 23. Ianuarij [illegible] 1637. per Breue speciale approbauerit talis R[illegible] eiectionem, attenta ipsius pertinacia, *& ne*, [illegible] *contagione pestifera sic causa perditi*[illegible] quæ verba satis insinuatur, quod de benignitate [illegible] Apostolicæ attemperari possit prædictum Dec[illegible] quotiescumque illod in casu particulari ad vng[illegible] obseruari non potest, tametsi non interuenient[illegible] Sedis Apostolicæ auctoritate, obseruandu[illegible] tum fieri poterit.

SECTIO LXX[illegible]

An, & quid dicendum de Iure [illegible], & Decreto Sacræ Congregationis [illegible] Concilij iussu Papæ Vrbani VIII. anno 16[illegible] edito circa Religiosos è Religione p[illegible] incorrigibilitatem ejiciendos?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus de Iure antiquo, & communi e[illegible] poterat à religione propter incorrigibil[illegible], nisi tribus concurrentibus, nempe criminum [illegible] frequentia, monitionis neglectu, & p[illegible] recusatione.*

2 *Incorrigibilis dicitur solùm is, cuius eme[illegible] spectatur.*

3 *Religiosus vt tanquam incorrigibilis ejici[illegible] à religione, qua conditionee requirantur de[illegible]?*

4 *Incorrigibilis verè Religiosus minimè [illegible], nisi concurrant requisita recensita de Iure [illegible], & de Iure nono vnius anni spatio in iei[illegible] centia probetur in carceribus.*

5 *Religio qualibet debet habere priuatos [illegible] ad probandam incorrigibilitatem, saltem in [illegible] que Prouincia.*

6 *Incorrigibilis ejici tandem potest à Gener[illegible] anno non resipuerit, solùm de consilio [illegible] sex Patrum ex grauioribus religionis [illegible] in singulis Capitulis, & Congregationi[illegible] bus, &c.*

7 *Crimina grauia ad ejiciendum Religiosum [illegible] incorrigibilitatem, non solùm censentur [illegible], sodomia, adulterium, fornicatio, propr[illegible] furtum, &c. sed etiam ebrietas scandalosa.*

8 *Generalis visitando, si non potuerit habe[illegible] suorum sex Patrum electorum pro di[illegible] facienda de incorrigibili religioso, [illegible] sex aliis alterius religionis, ex rescripto [illegible] Congregationis Concilij.*

9 *Decretum Vrbani VIII. Sancta memoria determinat tempus*

tempus vnius anni in carceribus, vt quis dici possit incorrigibilis; non autem ieiunium, & pœnitentia, quæ remitti debent arbitrio prudentis viri.

10 *Incorrigibilis detentus in carcere ad hoc, vt anno completo è religione ejiciatur, si è carcere fugam arripiat, puniendus est pro fuga, & detinendus ferrea custodia, nec ob id ejiciendus, nisi anno completo in carcere.*

11 *Prælati religiosi in formando processu contra incorrigibilem non tenentur procedere apicibus, & rimulis Iuris seruatis, sed secundùm consuetudines approbatas, & generalia facta, & facienda ordinis instituta.*

12 *Particula, simpliciter, significat procedendum exclusis calumniatoriis, & dolosis dilationibus, inanibusque exceptionibus.*

13 *Particula, summariè, significat quod solùm adhibeantur ea, quæ ad iudicij vim, & essentiam pertinent.*

14 *Particula, de plano, importat quod procedatur omissa solemnitate sedendi, vel etiam omissis feriatis diebus, & propositis vanis exceptionibus, tergiuersationibus, & appellationibus.*

15 *Particula, sola veritate facti inspecta, infert quod accidentales solemnitates Iuris rejiciantur, seruatis solùm, quæ de Iure naturali, diuino, & Iure Gentium seruanda sunt.*

16 *Priuilegium in dicto processu fabricando omittendi solemnitates Iuris concessit Bonifacius VIII. non solùm fratribus Prædicatoribus, verùm etiam Minoribus, & Cisterciensibus: Iulius II. Minimis, & Oliuetanis: Leo X. Camaldulensibus, & Eugenius IV. Congregationi Sanctæ Iustinæ.*

17 *Iuristæ aliqui minus rectè nolunt admittere, quod Prælati Regularium dictarum Religionum, & etiam earum quæ cum eis communicant in priuilegiis, obseruare non debeant in processibus suis Iuris solemnitates, ac subtilitates, sed solùm ea, quæ de Iure naturæ, vel Iure Gentium necessaria sunt.*

18 *Religiosus an iustè, vel iniustè eiectus sit, inquirere Episcoporum non est, licèt Generalis illicò expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur, contra nonnullos adducentes pro sua sententia Cardinalem* in Clement. 1. de stato Monachor.

19 *Cardinalis solùm dixit, quod si Monachus ejiciatur sine causa à Monasterio, & Monachi non velint eum ampliùs recipere, ponitur ab Episcopo in alio Monasterio, & bona quæ secum attulit, ipsum sequuntur, & transeunt ad posterius Monasterium.*

20 *Cardinalis ibi loquitur de Monachis non exemptis; quia non posset Episcopus eum ponere in alio Monasterio, si foret illud exemptum.*

21 *Recognoscere quod est ab alio gestum, est actus superioritatis.*

1 RESpondetur, quod quamvis de Iure antiquo, &
communi, ad hoc vt quis Religiosus è Religione
propter incorrigibilitatem ejici possit, requirantur
hæc tria, scilicet quod crimina grauia sæpè commiserit,
quod monitus sæpè non destiterit, quodque
2 pœnitentiam pro illis non acceptauerit. Ratio, quia
solùm is dicitur incorrigibilis, cuius emenda non
speratur: vt autem emenda non speretur, tria hæc requiruntur,
& tradunt DD. communiter, quos sequitur
Sanchez *lib. 6. moral. c. 9. n. 4.* & Saytus *de censur. lib. 5.*
3 *c. 25. n. 37.* De Iure tamen nouo, & Decreto Sacræ
Congregationis prædicto, ad hoc vt Religiosus è Religione
tanquam incorrigibilis ejici possit, alias con-
4 ditiones requirit dictum Decretum in his verbis: [In
posterum è Religione nullus legitimè professus ejici
possit, nisi sit verè incorrigibilis. Verè autem incorrigibilis
minimè censetur, nisi non solùm concurrant
ea omnia, quæ ad hoc ex Iuris communis dispositione
requiruntur, sublatis hac in parte statutis, & constitutionibus
cuiusque Religionis, & Ordinis (etiam à
Sede Apostolica approbatis, & confirmatis.) Verùm
etiam vnius anni spatio in ieiunio, & pœnitentia probetur
in carceribus, proindéque vnaquæque Religio
priuatos habeat carceres in qualibet saltem Prouincia.
Elapso autem anno, si nihilominus non resipuerit, sed
animo indurato in sua peruicacia perseuerauerit, ne
contagione pestifera plurimos perdat, tanquam pe- 5
cus morbida, & membrum putridum, ejici tandem
possit, ab ipso tamen Generali solùm de consilio, &
assensu sex Patrum ex grauioribus Religionis eligen- 6
dis in singulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus;
& tunc nonnisi instructo secundùm eorum stylum,
& constitutiones processu, & plenè probatis causis
eiectionis ad sacrorum Canonum præscriptum. Interea
tamen vsque ad primum generale Capitulum, seu
Congregationem proximè celebrandam, si quempiam
ex iustis, & necessariis causis ejicere oportebit,
vt eiectio fieri possit à Generali cum consilio, & assensu
sex Patrum, vt suprà, eos idemmet Generalis eligere
debeat infra quatuor menses à præsentis decreti
publicatione, seruata tamen in reliquis forma superiùs
præscripta.]

Vbi aduerte, quod inter crimina grauia, propter 7
quæ Religiosus è Religione, tanquam incorrigibilis
ejici potest, non solùm numerentur homicidium, Sodomia,
Adulterium, Fornicatio, Proprietas, Furtum, &c.
Sed etiam ebrietas scandalosa: sic DD. quos sequitur
Porrell. *in Respons. moral. tom. 2. cas. 35.*

Aduerte secundò, quod circa sex illos Patres eli- 8
gendos (de quorum solùm consilio, & assensu Religiosus
è Religione ex vi prædicti Decreti, tanquam
incorrigibilis à Patre Generali ejici potest) cùm difficile
sit, quod Generalis quocumque ierit, illos secum
deferat, Sacra Concilij Congregatio supplicata respondit,
quod possit Generalis, sicut & quando quis
prædictorum sex Patrum mortuus fuerit, in qualibet
Prouincia (in qua id opus esset) eligere similiter è
grauioribus Religionis alios pro eadem causa prædicta.
Laurentius Peyrinis *tom. 2. de priuil. Minimor. in Constitutione* 10. *Vrbani VIII. & in Additamentis ad eundem Peyrinum, Decret. 2.* Qua de re vide tamen
quæ dicebam *suprà, sect. 32. & 33.*

Aduerte tertiò, quod cùm sit à prædicto Decreto 9
determinatum tempus, vnius scilicet anni, in carceribus,
non autem sit determinatum ieiunium, & pœnitentia;
consequens est, quod hæc duo vltima remittantur
arbitrio prudentis viri.

Aduerte quartò, quod ex Decreto prædictæ Sacræ 10
Congregationis Concilij pro Religione Minimorum,
in Additamentis ad Peyrinum, si qui detinetur in
carcere, ad hoc, vt anno completo, seu transacto,
tanquam incorrigibilis è Religione ejiciatur, è carcere
fugam arripiat, puniri debeat pro fuga, & detineri
possit ferrea custodia. Vnde colligitur, quòd adhuc
tanquam incorrigibilis è Religione ejici non possit,
nisi priùs annus completus, seu transactus fuerit. Vide
quæ dicebam *suprà, sectione 53. in Corellariis, corellar. 7.*

Aduerte quintò, circa illa verba, §. 6. [Et tunc non 11
nisi instructo secundùm eorum stylum, & constitutiones
Processu, & plenè probatis causis eiectionis ad sacrorum
Canonum præscriptũ, &c.] quod Prælati Religionum
ex Priuilegio Bonif. VIII. concesso Patribus
Prædicatoribus, non teneantur in causis Religiosorum
suorum procedere apicibus, & rimulis Iuris seruatis,
sed secundùm consuetudines approbatas, & generalia
facta, & facienda Ordinis instituta. Quatenus ipse
Pontifex ibi sic ait: [Licet Prælati omnes ad apices
Iuris ex supradicto priuilegio non teneantur, vt sunt
citationum internalla, dilationes interlocutoriæ, &
cætera huiusmodi, quæ non sunt de essentia Iuris)
non tamen in actis iudicialibus pro eorum arbitrio

præcedere possunt, sed Iure diuino, ac naturali ad substantialem Iuris ordinem tenentur.] Videatur Thomas de Iesu *de Visitation. Regular. tract. 3. c. 1.*

Quo etiam sensu quidam alij Pontifices in suis Decretis apposuerunt particulas, simpliciter, summariè, de plano, sola veritate facti inspecta: Quæ particulæ significant ferè idem, quod dicebat Bonifacius VIII.
12 suprà; quia particula *simpliciter*, significat procedendum exclusis calumniatoriis, & dolosis dilationibus,
13 inanibusque exceptionibus: Particula *summariè*, denotat quod solùm adhibeantur ea, quæ ad Iudicij vim,
14 & essentiam pertinent: Particula *de plano*, importat quod procedator omissa solemnitate sedendi, vel etiam omissis feriatis diebus, & postpositis vanis exceptionibus, tergiuersationibus, & appellationibus: Particu-
15 la, *sola veritate facti inspecta*, infert quod accidentales solemnitates Iuris rejiciantur, seruatis solùm quæ de Iure naturali, diuino, & Iure Gentium (qualia sunt statuta Religionum) seruanda sunt. Videantur Aldrete *lib. 1. de disciplin. Relig. c. 8.* & Thomas de Iesu *loco suprà citato.*

16 Simile priuilegium concessit idem Bonifacius VIII. minoribus, vt patet per Bullam in Bullario apud Rodrig. in Bonif. VIII. Bulla 2. quæ refertur etiam à Casarubio in compendio Priuilegiorum Mendicantium, *verbo Correctio fratrum, n. 6.* vbi etiam *n. 8.* refertur eadem concessio Bonifacij IX. per Bullam pro supradictis Patribus Prædicatoribus. Simile etiam Priuilegiũ concessit idem Bonif. VIII. Patribus Cisterciensibus, vt patet per Bullam in Bullatio apud eundem Rodriquea inter Bullas Bonifacij VIII. *n. 10.* Item Iulius II. Minimis, & Oliuetanis, Leo X. Camaldulensib. & Eugenius IV. Congregationi S. Iustinæ. Videatur Cardin. de Lugo *tom. 2. de Iust. & Iure, disp. 37. sect. 14. n. 162.*

17 Quapropter minùs rectè nonnulli Iuristæ nolunt admittere, quod Prælati Regulares dictarum Religionum, & etiam earum, quæ eum eis cõmunicant in priuilegiis, sicque eodem priuilegio potiuntur, obseruare non debeant in processibus sui Iuris solemnitates, ac subtilitates, sed solùm ea (quæ de Iure Naturæ, vel Iure Gentium necessaria sunt) iuxta prædictas Bullas, & prædicta Priuilegia prædictorum Pontificum in fauorem Religionum, præsertim eum in eis non facilè reperiantur processus formandi periti.

Cæterùm circa formulam, quã sunt formanda Acta Processuum Regularium, videatur Franciscus Aretinus *in Practica crimin. p. 3.* Aldrete *loco supr. cit. lib. 3.* & Thomas de Iesu *vbi suprà, tract. 3. c. 2.* circa modum etiam, quo fieri debet purgatio canonica (licèt hæc nunc temporis parum sit in vsu) videatur idem Franciscus Aret. *eodem loco cit. & c. 13. de purg. canon.*

18 Aduerte 6. circa illa verba, §. 7. Proindéque Generalis illicò expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur, quod non pertineat ad Episcopum inquirere, an Religiosus iustè, vel iniustè eiectus sit; quidquid in contrarium dixerint quidam adducentes pro sua sententia Cardinalem *in Clem. 1. §. quia verò,*
19 *verb. Addo 4. de stat. Monach.* Tum quia neque Cardinalis facit pro ipsorum sententia; siquidem ibi Cardinalis solùm inquit, quod si Monachus ejiciatur sine causa è Monasterio, & Monachi non velint eũ ampliùs recipere, ponitur ab Episcopo in alio Monasterio, & bona, quæ secum attulit, ipsum sequuntur, & transeunt ad posterius Monasterium: Quod quidem non est in-
20 quirere, an Religiosus iustè, vel iniustè eiectus sit. Vt omittam, quod Cardinalis ibi loquatur de Monachis non exemptis, quia non posset Episcopus eum ponere in alio Monasterio, si foret illud exemptum. Tum quia præsens Sacræ Congreg. Tridentini Concilij Decretum de apostatis & eiectis solùm disponit, quod notificetur Ordinario eiectionis sententia, non autem quod Ordinarius recognoscat, an Religiosus iustè, vel iniu-
21 stè eiectus sit. Tum quia recognoscere, quod est ab alio gestum, est actus superioritatis (cùm qui potest recognoscere, possit etiam retractare, corrigere, vel confirmare, argum. *ex cap. sententia, 35. q. 9. & ex l. 1. ff. de quæstionib.* & traduunt cum Gloss. *in c. Nemini, 17. q. 4.* & Bald. *in l. 2. de sent. ex per. recit.* cõmuniter DD. At Episcopus non habet iurisdictionem supra Religiosos, cùm sint ab ipso omninò exempti, *ex c. Nimis praua, de excess. Prælat. & ex c. Neque aliquis, de priuil. in 6.* & ex Tridentino Concilio *sess. 14. c. 5. de reform.* ibi: Sed exempti omninò sint, & esse intelligantur. Ergo, &c. Videantur præter alios Pasqualig. *in quæst. canonic. 155. n. 2. centur. 2.* & Donatus *in Prax. rer. Regular. p. 2. tract. de eiectis, q. 55. n. 3.* Videantur etiam quæ de hac re diffusè dicebam *in tract. de immunit. & iurisdict. Ecclesiastic.*

COROLLARIVM I.

An, quando, & quomodo Religiosus è Religione ejici possit?

SVMMARIVM.

1 *Nullus Religiosus ex Decreto Vrbani VIII. Sanctæ mem. in posterum è Religione ejici potest, nisi titulo incorrigibilitatis; quia ius nouum omnia priuilegia in contrarium concessa tollit.*

2 *Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium primo die Ianij anni 1635. in quadam causa Patrum Cisterciensium dixit: non posse è Religione ejici scandalosos, aut delinquentes, si non sint verè incorrigibiles. Estque conforme Decretum prædictum Iuri antiquo communi, in quo solùm propter incorrigibilitatem permittitur Religiosi eiectio à religione.*

EX hoc Decreto Sacræ Congregationis Tridentini Concilij, iussu Papæ Vrbani VIII. edito, non solùm habetur, quod in posterum nullus Religiosus è Religione ejici possit, nisi seruatis prædictis conditionibus; sed etiam quod nullus Religiosus è Religione ejici possit, nisi titulo incorrigibilitatis. Patet ex illis verbis: In posterum è Religione nullus legitimè professus ejici possit, nisi sit verè incorrigibilis.] 1

Non obstant multa priuilegia Religionibus concessa, ea vi quorum propter alia delicta, præsertim illa, quibus in sæculo respondet pœna mortis, Religiosus è Religione ejici poterat, vt præter alios adnotauit Azorius *tom. 1. Instit. moral. lib. 12. cap. 16. q. 3.* Quia ius nouum prædicti Decreti Sacræ Congregationis Concilij omnia priuilegia in contrarium concessa tollit, & vult, quod Religiosus è Religione solùm propter incorrigibilitatem ejici possit: Quapropter etiam Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium 1. die Iunij anni 1635. in quadam causa Patrum Cisterciensium dixit, non posse è Religione ejici scandalosos, aut delinquentes, si non sint verè incorrigibiles. 2

Nec mirum, quia prædictum Sacræ Congregationis Concilij Decretum est conforme iuri antiquo communi, in quo solùm propter incorrigibilitatem permittitur huiusmodi è Religione Religiosi eiectio. S. Thom. *quodlib. 12. art. vlt.* & S. Bonauent. *in Regula S. Francisci, q. 14.* & alij eum ipsis communiter.

COROLLARIVM II.

Quid si Religiosus iniustè, vel illegitimè eiectus fuerit?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus si iniustè, vel illegitimè, modo prædicto*

dicta non seruata, è Religione ejiciatur, non solùm ejiciens peccat grauiter contra Iustitiam, sed etiam eiectus potest compellere religionem, vt ipsum admittat, & alimentet; quia iniustè priuatus est iure sibi debito.

2 *Religiosus per professionem se obligauit ad manendum in religione, & ad ei inseruiendum: sic etiam Religio se obligauit ad illum retinendum, & alendum, vt propterea religiosus pro alimentis contra religionem agere possit etiam nomine proprio, cùm ipse tali Iuri cessit, sicut nec etiam ordinariè Iuri, famæ, aliisque Iuribus spiritualibus cessit.*

1 HAbetur secundò, quod si Religiosus iniustè, vel illegitimè, modo prædicto non seruato, è Religione ejiciatur, non solùm ejiciens peccet grauiter contra iustitiam, sed etiam eiectus possit compellere Religionem vt ipsum admittat, & alimentet; quia in-
2 iustè priuatus est Iure sibi debito: Sicut enim Religiosus per professionem se obligauit ad manendum in Religione, & ad ei inseruiendum (vt propterea, si non maneat, vel si etiam manens, iuxta suam professionem non inseruiat, nec laborare velit, itavt notabiliter negligens sit, peccet contra iustitiam, & sic in statu peccati mortalis. S.Thomas 2.2. *quæst.*187. *art.*4. & Faustus *in Thesauro Religiosor. lib.*6.*quæst.*179. iuxto illud Apostol. 2. ad Thessal. 3. *Hoc denunciabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet:* sic etiam Religio se obligauit ad illum retinendum, & alendum, vt propterea Religiosus pro alimentis contra Religionem agere possit, etiam nomine proprio; cùm ipse tali iuri non cesserit, sicut nec etiam ordinariè iuri, famæ, aliisque iuribus spiritualibus cessit. Videatur Nauarrus *q.*1.*de redditibus, monit.*9. *& comment.*2. *de Regularibus*, Molina *de Iustit. tom.*1. *disp.* 40. §. *quando Religiosus*, & Sanchez *lib.*6. *moral.cap.*8.*n.*7.*&* 8. Religiosus igitur contra Religionem agere potest, etiam nomine proprio, super iure alimentorum, Iure eligendi sibi competente, iure manendi in tali, vel tali Monasterio, &c. quia sicuti dicebam, Religiosus per votum paupertatis non renunciat bonis spiritualibus, nec iuribus prædictis, aut honoribus, qui pro tali debentur, sed tantùm temporalibus, vti præter Doctores *suprà citatos*, docet etiam S.Thomas 2. 2. *q.*186. *art.*7. *&* 4. & Caietan. *ibidem*.

COROLLARIVM III.

An Religionum Prælati teneantur eiectum quærere, & reducere ad Religionem?

SVMMARIVM.

1 *Prælati religionum tenentur quærere annuatim Religiosum eiectum, & si salua religionis disciplina admitti potuerit, reducere ad religionem.*

2 *Textus* in cap. finali, de Regularib. *licèt secundùm Sanch. & alios in vsu non sit, & secundùm Azor & alios extendatur solùm ad eos, qui iniustè fuerunt eiecti. Hodie tamen ex Decreto Sacr. Congregat. Concilij extenditur ad illos etiam qui iustè, & legitimè sunt eiecti, dummodo in illis subsit spes euidens emendationis.*

3 *Religiosi huiusmodi eiecti, si non possint admitti salua religionis disciplina, sint apud eadem Monasteria in locis competentibus, si sine graui scandalo fieri poterit. Alioquin in aliis Religiosis domibus eiusdem religionis ad agendam ibi pænitentiam, eisdem vita necessaria ministrentur.*

4 *Religiosi prædicti, si inuenti fuerint inobedientes, excõmunicandi sunt publicè, donec ad mandatum ipsorum religionis superiorum humiliter reuertantur.*

5 *Non obstat prædicta per non vsum esse abrogata; quia per Decretum Sacr. Congreg. innouata sunt.*

HAbetur tertiò, quod Religionum Prælati Religiosum è Religione eiectum teneantur quærere 1
annuatim & (si salua Religionis disciplina admitti potuerit) reducere ad Religionem. Quia sic præcipitur 2
in c. finali, de Regular. Quod capitulum licèt, vt voluit nõnulli, inter quos Sanch *loc. sup. cit. c.* 9. *n.* 18. in vsu nõ fuerit, vel vt volunt alij, inter quos Azor. *lib.* 17. *Inst. moral. c.* 6. *q.* 3. *& c.* 17. *q.* 2. extendatur ad eos, qui iniustè fuerunt eiecti. Hodie tamen est innouatum à supradicto Decreto Sacr. Congregationis Concilij, & extensum ad illos etiam, qui iustè, & legitimè sunt eiecti, dummodò in illis subsit spes euidens emendationis, per hæc verba. [Ac postremò censuit, esse innouandam, & suæ Beatitudinis auctoritate innouat constitutionem fel. recordat. Gregorij IX. relatam *in cap. final. de Regular.* Ac præterea declarat, eam constitutionem in iis quoque vendicare sibi locum, seruandamque esse, qui iustè, diffinitéque, ac Iuris ordine seruato expulsi fuerint. Dummodo tamen in expulsis huiusmodi subsit spes euidens emendationis ex literis testimonialibus Ordinarii, &c.]

Additur præterea in eodem *c. finali*, quod si tales 3
eiecti non possint admitti, salua Religionis disciplina, sint apud eadem Monasteria in locis competentibus, si sine graui scandalo fieri potuerit; alioquin in aliis religiosis domibus eiusdem Religionis, ad agendam ibi pœnitentiam talibus vitæ necessaria ministrentur.
Et quod, si tales inuenti fuerint inobedientes, eos Re- 4
ligionis Superiores excommunicent, & tamdiu faciant ab Ecclesiarum Prælatis excommunicatos pronunciari publicè, donec ad mandatum ipsorum Religionis 5
superiorum humiliter reuertantur. Quæ omnia licèt fortasse per non vsum iam abrogata fuerint. Nihilominus, quia de nouo innouata sunt, vt suprà, à prædicto Sacræ Congregationis Concilij Decreto, à Religionis superioribus executioni mandari debebunt.

COROLLARIVM IV.

In quo habitu eiectus, quamdiu ad Religionem redierit, incedere debeat?

SVMMARIVM.

1 *Religiosi sic à religione eiecti, quamdiu ad religionem non redierint, in habitu clericali incedere, & loci Ordinarij Iurisdictioni, obedientiaque subiecti esse debent.*

2 *Generalis religionis statim eiectionis sententiam Ordinario notificare tenetur.*

3 *Superiores religionis nemini ex Religiosis eiectis literas testimoniales concedere debent, rejicientes illos ad Sedem Apostolicam, vel aliam religionem ingredi iubentes, danda tamen sunt eis litera dimissoria, quæ contineant eiectionis sententiam, quæ etiam id locorum Ordinariis denuncietur.*

4 *Item monendi sunt, quod nullo modo à votis sunt soluti, neque in dictis votis dispensati, quod tamen non necessarium, sed tantùm conueniens dicitur; cùm id eiecti scire teneantur, nisi forsan sint idiotæ, vel ignorantes.*

5 *Religiosi eiecti ex dicto Decreto extra religionem degentes sunt perpetuò ab exercitio Ordinum suspensi, sublata locorum Ordinariis facultate dictam suspensionem relaxandi, vel moderandi, dummodò non intrent in aliam aliquam religionem.*

HAbetur 4. quod sic è Religione eiecti, quamdiu ad 1
Religionem non redierint, in habitu clericali incedere, & loci ordinarij Iurisdictioni, obediẽtiæque subiecti esse debeant. Et propterea Generalis Religionis

statim eiectionis sententiam eidem loci Ordinario notificare teneatur. Patet ex eodem Sacr. Congreg. Con-
2 cilij Decreto, quod Decretum præterea statuit, vt iidem Religionis Superiores nemini ex Religiosis è Religione eiectis literas testimoniales concedant, illos ad Sedem Apostolicam rejicientes, vel aliam Religionem ingredi iubentes.

Quamvis dandæ sint illis literæ dimissoriæ, quæ contineant eiectionis sententiam, qua etiam id locorum Ordinariis denuncietur. Aldrete *lib. 2. de disciplin.*
3 *Relig. c. 26. n. 23.* vbi subdit, monendos esse tales, quod nullo modo à votis sint soluti, neque in dictis votis dispensati. Id tamen, quod ait Aldrete, non necessarium, sed solùm conueniens esse puto; cùm id ipsi Religiosi eiecti scire teneantur, nisi forsan sint idiotæ, vel ignorantes, vt laici, vel conuersi, &c.
4 Item dictum Decretum statuit, vt eiecti extra Religionem degentes sint perpetuò ab exercitio ordinum suspensi, sublata locorum Ordinariis facultate dictam suspensionem relaxandi, vel moderandi. Quamvis ex illis verbis, *extra Religionem degentes*, inferri videatur, quod prædictū Sac. Congreg. Concilij Decretum, quātum ad hanc partem, solùm locum habeat in illis eiectis, qui non intrant in aliquam aliam Religionem: sic DD. quos sequitur Bonac. *de claus. q. 2. punct. 12. §. 6.*

COROLLARIVM V.

An eiectus, si fuerit correctus, possit cogere Religionem, vt readmittatur?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus eiectus, si fuerit correctus, potest cogere religionem, vt denuò eum admittat.*
2 *Excusatio aliqua admitti non debet post dictum Sacr. Congreg. Concilij Decretum, quia per illud eum innouatum* est c. final. de Regulat. *quamvis redeuntes prædicti Religiosi eiecti ad religionem non teneantur nouam professionem emittere, & cur?*
3 *Religiosi eiecti, si denuò admittantur ad religionem, regulariter non redeunt ad pristinum gradum antiquitatis; secus tamen est, vbi essent aliqua leges, seu statuta regularia in contrarium.*

1 Habetur §. quod si constiterit, tales eiectos plenè correctos esse, possunt ipsi cogere Religionem, è qua eiecti sunt, vt readmittantur. Patet ex iis, quæ diebam *suprà, sect. 40.* per totam. Patet etiam ex eodem *c. finali*, adiuncto Sacr. Congreg. Concil. Decreto: ibi enim iubentur Religionis Superiores prædictos eiectos quærere annuatim: ergo multò magis recoebantur eos, si iam correcti redeant, ad Religionem admittere. Nauarr. *lib. 3. consil. tit. de Regul. consf. 18.* Molina *de Iust. tom. 1. disp. 140. §. Quoad votum*, & alij.
2 Neque in hoc post dictum Sacr. Congreg. Concilij Decretum, quidquid in contrarium dixerint Corduba in Regula S. Francisci, *c. 2. q. 71. punct. 2.* Sanch. *lib. 6. moral. c. 9. n. 32.* & Lessius *de Iust. lib. 2. cap. 41. dub. 15. n. 112.* qui vtpotè ad tale Sacræ Congreg. Decretum tempore posteriores, illud videre non potuerunt, admitti debet aliqua excusatio, quia per tale Sacræ Congregationis Decretum iam innouatum est dictum *cap. final. de Regularibus.*

Quamvis redeuntes prædicti Religiosi eiecti ad Religionem non teneantur, quidquid in contrarium nonnulli cum Nauarro dixerint, nouam professionem emittere, iuxta ea, quæ dicebam *sup. cit. sect. 40.* quia prior professio non est extincta, sed solùm pro aliquo tempore suspensa, Rodrig. *tom. 1. qq. Regul. q. 30. art. 28.* Sanch. *lib. 6. moral. c. 9. n. 3.* & Tambur. *de Iure Abbat. tom. 3. disp. 8. quæst. 8. n. 5.*
3 An verò redeuntes admitti debeant in eodem antiquitatis gradu, quem priùs ante eiectionem habebant, sicque cum eisdem prærogatiuis antiquis, pendet ex variis Religionum legibus, & statutis; Regulariter tamen ex probabili dici poterit cum nonullis (quos sequitur Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. c. 5. n. 27.* Rodrig. *in compend. ref. 57. n. 3.* & Donat. *in praxi rer. regul. p. 3. tract. 8. q. 27. n. 5.* quod cùm meruerint è Religione ejici, mereantur etiam, quod prædictas prærogatiuas non habeant. Vide etiam quæ dicebam *suprà, eadem sect. 40. circa finem.*

COROLLARIVM VI.

An eiectus maneat verè Religiosus, & cum onere trium votorum essentialium, sicuti priùs?

SVMMARIVM.

1 *Religiosi eiecti post sententiam eiectionis adhuc sunt verè Religiosi, & cum onere trium votorum essentialium, sicuti prius, &c. Aliàs enim ex suo delicto commodum reportarent, &c.*
2 *Religiosi eiecti è religione manent cum eodem voto castitatis, vti priùs.*
3 *Item manent cum eodem voto obedientia, quantum ad hoc, quod teneantur obedire religionis Superioribus, si eos velint ad religionem reuocare.*
4 *Item manent similiter cum eodem voto obedientiæ, quantum ad hoc, quod teneantur rectè viuere, & reddere se aptos, vt ad religionem reuocentur, & readmittantur; quia ad hoc etiam sunt obligati ex vi sua professionis: quantum enim est ex parte ipsorum, debent esse parati ad obseruandum id, quod promiserunt, vtpotè non ob id soluti, ac dispensati à votis, contra nonnullos, quos sequitur Dianu.*
5 *Nullus Religiosus è religione ejici potest ita in perpetuum, vt religio non debeat illum, si fuerit correctus, readmittere: quare tenetur ille corrigi, vt adimpleat quod in professione promisit.*
6 *Religiosus eiectus è religione non est tutus in conscientia, nisi fuerit cum ipso dispensatum à Sede Apostolica, vel nisi correctus petierit readmitti, & exaudiatus non fuerit; vel etiam forsan, nisi secutus fuerit contrariam opinionem.*
7 *Religiosi eiecti à religione, non tamen tenentur ex vi voti obedientia, quod emiserunt, contra Nauarrum, & alios.*
8 *Religiosi eiecti à religione neque tenentur ex vi voti obedientia transire ad aliam religionem, quia nullo modo vouerunt illum; sicut neque vouerunt religionem in genere, sed solùm religionem determinatam.*
9 *Votum obedientiæ, quo tenentur eiecti obedire superioribus religionum remanet in habitu: Suspenditur tamen quodammodo quoad exercitium, vel executionem, quia religio eos ejiciens subtrahit ab ipsis materiam obediendi, &c.*
10 *Religiosi eiecti à religione remanent cum eodem voto paupertatis, in quantum scilicet patitur ipsorum status; quia hoc etiam est de essentia religionis, quam sunt professi, & à qua ex alio capite non sunt dispensati.*
11 *Religiosi eiecti à religione non habent, neque habere possunt dominium alicuius rei; quia hoc est directè contra votum paupertatis.*
12 *Neque habent, aut habere possunt vsum irreuocabilem, aut vsum Iuris, sed solùm vsum facti verum sibi ad victum, vestitum, habitationem, & vitam necessariarum; quia hoc non est contra votum paupertatis.*
13 *Neque possunt testari, vel aliquid legare, aut causa mortis donare, si in tali statu moriantur; quia potestas testandi, vel aliquid legandi, aut causa mortis donandi pugnat cum voto paupertatis.*

14 Neque

14 *Neque ex probabiliori sententia possunt facere donationes, nec expensas illicitas vel superfluas, adeò quod accipientes ab illis teneantur ad restitutionem; quia ipsi non sunt rerum, quas possident, domini, sed nomine, vel concessione Religionis tantùm in ordine ad necessarios vsus administratores.*

15 *Religiosi eiecti possunt facere expensas licitas, & moderatas absque eo, quod accipientes teneantur ad restitutionem.*

16 *Religio non præstat alimenta Religiosis eiectis; quia illa solùm præstare debet iis, qui degunt sub disciplina regulari, non autem illis, qui sunt extra illam culpa propria.*

17 *Religiosi eiecti si velint agere contra renunciationem bonorum factam ex causa ingressus Religionis, non audiuntur; quia cùm eiectio non destruat professionem, nec soluat vota solemnia, durat renunciatio, si alias valida fuerit, præsertim quia eiecti ex suo delicto commodum reportarent, & præberetur ansa incorrigibilitati.*

18 *Religiosi eiecti si aliquid acquirunt, dum extra Religionem viuunt, acquirunt illud Religioni, à qua sunt eiecti, quia Religio ex vi professionis ab illis emissæ habet ius ad omnia bona ab illis in posterum acquirenda.*

19 *Quod verum est etiam, si iniustè fuerint eiecti, vel iniustè extra Religionem detenti; quia delictum Prælati vergere non debet in damnum religionis.*

20 *Religiosorum eiectorum bona acquisita ab illis, donec extra Religionem vixerint, post illorum mortem, si etiam extra religionem moriantur, applicantur Cameræ Apostolicæ, propter constitutionem Gregorij XIII.*

1 HAbetur 6. quod tales è Religione eiecti maneant verè Religiosi, & cum onere trium votorum essentialium, sicuti priùs pater; quia sic colligitur *ex dicto cap. finali de Regul.* & ex dicta declaratione Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium prima die Iunij, anno 1635. in causa Patrum Cisterciensium edita, quam suprà referebam: & ratio est, quia per eiectionem è Religione non sunt dispensati, vel absoluti à professione, quam emiserant; aliàs redeuntes ad Religionem deberent nouam professionem emittere, contra id quod *suprà* dicebam. Item aliàs ex suo delicto commodum reportarent, contra ea quæ traduntur *cap. 1. de postul. Prælat. & cap. Sedes Apostolica, de rescript.* Item aliàs essent melioris conditionis quàm Religiosi facti Episcopi, vel Cardinales, quos manere veros Religiosos, præter alios docent Nauar. *comment. 2. de Regul. n. 34. & seqq. & comment. 3. n. 46.* & Azor, *tom. 1. Instit. moral. lib. 12. cap. 16. quæst. 4. 7. & 11.*

2 Vnde manent prædicti à Religione eiecti cum eodem voto castitatis, vti priùs; quia sicuti dicebam, in tali voto non sunt dispensati.

3 Item 2. manent cum eodem voto obedientiæ, quantum ad hoc, quod teneantur obedire Religionis superioribus, si eos velint ad Religionem reuocare, siquidem habent hi ius illos reuocandi: quod inde patet, quia in prædicto *cap. fin.* renouato à Sacræ Congregationis Concilij decreto iubentur cogere illos ad Religionem redire: quod non esset, si illi non essent ad hoc obligati ex vi voti obedientiæ. Syluester *verb. Apostasia, q. 6. n. 10. & verb. Religio 6. q. 12. n. 12.* Nauarrus *lib. 3. cons. 77. tit. de Regul.* Molina *de Iust. tom. 1. disp. 140. §. quoad votum,* & Rodriguez *tom. 1. quæst. Regul. q. 30. art. 19.*

4 Manent similiter cum eodem voto obedientiæ quantum ad hoc, quod tenentur rectè viuere, & reddere se aptos, vt ad Religionem reuocentur, & readmittantur, quia ad hoc etiam sunt obligati ex vi suæ professionis, in qua cum ipsis non est dispensatum; per professionem enim, quam emiserunt, obligarunt se ad perseuerandum in religione, donec vixerint, & ex alio capite per eiectionem, vti dicebam, non sunt soluti ab hac obligatione, sed propter crimina commissa, & ne aliis scandalum præberent ad tempus, donec corrigantur, ab aliis Religiosis sunt separati: ergo quantum est ex parte ipsorum, debent esse parati ad implendum id, quod promiserunt: at nisi se corrigant, non redduntur apti, vt reuocentur, & readmittantur, sed potiùs resistunt: ergo. Sotus *de Iustitia, lib. 7. q. 2. art. 5. ad 3.* Aragon. *2. 2. q. 88. art. 3.* Sanchez *lib. 6. moral. cap. 9. n. 25. & seqq.* Naldus *in summa, verb. Religiosus, n. 8.* Bonacina *de clausur. q. 2. punct. 12. §. 2. n. 1.* & alij, quos citabam *suprà, sect. 35.* vide etiam quæ dicebam *cit. sect. 35.*

Quamuis contrariam sententiam probabilem putent Nauarrus, & alij, quos sequitur Diana *tract. 2. de dubiis Regul. resol. 60.* & Nouarius *in lucerna Regul. verb. eiecti è Religione, n. 3.* quæ tamen mihi minùs probabilis videtur: tum propter rationem dictam: tum quia *in cap. fin. de Regul.* quod iam innouatum est à supradicto Sacræ Congregationis Concilij decreto, præcipitur Religionum Prælatis, quod tales eiectos quærant, & quotiescumque salua Religionis disciplina readmitti possunt, readmittantur: ex hoc enim euidenter sequitur, quod nullus Religiosus è Religione ejici 5
possit tam in perpetuum, vt Religio non debeat illum, si fuerit correctus, readmittere; ac proinde teneatur ille corrigi, vt adimpleat, quod in professione promisit; vnde Naldus *loco suprà cit.* rectè ait, Nauarrum minùs rationabiliter contrarium consuluisse; & Bonacina *loco etiam suprà citato*, rectè subdit, Religiosos eiectos teneri petere à Religione, quod admittatur; quia ad id obstringuntur ex vi professionis, quam emiserunt, & in qua ex alio capite non sunt dispensati.

Non est igitur eiectus è Religione tutus in con- 6
scientia, nisi fuerit cum ipso dispensatum à Sede Apostolica, vel nisi correctus petierit readmitti, & exauditus non fuerit, vtpote forsan non creditus de sua correctione, vel forsan etiam nisi secutus fuerit contrariam opinionem, quam si sequi voluerit, ipse viderit.

Non tamen prædicti eiecti è Religione tenentur ex 7
vi voti obedientiæ, quod emiserunt, quidquid in contrarium dixerint Nauarrus, & quidam alij, quos sequitur Suarez *de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 6.* & videri etiam poterit Erasmus Cochier *de Iurisd. Ordinar. in exempt. part. 1. q. 2.* qui putat, tales eiectos per eiectionem amisisse exemptionis priuilegium, subjici Episcopis specialiori modo, quàm alij clerici; quia votum obedientiæ, quod emiserunt in professione, solùm erat votum obediendi Prælatis Religionum, non item aliis. Molin. *de Iust. tom. 1. disput. 149.* & Lessius *lib. 2. cap. 41. dub. 25. num. 114.*

Nec etiam tenentur ex vi eiusdem voti obedientiæ 8
transire ad aliam Religionem; quia nullo modo vouerunt illam, sicut neque vouerunt Religionem in genere, sed solùm Religionem determinatam, à qua eiecti sunt. Sotus *de Iustitia, lib. 7. quæst. 2. art. 1.* & Nauar. *comment. 2. de Regularib. n. 36.* quod etiam supponere videtur prædictum Sacræ Congregationis Concilij decretum, quatenus præcipit Religionum superioribus, ne huiusmodi literas testimoniales concedant, iubentes ingredi *aliam Religionem:* Non igitur eiecti è Religione tenentur obedire superioribus iubentibus, quod transeant ad aliam Religionem, propter rationem dictam: Lessius *vbi suprà*, & Rodriguez *tom. 1. quæst. Regul. q. 30. art. 22.*

Ex his sequitur, quod votum obedientiæ, quo te- 9
nentur eiecti obedire superioribus Religionum, remaneat in habitu, suspendatur tamen quodammodo quoad exercitium, vel executionem. Pasqualig. *in addit. ad Lauretum*, Cespedes *de exempt. Regular. cap. 21. dub. 215. n. 5.* Donat. *in prax. rer. Regul. part. 2. tract. 8.*

de eiectis, q. 54. n. 3. & alij passim, iuxta ea quæ dicebam *suprà*, *sect.* 42. quod inde prouenit, quia religio eos eijciens subtrahit ipsis materiam obediendi, & renunciat executioni talis voti per actum facti, quatenus ab iis, tanquam ab extraneis non exigit consuetam obedientiam.

20 Item 3. manent prædicti eiecti cum eodem voto paupertatis, in quantum scilicet patitur ipsorum status; quia hoc etiam est de essentia religionis, quam sunt professi, & à qua ex alio capite non sunt dispensati. Nauarrus *comment.* 3. *de Regularib.* n. 35. & alij, quos sequitur Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 9. n. 17.

21 Quapropter non habent, neque habere possunt dominium alicuius rei; quia hoc est directè contra votum paupertatis, & sic satis colligitur ex declaratione Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, quam suprà adducebam.

22 Neque etiam propter eandem rationem habent, vel habere possunt vsum irreuocabilem, aut vsum Iuris, sed solùm vsum facti rerum sibi ad victum, vestitum, habitationem, & vitam necessariarum; quia hoc non est contra votum paupertatis, cùm in professione non vouerint, vt huiusmodi rebus carere debeant, sed potiùs si illas religio ipsis non concedat, ex ipso aliunde sibi quærere, & habere possint: sic Doctores, quos sequitur Lessius *loco suprà citato*, *num.* 115.

23 Neque possunt testari, vel quid legare, aut causa mortis donare, si in tali statu moriantur; quia potestas testandi, vel quid legandi, aut causa mortis donandi pugnat cum voto paupertatis: Nam prædicta potestas supponit non vsum merum, quem solùm eiecti, vtpotè adhuc Religiosi, habent, sed ipsissimum dominium rei. Lessius *vbi suprà*, n. 113. Molina *de iust.* & *iur. com.* 2. *disp.* 577. *vers. quoad cæteros*, & Saytus *in Claui Regia*, *lib.* 6. *cap.* 9. *n.* 88. Videantur quæ dicebam *suprà*, *sect.* 46.

24 Neque etiam ex probabiliori sententia possunt facere donationes, nec expensas illicitas, vel superfluas, adeo quod accipientes ab illis teneantur ad restitutionem; quia sicuti dicebam, prædicti eiecti non sunt rerum, quas possident, domini; sed nomine, vel concessione Religionis tantùm in ordine ad necessarios

25 vsus administratores; poterunt tamen facere donationes, & expensas licitas, & moderatas, absque eo quòd similiter accipientes teneantur ad restitutionem; quia sicuti etiam dicebam, quoad istas habent licentiam, seu concessionem à Prælatis Religionis, è qua sunt eiecti. Videantur Molina *de iust. tom.* 2. *disp.* 176. & 510. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 15. *n.* 113. Salas *tract.* 5. *de ludo*, *dub.* 21. Sanchez *lib.* 5. *moral. cap.* 9. *n.* 47. Bonacin. *de clausur. q.* 2. *punct.* 15. §. 3. *n.* 5. Faustus *lib.* 6. *Thes. Relig. q.* 252. Texeda *tom.* 1. *lib.* 5. *tract.* 1. *controuers.* 10. *n.* 17. Diana *part.* 7. *tract.* 15. *resol.* 15. & Donat. *in prax. rer. regul. part.* 5. *tract.* 8. *de eiectis*, *q.* 50. *n.* 7. videantur etiam quæ dicebam *cit. sect.* 46.

26 Quibus tamen eiectis Religio alimenta non præstat; quia illa solùm præstare debet iis, qui degunt sub disciplina regulari, non item iis, qui sunt extra illam culpâ propriâ. Aldret. *lib.* 5. *de Relig. disciplin. cap.* 16. *n.* 57. & Azor. *lib.* 12. *Instit. moral. cap.* 16.

27 Hinc si prædicti eiecti velint agere contra renunciationem bonorum factam ex causa ingressus Religionis, non audiuntur. Sanchez *lib.* 6. *moralium*, *cap.* 9. *n.* 34. & 45. Donat. *in prax. rer. Regul. part.* 5. *tract.* 8. *q.* 58. *n.* 1. & Rota *decis.* 109. *part.* 5. *recent.* quam refert Nauar. *in lucerna Regul. verb. eiecti à Religione*, *n.* 14. propter rationem, quam suprà dicebam; quia cùm eiectio non destruat professionem, nec soluat vota solemnia, sicque eiectus remaneat obstrictus voto paupertatis, durat renunciatio, si aliàs valida fuit. Accedit, quod cùm prædicta bona sint iam acquisita Religioni, non debet Religio illis priuari ex tali causa; præsertim quia aliàs eiecti ex suo delicto commodum reportarent, quin & propterea plures eiectionem procurarent.

Quinimmò, si tales eiecti, dum extra Religionem viuunt, aliquid acquirant, acquirunt illud Religioni, è qua sunt eiecti; quia Religio ex vi professionis ab illis emissæ habet ius ad omnia bona ab illis in posterum acquirenda, præsertim cùm prædicti eiecti non sint omninò à Religione derelicti, sed solùm ad tempus, donec corrigantur, à communione, & commercio Religionis separati. Quod inde patet, quia Religio tenetur illos quærere, & si correcti fuerint, readmittere, sicuti suprà dicebam, & docent præter alios Molina *de Iust. tom.* 1. *disp.* 140. & Lessius *cit.* c. 41. n. 112. 18

Et quod dixi, scilicet, quod eiecti, si quid, dum degunt extra Religionem, acquirunt, acquirant Religioni, est verum, etiamsi iniustè fuerint eiecti, vel iniustè extra Religionem detenti; quia delictum Prælati vergere non debet in damnum Religionis. Angelus *verb. Monasterium*, *n.* 6. S. Anton. *part.* 3. *tit.* 16. *cap.* 5. §. 4. & alij communiter. 19

Huiusmodi autem eiectorum bona acquisita ab illis, donec extra Religionem vixerint, post illorum mortem, si etiam extra Religionem moriantur, applicantur Cameræ Apostolicæ propter constitutionem Gregorij XIII. *tom.* 3. *Bullarij*, *inter Bullas eiusdem Pontificis n.* 43. in qua sic expressè habetur, quod scilicet spolia regularium extra claustra degentium pertineant ad Cameram Apostolicam: & videri poterit præter alios Sanchez *lib.* 7. *moral. c.* 33. *n.* 31. & 31. & Bonacina *de clausur. q.* 5. *punct.* 12. §. 7. 20

COROLLARIVM VII.

An eiectus possit transire ad aliam Religionem sine licentia superiorum suæ Religionis?

SVMMARIVM.

1 *Religiosi eiecti donec degunt extra Religionem, non possunt transire ad aliam, siue æqualem, siue laxiorem, sine licentia superiorum suæ Religionis, & sine aliis conditionibus; quia sunt eidem Religioni adhuc subiecti.*

2 *Limita id procedere de Iure communi, secus forsitan vigore priuilegiorum, seu illorum participationis.*

3 *Priuilegium Innocentij IV. Minoribus concessum, quo permittitur Religiosis eiectis transire ad alias Religiones, forsitan non est amplius in vsu.*

Habetur 7. quod prædicti eiecti, donec degunt extra Religionem, non possint transire ad aliam, siue æqualem, siue laxiorem Religionem sine licentia Superiorum suæ Religionis, & sine aliis conditionibus, quas infrà loco suo dicemus; quia tales eiecti etiam tempore eiectionis perseuerant esse Religiosi illius Religionis, è qua sunt eiecti, & esse eidem religioni subiecti, sicuti suprà dicebam: ergo non possunt transire ad aliam, siue æqualem, siue laxiorem Religionem sine licentia Superiorum suæ Religionis, & sine aliis conditionibus, quas *infrà eodem loco* dicemus, & docent præter alios Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 25. *sect.* 2. *n.* 10. & Corduba *in Regul. S. Francisci*, *cap.* 5. *q.* 52. *punct.* 3. 1

Quod tamen intellige de Iure communi; quia si forsan permanet in vi sua Priuilegium quoddam Innocentij IV. Minoribus concessum, poterunt non solùm isti eiecti de religione Minorum, sed etiam alij eiecti de aliis suis Religionibus illius priuilegia participantibus transire ad alias Religiones approbatas, præterquam ad certas quasdam Religiones, & cum certis quibusdam conditionibus in eo priuilegio expressis, videatur 2

deatur Sanchez lib.6. moral. cap.9. §.39. & Rodrig. tom.1. quæst. Regul. q.30. art.22.

3 Dixi, si forsan permanet in vi sua priuilegium quoddam Innocentij IV. quia forsan tale priuilegium non est ampliùs in vsu, præsertim post decretum de eiectis, vel forsan illud fuit viuæ vocis oraculo, quod si tale fuerit, hodie nihil valet, vtpotè cum alia huiusmodi priuilegiis reuocatum: vide etiam quæ dicebam suprà, sect.36. in append. circa finem.

ADVERTENDVM PRIMVM.

An eiectus teneatur ad omnes suæ Religionis obseruantias?

SVMMARIVM.

1 Religiosi eiecti à Religione, licèt secundum aliquos teneantur ad omnes suæ Religionis regulares obseruantias, quas in sæculo possunt seruare: probabile tamen est oppositum, quia illi videntur voluisse eas, & tria vota essentialia, tanquam accessoria, & annexa perseuerantiæ in tali religione.

2 Votum desinit obligare quotiescumque eius materia ita notabiliter mutatur, vt notabiliter reddatur difficilior, & quæ si à principio fuisset præuisa, non fuisset inclusa in voto.

1 ADuerte quod quamvis Syluester verb. Religio 6. q.17. S. Antonin. 3. part. tit.16. cap.5. §.8. Miranda tom.1. manualis, quæst.52. art.5. concl.1. Rodrig. tom.1. quæst. Regul. q.30. art.20. Corduba in Regul. S. Francisci, cap.2. q.21. punct.3. Peyrin. tom.1. de subdit. relig. q.1. cap.25. §. dico 4. Donat. in praxi rer. regul. part.2. tract.8. de eiectis, q.52. n.9. Hieronym. Rodrig. in compend. resol.57. n.6. & Parasfell. de priuil. Minimor. cap.59. in fine, & quidem probabiliter, teneant tales eiectoa teneri ad omoes suæ Religioois regularea obseruantias, quas in sæculo possunt seruare, & teneri etiam ad alia vota supra tria essentialia, quæ in professione suæ Religionis emiserunt, quale est v.g. illud Minimorum de vita quadragesimali seruanda, & illud mercenariorum de captiuis redimendis, qoia alia ex suo delicto commodum magnum reportarent: probabile tamen sit oppositum, quod docent Sotus de iust. & iur. lib.7. q.2. art.1. ad 3. in fine, Nauarrus comment. 3. de Regul. n.46. & lib.3. Concil. tit. de Regular. cons.51. n.2. Aragon. 2.2. q.55. art.3. §. Hucusque diximus, Conradus part.1. resp. q.255. Sayr. lib.6. cap.9. n.28. Philiarch. lib.1. de Officio Sacerd. part.2. lib.3. cap.21. in fine, Lessius de iust. & iur. lib.2. cap.41. dubit.15. in fine, Sà verb. Religio, num.40. Layman. lib.4. Theol. moral. tract.5. cap.13. n.5. Graff. cons.3. de Regul. n.9. tom.1. Barbosa ad cap. finale, de Regul. n.12. Sanchez lib.6. moral. cap.9. n.52. Diana part.3. tract.2. de dubiis Regular. resol.116. Faustus lib.6. Thes. relig. q.213. Vega part.2. summæ, cap.86. cas.16. Suarez in enchirid. lib.3. §. de voto obedientiæ, & Bordonus controuers. moral. 8. n.19. quia Religiosi videntur voluisse prædictas regulares obseruantias, & prædicta vota, supra tria essentialia, tanquam accessoria, & annexa perseuerantiæ in tali Religione; sicque solùm pro eo tempore, quo in Religione manerent:
2 tum quia generaliter loquendo, votum desinit obligare, quotiescumque materia ipsius voti ita notabiliter mutatur, vt notabiliter reddatur difficilior, & quæ si à principio fuisset præuisa, non fuisset inclusa in voto, seu non fuisset promissa per votum, quod contingit in casu nostro: ergo, &c. vide suprà, sect.47.

ADVERTENDVM II.

An eiectus teneatur recitare diuinum Officium.

SVMMARIVM.

1 Religiosi eiecti à religione neque tenentur recitare diuinum Officium, etiamsi fuerint choro destinati, dummodo non sint in Sacris constituti, contra Nauarrum, & plures alios.

ADuerte 2. quod prædicti eiecti neque teneantur 1
recitare diuinum Officium, etiamsi fuerint choro destinati, dummodo noo sint in Sacris constituti. Sotus de iust. & iur. lib.7. quæst.2. art.1. Ioan. Suarez in enchirid. lib.3. §. de vot. obed. Faust. lib.6. Thes. Relig. q.216. Leand. à Murcia in cap.2. Regul. S. Francisci, cap.17. n.10. & Suarez tom.4. de Relig. tract.8. lib.3. cap.6. num.12.

Quamvis contrarium sentiant Nauarrus de iur. Canonic. cap.7. n.20. Ledesma 2. part. summæ, tract.9. cap.4. dub.2. part.13. concl.1. Rodrig. tom.1. quæst. Regular. q.30. art.20. Peyrin. de subdit. Relig. q.1. cap.25. §.1. verbo dico 5. & Donatus in prax. rer. Regul. part.2. tract.8. de eiectis, q.52. n.9. vide cit. sect.47.

ADVERTENDVM III.

An eiectus teneatur portare habitum Religionis.

SVMMARIVM.

1 Religiosi eiecti neque tenentur, neque debent portare religionis habitum, quia illo iuridicè priuati sunt in pœnam suorum delictorum: Tum quia si illum portarent, cederet in dedecus religionis, contra aliquos Doctores oppositum sentientes.

ADuerte 3. quod neque teneantur, quin neque de- 1
beant portare habitum Religionis; quia illo iuridicè priuati sunt in pœnam suorum delictorum: tum quia si illum portarent, cederet in dedecus Religionis. Suarez cit. cap.6. num.14. Lessius de Iustit. lib.2. cap.41. dub.15. n.112. Nauarrus tom.2. de Regular. n.36. & cons.78. n.2. de regular. edit.2. Cespedes de exempt. regular. cap.21. dub.315. Pasqualig. in addit. ad Lauretum, n.986. Donat. in praxi rer. regul. part.2. tract.8. de eiect. q.41. n.5. & Azor. tom.1. Instit. moral. lib.17. cap.18. quæst.13.

Quamvis alij, quos sequitur Sanchez lib.6. moral. cap.9. n.55. Tambur. de Iur. Abbat. tom.3. disp.8. quæsit.8. n.10. Sayr. in Thesaur. lib.6. cap.9. n.28. & Rodrig. tom.1. quæst. regular. q.30. art.27. putent quod si Religio illos ejiciens propter aliquam rationabilem causam habitu Religionis non priuet, teneantur illum portare; quia sunt verè Religiosi, nec sunt habitu priuati: & ex alio capite possunt cum illo viuere extra Religionem, quemadmodum de facto cum illo viuunt extra Religionem, qui è Religione assumpti facti sunt Episcopi; & illum portare non cedit in dedecus Religionis, sed in dedecus ipsius portantis. At quod dicebam priùs, mihi magis probatur, iuxta ea quæ dicebam sect.37. per totam.

ADVER

ADVERTENDVM IV.

An eiectus possit confessiones audire, prædicare, vel docere, &c.

SVMMARIVM.

1 *Religiosi eiecti à religione propter incorrigibilitatem non possunt extra eam, quamdiu vixerint, confessiones audire, prædicare, neque docere, propter priuilegium Innocentij IV. quo vti possunt tam ipsi minores, quibus fuit concessum, quàm cæteri participantes.*

2 *Regulares eiecti quamdiu in sæculo vixerint, sunt infames, infamia scilicet facti.*

3 *Item sunt irregulares, cùm omnes infames sint irregulares.*

4 *Episcopi non possunt assumere ad concionandum Regulares eiectos, licèt concionari non sit exercitium ordinis, sed stante priuilegio Innocentij IV. & quia cùm sint infames, sunt omnis honoris, ac dignitatis incapaces.*

5 *Regulares eiecti ex decreto Sacræ Congregationis Concilij sunt ad minùs suspensi ab exercitio ordinis.*

6 *Neque possunt prædictos ordines exercere, quia per eiectionem, vt indigni, exclusi sunt à fauoribus religionis, etiamsi Prælati regulares, cùm possint dispensare, cum ipsis dispensent; quia priuilegia regularibus Prælatis concessa non videntur concessa in ordine ad tales subditos.*

7 *Adde Sacram Congregationem Episcoporum declarasse, prædictos eiectos celebrare non posse, nisi præcedente dispensatione Sedis Apostolicæ.*

1 ADuerte 4. quod iidem eiecti, quamdiu in sæculo vixerint, non possint confessiones audire, nec prædicare, nec docere, &c. propter priuilegium Innocentij IV. apud Casarub. *verb. ejicere, n.* 1. Minoribus concessum: quo priuilegio vti possunt, tam ipsi minores, quàm qui eorum priuilegia participant. Miranda *tom. 1. manualis, q.* 52. *art.* 5. & Rodrig. *tom. 1. quæst. regul. quæst.* 30. *art.* 21.

2 Vnde inferunt Rodrig. *loco suprà cit.* & Peyrinus *tom. 1. de subdito, q. 1. de obedientia, cap.* 25. §. 1. quod prædicti eiecti, quamdiu in sæculo vixerint, sint infa-
3 mes, infamia scilicet facti; inferunt etiam alij, quod sint irregulares, cùm omnes infames sint irregulares.

4 Ex dictis igitur eiecti, licèt ex decreto de apostatis, & eiectis tantùm suspensi sint ab exercitio ordinum, vt in §. 10. & concionari non sit exercitium ordinis, non tamen poterunt ab Episcopo assumi ad concionandum: tum quia obstat priuilegium Innocentij IV. quod dicebam, & alterum Sixti IV. apud supradictos Doctores, & apud Rodrig. *in compendio quæst. regular. resol.* 1 a s. per quæ id interdicitur eiectis; tum quia cùm sint infames, omnisque honoris, ac dignitatis incapaces, assumi non debent, neque possunt ad munus concionandi.

5 Ad minùs, vt dicebam, ex prædicto decreto Sacræ Congregationis Concilij, sunt suspensi perpetuò ab exercitio ordinum, sublata ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, vel moderandi: quapropter non poterunt exercere ordines, quos habent, sine Sedis Apostolicæ dispensatione; sicque licèt sint Sacerdotes, non poterunt ministrare Eucharistiam.

Petes, an ministrando illam, incurrant excommunicationem Clement. Religiosi, de Priuilegiis, in qua sub pœna excommunicationis interdicitur Religiosis ministrare Eucharistiam sine licentia Parochorum.

Respondetur, quod licèt affirment nonnulli, quos sequitur Lopez de Texeda *lib. 2. tract. 1. controuers.* 10. ex eo quod eiectus remaneat Religiosus, sicque afficiatur excommunicatione imposita Religiosis: Probabiliùs tamen negent Donat. *in prax. rer. regul. part.* 2. *tract.* 8. *q.* 61. *n.* 4. & Cespedes *de exempt. regul. cap.* 6. *dub.* 127. *n.* 3. quia licèt quidem eiectus remaneat Religiosus, est tamen separatus à conuictu Religiosorum, & translatus ad habitum Clericalem; sicque cùm non fruatur priuilegiis Religiosorum, nec etiam subjici debet pœnis illorum: tum quia cùm sit sub obedientia Episcopi, à quo dirigi debet, fit vt quoad vitam politicam, & communionem habeant cum cæteris pro Clerico.

Petes 5. an possint prædictos ordines exercere, si 6
cum ipsis dispensent Prælati suæ Religionis, habentes priuilegia dispensandi cum subditis in suspensionibus, & censuris à Sede Apostolica impositis.

Respondetur, quod quamvis videatur affirmandum, quia adhuc eiecti, perseuerante eiectione, manent aliquo modo subditi Religioni; siquidem eos Religio quærere, & aliquando readmittere tenetur, vti suprà dicebam. Nihilominus potiùs sit negandum, quia per eiectionem, vt indigni, exclusi sunt à fauoribus Religionis, sicque huiusmodi priuilegia dispensandi Religionis Prælatis concessa, concessa non videntur in
ordine ad tales subditos. Accedit quod Sacra Congre- 7
gatio Episcoporum, & Regularium in vna Vlyssiponensi de facto, sicuti refert Nouarius *in lucerna Regul. verb. eiecti à Religione, num.* 6. & videri etiam poterit Sanchez *tom. 2. concilior. moral. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 24. *n.* 3. declarauit, prædictos eiectos celebrare non posse, nisi præcedente dispensatione Sedis Apostolicæ.

ADVERTENDVM V.

An eiectus, si ordines, quos habet, exerceat, fiat irregularis?

SVMMARIVM.

1 *Religiosi eiecti, si ordines, quos habent, exercent, fiunt irregulares; quia suspensi ab exercitio ordinum, si illos exerceant, generaliter fiunt irregulares.*

2 *Prælati Religionum non possunt dispensare in dicta irregularitate, sed solùm Summus Pontifex, vel si delictum fuerit occultum, Episcopus.*

ADuerte 5. quod cùm suspensi ab exercitio ordi- 1
num, si illos exerceant, fiant irregulares, vt habet communis opinio Doctorum, consequens est, quod & prædicti eiecti, si ordines, quos habent, exerceant, fiant similiter etiam irregulares. Bonacina *de clausur. quæst. 2. punct.* 15. §. 6. *n.* 4. Nouarius *loco suprà cit. n.* 5. & alij communiter: In qua irregularitate propter rationem, quam *suprà* dicebam, dispensari non
possunt à Prælatis suarum Religionum, sed solùm à 2
Summo Pontifice; vel si delictum fuerit occultum, à suo Episcopo, propter decretum Tridentini Concilij *sess.* 24. *cap.* 6. & videri poterit Sanchez *cit. lib. 6. moral. cap.* 9. *n.* 39. & *citato tom. 2. concilior. moral. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 24.

ADVERTENDVM VI.

An eiectus promoueri possit ad ordines Superiores?

SVMMARIVM.

1 *Religiosi eiecti à religione neque promoueri possunt ad ordines Superiores; quia cui vetita est functio ordinis, vetita etiam est illius susceptio: tum quia, vtpote*

potè infames, saltem infamia facti, sunt irregulares.

2 *Idem dic de prædictis eiectis, si aliàs non erant in sacris constituti: ij enim promoueri non possunt ad Ordines sacros, propter dictam rationem.*

3 *Religiosi eiecti ita sunt suspensi ab exercitio Ordinum, vt neque ab Episcopo super tali suspensione dispensari possint.*

4 *Religiosi eiecti licèt secundùm Sanchez, & alios possint dispensari à suis Prælatis, & promoueri ad Ordines quos non habent, id tamen hodie locum non habet, stante decreto de apostatis, & eiectis; quia cùm sint perpetuò suspensi, sunt inhabiles ad exercendum etiam Ordines.*

5 *Quod verum est etiam excluso dicto decreto; cùm enim propter incorrigibilitatem ejiciantur, remanent infames.*

6 *Ideò magis procedit, quia sunt irregulares ex duplici capite, & quia sunt infames infamia facti, & infames infamia Iuris.*

7 *Opinio Thesauri, quod si crimen non sit grauius adulterio, super hac irregularitate prædicti eiecti dispensari possint ab Episcopo, subsistere non potest, & cur?*

8 *Religiosi eiecti, si se corrigant, & ad religionem redeant, tunc dispensari poterunt à Prælatis sua religionis, virtute saltem priuilegiorum, per quæ illis conceditur, vt à suis subditis possint abstergere omnem notam infamia, eosque restituere in pristinum statum.*

1 ADuerte 6. quod iidem neque promoueri possint ad ordines superiores; quia cùm ordines suscipiantur, vt exerceantur, cui vetita est Ordinis functio, vetita etiam est illius susceptio; sed eiectis à Religione vetita est cuiuscumque Ordinis functio, sicuti patet ex prædicto Sacræ Congreg. Concilij decreto, in illis verbis, *sint perpetuò suspensi ab exercitio Ordinum:* ergo & vetita erit Ordinis susceptio. Tum quia, vt pote infames, saltem infamia facti, sunt enim eiecti non solùm propter grauia delicta, sed etiam incorrigibilitatem, sine qua ejici non possunt, sicuti patet ex eodem Sacræ Congregat. Concilij decreto, sunt irregulares: ergo promoueri non possunt ad Ordines Superiores.

2 Similiter dicas de prædictis eiectis, si aliàs nō erant in Saeris constituti, quod scilicet promoueri non possint ad Ordines sacros, propter rationē prædictam.

3 Quod autem eiecti suspensi sint ab exercitio ordinum, itavt neque ab Episcopo super tali suspensione dispensari possint, patet *ex §.9. decreti de apostatis, & eiectis*, ita: Item & eiecti extra Religionem degentes sint perpetuò suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, vel moderandi.

4 Vnde quamvis Sanch. *lib. 7. consil. moral. c. 1. dub. 34.* Diana *p. 3. tract. 2. resol. 116. verb. & tandem*, & nonnulli alij putent, prædictos eiectos posse dispensari à suis Prælatis, & promoueri ad Ordines, quos non habent; modò tamen id, stante prædicto decreto de apostatis, & eiectis, locum non habet, vti rectè præter alios adnotatunt Bonac. *cit. punct. 15. §. 7. n. 4.* Donatus *cit. tract. 8. q. 35. n. 7.* & Nouar. *in Lucerna Regul. verb. eiecti, n. 5.* quia cùm sint perpetuò suspensi, sunt inhabiles ad exercendum actum Ordinis (itavt si illum exerceant, stante huiusmodi suspensione, fiant irregulares: sic DD. quos sequitur Donat. *vbi suprà, n. 38.* Inhabilis autem ad exercendum actum ordinis non potest promoueri, sicuti dicebam, & constat in irregulari.

5 Et quod dixi, adeò verum est, vt etiam, secluso prædicto decreto, tales eiecti arcendi sint ab exercitio ordinum; quia cùm ejiciantur propter incorrigibilitatem, remanent infames, Lapus, Fedetic. de Senis *consil. 38.* Nauarr. *in ad lit. ad conf. 77. circa fin. de Regula-* rib. quos citat, & sequitur Bordonus *controu. moral. 8. n. 14.* Nec possunt dispensari; quia si se non emendent, durat fundamentum, & causa infamiæ; si verò se emendent, redire debent ad Religionem.

6 Et eo magis idem, quod dixi, verum est, quia sunt irregulares ex duplici capite: Primò, quia cùm ejici non possint, nisi propter grauia delicta, quæ punita sint, sunt infames infamia iuris. Sanch. *lib. 6. mor. c. 9. n. 59. & lib. 7. consil. moral. c. 1. dub. 24.* Donat. *in prax. rer. Regul. p. 2. tract. 8. q. 44. n. 2.* & alij. 2. quia cùm amiserint bonam opinionem vitæ inculpatæ, & cum dum incorrigibiles permanent, continuò causent prauam opinionem de seipsis, sunt infames infamia facti. Miranda *tom. 1. Manual. q. 52. art. 3. conclus. vnica, circa fin.* Rodrig. *tom. 1. quæst. regular. q. 10. art. 2. in fine*, & Peyrin. *q. 1. de subdito Religioso, cap. 35. §. 1.*

7 Et quamvis nonnulli, quos sequitur Thesaur *part. 2. Praxis, cap. 23. verb. Religiosi legitimè eiecti n. 5.* velint, quod *per cap. at si Clerici, §. de adulteriis, de Iudic.* super hac irregularitate (si crimen non sit grauius adulterio) prædicti eiecti dispensari possint ab Episcopo, id tamen subsistere non potest, non solùm propter præsens decretum de apostatis, & eiectis, per quod prohibetur Episcopis, ne cum eiectis dispensent super suspensione, sicque multò magis super irregularitate, sed etiam in virtute *dicti cap. at si clerici*; quia ibi tunc demùm conceditur Episcopis facultas dispensandi, cùm infamis pœnitentiam peregit, & resipuit: At eiecti, donec permanent in sua incorrigibilitate, dici non possunt pœnitentiam peregisse, & resipuisse, quapropter readmitti non possunt ad Religionem: ergo, &c.

8 Quod si se corrigant, & ad Religionem redeant, tunc quidem dispensari poterunt à Prælatis suæ Religionis, virtute saltem priuilegiorum, per quæ illis conceditur, vt à suis subditis possint abstergere omnem notam infamiæ, eosque restituere in pristinum statum; sic enim in specie concessit Pius V. Monachis Sancti Benedicti Ordinis Cassinensium, an. 1571. *tom. 2. Bullar.* vbi etiam conceditur facultas, quod dispensare possint super irregularitate ex homicidio voluntario, pro foro tamen tantùm conscientiæ. Suspensio verò ab Ordinibus hoc ipso, quod redeunt ad Religionem, de seipsa cessat: sic DD. quos sequitur Donatus *in prax. rer. Regul. p. 2. tract. 8. q. 40.* & patet *ex prud. decreto de apostatis & eiectis, §. 10.* ibi: [Extra Religionem degentes sint perpetuò suspensi ab exercitio ordinum.] Per hæc enim verba clarè coarctatur suspensio ad tempus in quo eiecti degunt extra Religionem.

ADVERTENDVM VII.

Si eiectus dispensetur, vt ordinetur, à quonam Episcopo ordinari debeat?

SVMMARIVM.

1 *Religiosi eiecti dispensati ad suscipiendos Ordines, eos suscipere debent ab Episcopo originis; quia semper domicilium huiusmodi seruant, cùm illud sit immutabile.*

2 *Episcopus originis, si de dictis eiectis non habuerit sufficientem notitiam, debet sumere informationem ab illis, qui talem notitiam habent.*

3 *Religiosi eiecti, cùm à quolibet Monasterio arceantur, nullibi domicilium acquirant, possunt ratione habitationis illud acquirere cum animo permanendi, sicuti acquirunt cæteri Clerici.*

1 ADuerte 7. quod casu quo prædicti eiecti sint dispensati in dictis impedimentis, & aliàs sint habiles, vt ordinea

ordines suscipiant, illos suscipere debeant ab Episcopo suæ originis; quia semper domicilium huiusmodi seruant, cùm sit illud immutabile. Sanchez *loco suprà cit. consilior. moral. n. 5.* Barbosa *de offic. & potest. Episc. allegat. 41. n. 22.* Nouarius *in praxi Iur. neu. Pontif. tit. de ordinib. conclus. 2. n. 7.* Donatus *in prax. rer. Regular. p. 2. tract. 8. q. 36. n. 3.* & Cespedes *de exempt. Regular.*
2 *cap. 21. dub. 315. n. 9.* Quod si Episcopus originis non habuerit forsan de ipsis sufficientem notitiam, debebit vt ritè concedat facultatem suscipiendi ordines, sumere informationem ab illis, quibus prædicti eiecti fuerint satis noti.

3 Cæterùm, quia licèt eiecti ratione Religionis, cùm à quolibet Monasterio arceantur, nullibi domicilium acquirant, possunt tamen ratione habitationis cum animo ibi permanendi illud acquirere, sicut acquirunt cæteri Clerici, sicque est eadem ratio de ipsis, ac de cæteris Clericis; fit quod quando concurrunt requisita, possint ordinari etiam ab Episcopo domicilij, vel ab isto facultatem suscipiendi ordines obtinere. Et hoc adeò verum est, vt quidam addant, quod cùm eiecti iuxta decretum de eiectis & apostatis sint sub obedientia Episcopi, non possint ordinari sine licentia illius Episcopi, sub cuius obedientia viuunt.

ADVERTENDVM VIII.

Sub quo titulo, qui eiectus fuerit, ordinari debeat?

SVMMARIVM.

1 *Religiosi eiecti ordinari non debent titulo religionis; quia de ea sunt eiecti, & ab ea non debent sustentari, neque titulo patrimonij proprij, quia ratione voti paupertatis sunt eiusdem incapaces; sed ordinari debent titulo aliquorum redditŭum ipsis quoad vsum assignato.*

2 *Non obstat, quod Concilium Tridentinum requirat pacificam possessionem proprietatis; quia Regularibus eiectis censetur id tacitè concessum, dum conceditur facultas ordines suscipiendi; quia concesso vno, conceduntur etiam omnia, sine quibus non peruenitur ad ipsum.*

3 *Summus Pontifex quamdiu eiecti se non correxerint, dispensare cum illis non potest; quia quamdiu se non corrigunt, sunt indigni, quod ordinentur, & Pontifex potestatem habet solùm in ædificationem.*

4 *Religiosi eiecti ordinari non possunt ad titulum beneficij, si beneficio annexum sit exercitium alicuius Ordinis; quia vtpote suspensi, incapaces sunt beneficij: secus è contra, si beneficium sit simplex, vel pensio.*

5 *Religiosi prædicti, cùm ob votum paupertatis sint incapaces beneficij, absolutè ordinari non possunt.*

1 ADuerte octauò, quod ordinati non debeant titulo Religionis; quia de ea sunt eiecti, & ab ea, sicuti suprà dicebam, non debent sustentari. Nec etiam ordinari debeant titulo patrimonij proprij; quia ratione voti paupertatis in professione emissi, in quo dispensationem non obtinuerunt, sunt patrimonij talis incapaces. Sanchez, Bonac. *in locis suprà cit.* & alij passim; sed (ne mendicare cogantur) ordinati debeant titulo aliquorum redditŭum, qui sint in proprietate Ecclesiæ, vel Episcopi, ipsis ab Episcopo quoad vsum assignatorum. Rodrig. *tom. 1. quæst. regular. q. 30. art. 24.* Sanchez *lib. 6 moral. c. 9. n. 59.* Cespedes *de exempt. Regul. c. 4. dub. 75. n. 4. & c. 22. dub. 315. n. 9.* Donatus *in praxi rer. Regul. p. 2. tract. 8. q. 36. n. 6.* & alij. Quod etiam habebit locum, si assignato patrimonio, quod stet in proprietate alterius, obligentur ipsis eiectis fructus pro sustentatione sua, sicuti præter alios docet Sanchez *loc. supr. cit.*

Et quamvis hoc non sit secundùm formam Tridentini Concilij, quatenus scilicet neque patrimonium, 2
neque Beneficium, ex quo assignantur fructus, est in proprietate ordinandi; censetur tamen tacitè concessum, dum conceditur facultas suscipiendi ordines; quia concesso vno, conceduntur etiam omnia, sine quibus non peruenitur ad ipsum, *l. 2. ff. de Iurisd. omn. Iudic.*
Arbitror tamen, quod Pontifex, quamdiu eiecti se non 3
correxerint, dispensare cum illis non possit, quia quamdiu se non corrigunt, sunt indigni, quod ordinentur, & Pontifex solùm potestatem habet in ædificationem, non autem in destructionem; si verò se corrigant, quia tunc ad Religionem redire tenentur, debebit Pontifex simul dispensare, quod manentes perseuerare possint extra Religionem.

An autem ordinari possint titulo beneficij?

Respondetur: quamvis nonnulli distinguant, si be- 4
neficium est tale, cui sit annexum exercitium alicuius ordinis, titulo beneficij ordinari non possunt; quia cùm suspensi maneant ab exercitio ordinum, *incapaces* sunt beneficij cui sit annexum exercitium ordinis; si verò Beneficium est tale, cui non sit annexum exercitium alicuius ordinis, v. g. sit beneficium simplex, vel pensio, ordinari possunt titulo beneficij; itavt si ipsis concedatur tale beneficium, vel pensio ab habente facultatem, titulo talis beneficij, vel pensionis ordinari possint, sublatis dictis impedimentis: ita DD. quos
sequitur Bonac. *loco suprà cit.* Absolutè potiùs negan- 5
dum est, non posse scilicet tales eiectos ad titulum beneficij promoueri, quia cùm sint Religiosi, atque adeò voto paupertatis obstricti, non sunt capaces beneficij, *cap. cùm de beneficiis, de prabend. in 6. Clement. vnica, de supplenda negligentia Prælatorum*, & Tridentinum Concilium *sess. 14. c. 10. de reform.* vnde solùm promoueri poterunt titulo assignationis, si scilicet pro congrua sustentatione assignentur ipsis prouentus, qui tamen maneant secundùm proprietatem apud alium modo, quo *suprà* dicebam. Videantur Rodriguez, Sanchez, Cespedes, & Donatus *locis suprà cit.*

ADVERTENDVM IX.

An eiectus incedere debeat in habitu clericali, tametsi tantùm in Ordinibus Minoribus constitutus, aut laicus, seu conuersus sit?

SVMMARIVM.

1 *Religiosi eiecti à religione incedere debent in habitu Clericali, etiamsi in Ordinibus Minoribus constituti sint; secus tamen est, si sint laici, vel conuersi.*

2 *Religiosi eiecti respectu habitus Clericalis retinent eandem obligationem, quam retinent cæteri religiosi respectu habitus religionis; quia non desinunt esse religiosi, & propterea si dimittant habitum Clericalem, incidunt in excommunicationem.*

3 *Religiosi eiecti ob habitus Clericalis dimissionem, non videntur esse apostatæ.*

ADuerte nonò, quod ex prædicto Sacræ Congre- 1
gationis Concilij decreto eiecti è Religione incedere debeant in habitu Clericali. [Si in Ordinibus, etiam minoribus constituti sint.] Sic declarauit Sac. Congregatio 1. Aprilis anno 1628. sicuti videre est apud Nouarium *in Lucerna Regular. verb. eiecti à Relig. num. 7.*

n.7. Vnde probabiliter infertur, quod non teneantur incedere similiter in habitu clericali, si sint laici, vel conuersi, iuxta ea quæ dicebam *sect.*37. quia tales in Ordinibus nec etiam Minoribus constituti sunt.

2 Ex dictis sequitur, quod cùm eiectus, saltem in Ordinibus constitutus, debeat incedere in habitu clericali, sicque habitus clericalis fit ipsi per decretum Sacr. Congregationis subrogatus loco habitus religiosi, respectu habitus clericalis retineat eandem obligationem, quam retinent cæteri Religiosi respectu habitus Religiosi, quia non desinit esse Religiosus, vti dicebam; & propterea, si dimittat habitum clericalem, incidet in excommunicationem, *c.vt periculosa, ne Cler.vel Monach.* Doctores, quos sequitur Maranta *part.* 3. *controuers. respons.*58. *n.*31. & Donat. *in praxi rer. Regul. tract.*8. *q.*4.

3 Non tamen videtur esse apostata, quia non deserit Religionem cum animo laicaliter, seu extra claustra vinendi; siquidem iam ita viuebat, sed tantùm deponit habitum eodem modo, quo deponeret Religiosus sine animo apostatandi, sed ad alium finem, degens intra claustra.

ADVERTENDVM X.

An si quis eiectus fuerit propter crimina falsa, quæ ipsemet sibi imposuit, in conscientia tutus sit?

SVMMARIVM.

1 *Religiosi si eiecti fuerint è religione propter crimina falsa, quæ scilicet ipsimet sibi falsò imposuerunt, in conscientia tuti non sunt extra religionem degentes, sed sunt verè apostatæ; quia talis eiectio, vtpote per fraudes, & falsitates extorta, est religioni inuoluntaria. Secus tamen dicendum est, si verè commiserint crimina, tametsi eo animo, vt à religione ejicientur.*

1 ADuerte decimò, quod si qui fuerint eiecti è Religione propter crimina falsa, quæ scilicet ipsimet sibi falsò imposuerunt, in conscientia tuti non sint extra Religionem degentes, sed sint verè apostatæ, quia talis eiectio, vtpote per fraudes, & falsitates extorta, est inuoluntaria Religioni: Ergo. Propterea non debet illis suffragari, sed tenentur detegere fraudem, & redire ad Religionem: sic DD. communiter, quos sequitur Bonacina *loco suprà cit.* §.1. *n.*13. & Sanchez *lib.*6. *moral. cap.*9. *n.*67.

2 Secus tamen dicendum est, si verè commiserint crimina, tametsi eo animo, vt è Religione ejicerentur; quia tametsi talis intentio fuerit quammaximè deformis, & peccaminosa, posita tamen eiectione, quæ fundetur in criminibus verè commissis, liberi sunt, sicut & alij. Quamvis quia, sicuti *suprà* dicebam, tenentur extra Religionem rectè viuere, vt readmittantur ad illam, parum ipsis prosit talis fraus, talisque malitia.

ADVERTENDVM XI.

An etiam Monialis ejici possit tanquam incorrigibilis?

SVMMARIVM.

1 *Moniales, quantumvis incorrigibiles, ejici non possunt è religione similiter ac possunt viri, neque transferri de vno ad aliud Monasterium sine consensu Sedis Apostolicæ, non solùm ex praxi totius Ecclesiæ, sed etiam ex decreto Sacr. Congregationis Episcopo-*

rum, non obstante Iure communi.

2 *Praxis igitur præter prædictam declarationem Cardinalium declarauit, quod concessio ejiciendi Religiosos incorrigibiles, non se extendat ad Moniales, quodque in tali casu locum non habeat Regula, fœmininum comprehendi à Masculino.*

3 *Priuilegium Innocentij IV. Cisterciensibus concessum, vt eorundem Prælati Moniales rebelles ejicere possint, nunquam fuit in vsu.*

4 *Afferuntur etiam super hoc plures resolutiones; & ratio esse potest, quia exinde magnum clausuræ incommodum sequeretur, & Monialibus, quæ si vagarentur, maius subirent periculum, & daretur occasio incorrigibilitatem simulandi.*

5 *Neque ob dictam incorrigibilitatem transferri debent ad aliud Monasterium sui Ordinis, inconsulta Sede Apostolica.*

6 *Ordinarij locorum, vel Superiores Regulares transferri non possunt Moniales ab vno Monasterio in Monasterium recenter erectum pro Nouitiarum in illud introducendarum institutione, nisi obtenta à Sede Apostolica, vel à Sacra Congregatione speciali facultate.*

7 *Moniales quando ex concessione Sedis Apostolicæ, vel Sacræ Congregationis transferenda sunt de vno ad aliud Monasterium, translatio facienda est in carroza, vt illa à paucis conspici possint, & à personis grauibus, & honestis, & sanguine eis coniunctis.*

ADuerte vndecimò, quod Moniales, quantumvis incorrigibiles, ejici non possint è Religione, similiter ac possunt viri; non solùm quia Iura, & decreta Pontificum, quæ de einsmodi eiectione loquuntur, de viris solùm, non item de fœminis intelligi, Praxis Ecclesiæ hucvsque recepit, sed etiam quia sic Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium die 27. Maij 1603. declarauit, Moniales scilicet incorrigibiles non posse ejici, neque transferri, inconsulta Sede Apostolica. Quapropter etsi loquendo de Iure communi prædictæ Moniales incorrigibiles ejici possint è Religione, nihilominùs attenta prædicta Ecclesiæ consuetudine, & prædicta Sacræ Congregat. declaratione, ejici non poterunt sine consensu Sedis Apostolicæ. Sanch. *lib.*6.*moral.c.*9.*n.*6. Miranda *de Monialibus, q.*3.*art.*2. Rodrig.*lib.*8.*de Iur.personar.c.*5.*n.*8. Alphons.de Leone *de censur.recollect.*6.*n.*321. Nauar.*in prax.non.Iur. Pontific.concl.*1. Bonacin.*q.*1.*de clausur.punct.*9.*n.*19. *vers.maior difficultas*, Ricc. *lib.*8.*de Iur.persön.c.*5.*n.*8. Tambur.*de Iur. Abbatissar.disp.*21.*q.*4.*n.*3. Barbosa *in c.finali,de Regular,n.*10. & alij, quos sequitur Gauant. *in Manuali Episcopor.verb. Monialium clausura,n.*23.

2 Praxis igitur, præter declarationem prædictam Cardinalium, declarauit quod concessio ejiciendi Religiosos incorrigibiles non se extendat ad Moniales; quodque in tali casu locum non habeat Regula, Fœmininum comprehendi Masculino. Vnde nec Innocentij IV. priuilegium Cisterciensibus, vti videre est apud eorum Bullarium, & apud Rodrig. *in compend.ref.*55. *n.*3. concessum, vt eorundem Prælati Moniales rebelles ejicere possint, nunquam in effectu positum est.

3 Accedit, quod & sic decisum fuisse in vna Redonensi, testatur Ricc. *de Iur.personar.extra grem.Eccles.vagant. lib.*8. *c.*5. *num.*8. sicque similiter etiam decisum fuisse in vna Vlyssiponensi, an.1625. testatur Bonacina *vbi suprà, punct.*9. *n.*14. Et ratio vlterius est, quia exinde magnum clausuræ incommodum sequeretur, & Monialibus, quæ si vagarentur, maius subirent periculum, daretur occasio, quod aliquot ex ipsis, vt vel sic saltem ejici possent, incorrigibilitatem simularent.

4 Quapropter iuxta ea, quæ *suprà* dicebam, etsi de Iure communi loquendo id licitum esset, sicuti præter alios habet Sanchez *lib.*6. *moral. cap.*5. *numero* 6. & forsan etiam Priuilegium Innocentij III. pro

Cistercienſibus, apud Rodtig. *in compend. queſt. Regular. reſol. 57. n. 3.* propter Deciſiones tamen dictas, & propter praxim Eccleſiæ, Monialis de Religione eiectio nullatenus admitti debebit.

5 Et quod dixi, adeò verum eſt, vt nec etiam ad aliud Monaſterium eiuſdem Religionis, Monialis correctionis, vel punitionis gratiâ, inconſulta Sede Apoſtolica, transferri debeat. Quia quamvis de Iure communi id vetitum non ſit, quinimò aliquo modo permiſſum *in cap. Quoniam, de ſimonia*, & tenent præter alios Sanchez *vbi ſuprà, cap. 51. num. 47.* Rodrig. *tom. 1. queſt. Regular. q. 49. art. 1.* Bonac. *loco ſuprà cit. n. 12.* & Portell. *in dub. regul. verb. clauſur. Monialium, n. 12.* Nihilominus contrarium, teſte Barboſa *in collectan. Bullar. verb. Monialium tranſlatio* 8. & Tambur. *cit. diſp. 21. q. 3. n. 4.* declaraſſe videtur Sacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium, per hæc verba: [Monialem nullam ſibi ſubiectam ex vno Monaſterio ad aliud tranſmittere poſſunt locorum Ordinarij, vel Superiores Regulares, etiam ex cauſa ſeditionis, vel incorrigibilitatis, vel criminis perpetrati.] Vult ergo prædicta Sacra Congregatio, quod Monialis incorrigibilis, criminoſa, vel ſeditioſa, in proprio Monaſterio puniatur.

6 Et pro caſu tranſlationis Monialis ex vno ad aliud Monaſterium pro Inſtitutione Nouitiarum in illud introducendarum, teſte eodem Barboſa *loco ſuprà citato, & de Offic. & poteſt. Epiſcop. allegat. 102. num. 26.* hæc etiam declarauit eadem Sacr. Congregatio Epiſcoporum, & Regularium in vna Tortonenſi, anno 1603. Moniales ab vno Monaſterio non transferant locorum Ordinarij, vel Superiores Regulares in Monaſterium recenter eiectum pro Nouitiarum in illud introducendarum inſtitutione, niſi obtenta à Sede Apoſtolica, vel à Sacra Congregatione ſpeciali facultate.]

7 Et pro caſu conceſſo tranſlationis Monialis ex vno ad aliud Monaſterium, hæc etiam, teſte eodem Barboſa *vbi ſuprà*, declarauit prædicta Sacra Congregatio. [Moniales, vbi ad aliud Monaſterium ex iuſta cauſa transferendæ ſunt, tranſlatio debet fieri in autora, vt illæ à paucis conſpici poſſint, atque à perſonis grauibus, & honeſtis, & ſanguine eis proximioribus 'deducantur.] Ac de his, & ſimilibus, vide quæ diffusè dicebam *in tractatu de clauſura Monialium, cap. vlt. de immunit. & Iuriſdict. Eccleſiaſt.*

ADVERTENDVM XII.

Quid ſi de Summi Pontificis licentia, tanquam incorrigibilis, eiecta fuerit, ad quid extra clauſtra teneatur?

SVMMARIVM.

1 *Moniales caſu quo ex conceſſione Pontificis à Religione ejiciantur, tenentur ad obſeruationem Regulæ, & votorum. Totumque dicendum eſt de Moniali eiecta, ac de eiectis viris Religioſis.*

1 Aduerte duodecimò, quod in caſu, quo de Summi Pontificis licentia Monialis è Religione ejiciatur, quoad obligationem Regulæ, votorum, obſeruationum, &c. idem dicendum ſit de eiecta Moniali, ac dictum eſt *ſuprà* de eiectis viris Religioſis.

DVBITATIO CCXXXVII.

Quidnam dicendum de Confeſſario ſollicitante, ſeu ad Venerem excitante?

Reſpondetur: De hac re, præter Bullas Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. extat nouiſſimè Bulla Gregorij XV. in qua illæ confirmantur, & ampliantur, tenoris ſequentis.

GREGORIVS PAPA XV.

Ad futuram rei memoriam.

Vniuerſi Dominici Gregis curam, eamque immeriti, cœleſti diſpoſitione gerentes, ſedulò inuigilare tenemur, vt ab omnibus prauis contagiis conſeruetur immunis, multóque maiori ſtudio prauidere, vt omnis peſtis ab iis auertatur, quibus alios ſanandi officium eſt commiſſum, ne quod Euangelica ſcripta nos admonent ſale infatuato, non ſit in quo ſaliatur, & ad nihilum proſit vltrà, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.

§. 1. Quoniam autem à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris quibuſdam in locis prouiſum fuit, vt impium, ac nefandum ſcelus, quod non ſolùm inter Chriſti fideles non eſſe, ſed nec etiam nominari debet, procul ab iis arceatur, videlicet vt aliquis Sacerdos ad audiendas confeſſiones deputatus, Sacroſancto Pœnitentiæ Sacramento, ſollicitando pœnitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aſpidem porrigat, cœleſti medico infernalis veneficus, & ex patre ſpirituali, proditor execrabilis animarum reddatur. Idcircò Nos ea, quæ his perniciosiſſimis diaboli inſidiis arcendis certis in locis ſalubriter conſtituta ſunt, vt nullibi deſiderentur, quantum ex alto conceditur, prouidere duximus.

§. 2. Alias ſiquidem à fel. rec. Pio Papa IV. Prædeceſſore noſtro emanarunt literæ tenoris ſubſequentis, videlicet. Pius Papa IV. Venerabili Fratri Archiepiſcopo Hiſpalenſi, in Regno Hiſpaniæ hæreticæ prauitatis Inquiſitori Generali. Cùm, ſicut nuper, non ſine animi noſtri moleſtia accepimus, diuerſi Sacerdotes in Regnis Hiſpaniarum, atque etiam in Ciuitatibus, & Diœceſibus curam animarum habentes, ſiue eam pro aliis exercentes, aut aliàs audiendis confeſſionibus Pœnitentium deputati, in tantam proruperint iniquitatem, vt Sacramento Pœnitentiæ in actu audiendi Confeſſiones abutantur; nec illi, vt qui in eo inſtituti ſunt, Domino Deo, & Saluatori noſtro Ieſu Chriſto iniuriam facere vereantur, mulieres videlicet pœnitentes ad actus inhoneſtos, dum earum audiunt confeſſiones, alliciendo, & prouocando, ſeu allicere, & prouocare tentando, ac loco earum per Sacramentum huiuſmodi Creatori noſtro reconciliationis, grauiorum peccatorum mole eas onerando, & in manibus diaboli tradendo, in diuinæ Maieſtatis offenſam, animarum perniciem, & Chriſti fidelium ſcandalum non modicum. Nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de fide catholica recté ſentiunt, Sacramentis ab Eccleſia Dei inſtitutis abutantur, aut illis iniuriam faciant, fraternitati tuæ, de cuius eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimùm in Domino confidimus, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus per te, vel alium, ſeu alios à te deputandum, ſeu deputandos, contra omnes, & ſingulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum Ciuitatum, & Diœceſum de præmiſſis quomodolibet diffamatos, tam ſæculares, quàm quoſvis etiam exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectorum Ordinum Regulares, cuiuſcumque dignitatis,

dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existant, tam super præmissis, quàm super fide Catholica, & quid de ea sentiant, diligenter inquiras; & iuxta facultatem tibi contra hæreticos, aut de hæresi quouis modo suspectos à Sede Apostolica concessarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos iuxta excessuum suorum qualitatem, prout de iure fuerit faciendum, debita præcedente degradatione, sæcularis Iudicis arbitrio puniendos tradas. Non obstantibus, &c. Datum Romæ apud S.Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 16. Aprilis, anno Domini 1561. Pontificatus nostri anno secundo.

§. 3. Igitur vt literæ prædictæ perpetuis futuris temporibus, & vbique locorum inuiolabiliter obseruentur, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, ac de consilio venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium contra hæreticam prauitatem generalium Inquisitorum, præinsertas literas huiusmodi, ac omnia, & singula in eis contenta Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, illasque non solùm in prædictis Hispaniarum Regnis, sed in quibusuis Christiani orbis partibus firmiter, & inuiolabiliter obseruari præcipimus & mandamus.

§. 4. Ac præterea, ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo contra eosdem procedendi ab aliquo dubitari possit, statuimus, decernimus, & declaramus, quod omnes, & singuli Sacerdotes, tam sæculares, quàm quorumvis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum regulares, cuiuscumque dignitatis, & præeminentiæ, aut quouis priuilegio muniti existant, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, siue inter se, siue cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confessionis, siue ante vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu Confessionis huiusmodi, etiam ipsa confessione non secuta, siue extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut in loco quocumque, vbi confessiones Sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem audire, sollicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint, in Officio S.Inquisitionis seuerissimè, vt infrà, puniantur. Et præterea omnes hæreticæ prauitatis Inquisitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum, Dominiorum, & locorum vniuersi orbis Christiani, in suis quemque Diœcesibus, & Territoriis per has nostras literas, etiam priuatiuè quoad omnes alios specialiter, ac perpetuò Iudices delegamus, vt super his contra prædictos simul, vel separatim in omnibus, prout in causis fidei, iuxta sacrorum Canonum formam, necnon Officij Inquisitionis huiusmodi constitutiones, priuilegia, consuetudines, & Decreta diligenter inquirant, & procedant: & quos in aliquo ex huiusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circunstantiis, suspensionis ab executione ordinis, priuationis beneficiorum, dignitatū, & officiorum quorumcunque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, necnon vocis actiuæ, & passiuæ, si regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes, & carceres etiam in perpetuum absque vlla spe gratiæ, aliasque pœnas decernant, eos quoque, si pro delicti enormitate grauiores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione Curiæ sæculari puniendos tradant.

§. 5. Dantes etiam facultatem venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & Generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, Ecclesiæ Dei tam perniciosum, remaneat ob probationum defectum impunitum, cùm difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis, delictum probatum esse arbitrio suo iudicandi, & Curiæ sæculari, vt præfertur, reum tradendum esse pronunciandi.

§. 6. Non obstantibus omnibus, quæ dictus Prædecessor in suis literis prædictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Mandantes omnibus Confessariis, vt suos Pœnitentes, quos nouerint fuisse ab aliis, vt suprà, sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu vt præfertur, tractantes, Inquisitoribus, seu locorum ordinariis prædictis: quod si hoc officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum confessarios sollicitantes, seu tractantes, vt suprà, iidem locorum Ordinarij, & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant.

§. 8. Volumus autem, vt præsentium transsumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsùs fides in iudicio, & extra vbique habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 9. Quodque eædem præsentes literæ, seu illarum exempla, ad Valuas Basilicarum S.Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie campi Floræ affixæ, omnes ita arctent, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 30. Augusti M. DC. XXII. Pontificatus nostri anno secundo.

Declarationes factæ per Sacram Congregationem Eminentissimorum Cardinalium Inquisitorum generalium hæreticæ prauitatis super dictam Bullam, & transmissæ ad Archiepiscopum Auenionensem, die 27. Octobris anno 1614.

Molto Illustrissimo, è Reuerend. Signore. Dopo essersi hauuta lunga, è matura consideratione sopra il dubio significato da diuerse bande, si i Penitenti sono obligati à denuntiare i Confessori, da quali sono stati sollicitati nel luogo, è atto della confessione, quando hanno consentito alla sollicitatione. Nostro Signore, è questi miei Signori Illustrissimi in Congregatione auanti sua Santità, à 25. di Luglio passato, dopò hauere anco inteso il parere di vna particolare Congregatione deputata per questo effetto, hanno resoluto, che qualsiuoglia Penitente è tenuto à denunciare il Confessore, ancorche l'habbia consentito, è non è tenuto à propalare il proprio consenso, nè sopra ciò s'interroghi dal Vescouo, ò Inquisitore, ò da loco Vicarij, auanti i quali deporrà la confessione; procedendosi poi contra di lui ne i constituti, che segli faranno. Non s'interroghi sopra detto consenso, & in caso ch' egli volesse dirlo da se, non si scriua il suo detto, come cosa in ordine alla persona sollicitata, non spettante al Santto Officio. Le parti dunque di V. S. sono il significare la detta risolutione à i confessori, & incaricargliene strettamente l'osseruanza, amò ne i casi che occorrono alla giornata, conforme al tenore della constitutione publicata da Gregorio XV. san. mem. contra i Confessori sollicitanti, significhino à i penitenti l'obligo, che hanno di denunciare i confessori, da quali saranno sollicitati; & hauendoli consentito, è facendo difficoltà in scoprire il proprio consenso conforme alla risolutione, che s' è fatta, li dichiari apertamente, che non sono tenuti à propalare il detto consenso, è che tanto essi Penitenti, quanto i Confessori sollicitanti, procedendosi contra di loro, non saranno di ciò interrogati, è dicendolo da se, non si riceuerà, ne scriuerà il detto. E quando tutta via

il Penitente persistesso nella medesima remitenze, Nostro Signore si contenta, che dal Vescono ò dall'Inquisitore si dia auttorità al consessore di ricenere per scrittura, è con giuramento la denuncia, per portarla subito à chi l'hauera data autorità di pigliarla, è si oltre le sudette cosi occerrera altro caso graue, per lo quale non si possa indurre il Peniteate à denunciare, vuole sua Sanità che se ne scriua quà, è s' espetti la risposta, & intanto si soprasedа nell' assolutione di esso. E tanto si contenterà V. S. di far'oseruare nella sua Diocese, facendo registrare la presente ne gli atti di cotesta Corte per infermacion sua, è de suoi successori, che deueranno hauer mira, che la presente risolutione risguarda solo quei Penitenti, che per hauer coasentito, fanno difficolta in denunciare; ma à quei, che non hanno consentito, ò hauendo consentito, non sono in ciò renitenti, non deue il confessore porre difficoltà alcuna, mà lasciare, che liberamente, & indifferentemente sodisfaccino all' obligo, che hanno di denunciare conforme alla sudetta constitutione, è per fine il Signor Iddio conceda à V. S. ogni altra prosperità maggiore. Di Roma li 27. di Settembre 1624. Di V. S. Affectionatissimo per seruirla, Il Cardinal Millino.

Vbi cum Peyrino *in Priuileg. Minim. tom. 2. constit. 4. Gregory XV. §. 9. n. 34.* aduerte, quod die 3. Octobris anno 1626. omnibus Archiepiscopis, & Vicariis generalibus datæ fuerint literæ Cardinalia Millini subscriptæ, per quas dictis Ordinariis de mandato Vrbani VIII. præcipitur, vt omoibus Sacerdotibus, tam Regularibus, quàm Sæcularibus ad confessiooes audiendas approbandis, in actu ipso approbatioois dicta Bulla Gregorij XV. præsertim §. nonus, qui incipit, *Mandantes*, legatur, & intimetur ad hoc, vt eodem tempore Confessarij sciant pœnas impositas sollicitantibus, & quod ipsi Confessarij non hortantes, vti debent, pœnitentem sollicitatum, quod denunciet, vel docentes, quod non teneatur denunciare, ab Inquisitoribus punientur.

Vt autem in hac dubitatione resoluenda distinctius procedamus, sit

SECTIO PRIMA.

SVPPOSITA.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitori Generali Hispaniarum Pius IV. solùm tribuit iurisdictionem cognoscendi, & puniendi per se, vel per alium à se deputatum delinquentes Sacerdotes Regnoram Hispania, tam Secnlares, quàm Regulares, abuteates Sacramento Pœnitentia in actu audiendi confessiones, scilicet Pœnitentes mulieres ad actus inhonestos alliciendo, & prouocando, &c.*

2 *Clemens VIII. solùm statuit, quod Inquisitor Generalis in Regnis Hispaniarum procedere possit contra quoscunque Presbyteros Sacalares, & Regulares in Sacramento Pœnitentie, seu in actu confessionis Sacramentalis sollicitantes mulieres pœniteates ad peccata carnis, vel ad impudicitiam, sicut & in aliis causis ad sancto Inquisitionis Officium pertinentibus, etiam priuatinè quoad superiores Regulares cuiuscunque Ordinis.*

3 *Gregorius XV. in sua constitutione aduersus sollicitantes vbiuis terrarum primò confirmat constitutionem Pij IV. eamque firmiter, & inuiolabiliter obseruari pracipit, & mandat.*

4 *Idem decernit secundò, quod omnes, & singuli Sacerdotes, tam exempti, quàm non exempti, qui personas, quacumque illa sint, ad inhonesta, siue inter se, siue cum aliis, quomodocumque perpetranda in actu Sacramentalis Confessionis, siue ante, siue post immediatè, seu occasione, vel pratextu confessionis huiusmodi, etiam ipsa confessione non secuta, &c. sollicitare, vel prouocare tentauerint, aut inhonestos sermones cum eis habuerint, in Officio sancta Inquisitionis seuerissimè puniantur.*

5 *Item remittit tertiò cognitionem huius delicti, tam Inquisitoribus, quàm locorum Ordinariis simul, vel separatis.*

6 *Culpabiles reperti in huiusmodi prauis excessibus, decernit quartò, quod prater abiurationem de heresi, pro criminum qualitate, & circunstantiis puniendi sint suspensione ab executione Ordinis, priuatione beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcunque, & perpetua inhabilitatis ad illa, &c. vltimò triremium, & perpetua degradationis.*

7 *Sollicitare in confessione ad actus inhonestas ob iniuriam, qua infertur Sacramento, est sacrilegium.*

8 *Sacrilegium est delictum, cui potest imponi pœna depositionis.*

9 *Sollicitatio huiusmodi refertur quodammodo ad peccatum incestus secundùm aliquos, cùm sit cognoscere carnaliter filiam spiritualem: at incestus est dignus depositione.*

10 *Sollicitanti filiam spiritualem, vltra pœnam depositionis, imponi debes duodecim annorum peregrinatio, & tandem vt in Monasterio Deo seruiat per totam vitam.*

11 *Textus* in cap. si quis Sacerdos, 30. q. 1. *mentionem quamvis faciat solùm de filia spirituali, quam Sacerdes in Sacrameato Baptismi, vel Confirmationis tenuit; nihilominus idem dici debet, si cognoscat eam carnaliter, qua per Pœnitentia Sacramentum facta est filia spiritualis.*

12 *Datur quintò in dicta constitutione Gregoriana facultas Eminentissimis Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, testibus etiam singularibus, concurrentibus prasumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis delictum probatum esse, arbitrio suo iudicandi, &c.*

13 *Item Gregorius VI. ibi mandat omnibus Confessariis, vt suos Pœnitentes, quos nouerint, vt supra, ab aliis fuisse sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes. Secus facientes ab Inquisitoribus, vel Ordinariis, si constiterit de huiusmodi negligentia, pro modo culpa puniantur.*

14 *Sollicitatio ad venerem tantùm pracauetur in dictis constitutionibus; non tamen sollicitatio ad alia delicta.*

15 *Sollicitatio ad venerem, qua in huiusmodi constitutionibus prohibetur, est sollicitatio ad actus turpes, non solùm integros, & completos, vt copula, sed etiamsi non sint integri, & completi, vt oscula, tactus, amplexus, &c.*

16 *Sollicitatio mulieris tantùm pracauetur in constitutionibus Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. at in Gregoriana sollicitatio cuiuscumque persona.*

17 *Sacerdos Pœnitentem sollicitans in confessione, ex constitutionibus Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. veniebat tantùm puniendus: At in Gregoriana venit puniendus Pœnitentem sollicitans, aut cum eo inhonesta tractans, siue in confessione, siue extra, ante vel post immediatè, siue in confessionario, siue loco confessionibus deputato, siue alibi confessionem audire simulans.*

18 *Denunciandi Confessarium obligatio nulla imponitur Pœnitenti in Bullis Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. preter eam, qua de Iure natura insita est: at in Gregoriana prasupponitur, quod pœnitens confessarium sic sollicitantem denunciare teneatur, & quod Confessarius moneat Pœnitentem de tali obligatione.*

19 *Pœnitentes tenentur sub mortali denunciare Inquisitoribus*

quisitoribus Sacerdotem sollicitantem, ita vt alioquin non possint absolui, nec etiam à Confessariis quantumcunque priuilegiatis.

20 *Pœnitens, qui in periculo mortis absoluitur per Confessarium ab excommunicatione reseruata, cum obligatione, si superuixerit, præsentandi se postea suo Superiori, tenetur sub mortali se præsentare, quando commodè poterit.*

21 *Confessarius tenetur monere Pœnitentem, qui post votum castitatis contraxit matrimonium, de obligatione non petendi debitum, & pœnitens tenetur sub mortali non petere, sed solùm reddere.*

22 *Sollicitati in aliquibus Prouinciis adsunt statuta, quod non possint absolui, nisi denuncient Confessarios à quibus sunt sollicitati; vigetque ibi talis consuetudo, quæ est optima legis interpres.*

23 *Confessarius non declarans pœnitenti obligationem, quam habet denunciandi, si fuerit ab aliquo Sacerdote sollicitatus, & multò magis eidem pœnitenti dicens, quod non tenetur denunciare, potest pro qualitate culpæ puniri.*

24 *Criminis huiusmodi cognitio ex constitutionibus Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. solùm committitur Inquisitori Generali Hispaniarum, & ab eo deputatis: at in Gregoriana imponitur omnibus Inquisitoribus totius mundi Christiani.*

25 *Constitutio Gregorij XV. secundùm aliquos non obligat in Hispania; quia ibi non fuit publicata, neque fuit vsu recepta: noluerunt enim Inquisitores Hispaniæ eam acceptare, quæ in hac parte eorum derogat iurisdictionem ab aliis Pontificibus concessam.*

26 *Constitutiones Pontificiæ Romæ publicatæ post sex menses obligant in Hispania.*

27 *Constitutiones Pontificiæ neque validè, neque licitè possunt non recipi.*

28 *Constitutio Gregorij XV. non derogat consuetudini, & Priuilegio Apostolico, quæ adsunt in Regnis, & locis, vbi est Inquisitio Hispanica.*

1 SVppono primò, quod Pius IV. anno 1561. in constitutione, quæ incipit: *Venerabili Fratri Archiepiscopo Hispalensi Hispaniarum hæreticæ prauitatis Inquisitori Generali*, apud Paramum *de origine Inquisitionis, lib.3.q.10.in fine*, & Coriolanum *de casibus reseruat. 2.part. sect.2. art.22.* solùm tribuit Hispaniarum Inquisitori generali iurisdictionem cognoscendi, & puniendi per se, vel per alium à se deputatum delinquentes Sacerdotes Regnorum Hispaniæ, tam Sæculares, quàm Regulares, qui Sacramento Pœnitentiæ in actu audiendi confessiones abutuntur, mulieres scilicet pœnitentes ad actus inhonestos, dum earum confessiones audiunt, alliciendo, & prouocando, seu allicere, & prouocare tentando, & prouocando; super iis autem subdit Pontifex: [Diligenter inquiras, & iuxta facultatum tibi contra hæreticos, aut de hæresi quouis modo suspectos à Sede Apostolica concessarum continentiam, & tenorem procedas.]

2 Suppono secundò, quod postea Clemens VIII. anno 1592. & Paulus V. in alia sua constitutione apud Paramum, & Coriolanum *in locis suprà citatis*, vt refertur in Decreto supremi Senatus Inquisitionis Hispaniarum, solùm statuit, quod Inquisitor Generalis in Regnis Hispaniarum procedere possit contra quoscumque Presbyteros Sæculares, & Regulares in Sacramento Pœnitentiæ, seu in actu confessionis Sacramentalis sollicitantes mulieres pœnitentes ad peccata carnis, seu ad impudicitiam, sicut & in aliis causis ad Sanctæ Inquisitionis Officium pertinentibus, vt hactenus fecit, etiam priuatiuè quoad superiores Regularium cuiusuis Ordinis, & Congregationis, etiamsi Mendicantium existant: Ipsique Regulares non eximantur ab onere denunciandi huiusmodi delinquentes eidem Sanctæ Inquisitionis Officio, quemadmodum in aliis casibus, & causis eiusdem Sanctæ Inquisitionis Officij, in quibus alij Christi fideles de iure tenentur.

3 Suppono tertiò, quod post Pium IV. Clementem VIII. & Paulum V. Gregorius XV. tandem an. 1622. in sua Constitutione aduersùs Sacerdotes sollicitantes vbiuis terrarum primò confirmat constitutionem Pij IV. quam *suprà* referebam, illamque non solùm in prædictis Hispaniarum Regnis, sed etiam in quibuscumque Christiani orbis partibus firmiter, & inuiolabiliter obseruari præcipit, & mandat.

4 Secundò, ne de pœna bis delinquentibus imponenda, & de modo procedendi quis dubitare possit, decernit quod omnes, & singuli Sacerdotes, tam exempti, quàm non exempti, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, siue inter se, siue cum aliis quomodocumque perpetranda in actu Sacramentalis confessionis, siue ante, siue post, immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis huiusmodi, etiam ipsa confessione non secuta, siue extra occasionem confessionis in confessario, vel in loco quocumque, vbi confessiones Sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint, in Officio sanctæ Inquisitionis seuerissimè puniantur.

5 Tertiò, opponit modum cognoscendi de tali delicto: Remittit enim eius cognitionem, tam Inquisitoribus, quàm locorum Ordinariis simul, vel separatim, ibi: [Omnes hæreticæ prauitatis Inquisitores, & locorum Ordinarios vniuersi Orbis Christiani in suis quemque Diœcesibus, & Territoriis per has nostras literas, etiam priuatiuè quoad omnes alios specialiter, ac perpetuò iudices delegamus, vt super his contra prædictos simul, vel separatim in omnibus, prout in causis fidei, iuxta sacrorum Canonum formam, necnon Officij Inquisitionis constitutiones, &c. diligenter inquirant, & procedant.]

6 Quartò, qui in aliquo ex huiusmodi prauis excessibus culpabiles fuerint reperti (præterquam quod tanquam suspecti de hæresi ad abiurandum cogi debent, vti suprà loco suo probabam, pro criminum qualitate, & circunstantiis puniendi sint, suspensione scilicet ab executione Ordinis, priuatione beneficiorum, dignitatum, & Officiorum quorumcumque, & perpetuæ inhabilitatis ad illa, necnon vocis actiuæ, & passiuæ, si Regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes, carceris perpetui: Quin si pro delicti grauitate maiores pœnas meruerint, debita degradatione præcedente Curiæ sæculari puniendi tradantur.

7 Et meritò, quia sollicitare in confessione ad actus inhonestos ob iniuriam, quæ infertur Sacramento, est sacrilegium. Azor. *tom.1. lib.9. cap.28.* & Baiardus 8 *ad Clarum, §. sacrilegium, n.1. & seqq.* At sacrilegium est delictum, cui potest imponi pœna depositionis. Rebuff. *in pract. part. 3. tit. de mod. amittend. Benef. n.46.* & Bermondus *in pract. c.81. n.2.* Ergo, tum quia talis solli- 9 citatio, cùm præsertim cognoscere carnaliter filiam spiritualem sit incestus, ad mentem Menochij *de arbitr. centur.6. cas.502. n.29.* Deciani *in Tract. crimin. lib.6. cap.23. n.1.* Bermondi *de public. concubin. rubr. de incestis, n.23.* Roderici *tom.2. quæst. regul. q.27. art.1.* & aliorum, refertur saltem quodammodò ad peccatum incestus: At peccatum incestus est dignum depositione. Bermondus *in pract. cap.84. n.2.* & alij quos sequitur Farinac. *in pract. crim. q.149. n.53.* Ergo.

10 Et in particulari, quod peccatum commissum cum filia spirituali sit puniendum pœna depositionis, habetur *in cap. si quis Sacerdos 30. q.1.* ibi: [*Si quis Sacerdos* cum filiabus spiritualibus fornicatur, graue delictum committit, & qui huiusmodi malum exemplum præbet hominibus, ab omni officio deponitur, & peregrinando duodecim annos pœnitere debet, & tandem

ad

ad Monasterium est, vbi per totum vitæ tempus Deo
seruiat.] Quod idem tradunt Abbas *in cap. at si cleri-
ci, de Indic. n. 35.* Berous *n. 169.* Butr. *n. 13.* Guttier. *lib. 2.
canonic. cap. 7. n. 60.* & Fatin. *in pract. crim. q. 137. n. 57.*

21 Et quamvis *in dict. c. si quis Sacerdos*, mentio fiat so-
lùm de filia spirituali, quam Sacerdos in Sacramento
Baptismi, vel Confirmationis tenuit, iuxta textum *in
cap. 1. §. ex datione, de cognat. spiritual. in 6.* Nihilomi-
nùs idem dici debet, si cognoscat carnaliter eam, quæ
per Pœnitentiæ Sacramentum facta est filia spiritualis,
ex cap. fin. de cognat. spiritual. in 6. & *ex c. omnes, 30. q. 1.*
ibi: [Omnes quos in Pœnitentia accipimus, ita filij
nostri sunt, vt in Baptismate suscepti.] Et notant
præter alios Rodericus *tom. 1. quæst. Regul. q. 27. art. 1.*
& Graffius *lib. 1. de casibus reseruat. cap. 12. n. 23.*

22 Quintò, datur facultas Eminentissimis Cardinali-
bus Generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam
enorme, & Ecclesiæ Dei tam perniciosum ob proba-
tionum defectum, cùm difficilis probationis sit, impu-
nitum remaneat, testibus etiam singularibus, concur-
rentibus præsumptionibus, indiciis, & aliis admini-
culis, delictum probatum esse, arbitrio suo iudicandi,
& Curiæ sæculari, sicuti dicebam, reum tradendum
esse pronunciandi.

23 Sextò, mandat omnibus Confessariis, vt suos pœ-
nitentes, quos nouerint ab aliis, vt suprà, fuisse solli-
citatos, moneant de obligatione denunciandi sollici-
tantes, seu vt dicebam, tractantes Inquisitoribus, seu
locorum Ordinariis prædictis: quod si facere prætermi-
serint, vel pœnitentes docuerint, quod non tenean-
tur ad denunciandos Confessarios sollicitantes, seu tra-
ctantes, vt suprà: iidem locorum Ordinarij, & Inqui-
sitores pro modo culpæ eos punire non negligant.

24 Suppono quartò, quod in prædictis constitutioni-
bus solùm præcauetur sollicitatio ad venerem, non ta-
men sollicitatio ad alia delicta, tametsi grauiora sint;
quia non est æquè periculum de sollicitatione ad ista,
ac est de sollicitatione ad venerem.

25 Cæterùm sollicitatio ad venerem, quæ in huius-
modi constitutionibus prohibetur, & punitur, est sol-
licitatio ad actus turpes, non solùm si sint integri, &
completi, vt copula; sed etiam si non sint integri, &
completi, vt oscula, tactus, amplexus, &c. siue fiat
factis, siue fiat verbis, non solùm expressis, sed etiam
tacitis, & occultis: sic Doctores communiter, quos
sequitur Patamna *q. 10. n. 116. & seqq.* & Rodericus
Acugna *de confess. sollicit. n. 14.* Qui rectè subdunt,
quod hîc sollicitare sumatur pro precari, rogare, al-
licere, vel procurare, &c. quomodò sumitur *in cap. per
Inquisit. de elect.* & notat ibi præter alios Abbas *n. 5.*

26 Suppono quartò, quod in constitutione Pij IV. & in
constitutione Clementis VIII. & Pauli V. solùm præ-
cauetur sollicitatio mulieris: at in constitutione Greg.
XV. præcauetur sollicitatio cuiuscumque personæ, ibi:
[qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, &c.]

27 Suppono sextò, quod in constitutione Pij IV. & in
constitutione Clementis VIII. & Pauli V. veniebat
puniendus Sacerdos pœnitentem sollicitans, aut cum
eo inhonesta tractans, siue in confessione, siue extra,
ante vel post immediatè, siue in Confessionario, seu
loco confessionibus deputato, siue alibi confessiones
audire simulans.

28 Suppono septimò, quod in constitutione Pij IV. &
constitutione Clementis VIII. & Pauli V. nulla, præ-
ter eam, quæ de iure naturæ insita est, imponitur Pœ-
nitenti obligatio denunciandi Confessarium: at in
constitutione Gregorij XV. præsupponitur, quod Pœ-
nitens Confessarium sic sollicitantem denunciare te-
neatur; & insuper imponitur omnibus Confessariis,
vt Pœnitentes suos de tali obligatione moneant, &
certiores faciant. Vide *infrà, sect. 13. petit. 7.*

29 Quod etiam est signum, pœnitentes teneri sub mor-
tali denunciare Inquisitoribus Sacerdotem sollicitan-
tem, itavt alioquin non possint absolui, nec etiam à
Confessariis, quantumcunque priuilegiatis. Rodericus
*tom. 1. quæst. regul. q. 27. art. 1. & in sum. part. 1. cap. 207.
concl. 1.* Acugna *q. 51.* & alij passim: sicut quia Con- 30
fessarius, qui in periculo mortis absoluit pœnitentem
ab excommunicatione reseruata, tenetur illum monere
de obligatione, si superuixerit, præsentandi se postea
suo superiori, pœnitens tenetur sub mortali se præsen-
tare quando commodè potuerit: item quia Confessa- 31
rius pœnitentem, qui post votum castitatis contraxit
matrimonium, tenetur monere de obligatione non pe-
tendi debitum, pœnitens etiam tenetur sub mortali
non petere, sed solùm reddere; ideoque in aliquibus 32
Prouinciis adsunt statuta Inquisitorum, vt sollicitati
non possint absolui, nisi denuncient Confessarios, à
quibus sunt sollicitati; vigetque ibi talis consuetudo,
quæ est optima legis interpres, *cap. cùm dilectus, de
consuetud.* & meritò; tum quia alioquin prædictæ Pon-
tificiæ constitutiones adeò rationabiles rarò conse-
quentur suum effectum, cùm vtplurimùm sollicitati
ex eo, quod non absoluuntur, inducantur ad denuncian-
dum: tum quia in se est transgressio præcepti in re
grauissima, & magni momenti pro religione Christiana.

Vbi aduerte, quod Confessarius non declarans pœ- 33
nitenti obligationem, quam habet denunciandi, si fue-
rit ab aliquo Sacerdote sollicitatus, & multò magis ei-
dem pœnitenti dicens, quod non obligetur denuncia-
re, possit ab Inquisitoribus pro qualitate culpæ puniri,
sicut habetur in dicta constitutione Gregorij XV. &
notat præter alios Sousa *in Aphor. Inquisit. lib. 1. c. 34.
n. 75.* & Freytas *in addit. ad tract. de confess. sollicit.
q. 21. n. 77.* Quas autem pœnas vltra peccatum incur-
rat pœnitens sollicitatus, si nolit denunciare Sacerdo-
tem, qui in confessione ipsum sollicitauit? Vide *du-
bit. 25. per totam*, vide etiam Sousam *de confess. sollicit.
tract. 2. cap. 19.* & Freytas *in non. addit. ad tract. simi-
liter de confess. sollicit. q. 30. n. 28.* & Sacræ Congre-
gationis declarationem adiunctam ad constitutionem
Gregorij XV. quam *suprà* referebam.

Suppono octauò, quod in Constitutione *Pij IV.* & 34
in constitutione Clementis VIII. sicut & Pauli V.
talis criminis cognitio solùm committitur Inquisitori
Generali Hispaniarum, & ab eo deputatis; at in con-
stitutione Gregorij XV. imponitur omnibus Inquisi-
toribus totius Orbis Christiani, & Ordinariis loco-
rum, simul, vel separatim.

Hinc nonnulli dubitant, an constitutio Gregorij 35
XV. obliget in Hispania, quia constitutio hæc in
Hispania non fuit publicata: Tum quia esto fuerit pu-
blicata, non videtur esse vsu recepta; nam cùm in di-
cta constitutione Gregorij XV. Inquisitores Ordina-
riis locorum æquales efficiantur, noluerunt Inquisito-
res Hispaniæ hanc constitutionem, quæ ipsis in hac
parte iurisdictionem à Pio IV. à Clemente VIII. sicut
& à Paulo V. vt scilicet ipsi soli de hoc crimine co-
gnoscant, concessam derogat, receptare.

At quantum spectat ad primam rationem, quod scili- 36
cet in Hispania prædicta Bulla Gregorij XV. non fuerit
publicata, non potest esse in causa, quominus in His-
pania obliget; quia ex communiori, & probabiliori
sententia Doctorum sufficit, quod Romæ fuerit publi-
cata, vt post sex menses in Hispania possit obligare.

Quantum autem spectat ad secundam rationem, quod 37
scilicet in Hispania non videatur esse vsu recepta. An
hoc sit verum, & si verum, an potuerit fieri validè, ne-
dum licitè, viderint ipsi, qui talem sententiã defendunt,
& sequuntur; qua de re videri poterunt quæ diffusè
dicebam *de immun. & iurisd. Eccl. tom. 1. c. 14. dub. 10.*

Potiùs dicerem, quod prædicta constitutio Grego- 38
rij XV. non deroget consuetudini, & Priuilegio Apo-
stolico, quæ adsunt in Regnis, & locis, vbi est Inqui-
sitio Hispanica: de qua re videri poterunt, quæ di-
cam *infrà, sect. 13. in fine, & sect. 19.*

SECTIO

SECTIO II.

An Inquisitoribus denunciari debeat Sacerdos fœminam, vel marem ad actus inhonestos inducens?

SUMMARIUM.

1 *Obligatio denunciandi delinquentem, qui per correctionem fraternam non emendatur, metienda est per regulas generales correctionis, & denunciationis, de qua hic non est sermo, sed de ea, quæ oritur ex constitutionibus Pontificiis, & ex Inquisitorum edictis.*

2 *Constitutio Gregorij XV. in illis partibus, in quibus recepta est, absque dubio Sacerdos ad actus inhonestos marem sollicitans in confessione denunciari debet; quia Pontifex ibi non loquitur de fœminis solis, sed de quibuscumque pœnitentibus sollicitatis.*

3 *Persona nomen comprehendit marem, & fœminam, & dictio, quæcumque, superaddita facit, quod dispositio comprehendat omne genus personarum.*

4 *Inquisitores in Hispania satis probabiliter secundum aliquos non habent ius cognoscendi de sollicitante mares; quia Bulla Gregoriana ibi non est usu recepta, & cæteræ constitutiones aliorum Pontificum loquuntur solum de sollicitante fœminas.*

5 *Priuilegium iuri alterius quasi derogans non debet extendi, sed potius limitari.*

6 *Metus Principis præsumitur in vniuersum non esse, quod ius tertij lædat.*

7 *Inquisitores Hispaniæ si possent priuatiuè de sollicitantibus mares, sicut & fœminas, cognoscere, non esset cur in edictis suis solum de sollicitantibus fœminas loquerentur, & non per verba generaliter de sollicitantibus pœnitentes in genere.*

8 *Sollicitare marem, non obstat, quod sit grauius delictum, quàm sollicitare fœminam; quia sæpè leges grauius puniunt delicta minus grauia, quàm grauiora, vtpote frequentiora.*

9 *Inquisitores in Hispania satis probabiliter etiam secundum alios habent ius cognoscendi de sollicitante marem, ex constitutionibus Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. priuatiuè, sicut & de sollicitante fœminam; quia finis principalis horum Pontificum est in fauorem Sacramenti pœnitentiæ, vt scilicet puriùs, & honestiùs, & cum maiori animarum fructu administretur.*

10 *Finis alicuius constitutionis quando est fauorabilis, constitutio illa extendi potius, quàm limitari debet, præcipuè cum odium à fauore distingui non potest, vt contingit in hoc casu.*

11 *Constitutio, qua reseruantur fructus vacaturæ Episcopo mortuo, fauorabilis appellatur, quia principaliter edita est in fauorem Episcopi, vt debita persoluat, quamuis redundet in damnum eorum, quibus obnoxius debebat.*

12 *Lex, priuilegium, & qualibet alia dispositio, saltem si sumus in casibus eiusdem rationis, & dispositio sit fauorabilis, extendi debet ad casum, vbi est eadem, vel maior ratio.*

13 *Constitutiones Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. & Inquisitorum Edicta loquuntur solùm de sollicitantibus fœminas; quia leges attendunt ad ea, quæ frequentiùs concingunt: At Gregorius XV. ad maiorem cautelam, & ad tollendam omnem prorsus dubitationem exprimit etiam mares.*

14 *Constitutio Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. loquitur de Confessariis in actu Confessionis sollicitantibus fœminam, consequenter non est extendenda contra sollicitantes marem; masculinum enim non includitur sub fœminino, sicut fœmineum, præsertim in pœnalibus, & odiosis, non includitur sub masculino.*

15 *Moniales professa, eisque nubentes, & accipientes illas in vxores, licèt excommunicentur* in Clem. vnica de consanguinit. & affinit. *& excommunicentur etiam professi contrahentes matrimonium; non tamen si aliqua mulier sæcularis contraheret matrimonium cum Professo, incurreret etiam excommunicationem, sicut incurreret mas contrahendo matrimonium cum moniali.*

16 *Cogentes mulierem ad ingrediendum monasterium, licèt excommunicentur* in Concilio Tridentino sess. 25. de Regularibus, cap. 8. *Non tamen excommunicantur qui cogunt marem ad idem.*

17 *Pœna grauior imponitur pro delicto minori, quàm imponatur pro maiori, si scilicet illud frequentius committatur.*

18 *Leges, & statuta feruntur ob id, quod communiter, non autem quod rarò contingit.*

19 *Pœna imposita rapientibus fœminam, non extenditur ad fœminas rapientes marem.*

20 *Viricidium non impedit contrahi matrimonium, sicut impedit vxoricidium; quia* in cap. Interfectores, & cap. 33. quæst. 2. *fit solùm mentio de vxoricidio: Hoc enim contingit aliquando, illud autem rarò.*

21 *Sollicitare in Confessione secundùm Doctores ad peccata maiora peccatis carnis, non trahit prædictarum constitutionum pœnas; quia peccata carnis, licèt sint aliis peccatis leuiora, sunt tamen in Sacramento Confessionis frequentiora.*

22 *Verba posita in constitutione, vel in lege, tunc ad summum extenduntur ad alios casus, vt tunc non sit extensio, sed potiùs inclusio, quando adest eadem ratio, non quidem partialis, scilicet solum grauitas delicti, sed totalis, scilicet grauitas delicti, & eiusdem frequentia.*

23 *Religiosi mendicantes si cum Romani Pontificis licentia transierint ad non mendicantes, non possunt habere locum, neque vocem in capitulo, & tamen hoc ipsum etiam extenditur ad moniales professas, si similiter cum licentia Romani Pontificis transierint ex Ordine mendicante ad alium Ordinem non mendicantem; At ratio hac tam quoad transitum, quàm quoad frequentiam æquè militat in Religiosis viris, ac in monialibus, quod quidem non est ita in sollicitantibus.*

24 *Constitutio Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. fauorabilis, vtpote lata in publicam vtilitatem, in salutem animarum, in debitam administrationem Sacramenti Confessionis, in fauorem Religionis, &c. consequenter extendenda, & ampliandaе; quia quotiescumque de his agitur ad euitanda peccata, fieri debet etiam in correctoriis, & pœnalibus latissima extensio, & interpretatio.*

25 *Lex pœnalis quando tendit in fauorem Reipublicæ, potest similiter extendi, & latè interpretari: Puniri enim delicta, vt Regio expurgetur improbis hominibus, tendit in fauorem publicum.*

26 *Idem dic etiam si constitutio sit odiosa, & onerosa delinquentibus; quia est fauorabilis Sacramento Confessionis, Religioni, & bono communi, quod priuato præferri debet.*

27 *Sententia prædicta est satis probabilis. At contraria probabilior, constitutiones scilicet prædictas esse pœnales, sicque strictè interpretandas, quia alioquin omnes ferè excommunicationes, vtpote in salutem animarum, & in bonum commune lata,* ferent

forent amplianda; & tamen iuxta doctrinam communiter receptam restringuntur.

28 *Excommunicatio quando est dubium, verum sit lata, an verò ferenda, fieri debet interpretatio, quod sit ferenda.*

29 *Reseruatio votorum facta in salutem animarum, est in fauorem Religionis; & tamen adhuc indicatur pœnalis, & odiosa, sicque restringenda.*

30 *Votum in dubio, an sit reseruatum, necne, censendum est, non esse reseruatum.*

31 *Reseruatio peccatorum est introducta in salutem animarum, ex Concilio Tridentino* sess. 14. cap. 7. *& tamen adhuc etiam indicatur pœnalis, & odiosa, sicque strictè etiam sumenda.*

32 *Peccatum in dubio, an sit reseruatum, necne, censendum est similiter, non esse reseruatum.*

33 *Confessarius si in confessione sollicitet marem, grauius peccat, & magis redditur suspectus de fide, quàm si sollicitet fœminam: At non inde sequitur prædictas constitutiones, excepta Gregoriana, comprehendere etiam Confessarios sollicitantes marem; quia non semper pro peccato grauiori infligitur eadem pœna, quæ infertur pro peccato minùs graui, si minùs contingat frequenter.*

34 *Acolyto publicè ministranti ad secundum Baptismum imponitur pœna irregularitatis* in cap. literatum, de apostatis: *Et tamen Doctores communiter extendunt illum casum ad Sacerdotem rebaptizantem; quia si textus imponit Acolyto ministranti irregularitatem, multò magis imponit eandem Sacerdoti rebaptizanti, cùm grauius illo is peccet; ideò enim hanc irregularitatem incurrunt ambo, quia eorum ministerium est circa idem subiectum numero; non sic autem, sollicitatio fœmina, & sollicitatio maris.*

35 *Vir, si incestum committat cum consanguinea sua vxoris vsque ad primum scilicet, & secundum gradum, non potest propter impedimentum affinitatis contractum petere debitum à sua vxore, neque potest post mortem vxoris contrahere cum quacumque persona aliud matrimonium: quia in hoc casu est eadem ratio totalis, scilicet delicti grauitas æqualis, & frequentia pariter æqualis: Quod non est in sollicitantibus masculos.*

36 *Constitutio Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. dum loquitur de Confessario sollicitante fœminam, verba posita sunt ibi, quia frequentiùs id contingit: At verba, quæ in lege ponuntur gratiâ frequentioris vsus, non solent ita illum restringere, vt non extendantur etiam ad casum, qui non ita frequenter contingit, si non ita frequenter contingit, cum excessu scilicet non notabili: Parum enim pro nihilo reputatur. Secùs si cum excessu notabili, sicut in casu nostro.*

37 *Verba quando possunt adaptari fœminæ, sicut mari, & potest accommodari materia vtrique sexui, id quod dicitur de mare ex Bartolo, quamuis lex sit pœnalis, & odiosa, intelligi debet etiam de fœmina, & è contra: Sed id est verum, si vtrobique est eadem ratio totalis, scilicet delicti grauitas, & frequentia; secus si aliter.*

38 *Paulus V. die 6. Februar. Ann. 1619. ante constitutionem Gregorij XV. declarauit, quod Confessarij sollicitantes marem sint conclusi in Bullis Pontificiis, & per consequens denunciandi: At de ista declaratione non constat authenticè.*

39 *In pœnalibus tunc non efficitur extensio, seu ampliatio de casu ad casum, sed efficitur solùm declaratio, cùm vtrobique per omnia est eadem ratio. Tunc autem efficitur extensio, quando casus non est omnino similis: At in casu nostro de sollicitante marem, non solùm per omnia est eadem ratio, sed etiam maior, si loquamur de ratione partiali, secus si de totali.*

40 *Affirmatiua sententia, his tamen non obstantibus, adhuc est satis probabilis, vtpotè communis, & in vsu posita, & ad mentem aliorum Pontificum, qui marem non explicarunt ex quadam honestate.*

SVppono, quod loquor de obligatione naturali cuilibet fideli insita denunciandi delinquentem, qui per correctionem fraternam non emendatur; quia talis obligatio per regulas generales correctionis, & denunciationis metienda est; sed loquor de obligatione denunciandi, quæ oritur ex constitutionibus Pontificiis, & ex Edictis Inquisitorum, quibus excommunicatio annexa reperitur. 1

Suppono 2. quod de hac obligatione posteriori loquendo, in illis partibus, in quibus constitutio Gregorij XV. recepta est, absque dubio Sacerdos ad actus inhonestos marem sollicitans, denunciari debet; quia Gregorius XV. non loquitur de fœminis solis, sed de quibuscumque pœnitentibus sollicitatis, ibi: [Omnes, & singuli Sacerdotes, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta sollicitare, &c.] vbi notanter apposuit Pontifex: *Personas, quæcumque illæ sint:* vt insinuaret, quod non solùm fœminas, sed etiam mares velit comprehendere; siquidem non solùm nomen *Personæ*, comprehendit marem, & fœminam, *cap. Persona, de Priuileg. in* 7. & notant Rebuff. *in l.* 1. *ff. de verb. signif.* Gomez *in Regul. de idiom. quæst.* 2. *num.* 2. Coceinus *decis.* 277. *n.* 2. & Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancell. gloss.* 5. *num.* 199. sed etiam illa dictio *Quæcumque*, superaddita facit, quod dispositio comprehendat omne genus personarum. Menoch. *consil.* 224. *numero* 7. Monach. *decis. Bononien. num.* 48. Honded. *consil.* 92. *num.* 7. *vol.* 1. Bursat. *cons.* 32. *numero* 14. *lib.* 1. & Giurba *consil. crimin.* 21. *num.* 2. Et tradunt in terminis huius Bullæ Vener. *lib.* 5. *examin. Episcop. cap.* 17. *num.* 19. Peytinus *tom.* 2. *de Priuileg. ad constitutionem quartam Gregorij XV.* §. 5. *n.* 14. Naldus *in summa, verb. Confessio, num.* 31. Belloch. *de casibus reseruat. part.* 2. *quæst.* 7. *num.* 28. *& quæst.* 10. *num.* 51. 2

3

Difficultas igitur est, an idem dicendum sit ex constitutione Pij IV. Clementis VIII. Pauli V. in illis partibus, v.g. in Hispania, vbi forsan constitutio Gregor. XV. sicut prætenditur, vsu recepta non est, ita vt in his partibus etiam, & sic in Hispania, sicuti dicebam, ex constitutione Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. Inquisitores Hispaniæ ius habeant cognoscendi de sollicitante mares in confessione, & ad ipsos sic sollicitans deferri debeat? 4

Negant satis probabiliter nonnulli, quos sequitur Bariola *in florib. Inquisit. fol.* 227. Portell. *in dub. Regul. ver. sollicitare fœminas, n.* 5. Faguodex *de precept. Eccl.* 2. *part. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 31. & inclinat Paramus *lib.* 3. *de orig. Inquisit. quæst.* 10. *numero* 96 Quia Pius IV. Clemens VIII. & Paulus V. solùm loquuntur de sollicitante fœminas: Ergo ipsorum decretum extendi non debet ad sollicitantem mares. Antecedens patet ex contextibus. Consequentia probatur; quia licèt horum Pontificum decretum videatur pœnitentiæ Sacramento fauorabile, est tamen Sacerdotibus onerosũ, cum illos puniendos subdat Inquisitionis Tribunali, cuius punitio ob infamiam, quam secum trahit, valdè grauis censetur. Est etiam locorum Ordinariis odiosum, cùm delinquentes à sua iurisdictione excludat, & Inquisitoribus puniendos tradat: ergo non est vltra proprietatem verborum extendendum; cùm Priuilegium iuri alterius quæsitum derogans, non extendi, sed potiùs limitari debeat, ex textu *in cap. Ex tuarum, de authorit. & vsu Pallij*, & *in cap. licèt in corrigendis, de offic. Ordinarij*, & *in l.* 1. §. *meritò*, *ff. ne quid in loco publico:* Quapropter in vniuersum præsumitur mens principis non esse, quod ius tertij lædat, *leg. Nec, Codice de emancipation. liberorum:* 5

ergo

ergo cùm per huiusmodi Priuilegium Inquisitoribus concessum locorum Ordinarij lædantur in sua Iurisdictione, tale Priuilegium extendi non debet.

7 Confirmatur, quia si Inquisitores Hispaniæ possent priuatiuè de sollicitantibus mares, sicut & fœminas, cognoscere, non esset eur in edictis suis solùm de sollicitantibus fœminas loquerentur, & non per verba generalia de sollicitantibus Pœnitentes in genere, sicut post Pium IV. Clementem VIII. & Paulum V. locutus est Gregorius XV. ibi: [omnes, & singuli Sacerdotes, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta solliciare, &c.] sicuti suprà notabam.

8 Confirmatur secundò: quia non obstat, quod sollicitare marem sit grauius delictum, quàm sollicitare fœminam; quia sæpè leges grauiùs puniunt delicta minùs grauia quàm grauiora, vtpotè frequentiora, sicut & in præsenti constitutio Gregorij XV. grauiùs punit delictum sollicitationis ad venerem, vtpotè frequentius, quàm delictum sollicitationis ad delicta venere grauiora, vtpotè minùs frequens.

9 Affirmant autem satis probabiliter etiam Manuel Rodriquez *tom.1.qq.Reg.q.59.art.4.in fine, & tom.2.q.27.art.3.* Coriolan.*de casib.reseru.part.1.sect.2.n.22.& seqq.* Ludou.Lupea *1.part.Instruct.cap.35.vers.At hic iam*, Salsed. *in Pract.cap.82. verb. deponantur 4. vers.Confessor,in fin.* Megalius *1.part.lib.1.cap.5.n.32.* Graffius *1.tom.consiliorum, consil.1.de cognat.spiritual.n.45.& seqq.& de casib.reseru.cap.18.n.32.* Quaranta *in Bullar.verb.Confessor,in Bulla Pij IV.* Cherubin.*in compend. Bullar.part.2. Constit.31.* Gyptius *de casib.reseru. q.19.n.4.* Scorria *in Bull.Pontif. Epitom. 77. theor 197.* Molfes.*part.1.summa,tract.7.cap 24.n.34.* testans de Praxi etiam ante constitutionem Gregorij XV. Riecius *resol.66.n.3.part.3. Praxis*, Hieron. Rodriquez *in comp.qq.Regul.resol 132.n.3.* Ant.Sousa *de Confess.sollicit. tract.4.cap.12, n.12.* & Acugna *de Confess. sollicit.quæst.5. per totam, & q.6.n.6.& seqq.* (scilicet quod etiam in Hispania, & in aliis partibus, in quibus constitutio Gregorij XV. forsan vsu recepta non est, possint Inquisitores Hispaniæ ea vi constitutionis Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. priuatiuè cognoscere de sollicitantibus mares, sicut & de sollicitantibus fœminas; teneanturque ea mandato Inquisitionis Hispaniæ sic sollicitatos denunciare sollicitantes) quia finis principalis constitutionis Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. est in fauorem Sacramenti Pœnitentiæ (vt scilicet Sacramentum hoc puriùs, & honestiùs, & cum maiori animarum fructu administretur, sicuti constat ea prædictis constitutionibus, quibus pœnitentiæ Sacramenti abusus, & illius iniuria per Sacerdotes sollicitantes facta coër-
10 ceri procuratur.) At quando alicuius constitutionis finis principalis est fauorabilis, etiamsi in alterius pœnam, & grauamen redundet, constitutio illa extendi potiùs, quàm limitari debet, præcipuè cùm odium à fauore distingui non potest, vt contingit in casu nostro, in quo distingui non potest fauor factus Sacramento Pœnitentiæ, quod scilicet Inquisitores de Sacerdotibus sollicitantibus fœminas cognoscant, quin in grauamen, & pœnam sollicitantium, & in diminutionem Iurisdictionis locorum Ordinariis concessæ redundet: Ergo, &c.

11 Confirmatur, quia Glossa *in cap.si propter, de rescript.in 6.vers. primi anni*, quam sequuntur ibi Dominicus *n.9.* Franchus *n.9.* Couarr.*1.var.cap.11.n.5.* Flaminius *de resignat.benef.lib.12. q.2.n.23.* Salas *de leg.tract.14.disp.21.sect.4. n.20.* & Sanchez *de matr. lib.1. disp.1.n.4.* illam Constitutionem reseruantem fructus vacaturæ Episcopo mortuo, fauorabilem appellat, eo quòd principaliter edita sit in fauorem Episcopi, vt debita persoluat, quamuis redundet in damnum eorum, quibus obuenire debebat: Ergo cùm constitutio de sollicitantibus fœminas fauorabilis sit Sacramento Pœnitentiæ, sequitur quod & ad eos, qui sollicitauerint mares, extendi debeat.

Confirmatur secundò; quia iuxta satis probabilem 12
sententiam Doctorum, sicuti videre est apud Salas *loco suprà citato, sect.5.n.11. & seqq.* Rebell.*lib.1.de oblig.Iustit.q.6.sect.4.* Ioan. Sanch. *in select. disp.11.n.12. & seqq.* & alios, lex, priuilegium, & quælibet alia dispositio, saltem si simus in casibus eiusdem rationis, vt infrà dicam, & dispositio sit fauorabilis, vt suprà dicebam, extendi debet ad casum, vbi est eadem, vel maior ratio: Ergo cùm constitutio Pij IV. Clement. VIII. & Pauli V. maiori ratione procedant in sollicitantibus mares, quàm in sollicitantibus fœminas; grauius enim delictum est sollicitare illos, quàm istas; & delictum est eiusdem rationis, sequitur quod prædictæ constitutiones loquentes de sollicitantibus fœminas, extendi debeant ad eos, qui sollicitauerint mares.

Atque hinc poterit quis respondere ad rationes ad- 13
ductas in contrarium; concedendo quidem, quod constitutiones prædictæ, & Inquisitorum edicta loquantur solùm de sollicitantibus fœminas; quia fœminæ apponuntur exempli gratiâ, & leges attendunt ad ea, quæ frequentiùs contingunt, ea scilicet explicando nominatim, *l.Nam ad ea, ff.de leg.* quod autem postea, scilicet post Pium IV.Clem.VIII.& Paulum V. Greg.XV. generaliter de sollicitantibus Pœnitentes locutus fuerit, non autem de sollicitantibus solas fœminas, sicut fecerant Pius IV, Clem.VIII.& Paul.V. fecit solùm ad maiorem cautelam, & ad tollendam omnem prorsùs dubitationem, & difficultatem.

Quamuis affirmatiua hæc sententia posterior, quæ est certa post constitutionem Greg.XV. Naldus *in Addit.ad summam,verb.Confessio,n.31.*Peyt.*in Priuil. Minim. tom.2. const.4. Greg.XV. §.5.n.14.* Venerus *in exam.Episc.lib.5.cap.17.n.19.* & Bellocb. *de cas. res.p.2.quæst.7.n.28.& quæst.10. num.51.* alias etiam ante dictam constitutionem Greg.XV. difficultates habuerit, quarum est

Prima; quia constitutio Pij IV. sicut & constitutio 14
Clem. VIII & Pauli V. loquitur de Confessariis in actu Confessionis sollicitantibus fœminam: ergo extendi non debet ad eosdem sollicitantes marem. Antecedens patet ex contextibus illatum. Consequentia probatur, quia sicut fœmininum, præsertim in pœnalibus, & odiosis, non includitur sub masculino, *l.1. §.quare, ff.de vent.in possess.mitt. & l.iusta, ff.de verb. sign.* sic neque masculinum includitur sub fœminino.

Vnde licèt *in Clementina vnica de consanguin. & 15
affin.* excommunicentur Moniales professæ, cumque eis nubentes, & accipientes illas in vxores; & excommunicentur etiam Professi matrimonium contrahentes; non tamen si aliqua mulier sæcularis contraheret matrimonium cum Professo, incurreret etiam excommunicationem, sicut incurreret mas contrahendo matrimonium cum Moniali. Anchar. Card.& Bonif.*in d.Clem.vnica*, Cajetan.& S.Anton. *p.3. tit.25. cap.33.* & alij, quos sequitur Sanch. *de matr.lib.7.disp.48.num.2.* Item licèt in Concil. Trid. *sess.25.de Reg.cap.8.* excommunicentur omnes, qui cogunt mulierem ad Monasterium ingrediendum; non tamen excommunicantur, qui cogunt marem ad idem. Baña, Suarez, & alij, quos sequitur etiam Sanchez *lib.4 moral.cap.4.*

Secunda; quia sæpè, sicuti suprà pro sententia negatiua dicebatur, pro delicto minori imponitur pœna grauior, quàm pro delicto maiori, si scilicet illud committatur frequentiùs, & homines ad illud sint propensiores. S.Thom. *in 4.dist.37.q.2.art.2. ad 2.* & ibi S. Bonauent. *articul.2. quæstion. 2. in corpore*, Richard. *art.2.quæst.2.ad vltimum.* Glossa *in cap.Admonere, 33.q.2.art.2.n.5.* & Enrard. *in Topicis, loco ab effectu, num. 6.* Ergo cùm sollicitare marem, licèt sit delictum grauius, rarò tamen contingat, non

videtur verisimile, quod pœna, quæ infertur contra Confessarios sollicitantes fœminam, extendatur etiam ad eosdem sollicitantes Marem.

18 Tertia, quia leges, & statuta feruntor ob id, quod communiter, non autem quod tarò contingit, *l.Nam ad ea, ff.de legib.* (cum vbi periculum est maius, ibi pleniùs sit consulendum, *cap.vbi periculum, in princ. de elect. in 6.& l.1. vers. Sed & si onis, ff.de Carbon. edict.*) Ergo cùm in confessione fœmina sollicitetur interdum, mas autem tarò, constitutio Pij IV. sicut Clementis VIII. & Pauli V. non fertur contra Confessarios sollicitantes marem.

19 Quarta: Quia ideo Cynus *in l.vnica, Cod.de rapt. Virgin.num.4.quæst.2.* Salyect. *ibid.num.7.* Iul. Clar. *lib.5.Recept. §. Raptus, num.9.* Decianus *in tract.crimin.lib.8.cap.7.n.17.* Grillandus *de pœnis nefar. coit. quæst.10.num.23.* Bertach. *ver.Raptor Mulieris, vers. Raptas pœna,* & Iodocus *in Practica, cap.95.num.17.* (quamuis dissentiant Baldus *in dicta l.vnica, num.23.* Angelus *ibid. circa finem*, Hippol. *num. 225.* Tiraquell. *de retract. lignag. §. 20. glossa vnica, num.4.* Vega *in summa, tom.2.cap. 34. cas.157.* & Henriq. *lib.12. de matrim. cap.14. n.4.*) volunt, quod pœna imposita Raplentibus fœminam, non extendatur ad fœminas rapientes marem, eo quòd *in dicta l.vnica, Cod.de rapt.Virgin.* fit solùm meotio de mare rapiente fœminam; & hic casus contingit aliquando, contrarius autem contingit tarò: Ergo à pari sic similiter dicendum erit in casu nostro.

20 Quinta: quia ideò Syluester *verb. Matrimonium 7. quæst.6.dict.1.* Armilla *eodem verbo, num.58.* Ledesma *2.part.4.quæst.62.art.2.* Toletus *in summa, lib.7. cap.15.n.3.* (quamuis dissentiant Sotus *in 4.dist.37. quæstione vnica, art.1. vers.simplex item.* Palatius *ibidem, dist.34.disp.2.ad finem, in 3. impedim.* Nauarrus *in summa, cap.22.num.74.* S.Antonin. *part.3.cap.16. §.4.* & Henriquez *citat.lib.12. cap.2.num.1.* volunt, quod viricidium non Impediat contrahi matrimonium, sicut impedit vxoricidium; quia *in cap. Interfectores, capite Admonere, & cap. quicumque 33. quæstione 2.* fit solùm mentio de vxoricidio; & vxoricidium contingit aliquando, viricidium autem contingit tarò: ergo à pari sic etiam dicendum erit in casu nostrò.

21 Sexta; quia ideò Doctores, vti suprà dicebam, communiter consentiunt, quod sollicitare in confessione ad peccata maiora peccatis carnis, non trahat prædictarum constitutionum Pontificiarum pœnas, quas trahit sollicitare ad peccata carnis; quia peccata carnis, licèt sint aliis peccatis leuiora, sunt tamen in Sacramento confessionis frequentiora.

Faciunt etiam ad hoc exempla, quæ adducebam in prima probatione.

22 Septima; quia (sicuti colligitur ex supradictis, & videri poterit, præter alios, Tiraquell. *de retract. lignag. §.20. glossa vnica, num.6.*) tum ad summum verba posita in Constitutione, vel lege extenduntur ad alios casus, ita vt tunc non sit extensio, sed potiùs inclusio, iuxta id, quod ait Glossa *in cap.1. de temp. ordinat.in 6.vers. vt alia,* scilicet quod casus, in quo militat eadem ratio, dicatur inclusus, seu comprehensus in caso expresso, quando adest eadem ratio, non quidem partialis, scilicet solùm grauitas delicti, sed totalis, scilicet grauitas delicti, & frequentia delicti: Quæ est tota ratio dispositionis Constitutionis, aut legis, in istis, ac in aliis casibus; at in Confessario sollicitante marem, licèt adsit eadem ratio partialis, quin maior, scilicet grauitas delicti, non tamen adest eadem ratio totalis, scilicet grauitas delicti, & frequentia delicti, quæ est tota ratio dispositionis Constitutionum Pij IV.Clement. VIII. & Pauli V.Ergo verba posita in Constitutione de sollicitante fœminam, non sunt extendenda ad casum non ita vsitatum de sollicitente marem.

Objicies: *in Clement.1. de Regul.* habetur, quod Religiosi Mendicantes, si cum Romani Pontificis licentia transierint ad non Mendicantes, non possint habere locum, neque vocem in Capitolo; & tamen hoc ipsum etiam extenditur ad Moniales professas, si similiter cum licentia Romani Pontificis transierint ex Ordine Mendicante ad alium Ordinem non mendicantem. Glossa *in d.Clementina, vers.quomodolibet, in fine.* Imola *ibidem, n.8.* & alij; ergo idem dicendum erit in casu nostro, de quo nunc agimus. 23

Respondetur: Concedo antecedens quoad partem priorem, & transeat illud quoad posteriorem. At nego consequentiam, quia ideò in ea Clementina sic statutum est, quia Pontifex vult, quod quilibet permaneat in eo Ordine, ad quem vocatus est, & passim non fiat huiusmodi transitus, præsertim ex Ordine mendicanti ad non mendicantem: Quæ ratio, tam quoad transitum, quàm quoad frequentiam, sicque ratio totalis, æquè militat in Religiosis viris, & in Monialibus: Quod non est in casu nostro, sicuti dicebam.

Objicies secundò: Constitutio Pij IV. sicut Clementis VIII. & Pauli V. est fauorabilis, vtpote lata in publicam vtilitatem, in salutem animarum, in debitam administrationem Sacramenti Confessionis, in fauorem Religionis, &c. Ergo est extendenda, & amplè interpretanda; quia quotiescumque de his agitur ad euitanda peccata, fieri debet etiam in correctorijs, & pœnalibus latissima extensio, & interpretatio: Hostiensis *in cap. penultimo, circa finem.* Qui filij sint legitimi. Innocentius *in cap. Episcopi, de reb. Eccles.num.3.* Dominicus *in cap.licèt, §.finali, de elect. in 6.n.4.* Abbas *in cap.ex tenore, qui fil. sint legit.n.6.* Euerardus *in Topicis, loco à ratione legis, n.3.* Cassador. *decis.5.de Constit.n.10.* Iason *in Auth. quas actiones, Cod.de Sacros.Eccles.* Glossa *in cap.sciant cuncti, verb.alios, & in cap.si postquàm, ver.prouisione, de elect. in 6.* Bartol. *in Auth.Sacramenta Puber.Cod.si aduersus venditionem, n.19.* Ripa *in l.si constante, ff.solut. matrim.n.72.* Decius *cons.233.n.7.* Parisius *de resign. benef.lib.11.quæst.2.n.17.* Syluest. *verb.lex, quæst.19.* Rota *in decis. diuers. decis.29.num.10.vol.1.* Crauetta *de antiq.temp.part.4.n.10.* Peregrinus *de Duello, q.15. num.7.& quæst.21. n.3.* Quaranta *in Bullar.tit. Monasteria Monialium, & verb. Confessor.* 24

Ideoque etiam lex pœnalis, quando tendit in fauorem Reipublicæ, potest similiter extendi, & latè interpretari, Bartol. *in l.quemadmodum, Cod.de Agricol.& censit.lib.11.* Bossius *in Pract. crimin.tit.de Pœnis, n.12.* & Peregrinus *de Duello, quæst.28. n.4.* At punire delicta, vt regio improbis hominibus expurgetur, tendit in fauorem publicum, arg. Textus *in l.congruit, ff. de Offic. Præsid.* & docent Bartolus, Bossius, Peregrinus *in locis citatis*, & Franchus *in cap.1.de temp.ordin.in 6.* & *in cap. sciant cuncti, a.6. de elect.in 6.* Ergo. Neque obstat, quod prædicta Constitutio Pij IV. sicut Clementis VIII. & Pauli V. 26 sit delinquentibus grauis, onerosa, & odiosa; quia est fauorabilis Sacramento Confessionis, Religioni, & bono communi, quod principaliter intenditur, & bono priuato præferri debet. Accedit, quod esto sit pœnalis, & odiosa, sicque strictè interpretanda, *l. de interpretatione, ff. de pœnis*; hæc tamen regula non procedit in his, quæ sunt eiusdem generis, *cap. Pœnale 14.q.5.& cap. Meretrices, 23.quæst.4.* 25

Respondetur: Transeat totum, vtpote satis probabile, sicuti suprà dicebam pro sententia posteriori affirmatiua; at adhuc satis probabiliter etiam cum Fagundez docent alij contrarium. Constitutiones scilicet prædictas esse pœnales, sicque strictè interpretandas, *ex cap. Odia, de Regul.Iur.in 6.cap.cùm expediat, de election.l.cùm quidam, ff.de liber. & posth. l.Interpretatione, ff.de pœnis, l. Præcipimus, Cod.de Appellationibus, l.Sancimus, Cod.de testib.§.finali, in Auth.de Administr.* 27

Administr. offic. l. si furiosi, Cod. de Nuptiis, & ex Auth. quas actiones, Cod. de sacrosanct. Eccles. quod inde confirmant, quia alioquin omnes ferè excommunicationes, vtpotè in salutem animarum, & in bonum commune latæ, forent ampliandæ: & tamen iuxta doctrinam communiter receptam restringuntur; ideo-
28 que quando est dubium, vtrum excommunicatio sit lata, an verò ferenda, fieri debet interpretatio, quod
29 sit ferenda, non autem lata. Item reseruatio votorum est facta in salutem animarum, & in fauorem Religionis, & tamen adhuc iudicatur pœnalis, & odiosa, sic-
30 que restringenda; ideoque cùm similiter est dubium, vtrum votum sit reseruatum, necne, censendum est, non esse reseruatum. Ita Sotus *de iust. lib. 7. q. 4. art. 3.* Petrus de Ledesma *in summa, tom. 2. tract. 10. cap. 3. dub. 7.* Suarez *de relig. tom. 2. lib. 6. de voto, cap. 21. n. 1.*
31 & Sayr. *libr. 6. in claui reg. cap. 11. n. 48.* Item etiam reseruatio peccatorum est introducta in salutem animarum, ex Concilio Tridentino *sess. 14. cap. 7.* & tamen adhuc iudicatur pœnalis, & odiosa, sicque stri-
32 ctè est sumenda: Ideoque similiter, cùm est dubium vtrùm peccatum sit reseruatum, necne, censendum est similiter, non esse reseruatum. Ita Suarez *tom. 5. disp. 40. sect. 6.* Henriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 16. n. 6.* & alij passim, quidquid in contrarium dixerit Armil. *verb. Casus, num. 13.* & Corduba *in regul. S. Francisci, cap. 7. q. 4. punct. 2. cas. 5.* Accedit, quod in casu de sollicitatione fœminæ, & de sollicitatione maris non est vtrobique eadem ratio totalis, iuxta ea, quæ dicebam suprà probatione 7. sententiæ prioris negatiuæ.

33 Objicies 3. si Confessarius in confessione sollicitet marem, grauiùs peccat, & magis redditur suspectus de fide (adeo quod apud Lusitaniam contra Sodomitam procedant Inquisitores in omni casu, etiamsi scilicet Sodomiæ facinus contigerit non occasione confessionis, quin & in non Clerico, sed in puro laico) quàm si sollicitet fœminam. Ergo constitutio Pij IV. sicut Clementis VIII. & Pauli V. comprehendit etiam Confessarios sollicitantes marem: sic argumento Textus *in cap. pœnale, 14. q. 5. & in cap. meretrices, 23. q. 4.*

Respondetur: Nego consequentiam, quia sicuti suprà dicebam, non semper pro peccato grauiori infertur eadem pœna, quæ infertur pro peccato minùs graui, si scilicet peccatum minùs graue contingat frequentiùs, peccatum autem grauius contingat rarò. Accedit, quod prædicta constitutio Pij IV. sicut Clementis VIII. & Pauli V. est valdè pœnalis, & odiosa; cùm reddatur Confessarius suspectus de hæresi, & procedatur contra ipsum, ac si esset hæreticus, pœnis grauissimis depositionis, & degradationis, &c. In pœnalibus autem, & odiosis fieri non debet extensio, nec etiam ex maioritate rationis, si scilicet ratio non sit totalis, sed partialis, iuxta ea quæ dicebam suprà probatione 7. sententiæ prioris negatiuæ. Gloss. *in l. Iam is, §. 1. de donation. caus. mort.* Ripa *in l. si constante, ff. solut. matr. n. 57.* Iason *in Auth. quas actiones, C. de sacros. Eccl. n. 21.* Capra *reg. 90. n. 113.* & alij, quos suprà referebam.

34 Objicies 4. *In cap. literarum, de apostatis,* imponitur pœna irregularitatis Acolyto publicè ministranti ad secundum Baptismum; & tamen Syluester *verbo Baptismus 5. q. 3. & verb. Irregularitas, n. 8.* Nauarrus *in summa, cap. 27. n. 246.* Suarez *in 3. part. q. 71. artic. 4. disp. 31. sect. 6.* Henriquez *de irregular. cap. 4. n. 5.* Auila *de censur. part. 7. disput. 7. dub. 1.* & alij communiter extendunt illum casum ad Sacerdotem rebaptizantem; quia, inquiunt ipsi, si textus imponit irregularitatem Acolyto ministranti, multò magis imponit eandem Sacerdoti rebaptizanti; cùm grauius peccet Sacerdos rebaptizans, quàm Acolytus ad secundum Baptismum ministrans: Ergo cùm in casu nostro grauiùs peccet Confessarius solicitans marem, quàm sollicitans fœminam, pœnæ impositæ contra sollicitantes fœminam, extenduntur etiam ad eosdem sollicitantes marem.

Respondetur: transeat illa irregularitatis extensio, quam faciunt communiter Doctores ab Acolyto ministrante ad Sacerdotem rebaptizantem: dixi verò, *transeat*; quia irregularitas, ut in materia de irregularitate, locum non habet, nisi expressè habeatur in iure, adeo quod non extendatur de casu ad casum, etiam à maioritate rationis. At nego consequentiam, quia ministerium Acolyti, & rebaptizatio Sacerdotis sunt circa idem subiectum numero; quare rectè deducitur, quod si Acolytus incurrit irregularitatem, Sacerdos etiam incurrat eandem; non sic autem sollicitatio fœminæ, & sollicitatio maris, qui sunt actus distincti circa subiecta distincta numero: quare non etiam rectè deducitur, quod si Confessarius sollicitans fœminam incurrat quasdam pœnas, incurrat etiam easdem, si sollicitet marem. Vt omittam, quod in rebaptizatione Sacerdotis sit, ac in ministerio Acolyti eadem ratio totalis, scil. delicti grauitas æqualis, quin maior; cùm rebaptizatio Sacerdotis sola sit substantialiter confectio Sacramenti, & delicti frequentia etiam æqualis, quin etiam maior; cùm reprobatio Sacerdotis possit esse sine ministerio Acolyti, non autem è contra.

Objicies 5. si vir incestum committat cum con- 35
sanguinea suæ vxoris vsque ad primum scilicet, & secundum gradum, non potest propter impedimentum affinitatis contractum petere debitum à sua vxore, neque potest post mortem vxoris contrahere cum quacumque persona aliud matrimonium, *cap. 1. & cap. Transmissa*, de eo qui cognouit consanguineam, docetque Sanctus Thomas *in 4. distinctione 35. quæst. vnica, articulo 5.* Richardus *ibidem, articulo 4. quæst. 2. ad primum*; & Turrecremata *in cap. quadam cum fratre, 32. quæst. 7. numero 2. ad septimum.* Et tamen propter eandem rationem pœna extenditur etiam ad vxorem, si scilicet, similiter vxor incestum committat cum consanguineo sui mariti: ita Paludanus *in 4. distinctione 34. quæstione 1. artic. 2. num. 12.* Petrus de Soto *sect. 14. de matrimonio*, Sanctus Antoninus *parte 3. titulo 1. cap. 16. § 4.* Syluester *verbo Matrimonium 7. quæst. decima, distinctione 3.* Armilla *eodem verbo Matrimonium, num. 57.* Corduba *lib. 1. q. 12. circa principium.* Veracrux *prima parte speculi, articulo 23. conclus. 2.* Toletus *libro 7. cap. 15. num. 2.* & alij passim. Et tamen Textus præcitati loquuntur de solo viro: ergo idem dicendum erit in casu nostro, quod scilicet pœnæ impositæ contra Confessarios sollicitantes fœminam, extendi debeant ad eosdem sollicitantes marem.

Respondetur: Concedo antecedens; at nego consequentiam, quia in casu de incestu est eadem ratio totalis delicti, scilicet grauitas æqualis, & delicti frequentia etiam æqualis, tam in viro, quàm in fœmina. Vt omittam, quod vxorem incestuosam contrahere similiter, ac virum prædictum impedimentum affinitatis, expressè habeatur *in cap. Si quis viduam, 32. q. 7. & in cap. Si quis cum matre, 34. quæst. 2.*

Instabis: dum constitutio Pij IV. sicut Clemen- 36
tis VIII. & Pauli V. loquitur de Confessario sollicitante fœminam, verba posita sunt ibi, quia frequentiùs id contingit: At verba, quæ in lege ponuntur gratiâ frequentioris vsus, non solent ita illam restringere, vt non extendantur etiam ad casum, qui non ita frequenter contingit: ita Glossa *in Clement. 2. de rescript. verbo Præsidentes,* Tiraquellus *de retract. lignag. § 20.* Glossa vnica, *num. 4.* Rebuff. *de nominat. quæst. 1. num. 3.* & Valascus *tom. 1. consil. 7. n. 2.* Ergo.

Respondetur: Distinguo minorem, [Non solent ita illam restringere, vt non extendantur etiam

ad casum, qui non ita frequenter contingit,] si non ita frequenter contingit, cum excessu scilicet non notabili, concedo, quia parum pro nihilo reputatur; si non ita frequenter contingit, cum excessu scilicet notabili, sicut est in casu nostro, nego; quia leges non feruntur ob id, quod rarò contingit, vti dicebam.

37 Vrgebis: Bartolus *in l. iura, ff. de legib. circa finem* (quem sequuntur communiter alij) ait quod quando verba possunt adaptari fœminæ, sicuti mari, & materia potest accommodari vtrique sexui, id quod dicitur de mare, quamvis lex sit pœnalis, & odiosa, intelligi debeat etiam de fœmina, & è contra: ergo quamvis constitutio Pij IV. (sicut Clementis VIII. & Pauli V.) loquatur de sollicitatione fœminæ, comprehendet etiam sollicitationem maris.

Respondetur distinguendo antecedens, doctrinam scilicet illam esse veram, si vtrobique sit eadem ratio totalis, nempe delicti grauitas æqualis, & delicti frequentia etiam æqualis: secus si aliter, iuxta ea, quæ dicebam suprà probatione 7. sententiæ prioris negatiuæ.

38 Obiicies 6. ante constitutionem Gregorij XV. Paulus V. die 6. Februarij, anno 1619. declarauit, quod Confessarij sollicitantes marem sint inclusi in Bullis Pontificiis, & per consequens denunciandi, sicuti testatur Scortia *in Bull. Pontific. epitom. 77. theor. 197.* Idemque etiam declarauerat priùs die 19. Nouembris, anno 1612. sicuti testatur Hieronymus Rodriguez *in compend. quæst. regular. resol. 131. num. 3.* & Sousa *de Confess. sollicit. tract. 1. cap. 12. n. 12.* Ergo.

Respondetur: Transeat totum: at de huiusmodi declarationibus non constat authenticè.

39 Objicies 7. ex glossa *in cap. 1. de temper. ordin. in 6.* (quam celebrat Abbas *in cap. Nihil, de elect.* & Baldus *in l. si quis furto, Cod. de furtis, & in l. illud, C. de sacros. Eccles.*) tunc in pœnalibus non efficitur extensio, seu ampliatio de casu ad casum, sed efficitur solùm declaratio, cùm vtrobique per omnia est eadem ratio; (sicuti fit *in cap. si postquam, de elect.* & *in l. quædam, §. nummularios, ff. de edend.*) Tunc autem efficitur extensio, quando casus non est omninò similis: At in casu nostro de sollicitante marem non solùm per omnia est eadem ratio, sed etiam maior: Ergo dicendum, quod talis casus fuerit inclusus in Bullis Pontificiis: quod nouissimè fecit Gregorius XV. ad tollendas opiniones Doctorum, ad cautelam, & declarationem maiorem.

Respondetur: distinguo minorem: [In casu nostro de sollicitante marem, non solùm per omnia est eadem ratio, sed etiam maior,] si loquamur de ratione partiali aliarum constitutionum ante, & præter constitutionem Gregorij XV. concedo; si loquamur de ratione totali, nego; quia ratio totalis aliarum constitutionum ante, & præter constitutionem Gregorij XV. non solùm fuit delicti grauitas, sed etiam delicti frequentia, iuxta ea quæ suprà dicebam.

40 His tamen non obstantibus, adhuc etiam est satis probabilis affirmatiua sententia posterior, vtpote communis, & in vsu posita ex consuetudine, quæ est optima legis Interpres, & ad mentem aliorum Pontificum, qui marem non explicarunt ex quadam honestate, cùm scandalosum sit audire, quod Confessarij sollicitent marem ad nefandum crimen in Sacramento Confessionis; postea, solùm tamen ad cautelam, & ad tollendam omnem difficultatem, fecit Gregorius XV. honestè, in quantum potuit, per hæc verba generalia: [Omnes, & singuli Sacerdotes, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta sollicitare, &c.]

SECTIO III.

An Inquisitoribus sub graui culpa denunciari debeat Sacerdos pœnitentem ad actus inhonestos solùm venialiter sollicitans?

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos ad actus inhonestos solùm venialiter sollicitans, Inquisitoribus sub graui culpa denunciari debet satis probabiliter; quia licet, v. g. calcare pedem, vel brachium, tangere manum, vel mammillam fœminæ, digitos intorquere, vellicare fœminam in fronte, vel in manu, osculari, & similia, sint ob paruitatem materiæ peccata venialia: Nihilominus si hæc fiant in confessione, ante, vel post immediatè, ob irreuerentiam Sacramento factam, sunt peccata mortalia contra Religionem.*

2 *Sumere quid modicum cibi, licèt sit peccatum veniale in materia temperantiæ; nihilominùs illud sumere ante sumptionem Eucharistiæ est sacrilegium graue in materia Religionis.*

3 *Peccata de se venialia in materia castitatis, eo quòd fiant in Sacramento Pœnitentiæ, non redduntur mortalia contra Religionem, neque de iure naturali, & diuino, neque de iure positiuo Pontificiarum Constitutionum.*

4 *In recensitis constitutionibus non fit aliqua specialis prohibitio de peccatis venialibus, sed solùm prohibetur id, quod est de se malum, & inhonestum; immò quia est malum, & inhonestum, ideò solùm in eis prohibetur. Idem dic etiam de prohibitione percussionis Clerici ob reuerentiam Ordini debitam; non enim prohibetur sub peccato graui, si leuis sit in ratione percussionis. Et ita de furto sacrilego, si in ratione furti sit leue.*

5 *In constitutionibus recensitis Pontifices non intellexerunt, veniale peccatum contra castitatem fieri mortale contra Religionem; immò potiùs colligitur oppositum, quia videntur expressè intelligere de peccato mortali. Vide ibi verba constitutionum, quæ ponderantur.*

6 *Pœna sollicitantibus imposita est grauis, & pro leui delicto non imponenda.*

7 *Pœna excommunicationis imposita in quodam certo actu, intelligitur de actu inuoluente peccatum mortale.*

8 *Hæresis suspicio non potest ex peccato veniali præsumi, sicut nec graue quid ex leui deduci.*

9 *Sacrilegium non oritur ex actu veniali.*

10 *Paruitas materiæ, cùm non simus in virtutibus Theologalibus, quæ attingunt immediatè Deum, vbi non est reperire parum, sed quidquid reperitur, est essentialiter ipsemet Deus, excusat à mortali: vnde si Confessarius dicat pœnitenti verba leuia, vel faciat signum, aut opus leue indicatiuum amoris lasciui, quæ iuxta iudicium prudentis viri non sint peccatum mortale, neque sufficientia ad persuadendum, non videtur, quod sit denunciandus Inquisitoribus sub graui culpa.*

11 *Peccata venialia secundùm se possunt fieri peccata mortalia in materia Religionis; sed hoc fit quando non prohibentur, qua ratione in se mala sunt, sed solùm ob reuerentiam sacris debitam: at quando prohibentur, ne scilicet fiant in Sacramento, qua ratione mala sunt, sequuntur natu-*

ram,

ram, quam in se habent, ita vt si sint peccata venialia, & non mortalia in materia iustitia, vel castitatis, &c. sint similiter peccata venialia, & non mortalia in materia Religionis.

12 *Auctor hac scripsit prascindendo à decreto nouissimo Alexandri VII. vbi vult, quod tam hareticus, quàm quiuis de haresi vel leuissime suspectus, locorum Ordinariis, aut Inquisitoribus, nulla pramissa coerectione, denuncietur.*

13 *Confessarius, etiamsi solicitet verbis non expressis, v.g. personam, quam sollicitat laudando de pulchritudine, gratia, venustate, & morum elegantia, dummodò prudenter iudicetur, huiusmodi verba, vel signa tendere ad solicitationem grauem, denunciari debet Inquisitoribus, seu Ordinariis; quia sic abutitur Sacramento pœnitentia grauiter.*

14 *Pœnitens, cui Confessarius verba dubia profert, vel factum, aut signum dubium prabet, tenetur illum Inquisitoribus denunciare; quia in casu dubio, quando exinde quid contra bonum publicum sequi potest, par non est, quod stetur iudicio persona priuata.*

15 *Assignatur discrimen per accidens inter ius externum, & internum; quia in foro interno, seu anima nihil plus inquiritur, nisi veritas actualis, & in eo prasumptio non datur. Secus fit in foro externo, seu contentioso.*

16 *In sententia dicentium, oscula, & tactus, si absit periculum pollutionis, seu consensus ad copulam, esse tantum peccata venialia, Confessarius hac in confessione committens denunciandus non est. Secus verò in foro externo, cùm ex his prasumatur animus ad copulam.*

17 *Paruitas materia satis probabiliter in materia luxuria non datur, vtpote valde procliui, & periculosa: Contraria enim sententia non habet probabilitatem, immò est falsa: Et Doctores asserentes, dari in rebus Venereis paruitatem materia, actumque venereum, si sit sufficienter deliberatus, posse vacare culpa mortali, sunt denunciandi Inquisitoribus.*

18 *Huiusmodi tamen propositionum assertores non sunt cogendi ad abiurandum, sed solum ad illas reuocandum publicè, & ad suum errorem detestandum.*

19 *Sententia affirmans, Sacerdotem, qui sollicitat pœnitentem ad actus inhonestos solùm venialiter, non esse denunciandum Inquisitoribus sub graui culpa, est contra praxim sacri Tribunalis Inquisitionis, tam Roma, quàm Hispania.*

20 *Constitutiones pradicta, vtpotè Religioni fauorabiles, cùm summa ratio sit, qua facit pro Religione, extendi, & ampliari debent.*

21 *Non obstat, quod hinc possint prouenire multa incommoda Confessario, putà infamia, &c. quia bonum publicum, prout est bonum Religionis, praferri debet priuato, sicque meliùs continentur Confessarij in officio suo.*

22 *Benignior interpretatio in re dubia facienda est, minorque malitia prasumenda.*

23 *Verba, vel signa, quando possunt habere bonum, vel malum sensum, potiùs sunt interpretanda in bonum, quam in malum sensum.*

24 *Laudare personam pœnitentem de pulchritudine, de gratia, de venustate, & de morum elegantia, potest habere bonum, & malum sensum: At secùs est in casu nostro, quia sola confabulatio cum fœmina in deteriorem partem interpretatur: Et meritò, quia peccatum carnis est peccatum valdè lubricum.*

25 *Illud glossa de Clerico amplectente fœminam, scilicet quod prasumitur non ex libidine, sed ex animo illam benedicendi facere, est prorsus ridiculum.*

26 *Confessarius est denunciandus, prasertim post constitutionem Gregorij XV. & decretum Alexandri VII. si laudet pœnitentem ex pulchritudine, vel venustate, &c. dummodo non constet, vel prasumatur rationabiliter, quod sic laudauerit absque fine, vel intentione prouocandi ad actus inhonestos: vt si diceret, eam iniuriam facere sua pulchritudini, prostituendo se aliis, &c.*

27 *Confessarius est denunciandus, si pœnitenti verba dubia, vel factum, aut signum dubium protulerit, quia prater rationes supradictas, stante tali dubio, possunt Inquisitores vocare, & interrogare Confessarium, quanam intentione verba, vel signa illa dubia protulerit; aliàs enim frustrà daretur iis iurisdictio in dicto crimine, si id non possent.*

AFfirmant satis probabiliter (ita vt sic censeant consulendum in praxi) Io. Sanchez *cit. disp.* 11. *num.* 22. Acugna *de Confess. sollicit. quast.* 7. *per totam*, Fagundez *de pracept. Eccles. in edit. nouissima, part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *numero* 52. Nauarrus *in summa Bullar. titulo de sollicit. in Confession. numero* 4. Trullench. *in Decalog. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 18. *numero* 17. Leander de Sacrament. *tom.* 1. *tract.* 5. *disput.* 13. *quast.* 12. Alphons. de Leon *de censur. recollect.* 4. *vers. sollicitantes*, Possius *de Iubilao, in Append. de Confess. sollicit. dub.* 18. *numero* 55. Trimatch. *de Confess. sollic. disput.* 2. *sect.* 7. *numero* 44. Bordonus *in S. Tribunali, cap.* 23. *quast.* 2. *numero* 14. Carena *tract. de Offic. Inquisit. part.* 2. *tract.* 6. §. 6. *numero* 37. Philippus de Bictis *in praxi causar. iudiciar. Regular. cap.* 3. *tractat.* 11. *quast.* 122. *numero* 37. & Seraphin. Freytas *quast.* 7. *numero* 33. Quia licèt v.g. calcare pedem, vel brachium, tangere manum, vel mammillam fœminæ, digitos intorquere, vellicare, fœminam in fronte, vel in mano osculari, & similia in genere castitatis, cùm ob solam delectationem, quæ exinde sequitur, absque vlteriori fine, & absque periculo pollutionis, & consensus ad copulam, efficiuntur, ob paruitatem materiæ sint peccata venialia, Salas 1. 2. *tom.* 2. *quast.* 74. *tract.* 13. *disputat.* 6. *sect.* 10. *numero* 146. Thomas Hurtadus *tom.* 2. *tract.* 4. *cap.* 8. *resolut.* 65. §. 2. *numero* 927. & §. 3. *numero* 932. & *seqq.* Seraphin. Freytas *loco suprà citato, numero* 28. Nauarrus *in summa, cap.* 14. *q.* 31. & complures alij, quos citat, & sequitur Thomas Sanchez *de matrim. lib.* 9. *disputat.* 47. *numero* 16. Nihilominus, si hæc fiant in Confessione, ante, vel post immediatè, ob irreuerentiam Sacramento factam, sunt peccata mortalia contra Religionem, quemadmodum licèt sumere quid modicum cibi, sit peccatum veniale in materia temperantiæ; nihilominùs illud sumere ante sumptionem Eucharistiæ, est sacrilegium graue in materia Religionis. His tamen non obstantibus 1

2

Respondetur, non omninò improbabile esse contrarium, quod tenent Portell. *in Addit. ad dubia Regular. verb. sollicitare fœminas, n.* 4. Sousa *de Confess. sollicit. tract.* 1. *cap.* 1. *num.* 7. & *in Aphor. Inquisit. lib.* 1. *cap.* 33. *n.* 4. Lupus *de Edict. Inquisit. par.* 1. *lib.* 5. *dist.* 2. *art.* 1. *difficult.* 3. Gaspar Hurtadus *de Iustitia, tractat. de Iudic. forens. disput.* 2. *difficult.* 7. & Ioseph de Ianuario *de casib. reseru. resol.* 56. *per totam.* Quia peccata de se venialia in materia castitatis, eo quòd fiant in Sacramento Pœnitentiæ, non redduntur mortalia contra Religionem, neque de iure naturali, & diuino, neque de iure positiuo Pontificiarum Constitutionum: Ergo, &c. Consequentia patet. Antecedens quoad partem priorem etiam patet, quia aliàs quodlibet peccatum veniale in materia iustitiæ, patientiæ, vel humilitatis, &c. in Sacramento pœnitentiæ factum, cùm æquè de iure naturali, & diuino omnia hæc prohibeantur, esset mortale sacrilegium in materia 3

Cistercienſibus, apud Rodrig. *in compend. quæſt. Regular. reſol. 57. n. 3.* propter Deciſiones tamen dictas, & propter praxim Eccleſiæ, Monialis de Religione eiectio nullatenus admitti debebit.

5 Et quod dixi, adeò verum eſt, vt nec etiam ad aliud Monaſterium eiuſdem Religionis, Monialis correctionis, vel punitionis gratiâ, inconſulta Sede Apoſtolica, transferri debeat. Quia quamvis de Iure communi id vetitum non ſit, quinimò aliquo modo permiſſum *in cap. Quoniam, de ſimonia*, & teneant præter alios Sanchez *vbi ſuprà, cap. 25. num. 47.* Rodrig. *tom. 1. quæſt. Regular. q. 49. art. 5.* Bonac. *loco ſuprà cit. n. 12.* & Portell. *in dub. regul. verb. clauſur. Monialium, n. 21.* Nihilominus contrarium, teſte Barboſa *in collectan. Bullar. verb. Monialium tranſlatio* 8. & Tambur. *cit. diſp. 31. q. 3. n. 4.* declaraſſe videtur Sacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium, per hæc verba: [Monialem nullam ſibi ſubiectam ex vno Monaſterio ad aliud tranſmittere poſſunt locorum Ordinarij, vel Superiores Regulares, etiam ex cauſa ſeditionis, vel incorrigibilitatis, vel criminis perpetrati.] Vult ergo prædicta Sacra Congregatio, quod Monialis incorrigibilis, criminoſa, vel ſeditioſa, in proprio Monaſterio puniatur.

6 Et pro caſo tranſlationis Monialis ex vno ad aliud Monaſterium pro Inſtitutione Nouitiarum in illud introducendarum, teſte eodem Barboſa *loco ſuprà citato, & de Offic. & poteſt. Epiſcop. allegat. 101. num. 26.* hæc etiam declarauit eadem Sacr. Congregatio Epiſcoporum, & Regularium in vna Tortonenſi, anno 1603. Moniales ab vno Monaſterio non transferant locorum Ordinarij, vel Superiores Regulares in Monaſterium recenter erectum pro Nouitiarum in illud introducendarum inſtitutione, niſi obtenta à Sede Apoſtolica, vel à Sacra Congregatione ſpeciali facultate.]

7 Et pro caſo conceſſo tranſlationis Monialis ex vno ad aliud Monaſterium, hæc etiam, teſte eodem Barboſa *vbi ſuprà*, declarauit prædicta Sacra Congregatio. [Moniales, vbi ad aliud Monaſterium ex iuſta cauſa transferendæ ſunt, tranſlatio debet fieri in aurora, vt illæ à paucis conſpici poſſint, atque à perſonis grauibus, & honeſtis, & ſanguine eis proximioribus deducantur.] At de hiſ, & ſimilibus, vide quæ diffusè dicebam *in tractatu de clauſura Monialium, cap. vlt. de immunit. & Iuriſdict. Eccleſiaſt.*

ADVERTENDVM XII.

Quid ſi de Summi Pontificis licentia, tanquam incorrigibilis, eiecta fuerit, ad quid extra clauſtra teneatur?

SVMMARIVM.

1 *Moniales caſu quo ex conceſſione Pontificis à Religione ejiciantur, tenentur ad obſeruationem Regula, & votorum. Totumque dicendum eſt de Moniali eiecta, ac de eiectis viris Religioſis.*

1 ADuerte duodecimò, quod in caſu, quo de Summi Pontificis licentia Monialis è Religione ejiciatur, quoad obligationem Regulæ, votorum, obſeruationum, &c. idem dicendum ſit de eiecta Moniali, ac dictum eſt *ſuprà* de eiectis viris Religioſis.

DVBITATIO CCXXXVII.

Quidnam dicendum de Confeſſario ſollicitante, ſeu ad Venerem excitante?

REſpondetur: De hac re, præter Bullas Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. extat nouiſſimè Bulla Gregorij XV. in qua illæ confirmantur, & ampliantur, tenoris ſequentis.

GREGORIVS PAPA XV.

Ad futuram rei memoriam.

VNiuerſi Dominici Gregis curam, eamque immeriti, cœleſti diſpoſitione gerentes, ſedulò inuigilare tenemur, vt ab omnibus prauis contagiis conſeruetur immunis, multóque maiori ſtudio prouidere, vt omnis peſtis ab iis auertatur, quibus alios ſanandi officium eſt commiſſum, ne quod Euangelica ſcripta nos admonent ſale infatuato, non ſit in quo ſaliatur, & ad nihilum proſit vltrà, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.

§. 1. Quoniam autem à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris quibuſdam in locis prouiſum fuit, vt impium, ac nefandum ſcelus, quod non ſolùm inter Chriſti fideles non eſſe, ſed nec etiam nominari debet, procul ab iis arceatur, videlicet vt aliquis Sacerdos ad audiendas confeſſiones deputatus, Sacroſancto Pœnitentiæ Sacramento, ſollicitando pœnitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aſpidem porrigat, cœleſti medico infernalis veneficus, & ex patre ſpirituali, proditor execrabilis animarum reddatur. Idcircò Nos ea, quæ his pernicioſiſſimis diaboli inſidiis arcendis certis in locis ſalubriter conſtituta ſunt, vt nullibi deſiderentur, quantum ex alto conceditur, prouidere duximus.

§. 2. Alias ſiquidem à fel. rec. Pio Papa IV. Prædeceſſore noſtro emanarunt literæ tenoris ſubſequentis, videlicet. Pius Papa IV. Venerabili Fratri Archiepiſcopo Hiſpalenſi, in Regno Hiſpaniæ hæreticæ prauitatis Inquiſitori Generali. Cùm, ſicut nuper, non ſine animi noſtri moleſtia accepimus, diuerſi Sacerdotes in Regnis Hiſpaniarum, atque etiam in Ciuitatibus, & Diœceſibus curam animarum habentes, ſiue eam pro aliis exercentes, aut aliàs audiendis confeſſionibus Pœnitentium deputati, in tantam prorupertint iniquitatem, vt Sacramento Pœnitentiæ in actu audiendi Confeſſiones abutantur; nec illi, vt qui in eo inſtituti ſunt, Domino Deo, & Saluatori noſtro Ieſu Chriſto iniuriam facere vereantur, mulieres videlicet pœnitentes ad actus inhoneſtos, dum earum audiunt confeſſiones, alliciendo, & prouocando, ſeu allicere, & prouocare tentando, ac loco earum per Sacramentum huiuſmodi Creatori noſtro reconciliationis, grauiorum peccatorum mole eas onerando, & in manibus diaboli tradendo, in diuinæ Maieſtatis offenſam, animarum perniciem, & Chriſti fidelium ſcandalum non modicum. Nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de fide catholica rectè ſentiunt, Sacramentis ab Eccleſia Dei inſtitutis abutantur, aut illis iniuriam faciant, fraternitati tuæ, de cuius eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimùm in Domino confidimus, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus per te, vel alium, ſeu alios à te deputandum, ſeu deputandos, contra omnes, & ſingulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum Ciuitatum, & Diœceſum de præmiſſis quomodolibet diffamatos, tam ſæculares, quàm quoſuis etiam exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectorum Ordinum Regulares, cuiuſcumque dignitatis,

dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existant, tam super præmissis, quàm super fide Catholica, & quid de ea sentiant, diligenter inquiras; & iuxta facultatem tibi contra hæreticos, aut de hæresi quouis modo suspectos à Sede Apostolica concessarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos iuxta excessuum suorum qualitatem, prout de iure fuerit faciendum, debita præcedente degradatione, sæcularis Iudicis arbitrio puniendos tradas. Non obstantibus, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 16. Aprilis, anno Domini 1561. Pontificatus nostri anno secundo.

§. 3. Igitur vt literæ prædictæ perpetuis futuris temporibus, & vbique locorum inuiolabiliter obseruentur, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, ac de consilio venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium contra hæreticam prauitatem generalium Inquisitorum, præinsertas literas huiusmodi, ac omnia, & singula in eis contenta Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, illasque non solùm in prædictis Hispaniarum Regnis, sed in quibusvis Christiani orbis partibus firmiter, & inuiolabiliter obseruari præcipimus & mandamus.

§. 4. Ac præterea, ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo contra eosdem procedendi ab aliquo dubitari possit, statuimus, decernimus, & declaramus, quod omnes, & singuli Sacerdotes, tam sæculares, quàm quorumvis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum regulares, cuiuscumque dignitatis, & præeminentiæ, aut quovis priuilegio muniti existant, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, siue inter se, siue cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confessionis, siue ante vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu Confessionis huiusmodi, etiam ipsa confessione non secuta, siue extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut in loco quocumque, vbi confessiones Sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem audire, sollicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint, in Officio S. Inquisitionis seuerissimè, vt infrà, puniantur. Et præterea omnes hæreticæ prauitatis Inquisitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum, Dominiorum, & locorum vniuersi orbis Christiani, in suis quemque Diœcesibus, & Territoriis per has nostras literas, etiam priuatiuè quoad omnes alios specialiter, ac perpetuò Iudices delegamus, vt super his contra prædictos simul, vel separatim in omnibus, prout in causis fidei, iuxta sacrorum Canonum formam, necnon Officij Inquisitionis huiusmodi constitutiones, priuilegia, consuetudines, & Decreta diligenter inquirant, & procedant: & quos in aliquo ex huiusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumstantiis, suspensionis ab executione ordinis, priuationis beneficiorum, dignitatū, & officiorum quorumcunque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, necnon vocis actiuæ, & passiuæ, si regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes, & carceres etiam in perpetuum absque vlla spe gratiæ, aliasque pœnas decernant, eos quoque, si pro delicti enormitate grauiores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione Curiæ sæculari puniendos tradant.

§. 5. Dantes etiam facultatem venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & Generalibus Inquisitoribus. ne delictum tam enorme, Ecclesiæ Dei tam perniciosum, remaneat ob probationum defectum impunitum, cùm difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis, delictum probatum esse arbitrio suo iudicandi, & Curiæ sæculari, vt præfertur, reum tradendum esse pronunciandi.

§. 6. Non obstantibus omnibus, quæ dictus Prædecessor in suis literis prædictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Mandantes omnibus Confessariis, vt suos Pœnitentes, quos nouerint fuisse ab aliis, vt suprà, sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu vt præfertur, tractantes, Inquisitoribus, seu locorum ordinariis prædictis: quod si hoc officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum confessarios sollicitantes, seu tractantes, vt suprà, iidem locorum Ordinarij, & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant.

§. 8. Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsùs fides in iudicio, & extra vbique habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 9. Quodque eædem præsentes literæ, seu illarum exempla, ad Valuas Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie campi Floræ affixæ, omnes ita arctent, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 30. Augusti M. DC. XXII. Pontificatus nostri anno secundo.

Declarationes factæ per Sacram Congregationem Eminentissimorum Cardinalium Inquisitorum generalium hæreticæ prauitatis super dictam Bullam, & transmissæ ad Archiepiscopum Auenionensem, die 27. Octobris anno 1624.

Molto Illustrissimo, è Reuerend. Signore. Dopo esser si hauuta lunga, è matura consideratione sopra il dubio significato da diuerse bande, si i Penitenti sono obligati à denuntiare i Confessori, da quali sono stati sollecitati nel luogo, ò atto della confessione, quando hanno consentito alla sollicitatione. Nostro Signore, è questi miei Signori Illustrissimi in Congregatione auanti sua Santità, à 25. di Luglio passato, dopo hauere anco inteso il parere di vna particolare Congregatione deputata per questo effetto, hanno resoluto, che qualsiuoglia Penitente è tenuto à denunciare il Confessore, ancorche l'habbia consentito, è non è tenuto à propalare il proprio consenso, nè sopra ciò s'interroghi dal Vescouo, ò Inquisitore, ò da loro Vicarij, auanti i quali deporrà la confessione; procedendosi poi contra di lui ne i costituti, che se gli faranno. Non s'interroghi sopra detto consenso, & in caso ch' egli volesse dirlo da se, non si scriua il suo detto, come cosa in ordine alla persona sollicitata, non spettante al Santo Officio. Le parti dunque di V. S. sono il significare la detta risolutione à i confessori, & incaricargliene strettamente l'osseruanza, acciò ne i casi che occorrono alla giornata, conforme al tenore della constitutione publicata da Gregorio XV. san. mem. contra i Confessori sollicitanti, significhino à i penitenti l'obligo, che hanno di denunciare i confessori, da quali saranno sollicitati; & hauendoli consentito, è facendo difficoltà in scoprire il proprio consenso conforme alla risolutione, che s' è fatta, li dichiari apertamente, che non sono tenuti à propalare il detto consenso, è che tanto essi Penitenti, quanto i Confessori sollicitanti, procedendosi contra di loro, non saranno di ciò interrogati, è dicendolo da se, non si ritenerà, ne scriuerà il detto. E quando tutta via

il Penitente persistesse nella medesima remitenza, Nostro Signore si contenta, che dal Vescouo ò dall' Inquisitore si dia auctorità al confessore di riceuere per scrittura, è con giuramento la denuncia, per portarla subito à chi l'hauera data autorità di pigliarla, ò si oltre le sudette cose occorrera altro caso graue, per le quale non si possa indurre il Penitente à denunciare, vuole sua Santità che se ne scriua quà, è s' aspetti la risposta, & intanto si soprasieda nell' assolutione di esso. E tanto si contenterà V.S. di far'oseruare nella sua Diocese, facendo registrare la presente ne gli atti di cotesta Corte per informacion sua, è de suoi successori, che deuranno hauer mira, che la presente risolutione risguarda solo quei Penitenti, che per hauer consentito, fanno difficolta in denunciare; ma à quei, che non hanno consentito, ò hauendo consentito, non sono in ciò renitenti, non deue il confessore porre difficoltà alcuna, mà lasciare, che liberamente, & indifferentemente sodisfaccino all' obligo, che hanno di denunciare conforme alla sudetta constitutione, è per fine il Signor Iddio conceda à V. S. ogni altra prosperità maggiore. Di Roma li 27. di Settembre 1624. Di V.S. Affettionatissimo per seruirla, Il Cardinal Millino.

Vbi cum Peyrino in *Priuileg. Minim. tom.2. constit. 4. Gregory XV. §. 9. n. 34.* aduerte, quod die 3. Octobris anno 1626. omnibus Archiepiscopis, & Vicariis generalibus datæ fuerint literæ Cardinalis Millini subscriptæ, per quas dictis Ordinariis de mandato Vrbani VIII. præcipitur, vt omnibus Sacerdotibus, tam Regularibus, quàm Sæcularibus ad confessiones audiendas approbandis, in actu ipso approbationis dicta Bulla Gregorij XV. præsertim §. nonus, qui incipit, *Mandantes*, legatur, & intimetur ad hoc, vt eodem tempore Confessarij sciant pœnas impositas sollicitantibus, & quod ipsi Confessarij non hortantes, vti debent, pœnitentem sollicitatum, quod denunciet, vel docentes, quod non teneatur denunciare, ab Inquisitoribus punientur.

Vt autem in hac dubitatione resoluenda distinctius procedamus, sit

---

SECTIO PRIMA.

SVPPOSITA.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitori Generali Hispaniarum Pius IV. solùm tribuit iurisdictionem cognoscendi, & puniendi per se, vel per alium à se deputatum delinquentes Sacerdotes Regnorum Hispaniæ, tam Sæculares, quàm Regulares, abutentes Sacramento Pœnitentiæ in actu audiendi confessiones, scilicet Pœnitentes mulieres ad actus inhonestos alliciendo, & prouocando, &c.*

2 *Clemens VIII. solùm statuit, quod Inquisitor Generalis in Regnis Hispaniarum procedere possit contra quoscumque Presbyteros Sæculares, & Regulares in Sacramento Pœnitentiæ, seu in actu confessionis Sacramentalis sollicitantes mulieres pœnitentes ad peccata carnis, vel ad impudicitiam, sicut & in aliis causis ad sanctæ Inquisitionis Officium pertinentibus, etiam priuatiuè quoad superiores Regulares cuiuscumque Ordinis.*

3 *Gregorius XV. in sua constitutione aduersus sollicitantes vbique terrarum primò confirmat constitutionem Pij IV. eamque firmiter, & inuiolabiliter obseruari præcipit, & mandat.*

4 *Idem decernit secundò, quod omnes, & singuli Sacerdotes, tam exempti, quàm non exempti, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, siue inter se, siue cum aliis, quomodocumque perpetranda in actu Sacramentalis Confessionis, siue ante, siue post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis huiusmodi, etiam ipsa confessione non secuta, &c. sollicitare, vel prouocare tentauerint, aut inhonestos sermones cum eis habuerint, in Officio sanctæ Inquisitionis seuerissimè puniantur.*

5 *Item remittit tertiò cognitionem huius delicti, tam Inquisitoribus, quàm locorum Ordinariis simul, vel separatis.*

6 *Culpabiles reperti in huiusmodi prauis excessibus, decernit quartò, quod præter abiurationem de hæresi, pro criminum qualitate, & circumstantiis puniendi sint suspensione ab executione Ordinis, priuatione beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcumque, & perpetua inhabilitatis ad illa, &c. vltimò triremium, & perpetua degradationis.*

7 *Sollicitare in confessione ad actus inhonestos ob iniuriam, quæ infertur Sacramento, est sacrilegium.*

8 *Sacrilegium est delictum, cui potest imponi pœna depositionis.*

9 *Sollicitatio huiusmodi refertur quodammodo ad peccatum incestus secundùm aliquos, cùm sit cognoscere carnaliter filiam spiritualem: at incestus est dignus depositione.*

10 *Sollicitanti filiam spiritualem, vltra pœnam depositionis, imponi debet duodecim annorum peregrinatio, & tandem vt in Monasterio Deo seruiat per totam vitam.*

11 *Textus* in cap. si quis Sacerdos, 30. q. 1. *mentionem quamvis faciat solùm de filia spirituali, quam Sacerdos in Sacramento Baptismi, vel Confirmationis tenuit; nihilominus idem dici debet, si cognoscat eam carnaliter, quæ per Pœnitentiæ Sacramentum facta est filia spiritualis.*

12 *Datur quintò in dicta constitutione Gregoriana facultas Eminentissimis Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, testibus etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis delictum probatum esse, arbitrio suo iudicandi, &c.*

13 *Item Gregorius VI. ibi mandat omnibus Confessariis, vt suos Pœnitentes, quos nouerint, vt suprà, ab aliis fuisse sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes. Secus facientes ab Inquisitoribus, vel Ordinariis, si constiterit de huiusmodi negligentia, pro modo culpæ puniantur.*

14 *Sollicitatio ad venerem tantùm præcauetur in dictis constitutionibus; non tamen sollicitatio ad alia delicta.*

15 *Sollicitatio ad venerem, quæ in huiusmodi constitutionibus prohibetur, est sollicitatio ad actus turpes, non solùm integros, & completos, vt copula, sed etiamsi non sint integri, & completi, vt oscula, tactus, amplexus, &c.*

16 *Sollicitatio mulieris tantùm præcauetur in constitutionibus Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. at in Gregoriana sollicitatio cuiuscumque personæ.*

17 *Sacerdos Pœnitentem sollicitans in confessione, ex constitutionibus Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. veniebat tantùm puniendus: At in Gregoriana venit puniendus Pœnitentem sollicitans, aut cum eo inhonesta tractans, siue in confessione, siue extra, ante vel post immediatè, siue in confessionario, siue loco confessionibus deputato, siue alibi confessiones audire simulans.*

18 *Denunciandi Confessarium obligatio nulla imponitur Pœnitenti in Bullis Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. præter eam, quæ de Iure naturæ insita est: at in Gregoriana præsupponitur, quod pœnitens confessarium se sollicitantem denunciare teneatur, & quod Confessarius moneat Pœnitentem de tali obligatione.*

19 *Pœnitentes tenentur sub mortali denunciare Inquisitoribus*

quisitoribus Sacerdotem sollicitantem, ita vt alioquin non possint absolui, nec etiam à Confessarijs quantumcunque priuilegiatis.

20 *Pœnitens, qui in periculo mortis absoluitur per Confessarium ab excommunicatione reseruata, cum obligatione, si superuixerit, præsentandi se postea suo Superiori, tenetur sub mortali se præsentare, quando commodè poterit.*

21 *Confessarius tenetur monere Pœnitentem, qui post votum castitatis contraxit matrimonium, de obligatione non petendi debitum, & pœnitens tenetur sub mortali non petere, sed solùm reddere.*

22 *Sollicitati in aliquibus Prouinciis adsunt statuta, quod non possint absolui, nisi denuncient Confessarios à quibus sunt sollicitati; vigetque ibi talis consuetudo, quæ est optima legis interpres.*

23 *Confessarius non declarans pœnitenti obligationem, quam habet denunciandi, si fuerit ab aliquo Sacerdote sollicitatus, & multò magis eidem pœnitenti dicens, quod non tenetur denunciare, potest pro qualitate culpa puniri.*

24 *Criminis huiusmodi cognitio ex constitutionibus Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. solùm committitur Inquisitori Generali Hispaniarum, & ab eo deputatis: at in Gregoriana imponitur omnibus Inquisitoribus totius mundi Christiani.*

25 *Constitutio Gregorij XV. secundùm aliquos non obligat in Hispania; quia ibi non fuit publicata, neque fuit vsu recepta: noluerunt enim Inquisitores Hispaniæ eam acceptare, quæ in hac parte eorum derogat iurisdictionem ab aliis Pontificibus concessam.*

26 *Constitutiones Pontificiæ Romæ publicatæ post sex menses obligant in Hispania.*

27 *Constitutiones Pontificiæ neque validè, neque licitè possunt non recipi.*

28 *Constitutio Gregorij XV. non derogat consuetudini, & Priuilegio Apostolico, quæ adsunt in Regnis, & locis, vbi est Inquisitio Hispanica.*

1 SVppono primò, quod Pius IV. anno 1561. in constitutione, quæ incipit: *Venerabili Fratri Archiepiscopo Hispalensi Hispaniarum hæreticæ prauitatis Inquisitori Generali*, apud Paramum *de origine Inquisitionis, lib. 3. q. 10. in fine*, & Cotiolanum *de casibus reseruat. 1. part. sect. 2. art. 11.* solùm tribuit Hispaniarum Inquisitori generali iurisdictionem cognoscendi, & puniendi per se, vel per alium à se deputatum delinquentes Sacerdotes Regnorum Hispaniæ, tam Sæculares, quàm Regulares, qui Sacramento Pœnitentiæ in actu audiendi confessiones abutuntur, mulieres scilicet pœnitentes ad actus inhonestos, dum earum confessiones audiunt, alliciendo, & prouocando, seu allicere, & prouocare tentando, & prouocando; super iis autem subdit Pontifex: [Diligenter inquiras, & iuxta facultatum tibi contra hæreticos, aut de hæresi quouis modo suspectos à Sede Apostolica concessarum continentiam, & tenorem procedas.]

2 Suppono secundò, quod postea Clemens VIII. anno 1592. & Paulus V. in alia sua constitutione apud Paramum, & Cotiolanum *in locis suprà citatis*, vt refertur in Decreto supremi Senatus Inquisitionis Hispaniarum, solùm statuit, quod Inquisitor Generalis in Regnis Hispaniarum procedere possit contra quoscumque Presbyteros Sæculares, & Regulares in Sacramento Pœnitentiæ, seu in actu confessionis Sacramentalis sollicitantes mulieres pœnitentes ad peccata carnis, seu ad impudicitiam, sicut & in aliis causis ad Sanctæ Inquisitionis Officium pertinentibus, vt hactenus fecit, etiam priuatiuè quoad superiores Regularium cuiusuis Ordinis, & Congregationis, etiamsi Mendicantium existant: Ipsique Regulares non eximantur ab onere denonciandi huiusmodi delinquentes eidem Sanctæ Inquisitionis Officio, quemadmodum in aliis casibus, & causis eiusdem Sanctæ Inquisitionis Officij, in quibus alij Christi fideles de iure tenentur.

3 Suppono tertiò, quod post Pium IV. Clementem VIII. & Paulum V. Gregorius XV. tandem an. 1622. in sua Constitutione aduersùs Sacerdotes sollicitantes vbiuis terrarum primò confirmat constitutionem Pij IV. quam *suprà* referebam, illamque non solùm in prædictis Hispaniarum Regnis, sed etiam in quibuscumque Christiani orbis partibus firmiter, & inuiolabiliter obseruari præcipit, & mandat.

4 Secundò, ne de pœna bis delinquentibus imponenda, & de modo procedendi quis dubitare possit, decernit quod omnes, & singuli Sacerdotes, tam exempti, quàm non exempti, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, siue inter se, siue cum aliis quomodocumque perpetranda in actu Sacramentalis confessionis, siue ante, siue post, immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis huiusmodi, etiam ipsa confessione non sequuta, siue extra occasionem confessionis in confessario, vel in loco quocumque, vbi confessiones Sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint, in Officio sanctæ Inquisitionis seuerissimè puniantur.

5 Tertiò, opponit modum cognoscendi de tali delicto: Remittit enim eius cognitionem, tam Inquisitoribus, quàm locorum Ordinariis simul, vel separatis, ibi: [Omnes hæreticæ prauitatis Inquisitores, & locorum Ordinarios vniuersi Orbis Christiani in suis quemque Diœcesibus, & Territoriis per has nostras literas, etiam priuatiuè quoad omnes alios specialiter, ac perpetuò iudices delegamus, vt super his contra prædictos simul, vel separatim in omnibus, prout in causis fidei, iuxta sacrorum Canonum formam, necnon Officij Inquisitionis constitutiones, &c. diligenter inquirant, & procedant.]

6 Quartò, qui in aliquo ex huiusmodi prauis excessibus culpabiles fuerint reperti (præterquam quod tanquam suspecti de hæresi ad abiurandum cogi debent, vti suprà loco suo probabam, pro criminum qualitate, & circunstantiis puniendi sint, suspensione scilicet ab executione Ordinis, priuatione beneficiorum, dignitatum, & Officiorum quorumcunque, & perpetuæ inhabilitatis ad illa, necnon vocis actiuæ, & passiuæ, si Regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes, carceris perpetui: Quin si pro delicti grauitate maiores pœnas meruerint, debita degradatione præcedente Curiæ sæculari puniendi tradantur.

7 Et meritò, quia sollicitare in confessione ad actus inhonestos ob iniuriam, quæ infertur Sacramento, est sacrilegium. Azor. *tom. 1. lib. 9. cap. 28.* & Baiardus 8 *ad Clarum, §. sacrilegium, n. 1. & seqq.* At sacrilegium est delictum, cui potest imponi pœna depositionis. Rebuff. *in pract. part. 3. tit. de mod. amittend. Benef. n. 46.* & Bermondus *in pract. c. 81. n. 2.* Ergo, tum quia talis sollici- 9 citatio, cùm præsertim cognoscere carnaliter filiam spiritualem sit incestus, ad mentem Menochij *de arbitr. centur. 6. cas. 102. n. 29.* Deciani *in Tract. crimin. lib. 6. cap. 23. n. 1.* Bermondi *de public. concubin. rubr. de incestis, n. 23.* Roderici *tom. 2. quæst. regul. q. 27. art. 1.* & aliorum, refertur saltem quodammodò ad peccatum incestus: At peccatum incestus est dignum depositione. Bermondus *in pract. cap. 84. n. 2.* & alij quos sequitur Farinac. *in pract. crim. q. 149. n. 53.* Ergo.

10 Et in particulari, quod peccatum commissum cum filia spirituali sit puniendum pœna depositionis, habetur *in cap. si quis Sacerdos 30. q. 1.* ibi: [Si quis Sacerdos cum filiabus spiritualibus fornicatur, graue delictum committit, & qui huiusmodi malum exemplum præbet hominibus, ab omni officio deponitur, & peregrinando duodecim annos pœnitere debet, & tandem

ad

ad Monasterium eat, vbi per totum vitæ tempus Deo seruiat.] Quod idem tradunt Abbas in *cap. at si clerici, de Indic. n. 35.* Berous *n. 169.* Butr. *n. 13.* Guttier. *lib. 2. canonic. cap. 7. n. 60.* & Farin. *in pract. crim. q. 137. n. 27.*

21 Et quamvis *in dict. c. si quis Sacerdos*, mentio fiat solùm de filia spirituali, quam Sacerdos in Sacramento Baptismi, vel Confirmationis tenuit, iuxta textum *in cap. 1. §. ex datione, de cognat. spiritual. in 6.* Nihilominùs idem dici debet, si cognoscat carnaliter eam, quæ per Pœnitentiæ Sacramentum facta est filia spiritualis, *ex cap. fin. de cognat. spiritual. in 6.* & *ex c. omnes, 30. q. 1.* ibi: [Omnes quos in Pœnitentia accipimus, ita filij nostri sunt, vt in Baptismate suscepti.] Et notant præter alios Rodericos *tom. 1. quæst. Regul. q. 27. art. 1.* & Grassius *lib. 2. de casibus reseruat. cap. 12. n. 21.*

22 Quintò, datur facultas Eminentissimis Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei tam perniciosum ob probationum defectum, cùm difficilis probationis sit, impunitum remaneat, testibus etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis, delictum probatum esse, arbitrio suo iudicandi, & Curiæ sæculari, sicuti dicebam, reum tradendum esse pronunciandi.

23 Sextò, mandat omnibus Confessariis, vt suos pœnitentes, quos nouerint ab aliis, vt suprà, fuisse sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu vt dicebam, tractantes Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis prædictis: quod si facere prætermiserint, vel pœnitentes docuerint, quod non teneantur ad denunciandos Confessarios sollicitantes, seu tractantes, vt suprà; iidem locorum Ordinarij, & Inquisitores pro modo culpæ eos punire non negligant.

24 Suppono quartò, quod in prædictis constitutionibus solùm præcauetur sollicitatio ad venerem, non tamen sollicitatio ad alia delicta, tametsi grauiora sint; quia non est æquè periculum de sollicitatione ad ista, ac est de sollicitatione ad venerem.

25 Cæterùm sollicitatio ad venerem, quæ in huiusmodi constitutionibus prohibetur, & punitur, est sollicitatio ad actus turpes, non solùm si sint integri, & completi, vt copula; sed etiam si non sint integri, & completi, vt oscula, tactus, amplexus, &c. siue fiat factis, siue fiat verbis, non solùm expressis, sed etiam tacitis, & occultis: sic Doctores communiter, quos sequitur Paramus *q. 10. n. 116. & seqq.* & Rodericus Acugna *de confess. sollicit. n. 14.* Qui rectè subdunt, quod hîc sollicitare sumatur pro precari, rogare, allicere, vel procurare, &c. quomodò sumitur *in cap. per Inquisit. de elect.* & notat ibi præter alios Abbas *n. 5.*

26 Suppono quartò, quod in constitutione Pij IV. & in constitutione Clementis VIII. & Pauli V. solùm præcauetur sollicitatio mulieris: at in constitutione Greg. XV. præcauetur sollicitatio cuiuscumque personæ, ibi: [qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, &c.]

27 Suppono sextò, quod in constitutione Pij IV. & in constitutione Clementis VIII. & Pauli V. veniebat puniendus Sacerdos pœnitentem sollicitans, aut cum eo inhonesta tractans, siue in confessione, siue extra, ante vel post immediatè, siue in Confessionario, seu loco confessionibus deputato, siue alibi confessiones audire simulans.

28 Suppono septimò, quod in constitutione Pij IV. & constitutione Clementis VIII. & Pauli V. nulla, præter eam, quæ de iure naturæ insita est, imponitur Pœnitenti obligatio denunciandi Confessarium: at in constitutione Gregorij XV. præsupponitur, quod Pœnitens Confessarium sic sollicitantem denonciare teneatur; & insuper imponitur omnibus Confessariis, vt Pœnitentes suos de tali obligatione moneant, & certiores faciant. Vide *infrà, sect. 13. petit. 7.*

29 Quod etiam est signum, pœnitentes teneri sub mortali denunciare Inquisitoribus Sacerdotem sollicitan-
tem, itavt alioquin non possint absolui, nec etiam à
Confessariis, quantumcunque priuilegiatis. Rodericus
tom. 1. quæst. regal. q. 17. art. 1. & in sum. part. 1. cap. 207.
concl. 1. Acugna *q. 21.* & alij passim: sicut quia Con- 20
fessarius, qui in periculo mortis absoluit pœnitentem
ab excommunicatione reseruata, tenetur illum monere
de obligatione, si superuixerit, præsentandi se postea
suo superiori, pœnitens tenetur sub mortali se præsen-
tare quando commodè potuerit: item quia Confessa- 21
rius pœnitentem, qui post votum castitatis contraxit
matrimonium, tenetur monere de obligatione non pe-
tendi debitum, pœnitens etiam tenetur sub mortali
non petere, sed solùm reddere; ideoque in aliquibus 22
Prouinciis adsunt statuta Inquisitorum, vt sollicitati
non possint absolui, nisi denuncient Confessarios, à
quibus sunt sollicitati; vigetque ibi talis consuetudo,
quæ est optima legis interpres, *cap. cùm dilectus, de*
consuetud. & meritò; tum quia alioquin prædictæ Pon-
tificiæ constitutiones adeò rationabiles rarò conse-
quentur suum effectum, cùm vtplurimùm sollicitati
ex eo, quod non absoluuntur, inducantur ad denuncian-
dum: tum quia in se est transgressio præcepti in re
grauissima, & magni momēti pro religione Christiana.

Vbi aduerte, quod Confessarius non declarans pœ- 23
nitenti obligationem, quam habet denunciandi, si fuerit ab aliquo Sacerdote sollicitatus, & multò magis eidem pœnitenti dicens, quod non obligetur denunciare, possit ab Inquisitoribus pro qualitate culpæ puniri, sicut habetur in dicta constitutione Gregorij XV. & notat præter alios Sousa *in Aphor. Inquisit. lib. 1. c. 34. n. 73.* & Freytas *in addit. ad tract. de confess. sollicit. q. 21. n. 77.* Quas autem pœnas vltra peccatum incurrat pœnitens sollicitatus, si nolit denunciare Sacerdotem, qui in confessione ipsum sollicitauit? Vide *dubit. 25. per totam*, vide etiam Sousam *de confess. sollicit. tract. 2. cap. 19.* & Freytas in *nou. addit. ad tract. similiter de confess. sollicit. q. 20. n. 18.* & Sacræ Congregationis declarationem adiunctam ad constitutionem Gregorij XV. quam *suprà* referebam.

Suppono octauò, quod in Constitutione Pij IV. & 24
in constitutione Clementis VIII. sicut & Pauli V. talis criminis cognitio solùm committitur Inquisitori Generali Hispaniarum, & ab eo deputatis; at in constitutione Gregorij XV. imponitur omnibus Inquisitoribus totius Orbis Christiani, & Ordinariis locorum, simul, vel separatim.

Hinc nonnulli dubitant, an constitutio Gregorij 25
XV. obliget in Hispania, quia constitutio hæc in Hispania non fuit publicata: Tum quia esto fuerit publicata, non videtur esse vsu recepta; nam cùm in dicta constitutione Gregorij XV. Inquisitores Ordinariis locorum æquales efficiantur, noluerunt Inquisitores Hispaniæ hanc constitutionem, quæ ipsis in hac parte iurisdictionem à Pio IV. à Clemente VIII. sicut & à Paulo V. vt scilicet ipsi soli de hoc crimine cognoscant, concessam derogat, receptare.

At quantum spectat ad primam rationem, quod scili- 26
cet in Hispania prædicta Bulla Gregorij XV. non fuerit publicata, non potest esse in causa, quominus in Hispania obliget; quia ex communiori, & probabiliori sententia Doctorum sufficit, quod Romæ fuerit publicata, vt post sex menses in Hispania possit obligare.

Quantum autem spectat ad secundam rationem, quod 27
scilicet in Hispania non videatur esse vsu recepta. An hoc sit verum, & si verum, an potuerit fieri validè, nedum licitè, viderint ipsi, qui talem sententiā defendunt, & sequuntur; qua de re videri poterunt quæ diffusè dicebam *de immun. & iurisd. Eccl. tom. 2. c. 14. dub. 10.*

Potiùs dicerem, quod prædicta constitutio Grego- 28
rij XV. non deroget consuetudini, & Priuilegio Apostolico, quæ adsunt in Regnis, & locis, vbi est Inquisitio Hispanica: de qua re videri poterunt, quæ dicam *infrà, sect. 13. in fine, & sect. 19.*

SECTIO

SECTIO II.

An Inquisitoribus denunciari debeat Sacerdos fœminam, vel n arem ad actus inhonestos inducens?

SVMMARIVM.

1 *Obligatio denunciandi delinquentem, qui per correctionem fraternam non emendatur, metienda est per regulas generales correctionis, & denunciationis, de qua hîc non est sermo; sed de ea, qua oritur ex constitutionibus Pontificiis, & ex Inquisitorum edictis.*

2 *Constitutio Gregorij XV. in illis partibus, in quibus recepta est, absque dubio Sacerdos ad actus inhonestos marem sollicitans in confessione denunciari debet; quia Pontifex ibi non loquitur de fœminis solis, sed de quibuscumque pœnitentibus sollicitatis.*

3 *Persona nomen comprehendit marem, & fœminam, & dictio,* quæcumque, *superaddita facit, quod dispositio comprehendat omne genus personarum.*

4 *Inquisitores in Hispania satis probabiliter secundùm aliquos non habent ius cognoscendi de sollicitante mares; quia Bulla Gregoriana ibi non est vsu recepta, & catera constitutiones aliorum Pontificum loquuntur solùm de sollicitante fœminas.*

5 *Priuilegium iuri alterius quæsito derogans non debet extendi, sed potiùs limitari.*

6 *Metus Principis præsumitur in vniuersum non esse, quod ius tertij lædat.*

7 *Inquisitores Hispaniæ si possent priuatiuè de sollicitantibus mares, sicut & fœminas, cognoscere, non esset cur in edictis suis solùm de sollicitantibus fœminas loquerentur, & non per verba generaliter de sollicitantibus pœnitentes in genere.*

8 *Sollicitare marem, non obstat, quod sit grauius delictum, quàm sollicitare fœminam; quia sæpè lege grauiùs puniunt delicta minus grauia, quàm grauiora, vtpotè frequentiora.*

9 *Inquisitores in Hispania satis probabiliter etiam secundùm alios habent ius cognoscendi de sollicitante marem, ex constitutionibus Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. priuatiuè, sicut & de sollicitante fœminam; quia finis principalis horum Pontificum est in fauorem Sacramenti pœnitentiæ, vt scilicet puriùs, & honestiùs, & cum maiori animarum fructu administretur.*

10 *Finis alicuius constitutionis quando est fauorabilis, constitutio illa extendi potiùs, quàm limitari debet, præcipuè cum odium à fauore distingui non potest, vt contingit in hoc casu.*

11 *Constitutio, qua reseruantur fructus vacaturæ Episcopo mortuo, fauorabilis appellatur, quia principaliter edita est in fauorem Episcopi, vt debita persoluat, quamuis redundet in damnum eorum, quibus obuenire debebat.*

11 *Lex, priuilegium, & qualibet alia dispositio, saltem si simus in casibus eiusdem rationis, & dispositio sit fauorabilis, extendi debet ad casum, vbi est eadem, vel maior ratio.*

13 *Constitutiones Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. & Inquisitorum Edicta loquuntur solùm de sollicitantibus fœminas, quia leges attendunt ad ea, quæ frequentiùs contingunt: At Gregorius XV. ad maiorem cautelam, & ad tollendam omnem prorsus dubitationem exprimit etiam mares.*

14 *Constitutio Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. loquitur de Confessariis in actu Confessionis sollicitantibus fœminam, consequenter non est extendenda contra sollicitantes marem; masculinum enim non includitur sub fœminino, sicut fœmineum, præsertim in pœnalibus, & odiosis, non includitur sub maculino.*

15 *Moniales professa, eisque nubentes, & accipientes illas in vxores, licèt excommunicentur* in Clem. vnica de consanguinit. & affinit. *& excommunicentur etiam professi contrahentes matrimonium; non tamen si aliqua mulier sæcularis contraheret matrimonium cum Professo, incurreret etiam excommunicationem, sicut incurreret mas contrahendo matrimonium cum moniali.*

16 *Cogentes mulierem ad Ingrediendum monasterium, licèt excommunicentur in Concilio Tridentino* sess. 25. de Regularibus, cap. 8. *Non tamen excommunicantur qui cogunt marem ad idem.*

17 *Pœna grauior imponitur pro delicto minori, quàm imponatur pro maiori, si scilicet illud frequentiùs committatur.*

18 *Leges, & statuta feruntur ob id, quod communiter, non autem quod rarò contingit.*

19 *Pœna imposita rapientibus fœminam, non extenditur ad fœminas rapientes marem.*

20 *Viricidium non impedit contrahi matrimonium, sicut impedit vxoricidium; quia* in cap. Interfectores, & cap. 33. quæst. 2. *fit solùm mentio de vxoricidio: Hoc enim contingit aliquando, illud autem rarò.*

21 *Sollicitare in Confessione secundùm Doctores ad peccata maiora peccatis carnis, non trahit prædictarum constitutionum pœnas; quia peccata carnis, licèt sint aliis peccatis leuiora, sunt tamen in Sacramento Confessionis frequentiora.*

22 *Verba posita in constitutione, vel in lege, tunc ad summum extenduntur ad alios casus, vt tunc non sit extensio, sed potiùs inclusio, quando adest eadem ratio, non quidem partialis, scilicet solùm grauitas delicti, sed totalis, scilicet grauitas delicti, & eiusdem frequentia.*

23 *Religiosi mendicantes si cum Romani Pontificis licentia transierint ad non mendicantes, non possunt habere locum, neque vocem in capitulo, & tamen hoc ipsum etiam extenditur ad moniales professas, si similiter cum licentia Romani Pontificis transierint ex Ordine mendicante ad alium Ordinem non mendicantem: At ratio hæc tam quoad transitum, quàm quoad frequentiam æquè militat in Religiosis viris, ac in monialibus, quod quidem non est ita in sollicitantibus.*

24 *Constitutio Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. fauorabilis, vtpotè lata in publicam vtilitatem, in salutem animarum, in debitam administrationem Sacramenti Confessionis, in fauorem Religionis, &c. consequenter extendenda, & ampliandа; quia quotiescumque de his agitur ad euitanda peccata, fieri debet etiam in correctoriis, & pœnalibus latissima extensio, & interpretatio.*

25 *Lex pœnalis quando tendit in fauorem Reipublicæ, potest similiter extendi, & latè interpretari: Puniri enim delicta, vt Regio expurgetur improbis hominibus, tendit in fauorem publicum.*

26 *Idem dic etiam si constitutio sit odiosa, & onerosa delinquentibus; quia est fauorabilis Sacramento Confessionis, Religioni, & bono communi, quod priuato præferri debet.*

27 *Sententia prædicta est satis probabilis. At contraria probabilior, constitutiones scilicet prædictae esse pœnales, sicque strictè interpretandas, quia alioquin omnes ferè excommunicationes, vtpotè in salutem animarum, & in bonum commune lata,*

forent amplianda; & tamen iuxta doctrinam communiter receptam restringuntur.

28 *Excommunicatio quando est dubium, vtrum sit lata, an verò ferenda, fieri debet interpretatio, quod sit ferenda.*

29 *Reseruatio votorum facta in salutem animarum, est in fauorem Religionis; & tamen adhuc indicatur pœnalis, & odiosa, sicque restringenda.*

30 *Votum in dubio, an sit reseruatum, necne, censendum est, non esse reseruatum.*

31 *Reseruatio peccatorum est introducta in salutem animarum, ex Concilio Tridentino* sess. 14. cap. 7. *& tamen adhuc etiam indicatur pœnalis, & odiosa, sicque strictè etiam sumenda.*

32 *Peccatum in dubio, an sit reseruatum, necne, censendum est similiter, non esse reseruatum.*

33 *Confessarius si in confessione sollicitet marem, grauiùs peccat, & magis redditur suspectus de fide, quàm si sollicitet fœminam: At non inde sequitur prædictas constitutiones, excepta Gregoriana, comprehendere etiam Confessarios sollicitantes marem; quia non semper pro peccato grauiori infligitur eadem pœna, quæ infertur pro peccato minùs graui, si minùs contingat frequenter.*

34 *Acolyto publicè ministranti ad secundum Baptismum imponitur pœna irregularitatis* in cap. literarum, de apostatis: *Et tamen Doctores communiter extendunt illum casum ad Sacerdotem rebaptizantem; quia si textus imponit Acolyto ministranti irregularitatem, multò magis imponit eandem Sacerdoti rebaptizanti, cùm grauius ille is peccet; ideò enim hanc irregularitatem incurrunt ambo, quia eorum ministerium est circa idem subiectum numero; non sic autem, sollicitatio fœmina, & sollicitatio maris.*

35 *Vir, si incestum committat cum consanguinea suæ vxoris vsque ad primum scilicet, & secundum gradum, non potest propter impedimentum affinitatis contractum petere debitum à sua vxore, neque potest post mortem vxoris contrahere cum quacumque persona aliud matrimonium: quia in hoc casu est eadem ratio totalis, scilicet delicti grauitas æqualis, & frequentia pariter æqualis: Quod non est in sollicitantibus masculos.*

36 *Constitutio Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. dum loquitur de Confessario sollicitante fœminam, verba posita sunt ibi, quia frequentiùs id contingit: At verba, quæ in lege ponuntur gratiâ frequentioris vsus, non solent ita illum restringere, vt non extendantur etiam ad casum, qui non ita frequenter contingit, si non ita frequenter contingit, cum excessu scilicet non notabili: Parum enim pro nihilo reputatur. Secùs si cum excessu notabili, sicut in casu nostro.*

37 *Verba quando possunt adaptari fœmina, sicut mari, & potest accommodari materia vtrique sexui, id quod dicitur de mare ex Bartolo, quamuis lex sit pœnalis, & odiosa, intelligi debet etiam de fœmina, & è contra: Sed id est verum, si vtrobique est eadem ratio totalis, scilicet delicti grauitas, & frequentia; secus si aliter.*

38 *Paulus V. die 6. Februar. Ann. 1619. ante constitutionem Gregorij XV. declarauit, quod Confessarij sollicitantes marem sint conclusi in Bullis Pontificiis, & per consequens denunciandi: At de ista declaratione non constat authenticè.*

39 *In pœnalibus tunc non efficitur extensio, seu ampliatio de casu ad casum, sed efficitur solùm declaratio, cùm vtrobique per omnia est eadem ratio. Tunc autem efficitur extensio, quando casus non est omnino similis: At in casu nostro de sollicitante marem, non solùm per omnia est eadem ratio, sed etiam maior, si loquamur de ratione partiali, secus si de totali.*

40 *Affirmatiua sententia, his tamen non obstantibus, adhuc est satis probabilis, vtpotè communis, & in vsu posita, & ad mentem aliorum Pontificum, qui marem non explicarunt ex quadam honestate.*

Svppono, quod loquor de obligatione naturali cuilibet fideli iniita denunciandi delinquentem, qui per correctionem fraternam non emendatur; quia talis obligatio per regulas generales correctionis, & denunciationis metienda est; sed loquor de obligatione denunciandi, quæ oritur ex constitutionibus Pontificiis, & ex Edictis Inquisitorum, quibus excommunicatio annexa reperitur. 1

Suppono 2. quod de hac obligatione posteriori loquendo, in illis partibus, in quibus constitutio Gregorij XV. recepta est, absque dubio Sacerdos ad actus inhonestos marem sollicitans, denunciari debet; quia Gregorius XV. non loquitur de fœminis solis, sed de quibuscumque pœnitentibus sollicitatis, ibi: [Omnes, & singuli Sacerdotes, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta sollicitare, &c.] vbi notanter apposuit Pontifex: *Personas, quæcumque illæ sint:* vt insinuaret, quod non solùm fœminas, sed etiam mares velit comprehendere; siquidem non solùm nomen *Personæ*, comprehendit marem, & fœminam, *cap. Persona, de Priuileg. in* 7. & notant Rebuff. *in l. 1, ff. de verb. signif.* Gamez *in Regul. de idiom. quæst. 2. num. 2.* Coccinus *decis. 277. n. 2.* & Gonzalez *ad Regul. 8. Cancell. gloss. 5. num. 199.* sed etiam illa dictio *Quacumque*, superaddita facit, quod dispositio comprehendat omne genus personarum. Menoch. *consil. 224. numero 7.* Monach. *decis. Bononien. num. 48.* Honded. *consil. 92. num. 7. vol. 1.* Bursat. *cons. 32. numero 14. lib. 1.* & Giurba *consil. crimin. 21. num. 2.* Et traduut in terminis huius Bullæ Veoer. *lib. 5. examin. Episcop. cap. 17. num. 19.* Peyrinus *tom. 2. de Priuileg. ad constitutionem quartam Gregorij XV. §. 5. n. 14.* Naldus *in summa, verb. Confessio, num. 31.* Belloch. *de casibus reseruat. part. 2. quæst. 7. num. 28. & quæst. 10. num. 51.* 2 3

Difficultas igitur est, an idem dicendum sit ex constitutione Pij IV. Clementis VIII. Pauli V. in illis partibus, v.g. in Hispania, vbi forsan constitutio Gregor. XV. sicut prætenditur, vsu recepta non est, ita vt in his partibus etiam, & sic in Hispania, sicuti dicebam, ex constitutione Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. Inquisitores Hispaniæ ius habeant cognoscendi de sollicitante mares in confessione, & ad ipsos sic sollicitans deferri debeat? 4

Negant satis probabiliter nonnulli, quos sequitur Bariola *in florib. Inquisit. fol. 227.* Portell. *in dub. Regul. ver. sollicitare fœminas, n. 5.* Fagundez *de præcept. Eccl. 2. part. lib. 4. cap. 3. num. 31.* & inclinat Paramus *lib. 3. de orig. Inquisit. quæst. 10. numero 96* Quia Pius IV. Clemens VIII. & Paulus V. solùm loquuntur de sollicitante fœminas: Ergo ipsorum decretum extendi non debet ad sollicitantem mares. Antecedens patet ex contextibus. Consequentia probatur; quia licèt horum Pontificum decretum videatur pœnitentiæ Sacramento fauorabile, est tamen Sacerdotibus onerosũ, cum illos puniendos subdat Inquisitionis Tribunali, cuius punitio ob infamiam, quam secum trahit, valdè grauis censetur. Est etiam locorum Ordinariis odiosum, cùm delinquentes à sua iurisdictione excludat, & Inquisitoribus puniendos tradat: ergo non est vltra proprietatem verborum extendendum; cùm Priuilegium iuri alterius quæsito derogans, non extendi, sed potiùs limitari debeat, ex textu *in cap. Ex tuarum, de authorit. & vsu Pallij*, & *in cap. licèt in corrigendis, de offic. Ordinarij*, & *in l. 1. §. meritò, ff. ne quid in loco publico:* Quapropter in vniuersum præsumitur mens principis non esse, quod ius tertij lædat, *leg. Nec, Codice de emancipation. liberorum:* ergo 5

ergo cùm per huiusmodi Priuilegium Inquisitoribus concessum locorum Ordinarij lædantur in sua Iurisdictione, tale Priuilegium extendi non debet.

7 Confirmatur, quia si Inquisitores Hispaniæ possent priuatiuè de sollicitantibus mares, sicut & fœminas, cognoscere, non esset cur in edictis suis solùm de sollicitantibus fœminas loquerentur, & non per verba generalia de sollicitantibus Pœnitentes in genere, sicut post Pium IV. Clementem VIII. & Paulum V. locutus est Gregorius XV. ibi: [omnes, & singuli Sacerdotes, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta sollicitare, &c.] sicuti suprà notabam.

8 Confirmatur secundò: quia non obstat, quod sollicitare marem sit grauius delictum, quàm sollicitare fœminam; quia sæpè leges grauiùs puniunt delicta minùs grauia quàm grauiora, vtpotè frequentiora, sicut & in præsenti constitutio Gregorij XV. grauiùs punit delictum sollicitationis ad venerem, vtpotè frequentius, quàm delictum sollicitationis ad delicta venere grauiora, vtpotè minùs frequens.

9 Affirmant autem satis probabiliter etiam Manuel Rodriquez *tom.1.qq. Reg.q.59.art.4.in fine, & tom.2. q.27.art.3.* Coriolan. *de casib.reseru.part.1.sect.2.n.22. & seqq.* Ludou. Lopez *1.part.Instruct.cap.55.vers. At hic iam,* Salsed. *in Pract.cap.82. verb. deponantur 4. vers.Confessor,in fin.* Megalius *1.part.lib.1.cap.5.n.32.* Graffius *1.tom.consiliorum, consil.1.de cognat.spiritual. n.45.& seqq.& de casib.reseru.cap.12.n.32.* Quaranta *in Bullar.verb.Confessor,in Bulla Pij IV.* Cherubin. *in compend. Bullar.part.2. Constit.31.* Gyptius *de casib. reseru. q.19.n.4.* Scottia *in Bull.Pontif. Epitom. 77. theor.197.* Molfes. *part.1.summa,tract.7.cap.24.n.34.* testans de Praxi etiam ante constitutionem Gregorij XV. Riccius *resol.66.n.3. part.3. Praxis,* Hieron. Rodriquez *in comp.qq.Regul.resol 135.n.3.* Ant. Sousa *de Confess.sollicit. tract.4.cap.12. n.12.* & Arugna *de Confess. sollicit.quæst.5. per totam, & q.6.n.6. & seqq.* (scilicet quod etiam in Hispania, & in aliis partibus, in quibus constitutio Gregorij XV. forsan vsu recepta non est, possint Inquisitores Hispaniæ ea vi constitutionis Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. priuatiuè cognoscere de sollicitantibus mares, sicut & de sollicitantibus fœminas; teneanturque ex mandato Inquisitionis Hispaniæ sic sollicitatos denunciare sollicitantes) quia finis principalis constitutionis Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. est in fauorem Sacramenti Pœnitentiæ (vt scilicet Sacramentum hoc puriùs, & honestiùs, & cum maiori animarum fructu administretur, sicuti constat ex prædictis constitutionibus, quibus pœnitentiæ Sacramenti abusus, & illius iniuria per Sacerdotes sollicitantes facta coërceri
10 procuratur.) At quando alicuius constitutionis finis principalis est fauorabilis, etiamsi in alterius pœnam, & grauamen redundet, constitutio illa extendi potiùs, quàm limitari debet, præcipuè cùm odium à fauore distingui non potest, vt contingit in casu nostro, in quo distingui non potest fauor factus Sacramento Pœnitentiæ, quod scilicet Inquisitores de Sacerdotibus sollicitantibus fœminas cognoscant, quin in grauamen, & pœnam sollicitantium, & in diminutionem Iurisdictionis locorum Ordinariis concessæ redundet: Ergo, &c.

11 Confirmatur, quia Glossa *in cap.si propter, de rescript.in 6.vers. primi anni,* quam sequuntur ibi Dominicus *n.9.* Franchus *n.9.* Couarr. *1.var.cap.11.n.5.* Flaminius *de resignat.benef.lib.12. q.2.n.23.* Salas *de leg.tract.14.disp.21.sect.4. n.20.* & Sanchez *de matr. lib.1. disp.1. n.4.* illam Constitutionem reseruantem fructus vacaturæ Episcopo mortuo, fauorabilem appellat, eo quòd principaliter edita sit in fauorem Episcopi, vt debita persoluat, quamuis redundet in damnum eorum, quibus obuenire debebat: Ergo cùm constitutio de sollicitantibus fœminas fauorabilis sit Sacramento Pœnitentiæ, sequitur quod & ad eos, qui sollicitauerint mares, extendi debeat.

Confirmatur secundò; quia iuxta satis probabilem 12
sententiam Doctorum, sicuti videre est apud Salas *loco suprà citato, sect.5.n.11. & seqq.* Rebell. *lib.1.de oblig. Iustit.q.6. sect.4.* Ioan. Sanch. *in select. disp.11. n.12. & seqq.* & alios, lex, priuilegium, & quælibet alia dispositio, saltem si simus in casibus eiusdem rationis, vt infrà dicam, & dispositio sit fauorabilis, vt suprà dicebam, extendi debet ad casum, vbi est eadem, vel maior ratio: Ergo cùm constitutio Pij IV. Clement. VIII. & Pauli V. maiori ratione procedant in sollicitantibus mares, quàm in sollicitantibus fœminas; grauius enim delictum est sollicitare illos, quàm istas; & delictum est eiusdem rationis, sequitur quod prædictæ constitutiones loquentes de sollicitantibus fœminas, extendi debeant ad eos, qui sollicitauerint mares.

Atque hinc poterit quis respondere ad rationes ad- 13
ductas in contrarium; concedendo quidem, quod constitutiones prædictæ, & Inquisitorum edicta loquantur solùm de sollicitantibus fœminas; quia fœminæ apponuntur exempli gratiâ, & leges attendunt ad ea, quæ frequentiùs contingunt, ea scilicet explicando nominatim, *l. Nam ad ea, ff.de leg.* quod autem postea, scilicet post Pium IV. Clem. VIII. & Paulum V. Greg. XV. generaliter de sollicitantibus Pœnitentes locutus fuerit, non autem de sollicitantibus solas fœminas, sicut fecerant Pius IV. Clem. VIII. & Paul. V. fecit solùm ad maiorem cautelam, & ad tollendam omnem prorsùs dubitationem, & difficultatem.

Quamuis affirmatiua hæc sententia posterior, quæ est certa post constitutionem Greg. XV. Naldus *in Addit.ad summam, verb.Confessio, n.31.* Peyr. *in Priuil. Minim. tom.2. const.4. Greg.XV. §.5.n.14.* Venarus *in exam. Episc.lib.5.cap.17.n.19.* & Belloch. *de cas. res.p.2.quæst.7.n.28.& quæst.10. num.51.* alias etiam ante dictam constitutionem Greg. XV. difficultates habuerit, quarum est

Prima; quia constitutio Pij IV. sicut & constitutio 14
Clem. VIII. & Pauli V. loquitur de Confessariis in actu Confessionis sollicitantibus fœminam: ergo extendi non debet ad eosdem sollicitantes marem. Antecedens patet ex contextibus illarum. Consequentia probatur, quia sicut fœmininum, præsertim in pœnalibus, & odiosis, non includitur sub masculino, *l.1. §.quare, ff.de vent.in possess.mitt. & l.iusta, ff.de verb. sign.* sic neque masculinum includitur sub fœminino.

Vnde licèt *in Clementina vnica de consanguin. &* 15
affin. excommunicentur Moniales professæ, cumque eis nubentes, & accipientes illas in vxores; & excommunicentur etiam Professi matrimonium contrahentes; non tamen si aliqua mulier sæcularis contraheret matrimonium cum Professo, incurreret etiam excommunicationem, sicut incurreret mas contrahendo matrimonium cum Moniali. Anchar. Card. & Bonif. *in d. Clem.vnica,* Cajetan. & S. Anton. *p.3. tit.25. cap.33.* & alij, quos sequitur Sanch. *de matr.lib.7.disp.48.num.2.* Item licèt in Concil. Trid. *sess.25.de Reg.cap.8.* excommunicentur omnes, qui cogunt mulierem ad Monasterium ingrediendum; non tamen excommunicantur, qui cogunt marem ad idem. Bañez, Suarez, & alij, quos sequitur etiam Sanchez *lib.4.moral.cap.4.*

Secunda; quia sæpè, sicuti suprà pro sententia negatiua dicebatur, pro delicto minori imponitur pœna grauior, quàm pro delicto maiori, si scilicet illud committatur frequentiùs, & homines ad illud sint propensiores. S. Thom. *in 4.dist.37.q.2.art.2. ad 2.* & ibi S. Bonauent. *articul.2. quæstion. 2. in corpore,* Richard. *art.2.quæst.2.ad vltimum.* Glossa *in cap. Admonere, 33.q.2.art.2.n.5.* & Enerard. *in Topicis, loco ab effectu, num. 6.* Ergo cùm sollicitare marem, licèt sit delictum grauius, rarò tamen contingat, non

videtur verisimile, quod pœna, quæ infertur contra Confessarios sollicitantes fœminam, extendatur etiam ad eosdem sollicitantes Marem.

18 Tertia, qoia leges, & statuta feruntur ob id, quod communiter, non autem quod rarò contingit, *l.Nam ad ea, ff.de legib.* (eom vbi periculum est maius, ibi pleniùs fit consulendum, *cap.vbi periculum, in princ. de elect. in 6.& l.1. vers. Sed & si quis, ff.de Carbon, edict.*) Ergo cùm in confessione fœmina sollicitetur interdum, mas autem rarò, constitotio Pij IV. sicut Clementis VIII. & Pauli V. non fertur contra Confessarios sollicitantes marem.

19 Quarta: Quia ideo Cynus *in l.vnica, Cod.de rapt. Virgin.num.4.quæst.2.* Salycet. *ibid.num.7.* Iul. Clar. *lib.5.Recept. §. Raptus, num.9.* Decianos *in tract.crimin.lib.8.cap.7.n.17.* Grillandus *de pœnis nefar. coit. quæst.10.num.13.* Bertach. *ver.Raptor Mulieris, vers. Raptus pœna,* & Iodocus *in Practica, cap.95.num.17.* (quamois dissentiant Baldus *in dicta l.vnica, num.23.* Angelus *ibid. circa finem*, Hippol. *num. 225.* Tiraquell. *de retract. lignag. §. 30. glossa vnica, num.4.* Vega *in summa, tom.2. cap. 34. cas.157.* & Henriq. *lib.11. de matrim. cap.14.n.4.*) volunt, quod pœna imposita Rapientibus fœminam, noo extendatur ad fœminas rapientes marem, eo quòd *in dicta l.vnica, Cod.de rapt.Virgin.* fit solùm mentio de mare rapiente fœminam; & hic casus contingit aliquando, contrarius autem contingit rarò: Ergo à pari sic similiter dicendum erit in caso nostro.

20 Quinta: quia ideò Syluester *verb. Matrimonium 7. quæst.6.dict.1.* Armilla *eodem verbo, num.58.* Ledesma *2.part.4.quæst.65.art.2.* Toletus *in summa, lib.7. cap.15.n.3.* (quamuis dissentiaot Sotus *in 4.dist.37. quæstione vnica, art.1. vers.simplex item.* Palatius *ibidem, dist.34.disp.2.ad finem, in 3. impedim.* Nauarrus *in summa, cap.22.num.74.* S.Antonin. *part.3.cap.16. §.4.* & Henriquez *citat.lib.12. cap.2.num.1.* volunt, quod viricidium non impediat contrahi matrimonium, sicut impedit vxoricidium; quia *in cap. Interfectores, capite Admonere, & cap. quicumque 33. quæstione 2.* fit solùm mentio de vxoricidio; & vxoricidium contingit aliquando, viricidium autem contingit rarò: ergo à pari sic etiam dicendum erit in casu nostrò.

21 Sexta; quia ideò Doctores, vti suprà dicebam, communiter consentiunt, quod sollicitare in confessione ad peccata maiora peccatis carnis, non trahit prædictarum constitutionom Pontificiarum pœnas, quas trahit sollicitare ad peccata carnis; quia peccata carnis, licèt sint aliis peccatis leuiora, sunt tamen in Sacramento confessionis frequentiora.

Faciunt etiam ad hoc exempla, quæ adducebam in prima probatione.

22 Septima; quia (sicuti colligitur ex supradictis, & videri poterit, præter alios, Tiraquell. *de retract. lignag. §.20. glossa vnica, num.6.*) tum ad summum verba posita in Constitutione, vel lege extenduntur ad alios casus, ita vt tunc non sit extensio, sed potiùs inclusio, iuxta id, quod ait Glossa *in cap.1. de temp. ordinat.in 6.vers. vt alia,* scilicet quod casus, in quo militat eadem ratio, dicatur inclusus, seo comprehensus in casu expresso, quando adest eadem ratio, non quidem partialis, scilicet solùm grauitas delicti, sed totalis, scilicet grauitas delicti, & frequentia delicti: Quæ est tota ratio dispositionis Constitutionis, aut legis, in istis, ac in aliis casibus; at io Confessario sollicitante marem, licèt adsit eadem ratio partialis, quin maior, scilicet grauitas delicti, non tamen adest eadem ratio totalis, scilicet grauitas delicti, & frequentia delicti, qoæ est tota ratio dispositionis Constitutionum Pij IV.Clement. VIII. & Paoli V.Ergo verba posita io Constitutione de sollicitante fœminam, non sunt extendeoda ad casum non ita vsitatum de sollicitante marem.

23 Objicies: *in Clement.1. de Regul.* habetur, quod Religiosi Mendicantes, si cum Romani Pontificis licentia transierint ad noo Mendicantes, non possint habere locum, neque vocem io Capitulo; & tamen hoc ipsum etiam extenditur ad Moniales professas, si similiter cum licentia Romani Pontificis transierint ex Ordine Mendicante ad alium Ordinem non mendicantem. Glossa *in d.Clementina, vers.quomodolibet, in fine.* Imola *ibidem, n.8.* & alij: ergo idem dicendum erit in casu nostro, de quo nunc agimus.

Respondetur: Concedo antecedens quoad partem priorem, & transeat illud quoad posteriorem. At nego consequentiam, quia ideò in ea Clementina sic statutum est, quia Pontifex vult, quod quilibet permaneat io eo Ordine, ad quem vocatus est, & passim non fiat huiusmodi transitus, præsertim ex Ordine mendicanti ad non mendicantem: Quæ ratio, tam quoad transitum, quàm quoad frequentiam, sicque ratio totalis, æquè militat in Religiosis viris, & in Monialibus: Quod non est io casu oostro, sicuti dicebam.

24 Objicies secundò: Constitutio Pij IV. sicut Clementis VIII. & Pauli V. est fauorabilis, vtpote lata in publicam vtilitatem, in salutem animarum, in debitam administrationem Sacramenti Confessionis, io fauorem Religionis, &c. Ergo est extendenda, & amplè interpretanda; qoia quotiescumque de his agitur ad euitanda peccata, fieri debet etiam in correctorijs, & pœnalibus latissima extensio, & ioterpretatio: Hostiensis *in cap. penultimo, circa finem. Qui filij sint legitimi.* Innocentius *in cap. Episcopi, de reb. Eccles.num.3.* Dominicus *in cap.licèt, §.finali, de elect. in 6.n.4.* Abbas *in cap.ex tenore, qui fil. sint legit.n.6.* Euerardus *in Topicis, loco à ratione legis, n.3.* Cassador. *decis.5.de Constit.n.10.* Iason *in Auth. quas actiones, Cod.de Sacros.Eccles.* Glossa *in cap.sciant cuncti, verb.aliot, & in cap.si postquàm, ver.prouisione, de elect. in 6.* Bartol. *in Auth.Sacramenta Puber.Cod.si aduersus venditionem, n.19.* Ripa *in l.si constante, ff.solut. matrim.n.72.* Decius *cons.233.n.7.* Parisios *de resign. benef.lib.11.quæst.2.n.17.* Syluest. *verb.lex, quæst.19.* Rota *in decis. diuers. decis.29.num.10.vol.2.* Crauetta *de antiq.temp.part.4.n.10.* Peregrinus *de Duello, q.15. num.7.& quæst.21. n.3.* Quaranta *in Bullar.tit. Monasteria Monialium, & verb. Confessor.*

25 Ideoque etiam lex pœnalis, quando tendit io fauorem Reipublicæ, potest similiter extendi, & latè interpretari, Bartol. *in l.quemadmodum, Cod.de Agricol.& censit.lib.11.* Bossius *in Pract. crimin.tit.de Pœnis, n.12.* & Peregrinus *de Duello, quæst.28. n.4.* At punire delicta, vt regio improbis hominibus expurgetur, tendit in fauorem publicum, arg. Textus *in l.congruit, ff. de Offic. Præsid.* & docent Bartolus, Bossius, Peregrinus *in locis citatis*, & Franchus *in cap.1.de temp.ordin.in 6. & in cap.sciant cuncti, n.6. de elect.in 6.* Ergo.

26 Neque obstat, quod prædicta Constitutio Pij IV. sicut Clementis VIII. & Paoli V. sit delinquentibus grauis, onerosa, & odiosa; qoia est fauorabilis Sacramento Confessionis, Religioni, & bono communi, quod principaliter intenditur, & bono priuato præferri debet. Accedit, quod esto sit pœnalis, & odiosa, sicque strictè interpretanda, *l. de interpretatione, ff. de pœnis*; hæc tamen regula non procedit in his, quæ sunt eiusdem generis, *cap. Pœnale 14.q.5.& cap. Meretrices, 23.quæst.4.*

27 Respondetur: Transeat totum, vtpote satis probabile, sicuti suprà dicebam pro sententia posteriori affirmatiua; at adhuc satis probabiliter etiam cum Fagundez docent alij contrarium, Constitutiones scilicet prædictas esse pœnales, sicque strictè interpretandas, *ex cap. Odia, de Regul.Iur.in 6.cap.cùm expediat, de election.l.cùm quidam, ff.de liber. & posth. l.Interpretatione, ff.de pœnis, l. Præcipimus, Cod.de Appellationibus, l.Sancimus, Cod.de testib.§.finali, in Auth.de Administr.*

Administr. offic. l. si furiosi, Cod. de Nuptiis, & ex Auth. quas actiones, Cod. de sacrosanct. Eccles. quod inde confirmant, quia alioquin omnes ferè excommunicationes, vtpotè in salutem animarum, & in bonum commune latæ, forent amplandæ: & tamen iuxta doctrinam communiter receptam restringuntur; ideo-
28 que quando est dubium, vtrum excommunicatio sit
lata, an verò ferenda, fieri debet interpretatio, quod
29 sit ferenda, non autem lata. Item reseruatio votorum
est facta in salutem animarum, & in fauorem Religionis, & tamen adhuc iudicatur pœnalis, & odiosa, sic-
30 que restringenda; ideoque cùm similiter est dubium,
vtrum votum sit reseruatum, necne, censendum est, non esse reseruatum. Ita Sotus *de iust. lib. 7. q. 4. art. 3.* Petrus de Ledesma *in summa, tom. 2. tract. 10. cap. 3. dub. 7.* Sanchez *de relig. tom. 2. lib. 6. de voto, cap. 21. n. 1.*
31 & Sayr. *libr. 6. in claui reg. cap. 11. n. 48.* Item etiam reseruatio peccatorum est introducta in salutem animarum, ex Concilio Tridentino *sess. 14. cap. 7.* & tamen adhuc iudicatur pœnalis, & odiosa, sicque stri-
32 ctè est sumenda: Ideoque similiter, cùm est dubium
vtrùm peccatum sit reseruatum, necne, censendum est similiter, non esse reseruatum. Ita Suarez *tom. 5. disp. 40. sect. 6.* Henriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 16. n. 6.* & alij passim, quidquid in contrarium dicant Armil. *verb. Casus, num. 13.* & Corduba *in regul. S. Francisci, cap. 7. q. 4. punct. 1. cas. 5.* Accedit, quod in casu de sollicitatione fœminæ, & de sollicitatione maris non est vtrobique eadem ratio totalis, iuxta ea, quæ dicebam suprà probatione 7. sententiæ prioris negatiuæ.

33 Objicies 3. si Confessarius in confessione sollicitet marem, grauiùs peccat, & magis redditur suspectus de fide (adeo quod apud Lusitaniam contra Sodomitam procedant Inquisitores in omni casu, etiamsi scilicet Sodomiæ facinus contigerit non occasione confessionis, quin & in non Clerico, sed in puro laico) quàm si sollicitet fœminam. Ergo constitutio Pij IV. sicut Clementis VIII. & Pauli V. comprehendit etiam Confessarios sollicitantes marem: sic argumento Textus *in cap. pœnale, 14. q. 5. & in cap. meretrices, 23. q. 4.*

Respondetur: Nego consequentiam, quia sicuti suprà dicebam, non semper pro peccato grauiori infertur eadem pœna, quæ infertur pro peccato minùs graui, si scilicet peccatum minùs graue contingat frequentiùs, peccatum autem grauius contingat rarò. Accedit, quod prædicta constitutio Pij IV. sicut Clementis VIII & Pauli V. est valdè pœnalis, & odiosa; cùm reddatur Confessarius suspectus de hæresi, & procedatur contra ipsum, ac si esset hæreticus, pœnis grauissimis depositionis, & degradationis, &c. In pœnalibus autem, & odiosis fieri non debet extensio, nec etiam ex maioritate rationis, si scilicet ratio non sit totalis, sed partialis, iuxta ea quæ dicebam suprà probatione 7. sententiæ prioris negatiuæ. Gloss. *in l. Iam is, §. 1. de donation. caus. mort.* Ripa *in l. si constante, ff. solut. matr. n. 57.* Iason *in Auth. quas actiones, C. de sacros. Eccl. n. 21.* Capra *reg. 90. n. 113.* & alij, quos suprà referebam.

34 Objicies 4. *In cap. literarum, de apostatis*, imponitur pœna irregularitatis Acolyto publicè ministranti ad secundum Baptismum; & tamen Syluester *verbo Baptismus 5. q. 3. & verb. Irregularitas, n. 8.* Nauarrus *in summa, cap. 27. n. 246.* Suarez *in 3. part. q. 71. artic. 4. disp. 31. sect. 6.* Henriquez *de irregular. cap. 4. n. 5.* Auila *de censur. part. 7. disput. 7. dub. 1.* & alij communiter extendunt illum casum ad Sacerdotem rebaptizantem; quia, inquiunt ipsi, si textus imponit irregularitatem Acolyto ministranti, multò magis imponit eandem Sacerdoti rebaptizanti; cùm grauius peccet Sacerdos rebaptizans, quàm Acolytus ad secundum Baptismum ministrans: Ergo cùm in casu nostro grauiùs peccet Confessarius sollicitans marem, quàm sollicitans fœminam, pœnæ impositæ contra sollicitantes fœminam, extenduntur etiam ad eosdem sollicitantes marem.

Respondetur: transeat illa irregularitatis extensio, quam faciunt communiter Doctores ab Acolyto ministrante ad Sacerdotem rebaptizantem: dixi verò, *transeat*; quia irregularitas, ut in materia de irregularitate, locum non habet, nisi expressè habeatur in iure, adeo quod non extendatur de casu ad casum, etiam à maioritate rationis. At nego consequentiam, quia ministerium Acolyti, & rebaptizatio Sacerdotis sunt circa idem subiectum numero; quare rectè deducitur, quod si Acolytus incurrit irregularitatem, Sacerdos etiam incurrat eandem; non sic autem sollicitatio fœminæ, & sollicitatio maris, qui sunt actus distincti circa subiecta distincta numero: quare non etiam rectè deducitur, quod si Confessarius sollicitans fœminam incurrat quasdam pœnas, incurrat etiam easdem, si sollicitet marem. Vt omittam, quod in rebaptizatione Sacerdotis sit, ac in ministerio Acolyti eadem ratio totalis, scil. delicti grauitas æqualis, quin maior; cùm rebaptizatio Sacerdotis sola sit substantialiter confectio Sacramenti, & delicti frequentia etiam æqualis, quin etiam maior; cùm reprobatio Sacerdotis possit esse sine ministerio Acolyti, non autem è contra.

Objicies 5. si vir incestum committat cum con- 35
sanguinea suæ vxoris vsque ad primum scilicet, & secundum gradum, non potest propter impedimentum affinitatis contractum petere debitum à sua vxore, neque potest post mortem vxoris contrahere cum quacumque persona aliud matrimonium, *cap. 1. & cap. Transmissa*, de eo qui cognouit consanguineam, docetque Sanctus Thomas *in 4. distinctione 35. quæst. vnica, articulo 5.* Richardus *ibidem, articulo 4. quæst. 2. ad primum*; & Turrecremata *in cap. quadam cum fratre, 32. quæst. 7. numero 2. ad septimum.* Et tamen propter eandem rationem pœna extenditur etiam ad vxorem, si scilicet, similiter vxor incestum committat cum consanguineo sui mariti: ita Paludanus *in 4. distinctione 34. quæstione 1. artic. 2. num. 12.* Petrus de Soto *lect. 14. de matrimonio*, Sanctus Antoninus *parte 3. titulo 1. cap. 16. § 4.* Syluester *verbo Matrimonium 7. quæst. vltima, distinctione 3.* Armilla *eodem verbo Matrimonium, num. 57.* Corduba *lib. 1. q. 12. circa principium.* Veracruz *prima parte speculi, articulo 23. conclus. 2.* Toletus *libro 7. cap. 15. num. 2.* & alij passim. Et tamen Textus præcitati loquuntur de solo viro: ergo idem dicendum erit in casu nostro, quod scilicet pœnæ impositæ contra Confessarios sollicitantes fœminam, extendi debeant ad eosdem sollicitantes marem.

Respondetur: Concedo antecedens; at nego consequentiam, quia in casu de incestu est eadem ratio totalis delicti, scilicet grauitas æqualis, & delicti frequentia etiam æqualis, tam in viro, quàm in fœmina. Vt omittam, quod vxorem incestuosam contrahere similiter, ac virum prædictum impedimentum affinitatis, expressè habeatur *in cap. Si quis viduam, 32. q. 7. & in cap. Si quis cum matre, 34. quæst. 2.*

Instabis: dùm constitutio Pij IV. sicut Clemen- 36
tis VIII. & Pauli V. loquitur de Confessario sollicitante fœminam, verba posita sunt ibi, quia frequentiùs id contingit: At verba, quæ in lege ponuntur gratiâ frequentioris vsus, non solent ita illam restringere, vt non extendantur etiam ad casum, qui non ita frequenter contingit: ita Glossa *in Clement. 1. de rescript. verbo Præsidentes*, Tiraquellus *de retract. lignag. §. 20.* Glossa vnica, *num. 4.* Rebuff. *de nominat. quæst. 1. num. 3.* & Valascus *tom. 1. consil. 7. n. 2.* Ergo.

Respondetur: Distinguo minorem, [Non solent ita illam restringere, vt non extendantur etiam ad

ram, quam in se habent, ita vt si sint peccata venialia, & non mortalia in materia iustitia, vel castitatis, &c. sint similiter peccata venialia, & non mortalia in materia Religionis.

12 *Auctor hac scripsit prascindendo à decreto nouissimo Alexandri VII. vbi vult, quod tam hareticus, quàm quiuis de haresi vel leuissime suspectus, locorum Ordinariis, aut Inquisitoribus, nulla pramissa correctione, denuncietur.*

13. *Confessarius, etiamsi solicitet verbis non expressis, v.g. personam, quam sollicitat laudando de pulchritudine, gratia, venustate, & morum elegantia, dummodò prudenter iudicetur, huiusmodi verba, vel signa tendere ad solicitationem grauem, denunciari debet Inquisitoribus, seu Ordinariis; quia sic abutitur Sacramento pœnitentia grauiter.*

14 *Pœnitens, cui Confessarius verba dubia profert, vel factum, aut signum dubium prabet, tenetur illum Inquisitoribus denunciare; quia in casu dubio, quando exinde quid contra bonum publicum sequi potest, par non est, quod stetur iudicio persona priuata.*

15 *Assignatur discrimen per accidens inter ius externum, & internum; quia in foro interno, seu anima nihil plus inquiritur, nisi veritas actualis, & in eo prasumptio non datur. Secus fit in foro externo, seu contentioso.*

16 *In sententia dicentium, oscula, & tactus, si absit periculum pollutionis, seu consensus ad copulam, esse tantum peccata venialia, Confessarius hac in confessione committens denunciandus non est. Secus verò in foro externo, cùm ex his prasumatur animus ad copulam.*

17 *Paruitas materia satis probabiliter in materia luxuria non datur, vtpote valde procliui, & periculosa: Contraria enim sententia non habet probabilitatem, immò est falsa: Et Doctores asserentes, dari in rebus Venereis paruitatem materia, actumque venereum, si sit sufficienter deliberatus, posse vacare culpa mortali, sunt denunciandi Inquisitoribus.*

18 *Huiusmodi tamen propositionum assertores non sunt cogendi ad abiurandum, sed solùm ad illas reuocandum publicè, & ad suum errorem detestandum.*

19 *Sententia affirmans, Sacerdotem, qui sollicitat pœnitentem ad actus inhonestos solùm venialiter, non esse denunciandum Inquisitoribus sub graui culpa, est contra praxim sacri Tribunalis Inquisitionis, tam Roma, quàm Hispania.*

20 *Constitutiones pradicta, vtpotè Religioni fauorabiles, cùm summa ratio sit, qua facit pro Religione, extendi, & ampliari debent.*

21 *Non obstat, quod hinc possint prouenire multa incommoda Confessario, putà infamia, &c. quia bonum publicum, prout est bonum Religionis, praferri debet priuato, sicque meliùs continentur Confessarij in officio suo.*

22 *Benignior interpretatio in re dubia facienda est, minorque malitia prasumenda.*

23 *Verba, vel signa, quando possunt habere bonum, vel malum sensum, potiùs sunt interpretanda in bonum, quàm in malum sensum.*

24 *Laudare personam pœnitentem de pulchritudine, de gratia, de venustate, & de morum elegantia, potest habere bonum, & malum sensum: At secùs est in casu nostro, quia sola confabulatio cum fœmina in deteriorem partem interpretatur: Et meritò, quia peccatum carnis est peccatum valdè lubricum.*

25 *Illud glossa de Clerico amplectente fœminam, scilicet quod prasumitur non ex libidine, sed ex animo illam benedicendi facere, est prorsùs ridiculum.*

26 *Confessarius est denunciandus, prasertim post constitutionem Gregorij XV. & decretum Alexandri VII. si laudet pœnitentem ex pulchritudine, vel venustate, &c. dummodo non constet, vel prasumatur rationabiliter, quod sic laudauerit absque fine, vel intentione prouocandi ad actus inhonestos: vt si diceret, eam iniuriam facere sua pulchritudini, prostituendo se aliis, &c.*

27 *Confessarius est denunciandus, si pœnitenti verba dubia, vel factum, aut signum dubium protulerit, quia prater rationes supradictas, stante tali dubio, possunt Inquisitores vocare, & interrogare Confessarium, quanam intentione verba, vel signa illa dubia protulerit; aliàs enim frustrà daretur iis iurisdictio in dicto crimine, si id non possent.*

AFfirmant satis probabiliter (ita vt sic censeant consulendum in praxi) Io. Sanchez *cit. disp.* 11. *num.* 22. Acugna *de Confess. sollicit. quast.* 7. *per totam*, Fagnndez *de pracept. Eccles. in edit. nouissima, part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *numero* 52. Nauarrus *in summa Bullar. titulo de sollicit. in Confession. numero* 4. Trullench. *in Decalog. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 18. *numero* 17. Leander de Sacrament. *tom.* 1. *tract.* 5. *disput.* 13. *quast.* 12. Alphons. de Leon *de censur. recollect.* 4. *vers. sollicitantes*, Lossius *de Iubilao, in Append. de Confess. sollicit. dub.* 18. *numero* 55. Trimarch. *de Confess. sollic. disput.* 2 *sect.* 7. *numero* 44. Bordonus *in S. Tribunali, cap.* 13. *quast.* 2. *numero* 14. Carena *tract. de Offic. Inquisit. part.* 2. *tract.* 6. §. 6. *numero* 37. Philippus de Bictis *in praxi causar. iudiciar. Regular. cap.* 3. *tractat.* 11. *quest.* 122. *numero* 37. & Seraphin. Freytas *quest.* 7. *numero* 33. Quia licèt v.g. calcare pedem, vel brachium, tangere manum, vel mammillam fœminæ, digitos intorquere, vellicare, fœminam in fronte, vel in manu osculari, & similia in genere castitatis, cùm ob solam delectationem, quæ exinde sequitur, absque vlteriori fine, & absque periculo pollutionis, & consensus ad copulam, efficiuntur, ob paruitatem materiæ fiont peccata venialia, Salas 1. 2. *tom.* 2. *quast.* 74. *tract.* 13. *disputat.* 6. *sect.* 10. *numero* 146. Thomas Hurtadus *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 8. *resolut.* 65. §. 2. *numero* 927. & §. 3. *numero* 932. & *seqq.* Seraphin. Freytas *loco suprà citato, numero* 28. Nauarrus *in summa, cap.* 14. *q.* 31. & complures alij, quos citat, & sequitur Thomas Sanchez *de matrim. lib.* 9. *disputat.* 47. *numero* 16. Nihilominus, si hæc fiant in Confessione, ante, vel post immediatè, ob irreuerentiam Sacramento factum, sunt peccata mortalia contra Religionem, quemad- 2
modùm licèt sumere quid modicum cibi, sit peccatum veniale in materia temperantiæ; nihilominùs illud sumere ante sumptionem Eucharistiæ, est sacrilegium graue in materia Religionis. His tamen non obstantibus

Respondetur, non omninò improbabile esse con- 3
trarium, quod tenent Portell. *in Addit. ad dubia Regular. verb. sollicitare fœminas, n.* 4. Sousa *de Confess. sollicit. tract.* 1. *cap.* 1. *num.* 7. & *in Aphor. Inquisit. lib.* 1. *cap.* 33. *n.* 4 Lupus *de Edict. Inquisit. part.* 1. *lib.* 5. *dist.* 2. *art.* 1. *difficult.* 3. Gaspar Hurtadus *de Iustitia, tractat. de Iudic. forens. disput.* 2. *difficult.* 7. & Ioseph de Ianuario *de casib. reseru. resol.* 56. *per totam.* Quia peccata de se venialia in materia castitatis, eo quòd fiant in Sacramento Pœnitentiæ, non redduntur mortalia contra Religionem, neque de iure naturali, & diuino, neque de iure positiuo Pontificiarum Constitutionum: Ergo, &c. Consequentia patet. Antecedens quoad partem priorem etiam patet, quia aliàs quodlibet peccatum veniale in materia iustitiæ, patientiæ, vel humilitatis, &c. in Sacramento pœnitentiæ factum, cùm æquè de iure naturali, & diuino omnia hæc prohibeantur, esset mortale sacrilegium in materia

materiæ Religionis, quod nemo dixerit. Quoad partem posteriorem probatur, quia ex supradictis Pontificiis constitutionibus Pij IV. Clementis VIII. &
4 Pauli V. & Gregorij XV. non fit aliqua specialis prohibitio de peccatis venialibus, sed solùm prohibetur id, quod est de se malum, & inhonestum: Immò quia est malum, & inhonestum, ideò solùm ab eis prohibetur: Ergo si solùm est malum, & inhonestum in ratione peccati venialis, in ratione peccati venialis solùm, ob Religionem, à prædictis constitutionibus prohibetur: quemadmodum cum prohibetur percussio clerici ob reuerentiam Ordini debitam, non prohibetur sub peccato graui percussio, si leuis sit in ratione percussionis: Neque prohibetur sub peccato graui furtum rei sacræ, si sit leue in ratione furti. Siquidem hæc omnia prohibentur, quia mala sunt, & consequenter eo modo, quo mala sunt, solùm ob reuerentiam Sacramenti prohibentur.

5 Confirmatur; quia ex supradictis Pontificiis constitutionibus non colligitur, Pontifices intendisse, veniale peccatum contra castitatem, fieri mortale contra Religionem; immò potiùs colligitur oppositum; quia Pius IV. in sua constitutione mandat denunciandos esse [qui mulieres pœnitentes ad actus inhonestos prouocant, & loco reconciliationis cum Deo grauiori peccatorum mole eas onerant, & in manibus diaboli tradunt.] Quæ verba necessariò respiciunt actus inhonestos, qui sint peccata mortalia, quia per venialia tales mulieres prouocatæ loco reconciliationis cum Deo non grauiori peccatorum mole onerantur, neque in manibus diaboli traduntur. Clemens VIII. verò (sicut & Paulus V.) nihil aliud fecit, quàm renouare supradictam constitutionem Pij IV. Gregorius XV. tandem in sua constitutione vocauit hoc impium, ac nefandum crimen, & illud committentem infernalem, veneficum, & proditorem execrabilem, quæ inductioni ad peccatum veniale non possunt conuenire.

6 Confirmatur secundò, quia pœna imposita sollicitantibus est grauis, & pro leui delicto non imponenda, *cap. Non cogantur*, 41. *dist*.4. Glossa *in l.25. tit.4. par.*1. & Doctores communiter, quos sequitur
7 Valenzuela *cons.* 95. *n.*55. Vt propterea si pœna excommunicationis imponatur à iure in quodam certo actu, intelligi debeat de eo, qui inuoluit peccatum mortale, nec aliter obligabit: Consequenter excommunicatio maior de facto imposita per edicta Inquisitorum, non potest esse, nisi pro peccato mortali, sicque si fuerit imposita pro veniali, non obligaret.

8 Confirmatur tertiò, quia non potest suspicio hæresis ex peccato veniali præsumi, sicut nec graue quid ex leui deduci.

9 Confirmatur quartò, quia nec sacrilegium oritur ex actu veniali, sicut cum communi tenet Sanch. *de matrim. lib.*9. *disp.*15. *num.*21. Suarez *tom.*1. *de Relig. lib.*3. *cap.*7. *num.*11. & Bonacina *de matrim. q.*4. *punct. vlt. num.*8.

10 Confirmatur quintò, quia non est, cur hîc, cùm non simus in virtutibus Theologalibus, quæ attingunt immediatè Deum, vbi non est reperire parum, sed quidquid reperitur, est essentialiter ipsemet Deus, locum non habeat ad excusandum paruitas materiæ. Vnde si Confessarius dicat pœnitenti verba leuia, vel faciat signum, aut opus leue indicatiuum amoris lasciui, quæ iuxta iudicium prudentis viri non sint peccatum mortale, neque sufficientia ad persuadendum, non videtur, quod sit denunciandus, cùm communis opinio sit, quod materia leuis, & parua in omnibus delictis, exceptis iis, quæ sunt contra virtutes Theologales, quæ immediatè attingunt Deum, excuset saltem à pœna Ecclesiastica, vt propterea percussio clerici, quamuis interiùs mortalis, exteriùs tamen venialis, non trahat excommunicationem latam *in cap. si quis suadente diabolo*, ob paruitatem materiæ.

Hinc sequitur, quod non omninò improbabiliter si Sacerdos pœnitentem tangat tactibus aliàs honestis, qui ex circumstantiis solùm sint peccata venialia, & ipse pœnitens intelligat, quod Sacerdos nullo modo habeat animum vlteriùs progrediendi, neque ipse pœnitens periculum consentiendi in graue peccatum, non committatur peccatum mortale contra Religionem, sicut neque contra castitatem, atque adeò Sacerdos non sit inquisitoribus sub graui culpa denunciandus; quamuis si ex circumstantiis colligeretur, animus Sacerdotis esse vlteriùs progrediendi, talis sollicitatio esset grauis, atque adeò Inquisitoribus sub graui culpa denuncianda; quia tunc sufficienter præsumeret pœnitens, quod ad graue peccatum Sacerdos voluerit ipsum pœnitentem prouocare.

Sequitur secundò, quod ad rationem sententiæ prioris in contrarium dici possit, illa quæ secundùm se sunt peccata venialia, vel nulla peccata, posse quidem fieri peccata mortalia in materia Religionis (vt in exemplo adducto de cibo modico sumpto ante Eucharistiam.) Sed hoc est, quando non prohibentur, qua ratione in se mala sunt; sed solùm ob reuerentiam sacris debitam: At quando solùm prohibentur, ne scilicet fiant in Sacramento, qua ratione mala sunt, sequuntur naturam, quam in se habent, ita vt si sint peccata venialia, & non mortalia in materia iustitiæ, vel castitatis, &c. sint similiter peccata venialia, & non mortalia in materia Religionis. 11

Cæterùm hæc dixerim tum præscindendo à decreto nouissimo Alexandri VII. (vbi vult, quod tam hæreticus, quàm de hæresi vel leuissimè suspectus, locorum Ordinariis, aut Inquisitoribus, nulla præmissa correctione, denuncietur: tum etiam solummodò disputando; quia in praxi, sicuti dicebam, arbitror consulendum contrarium. Idque etiamsi Confessarius sollicitet verbis non expressis, verbi gratiâ personam, quam sollicitat, laudando de pulchritudine, gratia, venustate, & motuum elegantia, dummodo prudenter iudicetur, huiusmodi verba, vel signa tendere ad sollicitationem grauem; quia sic Confessarius abutitur Sacramento pœnitentiæ grauiter, & pœnitenti qui accedit ad Confessionem, præbet scandalum alliciendo, & prouocando eum ad Venerem grauiter. 12 13

Accedit, quod pœnitens, cui Confessarius verba dubia profert, vel factum; aut signum dubium præbet, tenetur illum Inquisitoribus renunciare; quia in casu dubio, quando exinde quid contra bonum publicum sequi potest, par non est quod stetur iudicio personæ priuatæ, sed quod stetur iudicio personæ publicæ, scilicet Inquisitorum. 14

Vbi aduerte discrimen per accidens inter ius externum, & internum; quia cùm in foro interno, seu animæ, nihil plus inquiratur, nisi veritas actualis, & in eo præsumptio non detur: in eo enim agnoscitur verum ex mente ipsius peccatoris, quod deficit in foro externo, seu contentioso; quia delicta manerent impunita, quando assertio peccatoris, seu delinquentis fidem efficeret etiam in foro externo, Couarr. *de sponsal. par.*2. *cap.*4. §. 1. *num.*4. Parlador. *in sesquicenturia, different.* 12. *n.*1. Sanchez *lib.*4. *moral. cap.*15. *n.*37. Bonacina *tom.*2. *de legibus, disput.*1. *q.*1. *punct.*7. §. 3. *n.*10. & *de restitut. disp.*3. *q. vltima, punct. vltimo, n.* 3. & alij passim. Si in dicto foro interno certò mens Confessarij, dum miscuit tactus, aut verba venerea (loquor in terminis laxioris opinionis, quæ tenet, tactus, & oscula, si absit periculum consensus ad copulam, & pollutionis, efficere tantùm peccatum veniale) fuerit aliena à fine mortali, sicque abfuerit peccatum mortale, denunciandus non est 15

similis

milis Confessarios in foro interno; in foro autem externo, quia illud nititur præsumptioni, & ex tactibus, & verbis venereis præsumit finem mortalem, nempe copulam, aliud dicendum erit; quod si scilicet tactuum, & verborum venereorum adsit sufficiens probatio, puniendus sit tanquam verus sollicitator in foro externo, sicut præter alios rectè aduertit Salas 1. 2. *quæst.74. tract.* 13. *disput.6. sect.*20. *numero* 43. ad hoc adductus à Freytas *ad Acugnam quæst.7.num:*31. sicque contingere potest, quod sollicitatio obligationem denunciandi inducat in peccato veniali; quia iure externo adest prædicta peccati mortalis præsumptio, quæ deficit foro interno; sicque etiam benè procedit distinctio, quam suprà afferebam, quod si scilicet certò sciatur Confessarius noluisse procedere ad vlteriora, nempe ad perficiendam copulam, non sit denunciandus: Secus autem, si constet contrarium, vel res maneat verè dubia, tunc sequenda est iuris externi præsumptio, tam ad denunciandum, quàm ad puniendum similem Confessarium, nedum ad eum coram Tribunali sanctæ Inquisitionis vocandum, & interrogandum, quanam intentione prædicta verba bis protulerit, vel prædicta facta, aut signa præbuerit in confessione, vel propè confessionem.

16 Accedit 2. quod satis probabiliter in materia luxuriæ, vtpote valdè procliui, & periculosa, non datur paruitas materiæ. Remigius *in tract. Confess.tract.*5. *cap.6.§* 2.*num.*3. Castropalaus *tom.*1.*tract.*12.*disp.*2. *punct.* 10 *num.*4. quatenus ait contrariam sententiam non habere probabilitatem. Ioan.Henriquez *in qq.select.sect* 8.7.8. *n.*21 quatenus inquit eam esse falsam. Texeda *in controu.Theol.moral.tom.*1.*lib.*2.*tract.*3.*controu.*13.*num:*65. quatenus asserit, eam non posse sustineri; quia Clemens VIII.& Paulus V. condemnarunt illam, & decreuerunt, sic DD. asserentes dari paruitatem materiæ in rebus venereis, actumque venereum, si sit sufficienter deliberatus, posse vacare culpa mortali, esse denunciandos fidei Inquisitori-
17 bus. Ideoque omnino dicendum, delectationem veneream, libidinosam captam ex osculis, aut amplexibus, aut impudicis tactibus, etiam secluso periculo assensus ad copulam, & pollutionis, quamvis parua sit, esse mortalem. Verricell. *in quæst.moral.tract.4.quæst.* 17.*numero* 3. quatenus vult, eam esse censura dignam, quinimò etiam in publicè eam docentes posse procedere fidei Inquisitores, quia Paulus III. in constitutione, quæ incipit, *in Apostolici culminis specula*, & habetur post directorium Inquisitorum, facultatem dedit Inquisitoribus procedendi contra quoscumque asserentes propositiones periculosas, scandalosas, errorem continentes, & alias catholicæ fidei minùs consonas, Christianæque pie-
18 tati, ac bonis moribus minimè conformes. Huiusmodi tamen propositionum assertores non esse cogendos ad abiurandum, sed solùm ad illas publicè reuocandum, iuxta Extrauag. *vas electionis, de hæretic.* vt præter alios aduertit Catena *tract. de sancto Officio, part.*2. *tit.* 16. *n.*55. Francisc. Bichius *in promptuar. Confess.p.*2.*cap.*6.Fagundez *de præcept. Eccl.edit.vltim. præcept.*5. *lib.*4.*c.*3.*n.*52. Homobonus *in consult.cas. conscient.vol.*2.*p.*5.*respons.*139 & alij complures.

19 Accedit 3. quia sententia affirmans, Sacerdotem qui sollicitat Pœnitentem ad actus inhonestos solùm venialiter, non esse Inquisitoribus sub graui culpa denunciandum, est contra praxim sacri Tribunalis Inquisitionis, tam Romanæ, quàm Hispanicæ, & aperit viam fraudibus, & præbet impunè sollicitandi ansam improbis Confessariis; quia si Pœnitens per actus inhonestos solùm venialiter consentiret sollicitationi, Confessarius haberet intentum, si verò pœnitens non consentiret, Confessarius denunciationem subterfugeret propter excusationem paruitatis materiæ, quæ datur in rebus venereis.

Accedit 4. quod cùm supradictæ conditiones Pij 20
IV. Clementis VIII. Pauli V. & Gregorij XV. latæ sint in publicam vtilitatem, in salutem animarum, in reuerentiam Sacramenti, ad tollendos scilicet abusus, qui circa illud aliquando contingunt, ac denique in fauorem Religionis, & summa ratio sit, quæ facit pro Religione, *l.sunt,ff.de Religios.& sumpt.funer, & c.In fidei fauorem,de hæretic.in* 6.tanquam fauorabiles satis probabiliter, iuxta doctrinam complurium Doctorum extendi debebunt.

Dices: si Inquisitores procedere possent in tali 21
casu, subirent Confessarij magnum periculum infamiæ, & quamplurima alia incommoda. At vt hæc propter hanc leuem suspicionem subeant, recta ratio non dictat: Ergo.

Respondetur: Nego minorem, quia cùm in casu posito huiusmodi verba, vel signa alliciant non leniter; sed prudenter personam pœnitentem ad actus inhonestos, cumque hæc lex lata sit, vt Sacramenta reuerenter, & legitimè administrentur, vtque formidine pœnæ Confessarij in officio suo contineantur, maior ratio haberi debet boni communis, salutis animarum, debitæ administrationis Sacramenti, & fauoris Religionis, quàm incommodi; quod interdum posset subire persona aliqua particularis.

Instabis: in re dubia benignior interpretatio est 22
facienda, minorque malitia præsumenda. Item, quando verba, vel signa possunt habere bonum, vel malum sensum, potiùs sunt interpretanda in bonum, quàm malum sensum, *cap. graue, cap. quamvis, cap. non solùm*, 11.*quæst.*3. *Regul.in ambiguis, de regul.iur. in 6.cap. estote misericordes, eodem tit.cap.cùm dilecti, de accusation.cap. si fortè de elect. in 6.l. meritò, ff.pro socio, & l. proximè, ff. de his, quæ in testam.* Ergo cùm 23
laudare personam pœnitentem de pulchritudine, de venustate, & de morum elegantia, possit habere bonum, & malum sensum, non debent Inquisitores suspicari, quod huiusmodi verba, vel signa in malum sensum fuerint prolata.

Accedit quod ex Glossa *in c. Abbates*, 11.*q.*3.*vers. sinistrum contingat*, si Clericus fœminam amplectatur, præsumitur quod non ex libidine, sed potiùs ex animo illam benedicendi id operetur.

Respondetur: Transeat antecedens regulariter: 24
at nego tamen in casu nostro; quia cùm sola confabulatio cum fœmina in deteriorem partem interpretetur, *ex cap.perniciosum,in fine*, 18.*q.*2.*& ex c.Clericus,dist.*81.Et meritò, quia peccatum carnis est peccatum valdè lubricum; multò magis in deteriorem partem interpretanda sunt prædicta verba, vel signa. Præsertim quia sic exigit bonum commune, salus animarum, debita administratio Sacramenti, & fauor Religionis, vti suprà dicebam.

Quod verò ait Glossa de Clerico amplectente fœ- 25
minam, scilicet quod præsumitur non ex libidine, sed ex animo illam benedicendi id operari, est prorsus ridiculum, vti rectè præter alios obseruauit Abbas *in cap.*1.*de Clericis non residentib.n.*7.& Menoch.*de præsumpt.lib.*5.*præsumpt.*2.*n.*59.

Confessarius igitur iuxta ea, quæ dicebam, est de- 26
nunciandus, præsertim post constitutionem Gregorij XV. & decretum Alexandri VII. si laudet pœnitentem ex pulchritudine, vel venustate, &c.

Dummodò non constet, vel rationabiliter non præsumatur, quod sic laudauerit absque fine, vel intentione prouocandi ad actus inhonestos, vt si v. g. dixerit pœnitenti, quod suæ pulchritudini, vel venustati, &c. iniuriam faciat prostituendo se alteri. Quamvis & ab his verbis etiam Confessarius se abstinere debeat, cùm aliam efficaciorem, quàm istam rationem inuenire possit, vt pœnitens se non prostituat alteri. Ratio, quia pœnitentis pulchritudinem, vel venustatem, etiam in ipso actu confessionis laudare, non solùm non est de se peccatum mortale, sed nec

etiam est de se actus inhonestus, quin neque actus de se directus ad actum inhonestum. Videatur Sousa *in Aphor. Inquis. lib. 1. cap. 34. n. 5. & de Confess. sollicit. tractat. 1. cap. 1. num.* 10. Peyrinus *in priuileg. Minimor. tom.* 1. *Constitut.* 7. *Gregorij XV.* §. 6. Acuña *de Confessor. sollicitant. quæst.* 7. *num.* 13. Barbosa *de offic. Paroch. cap.* 19. *num.* 49. Freytas *de Confess. sollicit. q.* 7. *num.* 44. *&* 45. & Bonacina *in tract. var. disp.* 6. *punct.* 3. *num.* 3.

17 Confessarius etiam iuxta eadem, quæ dicebam, est similiter denunciandus, si pœnitenti verba dubia, vel factum, aut signum dubium protulerit; quia præter rationes suprà dictas, stante tali dubio, possunt Inquisitores vocare, & interrogare Confessarium, quanam intentione verba, vel signa illa dubia protulerit: ergo prædicta verba, vel signa dubia Inquisitoribus sunt denuncianda, vt scilicet ipsi cognoscant, & examinent, an ea fuerint sollicitationes pœnitentis. Consequentia patet, antecedens probatur; quia cùm Inquisitores possint in hoc crimine procedere, & vt constet, an commissum sit, necessariò explorari debeat mens ipsius Confessarij; cùm nisi ipsemet Confessarius id explicet, sciri non possit: consequens est, quod Inquisitores possint vocare, & interrogare prædictum Confessarium, vti dicebam; quia aliàs frustra daretur ipsis iurisdictio procedendi in dicto crimine, si id non possent: quando autem id fieri fuerit expediens, diligenter aduertere debebunt Inquisitores. Videatur præter alios Sousa *de Confess. sollicit. tract.* 2. *cap.* 4. *n.* 16. *& in Aphor. Inquis. lib.* 1. *c.* 34. *n.* 54. & Peyrin. *de priuil. Minim. tom.* 2. *const.* 4. *Gregorij XV.* §. 6. *n.* 21.

PETITIO I.

An denunciari debeat Sacerdos, si in actu confessionis absque vlla occasione dicat Pœnitenti: Sumerem te in vxorem, si non essem Sacerdos, sed sæcularis?

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos, si in actu confessionis absque vlla occasione dicat pœnitenti, acciperem te in vxorem, si non essem Sacerdos, sed sæcularis, est denunciandus, tanquam sollicitator, contra quosdam; quia dicta verba tali modo prolata videntur quammaximè prouocatiua ad venerem.*

2 *Laudare aliquem pœnitentem de pulchritudine, absque vlla occasione in confessione, quamuis talia verba non sint de se mala, neque contineant venereum affectum, censetur sollicitatio in confessione. Consequenter multò magis dicere, ducerem te in vxorem, si essem sæcularis.*

3 *Verba prædicta licèt non contineant certum sollicitationis sensum, sunt saltem dubia.*

1 Respondetur ex dictis suprà probabiliùs affirmatiuè, contra quosdam, quos sequitur Bordon. *in sacro Tribunali, c.* 23. *quæst.* 3. *num.* 54. quia dicta verba absque vlla occasione in actu confessionis prolata videntur quammaximè excitatiua ad venerem; & cùm sint impertinentia ad confessionem, sapiunt sollicitationem.

2 Confirmatur ad hominem contra Bordonum, quia si Sacerdos in actu confessionis absque vlla occasione laudet illam ex pulchritudine, quamuis talia verba, sicut & illa: Sumerem te in vxorem, si non, &c. non sint de se mala, neque contineant se venereum affectum, vult tamen Bordonus *ibidem quæst.* 8. *n.* 59. quod sit denunciandus: Ergo idem dicendum erit etiam in casu nostro.

3 Confirmatur 2. quia licèt prædicta verba non contineant certum sollicitationis sensum; possunt enim trahi in bonam, & prauam partem, erunt saltem dubia: ergo poterunt Inquisitores vocare talem Sacerdotem, & eum de intentione, cùm dicta verba protulit, interrogare, iuxta ea quæ dicebam *suprà*.

PETITIO II.

An denunciari debeat Sacerdos, si in actu confessionis det aliquod donum Pœnitenti?

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos, si in actu confessionis det aliquod donum pœnitenti, secundùm aliquos est denunciandus, quia sollicitatio fit etiam per largitionem donorum, & magis alliciunt dona, quàm verba, maximè quando Pœnitens non est pauper.*

2 *Sacerdos, si in actu confessionis donet aliquid Pœnitenti, non est denunciandus, secundùm alios, quia donum de sua natura non ordinatur ad venerem.*

3 *Sollicitatio licèt fieri possit per donum, ea tamen non præsumitur, neque asseri debet, nisi dono adiungantur verba præseferentia sollicitationem, in quo casu sollicitatio consisteret in illis verbis, & non in dono.*

4 *Sacerdos donans aliquid Pœnitenti, præsumitur quod donet ob paternitatem spiritualem, & suspicari, quod id faciat ex affectu venereo, prorsus esset temerarium.*

5 *Donum verò ex probabiliori, si non sit modici, sed notabilis valoris, & non detur pauperi, sed dicitè extra occasionem, & impertinenter ad confessionem, in tali casu est magna præsumptio contra Confessarium, & consequenter poterunt Inquisitores vocare talem Sacerdotem, & eum de intentione interrogare.*

Affirmant quidam, quos sequitur Trimarchus *de Confess. sollicit. disp.* 2. *sect.* 4. quia ex Ledesma, & Paramo sollicitatio fit etiam per largitionem munerum, & donorum. Secundò, quia magis alliciunt, & prouocant dona, quàm verba. Tertiò quia Pœnitens, vt supponitur, non est pauper. Ergo nihil aliud cogitare poterit, quàm quod Confessarius circa ipsum habeat venereum affectum, sicque ipsum tentet ad venerem. 1

Negant alij, quos sequitur Bordonus *in sacr. Tribunali, cap.* 23. *q.* 10. *n.* 61. & Escobar *de Confess. sollicit. part.* 1. *quæst.* 3. §. 2. *numero* 14. quia donum ea sua natura non ordinatur ad venerea: ergo de sua natura non est signum, vel factum sufficiens ad arguendam sollicitationem. Et sic tollitur primum argumentum contrariæ sententiæ affirmatiuæ prioris; esto enim per donum fieri possit sollicitatio, ea tamen non præsumitur, neque asseri debet, nisi dono adiungantur verba præseferentia sollicitationem: In quo casu sollicitatio consisteret in illis verbis, non in dono: tum quia donum esse potest ad beneuolentiam honestam, vel ad gratitudinem ob dona, & beneficia, siue accepta in præteritum, siue accipienda in futurum: ergo cùm sit indifferens, exinde colligi non potest, quod sit traditum ex affectu venereo, quinimò id suspicari, est temerarium, cùm in bonam partem accipi possit ob rationes dictas, & accipi debeat ob paternitatem spiritualem, & sic tollitur secundum, & tertium argumentum eiusdem contrariæ sententiæ affirmatiuæ prioris. Tum quia per Aduersarios, 2 3

sarios, si donum tribuitur Pœnitenti pauperi, non est sollicitatio, quia tunc per ipsos præsumptio stat pro Confessario ex titulo paupertatis: ergo neque si tribuitur Pœnitenti diuiti; quia tunc etiam præsumptio stabit pro Confessario ex titulo beneuolentiæ honestæ, vel gratitudinis ob dona, & beneficia, siue accepta in præteritum, siue accipienda in futurum, vti suprà dicebatur. His tamen non obstantibus,

5 Respondetur etiam ex dictis suprà probabiliùs affirmatiuè, si donum sit non modici, sed notabilis valoris, & non detur pauperi, sed diuiti, extra occasionem, & impertinenter ad confessionem; quia in tali casu est magna præsumptio contra Confessarium. Tum quia, vt rectè ait Escobar *vbi suprà, n.16.* non solùm prohibetur sollicitatio aperta, sed etiam palliata, tacitè scilicet, vel amphibologicè demonstrata, qualis videtur doni datio, de qua loquimur; cùm tam fœminæ, quàm adolescentuli facilè muneribus alliciantur, & prouocentur. Tum quia est sollicitatio saltem dubia: ergo poterunt Inquisitores vocare talem Sacerdotem, & eum de intentione interrogare, iuxta ea, quæ *suprà* dicebam.

SECTIO IV.

An Inquisitoribus denunciari debeat Sacerdos, si Pœnitenti tradat in confessione chartam, in qua ad venerem illum incitet, non post susceptum Sacramentum immediatè, sed post illud transacto iam aliquo tempore legendam?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitoribus denunciari debet Sacerdos, si Pœnitenti tradat in confessione chartam, in qua ad venerem illum incitet, non post susceptum Sacramentum immediatè, sed post illud transacto iam aliquo tempore legendam; quia traditio illa charta est iam moraliter incepta, seu inchoata sollicitatio, & negari non potest, quin per illam fiat iniuria Sacramento.*

2 *Traditio talis charta videtur solùm charta sollicitationis, non autem vllo modo sollicitatio: Pœnitens enim non mouetur ad peccatum, quando recipit chartam, sed quando legit illam extra confessionem.*

3 *Sacerdos vt subjiciatur pœnis constitutionum Pontificiarum aduersùs sollicitantes, requiritur quod delictum sit completum in ratione sollicitationis, quemadmodum in excommunicatione contrahenda requiritur v. g. percussio Clerici completa in ratione percussionis, &c.*

4 *Finis principaliter intentus in prædictis Pontificiis Constitutionibus aduersus sollicitantes, est ne Pœnitens loco reconciliationis peccatis grauioribus oneretur, & loco Medicina venenum propinatum accipiat.*

5 *Non obstat, si dicatur, quod per talem traditionem fit iniuria Sacramento.*

6 *Talis actio, prout est facta in confessione, omninò indifferens est in foro externo, neque ab alio, quàm à tradente malitia illius cognoscitur. Consequenter Sacerdos non videtur denunciandus.*

7 *Traditio prædicta charta legenda, transacto aliquo tempore post confessionem, est verè sollicitatio denuncianda, non obstantibus quibuscumque: debet enim præcaueri, & coërceri omnis occasio huius delicti, & per accidens est, quod charta tradita non immediatè legatur.*

1 Respondetur affirmatiuè: Ita Doctores, quos sequitur Fagund. *de precept. Eccl. in edit. nouissima, part. 2. lib. 4. cap. 3. num. 61.* & Ioan. Sanchez *in selectis, disp. 11. num. 31.* quia traditio illa chartæ est iam moraliter incepta, seu inchoata sollicitatio. Et negari non potest, quin per illam fiat iniuria Sacramento, cum Pœnitenti tempore, quo monendus erat de mutatione vitæ in melius, tradatur instrumentum, quo saucietur, & venenum, quo inficiatur. Ergo.

2 Objicies: talis chartæ traditio est solùm causa sollicitationis, non autem vllo modo sollicitatio: Ergo non est Inquisitoribus denuncianda: Consequentia patet. Antecedens probatur; quia pœnitens non mouetur vllo modo ad peccatum, quando recipit chartam, sed quando legit illam: Ergo non sollicitatur vllo modo in confessione, sed extra illam; cùm actualis inductio ad peccatum formaliter sit sollicitatio.

3 Objicies 2. vt Sacerdos subjiciatur pœnis contentis in Pontificiis constitutionibus aduersùs sollicitantes, & sic sit Inquisitoribus denunciandus, requiritur, quod delictum sollicitationis sit completum in ratione sollicitationis; quemadmodum, vt contrahatur excommunicatio Canonis, *si quis suadente diabolo*, requiritur quod Clerici percussio sit completa in ratione percussionis; & vt contrahatur irregularitas ex homicidio voluntario, requiritur quod homicidium sit completum in ratione homicidij, neque sufficit, quod delinquens causam dederit his delictis: ergo cùm in traditione prædictæ chartæ non sit, sollicitatio completa in ratione sollicitationis, imò neque sit vllo modo sollicitatio, non erit Sacerdos, sic delinquens, denunciandus, neque ex rigore decreti sanctæ Inquisitionis puniendus.

4 Objicies 3. finis principaliter intentus in prædictis Pontificiis constitutionibus aduersùs sollicitantes est, ne Pœnitens loco reconciliationis peccatis grauioribus oneretur, & loco medicinæ venenum propinatum recipiat: at in supradicto casu cessat hic finis: Ergo. Maior patet ex contextibus. Minor probatur; quia absolutè Pœnitens per confessionem de præsenti Deo reconciliatur, & medicinam; non autem venenum recipit; cùm reconciliationi, & medicinæ prædictæ charta tradita non obstet: Ergo.

5 Objicies 4. talis actio, prout est facta in confessione, omninò indifferens est in foro externo, neque ab alio, quàm à tradente malitia illius cognoscitur: ergo Sacerdos Pœnitenti illam tradens non est Inquisitoribus denunciandus; cùm solùm actio, quæ in Sacramento mala apparet, & quæ Pœnitentem in Sacramento sauciare, vel maculare potest, Inquisitoribus denunciari debeat, vti patet ex iisdem contextibus.

6 Objicies 5. Non obstat, si dicatur: Per traditionem prædictæ chartæ fit iniuria, & abusus Sacramento. Respondetur enim, fit quidem iniuria, & abusus Sacramento, sed absque sollicitatione, quæ præterea requiritur ad incurrendas pœnas Pontificiarum constitutionum. Neque etiam obstat, si dicatur, ex negatiua sententia daretur Confessariis ansa, & occasio sollicitandi Pœnitentes, fraudando legem, & eludendo pœnas prædictarum constitutionum. Respondetur enim, daretur quidem Confessariis talis ansa, & occasio, sed remotè, & non fraudando legem, sed subtrahendo se à lege, constituendo scilicet se sub circumstantiis, in quibus non obligat lex: sicut enim quis vt in die in quo obligat ieiunium, euitet obligationem ieiunij, per ludum pilæ v. g. vel per coitum etiam illicitum, reddit se impotentem ad ieiunium, vel confert se ad locum vbi non obligat ieiunium; sic enim constituendo se sub circumstantiis,

In quibus non obligat ieiunium, non peccat, si non ieiunet, contra ieiunium.

7 Ob has rationes poterit alicui non improbabilis omninò hæc negatiua sententia videri; ita vt scilicet prædictæ chartæ traditio non sit sollicitatio in Bullis Pontificis si charta non post susceptum Sacramentum immediatè, sed post illud, transacto iam aliquo tempore, legatur aliquo modo comprehensa, & sic Inquisitoribus nequa denoncianda. At quia delictum est nimis graue, nimisque perniciosum, vt propterea præcaueri, & coërceri debeat omnis occasio illud committendi, contrarium dicendum arbitror, vti suprà in principio dicebam; præsertim quia de se valde per accidens ast, quod charta tradita non immediatè, sed transacto iam aliquo tempore post susceptum Sacramentum legatur.

SECTIO V.

An Inquisitoribus denunciari debeat Sacerdos, si Pœnitentem sollicitet ad actus turpes, & inhonestos in gratiam alterius, vt scilicet illos Pœnitens non cum ipso Sacerdote, sed cum alio committat, vel exerceat?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitoribus denunciari debet Sacerdos, si Pœnitentem sollicitet ad actus turpes, & inhonestos in gratiam alterius, vt scilicet illos pœnitens cum alio committat: Hac enim sollicitatio censetur comprehensa in Bullis Pontificis, præsertim Gregorij XV.*

2 *In dictis Bullis punitur Confessarius sollicitans pœnitentem ad actus inhonestos, & non dicitur ibi ad actus inhonestos cum ipso Confessario.*

3 *Confessarius, eo quòd grauem irreuerentiam infert Sacramento Confessionis, eoque abutitur, redditur suspectus de hæresi, & malè sentire de ipso Sacramento.*

1 Responderur affirmatiuè, itavt & hæc sollicitatio censeatur comprehensa in Bullis Pontificiis, præsertim Gregorij XV. atque adeo Inquisitoribus sit denuncianda: quia verè Sacerdos in tali caso etiam pœnitentem ad actus turpes, & inhonestos inducit; & per accidens est, quod illi cum ipso Sacerdote, vel cum altero sint committendi, & exercendi. Graff. *consil.1. num.41. de cognat. spirituali*, Acugna *q.17.n.5.* Freytas *quæst.7.num.13.* Ioan. Sanchez *in selectis, disp.11. num.43.* & alij passim. Vida etiam quæ dicebam *sectione sequenti.*

2 Confirmatur, quia in dictis Bullis Pontificiis punitur Confessarius sollicitans pœnitentem ad actus inhonestos. Et non dicitur ibi *ad actus inhonestos cum ipso Confessario*, sed generaliter. At lex generaliter loquens, generaliter est intelligenda. Ita Parisius *lib.1. consil.20. n.77.* Gabriel *de regul. iur. concl.4. n.22.* Surd. *libr.3. consil.303. num. 35.* & Natta *consil.546. n.13.* Ergo, &c.

3 Confirmatur 2. quia in eisdem Bullis Pontificiis punitur Confessarius, eo quòd grauem irreuerentiam infert Sacramento Confessionis, eoque abutitur, sicqua redditur suspectus de hæresi, & malè sentire de ipso Sacramento: Quæ rationes æquè militant in Confessario, siue sollicitet pro se, siue pro alio; quinimò videtur esse magis suspectus, si sollicitet pro alio: at non solùm in fauorabilibus, sed etiam in odiosis, & pœnalibus, præsertim si simus in iis, quæ sunt eiusdem generis, non omninò improbabiliter possa, & debere fieri extensionem ex paritate, vel maioritate rationis, putant Nauarius *in cap. Pœnæ, de Pœnitent. distinctione 1. num.10.* Bolognetus *in leg. omnes populi, ff. de iustitia & iure, n.130.* Antonius Gabriel *tom.2. consiliorum, lib.17.* Guttier. *de iuramento, part.3. cap.2. num.8. & 9.* & alij mult Doctores: Ergo, &c.

SECTIO VI.

An Inquisitoribus denunciari debeat Sacerdos, si Pœnitentem sollicitet, vt procuret, quod alia persona cum ipso Sacerdote, vel cum aliquo alio in actus turpes, & inhonestos consentiat, v. g. vrgeat Pœnitentem de prostituenda sibi vel alteri filia, consanguinea, vel amica, &c.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitoribus denunciari debet Sacerdos, si Pœnitentem sollicitet, vt procuret, quod alia persona cum ipso Sacerdote, vel cum alio in actus turpes, & inhonestos consentiat, verbi gr. vrgeat Pœnitentem de prostituenda sibi, vel alteri filia, consanguinea, vel amica, &c. maximè si loquamur de constitutione Gregorij XV.*

2 *Idem die procedere ex constitutione Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. sunt enim emanata contra prouocantes Pœnitentes suos ad actus inhonestos, sicut etiam facit, qui mediat, seu procurat per alium.*

3 *Sollicitationem Pœnitenti factam prohibendi tota ratio est, ne Sacerdos propinet venenum, cui debet propinare salutis antidotum.*

4 *Decreta dictorum Pontificum, vtpotè in bonum Religionis, & salutem Animarum, sunt fauorabilia, & amplianda.*

Respondetur, de hac re videatur Acugna *de Confess. sollicit. q.17. n.8.* & ibi Freytas *n.14.* Sousa *de Confess. sollicit. in Annot. ad Bullam Gregorij XV. numero 7. & in Aphorism. Inquis. lib.1. cap.34. num.22.* Naldus *in Addit. ad summam, verb. Confessio, n.31.* Bonacina *in tract. var. disp.6. punct.3. num.19.* Sancius *in select. disput.11. num.43. & 44.* Peyrinus *in priuil. Minim. tom.2. constitut.4. Gregory XV. §.5. n.26.* Nouarius *in sum. Bullar. titul. de sollicitatione in confessione, num.10.* & Lezana *in summa quæst. Regul. cap.19. num.34.* 1

Et quidem si loquamur de constitutione Gregorij XV. dubium non est, quod talis sollicitatio, quidquid in contrarium dubitara videatur Sousa *de Confess. sollicit. in Annot. ad Bullam Gregorij XV. n.7.* sit ibi comprehensa, atque adeò Inquisitoribus denuncianda; quia ibi Pontifex ait: denunciandos esse Sacerdotes, qui ad inhonesta, siue inter se, siue cum aliis perpetranda sollicitauerit. Et paulò post: qui cum Pœnitentibus illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint.

At si loquamur de constitutione Pij IV. de constitione Clementis VIII. & Pauli V. de decretis Inquisitorum, quamvis quidam ex Doctoribus, quos suprà citabam, probabile putent, non esse talem sollicitationem ibi comprehensam, atque adeò non esse talem Sacerdotem sic sollicitantem, Inquisitoribus denunciandum; quia cùm sollicitatio ista non sit ad exequendom carnis peccatum cum pœnitente, seu non sit sollicitatio Pœnitentis, sed lenonis, vel turpia

intercesso

in tercessoris, non videtur in prædictis Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. constitutionibus comprehensa, seu prohibita, probabilius tamen est oppositum; quod putant alij.

2 Probatur, quia ex prædictis Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. constitutionibus, & ex Inquisitorum edictis mandantur denunciari Sacerdotes, qui mulieres pœnitentes ad actus inhonestos prouocant, seu alliciunt: At qui prouocat pœnitentem, vt mediet, seu procuret, absolutè prouocat ad actus inhonestos, cùm illa ipsa mediatio, seu procuratio sit actus inhonestus, & eiusdem speciei cum crimine præparando:) ergo.

3 Confirmatur, quia tota ratio prohibendi sollicitationem pœnitentis factam, est ne Sacerdos propinet venenum, cui debebat propinare salutis antidotum, & ne loco reconciliationis, eidem grauiorem peccati molem imponat. At hoc ipsum locum habet etiam in casu nostro: Ergo.

4 Confirmatur secundò, quia ex sententia satis probabili, prædictorum Pontificum Decreta, vtpote in publicam vtilitatem, in salutem animarum, in fauorem Religionis, quæ est summa ratio, *l. sunt in, finali, ff. de Religiosis & sumptibus funerum*, & colligitur *ex cap. in fidei fauorem, de hæretic. in 6.* & in fauorem Sacramenti Pœnitentiæ principaliter lata, sunt fauorabilia: Ergo potiùs extendi, quàm limitari debent. Vide etiam quæ dicebam *Sectione præcedenti*.

SECTIO VII.

An Inquisitoribus denunciari debeat Sacerdos, si Pœnitens ipsum sollicet ad copulam; Sacerdos verò renuat, intendens solùm osculis, vel tactibus cum pœnitente delectari, & ad illos solos Pœnitentem prouocet?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitoribus denunciari debet Sacerdos, si Pœnitens ipsum sollicitet ad copulam, Sacerdos verò renuat, intendens solùm osculis, vel tactibus cum pœnitente delectari, & ad illos solos pœnitentem prouocet.*

2 *Fœmina, v. g. si prouocet Confessarium ad actum Sodomiticum, Confessarius verò renuens, ad actum naturalem illam inciset, absque dubio Inquisitoribus denunciari debet.*

3 *Minus malum alteri etsi liceat consulere, vt maius vitetur, quando alia via maius vitari non potest. Tamen cùm potest vitari maius malum sine effectione mali minoris, nullo modo licet minus malum efficere, præsertim si minus malum sit intrinsecè malum.*

4 *Fœmina ad actum Sodomiticum inducta non licet vas naturale offerre, vt sic præposterum seruet, quia talis oblatio est intrinsecè mala.*

5 *Confessarius sollicitatus à fœmina pœnitente ad malum, v. g. ad peccatum Sodomiticum, si is sollicitet ad minus malum, puta ad fornicationem tantum, dicitur absolutè sollicitator ad malum, quia fornicatio est intrinsecè mala, & ipsi sacrilega. Et idem dic, si tantùm sit contentus de osculis, &c. quia ita etiam consensit in sollicitatione; & consequenter denunciandus.*

6 *Confessarius, & Pœnitens si se sollicitent adinuicem, seu ad inuicem fiat ab ipsis sollicitatio, prius à Pœnitente, posteà verò à Confessario, non est denunciandus, quia id ex parte Confessarij non est prouocare, sed potiùs in prouocationem factam consentire, & illam continuare, contra sentientes oppositum.*

7 *Verba constitutionis Gregorij XV. referuntur ad Confessarios auctores inhonestorum sermonum, & tractatuum.*

8 *Confessarius non est denunciandus, si sollicitationi consentiat metus causa ductus, vt si ad ægrotantis Pœnitentis confessionem vocatus sollicitetur ab illo minante, se exclamaturum, sibi vim inferri ab ipso, nisi consentiat, vt propterea ad vitandum periculum infamiæ, actui impudico non renuat.*

9 *Confessarius huiusmodi si denunciaretur, puniendus esset ab Inquisitoribus pœna arbitraria, & extraordinaria tantùm, absque vlla abiuratione.*

10 *Pœnitens si in Confessione sollicitet Confessarium, & is consentiat Pœnitenti; Confessarius non incurrit pœnas Pontificiarum constitutionum; quia loquuntur de Confessario sollicitationi consentiente, vel fornicario.*

11 *Sollicitatio supponit preces, & postulationes prærequisitas; ideoque Pontifices vtuntur his verbis: allicere, vel prouocare, &c.*

12 *Lex non fertur ad id, quod rarò contingit, sed accommodatur ad id, quod frequentiùs accidit.*

13 *Fœmina delinquens punitur minus, quàm vir, si vir delictum idem committat.*

14 *Fœmina minùs rationis habent, quàm viri, ideoque si cætera sint paria, fœmina minus peccat, quàm vir.*

15 *In terminis constitutionis Gregorij XV. contrarium docent alij non omninò improbabiliter, propter verba illius constitutionis hîc ponderata, præsertim quia non excipitur casus, in quo ipse non fuerit primus.*

16 *Sententia Auctoris, quæ erat certa ante constitutionem Gregorij XV. nunc difficultatem habet.*

17 *Verba constitutionis Gregorij XV. non sunt intelligenda de Confessario consentiente sollicitationi Pœnitentis, quem excipit Pontifex implicitè, propter rationes dictas, sed de sollicitante ad aliquid inhonestum perpetrandum.*

18 *Confessarius consentiens sollicitationi, sed statim desistens loqui de turpi illa materia, differendo complementum sollicitationis ad aliud tempus, & non prætendo Pœnitenti absolutionem, in sententia Auctoris non est denunciandus; quia Confessarius in hoc casu tantùm videtur esse infidelis Minister, qui pœnitentem ab impudico proposito noluit, tùm deberet ex officio, distrahere, seu amonere, non autem videtur esse sollicitans.*

19 *Confessarius prædictus est denunciandus in sententia aliorum non improbabili, quia vt is incurrat prædictas pœnas constitutionis Gregorij XV. non est opus, quod absolutionem Sacramentalem impendat, nec vt de rebus turpibus, & inhonestis longiùs cum Pœnitente loquatur, sed sufficit solùm, quod Pœnitentis sollicitationi consentiat.*

20 *Confessarius in vtraque sententia, tam affirmatiua, quàm negatiua, est denunciandus, si Pœnitens ad actum Sodomiticum prouocet Confessarium, & Confessarius è contra Pœnitentem ad actum copulæ naturalis.*

21 *Item certò denunciandus est, si Pœnitens sollicitasset Confessarium, & postea dolere tactus peteret de hoc absolutionem; & Confessarius nihilominus sollicitaret ipsum Pœnitentem, quia cessauit Pœnitens à sollicitatione, & constituitur in statu, ac si nunquam sollicitasset.*

22 *Item etiam certò denunciandus est, si Pœnitens*

animo confitendi accusaret se in confessione, habuisse animum peccandi cum ipso Confessario, vnde ipse sumeret occasionem sollicitandi.

15 *Pœnitens si similiter in confessione sollicitet Confessarium, neque etiam incurrit ipse Pœnitens pœnas prædictarum Constitutionum, quia loquuntur de Confessario sollicitante.*

1 RESpondetur, quod quamuis nonnulli, quos sequitur Ioannes Sanchez *in select. dispnt.* 11.*n.*28.
satis probabiliter putent, talem Sacerdotem Inquisitoribus denunciari debere, quia tam à copula, quàm ab osculis & tactibus pœnitentem auertere poterat: Ergo, cùm ad eos illum prouocet, grauiter peccat,
2 atque adeò Inquisitoribus denunciari debet: Tum quia si fœmina v.g. prouocet Confessarium ad actum sodomiticum, confessarius verò renuens ad actum naturalem illam incitet, absque dubio confessarius Inquisitoribus denunciari debet: Ergo similiter, si confessarius à pœnitente prouocatus ad copulam, & renuens, ad oscula, & tactus pœnitentem prouocet, Inquisitoribus denunciari debebit. Consequentia patet
3 à pari. Antecedens probatur, quia etsi liceat minus malum alteri consulere, vt maius vitetur, quando alia via minus vitari non potest; tamen cum potest vitari maius malum sine effectione mali minoris, nullo modo licet minus malum efficere, præsertim si mi-
4 nus malum sit intrinsecè malum. Vnde non licet fœminæ ad actum sodomiticum inductæ vas naturale offerre, vt sic præposterum seruet; quia talis oblatio est intrinsecè mala. Nihilominùs oppositum non omninò improbabile esse puto.

5 Probatur, quia esto, si fœmina prouocet Confessarium ad actum sodomiticum, Confessarius verò renuens fœminam ad actum naturalem incitet, vel è contra, Confessarius sit Inquisitoribus denunciandus; quia tunc absolutè Confessarius inductor est ad malum, ad quod non est à fœmina prouocatus: At quando prouocatus ad copulam, renuit copulam, volens se osculis, vel tactibus tantùm delectare, non censetur sollicitare pœnitentem ad malum, sed solùm sollicitationi sibi à pœnitente factæ consentire: (pœnitens enim prouocans ad copulam, tacitè, & virtualiter prouocat ad oscula, & tactus, vtpote præuia ad copulam: Quapropter copula in pœnitentiæ Sacramento manifestata, nulla est obligatio confitendi oscula, & tactus:) Ergo Confessarius suadens in tali casu solùm oscula, & tactus, renuens vlterius prosequi, non suadet pœnitenti ad copulam sollicitanti aliquod malum, ad quod ipse pœnitens confessarium non prouocauerit. Quinimmò pœnitenti suadet, vt contentus sit solùm sollicitatione ad oscula, & tactus, & vltra non velit procedere: Ergo non est in tali casu Inquisitoribus denunciandus.

Confirmatur ad hominem; quia ipsemet Io. Sanchez *in selectis, cit. disp.* 11. *n.*16. cum Acugna *q.* 11. *n.*1. *per totum*, & ibi Freytas *n.* 14. Portell. *in Addit. ad dub. Regul. vers. sollicitare fœminas, num.* 10. & aliis tenet, quod si adinuicem fiat sollicitatio, à pœnitente primò, & à Confessario secundò, ita vt mutuò ad inhonesti, & turpis actus complementum se prouocet, Confessarius non sit Inquisitoribus denunciandus, quia ex parte Confessarij illa non est prouocatio, sed solùm in prouocationem factam consentire, solumque illam continuare. At quando Confessarius à pœnitente prouocatus ad copulam persuadet pœnitenti oscula, & tactus, solùm in dimidiatam prouocationem, seu in dimidiam partem prouocationis consentit: Ergo non est in tali casu Inquisitoribus denunciandus.

6 Ex dictis sequitur, quod si Confessarius, & pœnitens ad inuicem se sollicitent, seu ad inuicem fiat ab illis sollicitatio, priùs à pœnitente, postea verò à Confessario, Confessarius in tali casu non est denunciandus, quia id ex parte Confessarij non est prouocare, sed potiùs in prouocationem factam consentire, & illam continuare. Tum quia verba illa consti- 7
tutionis Gregorij XV. referuntur ad Confessarios Authores inhonestorum sermonum, seu tractatuum, vti colligitur ex ly habuerint, quod sine dubio refertur tantùm ad Confessarios. Acugna *de Confess. sollicit. q.* 11. *n.* 1. Peyrinus *in Priuil. Minim. tom.* 2. *constit.* 4. *Gregorij XV.* §. 3. *n.* 10. & Sancius *in selectis, dispnt.* 11. *n.* 26. Quamuis contrarium, tam in terminis constitutionis Gregorij XV. quàm in terminis constitutionum Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. teneant Sousa *in Aphor. Inquis. lib.* 1. *cap.* 34. *n.* 11. *&* *de Confess. sollic. tract.* 1. *cap.* 6. *num.* 9. Freytas *de Confess. sollicit. q.* 11. *num.* 35. *edit. vlt.* Trimarchus *de Confess. sollic. disp.* 2. *sect.* 4. Escobar *de Confess. sollic. par.* 1. *q.* 3. *n.* 44. & Ioseph de Augustino *tit. de Confess. sollic. num.* 4.

Et multò magis (qua de re *infrà sect.* 13. *Petit.* 10.) 8
Confessarius non est denunciandus, si sollicitationi consentiat metus causa ductus, vt si timeat vim sibi inferri ab ipso, nisi consentiat, vt propterea dictus Confessarius ad vitandum periculum infamiæ, actui impudico non renuat. Acugna, & Grassius, quos citat, & sequitur Iuan. Sancius *tit. disp.* 11. *n.* 30. Leander de Sacrament. *tract.* 5. *disp.* 13. *q.* 23. *circa fin.* & Peyrinus *cit* § 3. *n.* 9.

Quamuis si talis Confessarius denunciaretur, Sou- 9
sa *in Aphorism. Inquis. lib.* 1. *cap.* 34. *num.* 28. *&* *de Confess. sollic. tract.* 1. *cap.* 17. *num.* 8. *&* 9. velit, quod puniendus sit ab Inquisitoribus, pœna arbitraria tamen, & extraordinaria tantùm, absque vlla abiuratione. Freytas autem *de confess. sollic. q.* 11. *n.* 36. velit, quod dictus Confessarius non sit denunciandus, quin non possit ab Inquisitoribus puniri pœna, neque etiam arbitraria, & extraordinaria tantùm. Vide quæ dicam *infrà cit. sect.* 13. *Petit.* 10.

Ex dictis igitur sequitur, quod si pœnitens in 10
Confessione sollicitet Confessarium, & Confessarius consentiat pœnitenti, Confessarius non incurrit pœnas Pontificiarum constitutionum; quia eæ loquuntur de Confessario sollicitante, non autem de Confessario sollicitationi consentiente, vel fornicario, &c.
Sollicitatio enim supponit preces, & postulationes 11
prærequisitas. Ideoque Pontifices vtuntur his verbis, *allicere*, vel *prouocare*; sed Confessarius priùs sollicitatus non postulat, non allicit, non prouocat: Ergo non est denunciandus. Tum quia rarò contingit, quod pœnitens in Confessione sollicitet Confessarium: Ergo dictæ constitutiones non loquuntur in tali casu, cùm lex non feratur ob id,
quod rarò contingit, sed accommodetur ad ea, quæ 12
frequentiùs accidunt, *l. Nam ad ea, ff. de legibus.* Tum quia in dicto casu Confessarius quodammodo amittit vsum rationis: Ergo videtur tunc mens Ponti- 13
ficum esse, quod velint talem Confessarium punire pœnis tam grauibus. Antecedens patet. Consequentia probatur, quia si fœmina delinquat, punitur pœnis leuioribus, quàm vir, si vir delictum idem committat, *l. si adulterium, §. stuprum, ff. de adulter. l. Sacrilegij pœnam, ff. ad leg. Iuliam pec. l. quisquis, §. ad filias, Cod. ad l. Iul. maiest. cap. indignantur,* 32. *q.* 6. *&* *in cap. sicut dignum, in princ. de homicid.* Ratio,
quia ex Doctoribus communiter apud Tiraquellum 14
in legib. connubial. lib. 1. *n.* 69. fœminæ minùs rationis habent, quàm viri. Ideoque si cætera sint paria, fœmina minùs peccat, quàm vir. S. Thomas 2. 2. *q.* 193. *art. vlt. &* *in* 4. *dist.* 35. *quæst.* 4. & ibi S. Bonauentura *in expositione literæ.* Richardus *art.* 7. *q.* 4. & alij passim.

Quamuis contrarium in terminis constitutionis 15
Gregorij XV. doceant alij non omnino improbabiliter, propter verba illa dictæ constitutionis Gregorij

gorij XV. *aut cum eis illicites, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint*: & paulò post, *seu tractantes, vt suprà*. His enim verbis denotari videtur, quod non solùm Confessarius sollicitans, sed etiam sollicitatus, si prædicta commiserit, comprehendatur in ea constitutione, sicque propterea similiter Inquisitoribus denunciandus; præsertim quia non excipitur casus, in quo ipse non fuerit primus; sed satis est, si inhonestos sermones, seu tractatus habuerit. Fagundez *de precept. Eccles. precet. 2. lib. 4. cap. 3. num. 56. & 57.* Diana *part. 4. tract. 5. resol. 42.* & alij, quos suprà citabam.

16 Quapropter, licèt nostra sententia fuerit certa ante constitutionem Gregorij XV. nunc tamen difficultatem habet, quia in dicta constitutione Pontifex vult, esse denunciandos Confessarios, qui pœnitentes sollicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum iis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint: Vbi Pontifex non solùm simpliciter, vt fecerant priùs Pius IV. Clemens VIII. & Paulus V. vtitur verbis *sollicitandi*, & *procurandi*, sed disiunctiuè addidit illa verba: *aut cum iis illicites, & inhonestos sermones, sine tractatus habuerint*. At Confessarius in isto casu, licet priùs à Pœnitente fuerit sollicitatus, tamen illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus cum illo in Confessione habet: Ergo vigore dictæ constitutionis est denunciandus.

17 Responderi tamen potest cum Peyrino *in Privil. Minimorum, tom. 2. constitutione 2. Gregorij XV. §. 2. num. 2. & § 3. num.* 10. Homobono *de Examin. Eccles. tom. 2. tract. 11. cap. 12. q. 26.* Bonacina *in tract. var. disp. 6. punct. 3. n. 17.* & Ioanne Sancio *in select. disp. 55. num. 25. & 26.* illa verba constitutionis Greg. XV. esse intelligenda non de Confessario consentiente sollicitationi Pœnitentis, quem excipit Pontifex propter rationes dictas, sed de Confessario loquente de rebus turpibus in Confessionario cum Pœnitente, absque sollicitatione ad aliquid inhonestum perpetrandum.

18 Ex his soluitur illa quæstio: An Confessarius consentiens sollicitationi, sed statim desistens loqui de turpi illa materia, differendo complementum sollicitationis ad aliud tempus, & non præbendo Pœnitenti absolutionem, sit denunciandus.

Non est enim denunciandus in nostra sententia, & tenet Sousa *de Confess. sollicit. tract. 5. cap. 6. num. 8. & in Aphor. Inquis. lib. 1. cap. 34. num. 10.* quia Confessarius in hoc casu solùm videtur esse infidelis ministrer, qui pœnitentem ab impudico proposito noluit, cùm deberet ex officio, distrahere, seu amouere: Non autem videtur esse sollicitans, neque videtur esse volens inferre iniuriam Sacramento, sicuti colligi potest ex eo, quod noluerit confitenti, tanquam personæ indispositæ, absolutionem impendere. Naque videtur esse abutens Sacramento positiuè, quod ad transgressionem constitutionis Gregorij XV. necessariò requiri videtur, ex illis verbis: *allicere, prouocare*, &c. quæ abusum Sacramenti actiuum importare; sed solùm videtur esse non benè vtens Sacramento, Sacramentum ministrando.

19 Est autem denunciandus in sententia aliorum posteriori non omninò improbabili, quia vt incurrat Confessarius prædictas pœnas constitutionis Gregorij XV. non est opus, quod absolutionem Sacramentalem impendat, nec vt de rebus turpibus, & inhonestis longiùs cum Pœnitente loquatur; sed sufficit solùm, quod Pœnitentis sollicitationi consentiat, per quæcumque scilicet verba, quia eo ipso quod ipse sollicitationi consentit, dicitur habere turpes, & inhonestos sermones cum pœnitente: Quod prohibet Gregorius XV. in sua constitutione: Non enim magis, aut minùs mutant substantiam, vel differunt specie, *l. finali, ff. de fund. instruct. & l. si is cui, ff. quemadmodum servit. amitt.* & docent Surdus *consil. 305. num. 66. & consil. 368. num. 13.* Marius Antoninus *var. resol. lib. 3. resol. 39. num. 4.* Ferre *in constitut. Catalan. glos. 8. n. 155.* & alij passim.

Aduerte tamen hic, quod in vtraque sententia (tam scilicet affirmatiua, quod sit Confessarius denunciandus, quàm in negatiua, quod non sit denunciandus) certò denunciandus est, si fœmina Pœnitens prouocaret Confessarium ad Sodomiam, Confessarius verò prouocaret Pœnitentem ad copulam naturalem; vel si fœmina Pœnitens prouocaret Confessarium ad fornicationem, Confessarius verò prouocaret Pœnitentem ad mollitiem, vel è contra. Quia in vtroque casu Confessarius sollicitat Pœnitentem ad malum, ad quod sollicitatus non fuit à Pœnitente. 20

Item certò denunciandus est, si Pœnitens sollicitasset Confessarium; at postea Pœnitens dolore tactus peteret de hoc absolutionem à Confessario, à quo tamen postea sollicitaretur Pœnitens; quia postquam Pœnitens cessauit à sollicitatione, constituitur in statu, ac si nunquam sollicitasset, vt propterea sollicitatio Pœnitentis postea facta à Confessario non possit dici continuatio sollicitationis factæ à Pœnitente, sed potius noua sollicitatio ex parte ipsius Confessoris. 21

Item etiam certò denunciandus est, si Pœnitens animo confitendi accusaret, se in Confessione habuisse animum peccandi cum ipso Confessario. Vnde Confessarius sumeret occasionem sollicitandi Pœnitentem, quia ex dictis in tali casu Confessarius potiùs diceretur sollicitare Pœnitentem, quàm è contra: secus si id Pœnitens diceret animo sollicitandi Confessarium, quia tunc Confessarius potius sollicitaretur à Pœnitente, quàm è contra, & Confessarius solùm censeretur Pœnitentis sollicitationi consentire, & illam continuare. 22

Sequitur secundò, quod si similiter Pœnitens in Confessione sollicitet Confessarium, neque etiam Pœnitens sollicitans incurrit pœnas prædictarum constitutionum: sic Doctores, quos referam *infrà Sectione 12. in fine*, quia prædictæ constitutiones loquuntur de Confessario sollicitante Pœnitentem, non autem de Pœnitente sollicitante Confessarium. Tum quia, sicuti dicebam, non est par ratio: Raró enim contingit, quod Pœnitens in Confessione sollicitet Confessarium, & leges accommodantur ad ea, quæ frequentiùs accidunt: Tum quia, si Confessarius sollicitet Pœnitentem, est grauius peccatum, & maius periculum, quàm si Pœnitens sollicitet Confessarium; facilè enim posset Confessarius persuadere Pœnitenti, non esse peccatum, exercere quosdam actus inhonestos, v.g. tactus, amplexus, oscula, &c. (quod non est timendum de Pœnitente) sicque facilè possent tales Confessarij parere in Ecclesia doctrinam pestiferam, vt propterea Pontifices tales constitutiones laudabiliter ediderint, & promulgauerint. Vide quæ dicam *infrà, citata Sectione 12. in fine.* 23

SECTIO VIII.

An Inquisitoribus denunciari debeat solùm sollicitatio ad venerem? Vbi etiam, si contigerit solùm in Sacramento Confessionis?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitoribus non est denunciandus Confessarius sollicitans ad alia peccata præter venerea, contra Pegnam, & alios asserentes debere Pænitentem ad*

ad quodlibet peccatum à Confessario sollicitatum, sollicitantem Confessarium denunciare; quia id in nulla constitutione habetur, neque in edictis Inquisitorum; cùm semper hæc solùm de sollicitantibus ad impudicitiam, peccata carnis, actus venereos, libidinosos, turpes, vel inhonestos loquantur.

2 *Mens Pontificum non fuit per recensitas constitutiones omnibus sceleribus remedium adhibere.*

3 *Non obstat, in dictis constitutionibus dici denunciandos Confessarios inducentes, seu prouocantes ad actus inhonestos; quia se restringunt ibi ad actus venereos, seu libidinosos.*

4 *Neque obstat, in constitutione Gregorij XV. de hac re prohiberi etiam sermones illicitos, quia loquitur in materia libidinosa.*

5 *Inquisitoribus denuncianda necessariò neque est sollicitatio ad Venerem, si illa interuenerit in administratione aliorum Sacramentorum, vt Baptismi, Eucharistiæ, & Matrimonij, &c. quia quod talis denunciatio fiat, nullibi reperitur cautum.*

6 *Superioris è contra delinquentis denuncianda est tam sollicitatio ad Venerem in administratione aliorum Sacramentorum, quàm sollicitatio ad quodcunque aliud peccatum mortale, vt corrigatur.*

1 NEgat quoad primum Pegna in directorio Inquisitorum, *part. 2. comment. 81. vers.* Ille quoque, Zehius *in summa, tom. 1. tract. de fide, cap. 11. num. 5 § 3. suspicio*, & Emmanuel Moura *opuscul. 1. de Ensalm. & incantation. sect. 3. cap. 3. num. 17.* (ita vt teneatur, debere Inquisitoribus Pœnitentem, ad quodlibet peccatum à Confessario sollicitatum, sollicitantem Confessarium denunciare;) quia ideò sollicitatio ad venerem Inquisitoribus denunciari debet, quia sic sollicitans de hæresi suspectus redditur (cum præbeat fundamentum, saltem leue, vt de ipso suspicio formetur, quod non bene de Sacramento sentiat:) sed hæc ratio æquè, quin magis procedit, si sollicitatio fiat ad furtum, homicidium, ad venenum viro, vel filiis præbendum, ad Eucharistiam sine confessione sumendam, aut quodvis aliud simile peccatum perpetrandum; cùm maior malitia adesse videatur in inductione ad hæc peccata, quàm in inductione ad luxuriam, quæ magis ex passione, quàm ex malitia procedit: Ergo, &c. Quam tamen Pegnæ sententiam Freytas *in addit. ad Tract. de Confess. sollicitant. quæst. 8. n. 17.* putat esse sequendam quando Confessarius sollicitat Pœnitentem ad eadem peccata, quæ confitetur, veluti si confiteatur sortilegium, & Confessarius petat ab illo, quod de tali sortilegio faciendo doceatur, quia in tali casu Confessarius acciperet occasionem à peccato confesso, & sic procederet suspicio de fide. His tamen non obstantibus.

Respondetur: (Etsi probabiliter dici possit, quod ob generalem Inquisitoribus concessam facultatem cognoscendi de hæresi suspectos, possint cognoscere de sic sollicitantibus, si deferantur, iuxta ea, quæ dicam *Sectione 12. & 13. Petit. 11.*) Nihilominus cum Ledesma *de matrim. quæst. 56. art. 2. §. & non est idem*, Paramo *lib. 3. q. 10. num. 121. & seqq.* Acugna *quæst. 8. n. 3. & 6.* Batiola *in flor. inquis. fol. 225.* Scotia *in Bull. Pontif. epitom. 77. theor. 197.* Molfes. *in summa, tom. 1. tract. 7. cap. 24. num. 31.* Veneto *in Exam. Episc. lib. 5. cap. 17. num. 18.* Peyrino *in Priuil. Minim. tom. 2. constit. 4. Gregorij XV §. 5. num. 14.* Freyta *de Confess. sollicit. cap. 17. n. 21. & q. 8. num. 18.* Bonacina *in tract. var. disp. 6. punct. 3. num. 7.* Homobono *in consultat. cas. conscient. par. 5. Respons. 130.* Sousa *de Confess. sollicit. tract. 1. cap. 13. num. 4. & 5.* Ioan. Sancio *cit. disp. 11. num. 23.* & aliis dicendum arbitror, quod Pœnitens Confessarium sic sollicitantem non teneatur Inquisitoribus denunciare; quia quod talis denunciatio Inquisitoribus facienda sit, nullibi reperitur cautum, neque scilicet in Pontificum constitutionibus, neque in Inquisitorum edictis, cùm semper hæc solùm de sollicitantibus ad impudicitiam, peccata carnis, actus venereos, libidinosos, turpes, vel inhonestos loquantur, sicque etiam habet Praxis, & meritò, quia ob fragilitatem naturæ humanæ hæc sollicitatio frequentiùs contingere, & maius in ea consentiendi periculum interuenire potest.

2 Cùm igitur Pontifices in suis constitutionibus voluerint remedium adhibere, ne committatur scelus, quod interdum in aliquibus locis in Sacramento Confessionis contingit, qualis est sollicitatio ad actus inhonestos, vti patet ex dictis constitutionibus in principio, & non fuerit ipsorum Pontificum mens per dictas constitutiones omnibus sceleribus remedium adhibere, ideoque in dictis constitutionibus nulla mentio fiat, nisi de sceleribus carnis, non debemus dictas constitutiones extendere ad alia scelera, quia in delictis non fit extensio, *l. Interpretatione, ff. de pœnis, & cap. in pœnis, de Regul. Iur. in 6.* Præsertim quia est disparitas de hoc scelere, ac de aliis sceleribus, vti suprà dicebam.

3 Non obstat, si dicas: In dictis constitutionibus dicitur, quod Inquisitores debent procedere contra Confessarium sollicitantem ad actus inhonestos: At actus inhonesti non solùm sunt actus Venerei, seu libidinosi, sed etiam alij, scilicet furta, homicidia, sacrilegia, maleficia, &c. Ergo pœnæ impositæ in dictis constitutionibus non solùm sunt contra Confessarium sollicitantem ad actus venereos, seu libidinosos, sed etiam ad alios actus malos, seu peccaminosos.

Respondetur enim, per actus inhonestos hîc intelligi actus Venereos, seu libidinosos, vti constat ex dictis constitutionibus, & quamuis alia peccata sint etiam actus inhonesti, *l. 1. ff. de condict. caus. dat. & l. cùm profitearis, Cod. de reuocand. donat.* Ordinariè tamen per actus inhonestos solùm intelliguntur, & veniunt actus venerei, seu libidinosi, sicuti constat *ex l. si cum dies, §. si Arbiter, ff. de recept. Arbitr. & ex l. Pronunciatum, §. Materfamilias, ff. de verb. signif.*

4 Neque obstat, si instes: In constitutione Gregorij XV. habetur, quod Inquisitores debeant procedere contra Confessarium habentem in Confessione cum Pœnitentibus sermones non solùm inhonestos, sed etiam illicitos: Ergo.

Respondetur enim, per ly *illicitos*, voluisse Gregorium XV. comprehendere omnes sermones illicitos, in eadem tamen materia carnali: quod fortasse per alterum verbum, *inhonestos*, non ita clarè comprehendisset: vt quando v.g. Confessarius, tanquam leno, vrgeret in Confessione Pœnitentem, vt cum aliquo peccaret, vel vt sibi filiam, consanguineam, aut amicam, &c. prostitueret. Videatur præter alios Acugna *de Confess. sollicit. q. 17. n. 10.*

5 Aduerte tamen quoad secundum, quod Inquisitoribus denuncianda necessariò non sit sollicitatio ad Venerem, si illa interuenerit in administratione aliorum Sacramentorum, vt Baptismi, Eucharistiæ, vel Matrimonij, &c. quia quod de tali sollicitatione denunciatio Inquisitoribus fieri debeat, nullibi specialiter cautum reperitur, & in dictis constitutionibus Pontificiis solùm fit mentio de Sacramento Confessionis: Freytas *loco suprà citato, num. 10.* Acugna *q. 26. num. 6.* Io. Sanchez *cit. disp. 11. num. 41.* Lezana *in summa quæst. Regul. cap. 19. num. 34.* Peregrin. *in constit. Cleric. Regul. par. 1. cap. 5. litt. M.* Bonacina *in tract. var. disp. 6. punct. 3. num. 7.* & Peyrin. *in Priuil. Minim. tom. 2. constit. 4. Gregorij XV. §. 5. num. 17.* contra Mouram *opuscul. 1. de Ensalm. & Incantat. sect. 3. cap. 3. num. 17.* Et meritò, quia in administratione aliorum Sacramentorum sollicitatio ad venerem non

non ita facilè, & frequenter contingere consueuit, sicut in Sacramento confessionis; cùm in hoc Sacramento Pœnitens manifestet confessario sua peccata, & suam inclinationem ad ea. Vnde Confessarius facilè sumere potest occasionem sollicitandi Pœnitentem ad peccata prædicta.

6 Aduerte secundò, quod è contra superiori delinquentis denuncianda sit tam sollicitatio ad venerem in administratione aliorum Sacramentorum, quàm sollicitatio ad quodcumque aliud peccatum mortale in administratione Sacramenti confessionis, ad finem vt superior illum corrigat & inituam Sacramenti remoueat, seruatis tamen conditionibus in denunciatione facienda requisitis, de quibus Doctores in materia de correctione fraterna, & denunciatione iudiciali, seu in publico iudicio.

SECTIO IX.

Quandonam sollicitatio ante, vel post confessionem immediatè facta censeatur, vt Inquisitoribus denunciari debeat?

SVMMARIVM.

1 *Sollicitatio ante, vel post confessionem immediatè facta Inquisitoribus denunciari debet.*

2 *Sollicitatio ante, vel post confessionem tunc immediatè facta censetur, quando inter sollicitationem, & confessionem nihil mediat, itavt neque Confessarius, neque Pœnitens ad extraneos actus deueniat.*

3 *Secus si Confessarius statim post confessionem ad cellam, domum, vel cubiculum ducens Pœnitentem, vt chirographum confessionis tradat, illum sollicitet; quia talis actus ratione dependentiæ includit confessionem.*

4 *Confessarius, vt ante confessionem immediatè sollicitare dicatur, nullo modo requiritur, quod confessio ipsa sequatur; sed sufficit, si Pœnitenti ad confessionem accedenti suadeat venerem: Tunc enim parat laqueum, & venenum.*

5 *Id intelligitur, quando Pœnitens diceret velle se statim confiteri, quia si diceret Confessario, velle se confiteri in crastinum, & tunc Confessarius occasione talis dicti Pœnitenti dissuadeat confessionem, & suadeat venerem, talis sollicitatio non est immediata, seu proxima confessioni facienda, sed solùm immediata, seu proxima conuentioni de confessione facienda, ac proinde tunc non delinquit in confessione.*

6 *Neque est sollicitatio immediata, seu proxima ad confessionem, si tempore sollicitationis neque Pœnitens, neque Confessarius de confessione facienda cogitauerint, quia talis confessio ortum habet ex eo, quod Pœnitens de peccato dolorem conceperit.*

7 *Sollicitatio ante, vel post confessionem immediatè facta, Inquisitoribus denunciari debet ex constitutionibus recensitis; quia alioquin eæ essent frustratoriæ, cùm vix reperiatur Confessarius, qui in actu confessionis audeat sollicitare.*

8 *Inquisitores possunt procedere non solùm contra hæresim, sed etiam contra crimen, quod sapit hæresim.*

9 *Inquisitores in tantum possunt procedere contra Confessarium sollicitantem, in quantum videtur malè sentire de Sacramento confessionis, talis est Confessarius, qui sollicitat occasione eiusdem confessionis immediatè ante, vel immediatè post ipsam; committit enim crimen, quod sapit hæresim.*

10 *Moraliter idem existimatur aliquid fieri in confessione, ac paulò ante, vel paulò post confessionem.*

11 *Quæ fiunt paulò post, vel paulò ante, habentur pro eodem actu.*

12 *Id quod proximè est faciendum, habendum est pro facto.*

13 *Qui de proximo est accingendus, habetur pro accincto; & parum pro nihilo reputatur.*

14 *Confessarius moraliter loquendo dicitur sollicitare Pœnitentem in confessione, si sollicitet vel in actu confessionis, vel paulò ante, aut paulò post confessionem.*

15 *Inquisitores de communi Doctorum consensu non possunt procedere contra Confessarium, si sollicitet non paulò post confessionem, sed post multum tempus ad confessionem, verbi gratiâ si sollicitet Pœnitentem postquam it se recepit in suam domum, ibi eum visitando personaliter, vel ibi adhibendo literas amatorias, aut internuncios, &c. Quamuis grauiùs peccet, si sollicitet per lenas, quàm per seipsum, & lenæ sic sollicitantes capite plectuntur.*

16 *Idem dic, si Confessarius sollicitet Pœnitentem in itinere, quin etiam in ipsa Ecclesia, postcaquàm tamen alteruter se conuerterit ad extraneos actus à confessione.*

17 *Inquisitores de communi consensu Doctorum possunt procedere contra Confessarium, si sollicitet Pœnitentem in confessionario, vel in alio loco sub prætextu confessionis; quia licèt non sequatur absolutio, adhuc tamen confessio bona fide facta Sacerdoti, dicitur Sacramentalis.*

18 *Mulier dicitur fieri filia spiritualis Confessarij, si ei peccata sua manifestet, etiamsi non sequatur absolutio.*

19 *Nemini debet dolus, & fraus patrocinari, sicut esset si ad euitandas pœnas contra Confessarios sollicitantes latas non absolueret.*

20 *Circumstantia, qua Confessarius committit peccatum luxuriæ cum Pœnitente in ipsa confessione, vel proximè ad illam, est confitenda; quia mutat speciem ob iniuriam, & irreuerentiam contra Sacramentum Pœnitentiæ commissam; si verò committatur post diem confessionis, non habet hanc specialem deformitatem necessariò confitendam, sed solùm aggrauantem circumstantiam.*

21 *Prætextus confessionis quandocumque adhibeatur à Confessario ad sollicitandum, vel confiteatur, vel non; vel confiteatur, sed non absoluatur, semper inducit obligationem denuntiandi post Bullam Gregorij XV.*

22 *Confessarius est denunciandus, etiamsi interueniat mala fides vtriusque, v.g. defectu Iurisdictionis, saltem in terminis constitutionis Gregorij XV. contra nonnullos.*

23 *Item dic, si Confessarius deprehendat, Pœnitentem non habere verum propositum emendationis.*

24 *Confessarius, qui sollicitat Pœnitentem ipsi confitentem ad hoc, vt excommunicationem pro defectu annuæ confessionis euitet, comprehenditur etiam in supradictis annuis constitutionibus.*

25 *Vide tres casus sollicitationis ante constitutionem Gregorij XV.*

1 SVppono ex constitutionibus Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. non constare satis, quod sollicitatio ante, vel post confessionem immediatè facta Inquisitoribus denunciari debeat. Quapropter nonnulli, quos sequitur Pottell. *in Addit. ad Dubia Regular. verb. sollicitare fœminas, numero 6. & sequentibus*, & Fagundez *de præcept. Ecclesiast. 2. parte, lib. 4. capite 3. numero 101.* tenent, quod nulla sit obligatio Sacerdotem sollicitantem denunciandi, nisi sollicitatio in ipso actu confessionis, nempe post signum Crucis, & ante absolutionem efficiatur; constare tamen satis ex constitutione Gregorij XV. & ea dictis Inquisitorum.

2 Prior pars suppositi probatur, quia in dictis Bullis Pontificijs Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. erant illa verba: *In actu audiendi confessiones, & dum eorum audiunt confessiones.* Ergo pœna imposita crimini facto in Sacramento, seu intra Sacramentum, non est extendenda ad crimen factum ante, vel paulò post Sacramentum; quia lex pœnalis non est extendenda ad casum non expressum: sic Doctores, quos sequitur Rodriquez *tom. 1. quæst. Regular. quæst. 47. articul. 1.* & Sanchez *de Matrim. lib. 10. disputat. 4. numero 23.* Ideò in casibus reseruatis, vtpotè pœnalibus, strictà est facienda interpretatio. Reginald. *in prax. tom. 1. capite 11. lib. 1. sectione 1. numero 127.* Chapeauilla *de casibus reseruatis, cap. 6. quæstione 2.* Coriolan. etiam *de casibus reseruatis, part. 1. sectione 1. articul. 5. numero 4.* Bonacina *de Matrimon. disputat. 4. punct. 11. numero 5. & de Sacrament. disputat. 5. quæstion. 7. punct. 5. §. 3. numero 1.* Naldus *verb. casus, numero 3.* Homobonus *de casibus reseruatis, parte 1. capite 2.* Ideoque probabiliter dixerunt Bonacina *vbi suprà de Matrimon.* Summa corona *part. 5. capite 2. numero 16.* & Florenus *de casibus reseruatis, parte 2. cas. 7. numero 6.* quod concubitus cum fœmina in vase præpostero non sit casus reseruatus Sodomiæ; quia propriè Sodomia non est, & cùm simus in pœnalibus, lex extendi non debet; ideoque etiam probabiliter dixerunt Azorius *part. 3. lib. 3. cap. 19.* & alij, quod Clericus cognoscens fœminam in vase similiter præpostero, non incurrat pœnas extrauagantis Pij V. Posterior pars suppositi patet, quia Gregorius XV. ibi clarè, quod talis Sacerdos sit denunciandus, decernit per illa verba: [In actu Sacramentalis confessionis, siue ante, siue post immediatè.] His suppositis.

Respondetur: Tunc sollicitatio ante, vel post confessionem immediatè facta censetur, quando inter sollicitationem, & confessionem nihil mediat, itavt neque Confessarius, neque Pœnitens ad extraneos actus se diuerterit: Vnde si absolutione impensa, alter ipsorum ad extraneum actum diuersus fuerit, & sic vel Confessarius diuersus, vel Pœnitentem diuersum statim sollicitauerit, non dicetur ad confessionem immediatè sollicitare, vel sollicitari. Paramus *de Origine Sanctæ Inquisitionis, libro 3. quæst. 10. numero 47.* Sousa *de Confess. sollicit. in Additionibus, numero 10.* Ægidius *de Priuileg. honestatis, art. 11. numero 19.* Freytas *quæst. 5. num. 50.* & Ioan. Sanchez *in selectis, disputat. 11. num. 49.*

3 Secus si Confessarius statim post confessionem ad cellam, domum, vel cubiculum ducens Pœnitentem, vt chirographum confessionis tradat, illum sollicitet; quia talis actus ratione dependentiæ includit confessionem, sicuti si post Confessionem Pœnitenti pœnitentiam imponat, vt ab ipso Confessario nudus verberetur, & de facto ab ipso Confessario sic, siue manu propria, siue instrumento aliquo verberetur; quia talis actus est actus inhonestus, & sollicitatio in confessione dici debet, cùm confessionis pœnitentia per se confessioni sit annexa. Item si post confessionem Pœnitenti suadeat, vt sibi ipsi ostendat verenda, quæ iam in confessione morbo affecta se habere dixit; quia talis suasio, cùm non fiat ad medicinam præstandam, fit ad sollicitationem exercendam: sic Doctores, quos sequitur Sousa *de Confess. sollicit. tractat. 1. cap. 18. num. 18.*

Et multò magis dictus Confessarius denunciandus erit, si hoc, cùm sit quid hæreticum, dixerit non esse peccata.

Aduerte tamen, quod vt Confessarius ante confessionem immediatè sollicitare dicatur, nullo modo requiritur, quod confessio ipsa sequatur; sed sufficit, si Confessarius Pœnitenti ad Confessionem accedenti suadeat venerem; quia tunc Confessarius parat laqueum, & venenum, à quo Pœnitentem liberare debebat: Vnde Gregorius XV. in sua constitutione claris verbis apposuit, *puniendum esse confessarium sollicitantem occasionne confessionis*, etiamsi scilicet confessio non sequatur, vel quia Confessarius noluit Pœnitentem audire, vel quia Pœnitens noluit confiteri. Acugna *de Confess. sollicit. quæst. 14. num. 8.* Sousa *in aphor. Inquisit. lib. 1. cap. 34. num. 39.* Ioan. Sancius *in select. disp. 11. numero 49.* & Leaana *verb. denunciatio, num. 6.* 4

Aduerte secundò, quod id intelligitur, quando Pœnitens diceret, velle se statim confiteri; quia si diceret Confessario, velle se confiteri in crastinum, & tunc Confessarius occasione huius dicti Pœnitenti dissuadeat confessionem, & suadeat venerem, talis sollicitatio non est immediata, seu proxima confessioni faciendæ, sed solùm immediata, seu proxima conuentioni de confessione facienda; ac proinde Confessarius tunc non delinquit in confessione, neque proximè, seu immediatè ad confessionem, vt Inquisitoribus denunciari debeat: Aliàs si pœnitens diceret, velle se transacto anno confiteri, & Confessarius illi dissuadeat confessionem, & suadeat venerem, delinqueret adhuc aduersùs Pontificias constitutiones contra sollicitantem latas, quod nemo dixerit vnquam. Videatur Sancius *cit. disp. 11. numero 49.* 5

Quamuis contrarium teneat in terminis constitutionis Gregorij XV. Fagundez *de præcept. Ecclesiæ edit. vltima, part. 2. lib. 4. cap. 3. num. 49.* Quem tamen intellige, si sollicitatio fiat in confessionario, vel in loco quocumque, vbi confessiones Sacramentaliter audiuntur, & Confessarius, dum Pœnitentem sollicitat, confessionem eius audire simulet, iuxta ea quæ dicam *sectione 11. dicto secundo, in fine.*

Aduerte tertiò, quod neque est sollicitatio immediata, seu proxima ad confessionem, si tempore sollicitationis neque Pœnitens, neque Confessarius de confessione facienda, etiamsi confessio immediatè sequatur, cogitarunt; quia talis confessio ortum habet ex eo, quod Pœnitens de peccato dolorem conceperit, velitque ab illo per confessionem citò liberari, cuius Pœnitentis voluntati si Confessarius consentiat, bene faciet, dummodo signa doloris satis aperta viderit in Pœnitente, ne fortè Sacramentum pœnitentiæ sine vero dolore efficiatur. 6

Dixi in supposito, ex constitutionibus Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. non constare satis, quod sollicitatio ante vel post confessionem immediatè facta, Inquisitoribus denunciari debeat; quia ex dictis etiam constitutionibus Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. nedum ex constitutione Gregorij XV. constare satis, sentiunt contra Pottellum, & Fagundez *vbi suprà*, Rodericus *tom. 1. quæst. Regul. quæst. 59. art. 4. vers. Vnde iustissimè, & tom. 2. quæst. 27. art. 1. circa finem, & artic. 5. & artic. 3. in princ. & in summa capite 207. numero 1.* Paramus *de Origine* 7

Origine Inquisit. lib.3. quaest.10. num.44. Cherub. *in compend. Bullar. tom.2. constit.31. Pij IV. Schol.1.* Genuensis *in Praxi, capite 66. numero 2.* Molfesius *in summa, tom. 1. tractat. 7.. cap.24. num.31.* Homobonus *de exam. Eccles. parte 1. tractat.7. cap. 6. quaestion. 19.* Bariola *in florib. Inquisit. fol.* 226. Scottia *in Bull. Pontif. epitom. 77. theorem.* 197. Ortiz *in summa, cap. 24. numero 11.* Llamas *in summa, parte 3. cap. 8. §.15.* Gyptius *de casib. reservat. cap. 14. numero 3.* Riccius *in Praxi, parte 2. resolut. 240. numero 2.* Coriolanus *de casibus reservat. parte 2. cas.9. circa finem,* Megal. *parte 1. lib. 1. capite 5. numero 32.* Villalobos *in summa, tom. 1. tractat. 9. dubit. 36. numero 20.* Bonacina *de Matrimon. quaestion. 4. punct. 16. proposit. 6. numero 7.* Henriquez *lib.6.capite 17. numero 4. in gloss. litt. L.* Graffius *lib.2.de casibus reservatis, capite 11. numero* 10.& alij complures. Primò, quia alioquin praedictae constitutiones Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. essent frustratoriae; cùm vix reperiatur confessarius, qui in actu confessionis audeat sollicitare, sed soleant confessarij, quando id attentant, attentare paulò ante, vel paulò post confessionem; constitutio autem, seu lex, ne frustratoria reddatur, (quamuis sit exorbitans, & poenalis) extendi debet. Glossa *final. in capite 2.de vsur.in 6.verb. Testamenti,* Felin.*in capite Translata, de Constitution. num. vltimo,* & patet ex *capite si Ciuitas,de sententia excommunic. in 6. & ex dicto capite 2. de Vsuris etiam in sexto.*

8 Secundò, quia Inquisitores possunt procedere non solùm contra haeresim, sed etiam contra crimen, quod sapit haeresim, tametsi non manifestam. Imola *in capite 1. de Offic. delegat. num. 8.* Felinus *ibid. numero 17.* Iason *in l.2.ff.si quis in ius vocatus, num.6.* Simaneh. *de cathol.Institut. tit.30. numero 21.* Arclatensis *de haereticis, notabil.3.* Rojas *singul.103. numero 5.* Gundisaluu. *tractat. de haeretic. quaestion.8. numero 6.* Peña *in director. Inquisit. part.3. comment.17.vers.Num autem,* Lopez *in Allegat. haeretical. §.4. circa finem.* Et deducitur ex constitutione Innocentij VIII. quae incipit *Summis desiderantes affectibus:* ex constitutione Alexandri VI. quae incipit *Cùm accepimus:* ex constitutione Adriani VI. quae incipit *Dudum,* apud Peñam inter litteras Apostolicas, & ex constitutione 11. in Bullario Sixti V. At ex dictis etiam constitutionibus Pij IV. Clementis VIII.& Pauli V. (nedum ex constitutione Gregorij XV.) sollicitatio, tametsi fiat paulò ante, vel paulò post confessionem, sapit haeresim: Ergo, &c.

9 Dices: Inquisitores in tantum possunt procedere contra confessarium sollicitantem, in quantum videntur malè sentire de Sacramento confessionis: At confessarius, qui ante, vel post confessionem sollicitat, non potest dici, quod malè sentiat de Sacramento Confessionis; cum ante confessionem non sit Sacramentum confessionis, neque etiam post confessionem iam semel peractam, & absolutionem receptam: Ergo, &c.

Respondetur: Nego minorem, quia licèt ante confessionem non sit Sacramentum confessionis, nec etiam post confessionem iam semel peractam, & absolutionem receptam: Nihilominùs, quia praedicta sollicitatio fit occasione Sacramenti confessionis, adhuc confessarius tunc sollicitans videtur malè sentire de Sacramento Confessionis. Accedit, quod alioquin, sicuti dicebam, praedictae constitutiones Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. essent frustratoriae. Accedit secundò, quod sicuti etiam dicebam, ex eisdem constitutionibus Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. sollicitatio facta etiam paulò ante, vel paulò post confessionem, est crimen sapiens haeresim.

Et meritò, quia moraliter idem existimatur, ali- 10
quid fieri in confessione, ac paulò ante, vel paulò post confessionem, iuxta doctrinam Bartoli *in l. penultima, §. mulier, ff. solut. Matrimon. circa finem, & in §. si verò intra, Authent. de Monachis, & in l. diuortia, ff. solut. Matrimon.* Glossae *in dicta l. diuortia, §. interdum, & in l. Bona fidei, Cod. de pactis, verb. in continenti, & in l. Pomponius, §. rarò, ff. de offic. Procons.* Salycet. *in l.eam te, Cod. de donat. ante nuptias, circa finem,* Abbatis *in capite Ecclesia; de Immunit. Eccles. notabil.3.* Cepollae *in tractat. simulatorum contract. in 2. cas. circa principium.* Et colligitur *ex l.2. §. exactis, ff. de Origin. Iur. ex l. cùm antiquitas, Cod. de Testament. ex l. si ventri, §. in bonis, ff. de Priuileg. credit. & ex l. Nunquam, ff.de Iudic.* (cùm in eis dicatur, quod ea, quae fiunt 11
paulò post, vel paulò ante, habeantur pro eodem actu: & iuxta doctrinam Baldi, quatenus *in l. si impuberi, ff. de Tutor. & curator. numero 2. & in l. penultima, ff. de Militar. Testament.* ait, id quod 12
proximè est faciendum, habendum esse pro facto. Et patet *ex l. 1. §. D. Adrianus, ff. ad leg. Cornel. de sicariis, ex l. Is qui cum telo, Cod. eodem, ex l. qui planè, §. Diuus Pius, ff. de Manumiss. ex l.legato, ff. de legat.3. & ex l.penultima, ff. de Testament. milit.* 13
(vbi dicitur, quod qui de proximo est accingendus, habetur pro accincto,) & ex Regula Iuris *Parum pro nihilo reputatur,* & tandem ex iis, quae adducit Tiraquel. *de retr. conuent. part.2. §.1. gloss.4.& 5.num.23.*

Instabis: In dictis tribus constitutionibus Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. dicitur, quod Inquisitores debent procedere contra Confessarium, *si sollicitet in actu audiendi confessiones, & dum audit confessiones:* sed in casu nostro non audit confessiones. Item dicitur, quod Inquisitores debent procedere contra confessarium, si sollicitet *Poenitentem:* sed ante, vel post confessionem non est quis poenitens, nec confitens, nec confessionis actum exercens: Accedit, quod Confessarius tunc, cùm non adsit tunc Sacramentum confessionis, non abutitur Sacramento confessionis, nec vti dicebam, allicit Poenitentem, dum eius audit confessionem: Ergo dictae tres constitutiones non loquuntur in tali casu.

Respondetur, nego consequentiam; quia ex 14
dictis intelligi debet moraliter. Moraliter autem loquendo confessarius dicitur sollicitare Poenitentem in confessione, si Poenitentem sollicitet vel in acto confessionis, vel paulò ante, aut paulò post confessionem: & per haec responderi potest ad ea, quae dicebantur pro priori parte suppositi, quod post constitutionem Gregorij XV. est certum ex verbis eiusdem constitutionis, vti dicebam in posteriori parte suppositi.

Conueniunt tamen Doctores, quod Inquisito- 15
res non possint procedere contra Confessarium, si sollicitet non paulò post confessionem, sed post multum tempus ad confessionem, verbi gratia, si sollicitet Poenitentem, postquam Poenitens se recipit in suam domum, ibi Poenitentem visitando personaliter, vel ibi adhibendo literas amatorias, aut internuncios, &c. Quamuis grauiùs peccet, si sollicitet per lenas, quàm per se ipsum, & lenae sic sollicitantes capite plectuntur, Authent. *de lenonibus, §. praeconizamus, col.3.* Quam tamen poenam Clarus *lib. 6. §. finali, verb. lenones,* ait nun esse in praxi vsu receptam: videantur Nauarr. *consil.2. de haereticis,* Molfesius *in summa, tom.2. tractat.7. capite 24. numero 32.* Graffius *prima parte decisionum, lib. 2. capite 48. numero 26. & lib. 2. de casibus reseruatis, cap. 12. num 29. 36. & sequentibus,*

Paramus *quaestion.* 10. *num.* 91. Rodericus *in quaestionibus Regular. tom.* 2. *quaestion.* 27. *articul.* 2. (vbi circa finem rectè subdit, quod in tali casu prædictus Confessarius puniri debeat ab Ordinario) Scortia *in Bullas Pontif. epitom.* 77. *theorem.* 197. Rodericus Acugna *de Confessar. sollicit. quaest.* 5. *n.* 14. *&* 15. & Sousa *de Confess. sollicit. in Addition. num.* 10.

16 Idemque dicas, si Confessarius sollicitet Pœnitentem in itinere, quin etiam in ipsa Ecclesia, postea quam tamen alteruter (Confessarius scilicet, vel Pœnitens) se conuerterit ad extraneos actus à Confessione, in qua contingit sollicitatio, iuxta ea, quæ dicebam in Principio præsentis sectionis, quamvis contrarium teneant Peyrinus *in Priuilegiis Minimorum, tom.* 2. *constitutione* 4. *Gregor. XV. Schol.* 2. *num.* 2. & Laana *in summa quaestion. Regular. cap.* 19. *num.* 34.

17 Conueniunt secundò, quod Inquisitores è contra possint procedere contra Confessarium, si sollicitet Pœnitentem in Confessionario, vel in alio loco sub prætextu Confessionis, licèt non sequatur absolutio. Quia licet non sequatur absolutio; adhuc tamen Confessio bona fide Sacerdoti facta dicitur Sacramentalis: sic Doctores (quos sequitur Ioannes Medina *Cod. de Confess. tract.* 3. *quaest.* 7. *vers. Nec obstat*) & patet *ex cap. Officij, de poenit. & remiss.* Tum

18 quia Mulier dicitur fieri spiritualis filia Confessarij, *in cap. Ad limina,* §. *finali, & in cap. sequenti,* 30. *q.* 1. §. *vltimo*, si ei peccata sua manifestet, in quibus Textibus, vt id fiat, non requiritur, quod sequatur

19 absolutio. Tum quia nemini debet dolus, & fraus patrocinari, *cap.* 15. *quaest.* 6. *& cap. constituit*, 20. *q.* 3. ac Confessarius, na mulier fieret sibi filia spiritualis, sicqua non incurreret pœnas in Iure latas, non absolueret, & consequenter ipsi dolus, & fraus contra prædictos Textus patrocinaretur. Videantur præter Parmum, & Freytas *vbi supra*, Vasquez *in tertiam partem, tom.* 4. *quaest.* 91. *dub.* 2. *num.* 20. Vega *in summa, cap.* 35. *cas.* 19. Pontius *de impedimentis Matrimonij, caus.* 50. *cap.* 24. §. 2. *vers. Atque hac.* Rodriquez *in summa, tom.* 1. *cap.* 200. *num.* 1. Azorius *part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 9. *quaest.* 5. Ioan. Sancius *disp.* 11. *num.* 3. *& seqq.* Bonacina *de Matrimonio, quaest.* 4. *punct.* 16. *num.* 7. Ledesma *in summa, tom.* 1. *de poen. cap.* 19. *conclus.* 6. Portellus *in Addition. ad Dubia Regular. verb. eligendum* 3. Graffius *lib.* 1. *de cognat. spiritual. consil.* 1. *& lib.* 2. *de casibus reseruatis, cap.* 12 *num.* 31, Ludouicus de San Iuan *in Luc. Confess. quaest.* 5. *de Sacrament. Pœnitent. articul.* 12. *difficultas.* 5. Ochagauia *tract.* 2. *de Confession. Sacrament. quaest.* 14. *num.* 14. & Hurtadus *de Sacramento Pœnitentia, disp.* 9. *difficultat.* 4. §. *quia*, qui non omninò improbabiliter contra Nugnum *in Addition. ad tertiam partem, tom.* 2. *quaestione* 9. *articul.* 2. *dub.* 3. *in fine*, Homobonum *part.* 1. *tract.* 5. *cap.* 12. *quaestion.* 75. Ragurium *in Lucern. Parochor. de Sacrament. Pœnitent. quaest.* 45. Sanchez *de Matrimon. lib.* 7. *disputat.* 55. *num.* 4. Coninch. *de Sacrament. disput.* 31. *dubit.* 8. *numero* 23. Megalium 2. *part. lib.* 5. *capite* 12. *num.* 46. Renardum *in director. Theolog. part.* 1. *de Sacramento Pœnitent. cap.* 18. *in circumstantia quis*, Acugnam *de Confess. sollicit. quaest.* 5. *num.* 53. Filliucium *tom.* 1. *tractat.* 10. *cap.* 5. *numero* 187. Fagundez *de praecept. Eccles. tractat.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *numero*

20 55. & alios volunt, quod si contingat, aliquem Confessarium committere peccatum luxuriæ cum Pœnitente in ipsa confessione, vel proximè ad illam, talis circumstantia sit confitenda, quia mutat speciem ob iniuriam, & irreuerentiam contra Sacramentum Pœnitentiæ commissam; si verò dictum peccatum committatur, etiam vnico die post Confessionem, non habeat eam specialem deformitatem necessariò confitendam, sed solùm habeat circumstantiam aggrauantam; quia non dicitur commissum proximè ad Confessionem: tum quia ea Sacramento Confessionis non contrahitur, sicut ea Sacramento baptismi, cognatio spiritualis perpetuò duratura; cùm in nullo iure expressa reperiatur, & Textus suprà adducti intelligantur denuo metaphorico, & improptio, licèt Confessarius dicatur Pater spiritualis.

Quod autem dicebam (quidquid sit de constitutionibus Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V.) post constitutionem Gregorij XV. est certum; quia (sicuti notat Scortia *in Bullas Pontif. epitom.* 77. *theorem.* 197. Venerus *in Exam. Episcop. lib.* 5. *cap.* 17. *numero* 9. & Bellochius *de Casibus reseru. part.* 2. *quaestion.* 9. *numero* 5.) Gregorius XV. in dicta sua constitutiona, dictum Confessarium à fortiori esse denunciandum, declarauit per illa verba: *qui praetextu Confessionis Pœnitentem sollicitauerit*, scilicet etiamsi non sequatur Confessio, & multò magis, si sequatur Confessio, sed non sequatur absolutio; sicque habent edicta Inquisitorum, sicque etiam ante constitutionem Gregorij XV. docuerat præter alios Rodericus Acugna *in tractat. de Confess. sollicit. q.* 15. *per totam.* 21

Cæterùm quamuis ex Henriquez *lib.* 6. *cap.* 21. *num.* 4. Sancio *in Select. disput.* 12. *num.* 39. & aliis, si mala fides Confessarij, & pœnitentis simul interueniat (eo quòd scilicet ambo cognoscant Confessionem fore inualidam ex defectu Iurisdictionis, & sic non possint intendere conficere Sacramentum) in tali casu Confessarius non sit denunciandus; contrarium non est omninò improbabile per ea, quæ adducit Freytas *de Confess. sollicit. quaest.* 13. *numero* 22. *editione vltima*, & adducam ego *sectione* 12. si non in terminis constitutionum Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. saltem in terminis constitutionis Gregorij XV. itavt si non in terminis prædictarum constitutionum priorum, saltem in terminis constitutionis posterioris Gregorij XV. supradictus Confessarius sit denunciandus: sic Doctores, quos sequitur Sancius *in loco suprà citato, numero* 41. qui rectè subdit, hoc etiam procedere à fortiori, si Confessarius deprehendens Pœnitentem non habere verum propositum emendationis, illum ea iusta causa non absoluit, sed hoc non obstante, illum sollicitat; quia in tali casu dictus Confessarius erit denunciandus, non solùm in terminis constitutionis Gregorij XV. per illa verba: [Qui occasione Confessionis, etiam ipsa Confessione non secuta, sollicitata, &c.] sed etiam in terminis aliarum priorum constitutionum; quia licèt in dicto casu non conficiatur Sacramentum, in foro Pœnitentiæ tamen fit accusatio, quæ sufficit ad contrahendam obligationem sigilli Confessionis. 22 23

Ex quibus etiam sequitur, quod Confessarius, qui sollicitat Pœnitentem ipsi confitentem, ad hoc vt excommunicationem Ecclesiæ pro defectu annuæ Confessionis euitet, comprehendatur etiam in supradictis Pontificiis constitutionibus: sic Doctores, quos sequitur Sousa *in Aphorism. Inquisitor. libro* 1. *capite* 34. *numero* 16. *& Confessario sollicitante, in Annotationibus ad Bullam Gregorij XV.* 24

Et quoad ea, quæ dicebam cum Sancio, videatur Acugna *de Confessar. sollicit. quaest.* 14. *num.* 10. vbi eius Additionator Freytas *n.* 16. *& seqq.* ponit etiam in terminis aliarum constitutionum ante constitutionem Gregorij XV. alios tres sollicitationis casus: Primum, si pœnitens sub signo Crucis velit peccata detegere, & à Confessario ad venerem excitante interrumpatur: Secundum, si filia spiritualis, idest ex præcedentibus confessionibus nota, ad genua procumbens, ante signum Crucis à Confessario sollicitante 25

te præoccupetur: Tertium, si quocumque alio modo Confessarius pœnitentem accedentem ad confessionem, vel sciens pœnitentem velle confiteri, illum ante signum Crucis sollicitet, quamvis confessio non sequatur, siue quia pœnitens sollicitatus confiteri postea noluit; siue quia Confessarius illum audire recusauit, vel ad alium Confessarium remisit, vel eius confessionem in aliud tempus distulit.

Contrarium tamen in omni casu (si confessio non sequatur) tenet Sousa *de Confessar. sollicit. tract. 1. c. 18. num. 7.* quatenus loquendo super decretum Pauli V. ait: In hoc decreto Pauli V. puto, non comprehendi casum, si scilicet mulier accedens confessionis causa à Confessario præueniatur, vt confessio in aliud tempus differatur, mutatoque confitendi animo, à Confessario sollicetur; quia sollicitatio tunc non est immediata ad confessionem, cùm ante omnem sollicitationem mutatum sit propositum confitendi; sicut si mulier ipsa, quæ aliàs vt confiteretur, accessit, dicat Confessario, se iam confiteri nolle, & sollicitet Confessarium, cui sollicitationi Confessarius consensum præbeat, quin & in actum venereum deueniat: Pro eodem enim puto, mulierem propositum cõfitendi mutasse iam ad pedes Confessarij, ac si mutasset domi, vel in itinere, antequam ad Confessarium accederet, dummodò id fecerit ante sollicitationem. Idemque etiam puto, si mulier absque Confessarij suasu in ipsa confessione iam incœpta à confitendi proposito desistat, Confessarioque dicat, se nolle ampliùs confiteri, sed confabulari, & postea longa confabulatione interiecta, sollicitatio sequatur.

At quidquid sit, an in terminis aliarum constitutionum talis Confessarius denunciandus sit, in terminis tamen constitutionis Gregorij XV. iuxta ea, quæ suprà dicebam, absque dubio denunciandus erit; quia huiusmodi sollicitatio fit in confessionario, & Confessarius, dum pœnitentam sollicitat, eius confessionem audire simulat.

SECTIO X.

An si Sacerdos pœnitenti dicenti, velle statim confiteri, confessionem dissuadeat, animo postea eum alliciendi ad venerem, talis dissuasio censeatur sollicitatio in confessione, ita vt Sacerdos sic sollicitans Inquisitoribus denunciari debeat?

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos si pœnitenti dicenti velle statim confiteri, confessionem dissuadeat, animo posteà eum alliciendi ad venerem, non censetur ob talem dissuasionem sollicitare in confessione, si pœnitenti Sacerdotis animus non manifestetur sufficienter. Talis enim dissuasio sic declarata est vera inductio pœnitentis ad peccatum.*

2 *Dissuasio confessionis non potest esse sollicitatio exterior, nisi quatenus talis animus prauus sufficienter declaratur, quod non fit per signa quasi indifferentia, & non clara: at talia signa hic & nunc non sunt indiffererentia pœnitenti, sed terminata ad malum.*

1 RESpondetur negatiuè, si pœnitenti Sacerdotis animus non manifestetur; at si manifestetur sufficienter (taliter quod pœnitens intelligere possit, confessionis dissuasionem oriri ex animo alliciendi ad venerem) est vera sollicitatio, ita vt Inquisitoribus sic sollicitans denunciari debeat: sic Doctores, quos sequitur Io. Sanc. *loco supr. cit. n. 47.*

Probatur, quia talis dissuasio sic declarata est vera inductio pœnitentis ad peccatum; si enim Confessarius confessionem dissuadens pœnitenti diceret, se illius amore captum esse, ideoque nolle eum confiteri, verè sollicitaret: Ergo similiter sollicitat, si aliis signis talem animum sufficienter declaret.

Objicies: dissuasio confessionis (etiam ex prauo animo postea alliciendi pœnitentem ad venerem) non potest esse sollicitatio exterior, nisi quatenus talis animus prauus sufficienter declaratur: at huiusmodi declaratio est per signa quasi indifferentia, & non clara: (colligit enim pœnitens prauum istum animum Confessarij, ex eo, quod Confessarius aspectu blando, & alacri ipsum pœnitentem alloquatur, & nullam confessionis negandæ causam præbeat; quæ signa non sufficienter prauum affectum declarant:) ergo talis dissuasio confessionis, & confusa declaratio praui animi, non est vera sollicitatio, vt proinde Confessarius Inquisitoribus denunciari debeat; quemadmodum non est vera hæresis Inquisitoribus denuncianda, quæ per verba sufficienter expressiua mentis non efficitur; neque est casus reseruatus, qui manifestè in opus exterius non transit. 2

Respondetur, quod etsi aliquibus ob hanc rationem non videatur Confessarius sic Pœnitenti Confessionem dissuadens, & prauum animum ostendens, per verba, vel signa alioquin honesta seu indifferentia, quorum determinatio ad malum non præcisè ex illis, sed ex aliis adiunctis à Pœnitente colligatur, Inquisitoribus denunciandus esse: Mihi tamen contrarium potiùs dicendum videtur; quia licèt aliis illa verba, vel signa quasi indifferentia sint, at tamen pœnitenti hîc & nunc indifferentia non sunt, sed determinata ad malum, & satis expressiua prauæ voluntatis Confessarij; ita vt saltem respectu pœnitentis (cùm ab illo cognita sint vt talia) constituant sollicitationem exteriorem, & sic peccatum exterius consummatum, atque adeò Inquisitoribus denunciandum. Vide quæ dicebam *suprà sect. 3.* in casu de verbis dubiis, & quæ dicam *infrà sect. 20.* in casu quod Confessarius arguat concubinam in confessione de zelotypia.

SECTIO XI.

An Inquisitoribus denunciari debeat sollicitatio facta in Confessario, vel in alio loco, simulata confessione?

SVMMARIVM.

1 *Confessionem simulatam intelligit Auctor, non eam quæ est absque dolore peccatorum, sed eam, quam facit pœnitens, scienterque Confessarius audit, vt de rebus inhonestis agant. Vel si non animo confitendi peccata, sed tractandi alia negotia ad confessionem accedat.*

2 *Inquisitoribus denunciari non debet, si tam Confessarius quàm Pœnitens, vt liberiùs de rebus inhonestis tractarent, in simulatione confessionis conuenerant, neque Pœnitens se ipsam denunciare tenetur: hæc enim est mutua sollicitatio.*

3 *Confessarius, & pœnitens in tali casu grauiter peccant non solùm contra castitatem, sed etiam contra Religionem pœnitentiæ Sacramento debitam.*

4 *Exterior illa ceremonia, seu reuerentia, vt scilicet pœnitens flexis genibus, detecto capite, & supplex ad confessionarij pedes accedat, est pœnitentiæ Sacramento debita: consequenter qui eam inho-*

inhonesta locutioni arrogat, Sacramentum grauiter lædit.

5 *Pœnitens si bono animo alia negotia in confessione cum Sacerdote tractaturus ad illum accedat; Sacerdos verò exinde occasione sumpta ad venerem eum inducat, in tali casu ex constitutione Gregorij XV. tenetur pœnitens sollicitatus Sacerdotem sollicitantem Inquisitoribus denunciare: Et id magis verum est, ponderatis verbis dictæ constitutionis.*

6 *Sacerdos si cum aliquo de rebus turpibus, & inhonestis in confessionario tractet, illumque ad illas sollicitet, absque eo, quod vlla confessionis audiendæ simulatio interueniat, vtpotè non pœnitentem, sed aliam personam, non est denunciandus Inquisitoribus.*

7 *Pœnitens supradictus, vbi constitutio Gregorij XV. recepta non est, non tenetur sollicitatus sollicitantem Inquisitoribus denunciare; quia talis sollicitatio non est facta in confessione, neque proximè ad confessionem faciendam.*

8 *Lex extenditur ad casus habentes rationem similem, quod est verum etiam in correctoriis, pœnalibus, & odiosis.*

9 *Sacerdos vt sollicitet eum, qui accedit ad locum, vbi audit confessiones, rarissimè solet contingere.*

10 *Constitutiones recensita sunt lata principaliter ob vtilitatem publicam, in salutem animarum, in fauorem Sacramenti confessionis, & Religionis: at non sunt extendenda, si non admittant extensionem.*

11 *Leges non accommodantur ad ea, quæ rarò contingunt, sed ad ea, quæ frequentiùs accidunt.*

12 *Lex, dispositio, & testamentum ex sententia communi censentur comprehendere, quod Legislator, disponens, & testator, si de eo fuissent interrogati, statuissent.*

13 *Pontifices, quando non liquet de eorum mente, respondent, suas constitutiones esse interpretandas iuxta propriam verborum significationem.*

14 *Constitutiones Pontificiæ loquuntur de Confessariis sollicitantibus in Confessione sacramentali, vel proximè ad eam, consequenter non extendenda vltra legitimum verborum sensum.*

15 *Legislator, Disponens, & Testator, est verum, quod censentur statuisse, quemadmodum si essent interrogati responderent, quando aliquid fuit expressum, ex quo illa eorum voluntas deprehendatur, secus quando casus est omissus.*

1 SVppono, quod non loquor de simulata confessione, qua quis accedit ad confessionem absque vero dolore peccatorum, volens tamen sua peccata sacramentaliter confiteri; quia talis confessio est vera confessio, ita vt in tali casu, si Confessarius pœnitentem sic accedentem sollicitet, absque dubio Inquisitoribus sit denunciandus, & ab illis puniendus: sic Doctores communiter, quos sequitur Acuña *quæst.14. num.10.* & Ioannes Sancius *citata disp. 11. num.41.*

Sed loquatur de confessione simulata, vt si ambo (tam scilicet pœnitens modo, quo infrà, quàm Confessarius, simulando audire confessionem, vel etiam impendere absolutionem) ad hoc, vt liberiùs de rebus inhonestis agant, simulent confessionem; vel si pœnitens non animo confitendi pecatata, sed animo tractadi alia negotia ad Confessarium accedat; cùm tamen pœnitens à circumstantibus videntibus ad confessionem accedere iudicetur. Hia suppositis,

2 Respondetur, & dico primò, si ambo (vt liberiùs de rebus inhonestis tractarent) in simulatione confessionis conuenerunt, neuter ipsorum tenetur denunciare, non Sacerdos, vt per se patet; neque pœnitens, aliàs seipsum denunciare teneretur: ergo, &c.

Confirmatur, quia hæc sollicitatio non est potiùs propria Sacerdotis, quàm pœnitentis, sed est mutua sollicitatio, ac proinde in sollicitationem ad inuicem sibi factam ambo consentiunt: Ergo non est Inquisitoribus denuncianda, sicuti patet ex iis, quæ suprà dicebam *sectione* 7. Et tenet præter alios Acuña *de Confess. sollicit. q.15. n.2.* Quamvis in terminis constitutionis Gregorij XV. contrarium teneat Ioannes Sancius *in select. disp.15. n.3.*

3 Aduerte tamen, quod in tali casu, tam Confessarius, quàm pœnitens grauiter peccent, non solùm contra castitatem, sed etiam contra Religionem pœnitentiæ Sacramento debitam. Sic Doctores communiter, quos sequitur Ioan. Sancius *in select. disp.35. n.5.* 4 quia illa exterior cæremonia, seu reuerentia (vt scilicet pœnitens flexis genibus) detecto capite, & supplex ad Confessarij pedes accedat, est pœnitentiæ Sacramento debita: Ergo qui hanc cæremoniam, & reuerentiam inhonestæ locutionis arrogat, Sacramentum grauiter lædit; cùm sub habitu Sacramenti, & prætextu illius flagitium adeò impium committat.

5 Dico 2. si pœnitens bono animo alia negotia à confessione cum Sacerdote tractaturus ad illum accedat, Sacerdos verò exinda occasione sumpta ad venerem eum inducat, in tali casu (si de constitutione Gregorij XV. loquamur) tenetur pœnitens sollicitantem Inquisitoribus denunciare. Doctores communiter, quos sequitur Sousa *in Aphorism. Inquis. lib.9. cap.34. n.42.* & Ioan. Sanc. *in selectis, disp.11. n.40.65. & seqq.*

Probatur, quia Gregorius XV. in prædicta constitutione sic habet: (Qui personas, quæcumque illæ sint ad inhonesta, siue inter se, siue cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu sacramentalis confessionis, siue ante, vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis huiusmodi, etiam ipsa confessione non sequuta, siue extra occasionem confessionis, in confessionario, aut in loco quocumque, vbi confessiones sacramentales audiuntur, seu ad confessiones audiendas electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint, in officio sanctæ Inquisitionis seuerissimè puniantur.] Ergo cùm in præsenti Sacerdos simulet audire confessiones, eo quòd sit in loco illis audiendis destinato, & pœnitens alia negotia tractaturus flexis genibus assistat, vel alio modo, quo circumstantes videntes, fieri confessionem apprehendant; & sic tamen sollicitet, absque dubio in Gregorij XV. constitutionem delinquit, & proinde sit Inquisitoribus denunciandus, & ab illis puniendus.

6 Aduerte tamen, quod possit Sacerdos eum aliquo de rebus turpibus, & inhonestis in confessionario tractare, illumque ad illas sollicitare, absque eo, quod vlla confessionis audiendæ simulatio interueniat, & tunc (vtpotè quia etiam non sollicitaret pœnitentem, sed personam aliam longè diuersam) denunciandus Inquisitoribus non sit; quia non quælibet sollicitatio in confessionario facta, ex constitutione Gregorij XV. cauetur, sed sola sollicitatio, quæ confessionis audiendæ simulationem inuoluat, vt ex eadem constitutione constat ibi: simulantes ibidem confessiones audire. Videatur Gyptius *de casib. reseru. capit.14. num.7.* & Acugna *de confess. sollicit. q.14. num.11.*

7 Dico 3. Vbi Constitutio Gregorij XV. recepta non est, non tenetur supradictus pœnitens sollicitatus Sacerdotem sollicitantem Inquisitoribus denunciare. Henriquez *summa lib.6. cap.21. num.4.* Suarez *tom.4.*

de

de Pœnitent. disputat. 3. *sectione* 2. *num.* 4. Acugna *de Sollicitat. quæstione* 14. *num.* 6. & Ioannes Sanctius *loco suprà citato*, *num.* 40. Quia talis sollicitatio non est facta in confessione, cùm hæc de facto non interueniat; neque proximè ad confessionem faciendam, cùm Pœnitens, vti suppono, nullam confitendi voluntatem Sacerdoti significauerit, & ex alio capite ex constitutionibus Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. & ex edictis Inquisitorum solùm prohibetur, & Inquisitoribus denuncianda mandatur sollicitatio facta in confessione, vel proximè ad confessionem, sicque cum iniuria, & abusu Sacramenti confessionis, vti patet ex contextu, ibi; [Sacramentis à Christo Domino institutis abutantur, aut illis iniuriam faciant.] At in casu nostro Sacerdos non facit iniuriam, neque abutitur Sacramento confessionis; cùm Sacerdos verè non audiat confessionem, & qui accedit, non accedat ad Sacerdotem animo confitendi: Ergo sub istis constitutionibus non comprehenduntur huiusmodi Sacerdotes.

8 Obijcies: lex extenditur ad casus habentes rationem similem. Gloss. *in Clement.* 1. *verf. Præsidentes, de rescript. & in Clement.* 1. *verf. eligatur, de electionibus.* Cassador. *decis.* 6. *numero* 11. *de Iurepatron.* Et constat *ex cap. cùm dilecta, de confirmat. vtil. vel inutil.* Quod est verum, etiam in correctorijs, pœnalibus, & odiosis, *l. His solis*, *verf. Tacitè cautum, Cod. de nautic. fœner.* & docent Couarruu. *in cap. Alma mater*, 1. p. §. 4. *numero* 7. Molina *lib.* 1. *de Primogen. cap.* 5. *numero* 10. Lambertin. *de Iurepatron. lib.* 2. *part.* 1. *quæstione* 10. *artic.* 4. *circa finem*, Roland. *consil.* 27. *numero* 48. & Anton. Gomez *lib.* 2. *variar. cap.* 5. *numero* 12. Sed ita est in casu nostro: Ergo.

9 Respondetur: Transeat maior; at nego minorem ex dictis. Accedit, quod rarissimè solet contingere, vt Sacerdos sollicitet eum, qui accedit ad locum, vbi Sacerdos audit confessiones, ob alia negotia, & non ob finem, quod velit ei confiteri, & ab eo Sacramentaliter absolui; leges autem, vti dicebam, *ex l. Nam ad ea*, *ff. de legibus*, non accommodantur ad ea, quæ ratò contingunt, sed accommodantur ad ea, quæ frequentiùs accidunt.

10 Instabis: Constitutiones Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. sunt latæ principaliter in vtilitatem publicam, in salutem animarum, in fauorem Sacramenti confessionis, & Religionis: Ergo debent extendi iuxta ea, quæ tradunt Innocentius *in cap. Episcopi, de reb. Eccles. num.* 3. Bartolus *in Auth. Sacramenta Puberum, Cod. si aduersus vendit. numero* 19. & Ripa *in l. si constante*, *ff. sol. matrim. numero* 77.

Respondetur: Transeat Antecedens: at distinguo consequens: debent extendi, si verba admittant illam extensionem, concedo: si non admittant, nego. Et ita est in casu nostro, cùm loquantur de Confessarijs sollicitantibus in confessione Sacramentali, vel proximè ad illam: Quod non contingit in casu nostro, cùm non interueniat in casu nostro confessio Sacramentalis; nec qui accedit, accedat ad Confessarium, vt ei Sacramentaliter confiteatur, sed ob alia negotia, sicuti suppono.

11 Accedit, quod sicuti etiam dicebam, leges non accommodantur ad ea, quæ ratò contingunt, sed ad ea, quæ frequentiùs accidunt. Rarò autem contingit, quod quis accedat ad Confessarium ob alia negotia, & sollicitetur ab illo ad actus turpes, & inhonestos.

12 Vrgebis: Si Pius IV. Clemens VIII. & Paulus V. fuissent interrogati, an vellent sub dictis constitutionibus comprehendere tales Sacerdotes, respondissent vtique, quod vellent comprehendere: Ergo verè tales Sacerdotes incurrunt pœnas in illis constitutionibus statutas, cùm sit sententia communis, legem, dispositionem, & testamentum comprehendere, quod legislator, disponens, & testator, si de eo fuissent interrogati; statuissent, Glossa vltima *in l. Tale pactum*, §. *finali*; *ff. de pact.* & *ibi* Bartolus, Baldus, & Iason *numero* 16. Item Baldus *in l. quod verò*, *col.* 1. *verf. Item verisimile est*, *ff. de legibus*, Capycius *decis.* 69. *numero* 10. Grammatic. *decis.* 101. *numero* 117. Curtius Iunior *consil.* 98. *numero* 4. Parisius *consil.* 72. *numero* 94. *& consil.* 96. *numero* 31. *& consil.* 114. *numero* 17. Socinus Iun. *consil.* 139. *numero* 13. Ceuallos *in quæst. pract. quæst.* 676. *numero* 13. Burgos de Paz *consil.* 34. *numero* 29. Anton. Gabriel *lib.* 6. *commun. conclus. titul. de Regulis Iuris*, *conclus.* 10. Menoch. *tom.* 3. *consil.* 14. *numero* 12. *& consil.* 72. *numero* 4. *& tom.* 3. *consil.* 104. *numero* 46. *& consil.* 233. *numero* 4. *&* 33. *& consil.* 235. *numero* 29. Decius *consil.* 89. *numero* 1. *& consil.* 227. *numero* 10. *& consil.* 407. *numero* 7. Iason *consil.* 140. *col. vltima*, *verf. sexto.* Ctauetta *consil.* 98. *numero* 2. Rubeus *consil.* 49. *numero* 2. Bellon. *consil.* 9. *numero* 15. Bronus *in tract. quod stantibus masculis fœmina non succedant*, *cap.* 5. *numero* 79. Decian *consil.* 1. *numero* 185. *libro* 1. & constat *ex l. cùm res*, *ff. de legat.* 1. *ex l. Mulier*, *in fine*, *ff. ad Trebell. ex l. Titius*, §. *soluti*s, *ff. de liber. & posthum. & ex l.* 3. *Cod. de inofficios. testament.* Et colligitur etiam *ex cap. super literis, de rescript. in* 6.

Respondetur, Nego sequelam Antecedentis; 13
sed id esset diuinare. Accedit, quod Pontifices cùm interdum, quando de mente legislatorum non constat, interrogantur, solent respondere, quod constitutiones Pontificiæ sint interpretandæ iuxta propriam significationem verborum. Cùm igitur prædictæ constitutiones Pij IV. Clementis VIII. & 14
Pauli V. loquantur de Confessarijs sollicitantibus in confessione Sacramentali, vel proximè ad eam, est contra legitimum sensum verborum velle, quod illæ extendantur ad Confessarios sollicitantes extra confessionem Sacramentalem omni modo. Vel solent Pontifices respondere, quod sint interpretandæ iuxta Iura: cùm igitur Iura velint, leges accommodati ad ea, quæ frequentiùs accidunt, non est cur modò fiat extensio ad casum, de quo loquimur, qui rarissimè contingit. Ad dictum autem, quod sit 15
sententia [legem, dispositionem, & testamentum comprehendere, quod legislator, disponens, & testator, si de eo fuissent interrogati, statuissent:] Respondetur, esse verum quando aliquid fuit expressum, ex quo illa voluntas legislatoris, disponentis, testatoris deprehendatur; secùs quando casus est omissus. Baldus, & Imola *in l. quidam cùm filium*, *ff. de hered. Instit.* Menoch. *consil.* 233. *num.* 33. Decius *consil.* 18 3. *numero* 3. & Brunus *consil.* 74. *numero* 11. *lib.* 1. & facit Textus *in l. vnica*, §. *sin autem*, *Cod. de caducis. tollen.* Cùm igitur in constitutionibus Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. casus, de quo loquimur, omissus non est, cur ad illum fiat extensio? Præsertim cùm sit rarissimè contingens.

Hæc dixerim probabiliter iuxta prædictas constitutiones Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. quia iuxta constitutionem Gregorij XV. absque dubio Sacerdotes sollicitantes in loco, vbi peccata audiunt, etiamsi nulla adsit, & sequatur confessio, dummodò simuletur adesse, incurrunt omnes illas pœnas, iuxta ea, quæ dicebam dicto secundo, quamuis non item iuxta constitutiones Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. iuxta ea quæ dicebam dicto tertio.

An autem iuxta has constitutiones Pij IV. Clem. VIII. & Pauli V. Sacerdos sollicitans modo, quo dicebam eodem dicto tertio, sit denunciandus suo superiori, vt ab illo corrigatur, dixi *suprà sectione* 8.

PETITIO

PETITIO.

An, & quomodo intelligenda sint Gregorij XV. constitutionis illa verba: *Simulantes confessiones audire?*

SVMMARIVM.

1 *Verba constitutionis Gregorij XV. videlicet* simulantes confessionem audire, *intelligenda sunt de simulatione ad illusionem circumstantium, siue actu, siue in potentia, contra Ioannem Sancium.*

2 *Confessarius non est denunciandus, si sub prætextu confessionis audiendæ vocatus, etiam ex præcedenti tractatu, tam ipsius Confessarij, quàm Pœnitentis, habentium intentionem exercendi inter se actus turpes, & inhonestos, postea sollicitet in domo; quia in tali casu non interuenit ex parte Confessarij sollicitatio in confessione, vel proximè ad confessionem, sed ex placito amborum tractatus remotus, qui impertinenter se habet.*

3 *Confessarius in terminis constitutionis Gregorij XV. erit denunciandus, si postea sollicitet in domo, & loco ad confessionem deputato, simulans audire confessionem ad illusionem circumstantium, si ipse incipiat sollicitare Pœnitentem, non autem è contra.*

4 *Confessarius denunciandus est, si sedens etiam in confessionario, & loquens cum Pœnitente stante etiam ante confessionarium, illum sollicitet, quia neque in hoc casu interuenit confessio, vel confessionis simulatio; quamuis contrarium non omninò improbabiliter teneant alij, ex Decreto Pauli V. apud Coriolanum.*

5 *Decretum prædictum Pauli V. refertur, & ponderatur.*

6 *Gregorius XV. restrinxit Decretum Pauli V. ad terminos simulationis, vel declarauit ad quod Decretum illud reduci debeat.*

7 *Paulus V. in suo Decreto, & Gregorius XV. in sua constitutione ex Sancio videntur idem omninò decreuere.*

8 *Freytas asserit stando in terminis constitutionis Gregorij XV. quod si Confessarius sollicitet in confessionario extra confessionis occasionem, non simulando audire confessionem, sed alloquendo Pœnitentem stantem, vel sedentem, non incurrat pœnas.*

9 *Idem à fortiori locum habet, si Confessarius sollicitet in subselliis Ecclesiæ, in quibus etiam sæculares sedere solent; non autem in confessionario, licèt aliquando in iisdem confessiones excipiant.*

1 RESpondetur: Intelligenda esse de simulatione
ad illusionem circumstantium, siue actu, siue
in potentia; sic Doctores, quos sequitur Freytas *de
Confess. sollicit. quæst. 9. num. 21. & quæst. 15. num. 24.*
Sousa etiam *de Confess. sollicit. in addit. num. 10.*
& alij passim: Quidquid in contrarium sentire videatur
Ioannes Sancius *in selectis, disputat. 11.
num. 11.*

2 . Hinc sequitur, quod non sit denunciandus confessarius,
si sub prætextu confessionis audiendæ vocatus
(etiam ex præcedenti tractatu, tam ipsius Confessarij,
quàm Pœnitentis habentium intentionem
exercendi inter se actus turpes, & inhonestos, posteà
sollicitet in domo; quia in tali casu non interuenit
ex parte Confessarij sollicitatio in confessione, vel
proximè ad confessionem, sed ex placito amborum
tractatus remotus; qui tractatus remotus præcedens
nihil facit ad rem, sed impertinenter se habet, siue
simuletur, siue non simuletur confessio. Erit tamen 3
in terminis constitutionis Gregorij XV. denunciandus,
si postea sollicitet in domo, & loco ad confessionem
deputato, simulans audire confessionem ad
illusionem circumstantium in actu, vel in potentia,
sicuti dicebam, saltem si ipse Confessarius incipiat
sollicitare Pœnitentem, non autem è contra, itavt
Confessarius sit potiùs sollicitatus, iuxta ea, quæ
dicebam *sect. 7.* Prætextus igitur Confessionis, de
quo loquitur constitutio Gregorij XV. debet esse
proximus, non autem remotus à loco, & statu confessionis,
de quo videantur Freytas, & Sousa *in locis
suprà citatis.*

Sequitur, quod neque denunciandus sit Confes- 4
sarius, si sedens, etiam in confessionario, & loquens
cum Pœnitente stante, vel sedente, etiam ante confessionarium,
illum sollicitet, quia neque in hoc
casu interuenit confessio, vel confessionis simulatio.
Freytas *de Confess. sollicit. quæst. 13. n. 30. & quæst. 15.
num. 52.* Sousa etiam *de Confess. sollicit. tract. 1. cap. 15.
& in Annot. num. 13.* Sancius *in select. disp. 11. num. 66.*
Bossius *in discept. moral. discept. 5. num. 3.* Leander de
Sacram. *tom. 1. tract. 5. disp. 13. quæst. 30.* & Lezana *in
sum. quæst. Regul. cap. 19. num. 34.*

Quamuis contrarium non omninò improbabiliter 5
teneant Bordonus *in S. Tribun. cap. 23. num. 46.* Escob.
de Confess. sollicit. p. 1. q. 4 §. 1. n. 35. Trullench. *in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 3. dub. 18. n. 73.* & alij *ex Decreto
Pauli V. apud Coriolanum de cas. reseru. part. 1. sect. 2.
art. 22. num. 4.* & apud Peyrinum *de Priuil. Minim.
tom. 2. constit. 4. Gregorij XV. §. 5. num. 15. sequentis
tenoris.* [Feria 5. die 19. Iunij, anno 1614. In generali
Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis
Inquisitionis, habita coram Paulo V. ac Illustrissimis
& Reuerendissimis S. R. E. Cardinalibus aduersùs
hæreticam prauitatem in tota Republica Christiana
Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica
specialiter deputatis, facta relatione, quod
multi Confessarij tractant cum mulieribus in confessionali
extra occasionem confessionis de rebus inhonestis:
Sanctissimus decreuit, vt contra huiusmodi
Confessarios procedatur in Sancto Officio.] Vbi
nulla fit mentio de simulatione confessionis: Quapropter
dicendum videtur, quod ex vi talis Decreti
Denunciandus sit Confessarius, si licèt non simulet
confessionem, sollicitet tamen in confessionario;
sicque discrimen sit inter sollicitationem, quæ fit in
confessionario, & inter sollicitationem, quæ fit in
subselliis, & aliis locis, quæ licèt deputentur aliquando
ad confessiones audiendas, tamen non sunt,
neque dicuntur confessionalia: Videtur enim Summus
Pontifex, quod respexerit ad locum illum, qui
ex instituto ad Sacramentum exercendum deputatus
est in Ecclesia, sicque talis casus in hoc, quod dicebam,
differat à constitutione Gregorij XV.

Responderur tamen cum Doctoribus suprà citatis, 6
quod Gregorius XV. per suam constitutionem restrinxerit
Decretum Pauli V. ad terminos simulationis,
vel quod declarauit ad quid Decretum illud
Pauli V. reduci debeat: quapropter Ioan. Sancius
(juxta ea, quæ dicebam *sect. 11. dicto 2. circa finem*) 7
ait, *loco suprà citato*, quod Paulus V. in suo Decreto,
& Gregorius XV. in sua constitutione idem omninò
decreuerint.

Videatur etiam Freytas *cit. q. 15. n. 51.* vbi ad eam- 8
dem opinionem inclinat: quamuis *n. 49. in edit. vltima*
sic habeat: Stando in terminis Bullæ Gregor. XV. si
Confessarius sollicitet in confessionario extra confessionis
occasionem, non simulando audire confessionem,
sed alloquendo Pœnitentem stantem, vel sedentem

dentem, qui impositionis modus à communiter accedentibus confessionis actum, & speciem non repræsentat, non incurrit pœnas: Quod à fortiori locum habet si Confessarius sollicitet in subsellijs Ecclesiæ, in quibus etiam sæculares sedere solent, non autem in confessionario. Tametsi aliquando in eisdem subsellijs, vel scamnis confessiones excipiat.

SECTIO XII.

Quinam ex Pontificiis constitutionibus veniant nomine Confessarij, vel Sacerdotis sollicitantis, itavt ob id Inquisitoribus denunciari debeat?

SVMMARIVM.

1 *Confessarij nomine, vel Sacerdotis sollicitantis ex Pontificiis constitutionibus venit Sacerdos, si licèt confessiones andiendi iurisdictionem non habeat, ad illas tamen se exponat; quia is censetur Confessarius, cùm habeat potestatem Ordinis, &c. & aliàs constitutiones recensita redderentur elusoria.*

2 *Id maximè verum est, saltem in terminis constitutionis Gregorij XV. cùm talis Sacerdos simulet se audire confessiones, & sic simulans Pænitentem instiget ad actus turpes, & inhonestos, contra Leandrum, & alios contrarium sentientes, etiam in terminis dicta constitutionis; quia in tali casu non adest confessio vera, & Sacramentalis. Qua ratio non valet, maximè si interueniat mala fides Confessarij, & Pænitentis.*

3 *Leander, Portellius, & alij meliùs defenderentur, si dixissent, Confessarium facultatem non habentem audiendi confessiones, non esse propriè Confessarium, licèt ad illas se exponat: constitutiones enim Pontificia loquuntur de Sacerdotibus deputatis, & habentibus curam animarum.*

4 *Sacerdos non habens iurisdictionem, vel laicus, Subdiaconus, aut Diaconus sollicitans ad venerem in confessione, licèt non sit denunciandus ex vi prædictarum constitutionum, est tamen subiectus Iudicio Inquisitorum, & ab illis potest puniri, eo quòd iniuriam inferat Sacramento, & sit suspectus de fide.*

5 *Sacerdos sollicitans, si sit Episcopus, non est à Pænitente sollicitato denunciandus Inquisitoribus; quia Episcopus non est subiectus illis neque in delicto hæresis, & multò magis non est subiectus in delicto, quod tantùm hæresis suspicionem habet.*

6 *Episcopi nomine Inquisitoribus non subiecti, venit etiam Episcopus Titularis; quia & hic etiam verus est Episcopus. Secus si sit solùm electus; quia tunc Inquisitoribus subditur, itavt si sollicitet, sit eisdem denunciandus.*

7 *Nuncius, seu Sedis Apostolica Legatus, aliusque einsdem Sedis Apostolica Minister, vel Officialis, similiter non est Inquisitoribus denunciandus, vel Ordinariis, quia iis non subditur.*

8 *Delegati, Ministri, vel Officialis Sedis Apostolica nomine venit, qui nomine Sedis Apostolica mittitur ad negotium ad Sanctam Sedem spectans tractandum; secùs si mittatur, vt quotidie fit, ad causas particulares.*

9 *Inquisitores Hispania sollicitantes in confessione, si sunt Sedis Apostolica Delegati, eiusque Officiales, nullo modo Tribunali Sancta Inquisitionis, vel Ordinario denunciandi sunt. Si verò non sunt, sed tantùm subdelegati Commissarij Generalis, denunciandi sunt, sed supremo Senatui, vel Inquisitori Generali.*

10 *Episcopus, & Inquisitor licèt aliis Inquisitoribus denunciandus non sit, vt corrigatur, vel puniatur ab illis; possunt tamen ab aliis Inquisitoribus contra vtrumque, si denunciatio fiat, testium depositiones recipi, qua Sedi Apostolica, vel Generali Inquisitori remittantur.*

11 *Sollicitans, si sit laicus, vel non Sacerdos, & fingens se Sacerdotem, confessiones excipiat, non venit Inquisitoribus denunciandus ex supradictis Pontificiis constitutionibus, contra Cyprium; quia dicta constitutiones loquuntur de Sacerdotibus, non de illis, qui Sacerdotes se fingunt, proprieque Confessarij non sunt: Pœna enim, qua contra Sacerdotes existunt, non sunt extendenda ad laicos.*

12 *Laicus, vel non Sacerdos Sacerdotem se fingens, licèt non sit denunciandus Inquisitoribus ex Pontificiis constitutionibus aduersùs sollicitantes latis; est tamen illis denunciandus ex constitutione Gregorij XIII. lata aduersùs eos, qui Sacerdotes se fingunt, & sub tali fictione confessiones excipiunt.*

13 *At ex hoc capite requiritur, quod non solùm confessiones audieris, sed etiam absolutionem impenderit, quia si non absoluerit, Pænitentia Sacramentum administrasse non censetur.*

24 *Interpres, quicumque sit, etiam Sacerdos, si Pænitentem in confessione sollicitet, neque est Inquisitoribus denunciandus ex obligatione prædictarum Pontificum constitutionum, contra aliquos Doctores contrarium sentientes ob eandem rationem.*

15 *Interpres, licet laicus, participat aliquid de actu clauis.*

16 *Interpres tenetur æquè ac Confessarius ad sigillum confessionis.*

17 *Interpres non tamen est denunciandus; quia se tenet potiùs ex parte pœnitentis, quàm ex parte Confessarij, & casus interpretis rarò contingit.*

18 *Mandans, quicumque similiter sit, etiam Sacerdos, Confessario, quod sollicitet pro se pœnitentem, neque est Inquisitoribus denunciandus; quia verba legis pœnalis sunt accipienda formaliter, & & propriè, non autem fictè, & metaphoricè, & impropriè.*

19 *Mandans facere non contrahit excommunicationem latam contra aliquid facientem.*

20 *Mandans occidere, vel furari, neque contrahit excommunicationem latam contra occidentem, vel furantem.*

21 *In dubio, an mandans, vel consulens comprehendatur sub censura lata contra facientes, dicendum est quod non comprehendatur, nisi aliter expressè decisum fuerit.*

22 *Regula, Qui per alium facit, per seipsum facere videtur, intelligitur quoad contractus, non quoad alia; & in iis, qua spectant ad culpam, non in iis, qua spectant ad pœnam.*

23 *Neque denunciandus est, qui licèt Sacerdos, tactibus, nutibus, vel signis prouocat pœnitentem, dum is alteri confitetur.*

24 *Pœnitens, quicumque etiam sit, si Confessarium in confessione sollicitet, neque est à Confessario Inquisitoribus denunciandus ex tenore prædictarum constitutionum, & Decretorum Inquisitorum, non enim sunt aduersùs Pœnitentes, sed aduersùs Confessarios Pænitentem sollicitantes.*

25 *Constitutiones prædictæ sunt pœnales, & ideò non extendendæ ad alium casum.*

26 *Edicta pœnalia non admittunt argumentum à pari, neque à simili, neque à contrario sensu.*

27 *Pœna* l. vnicæ, Cod. de Raptoribus Virginum, *non extenditur, si Virgo rapiat marem, vel mas marem.*

28 *Excommunicatio lata contra ingredientes Monasteria sub prætextu licentiarum, non extenditur contra ingredientes sine tali prætextu.*

1 REspondetur, & dico primò: Venit Sacerdos, si licèt confessiones audiendi Iurisdictionem non habeat, ad illas tamen audiendas se exponit. Doctores, quos sequitur Lezana *verb. denunciatio, n.* 6. Acugna *cit. quæst.* 14. *n.* 5. Seraphio. Freytas *vbi suprà, num.* 14. Trimarchus *de Confess. sollicit. disp.* 2. *sect.* 4. Escobar *de Confess. sollicit. part.* 1. *q.* 3. *n.* 27. & Ioannes Sancius *disp.* 11. *n.* 38. Quia talis sacerdos censetur Confessarius, cùm habeat potestatem Ordinis, & à peccatis venialibus, & mortalibus alias confessis, etiam extra articulum mortis, & ab omnibus aliis in articulo mortis absoluere possit.

Confirmatur, quia aliàs quilibet Sacerdos sollicitans dicere posset, quod iurisdictionem non haberet absoluendi à peccatis, quæ sibi confessa fuerant. Quod esset excludere Constitutionnes Pontificum, & decreta Inquisitorum: Ergo.

2 Et quidem sic dicendum est, saltem in terminis Constitutionis Gregorij XV. cùm talis Sacerdos simulet se audire confessiones, & sic simulans Pœnitentem instiget ad actus turpes, & inhonestos.

Quamuis contrarium, etiam in terminis Constit. Gregorij XV. teneant Leander de Sacram. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 13. *quæst.* 37. 38. & 39. Portellius *in Addit. ad dub. Regular. ver. sollicitare fœminas, n.* 13. Sousa *in Aphorism. Inquis. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 16. & *de Confess. sollicit. in Annotat. ad Bullam Gregorij XV. num.* 4. & Fagundez *de præcept. Eccles. in edit. vltima, par.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *n.* 79. moti ex eo, quia in tali in casu non adest confessio vera, & Sacramentalis, & pœnam impositam alicui actui non incurrit is, qui facit illum actum, si sit nullus, & inualidus, iuxta ea quæ tradit præter alios Henriquez *lib.* 6. *cap.* 21. *n.* 4.

At minùs rectè, saltem stante dicta Constit. Gregorij XV. In qua Pontifex vult, quod non solùm sit denunciandus Confessarius, si sollicitet in confessione, sed etiam si sollicitet prætextu confessionis, seu extra occasionem confessionis in confessionatio, simulans ibi confessionem, iuxta ea quæ dicebam *suprà, sect.* 9. & *sect.* 11. sicque post dictam Constitutionem Gregorij XV. tradit præter alios Acugna, Ioannes Sancius *in locis suprà citatis*, & Freytas *in edit. vltima, de Confess. sollicit. q.* 13. *n.* 22. Etiamsi interueniat mala fides Confessarij & Pœnitentis, eo quòd scilicet ambo cognoscant, confessionem fore inualidam, & ob id nequeant intendere conficere Sacramentum. Vide etiam ad hæc *suprà cit. sect.* 9. *circa finem.*

3 Meliùs igitur, qui vellet defendere sententiam Leandri, Portellij, Sousæ, Fagundez, & aliorum, dicere deberet cum Bordono *in sac. Tribunali, quæst.* 14. *n.* 66. quod prædictus Sacerdos, qui scilicet confessiones audiendi iurisdictionem non habeat, ad illas tamen audiendas se exponit, non sit denunciandus ex eo, quia propriè non dicitur Confessarius: Constitutiones autem Pontificiæ loquuntur de Sacerdotibus deputatis, & habentibus curam animarum: Et præterea, quia casus contingit rarò. Leges autem accommodantur ad ea, quæ frequentiùs accidunt, iuxta ea quæ dicebam *suprà, sect.* 2. ex Textu *in l. Nam ad ea, ff. de legib.*

Vbi aduerte, quod Sacerdos non habens Iurisdictionem, vel laicus subdiaconus, aut Diaconus sollicitans ad Venerem in confessione, licèt non sit denunciandus ex vi prædictarum Constitutionum Pontificiarum, sit tamen subiectus iudicio Inquisitorum, & possit puniri ab illis, eo quod & iniuriam inferat Sacramento, & suspectus videatur in fide, iuxta ea, quæ dicebam *infrà, dicto* 2. & *sect.* 13. *Petit.* 11. & dicebam *suprà sect.* 8. in quibus locis idem dicebam, si Sacerdos habens iurisdictionem sollicitet ad alia peccata, quàm peccata veneris. Videantur Fagundez *in Decalog. lib.* 6. *cap.* 12. *numero* 23. Leander *de Sacrament. tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 13. *quæst.* 4. & Bossius *in disceptat. moral. discept.* 5. *numero* 4.

Aduerte 2. quod si Sacerdos sollicitans sit Episcopus, non est à Pœnitente sollicitato denunciandus Inquisitoribus; quia Episcopus non est subiectus illis, *ex c. Inquisitores, de hæretic. in* 6. & ex Tridentino Concilio *sess.* 25. *cap.* 5. *de reform.* Nam si non est subiectus Inquisitoribus in delicto hæresis, multò magis non est subiectus illi in delicto, quod tantùm hæresis suspicionem habet. 5

Nomine autem Episcopi Inquisitoribus non subiecti venit etiam Episcopus Titularis; quia & hic Episcopus etiam est verè Episcopus: Molina *de iust. & Iur. tom.* 6. *tract.* 5. *disput.* 28. *n.* 19. Acugna *q.* 11. *numero* 7. & alij passim. Venit etiam Episcopus electus, & à Sede Apostolica approbatus, etiamsi consecratus non sit. Secus si sit solùm electus; quia tunc Inquisitoribus subditur, ita vt si sollicitet, sicut & quilibet alius Sacerdos, Inquisitoribus denunciari debeat: Molin. *loco supra citato, numero* 20. Acugna *quæst.* 11. *numero* 12. Freytas *numero* 31. & Ioannes Sancius *disput.* 11. *numero* 33. & 35. 6

Aduerte 2. quod si Sacerdos sollicitans sit Nuncius, seu Sedis Apostolicæ Legatus, aliusque eiusdem Sedis Apostolicæ Minister, vel Officialis, similiter non sit Inquisitoribus, vel Ordinariis denunciandus; quia neque iste talis Inquisitoribus, vel ordinariis subditur, etiam in quocumque alio grauissimo delicto, ex textu *in Extrauaganti Cùm Mattheus, de hæretic.* Et tradunt Farinac. *de hæresi, quæst.* 186. Decian. *tom.* 1. *criminal. lib.* 1. *cap.* 23. *numero* 10. Molina *de Iustitia & Iur. tract.* 5. *disput.* 28. *numero* 20. 7

Nomine autem Delegati, Ministri, vel Officialis Sedis Apostolicæ venit, qui nomine Sedis Apostolicæ mittitur ad negotium Sedi Apostolicæ pertinens tractandum. Secus si mittatur, vt quotidie fit, ad causas particulares inter alios iudicandas, ac dirimendas; quia tunc non negotium Sedis Apostolicæ, sed negotium Personarum particularium, & quidem authoritate Sedis Apostolicæ tractat: Doctores, quos sequitur Molina *vbi suprà, tract.* 5. *disp.* 28. *num.* 20. 8

An autem si quis ex Inquisitoribus Hispaniæ Pœnitentem in confessione sollicitet, Tribunali eiusdem sanctæ Inquisitionis, vel Ordinario, seu Episcopo denunciandus sit?

Respondetur: si Inquisitores Hispaniæ sunt Sedis Apostolicæ delegati, eiusque Officiales, vt volunt Eymericus *lib.* 3. *directorij, quæst.* 30. Pegna *ibidem, Scolio* 79. & alij, nullo modo Tribunali Sanctæ Inquisitionis, vel Ordinario denunciandus est, vt patet ex supradictis. Quod si verò prædicti Inquisitores Hispaniæ non sunt Sedis Apostolicæ delegati, eiusque Officiales, sed eius solùm subdelegati & Inquisitoris generalis Commissarij, vt volunt alij, quos sequitur Simanch. *de catholic. Institut. tit.* 25. denunciandus quidem est, non tamen Ordinario, seu Episcopo, neque alteri Inquisitori; quia eis non subditur, sed supremo Senatui, vel Inquisitori generali, cui omnes subduntur: Doctores, quos sequitur Molina *loco suprà citato.* 9

Aduerte

10 Aduerte tamen, quod etsi Episcopus, & Inquisitor aliis Inquisitoribus denunciandus non sit, vt corrigatur, vel puniatur ab illis, possint tamen ab aliis Inquisitoribus contra vtrumque, si denunciatio fiat, testium depositiones recipi, quæ Sedis Apostolicæ, vel generali Inquisitori remittantur. Doctores, quos citat, & sequitur Molina *de iust. & iure, disp.* 28. *num.* 19. & Acugna *quæst.* 15. *n.* 9. *& seqq.* Vide etiam quæ dicebam *suprà, dubit.* 54. *per totam.*

11 Dico 2. si sollicitans sit laicus, vel non Sacerdos, fingens se Sacerdotem, & confessiones excipiat, non venit Inquisitoribus denunciandus, ex supradictis Pontificiis constitutionibus. Doctores, quos sequitur Acugna *q.* 13. *num.* 5. Ioan. Sancinus *in select. disput.* 11. *num.* 36. Portell. *in addition. ad dub. Regular. verb. sollicitare fœminas, n.* 14. quidquid in contrarium dixerit Escobar *de Confess. sollicit. part.* 1. *q.* 3. *num.* 27. & Gyptius *de casib. reseruat. cap.* 14. *n.* 6. quia supradictæ Pontificiæ Constitutiones loquuntur de Sacerdotibus, non autem de illis, qui Sacerdotes se fingunt, proptereaque Confessarij non sunt. Et pœnæ quæ contra Sacerdotes existunt, extendi non debent ad laicos. Vt omittam, quod Confessio tali laico, vel non Sacerdoti, Sacerdotem tamen se fingenti facta, non sit Confessio Sacramentalis, neque propriè sigilli obligationem inducens. Et Constitutiones Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. etsi solæ, loquuntur de Sacerdotibus iniuriam facientibus, & abutentibus Sacramento Confessionis, & sic quando est Confessio vera, & Sacramentalis.

12 Aduerte tamen, quod licèt prædictus laicus, vel non Sacerdos, Sacerdotem tamen se fingens, non sit Inquisitoribus denunciandus ex Pontificiis Constitutionibus aduersùs sollicitantes latis; est tamen illis denunciandus ex iis, quæ dicebam *suprà dicto primo, & sect.* 8. & dicam *infrà sect.* 13. *Petitione* 11. & ex Constitutione Gregorij XIII. lata aduersùs eos qui Sacerdotes se fingunt, & sub tali fictione confessiones excipiunt.

13 Requiritur tamen ex hoc capite, quod non solùm confessiones audierit, sed etiam absolutionem impenderit. Acugna *loco suprà citato, num.* 17. Rodriq. *in quæstion. Regular. tom.* 2. *q.* 58. *art.* 2. & *in summa, c.* 83. *n.* 3. & Ioan. Sancinus *num.* 36. quopropter in Edictis Inquisitorum dicitur, denunciandum esse illum, qui cùm sacris, scilicet proportionatis, initiatus non sit, aliquod Sacramentum administrauit. At si absolutionem non impenderit, Pœnitentiæ Sacramentum administrasse non censetur: Ergo, &c.

14 Dico 3. Interpres quicumque sit, etiam Sacerdos,
si Pœnitentem in confessione sollicitet, neque est
Inquisitoribus denunciandus ex obligatione prædi-
ctarum Constitutionum. Sic contra Trimarchum
de Confess. sollic. disput. 2. Escobar. *part.* 1. *quæst.* 2. *nu-*
mero 31. & Freytas *in addition. ad Rodericum*, Acugna
tract. de Confess. sollicit. q. 15. *n.* 27. *& in edit. vltima,*
n. 37. *&* 38. qui contrarium tenent ex eo, quia est
eadem ratio in Interprete, ac in Confessario, abu-
sus scilicet Sacramenti, Sacrilegium, antidoti reme-
dium in venenum, cùm sumatur Sacramentum vt
15 medium ad peccandum. Tum quia interpres, licèt
laicus, ex S. Thoma *in addit. ad tertiam par. q.* 11.
art. 3. *in corpore*, Suario *tom.* 2. *disput.* 33. *sect.* 5. *n.* 4. &
aliis participat aliquid de actu clauis. Ergo compre-
henditur consequenter sub nomine Confessarij, siue
per participationem, siue saltem extensiuè per inter-
16 pretationem. Tum quia dictus laicus in tali casu
secundùm opinionem communiorem apud Bona-
cinam *de pœnitentia, disput.* 5. *q.* 6. *sect.* 5. *part.* 3. tene-
tur æquè ac Confessarius, ad sigillum Confessionis,
tùm sicut ex S. Thoma suprà, participat de actu
clauis, sic ex eodem S. Thoma *in* 4. *dist.* 21. *q.* 3. *art.* 4.
ad 3. participet de sigillo confessionis. Et meritò, quia
concurrit ad confessionem, & cognoscit peccata in
ordine ad confessionem, docent Souza *in Aphorism. In-*
quis. lib. 1. *cap.* 34. *n.* 14. & *de Confess. sollicit. tract.* 1.
cap. 10. *n.* 3. Bordonus *q.* 14. *n.* 69. & Sancius *in sele-*
ctis, disput. 11. *n.* 10. *&* 37. Quia Interpres absolutè 17
non est Confessarius, neque Minister Sacramenti
confessionis. Tum quia interpres potiùs se tenet ex
parte Pœnitentis, quàm ex parte Confessarij, sicque
non sollicitat vt Confessarius, etiamsi sit sacerdos.
Tum quia casus Interpretis, de quo nunc loquimur,
rarò contingit: leges autem accommodantur ad ea,
quæ frequentiùs accidunt, *l. Nam ad ea, ff. de legib.*

Atque hinc patet ad Freytas rationes in contrarium.

Dico 4. Mandans, quicumque similiter sit, etiam 18
Sacerdos Confessario, quod sollicitet pro se pœniten-
tem, neque est Inquisitoribus denunciandus. Trul-
lench. *in decalogum, tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 3. *dub.* 18. *n.* 48. Leand.
de Sacrament. tom. 1. *tract.* 51. *disp.* 13. *q.* 36 Escobar
de Confess. sollicit. par. 1. *q.* 1. *num.* 35. & alij passim,
contra Carenam de officio sanctæ Inquisitionis, *p.* 2.
tit. 6. §. *per totum*, Riccium *in Praxi, par.* 3. *resolut.* 65.
n. 4. & Homobonum *de exam. Eccles. p.* 2. *tract.* 11.
cap. 12. *q.* 26. *resol.* 4. Quia verba legis pœnalis sunt ac-
cipienda formaliter, & propriè, non autem fictè, meta-
phoricè, & impropriè; atque adeo non sunt exten-
denda, vt propterea non contrahat excommunica- 19
tionem latam contra alium facientem is, qui mandat
facere. Angelus *verb. Excommunicatio* 8. *n.* 1. Tabiena
eodem ver. Excommunicatio 5. *cas.* 49. §. 7. Nauarrus *in*
summa, cap. 27. *num.* 1. Suarez *de censur. disp.* 4. *sect.* 3.
n. 5. & alij communiter in materia de censuris. Ne-
que contrahat excommunicationem latam contra oc-
cidentem, vel furantem is, qui mandat occidere, vel
furari, Doctores in locis suprà citatis, Reginald. *in*
Prax. tom. 1. *lib.* 9. *cap.* 12. *num.* 214. & Bonacina *de cen-*
sur. in communi, disput. 1. *q.* 1. *punct.* 6. *n.* 1. vbi rectè
subdit, quod quando oritur dubium, an mandans, 20
vel consulens comprehendatur sub censura lata contra
facientes, dicendum sit quod non comprehendatur,
nisi aliter expressè decisum fuerit, ex Nauarro *con-*
sil. 55. *de sent. excommun. lib.* 6. & Auila *de censur.*
part. 2. *cap.* 2. *disput.* 3. *dub.* 2. *&* 6.

21 Et meritò, quia vt omittam, odia esse restringenda quando lex vult punire non solùm facientem, sed etiam mandantem, consulentem, vel iubentem, &c. id explicat, vt propterea *in cap. Mulieres, de sententia excommun.* extendatur ad mandantem, &c. excommunicatio, quæ *in cap. si quis suadente diabolo*, erat lata tantùm contra eum, qui percutit clericum. Ratio, quia sicuti dicebam, leges latæ contra facientes non ligant mandantes, vel consulentes; tametsi Confessarius in casu nostro denunciandus sit quidem tanquam leno.

22 Non obstat, si cum Riccio, & Homobono vbi suprà, dicas: *In cap. qui per alium, de Regul. Iur. in* 6. habetur, *quod qui per alium facit, per seipsum facere videtur.* Et *in l. Manumissiones, ff. de Iust. & Iur. & in l. si amicis, ff. de Adult.* dicitur, *quod faciat is, qui iubet aliquid facere:* Ergo.

Respondetur enim id intelligi quoad contractus, non quoad alia: Et si intelligatur quoad alia, tantum sit verum, quantum spectat ad culpam, non quantum spectat ad pœnam. Videatur Auila *de censur. par.* 2. *cap.* 4. *disp.* 3. *dub.* 2. *in fine*, Bonacina *de legib. disp.* 3. *q.* 7. *punct.* 4. *n.* 12. Megal. 3. *par. lib.* 4. *cap.* 2. *q.* 1. *n.* 12. ex Bartolo *in l. sed si vnius*, §. 1. *de Iniuriis*, quatenus expressè ait, quod qui per alium facit, non verè, sed fictè faciat. Cùm igitur verba prædictarum Constitionum Pontificiarum sint directa contra Confessarios sollicitantes, non sunt extendenda ad mandantes Confessariis sollicitare.

23 Ex dictis sequitur, quod neque denunciandus sit qui licèt Sacerdos, tactibus, nutibus, vel signis prouocat

uocat Pœnitentem, dum is alteri confitetur; quia talis sub Constitutionibus Pontificiis non comprehenditur; cùm eæ tantùm loquantur de Sacerdote, cui pœnitens actualiter confitetur, nec habeant locum in altero. Tum quia licèt ex simili sollicitatione inferatur iniuria Sacramento Pœnitentiæ, non tamen infertur à Sacerdote, velut ab eius Ministro, sed ab altero, velut ab extraneo, sicut inferri posset à quodlibet laïco, qui nec est, nec esse potest Minister Sacramenti. Tum quia casus est rarus, & leges accommodantur ad ea, quæ frequentiùs accidunt, *l. Nam ad ea, ff. de legib.* Vide Sousam, & Escobar *de Confess. sollicit. part. 1. q. 4. §. 1. n. 71.*

24 Dico 5. Pœnitens, quicumque etiam sit, si Confessarium in confessione sollicitet, neque est (quidquid in contrarium dixerint Paramus *de origin. Inquis. lib. 3. quæst. 10. circa finem*, & Belloch. *de casib. reseruat. part. 2. quæst. 9. num. 51.* moti ex eo, quia non minùs lædit Sacramentum, si sollicitet Pœnitens, quàm si sollicitet Confessarius; sed si sollicitet Confessarius, est denunciandus: Ergo, & si sollicitet Pœnitens) à Confessario Inquisitoribus denunciandus ex tenore prædictarum Constitutionum, & Decretorum Inquisitorum: sic Doctores communiter, quos sequitur Grassius *lib. 2. de casib. reseru. cap. 12. num. 38.* Aeugna *quæst. 9. num. 3. & seqq.* Riccius *in Praxi, part. 3. resol. 67. numero 1.* Bonacina *in tract. var. disput. 6. punct. 3. numero 10.* & Ioannes Sancius *in selectis, vbi suprà, num. 24.* quia prædictæ Constitutiones Pontificum, & Decreta Inquisitorum non sunt aduersùs Pœnitentes, sed aduersùs Confessarios Pœnitentem sollicitantes: Et meritò, quia sollicitatio non ex parte Pœnitentis in Confessarium, sed ex parte Confessarij in Pœnitentem euenire consueuit; leges autem accommodantur ad ea, quæ frequentiùs accidunt, *l. Nam ad ea, ff. de legib.* Vide *suprà sect. 7. in fine.*

25 Accedit, quod cùm prædictæ Constitutiones sint pœnales, non sunt extendendæ ad alium casum, *ex l. cùm quidam, ff. de liber. & posth. & ex cap. Statutum, de elect.* Et tradunt ex communi Castr. *de leg. pœnal. lib. 1. cap. 7. document. 3.* Sanchez *de matrim. lib. 10. disp. 4. num. 3.* & Barbosa *de potest. Episc. part. 3.*
26 *allegat. 102. numero 82.* Et ideò edicta pœnalia non admittunt argumentum à pari, neque à simili, neque à contrario sensu. Ideoque pœna *l. vnica, Cod. de rapt.*
27 *Virgin.* non extenditur, si virgo rapiat marem, vel mas marem: Castrensis *in l. Raptores, Cod. de rapt. Virgin.* Decian. *lib. 8. tom. 7. num. 28. & 29.* Triuisanus *part. 2. decis. 21.* Sanchez *vbi suprà, lib. 7. disp. 12. num. 25.* Emmanuel Barbosa *ad ordinat. Portugal.*
28 *lib. 5. tit. 18. §. 3. numero 2.* Ideoque etiam Excommunicatio lata contra ingredientes Monasteria sub prætextu licentiarum, non extenditur, si ingrediantur sine tali prætextu, Miranda *in Manual. Prælator. tract. de Monialib. quæst. 2. art. 10. concl. 11.* Megal. *in 3. part. lib. 4. cap. 3. q. 1. num. 11.* Barbosa *de potest. Episc. part. 3. allegat. 102. n. 37.* Suar. Philiarch. Zerol. Sayrus, & Rodriquez, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 5. moral. cap. 16. n. 78.* Vnde patet responsio ad Argumentum Parami, & Bellochij vbi suprà in contrarium.

An autem prædictus Reus in tali casu denunciandus sit suo superiori, vt ab illo corrigatur? Dixi *suprà, sect. 8.*

SECTIO XIII.

In quibusnam casibus cesset obligatio denunciandi Sacerdotem sollicitationis crimen committentem.

SVMMARIVM.

1 *Obligatio denunciandi Sacerdotem sollicitantem cessat, si Sacerdos emendatus præsumatur: Quod vix, aut ne vix quidem præsumi potest, quia cùm malus semper præsumatur malus in eodem genere mali, qui semel abusus est Sacramento, semper illo præsumitur abuti.*

2 *Secus si ex Inquisitorum mandato aliud constiterit; poterunt enim in punitionem delicti commissi, & in exemplum aliorum, quod delicta, etiamsi emendata fuerint, manifestentur.*

3 *Item obligatio denunciandi cessat, si Sacerdos per correctionem fraternam integrè emendandus speretur, quia licèt de iure natura Sacramenti reuerentiam procurare teneamur, tenemur tamen id facere minori damno Proximi, quo fieri possit, licèt post decretum Alexandri VII. rarò denunciandi obligatio cesset.*

4 *Obligatio denunciandi cessat etiam, si Sacerdos aliquo modo de tali delicto infamatus non sit, & quia denunciatio sub pœna Excommunicationis præcepta regulariter non obligat de delictis occultis, & quæ probari non possunt, ne denunciator calumniator reputetur. Quod tamen Auctori minùs probatur, & cur.*

5 *Verba Constitutionis Clementis VIII. suprà relata non obstant; quia ibi is mandat denunciari quemlibet Sacerdotem de hoc crimine quomodolibet infamatum, idest infamatum etiam apud sollicitatam Personam tantùm.*

6 *Aduerbium* quomolibet, *restringit infamiam, vt non sumatur in rigorosa sua significatione, & sic non requiritur, quod præcedat vera infamia, sed sufficit qualiscumque infamia.*

7 *Obligatio denuntiandi Confessarium sollicitantem in confessione cessat, si sollicitationem quis sciuerit sub secreto naturali; quia huiusmodi secretum non vergit in damnum proximi, & ex alio capite obligat de iure naturali, & præceptum denuntiandi est tantùm de jure positivo, & humano.*

8 *Secretum servari non debet quoties ejus observatio vergit in damnum commune, prout est non denunciare solicitantem. Quod verum est etiamsi Secretum fuerit juratum.*

9 *Nullum Iuramentum promissorium cedens in damnum Tertij, vel Reipublicæ, est obligatorium.*

10 *Lex obligans ad denuntiandum, est quidem affirmatiua, & tanquam Ordinis inferioris, non derogat obligationi legis naturalis, sicque non obligat ad non seruandum secretum, quando de iure naturali est illud seruandum.*

11 *Confessarius quidam perditè sollicitationes, & turpes actus in ipso Confessionario per decem annos exercuit, eo quòd per totum illud tempus à nullo Pœnitente sollicitato denunciatus fuit.*

12 *Obligatio denunciandi Inquisitoribus cessat, etiamsi sollicitans Episcopo denuntietur; quia Clemens VIII. non abstulit ab Episcopis facultatem de hoc crimine cognoscendi, sed eam cum Ordinario tradidit simul Inquisitori.*

13 *Ordinarij in Hispania nunquam de hoc crimine cognoscunt, sed solùm Inquisitores.*

14 *Inquisitores in Hispania ideò noluerunt Constitutionem Gregorij XV. recipere, quia illa æquè ipsis, ac Ordinariis dat facultatem procedendi.*

15 *Constitutio Gregory XV. non derogat Consuetudini, & priuilegio Apostolico, quæ adsunt in Regnis, & locis, vbi est Hispanica Inquisitio.*

16 *Inquisitores quando de hoc crimine iudicant, Ordinarium vocant, & simul cum illo causam decidunt.*

17 *Alexandri VII. decretum editum anno 1660. Mense Augusto, postquam Auctor hæc scripserat, districtè*

districtè mandat, vt tam hæreticus, quàm de hæresi vel leuissimè suspectus, locorum Ordinariis, aut Inquisitoribus, nulla præmissa correctione, denuncietur.

18 *Hæreticus pertinax, qui scilicet profert errores in fide ex malitia, non autem ex simplicitate, vel ignorantia quadam, quales sunt aliqui concionatores, qui propterea non sunt propriè hæretici, est denunciandus: At eum iis, qui ob ignorantiam, vel simplicitatem labuntur, seruandus est ordo Euangely.*

19 *Denunciare tenetur vt suspectum de hæresi, & sollicitantem in confessione, &c. non solùm is, qui delictum certò nouit, sed etiam is, qui à personis fide dignis, si ij non denunciant, audiuit.*

20 *Secus est quando audiuit à personis leuibus, quia talis notitia nullam fidem gignit; & forsan aliquando denunciatio Innocenti alicui nocere potest.*

21 *Nemo tenetur denunciare quæ audiuit ab hominibus parui nominis, ita vt si illis crediderit, de leui credulitate à prudentibus viris notari possit: qu d adeò verum est, vt procedat etiamsi à superiore sub pœna excommunicationis, & in virtute sanctæ obedientiæ iubeatur.*

22 *Contraria sententia, quam tenent alij in hoc crimine, non censetur omninò improbabilis, quatenus asserunt, quod nemo peccatum, quod est dubium, an fuerit commissum, & quod ab hominibus leuibus, & non fide dignis auditur, non sit obligatio denunciandi: Secùs si crimen sit contra bonum commune.*

23 *Excipiuntur tamen casus, in quibus vel ob grauitatem criminis, vel ob aliam rationabilem causam Prælatus præcipit denunciari ab omnibus, etiam qui audiuerint, & aliter non sciuerint.*

24 *Si quis igitur audiuerit, quod Confessarius aliquis pœnitentem in confessione sollicitauerit, tenetur Confessarium illum denunciare, nec ad ipsum qui audiuit, sed ad Inquisitores pertinebit discernere, an is qui dixit, sit bona fama, necne.*

25 *In Sancto Officio admittuntur contra Reum etiam testes inhabiles, vt excommunicati, criminosi, infames, & hoc in detestationem criminis hæresis.*

26 *Non obstat, quod forsan aliquando denunciatio alicui innocenti nocere posset; quia magis procurari debet bonum commune, quàm particulare.*

27 *Denunciare tenetur etiam is, qui delictum nouit, vel audiuit, vt suprà, si sit Clericus, vel Religiosus, quamuis inde timeatur sequenda mors hæretici.*

28 *Et tenetur ad denunciandum, etiamsi iurauerit, id non esse factum; quia Sacramentum in tali casu, vtpote de re illicita, obligationem non inducit. Dummodo probabiliter sibi non timeat aliquod malum notabile.*

29 *Excipe, si ex omissione denunciationis sequatur etiam malum notabile Reipublicæ, vel communitati, quia bonum commune, sicut & malum commune, præferri debet particulari.*

1 Respondetur: Cessat primò, si Sacerdos emendatus præsumatur (quod vix, ac ne vix quidem præsumi poterit; quia cùm malus semper præsumatur malus in eodem genere mali, qui semel abusus est Sacramento, semper illo præsumetur abuti: tum quia cùm non audiat Ecclesiam, non præsumatur audire monitionem personæ particularis), & periculum non est, quod fiat recidiuus: sic Doctores, quos sequitur Fagundez *de præceptis, precep.5.2. par.lib.5. cap. 31. num.1.* quia Pontificiæ constitutiones non tam intendunt punitionem delinquentis Sacerdotis, quàm reuerentiam Sacramento debitam; quapropter *suprà sect.2.* dicebam, quod prædictæ constitutiones satis probabiliter sint fauorabiles, atque adeò dilatandæ; non autem odiosæ, atque adeo restringendæ.

At intellige, si ex Inquisitorum mandato aliud non constiterit; quia poterunt Inquisitores in punitionem delicti commissi, & in exemplum, & coërcitionem aliorum, mandare quod delicta, tametsi iam emendata fuerint, sibi manifestentur: quo casu scientes (præsertim post Alexandri VII. decretum infrà referendum,) tenebuntur illa Inquisitoribus manifestare. Suarez *de fide, disp.20. sect.4.num.11.* Sanchez *tom.2.consil.moral.lib.6.cap.2.dub.5.n.6.* Ioan. Sancius *in select. disp.11.num.56.* & alij, quos sequitur Diana *par.1.tract.4.resol.2.& 3.* 2

Cessat 2. si Sacerdos per correctionem fraternam integrè emendandus speretur: sic Doctores iidem, quos sequitur idem Fagundez *loco suprà citato*; quia licèt de iure naturæ Sacramenti reuerentiam procurare teneamur, tenemur tamen id facere minori proximi damno, quo fieri possit. 3

At iuxta ea, quæ mox suprà dicebam, rarò per hanc correctionem fraternam emendatio sperari potest, vt propterea rarò ex hoc capite denunciandi obligatio (præsertim post Alexandri VII. decretum infrà referendum) cessare possit.

Quod etiam intellige, vt scilicet cesset obligatio denunciandi, si ex Inquisitorum mandato aliud non constiterit, iuxta ea, quæ mox etiam suprà dicebam.

Cessat 3. si Sacerdos aliquo modo de tali delicto infamatus non sit: Doctores iidem, quos sequitur etiam idem Fagundez *vbi suprà*, & Megalius *lib. 1. cap.5. n.14.* quia Constitutio Clementis VIII. petit, Sacerdotem esse infamatum, ibi, *de quomodolibet infamatis*; constitutio autem pœnalis extendi non debet vltra verborum proprietatem, *ex Regul. odia, de Regul.iur.in 6. & ex l.cum quidam, ff. de liber.& posthum.* Et quia denunciatio, sub pœna excommunicationis præcepta regulariter, excepto scilicet delicto hæresis, non obligat de delictis occultis, & quæ probari non possunt, ne denunciator calumniator reputetur. Sot. *de tegendo secrete, n.31.q.1.concl.4.* Nauarr. *In summa, cap.25.n.46.* Enriquez *lib.13. cap. 18. n.3.* & alij passim. 4

At hoc mihi cum Moura *de ensalm. & incantat. sect.3. cap.3. n.11.* Acugna *de Confess. sollicit. q.4.n.4.* Freytas *in nou.addit.n.62.* Sousa *de Confess. etiam sollic.tract.3. cap.21.num.8. & 3.* Pottello *in Addit. ad dubia Regular.ver. sollicitare, n.11.& 20.* & Peytino *in priuil. Minim. tom. 2. constit. 4. Gregorij XV. §.3. num. 3.* minùs probatur, quia sic rarò sollicitatus teneretur Sacerdotem sollicitantem denunciare, cùm hoc delictum secretissimè committatur, neque ab alio quàm à sollicitato cognosci soleat, neque infamatio contingere, nisi cùm delictum denunciatum fuerit: tum quia hæc denunciatio ordinatur ad præcauendum delictum, & ad impediendam Sacramenti irreuerentiam; in quo casu necesse non est, quod delictum sit publicum, præsertim quia nullus adest timor, quod denunciator pro calumniatore habeatur, cùm denunciator non personam accusatoris, sed personam delatoris, & testis induat: tum quia in crimine hæresis, eo quòd serpit contra bonum commune, fieri potest Inquisitio, tametsi contra reum nulla præcedat infamia, seu diffamatio. Simanch. *de Cathol.institut.tit.43. n.7. & 8.* Roland. à Valle *consil.8.n.6.lib.3.* Scaccia *de iudic. lib.5. cap. 59. n.10.* Rojas *singul.3. n.22.* Pegna *in director. Inquis. par.3.comment.16.* Campeg. *in Addit.ad Zanchinum, tract. de hæretic. cap.9. num. 9.* & alij passim: Ergo etiam fieri poterit in hoc crimine sollicitationis

in confessione, propter eandem rationem: Quod clarè constat ex verbis constitutionis Gregorij XV. per illa verba: [diligenter inquiras, & iuxta facultatem tibi contra hæreticos, &c. procedas.]

5 Neque obstant verba constitutionis Clementis VIII. suprà relata; quia mandat quidem ibi Clemens VIII. denunciari quemlibet Sacerdotem de hoc crimine quomodolibet infamatum, idest infamatum etiam apud sollicitatam personam tantùm, cùm ad-
6 uerbium illud: *quomodolibet*: restringat infamiam, vt non sumatur in sua rigorosa significatione. Et sic non requiritur quod præcedat vera infamia, sed sufficit qualiscumque infamia, sicuti constat *ex cap. statutum, §. in nulla, de rescript. in 6. & ex cap. indemnitatibus, §. sanè, de elect. etiam in 6.* dicta igitur verba non exigunt infamiam simpliciter, sed eam, quæ quocumque modo talis dici possit; dicitur enim diffamatus *quomodolibet*: dicetur autem diffamatus quomodolibet, seu aliquo modo, qui iam non habet famam integrã, & illæsam, sed laceratam per notitiam, præsertim fœminarum, per quam est in proximo periculo publicitatis: vel dicas, Clementem VIII. intelligere hunc, scilicet *quomodolibet infamatum*, esse præcipuè denunciandum: Vnde Fagundez *in editione nouissima, num. 83.* suum iudicium circa præsentem quæstionem Sancti Tribunalis praxi subiecit, & Megalius in secunda editione, in Apostilla marginali sententiam mutauit. Vide etiam quæ dicam *infrà, sect. 15.*

7 Cessat 4. si sollicitationem scieris sub secreto naturali, vt si audieris Confessarium sollicitantem in confessione, vel si Confessarius ipse sub secreto id tibi aperuerit. Fagundez *eodem loco suprà citato*, Raynald. *de monitor. par. 1. cap. 3. punct. 3.* Thom. Hurtad. *variar. resol. tract. 4. cap. 8. resolut. 17. num. 26n. & seqq.* loquens tamen iuxta ea, quæ mox *infrà* dicam, quando sollicitans est emendatus, aut speratur emendandus, & Sanchez *lib. 2. moral. cap. 32. num. 4.* loquens tamen de blasphemiis occultis, quia huiusmodi secretum non vergit in damnum proximi, & ex alio capite obligat de iure naturali: præceptum autem denunciandi sollicitantem obligat tantùm de iure positiuo, & humano: Ergo vinculum iuris naturalis fortius præualere debet vinculo iuris positiui, & humani minùs forti.

8 At hoc generaliter mihi cum Bossio *in Appendic. de Iubilæo, dubit. 29. num. 88.* Trimarcho *de Confess. sollicit. disp. 6. num. 29.* & Diana *par. 1. tract. 4. resolut. 24.* minùs etiam probatur, quia secretum seruare non debes quoties eius obseruatio vergit in damnum commune: Sed non denunciare sollicitantem, quando non est emendatus, neque sub spe emendandus, vergit in damnum Sacramenti pœnitentiæ, sicque in damnum commune, quinetiam in damnum illuc accedentium, quibus loco medicinæ venenum paratus: ergo tunc saltem tale secretum, etiamsi fuerit iuratum, seruare non debes, quia ex Lessio *de iust. & iur. lib. 2. cap. 30. dub. 6. num. 47.* & aliis communiter certum est, quod si denunciatio sit necessaria ad damnum aliquod priuatum, vel publicum auertendum (vt est in casu nostro, cùm expediat
9 Reipublicæ Christianæ tales Confessarios punire; ideoque in constitutione Gregorij XV. dicatur, quod in hoc casu procedendum sit, sicuti proceditur in causis fidei, promissio secreti, etiam iuramento firmata, non obligat, cùm nullum iuramentum promissorium, cadens in damnum tertij, vel Reipublicæ, sit obligatorium: Ergo teneberis secretum illud aperire, non secus ac si non iurasses, nec promisisses.

10 Vide *suprà dubitat. 23.* Quia lex obligans ad denunciandum est quidem affirmatiua, & tanquam ordinis inferioris, non derogat obligationi legis naturalis, sicque non obligat ad non seruandum secretum, quando de iure naturali est illud seruandum: quapropter quando scieris sub secreto aliquem in confessione sollicitasse, obligaberis ad denunciandum solùm quando ratione finis legis cessabit obligatio tegendo secretum; secùs autem quando talis obligatio non cessabit: considerandæ quapropter erunt circumstantiæ, & videndum, an cesset obligatio secreti? Tunc autem talis obligatio procul dubio cessabit, quando bonum commune grauiter læderetur, si omitteretur denunciatio, quia lex naturalis non est sibi ipsi contraria; ideoque cùm obliget ad tuendum bonum commune, casu quo bonum commune, si seruaretur secretum, læderetur, secretum non erit seruandum, etiamsi fuerit iuratum, vti dicebam; quia tunc esset iuramentum de re illicita, atque adeò non acceptum Deo, vtpote contra Deum.

Vide etiam Freytas *in Addit. ad tract. de Confess. sollicit. q. 21. num. 16.* vbi refert, quod quidam Confessarius perditè sollicitationes, & turpes actus in ipso Confessionario per decem annos exercuerit, eo quòd per totum illud tempus à nullo pœnitente sollicitato denunciatus fuit: Ideoque arbitror, quod Confessarius sollicitans, si à pœnitente sollicitato denunciatus non fuerit, ab eo qui id nouit, etiam sub secreto naturali, denunciandus sit: Quod in casu de hæresi formali multò certius est, vt propterea si quis sciat, aliquem esse hæreticum, vel à se ipso, vel ab alio, etiamsi dederit fidem, & iuramentum de non manifestando secreto, multò magis denunciare debeat, sicuti dicebam. 11

Cessat quintò, si sollicitantem Episcopo denuncies. Doctores iidem, quos sequitur Fagundez *eodem loco, vbi suprà.* Putant enim isti Doctores, quod Clemens VIII. non abstulerit ab Ordinariis facultatem de hoc crimine cognoscendi, sed quod eam cum Ordinario tradiderit simul Inquisitoribus: Ergo non arctaris sollicitantem Inquisitoribus denunciare taxatiuè, sed poteris eum vel Inquisitoribus, vel Ordinario denunciare disiunctiuè, ita vt si Ordinarius denunciationem acceptauerit, cesset tibi obligatio denunciandi Inquisitoribus. 12

At licèt hoc verum sit, si loquamur de constitutione Gregorij XV. & sic in locis, vbi constitutio Gregorij XV. recepta est, Acugna *de Confess. sollicit. q. 2. per totam*, Peyrinus *in Priuil. Minim. tom. 2. constitution. 4. Gregorij XV. §. 6. n. 20.* & Bonacina *in tractat. var. disp. 6. punct. 3. n. 23.* tamen si loquamur de constitutione Clementis VIII. (sicut Pij IV & Pauli V.) & sic in locis vbi constitutio Gregorij XV. (vt in Hispania ad mentem aliquorum, recepta non est, minùs etiam mihi probatur, quia probabilius videtur, Clementem VIII. (sicut Pium IV. & Paulum V.) abstulisse ab Ordinariis huius criminis cognitionem, & priuatiuè concessisse illam Inquisitoribus. 13

Primò, quia nunquam in Hispania Ordinarij de hoc crimine cognoscunt, sed solùm Inquisitores: At consuetudo est optima legum interpres: Ergo, &c. 14

Secundò, quia ideò Inquisitores Hispaniæ noluerunt Gregorij XV. constitutionem recipere, quia illa æquè ipsis, ac Ordinariis facultatem procedendi in hoc crimine concedit. Vel meliùs, quia dicta constitutio Gregorij XV. non derogat consuetudini, & Priuilegio Apostolico, quæ adsunt in Regnis, & locis, vbi est Hispanica Inquisitio: qua de re vide quæ dicam *infrà sect. 19.* & quæ dicebam *suprà, sect. 1. circa finem.* 15

Tertiò, quia Inquisitores, quando de hoc crimine iudicant, Ordinarium vocant, & simul cum illo (sicut & in causis fidei) causam decidunt. Ergo signum est, quod neque Ordinarius sine Inquisitoribus, neque Inquisitores sine Ordinario possint in Hispania quoad hanc causam procedere, ac proinde 16

non

non Ordinario, sed Inquisitoribus denunciatio fieri debet, quia ipsis solis independenter ab Ordinario protessum formare competit.

17 Cæterùm quoad hanc materiam de denunciando, vide quæ dicebam *suprà dubit.* 15. *vsque ad* 15. Vide etiam Alexandri VII. decretum anno 1660. mense Augusto, postquam hæc scripseram, editum, in quo districtè mandat, vt tam hæreticus, quàm de hæresi vel leuissimè suspectus, locorum Ordinariis, aut Inquisitoribus, nulla præmissa correctione, denuncietur.

18 Et quidem, iuxta ea, quæ dicebam, hæreticum pertinacem, qui scilicet profert errores in fide ex malitia, non autem ex simplicitate, vel ignorantia quadam, quales sunt aliqui concionatores, qui propterea non sunt propriè hæretici, cùm ad hæresim requiratur pertinacia, sicque cum ipsis seruandus est ordo Euangelicus, & Nauarrus, Corduba, & alij, quos sequitur Sanchez *tom.* 2. *consil. moral. lib.* 6. *dub.*

19 15. *n.* 6. & suspectum de hæresi, & sollicitantem in confessione, &c. tenetur denunciare non solùm is, qui delictum certò nouit, sed etiam is, qui à persona fide dignis, si hi non denunciant, secus si denunciant, cùm tunc denunciatio ipsius super denunciationem illorum fidei plus quidquam non addat, delictum audiuit; quia talis verè, & propriè dicitur habere notitiam de delicto; & Nouarius *de heretic. conf.* 5. *num.* 2. Rodriquez, & alij, quos sequitur idem Sanchez *suprà dubit.* 15. *num.* 1. Lessius *de iust. & iur. lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 7. *num.* 39. Reginald. *tom.* 1. *lib.* 14. *cap.* 3. *sect.* 6. *n.* 50. Genuensis *in practica, cap.* 2. *num.* 9. Petrus Nauarra *de restitution. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 228. Ioannes de la Cruz *in directorio conscient. par.* 1. *præcept.* 8. *art.* 4. *dub.* 13. *concl.* 3. & Pitigianus *in pract. crimin. Regul. cap.* 3.

20 At non sic quando audiuit à personis leuibus, quia talis notitia nullam fidem gignit; & forsan aliquando denunciatio Innocenti alicui nocere posset in tali casu. Nauarrus *in summa, c.* 25. *n.* 46. Corduba *lib.* 1. *q.* 43. *dub.* 1. *vers. sextò quando*, Portellius *in Addit. ad dub. Regul. verf. sollicitare feminas, n.* 22. Rodriguez *in quæst. Regul. tom.* 2. *q.* 6. *art.* 7. quatenus ait, quod nemo tenetur denunciare quæ audiuit ab hominibus parui nominis, ita vt si illis crediderit, de leui credulitate à prudentibus viris notari possit: quod ad eò verum est, vt procedat, etiamsi à superiore sub pœna excommunicationis, & in virtute sanctæ obedientiæ iubeatur: & Fagundez *de precept.*

21 *Ecclesf. precept.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *n.* 31. quatenus inquit, quod si pœnitens coram multis dicat, se fuisse à tali Confessario in confessione sollicitatum, & pœnitens sit fide dignus, iam talis Confessarius manet infamatus, & qui audiunt, tenentur sub pœna excommunicationis denunciare: Secus si dictus pœnitens non sit fide dignus.

22 Quamuis in hoc crimine sollicitationis, sicut & in aliis criminibus pertinentibus ad Sanctum Officium, cùm hæc crimina sint contra bonum commune, contrarium non omninò improbabiliter teneant alij, quos sequitur Thomas à Iesu de Visitatione, *tract.* 1. *cap.* 15. *n.* 11. quatenus asserit, quod nemo peccatum, quod est dubium, an fuerit commissum, & quæ ab hominibus leuibus, & non fide dignis auditur, tenetur denunciare. Secus si crimen sit contra bonum commune, quia tunc simul cum dubio, & leuitate referentium denunciare tenebitur: & Spartarius *in praxi de modo corrigendi Regulares, tract.* 5.

23 *cap.* 11. *num.* 4. quatenus docet, quod nemo tenetur denunciare, quæ tantùm audiuit, & aliter non sciuit. Excipiuntur tamen casus, in quibus vel ob grauitatem criminis, vel ob aliam rationabilem causam Prælatus præcipit denunciari ab omnibus, etiam qui audierint, & aliter non scioerint. Tunc enim subditi tenentur denunciare quæ audierint à quibuscumque, nec ad ipsos, sed ad Prælatum, qui sic præcipit, pertinebit discernere, an ab hominibus bonæ famæ, nec ne audierint. Hæc omnia Spartarius. Quæ omnia multò magis locum habebunt in criminibus pertinentibus ad Sanctum Officium; cùm ista crimina, sicuti dicebam, sint contra bonum commune.

Si quis igitur audiuerit, quod Confessarius aliquis pœnitentem in confessione sollicitauerit, tenetur Confessarium illum denunciare, nec ad ipsum, qui audioit, sed ad Inquisitores pertinebit discernere, an is qui dixit, sit bonæ famæ, necne. Accedit, quod *ex* 24

cap. In fidei fauorem, de heret. in 6. in Sancto Officio admittuntur contra reum testes etiam inhabiles, vt excommunicati, criminosi, periuri, infames, &c. Et hoc quia crimen hæresis, vel hæresim sapiens est ita graue, & perniciosum Reipublicæ, vt meritò in eius detestationem, ad hoc vt sic facilius puniri, & extirpari possit, testes tales admittantur. Non obstat quod 25

forsan aliquando denunciatio alicui Innocenti nocere posset in tali casu, quia magis procurari debet bonum commune, quàm particulare, vt propterea etiam admittantur testes inhabiles, sicuti dicebam. 26

Ex his sequitur, quod minùs rectè dixit Homobonus *in Consultat. moral. tom.* 1. *par.* 4. *respons.* 51. quod Confessarium sollicitantem teneatur denunciare solùm pœnitens sollicitatus, non item qui audiuit, siue ab hominibus non fide dignis, siue etiam dignis. Et quidem contrarium seruat praxis Sancti Officij, scilicet vt Confessarium sollicitantem denunciet non solùm pœnitens sollicitatus, sed etiam qui audiuit, saltem à fide dignis.

Et tenetur etiam denunciare is, qui delictum nouit vel audiuit, vt suprà, si sit Clericus, vel Religiosus, quamuis inde timeatur sequenda mors hæretici, vel suspecti de hæresi, quia agitur de malo communi impediendo: sic Doctores, quos sequitur Leana *verb. Accusator, num.* 18. *& seqq.* saltem cum protestatione: sic Doctores, quos sequitur Sanchez *loco suprà citato, dub.* 10. 27

Et tenetur similiter denunciare is, qui delictum nouit, vel audiuit, vt suprà, si iurauerit, id se non esse facturum; quia iuramentum in tali casu, vtpote de re illicita, obligationem non inducit, vti suprà dicebam, & docent etiam Syluest. *verb. testis, q.* 8. & alij, quos sequitur Sanchez *vbi suprà, dub.* 21. 28

Dummodo qui denunciat, ex denunciatione probabiliter sibi non timeat aliquod malum notabile mortis, vel infamiæ, vel bonorum, &c. sibi vel suis, iuxta ea, quæ dicebam *dubit.* 19. *&* 21.

Excepto, si ex omissione denunciationis sequatur etiam malum notabile Reipublicæ, vel communitati; quia bonum commune, sicut & malum commune, debet præferri particulari, seu æstimari magis, quàm particulare: sic DD. quos sequitur Genuens. *in prax. cap.* 18. *n.* 8. 29

PETITIO I.

An pœnitens sollicitatus teneatur regulariter denunciare Confessarium, si ex illa denunciatione timeat damnum notabile?

SVMMARIVM.

1 *Pœnitens sollicitatus non tenetur regulariter denunciare Confessarium, si ex illa denunciatione timeat damnum notabile, contra nonnullos contrarium affirmantes.*

2 *Fœmina sollicitata regulariter excusatur à denunciando,*

ciando, si ex denunciatione ipsi sequatur mors, membri abscissio, vulnus, fama, vel honoris iactura notabilis, maioris, vel magnæ partis bonorum amissio, aut si hæc probabiliter timeat euentura consanguineis, vel affinibus vsque ad quartum gradum, & facilè eis non possit occurri.

3 *Fœmina deobligatur à denunciatione, si graue damnum timeat in fama, vita, vel bonis temporalibus propriis, aut mariti, filiorum, fratris, aut amici maximi; secus tamen si periclitetur bonum fidei, iuxta ea, quæ suprà dicta sunt, quia tunc bonum commune, præsertim fidei, præferri debet bono priuato.*

4 *Creditor magnæ quantitatis multò magis tenebitur denunciare debitorem hæreticum, licèt exinde probabiliter timeat difficultates, & dilationes petendi debitum à fisco.*

5 *Confessarij debent monere Pœnitentem, non esse inhonestum, quod coram Inquisitoribus pro catholicæ fidei defensione compareat ad denunciandum taliter delinquentes.*

6 *Mulieres etiam egregiæ, & Nobiles, tenentur causa testificationis in sollicitationis crimine adire Inquisitores.*

7 *Confessarij debent etiam monere Pœnitentem, quod cessantibus prædictis malis, vel periculis, omninò teneatur denunciare Confessarium sollicitantem.*

1 RESpondetur: Quamuis affirment nonnulli, quos sequitur Bonacina *in tractat. var. dis. 6. punct. 1. §. 3. num. 6. & punct. 3. num. 11.* quia ferè nunquam huiusmodi damni periculum imminet: Tum quia incommoda, quæ sequuntur ex abusu Sacramenti Pœnitentiæ, prævalent incommodis priuatarum personarum: Probabiliùs tamen negant Acugna *de Confessar. sollicit. q. 19. num. 6.* & ibi Freytas *num. 20.* Sousa *in Aphorism. Inquisit. lib. 1. cap. 34. num. 58.*

2 quatenus expressè ait: Regulariter excusatur fœmina sollicitata à denunciando, si ex denunciatione ipsi sequatur mors, membri abscissio, vulnus, famæ, vel honoris iactura notabilis, maioris, vel magnæ partis bonorum amissio, aut si hæc probabiliter timeat euentura consanguineis, vel affinibus vsque ad quartum gradum; & facilè eis non possit occurri, eo quòd qui minatur, potest & consueuit illa, vel similia præstare. Sancius *in select. disp. 11. n. 55.*

3 quatenus inquit: Deobligatur fœmina à denunciatione, si graue damnum timeat in fama, vita, vel bonis temporalibus propriis, aut mariti, filiorum, fratris, aut amici maximi. Peyrinus *in Priuil. Minim. tom. 2. Constit. 4. Gregorij XV. §. 9. num. 28.* Fagundez *præcep. 2. lib. 4. cap. 3. n. 31.* & Lezana *in summa quæst. Regul. cap. 19. num. 34.*

Quamuis si iuxta ea, quæ dicebam *sect. superiori*, ex omissione denunciationis periclitetur, sicut ex crimine hæresis, bonum fidei, omitti non possit denuntiatio, licèt exinde denuncians probabiliter timeat prædicta mala, vel pericula, in quo casu vera est sententia prior Bonacinæ, & aliorum, quos ipse sequitur, non solùm consanguineis, vel amicis, quia in dictis casibus maior amicus est Deus, & dici solet *Amicus vsque ad Aras.* Tum quia alioquin rarò quis teneretur denunciare hæreticum consanguineum, vel amicum, eò quòd propter hæresim omnia bona hæreticus amittat, *ex cap. cum secundum, de hæretic. in 6.* sed etiam sibimetipsi, quia bonum commune, præsertim fidei, præferre debet bono priuato, sicut *ibidem* dicebam.

4 Hinc multò magis quis Creditor magnæ quantitatis tenebitur denunciare hæreticum debitorem, licèt exinde probabiliter timeat difficultates, & dilationes petendi debitum à fisco: Præsertim quia non est timor iniustè illatus, & timor non excusat, nisi sit iniustè illatus, qualis non est iste. Præsertim etiam, & multò magis, si per dictas difficultates, & dilationes denuntiator non mutet statum, eo quòd scilicet sit diues, & adhuc habeat vnde possit viuere sine mutatione status. Vide *infrà Petitione 5. in fine.*

5 Cæterùm Confessarij debent monere Pœnitentem, non esse inhonestum, quod coram Inquisitoribus pro Catholicæ fidei defensione compareat ad denunciandum taliter delinquentes: Vnde Acugna *q. 22. num. 14.* & ibi Freytas *num. 14.* Sancius *cit. disput. 11. n. 45.* & alij asserunt, quod mulieres, etiam egregiæ,
6 & nobiles teneantur causa testificationis in sollicitationis crimine adire Inquisitores, cùm id nimis durum non sit ob bonum Religionis, nisi clausura, infirmitas, vel alia iusta causa ipsas excuset.

7 Debent etiam monere Pœnitentem, quod cessantibus prædictis malis, vel periculis teneatur omninò denunciare Confessarium sollicitantem.

PETITIO II.

An Confessarius sit denunciandus, si fuerit emendatus?

SVMMARIVM.

1 *Confessarius non videtur denunciandus, si fuerit emendatus, & emendatus præsumitur, si idem Pœnitens sollicitatus, ter, vel quater ad eundem accedens, ab illo iterum non sollicitetur.*

2 *Confessarius non videtur ex Sancio denunciandus, si multi sint anni elapsi post factam sollicitationem, & credatur verisimiliter Confessarius iam emendatus.*

3 *Tres annos exigit communis opinio Doctorum, vt delinquens iam emendatus præsumatur.*

4 *Cessante causa cessat effectus, & ita emendato confessario, videtur cessare obligatio denunciandi.*

5 *Obligatio denunciandi non cessat, emendato confessario, posito tamen mandato Inquisitorum.*

6 *Obligationis causa denunciandi videtur quidem esse, vt confessarius emendetur, & non ampliùs Sacramento confessionis abutatur, si loquamur de causa partiali. At secus si de totali.*

7 *Dubius de emendatione alicuius, præsertim hæretici, tenetur illum denuntiare.*

RESpondetur: Negant præter Fagundez *lib. 4. cap. 31. num. 1.* Sousa *de Confess. sollicit. tract. 2. capite 6. conclusione 4. numero 16.* vbi subdit, quod præsumatur emendatus, si idem Pœnitens sollicitatus ter, vel quater ad eundem Confessarium accedens, ab illo iterum non sollicitetur: Ioannes Sancius *in select. disp. 11. num. 55.* quatenus ex-
2 pressè ait, quod si multi sint anni elapsi post factam sollicitationem, & credatur verisimiliter Confessarius iam emendatus, non sit denunciandus, cùm sit pia conditio humana pati videatur, vt post longum tempus commissi criminis delinquens non deferatur ad Tribunal punitionis, sed præsumatur iam emendatus: Tres autem annos exigit communis 3
opinio Doctorum, vt delinquens iam emendatus præsumatur. Acugna *q. 3. num. 15.* Peyrinus *de priuil. Minim. tom. 2. constit. 4. Gregorij XV. §. 9. num. 31.* & Lezana *in summa quæst. Regul. cap. 19. numero 34.*
Quia, posita emendatione Confessarij, cessare 4
videtur obligatio denunciandi, cùm quidem cessante causa cesset effectus, & causa obligationis denunciandi

ciandi videatur esse, vt Confessarius emendetur, & non ampliùs Sacramento Confessionis abutatur: Ergo, &c. Hanc eandem sententiam à fortiori tenere debebunt, qui tenent, quod etiam Hæreticus non sit denunciandus, si fuerit emendatus. His tamen non obstantibus.

5 Respondetur, contrarium esse tenendum, saltem posito Mandato Inquisitorum, iuxta ea, quæ tenebam in principio sectionis, sicque etiam tenent complures Doctores, quos sequitur Bonacina *in tractat. var. disp. 6. punct. 3. numero 9.* Quia ex prædicto Mandato Inquisitorum iudicialis denunciatio, & Inquisitio, quæ contra huiusmodi delinquentes fieri debet, non solùm instituitur ad emendationem delinquentis, sed etiam ad pœnam, vt tam ipse, quàm cæteri metu pœnæ à tali crimine in futurum retrahantur.

6 Ex quibus patet responsio ad argumentum contrariæ sententiæ, cùm causa obligationis denunciandi videatur quidem esse, vt confessarios emendetur, & non ampliùs Sacramento Confessionis abutatur, si loquamur de causa partiali. At secus, si loquamur de totali, sicuti dicebam. Et hæc sententia nunc præsertim post decretum Alexandri VIII. suprà relatum tenenda est.

7 Patet etiam, quod multò magis. Tu dubius de emendatione alicuius Rei in Edicto Inquisitorum positi, præsertim hæretici, teneris illum denunciare, itavt quanvis tibi priuato moraliter constet, aliquem Reum in Edicto Inquisitorum positum, præsertim hæreticum, esse emendatum, vrgeatque alioquin præceptum diuinum de non infamando proximum absque necessitate, tenearis etiam coram Ecclesiæ Ministris eum deferre ad Tribunal sancti Officij. Et multò magis, vti dicebam, in dubio de eius emendatione, quia decernere, an is sit, vel non sit emendatus, exigit iudicium alterius, quàm priuatæ personæ: sic Doctores, quos sequitur Freytas *in Addition. ad Acugnam de Confess. sollicit. quæst. 21. num. 26.* & Emanuel Moura *opuscul. 1. de Incantation. & Ensalm. sect. 2. cap. 16. n. 13.*

PETITIO III.

An Confessarius sit denunciandus, si speretur emendatio.

SVMMARIVM.

1 *Confessarius sollicitans Pœnitentem, est denunciandus, etiamsi speretur emendatio, contra nonnullos contrarium sentientes.*

2 *Idem à fortiori docere debent Doctores, qui tenent quod etiam hæreticus sit priùs corrigendus, si fuerit certa spes emendationis.*

3 *Finis adæquatus, quin præcipuus, huius denunciationis iudicialis, non est solùm emendatio fratris, sed etiam publica correctio, & securitas aliorum fidelium, ad quem finem secreta monitio nunquam est remedium sufficiens.*

4 *Secreta monitio, licèt debeat præcedere ante denunciationem, tamen id non est necessarium, quando proceditur via accusationis.*

5 *Præceptum Christi Domini* Matthæi 18. *de correctione fraterna obligat ex iure naturæ, si stemus tantùm in solo iure naturæ: At contrà si adsit ius aliquod Ecclesiasticum rationabiliter præcipiens immediatè esse procedendum ad denunciationem iudicialem.*

6 *In criminibus sollicitationis, hæresis, & similibus*

potest ius Ecclesiasticum rationabiliter sic præcipere propter, periculum communis detrimenti: cùm rarissimè possit adhiberi remedium conveniens per solam monitionem priuatam.

7 *Bonum Religionis, & commune cum debeat magis procurari, quàm priuatum, in dictis criminibus non sufficit probabilitas, quod criminosus emendabitur per correctionem priuatam; quia cum hac probabilitate stare potest prudens timor de perseuerantia criminis, & de læsione Communitatis.*

8 *Experientia docet, sollicitantem, hæreticum, vel similem non facilè per correctionem fraternam emendari: ex sententia autem Auctorum contraria sententia.*

9 *Crimen sollicitationis in confessione, regulariter loquendo, quantumcunque occultum, statim denunciandum est, omissa secreta admonitione.*

10 *Non sufficit probabilitas, delinquentem fore emendandum per correctionem priuatam; quia cum hac probabilitate stare potest prudens timor, quod delinquens non emendabitur, & Communitas grauiter lædetur.*

11 *Sententia Auctoris post decretum Alexandri VII. omnino tenenda est.*

Respondetur, quamuis negent etiam præter eundem Fagundez *vbi supra*, Acugna *de Confess. sollic. quæst. 18. num. 14.* Rodriquez *in compend. quæst. Regular. resolut. 131. num. 14.* Ledesma *in sum. tom. 2. tract. 4. cap. 4. conclus. 24. dub. 2.* Sousa *de Confess. sollicit. tract. 2. cap. 6. numero 9. & in Apherism. Inquis. lib. 2. cap. 34. num. 57.* Portellus *in addit. ad dub. Regul. ver. sollicitare fœminas, num. 18.* Lezana *in summa quæst. Regular. cap. 10. num. 34.* Peyrin. in *Priuil. Minim. constit. 4. Gregorij XV. §. 9. num. 26.* & Ioannes de la Crua *in director. Conscient. part. 1. precept. 5. quæst. 2. dub. 5. concl. 2.* 1

Quod idem à fortiori docere debebunt hi Doctores, qui tenent, quod etiam hæreticus sit priùs corrigendus, si fuerit certa spes emendationis (contrarium etiam esse tenendum, saltem posito similiter Mandato Inquisitorum, iuxta ea, quæ similiter tenebam in principio sectionis, sicque etiam tenent Doctores, quos sequitur Areualus *de correct. fratern. fol. 181.* Suarez *de fide, disp. 20. sect. 3. numero 13. & sect. 4. num. 11.* Gorgonus *in Theol. moral. tom. 2. lib. 6. q. 12. cap. 25. §. 2. num. 68.* Freytas *de Confess. sollicit. q. 18. n. 31.* & Ioannes Sancius *in select. disp. 11. n. 56.* 2

Quia sicuti dicebam, finis adæquatus, quin præcipuus huius denunciationis iudicialis non est solùm emendatio fratris, sed etiam publica correctio, & securitas aliorum fidelium: Ad quem finem secreta monitio nunquam est remedium sufficiens. Ideoque *in cap.* Qualiter & quando, de accusat. dicitur, quod 3
licèt ante denunciationem, scilicet Euangelicam, debeat præcedere secreta monitio, non sit tamen id necessarium, quando proceditur via accusationis: At eadem ratio est de denunciatione iudiciali, cùm hæc quoad finem, & effectum intentum sit eiusdem rationis. Ergo, &c. Ideoque etiam Glossa *in cap. 2. de accusat. verb. charitatiuè*, ait quod in modo denunciationis tunc, quando agitur ad pœnitentiam, necessaria sit admonitio secundùm veritatem Euangelicam. 4

Objicies: Præceptum Christi Domini, *Matthæi* 18. de correctione fraterna obligat ex iure naturæ, quando speratur emendatio, ita vt delinquens non sit denunciandus, quando speratur emendatio, & multò minùs quando iam est emendatus: quæ emendatio in casu nostro conijci poteris ex qualitate corrigentis, & ex conditione corrigendi, ita vt si Pœnitens sollicitatus nouerit aliquem ad illam correctionem idoneum, possit per eum illam intendere, tractare, & exequi. 5

Respondetur, distinguo Aotecedens: *Preceptum Christi Domini, Matth.* 18. *de corectione fraterna obligat ex iure natura*, si stemus tantùm in solo iure naturæ, concedo: si adsit ius aliquod Ecclesiasticum rationabiliter præcipiens, immediatè esse procedendum ad denunciationem iudicialem, eo quòd scilicet sic expediat bono Religionis, & communi, vt in sollicitatione Pœnitentis, hæresi, vel simili crimine vergenti in damnom commune, seu serpenti contra bonum commune, nego; quia tunc præceptum illud de correctione fraterna, quod obligat ex iure naturæ, cessat, cùm ius naturæ non sit sibimetipsi contrarium.

6 Quod autem in dictis criminibus possit Ius Ecclesiasticum rationabiliter sic præcipere, patet primò, quia propter periculum communis detrimenti, quod est in dictis criminibus vergentibus in damnum commune, seu serpentibus contra bonum commune, vt est sollicitatio, hæresis, vel simile crimen, rarissimè potest adhiberi remedium conueniens per solam monitionem priuatam. Et magna prudentia requiritur ad cognoscendum, an sollicitans, hæreticus, vel similis criminosus verè corrigatur, an fingat, & decipiat. Ergo meritò potuit Ecclesia propter bonum Religionis, & commune, quasi reseruare sibi, vel suis Prælatis & iudicibus huiusmodi negotium, & illud non relinquere arbitrio, & discretioni alicuius persooæ priuatæ.

7 Secundò, quia cùm bonum Religionis, & commune debeat procurari magis, quàm priuatum, non sufficit in dictis criminibus probabilitas, quod criminosus emendabitur per correctionem priuatam; quia cum hac probabilitate stare potest prudens timor, quod crimen perseuerabit, & commuoitas grauiter lædetur. Ergo meritò potuit Ecclesia præcipere, qood io huiusmodi criminibus immediatè procedatur ad decunciationem iudicialem, & non possit in re tanti momenti persona priuata sibi persuadere emendationem delinquentis in præiudicium, & periculum boni Religionis, & communis.

8 Tertiò, quia experientia docuit quod sollicitans, hæreticus, vel similis criminosus, vtpote valde peruersus, cum procedat contra bonum Religionis, & commune, non facilè per correctionem fraternam emendetur, sed sit remedium huiusmodi priuatum insufficiens: Ergo, &c.

Et hoc adeo verum est, vt etiam Authores contrariæ sententiæ concedant, quod rarò in prædictis criminibus cesset obligatio denunciandi; quia rarò speratur emendatio per correctionem fraternam.

9 Videatur ex dictis Authoribus contrariæ sententiæ supra citatis, præcipuè Sousa *in Aphorism. cit. lib.* 1. *cap.* 34. *num.* 56. quatenus ait, quod regulariter loquendo crimen sollicitationis in confessione, quantumcunque occultum, statim denunciandum sit, omissa secreta administratione: Videatur etiam Heoriquez *lib.* 6. *cap.* 17. *num.* 4. *in gloss. lit. I*, quatenus inquit, quod casus sollicitationis reseruetur Censoribus fidei; quia serpit contra booum commune, & honorem Christi. Et vix vafer Confessarius emendari solet per correctionem priuatam, & Granadus *in* 2. 2. *sancti Thomæ, controu.* 3. *tract.* 12.
10 *disp.* 5. *sect.* 4. *num.* 33. Quatenus loquens de correctione facienda io criminibus vergentibus in damnum commone, asserit quod non sufficiat probabilitas, delinquentem fore emendatum per correctionem priuatam, quia cum hac probabilitate stare potest prudeos timor, qood delinquens non emendabitur, & commonitas grauiter lædetur, vt proptereà non possit quis, oisi sit vir magnæ authoritatis, & efficacitatis, practicè loquendo satis sibi persuadere, quod sua priuata monitio impediet malum immineus Commuoitati.

At nunc post decretum Alexandri VII. suprà relatum nostra sententia omninò tenenda est.

PETITIO IV.

Quid dicendum de Edictis in communi?

SVMMARIVM.

1 *Edicta in communi, quæ à iudicibus, vel Prelatis promulgari solent, tam scilicet pro casu heresis, vel suspicionis de heresi, vt sollicitationis in confessione, &c. quàm pro restitutione rerum subreptarum, sunt licita.*

2 *Denunciatio fieri debet iuxta terminum prafixum in Edictis: at si quis sciens non denunciauerit intra terminum, non propterea liber erit ab hac obligatione; talis enim terminus non assignatur, vt obligatio extinguatur, sed vt vrgeatur.*

3 *Qui ignorauit Edictum tempore, quo terminus Edicti currebat, probabiliter non tenetur denunciare statim ac habuit notitiam Edicti, sed potest expectare tantum temporis, quantum designabat Edictum.*

4 *Secus tamen dicendum est de eo, qui non denunciat ob aliquod impedimentum intra terminum Edicti, dum esset conscius Edicti; non enim ipsi conceditur nouus terminus ad denunciandum, contra alios affirmantes, concedi nouum terminum, satis probabiliter.*

5 *Si quis postquam contraxit excommunicationem, denunciationis praceptum adimpleat, poterit absolui ab excommunicatione à quocunque Confessario virtute Bulla Cruciata.*

6 *Per accidens contingere potest, quod quis teneatur denunciare priusquam terminus, qui est in Edicto prafixus, finiatur, vt si preuideat, se translata illa occasione, habiturum impedimentum ad denunciandum.*

7 *Sicuti plures docent de pracepto Missa, confessionis, &c. intra tempus scilicet, quo de his praceptum incepit obligare: secus si non incepit currere tempus pracepti.*

8 *Edicta Inquisitorum, cum ferantur auctoritate Apostolica, non habent minorem vim, quàm leges canonica, & quamuis videantur esse pracepta ab homine; tamen vt emanata à Tribunali sancti Officij per modum legis, perpetuò durant: Et ideò etiamsi aliquando Inquisitores sint negligentes in publicando Edicto, adhuc tamen fieri debet denunciatio virtute priorum Edictorum.*

9 *Edicta Inquisitorum durant per totum Anni tempus, donec iterum publicentur. Contra Henriquez.*

10 *Edicta Episcoporum non durant similiter per totum annum, sed per duos, vel tres menses circiter: Vnde si post hoc temporis spatium nouerit quis, quempiam esse Concubinarium, non tenetur denunciare.*

11 *Edicta vt obligent, requiritur intentio ferentis, & per eam excommunicantis: Quare si iudex proferat excommunicationem exteriùs, non tamen intendat excommunicare, sed solùm terrere, qui contrauenit, non incurrit excommunicationem.*

Immò

12 *Immò & etiam requiritur intentio partis, ad cujus instantiam fertur excommunicatio.*

13 *Excommunicatio quando fertur ad instantiam partis contra eum, qui non solvit intra certum terminum, si pars velit, quod ille non incurrat excommunicationem, non incurret, etiamsi non solvat in præscripto termino. At si fuerit incursa, non potest ea tolli à parte, sed tantùm absolvi ab illo, qui facultatem habet absolvendi.*

14 *Pars potest prorogare terminum debitori, ut non incurrat in excommunicationem jam decretam, nisi infra mensem solverit, ad duos, vel tres menses ultra, post quos demùm incurrat. Et id potest etiam sine consensu judicis, quia licèt non sit expressus, censetur tamen ejusdem adesse consensus tacitus.*

15 *Stylus curia circa pensiones habet, quod excommunicatio contra eum, qui statuto tempore non solvit pensionem, lata in favorem illius, cui solvitur pensio, tali tempore elapso non censeatur incursa, nisi ille cui debetur, declaret se velle, quod illa sit incursa.*

16 *Quando per edictum jubentur scientes denunciare, v. g. intra sex primos dies, inter eos non numeratur dies primus publicationis; quapropter cùm dies naturalis spatio 24. horarum circumscribatur, incipit terminus à sequenti die, & hora, qua Edictum in præcedentia promulgatum fuit.*

17 *Edicti tempus computari debet de momento ad momentum, ita tamen ut nec ignoranti, nec legitimè impedito illud currat.*

18 *Edictum Inquisitorum non comprehendit hæreticum, vel suspectum de hæresi, &c. neque ejus complices; quia nemo tenetur prodere seipsum.*

19 *Fallit hoc in Pœnitente sollicitato sollicitationi consentiente.*

20 *Edictum Inquisitorum neque comprehendit eos, qui ex denunciatione sibi rationabiliter timent grave damnum vitæ, vel bonorum, &c. quia prædictum Edictum non obligat cum tanto incommodo.*

1 Respondetur, & dico primò: Edicta in communi, quæ à Judicibus, vel Prælatis promulgari solent, tam scilicet pro casu hæresis, vel suspicionis de hæresi, ut sollicitationis in confessione, &c. quàm pro restitutione rerum subreptarum, vel pro simili) sunt licita. Bannez 2. 2. qu. 33. art. 8. dub. 2. ad 7. & alij, quos sequitur Sanch. cit. cap. 2. dub. 26.

Etiamsi in illis, quando sunt pro bono communi, præcipiatur denunciari delictum, scilicet hæresis, vel suspicionis de hæresi, vel sollicitationis ad actus inhonestos, non præmissa correctione delinquentis, Quia rarissimè potest in his casibus per solam monitionem hominis privati adhiberi remedium conveniens, propter periculum infectionis hæresis, & propter malitiam ejus, quia est hæreticus, vel est de hæresi suspectus. Tum quia finis adæquatus denunciationis in dictis casibus non est sola emendatio fratris, sed correctio publica, & securitas aliorum fidelium, uti dicebam, & docent etiam Suarez *de fide, disput. 20. sect. 3. numero 12.* & alij, quos sequitur Diana *parte quarta, tractatu 5. resol. 14.*

2 Dico 2. Denunciatio fieri debet juxta terminum præfixum in Edictis: quod si quis sciens Edictum, non denunciavit intra terminum præfixum in Edicto, nonpropterea, hoc termino elapso, liber est à tali obligatione; quia talis terminus non assignatur ut obligatio extinguatur; sed ut urgeatur, & non differatur. Suarez *de censur. disput. 20. sect. 2. numero 15.* Filliucius *tom. 1. tractatu 14. cap. 2. numero 42.* Acugna *de Confess. sollicit. qu. 21. num. 4.* Joannes Sancius *in select. disp. 11. num. 59.* & alij communiter.

3 Qui autem ignoravit Edictum tempore, quo terminus Edicti currebat, probabiliter non tenetur denunciare statim, ac habuit notitiam Edicti, sed poterit expectare tantum temporis, quantum temporis designabat Edictum, quia non decet esse pejoris conditionis, ac alios. Suarez *ubi suprà, sect. 3. numero 15.* Pottell. *in dub. Regular. verb. denunciatio, num. 3.* Filliucius, Acugna, & Sancius *in locis suprà citatis.*

4 An autem idem dicendum sit de eo, qui non denunciat ob aliquod impedimentum intra terminum Edicti, dum esset conscius Edicti, an scilicet ipsi similiter concedatur novus terminus ad denunciandum? Negant Suarez & Sancius *ubi suprà*; quia habuit scientiam, ut posset toto illo tempore consulere, & deliberare quid & quomodo operari deberit. Affirmant tamen, & satis probabiliter alij, quos sequitur Freytas *in novissimis Additionibus de Confess. sollicit. q. 21. num. 41.* quia impedimentum legitimum videtur de Edicto promulgato ignorantiæ æquivalere.

5 Quod si tamen quis, postquam contraxit excommunicationem, denunciationis præceptum adimpleat, poterit absolvi ab excommunicatione à quocumque Confessario virtute Bullæ Cruciatæ; cùm in ea concedatur, satisfacta parte, privilegium absolvendi ab omnibus censuris, vel à Regularibus virtute privilegiorum. Nec teneb tur in Sacramento pœnitentiæ, vel extra illud Inquisitoribus fateri, quod negligens fuerit in denunciando. Et hoc procedit etiam in quocumque alio casu contento in eisdem Edictis. Idemque dicas de debitore pensionis in ordine ad pensionarium, si ei pensionem solverit post contractam excommunicationem.

6 Per accidens tamen contingere potest, quod quis teneatur denunciare priùs quàm terminus, qui est in Edicto præfixus, finiatur: ut si timeat damnum Reipublicæ, vel fugam Confessarij, qui alibi quoque nociturus esset; quia tunc obligat jus naturæ, quod urget fortiùs; vel si prævideat, quod transacta ea occasione habiturus sit impedimentum ad denunciandum, sicuti plures docent de obligatione Missæ, Confessionis, vel Communionis, intra tempus scilicet, quo de his præceptum cœpit obligare: Quod 7 dixi, quia ante tale tempus nemo tenetur prævenire præceptum, etiamsi prævideat, quod habiturus sit impedimentum ad implendum tempore, quo currit & incipiet obligare præceptum: Nemo enim v. g. tenetur jejunare hodie, quando non est vigilia, si prævideat, quod cras, quando erit vigilia, habiturus sit impedimentum ad jejunandum. Neque tenetur audire Missam hodie, quando non est dies festus, si prævideat, quod cras, quando erit dies festus, habiturus sit impedimentum ad Sacrum audiendum. Videantur præter Suarium, Portellum, Filliucium, Acugnam, & Ioannem Sancium *ubi suprà*; Fagundez *part. 3. lib. 1. capite 6. numero 3.* Sylvius *in 3. par. quæst. 80. art. 11. diffic. 2.* & Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 3. n. 9.*

8 Dico 4. Edicta Inquisitorum, cùm feruntur auctoritate Apostolica, non habent minorem vim, quàm leges Canonicæ. Et quamvis videantur esse præcepta ab homine; tamen quia Tribunal, à quo procedit, est perpetuum, ideo per modum legis perpetuò durant, scilicet usque ad promulgationem aliorum Edictorum, sicuti de Bulla cœnæ dici solet.

Suarez *de fide, disp.* 20. *sect.* 4. *num.* 11. Fagundez *de precept. Eccles. par.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *n.* 31. Auila *de censuris, part.* 2. *cap.* 5. *disp.* 5. *dub.* 5. *concl.* 3. Ioannes Sancius *in select. disp.* 11. *n.* 62. & alij passim. Vnde casu quo Inquisitores aliquando forent negligentes in Edictis promulgandis, adhoc fieri debebit denunciato ex vi priorum edictorum: Doctores communiter, quos sequitur Diana *vbi suprà, Resolut.* 41.

9 Edicta igitur Inquisitorum durant per totum anni tempus, donec iterum publicentur, vt propterea in quocumque anni tempore sciat quis, aliquem esse sollicitatorem in confessione, suspectum de hæresi, vel hæreticum, &c. teneatur denunciare; quia hæc videtur esse intentio Inquisitorum, cum huiusmodi crimina sint contra bonum Religionis, & commune; sicque de facto practicatur, quod scilicet fideles in quocumque anni tempore prædicta crimina denuncient.

Quidquid in contrarium dixerit Henriquez *lib.* 13. *c.* 18. *n.* 5. *gloss. lit.* I, quatenus ait: Dum Inquisitor visitat pro causa fauorabili fidei, prout habet maius territorium, sic longiori tempore durat obligatio denunciandi, sed nouo præcepto Edicti non intendit obligare pro toto anno. Et ideò prudens vir perpendet, quanto tempore duret noua obligatio, dum promulgatur Edictum per præcipuas Parochias; quia Pegna, & recentiores negant illud obligare pro toto anno. Ex quibus sequeretur, quod quis post mensem, v. g. decimum à die publicationis Edicti non tenetur denuntiare. At minùs rectè, propter rationes, quibus probabam, illud obligare pro toto anni tempore, vsque scilicet ad promulgationem alterius Edicti.

10 Verum tamen est, quod edicta Episcoporum non durent similiter per totum annum, sed per duos, vel tres menses circiter: Vnde si post hoc temporis spatium nouerit quis quempiam esse concubinarium, vel incestuosum, &c. non tenebitur denonciare; quia huiusmodi Edicta cùm non tendant in damnum commune, non tam strictè Intelliguntur, neque cum tanto rigore à fidelibus accipiuntur, sicuti accipiuntur Edicta Inquisitorum.

11 Dico 4. Ad hoc, vt Edicta obligent, requiritur intentio ferentis, & per ea excommunicantis. Vnde si iudex proferat excommunicationem exteriùs, non tamen intendat excommunicare, sed solùm terrere; qui contrauenit, non incurret excommunicationem. Abb. *in cap. ex parte, de Offic. Ordinar.*
12 *num.* 6. quem sequuntur alij communiter. Immò & etiam requiritur intentio partis, ad cuius instantiam fertur excommunicatio. Vnde si quis v. g. petat excommunicari eos, qui sibi ablata non restituunt, non tamen intendat filios, si fortè abstulerunt, excommunicari; quamuis excommunicatio sit generalis, non tamen ligantur filij, iuxta intentionem scilicet parti quia Officium Iudicis requisitum à parte non excedit intentionem requirentis partis. Angelus *verb. Excommunicatio* 3. §. 16. & alij passim.

13 Hinc etiam sequitur, quod quando excommunicatio fertur ad instantiam partis contra eum, qui non soluit intra certum terminum, si pars velit quod ille non incurrat excommunicationem, non incurret, etiamsi non soluat in præscripto termino, quamuis si fuerit incursa excommunicatio, non possit ea tolli à parte, sed tantùm absolui ab illo, qui facultatem habuerit absoluendi. Quod adeò verum est, vt satis probabiliter possit pars etiam propagare terminum, verbi gratia si lata sit excommunicatio, nisi debitor intra mensem soluat, facere quod illa prorogetur ad duos, vel tres menses, post quos incurrat excommunicationem, si non soluerit. Abbas *num.* 4. & Decius *contra Innocentium in cap. præterea* 1. *de Appellat.* qui tenet contrarium ex eo, quod non possit pars id facere absque consensu iudicis; ad quod tamen responderi potest, quod implicitè adsit consensus iudicis, cùm tulerit is dictam excommunicationem iuxta intentionem partis. Ex alio capite per hoc non deterioratur, sed melioratur conditio debitoris.

Dico quintò, stylus Curiæ circa pensiones ha- 14
bet quod excommunicatio contra eum, qui statuto tempore non soluit pensionem, lata in fauorem illius cui soluitur pensio, tali tempore elapso non censeatur incursa, nisi ille, cui debetur, declaret se velle quod illa sit incursa. Adeo quod si decedat ante declarationem, vel soluatur pensio, vel fiat concordia, vel moriatur Pensionatius, &c. non censeatur incursa; quia sic pœna videtur apposita in gratiam illius, cui soluenda est pensio, vt scilicet ipso tacente, non incurrat is, qui non soluit, excommunicationem, nec vllam aliam pœnam. Videatur præter alios Cassidorus *decis.* 2. *de locat. n.* 3. & 4.

Dico sextò, quando per Edictum iubentur scien- 15
tes denunciare v. g. intra sex primos dies, inter eos non numeratur dies primus publicationis: Quapropter cum dies naturalis spatio 24. horarum circumscribatur, incipit terminus à sequenti die, & hora, qua Edictum in præcedenti promulgatum fuit; vt propterea si Edictum publicetur die Dominico, v. g. finiatur publicatio sequenti die Dominico in eadem hora. Sic Doctores, quos sequitur Freytas *de confess. sollicit. q.* 21. *n.* 41. & 41.

Dico 7. Tempus Edicti computari debet de mo- 16
mento ad momentum; ita tamen, vt nec ignoranti, nec legitimè impedito illud currat: iidem DD. quos sequitur idem Freytas *vbi sup.* quia ignorantia, & legitimum impedimentum æquiparantur, vt propterea iura ignorantibus, & legitimè impeditis faueant æqualiter, iuxta ea, quæ dicebam *suprà, dicto* 2. Tametsi contrarium velit Suarez *de censur. disp.* 20. *sect.* 3. *num.* 14. vt adnotabam *ibidem*.

Dico 8. Edictum Inquisitorum non comprehendit hæreticum, vel suspectum de hæresi, &c. neque eius complices; quia tenetur prodere seipsum; sicque non comprehendit hæreticum, vel suspectum de hæresi, &c. quia is denunciando seipsum, directè proderet seipsum: Neque comprehendit eius complices, quia complices denuntiando hæreticum, vel suspectum de hæresi, &c. indirectè proderent seipsos. Vide quæ dicam *infrà, sect.* 18.

Quod tamen modò dixi, fallit in Pœnitente solli- 17
citato consentiente sollicitationi, iuxta ea quæ dicam *cit. sect.* 18. Iste enim tenetur denunciare sollicitantem Confessarium eo modo quo dicam *ibidem*, quia sic ipse ex tali denuntiatione nullam honoris sui iacturam patitur. Vide *ibidem*.

Dico 9. Edictum Inquisitorum neque comprehen- 18
dit eos, qui ex denunciatione sibi rationabiliter timent graue damnum vitæ, vel bonorum, &c. quia prædictum Edictum non obligat cum tanto incommodo, iuxta ea, quæ dicebam *suprà, Petitione prima*. Dummodo tamen timor amissionis vitæ, vel bonorum, &c. sit iniustus, illatus scilicet malitia aliorum; quia tunc excusat. Secus si timor iustus, impositus scilicet per leges, vt si v. g. ex denunciatione Hæretici, eo quòd talis hæretici bona publicabuntur, amittat ius, vel spem, quam habebat ad illa; quia talis timor non excusat. Vide Seraphinum Freytas *vbi suprà, q.* 19. *n.* 20. & quæ dicebam *citata Petitione prima*.

PETITIO

PETITIO V.

An si edicta non publicentur de nouo, adhuc pœnitens sollicitatus teneatur denunciare Confessarium sollicitantem sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ex vi scilicet prioris Edicti veteris?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitorum Edictum est annuale, neque desinit, aut finitur per terminum in ipso appositum, sed durat per integrum annum, cùm singulis annis publicetur.*

2 *Obligatio denunciandi hæreticum, seu Confessarium sollicitantem est perpetua, vtpotè de iure naturæ; licet nulla Edicta, censuras, vel alias pœnas infligentia publicentur.*

3 *Pœnitens sollicitatus, etiamsi Edictum non publicetur, tenetur denunciare, contra aliquos hoc negantes. Nam si non ex vi noui Edicti, saltem veteris. In casu enim nostro non desinit, cùm duret vsque ad promulgationem noui Edicti.*

4 *Pœnitens sollicitans tenetur etiam denunciare Confessarium sollicitantem sub pœna excommunicationis ex vi præcepti die 3. Ianuarij, anno 1623. Sacræ vniuersalis Inquisitionis. Quod quidem hîc refertur.*

5 *Confessarij sollicitantes, cùm ij sint de hæresi vehementer suspecti, ex vi recensiti decreti denunciandi sunt sub pœna excommunicationis.*

6 *Præceptum, & decretum sæpiùs in iure confunduntur.*

7 *Præceptum prædictum obligat vbique locorum.*

8 *Verbum*, Præcipimus, *quo vtuntur Inquisitores in dicto decreto, intelligi non debet à die data, sed à die notitia.*

1 SVppono ex dictis *suprà Petitione 4. dicto 3.* quod Inquisitorum Edictum sit annale, nec desinat seu finiatur per terminum in ipso appositum, sed duret per integrum annum, cùm singulis annis publicetur: Difficultas igitur est quid dicendum, si per Inquisitores particulares ex negligentia, vel ex alio capite Edictum non publicetur de nouo, an scilicet in hoc etiam casu pœnitens sollicitatus teneatur denonciare Confessarium sollicitantem sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ex vi scilicet prioris Edicti veteris.

2 Dixi, *sub pœna excommunicationis*; quia certum est, quod teneatur sub pœna peccati mortalis; cùm obligatio denunciandi hæreticum, vel de hæresi suspectum, sicque suppositis Bullis Pontificiis, Confessarium in confessione sollicitantem, vtpotè de iure naturæ, sit perpetua, sicque vrgeat semper, licet nulla Edicta, censuras, vel alias pœnas infligentia publicentur.

3 Respondetur, quamuis negent nonnulli cum Seraphino Freytas *de Confess. sollicit. q. 21. n. 44. & 58.* quod non tenetur ex vi Edicti veteris, quia iam desiit, & vltrà annum non durat; neque ex vi Edicti noui, quia nondum cœpit, nequedum publicatum est; neque etiam ex vi Bullarum Pontificum, quia in eis non imponitur pœna excommunicationis in pœnitentem sollicitatum non denunciantem Confessarium sollicitantem: contrarium tamen dicendum est, scilicet quod teneatur ex vi Edicti veteris, quia in casu nostro non desiit, cùm duret vsque ad promulgationem alterius Edicti noui, sicuti dicebam de Bulla Cœnæ, quæ durat vsque ad promulgationem alterius Bullæ Cœnæ nouæ: quapropter rectè dixit Ioan. Sancius *in select. disp. 11. n. 62.* præceptum Inquisitorum circa denunciationem in confessarios sollicitantes esse perpetuum, & per consequens excommunicationem etiam esse perpetuam.

Tenetur etiam pœnitens sollicitatus denunciare Confessarium sollicitantem sub pœna excommunicationis ex vi præcepti die 3. Ianuarij, anni 1623. Sacræ vniuersalis Inquisitionis Romanæ de hæreticis, seu de hæresi suspectis iudicialiter denunciandis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, per hæc verba. 4

[Vniuersis, & singulis Christi fidelibus, tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus vtriusque sexus, cuiusvis status, ordinis, gradus, conditionis, & præeminentiæ existentibus, & quacumque dignitate, & authoritate, etiam maxima fungentibus, harum serie, ac tenore, auctoritate nostra, & huiusmodi nostri officij, qua fungimur in hac parte, præcipimus, & mandamus, quatenus infrà 12. dies proximè computandos, quorum primos quatuor pro primo, & alios quatuor primis quatuor immediatos pro secundo, & vltimos quatuor pro tertio termino, & peremptorio, ac trina monitione canonica assignamus, omnes, & singulos hæreticos, seu de hæresi quomodolibet suspectos, de quibus notitiam habuerint, debeant nobis, vel Reuer. Commissario nostro quoad habitantes in vrbe, quo verò ad alios extra vrbem, & vbinie locorum degentes Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis, vel eorum vicariis generalibus sub excommunicationis maioris latæ sententiæ pœna, quam in contrarium facientes ipso facto incurrant, iudicialiter propalare; cuius excommunicationis maioris absolutionem Sanctissimo Domino Nostro Papæ, & nobis reseruamus: Certificantes huiusmodi conscientiæ suæ immemores, ac dictam excommunicationis pœnam contemnentes, quod contra ipsos, tanquam contra hæreticorum fautores, aliàs prout meliùs visum, & iuris fuerit procedere. Ideo, &c. Datum in nostra, & Officij Sanctæ Romanæ vniuersalis Inquisitionis Congregatione, die 3. Ianuarij, anno 1623.]

Cùm enim quis ex vi huius prædicti præcepti Sacræ vniuersalis Inquisitionis Romanæ teneatur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ iudicialiter denunciare hæreticos, & de hæresi suspectos, consequens est, quod ex vi eiusdem præcepti teneatur etiam sub pœna eiusdem excommunicationis latæ sententiæ iudicialiter denonciare Confessarios sollicitantes; cùm hi sint de hæresi vehementer, vel saltem leuiter suspecti. Acugna *de Confess. sollicit. q. 2. n. 20.* Genuens. *in praxi, cap. 66. num. 2.* Bariola *de Confess. sollicitant. post Flores Inquisit.* Madius *de Sacr. Ordinis, c. 17. n. 6.* Sesse *tom. 3. decis. 449. n. 3.* & alij communiter. 5

Non obstat, si dicas, hoc supradictum præceptum Sacræ vniuersalis Congregationis non fuisse perpetuum, quia proponitur sub nomine præcepti, non autem sub nomine decreti. 6

Respondetur enim, præceptum, & decretum sæpè sæpius in iure confundi, sicut præter alios notat Thuscus *verb. precept. conclus. 480. n. 5. & 11.* Et patet ex Constitutione Sixti V. circa agitationes taurorum, apud Gutierrez *lib. 1. canonic. quæst. cap. 7. num. 36.* in qua postquam retulisset Pontifex Constitutionem quandam Pij V. & alteram Gregorij XIII. ait: [Nos, vt Romanorum Pontificum præcepta, prout decet, inuiolabiter obseruentur.] Vbi Constitutiones Pontificum vocat præcepta.

Accedit, quod prædictum Sacræ vniuersalis Congregationis præceptum obligat vbique locorum, & pœna indefinitè posita est perpetua; proponitur autem sub nomine præcepti, forsan quia id est familiarius Tribunali Sanctæ Inquisitionis. 7

Neqoe obstat, si dicas ibi dici: *Præcipimus, vt infrà dies proximè computandos*, &c.

Respondetur enim, id intelligi non à die datæ dicti præcepri, sed à die notitiæ delicti. Videantur Peytinus *de Priuil. Minim. tom. 2. constit. 9. Pauli V. §. 2. num. 27.* & Freytas *de Confess. sollicit. quæst. 21. n. 48. & seqq.*

PETITIO VI.

An denunciatio facienda sint ante confessionem, vel saltem ante absolutionem, itavt non possit quis absolui, nisi prius denunciet?

SVMMARIVM.

1 *Pœnitens non debet absolui in casu sollicitationis, nisi priùs denunciet Confessarium sollicitantem Inquisitoribus, præcipuè si pœnitens sit homo; quia facilè posset post absolutionem negligere talem denunciationem.*

2 *Excipe, nisi necessitas communis vrgeat, & pœnitens sit timorata conscientia, & promittat quod denunciabit quamprimùm, &c.*

1 RESpondetur affirmatiuè: sic Doctores, quos sequitur Auila *de censuris, part. 2. cap. 7. in fine*, quatenus ait, quod in rebus grauibus, præcipuè si pœnitens sit homo ordinarius, curandum sit vt prius denunciet, etiamsi nondum incurrisset excommunicationem; quia si priùs absolutionem obtinuerit, facilè id omittere consueuit: In casibus autem Inquisitionis remittendus est vt priùs denunciet, sicuti præcipitur in Edicto Inquisitorum.

2 Excipe cum Zanardo *in direct. Theolog. par. 3. præcept. 2. cap. 11. circa finem*, & Rodriq. *in summa, tom. 2. cap. 34. n. 6.* si necessitas communionis vrgeat, & pœnitens sit timoriatæ conscientiæ, & promittat, quod denunciabit quamprimum. Addunt alij cum Peytino *in Priuil. Minim. tom. 1. constit. 4. Gregory XV. §. 9. numero 24.* etiamsi adsit causa, propter quam prudenter iudicabit Confessarius, quod denunciatio differenda sit, dummodo tamen promittat, quod denunciabit quamprimum, vti dicebam: quinimmò Portellius *in Addition. ad dub. Regular. vers. sollicitare fœminas, numero 24.* Ortiz *in summa, cap. 24. n. 11.* & Sancius *in select. disp. 11. n. 62.* volunt, etiamsi solùm denunciandi propositum habeat. Et loquuntur in casu de denunciando cum hæretico. Vide quæ dicam *Petit. 7.*

PETITIO VII.

An denunciandus sit Confessarius, qui propter sollicitationem alterius ab altero fuit denunciatus?

SVMMARIVM.

1 *Confessarius, qui propter sollicitationem alterius ab altero fuit denunciatus, non est denunciandus, secundùm aliquos Doctores; quia iam præsumitur emendatus, contra alios affirmantes, esse denunciandum.*

2 *Confessarius iam denunciatus de sollicitatione in confessione, si de nouo incidat in crimen prædictum, secundùm aliquos non est denunciandus, eo quòd solicitans iam fuit denunciatus, & iudicatus. At alij dicunt oppositum, quia nihil prodest illa denunciatio ad secundam punitionem infligendam.*

3 *Pœnitens sollicitatus, si non denunciauit, & tamen Confessarius ab altero pœnitente denunciatus fuit, tenetur denunciare, si Confessarius fuit absolutus, vel non plenè punitus defectu probationis; quia in tali casu promotor fiscalis S. Officii habet jus acquisitum ad procedendum contra illum.*

4 *Confessarius, utpote confessus, vel conuictus, si fuit plenè punitus, pœnitens sollicitatus, qui nondum denunciavit, non tenetur illum denunciare; quia judicium non solet bis exerceri in idipsum, & res simul judicata, & punita regulariter non solet revocari in judicium, ut iterum puniatur. Secus tamen est, si non omnia delicta eiusdem detecta fuerint Inquisitoribus, quia tunc non censeretur sufficienter punitus.*

NEgant Freytas *in Addit. ad Azugnam in tract. de Confess. q. 3. n. 34.* Peytinus *de Priuileg. Minim. tom. 2. Constit. 4. Gregorij XV. §. 3. n. 32.* & Sancius *in select. disp. 21. n. 52.* Quia iam præsumitur emendatus. Affirmant autem alij. 1

Quid autem dicendum, si de nouo incidat in crimen sollicitationis?

Negat etiam Sancius *citata disput. 11. n. 53.* quia obligatio ad denunciandum ob præteritam sollicitationem extincta remansit, eo quòd sollicitans Confessarius iam fuit denunciatus, & iudicatus. Et ex alio capite non renascitur obligatio denunciandi ex eo, quod iterum in sollicitationis crimen Confessarius incidit; quia nihil prodest illa denunciatio ad secondam punitionem infligendam, cùm crimen illud fuerit commissum ante primam punitionem, cumque ad secundam punitionem solùm attendenda sint delicta commissa post primam punitionem: Non enim deterior iudicabitur Confessarius, eo quòd nunc reuelentur aliqua sollicitationis delicta commissa ante primam punitionem, sed solùm quòd post vnam punitionem in alia noua crimina sollicitationis, primam punitionem spernens, fuerit relapsus. 2

Affirmat autem Freytas *vbi suprà*, quia minùs verum est, nihil prodesse istam denunciationem ad secundam punitionem infligendam; cùm Inquisitores pro pluribus sollicitationibus pœnas grauiores, quàm pro vna, imponere soleant; cumque in causa hæresis, accedente noua probatione, reus iterum puniatur, & condemnetur.

Vt autem difficultas hæc distinctiùs elucescat.

Respondetur: Pœnitens sollicitatus, si non denunciauit, & tamen Confessarius ab altero pœnitente sollicitato fuit denunciatus, tenetur denunciare, si Confessarius fuit absolutus, vel non plenè punitus defectu probationis, quia in tali casu promotor fiscalis Sancti Officij habet ius acquisitum ad procedendum contra talem Confessarium: Quod ius non cessat per prædictam talem sententiam, sed adueniente noua probatione, de nouo reperitur causa, cùm sit de re pertinente ad fidem: Quo casu sententia non transit in rem iudicatam, & propterea, quia non semper constat, quod Reus fuerit sufficienter punitus, regulariter sit denunciandus. Doctores quos sequitur Sousa *de Confess. sollicit. tract. 2. cap. 20. n. 12.* Quamuis contrarium teneat Freytas *in Addition. nouissim. ad tract. de Confess. sollicit. q. 3. num. 54.* etiamsi scilicet Confessarius fuerit absolutus, vel non plenè conuictus defectu probationis, vti dicebatur, quia præsumitur emendatus, ideoque non sit denunciandus. Quod autem dicebam cum Sousa, est multò probabilius. 3

At si Confessarius fuit, vtpote confessus, vel conuictus, plenè punitus, distinguo: vel fuit plenè punitus etiam de sollicitatione illius pœnitentis, qui nondum denunciauit; vel solùm de sollicitatione 4

alte

alterius pœnitentis: Si primum, puto cum Freytas quod pœnitens sollicitatus, qui non denunciauit, non teneatur denunciare Confessarium, qui delictum illud iam abjurauit, quia iudicium non solet bis exerceri in idipsum, & res semel iudicata, & punita, regulariter loquendo, non solet reuocari in iudicium, vt iterum puniatur. Si secundum, puto contra Freytas, quod prædictus pœnitens adhuc teneatur denunciare, etiamsi Confessarius semel abiurauit; quia sic cùm grauiores pœnæ pro pluribus delictis, quàm pro vno inferri debeant, non censetur sufficienter punitus: Tum quia absolutus, vel condemnatus in causa hæresis, debet iterum puniri, vel condemnari, accedente noua probatione: Ergo etiam in casu nostro debebit iterum puniri, accedente noua denunciatione, sicque tenebitur pœnitens denunciare prædictum Confessarium.

PETITIO VIII.

An denunciandus sit Confessarius sub onere peccati mortalis? Vbi etiam, quid dicendum, si sollicitatus non denunciet?

SVMMARIVM.

1 *Confessarius sollicitaus in confessione denunciandus est sub onere peccati mortalis, maximè post Constitutionem Gregorij XV.*

2 *Denunciandi preceptum ante Constitutionem Gregorij XV. per alias constitutiones Pontificias non fuerat iniunctum, sed tantùm per eas tribuebatur iurisdictio Inquisitoribus puniendi tale delictum. Fuerunt tamen illæ etiam ante prædictam Constitutionem Gregorianam consuetudine recepta, cum obligatione denunciandi dictos Confessarios sollicitantes sub onere peccati mortalis.*

3 *Consuetudo est optima legis interpres.*

4 *Denunciandi obligatio ante Constitutionem Gregorianam, tanquam de iure natura insita, præsupponebatur.*

5 *Sollicitatus si conscius Edicti non denunciet intra terminum præfixum, incurrit excommunicationem, à qua absolui non potest, neque per Bullam cruciata, neque per priuilegia Regularium, nisi facta sit denunciatio, vel per ipsum non stet, quin ea fiat: Quia pars læsa, Inquisitores scilicet, quorum iustum mandatum non est impletum, non est adepta satisfactionem.*

6 *Neque absoluendi sunt à dicta censura antequam denuncient, etiamsi promittant denunciare, quia in re tam graui non est facilè credendum promittenti.*

7 *Retinent rem alienam potest absolui bis, & ter, cum proposito restituendi.*

8 *Contumax, qui non vult ad iudicium venire, potest absolui, si cautionem de stando iudicio præstiterit: At non sic ab excommunicatione, nisi priùs denunciauerit.*

9 *Absoluendus non est, qui excommunicatus, donec expellat concubinam, nisi prius expulerit, nec sufficiet, quod promittat, vel proponat expellere.*

1 RESpondetur iuxta ea, quæ dicebam *sect. 1. supposita 7.* affirmatiuè, & tenent Acugna *de Confess. sollicit. q. 21. n. 6. & 7.* Henriquez *lib. 6. cap. 2. n. 6.* 2
Rodriquez *in quæst. Regular. tom. 2. q. 17. art. 1.* & alij communiter. Et est hoc magis clarum post Constitutionem Gregorij XV. per illa verba: [Mandantes omnibus Confessariis, vt suos pœnitentes, quos nouerint fuisse ab aliis sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes:] quam obligationem denunciandi Pontifex ibi non imponit, sed supponit, tanquam de iure naturæ insitam, iuxta dicta *in cit. sect. 1. supposito 7.* vnde quamuis ab Inquisitoribus Edictum denunciandi non fuerit publicatum, clariùs & certiùs tenebitur pœnitens sollicitatus post dictam Constitutionem Gregorij XV. Confessarium sollicitantem denunciare, sicuti rectè præter alios adnotauit Sancius *in selectis, disp. 11. n. 20.* Et licèt ex tenore
aliarum Constitutionum ante Constitutionem Gre- 2
gorij XV. nullum significabatur præceptum pœnitentibus sollicitatis denunciandi Confessarios sollicitantes, sed tantùm tribuebatur iurisdictio Inquisitoribus puniendi tale delictum; tamen prædictæ aliæ constitutiones ante prædictam Constitutionem Gregorij XV. fuerunt consuetudine receptæ cum obligatione denunciandi dictos Confessarios sollicitantes sub onere peccati mortalis, quæ consuetudo est optima
legis interpres, *cap. cùm dilectus, de consuetud.* Et me- 3
riò, quia in prædictis aliis constitutionibus, ante præ-
dictam Constitutionem Gregorij XV. prædicta obli- 4
gatio denunciandi, tanquam de iure naturæ insita, præsupponebatur, si non explicitè, vt in Constitutione Gregorij XV. saltem implicitè, iuxta ea, quæ dicebam *cit. sect. 1. supposito 7.*

Vbi aduerte, quod sollicitatus, si conscius Edicti 5
non denunciet intra terminum præfixum, incurrat excommunicationem, à qua absolui non potest, neque per Bullam Cruciatæ, neque per Priuilegia Regularium, nisi facta sit denunciatio, vel per ipsum non stet, quin fiat denunciatio; quia pars læsa, scilicet Inquisitores, quorum iustum mandatum non est impletum, non est adepta satisfactionem. Auila *de censur. par. 2. cap. 7. dub. 7. circa finem*, Sancius *in select. disp. 11. n. 62.* & Trullench *in Bull. Cruciat. lib. 1. §. 7. cap. 2.*
dub. 6. n. 11. Quia in re tam graui non est facilè pro- 6
mittenti credendum, quod denunciabit. Et contraria sententia, quam sequitur Lucius *in summa, cap. 14. num 11.* & ad quam inclinat cum Rodriquez Freytas
de Confess. sollicit. q. 21. n. 25. & seqq. moti ex eo, quia 7
retinens rem alienam potest absolui bis, & ter, cum
proposito restituendi. Et quia contumax, qui non vult 8
ad iudicium venire, potest absolui, si cautionem de stando iudicio præstiterit. Ergo sic & qui promisit denunciare, licèt stando in iure communi, & attenta solùm natura præcepti, sustineri possit; tamen supposita excommunicatione, teneri non debet, quia cùm à peccatis nemo possit absolui, nisi ab excommunicatione priùs sit immunis, & pœnitens sollicitatus ab excommunicatione illa absolui non possit, neque per Bullam Cruciatæ, neque per priuilegia Regularium, nisi priùs satisfacta parte, scilicet Inquisitoribus; consequens est, quod ne semel quidem absolui debeat, ideoque si confitetur, quod post habitam notitiam criminis, & post terminum lapsum negligens fuerit in denunciando, ne semel quidem, iusta scilicet non interueniente causa, prout dicebam *Petit. 5.* absoluendus erit, quamuis promittat, quod statim
denunciabit, sicuti absoluendus non est, qui excom- 9
municatur, donec expellat concubinam, nisi priùs expulerit, nec sufficit quod promittat, vel proponat expellere. Sotus *in 4. dist. 22. q. 2. art. 3.* Suarez *de censuris, disput. 7. sect. 5.* Gutierrez *in quæstionibus canonic. lib. 1. cap. 5. num. 30. & 31.* & alij passim.

Quid autem dicendum, postquam denunciauerit? Vide *suprà, Petit. 4.*

PETITIO IX.

An denunciandus sit Confessarius, si ante sollicitationem pœnitenti præbuerit multa munera intuitu eleemosynæ, v.g. absque malo fine?

SVMMARIVM.

1 *Confessarius ex Sancio denunciandus non est, si ante sollicitationem pœnitenti præbuerit multa munera intuitu eleemosyna, verbi gratia, absque malo fine.*

2 *Confessarius item ex Sancio denunciandus non est, si contingat ante impensa beneficia eundem sollicitasse, & per tempus sollicitationi incumbendo maxima beneficia impertiri fœmina sollicitata, quia & in tali casu Benefactoris naturam non subterfugit.*

3 *Item se priuare fœminam beneficiis in futurum suscipiendis, esset idem, ac in propriis bonis iacturam sentire.*

4 *Item fœmina sollicitata non constringitur denunciare Confessarium, qui licet ipsi sollicitata nulla fuerit impertitus beneficia, benè tamen impertitus fuit filiis, marito, parentibus, vel fratribus fœminæ; quia gratitudinis natura obligat ad gratias agendas.*

5 *Auctor tamen sentit, his non obstantibus, dictum Confessarium esse denunciandum: licèt enim obligatio ex gratitudine oriatur ex lege naturali, tamen obligatio reuelandi Confessarium sollicitantem non solùm oritur ex lege positiua humana, sed etiam ex lege naturali superioris ordinis.*

6 *Reuelatio Confessarij sollicitantis tendit ad abolitionem peccati præteriti, & futuri, ad compescendos alios Confessarios, ne labantur in tale peccatum, &c.*

7 *Attendendo etiam titulum gratitudinis, magis homo obstringitur Deo, quàm cuicumque Benefactori, vel amico.*

8 *Neque sunt aperienda via per munera ad eludendas Pontificias constitutiones.*

9 *Plus est pati damnum, quàm lucrum non facere; neque enim damnum emergens in hoc casu excusat à denunciando, nisi fuerit notabile.*

1 RESpondetur, quamuis neget Io. Sancius *in select. disp.* 11. *num.* 55. quatenus ait: Nec denunciandi
adesse obligatio, si fœmina sollicitetur à suo maximo
Benefactore, vel amico: Potest enim contingere,
Confessarium beneficia plurima fœminæ impendisse,
ipsamque gratitudinis vinculo constringi, non solùm
damnum Confessario exutiendum impedire, sed
etiam bonis ipsum afficere: Inhumanum ergo esset,
fœminam obligare, suo Benefactori esse auctricem
damni: Immò si contingat, ante impensa beneficia
2 Confessarium sollicitasse, & per tempus sollicitationi incumbendo maxima beneficia impertiri fœminæ sollicitatæ, neque denunciandus erit; quia
licèt dum cœpta est sollicitatio non adesset excusatio ex gratitudine ad denunciationem omittendam;
postea tamen, dum munera elargitur, etiam ob implendam libidinem, Benefactoris naturam non sub-
3 terfugit, cui damnum parare, inhumanum esset. Præsertim quod se priuare fœminam beneficiis in futurum suscipiendis, esset idem, ac in porpriis bonis iacturam sentire; diximus autem suprà, fœminam non
constringi denunciare cum bonorum suorum iactu-
4 ra: Deducitur etiam, non constringi fœminam sollicitatam denunciare Confessarium, qui licèt ipsi fœminæ nulla fuerit impertitus beneficia, bene tamen fuit impertitus filiis, marito, parentibus, vel fratribus fœminæ: Quia gratitudinis natura obligat ad gratias agendas non solùm pro beneficiis in persona propria susceptis, sed etiam in persona filiorum, mariti, parentum, & fratrum; cùm istorum siue bona, siue mala reputentur propria. Contrarium tamen est omninò dicendum.

Primò, quia licèt obligatio ex gratitudine oria- 5
tur ex lege naturali, obligatio tamen reuelandi Confessarium sollicitantem non solùm oritur ex lege positiua humana, sed etiam ex lege naturali superioris ordinis, quàm ex gratitudine: Ergo cessabit tunc obligatio, quæ oriebatur ex gratitudine. Antecedens patet, quia reuelatio Confessarij sollicitantis tendit ad abolitionem peccati præteriti, & futuri, ad compescendos alios Confessarios, ne labantur in tale peccatum, ad impediendum malum aliorum ad eundem Confessarium ratione confessionis recurrentium, ac denique ad conseruandum bonum totius Reipublicæ Christianæ. Consequentia probatur, quia ius naturale non est sibimetipsi contrarium, vnde propter similes rationes cessat etiam obligatio conseruandi propriam vitam propter obligationem conseruandi sigillum Sacramentale confessionis.

Secundò, quia attendendo etiam titulum grati- 7
tudinis, magis homo obstringitur Deo, quàm cuicumque Benefactori, vel amico. Vnde dici consueuit, & meritò, *Amicus vsque ad Aras.*

Tertiò, quia alioquin sic, per præbitionem scili- 8
cet munerum, aperiretur via ad frustrandas constitutiones Pontificias, quin etiam ad frustrandas omnes leges respicientes bonum commune, & intendentes impedire damnum non solùm peccatorum, sed etiam communitatis.

Dices: Si fœmina sollicitata denunciaret in nostro 9
casu Confessarium sollicitantem, priuaret se beneficiis in posterum suscipiendis ab illo: Ergo non tenetur denunciare; quia sicuti dicebam *suprà Petit. prima*, pœnitens sollicitatus non tenetur denunciare Confessarium sollicitantem cum iactura suorum bonorum.

Respondetur: Transeat antecedens: At nego consequentiam, quia plus est damnum pati, quàm lucrum non facere. Vt omittam, quod neque damnum emergens excuset à denunciando in nostro casu, nisi fuerit notabile, iuxta ea, quæ dicebam *in dicta Petit. prima*: Quod notabile non est in nostro dicto casu.

PETITIO X.

An denunciandus sit Confessarius, si vocatus à pœnitente pro eius confessionibus audiendis, ab eo sollicitetur ad turpia, minante quod exclamabit, sibi vim inferri à Confessario, nisi non consentiat, vt propterea Confessarius consensum præbeat?

SVMMARIVM.

1 *Confessarius, si vocatus à pœnitente pro eius Confessionibus audiendis, ab eo sollicitetur ad turpia, minante, quod exclamabit, sibi vim inferri à Confessario, nisi consentiat, si consenserit, non est denunciandus, contra Carenam affirmantem esse denunciandum, quia in tali casu perficit inhonesta cum pœnitente, nec ex capite metus potest se tueri.*

2 Idem

2 *Idem ampliat, si Confessarius vi, vel metu commotus fœminam minantem turpiter violet in actu Sacramentali, vel cum ea habeat inhonestos actus; quia & in tali casu debet denunciari, & puniri, pœna tamen mitiori, quam minuere debet vis, & metus.*

3 *Confessarius ideò non est in hoc casu denunciandus, quia non sollicitat pœnitentem, sed sollicitatus ab ipso vi, & metu consentit.*

4 *Confessionis occasio est arrepta à pœnitente ad perficienda turpia, seu inhonesta, vel ad habendos tractatus, seu sermones turpes, seu inhonestos cum Confessario, qui merè passiuè se habet in ordine ad hanc arreptionem.*

5 *Falsum est, quod in hoc casu timor non sit grauis, sed leuis; cùm enim exinde infamia inferatur de facto, est potius timor grauis, & cadens in constantem virum, quam leuis: Qui propterea facit cessare obligationem legis positiuæ.*

6 *Confessarius sollicitatus, cùm consentiat timore ductus, consentit solùm secundùm quid, non autem consentit simpliciter.*

7 *Durum, & non ad mentem Inquisitorum videtur, quod pœnitens, qui simpliciter est auctor mali, teneatur postea denunciare Confessarium ab ipso inductum per timorem, & deinde etiamsi inductus sit puniendus.*

8 *Confessarius prædictus sic sollicitatus, si de facto denunciatur, est ab Inquisitoribus puniendus pœna arbitraria, contra alios asserentes, quod non solùm non debeat denunciari, sed etiam quod non debeat puniri dicta pœna arbitraria.*

1 RESpondetur, quamuis affirment Catena *part. 2. tit. 6. §. 19. n. 94.* ea eo, quod Confessarius in tali casu inhonesta perficit cum pœnitente occasione confessionis, & in Constitutione Gregorij XV. comprehenditur habens sermones, & tractatus cum pœnitente in confessione, vel occasione confessionis; nec ex capite metus potest se tueri talis Confessarius, quia talis metus non est grauis, sed est leuis, vtpote non cadens in constantem virum; cùm exinde non timeatur probabiliter Infamia, sicuti notant Doctores *in l. Metum 2. ff. quod met. caus.* vnà cum aliis allegatis per Sanchez *de matrim. lib. 4. disp. 1. n. 5.* Et affirmet etiam Escobar *de Confess. sollicitant.*
2 *part. 1. quæst. 4. §. 2. numero 33.* quatenus ait: Amplia, si Confessarius vi, vel metu commotus fœminam minantem turpiter violet in actu Sacramentali, vel cum ea habeat inhonestos actus; quia in tali casu debet ex Constitutione Gregorij X V. denunciari Inquisitoribus, & puniri pœna, mitiori tamen, quam minuere debet vis, & metus, quia minuit & culpam, licèt protsùs non excludat, per textum *in cap. Sacris, de iis quæ vi.* Dixi in actu Sacramentali, quia si ab initio fœmina aperiat animum non confitendi, prouocetque Confessarium dicens, quod si non consentiat, clamabit vim sibi inferri ab ipso Confessario, vt propterea Confessarius ad vitandam infamiam consensum præbeat, puniri non debet per Inquisitores, neque etiam extraordinaria pœna, quia deficit Sacramentum, & iniuria Sacramenti, & ex parte Confessarij non simulatur confessionis Sacramentum. Contrarium tamen est dicendum.

3 Primò, quia in casu nostro Confessarius perficit turpia, seu inhonesta, vel habet tractatus, aut sermones turpes, seu inhonestos in confessione, vel occassione confessionis cum pœnitente, non sollicitans pœnitentem, sed sollicitatus à pœnitente: ergo non est denunciandus, per ea quæ dicebam *suprà sect. 7.*

Confirmatur, quia occasio confessionis est arrepta à pœnitente ad perficienda turpia, seu inhonesta, vel ad habendos tractatus, aut sermones turpes, seu inhonestos cum Confessario, ita vt Confessarius in ordine ad hanc arreptionem, cùm accesserit animo tantùm audiendi peccata pœnitentis, merè passiuè se habeat, sicque non Confessarius occasione confessionis habeat tractatus, aut sermones turpes, seu inhonestus, sed pœnitens: Ergo cùm Constitutio Gregorij XV. loquatur de Confessario habente, tractatus, aut sermones turpes, seu inhonestos occasione confessionis, non autem de pœnitente, consequens est, quod Confessarius non sit Inquisitoribus denunciandus. 4

Secundò, quia falsum est, quod in casu nostro timor non sit grauis, sed leuis, eo quòd non sit cadens in constantem virum; cùm exinde infamia non timeatur probabiliter; cùm enim exinde infamia inferatur de facto, est potiùs verè timor grauis, & cadens in constantem virum. Timor autem grauis, & cadens in constantem virum, facit cessare obligationem legis positiuæ, etiam inferentis excommunicationem de facto; cùm vt in materia de censuris, non obliget cum tanto incommodo, & rigore. 5

Confirmatur; quia cùm Confessarius consentiat sollicitatus, & timore ductus, consentit solùm secundùm quid, non autem consentit simpliciter: Ergo non est denunciandus, cùm ex constitutionibus Pontificiis denunciandus sit, qui consentit simpliciter. 6

Tertiò, quia durum, & non ad mentem Inquisitorum videtur, quod pœnitens, qui simpliciter est Author mali, ipse postea teneatur denunciare Confessarium ab ipso inductum per timorem, & deinde Confessarius inductus per timorem sit puniendus, inducens autem sit impunitus, denunciator, & testis principalis. 7

Quamuis si denuncietur de facto, quidam cum Sousa *in Aphorism. Inquisit. lib. 1. cap. 34. num. 28. & de Confess. sollicit. tract. 1. cap. 17. numero 8. & 9.* velint, quod sit ab Inquisitoribus puniendus, pœna tamen arbitraria, & extraordinaria tantùm, absque vlla abiuratione; quia qui timore peccat, pœnam arbitrariam, & extraordinariam non effugit, ex textu *in cap. Sacris, de iis quæ vi*, ibi: Licèt metus attenuet culpam, non tamen eam protsùs excusat, *& ex l. seruos, Cod. ad leg. Iul. de vi public.* Et tradunt Baldus, & Salycetus *ibidem, post num. 3.* Tiraquellus *de pœn. temp. caus. 36. num. 1. & seqq.* Clarus *in pract. §. finali, quæst. 66. vers. Solet dubitari,* Couarruu. *in 4. decret. part. 2. cap. 3. §. 4. numero 7.* Graffius *in decision. lib. 2. cap. 64. numero 11. vers. Sed an excusetur,* & Farinac. *de pœnis temper. quæst. 97. cas. 1. numero 23.* 8

Alij autem, & non omnino improbabiliter, cum Freytas *de Confess. sollicit. q. 11. num. 36.* velint, quod dictus Confessarius non solùm non debeat denunciari Inquisitoribus, sed etiam neque possit pœna arbitraria, & extraordinaria puniri ab Inquisitoribus; quia propter rationes dictas crimen in casu, de quo loquimur, non est de foro, seu de iurisdictione Inquisitorum. Vide quæ dicebam *suprà cit. sect. 7.*

PETITIO XI.

An sit denunciandus Confessarius, qui cum pœnitente ab ipso Confessario per artem, vt per Medicinam, vel maleficium; aut à natura, vt per somnum, vel morbum, inter confitendum oppresso actus inhonestos habet?

SVMMARIVM.

1 *Confessarius, qui cum pœnitente, ab ipso per artem, vt per medicinam, vel malefi ium; aut à natura, vt per somnum, vel morbum inter confitendum oppresso actus inhonestos habet, non est denunciandus: Contra alios affirmantes oppositum ex eo, quia verè sollicitat in confessione, vel proximè ad confessionem opere, si non verbis.*

2 *Et in alia parte dubij, si propriè non sollicitat pœnitentem, habet tamen cum illo tractatus inhonestos proximè ad confessionem, opere similiter, si non verbis.*

3 *Pœnitens in vtroque casu, si habeat sensus ligatos grauiter, ita vt in totum impediantur operationes illorum, non debet denunciare Confessarium: Secus si habeat sensus ligatos leuiter, ita vt pœnitens aliqualiter aduertat actus Confessarij.*

4 *Confessarius, si actu audiens confessionem pœnitentis, interius consentiat in actum aliquem inhonestum cum illo, & secretò se polluat, pœnitenti autem nil aperiat, non est denunciandus, etiamsi postea tractu temporis id aperiat.*

5 *Tam primus, quàm secundus casus est rarus.*

6 *Confessarius in tali casu, licèt inferat iniuriam Sacramento; quia tamen constitutiones loquuntur de Confessario sollicitante in actu confessionis, seu ante, vel post proximè ad illam, non est denunciandus.*

7 *Confessarius in primo casu delinquit grauius in pœnitentem, quàm in omnibus aliis casibus in genere naturæ, lædendo scilicet pœnitentem in corpore; non in genere moris, lædendo scilicet pœnitentem in anima, quod est grauius.*

8 *Item est eadem ratio de vno, quàm de alio, attentis constitutionibus Pontificum, hoc est, de earum ratione partiali. Secùs si de totali, quæ est grauitas, & frequentia peccati.*

9 *Confessarius tamen tam in primo casu, quàm in secundo, quando denunciatur, potest ab Inquisitoribus cognosci, & puniri, si non ex vi constitutionum Pontificiarum, saltem ex suspicione in fide, propter iniuriam scilicet Sacramento Confessionis illatam.*

1 RESpondetur, quamuis affirment, & satis quidem probabiliter, Ioan. Sancius *disput.11.n.31. & 32.* & Tiullench. *lib.1.in Decalog. cap.3. dub.18.num.54.* in primo casu, non item in secundo: Et quamuis affirment etiam satis probabiliter Bonacina *tract. var. disp.6.de onere, & obligat.denunciandi, punct.3.num.3.* Leander de Sacrament. *tract.5. disput.14. q.33.tom.1.* & Escobar *de Confess.sollicit.part.4.q.4.§.2.n.29.* tam in primo casu, quàm in secundo: In primo, quia tunc Confessarius verè sollicitat pœnitentem in confessione, vel proximè ad confessionem, opere, si non
2 verbis: In secundo, quia tunc Confessarius, etsi propriè non sollicitet pœnitentem, habet tamen cum illo tractatus inhonestos proximè ad confessionem opere similiter, si non verbis: Quod eodem tenore est prohibitum per Constitutionem Gregorij XV.
Contrarium tamen in vtroque casu, si pœnitens ha- 3
bet sensus ligatos grauiter, ita vt in totum impediantur operationes illorum: secùs si habet sensus ligatos leuiter, ita vt pœnitens aliqualiter aduertat actus Confessarij, qui possint vel tunc, vel postea esse pœnitenti tentatio, & probatio ad venerem: Tunc enim verè tentaretur, & prouocaretur ad venerem, est non omninò improbabile. Videatur Freytas *ad Acugnam, q.9.n.51.* & Lapus *de Edict. Inquisit.part.1. lib.5.art.8.diffic.1.*

Probatur, quia tunc in vtroque casu pœnitens est incapax tentationis, & prouocationis, non secùs ac si esset mortuus, vel lapideus, & consequenter Confessarius censebitur non sollicitator, sed fornicator: Ergo ex vi constitutionum Pontificiarum non erit denunciandus, cùm constitutiones Pontificiæ non loquantur de Confessario fornicante, sed sollicitante.

Confirmatur; quia si Confessarius actu audiens 4
confessionem pœnitentis interiùs consentiat in actum aliquem inhonestum cum illo perpetrandum, & secretò se polluat, pœnitenti autem nihil aperiat neque in ipsa confessione, neque proximè ad confessionem, vel in confessionali, vel in alio loco electo ad confessionem, non est denunciandus, etiamsi postea remotè per aliquod tempus extra confessionale pœnitenti rem totam aperiat, quia reuera non sollicitat in confessione, neque proximè ad confessionem, vel in confessionali, vel in alio loco electo ad confessionem.

Confirmatur secundò, quia tam primus, quàm 5
secundus casus est rarus, & leges accommodantur ad ea, quæ frequentiùs accidunt, *l. Nam ad ea, ff. de legib.*

Non obstat, si dicas: Confessarius tam in primo 6
casu, quàm in secundo infert iniuriam Sacramento: Ergo est denunciandus.

Respondetur enim: Distinguo antecedens: Infert iniuriam Sacramento, sollicitando, prouocando, seu alliciendo pœnitentem, nego: Infert iniuriam Sacramento, non sollicitando, &c. Pœnitentem, concedo: At nego consequentiam, quia sicuti dicebam, constitutiones Pontificiæ loquuntur de Sacerdote Confessario sollicitante pœnitentem: Quemadmodum, quia ex dictis loquuntur de Sacerdote Confessario sollicitante ad venerem, non comprehendunt pœnitentem, si similiter sollicitet Sacerdotem Confessarium ad venerem: neque comprehendunt mandantem, neque interpretem, neque etiam laïcum qui se fingit Sacerdotem Confessarium, similiter si sollicitent pœnitentem ad venerem, quin neque etiam comprehendunt ipsum Sacerdotem Confessarium, si sollicitet pœnitentem ad alia peccata, quàm ad peccata veneris; tametsi grauiora; quia, sicuti dicebam, Constitutiones Pontificiæ loquuntur de Sacerdote Confessario sollicitante pœnitentem ad Venerem, & non de istis aliis delinquentibus.

Neque obstat, si dicas: Confessarius in primo ca- 7
su delinquit grauiùs in pœnitentem, quam in omnibus aliis casibus. Ergo denunciandus erit, quia est eadem, quin maior ratio.

Respondetur, distinguo antecedens: Confessarius in primo casu delinquit grauiùs in pœnitentem, quàm in omnibus aliis casibus: in genere naturæ, lædendo scilicet pœnitentem in corpore, concedo: In genere moris, lædendo scilicet pœnitentem in anima propter inductionem ad peccatum, nego: Quare nego consequentiam, quia grauius est lædere aliquem in genere moris, lædendo illum in anima propter inductionem ad peccatum, quàm

lædere

lædere in genere naturæ, lædendo illum solùm in corpore.

8 Respondetur 1. Transeat antecedens: At nego consequentiam: Et ad probationem consequentiæ Respondeo distinguendo: Est eadem, quin maior ratio, si loquamur de ratione constitutionum Pontificiarum partiali, quæ est grauitas peccati, concedo: Si loquamur de ratione constitutionum Pontificiarum totali, quæ est grauitas, & frequentia peccati, nego, iuxta ea quæ dicebam *sect.*2. Vnde Confessarius ante constitutionem Gregorij XV. non erat denunciandus, si sollicitabat marem, licèt esset grauius peccatum, quia non est ita frequens: Et post Constitutionem Gregorij XV. non est denunciandus Confessarius, si sollicitet pœnitentem ad alia peccata, quàm luxuriæ, quamuis grauiora, propter eandem rationem; quia alia peccata non sunt ita frequentia in confessione, sicuti peccata luxuriæ.

9 Non nego tamen cum Fagundez *in Decalogum lib.6. cap.12. n.23.* & aliis, quod Confessarius tam in primo casu, quàm in secundo, quando denunciatur, possit ab Inquisitoribus cognosci, & puniri, si non ex vi Constitutionum Pontificiarum, saltem ex suspicione in fide propter iniuriam scilicet Sacramento Confessionis illatam, iuxta ea, quæ dicebam *sect. octaua, & duodecima.*

Idemque dico de mandante, de interprete, de laico se fingente Sacerdotem Confessarium, si sollicitent pœnitentem ad luxuriam, & de Sacerdote Confessario, si sollicitet pœnitentem ad alia peccata, quàm peccata luxuriæ. Videantur præter alios Fagundez *loco suprà citato*, Leander de Sacram. *tom.1. tract. 5. disp.13. q.37.38. & 39.* & Bossius *in discept. moral. disceptat.5. num.4.*

SECTIO XIV.

Quonam modo Inquisitores procedere debeant in hoc crimine sollicitationis?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores, vt ritè, ac legitimè Confessarium sollicitantem deponant, atque aliis pœnis puniant, debent priùs iuridicè procedere, ita vt non possint eum punire, nisi crimen plenè probetur.*

2 *Testes singulares licèt regulariter non probent, tamen in criminibus sollicitationis, & reuelationis etiam confessionis plenè probant; aliter enim probari non possent.*

3 *Fœminæ cogi non possunt ad denunciandum coram Inquisitoribus Sacerdotem sollicitantem, præsertim si sint Nobiles, & Virgines, regulariter tamen. At non semper, & omninò, ita vt non excludantur aliqua crimina, præsertim si ea aliter probari non possunt.*

4 *Testes singulares regulariter non probant, sed non semper, & omninò, ita vt non excludantur aliqua crimina, præsertim si ea aliter probari non possent.*

5 *Fœminæ sunt mutabiles, dolosæ, mendaces, leues, & corruptibiles, & propterea non admittuntur in iudicio ad testimonium ferendum, regulariter tamen, sed non semper, & omninò.*

6 *Fœmina non potest probare, quod fuerit sollicitata, & nihilominùs tenetur manifestare Inquisitoribus Confessarium sollicitantem; quia Regula, quod nemo teneatur manifestare, quod non potest probare, est vera, quando publicè, & iudicialiter proceditur, & quando manifestatia ordinatur principaliter ad puniendum; Secùs verò, quando præcipuè ordinatur ad bonum spirituale.*

7 *Tenetur homo manifestare matrimonij impedimentum, quod est inter illos, qui volunt contrahere, quia hæc manifestatio non tendit ad puniendum, sed ad vitandum delictum.*

8 *Fœmina reuera tenetur Confessarium sollicitantem manifestare iudicialiter, eumque deferre Inquisitoribus, tanquam iudicibus, qui videlicet debent procedere ad puniendum, non via accusationis; nam accusator tenetur probare quod accusat, sed via denunciationis: denunciator enim non tenetur probare quod denunciat.*

9 *Fœmina succumbens in probatione suæ denunciationis non incurrit pœnam Talionis.*

10 *Sollicitationis crimen non probatur plenè, seu sufficienter per testimonia duarum fœminarum, seu per duas fœminas, non solùm quia non sunt contestes, sed etiam quia non sunt testes omni exceptione maiores: earum namque testimonium est infirmum.*

11 *Sollicitationis crimen per quas fœminas probari debeat, remittitur prudentiæ Inquisitorum, qui considerare debent circumstantias, & qualitates, tam denunciantium, quam denunciati.*

12 *Reus neque etiam, donec duobus, vel tribus testibus fuerit testificatus, recluditur in carcerem; quia tum testes sint singulares, & præsumptio regulariter stet pro Confessario, requiritur in hoc crimine probatio efficacior, quàm in aliis criminibus.*

13 *Confessarius denunciatus in crimine sollicitationis in Regnis Hispaniarum non solet ab Inquisitoribus particularibus sine consilio supremi Senatus, præsertim si sit Religiosus, in carcerem recludi. Quin si testes non sint satis qualificati, rea propria domus pro carcere assignatur.*

14 *Inquisitor, & Ordinarius in Regnis Hispaniarum, causa determinata, seu conclusa, vocant Consultores Ecclesiasticos tantùm, & ex eorum consilio sententiam proferunt, illamque Reo in Tribunali secreto denunciant, licèt nonnulli velint, quod ea in publico actu fidei legi, & delinquens triremi condemnari debeat. Sed istorum sententia in praxi non est vsu recepta.*

15 *Sententia Inquisitoris contra Confessarium sollicitantem lata legitur in Tribunali secreto, præsentibus cuiuscumque Ordinis duobus Religiosis Confessariis; ibique Reus grauiter reprehensus abiurat, & à confessionibus audiendis, & à verbo Dei prædicando perpetuò priuatur, si casus sit grauis.*

16 *Confessarius qui sollicitauit in confessione, si casus non sit grauis, per aliquot annos à virorum, & in perpetuum à mulierum confessionibus excipiendis priuatur, & per vnum, vel alterum annum in aliquod monasterium recluditur.*

17 *Delinquens si sit Religiosus, in praxi iubetur, quod in choro, refectoria, aliisque locis communibus voce actiua, & passiua interim priuatus, vltimum locum teneat, & quod aliquando hæc sententia iterum in suo conuentu præsentibus omnibus Religiosis per Secretarium legatur, vt sit illis in exemplum, & delinquenti in confusionem.*

18 *Sententia prædicta, quod debeat legi in Capitulis Religiosorum Ordinis delinquentis non probatur, & cur.*

19 *Sollicitatio si se extenderit ad plures personas, &* cum

cum illis Reus actus valdè turpes commiserit, ab omnibus Religiosis post latam sententiam flagellatur.

20 *Reus ob hoc crimen relegatur, & triremi condemnatur, præsertim cum sollicitatio fuit virorum, in qua sollicitatione si actus fuerit consummatus, in Aragoniæ Regno Curiæ sæculari traditur.*

21 *Reus si ante duorum testium depositionem Inquisitoribus se detulerit, in carcerem secretum non includitur, sed lite contestata, & causa conclusa abiurat, & ab audiendis confessionibus priuatur. Quod si semel tantum sollicitauerit, ob dictam spontaneam comparitionem grauiter reprehenditur, & vlterius non punitur.*

22 *Reus si crimen duobus testibus singularibus sibi probatum negauerit, Inquisitores Testium qualitatem diligenter examinare debent, an scilicet verisimilibus indiciis suas depositiones comprobent, & si sic inuenerint, ipsum etiam negantem condemnent, dummodo testes ob inimicitiam non repellat.*

1 RESpondetur: Ad hoc, vt Inquisitores ritè, ac legitimè Confessarium sollicitantem deponant, atque aliis pœnis puniant, debent prius iuridicè procedere, itavt non possint eum punire, nisi crimen plenè probetur. Et quamuis regulariter in crimini-
2 bus testes singulares non probent, in hoc tamen crimine, sicut & in crimine reuelationis confessionis, cùm huiusmodi crimina aliter, quàm per singulares Testes probari non possint, plenè probant: sic Doctores communiter, quos sequitur Henriquez *lib.6.cap.19. num.10.* & Suarez *tom.4. de Pœnitentia, disp.33. sect.8. num.3.* Sicque propter gloriam Dei, Animarum salutem, Fidem, Religionem, & bonum commune, vt euitentur crimina enormia, decreuit Pius IV. Clemens VIII. & Paulus V. contra Sacerdotes sollicitantes: Et clariùs nouissimè Gregorius XV. contra eosdem, sicuti patet ex vers. illo: *Dantes etiam facultatem, &c.*

3 Objicies: Fœminæ cogi non possunt ad denunciandum coram Inquisitoribus Sacerdotem sollicitantem, præsertim si sint Nobiles, & Virgines, iuxta textum *in l. Ad personas, ff. de Iureiuran.* ibi: [Personæ Illostres & Egregiæ non sunt facilè cogendæ ad testificandum, & comparendum coram Iudice; & meritò, quia alioquin facilè periculum famæ subirent.] Ergo.

Respondetur: Distinguo Antecedens; regulariter, concedo; semper & omnino, itavt non excludantur aliqua crimina, præsertim si ea aliter probari non possunt, nego propter rationes dictas: quo casu, si prædictæ personæ Illustres, & Egregiæ periculum famæ subirent, denunciare poterunt, vel per suum chirographum, si scribere nouerint; vel per certum hominem ab ipsis missum ad Inquisitores, vel è contra.

4 Instabis: *Ex cap. Nihilominus 3. quæst. 9. ex capite Bona, ver. contra, & ex cap. cùm dilectus, vers. Nos verò, de electión.* Testes singulares non probant, saltem plenè: Ergo recurrit difficultas.

Respondetur, distinguo eodem modo, vt suprà: regulariter, concedo: semper, & omnino, ita vt non excludantur aliqua crimina, præsertim si ea aliter probari non possint, vti dicebam, nego propter easdem etiam rationes.

5 Vrgebis: fœminæ sunt mutabiles, dolosæ, mendaces, leues, & corruptibiles, vti diffusiùs probant Tiraquellus *in ll. connub. l. 9. num. 49.* & Mascardus *de probation. lib. 2. conclus. 763.* & propterea non admittuntur in iudicio ad testimonium ferendum. Gloss. *in cap. quoniam, de Testib. verb. Mulieres,* & ibi Abbas *num. 2.* Falin. *num. 1.* & iterum Glossa *in cap. Mulierem, 33. quæst. 5. vers. Nec Testis,* Decius *in l. fœminæ, ff. de Regul. Iur. n. 34.* Mascard. *vbi suprà, lib. 3. conclus. 1358. num. 80.* & Farinac. *de testib. quæst. 59. in principio,* & patet *ex dicto cap. Mulierem, & cap. Forus, de verb. signific.* Ergo recurrit difficultas.

Respondetur, distinguendo eodem modo etiam vt suprà. Accedit, quod de facto fœminæ admittuntur ad testimonium ferendum in crimine hæresis, in crimine læsæ maiestatis humanæ, & in quibusdam aliis enormibus criminibus. Glossa *in cap. cùm Pater, de accusation. & in cap. forus, de verb. significat. verb. Non fœmina,* Mascard. *de probat. lib. 1. conclus. 463. n. 6.* Paramus *quæst. 10. n. 135.* Decianus *cons. 63. numero 37. vol. 3.* Mart. Delrio *lib. 1 in 2. Append. quæst. 12. & 13* & Farinac. *de Testib. quæst. 59. num. 10. & de hæresi, quæst. 188. §. 4. n. 76.* Et constat *ex capite Per tuas 1. & ex cap. Tanta, de Simonia.*

Reuigebis: Fœmina non potest probare, quod 6
fuerit sollicitata: Ergo non tenetur manifestare Inquisitoribus Confessarium sollicitantem, cùm nemo teneatur manifestare, quod non potest probare. Glossa *in Extrauag. 1. de sent. Excomm. verb. proferatur, & in Clement. 2. de hæretic. vers. Quod si taliter,* Præpositus *in cap. si quis Papa, in fine dist. 79.* Angelus *ver. Confess. 8. n. 12* Rosel. *ver. Confessionis relatio, n. 13.* Repertor. Inquisit. *ver. denunciatio, vers. Generale,* Nauar. *in cap. inter verba, conclus. 6. n. 388.* Henriquez *lib. 13. cap. 18. n. 3.* Villadiego *de hæretic. quæst. 10. numero 7.* Et deducitur *ex cap. Plerumque, 2. quæst. 7. & ex cap. Placuit 5. quæst. 2.*

Neque respondeas ad Argumentum, Regulam illam veram esse, quando publicè, & iudicialiter proceditur, & quando manifestatio ordinatur præcipuè ad spirituale bonum alterius, vt scilicet iste talis emendetur; quia tunc quidem manifestatio potest fieri superiori, tanquam Patri, qui monebit delinquentem, vt emendetur: Quod est conforme doctrinæ Nauarri *in summa, cap. 22. num. 83. & in cap. Sacerdos, de Pœnitem. dist. 6. num. 27.* Couarruuiæ *in 4. Decretal. 2 part. cap. 6. §. 10. num. 21.* Vegæ *in summa, lib. 3. cas. 136. circa finem,* Bartholomæi Ledesmæ *dub. 21. §. sed dubium,* Roderici *in summa, tom. 1. cap. 217. num. 3.* Petri de Ledesma *quæst. 43. de matrim. artic. 3.* Guttierrez *lib. 1. quæst. canonicar. cap. 11. num. 17.* & aliorum, qui docent teneri hominem ma- 7
nifestare matrimonij impedimentum, quod est inter illos, qui volunt matrimonium contrahere; quia hæc manifestatio, inquiunt ipsi, non tendit ad puniendum, sed ad vitandum delictum, ne illud committatur, ideoque tenetur homo manifestare tale impedimentum, quamuis sit ita occultum, vt illud non possit probare.

Neque, inquam, respondeas ad argumentum 8
vti suprà, quia reuera tenetur fœmina Confessarium sollicitantem manifestare iudicialiter, cumque deferre Inquisitoribus, tanquam iudicibus, qui iudicialiter debent procedere ad puniendum huiusmodi Confessarium delinquentem, & tenetur fœmina illum sic iudicialiter manifestare, & Inquisitoribus, tanquam Iudicibus, deferre; non quia, sicuti volunt nonnulli, forsan aliæ fœminæ quoque fuerint sollicitatæ, sed tenetur simpliciter, etiam quamuis certò nouerit, quod ipsa sola, & nulla alia fuerit sollicitata: deseruiet enim hoc, tanquam adminiculum, si forsan aliæ fœminæ postea fuerint sollicitatæ.

Respondetur igitur sic in forma ad argumentum: fœmina non potest probare, quod fuerit sollicitata: concedo antecedens: Ergo non tenetur manifestare Inquisitoribus Confessarium sollicitantem, distinguo consequens: Non tenetur manifestare via accusationis, concedo; quia accusator quidem tenetur probare, quod probat: Non tenetur manifestare

festare

festere via denunciationis, nego; quia denuncia-
tor non tenetur similiter probare, quod denunciat,
vti *suprà in suis locis* dicebam: in hac igitur manife-
statione via denunciationis satis est, si fœmina dicat,
se denunciare ex zelo fidei, vel ne incurrat pœnas
latas contra non denunciantes. Directorium *Inqui-
sit. par. 3. in rubric. de secundo modo procedendi in caus.
fidei per denunciationem, num.* 68. Pena *ibidem, com-
ment. 15. vers. His peractis,* & Farinac. *de hæresi, quæst.*
9 185. *num.* 71. Quapropter fœmina si non probet,
quod denunciat, non incurrit pœnam talionis. Pa-
ram. *lib. 3. de origin. Inquisit. quæst.* 88. *num.* 22. Farinac.
vbi suprà, num. 71. & Henriquez *lib. 5. cap. 10. num.* 11.
Excipe, si de calumnia constiterit: Param. *num.* 23.
Farinac. *num.* 71. & alij, quos refert, & sequitur
Freytas *in Addition. ad Acugnam, quæst. 12. num. 13.
& 14.* Sicque, quod scilicet denuncians non tenea-
tur probare, quod denunciat, seruatur in praxi.
Freytas *vbi supra, num.* 15. Farinac. *num.* 71. & Mas-
card. *de probat. conclus.* 505. *num.* 2.

10 Aduerte tamen hic, quod hoc crimen sollicita-
tionis non probatur plenè, seu sufficienter per testi-
monia duarum fœminarum, seu per duas fœminas,
non solùm quia non sunt contestes, sed etiam quia
non sunt testes omni exceptione maiores: Fœminæ
namque testimonium est infirmum, & debile Felin.
in cap. quoniam, de testib. num. 5. Nauarr. *consil. 4. de
Accusat. num.* 3. quatenus ait, testimonium fœminæ
longè minorem præsumptionem facere, quàm testi-
monium viri, quia fœmina regulariter repellitur à
testimonio dicendo in criminalibus, à quo dicendo
non repellitur vir. Farinac. *lib. 1. consil. 19. num.* 20.
& alij communiter. Quando igitur *in l. Vbi numerus,
ff. de Testib. & in cap. si testis, §. Vbi numerus, 4. quæst.* 3.
dicitur, in quauis causa duos testes plenè, seu suf-
ficienter probare: quod etiam tradunt Mascard. *de
probation. lib. 1. in præfatione,* Gomez *de delict. cap.* 12.
num. 9. Farinac. *de Testib. quæst.* 63. *num.* 232. & alij
passim, intellige non solùm si Testes sint contestes,
sed etiam si Testes sint omni exceptione maiores, qui
scilicet nulla exceptione repelli possint, quales
11 non sunt fœminæ, sicuti *suprà* dicebam: Quot au-
tem fœminæ ad plenè, seu sufficienter hoc sollicita-
tionis crimen probandum requirantur, remittitur
prudentiæ Inquisitorum, qui considerare debent cir-
cumstantias, & qualitates tam fœminarum denun-
ciantium, quàm Confessarij denunciati, iuxta ea,
quæ *infrà* dicentur.

12 Aduerte secundò, quod reus neque etiam, donec
duobus, vel tribus Testibus fuerit testificatus, reclu-
ditur in carcerem, quia cùm testes sint singulares, &
præsumptio regulariter stet pro Confessario, requi-
ritur in hoc crimine probatio efficacior, quàm in
13 aliis criminibus; adeo quod in Regnis Hispaniarum
non solent particulares Inquisitores sine consilio su-
premi Senatus aliquem Confessarium, præsertim
Religiosum, in carcerem secretum recludere, quin
si testes non sint satis qualificati, reo propria domus,
vel Ciuitas pro carcere assignatur. Interim tamen,
dum causa ipsius agitur, prohibetur Missam cele-
brare, Sacramenta ministrare, & verbum Dei præ-
dicare.

14 Aduerte tertiò, quod etiam in Regnis Hispania-
rum, causa postea determinata, seu conclusa, vo-
cantur Consultores Ecclesiastici tantùm, & ex con-
silio istorum Inquisitor. & Ordinarius sententiam pro-
ferunt, illamque Reo & Tribunali secretò denun-
ciant, quia licèt nonnulli, quos sequitur Carte-
na *in quæst. de hæretic. num.* 65. velint quod ille in pu-
blico actu fidei legi, & delinquens triremi condem-
nari debeat; istorum tamen sententia in praxi non
est vsu recepta, ne plures, exinde sumpta occasio-
nè, à Sacramentis recipiendis abstineant, neve Hæ-
retici, qui sic pœnitentiæ Sacramentum detestantur,
Confessores irrideant.

Legitur igitur sententia in Tribunali secretò præ- 15
sentibus cuiuscumque Ordinis duobus Religiosis
Confessariis, ibique Reus grauiter reprehensus ab-
iurat, & à Confessionibus audiendis, & à verbo Dei
prædicando perpetuò priuatur, si casus sit grauis,
nempe si plures sollicitauerit, & sollicitationis
effectum consecutus fuerit: Si verò casus non sit 16
ita grauis, per aliquot annos à virorum, & in
perpetuum è mulierum confessionibus excipiendis
priuatur, & per annum, vel alterum annum in ali-
quod Monasterium recluditur. Quod si delinquens
sit Religiosus, in praxi iubetur, quod in Choro, 17
Refectorio, aliisque locis communibus, voce acti-
ua, & passiua interim priuatus, vltimum locum
teneat, & quod aliquando hæc sententia iterum
in suo conuentu, præsentibus omnibus Religiosis
per secretarium legatur, vt sit illis in exemplum, &
delinquenti in confusionem: sic Doctores, quos
sequitur Carena *part. 2. tit. 6. §. 17. num.* 79. qua-
tenus ait, posse Inquisitores imponere Confessario
Regulari, quod inter regulares sui Monasterij teneat
locum vltimum in Choro, Refectorio, & aliis
locis, & aliquando debere eosdem Inquisitores man-
dare, quod sententia contra Confessarium Regu-
larem lata legatur ad aliorum exemplum, & ter-
rorem publicè in proximo Capitulo suæ Religionis
generali.

Quamuis alii non omnino improbabiliter cum 18
Bordono *de Sacro Tribunal. cap. 23. quæst. 38. n.* 114.
non approbent hoc postremum, posse scilicet Inquisi-
tores mandare, quod sententia contra Confessarium
Regularem lata legatur ad aliorum exemplum, &
terrorem publicè in proximo capitulo Religionis ge-
nerali; quia id esset habere Inquisitores aliqualem
ius in Capitulum Religionis, quod nullibi Inquisi-
toribus concessum reperitur. Vt omittam, quod suf-
ficienter huiusmodi delictum priuatis literis publica-
tur apud Regulares, & multò magis non approbent
illud prius, posse scilicet Inquisitores imponere Con-
fessario Regulari, quod inter Regulares sui Monaste-
rij teneat locum vltimum in Choro, Refectorio, &
aliis locis, quia in Constitutione Greg. XV. suffi-
cienter exprimuntur pœnæ in huiusmodi sollicitantes
Confessarios imponendæ: Qua de re, præter ipsam
Constitutionem Gregorij XV. videri poterunt quæ
dicebam *suprà, sectione* 20.

Adde iis, quæ dicebantur de praxi, & communi 19
sententia Doctorum, quod si sollicitatio se exten-
derit ad plures personas, & cum illis reus actus val-
de turpes commiserit, ab omnibus Religiosis post le-
ctam sententiam flagellatur.

Adde etiam, quod aliquando ob hoc crimen 20
relegatur, & triremi condemnatur, præsertim cùm
sollicitatio fuit virorum: In qua sollicitatione, si
actus fuerit consummatus, in Aragoniæ regno
reus Curiæ sæculari traditur, præsertim quia ibi ex
speciali Apostolicæ Sedis Priuilegio Inquisitores
de hoc crimine cognoscunt, vti *suprà dubitatione* 217.
dicebam.

Aduerte 4. quod si reus ante duorum testium de- 21
positionem Inquisitoribus se detulerit, in carcerem
secretum non includitur; sed lite contestata, &
causa conclusa, sicuti dicebam, abiurat, & ab au-
diendis confessionibus priuatur, absque pœnis vl-
terius, etiamsi plures sollicitasset, non efficitur.
Quod si semel tantum sollicitauerit, & ante testis
alios depositionem Inquisitoribus se detulerit, gra-
uiter reprehenditur, & vlteriùs non punitur. Idem-
que fit in casu, quo sollicitatæ personæ negant, quod
sollicitatio sibi facta fuerit.

Aduerte 5. quod si reus crimen duobus testi-

 bus

bus singulatibus sibi probatum negauerit, Inquisitores testium qualiratem diligeotet inuestigare debent, an scilicet illi verisimilibus indiciis suas depositiones comptobent, & si sic Inquisitores inuenerint, reum, eriam si neget, dummodo testes ob inimicitiam non repellar, condemnent, vt abiuret, & à confessionibus excipiendis abstineat: regularitet tamen illum torturæ non subiciant; quia regulatiter hoc etimen pœnæ corpotali non subjicitur: Quapropter reus pro etuenda veritate torturæ subjici nun debebit.

PETITIO I.

Quonam modo ex Constitutione Gregorij XV. probetur hoc crimen sollicitationis? Vbi etiam, an ad capturam, incarceratiouem, & torturam talis rei sufficiat vnicus testis.

SVMMARIVM.

1 *Sollicitationis crimen ex Constitutione Gregorij XV. probatur per testes singulares, concurrentibus adminiculis, indiciis, & præsumptionibus. Vide ibi verba dicta Constitutionis, vbi delictum probatum esse, Inquisitorum arbitrio remittitur.*

2 *Arbitrium prædictum non conceditur omnibus, sed solum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Congregationis sancti Officij, & Generalibus Inquisitoribus.*

3 *Arbitrium prædictum non potest formari, nisi testes singulares sint talis qualitatis, & adminicula, indicia, & præsumptiones sint talis conditionis, vt coniunctim habeant tantam vim, quod moueant, & vrgeant iudicem ad iudicandum, delictum esse verè commissum, sicque reddant illud moraliter euidens.*

4 *Testes singulares, quotquot sint, non sufficiunt, nisi concurrant adminicula, indicia, & præsumptiones; quia Pontifex concedit, delictum esse probatum per testes singulares, iis concurrentibus.*

5 *Dictio, seu particula (&) ita copulat, vt requirat concursum copulatorum.*

6 *Pontifex licèt in hoc crimine concedat probationes minùs legitimas; non tamen vult, eas esse imperfectas in suo genere.*

7 *Meretrices, & aliæ femellæ viles, & fide non dignæ, non sunt admittendæ pro hoc delicto sollicitationis probando; sed tantùm honestæ, quibus par est, vt fides habeatur.*

8 *Testes singulares, qui admittuntur ad hoc delictum probandum, debent esse saltem idonei, ne probatio nimis infirmetur.*

9 *Testis vnicus quando agitur de alterius præiudicio, in nulla materia facit fidem: vnus enim testis, nullus testis.*

10 *Testes duo, quod in hoc delicto sufficiant, affirmant aliqui, & alij meliùs negant; quia duo testes fide digni sufficiunt, vt denunciatus reddatur valde suspectus; licèt enim duo testes plenè probent, quando sunt contestes, non tamen quando sunt singulares.*

11 *Sollicitationis delictum, licèt possit probari per testes singulares, debet tamen suppleri singularitas, quando saltem aliunde non suppletur, &c.*

12 *Testes quatuor fide digni requiruntur secundùm alios, quia vt plurimum in hoc crimine testificantur mulieres, quæ sunt fragiles, & modicæ fidei, vt propterea numerus supplere debeat fragilitatem sexus. Et è contra dignitas, & auctoritas Confessarij requirit, vt cautè procedatur, præsertim ob infamiam, & scandalum magnum.*

13 *Testes tres omni exceptione maiores secundùm alios sufficiunt in hoc delicto probando, si sint omni exceptione maiores, quia alioquin ferè nunquam punirentur.*

14 *Testes quatuor secundum alios neque sufficiunt, quia ex testibus singularibus nunquam consurgit plena probatio; licet tamen in criminibus exemptis admittantur fœminæ, si sint contestes, non tamen quatuor plenè probant ad imponendam pœnam ordinariam delicto.*

15 *Hæc sententia non videtur improbabilis, quando foret imponenda pœna grauissima.*

16 *Regula certa hic ex magis communi assignari non potest: Inquisitores enim omnia maturè considerare debent, quia cum in hoc crimine procedatur sicut in crimine hæresis, semper timeri potest, ne innocens damnetur.*

17 *Testis vnus, quamuis fide dignus, non sufficit ad capturam, vbi tractatur de re graui, & quæ non parum deturpat bonam opinionem.*

18 *Testis vnus fide dignus sufficit, si concurrant Indicia, præsumptiones graues, vel si Confessarius sit malæ famæ, vel aliàs suspectus, vel aliàs punitus à sancto Officio.*

19 *Testes duo secundùm alios fide digni requiruntur saltem quoad id satis probabiliter.*

20 *Sancius cum aliis remittit hoc Inquisitorum arbitrio. Vide ibi aliorum sententias circa prædictam incarcerationem.*

21 *Zanardus minus rectè dicit, quod ex testimonio, seu delatione vnius fœminæ, quæ sit bonæ famæ, & opinionis, & non patiatur aliquam exceptionem, v. g. non sit suspecta de mendacio, vel de inimicitiis cum Confessario, præsertim probatæ vitæ, Confessarius possit torqueri: Si enim non potest in carcerem detrudi, multò minus potest torqueri, cum fœmina, sicut & mas minoris ætatis, nunquam sit testis omni exceptione maior.*

22 *Hæc faciunt pro Inquisitione Romana, in qua Confessarius sollicitans torquetur: non autem pro Hispanica, in qua non torquetur.*

RESponderur quoad primum, probari per testes singulares, concutcentibus adminiculis, indiciis, & præsumptionibus, §. 5. ibi: Dantes etiam facultatem S.R.E. Cardinalibus, & Generalibus Inquisitotibos, ne delictum tam enorme, Ecclesiæ Dei tam perniciosum remaneat ob defectuto probationum impunitum, cum difficilis sir probationis, testibus etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis, delictum probatum esse, atbittio suo iudicandi. 1

Circa quam dispositionem aduerte, quod hoc arbitrium non conceditur omnibus, sed sulùm sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Congregationis Sancti Officij, & Generalibus Inquisitoribus; vt propreteà cæteri inferiores Processum compilantes non habeant huiusmodi arbitrium. 2

Aduerte 2. quod non potest formari prædictum Arbitrium, & iudicium, nisi testes singulares sint talis qualitatis, & adminicula, Iudicia & præsumptiones sint talis conditionis, vt coniunctim habeant tantam vim, quod moueant, & vrgeant iudicem ad iudicandum, delictum esse verè commissum, sicque reddant delictum moraliter euidens; quia arbittium, & iudicium debet esse regulatum secundùm rationem, & *prout de iure*. Bortolus *in Extrauag.* 3

tranag. Ad reprimendam, num. 8. Parif. *conf.* 8. *n.* 21. *lib.* 4. Duran. *decis.* 5. *num.* 3. Merlin. *decis.* 400. *num.* 1. Ludouif. *decis.* 465. *n.* 1. de Graffis *decis.* 8. *de re iudic. num.* 2. & Rota *decis.* 285. *num.* 1. *par.* 1. *Recent.* & *decis.* 567. *part.* 2. ut fcilicet teftes fingulares cum adminiculis, indiciis, & præfumptionibus æquipolleant plenæ probationi teftium contestium, quæ de iure requiritur ad reum condemnandum.

4 Aduerte 3. quod teftes fingulares, quotquot fint, non fufficiunt, nifi concurrant adminicula, indicia, & præfumptiones; quia Pontifex concedit facultatem iudicandi, delictum effe probatum per teftes fingulares, concurrentibus indiciis, adminiculis, & aliis præfumptionibus, cum quibus vult coniungi teftes fingulares. Tum quia, cùm Pontifex vtatur ablatiuo abfoluto, *concurrentibus*, &c. inducit conditionem, *l. fi debitor*, §. 1. *ff. quibus mod. pign. vel hypot. foluat.* Bartol. *in l.* 1. *quæft.* 3. *ff. de condit. & demonftr.* Ludouif. *decis.* 492. *num.* 7. & alij paffim: At deficiente conditione deficit conceffio, *l. Mauius, & l. qui hæredi, ff. de condit. & demonftr.* Et tradunt Surd. *confil.* 129. *num.* 36. Menoch. *conf.* 154. *num.* 30. Molina *lib.* 3. *de rit. nup. quæft.* 51. *num.* 11. Valenzuela *conf.* 17. *num.* 77. *vol.* 2. & alij communiter: Ergo, &c. Neceffarium igitur erit, quod coniunctim concurrant adminicula, indicia, & aliæ præfumptiones, ficuti conftat
5 etiam ex illa dictione, *Et*, quæ ita æquè copulat, vt requirat concurfum copulatorum. Decius *confil.* 417. *num.* 1. Menoch *conf.* 56. *num.* 95. Felinus *in cap.* 2. *de refcript. num.* 32. Patif. *conf.* 95. *n.* 6. *vol.* 1. Thefaur. *decis.* 189. *num.* 1. Guido Papæ *decis.* 527. *n.* 1. & Rota *decis.* 115. *n.* 8. *par.* 1. *diuerfor.*

6 Aduerte 4. quod licèt Pontifex concedat, cum qualitas delicti, vtpotè difficilis probationis, fic exigat, vti probationibus minùs legitimis; non tamen vult, quod eæ fint imperfectæ in fuo genere.

7 Quapropter circa qualitatem teftium pro hoc delicto follicitationis probando non funt admittendæ meretrices, nec aliæ famellæ viles, & fide non dignæ; fed tantùm honeftæ, quibus par eft vt habeatur fides. Paramus *lib.* 3. *de origin. Inquifit. quæft.* 10. *num.* 165. Ioannes Sanchez *in felect. difp.* 11. *num.* 57. Anton. Soufa *de Confeff. follicit. tract.* 2. *cap.* 12. *concl.* 4. *num.* 8. Acugna fimiliter *de Confeff. follicit. quæft.* 23. *num.* 11. vbi Freytas *lit. H, num.* 26. & Cortus etiam fimiliter *de Confeff. follicit. part.* 3. *quæft.* 4. §. 4. *num.* 1.

8 Quia cùm in probatione huius delicti admittantur teftes fingulares, debent hi effe faltem idonei, ne probatio omnis infirmetur: Vnde debet conftare de idoneitate teftium: Riccius *in collectan. collect.* 149: Molfef. *in fumma, par.* 1. *tract.* 7. *cap.* 24. *num.* 38. & Peyrinus *de Priuil. ad Conftitutionem* 4. *Gregorij XV.* §. 3. *num.* 1. ac proinde debet capi informatio de qualitate eorum, ad hoc, vt de eorumdem idoneitate iudicari poffit.

9 Circa verò numerum teftium, quamuis nonnulli, quos fequitur Bonacina *quæft.* 4. *de matrim. punct.* 16. *num.* 9. velint haberi fidem vnico tefti: Contrarium tamen cum communi dicendum eft, quia fecundùm Regulam communem in nulla materia, quando agitur de alieno præiudicio, vnicus teftis facit fidem, iuxta illud: *Vnus teftis, nullus teftis*, feu *dictum vnius, dictum nullius*. Tum quia, cùm Gregorius XV. in fua Conftitutione contra follicitantes concedat, quod in probatione huius delicti teftes fingulares adhiberi poffint, concurrentibus adminiculis, indiciis, & præfumptionibus, omnes alias probationes minores, quale eft dictum vnius teftis, tanquam infufficientes excludit, cum neque velit fidem haberi teftibus fingularibus, nifi concurrant adminicula, indicia, & præfumptiones.

Quod autem fufficiant duo teftes, vt talis reus 10
condemnari poffit, affirmant Paramus *lib.* 3. *de Inquifit quæft.* 10. *num.* 155. & 165. Bariola *de Confeff. follicit. quæft.* 15. & Molfef. *in fumma, par.* 1. *tract.* 7. *cap.* 25. *num.* 39. Quia hic numerus fufficit ad probandum in quolibet delicto, etiam atroci: Tum quia crimen hærefis, & alia crimina priuilegiata probantur per duos teftes.

At negant meliùs Peyrinus *de priuileg. ad Conftitutionem quartam Gregorij XV.* §. 8. *num.* 23. Cortus *de Confeff. follicit. part.* 3. *quæft.* 4. §. 3. *num.* 17. qui tamen vult, duos teftes fide dignos fufficere, vt poffit Confeffarius prohiberi, ne audiat Confeffiones; quia duo teftes tales fufficiunt, vt ipfe reddatur valdè fufpectus, ac proinde prohiberi debeat audire Confeffiones, ne Pœnitentibus pro medecina venenum propinet: Thom. Hurtad. *parte* 1. *refol. moral. tractatu* 4. *refol.* 9. §. 3. *numero* 1054. qui tamen vult fimiliter fufficere duos teftes fide dignos, fi agatur de pœna non grauiori, & Confeffarius fit improbæ famæ: Acugna *de Confeff. follicit. quæftione* 23. *numero* 4. vbi Freytas *numero* 15. Soufa
etiam *de Confeff. follicitant. capite* 12. *numero* 1. 11
& alij, quia licèt duo teftes plenè probent, quando funt conteftes; non tamen plenè probant, quando funt fingulares. Tum quia licèt hoc delictum poffit probari per teftes fingulares, debet tamen per numerum fuppleri fingularitas, quando faltem aliunde non fuppletur. Tum quia idem delictum eft folum priuilegiatum in hoc, quod poffit probari per teftes fingulares, non autem in hoc, quod fufficiat ille numerus præcifus, qui fufficeret, fi effent conteftes.

Ideò Peyrinus *vbi fuprà*, §. 7. *numero* 13. Ortiz *in fumma, cap.* 34. *numero* 11. Trimarchus *de Confeff. follicitant. difput. vltima, fect.* 3. & Ioannes Sanchez *in felectis, difput.* 11. *numero* 46. quorum fententiam effe veram, & fequendam in omnibus ferè circumftantiis pro quacumque fpecie follicitationis, ait Thomas Hurtadus *citata refol.* 9. *numero* 1056. requirunt faltem tres teftes fide dignos.

At fi teftes fint fingulares, non eft iftorum fententia conformis Conftitutioni Gregorij XV. quia, ficuti dicebam, concedit quidem Pontifex pro probatione huius criminis vti teftibus fingularibus, fed fi tamen concurrant adminicula, indicia, & præfumptiones, &c. Ergo, his non concurrentibus, crimen non erit fufficienter probatum.

Ideo alij, vt Acugna *de Confeff. follicitant. quæft.* 12
23. *numero* 12. requirunt faltem quatuor teftes fide dignos, quia vt plurimùm in hoc crimine teftificantur mulieres, quæ funt fragiles, & modicæ fidei, vt propterea numerus fupplere debeat fragilitatem fexus. Tum quia è contra dignitas, & authoritas Confeffarij requirit, vt cautè procedatur, præfertim ob infamiam, & fcandalum magnum, quod inde nafci folet: Quam fententiam fatis rectè approbat Thomas Hurtadus *citata refolut.* 9. §. 3. *numero* 1058. fi teftes fint fœminæ, & agitur de pœna grauiori: Sed minus rectè reprobat Cortus
vbi fuprà, cit. quæft. 4. §. 3. *num.* 8. afferens, fufficere 13
tres omni exceptione maiores; quia alioquin ferè nunquam punietur hoc delictum. Tum quia, cùm delictum ex natura fua fit occultum, requirit minorem probationem, quamuis ad degradationem requirat teftium numerum maiorem.

Alij verò, vt Freytas *ad Acugnam, quæft.* 23, 14
numero 21. *& feqq.* & Soufa de Confeff. *follicit. tract.* 2. *cap.* 12. *numero* 6. quibus fauet Riccius

collect.

collect. 549. asserens, iudicaturu fuisse, quod ex testibus singularibus fœminis non sit imponenda pœna ordinaria delicti, requirunt testes plures, & putant, neque sufficere quatuor testes, quia ea testibus singularibus nunquam consurgit plena probatio: sic Doctores, quos refert, & sequitur Mascard. *de probat. concl.* 856. *numero* 2. & Farinac. *de testib. quæst.* 65. *numero.* 47. Tum quia, licèt in criminibus exceptis admittantur fœminæ; & sint contestes, non tamen quatuor plenè probant: sic Doctores, quos citat, & sequitur idem Farinacius *vbi supra, quæst.* 59 *numero* 19. Tum quia, cùm non publicentur testes, deficit Reo magna pars defensionis. Quapropter supplere debebit numerus testium.

15 Et hæc sententia mihi non improbatur, quando foret imponenda pœna grauissima.

16 Quamuis communiter Riccius *par.* 3. *collect.* 49. Peyrinus *de priuileg. ad Constitutionem* 4. *Gregory XV.* §. 7. *num.* 3. Fagundez *præcept.* 2. *Eccles. lib.* 4. *cap.* 3. *numero* 101. Trullench. *in decalog. lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 18. *num.* 98. Molfes. *in summa, par.* 1. *tract.* 7. *cap.* 25. *num.* 38. Benedict. *par.* 2. *disquis. Cler.* §. 8. *num.* 11. Sousa *de Confess. sollicit. tract.* 2. *cap.* 12. *numero septimo, & seqq.* quatenus ibi ait: Inquisitores omnia maturè considerare debebunt; quia cùm in hoc crimine procedatur, sicut in crimine hæresis, vbi testes non publicantur, sicque plenus defensionis ordo non conceditur, semper timeri potest ne innocens damnetur: licèt enim quilibet testis singularis sit probabilissimus, ignotum tamen est Iudici, quid ei à Reo obiici possit. Ioannes Sancius *in select. de Sacrament. disp.* 11. *num.* 46. Diana *par.* 1. *tract.* 4. *resol.* 28. Cottus *de Confess. sollicit. part.* 3. *quæst.* 4. §. 3. *numero* 10. Trimarch. *de abus. Sacrament. Confess. disp. vltima, sect.* 4. & Thomas Hurtad. *tract.* 4. *resol. moral. resol.* 9. §. 3. *numero* 1062. velint quod non possit hîc assignari certa regula, sed debeat remitti iudicio Inquisitorum, qui considerata qualitate, & numero testium, consideratisque adminiculis, indiciis & præsumptionibus, poterunt, & debebunt iudicare, an delictum sit probatum: Et hæc sententia est magis conformis Constitutioni Gregorij XV. quia cùm Pontifex ibi concedit arbitrium iudicandi, crimen esse probatum per testes singulares, concurrentibus adminiculis, indiciis, & præsumptionibus, consequens est quod etiam relinquat arbitrio quisnam numerus testium, consideratа qualitate personarum, & circumstantiarum, sufficiens sit ad probandum.

17 Cæterùm quoad secundùm, quod scilicet quoad capturam, incarcerationem, & torturam non sufficiat vnus testis, quamuis fide dignus, contra Carreram *cap.* 2. *de probation. per testes, quæst.* 1. *numero* 47. tenent communiter Doctores, quia tractatur de tergo sui, & quæ non parum deturpat bonam opinionem Confessarij.

18 Addunt tamen, quod sufficiat vnus testis fide dignus, si concurrant indicia, & præsumptiones graues, vel si confessarius sit malæ famæ, vel aliàs suspectus, vel aliàs punitus à sancto Officio: Quod desumitur *ex cap. Accusatio,* 2. *q.* 7. Et tenent, atque testantur de praxi Freytas *in Addit. ad Acugnam de Confess. sollicit. quæst.* 4. *num.* 27. Cottus etiam *de Confess. sollicit. par.* 3. *quæst.* 4. §. 4. *numero* 2. Peyrinus *de priuil. Minimor. ad Constitutionem* 4. *Gregorij XV.* §. 3. *num.* 4. *& in Addit. ad eandem Constitutionem, cap.* 11. *numero* 4. Sousa *de Confess. sollicit. tractat.* 2. *cap.* 21. *numero* 6. Thom. Hurtadus *tract.* 4. *cap. vnico, resol.* 9. §. 3. *numero* 1051. *& seqq.* Latus *de Confess. sollicit. par.* 3. *quæst.* 4. §. 2. *num.* 15. Et faciunt quæ tradunt Pegna *par.* 3. *director. commentar.* 12. *circa finem, & part.* 3. *numero* 14. Rojas *de hæret. p.* 2. *numero* 16. Simanch. *in Enchirid. tit.* 15. *numero* 1. & Paramus *lib.* 3. *de origin. Inquis. quæst.* 10. *num.* 123.

Quamuis quod ad id requirantur duo saltem testes fide digni, satis probabiliter velint Bariola *de Confess. sollicit. quæst.* 14. quatenus ait: Vt Inquisitores procedant contra Confessarios, priùs constare debet de delicto per duos saltem testes fide dignos. Acugna similiter *de Confess. sollicit. tract.* 23. *num.* 9. quatenus inquit: Non sufficiunt duo testes, si fuerint complices: & Sousa etiam *de Confess. sollicit. tract.* 2. *cap.* 12. *concl.* 4. *numero* 8. quatenus asserit: Nisi fœminæ sint probatæ vitæ, & famæ, non sufficiunt duæ deponentes de diuersis actibus, ad incarcerandum Confessarium, sed ad minus requiruntur tres: Alij verò cum Sancio *in select. disput.* 11. *numero* 47. etiam satis probabiliter velint, quod hoc remittendum sit arbitrio Inquisitorum, qui qualitates, & mores denunciati, & denunciantium prudenter inspicere debebunt: Absolutè tamen contra Carreram vbi suprà, vnus testis, etiam fide dignus, non sufficiet, ita vt ex vnius fœminæ, quantumuis honestæ delatione non sit Confessarius in carcerem detrudendus, vti dicebam suprà ea communi sententia Doctorum, ex quibus præcipuè videatur Freytas *in Addit. ad tract. de Confess. sollicit. quæst.* 4. *numero* 27. & Sousa *loco citato,* dum asserit, quod talis Confessarius iustè possit in carcerem detrudi, si duæ fœminæ probatæ vitæ contra illum denunciauerint; vnde secundùm Sousam vna non sufficiet: Quod ipsum etiam apertè tradit *cap.* 21. *num.* 6. Prædicta tamen vnius fœminæ delatio sufficiens erit ad inquirendum, adeo quod si, vt rectè præter alios obseruauit Freytas *vbi suprà, numero* 28. per inquisitionem apparuerit, quod Confessarius sit leuis, seu potius improbæ vitæ, poterit in carcerem detrudi: Ideoque Molfesius *in summ. tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 25. *n.* 39. ait: [Dum est sola denunciatio, vel depositio mulieris sollicitatæ ad turpia, quæ sit bonæ famæ, Inquisitores verbotenus se informent de qualitatibus Confessarij, an is aliàs inquisitus sit de similibus, quia si non, in pari qualitate præualet Confessarius, vt ab iisdem Inquisitoribus audiui, vtque seruatur in praxi.]

Vide etiam Zanardum *in direct. theol. par.* 3. *c.* 88. vbi ait, quod ex testimonio, seu delatione vnius fœminæ, quæ sit bonæ famæ & opinionis, & non patiatur aliquam exceptionem, v.g. non sit suspecta de mendacio, vel de inimicitiis cum Confessario, præsertim probatæ vitæ, possit torqueri dictus Confessarius, cùm simus in crimine occulto, & nullus præsumatur suæ salutis immemor, vt propterea talis fœmina, sicut similiter talis testis probans de proprio auditu, qui in tali delicto æquiualet ei, qui aliquid deponit de proprio visu, tanquam testis integer habeatur. 21

At minus rectè, quia si ex vnius fœminæ, quantumuis honestæ testimonio, seu delatione Confessarius non est in carcerem detrudendus, multò minus erit torquendus, cùm fœmina, sicut & mas minoris ætatis nunquam sit testis omni exceptione maior; & ex alio capite vnus testis non sufficiat ad torquendum, nisi sit omni exceptione maior. Dicendum igitur est, quod fœmina prædictæ conditionis, & qualitatis requiratur ad minus duplex, vel quod tale negotium remittatur arbitrio Inquisitorum, qui inspectis circumstantiis, & qualitate testium, ac reorum, dictum negotium prudenter determinabunt.

Hæc autem diximus pro inquisitione Romana, in qua Confessarius sollicitans torquetur, non autem pro Inquisitione Hispanica, in qua non torquetur, quin neque recluditur in carcerem, quousque 22

duobus,

duobos, vel tribus testibus fuerit testificatus. Et si sit Religiosus, noo recluditur io careerem, nisi de coosilio supremi Senatus, iuxta ea, quæ tradit Sousa *de Confess.sollic.tract.2.cap.21.n.7.* & dieebam ego *suprà de tortura reorum.*

PETITIO II.

Quonam modo probetur crimen reuelationis Confessionis ?

SVMMARIVM.

1 *Crimen reuelationis Confessionis probatur eodem modo quo crimen sollicitationis.*

2 *Sacerdos, cui obiectum est crimen reuelationis confessionis, si dicat, sibi factam fuisse licentiam à Pœnitente id reuelandi, non tenetur id probare, præsertim si sit probatus. Quia tales licentia secretò, & sine testibus concedi solent, & in defectum aliarum probationum sufficit iuramentum Sacerdotis.*

3 *Rei iuramento standum est in secretis, quando sumus in dubio, & multò magis quando alia probatio haberi non potest.*

4 *Idem dicendum, si Sacerdos confiteatur tale dictum, sed neget, illud habuisse in confessione, contra nonnullos contrarium sentientes.*

5 *Sacerdos si excipiat, quod aliunde sciuerit, tenetur probare; quia sumus in materia capaci probationis, adeò quod si non probauerit, præsumptio erit contra ipsum*

1 RESpondetur ex eisdem dictis *suprà*, probari sicut crimen sollicitationis io coofessiooe, per testes singulares, propter easdem ratiooes.

2 Vbi tameo aduerte, quod si quis obiiciat Sacerdoti, quod reuelauerit confessionem, credendum est ipsi Sacerdori, præsertim probo, si dixerit, se habuisse à pœnitente licentiam reuelandi, vt propterea noo teneatur id probare; quia hæc licentia secretò, & sine testibus concedi solet: quapropter in defectum aliarum probatioonum sufficiet iuramentum Sacerdotis. Menoch. *præsumpt. 58. num. 15. lib. 1.* Viuius *in commun. opin. verb. Confessio*, vbi testatur de communi 1 Hippol. *in pract. §. diligenter, num. 99.* Lapus *allegat. 94. post principium*, Cotta *in memorab. verb. Iuramentum*, Diaz *in pract. cap. 112. num. 4.* vbi Salze-
3 do, *vers. Credi debet*, & alij passim: In hoc igitur casu stari debet iurameoto Sacerdotis, quia in secretis, quando sumus io dubio, stari debet iuramento Rei; *cap. Si verò, de sent. excomm.* vbi glossa, & *cap. lectum 2. quæst. 2.* Et notat idem Lapus *allegat. 47. num. 6.* & Felinus *in cap. significasti 1. num. 4. fallent. 3. vers. Et eleganter, de homicid.* Ergo moltò magis io casu nostro, cùm alia probatio haberi non possit, stari debebit iuramento Sacerdotis, præsertim si adminieulatetur ea eo, quod dum reuelauit, dixerit se id facere de licentia pœnitentis.

4 Idem propter easdem rationes dicendum videtur, si Sacerdos fateatur, reuelasse tale dictum, sed neget illud babuisse in coofessione. Quamuis contrarium sentire videatur Angelus *verb. Confess. n. 21.* Videri tamen poterit Cardinalis *in cap. omnis, de pœnit.* Abb. *ibid.* Rojas *in singul. 3.* Nauart. *in cap. penult. de pœnit. & remiss. n. 164.* & Mascard. *concl. 1192. n. 5.*

5 At si Sacerdos dicat, & excipiat, quod aliundè id sciuerit, tunc teoetur Sacerdos id probare; quia sumus in materia, quæ, cùm possit ipse adducere, vnde sciuerit, est capax probatioois. Abb. *in c. omnis vtriusque sexus, in fine; de pœnit. & remiss.* Innocentius *in cap. super his, de accusat.* Ioan. Andreas *ibid.* & Salzed. *ad pract. Diaz, cap. 112. §. credi debet, vers. Et post huius, in fine.* Adeò quod si non probauerit, cum constet de reuelatione, præsumptio erit contra ipsum, atque adeò punietur, pœna extraordinaria tamen, quia cùm crimen noo sit pleoè probatum, non habet locum pœna ordinaria.

SECTIO XV.

An Inquisitores procedere possint contra Confessarium de hoc crimine sollicitationis suspectum.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores procedere possunt contra Confessarium de hoc crimine sollicitationis suspectum; quia cum sit quàm maximè secretum, & occultum, est multò difficilioris probationis.*

2 *Non obstat, quod non præcesserit diffamatio, quia procedere debent contra suspectum de hoc crimine, quemadmodum contra de hæresi suspectum, pro qua non est necesse, quod præcesserit diffamatio, seu infamia: In constitutionibus enim non dicitur, Inquisitores posse procedere contra Confessarium diffamatum simpliciter, sed quomodolibet: quod verbum requirit qualemcunque infamiam.*

RESpondetur affirmatiuè, sicuti procedere possunt contra hominem suspectum de hæresi. Nauart. *in cap. inter verba, conclus. 6. n. 296.* Clarus *in pract. §. finali, q. 5. n. 6.* Simanchas *de Cathol. Institut. tit. 43. n. 7. & 8. & in Enchirid. tit. 22. n. 6.* Rolandus *lib. 3. consil. 8. n. 6.* Paramus *de origin. Sancta Inquisit. lib. 3. q. 6. num. 92. & q. 7. n. 34.* Locatus *in iudicial. verb. Infamia, n. 11. & verb. Inquisitor, n. 18. & verb. procedere, num. 5.* Martinus Delrio *lib. 1. disquis. magic. quæst. 7.* Repertorium Inquisit. *verb. Inquisitio, vers. Nota quod crimen,* Peña *in director. par. 3. comment. 16. num. 66.* Scacc. *de iudic. caus. cap. 59. n. 10.* Campeg. *in Addit. ad Zanchinum, tract. de hæretic. cap. 9. num. 9.* Bossius *tit. de hæreticis, num. 6.* Decianus *in tract. crimin. lib. 5. cap. 10. num. 18.* Dueñas *Regul. 298. n. 9.* & Rojas *singul. 3. num. 22.* 1

Quin multò magis, quia cùm hoc crimen sollicitationis sit quammaximè secretum, & occultum, est multò difficilioris probatioois, quàm crimen hæresis.

Non obstat, si dicas: Io prædictis Pontificiis coostitutionibus dicitur, quod Inquisitores procedere possint contra Confessarium de crimioe sollicitationis diffamatum. Ergo si non præcedat diffamatio, seo infamia, procedere non poteruot, cùm constitutio pœnalis extendi noo debeat vltra proprietatem verborum, *l. cùm quidam, ff. de liber. & posthum.* & *Regula Odia, de regul. iur. in 6.* 2

Respondetur enim, quod sicuti in crimine hæresis fieri potest Inquisitio, tamen si cootra talem delinquentem non præcedat diffamatio, seu infamia, sic similiter, quin multò magis, in casu nostro, sicuti suprà dicebam. Et satis colligitur ex eisdem Pontificiis constitutionibus; non enim in eis dicitur, quod Inquisitores procedere possint contra Confessarium de crimine sollicitationis diffamatum simpliciter, sed diffamatum *quomodolibet*: ly autem *quomodolibet*, significat, non requiri, quod præcedat diffamatio, seu infamia

quæst. 23. Malderi *in par.* 2. *quæst.* 96. *artic.* 3. *dub.* 4. Capræ *regul.* 6. *num.* 3. *& 76.* Thusci *citata conclus.* 264. *num.* 66. *& 69. & conclus.* 265. *numero* 1. *& seqq.* & constat *ex l. leges, Cod. de legib. & cap. finali, de constitut.* & *ex Clement.* 2. *circa finem, de iudiciis.* Minor probatur, quia quatuor illi Pontifices volunt, quod pœnæ latæ in suis prædictis constitutionibus comprehendant etiam Confessarios, qui ante illas constitutiones deliquerant, vti colligi videtur ex illis verbis, *quomodolibet diffamatos*: & ex illis aliis, *super præmissa diligenter inquirat.*

8 Cæterùm, si reus à competenti Iudice fuerit absolutus, aut punitus, tunc etiam in posteriori ista sententia Inquisitores procedere ampliùs non poterunt contra illum, qui scilicet deliquerat ante promulgatas dictas Constitutiones, vti contra Moutam *opuscul. de incantationib. sectione* 3. *capite* 3. *numero* 16. docet Acugna *quæst.* 3. *numero* 31. & ibi Freyt. *numero* 46. Et constat *ex cap. de his, de accusat. & ex l. causas, Cod. de Transaction.* & tradunt Berous *in dicto cap. de his, numero* 20. Abbas *in repetit. Clement. dudum,* §. *hoc etenim, de sepultur. verf. Pacta, & in cap. finali, de constitut. numero* 9. Felinus *ibidem, numero* 3. Bartol. *in l. omnes Populi, ff. de iust. & iur. numero* 41. Crottus *ibidem, numero* 137. Mascard. *de interpret. statut. conclus.* 13. *num.* 16. Thusc. *verbo Lex, conclus.* 365. *n.* 13. Angel. *consil.* 53. Alexander *lib.* 6. *conclus.* 199. *num.* 4. Capra *regul.* 6. *num.* 4. Decianus *in tract. crimin. lib.* 3. *cap.* 30. Gomez *de delict. cap.* 1. *numero* 27. & Marant. *de ordin. iudic. part.* 6. *tit. de Inquisit. num.* 49. Quia lex non extenditur ad prætetita iam definita, seu decisa per sententiam, absolutionem, rem iudicatam, vel transactionem, &c. Quamuis etiam in lege fiat expressa mentio de præteritis, vti dicebam.

SECTIO XVII.

An Inquisitores procedere possint contra Confessarium sollicitantem, quamuis se sollicitasse statim pœnituerit?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores procedere possunt contra confessarium sollicitantem, quamuis se sollicitasse statim pœnituerit; quia quod factum est, non potest esse non factum.*

2 *Opinio hæc fundatur in alia opinione asserente, quod Confessarius emendatus sit denunciandus.*

3 *Quod ex vehementi animi perturbatione, commotione, seu passione fit, reputatur ac si non esset factum, si scilicet cessante dicta perturbatione fuerit reuocatum, seu non fuerit confirmatum. At id procederet in casu nostro, si priuaret hominum vsu rationis, & declaratione, quæ sufficiat ad culpam mortalem: quod quidem rarissimè contingit, & non facilè præsumitur.*

4 *Occidens aliquem ex iracundia magna, rarissimè excusatur à peccato mortali: Ad deliberationem enim sufficientem ad peccatum mortale non requiritur tempus notabile, sed satis est tempus imperceptibile.*

5 *Dolor subsequens ad animi perturbationem post commissum peccatum, arguit peccatum esse commissum.*

6 *Concupiscentia non causat inuoluntarium, quia voluntarium dicitur, quod est iuxta inclinationem voluntatis.*

7 *Assignatur disparitas inter ea, quæ fiunt ex metu, & inter ea, quæ fiunt ex concupiscentia. Metus enim ponit circumstantiam contra inclinationem voluntatis. Concupiscentia addit circumstantiam iuxta inclinationem voluntatis.*

8 *Concupiscentia auget de voluntario, & minuit de libero, quia libertas consistit in indifferentia.*

9 *Blanditiæ non faciunt inuoluntarium, sicque extorta per blanditias à principibus non sunt inuoluntaria,*

10 *Limita, nisi blanditiæ principum admisceant virtualiter minas.*

11 *Extorta per blanditias à meretricibus neque sunt inuoluntaria, atque adeò neque sunt obnoxia restitutioni.*

12 *Homo ex amore efficitur ebrius, ex Cajetano, sed ista ebrietas est merè voluntaria, sicque ei non fieret iniuria per blanditias, & licèt minuat de libero, adhuc tamen remanet libertas.*

Respondetur affirmatiuè: Doctores, quos sequitur Bonacina *tract. de ver. disp.* 6. *punct.* 3. *n.* 4. quia quod factum est, non potest non esse factum, *l. in bello,* §. *facta, ff. de captiu. postl. reuers.* Et vlterius ratio huius opinionis fundatur in alia opinione asserente, quod Confessarius emendatus sit denunciandus: At dato, & non concesso, quod Confessarius emendatus non sit denunciandus; adhuc tamen in casu, de quo loquimur, magna requiritur prudentia; quia quilibet Confessarius sollicitans, vt effugiat denunciationem, dicere poterit, quod pœnituerit de sollicitatione facta; quapropter arbitror, quod supradictus Confessarius regulariter sit denunciandus, quin & etiam in casu, quo ex vehementi animi perturbatione, commotione, seu passione motus fuerit ad sollicitandum. 1 2

Non obstat, si dicas: quod ex vehementi animi perturbatione, commotione, seu passione fit, reputatur ac si non esset factum, si scilicet cessante dicta perturbatione fuerit reuocatum, vel etiam, vt volunt Bartol. *in Regul. quidquid calore, ff. de Regul. iur.* Decius *ibid. n.* 1. Iason *in l. si ea, Cod. de inoffic. testam. n.* 5. Menoch. *de præsumpt. lib.* 1. *quæst.* 13. *numero* 1. & Tiraquell. *de pæn. temperand. caus.* 1. *numero* 24. non fuerit confirmatum, eo quòd tunc signum est, adfuisse defectum deliberationis sufficientis ad deliberandum, sicque censetur, quod factum est, inconsideratè, & ineptè factum, ex Regula quidquid calore 48. *ff. de Regul. iur. ex l.* 3. *ff. de diuertiis, ex cap. diuortium, de pœnit. dist.* 1. *& ex cap. si quis iratus,* 2. *quæst.* 4. vnde tunc non valere contractum, neque votum, neque iuramentum, putant Richard. *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 2. Gabriel *dicta dist.* 38. *quæst.* 1. *art.* 1. Angelus *verb. Votum* 1. *numero* 6. Tabiena *ibid. quæst.* 1. Antonius *in cap. sicut ex literis, de iureiur. num.* 9. Abbas *ibid. num.* 2. *& in cap. Si verò, eod. tit. num.* 7. Tiraquell. *vbi suprà, num.* 6. & alij. 3

Respondetur enim: Concedo totum, si animi perturbatio, commotio, seu passio est ita vehemens, vt priuet hominem vsu rationis, & deliberatione, quæ sufficiat ad culpam mortalem: quod quidem rarissimè contingit; Ideoque non facilè præsumitur, sed potiùs passim præsumitur contrarium: Ideoque etiam rarissimè excusatur à peccato mortali, qui ex iracundia magna aliquem occidit. Et meritò, quia ad deliberationem, quæ sufficiat ad peccatum mortale, non requiritur tempus notabile, sed sufficit tempus imperceptibile, ita vt huiusmodi deliberatio fieri possit etiam in instanti, & sufficiat, si deliberatio actum peccaminosum, vel virtuosum præcedat non tempore, sed tantùm natura. Videatur Paludanus *in* 4. *dist.* 38. *q.* 1. *n.* 1. Caiet. 2. 2. *q.* 88. *art.* 1. Nauar. *in summ. cap.* 12. *n.* 26. Alexander *in cap. sicut ex literis, de iureiur. n.* 18. & Felinus *ibid. n.* 3. 4

5 Hinc, quod nonnulli Doctores suprà citati asserebant, signum scilicet esse, adfuisse defectum sufficientis deliberationis, cùm quis post vehementem animi passionem dolet, se aliquid fecisse, velletque vt non fuisset factum, est minùs verum: quia multa peccata committimus, dum animi passione perturbamur, & cessante illa passione vellemus non commisisse, & magnopere dolemus de peccato commisso; & tamen verè, itavt in illa actione fuerit sufficiens deliberatio, peccatum est commissum, & perpetratum, quinimmò etiam sæpè sæpius non pœnitet eorum, quæ magna cum deliberatione gessimus, & sumus operati. Contrarium igitur est dicendum, saltem vtplurimùm, & regulariter, vti dicebam.

6 Aduerte etiam hîc, quod ex S.Thoma 1.2.*quæst.6. art.7.* quem sequuntur communiter Doctores, concupiscentia non causet inuoluntarium, quia voluntarium dicitur, quod est iuxta inclinationem voluntatis: At concupiscentia auget, non minuit inclinationem voluntatis: Ergo potiùs auget, quàm tollat voluntarium.

7 Hinc sequitur, disparitatem esse inter ea, quæ fiunt ex metu, & inter ea, quæ fiunt ex concupiscentia; quia metus ponit circumstantiam contra inclinationem voluntatis, ideoque ponit inuoluntaria: Concupiscentia autem addit circumstantiam, iuxta inclinationem voluntatis, sicque addit de voluntario.

8 Sequitur secundò, concupiscentiam augere de voluntario, & minuere de libero; quia libertas consistit in indifferentia, & indeterminatione voluntatis; at concupiscentia addit inclinationem ad vnum: ergo minuit de indifferentia, & indeterminatione ad plura, sicque minuit de libero.

9 Sequitur 3. Blanditias non facere inuoluntarium, sicque extorta per blanditias à principibus, non esse inuoluntaria, atque adeò non esse obnoxia restitutioni. Sanctus Bonauentura *in 4. dist. 29. q. 1. a.8.* & alij commouiter.

10 Limita, si blanditiæ principum admisceant vitualiter minas: Sotus *de iust. & iur. lib.4. quæst.7. articul. 1.* & alij passim iuxta ea, quæ dicebam de metu.

11 Eadem ratione extorta per blanditias à meretricibus neque sunt inuoluntaria, atque adeo neque sunt obnoxia restitutioni. Quidquid in contrarium, scilicet quoad ea, quæ sunt suprà iustum pretium, teneat sic Caietanus *2. 2. quæst. 32. articul. 7.*

12 Ad id verò, quod ibidem subdit Caietanus, hominem scilicet ex amore effici ebrium, sicque extorta per blanditias à meretricibus effici inuoluntaria, atque adeò esse obnoxia restitutioni. Respondetur, hanc ebrietatem esse homini merè voluntariam, sicque ei non fieri iniuriam per blanditias, quæ simpliciter potiùs augent, quàm minuunt voluntarium, & licèt minuant de libero, adhuc tamen remanet libertas sufficiens ad donandum, saltem vtplurimùm, & regulariter, vti suprà dicebam.

SECTIO XVIII.

An Inquisitores procedere possint contra Confessarium sollicitantem, quamuis ad nullum actum turpem deuentum fuerit, eo quòd verbi gratia renuerit persona sollicitata? Vbi etiam quid si non renuerit, sed consenserit.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores procedere possunt contra Confessarium sollicitantem, quamuis ad nullum actum turpem deuentum fuerit, eo quòd v. g. renuerit persona sollicitata. Ita enim cautum in iure, & constitutionibus de hac re.*

2 *In delictis grauibus punitur affectus, etiam non sequuto effectu.*

3 *Inquisitores, si fœmina non renuerit, sed consenserit sollicitationi, procedere poterunt contra Confessarium; quia sic satis colligitur ex Constitutione Gregorij XV.*

4 *Persona sollicitata debet in tali casu ab Inquisitoribus interrogari de consensu.*

5 *Mulier interrogata de consensu, quamuis minùs rectè, non tenetur confiteri; quia si ex imprudentia confessa fuerit, non debent Inquisitores id scribere, & ponere in actis; nec poterunt eam punire, sed solùm Confessarium sollicitantem.*

6 *Sousa reiicitur, quatenus ait, quod si pœnitens sollicitationi consentiat, & veniat in Sacramentali confessione præsertim ad actum peccati, non tenetur denunciare Confessarium: nam tenetur denunciare, neque potest interrogari de actu copula, ne retrahantur fœmina à denunciando, sed tantùm tenetur denunciare sollicitationem, contra declarationem consiticationis Gregorianæ.*

7 *Regula in iure, quod socius criminis non possit interrogari de complicibus, neque sit testis idoneus, non comprehendit crimina excepta propter publicam bonum.*

8 *Mulier non tenetur dicere, quod consenserit, sed solùm quod fuerit sollicitata.*

9 *Persona sollicitata, licèt non possit probare sollicitationem, tenetur denunciare; quia probare spectat ad accusatorem, non autem ad denunciantem.*

Respondetur quoad primum affirmatiuè: Probatur *ex l. sed est, & ex l. sequenti, ff. de iniuriis,* ibi: Iniuriarum actione tenetur, qui tam fœminam, quàm masculum impudicos facere attentauerit. 1

Secundò *ex cap. sollicitatores, de pœnit. dist. 1.* ibi: Sollicitatores alienarum nuptiarum, itemque matrimoniorum interpellatores, etsi effectu sceleris potiri non possint, voluntate tamen perniciosæ libidinis extra ordinem puniuntur: Idemque tradit Archidiacon. *in cap. Nemo, de pœnit. dist. 1. verb. Attenta.* Et constat *ex l. si quis seruo alieno, C. de furtis,* & *in l. Item apud labeonem, §. abduxisse, ff. de iniuriis,* ibi: Abduxisse dicitur non tantùm is, qui per vim abduxit, sed is quoque, qui persuasit commisso; vt eam deseretet.

Tertiò, ex prædictis Pontificiis constitutionibus Pij IV. Clementis VIII. Pauli V. & Gregor. XV. ibi: *Mulieres pœnitentes ad actus inhonestos, dum earum audiunt confessiones, alliciendo, & prouocando.*

Quartò

2 Quartò ex ratione ; quia in delictis grauibus punitur affectus, etiam non sequuto effectu. *Clem. Pastoralis, ver. tractauerit, de re indic.* & docet Glossa communiter recepta, *in l. 1. de extraordinar. crimin. ver propter.*

3 Cæterùm quoad secundum Inquisitores procedere poterunt etiam (quin multò magis (contra Confessarium sollicitantem, si scilicet persona sollicitata non renuerit, sed consenserit, idest cum illo actus impudicos exercuerit ; quia sic satis colligitur ex verbis constitutionis Gregorij XV. ibi : Aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones habuerint : Cùm enim Confessarij tales sermones habent cum mulieribus, illæ etiam solent consensum præstare ; sed in tali casu mulieres sollicitatæ tenentur Confessarios sollicitantes denunciare : Ergo etiam, si cum iisdem Confessariis sollicitantibus carnaliter peccauerint, tenentur similiter etiam eos denuntiare, quia sic etiam, quin multò magis, tunc exigit bonum commune, salus animarum, debita administratio Sacramenti, & fauor Religionis, iuxta ea, quæ dicebam *sect. 3.*

4 Non debet tamen in tali casu persona sollicitata ab Inquisitoribus interrogari de consensu, quia nemo tenetur se prodere. *c. si quis aliquando, de pœnit. dist. 1.*

5 Quapropter, si forsan (quamuis minùs rectè de consensu interrogata fuerit, non tenetur confiteri; quin si ex imprudentia confessa fuerit, non debent Inquisitores id scribere, & ponere in actis, Nec poterunt punire eam, sed solùm Confessarium sollicitantem, cum illum tantùm punire, spectet ad ipsos : Videatur præter alios Acugna *de Confess. sollicit. q. 10.* Hieronym. Rodriq. *in compend. q. Regul. resol. 131. n. 11. & 12.* & Fagundez *de præcept. Eccles. præcept. 2. lib. 4. cap. 3. n. 56. & 57. edit. 2.*

Videatur etiam dictæ Gregorij XV. constitutionis declaratio, ex quo clariùs reiicitur Sousa *de Confess.*
6 *sollicit. tract. 2. c. 7. n. 4.* quatenus ait, quod si pœnitens sollicitationi consentiat, & veniat præsertim in actu confessionis ad actum peccati, non teneatur denunciare, quod est verum, sed etiam teneatur aperire copulam ; & si hoc non fecerit, possit ab Inquisitoribus interrogari de omnibus sollicitationis circumstantiis, tam scilicet tactuum, quàm etiam copulæ : quæ omnia sunt contra supradictam Gregorij XV. constitutionis explicationem, & retrahunt pœnitentem sollicitatum à denunciando, vt propterea non sint admittenda, neque practicentur in Tribunali Sanctæ Inquisitionis.

7 Dices : Est Regula in iure, quod socius criminis non possit interrogari de complicibus, neque sit testis idoneus, sicuti constat *ex cap. venient 1. de testibus.* Ergo quando persona sollicitata præbuit consensum, non potest obligari ad denunciandum Confessarium sollicitantem.

Respondetur. Nego consequentiam ; quià propter bonum publicum ab illa regula excipiuntur quædam crimina. Glossa *in l. finali, verb. Conscientia, cod. de accusation.* Speculat. *in tit. de Accusationib. 1. n. 10. vers. iam repellitur,* Angel. *de malefic. ver. Et Sempronium, n. 5.* & Iul. Clarus *in §. finali, q. 21. num. 3.* Cùm igitur propter bonum publicum spirituale summus Pontifex præcipiat, quod Persona sollicitata teneatur denunciare confessarium sollicitantem ; consequenter vult, vt istud crimen etiam à dicta Regula excipiatur, qui enim vult consequens, vult etiam necessariò antecedens : qualem autem probationem faciat sollicitata persona socia criminis, videri poterit Iulius Clarus *citata quæst. 21. numero 8. & 9.*

8 Instabis : si persona sollicitata sollicitationi consentiens obligaretur ad denunciandum Confessarium sollicitantem, obligaretur ad suam turpitudinem detegendam. At hoc est absurdum : Ergo.

Respondetur : Nego sequelam maioris ; quia sicuti dicebam, non tenetur dicere, quod consenserit, sed solùm quod fuerit sollicitata. Quod si hîc persona sollicitata, quæ consensit, incommodum aliquod patiatur, non est habenda ratio propter bonum publicum spirituale ; cùm sit in superiori ordine, & præferri debeat bono particulari.

9 Vrgebis : Persona sollicitata, siue consenserit, siue non consenserit, non potest probare, quod fuerit sollicitata : Ergo non tenentur denunciare.

Respondetur, nego consequentiam ; quia probare tenetur solùm is, qui accusat, seu procedit via accusationis, non autem qui denunciat, seu procedit via denunciationis, iuxta ea quæ dicebam *suprà, sect. 14.*

SECTIO XIX.

An, & quid possit Episcopus in hoc crimine sollicitationis?

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest cognoscere Sacerdotes, præsertim Regulares de crimine sollicitationis Pœnitentis in Confessione, nisi habeat facultatem ad id à summo Pontifice delegatam.*

2. & 3. *Inquisitores ante Bullam Gregorij XV. soli poterant cognoscere de crimine sollicitationis, sed post dictam Bullam indistinctè tam Inquisitores, quàm Episcopi, simul, vel separatim contra quoscumque procedere possunt.*

4 *Episcopi omnium Regionum, etiam Hispaniarum, possunt diuisim cognoscere de crimine sollicitationis.*

5 *Episcopi de iure communi possunt procedere separatim ab Inquisitoribus in casibus fidei contra suspectos de fide, & contra hæreticos.*

6 *Inquisitores in causis fidei dati sunt Episcopis, tanquam coadiutores, & eorum iurisdictio censetur data cumulatiuè, non autem priuatiuè.*

7 *In Regnis Hispaniarum Episcopi non possunt ex Priuilegio Apostolico cognoscere de causis fidei, sed tenentur denunciationes sibi factas ad ipsos Inquisitores remittere.*

8 *Confessarius sollicitans, & pœnitens sollicitatus in Regnis Hispaniarum, si citentur tam ab Episcopo, quàm ab Inquisitore, comparere debent coram Inquisitore, cùm ibi priuilegio Apostolico tractentur tantùm causæ fidei.*

9 *Iurisdictio Inquisitoris cum sit delegata à summo Pontifice, est maior iurisdictione ordinaria ; & sic vbique locorum coram Inquisitore comparere debent.*

10 *Inquisitores sine Episcopis, & è contra, licèt ex Bulla Gregoriana possint diuisim procedere contra sollicitantes; tamen non possunt diuisim ferre sententiam, sed fieri debet communicatio Processuum iuxta alias dicta.*

11 *Inquisitores & Episcopi non possunt separatim proferre sententiam abiurationis, quia est propriè condemnatio.*

12 *Episcopi sententia abiurationis lata contra Confessarium sollicitantem sine Inquisitore, non tenet, contra nonnullos Doctores.*

13 *Inquisitores, & Episcopi non possunt separatim absoluere Confessarium sollicitantem, rationibus aliis recensitis.*

cessum, vt Episcopi scilicet non possint separatim ab Inquisitoribus causas fidei, qualis est hæc, de qua loquimur, pertractare. Secus autem dicendum de aliis Regnis, & Inquisitionibus, vbi talis consuetudo, & Priuilegium Sedis Apostolicæ non adsunt, quia ibi quidem ex hac Constitutione Gregorij XV. poterunt Episcopi contra Confessarios sollicitantes separatim ab Inquisitoribus inquirere.

Ex quibus respondere quis potest ad fundamentum contrariæ sententiæ, quod scilicet quæ ibi dicuntur, intelligenda sint de omnibus Regnis, in quibus Inquisitores non habent consuetudinem, & Priuilegium Apostolicum, vt Episcopi scilicet non possint separatim ab ipsis Inquisitoribus procedere. Et ad confirmationes, primam, & secundam, respondere potest, quod illa doctrina sit vera, si loquamur in terminis iuris communis, secus si loquamur ex consuetudine, & Priuilegio Apostolico, vt adsunt in Inquisitione Hispanica.

Hæc ex hoc capite dixerim non omnino improbabiliter. Vt omittam sententiam illorum, qui volunt, quod dicta Constitutio Gregorij XV. quod hoc, vti notabam *supra sect. 1. & 13. circa finem*, in dictis Regnis & locis Inquisitionis Hispanicæ non sit visu recepta.

8 Vnde si confessarius sollicitans, & pœnitent sollicitatus in dictis Regnis, & locis Hispaniæ Inquisitionis eodem tempore ab Episcopo, & Inquisitore citentur, coram Inquisitore, & non coram Episcopo comparere debent, cùm in prædictis locis ex prædicta consuetudine, prædicto Priuilegio Apostolico causæ fidei tractentur à solis Inquisitoribus, cum quibus tamen assistunt Episcopi per Procuratores.

9 Accedit quod Iurisdictio Inquisitoris, cùm sit à summo Pontifice delegata, est superior, & maior Iurisdictione Ordinaria; sicque etiam in Regnis, & locis, vbi non est Inquisitio Hispanica, sed Romana, coram Inquisitione similiter, & non coram Episcopo comparere debent: sic Doctores, quos sequitur Sousa *opusculo de Confessarij sollicitatione, tract. 2. cap. 2. & 7.* Quamuis contrarium sentiant alij, quos sequitur Rojas *singul. 44. num. 3. & 4.* præsertim si Confessarius sollicitans sit Regularis, cùm Episcopus contra istum procedat etiam ac Inquisitor ex facultate à summo Pontifice sibi delegata. Vide quæ dicebam *supra cit. dubit. 195.*

10 Aduerte tamen, quod licèt ex vi prædictæ constitutionis Gregorij XV. possint tam Inquisitores, quàm Episcopi, saltem in locis, vbi non est Inquisitio Hispanica, separatim procedere, non possint tamen separatim etiam sententiam condemnatoriam contra Confessarium sollicitantem in confessione proferre; sed quoad hoc seruari debeant iura, & Pontificiæ Constitutiones, vt fieri debeat secundùm ius canonicum communicatio Processuum, *cap. per hoc, de hæretic. in 6.* & tradunt Molin. *de iust. & iur. tract. 5. disput. 28. num. 56.* Paramus *lib. 3. quæst. 4. num. 2.* Lucerna Inquisitorum *verb. Absoluere, num. 2.* Peña *par. 3. directorij, comment. 97.* Fagundez *cit. par. 2. lib. 4. cap. 3. numero 96.* Sousa *de confess. sollicit. tract. 2. cap. 1. num. 15.* & Azor. *par. 1. lib. 8. cap. 18. quæst. 16.*

11 Quod adeò verum est, vt neque possint separatim proferre sententiam abiurationis, quia per abiurationem reus abiurans pronunciatur Hæreticus, vel saltem de hæresi suspectus; sicque vetè, & propriè condemnatur.

12 Quapropter, si Episcopi sine Inquisitoribus, vel è contra, sententiam abiurationis contra Confessarium sollicitantem in confessione proferant, factum non tenet: *Clement. 1. de hæretic.* quia postquam ibi Pontifex dixerat, non posse Inquisitores absque Ordinario, vel è contra, ad sententiam contra reum procedere, concludit quod si secus fieri præsumptum fuerit, totum irritum, & inane sit; sicque etiam dicebam *supr. cit. dub. 195. contra Pegnam vbi supra*, & quosdam alios Doctores, qui sentiunt contrarium; quatenus aiunt, quod id sit de genere eorum, quæ facta tenent, licèt fieri prohibeantur, sed minus rectè, sicuti patet ex dictis.

Aduerte 2. quod neque possint separatim proferre sententiam absolutionis. Pegna *cit. commentar. 97.* Rojas *singul. 27. num. 7.* Simanc. *de Catholic. Instit. tit. 3. n. 8.* Azorius, Zanchinus, Carrerius, & alij, quos citat, & sequitur Barbosa *in suprad. Clement. num. 18. contra Molinam, vbi suprà, num. 15.* Fagundez *n. 93.* Sousam *n. 5.* & alios. Quia licèt Clementina loquatur de sola sententia condemnatoria, quod est fundamentum Aduersariorum, indirectè tamen, & implicitè loquitur etiam de omni alia sententia. Tum ob communicationem, & examinationem Processuum sententiæ prærequisitam: Tum quia condemnare, & absoluere, vtpote contraria, quorum est eadem iuris disciplina, sunt eiusdem potestatis, *l. qui condemnare, ff. de re iudicat.* Vide quæ dicebam *citata dubit. 195.* 13

Aduerte 3. quod neque possint vlteriùs procedere Inquisitores in sollicitationem præteritam, si illa prius iudicata fuerit ab Episcopis; quia crimina prius iudicata ab Ordinario iudice, manent extincta in foro Ecclesiæ; siquidem Reus vel est iudicialiter absolutus, & sic Accusatio sistit, nec vltra progreditur, *cap. de his, de accusat.* vel est damnatus per definitiuam sententiam, quamuis non sufficientet, & similiter accusatio sistit, nec etiam vltrà progreditur: sic Doctores, quos sequitur Acugna *quæst. 3. num. 11.* & Egeytas *in Addition. ad d. quæstionem 3. num. 37. & seqq.* contra Mouram *opuscul. 1. de censur. & incantation. sect. 3. num. 16.* qui sentit, quod cùm huiusmodi crimen inducat suspicionem de hæresi, & constitutio Pontificia sit solùm excitatiua Iurisdictionis Inquisitorum, possint ipsi Inquisitores crimen illud reassumere, saltem ad hoc, vt cogant Reum ad abiurandum: sed de hac re vide quæ dicebam *suprà, sect. 16. & citata dubitat. 195.* 14 15 16

Aduerte 4. quod Confessarius sollicitans in Confessione, qui non iudicetur de fide suspectus, non propterea sit ad suum Ordinarium remittendus, sed adhuc ab Inquisitoribus, ratione culpæ, puniendus. Sic Doctores communiter, quos sequitur Sousa *tract. 2. cap. 1. n. 7.* & Escobar *de confess. sollicit. par. 1. quæst. 1. n. 16.* 17

Neque obstat dici, quod cessante suspicione contra fidem, suspendi videatur iurisdictio Inquisitorum. 18

Respondetur enim, quod licèt ratio commissionis sit suspicio, commissio tamen Pontificis est absoluta; & Pontifex ex illo facto præsumit, & super præsumpto statuit.

Quapropter rectè dixit Molfesius *in summa, tom. 1. tract. 7. cap. 24. num. 43.* quod Confessarius sollicitans in confessione, licèt non sit suspectus de fide, puniatur, sine abiuratione tamen, secundùm excessus qualitatem pœnitentia salutari. Vide quæ dicam *sect. sequenti, circa finem.* 19

Cæterùm qualiter Sacerdotes, etiam Regulares, in quibusdam aliis casibus, vt Astrologiæ iudiciariæ, contra purissimam Virginis Mariæ Conceptionem obloquentium, Missam celebrantium, qui non sunt Sacerdotes, vel indebitè sub prætextu sanctitatis defunctos non canonizatos, neque beatificatos colentium, iudicari possint, & debeant ab Ordinario. Vide *supra dubitatione 220. & dubitatione*

catione 234. sectione 15. & dubitatione 236. Petitione 19.

SECTIO XX.

Quonam modo procedatur contra Confessarium sollicitantem, conuictum scilicet vel Confessum?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores ex Constitutionibus Pij IV. Clementis VIII. Pauli V. & Gregorij XV. contra Confessarium sollicitantem conuictum procedere possunt; quia sic faciens habetur pro suspecto de fide.*

2 *Reus prædictus secundùm aliquos Doctores hodie de stylo vrbis est suspectus de fide vehementer, & proptereà regulariter compellitur ad abiurandum de vehementi, & transmittitur ad remum per quinquennium, aut septennium.*

3 *Reus prædictus secundum alios est suspectus de fide leuiter.*

4 *Praxis diuersitas orta est ex hac diuersitate opinionum inter Inquisitionem Romanam, & Hispanicam: Nam Romana torquet, non torquet Hispanica.*

5 *Inquisitio Romana propter eandem rationem facit Confessarium sollicitantem, tanquam suspectum de hæresi vehementer, abiurare de vehementi: Inquisitio Hispanica, tanquam suspectum leuiter, abiurare de leui.*

6 *Pœna reliquæ, quibus Confessarius sollicitans punitur, sunt ex Constitutione Gregorij XV. suspensio ab executione Ordinis, priuatio Beneficiorum, & Officiorum quorumcunque, perpetua inhabilitas ad illa, ac priuatio vocis actiuæ, & passiuæ, si Confessarius sollicitans sit Religiosus.*

7 *Carceratio item in perpetuum, & alia pœna, vt priuatio facultatis audiendi confessiones, administrandi alia Sacramenta, prædicandi verbum Dei, &c. arbitrio Inquisitorum secundùm delicti qualitatem, & etiam traditio Curiæ Sæculari.*

8 *Parochus sollicitans Neapoli suspensus fuit per annum à cura animarum.*

9 *Confessarius sic delinquens debet saltem priuari ab audiendis Confessionibus, præsertim mulierum.*

10 *Item suspenditur ab audiendis Confessionibus arbitrio Inquisitorum.*

11 *Item est in perpetuum priuandus ab omnium Confessionibus.*

12 *Confessarius prædictus abiurat, & fit subiectus omnibus pœnis supradictis arbitrio Inquisitorum pro qualitate personæ delinquentis, & circumstantiarum delicti in omnibus casibus, qui includuntur à Gregorio XV. in sua Constitutione, per illa verba, siue extra occasionem Confessionis in confessionario, &c.*

13 *Item abiurat, & fit subiectus etiam omnibus pœnis supradictis arbitrio Inquisitorum pro qualitate Personæ delinquentis, & circunstantiarum delicti.*

14 *Confessarius sollicitans, qui non iudicatur de fide suspectus, remitti non debet ad suum Ordinarium, sed adhuc puniri potest ab Inquisitoribus.*

SVppono, quod Inquisitores ex Constitutionibus Pij IV. die 6. Aprilis 1564. Clementis VIII. die 3. Decembris, anno 1592. Pauli V. & Gregorij XV. die 30. Augusti, anno 1622. possint procedere contra talem reum, adeò quod nonnulli putant, quod Inquisitores contra dictum reum possint procedere de iure communi. Sed quidquid sit de hoc, certum est quod possint procedere ex prædictis constitutionibus Pontificiis, quia sic faciens habetur pro suspecto de fide: sic Doctores communiter apud Peyrinum *de priuileg. Minim. tom. 2. Constitutione 4. Gregorij XV. §. 3. num. 6.* Difficultas autem, de qua vide etiam *infrà sect. 24. circa finem*, est an dictus reus sit suspectus de fide vehementer, vel tantùm leuiter? 1

Quidam enim, vt Peña *in director. Inquisit. par. 3. comment. 81.* Genuensis *in praxi Archiepisc. cap. 66. num. 1.* quatenus loquit: Omittendum non est, quod tentans mulierem in actu confessionis, sit suspectus de fide vehementer, quid scilicet sentiat de Sacramento Pœnitentiæ; tamen si prope actum confessionis, ante scilicet, vel post ipsam confessionem tentauit, sicuti fertur declarasse Clemens Papa VIII. Bariola *tractatu de confess. sollicit. post flores Inquisit.* quatenus ait: Hodie talis Confessarius de Stylo vrbis est suspectus vehementer; hinc regulariter compellitur ad abiurandum de vehementi, & transmittitur ad remum per quinquenium, aut septennium: & Madius *de Sacrament. Ordinis, cap. 37. num. 6.* volunt, quod sit suspectus de fide vehementer. 2

Alij verò, vt Paramus *de origin. Inquisit. lib. 3. quæst. 10. num. 115.* Ioseph Sesse *in decis. Regni Aragon. tom. 4. decis. 449. num. 3. decis. 450. num. 9. & decis. 454. num. 6.* Rodericus Acugna *de Confess. sollicit. quæst. 2. num. 20.* & Sousa etiam *de confess. sollicit. tract. 1. cap. 5. num. 6.* volunt quod sit suspectus de fide leuiter. His suppositis, 3

Respondetur: Ex hac diuersitate opinionum orta est diuersitas praxis inter Inquisitionem Romanam, & Hispanicam: Romana enim, quia putat, Confessarium sollicitantem esse de fide suspectum vehementer, illum torquet. Zanard. *in direct. Inquisit. part. 3. cap. 78.* Genuensis *vbi suprà, numero 1.* Molfes. *in summa, tom. 1. tract. 7. cap. 24. num. 40. & sequentibus*, Peyrinus *de Priuileg. Minim. tom. 2. Constitut. 4. Gregorij XV. §. 3. numero 6.* & Madius *cit. num. 6.* Hispanica verò, quia putat supradictum Confessarium sollicitantem esse de fide suspectum leuiter, illum non torquet. Acugna *vbi suprà, q. 13. num. 14.* & Sousa *de confess. sollicit. tractat. 2. cap. 13. conclus. 3. num. 11. & in Aphor. Inquisit. lib. 1. cap. 39. n. 64. & seqq.* 4

Item ex eadem ratione Inquisitio Romana facit Confessarium sollicitantem, tanquam suspectum de hæresi vehementer, abiurare de vehementi, Bariola, & alij in locis suprà citatis: Inquisitio Hispanica verò facit illum tanquam suspectum de hæresi leuiter, abiurare de leui tantùm, Ioseph Sesse *tom. 5. decis. 454. num. 5.* & Sousa *de Confess. sollicit. tract. 1. cap. 5. n. 6.* 5

Reliquæ pœnæ, quibus Confessarius sollicitans punitur, sunt ex Constitutione Gregorij XV. suspensio ab executione Ordinis, priuatio beneficiorum, Officiorum quorumcumque, ac perpetua inhabilitas ad illa, priuatio vocis actiuæ, & passiuæ, si confessarius sollicitans sit Religiosus, iuxta ea, quæ dicam *sect. 33.* exilium, damnatio ad triremes, quidquid in contrarium de damnatione ad triremes dixerit Freytas *in add. ad Acugnam, q. 24. n. 43. & 44.* etsi post Constitutionem Greg. XV. in nouissima editione *vbi suprà, num. 115.* se retracter: Carceratio, etiam in perpetuum, 6 7

tuum, & aliæ pœnæ, vt priuatio facultatis audiendi confessiones, administrandi alia Sacramenta, prædicandi verbum Dei, &c. arbitrio Inquisitorum, secundùm qualitatem delicti, & etiam traditio Curiæ sæculari. Sic enim habet expressè Gregorius X V. in prædicta sua Constitutione.

8 Videatur etiam Ortiz *in sum. c.24. n.11.* Aeugna
in tract. de Confess. sollicit. quæst. 24. num.10. & ibi
Freytaa *in Addit. ad eundem Aeugnam, n.50.* Riccius
par. 3. collect. 549. vbi notat, Neapoli Parochum
sollicitantem suspensum fuisse per annum à cura
9 animarum: Param. *lib. 3. quæst. 10. num. 166.* vbi
ait, debere Confessarium sic delinquentem priuari
Confessionibus, saltem mulierum: Homobonus
de Bon. *in Exam. Eccles. par. 1. tract. 5. c. 16. quæst. 99.*
10 vbi inquit, ex Tribunalis sanctæ Inquisitionis
praxi supradictum Confessarium suspendi ab audiendis
confessionibus arbitrio Inquisitorum. Cantera *in*
11 *quæstion. crimin. cap. 1. de hæretic. num. 65.* vbi asserit,
absolutè Confessarium sollicitantem esse in
perpetuum priuandum ab omnium Confessionibus:
& Anton. Sousa *de Confess. sollicit. tract... cap. 15.
numero 11.* vbi docet, Confessarium sollicitantem
esse suspendendum ab Officio Confessarij
simpliciter.

12 Aduerte tamen hic, quod sicuti dicebam, Confessarius sollicitans abiuret, & sit subiectus omnibus pœnis supradictis arbitrio Inquisitorum pro qualitate personæ delinquentis, & circumstantiarum delicti in omnibus casibus, qui includuntur à Gregorio XV. *In sua Constitutione*, per illa verba: *Sine extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut in loco quocumque, vbi confessiones Sacramentales audiuntur, simulantes ibidem confessiones audire:*] iuxtà ea, quæ dicebam *sect. 11.* Quidquid in contrarium sentire videatur Antonius Sousa *in Aphor. Inquis. lib. 1. cap. 34. numero 86.* quatenus ait: *Abiurant Confessarij sollicitantes in Sacramentali Confessione, aut in actu proximo antecedente, vel consequente, aut quando prætextu Confessionis, aut occasione illius sollicitant; non tamen abiurant, quando sollicitatio fit solùm in Confessionario, aut in loco, vbi audiuntur Confessiones, aut ad ipsas audiendas deputato:* dictum enim hoc vltimum Sousæ minùs verum est, si ibi simulent confessionem, sicuti dicebam ex verbis ipsis dictæ Constitutionis Gregorij X V. & dicam diffusiùs *infrà, sectione 24.*

13 Item abiuret, & sit subiectus etiam omnibus pœnis supradictis arbitrio Inquisitorum pro qualitate personæ delinquentis, & circumstantiarum delicti Confessarius, si iuxta ea, quæ dicebam *sectione 3. & 10.* concubinam in confessione lasciuè, seu zelosè reprehendit, quòd cum alio tractet, vel rem habeat, quia talis reprehensio prouocat ad lasciuiam, vel ad minus est signum ostendens lasciuum amorem, & dolorem, quod alius, & non ipse solus fruatur concubina: Idque magis est verum, stante Constitutione Gregorij X V. prohibentis, quod in Confessione illiciti tractatus, seu sermones habeantur: Fagundez *de præceptis Eccles. præcept. 2. lib. 4. cap. 3. num. 63.* & Ioan. Sancius *in select. disp. 11. num. 32.* contra Seraphinum Freytas *de Confess. sollicit. quæst. 9. n. 21. in nouis Additionibus.* Similiter si à Pœnitente in confessione pecuniam ad largiendum concubinæ, vel donum petit, vt eo adducat concubinam, vel vt eo pateat accessus concubinæ; quia in dicta Constitutione Gregorij X V. adsunt hæc verba: [Ad inhonesta siue inter se, siue cum aliis quomodolibet perpetranda:] Quæ verba, [cum aliis, & quomodolibet,] casum, de quo loquimur, includere videntur. Doctores, quos sequitur Diana *part. 4. tract. 5. resol. 45.* contra Sousam *de Confess. sollicit. tract. 1. cap. 14. n. 8.*

Aduerte secundò, quod Confessarius sollicitans, 14
qui non iudicatur de fide suspectus, remitti non debeat ad suum Ordinarium, sed adhuc puniri possit ab Inquisitoribus: Doctores communiter, quos sequitur Sousa *tract. 2. cap. 1. num. 7.* & Escob. *de Confess. sollicit. par. 1. q. 1. n. 16.* & dicebam *sect. præced. num. 17. & seqq.*

SECTIO XXI.

An si Confessarius punitus ob crimen sollicitationis gratiam obtineat, censeatur restitutus, vt iterum possit audire confessiones; Vbi etiam quid si abiurauerit?

SVMMARIVM.

1 *Confessarius, si punitus ob crimen sollicitationis gratiam obtineat, non censetur restitutus, vt iterum possit audire confessiones, quia sic declarauit Quaranta* in summa, verb. Confess. *ex declaratione sacræ Congregationis, quæ hic refertur.*

2 *Idem confirmatum reperitur in actis Sancti Officij, sub die 15. Nouemb. anno 1565.*

3 *Confessarius, cui concessa est gratia restitutionis in pristinum statum, videtur habilitatus ad iterum audiendas confessiones, quia restitutio in pristinum statum ponit illam habilitatem.*

4 *Nemo restitutus censetur in pristinum statum, nisi obtineat ea omnia, quæ priùs obtinebat.*

5 *Decretum Sacræ Congregationis Sancti Officij in hoc obseruari debet.*

RESpondetur negatiuè, quia sicuti refert Quaranta *in summa, verb. Confess.* sic declarauit S. Congregatio Sancti Officij, per hæc verba. 1

[Die 2. Decembris anno 1562. Illustrissimi Doctores Cardinales Inquisitores generales decreuerunt, quod per quamcuoque gratiam factam, vel fiendam, quibusvis aliis decretis non intendunt eum restituere, vt iterum possit confessiones aliquorum sæcularium audire.]

Idemque confirmatum reperitur in Actis Sancti 2
Officij, sub die 15. Nouembr. anno 1565. cum addito, seu declaratione, quod is qui abiurauit secretè, vel publicè, vel aliàs quomodocumque, non iterum admittatur ad audiendas Confessiones sæcularium; sic enim habetur inter Decreta Sancti Officij *in fine indicial. Inquisit. Romæ impress. anno 1570. fol. 376.*

Quid autem dicendum, si gratia sit restitutionis 3
in pristinum statum?

Respondetur, quod in tali casu videtur concessa habilitas ad iterum audiendas confessiones; quia restitutio in pristinum statum ponit illam habilitatem, quam quis habuisset, si nullum impedimentum posuisset. Bartolus *in l. Et qui, §. si in metallum, ff. de munerib. & honorib.* & Bald. *in l. cùm dotem, §. vxor, ff. solut. matrim.* Tum quia nemo censetur restitutus in pristinum statum, nisi obtineat ea om- 4
nia, quæ priùs obtinebat, *cap. Venerabilis, de Offic. delegat.* vbi Abbas, *l. cùm indulgentia, & l. finali, Cod. de sentent. pass. & restit.* & Bartolus *in l. quod si minor, §. restitutio, ff. de minoribus,* Aretinus *§. rursus, vers. quartò præmitto, institut. de actionibus,* Socin. Sen. *consil. 29. lib. 2.* Paristus *consil. 96. num.*

num. 112. lib. 1. & Menoch. *de recuperand. possess. in prælud. num.* 4.

5 Cæterùm, licèt hæc de Iure procedant, nihilominus stante prædicto Decreto Sacræ Congregationis, illam pro praxi consulendam putarem.

SECTIO XXII.

An Ecclesiastici, qui intersunt sententiæ contra Confessarium sollicitantem, teneantur sub peccato mortali non manifestare delinquentem?

SVMMARIVM.

1 *Ecclesiastici, qui intersunt sententia contra Confessarium sollicitantem, tenentur sub peccato mortali non manifestare delinquentem, eo quia infamia talis criminis Tribunalis Sancti Officij limites non excedit, & Iudices fidei eum, quem sic puniunt, non intendunt infamare.*

2 *Inquisitores propter scandalum, quod manifestande tales delinquentes redundaret, solent exigere iuramentum de secrete seruando, ab Ecclesiasticis, quibus innotescit.*

3 *Non videntur saltem obligari ad seruandum hoc secretum, si dictum iuramentum, seu excommunicationis pœna non adhibeatur.*

1 REspondetur affirmatiuè: Doctores, quos sequitur Sousa *de Confess. sollic. tract.* 2. *c.*16.*n.*8. quatenùs ait: Notandum puto, quod non sint vocandi tot numero, vt crimen secretò seruari non possit. Et hoc dixi, quia sicuti puto, omnes qui intersunt huiusmodi sententiæ, & abiurationi, tenentur sub peccato mortali secretum seruare, personamque delinquentem aliis non manifestare, eo quia infamia talis criminis, Tribunalis Sancti Officij Inquisitionis, cùm sententia illa propter bonum commune occultè proferatur, limites non excedit, & iudices fidei eum, quem sic puniunt, non intendunt infamare. At quando crimen aliquos limites non excedit; criminosus non potest sine peccato mortali manifestari: Ergo quotquot intersunt, tenentur secretum seruare. Et Freytas *in Addit. ad*
2 *tract. de Confess. sollicit. quæst.* 14.*num.*49. quatenus tenet, quod propter scandalum ab Inquisitoribus in tali casu pœna excommunicationis, & iuramentum, ne interuenientes talem criminosum aliis manifestarent, adhibendum sit. Vnde videtur, quod si
3 dicta pœna excommunicationis, & iuramentum non adhibeatur, non adsit obligatio peccati mortalis, præsertim si tales Ecclesiastici dictum criminosum manifestarent inter alios Ecclesiasticos; quia tunc nullum scandalum sequeretur, quinimmò effectus bonus aliquis sequeretur: Timore enim, ne similia facerent, afficerentur. Secùs esset, si manifestarent inter sæculares: Et quidem de manifestatione inter sæculares loquitur Freytas *loco suprà citato.*

SECTIO XXIII.

An Confessarius Regularis ex abiuratione propter sollicitationem, quam fuit confessus, vel de qua fuit conuictus, inhabilis remaneat ad Officia Religionis?

SVMMARIVM.

1 *Confessarius Regularis ex abiuratione propter sollicitationem, quam fuit confessus, vel de qua fuit conuictus, inhabilis remanet ad Officia Religionis: contra Henriquez, & alios negantes; quia non est, inquiunt, textus, nec glossa, nec Doctor, qui propter abiurationem de leui inhabilitatem inducat ad officia, & dignitates. Contrarium tamen, stante Decreto Vrbani VIII. dicendum est.*

REspondetur, quamuis negent Henriquez *lib.* 13. *cap.* 56. §. 1. *in glossa litt. K*, Garzia *de benefic. tom.*2.*p.*11.*cap.*10.*num.*87. Acugna *de Confess. sollicit. q.*24.*n.*22. & *ibi* additinator Freyt. *n.* 70. Sousa etiam *de Confess. sollicit. tract.* 2. *cap.*16. *num.*6. & alij complures, quatenus expressè aiunt, quod Confessarius propter sollicitationem, quam fuit confessus, vel de qua fuit conuictus, non maneat ipso iure inhabilis ad gradus, & dignitates Ecclesiasticas; quia non est, inquiunt ipsi, textus, nec Glossa, nec Doctor, qui propter abiurationem de leui inhabilitatem inducat ad officia, & dignitates: contrarium tamen, stante Decreto Vrbani VIII. edito anno 1626. dicendum erit, quia in eo Regulares per Sanctum officium puniti, pœnitentiis salutaribus exceptis, eo ipso redduntur inhabileaad gradus, & officia Religionis, & ad ea non possunt rehabilitari, nisi per Sanctissimum, vel per Inquisitores Sacræ Congregationis. Batiola *in Aphorism. litt. R. verb. Regulares*, Peyrin. *in Priuil. Minim. tom.* 2. *Constit.*9. *Pauli V.* §.2.*n.*29. Barbos. *de iur. Eccles. lib.* 1. *cap.*19.*n.*128. Tamburinus *de iur. Abbat. tom.*1.*dispus.* 5.*quæst.*21. *num.* 17. Et videri poterunt, quæ dicebam *suprà sect.*20. 1

SECTIO XXIV.

An, & quando Confessarius sollicitans sit suspectus de hæresi?

SVMMARIVM.

1 *Confessarius sollicitans non est suspectus de hæresi, ex Sousa, si sollicitet in Confessionario; quia tunc ex aliquo facto colligitur suspicio hæresis, quando vel factum illud est coniunctum cum hæresi, vel quando qui illud exequitur, inuenitur hæreticus.*

2 *Confessarius sollicitans ideo est suspectus de hæresi, & abiurat, quia per actum sollicitationis infert iniuriam Sacramento Confessionis, quod non facit in hoc casu. Et ideo non est puniendus pœna abiurationis, sed aliis pœnis arbitrio Inquisitorum, ex Sousa.*

3 *Confessarius sollicitans, seclusis aliquibus casibus, neque est suspectus de hæresi, si sollicitet paulò ante,*

ante, vel paulò post confessionem, ex eodem Sousa.

4 *Confessarius, prædictis non obstantibus, sollicitans est suspectus de hæresi; sicque debet abiurare in vtroque casu, tam scilicet si sollicitet in Confessionario, quàm si sollicitet paulò ante, vel paulò post confessionem.*

5 *Casus prædicti positi à Sousa, includuntur in Constitutione Gregorij XV. simul cum aliis casibus, in quibus Confessarius sollicitans est suspectus de hæresi, ideoque abiurat.*

6 *Ita etiam seruat praxis Romana, & Hispanica Inquisitionis.*

7 *Non obstat dicere, quod illa verba Constitutionis Gregorij XV. intelligi debeant secundùm ordinem procedendi: Nam si ibi Pontifex id voluisset, vtique illud dixisset.*

8 *Confessarij sollicitantes in confessione, vel propè eam, ex dispositione iuris, quia abutuntur Sacramento, expediuntur vt suspecti de hæresi: Sollicitantes autem in Confessionario solummodò, non sunt suspecti de hæresi, & non possunt expediri, vt suspecti de tali crimine.*

9 *Regula illa iuris de vna determinatione respiciente plura determinabilia, cessat vbi non militat eadem ratio.*

10 *Sententia Carenæ recensita est, si loquatur de Confessariis sollicitantibus, qui non simulant in Confessionario: At secus est de simulantibus confessionem.*

11 *Item si non essent similiter suspecti de hæresi, non posset assignari ratio, cur essent denunciandi.*

12 *Inquisitores Hispaniæ procedunt contra Sodomitas ex speciali delegatione Gregorij XIII. non autem tanquam contra suspectos de hæresi.*

13 *Confessarius sollicitans, licèt secundùm plures Doctores sit suspectus de hæresi leuiter, & de leui debeat abiurare in eorum sententia, quia huiusmodi suspicio non est vehemens, neque violenta; ex facto enim sollicitationis, inquiunt, colligitur potiùs, quod homo sit luxuriosus, ad quam inclinat, quàm hæreticus. At licet ita existimetur in Inquisitione Hispanica:*

14 *Praxis tamen Romana habet sollicitantem in confessione suspectum vehementer de hæresi, & vt suspectus de vehementi abiurat.*

1 SOusa *post tractatum de Confess. sollicit. in Annotation. ad Bullam Gregorij XV. num. 16. & 17. & in Aphorism. Inquisit. lib. 1. cap. 34. num. 68.* tenet, quod Confessarius sollicitans non sit suspectus de hæresi, si sollicitet in Confessionario, quia tunc, inquit ipse, ex aliquo facto colligitur suspicio hæresis, quando factum illud est coniunctum cum hæresi, vel quando qui illud exequitur, inuenitur hæreticus: Sed neutrum est in casu nostro: Ergo. Maior patet: Minor quoad partem priorem probatur, quia illa hæresis posset dici coniuncta cum tali sollicitatione, quæ hæresis nunc temporis negat confessionem auricularem: Ab hac autem longè abest sollicitatio prædicta, cùm ibi non inueniatur confessio, neque etiam inchoata. Quoad partem posteriorem patet, quia experientia nullum adhuc sollicitantem hæreticum inuenit.

2 Confirmatur hæc sententia, quia Confessarius sollicitans ideò est suspectus de hæresi, & abiurat, quia per actum sollicitationis infert iniuriam Sacramento Confessionis: Ideoque Paulus V. & Gregorius XV. in suis constitutionibus inquiunt: [Nos io animum inducere, nequeuntes, quod qui de fide Catholica rectè senserint, Sacramentis à Christo Domino nostro institutis abutantur, aut illis iniuriam faciant.] Sed in nostro casu Confessarius sollicitans non abutitur Sacramento Confessionis, neque illi iniuriam infert, cùm non sollicitet in confessione, neque ea occasione, vel prætextu confessionis: ergo non potest dici suspectus de hæresi, sicque neque debet puniri pœna abiurationis, sed aliis pœnis arbitrio Inquisitorum.

3 Idem Sousa etiam *in opusc. de Confess. sollicit. tract. 1. c. 18. n. 13. & in Aphorism. Inquis. loc. supr. cit.* tenet, quod seclusis aliquibus casibus, Confessarius sollicitans neque sit suspectus de hæresi, si sollicitet paulò ante, vel paulò post confessionem; quia cùm possit sollicitare commodiùs in actu confessionis, quando scilicet Pœnitens confitetur sua peccata carnis; & tamen tunc non sollicitat, sollicitationem anticipat, vel differt, signum euidens est, quod nolit inferre iniuriam Sacramento Confessionis: Ergo neque talis Confessarius sollicitans est suspectus de hæresi, sicque neque debet abiurare. His tamen non obstantibus.

4 Respondemus, quod confessarius sollicitans sit suspectus de hæresi, sicque debeat abiurare in vtroque casu, tam scilicet, si sollicitet in Confessionario, dummodo, vt *in sect. 11.* simulet confessionem, quàm si sollicitet paulò ante, vel paulò post confessionem, quia in vtroque casu infert iniuriam Sacramento confessionis. In primo casu, quia simulat confessionem: In secundo casu, quia id facit occasione confessionis, iuxta ea, quæ dicebam *sup. sect. 9. & cit. sect. 11.*

5 Confirmatur, quia prædicti casus positi à Sousa includuntur à Gregorio XV. simul cum aliis casibus, in quibus Confessarius sollicitans est suspectus de hæresi, ideoque abiurat: Et Pontifex eo modo quo loquitur de illis casibus, qui secundùm Sousam inducunt suspicionem, loquitur etiam de illis, qui secundùm eundem Sousam non inducunt suspicionem, adeò quod postquam absolutè, & sine vlla distinctione Pontifex enumerasset omnes supradictos casus, subiungit: [Vt Inquisitores, & Ordinarij locorum super his, prout in causis fidei, inquirant, & procedant:] Ergo in omnibus prædictis casibus 6 Confessarius sollicitans est suspectus de hæresi, ideoque debet abiurare, prout de facto abiurat secundùm praxim in Romana, & vniuersali Inquisitione Sancti Officij. Vide quæ dicebam *sup. sect. 10. circa finem.*

7 Non obstat, si dicas cum Catena *par. 2. tit. 6. §. 16. num. 8.* quod ea verba Constitutionis Gregorij XV. *sicut in causis fidei,* commodè intelligi possint quoad ordinem procedendi, sicque intelligi debeant, maximè id suadentibus verbis ipsius Constitutionis, ibi: *Inquirant, & procedant.* Nam si Pontifex voluisset, quod etiam causæ terminarentur, illud vtique dixisset, & cùm de terminatione causarum Pontifex ibi mentionem non fecerit, intelligitur, eam voluisse reseruare dispositioni Iuris, secundùm quam 8 Confessarij sollicitantes in confessione, vel propè eam, quia abutuntur Sacramento, expediuntur vt suspecti de hæresi; sollicitantes autem in confessionario solummodo, quia non abutuntur Sacramento, & per consequens non sunt suspecti de hæresi, non possunt expediri vt suspecti de tali crimine. Accedit, 9 quod Regula illa Iuris, de vna determinatione respiciente plura determinabilia, cessat vbi non militat eadem ratio in omnibus determinabilibus, *Surd. consil. 66. n. 19. vol. 1.* Sed hîc absque dubio non militat eadem ratio: Ergo.

10 Respondetur enim: Concedo totum, si Carena loquatur de Confessariis sollicitantibus, qui non simulent in Confessionario confessionem: At secus si simulent,

simulent, quia tunc, cùm ex dictis similiter faciant iniuriam Confessioni, erunt similiter suspecti de hæresi, atque adeò erunt similiter denunciãdi Inquisitoribus.

11 Accedit, quod si non essent similiter suspecti de hæresi, non posset assignari ratio, cur essent denunciandi Inquisitoribus, ad quos spectat cognoscere de causis fidei, vel de habentibus connexionem cum fide.

12 Neque etiam obstat, si dicas cum eodem Catena, quod Inquisitores Hispaniæ habeant facultatem procedendi contra Sodomitas, & tamen tales criminosi non abiurant, neque etiam de leui.


Respondetur enim, quod Inquisitores Hispaniæ procedunt contra Sodomitas speciali delegatione Greg. XIII. sub die 13. Augusti, anno 1574. Non autem tanquam contra suspectos de hæresi, ideoque Inquisitores aliorum Regnorum non procedunt contra tales criminosos: At in casu nostro proceditur contra Confessarios in confessionario sollicitantes, si simulent scilicet in illo, vti dicebam, confessionem, tanquam contra suspectos de hæresi, sicut ipse Pontifex se explicat, vt propterea velit, quod contra eos inquirant, & procedant Inquisitores.

An autem Confessarius sollicitans sit suspectus de hæresi vehementer, aut leuiter, sicque debeat abiurare de vehementi, aut de leui?

Respondetur, quamuis Paramus *de origin. In-* 13
quis. lib.3. quæst. 10. *num.* 115. Ioseph. Sesse *in decis.*
*Regn. Aragon. tom.*4. *decis.* 449. *num.*3. Acugna *de*
*Confess. sollic. quæst.*2. *num.*20. Sousa etiam *de Confess.*
*sollic. tract.*1. *cap.*5. *num.*6. & alij velint, quod sit
suspectus leuiter, sicque debeat abiurare de leui, moti ex, eo quia huiusmodi suspicio non est vehemens, neque violenta: Ergo est leuis: Consequentia patet: Antecedens probatur, quia ex facto sollicitationis neque ferè semper, neque vtplurimùm colligitur, quod sollicitans sit hæreticus, sed solùm quod sollicitet ex luxuria, ad quam homo quamplurimùm inclinat: Ergo sollicitatio non potest inferre suspicionem maiorem, sicque intelligi debent verba illa Pontificum: *Nos in animum inducere nequeuntes, &c.* quibus verbis Pontifices solùm innuunt, non deesse in tali facto suspicionem, idque
tradunt tanquam certum, & manifestum: An 14
verò dicta suspicio sit iudicanda vehemens, aut leuis, non determinant, vt propterea sic practicetur in Inquisitione Hispanica: Contrarium tamen, quod scilicet Confessarius sollicitans sit suspectus de hæresi vehementer, atque adeò debeat abiurare de vehementi, tenent alij, sicque practicatur in Inquisitione Romana, per ea, quæ dicebam *sup. sect.*20. qua de re vide *ibi.*



R. P. D. THOM.



R. P. D. THOMÆ DELBENE ADDITIONES LOCORUM THEOLOGICORUM in ordine ad qualificandas propositiones, ut in nostra Summa Theologica.



DVBITATIO CCXXXVIII.

An, & quid dicendum sit de locis Theologicis.

SVMMARIVM.

1 *Loci Theologici non sunt mysteria ipsa, nec materia de quibus Theologi disputant, sed argumentorum promptuaria.*

2 *Loci Theologici decem enumerantur.*

3 *Tres vltimi non sunt Theologici, nisi per acidens; sunt tamen contra Gentiles & Atheos valde vtiles, & à SS. Patribus vsitati.*

4 *Locus ex authoritate SS. Patrum est magni momenti. Quod ex Sacra Scriptura confirmatur.* num. 5.

6 *Argumenta ab authoritate Patrum non faciunt rem certam, nisi eorum consensus sit vnanimis.*

7 *Consensus ille non physicè, vel mathematicè, sed moraliter sumendus est.*

8 *Nec extendi debet ad quæstiones facti, sed iuris; nec ad quæstiones Philosophiæ, sed Theologiæ.*

9 *Etsi locus ille intelligatur ab authoritate Patrum, præcipuè veterum; tamen extendendus est ad consensum omnium Scholasticorum, etiam huius temporis.*

10 *Locus ex decretis Summorum Pontificum semper fuit inter Catholicos quàm maxima authoritatis.*

11 *Locus ex decretis Conciliorum, præcipuè Generalium, est inter omnes Catholicos indubitatus. Quod ex Scripturis patet, n. 12.*

13 *Licèt talis locus Theologicus ex Conciliis, intelligatur de Conciliis Generalibus; extendi tamen debet etiam ad Concilia particularia, seu Prouincialia, si non fuerint reprobata.*

14 *Locus Theologicus ex consensu omnium fidelium,*

scilicet cum suo capite, est æquè firmus ac præcedens.



RESPONDETVR, & dico primò, quod Loci Theologici non sunt mysteria ipsa, nec materiæ de quibus Theologi disputant, sed argumentorum promptuaria, sedes, seu fontes, ex quibus argomenta ad omnes vsus Theologicos desumi possunt, sicut Aristoteles sua Topica inscripsit, in quibus assignat varios disputandi locos, à definitione, à genere, à proprio, &c. 1

Dico secundò, Loci Theologici sont decem: sic Canus in opere suo de locis Theologicis, & Vasquez 1. *part. disp.* 12. *cap.* 1. Quorum locorum primus est ab authoritate Scripturæ sacræ. Secundus à traditionibus non scriptis, tam Christi, quàm Apostolorum. Tertius ex consensu totius Ecclesiæ Catholicæ, quatenus ex Clericis, & Laicis constat per totum orbem diffusa. Quartus ex Conciliis, præsertim Oecumenicis. Quintus ex decretis summorum Pontificum. Sextus ex authoritate veterum Patrum. Septimus ex doctrina Scholasticorum. Octauus ex ratione naturali. Nonus ex verbis, & sententiis Philosophorum. Decimus ex historia humana, siue Ecclesiastica, siue prophana, quæ extra Scripturam sunt. 2

Dico tertiò, tres vltimi loci non sunt Theologici propriè per se, sed tantùm per accidens, ratione finis, & applicationis, quatenus scilicet referuntur ad obiectum supernaturale; non enim hîc ago de Historia Ecclesiastica, sed prophana, eiusdem nimirum ordinis cum Philosophia, & ratione naturali: sunt tamen valde vtiles, quin aliquando necessarij, præsertim contra Gentiles, & Atheos, qui nec Scripturam sacram, nec traditiones, nec authoritatem Ecclesiæ recipiunt, & sic non possimus alio modo cum ipsis agere. Quapropter videmus & ipsos Apostolos sæpe sæpiùs aduersus huiusmodi homines esse vsos ratione naturali, & authoritate Philosophorum, & Poëtarum, idemque fecisse ex professo Sanctos Patres, Lactantium, Arnobium, Clementem Alexandrinum, Eusebium, 3

Tertullianum, & Iustinum Martyrem. Ad quod etiam faciendum nos cogunt Hæretici, vt supprà q. 5. notabam. Accedit, quod Deus non est minùs anthor naturæ, quàm gratiæ: *Et signauit super nos lumen vultus sui.* Psal. 4. *Et narrabit in Scripturis populorum.* Psal. 86.

4 Dico quartò: Locus ex authoritate Sanctorum Patrum est magni momenti, quia iam olim semper in vsu fuit: nam Augustinus de peccato originali scribens aduersus Iulianum *lib. 1. & 2. cap. 3. 4. 5.* & 6. adfert authoritatea Patrum, Irenæi, Hilarij, Ambrosij, Athanasij, Nazianzeni, Basilij, Chrysostomi, & Hieronymi. Et *epist.* 11. arguit ex authoritate eorumdem Patrum similiter singillatim eos nominando. Et *lib. 2. de nuptiis, cap. 19.* & *lib. 22. de Ciuit. cap. 10.* ait: *Credamus Sanctis, & vera dicentibus, & mira facientibus.* Item Hieronymus *epist. 126. ad Euagrium,* scribit: *Reuolui mecum Veterum libros, vt viderem, & ad singula de eorum consilio responderem.* Et *epist.* 105. negat *legendas esse Scripturas sine doctore.* Item Ambrosius *lib. 3. de fide, cap. 7.* inquit: *Seruemus præcepta maiorum, ne hæreditaria signacula temerè violemus: librum Sacerdotalem quis nostrûm resignare audeat, signatum à Confessoribus, & multorum iam martyrio consecratum.* Item tandem Cassiodorus *in proœmia diuinarum institutionum*, ait: *Ad Diuinam Scripturam ascendamus per expositiones probabiles Patrum, velut per quandam scalam visionis Iacob, vt eorum sensibus prouecti, ad cognitionem Domini efficaciter peruenire mereamur.* Item tandem Ecclesia in Conciliis semper hanc consuetudinem habuit, vt scilicet nunquam statueret aliquid, nisi priùs proferret, & expenderet Sanctos Patres, vt apparet in toto Concilio VII. pro Imaginibus, in Concilio Chalcedonensi pro duabus Christi naturis aduersus Eutychianos, in Concilio Ephesino pro vnica Christi persona, contra Nestorianos, & in Concilio Florentino pro processione Spiritus Sancti à Patre & Filio aduersus Græcos. Idemque seruant, me teste, in rebus grauibus, & doctrinalibus Eminentissimorum Cardinalium Congregationes in Vrbe.

5 Et meritò, quia Ecclesiast. 8. dicitur: *Non te prætereat narratio seniorum; ipsi enim didicerunt à Patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum:* & cap. 39. *Sapiens dicitur non modò legere Scripturam, sed etiam omnium antiquorum sapientiam exquirere, & narrationem virorum nominatorum conseruare.* Deuter. 32. *Interroga maiores tuos, & annunciabunt tibi.* Ad Ephes. 4. *Posuit Deus Doctores in Ecclesia ad consummationem Sanctorum, vt non circumferamur omni vento doctrinæ:* & 1. ad Corinth. 12. *Posuit in Ecclesia primò Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores.* Et Matth. 5. dicuntur *lux mundi,* & *sal terræ.* Quare rectè dixit Gilbertus apud Bernardum serm. 30. in Cantica, *quod Doctores sint sicut oculi Ecclesiæ, per quos videt Ecclesia.* Et Trident. Concilium sess. 4. statuit, *ne quis suæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra vnanimem Patrum consensum interpretari audeat.*

6 Nota tamen hîc, argumenta ab authoritate Patrum non facere rem certam, itavt contraria opinio sit temeraria, nisi fuerit consensus Patrum vnanimis, quia constat SS. Patres seorsim, seu distributiuè sumptos errare posse, vt videtur ex Historia S. Cypriani de rebaptizandis hæreticis, & ex variis retractationibus Augustini, & ex grauissimis erroribus Origenis, Tertulliani, Eusebij, & Apollinaris. Atque hinc patet ad obiectiones Aduersariorum; quia solùm probant singulos Patres errare potuisse distributiuè, & seorsim, non verò collectiuè & coniunctim, vti dicebam. Vide etiam quæ dicam *dub. 245. & 265.*

7 Nota secundò, vnanimem, seu generalem consensum SS. Patrum non esse sumendum physicè, seu mathematicè, vt scilicet ne vnus quidem desit, sed moraliter, seu circiter, & ferè omnium; quia moralia moraliter intelligenda sunt: tum quia alioquin impossibile esset talem consensum vnquam inuenire; cùm nonnullorum ipsorum Patrum scripta non habeantur vel perierint, & nonnulli ex ipsis Patribus ab Ecclesia defecerint, vt dicebam.

Nota tertiò, neque consensum hîc extendi debere ad quæstiones facti, sed iuris, nec ad quæstiones Philosophiæ, sed Theologiæ; ita vt vbi Patres omnes moraliter conueniunt circa assertiones Theologiæ, tunc res sit certa, ita vt contraria opinio sit temeraria: vbi verò non omnes, tunc sit solùm probabilis magis, vel minùs, prout fuerint plures, vel pauciores. 8

Nota quartò, quamuis locus hic ab authoritate Patrum intelligatur de veteribus Patribus, tamen extendendum esse ad consensum etiam omnium Scholasticorum, & præsentium huius temporis, seruata proportione; quia Ecclesia semper habet, & habebit suos Doctores, sicut & Pastores; cùm sit semper corpus mysticum, omnibus suis membris constans. Isaiæ 59. *Spiritus meus qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui vsque in sempiternum.* Et Psal. 44. *Pro Patribus nati sunt tibi filij:* & Luc. 10. *Qui vos spernit, me spernit, qui vos audit, me audit.* Vbi Christus non loquitur solùm de antiquis, sed etiam de illorum posteris vsque ad consummationem mundi. Accedit, quod sicut dixit Author operis imperfecti, homil. 42. in Matthæum, *Qui hodie contemnunt suos Doctores, si olim cum antiquis vixissent, eosdem pariter contempsissent.* 9

Dico quintò, locus ex decretis Summorum Pontificum fuit semper inter Catholicos quammaximæ authoritatis; quia iis Christus in persona Patris promisit peculiarem assistentiam Spiritus Sancti. Matthæi 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:* & iterum, *Tibi dabo claues regni cælorum; & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis; & quodcunque ligaueris, erit ligatum, &c.* Lucæ 22. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Quæ verba non solùm ad Petrum, sed etiam ad eius successores extendunt Sancti Patres, Bernardus, Theodoretus, Leo, Innocentius III. & alij cum S. Thoma; & meritò, quia non dicitur, *super te*, denotando personam; sed *super hanc petram*, denotando officium, *ædificabo Ecclesiam meam*; tum quia Petro demandatur generalis cura totius gregis Dominici indefinitè, *Pasce oues meas*, sed non immediatè pro semper, vtpote aliquando morituro: ergo immediate vel mediatè per suos Successores pro tempore: tum quia si tunc, Ecclesia nascente, caput eius habebat peculiarem assistentiam Spiritus Sancti, multò magis habebit nunc, cùm nunc Ecclesia, vtpote magis aucta, magis indigeat: tum quia etiam in veteri Testamento, Caiphas, vtpote Summus Pontifex, licèt sceleratissimus, prophetauit, Ioan. 11. Vnde Augustinus lib. 4. de doctr. Christiana, cap. 17. ait: *Super Cathedram Moysis sedisse Scribas, & Pharisæos, hancque Cathedram, non eorum, sed Moysis, coegisse illos bona dicere etiam malè facientes.* Ergo si Augustinus tantam vim tribuit Cathedræ mosaicæ, Maiorem supponit in Cathedra Euangelica. Et Cyprianus epist. 55. testatur, *Romanorum fidem, Apostolo prædicante, laudatam fuisse, ad quos perfidia non possit accessum habere:* & Hieronymus epist. 57. cum videret subortam quæstionem de vocabulo *hypostasis*, voluit doceri à Summo Pontifice, vtrum deberet in diuinis plures hypostases dicere, an vnam tantùm? & cùm prima vice responsum à Summo Pontifice non habuisset, iterum rescripsit ad illum de eadem quæstione. Vide quæ di- 10

centur

centur infrà dub.247.249.258.264. & 265.

11 Dico sextò: Locus ex decretis Conciliorum, præcipuè generalium, quæ totam Ecclesiam repræsentent, & sunt reuocata à Summo Pontifice Romano, vt capite, ex omnibus Christiani orbis partibus, vt membris, necnon ab eodem confirmata, est inter omnes Catholicos indubitatus; quia nemo Catholicorum est, qui vniuersalem, & infallibilem hanc totius Ecclesiæ congregatæ in rebus fidei decernendis non agnoscat & confiteatur, & ideò indubitatus censetur, vt ab aliquibus Theologis Catholicis, quorum sententia mihi probatur, iudicetur firmior loco Theologico præcedenti: nam etsi Theologi communiter sustineant Summi Pontificis definitionem per se præcisè esse infallibilem de fide, non tamen omnes in hoc consentiunt, sed aliqui, etsi non rectè, dubitant; & alij, vt Abbas, Almainus, Adrianus *in 4. quæst. vlt. de Confirmat.* Gerson *part.2. tract. de exam. doctr.* & alij Parisienses, etsi minùs rectè, negent. At verò si de Concilio Generali agitur, omnes conueniunt, eius definitionem circa quæstiones Iuris, & circa res ad doctrinam fidei, vel morum vniuersalium spectantes, esse indubitatam, & infallibilem de fide, & meritò; quia alioqui Christus videretur nos misisse, & quotidie mittere in errorem, iubendo quod Ecclesiam audiamus, Matth. 18. *Qui Ecclesiam non audierit, sit tanquam Ethnicus & Publicanus:* nec nobis sufficienter prouidisset necessaria ad salutem, nec disposuisset omnia suauiter, quia ad Heb. 11. *Fides est necessaria ad salutem, & sine ea impossibile est placere Deo.* Ergo necessaria nobis fuit aliqua regula infallibilis, quæ nobis res fidei sine errore proponat, alioqui obligaremur ad impossibile.

12 Confirmatur ex Scripturis, quia Matth. 23. dicitur, *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite.* 1. ad Tim. 3. *Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis.* Lucæ, *Qui vos audit, me audit.* Actor. 15. Apostoli congregati aiunt: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis.* Et Ioan. 14. & 16. Christus apertè promisit Ecclesiæ Spiritum Sanctum, qui ei suggeret omnem veritatem, & maneat nobiscum pro semper, nec se relicturum nos orphanos, &c.

Nota tamen hîc, quod licèt talis locus Theologicus ex Conciliis, intelligatur de Conciliis generalibus, extendi tamen debet, vt dicam dub. 258. in suo gradu ad Concilia etiam particularia, seu prouincialia, si non fuerint reprobata: nam si fuerint confirmata, erunt eiusdem summæ certitudinis, ac Concilia generalia. Ratio, quia Theologicæ conclusiones non eandem omnes certitudinem habent, sed quædam sunt certiores, quædam minùs certæ, siquidem, vt dicebam, Theologi argumentantur ex omnibus decem locis, etiamsi quidam ex istis locis sint solùm probabiles, vt v.g. ab authoritate Philosophorum, ab Historia humana, &c. ergo conclusiones Theologicæ sunt magis vel minùs certæ, prout probationes sunt efficaciores, vel minùs efficaces.

13 Dico septimò, locus Theologicus ex consensu omnium fidelium, scilicet cum suo capite, est æquè firmus ac præcedens, quia si Concilium generale totam Ecclesiam repræsentat, estque illius compendium, ac virtute eam continet, idem erit dicere ex Generali Concilio, ac ex consensu omnium fidelium, scilicet cum suo capite, iuxta ea quæ dicentur dubit. 258. 263. 264. & 267. & quidem hic locus Thologicus multùm valere deberet ad conuersionem infidelium, saltem ex suppositione quod de ipso constiterit; nam meritò approbari, & verum censeri debet quod multitudini Sanctorum & prudentium virorum toto orbe diffusæ placuerit, iuxta illud Aristotelis 1. *top. Verum est quod plurimi dicunt*; quia vnanimis hic consensus est quasi manifestum diuinæ prouidentiæ argumentum: nam aliter Deus non sufficienter prouidisset Ecclesiæ suæ, si omnes prorsus fideles in fide errare, & perire permitteret; sed id esset quàm maximè contra prouidentiam ipsius.

Obiicies contra sextum. Assistentia Spiritus Sancti est promissa soli Petro, & eius successoribus, vt patet ex authoritatibus ibi adductis: ergo ad hoc vt Summus Pontifex definiat, seu explicet aliquid de fide, non requiritur Concilium Generale. 14

Respondetur vt infrà dubit. 247.



DVBITATIO CCXXXIX.

An, & quid dicendum sit de loco Theologico ex traditionibus.

SVMMARIVM.

1 *Locus Theologicus ex traditionibus, seu dogmatibus quæ non habentur ex Scriptura, fluxerunt tamen à Christo, vel eius Apostolis, est de fide.*

2 *Firmitas traditionum probatur ex Scriptura.*

3 *Verisimile est, Petrum per 30. annos multa alia scripsisse quàm quæ in suis Epistolis.*

4 *Nec Christus dixit Apostolis*, Ite, scribite; *sed* Ite, prædicate.

5 *Quod confirmatur ex Sanctis Patribus.*

6 *Traditio dicitur, etiamsi quid inueniatur in Scriptura, dummodo non fuerit scriptum ab authore, vel Propheta eiusdem temporis, sed ab aliquo posteriori, vt exemplis patet.*

7 *Traditionis speculatiua & practica differentia assignatur.*

8 *Item perpetua, & temporalis.*

RESPONDETVR. Locus Thologicus ex traditionibus, seu dogmatibus, quæ non habentur ex Scriptura, fluxerut tamen à Christo, vel eius Apostolis, est de fide, sicut & proximi duo loci Theologici præcedentes. Probatur, quia si quid constet esse à Christo, vel eius Apostolis, quamuis scriptum non sit, semper esse debet eiusdem firmitatis, ac si scriptum fuisset; quia scriptum materialiter, & impertinenter se habet, cùm sit idem Spiritus qui loquitur, & sit eadem authoritas Christi, siue in Scriptura, siue extra Scripturam, eademque authoritas Apostolorum, siue prædicantium, siue scribentium. 1

Confirmatur, quia talis firmitatis esse traditiones, satis clarè habetur ex ipsamet Scriptura, 2. ad Thessalonicens. 1. *State, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem* (nota ly *per sermonem*) siue *per epistolam*: 2. ad Timoth. 2. *Quæ audisti à me* (nota ly *audistis*) *per multos testes, hæc commenda fidelibus*: 1. ad Corinth. 11. vbi Paulus testatur se noluisse omnia scribere: *cætera cùm venero, disponam.* Et Ioan. 2. epist. vbi similiter idem testatur: *Plura habens vobis scribere, nolui per chartam, & atramentum; spero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui.* 2

Confirmatur secundò, quia non est verisimile Petrum per triginta annos nihil ampliùs docuisse, quàm quod tribus suis epistolis scripsit. 3

Confirmatur tertiò, quia Christus mittens Apostolos, Marci vltimo, non dixit: *Ite, scribite*; sed *Ite, prædicate Euangelium.* 4

Confirmatur quartò ex Sanctis Patribus, Augustino 2. de Baptismo, cap. 7. *Multa non inueniuntur in literis Apostolorum; & tamen quia custodiuntur per vniuersam Ecclesiam, non nisi ab Apostolis tradita creduntur*: & lib. 4. cap. 24. *Quod vniuersa tenet Eccle-* 5

sia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum fuit, non nisi authoritate Apostolica traditum censetur. Item Irenæo lib. 3. cap. 4. *Si Apostoli nullas Scripturas nobis reliquissent, adhuc tamen oportebat sequi ordinem traditionis Ecclesiæ.* Item Chrysostomo homil. 4. in 2. ad Thessalonic. *Apostoli multa per epistolas tradiderunt, sed multa etiam absque litteris; itaque traditionem Ecclesiæ fide dignam putemus: traditio est, nihil quæras amplius.* Item tandem Basilio libr. de Spiritu Sancto, cap. 27. *Dogmata fidei alia habemus scripto prodita, alia ex Apostolorum traditione.*

6 Nota hîc, quod traditio vocetur, etiamsi quid inueniatur in Scriptura sacra, dummodo non fuerit scripta ab authore, vel Propheta eiusdem temporis, sed ab aliquo alio posteriori, v. g. quod habet Apostolus ad Heb. 9. de lana coccinea, & de hyssopo in veteri lege ad aspergendum populum, spectat ad traditionem, quia licèt id legatur in Scriptura sacra, non tamen legitur in veteri, sed solùm in nouo Testamento apud ipsum Apostolum, qui fuit Moyse longè posterior. Ad traditionem etiam spectat quod Actor. 20. refertur, Christum dixisse, *Beatius est dare quàm accipere*; quia hoc reperiri non potest apud Euangelistas, nec Apostolus audiuit ea ore ipsius Christi, qui iam in cœlum ascenderat, consequenter id habuit per traditionem: Quin & ad traditionem etiam spectare potest Historia creationis mundi, quia licèt Moyses eam accuratè scripserit, non tamen ei interfuit, & consequenter partim habuit per traditionem, partim per reuelationem. Traditio igitur est etiam illud quod habetur in Scriptura Sacra, si fuerit scriptum ab eo qui non interfuit præsens, nec sensibus propriis excepit.

7 Nota secundò, quod traditio alia sit speculatiua, vt quod modò dicebam de hyssopo, & lana coccinea, quia id hodie non reducitur ad praxim: talis etiam est, quod Christus in nocte Cœnæ instituerit Sacramentum Confirmationis, & Extremæ Vnctionis, & ritum consecrandi Chrisma: quia hæc omnia non habentur in Scriptura, sed solùm ex traditione: & licèt Sacramenta sint practica, tamen institutio formaliter vt institutio, non est quid practicum respectu nostri, nec proponitur nobis, vt exemplo Christi instituamus, sed solùm vt institutis Sacramentis, & ceremoniis à Christo Domino, ad vtilitatem, & salutem nostram vtamur. Huc etiam reuocant aliqui Symbolum Apostolorum, & perpetuam Mariæ matris virginitatem, & quod personæ diuinæ non distinguantur, nisi per perfectiones relatiuas; quia hæc omnia potiùs spectant ad cognitionem formaliter, quàm ad operationem, nobisque proponuntur vt sciamus, non vt illa faciamus. Alia verò traditio est practica, quæ primò per se fertur ad agendum, vt v. g. baptismus paruulorum, admixtio aquæ in calice ad consecrandum, solemnitas diei Dominicæ, adoratio Crucis, cultus imaginum, vsus templorum, consecratio altaris, tonsura Clerici, ornamenta, & vestes Sacerdotis, & similia: quamuis enim nonnulla ex his inueniantur in antiqua lege, tamen respectu præsentis temporis sunt solùm traditio, quia non existunt in nouo Testamento, antiquum verò Testamentum hodie non obligat, & sic habet ac si nunquam fuisset, nempe quoad ista, & alia ceremonialia.

Nota tertiò, quod vna, & eadem traditio diuerso respectu possit simul dici speculatiua, & practica, quatenus scilicet in ea est aliquid ad theoriam, & aliquid ad praxim, v. g. quod Christus instituerit Sacramentum Confirmationis in nocte Cœnæ, est quid theoreticum ratione institutionis, & ratione potestatis excellentiæ instituendi; quia nobis non proponitur, vt ad exemplum Christi instituamus, sed tantùm vt Christum per suam potestatem excellentiæ instituisse sciamus. Similiter quod id egerit Christus in nocte Cœnæ, & post Cœnam legalem, ac Eucharistiam, est etiam quid theoreticum, quia non traditur nobis, vt eodem modo faciamus, & Sacramentum Confirmationis accipiamus noctis tempore, & post esum Agni Paschalis, vel post Eucharistiam, sed solum vt historicè sciamus quando Christus id fecerit. Econtra verò eadem institutio Sacramenti Confirmationis est quid practicum ratione vsus, sicut omnia Sacramenta sunt practica, vtpote à Christo instituta vt illis vtamur.

Nota quartò, quod traditio Apostolica alia sit perpetua, alia sit temporanea, seu ad aliquod tempus: 8
Prioris generis sunt quæ iam suprà dictæ sunt, posterioris verò generis sunt abstinentia à suffocato, & sanguine, Actor. 15. hæc enim amplius non obligat, & solùm in principio fuit necessaria ad hoc vt Iudæi faciliùs Euangelium acceptarent, in opinione S. Thomæ, & aliorum collatio Baptismi in nomine Christi, ad hoc quod tale nomen desineret esse exosum, quod omnes communicarent sacramentaliter in qualibet Missa, vel saltem in diebus Dominis, quod offerrent omnia ad pedes Apostolorum, ac tandem quod omnes communicarent sub vtraque specie.



DVBITATIO CCXL.

An, & quid dicendum de loco Theologico ex Scriptura Sacra, & quid sit Scriptura Sacra?

SVMMARIVM.

1 *Locus Theologicus ex Scriptura Sacra est de fide, sicut est locus ex Conciliis, & traditionibus.*
2 *Scriptura Sacra est doctrina cœlestis, quam diuinitus inspirati litteris consignarunt.*
3 *Quid veniat nomine inspirationis?*
4 *Concilia œcumenica licèt habeant Deum assistentem, non tamen dicuntur Scriptura Sacra, & quæ sit differentia?*
5 *Scriptores Canonici aguntur potius, quàm agant, & sunt pura organa Spiritus Sancti, quod comparatiuè & analogicè interpretandum, num. 6.*

RESPONDETVR, locum hunc Theologicum ex Scriptura Sacra esse de fide, sicut est locus Theologicus ex Conciliis generalibus, & traditionibus Apostolicis. 1
Probatur, quia Scripturam Sacram vocamus doctrinam cœlestem, quam Scriptores sacri specialissimè, & extraordinariè, inspirante, ac suggerente in omnibus Spiritu Sancto, litteris consignarunt. 2

Dixi *specialiter, & extraordinariè, &c.* quia per inspirationem hîc non debet intelligi quicunque supernaturalis instinctus, aut impulsus Spiritus Sancti; 3
nam & Concilia œcumenica habent Deum sibi peculiariter assistentem, & ab eo in definiendis rebus fidei certissimè diriguntur, ita vt errare non possint; & 4
tamen eorum decreta non vocantur Scriptura Sacra: ergo intelligi debet specialissimus, & extraordinarius quidam inspirationis modus, quo Scriptores Canonici agantur potiùs, quàm agant seipsos, & sint prorsus infallibiles sine exceptione in omnibus quæcunque scribunt, etiam vsque ad syllabas, & minutias, 5
idque etiamsi fortè non vtantur discursu, nec percipiant quæ litteris mandant; cùm è contra in Conciliis œcumenicis necessaria sit diligens discussio; nec omnia in his sint extra erroris periculum, sed solùm ea quæ ex professo data opera directè circa fidem, vel mores vniuersales decernuntur. Quapropter scriptor

scriptor Canonicus, vt dicebam, mouetur potiùs, quàm se moueat, & est purum organum Spiritus sancti, & quasi calamus illius: Psal. 44. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Psal. 141. *Velociter currit sermo eius.* Et Baruch scriba Ieremiæ interrogatus à Principibus, quomodo Ieremias ipsi dictasset librum, respondit: *Loquebatur ore suo quasi legeret omnes sermones.* Ierem. 36. idest loquebatur expeditè, sine hæsitatione, & labore. Huc spectat quod Ezechiel. 1. *totum corpus in circuitu rotarum dicitur plenum fuisse oculis.* Et Apocal. 4. *Animalia etiam erant plena oculis ante & retro,* vbi per animalia intelliguntur Euangelistæ qui dicuntur pleni oculis, tum ob alias causas, tum quia omnia & singula in eorum libris sunt exactissima, etiam vsque ad syllabas, & quoscunque apices, & quia dirigebantur à Spiritu sancto, qui omnia & singula supercomprehendit, 2. Petr. 1. *Non voluntate humana allata est prophetia, sed Spiritu sancto inspirante, loquuti sunt sancti Dei homines.* 2. ad Timoth. 2. *Omnis doctrina diuinitus inspirata.* Et ad Galat. 1. ait idem Apostolus, *Euangelium suum non esse secundum hominem, & se non didicisse illud ab homine, sed per reuelationem à Deo.*

6 Nota verò, quod cùm dixi scriptorem Canonicum, vel prophetam agi, vel moueri, non sit intelligendum quasi passiuè solùm se habeat, & sit organum inanimatum, nihilque conferat ad scriptionem; sed sit intelligendum comparatiuè, & analogicè, sicut ferè de organo animato loqui solemus; & ideò non dixi prophetam solùm moueri, vel solùm agi, sed comparatiuè moueri potiùs, quàm se moueat, quod non impedit quin simul actiuè cooperetur suo modo, & aduertat se scribere, & velit scribere. Cæterùm voluntas illa præcipuè est à Spiritu sancto, qui mouet efficaciter ad scribendum, ita vt homo hîc & nunc infallibiliter scribat sine vllo errore in scribendo, licèt ipse aliquando ea quæ scribit non percipiat, seu sensum eorum non assequatur. Agendo igitur præcisè formaliter de exactissima hac scriptione, Canonicus scriptor, vel propheta est quasi purum instrumentum Dei, quia licèt concurrat ad substantiam actionis, & velit scribere, & habeat potentiam physicam ad scribendum; non tamen habet ad scribendum infallibiliter sine vllo errore, præsertim de rebus supernaturalibus, & obscuris fidei, vel etiam futuris.

Obiicies, vult se scribere, & intelligit se scribere, & mouet se, & concurrit ad substantiam actus scribendi: ergo non est purum instrumentum, sed causa secunda.

Respondetur, distinguo antecedens: remota eleuatione, nego; posita eleuatione, concedo. Vnde nego consequentiam; quia non sufficit ad rationem causæ secundæ, nisi & concurrat etiam ad illum perfectissimum modum scribendi, qui est infallibilis veritas in omnibus & singulis quæcunque scribuntur, etiam supernaturalibus, arduis, obscuris, ignotis, & futuris, & vsque ad quascunque minutias, ad quod non sufficit potentia naturalis creaturæ, sed requiritur quod à Deo eleuetur per potentiam obedientialem, vt cùm intellectus eleuatur ad credendum, vel videndum Deum, & voluntas ad amandum eundem super omnia, vti dicebam *in sum. Theologica, disp. 3. q. 7.* & sequentibus.



DVBITATIO CCXLI.

An, & in quibus libris contineatur sacra Scriptura, & quod discrimen sit inter illos.

SVMMARIVM.

1 *Scriptura sacra continetur in omnibus & solis libris communis editionis Latinæ, & quibus exceptis.*

2 *Approbandi solùm duo primi libri Esdræ, & Machabæorum.*

3 *Concilium Carthaginense cùm latinè scriptum fuerit, & in Græcam linguam à schismaticis purgatorium negantibus translatum, non in eo fit mentio librorum Machabæorum.*

4 *Ad Ecclesiam spectat libros Canonicos ab aliis discernere, cùm saltem respectu nostri sit regula Scriptura sacra.*

5 *Librorum Canonicorum & Hagiographorum, & Apocryphorum differentia.*

6 *Temeritas Hæreticorum in reiiciendis libris Hester, Ecclesiastici, & Cantici Canticorum.*

7 *Soluitur dubium de libro tertio Machabæorum in Apostolicis decretis, can. 94. memorato.*



ESPONDETVR, & dico primò: Scriptura sacra continetur his omnibus & solis libris, qui sunt in communi editione Latina, dempto *lib. 3. & 4.* Esdræ, & *lib. 3.* Machabæorum, qui in quibusdam codicibus reperitur. 1

Probatur ex Concilio Trident. *sess.* 4. & Carthaginensi III. cui interfuit Augustinus, *cap.* 47. vbi prædicti omnes libri Latinæ editionis sigillatim enumerari videntur, hac tamen lege, vt approbentur solùm duo primi libri Esdræ, & duo etiam Machabæorum. 2

Obiicies, non fit mentio Machabæorum in aditione Græca Concilij Carthaginensis: ergo.

Respondetur, id mirum non esse, quia Carthaginense Concilium scriptum fuit non Græcè, sed Latinè, & postea translatum in linguam Græcam à Balsamone, & Zonara schismaticis, qui cùm negarent purgatorium, expunxerunt ex illo numero libros Machabæorum; nobis verò sufficit Latina editio, quam esse germanam, & originariam omnes rectè nouerunt. 3

Secundò probatur idem numerus sacrorum librorum ex SS. Patribus, Gelasio 1. can. Sancta Romana, *dist.* 15. *in fin.* Innocentio I. *epist.* 3. Augustino *lib. 2. de doctr. Christ. cap.* 8. Isidoro *in lib. proœmiorum Scriptura, & lib. 6. etymolog. cap.* 1. Athanasio in Synopsi, nisi quod iste Pater omittit libros Machabæorum, de quibus scilicet à quibusdam in principio fuit dubitatum, antequam Ecclesia litem diremisset, ad quam spectat Canonicos libros ab aliis discernere, vt infrà *dubit.* 261. dicam: vnde & Augustinus contra epistolam fundamenti, *cap.* 5. ait: *Euangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesiæ commoueret authoritas:* & meritò, quia licèt Ecclesia non sit regula Scripturæ in se essentialiter spectatæ, est tamen respectu nostri, seu in ordine ad nos, vt dictum in tractatu de fide, vbi impugnatur quod hæretici dicunt, Canonicam scripturam scilicet esse per se cognitu facillimam, & ita distingui ab apocrypha, sicut lumen à tenebris. 4

Dico secundò: discrimen est inter libros scripturæ sacræ, vtpote quosdam Canonicos, & quosdam hagiographos: quod discrimen, licèt aliqui, quibus

fauet Bellarminus *lib. 1. de verbo Dei, cap.* 10. explicent, Canonicos dictos fuisse, qui intra arcam, hagiographos verò qui extra arcam, vel ad latus arcæ seruarentur; & alij addant apocryphos dictos fuisse illos hagiographos, quasi ἀπὸ τῆς ἀρχῆς, id est extra arcam, vel ab arca sepositos & secundos, ita vt κρύπτη, id est crypta, arcam significet: melius tamen explicatur si dicatur, hagiographos dici omnes libros versibus conscriptos, quales sunt Psalmi Dauidis; vel dici hagiographos omnes, qui distinguuntur à Pentateucho Moysis, & à Prophetis, vt sentiunt alij, inter quos Elias in suo Tisbi, à quo Græci & Latini sumpserunt.

Probatur, quia non est probabile omnes Canonicos libros fuisse in arca repositos, cum in lib. 3. Regum, cap. 8. & 2. Paralip. cap. 5. & ad Hebr. 9. vbi de arca, & de his quæ in arca erant, agitur, nulla de Sacris litteris mentio fiat.

Confirmatur, quia prior sententia libris hagiographis extra arcam positis, & apocryphis multùm fauere videtur nouatoribus, qui volunt hagiographos omnes fuisse apocryphos, nulliusque inter Iudæos authoritatis, nisi intra arcam includerentur; quod tamen falsum est, vt patet ex definitione Ecclesiæ, quæ multos ex eis apocryphis, seu hagiographis docet esse Canonicos, quamuis olim in arca non existerent, vt libri Tobiæ, & Iudith, & etiam duo primi libri Machabæorum; nam tertius, qui in quibusdam bibliis inuenitur, vt spurius ab Ecclesia non recipitur, idemque dico de quarto, cuius meminit Sixtus Senensis, Vide quæ dicentur infra, citata dubit. 261.

6 Nota quod Lutherus temerè rejicit librum Hester, & Ecclesiastici, quos Hieronymus prologo in libros Regum vocat hagiographos, & Ecclesia hodie recipit, & Iudæi olim receperunt.

Nota secundò, quod temerè etiam rejicit Sebastianus Castalio Canticum Canticorum, quod & Hieronymus in eodem loco inter hagiographos enumerat.

Objicies, in Apostolicis decretis, can. 64. commemoratur liber 3. Machabæorum, & vocatur Canonicus: ergo.

7 Respondetur cum Baronio tom. 2. anno 102. hunc canonem esse suppositum. Vel respondetur cum aliis, duos primos libros Machabæorum fuisse priùs diuisos in tres, ita vt de his tribus intelligatur prædictus Canon, non autem de isto alio tertio, qui iam est rejectus, & qui incipit: *At Philopater.*



DVBITATIO CCXLII.

An, & quid dicendum sit de Scripturæ Sacræ veteri editione Latina: vbi etiam de aliis eius editionibus, & de Origenis tetraplis, hexaplis, & octoplis.

SVMMARIVM.

1 *Editio Latina vetus, communiter Vulgata dicta, omnibus aliis Latinis præferenda.*
2 *Andreas Vega vindicatur, & Concilij Trident. decretum explicatur.*
3 *Vulgata vetus editio Latina nihil aliis versionibus Græcæ, & Hebraïcæ officit.*
4 *Vulgata ista editio est tota S. Hieronymi.*
5 *Versionum antiquarum Hebraïcarum vna est Chaldaica, & alia Syriaca: illa dicitur Thargum, quid est interpretatio, & hæc est posterior antiquis Patribus.*
6 *Versiones Græcæ veteris Testamenti variæ enumerantur: vbi & de septuaginta Interpretibus disseritur.*
7 *Origenis interpretatio excutitur.*

Respondetur, veterem editionem Latinam, quam communiter Vulgatam appellamus, esse authenticam, & omnibus aliis Latinis præferendam. Probatur ex Concilio Trident. sess. 4. in decreto de editione, & vsu sacrorum librorum, vbi iubet, quod illa in publicis lectionibus, disputationibus, & prædicationibus adhibeatur, & nemo audeat quouis prætextu illam rejicere, quamuis Concilium non videatur simpliciter loqui, sed cum conditione, quod omnibus erroribus careat, vt notauit Setarius in prolegomenis biblicis, cap. 19. quæst. 11. & colligitur ex eodem Tridentini decreto, quatenus ibi Patres iubent, quod hæc Latina editio quamemendatissimè imprimatur, & declarauit Andreas Vega lib. 15. in Concilium Tridentinum, cap. 9. vbi affirmat se ab ipsius Concilij præside Cardinale Sanctæ Crucis sæpius id audiuisse, cùm & ipse Vega Concilio Tridentino interfuisset: vide etiam quæ dicam infrà, dubitat. 261. 1

Objicies, in notis & declarationibus DD. Cardinalium ad quartam illam sessionem Francofurti impressis, acriter Andreas Vega reprehenditur, quòd tam audacter id scripserit: ergo.

Respondetur cum Serario, Bibliopolas addidisse, siquidem constat fuisse illos hæreticos, & ipse testatur se in manuscriptis Cardinalium notis nihil tale inuenisse. Adde talem Vegæ reprehensionem hodie in Cardinalium notis vulgò excusis non extare. 2

Nota, dictum decretum Tridentini Concilij intelligi debere in sensu, quod vulgata editio Latina præferatur cæteris omnibus aliis editionibus Latinis, quia sic ibi dicitur: *Non parum vtilitatis accessurum Ecclesiæ, si ex omnibus aliis editionibus Latinis quæ circumferuntur, quænam pro authentica habenda sit, innotescat.* Loquitur igitur Concilium de editionibus Latinis, moxque subdit authenticam, esse veterem & Vulgatam illam, quam modò dixi: tum quia Concilium ibi nullam mentionem facit de editionibus Græcis, aut Hebraïcis. Non igitur Concilium Latinam iis anteponit, quidquid in contrarium dicat Gregorius à Valentia in sua Analysi, lib. 8. cap. 5. etsi probabiliter adæquet, quia ait Latinam istam esse authenticam, & in publicis actionibus retinendam: hinc enim sequitur, quod sit eiusdem momenti ac est Græca, vel Hebraïca, ita vt aliæ editiones alias non impediant, sed potius omnes sint vtiles adinuicem ad explicandas aliquando ambiguas voces, vel ad maiorem sententiæ confirmationem, vel ad vim dictionum meliùs percipiendam, vel tandem ad inuicem errores librariorum Latinæ, Græcæ, & Hebraïcæ linguæ corrigendos. 3

Nota secundò, Vulgatam istam Latinam editionem esse totam Hieronymi, demptis paucis versiculis, vel versuum particulis; quin videri simpliciter totam illius, si menda & errores librariorum tollantur, vt rectè diait Serarius loc. supr. cit. cap. 19. quæst. 4. quia Hieronymus etiamsi non omnes Scripturæ Sacræ libros ex Hebræo, vel Græco transtulerit, tamen transtulit quamplurimos, ac præterea recognouit Latinas omnes aliorum librorum versiones, quæ in Vulgata nostra editione reperiuntur, vt patet ex eius libro de Ecclesiasticis Scriptoribus, in fine, & ex eiusdem præfatione in Euangelistas, ad Damasum, 4

post

post illum verò nemo alius id præstitit, vt rectè adnotauit loc. cit. Serarius : ergo partim ratione translationis, & partim ratione recognitionis & emendationis, meritò dici potest quod hæc vulgata editio sit tota Hieronymi.

Nota tertiò, circa versiones antiquas Hebraicas, vnam fuisse Chaldaicam, aliam Syriacam : Chaldaïca alio nomine dicitur Thargum, id est, paraphrasis, seu interpretatio : & Thargum aliud est Babylonicum, aliud Hierosolymitanum, quod & Samaritanum, de quibus Galatinus *lib.* 1. *Arcanor. cap.* 3. & Bellarminus *lib.* 2. *de Verbo Dei.* Syriacæ versionis author ignoratur, etsi nonnulli velint Nouum Testamentum fuisse Syriacè translatum à S. Marco, quod rectè non probatur Serario *cap.* 14. quia si id esset, diceretur à SS. Patribus, quod vtique non dicitur, quapropter videtur translatio hæc omnibus antiquis Patribus esse posterior.

6 Nota quartò, circa versiones Græcas, has multas fuisse veteris Testamenti : Primam ante Alexandrum Magnum, vt monuit Clemens Alexandrinus *lib.* 5. *Stromatum*, & Eusebius *lib.* 4. *præpar. cap.* 3. quia multi Philosophi antiqui nonnulla à Iudæis acceperunt, vnde Cyrillus lib. 1. contra Iulianum, vocat eos fures. Iosephus *lib.* 1. contra Appionem ait, Platonem in libris de legibus, de Moyse fecisse mentionem, & alij referunt Aristotelem dixisse, loquendo de Iudæis & Moyse : *Multa dicunt, sed nihil probant.* Igitur tempore Platonis, & Aristotelis ante Alexandrum Magnum erat iam saltem aliquorum veteris Testamenti librorum aliqua versio Græca. Post autem Alexandrum istæ aliæ numerantur, scilicet Lagiana tempore Ptolemæi Lagi, quæ est secunda. Tertia Septuaginta Interpretum sub Ptolemæo Philadelpho Lagi filio, vt communiter omnes, præter Irenæum, & Anatolium docent. Vide Epiphanium lib. de ponderibus, Eusebium *lib.* 8. *præparat. cap.* 2. & Augustin. *lib.* 8. *de ciuit. cap.* 11. Petiit autem Philadelphus hos septuaginta duos Bibliorum Interpretes, scilicet sex ex vnaquaque Tribu, non ab Herode, vt malè sentiunt aliqui, sed ab Eleazaro summo Sacerdote, & tota Ecclesia Iudæorum trecentis ante Christum annis, vt habet præfatio Romana ad editionem septuaginta Interpretum, Genebrardus *lib.* 2. Chronologiæ, & Baronius *tom.* 2. anno Christi 331. Communior etiam sententia est, istos Interpretes, etsi neget Hieronymus, in variis cellulis positos fuisse, & per septuaginta dies opus absoluisse. Quarta Herodiana, quia fuit tempore Herodis sub vltimo Rege Ptolemæo. Quinta Aquilæ, qui videtur esse idem ac Rabbi Onkelos, vt probat Serarius *cap.* 14. *quæst.* 4. fuitque primus ex Gentili Christianus, & mox ex Christiano apostata Iudæus, vertitque vetus Testamentum tempore Adriani Imperatoris, vt scribit Epiphanius loc. suprà cit. Sexta Symmachi, qui cùm esset hæreticus Ebionita, vel vt alij volunt, Samaritanus, & ambiret principatum, & non obtineret, defecit ad Iudæos. Vide Athanasium in synopsi, & Epiphanium vbi *suprà.* Vixit autem Symmachus tempore non Seueri, sed Lucij Veri Imperatoris, vt patet ex præfatione Latina Romana in L X X. Interpretes. Septima Theodotionis Ephesi, qui tempore Imperatoris Commodi ex hæretico Marcionita factus est Iudæus proselytus, vt notat Hieronymus præfat. in Danielem. Octaua Hierichuntina, vtpotè inuenta in vrbe Hiericho, vt refert Epiphanius loc. supr. cit. Nona Nicopolitana, vtpotè inuenta Nicopoli ad Actiacum litus tempore Alexandri Imperatoris Mammeæ filij. Decima Origenis, quæ est ipsamet editio L X X. Interpretum, sed ab Origene variis locis mutata, nunc correcta, nunc corrupta : mutationes autem suas notauit ipse Origenes quibusdam obeliscis, vt refert Epiphanius vbi suprà. Vndecima S. Luciani Martyris, quæ inuenta est tempore Constantini, vt ait Eusebius *lib.* 9. *hist. cap.* 6. Duodecima Hesychiana, vtpote per Hesychium presbyterum elaborata. Tertiadecima confecta à quibusdam ex Latina editione Hieronymi, translata ab eis in linguam Græcam, vt testatur ipsemet Hieronymus *lib.* 2. contra Ruffinum ; de quibus omnibus vide Serarium *cap.* 16. vbi etiam rectè subdit, Lagianam, & Herodianam confictas fuisse ab Hæreticis ; & sic non tredecim, sed vndecim remanere, quarum aliquæ, vt patet, sunt Origene posteriores ; & sic Origenes ex his quæ suo tempore extabant, selegit initio quatuor præcipuas, nempe L X X. Inter- 7
pretum, Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis, easque in vnum volumen redegit, quatuor distinctis columnis, itavt omnes vno aspectu possent videri, & versus versibus, & periodi periodis responderent, vt innuit Hieronymus *epist.* 89. & 104. & Epiphanius *lib. supr. cit.* Suntque hæc prima exemplaria dicta Tetrapla, ab illis quatuor columnis ; postea idem Origenes iis quatuor editionibus præposuit adhuc Hebraïcam è regione, idque duabus columnis, quarum prior continebat textum Hebraicum litteris Hebraicis scriptum, posterior eundem textum Hebraïcum Græcis litteris, vt legi posset ab iis qui linguam Hebraicam nesciebant, sicque ab his duabus aliis columnis dicta sunt Hexapla : Denique idem Origenes addidit postea alias duas editiones Græcas, postquam inuentæ fuerunt, nempe Hierichuntinam, & Nicopolitanam, itavt hoc modo essent octo columnæ sibi inuicem mutuò parallelæ, vnde & Octopla Origenis sunt vocata.

Nota quintò cum Epiphanio vbi suprà, Orige- 8
nem has octo columnas ita disposuisse, vt in prima esset textus Hebraicus litteris Hebraïcis, in secunda idem textus Hebraïcus litteris Græcis, in tertia editio Aquilæ, in quarta Symmachi, in quinta L X X. Interpretum, in sexta Theodotionis, in septima Hierichuntina, in octaua Nicopolitana, sicque statuisse editionem L X X. Interpretum, non suo loco ratione temporis, alioqui ante omnes Græca esse debuisset ; sed mediam inter omnes, tanquam aliis Græcis nobiliorem, & magis præcipuam, vt hinc & inde faciliùs cum aliis conferri posset.



DVBITATIO CCXLIII.

An Scriptura sacra sub iisdem verbis contineat plures sensus.

SVMMARIVM.

1 *Scriptura sacra sub iisdem verbis sensus varij, & quisnam sit litteralis, siue historicus.*
2 *Spiritualis quisnam sit, & quid liber Propheta scri-*ptus intus, & foris.
3 *An dici possit, quod Scriptura sacra sensus litteralis sit aliquando falsus, vide remissiuè.*
4 *Quisnam sit sensus spiritualis, allegoricus, moralis & anagogicus.*
5 *Sensus spiritales non solùm in veteri Testamento, sed & aliquando in nouo reperiuntur.*
6 *Sensus litteralis Scripturæ alius Grammaticus, alius Theologicus.*
7 *Sensus litteralis Theologicus in docendo, vel disputando præferendus est sensui spirituali.*

8 Litera

8 Litera occidit, *de quo sensu Scriptura intelligendum sit.*

1 RESPONDETVR affirmatiuè, & tenet S. Thomas *hic, art.* 10. quem sequuntur alij communiter.

Probatur, quia alius sensus est literalis, seu historicus, quem voces primò per se immediatè significant, alius spiritualis, qui latet in rebus, seu actionibus per easdem voces significatis: nam voluit Deus in Scripturis non solùm dictiones, sed etiam res dictionibus significatas vim significandi habere, 2 ac proinde sicut literalis est cum res vocibus, ita spiritalis est, cùm res rebus adumbrantur: ita Gregorius *lib.* 20. *moral. cap.* 1. *Scriptura dum narrat gestum, prodit mysterium.* Et hîc duplex sensus indicatus Ezechiel. 2. & Apocalyp. 5. vbi dicitur, *liber scriptus intus & foris: foris* per sensum literalem, *intus* per sensum spiritalem, vt adnotauit Hieronymus *in cit. cap.* Ezechielis, & Gregor. *hom.* 9. in eundum locum Ezechielis.

3 An autem dici possit, quod sensus literalis Scripturæ sacræ sit aliquando falsus, & quod in Scriptura sacra mendacia officiosa aliquando admittantur, dicam infrà dubit. 165. in fine.

4 Rursus sensus spiritualis adhuc est triplex, allegoricus, moralis, anagogicus, ex Prouerb. 22. *Descripsi ea tripliciter.*

Allegoricus est, quando Scriptura sacra per res gestas in veteri Testamento significat quæ in nouo agenda erant, vt cùm Isaac tulit propriis humeris lignum vsque ad locum sacrificij, *Gen.* 22. ad significandum mysterium passionis Christi Domini: Item cùm manna significauit Sacramentum Eucharistiæ, *Ioan.* 6. Item cùm Abraham dicitur habuisse duos filios, vnum de ancilla, alterum de libera, ad denotandum vtrumque testamentum, vetus, & nouum: sic testatur Apostolus ad Gal. 4. *hæc fuisse per allegoriam dicta.*

Moralis sensus est, cùm res vocibus significatæ spectant ad mores informandos, vt Deuter. 25. *Non alligabis os bouis terenti*, ac si diceretur, dignus est operarius mercede sua. Sic exponit idem Apostolus 1. *ad Cor.* 9. Item cùm iussum fuit leprosis vt ostenderent se sacerdotibus, Leuit. 13. ad significandum sacerdotum esse de peccatis iudicare, quin & in nouo Testamento absoluere, seu lepram spiritualem curare.

Anagogicus est, cùm per ceremonias, vel mysteria Ecclesiæ militantis denotantur gaudia Ecclesiæ triumphantis, sic vetus Hierusalem vmbra fuit beatitudinis cœlestis. Apoc. 21. *Vidi ciuitatem sanctam nouam descendentem de cælo*, &c. Sic etiam Hierarchia Ecclesiæ viatorum denotat Hierarchiam Beatorum.

5 Nota, sensus spirituales inueniri non solùm in veteri Testamento, sed aliquando etiam in nouo, saltem sensum moralem, & anagogicum: nam v. g. Matrimonium nouæ legis significat spiritualiter vnionem Christi cum Ecclesia, ad Ephes. 8. Et generaliter omnia Sacramenta nouæ legis, quamvis sint corporea, & visibilia, significant tamen gratiam inuisibilem, & Hierarchia Ecclesiastica significat Hierarchiam Angelorum; & cùm Apostoli ceperunt magnam piscium multitudinem, *Luc.* 5. significata fuit prædicatio illorum, quia futuri erant hominum piscatores: Et transfiguratio Christi significauit futuram in cœlo gloriam beatorum, ac resurrectionem corporum, & cùm illuminauit cæcos, denotauit effectum Euangelicæ prædicationis, quia omnis Christi actio fuit nostra instructio. Vnde refelluntur qui tenent in nouo Testamento non esse vllum sensum spiritalem, sed tantùm litteralem. Vide Eusebium *lib.* 6. *cap.* 15. & S. Thom. *quodlib.* 7. *art.* 17. vbi docet, Deum potuisse hoc modo statuere, quod non solùm Scripturæ Sacræ verba, sed etiam res ipsæ, & actiones verbis significatæ aliquid aliud futurum indicarent; quia ipse est supremus Dominus ac legislator, qui iubere potest quidquid voluerit: tum quia omnia futura sunt ipsi præsentia, & certa, & sic potuit per res præsentes significare alias futuras, & res priores ordinare ad posteriores.

Nota secundò, cùm dixi sensum litteralem esse qui proximè immediatè per verba exhibetur, intelligi dummodo verba sint simplicia, non figurata, nec metaphorica; quia si talia sunt, non est tunc sensus litteralis propriè, quem verba proximè immediatè præ se ferunt, vt cùm Christus dicitur leo, agnus, petra; sed potius litteralis est qui consistit in similitudine ex qua sumpta fuit translatio, vt cum dicitur quis arare litus, perdere oleum, & non intelligimus id quod per tales voces exprimitur; sed quædam similitudo, quæ ostendat laborem susceptum inutilem esse, non minùs ac si quis araret, &c. Vide Augustinum 3. *de Doctr. Christ. cap.* 10. vbi loquens de his translationibus, regulam affert ad Scripturæ metaphoras dignoscendas, quod scilicet quicquid nec ad morum honestatem, nec ad fidei veritatem reduci potest, debeat per metaphoram explicari. Et *cap.* 6. ait: Si loquutio Scripturæ, vel flagitium vetet, vel vtilitatem, aut beneficentiam iubeat, debere tunc propriè sumi; sin verò flagitium iubeat, vel vtilitatem, aut beneficentiam vetet, debere è conuerso tum metaphoricè explicari. Ad easdem metaphoricas locutiones referunt nonnulli locum Deuteronomij 22. *Si transieris per viam, & nidum auium inueneris, matremque iis incubantem, solos pullos accipies, matrem autem abire patieris*; quia scilicet litteralis sensus hîc etiam est dimittendus, & ad spiritalem confugiendum; nam *littera* tunc *occidit*, 2. ad Corinth. 3. *Spiritus verò viuificat.* Vide Rupertum *lib.* 1. in Deut. *cap.* 15.

Obiicies cum Lyrano 3. *proleg. Bibliorum*, si sic restringatur sensus litteralis, fit quod Scriptura aliquando nullum habeat sensum litteralem, quia aliquando tota est in metaphora, vt patet ex integro ferè Cantico Canticorum, in quo est perpetua quasi translatio: ergo.

Respondetur, nego sequelam antecedentis, quia etiamsi figuratæ & metaphoricæ locutiones ad sensum litteralem non pertineant propriè, pertinent tamen reductiuè: tum quia sensus litteralis Scripturæ est duplex, vnus Grammaticus, alter Theo- 6 logicus: Prior est ipsa superficies, seu cortex litteræ, prout voces apud Grammaticos sonant. Posterior est ille sub quem iisdem vocibus primariò præcipuè intendit Spiritus Sanctus; & sic Scriptura semper habet sensum litteralem, non solùm cùm vtitur verbis propriis, sed etiam cùm vtitur translatis & metaphoricis. Vide S. Thomam *hic, artic.* 10.

Nota tertiò, Scripturam aliquando adhibere istas metaphoras ad solatium lectorum, cùm similitudines delectare soleant: tum, vt inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciantur: tum ad maiorem Dei gloriam, & reuerentiam ipsorum mysteriorum, quæ quidem sæpè, præsertim ab infidelibus, contemnerentur, si textus nihil obscuritatis haberet, iuxta illud Matthæi: *Nolite dare sanctum canibus, nec proiicere margaritas ante porcos*, tum denique ad exercitium, & studium Theologorum, & ad maiorem humilitatem ipsorum, iuxta illud Psalmi 118. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.* Et quidem Scriptura Sacra ipso textu retinet simplices, sic

&

& mysteriis exercet doctos; nec Evangelium est in verbis, sed in sensu; nec in superficie, sed in medulla; nec in verborum foliis, sed in radice rationis. Vide S.Thom. *hi. art.9.*

Nota quartò, scripturam sacram sub iisdem verbis aliquando plures habere sensus literales, eosque omnes Theologicos, vt docet S. Thom. *hic, art.* 10. & *quodlib.* 7.*q.*18. & videri potest Augustinus *lib.*12. *Confess. cap.*18.& 31. & 1.*de Trinit. cap. vlt.* Exemplum sit ex verbis Caïphæ, *Expedit vt vnus moriatur pro populo*: vbi vnus sensus literalis est ad mentem Caïphæ in odium Christi, alter litteralis ex inspiratione,& intentione Dei, quod moreretur Christus ad salutem nostram. Et si forsan tale exemplum non sit satis aptum, quia prior sensus fuit ex odio Caïphæ in Christum; at sensus literalis Theologus esse debet ex intentione Spiritus sancti; quapropter melius secundum exemplum sit ex Genes. 1. *In principio Deus creavit Cœlum & Terram*; vbi ex Augustino *cap.*3. triplex sensus literalis est. Primus, vt per principium intelligatur Verbum divinum, quia omnia in ipso, & per ipsum facta sunt. Secundus, vt intelligatur principium temporis; & sensus sit, quod mundus non fuerit ab æterno. Tertius, vt scriptura ostendat cœlum conditum esse ante omnes alias creaturas, nihilque esse creatū ante ipsum. Tertiò ex Genesis 6. *erunt dies hominis anni centum viginti*: vbi vnus sensus literalis est, quod totum genus humanum perdendum sit diluvio post annos 120. Alter quod nemo deinceps sit victurus plusquam 120 annos, nempe moraliter, seu vtplurimùm. Quartò ex Isaia 53. *Generationem eius quis enarrabit?* vbi locus ad litteram intelligitur, & de generatione Verbi æterna ad intra, & de temporali per incarnationem ad extra. Quintò, ex Osea 11. *ex Ægypto vocaui filium meum*: vbi locus ad litteram exponitur de populo Israël, quem Deus per Moysen eduxit de medio Ægyptiorum: & de Christo, qui mortuo Herode ex Ægypto reductus est, iuxta Matth. cap. 2. Sextò ex Sapient. 18. *Cum medium silentium tenerent omnia, & nox medium iter haberet, omnipotens sermo tuus à regalibus sedibus venit*: vbi vnus sensus literalis est de Angelo, qui media nocte percussit Ægyptum; alter de natiuitate Christi media nocte, iuxta Ecclesiam in officio Dominicæ infra octauam Natiuitatis. Septimò, ex Psal. 2. *Ego hodie genui te*, qui locus ad litteram intelligitur & de æterna generatione Verbi, & de eius incarnatione, & præterea de Christi resurrectione.

Nec in his, & similibus exemplis mirari debemus diuersas expositiones literales, quia literalis sensus est, quem Deus per scripturam directè intendit: At Deus vt omnia vno intuitu intuetur, ita plura simul vno verbo indicare potest: ergo.

Confirmatur, quia etiam apud ipsos Grammaticos vna & eadem vox plura significat, vt tabula, ius, &c. ergo multò magis apud Deum.

Obiicies, in exemplis adductis, & aliis similibus, reuera non sunt plures sensus literales: ergo.

Respondetur, si non fiat quæstio de voce, quidnam scilicet intelligatur per sensum litteralem, nego antecedens; quia nos per sensum spiritualem intelligimus, qui fuerit iuxta mentem Spiritus sancti, & ab Ecclesia, vel SS. Patribus receptus, vt est in casu nostro, cùm quilibet scripturæ locorum, quos supra addoxi, plura significet secundùm intentionem Dei, & nulla sit dictarum interpretationum, quæ ab Ecclesia, vel à SS. Patribus non recipiatur.

Nota quintò, sensum litteralem Theologum in
7 dicendo vel disputando præferendum esse sensui spirituali, vt rectè tradit S. Thom. *hic, q.*1. *art.*10. *ad*1. vbi citat Augustinum *epist.* 48. & fauet etiam Hieronym. *in cap.*13. *Matth.* Et probatur: Sensus literalis est fundamentum aliorum, & prior est verborum quàm rerum significatio; siquidem verba in ratione significandi obtinent primum locum, ait Augustinus 2. *de doct. Christ. cap.* 3. Confirmatur, quia Dionysius *epist. ad Polycarpum*, docet Theologiam mysticam non argumentari.

Confirmatur 2. quia sensus spirituales sunt quasi innumeri, vt inquit Hieron. *epist.*12.

Quæ autem modò dixi, intellige de sensu spirituali mystico, quem vnusquisque, fauente Deo, excogitare potest; nam si sensus spiritualis fuerit directè intentus à Spiritu sancto, & approbatus ab Ecclesia, poterit optimè ad dicendum, & disputandum adhiberi; quia sensus spiritualis, vt dixi, est aliquando verè litteralis.

Obiicies Apostolum 2. ad Corinth. dicere, *litera occidit*: ergo. 8

Respondetur id intelligi de sensu litterali grammatico, non de Theologico; vel etiam intelligi de litterali metaphorico, vel denique de littera veteris legis, quia lex vetus amplius non viget, nec obligat ad literam, sed solùm si spiritualiter explicetur.

Cæterùm, vt melius intelligantur quæ de decem locis Theologicis dixi dubit. 238. & seqq. sint istæ sequentes aliæ dubitationes, quamuis ad tractatum de fide spectare potiùs videantur.



DUBITATIO CCXLV.

An, & quid sit Ecclesia?

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia varia acceptiones, & eius propria definitio.*
2 *Catechumeni etsi firmam fidem habeant, non sunt propriè membra Ecclesiæ.*
3 *Hæretici quomodo dicantur esse intra & extra Ecclesiam.*
4 *Peccatores, & reprobi baptizati sunt membra Ecclesiæ.*
5 *Excommunicati sunt membra Ecclesiæ.*



RESPONDETVR, Ecclesia sumitur variis modis: Primò, vniuersalissimè pro quacunque collectione Deum venerante: sic sumitur ab Apostolo ad Ephes. 1. ptout scilicet comprehendit collectionem hominum, & Angelorum, viatores, & beatos. Secundò strictiùs pro congregatione fidelium, seu eorum qui fidem in Deum profitentur. Et sic eadem est Ecclesia, quæ fuit ab initio mundi, & quæ nunc est: sed quia hæc professio fidei diversimodè habetur post Christi aduentum, ac antea, ideo Ecclesia post Christi aduentum definitur Congregatio fidelium, seu eorum qui fidem Dei sub speciali Sacramentorum signo, & sub eodem capite profitentur: sic *in cap. Ecclesia, dist.* 1. *cap. Firmiter, de Summa Trinit. & fide Catholica*, & docent Bañez 2. 2. *quæst.* 1. *artic.* 10. Valent. *disputatione* 1. *quæst.* 1. *punct.*7. *quæst.* 4. §. 14. & alii passim. 1

Ex his sequitur, catechumenos, etsi fidem firmam habeant, non tamen esse propriè membra Ecclesiæ, quia non profitentur fidem sub speciali Sacramentorum signo, esto sint quoad meritum membra Ecclesiæ, cùm mereantur salutem, ac si intra Ecclesiam essent. 2

Sequitur secundò, Hæreticos esse intra Ecclesiam, & extra Ecclesiam. Intra Ecclesiā, quatenus sub speciali

Sacramentorum signo fidem aliquando professi sint, ratione cuius professionis Ecclesia potest illos punire: extra Ecclesiam, quia sunt extra vnionem inuisibilem cum Christo: tum quia reiiciunt fidem, in qua reliqui fideles conueniunt: tum quia Ecclesia illos reiicit à se, tanquam membra putrida, & aliis damnosa.

4 Sequitur tertiò, peccatores & reprobos baptizatos esse membra Ecclesiæ, iuxta illud Matth. 13. vbi Ecclesia nomine regni cœlestis comparatur sagenæ missæ in mare, ex omni genere piscium cogreganti, & habenti bonos & malos. Item comparatur decem virginibus fatuis & prudentibus: item areæ habenti triticum & paleas: item tandem domui, in qua sunt vasa in honorem, & alia in contumeliam. Probatur, quia peccatores & reprobi baptizati profitentur fidem eodem signo baptismi, & aliorum Sacramentorum, ac prædestinati.

5 Sequitur quartò, excommunicatos etiam esse membra Ecclesiæ; quia possunt esse membra viua, & Christo inuisibiliter vnita per charitatem, si contriti, & pœnitentes sint: tum quia non deserunt fidem, sed solùm excluduntur à participatione communi orationum, & suffragiorum Ecclesiæ.



DVBITATIO CCXLV.

An, & quot sint proprietates Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1 *Septem proprietates Ecclesiæ.*
2 *Cur dicitur vna.*
3 *Cur dicitur* Sancta.
4 *Cur* Catholica, *seu vniuersalis.*
5 *Cur* Apostolica.
6 *Cur* Visibilis.
7 *Cur* à Spiritu sancto gubernata, *& infallibilis.*
8 *Quomodo Doctores & Magistri Ecclesiæ aliquando errare possunt.*
9 *Cur dicatur* vnica via salutis.

1 RESPONDETVR, ex communi sententia Theologorum, esse septem; scilicet, quod sit *vna, Sancta, Catholica, Apostolica, visibilis, à Spiritu sancto gubernata, & vnica via salutis.*

2 Dicitur *vna*, quia est ab vno principio, scilicet Deo vocante, & vnum ad finem, scilicet vitam æternam, & per vnica media, scilicet Sacramenta, & sub vno capite, & pastore, scilicet Christo, eiusque Vicario.

3 Dicitur secundò *Sancta*, quia habet plures Sanctos: tum quia ipsius caput sanctum est, scilicet Christus, Petrique Vicarius, quatenus talis est: tum quia sanguine Christi sanctissimi est decorata, multisque charismatum donis ornata, in diuinum cultum spiritualibus institutis, & Sacramentis dedicata, itavt verum sit, omnes ipsius partes sanctissimum cultum profiteri, etiamsi vitæ sanctitatem non profiterentur: tum quia vocat omnes, vt sobriè, iustè, & piè viuamus in hoc sæculo.

4 Dicitur tertiò *Catholica*, scilicet vniuersalis: tum ratione doctrinæ, quæ vniuersalis & vera est, & nullum errorem continet, nec continere potest; tum ratione fidelium, qui Ecclesiæ membra sunt, cum recipiat omnes, siue Iudæum, siue Græcum, siue liberum, siue seruum, siue diuitem, siue pauperem, siue marem, siue fœminam, &c. tum ratione loci, quia ad omnem locum extenditur, iuxta illud, *in omnem terram exiuit sonus eorum.* Tum ratione temporis, quia durabit vsque ad finem mundi sine interruptione, sicut etiam ab initio fuit aliqua Ecclesia Dei.

Non obstat, Apostolos in passione Christi scandalum passos fuisse, *Matth.* 26. quia non exinde sequitur eos deliquisse, sed solùm exteriùs non manifestasse fidem.

Neque obstat secundò, in fine mundi ob persecutionem Antichristi dixisse Christum, Luc. 18. *Putasne filius hominis veniens inueniet fidem in terra?* Quia inde solùm sequitur, in paucis esse fidem inueniendam, vt rectè dixit Augustinus *lib. de veritate Ecclesiæ, cap.* 13.

Dicitur quartò, *Apostolica*, quia ab Apostolis habuit initium, & ab illis per orbem Terrarum est propagata: tum quia sequitur eorum doctrinam, & traditiones: tum quia eorum martyrio & sanguine est decorata. 5

Dicitur quintò, *Visibilis*, scilicet visu ipso cognoscibilis, quia potest euidenter cognosci, esse in mundo aliquem hominum cœtum, ita colentem Dei, vt meritò quisque debeat, etsi obscurè, & ineuidenter, at firma fide cognoscere esse veram Ecclesiam, ita vt euidentia non sit, an talis cœtus hominum rectè colat Deum; hæc enim euidentia pugnat cum illo articulo fidei, *Credo Ecclesiam sanctam Catholicam:* sed euidentia sit adesse talem cœtum, vt meritò quisque debeat de illo cœtu credere fide diuina Deum ritè colere. 6

Dicitur sextò, *à Spiritu sancto gubernata*, ita vt Spiritus sancti assistentiam, & protectionem habeat, ob quam nec fallere, nec falli potest; quia est Ecclesia, ex Apostolo 1. ad Timoth. 3. *columna, atque fundamentum veritatis*, à quo firmamento excludi debet omnis error, ac etiam ignorantia inculpabilis, aliàs si aliquando falli, vel fallere possit, non esset certa regula, columna atque fundamentum veritatis. 7

Hinc sequitur, Pastores, & Doctores omnes non posse errare, quia si hi possent errare, Ecclesia absolutè posset errare, quia ab his, vtpote præcipuis membris Ecclesiæ, denominanda est Ecclesia, iuxta doctrinam Aristotelis *lib.* 9. *Ethic. cap.* 9. tum quia ex Apostolo *ad ephes.* 4. hi dati sunt à Christo Domino, vt reliquos fideles doceant, ne circumferantur omni vento doctrinæ: tum quia si hi omnes errarent, ipsorum error totam Ecclesiam inficeret; quia reliqui fideles tenerentur eis credere, iuxta illud Matth. 23. *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite.*

Obiicies, assistentia Spiritus sancti promissa est Petro tàtùm, eiusque successoribus, iuxta illud Matth. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam;* & iuxta illud eiusdem, Matth. *Ego pro te rogabo Petre, vt non deficiat fides tua:* ergo non est pron issa reliquis pastoribus, & Magistris. Ergo hi errare possunt.

Respondetur, concedo antecedens, & primum consequens; hi errare possunt, distributiuè sumpti, concedo; collectiuè sumpti, nego, ob rationes dictas, & mox etiam dicendas. Accedit, cum dixi omnes Pastores, & Doctores errare non posse, Pontificem, seu summum Pastorem & Magistrum non excludi, quamuis si vt distinctos à summo Pontifice illos sumamus, adhuc licet non sit de fide non posse errare, est tamen theologicè certum, nunquam omnes collectiuè sumptos esse erraturos, quia hoc pertinet ad prouidentiam Dei specialem, qua Ecclesiam regit, & gubernat. Vide quæ dicebam dubit. 238. 8

Dicitur septimò, *via vnica salutis*, quia extra Ecclesiam salus esse non potest. Quapropter Petrus *epist.* 1. *cap.* 3. eam cum arca Noë comparauit: & probatur, quia nemo potest salutem consequi, nisi fuerit membrum 9

brum Christi, & per fidem & charitatem vnitus cum Christo: sed qui voluntariè est extra Ecclesiam, non vnitur cum Christo, sed potiùs separatur à Christo: ergo non potest salutem consequi, sed erit tanquam palmes extra vitem, qui solùm igni deseruit, iuxta illud August. *in Ioan. cap. 15.*

Cæterum de his Ecclesiæ proprietatibus videri poterit Turrecremata *lib. 1. de Ecclesia.* Canus *de locis Theologicis lib. 3. & 4.* Bañez 2.2. *quæst. 1. art. 10.* & Valentia *disp. 1. quæst. 1. punct. 7. §. 16. & seqq.*



DVBITATIO CCXLVI.

An hæ proprietates soli Congregationi obedienti Romano Pontifici pro tempore existenti conueniant, ipsaque sola sit vera Ecclesia Dei?

SVMMARIVM.

1 *De fide est supradictas Ecclesiæ proprietates conuenire soli Congregationi obedienti Rom. Pontifici, primò quod sit vna.*
2 *Quod sit sancta, & omnia sancta efficiat.*
3 *Quod sit Catholica, quia vbique extenditur, & omnia sancta facit.*
4 *Quod sit Apostolica, & cur?*
5 *Quod sit visibilis.*
6 *Quod habeat assistentiam Spiritus Sancti.*
7 *Item quod sit vnica via salutis.*

1 RESPONDETVR affirmatiuè: & est de fide, & probatur ex dictis Dubit. præcedenti, discurrendo per singula: Siquidem est *vna*, quia ab vno, scilicet Christo & homine, & sub vno capite, & in vnum finem, scilicet gloriam, & sub vnicis mediis, scilicet præceptis, Sacramentis, & Sacrificiis.

2 Item secundò est *Sancta*, quia plures Sanctos continet, & quia Sanctos efficit, & quia Sacramenta, & media ad salutem sancta habet.

3 Item tertiò, est *Catholica*, quia per omne tempus idem docet, & docebit, iuxta illud Apostoli ad Corinth. *Fidelis Deus, quia sermo noster qui fuit apud vos, non est in illo est, & non, sed est in illo fuit:* quasi diceret, non est in illo inconstantia vlla, vel mutatio, sed firmiter idem perseuerat, vtpote fundamentum supra firmam petram, aduersus quam portæ inferi non præualebunt.

Item quartò est *Catholica*, quia omnes, quotquot volunt Christo vniri, in se recipit, neminem prorsus excludens.

4 Item quintò est *Apostolica*, quia sequitur doctrinam Apostolorum, etiam typis non mandatam.

5 Item sextò est *visibilis*, quia visibiliter apparet esse congregationem, quam meritò fide digna credere debemus colere Deum, & quia instituta est sub visibilibus Sacramentis, & visibili cultu Dei.

6 Item septimò habet hæc congregatio sub Romano Pontifice militans, assistentiam Spiritus Sancti, quod satis colligitur ex eo quod eadem semper perseuerat, & non circumfertur omni vento doctrinæ.

7 Item ex his omnibus est *via vnica salutis*; quæ omnia sectis Hæreticorum conuenire non possunt, sed solùm Ecclesiæ Romanæ, vt patebit considerantì, & rectè prosequitur Valentia *disputat. 1. quæst. 1. p. 7. §. 10. & seqq.*



DVBITATIO CCXLVII.

An summus Pontifex sit regula infallibilis veritatis, ita vt errare non possit in proponendis rebus fidei.

SVMMARIVM.

1 *In Ecclesia dari debet aliqua regula infallibilis veritatis, quæ doctrinam fidelibus proponat, & controuersias dirimat.*
2 *Hæc regula non est sola Scriptura Sacra.*
3 *Christus Petro, & eius successoribus commisit regimen Ecclesiæ, & quid veniat nomine eiusmodi successorum.*
4 *Hæc regula infallibilis veritatis in nullo alio subsistit, nisi in Romano Pontifice.*
5 *Nullus Romanus Pontifex sic ab Ecclesia reputatus errare potest, quamuis sine Episcoporum Concilio in proponendis rebus fidei, neque in præceptis morum circa res ad salutem necessarias.*
6 *Aliàs tota Ecclesia in errorem contra fidem vel doctrinam Christianam induci posset.*
7 *Summus Pontifex cùm veritatem aliquam fidelibus credendam proponit, ipsi credere tenetur, quia non potest falsum pro vero credendum proponere.*
8 *Confirmatur ex Sanctis Patribus.*
9 *Limitatur, & num. 10. & 11.*
12 *Quam diligentiam adhibeat ad res fidei definiendas. Et vtrum ita diligentia necessaria sit, vt certè & infallibiliter definiat, & num. 13. & 14.*
15 *Quid si Pontifex fuerit hæreticus, aut saltem occultus, & voluerit aliquid de fide, vel contra fidem definire?*
16 *Quid cùm Pontifex approbauit scripta quorumdam scriptorum & Patrum, quæ non recipiuntur?*
17 *Quid cùm Pontifex Ioan XXII. existimauit animas Sanctorum ante diem iudicij essentiam Dei non visuras, & de aliis erroribus circa matrimonium, &c. seqq.*
18 *Pontifex cum in hæresim incidit, ipso iure perdit authoritatem, & desinit esse Christi vicarius.*

SVPPONO ex tractatu de fide, dari in Ecclesia aliquam regulam infallibilem veritatis, quæque doctrinam credendam fidelibus proponat, fideique controuersias decidat; quia sic ad Dei prouidentiam quammaximè spectat: cùm enim nemo sit qui suo ingenio res assequi, & dubitationes suborientes propriis viribus dirimere possit, necessarium erat aliquod medium, quo hæc omnia superari possent, alias Deus non satis de mediis necessariis hominibus prouideret, & iubens res fidei indubitanter credi, impossibilia iuberet, quod est maximum absurdum. 1

Suppono secundò ex eodem tractatu de fide, hanc regulam infallibilem, quæque quæstiones circa fidem decidat, non esse solam Scripturam Sacram, quia circa Scripturam Sacram solet controuersia nasci, an hæc, vel illa sit canonica, necne? & sic ex ipsa sola Scriptura Sacra non potest hæc controuersia definiri, tum quia regula infallibilis, quæque quæstiones nascentes dirimat, debet esse omnibus nota, qualis non est Scriptura Sacra, cùm eius sensus non facilè ab omnibus percipiatur: quod inde saltem constat, quod Hæretici eadem verba modò secus explicant. 2

Suppono tertiò ex eodem etiam tractatu de fide, 3

Christum Petro, eiusque successoribus commisisse regimen Ecclesiæ vniuersale, illis verbis, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum*, vt probabam suprà, dubit 338. dict. 5. & videri potest Valentia 2. 2. *disput. 1. quæst. 1. punct. 7. §. 28. & seqq.* Neque hæc verba dicta sunt pro solo Petro, sed pro omnibus eius successoribus, vt cit. dubit. 238. probabam: succedunt autem Petro omnes Romani Pontifices legitimè electi, vt ex vsu nascentis Ecclesiæ, vsque ad hanc diem facilè probari potest, & ego probabo infrà dubit. 266 & in dicto tract. de fide, cum Sandero *lib. 7. de visibili Ecclesiæ Monarchia*, Turrecremata *lib. 2. de Eccles. lib. cap. 36. & seqq.* & Valentia *cit. punct. 7. §. 37.* Quare minùs rectè dixit Dominic. Soto *in 4. dist. 24. quæst. 2. art. 5.* hunc successorem Petri non esse ex diuina institutione Romanum Pontificem, sed posse esse Bononiensem, Neapolitanum, Mediolanensem, vel nullius diœcesis, eo quòd verba Christi potestatem Petro tradentis nullam sedem determinauerint; quia, vt dicebam, certissimum est ex diuina institutione per traditionem manifestata, successorem Petri esse etiam Romæ Episcopum, etsi non debeat necessariò ex eadem diuina institutione Romæ semper sedem suam tenere, vti in dicto tract. de fide, cum Valentia *cit. punct. 7. §. 38.* probabitur, & videri poterunt quæ dicentur cit. dubit. 266.

4 Suppono quartò ex eodem similiter tractatu de fide, hanc regulam infallibilem veritatis in nullo alio consistere, nisi in Romano Pontifice, quia cùm in aliquo constare debeat, nullus alius apparet qui is sit, nisi successor Petri, cui, & cuius successoribus dictum est, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: Ego rogabo pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* Item, *pasce oues meas.* Et sic ex Christi institutione successor Petri habet authoritatem pascendi fideles omnes infallibili doctrina, tam quoad fidem, quàm quoad mores pertinente. Vide quæ dicam *Dubit. 258.* 264. & 266. & quæ dicebam *Dubit. 238. dict. 5.* His positis.

5 Respondetur: Nullus Pontifex Romanus sic ab Ecclesia vniuersali reputatus, errare potest, quamuis sine Episcoporum Concilio, in proponendis rebus fidei, neque in præceptis morum versantibus circa res ad salutem necessarias, vel quæ per se bonæ, aut malæ sunt. Est communis sententia Catholicorum cum S. Thoma 2. 2. *quæst. 1. art. 10.* & *lib. 4. contra Gentes, cap. 27.* Valden. *lib. 2. de doctrina antiqua fidei, c. 47. & 48.* Caiet. *opusc. de authoritate Papæ*, Bellarm. *lib. 4. cap. 2.* Turrecremata *lib. 2. sum. cap. 107. & seqq.* Cano *de locis Theolog. lib. 6. cap. 3. & seqq.* Valentia *cit. punct. 7. quæst. 5. & 6. §. 40. & seqq.* & Bañez 2. 2. *quæst. 1. art. 10. dub. 2.* & probatur ex iis quæ dicebam *cit. dubit. 238. dict. 5.*

6 Confirmatur, quia si Summus Pontifex in vniuersalibus fidei, vel morum decretis erraret, tunc tota Ecclesia in errorem contra fidem, vel doctrinam Christianam induci posset: at consequens est impossibile: ergo & antecedens. Minor patet ex promissione Christi, Matth. 16. *Portæ inferri non præualebunt aduersùs eam*, & ex Apost. 1. ad Timoth. 3. vbi Ecclesiam appellat *columnam, & firmamentum veritatis.* Maior probatur, quia Ecclesia reliqua Summo Pontifici tanquam membra capiti, & tanquam oues Pastori suo adhærere tenetur: ergo si ille falsum aliquid contra fidem, aut doctrinam Christianam supponere, aut credi iuberet, Ecclesia tota in errorem induceretur.

7 Confirmatur secundò, quia cum Pontifex veritatem aliquam fidelibus credendam proponit, ipsi fideles credere tenentur, aliàs non haberet Pontifex potestatem efficacem regendi Ecclesiam: at Ecclesia non potest obligari propositioni falsæ assensum præbere, quia aliàs, vt dicebam, posset tota Ecclesia errare, quod est contra prouidentiam Dei, & promissionem Christi dicentis, Spiritum veritatis semper in Ecclesia permansurum: ergo nequit Pontifex falsum pro vero credendum proponere.

Confirmatur tertiò ex Patribus; nam Cyprianus 8
lib. 1. epist. 5. ad Cornel. Petri cathedram vocat *Ecclesiam principalem, vnde vnitas Sacerdotis exorta est, atque eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum.* Similia habet Hieronym. *lib. 3. Apol. aduersus Ruffinum*, & ipse Ruffinus *in exposit. Symboli*, quæ habetur apud Hieronym. *tom. 2.* rationem reddit cur in Ecclesia Romana nulla vnquam verborum adiectio facta sit Symbolo Apostolorum, *quia nulla hæresis ibi sumpsit exordium.* Idem Hier. epist. ad Damasum ita scribit: *Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri, communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio: quicumque extra hanc domum Agnum comederit, prôfanus est, si quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio.* Petrus Chrysolog. epist. ad Eutychen: *Hortamur te frater, vt his quæ à beatissimo Papa Romanæ ciuitatis scripta sunt, obedienter attendas; quoniam B. Petrus qui in propria sede viuit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.* Gelasius in epist. 10. ad Anastas. Augustum, *Hoc est quod sedes Apostolica magnopere cauet, vt quia mundo radix est Apostoli gloriosa confessio, nulla ruina prauitatis, nulla prorsus contagione maculetur: nam si, quod Deus auertat, quod fieri non posse confidimus, tale aliquid proueniret, vnde cuiquam resistere auderemus errori?* Et Bernardus epist. 190. ad Innocent. II. *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque & scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim quæ de fide contingant: Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarcire damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum; hæc quippe huius prærogatiua sedis: cui enim alteri, quando dictum est, Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua.*

Nota tamen hîc, quod licèt responsio nostra mihi 9
certa, ita vt contraria sententia sit hæretica, quibusdam (etsi minùs rectè) non videatur ita certa, quia non defuerunt Doctores, vt Abbas, Almainus, Adrianus *in 4. quæst. vlt. de Confirm.* Gerson p. 5. tract. de examinat. doctrinæ, & alij Parisienses, qui solùm in Concilio Generali cum capite constituerunt infallibilitatem iudicij de rebus fidei, tametsi quis solius Pontificis definitionem circa fidem, vel mores argueret falsitatis, contra talem, si non tanquam Hæreticum formaliter vt in nostra sententia, saltem tanquam suspectum de hæresi, in schismate introducendo in sententia ipsorum procedi posset.

Excepto, sicut dicebam infrà, & dub. seq. si Sum- 10
mus Pontifex, forsan quia hæreticus, manifestum errorem contra fidem Ecclesiæ proponere, seu obtrudere conaretur; nam id non repugnare docent graues Doctores: Gerson. *considerat. 1.* Turrecremata *lib. 2. de Eccles. cap. 112. ad 7. & lib. 4. part. 2. cap. 16.* & indicat Syluester *verb. opinio, in fin.* Corduba *quæst. 5. prop. 5. limit. 2.* & Valent. *quæst. 1. punct. 9. quæst. 6. §. 30.* quia tunc Ecclesia non versatur in periculo, cùm non teneatur Pontificem docentem aliquid contra fidem receptam in Ecclesia, vt Pastorem sequi, sed potiùs vt lupum apertè grassantem auersari. Quare Bellarminus lib. 4. cap. 2. non sine causa ex communi sententia Catholicorum ait, Pontificem vel in re dubia statuentem ab omnibus fidelibus obedienter audiendum esse.

Nota secundò, quod accidere etiam posset casus, vt 11
licèt Summus Pontifex re ipsa verum doceat; tamen quis per ignorantiam inuincibilem sibi persuadeat, doctrinam Ecclesiæ propositam manifestam esse contra Sacram Scripturam, & fidem Christianam; quomodo credibile est sanctum Cyprianum cum octoginta Episcopis Africanis deceptum fuisse in quæstione de

rebaptizandis

rebaptizandis hæreticis, priusquam dogma, quod Stephanus Papa Ecclesiæ tradidit, & obseruandum iussit, vt scilicet hæretici in forma SS. Trinitatis ritè baptizati, sine alio baptismo ad Ecclesiam reciperentur, Generali Concilio confirmatum esset: qua de re videri potest Aug. *lib. 2. contr. Donatistas, c. 4. & lib. 4. c. 6.* At postquam doctrina, vel definitio Summi Pontificis, etiam sine generali Concilio tradita, ab Ecclesia communiter recepta est, tunc hæreticus censeri debet qui ei contradicere, vel eam in dubium reuocare pertinaciter audet, cùm de fide sit vniuersalem Ecclesiam cum capite non posse errare.

Nota tertiò quod in responsione dixi, Pontificem errare non posse in decretis morum circa ea quæ ad salútem necessaria, vel per se bona aut mala sunt, v.g. vt doceat vsuram esse licitam, iniustè ablata non esse restituenda, & similia: Nam interim non obstat, quin Pontifex leges condat, vel alia statuat, quæ per se quidem, siue ex obiecto mala non sunt, tamen propter adiunctas circunstantias minus Ecclesiæ expediunt, vt si in censuris, vel aliis pœnis ferendis nimis seuerus, aut è contra in indulgentiis, vel dispensationibus concedendis nimis facilis sit: quapropter huiusmodi decreta Pontificum si Ecclesiæ minus vtilia appáreant, à successòribus eorum aliquando reuocantur. Vide quæ dicentur infrà, dubit. 257.

12 Objicies, vt Pontifex veritatem aliquam fidelibus credendam proponat, debet præmittere consilium, inquisitionem, & Doctorum disputationem, vt dicebatur *dubit. 238. in fin.* & satis confirmat vsus congregandi Congregationes, & Conciliom: sed in his Pontifex potest esse negligens: ergo potest tunc saltem Pontifex errare.

Respondent aliqui concedendo maiorem, at negando minorem cum Bañez *loc. supr. cit.* Vnde admittendo necessariam esse hanc humanam diligentiam, & inquisitionem veritatis, ad hoc vt Romanus Pontifex verum definiat, negant tamen inde sequi posse, Pontificem aliquándo falsum definire, quia negant posse illum, si quid definiturus est, dictam diligentiam, & inquisitionem requisitam negligere, seu non adhibere. Quaprópter eadem certitudine, qua credi debet, Pontificem non posse errare in definiendis rebus fiei, credendum est non posse illum omittere diligentiam requisitam ad res fidei definiendas, siquidem est medium necessarium ad id requisitum. Quare hoc ipso quo promisit Dominus Petro, eiusque successoribus Spiritus Sancti assistentiam ad pronunciandam veritatem, promisit etiam assistere mediis ad id necessariia, iuxta illud, Qui dat finem, dat media necessaria ad finem, vt si v.g. promittat Deus me plures fructus ex agro collecturum modo ordinario, hoc ipso consequenter promittit aëris temperiem, & reliqua vnde illi naturam habent.

13 Cæterùm, diligentia quam Pontifex ante definitionem præstare debet, est (inquiunt ipsi) quam subiecta materia postulat, vt si v. g. agatur de Sancto canonizando, vel de Religione approbanda, informatione & historia vti debeat: Si verò agatur de dogmate aliquo, vt diuinitus reuelato determinando, seu explicando, consulere debet ea, quibus diuina reuelatio pura & integra custoditur. Cuius generis est primò Scriptura Sacra, cùm tota sit reuelatio diuina. Secundò, traditio Apostolica, cùm & ipsa tota sit, licèt non consignata litteria, reuelatio etiam diuina. Tertiò, definitio priorum Pontificum, & Conciliorum. Quartò, concors sententia Patrum, & Doctorum, quamuis modus inuestigandi hæc omnia non sit vnus & idem, sed arbitrio Pontificis relinquatur: potest enim Pontifex vel Concilium congregare, vel sine illius congregatione ad definitionem procedere, consulendo Cardinales, vel loco istorum álios viros doctos, & Ecclesiæ Pastores: quæ omnia constant ex ipso vsu Ecclesiæ. Vide Valentiam *disp. 1. quæst. 1. punct. 7. quæst. 7. §. 42.* & quæ dicebam *dubit. 239. & 240.* At hæc responsio improbabilis mihi est, & nullo modo sequenda: Ideo

Respondeo ego in alia sententia Theologorum, quæ mihi certa, & omnino asserenda videtur, nego maiorem; nam omnino dicendum arbitror, non esse necessariam dictam inquisitionem, & diligentiam ad hoc, vt Pontifex certò & infallibiliter definiat, sed solùm esse necessariam ad hoc, vt conuenienter definiat, sicuti ad dispensationem concedendam Pontifex debet causam inuestigare, non ad hoc vt dispensatio sit valida, sed solùm ad hoc vt dispensatio sit conueniens: Quare si de facto ad definiendum procedat, omissa dicta diligentia & inquisitione, definiet certò, & infallibiliter; idque probatur ex promissione Petro, eiusque successoribus, quod eius fides non deficiet, facta simpliciter, non autem limitatè, & conditionatè, si diligentiam adhibuerit. Vide Valentiam *loco sup. cit. §. huc accedit.* 14

Instabis ex Bañez *2. 2. quæst. 1. art. 10. ad 4.* Si tota certitudo, & infallibilitas pendet ex assistentia Spiritus Sancti, neque ad hanc assistentiam habendam prærequiritur humana diligentia, & inquisitio de veritate, frustra hæc diligentia & inquisitio expostulatur, neque Pontifex inconuenienter procedit illam omittendo, siquidem non omittit aliud vnde recta & infallibilis definitio pendeat, quin hanc omittendo, videtur magis fidere in diuina assistentia, & denotare fidelibus, non humano ingenio, sed diuino instinctu veritates fidei inuestigandas esse: ergo vel dicta diligentia & inquisitiu est necessaria ad res fidei definiendas, vel simpliciter non prærequiritur.

Respondetur negando antecedens; dici enim potest, velle Deum hanc humanam diligentiam & inquisitionem, quia Deus vult quod homo faciat quantum est in se ad veritatem inuestigandam: sic enim ad rectum Ecclesiæ regimen videtur pertinere; cùm enim Pontifex non noua fidei dogmata Ecclesiæ debeat proponere, sed iam Ecclesiæ proposita, abscondita tamen, in lucem producere, debet ex conuenientia pro subiecta materia diligentiam debitam adbibere, sicut fecit & Petrus, cùm cessationem circuncisionis, & aliarum ceremoniarum veteris Testamenti definiuit, *Act. 15.* Quamuis si quis defectus intercedat in tali diligentia adhibenda, eo tamen non obstante protegat Deus suam Ecclesiam, & ab errore liberet, impediendo scilicet Pontificem ne definiat, vel si definit, vt verum pronunciet.

Objicies secundò: Pontifex, si Hæreticus sit, potest velle Ecclesiam suo errore inficere, & ad hoc præstandum definitione vti, præsertim si tunc temporis, cùm Pontifex occulta hæresi infectus est, suboriatur aliqua dubitatio de rebus ad fidem pertinentibus: ergo eius definitio non est infallibilis, sed poterit Pontifex tunc saltem errare. 15

Respondetur negando secundam partem antecedentis, siquidem in tali casu, si eius hæresis est manifesta, facilè Ecclesia ab illo liberabitur, quia tunc Ecclesia non agnoscit illum vt Pastorem, sed vt lupum ouile destruere volentem, vt dicebam *suprà*, & dicam *dubit. sequenti.* Si verò hæresis non sit in Ecclesia nota, sed fortè sub aliqua controuersia versetur, & ipse ex malitia, vel ignorantia velit Ecclesiam inficere, neque etiam poterit, quia priusquam id præstaret, Deus vel illum è vita tolleret, vel alia via definitionem impediret, vel tandem faceret quod verum pronunciaret, quia hæc omnia necessariò via ordinaria sequuntur ex promissione facta Ecclesiæ, non defuturum in ea Spiritum veritatis.

Objicies tertiò, plura sunt scripta Doctorum à Pontifice approbata, quæ tamen non sunt omninò & totaliter vera: ergo Pontifex potest errare. Consequen-

tia patet. Antecedens probatur, quia à Gelasio Papa *in cap. Sancta Romana*, 15. *dist.* approbantur scripta Cypriani, Chrysostomi, Gregorij Nazianzeni, Basilij, & Ambrosij, in quibus plura, quæ vera non sunt, continentur: eùm non esset illis temporibus elucidata veritas, & sic potuerint illi Patres errare, vt verè annotauit Canus *de locis Theologicis, lib.7.capite 3. conclusione 2.*

Respondetur, Nego consequentiam, quia eùm Pontifex approbauit scripta Cypriani, Chrysostomi, &c. non approbauit vt Pontifex, sed vt Doctor, seu priuata persona, quo modo quod Pontifex errare possit, vltro concedo, & præterea non approbauit omnia illorum scripta vera esse, & tanquam vera habenda, quia non erant Canonici scriptores: sed declarauit eos bene, scilicet cum zelo, & bona intentione scripsisse, cum qua bona intentione non obstat, quod per ignorantiam aliquando veritatem illi non attigerint.

17 Obiicies quartò. De facto videtur aliquando Pontifex falsum definiuisse, vt patet de Ioanne XXII. qui existimauit animas Sanctorum ante diem iudicij essentiam Dei non videre: ergo.

Respondetur: Nego quod Ioannes XXII. falsum hoc definierit, licèt falsum hoc vt Doctor, seu priuata persona senserit; quod colligitur ex extrauagan. quæ incipit *Benedictus Deus*, quam refert Alphonsus de Castro *lib. 4. aduersus hæreses, verb. Beatitudo, hæresi 66. circa fin.* vbi Benedictus XI. denotat Ioannem XXII. suum antecessorem existimasse animas Sanctorum ante diem iudicij essentiam Dei non videre, non tamen sensum hunc proprium Ecclesiæ credendum proposuisse, quamvis ad id faciendum se præparauerit; nam antequam id faceret, morte præuentus est.

Instabis, Cœlestinus III. prout refertur *in cap. quanto, de diuort.* videtur sensisse, per hæresim matrimonium dissolui: ergo.

Respondetur similiter, quod textus iste ad summum probat, Cœlestinum III. sensisse, per hæresim matrimonium dissolui, non verò probat sic Pontificem illum Ecclesiæ credendum propusuisse.

Vrgebis, saltem *in c. licèt, de sponsal.* denotatur aliquot Pontifices Alexandro III. priores iudicasse matrimonium ratum irritari secundo consummato: ergo.

Respondetur similiter etiam, quod esto aliqui Pontifices Alexandro III. priores iudicauerint matrimonium ratum irritari, secundo consummato; non tamen sic illi credendum Ecclesiæ proposuerunt. Adde nomine prædecessorum ibi, non Pontifices, sed alios speciales Doctores posse, & debere intelligi; si quidem *in cap. vlt. eod. tit.* Innocentius III. declarat sedem Apostolicam perpetuò docuisse matrimonium ratum non dissolui secundo consummato.

Obiicies quintò, stare potest quod quis eligatur, & iudicetur summus Pontifex à tota Ecclesia, qui tamen verè non sit: sed tunc si quid definit, non infallibiliter definit: ergo tunc saltem errare potest Pontifex in proponendis rebus fidei. Consequentia patet: Minor probatur, quia in tantum Pontifex infallibiliter definit, in quantum habet assistentiam Spiritus Sancti: sed hæc promissa est Petro, & vero, non autem ficto, seu simulato Petri successori, ergo: Maior probatur, quia stare potest quod ipse sit hæreticus, qualis fertur fuisse Anastasius, *c. Anast. 19. dist.* & Honorius, prout refertur in Concilio Constantinop. VI. *act. 13.* & 16. sed eum in hæresim incidit, ipso iure perdit authoritatem, & desinit esse Vicarius Christi, & successor Petri, vt tradunt Turrecremata *in sum. Ecclesia, lib. 2. cap. 32. ad 7. argumentum: & lib. 4. part. 2. cap. 18.* Driedo *de libert. Christ. cap. 14.* Simanch. *de Catholic. Institut. cap. 29.* & Canonistæ communiter, vt constat ex iis quæ adducit Iacobat. *lib. 3. de concord. articulo 2.* ergo.

Confirmatur, quis potest eligi non mas, non baptizatus, vel non ordinatus, vel cum alio defectu electionem annullante, qualis videtur fuisse Martinus V. qui in Concilio Constantiensi non fuit electus iuxta formā præscriptā pro electione summi Pōtificis: ergo. 18

Respondetur vt *infr. dub. seq.*

Obiicies sextò, saltem non est de fide hunc Pontificem electum, esse verum Petri successorem, quia non est de fide hunc esse baptizatum, aut nullum in ipsius electione defectum substantialem habere: ergo non potest esse de fide, hunc non posse errare, quia vt dicebam, non posse errare, est tantùm annexum vero Christi Vicario, & vero Petri successori, non autem ficto, seu simulato.

Confirmatur, quia licèt sit de fide, in Hostia ritè consecrata adesse corpus Christi, non tamen est de fide in hac numero Hostia illud adesse, quia non est de fide consecrantem esse baptizatum, sacerdotem, & habentem intentionem consecrandi. Ergo similiter, esto sit de fide verum Christi Vicarium, & Petri successorem non posse errare in proponendis rebus fidei, non tamen est de fide hunc numero Pontificem non posse errare, quia non est de fide hunc numero Pontificem esse verum Pontificem.

Respondetur vt supra, & *dubit. 149. & 250.*

DVBITATIO CCXLVIII.

An summus Pontifex possit quoad suam personam in hæresim incidere?

SVMMARIVM.

1. *Summus Pontifex potest in hæresim incidere, eamque notoriam.*
2. *Multorum Pontificum nomina ex historiis recensentur, qui lapsi sunt.*
3. *Probatur quod saltem incidisse potuerint.*
4. *Priuilegium quod in hæresim incidere non possint, ad quid extenditur.*
5. *Papa non potest à quoquam reprehendi, nisi deficerit in fide.*
6. *Non priuatur authoritate Pontificia quoad vsque ab Ecclesia deponatur.*
7. *Si eligatur aliquis diuino iure incapax, Deus talem electionem impedit.*
8. *Ioannem VIII. Pontificem fuisse fœminam, figmentum hæreticorum est.*
9. *Si aliquis ex defectu iure positiuo in Pontificem fuerit electus, ex acceptione vniuersalis Ecclesiæ integrè purgatur.*
10. *Pontifex quandiu ab Ecclesia toleratur, ius & authoritatem suam retinet.*

RESPONDETVR affirmatiuè, & in hæresim notoriam, ob quam dignus sit vt ab Ecclesia deponatur, vel potiùs vt præcisus declaretur: sic ex communi tenet Bañez *2.2.q. 1. art. 10. dub. 2. concl. 4.* Caietanus *ibid.* & *opusc. 1. de auther. Papæ, & in apologia de eadem re, c. 13. ad 2.* Dried. *lib. 4. cap. 3. p. 3.* Canus *lib. 6. cap. vlt. ad 12.* Sot. *in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 2.* Corduba *lib. 4. quæst. 38.* Valentia *disp. 1. quæst. 1. p. 7. quæst. 6. art. 40.* Aragonius *2.2. quæst. 1. art. 10. tract. de Summ. Pontifice*, Azor *tom. 2. lib. 5. c. 5.* & Turrecremata *lib. 1. sum. de Eccles. cap. 112. ad 6.* contra Pighium *lib. 4. de Ecclesia Hierarch. cap. 8.* & quosdam alios, quibus fauet Bellarm. *lib. 2. de Pontifice, cap. 30. & lib 4. cap. 2. & 6.*

Probatur, quia ex multis historiis constat plures Pontifices, Victorem V. Marcellinum, Liberium, Anastasium

Anastasium II. & Honorium in hæresim incidisse; & quidem de Victore refert Eusebius *lib. 5. hist. Eccl. cap. penult.* De Marcellino videtur constare, quia obtulit thus idolis. De Liberio dicit Hieron. in Chronicis. D. Anastasio affirmat Gratianus *in cap. Anastasius, 19. dist.* & de Honorio patet *ex epist. Adriani relata in VIII. synodo, act. 7.* necnon *ex epist. Agathonis relata in VI. synodo, act. 4.*

Secundò, quia esto prædicti Pontifices de facto in hæresim non inciderint, vt conantur defendere Pighius *cit. lib. 4. de Eccles. Hierarch. c. 8.* & Turrecrem. *cit. lib. 1. de Eccles. cap. 93.* docentes vel illos interiùs in hæresim non consensisse, vel ex falsa informa-
3 tione condemnatos fuisse; tamen dubitandum non est in hæresim incidere potuisse; quia alias Concilia illa generalia accusationem istam de hæresi, utpote à Pontifice alienam explosissent.

4 Tertiò, quia huiusmodi privilegium, quod in hæresim non possint incidere, à Christo Pontificibus concessum, nec ex Scriptura Sacra, nec ex Patrum traditione colligitur: ergo non est asserendum. Prior pars probatur, quia promissiones à Christo Petro factæ non possunt ad alios Pontifices extendi, quatenus sunt personæ priuatæ, sed solùm quatenus sunt in pastorali docendi potestate successores Petri. Posterior pars ostenditur, quia ex Patrum scriptis, & decretis potiùs contrarium colligitur, si non quod Romani Pontifices de facto aliquando in hæresim inciderint, saltem quod persuasio fuerit fieri posse, vt in hæresim incidere possint, ideoque si tale quid accidisse videatur, ad reliquos Episcopos pertinere, quod rem examinent & iudicent, ut dicebam *suprà*, & videre est in citata VI. Synodo, *act. 13.* VII. Synodo, *act. vlt.* VIII. Synodo, *act. 7. in epist.* Adriani, & Concilio Romano
5 sub Symmacho Papa: *A multis antecessoribus nostris synodaliter decretum atque firmatum est, ut oves pastorem suum nec reprehendere, nisi à fide exorbitauerit, præsumant.* Et *cap. Si Papa, dist. 40.* refertur, *Cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus, nisi fortè deprehendatur à fide deuius.* Vide Canum *de locis Theologicis, lib. 6. cap. vlt.* & Bellarminum *lib. 2. cap. 30.* vbi & ipse ait, *Non possumus negare quin Adrianus cum Concilio Romano, imò & tota Synodus Generalis VIII. senserit, in causa hæresis posse Romanum Pontificem iudicari.*

Objicies, vt *in dubitat. præcedenti, object. 5.* Si Pontifex potest incidere in hæresim: ergo non definit infallibiliter; quia hoc ipso quod incidit in hæresim, ipso iure priuatur authoritate, & definit esse Vicarius Christi, & successor Petri, vt ibidem dicebatur.

6 Respondetur: Nego consequentiam, quia adhuc non priuatur authoritate Pontificia, quousque ab Ecclesia deponatur, ut docent Bañez, Caietanus, Canus, Sotus, Corduba, & alii Doctores suprà citati; & probatur, quia reliqui Episcopi si in hæsim inciderint, retinent suam Episcopalem dignitatem, donec deponantur: ergo & Pontifex Romanus; tum quia de nullo Pontifice possemus esse certi de fide, esse verum Pontificem, & sic aptum ad proponendas Ecclesiæ vniuersali res fidei; siquidem de nullo possemus esse certi occultè, eum non amisisse fidem: tum quia authoritas Pôtificia non fundatur in fide speciali quam habet Pontifex, sicut nec in gratia; sed fundatur in eo quod receptus sit ab Ecclesia vniuersali ut Vicarius Christi, & Petri successor; qui dum sic fuerit receptus, habet à Christo potestatem, & authoritatem regendi Ecclesiam, & pascendi oues tam fidei, quàm morum doctrina; estque verus Vicarius Christi, & successor Petri, & ei vnimur, non quidem quoad fidem, & sanctitatem internam, sed quoad Ecclesiæ gubernationem externam.

7 Ad confirmationem, quod potest eligi non mas, non baptizatus, vel non ordinatus, vel cum alio defectu substantiali electionem annullante. Respondetur, nego antecedens, posse scilicet eligi quempiam iure diuino incapacem; quia ex speciali prouidentia, qua Deus assistit Ecclesiæ, Deus talem electionem impedit, & dato quod illam non impediat, saltem defectum manifestabit antequam ab Ecclesia vniuersali recipiatur ut Pontifex, & caput totius Ecclesiæ. Vide quæ dicam infra dubit. sequenti.

Quapropter, quod circumfertur de Joanne VIII. 8 fuisse fœminam, figmentum hæreticorum est, vt rectè probat Bellarminus *lib. 3. de Rom. Pontifice, cap. vlt.* & Onuphrius *in annot. ad Platinam* de vita Ioannis VIII. in cujus rei confirmationem extat insigne testimonium Leonis IX. qui fuit plusquam centum annis post Joan. VIII. hic enim Pontifex *epist. ad Michaëlem, & Clementem Episcopos, cap. 23. qua habetur 3. tom. Conciliorum,* probans primatum Ecclesiæ Romanæ, ait divina protectione liberatam eam esse ab ignominiis, quæ aliis Ecclesiis acciderunt, inter quas refert, famam esse quod Constantinopolitanæ Ecclesiæ aliquando fœmina præfuerit; quod vocat abominabile scelus, & detestabile facinus: At si suspicio fuisset quod Romanæ Ecclesiæ id aliquando accidisset, vtique hoc argumenti genus ad laudandam Ecclesiam Romanam non assumpsisset: ergo nulli Catholicorum dubium esse debet, illud figmentum hæreticorum fuisse.

Cæterùm, si electus in Pontificem fuerit cum aliquo defectu de jure positivo, ex acceptatione vniuersalis Ecclesiæ integrè purgatur; quia cùm Ecclesia vniuersalis habeat authoritatem supra jus positivum, hoc ipso quod acceptat hunc tanquam verum Pontificem, supplet omnem electionis defectum, qui interuenerit; & sic manet ille verus Pontifex, & verum caput Ecclesiæ universalis. 9

Ex dictis sequitur, quod licèt ponamus Pontificem, prout est persona privata, hæreticum fieri, ideoque desinere esse verum membrum Ecclesiæ (cùm Ecclesia sit fidelium congregatio, hæretici verò quilibet eo ipso quod veram Christi fidem reliquerunt, neque fideles, neque veri Christiani sint, vt rectè dicit Augustinus *Enchiridij cap. 5.* tamen quandiu Pontifex ab Ecclesia toleratur, & vt Pastor vniversalis publicè agnoscitur, tandiu etiam Pontificiam potestatem retinet, vt omnia ipsius decreta non minorem vim ac authoritatem habeant, quàm si verè fidelis esset, vt rectè docet Bañez *quæst. 1. art. 10. dub. 2. ad 3.* & Suarez *lib. 4. de legib. cap. 7.* Et ratio est, quia id pertinet ad conuenientem Ecclesiæ gubernationem, sicut & in alia benè constituta republica, tandiu acta publici Magistratus sunt valida, quandiu in tali munere relinquitur, & publicè toleratur, juxta *l. Barbarius, ff. de officio Prætorum.* 10



DUBITATIO CCXLIX.

An sit de fide, quod hic numero Pontifex sit verè Christi Vicarius, & Petri successor, saltem postquam aliquid de fide credendum fidelibus proposuit.

SVMMARIVM.

1 *De fide est, hunc numero Pontificem ab Ecclesia pro tali receptum, esse verum Pontificem, Christi Vicarium, & Petri successorem.*

2 *Eadem est ratio de legitimitate Concilij œcumenici, ac Pontificis, & num. 5.*

Christus

3 *Christus obedientiam ei prestandam pracipit, & pascendi oues potestatem tradit.*

4 *Si quid definiat, & Ecclesia credendum proponat, errare non potest.*

6 *Est regula animata, de qua dubitare non licet, & numero 8.*

7 *Deus non excitat ad obiectum fidei infusa, nisi sufficienter propositum fuerit.*

9 *Proponentis vniuersalis, nempe summi Pontificis, & particularis, nempe alterius Pralati, discrimen quoad certitudinem preponendi.*

10 *Priuata heresis non reddit subiectum incapax assistentia diuina.*

1 RESPONDETVR affirmatinè, ita vt non solùm, vt doceot aduersatij quidam mox infra citandi, cettitudine morali, cui falsum subesse potest, sed certitudine fidei c-nendum sit hunc numeto electum in Pontificem, & ab vniuersali Ecclesia pro tali receptum, esse verum Pontificem, Christi Vicarium, & Petri successorem, saltem postquam aliquam veritatem de fidelibus credendam proposuit: ita tenet Valentia 2.2. *disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 7. Aragon. 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 10. *tract. de Conciliis, dub. princip. ad* 3. *principale*, vbi postquam pro-
2 bauit hoc Concilium esse legitimum secundùm fidem, subdit eadem ratione probati posse, Gregorium esse verum Pontificem, & baptizatum. Ludouicus de Leon *ibid.* Mattinez *dict. art.* 10. 2. *p. princip. dub.* 1. *ad* 2. P. Bonauentura *tract. de Author. Papæ, dub.* 3. Albertinus *tom.* 1. *princ.* 3. *corol.* 3. *dub.* 2. & Suar. *disp.* 10. *de fide, sect.* 5. contra Bañez 2. 2. *q.* 1. *art.* 10. *dub.* 2. *ad* 2. Didac. de Arce 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 10. Mancio. *ibid. q. de authoritate Papa, ad* 3. Dezam etiam *ibid. dub.* 1. *de potestate Pontificis, & quæst. de Canonizatione Sanctorum*, vbi subdit, constare posse alicui, quod hic Pontifex non sit verus Pontifex, qui baptizauit illum sine intentione: & Bellarminus *tom.* 1. *tract. de Conciliorum authoritate, cap.* 9. vbi ait, *naturali solum euidentia, aut sola fide humana haberi, Concilium Nicænum & Ephesinum fuisse legitimè congregatum; & hoc sufficere, vt quod definita ab illis habeantur tanquam de fide.* Constat autem eandem esse quæstionem, an sit de fide hoc Concilium esse legitimum, & an sit de fide hunc numero Pontificem esse verum Pontificem: Ergo.

3 Probatur: ille est de fide verus Pontifex, cui Christus præcipit nos obedire in his quæ ad fidem & mores pertinent: sed de fide est, legitimè electo, & ab vniuersali Ecclesia recepto Christum Præcipere nos obedire, cùm aliquid ad Ecclesiam vniuersalem pertinens definit: Ergo de fide tunc est, legitimè electum & ab vniuersali Ecclesia receptum esse verum Pontificem. Maior probatur ex illis locis, quibus Petro, eiusque successoribus contulit Christus potestatem pascendi oues fidei, morumque doctrina, quam potestatem nemini nisi Petri successoribus contulit, iuxta illa quæ dicebam *dubit.* 238. *dict.* 5. ergo nullus alius, nisi successor Petri, habet potestatem pascendi oues fidei morumque doctrina. Minor ostenditur, quia de fide est fideles obligatos esse obedire ei quem superiorem agnoscunt: sed cùm legitimè quis ab Ecclesia in Pontificem & caput supremum eligitur, & acceptatur, cognoscitur vt Superior: ergo huic fideles obligati sunt obedire.

4 Secundò, si Pontifex electus quid definiat, & Ecclesiæ credendum proponat, errare non potest secundùm fidem: ergo tunc est verus Pontifex secundum fidem. Consequentia probatur, quia verus Pontifex est qui habet authoritatem ad infallibiliter definiendum, & Ecclesiam Dei obligandum.

Tertiò: ille est verus Pontifex, qui habet authoritatem confirmandi fratres, ne in fide vacillent, iuxta illud Luc. 22. *Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos*: sed hic numero Pontifex quid definiens confirmat fratres suos ne vacillent in fide, circa quam antea dubitabant, & post factam definitionem non licet amplius dubitare: ergo hic numero non est verus Pontifex.

Quartò, postquam Concilium Tridentinum aliquam veritatem determinauit, & Pontifex confirmauit, est certum de fide, hoc Concilium esse legitimè 5
congregatum: ergo etiam postquam hic numero Pontifex definiuit aliquam veritatem fide diuina credendam, est etiam certum de fide esse legitimè electum, atque adeo esse verum Pontificem. Consequentia patet, quia eadem omnino ratio est de hoc Concilio, ac de hoc Pontifice. Antecedens probatur, quia de fide est Concilium legitimè congregatum, & à Pontifice confirmatum obligare ad credendum, ad differentiam Concilij non legitimè congregati: sed Concilium Tridentinum obligat ad credendum: ergo fuit legitimè congregatum. Consequentia constat, præsertim cùm maior & minor sint certæ secundùm fidem, aliàs nullum Concilium obligaret ad credendum definitis ab ipso, quia non est maior ratio de aliis Conciliis ac de Concilio Tridentino.

Quintò: Fidei regula, præsertim animata, cùm 6
proponit nobis aliquid ad credendum, debet esse Ecclesiæ certa, de qua nemini licet dubitare: si ergo de fide tunc est, hunc numero Pontificem esse legitimum Petri successorem, possemus tunc de eo dubitare; cùm enim aliunde non sit nobis euidens, si tantùm fide humana, vel probabili coniectura tunc teneremus hunc numero Pontificem esse legitimum Petri successorem, iam tunc de illo dubitare possemus. Antecedens probatur, quia si possemus dubitare de authoritate regulæ proponentis, possemus dubitare de veritate rei propositæ.

Confirmatur: Sæpe obiectum, quod Pontifex cre- 7
dendum proponit, non habet sufficientem euidentiam credibilitatis in ordine ad nos, etsi bene in ordine ad ipsum Pontificem, cui minor euidentia sat est ob assistentiam Spiritus Sancti, quia ab illo immediatè dirigitur: ergo tunc non possent fideles obligari ad id fide tenenendum, nisi ipsa propositio Pontificis certa esset de fide. Antecedens patet in iis veritatibus, quæ non ita euidenter deducuntur è Scripturis. Consequentia probatur, quia Deus non excitat ad obiectum fidei infusæ, nisi sufficienter propositum: ergo nec fideles tenentur, nisi tantùm putatiuè illud fide diuina credere; quia vbi est potentia sufficiens, ad credendum cessat obligatio: vbi autem deest diuina excitatio, deest potentia sufficiens ad credendum.

Dices, fieri tale obiectum sufficiens ad credendum ex morali tantùm euidentia, non autem ex infallibili certitudine, quòd qui proponit, sit regula inanimata.

Sed contrà, quia si euidens est moraliter, hunc numero Pontificem esse regulam animatam, vt talis de fide tenendus est, quia quotiescumque obiectum fidei proponitur vt euidenter credibile, obligat ad credendum fide diuina.

Obiectiones.

Non valet illatio: Possumus dubitare de veritate proponentis: ergo & de veritate rei propositæ; siquidem possumus dubitare de veritate proponentis, non tamen de mysterio rei propositæ.

Respondetur, distinguendo de primo & secundo proponente. De primo namque nequit dubitari, quin simul dubitetur de veritate rei propositæ; quia primus proponit rem definiendo ex propria sententia cum assistentia Spiritus Sancti; & ideo si possemus dubitare de ipso, possemus dubitare de rebus ab eo definitis

8 definitis, quia illæ non supponuntur aliunde certæ, & definitæ quoad nos. Secundus autem proponit res iam definitas, & certas cum ea certitudine obiectiua, quam signa & argumenta cum quibus illas proponit, ostendunt; & sic licèt dubitare possimus de veracitate proponentis, adhuc tamen dubitare non possimus de rebus propositis, quæ aliunde supponuntur veræ, & veræ quoad nos.

9 Instabis, neque valet illatio, tenemur certa fide amplecti, quod hic numero Pontifex credendum proponit: ergo eadem fide tenemur credere hunc numero Pontificem esse legitimum Petri successorem; siquidem rusticus tenetur credere quod suus Prælatus credendum proponit; & tamen ea certitudine non tenetur credere eum esse legitimum Prælatum, aut in proponendo falli non posse.

Respondetur, distinguendo de proponente vniuersali, qui vt supremum caput proponit toti Ecclesiæ, & de proponente particulari: Quando namque proponit Pastor vniuersalis, non solùm tenemur certò credere quod ipse proponit, sed etiam eadem certitudine tenemur credere ipsum in proponendo falli non posse, ac ideò esse legitimum pastorem Ecclesiæ; non autem quando proponit pastor particularis, quia quando proponit Pastor particularis, non tenetur illi tota Ecclesia parere, qui si erret, potest à superiore corrigi. Vnde licèt teneantur subditi parere illi, non tamen tenentur certa fide credere illum in proponendo non posse errare, sed quando proponit Pastor vniuersalis, tota Ecclesia tenetur illi parere: vnde si posset errare, tota Ecclesia posset errare, quia non datur maior authoritas in terris, quæ possit illum corrigere. Quare spectat ad prouidentiam Dei nunquam permittere, quod in Cathedram Petri incapax assumatur, sed hoc ipso quod summus Pontifex aliquid ex Cathedra proponit, certum est de fide, illum habere omnia requisita ad summum Pontificem.

Vrgebis: Posset Deus permittere ad illam assumi incapacem, nunquam tamen permissurus, illum ex ea aliquid contra fidem decreturum, quia vel illum nunquam permitteret ex Cathedra docturum, vel non nisi vera dicturum: sic enim satis prouisum esset Ecclesiæ, quæ nunquam falli posset credendo quod caput proponit; nec teneretur de fide credere proponentem esse legitimum Petri successorem: nam etiamsi ille legitimus non esset, adhuc Deus non permitteret illum errare in proponendo, vt non permitteret Pontificem hæreticum aliquid de fide definiturum: ergo.

Respondetur, nego antecedens; quia vel assisteret Deus, vt ille non fallatur: & sic nullus dari potest incapax ad illam dignitatem; quia illam Deus nulli denegaret, non obstante quocunque impedimento. Porrò incapax est qui non habet aliquid iure diuino ad eam dignitatem requisitum, v. g. non sit mas, baptizatus, vel ordinatus; & sic si non obstante quocunque defectu, Deus ei assistentiam non negaret, incapax dici non posset. Vel non assisteret, nunquam autem permitteret illum ex Cathedra aliquid proponere. Et sic multa supponerentur miracula, & non esset modus agendi accommodatus prouidentiæ Dei, qui quoad fieri potest, omnia disponit iuxta naturalem exigentiam rerum; & quia sæpe, considerata naturali exigentia causarum, aliquid occurrit esse definiendum, totique Ecclesiæ proponendum, congruentiùs affirmatur, nunquàm Deum permissurum, vt quis assumatur ad summum Pontificatum, nisi qui iure diuino sit capax talis dignitatis. Disparitas autem est de summo Pontifice hæretico: nam ex probabiliori opinione Theologorum priuata hæresis non reddit subiectum incapax assistentiæ diuinæ, nisi post iuridicam Ecclesiæ declarationem, vt dicebam *dubit.* 238. 10

Cæterùm rationes nostræ iam suprà allatæ tantùm probant de fide esse, hunc numero Pontificem, esse legitimum Petri successorem, cùm quid ex Cathedra definiuit, non autem antè: nam ex dictis tota ratio cur teneamur credere hunc numero Pontificem esse legitimum Petri successorem, est quia Ecclesia tota tenetur credere quidquid ille credendum proponit; & sic ne illa errare possit credendo quid falsum ab eo propositum, tenendum est de fide, eum esse legitimum Petri successorem, & in proponendo non posse falli; sed hoc tantùm probat solùm esse de fide, quando ex Cathedra aliquid proponit, non priùs: ergo. Quapropter sit,



DVBITATIO CCL.

An sit de fide, quod hic numero summus Pontifex sit verè Christi Vicarius, & Petri successor, etiam priusquam aliquid de fide credendum proposuerit, si posita tantùm morali certitudine de canonica electione Cardinalium, sit communiter receptus.

SVMMARIVM.

1 *Consensus vniuersalis Ecclesiæ est signum euidens veræ electionis summi Pontificis.*
2 *Etiam priusquam aliquam veritatem fidelibus credendam proponat, aut ad rectam morum institutionem aliquid pro Ecclesia decernat.*
3 *Quod ex Patribus & Conciliis probatur.*
4 *Et illud Ecclesia proponit tanquam certum de fide, quod ab hæreticis reconciliandis in Bulla Martini V. exigeretur.*
5 *Ecclesia cum sua capite coniuncta errare non potest: vide remissiuè.*
6 *Præcipuè in his quæ proponit circa regulam inanimatam fidei, vbi erroris practici & speculatiui discrimen ostenditur.*
7 *Ecclesia Auroræ comparatur.*
8 *Ecclesia non solum in communi, sed etiam specificè & indiuidualiter, prout est Ecclesia hierarchica, etiam sede vacante, & in ordine ad verum caput, est vera Ecclesia.*
9 *Certitudo moralis sufficit ad propositionem particularem de fide credendam, quando maior haberi non potest, & propter eam propositio vniuersalis à Deo reuelatur.*
10 *Electio summi Pontificis, licèt pendeat ex legitima & canonica Cardinalium electione, si tamen moraliter certa sit, non potest esse illegitima.*

RESPONDETVR, quod licèt nonnulli sentiant, in tali statu non esse certum de fide esse, verum Pontificem, sed solùm certum certitudine morali, maiori tamen quàm sit in propositionibus de hostia consecrata, & de hoc homine baptizato vel ordinato, ex eo quia in his propositionibus nullus adest exterior effectus, qui sit signum existentiæ corporis Christi, vel gratiæ, & characteris in Sacramento Baptismi, & Ordinis recepti: In Pontifice autem adest 1 vniuersalis Ecclesiæ consensus, quod est signum euidens esse illum verum Pontificem, nihilominus dicitur oppositum, scilicet quod si loquamur de Pontifice, posita tantù morali certitudine de canonica electione Cardinalium

dinalium ab Eclesia vniuersali recepto, etiam priuſ-
quam veritatem aliquam fidelibus credendam propo-
nat, vel priuſquam pro vniuerſali Ecclesia aliquid de-
cernat ad rectam morum institutionem, de fide ſit, eſſe
verum Pontificem. Sic contra Bañez, Didacum de Ar-
2 ce, Mancium, Dezam, Bellarminum, & alios tenet
Valent. *disp.1.q.1. punct.7.q.5.6. Deinde dicimus*, vbi
ait, probabile quidem eſſe, poſſe quempiam eligi in
Pontificem non baptizatum, aut iure diuino incapa-
cem, quia id graues authores admittunt, & proba-
bilius eſſe oppoſitum. Albertinus *tom.1.princ.3.corol-
lar.3. dub.2. ſect.5.*

3 Probatur, quia videtur hæc eſſe ſententia Augu-
ſtini *tom.6.in epiſt.contr. poteſt. Donat. & tom.2.epiſt.*
115. Irenæi *lib.3.cap.3.* Baſilij, Ambroſij, & Hiero-
nymi, quos refert Mant.2.2. *quaſt.1.art.10.de autho-
rit. Papa, n.5.* Et fauent Concilia, quia VI. Syno-
dus nominatim reſpicit Agathonem, confitendo il-
lum verum Pontificem, Concilium Chalcedonenſe,
Leonem, Concilium Mileuitanum, Innocentium III.
ac tandem *in cap.de libellis, diſt.20.* approbantur tan-
quam veri, & legitimi Pontifices Sylverius, Zozimus,
Innocentius, & alij: ergo, &c.

4 Secundò probatur ratione: Vniuerſalis Eccleſia re-
cipit hunc numero tanquam verum Pontificem: ergo
eſt de fide eſſe verum Pontificem. Conſequentia
probatur à pari ex eo, quod vniuerſalis Eccleſia re-
cipit hanc ſcripturam tanquam veram, eſt de fide
hanc ſcripturam eſſe veram: ergo ſic & in caſu no-
ſtro.

Dices, Eccleſiam aliter recipere hanc ſcripturam
tanquam veram, ac hunc Pontificem tanquam verum;
recipit enim ſcripturam tanquam veram certitudine
de fide; at recipit hunc Pontificem tanquam verum
certitudine morali, cenſendo ſcilicet probabiliſſimè
in hunc Pontificem concurrere omnia requiſita neceſ-
ſaria vt ſit verus Pontifex.

Sed contra, quia in Bulla Martini V. relata *in
Concilio Conſtantienſi, col.14.* dicitur, prætendendum
eſſe ab hæreticis qui cupiunt Eccleſiæ reconciliari,
quod credant Papam, qui pro tempore fuerit ab Ec-
cleſia vniuerſali receptus, eſſe verum ſucceſſorem
Petri, & habere ſupremam poteſtatem in Eccleſia:
ergo verè Eccleſia proponit tanquam certum certi-
tudine de fide, hunc eſſe verum Papam, aliàs non
peteret id credi de fide ab iis, qui reconciliantur Ec-
cleſiæ.

5 Tertiò, Eccleſia vniuerſalis coniuncta cum ſuo
capite tenet hunc numero Pontificem eſſe verum
Pontificem: ergo de fide eſt hunc numero Pontifi-
cem eſſe verum Pontificem. Conſequentia probatur,
quia Eccleſia vniuerſalis, & maximè coniuncta cum
ſuo capite, errare non poteſt. Vide quæ dicebam *ſu-
prà dubit.238.*

6 Dices, nego conſequentiam, & diſtinguo proba-
tionem: Eccleſia non poteſt errare, errore practico
(qui ſcilicet ſit contra prudentiam) concedo, quia
attentis omnibus circunſtantijs, Eccleſia format pru-
dens iudicium, hunc numero eſſe legitimum Pontifi-
cem. Non poteſt errare errore ſpeculatiuo, qui ſcilicet
de re iudicet aliter, quàm eſt in ſe, nego; quia de facto
ſic contingit in aſſenſu matrimonij eunuchorum;
cum multò tempore iudicauerit Eccleſia, hos eſſe
habiles ad matrimonium; à quo errore ſpeculatiuo
purgata poſtea fuit per Sixtum V. definitione præſti-
ta ſuper hac re.

Sed contra, quia Eccleſia vniuerſalis non poteſt
errare in his, quæ proponit circa inanimatam regu-
lam fidei, ſcilicet Scripturam, non ſolùm practicè,
ſed nec etiam ſpeculatiuè: ergo ſimiliter non poterit
errare in his, quæ proponit circa animatam regulam
fidei, ſcilicet Papam; nam cùm Eccleſia regatur à Spi-
ritu ſancto, & à Chriſto Domino dictum fuerit, *cùm
venerit ille*, ſcilicet Paraclitus, *docebit vos omnem ve-
ritatem*, non poteſt dici Eccleſiam poſſe errare circa
caput ſuum ſpeculatiuè iudicando, & proponendo pro
vero capite, quod reuera tale non eſt. Neque inſtantia
de matrimonio Eunuchorum quidquam vrget; quia
aliud eſt Eccleſiam illud toleraſſe, & aliud illud poſi-
tiuè iudicaſſe eſſe verum matrimonium. Primum fe-
cit, ſecundum non item: nam nunquam Eccleſia ſe ap-
plicuerat ad illam veritatem examinandam, & ſic nul-
lum iudicium poſitiuum circa illam tulerat. Neque
mirum eſt, quod talis veritas tanto tempore latuerit,
quia Eccleſia in ſacra Scriptura comparatur auroræ,
Cant.3. quæ vt notauit Gregorius *lib.4. Moral. c.15.* 7
& 19. ab ortu ſuo ſemper creſcit in alacritate vſque
ad perfectum diem. Vnde in Concilijs plures verita-
tes, quæ priùs latebant, in lucem prodeunt, & ſic
Eccleſiæ ſcientia augetur in dies. Vide quæ dicentur
infrà dubit.262. not.7.

Quartò de fide eſt, non ſolùm Eccleſiam in com- 8
muni, ſed etiam hanc numero Eccleſiam, quæ eſt ſub
hoc numero Papa, eſſe veram & legitimam Eccle-
ſiam: ergo de fide eſt hunc numero Papam eſſe ve-
rum Papam; quia licèt non indiuiduetur hæc Eccle-
ſia ab hoc determinato Papa, cùm eo mortuo eadem
numero perſeueret ſub ſingulis ſucceſſoribus pro tem-
pore exiſtentibus, indiuiduatur tamen & ſpecificatur,
vt eſt Eccleſia hierarchia, etiam ſede vacante, ex or-
dine ad verum caput: ergo cùm de facto datur ei ca-
put ex conſenſu vniuerſali Eccleſiæ, neceſſariò di-
cendum eſt illud eſſe vnum caput, ſiquidem ad conſti-
tutionem Eccleſiæ non minùs pertinet caput quàm
membra, quinimò magis caput, quia eſt principalior
pars: ſed Eccleſia non poteſt conſtare membris, quæ
verè non ſint membra: ergo neque conſtare poterit
capite, quod verè non ſit caput.

Quintò quotieſcunque Deus reuelat propoſi- 9
tionem vniuerſalem propter aliquam contingentem
particularem, de qua maior certitudo quàm moralis
haberi non poteſt, illa certitudo ſatis eſt ad eam pro-
poſitionem de fide credendam: Sed reuelauit Deus
propoſitionem vniuerſalem, Omnis legitimè electus
ad Papatum eſt legitimus Petri ſucceſſor, vt creda-
mus particularem iſtam contingentem, ſcilicet hunc
numero Papam eſſe legitimum Petri ſucceſſorem,
de quo non poteſt maior certitudo quàm moralis
haberi: ergo hæc certitudo ſatis eſt ad eam de fide
credendam. Maior probatur, quia finis reuelationis
eſt nos reddere certos de hac regula animata, cuius
authoritate in rebus ſalutis inſtruamur. Minor pa-
tet, alioquin fruſtraretur reuelatio, & voluntas Dei,
ſi quid reuelaretur de quo maior certitudo quàm mo-
ralis haberi non poteſt, & illa certitudo non ſatis
eſſet ad applicandum obiectum de fide credendum:
ergo poſita tali reuelatione, ad prouidentiam Dei
ſpectat non permittere quod in canonica electione
ſummi Pontificis, & in communi eius acceptatione
falſum ſubſit.

Obiectiones.

Obijcies. Quod quis legitimè ſuccedat in Ponti-
ficatum, pendet ab humana electione Cardinalium,
quæ poteſt eſſe illegitima defectu alicuius conditio-
nis requiſitæ ad Pontificatum: ergo quod hic nu-
mero Pontifex ſit legitimus Petri ſucceſſor, non po-
teſt eſſe certum de fide.

Reſpondetur, concedo legitimam ſucceſſionem
ad Pontificatum pendere ex legitima, ſeu canoni-
ca humana electione Cardinalium: nego tamen, 10
ſi ea moraliter ſit certa, poſſe defectu alicuius
conditionis eſſe illegitimam; quia tenetur Deus
ex

ex suppositione, quod voluit nos credere, hunc numero Pontificem esse suum Vicarium, & Petri Successorem, non permittere, quod ei subsit falsum.

Obiicies secundò, si hoc esset de fide certum de vno, esset de fide certum de omnibus qui in Romanam sedem assumpti sunt: sed hoc est falsum, vt patet de quadam fœmina, quæ referente Platina, errore electorum anno 8 10. assumpta est in Romanam sedem, & in ea vixit per duos annos, & quinque menses, & dicta est Ioannes VIII. cùm de iure diuino, esse marem, sicut & baptizatum & ordinatum requiratur esse legitimum Vicarium Christi, & legitimum Successorem Petri: ergo.

Respondetur, distinguo sequelam maioris; esset de fide certum de omnibus, quorum legitima electio moraliter constabat, concedo; de omnibus quorum legitima electio moraliter non constabat, nego: Historiam de fœmina confutaui suprà.

Obiicies tertiò, omnis propositio de fide necessariò infertur vel ex duplici præmissa de fide, vel ex vna de fide, & altera nota lumine naturali: ergo.

Respondetur cum Bañez ipso, & Albertino *locis supra citatis*, nego antecedens: non enim necessariò requiritur, vt conclusio aliqua inferatur de fide, vtramque præmissam semper esse de fide, vel vnam de fide, & alteram euidentem lumine naturali; sed sufficit aliquando vnam esse de fide, & alteram certam moraliter, quando scilicet maior hac non potest haberi certitudo, vti suprà probabam. Nec mirum, quia tunc conclusio non sequitur ex præmissa certa moraliter, sicut nec præmissa nota lumine naturali, tanquam ex causa, sed tanquam ex conditione sine qua non, seu applicante. Et affert etiam Bañez ipse exemplum de prædicante, qui si ritè proponat doctrinam Euangelicam, teneris fide diuina credere, cùm tamen non sit de fide hunc prædicantem infallibilis esse authoritatis.

Obiicies quartò, sequeretur hanc propositionem [sub hac numero hostia consecrata est corpus Christi] esse de fide, qualis est ista [in omni hostia debitè consecrata est corpus Christi,] & ex altera certa moraliter, tanquam ex conditione sine qua non, seu applicante, qualis est ista [hæc hostia est debitè consecrata: ergo sub hac hostia est corpus Christi] esset propositio de fide. Idemque similiter dici posset de his aliis propositionibus [hic paruulus baptizatus recipit gratiam,] [hic ordinatus est Sacerdos;] quas tamen certum est non esse certas de fide, cùm possit illis subesse falsum ex defectu intentionis baptizantis, vel ordinantis, vel ex alio capite.

Respondetur, disparitas est, quia ex dictis in casu nostro est maior certitudo moralis, quàm in propositionibus de hostia consecrata, de baptizato, vel ordinato; & præterea in casu nostro est certitudo moralis, & euidentia credibilitatis spectans ad omnes, & sic spectat ad prouidentiam Dei impedire errorem vniuersalem, ex quo sequerentur inconuenientia in Ecclesia vniuersali; non sic impedire errorem particularem, ex quo sequerentur inconuenientia in Ecclesia solùm particulari.

Obiicies quintò: totus finis ob quem tenemur credere hunc numero Pontificem esse legitimum Christi Vicarium, & legitimum Petri successorem est, ne tota Ecclesia erret credendo vt verum quod Pastor proponit: At hinc tantùm sequitur solùm esse de fide, quando quid ex Cathedra proponit, non autem prius: ergo.

Respondetur, distinguo sequelam maioris: totus finis vltimatus, concedo; totus finis proximus, nego; siquidem duplex finis est, ob quem tenemur certò credere hunc numero Pontificem esse legitimum Christi Vicarium, & legitimum Petri successorem: vnus vltimatus, ne tota Ecclesia erret, credendo ut verum quod falsus pastor proponit: Alius proximus, vt Ecclesia certa sit de capite, & regula animata sua. Quapropter etsi ob priorem finem satis sit id certò credere, cùm quid iuridicè decernit; non tamen satis est ob posteriorem, quod opus est ad vitanda incommoda: posset enim Pontifex diu viuere, qui nullum actum iuridicum certum exerceret, multos verò dubios, multosque crearet Cardinales: quæ omnia dubitarentur, nisi certum esset illum fuisse legitimum Christi Vicarium, & legitimum Petri Successorem.

Obiicies sextò, ex Bañez: Non est de fide huoc numero electum in Pontificem esse marem, baptizatum, ordinatum, &c. ergo neque esse verum Pontificem.

Respondetur, nego antecedens, quia ex dictis, de fide est hunc numero Pontificem, eo ipso quod posita tantùm morali certitudine de canonica electione Cardinalium, ab Ecclesia vniuersali receptus est, esse verum Pontificem, consequenter & de fide est esse marem, baptizatum & ordinatum, & habere omnia requisita de iure diuino, vt sit capax talis dignitatis, quia Ecclesia, præsertim iuncta suo capiti, non potest in hac vniuersali acceptatione errare, cùm Spiritus Sanctus qui ipsi assistit, id non permittat, iuxta ea quæ dicebam suprà *dub.* 238. 248. *&* 249.

Obiicies septimò, potest Pontifex definire res fidei, & regere vniuersalem Ecclesiam, quin sit verus Pontifex, sed solùm existimetur vt talis, ergo: Antecedens probatur, quia prætori incapaci confert Respublica iurisdictionem, cùm vt legitimus existimatur, ne ex actibus eius nullis grauia inconuenientia sequantur: ergo similiter dicendum, quod Pontifici incapaci, qui vt legitimus reputatur, conferat Christus omnem iurisdictionem & authoritatem quam conferret Pontifici vero, propter eandem rationem, ne in Republica Christiana grauiora inconuenientia sequantur.

Respondetur, nego antecedens, & probationem, quia potestatem definiendi posse annecti Pontifici, non vero, sed reputato, suprà *dubitat.* 248. *&* 249. reiectum est, vtpotè sine fundamento dictum, quin rationi, & locis Scripturæ sacræ contrarium.



DVBITATIO CCLI.

An sit de fide, quod Pontifex non possit errare in ferendis legibus pro tota Ecclesia?

SVMMARIVM.

1 *Pontifex ex malitia, vel ignorantia potest errare in ferenda sententia circa res gestas, non tamen vt Pontifex, sed vt persona priuata.*

2 *Si ex huiusmodi sententia aliquis perniciosus error alicui particulari Ecclesiæ, vel personæ priuatæ sequatur, non intendit ad illius obseruantiam obligare.*

3 *Potest etiam errare circa prudentiam in multiplicandis legibus, vel statuendis qua non adeò Ecclesiæ conueniunt; quod tamen temerarium est asseuerare.*

4 *De fide est, Pontificem non posse errare in pascendis ouibus.*

5 *Non potest in Ecclesia deficere spiritus veritatis.*
6 *Non potest etiam in rebus fidei errorem docere.*
7 *Quamvis Ecclesia obediendo potius institutis Pontificis non peccaret, pernicioso tamen errore macularetur, contra Christi promissionem.*



SENSVS quæstionis est, an sit de fide quod Pontifex non possit ex malitia, vel ignorantia statuere aliquid à fidelibus obseruandum, quod malum sit, seu legi diuinæ, vel naturali contrarium.

1 Suppono Pontificem ex malitia, vel ex ignorantia posse errare in sententia aliqua ferenda circa res gestas, quia potest innocentem condemnare, vel reum absoluere; tunc tamen non dicitur Pontifex, quatenus talis est, errare, sed quatenus est quædam specialis persona, iudex eorum constitutus: sic ex com-
2 muni Bañez 2.2.q.1.*art.*10. *dub.*6. *concl.*4. vbi rectè subdit, quod si ex huiusmodi sententiis aliquis perniciosus error alicui particulari Ecclesiæ, vel personæ priuatæ sequatur, non sit intentio Pontificia ad illius obseruantiam obligare, iuxta text. *in cap. si quando, de rescriptis*, vbi dicitur: *Si quando aliqua tuæ fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes, & qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reuerenter adimplens, aut per literas tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas.*

3 Suppono secundò, Pontificem posse etiam errare secundum prudentiam in statuendis, vel multiplicandis legibus rerum agendarum, quæ non ita Ecclesiæ conuenientes sunt; quod inde patet, quia propterea sæpè fit, vt Pontifex mutet, quæ prædecessores eius statuerunt: sic ex communi etiam Bañez *loc. supr. cit. concl.* x. *ad* 3. Quamvis in dubio nunquam eum in casu speciali errare, dicendum; quia tunc is qui diceret, temerarius esset, cum præsumptio semper esse debeat pro legislatore. His suppositis:

4 Respondetur affirmatiuè; & probatur, quia de fide est, non posse Pontificem errare in pascendis ouibus: sed oues pascuntur non solùm doctrina fidei, sed etiam suorum institutis: ergo de fide est, non posse Pontificem errare in huiusmodi institutis.

5 Secundò, de fide est, non posse in Ecclesia deficere spiritum veritatis: sed si Pontifex præciperet obseruari quid legi diuinæ contrarium, iam spiritus veritatis in Ecclesia deficeret: ergo.

6 Tertiò, de fide est non posse Pontificem in rebus fidei errorem docere: sed si quid legi diuinæ contrarium obseruari præciperet, errorem doceret, siquidem doceret credere hoc esse obseruandum, quod est error in fide: ergo.

Obiicies: Talis error non videtur damnosus Ecclesiæ; siquidem non peccaret illum amplectendo: ergo. Confirmatur, quia Petro, & eius successoribus videtur promissa firmitas fidei, non autem honestas morum: ergo in hac poterit esse error, etsi non in rebus fidei.

Respondetur, transeat antecedens: at nego consequentiam, & confirmationem; quia licèt concedamus Ecclesiam obediendo prauis institutis, seu legibus, non peccare; negari tamen non potest maculari pernicioso errore, à quo Christus promisit eam liberare: tum cùm promisit eius fidem non defuturam, tum cùm Petro & eius successoribus imperauit oues suas pascere salubri doctrina, & rectis morum institutis.



DVBITATIO CCLII.

An sit de fide, quod Pontifex non possit errare in ferendis legibus pro parte Ecclesiæ, pro aliqua diœcesi, vel Prouincia?



RESPONDETVR, quod licèt nonnulli Doctores, vt Corduba *lib.* 4. *quæstionar. quæst.* 1. *prop.* 10. *limit.* 3. & Bellarm. *lib.* 4. *de Pontif. cap.* 2. negent, sentiantque in tali casu Pontificem posse errare, quia tunc non videtur gerere munus Pontificis, cùm vniuersalem Ecclesiam non adstringat; probabilius tamen affirmatur contrarium: atque sic tenet Bañez 2.2. *q.* 1. *art.* 10. *dub.* 6. *concl.* 4. & probatur, quia adhuc, quatenus est supremus Pastor, legem statuit obligantem aliquam prouinciam; secundùm hanc enim rationem habet regimen sibi commissum, non solùm totius Ecclesiæ, sed etiam cuiuslibet prouinciæ: ergo si respectu totius Ecclesiæ non potest errare, quia respectu illius est suprema regula veritatis, etiam non poterit errare respectu cuiuslibet prouinciæ, quia respectu cuiuslibet prouinciæ est etiam eadem regula veritatis.

Secundò, si Pontifex posset errare in statutis specialibus, præcipiendo ea obseruari ab aliqua Prouincia, quæ contraria sunt legi diuinæ, vel naturali, sequeretur quod posset errare circa totam Ecclesiam: ergo. Sequela antecedentis probatur, quia Ecclesia vniuersalis haberet sufficiens fundamentum credendi sic præceptum bonum esse seruandum ab illa Prouincia: sed tale iudicium est erroneum: ergo cogeretur ex errore speciali Pontificis Ecclesia vniuersalis errare, quod non videtur dicendum.



DVBITATIO CCLIII.

An sit de fide, quod Pontifex non possit errare in canonizatione Sanctorum?

SVMMARIVM.

1 *Scandalosum & hæreticum est affirmare Pontificem posse errare in canonizatione Sanctorum.*
2 *Sanctos inuocandos, & eorum reliquias venerandas esse, de fide est.*
3 *Pontifex ad declarandum aliquid de fide, moueri debet humano modo, adhibita diligentia, cùm ipsi vt homini promissa sit assistentia Spiritus Sancti.*
4 *Canonizatio non pendet absolutè à miraculis, & ideo non est de fide ipsi credere.*
5 *An sit vt hæreticus puniendus affirmans Pontificem in eiusmodi canonizatione posse errare.*
6 *Ad solum summum Pontificem spectat Sanctos canonizare.*



RESPONDETVR, quod licèt S. Antonin. *in* 3. *part. tit.* IX. *cap.* 8. Caiet. *in opusc. de Indulg. ad Iulium, cap.* 8. Canus *de locis Theolog. lib.* 5. *cap.* 5. & Bañez 1
2.2. *quæst.* 1. *artic.* 10. *dub.* 7. *concl.* 2. negent, quatenus aiunt esse tantùm temerarium, scandalosum, &

& hæresim sapiens, affirmare Pontificem in tali casu posse errare, quibus fauet S. Thom. *quodlib. quæst.*
1 *art. vlt.* quatenus inquit, canonizationem Sanctorum esse quid medium inter iudicium infallibile Papæ de rebus fidei, & iudicium fallibile eiusdem de rebus ciuilibus, & criminalibus: probabilius tamen sit oppositum, nempe non solum esse temerarium, & scandalosum, sed etiam hæreticum formaliter affirmare Pontificem in canonizatione sanctorum posse errare. Sic præter alios docet Valentia 2. 2. *disput.* 1. *quæst.* 1. *p.* 7. *q.* 6. §. 40. *vers. itaque*: & probatur, quia de fide est, Pontificem non posse errare in legibus vniuersalem Ecclesiam spectantibus, quia decerneret quid legi diuinæ, & naturali contrarium, vt dicebam *dubit.* 251. sed si posset errare in canonizatione sanctorum, decerneret legem legi diuinæ & naturali contrariam: ergo de fide est Pontificem non posse errare in canonizatione Sanctorum. Minor probatur, quia Pontifex canonizans Sanctum obligat omnes fideles ad credendum illum esse in cœlis, & ad eundem venerandum tanquam Dei amicum in terris: quod si error esset, iam Pontifex obligaret omnes fideles assentiri falsitati, & veneratione indignum venerari, quod est legi diuinæ, & naturali contrarium: ergo.

2 Secundò, de fide est Sanctos inuocandos esse, & eorum reliquias, & imagines venerandas, vt constat ex Clement. & Extrauag. de reliquiis & vener. Sanctorum, & ex Trident. Concil. *sess.* 25. *decret. de ead. re*: ergo de fide est Sanctum, qui declaratus est talis ab Ecclesia, esse inuocandum, & venerandum: & sic de fide est illum esse in cœlis, & amicum Dei, aliàs inuocari non posset.

Obiicies, canonizatio Sanctorum fit ex testimonio habito de sanctitate, & miraculis Sancti canonizati; ergo non est de fide. Consequentia probatur, quia tale testimonium cùm sit humanum, non est infallibile, sed fallax esse potest.

Respondetur, distinguo antecedens: fit ex testimonio habito de sanctitate & miraculis sancti canonizati, tanquam ex motiuo, nego; quia sic fit ex speciali instinctu, & assistentia Spiritus Sancti, ratione cuius eius declaratio est firma & infallibilis: tanquam ex conditione præuia applicante conenienter
3 prærequisita, concedo; quia Pontifex ad definiendum, seu declarandum aliquid de fide, debet moueri humano modo, adhibita diligentia, cùm ipsi Pontifici humano modo, vtpotè homini, promissa sit assistentia Spiritus Sancti, vt dicebam *dubit.* 238. nam semper Deus se accommodat cum causis secundis, vnde dicitur, quod attingat omnia fortiter, sed suauiter.

Obiicies secundò, vt credere de fide teneamur hunc canonizatum esse in cœlis, credere de fide teneremur miracula & sanctitatem illius, quibus Pontifex motus est ad illum canonizandum, vera esse; sed hoc est impossibile: ergo. Minor probatur, quia impossibile est credere de fide veritatem quæ non sit reuelata: sed miracula & sanctitas illius canonizati, quin & status illius in cœlis, nullibi reuelata sunt: ergo.

Confirmatur, quia Ecclesia nunquam fidelibus proponit articulum nouum credendum, qui Apostolicis vel Canonicis Scripturis propositus non sit: at nullibi propositum est, Franciscum, v.g. vel Carolum in cœlis esse: ergo Ecclesia cùm id proponit, non proponit tanquam quid de fide, sed ad summum tanquam quid certum moraliter, cui propterea meritò fides humana adhiberi debeat.

4 Respondetur, concedo de fide credendam nobis esse sanctitatem canonizati, non tamen miracula allegata, quia ex dictis canonizatio non pendet necessariò à miraculis, & sic vera potest esse eius sanctitas, & in cœlis assistentia, quin miracula allegata vera fuerint. Ad minorem autem, & confirmationem respondeo, sanctitatem, & in cœlis assistentiam canonizati non esse nobis singulariter, & explicitè reuelatam, esse tamen benè virtualiter, & implicitè; quia reuelatum nobis est in cœlis esse eum qui decedit in gratia: Item reuelatum nobis est Pontificem ob assistentiam Spiritus Sancti non posse errare in iis quæ spectant ad religionem vniuersalis Ecclesiæ, qualis est canonizatio Sanctorum. Ex quibus clarè sequitur, esse de fide, hunc canonizatum esse in cœlis, cùm sequatur ex vna præmissa de fide, & altera euidenti, vt patet in hoc discursu: De fide est Pontificem non posse errare in iis quæ spectant ad cultum vniuersalis Ecclesiæ: sed talis est veneratio huius Sancti, posita canonizatione ipsius: ergo.

Instabis, Aliud est assentiri decedentibus in gratia promissum esse cœlum, & Pontifici promissam esse assistentiam Spiritus Sancti; & aliud assentiri hunc canonizatum piè vixisse, & hîc & nunc Spiritum Sanctum in hac canonizatione assistentiam præstitisse, sicut aliud est assentiri in hostia ritè consecrata esse corpus Christi, & aliud assentiri hanc numero hostiam esse ritè consecratam; siquidem primum illud generale suppositum est de fide, secundum autem tantum certum moraliter: ergo canonizati sanctitas, & in cœlis assistentia non est de fide.

Respondetur, ad summum sequi, non quod sit de fide per se primò, sed per se secundò, eo quòd sequatur ex duplici reuelata, vel saltem ex vna reuelata, & altera euidenti; quod tamen in hostia consecrata non sequitur, quia esse hanc hostiam consecratam non est certum certitudine euidenti, sed solùm morali: sed quod hic canonizatus in cœlis assistat, posita definitione, de fide est, quia de fide est, certum esse quod Pontifex vniuersali Ecclesiæ obseruandum proponit.

Obiicies tertiò, solùm hæreticus censetur qui negat in Pontifice authoritatem declarandi sanctorum statum, non autem qui negat sic declaratum in cœlis esse, vt tradunt supradicti Doctores, S. Antoninus, Caietanus, Bañez, & Canus: ergo.

Respondetur, distinguo antecedens, ab extrinseco 5
propter authoritatem nonnullorum Doctorum, concedo: ab intrinseco, propter rationes, vt patet ex dictis, nego. Vnde concedo affirmantem posse Pontificem errare in canonizatione Sanctorum, non esse absolutè tanquam hæreticum puniendum, quia non affirmat aliquid, quod est contrarium his, quæ Ecclesia recipit tanquam de fide, sine vlla controuersia Doctorum, cùm S. Antoninus, Caietanus, Bañes, & Canus sentiant non esse de fide Pontificem in tali casu non posse errare, & sic Ecclesia id non defendat, tanquam quid de fide certum sine vlla controuersia. Interim tamen ex maiori probabilitate, seu certitudine, qua putamus de fide esse, Pontificem in canonizatione Sanctorum non posse errare, dicendum est hæreticum esse eum qui id negaret.

Petes ad quemnam propriè spectet Sanctos canonizare.

Respondetur, spectare solùm ad Summum Pontificem, *cap.* 1. *de reliq. & vener. Sanctorum*, ita vt sine ipsius licentia nemini Episcoporum liceat aliquem pro sancto venerari. Mascard. *præs.* 28 2. *num.* 59. Azor. 1. *part. instit. moral. lib.* 5. *cap.* 6. *quæst.* 1. Cened. *ad decret. collectan.* 52. *num.* 4. Genuensis *in praxi Archiepisc. c.* 51. *n. fin.* & Barbosa *de potest. Episcop.* 3. *part. alleg.* 50. *num.* 43.



DVBITATIO CCLIV.

An sit de fide quod Pontifex non possit errare in Beatificatione Sanctorum?

SVMMARIVM.

1 *Beatificatio quid? Quo cultu Beatificandus sit venerandus, Pontificis est determinare.*
2 *Canonizatio in quo à beatificatione differat, & in quo conueniant, num. 4.*
3 *De ratione canonizationis non est Ecclesiam obligare sub præcepto ad venerationem canonizati.*
5 *Temerarium & scandalosum est asserere, Pontificem in Beatificatione sanctorum posse errare.*
6 *Sub nomine canonizationis venit Beatificatio, in quibus Pontifex errare non potest.*
7 *Pontifex concedens Missæ sacrificium in honorem Beatificati, toti Ecclesiæ eum venerandum proponit, etiamsi per aliquos solùm ministros.*

1 SVPPONO, quod beatificatio sit quædam facultas, seu licentia concessa alicui speciali prouinciæ, Ecclesiæ, vel Religioni, vt aliquem tanquam sanctum, & in cœlis existentem veneretur; sed quia venerari illum potest multiplici cultu, scilicet sacrificio Missæ, orationibus, processionibus, publicis votis, inuocatione, & imaginis gestatione, ideo Pontifex beatificando illum, simul determinare potest quo cultu venerandus sit.

2 Suppono secundò, quod canonizatio distinguatur à beatificatione in eo, quod canonizatio sit facultas, seu licentia concessa non alicui speciali Prouinciæ, Ecclesiæ, vel Religioni, sed vniuersali Ecclesiæ, vt aliquem tanquam sanctum, & in cœlis assistentem veneretur, & consequenter est facultas, seu licentia, & concessio venerandi sanctum eo cultu, quo sancti canonizati coli solent.

Dixi, in hoc distingui canonizationem à beatificatione; quia id quod quidam dicunt, distingui canonizationem à beatificatione, quia de ratione canonizationis sit obligare totam Ecclesiam vt canonizatum veneretur, de ratione verò beatificationis non sit obligare totam Ecclesiam, quin neque specialem Prouinciam, Ecclesiam, vel Religionem, pro qua beatificatio conceditur, sed solùm permittere eius venerationem, mihi non probatur; quia de ratione canonizationis non est obligare totam Ecclesiam vt canonizatum veneretur; nam si ad hoc obligaret, obligaret ad aliquem cultum exhibendum à tota Eccle-
3 sia, & sic quod tota Ecclesia Missam, vel preces, vel Processionem aliquam in eius honorem faceret, quod non fit specialiter de omnibus Sanctis: ergo solùm ex vi canonizationis conceditur facultas canonizatum venerandi, non autem fertur præceptum alicuius venerationis, saltem quoad exercitium, sed ad summum quoad specificationem, sicque quod si circa sanctum quis aliquam actionem exerceat, ea cultus & venerationis esse debeat. Vnde tam canonizatio, quàm beatificatio est ex se facultas, licentia, seu concessio sanctum publico ritu venerandi, non tamen præceptum de illius expressa, & quoad exercitium veneratione facienda.

4 Suppono tertiò, quod in omnium sententia temerarium, & scandalosum sit affirmare Pontificem
5 in beatificatione Sanctorum posse errare, quia id sine fundamento, & contra rectam morum institutionem diceretur, præsertim si beatificatio sit qualis semper esse solet, in qua conceditur vt Missa in honorem beatificati dicatur. His suppositis,

Respondetur affirmatiuè, & probatur; quia Doctores loquentes de canonizatione, & affirmantes Pontificem in ea non posse errare, de beatificatione nihil dixerunt: ergo signum est sub canonizatione comprehendisse beatificationem. 6

Secundò, Pontifex beatificans sanctum Missæ sacrificio, scilicet concedens quod Missa in honorem illius dicatur, toti Ecclesiæ eum venerandum proponit, quia nomine totius Ecclesiæ Missæ sacrificium offertur, ipsaque tota Ecclesia medio illo Ministro, & sacrificio per illum oblato, Sanctum illum veneratur: sed Pontifex errare non potest in bis quæ pertinent ad cultum vniuersalis Ecclesiæ, vti dicebam: ergo.

Obijcies, si Pontifex erraret in beatificatione, Pontificis error non totam Ecclesiam induceret in errorem, si quidem non proponit toti Ecclesiæ quod beatificatum veneretur: ergo. 7

Respondetur, nego sequelam antecedentis, quia licèt Pontifex non proponat illum venerandum per totius Ecclesiæ Ministros, proponit tamen venerandum ab vniuersali Ecclesia per aliquos Ministros, quod sufficit vt dicatur totam Ecclesiam errare.



DVBITATIO CCLV.

An, & vsquequò, seu vsque ad quem cultum beatificatio extendi possit.

SVMMARIVM.

1 *Facultas quibusdam concessa ad venerandum beatificatum, an ad alios extendatur.*
2 *Missa propria, & officium proprium differunt à votiuo, quod potest ad honorem Beatificati celebrari, non autem illud.*
3 *Quilibet sacerdos potest Missam votiuam & officium votiuum in honorem beatificati celebrare, pro quo Pontifex concessit alicui Ecclesiæ particulari, siue Religioni Missam propriam, vel officium proprium aliquo die.*
4 *Beatificati imaginem quilibet adorare, & in altari constituere potest, ac publica processione circumferre.*
5 *Satis est vt aliquibus concedatur à Pontifice & Missa, & officium, & qualibet alia veneratio beatificati, vt nulli prohibeatur.*
6 *Quod limitandum de officio votiuo, non proprio.*
7 *Canonizati & beatificati differentia quoad officium celebrandum.*

ENSVS est, an liceat aliis ab his, quibus venerandi beatificatum facultas conceditur, illum venerari ritu in beatificatione præscripto: v. g. conceditur Religioni nostræ Theatinorum venerari B. Caëtanum, & B. Andream Auellinum sacrificio Missæ, processione solemni, & horis Canonicis, die quo obierunt. An possint Clerici sæculares etiam sacrificio Missæ, processione solemni, & horis canonicis illos venerari, siue in suis Ecclesiis, siue in nostris; siue ipso die quo obierunt, siue alio. 1

Suppono aliud esse Missam propriam, & officium proprium alicuius sancti recitare, & aliud Missam votiuam, & officium votiuum. Si quidem de S. Petro, Paulo, Augustino, Thoma, & aliis Sanctis dicitur Missa propria & officium proprium non omnibus diebus anni, sed vno tantùm, extra quem nemo 2

potest

putest attentis regulis Missalis,& Breuiarij à Pio V. Gregorio XIII. & Clemente VIII.reformati, Missam,& officium proprium illorum celebrare: de multis autem aliis Sanctis canonizatis nemini licet Missam propriam, & officium proprium recitare, & de aliquibus solùm concessum est alicui Prouinciæ, vel Regularibus personis. Quæ tamen limitata concessio non obstat quominus Missam votiuam, & officium votiuum quilibet illis exhibera possit: quia eo ipso quod Pontifex illos in numerum Sanctorum ascripsit, & dignos iudicauit vt in ipsorum honorem nomine totius Ecclesiæ Missæ sacrificium offerretur: iudicauit etiam, posse quemlibet fidelem, si velit, similem eis ex deuotiune honorem præstare. Hoc posito.

3 Respondetur, contra Ludouicum Torres s. 2. *disp.* 17. *dub.* 8. probabilius esse, posse quemlibet Sacerdotem Missam votiuam, & officium votiuum recitare in honorem illius beatificati, pro quo Pontifex concessit alicui speciali Prouinciæ, Ecclesiæ, vel Religioni Missam, & officium proprium aliquo die celebrare.

Probatur, quia vna Missa in vno loco est eiusdem valoris, & æstimationis ac plures Missæ in pluribus locis: ergo Pontifex concedens Missam aliquam in honorem alicuius dici, hoc ipso declarat illum esse dignum, in cuius honorem omnes dici possint: sed hac declaratione facta, tollitur prohibitio relata *in cap. 1. de reliq. & venerat. Sanctorum*, in quo cauetur, nullum esse venerandum sine authoritate Sedis Apostolicæ, quæ iudicauit eum dignum asse tali veneratione. Neque obstat si dicas, verum asse, Sedem Apostolicam, hoc ipso quod concedit vt in honorem alicuius celebretur Missa, simul declarare eum dignum esse, vt ab omnibus Sacerdotibus illo cultu possit venerationi haberi: at inda non infertur, posse Sacerdotes illum venerari, non quia beatificatus non sit dignus, sed quia ipsi non sint digni. Non obstat, inquam, quia nemini publicum cultum ex deuotione alicui exhibere impeditur, nisi quia is, cui est exhibendus, non iudicatur à Sede Apostolica dignus, vt constat ex *text. in cap.* 1. *de reliq. & venerat. Sanctorum*, vbi Alexander III. occasiona aliquorum qui hominem quendam in potatione, & ebrietate occisum tanquam Sanctum venerabantur, subdit: *Illum ergo non præsumatis de cætero colere, cùm etiamsi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro Sancto absque Romana Ecclesia authoritate venerari.*

Confirmatur exemplo cuiuslibet Sancti canonizati, in cuius honorem potest quilibet Sacerdos vbilibet, & quolibet die Missam celebrare, non quidem propriam, quia fortè nec pro vno die ei est assignata, sed votiuam, iuxta regulas Missæ votiuæ, ao quòd à Sede Apostolica iudicatus est dignus cui talis honor exhibeantur; sed etiam in Sancto Beatificato simila iudicium ab eadem Sede Apostolica factum est, cùm Missam in ipsius honorem celebrare aliquibos personis permiserit: ergo.

4 Hinc sequitur, posse quempiam eiusdem Sancti Beatificati Imaginem adorare, & adorandam in altari constituere, & in publica processiona circumferre, quia cùm Pontifex illum iudicauerit dignum supremo cultu Missæ, & officij canonici, multò magis iudicauit dignum omni alio cultu inferiori.

Obiicies, Sedes Apostolica solùm Religiosis Theatinis concessit hos Beatos venerari: ergo venerari nulli alteri licebit. Consequentia probatur, quia ex *cit. cap. 1. de reliq. & vener. Sanctorum*, nulli licet sine licentia Sedis Apostolicæ aliquem honore publico venerari.

5 Respondetur, nego consequentiam, quia ex concessione facta Religosis Theatinis sublata est prohibitio omnibus facta *in dict. cap.* 1. siquidem ibi solùm prohibetur venerari aliquem absque authoritate Sedis Apostolicæ: sed in huius venerationem iam authoritas Apostolica intercedit: ergo licet omnibus eum venerari.

Instabis, authoritas Apostolica in tantum intercedit, in quantum concedit facultatem Missam celebrandi: sed facultatem hanc non concedit omnibus, sed solùm Religiosis Theatinis: ergo intercedit pro his solùm, non autem pro omnibus: & sic hi solùm, non autem omnes poterunt in honorem illorum beatorum Missam celebrare.

Respondetur, distinguo minorem, si loquamur de Missa, & officio canonico proprio, concedo; si loquamur de Missa, & officio canonico votiuo, nego; quia authoritatem Apostolicam intercedere, seu concedere Religiosis Theatinis Missam & officium canonicum in honorem dictorum Beatorum, dupliciter intelligi potest. Primo modo, approbando illos vt dignos in honorem quorum Missa & officium canonicum ab omnibus celebretur. Secundo modo, concedendo facultatem aliquibus tantùm, Missam & officium canonicum proprium celebrandi. Hoc secundo modo concedo pro aliquibus personis tantùm authoritatem Apostolicam intercedere, vt etiam reperiri solet in Sancto canonizato: at primo modo respectu totius Ecclesiæ vniuersalis, authoritas Apostolica intercedit ob rationes nostras iam dictas. 6

Obiicies secundò, si liceret omnibus Missam celebrare, non esset cur Pontifex licentiam limitaret pro aliqua speciali Prouincia, Ecclesia, vel religione: ergo.

Respondetur, nego sequelam antecedentis, quia diuersum est celebrare Missam, & officium canonicum proprium, ac celebrare pro deuotione; nam celebrare proprium, specialis solennitas est, & specialis fauor factus ab Apostolica Sede, sicut erat specialis fauor factus Franciscanis, & singularis honor S. Didaci, cùm in ipsius honorem ab omnibus Sacerdotibus Missa propria in eius die celebrabatur: at non ex eo, quod in præsenti nemini alteri à Franciscanis liceat Missam S. Didaci aclebrare, prohibantur alij qui voluerint, votiuam celebrare.

Obiicies tertiò: hæc concessio facta Religiosis celebrandi Missam in honorem Sancti beatificati suæ Religionis, est quædam permissio, seu priuilegium derogans vniuersali prohibitioni factæ *in dicto cap.* 1. ne aliquem veneremur absque authoritate Sedis Apostolicæ: ergo manet integra prohibitio respectu illorum, quibus priuilegium non est concessum.

Respondetur, distinguo antecedens: tantùm, nego: non tantùm, concedo; quia concessio illa & est priuilegium, & remotio conditionis sub qua lex lata *in d. cap.* 1. obligat. Est enim priuilegium, quatenus est concessio, & facultas Missam propriam, & officium proprium celebrandi, & item remotio illius conditionis, quatenus est approbatio dignitatis, & meriti Sancti beatificati; quia cùm illa lex prohibeat publicam venerationem sancti qui à Sede Apostolica probatus non fuerit, probatione Pontificis remouetur conditio requisita ad prohibitionem. Ex quo fit probationem factam *in dicto cap.* 1. cessare in veneratione Sancti beatificati, quia cessat negatio probationis Pontificiæ, sub qua obligat.

Obiicies quartò, si de Sancto beatificato possent omnes ex deuotione Missam, & officium celebrare, nulla esset differentia inter Sanctum canonizatum, & beatificatum.

Respondetur, nego sequelam antecedentis, quia licèt de pluribus Sanctis canonizatis non possit propria Missa & proprium officium dici, 7

co, quòd non sint relati in Missali & Breuiario, & sic quoad hoc nulla videatur esse inter Sanctum Canonizatum, & Beatificatum differentia, tamen de Sancto Canonizato præcipitur nobis, saltem quoad specificationem, illum credere esse in cœlis, & dignum in cuius honorem Missa & officium celebretur, de Sancto autem Beatificato id solùm permittitur.

Cæterum, hæc dixi præscindendo ab aliquo Sacræ Congregationis decreto, quod sit in contrarium, vt circumfertur, sed non constat authenticè.



DVBITATIO CCXLVI.

An sit de fide, quod Pontifex non possit errare in approbatione Religionum.

SVMMARIVM.

1 *Pontifex non potest errare in approbatione Religionum.*

2 *Error Vvicleft damnantis asserentis omnes Religiones à diabolo introductas.*



SVPPONO, quod cùm Pontifex Religionem aliquam approbat, approbat vitæ aliquod institutum sub voto paupertatis, castitatis, & obedientiæ, tanquam quid Euangelio multum conforme ad vitam æternam consequendam. Quod institutum & continet finem aliquem ad vitam æternam pertinentem, & insuper media aliqua quibus hic finis obtineri potest. Hoc supposito,

1 Respondetur affirmatiuè, scilicet esse de fide, Pontificem non posse in approbatione huius finis, & mediorum, quæ sibi proponuntur, errare, itavt approbet tanquam quid conforme Euangelicæ perfectioni, quod conforme reuerà non sit. Ita docet Valen-
2 tia *2.2.disp.1.quæst. 1. punct.7.* §. 41. & colligitur ex Constantiensi Concilio *sess.* 8. vbi damnatur error Vvicleft confitentis omnes Religiones indifferenter à diabolo introductas esse: cui errori non leuiter faueretur, si Pontifex posset aliquam Religionem Euangelicæ perfectioni contrariam approbare tanquam conuenientem: talis enim approbatio esset à diabolo, non à Christo, & eius Vicario.

Probatur: De fide est, Pontificem, quatenus est talis, non posse errare in his quæ ad fidem, & mores vniuersalis Ecclesiæ pertinent: non enim in errorem inducere potest vniuersalem Ecclesiam, aliàs non esset promissus spiritus veritatis in vniuersali Ecclesia, vt patet ex his quæ dicebam *dubitat.* 318. *& seqq.* At si Pontifex approbaret aliquod institutum religiosum, tanquam quid Euangelicæ perfectioni conueniens, quod reuera non esset conueniens, sed contrarium, induceret in errorem, eumque perniciosum in vniuersalem Ecclesiam: ergo.



DVBITATIO CCLVII.

An sit de fide quod Pontifex non possit errare in approbatione Religionum, etiam quoad circunstantias, & adiacentia quædam.

SVMMARIVM.

1 *Fieri potest vt Pontifex secundùm leges prudentiæ aliquando erret approbando aliquod institutum Ecclesiæ minus conueniens.*

2 *Quidam Pontifices nouarum Religionum institutionem prohibuere.*

3 *Pontifex potest obligare vniuersalem Ecclesiam ad rem quæ ei aliquo modo inconueniens est.*

4 *Vt etiam multiplicare leges rerum agendarum, quæ ad salutem necessaria non sunt.*



SVPPONO, nunquam præsumendum esse, de facto Pontificem in approbatione cuiuslibet Religionis minùs cautè & prudenter procedere, quia esset iniuria grauis facta Pontifici, & contra debitam reuerentiam, & subordinationem subditorum erga suum superiorem, & Pastorem: loquor ergo solùm de possibili, an scilicet secundum leges prudentiæ possit errare Pontifex approbando aliquam Religionem, cuius institutum, licèt malum non sit, neque Euangelicæ perfectioni contrarium, sit tamen minus conueniens Ecclesiæ, vel quia nimis durum, vel quia nimis laxum, vel quia ex illo sequitur confusio aliqua in Ecclesia, & feruoris spiritualis diminutio in aliis Religionibus. Hoc supposito,

Respondetur negatiuè, quin quod in re ipsa possit Pontifex minùs cautè & prudenter procedere aliquando, non quidem, vt dicebam *dubit. præcedenti*, approbando Religionem, quæ reuera inconueniens sit ex se, sed quæ adiunctis circumstantiis sit minus conueniens, atque ita docent Bañez 2.2.q.1.*art.*10.*dub.*8. *concl.*5.& alij contra Valentiam *disp.*1. *q.*1.*p.*7.§.41. Et probatur, quia Innocentius III. *in cap. vlt. de Religiosis*, & Gregorius X. *in c.* 1. *eod. titulo* 6. Prohibent 2
firmiter nouarum Religionum institutionem, ne nimia Religionum diuersitas confusionem in Ecclesia inducat: ergo Pontifex pro tunc temporis sensit non esse conueniens nouam Religionem instituere: ergo si de facto illam approbaret, quod non implicat, quin de facto sæpè contingit, vt mox *infrà* dicetur, rem minus conuenientem Ecclesiæ videretur facere: ergo.

Secundò, sæpè Pontifex Religiones approbatas re- 3
formauit & dissoluit: ergo sensit Ecclesiæ non conuenire, vt illæ existerent, nam ideo dissoluit, quia non iudicantur conuenientes, etsi ante dissolutionem inconuenientes erant; sed non obstante ista inconuenientia approbantur, & Pontifex obligabat vniuersalem Ecclesiam ad receptionem illarum: ergo potest Pontifex obligare vniuersalem Ecclesiam ad rem, quæ ei aliquo modo inconueniens est, quia ex alio capite habet conuenientiam.

Tertiò, potest Pontifex leges rerum agendarum, & 4
quæ ad salutem necessariæ non sunt, ita multiplicare, vt illarum multiplicatio rectæ Ecclesiæ gubernationi inconueniens sit: ergo poterit similiter Religiones ita multiplicare, vt illarum multiplicatio confusionem, & Ecclesiæ gubernationi præiudicium inducat.

Obijcies: si Pontifex amittit Religionem, quam spectatis

ſpectatis circumſtantiis, deberet reiicere, obligat Eccleſiam ad rem aliquam, quæ non cedit in Eccleſiæ ædificationem, ſed potius deſtructionem; ſiquidem obligat Eccleſiam ne Religionem illam reiiciat, ſed potius recipiat, & Religioſos illius ſecum habitare permittat; quæ Religio, vt ſupponitur, ſpectatis circumſtantiis, magis ſibi conueniens eſt, quàm eſſet carentia illius: ſed Pontifici non eſt data poteſtas obligandi Eccleſiam in iis quæ ei ſunt noxia: ergo non poteſt Pontifex approbare Religionem Eccleſiæ vniuerſali noxiam, ex quacumque parte nocumentum proueniat.

Reſpondetur, diſtinguo minorem: Pontifici non eſt data poteſtas obligandi Eccleſiam in iis, quæ ei ſunt noxia, & in eius deſtructionem cedunt abſolutè, concedo: in iis quæ ei conueniunt abſolutè, etſi ſecundùm quid per accidens non æquè ſint conuenientia, ac appoſita, nego; quia aliàs pluries legum obligatio ceſſaret, neque firmi eſſe poſſemus illarum executione. Vide quæ dicebam *dubit*. 147.



DVBITATIO CCLVIII.

An Concilium Generale, & Prouinciale poſſit errare in definitione rerum fidei?

SVMMARIVM.

1 *Concilium, Synodus, ſeu Epiſcoporum Congregatio triplex, Generale, Prouinciale, & epiſcopale.*

4 *Concilium Generale neceſſariò congregandum eſt ex authoritate Pontificis.*

3 *Alioqui non eſt Eccleſiaſticum, ſed ſchiſma & conſpiratio.*

4 *Pontifex cur non poteſt delegare alteri poteſtatem definiendi infallibiliter res fidei?*

5 *Concilium Generale Epiſcoporum cum capite, non poteſt ſubiici errori, & hoc de fide.*

6 *Concilium quodcumque, ſi fuerit à Pontifice Romano confirmatum, quod in eo definitur, eſt de fide.*

7 *Primum Concilium in Eccleſia congregatum non fuit generale, & tamen in eo dictum eſt,* viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.

8 *Errores multi in Conciliis Prouincialibus à Pontifice confirmatis damnati ſunt.*

9 *Nullum Concilium ante confirmationem Summi Pontificis, etſi generale, eſt infallibilis authoritatis.*

10 *Omne Concilium quod in Eccleſia authoritatem habet, à Pontifice eſt confirmatum.*

11 *A Concilio Generali, quatumvis legitimè congregato, appellatur ad Pontificem, non verò è conuerſo. Quia Pontifex eſt prima, & infallibilis regula veritatis.*

12 *Concilia quadam Generalia authoritate Pontificis congregata, non tamen confirmata, erroribus obnoxia.*

13 *Concilium Generale ſi ſumatur pro omnibus Patribus Concilij, non poteſt errare, ſi verò pro maiori parte, poteſt.*

14 *Omnes iſti Patres non ſunt tota Eccleſia, etſi eam repræſentent, & poſſunt à Pontifice emendari.*

15 *Expenditur locus ille Matth.* 18. Vbi duo vel tres congregantur in nomine meo.

16 *Concilia ante Pontificis confirmationem quomodo damnant eos qui ab ipſorum decretis diſſentiunt?*

17 *Patres Concilij quomodo dicantur Iudices controuerſiarum.*

18 *Explanatur quo pacto Pontifex dicatur potiùs à veritate poſſe deflectere, quàm Concilium? vbi & quod Concilium non poſſit eſſe ſupra Pontificem.*

19 *Caſus in quibus ab Eccleſia Pontifex deponi poſſit, enumerantur.*

SVPPONO, Concilium, Synodum, ſeu Sacerdotum, & maximè Epiſcoporum Congregationem, ad definiendas res fidei eſſe triplex. Primum eſt Concilium Generale, in quo ex neceſſitate conuocantur Epiſcopi omnium regnorum, vt veniant quotquot poterunt, iuxta text. *in cap. placuit,* 18. *diſt. & cap.* 4. *de iureiurando.* Abbates verò generales ordinis, & alij viri docti conueniunt ex priuilegio, vt rectè adnotauit Turrecremata *lib.* 3. *de Eccleſia, cap.* 5. *&* 16. Secundum eſt Concilium Prouinciale, in quo congregantur Epiſcopi vnius Prouinciæ, vel regni. Tertium eſt Concilium Epiſcopale, ſeu locale, in quo conueniunt Clerici totius diœceſis. 1

Suppono ſecundò, Concilium Generale neceſſariò congregandum eſſe authoritate Pontificis, vt dicam *infra dubit.* 206. & patet ex *cap. benè quidem,* 96. *diſt.* & ex tota *diſt.* 17. & ex *cap. ſignificaſti, de electione,* & ex iis quæ tradit Turrecremata *cit. lib.* 3. *c.* 6. 7. 34. *&* 36. Caietanus *in opuſc. de authorit. Papæ, cap.* 16. Bellarm. *tom.* 1. *controuerſ.* 4. Et probatur, quia congregatio Epiſcoporum ſine conſenſu capitis, ſcilicet Pontificis, non eſt Concilium Eccleſiaſticum, ſed ſchiſma & conſpiratio, vt dicit Pelagius *cap. Multis,* 17. *diſt.* Quemadmodum ſi magnates regni conuenirent ad agendum de legibus regni ſine conſenſu regis, non comitia, ſed conſpiratio diceretur, vt dicebam *lib. de Parlamentis,* & tradunt Bañez 2. 2. *q.* 1. *art.* 10. *dub.* 3. *notab.* 2. & Valentia *diſp.* 1. *q.* 1. *p.* 7. §. 45. Concilium verò Prouinciale congregatur authoritate Metropolitani, ſeu Primatis, Diœceſanum authoritate Epiſcopi, vt vſus ipſe demonſtrat, & tradunt Doctores *loc. ſup. cit.* 2 3

Suppono tertiò, nos loqui poſſe de Concilio ante Pontificis confirmationem, vel poſt illam.

Suppono quartò, Pontificem non poſſe delegare alteri poteſtatem definiendi infallibiliter res fidei, quia hæc conſiſtit in aſſiſtentia Spiritus Sancti ex promiſſione Dei, quæ cùm ſit facta ſolùm Petro, & eius ſucceſſoribus, iuxta illa quæ dicebam *dubit.* 238. ſolus ille, & eius ſucceſſor hanc aſſiſtentiam habere poteſt, & non alius ex delegatione, vel alia via: tum quia hæc poteſtas eſt quædam gratia pertinens ad donum Apoſtolatus, ſicut Prophetia & Scientia, quæ alteri communicari non poteſt, vt rectè docent Canus *lib.* 5. *de locis Theologicis, cap.* 5. Bañez 2. 2. *quæſt.* 1. *articul.* 10. *dub.* 4. Turrecremata *lib.* 3. *de Eccleſ. cap.* 6. 8. *&* 38. & Valentia *diſputatione* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 7. §. 45. 4

Suppono quintò, & probabo *infrà dubit.* 264. certa fide apud Catholicos conſtare, quod in generali Epiſcoporum concilio cum capite, tanquam ad fidem, vel bonos mores pertinens definitum fuerit, errori ſubiectum eſſe non poſſe; quia de fide Eccleſia vniuerſa cum capite non poteſt errare, ſicuti conſtat ex dictis *dubit.* 238. & ex *cap.* 16. *&* 18. Matthæi, & 2. ad Timoth. 3. Sed Epiſcopi ex vniuerſo orbe, quatenus commodè fieri poteſt, congregati cum capite, qui eſt Summus Pontifex, vniuerſam Eccleſiam repræſentant, ſiquidem, vt S. Cyprianus ait *lib.* 4. *epiſt.* 9. *Eccleſia eſt in Epiſcopo.* Et Euſebius de vita Conſtantini, *lib.* 3. 5

Concilium Episcoporum Nicææ habitum, vocat *conuentum orbis terrarum*. Et Augustinus *lib. 1. de Baptismo, cap. 18.* totius Ecclesiæ consensum: ergo quæ in tali Concilio Generali circa fidem aut mores decreta fuerint, de fide errori subiecta non sunt. Dubitant verò nonnulli Theologi, si Concilium non fuerit generale, an quod definit tunc Summus Pontifex, sit adhuc de fide. His suppositis,

Respondetur, & dico primò, Concilium quodcumque, si fuerit à Romano Pontifice confirmatum, adhuc ex communi, & probabiliori sententia Theologorum de fide est: vide quæ dicuntur *dubitat. 165.*

6 Probatur, Pontifex Romanus est suprema, & infallibilis regula veritatis, vt dicebam *dubitat. 138. & seqq.* Ergo vbicunque accesserit eius confirmatio de fide, non potest esse error.

7 Secundò, primum Concilium quod fuit in Ecclesia congregatum, non fuit generale, sed speciale (non enim interuenerunt omnes Apostoli, sed tantùm quatuor, scilicet Petrus, Iacobus, Paulus & Barnabas) & tamen ibi dictum fuit: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*: Ergo ad definiendum de fide, Pontifex non indiget Concilio Generali.

8 Tertiò, plures errores damnati sunt in Conciliis Prouincialibus à Pontifice confirmatis, vt error Pelagij in Mileuitano confirmato ab Innocentio, & in Arausicano, & Carthagioensi à Leone & Bonifacio; & error Priscillianorum in Toletano I. confirmato à Leone I. & à Sixto IV. confirmatum fuit Concilium Complutense, in quo fuerunt damnati errores Petri Oxoniensis. Et *in cap. de libellis, dist. 20.* constat decreta Concilij Prouincialis Carthaginensis, Ancyrani, Neocæsareensis, Gangrensis, Sardicensis, & Africani, recepta esse tanquam de fide ab Ecclesia vniuersali: ergo.

9 Dico secundò, ante confirmationem Pontificis nullum Concilium, quamvis generale, est infallibilis authoritatis, sic ex communi docet Bañez *cit. art. 10. dub. 3. concl. 3. & dub. 2. concl. 2.* & Valentia *cit. art. 45.*

Probatur, nemini nisi Petro, eiusque successoribus concessa est assistentia Spiritus Sancti, ne in rebus fidei erret, vt *suprà* dicebam: sed Concilium quantumvis Generale, & Congregatum authoritate Summi Pontificis, non est Petri successor, sed solùm Pontifex: ergo Concilium, quantumvis Generale & Congregatum authoritate Pontificis, vt distinctum à Pontifice, non est infallibilis authoritatis.

10 Secundò, omne Concilium quod in Ecclesia aliquam authoritatem habet, à Pontifice est confirmatum, vt constat *ex cap. Concilia, dist. 17.* vbi Symmachus ait, quod *qui non habent præsentationem*, nempe Pontificis authoritatem, *valetudinem perdiderunt*. Et *ex cap. significasti, de elect.* vbi Paschalis ait, *Omnia Concilia per Romana Ecclesia authoritatem facta sunt, & robur acceperunt*. Et ex Trid. Concil. *sess. vlt. in decreto de fine Concilii*, vbi decernitur, petendam esse per Legatos confirmationem à Sede Apostolica, vt scilicet sint infallibilis authoritatis: ergo, &c. Vide Turrecremata *lib. 3. cap. 34.*

11 Tertiò, à Concilio Generali, quantumvis legitimè congregato datur appellatio ad Sedem Romanam: sed à prima regula, & infallibilis veritatis non datur appellatio: ergo Concilium Generale, quantumvis legitimè Congregatum, seclusò Pontifice, non est prima regula, & infallibilis veritatis. Minor constat. Maior probatur *ex text. in Extrauag. vnam sanctam, de maioritate & obedient. inter communes*, & ex iis, quæ docet S. Thom. *q. 10. de potentia, art. 4. ad 13.* & Turrecrem. *lib. 3. cap. 47.*

Quartò, sunt nonnulla Concilia Generalia authoritate Pontificis Congregata, non tamen confirmata, in quibus de facto nonnulli errores inueniuntur: ergo Concilium Generale, licèt authoritate Pontificis congregatum, si non sit à Pontifice confirmatum, non est infallibilis veritatis. Antecedens patet ex Concilio Ephesino II. quod fuit à Leone I. indictum, non tamen confirmatum, & admisit errores Dioscori, & Eutycheris, vt tradit idem Leo *epist. 12. 13. & 21.* Et ex Concilio Basileensi sub Eugenio IV. cujus defectus expendit Caietanus *in tract. de authorit. Papæ, c. 8.* & Turrecremata *lib. 3. de Ecclesia, cap. 100.* 12

Obiectiones.

Obijcies, Concilium Generale Pontificis authoritate congregatum repræsentat (præsertim si adsint Sedis Apostolicæ Legati) totam Ecclesiam, ut dixit Martinus V. in fine Concilij Constantiensis: sed tota Ecclesia non potest errare, etiamsi non erret Pontifex, quia aliàs aduersus Ecclesiam portæ inferi præualerent: ergo Concilium etiam vt à Pontifice distinctum non potest errare, sed est infallibilis veritatis.

Respondetur ex Bañez *2. 2. q. 1. art. 10. dub. 4. concl. 2. & ad 1. circa finem*, & ex Cano *de locis Theologicis, c. 5.* Concilium Generale, si sumatur pro omnibus Patribus Concilij, non posse errare, sicut non potest errare tota Ecclesia, seu omnes Ecclesiæ fideles: at si sumatur pro maiori parte congregatorum, posse errare. 13

Sed contrà, quia omnes Patres Concilij, vt distincti à Pontifice, haberent infallibilitatem, quod non videtur asserendum, ex iis quæ *suprà* dicebam.

Respondetur secundò melius, omnes Patres Concilij, & Legatos Sedis Apostolicæ, etsi ratò vel nunquam moraliter errent, posse tamen errare, nec exinde sequi totam Ecclesiam errare: tum quia omnes illi Patres non sunt tota Ecclesia, etiamsi repræsentent totam Ecclesiam: tum quia non repræsentant totam Ecclesiam, nisi ad rerum fidei inuestigationem, non definitionem; quare si errent, possunt à Pontifice emendari, & reliqui fideles in fide sustentari; & sic non sequitur aduersus totam Ecclesiam portas inferi præualere. Vide Caiet. *in cit. tract. de author. Papæ, cap. 9.* & Valentiam *disp. 1. q. 1. punct. 7. §. 45.* 14

Obijcies secundò, vbi duo, vel tres congregantur in nomine Christi, ibi promittit Deus se adesse, *Matth. 18.* Sed ad rerum fidei & morum definitionem in nomine Christi congregantur omnes Ecclesiæ Pastores: ergo ibi adest Christus, ex promissione Christi infallibili ne errent. 15

Respondetur ex Bañez *suprà dubit. 3. conclus. 2.* concedendo totum: congregantur tamen, inquit ipse, in nomine Christi omnes Ecclesiæ Pastores, & sic tunc non possunt errare, præsertim quia si tunc errarent, non haberent à quo possent emendari, quia non possent emendari à Pontifice, non quia Pontifex non sit illorum caput, & superior, sed quia ipse non posset emendare, nisi examinatione & consultatione præuia, quam nullus exactiorem ab illa Concilij posset adhibere, & sic stante examinatione, & consultatione Concilij erronea, non posset emendate.

Sed contra, vt *suprà*, quia Patres Concilij, vt seiuncti à Pontifice, haberent authoritatem infallibilem: quod dici non potest, quia, vt dicebam, solus Pontifex est regula infallibilis, cæteri verò possunt errare.

Respondetur secundò melius ex eodem Bañez *loco sup. cit.* Concilium sic Congregatum non posse errare errore culpabili, quia cùm congregatum sit pia intentione inuestigandi veritatem, si de facto contingat errare, eius error culpabilis non erit, & citò ab ipso liberabitur ex benignitate Dei. Vel respondetur, Concilium

lium sic congregatum, licèt possit errare simpliciter, nó posse tamen errare moraliter, & vtplurimù ex prouidentia Dei, vt supra dicebam. Vel respondetur suprà dictum locum intelligi de efficacia orationis ad impetrandumquicquid sic congregatis expedit ad salutem, non autem intelligi de infallibilitate definitionis, quia Christus non promittit præsentiam suam nisi congregati fuerint *in nomine suo*, id est in authoritate sua, seu secundum potestatem à se illis concessam, iuxta illud Lucæ 10. *Dæmones nobis subiiciuntur in nomine tuo, & cap. 13. & 19. Benedictus qui venit in nomine Domini.* At non fuisse concessam potestatem quibuscumque duobus vel tribus hominibus, vt definirent omnes fidei quæstiones, constat ex eo, quia sequeretur quoslibet duos, vel tres homines ad gloriam Dei congregatos, qualeslibet illi fuerint, posse infallibiliter definire omnes fidei quæstiones, quod planè est absurdum; proinde si hoc præsumerent, non dicerentur id facere in nomine Christi, quia Christus talem eis authoritatem non concessit. Vel respondetur, congregari Concilium in nomine Christi ad agendum de rebus fidei, non tamen ad infallibiliter definiendum, cùm id non sit proprium munus Concilij, vt distinctì à Pontifice, seu capite. Quod si contendas, locum illum intelligi de infallibilitate definitionis, intelligendus est adesse Christum, in sensu, quo si verum definiant, Pontifex confirmet; si autem falsum determinent, repellat, & corrigat. Si verò instes, non posse corrigere quod sic determinatum est, quia non potest Pontifex exactiorem examinationem adhibere. Respondetur, posse corrigere; quia definitionis infallibilitas non pendet ab examinatione, sed ab assistentia Spiritus sancti, qui illa posita, vt conditione conuenienter prævia, semper assistit Pontifici, vt dicebam *dub.* 238. *& seqq.* vel quia Spiritus Sanctus disponit quod sanior alia examinatio loco illius subrogetur, etsi non à tot Episcopis, & Ecclesiæ pastoribus efficiatur. Vide quæ dicebam *dubit.* 238. *dicto* 7. & quæ dicam *dubit.* 264. 265. *&* 267.

Obiicies tertiò, concilia ante Pontificis confirmationem anathemate damnant eos qui ab ipsorum decretis dissentiunt: ergo sentiunt quod ipsorum definitio, etiam ante Pontificis confirmationem sit infallibilis veritatis.

16 Respondetur, distinguo antecedens, damnant absolutè, nego; damnant quantum est ex ipsis, si à Pontifice confirmentur, concedo.

Obiicies quartò, Patres Congregati in Concilio non sunt solùm consiliarij summi Pontificis, quatenus ipsorum consilio Pontifex vtitur ad res fidei definiendas; sed sunt etiam iudices controuersiarum fidei, seu iudices vniuersalis Ecclesiæ, quatenus sententiam in rebus fidei pronunciant: At non sunt iudices ex aliqua authoritate humana, cùm fides sit supra naturam. Ergo ex aliqua authoritate diuina, & sic iudices infallibiles.

17 Respondetur, distinguo secundam partem maioris: sunt iudices supremi, nego: dependentes ab approbatione Pontificis, concedo. Ad minorem autem dico, quod eorum authoritas non sit propriè diuina, nempe consistens in assistentia Spiritus Sancti; sed humana sit & diuina: humana, quatenus descendit à Pontifice; diuina, quatenus ex potestate diuina data Pontifici habent potestatem definiendi res fidei, non absolutè, sed dependenter ab approbatione Pontificis, vti dicebam.

Obiicies quintò, faciliùs à veritate declinat Pontifex persona singularis, quàm Concilium generale: ergo decebat quod Christus supremam potestatem, & regulam infallibilem veritatis potius relinqueret Concilio generali, quàm Pontifici personæ singulari.

Confirmatur, quia de facto sic videtur Christus reliquisse, siquidem Concilium generale potest eligere Pontificem, aut electum deponere, si hæreticus sit, vel alio modo Ecclesiæ vniuersali præiudicet.

Respondetur, distinguo antecedens; si Pontifex spectetur vt Pontifex, seu vt Pastor vniuersalis Ecclesiæ, nego, quia sic impossibile est illum à veritate declinare, quia habet assistentiam Spiritus sancti.

Ad confirmationem respondetur, nego antecedens, & ad probationem dico, quod Ecclesia habeat ex Christo authoritatem circa Pontificem in iis duntaxat casibus, scilicet ad eligendum illum, & ad deponendum electum, cùm sic expedire Ecclesiæ iudicabitur. Non tamen hinc sequitur Concilium esse supra Pontificem absolutè, quia non confert Pontifici authoritatem; nemo enim dat quod non habet, sed solum offert personam Christo, cui Christus authoritatem confert, seu solùm eligit, qua electione posita, veluti conditione sine qua non, Christus authoritatem confert. Et similiter non deponit nisi in casibus specialibus, cùm depositio Christo placere intelligi potest, seu sententiam ponit, qua posita, veluti conditione sine qua non, Christus authoritatem aufert. 18

Cæterùm, casus in quibus Pontifex ab Ecclesia deponi potest, sunt v.g.

Primus (vt omittam, si Pontifex resignet, Ecclesia resignationem acceptante) cùm in hæresim notoriam labitur, saltem postquam ab Ecclesia declarata est, vt docent Suarez *lib.* 3. *defens. fidei Catholicæ*, *c.* 18. *& lib.* 4. *de legibus*, *cap* 7. & alij passim. 19

Secundus, si exteriùs se gerat vt hæreticum, ideoque Ecclesia alium eligat, qua ratione submoto Liberio Pontifice, Felicem II. substituisse refert Bellarm. *lib.* 4. *de Pontifice*, *cap.* 9.

Tertius, tempore schismatis, si Ecclesia cognoscere non possit, quis verus Pontifex sit, potest alium eligere, sicuti docet Suar. *cit. cap.* 18. & Bellarm. *de Concil. lib.* 2. *cap.* 19. *ad Argum.*

Obiicies sextò, sequeretur, quod si Montes, qui dicuntur Pietatis, de fide essent liciti, excusarentur ab vsuris: quia sic definiuit Concilium Lateranense *sess.* 10. quod dici videtur absurdum, quia de facto contrarium tenent graues Authores: ergo.

Respondetur: at pro responsione sit,



DVBITATIO CCLIX.

An sit de fide, quod montes qui dicuntur Pietatis, sint liciti, & excusentur ab vsuris.

SVMMARIVM.

1 *Montes pietatis qui dicantur, & quibus conditionibus erecti.*
2 *Montes pietatis à Leone X. & à Conciliis approbati.*
3 *Caietanus quamvis opusculum in contrarium scripserit, non recipitur.*
4 *Definitio alicuius veritatis vt sit rata, non eget receptione populorum.*
5 *Sotus arguitur, & refutatur.*
6 *Ad Concilium pertinet omnia definire, ex quibus pendet salus animarum.*
7 *Quod exigitur ex Montibus pietatis, non ratione mutuationis, sed expensarum, & ad damnum euitandum exigitur.*

8 *Persona*

8 *Persona priuata potest Montem huiusmodi erigere, & à mutuatariis exigere quantum opus fuerit vt se indemnem præstet.*
9 *Expedit vt per varia loca eiusmodi montes instituantur, propter multiplicem reipublicæ vtilitatem.*
10 *Enumerantur commoda quæ ex istis montibus eueniunt.*

1 SVPPONO in multis locis à viris piis pecunias ad mutuò dandas pauperibus deputatas, quæ pecuniæ vocari consueuerunt *Montes pietatis*: constitui verò sunt hi montes cum his conditionibus.

Prima vt ex illis detur mutuum ad certam summam pauperibus loci, non cæteris, aut diuitibus.

Secunda, vt ad tempus definitum, v. g. ad annum citeiter.

Tertia vt mutuatarij dent pignus sufficiens, quia alioquin mons faciliè exhaurietur, multis postea soluentibus.

Quarta, vt singulis mensibus aliquid soluant pro sumptibus necessariis ad montis conseruationem, vt pro ministris qui montem custodiunt, & administrant, semperque sunt parati ad mutuandum, ad pignora recipienda, custodienda, & reddenda pro conductione domus, pro libris rationum, & aliis necessariis instrumentis.

Quinta, vt si tempore statuto non soluerint, vendatur pignus, & quod ex pretio, detracta sorte, & menstruis detrimentis superfuerit, eis restituatur. Vide Nauarrum *tract. de vsuris*, *quæst.* 10.

2 Suppono secundò, Leonem X. in Concilio Lateranen. *sess.* 10. vnà cum ipso Concilio approbasse hos montes tanquam pios, & velle eos erigi cum conditionibus prædictis, concedendo Indulgentias iis qui ad eos erigendos auxilium porrexerint; ac tandem excommunicare omnes qui contrarium docere, vel concionati præsumpserint, vt patet ex Bulla eiusdem *tom.* 4. *Conciliorum*. Eosdem Montes approbat Concilium Trident. quatenus *sess.* 22. *cap.* 8. 9. & 11. annumerans loca pia, quæ ab Episcopo visitari debent, ponit etiam hos Montes, & sic supponit esse opera pia, nedum licita, & ab vsura libera, & immunia. His suppositis,

Respondetur affirmatiuè, quicquid in contrarium dixerint Soto *lib.* 6. *quæst.* 1. *art.* 6. & Syluester *verb. vsura* 5. quæst. 4. & probatur ex dictis suprà, *dubit. præced.*

Obiectiones.

3 Obiicies ex Soto: Caietanus quî Concilio interfuit, non obstante hac determinatione, integro opusculo contrarium tenuit: ergo signum est, quod ea non sit valida.

4 Respondetur, Caietanum scripsisse illud opusculum ante Concilium, scilicet anno 1498. vt patet ex fine opusculi: Concilium autem id definiuit anno 1515. vt patet in fine Bullæ.

Obiicies secundò ex eodem Soto. Hoc Concilium non est receptum in iis quæ statuit de huiusmodi Montibus: ergo.

5 Respondetur, nego antecedens, præsertim quia vt definitio alicuius veritatis sit rata, non eget receptione populorum; quod solùm locum habet in legum obligatione, siquidem veritas quæ definitur, non pendet à receptione, vel censura subditorum, quo modo pendet solùm obligatio legis, quæ illis imponitur.

Obiicies tertiò, ex eodem Soto. Concilium solùm approbat hos montes, quatenus non sunt Canonibus contrarij: sed positæ conditiones sunt illis contrariæ, præsertim illa, qua pauperes iubentur aliquid soluere singulis mensibus: ergo.

Respondetur, nego minorem; & quidem videtur Sotus non expendisse Bullam, quam Concilium approbat: nam in ea expressè approbatur dicta conditio in his verbis: *Declaramus, & definimus montes pietatis, in quibus pro eorum impensis & indemnitate aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas, & aliarum rerum ad illorum conseruationem pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat, vltra sortem, absque lucro eorumdem Montium recipitur, nec mali speciem præferre, nec vllo pacto improbari.* Quod autem dicit Sotus, Montem approbari, quatenus eius capitula non sunt Canonibus contraria, non habetur in illo Concilio, sed Pontifices qui fuerant ante Concilium, conditionem illam in suis Bullis apposuerant, vt patet ex Caietano. Cæterùm, quia hæc conditio maximas controuersias inter Theologos excitauerat, debuit tota res apertè definiri, sublatis illis verbis ambiguis. 6

Obiicies quartò, ex eodem Soto: Non pertinet ad Concilium eiusmodi quæstiones, quæ magis ex Philosophia, quàm ex sacris literis pendent, definire: ergo.

Respondetur, nego antecedens, quia ad Concilium pertinet definire omnia, ex quibus pendet salus animarum, v. g. an hoc sit licitum, vel illicitum; meritum, vel peccatum: hæc enim nosse non minus necessarium est, quàm quæ merè speculatiuè, non proximè pertinent ad hominum mores. Et quidem Ecclesiæ authoritas esset valdè imperfecta, si de his certò & infallibiliter non posset definire. Neque opus est dum non agitur de veritate aliqua supernaturali, quod decisio ex sacris literis, vel traditionibus immediatè colligatur, iuxta ea quæ dicebam *dubit.* 147. sed satis est quod ex illis mediatè, seu remotè aliqua adiumenta petantur, ex quibus vnà cum ratione naturali iunctis veritas illa firmiter deducatur. Quomodo etiam est ab Ecclesia definitum, animam rationalem esse corporis formam, & esse immortalem posse demonstrari, etsi non sit de fide, hac, vel illa demonstratione.

Obiicies quintò, exigeretur aliquid à mutuatariis ratione mutuationis: at hoc est contra ius diuinum, & naturale: ergo. Minor probatur, & quidem quod sit contra ius diuinum, patet ex Psalmo 14. in quo dicitur eum qui pecuniam suam non dederit ad vsuram, habitaturum in monte Sancto Domini, vbi indicatur eum qui dederit ad vsuram, non habitaturum: & Ezechiel. 18. dicitur de eo qui dederit ad vsuram, quod *non viuet*. Et Lucæ 6. *Benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes*, scilicet vltra sortem, vt Theologi, & Vrbanus VIII. *cap. Consuluit, de vsuris*, hunc locum explicant. Quod autem sit contra ius naturale probatur, quia est contra ius naturale, vt bis, seu duplici pretio idem vendatur: item quod vendatur id quod non est vendentis: at is qui vsuras accipit, vendit idem bis, & vendit id quod non est suum: ergo peccat contra ius naturale. Minor hæc subsumpta probatur, quia qui vsuras accipit, vel accipit eas pro sorte, & sic pro eadem re accipit duplex pretium, nempe summam æqualem sorti, & præterea vsuram: vel accipit eas pro vsu sortis, & sic vendit alteri vsum rei non suæ, sed alterius, cùm per mutuum transferatur dominium in mutuatarium, & consequenter etiam vsus rei. Item vsus illius rei non distinguitur à substantia rei, si æstimationem spectes: nam vsus illius est alienatio, & quasi consumptio substantiæ: ergo pro vsu rei, & pro substantia rei non potest accipi distinctum pretium. Vide Couarruuiam *lib.* 3. *var. cap.* 1. 7

Respondetur, nego sequelam maioris; quia quod exigitur,

exigitur, non exigitur ratione mutuationis, sed ratione expensarum, quæ necessariæ sunt ad Montis conseruationem & administrationem, pro quibus aliquid exigere, non est cur non sit licitum, cùm expensæ illæ fiant in gratiam, & commodum eorum qui tantum petent, scilicet vt minus damnum euitent, quod ab vsurariis acciperent: qui autem cupit frui commodis Montis, par est quod contribuat ad necessariam eius conseruationem, iuxta regulam *Qui sentit commodum, sentire debet incommodum*. Tum quia nulla æquitas postulat, vt quis cum damno suo mutuet, consequenter potest tantum exigere, quantum necessarium erit ad damnum exigendum, v. g. pro expensis ministrorum, pro domo conducenda, pro libris rationum, &c. vti dicebam. Quod commodius exigi non poterit, quàm si singuli pro ratione mutui contribuant, nam cum ad eos simul sumptos hoc onus pertineat, debet distribui in singulos pro ratione commodi quod ex Monte percipere volunt. Nullo tamen modo potest aliquid exigi, vt Mons augeatur, vel vt illius dominus ditior fiat, vt ex ipsa Bulla rectè adnotauit Medina *quæst.* 10. quia tunc quid exigi videtur ratione mutuationis, non ratione expensarum, quod esset vsura.

Corollaria.

8 Ex his sequitur, quod etiam persona priuata possit huiusmodi Montem instituere, tametsi pecuniam illam sub onere alicuius census accepisset, & à mutuatariis exigere quantum opus fuerit, vt se indemnem præstaret, etiamsi 8. vel 10. in centum ab illis exigeret; dum enim hoc totum in illorum commodum agit, potest exigere quantum opus est, vt se indemnem præstet. Quod autem hoc totum in commodum illorum agat, patet; quia non soluunt nisi 8. vel 10. in centum, cum alioquin vsurariis soluerent 35. & fortasse plus.

Non obstat, quod eo plus mutuatarij Monti soluant, quo diutius sortem retinent; quia par est vt plus ad onera Montis contribuant, qui diutius illius commodis fruuntur, quorum pignora diutius custodiuntur.

Neque obstat secundò, quod qui dant pignora minus molesta, vt catenam, vel quid aliud aureum, tantumdem soluant, quantum qui dant pignora molestiora, vt vestes; quia deberet certa quædam, & æqualis ratio respectu omnium constitui: nam cùm ob varias circumstantias non potest vbique seruari æqualitas, sufficit generatim determinari aliquid, quod maximè videtur accedere ad iustum.

9 Sequitur secundò, quod procurandum sit, vt passim per loca huiusmodi Montes erigantur, quia ex ipsis multiplex vtilitas Reipublicæ prouenit.

Primò, impeditur peccatum vsuræ Deo & hominibus maximè detestabile.

10 Secundò, pecunia remanet in patria, cùm aliò exportetur: solent enim vsurarij esse exteri, qui partiam inurant, & facti diuites ad illam redeunt.

Tertiò, ciues diuites habent locum, vbi securè, & fructuosè possunt pecuniam suam collocare, emendo scilicet census super montes fundato.

Quartò, pauperes in omni euentu ad sua negotia possunt statim habere pecuniam numeratam cum modico interesse, soluendo 5. 6. 7. 8. 9. vel 10. in centum, cùm alioquin vsurariis multo plus soluere cogerentur.

Quintò, venditis pignoribus, restituitur quod sortem, & detrimenta superat; cum vsurarij totum pretium pignoris, etiamsi multo pluris valeat, sibi retineant.



DUBITATIO CCLX.

An propriè spectet ad Pontificem congregare Concilia generalia.

SVMMARIVM.

1 *Ad Pontificem solum spectat congregare Concilia generalia.*
2 *Id ex traditione & praxi Ecclesiæ probatur.*
3 *Item ex Concilij Nicæni primi à Syluestro indicti authoritate.*
4 *Constantinopolitani, Ephesini, Chalcedonensis, & aliorum.*
5 *Concilium Antiochenum tamen inter legitima non est reponendum.*
6 *Constantinus Imperator non conuocauit Nicænam Synodum vt author, sed vt à S. Syluestro monitus & inductus.*
7 *Imperatorum præsentia in Conciliis non est ad sententiam ferendam tanquam authoritatem habentium, sed ad auxilia præstanda, & Ecclesiæ iura tuenda.*
8 *Imperatores Christiani quid Conciliis & eorum Patribus honoris & authoritatis detulerint.*



RESPONDETVR affirmatiuè cum S. Thoma 2.2. *quæst.* 1. *art.* 10. & patet ex dictis suprà, præsertim *dubit.* 258. & probatur vlteriùs, quia congregare Concilium generale propriè spectat ad eum, qui omnium rationum Episcopis cum authoritate imperare potest: at hic solus est Romanus Pontifex, tanquam aliorum Episcoporum, totiusque Ecclesiæ caput, sicuti constat ex Concilio Ephesino generali, *tom.* 2. *cap.* 15. & ex Concilio Chalcedonensi *cit.* 1. & 3. *in epistola Synodica ad Leonem I.* ergo. 1

Secundò probatur ex traditione, & praxi Ecclesiæ: 2 sic enim sentiunt Iulius Papa Romanus apud Athanasium *apol.* 2. & Socratem *lib.* 2. *cap.* 13. extare scilicet Ecclesiæ canonem quo authoritas omnis derogaretur iis quæ præter Romani Pontificis sententiam decreta essent. Et Damasus Papa *epist.* 14. *ad Episcopos Africanos, cap.* 1. ait, *vt nostris Synodum sine eius* (Romani Pontificis) *authoritate fieri, non est Catholicam; nec Episcopus, nisi in legitima Synodo, & suo tempore Apostolica vocatione congregata, definitè damnari potest, neque vllâ vnquam Concilia rata leguntur, quæ non sunt fulta Apostolica authoritate*. Et de Lucentio Legato Romano in Chalcedonensi Concilio, *act.* 1. dicitur, *Synodum ausus est facere*; & Dioscorus Alexandrinus Archiepiscopus dicit, *sine authoritate Apostolicæ sedis quod nunquam licuit, nunquam factum est*. Et Ægypti Episcopi in epist. ad Felicem II. inquiunt; *Canonibus iubentibus, absque Romano, de maioribus causis nos nihil debere decernere Episcopo*: & Paulò post: *Scimus in Nicæna magna Synodo communiter ab omnibus esse roboratum, non debere absque Romano Pontifice Concilia celebrari, nec Episcopos damnari*. Adde Leonem I. *epist.* 15. ad Ephesin. *Pseudosynodum, & epist.* 24. ad Theodos. August. *actione* 1. Concilij Chalcedonen. aduersus Nestorij audaciam Episcopos Ephesum conuocantis, & Pelagium II. epist. quæ incipit *Manifestè*, ad Episcopos, qui conuocatione Ioannis Episcopi Constantinopolitani conuenerunt. Denique in Concil. VI. œcumenico *act.* 18. restantur Patres omnia, etiam antecedentia Concilia Oecumenica Romani Pontificis autho-

3 titate habita, & conclusa fuisse, & meritò, quia Concilium I. Nicænum à Syluestro indictum, & congregatum fuisse, præter Patres Concilij VI. testantur Episcopi Concilij Romani II. sub Damaso apud Sozomenum *lib.6. cap.23.* & Theodor. *lib.2. cap. 22.* Idem testatur etiam Gelasius Cyzicenus *lib. 2. act. Concil. Nicæni, cap.12. Sancta, & magna, & generalis Synodus Sanctorum Patrum Nicææ congregatorum per S. Hosium Episcopum ciuitatis Corduba in Hispania tenentem locum Episcopi Romani, cum eiusdem Sedis Presbyteris.*

4 De Concilio Constantinopolitano, præter Patres Concilij VI. testantur ipsimet Episcopi Orientales in epist. ad Damasum, apud Nicephor. *lib.12. cap.16.* quæ verba mox infrà referentur.

De Concilio Ephesino generali testantur literæ Cœlestini Papæ ad Theodosium, & Valentinianum Imperatores, quæ habentur in actis ipsius Concilij Ephesini *tom.2. cap.17.* & testatur etiam Enagrius *lib.1. cap.4.* quatenus ait quod Cœlestinus commiserit Cyrillo Alexandrino Archiepiscopo vices suas congregandi & disponendi in Oriente Synodum, donec Legati ex vrbe aduenirent. Postquam autem Legati Apostolici aduenissent, quomodo omnia eorum authoritate acta fuerint, atque Nestorius damnatus, vide in eiusdem Concilij actis *tom.2. cap.15.*

De Concilio generali Chalcedonensi, constat ex Epistola Valentiniani, & Marciani Imperatorum ad omnes vbique Reuerendissimos Episcopos, & quomodo omnia authoritate Legatorum acta sint, & Dioscurus iudicatus, constat ex Actione 1. *Beatissimi, & Apostolici viri Papæ Vrbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus.* Et postea contra Dioscorum, *Synodum ausus est facere*, &c.

De Concilio V. œcumenico, vide Baronium anno 553. *num.159. & 225.*

De Concilio VI. œcumenico vide quæ scripta sunt act. eiusdem Concilij 18. & in epist. ad Agathonem.

Cæterùm de Conciliis vide plura apud Gratianum *dist. 16. cap. sancta, & seqq.* Cuius tamen error cauendus est, cùm Antiochenum primum Concilium ab Eusebianis celebratum inter legitima Catholicorum Concilia reponit, qua de re Vide S. Athanasium *apolog.* 2. & Innocentium I. in Epist. ad Clericos Constantinopolitanos, in causa Chrysostomi.

Obiectiones.

5 Obiicies, in Concilio VI. Generali, *act.18.* dicitur, *Constantinus semper Augustus, & Syluester laudabilis magnam atque insignem in Nicæa Synodum congregabant*: ergo congregare Concilium non spectat ad solum Papam.

Respondetur, nego consequentiam; quia Imperator non vt author Concilij illud congregabat, sed priùs à Romano Pontifice monitus, & rogatus, vt tanquam Ecclesiæ vniuersæ patronus, suam quoque ad Synodi locum euocandi, ac deducendi Episcopos opem ferret, vt apparet ex Epistola Synodali ad Damasum, apud Nicephorum *lib.12. cap.16. Sed enim cùm fraternam vestram erga nos pietatem conseruantes, & dilectionem exhibentes, indicto Romæ de voluntate Dei concilio, nos quoque vt membra vestra propria eò conuocaueritis.* Et infrà, *Conuenimus Constantinopolim literis proximè adductis, quas Reuerentia vestra post Synodum Aquileiensem, ad Dei amantissimum Imperatorem Theodosium dedit.* Eiusdemque consuetudinis mentionem facit Marcianus Imperator *in epist. ad Leonem Papam*, Valentinianus & Marcianus *in epist. ad Anatolium*, quæ habetur *tom.2. Conciliorum.*

Instabis: Imperator eiusque Legatus Conciliis generalibus intererat: ergo signum est quod ad Imperatorem etiam spectabat ea congregare.

Respondetur, nego consequentiam; quia Imperator, eiusque Legatus non intererat vt Iudex, aut cum potestate sententiam suam in Ecclesiasticis negotiis dicendi, sed vt præsentia & authoritate sua defenderet Concilium, ac si opus esset, auxilia externa præstaret, sicut S. Ambrosius testatur *lib.5. epist.32. ad Valentinianum Imperatorem. Si conferendum de fide Sacerdotum* (id est Episcoporum, tanquam Ecclesiæ principum) *debet ita esse collatio, sicut factum est sub Constantino augustæ memoriæ principe, quibus nullas leges antè præmisit, sed liberum iudicium dedit Sacerdotibus.* Et Athanasius in Apol.2. *Præclari Eusebiani, quo veritatem, scriptaque sua obliterent, nomen Synodi suis actis prætexunt, cùm reipsa negotium Imperatorum, non Synodale haberi debeat; quippe vbi Comes præsideat*, &c. Et in *epist. ad solitariam vitam agentes*: *Quando à condito æuo auditum est, quando iudicium Ecclesiæ authoritatem suam ab Imperatore accepit, aut quando vsquam hoc pro iudicio agnitum est. Plurima antehac Synodi fuere, multa iudicia Ecclesiæ habita sunt; sed neque Patres istiusmodi res Principi persuadere conati sunt, nec Princeps se in rebus Ecclesiasticis curiosum præbuit.* Et Hosius Episcopus apud eundem Athanasium *in eadem epistola*, sic ad Constantinum ait: *Desine, quæso, & memineris te mortalem esse: reformida diem Iudicij, serua te in diem illum purum, nec te misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potiùs ea à nobis disce.* Adde quod hoc ipsum agnouerunt, & professi sunt Catholici Imperatores, vt Constantinus magnus apud Rufinum *lib.1. cap.1.* vbi sic alloquitur Patres Concilij Nicæni: *Deus vos constituit Sacerdotes, potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi, & ideo nos à vobis rectè iudicamur.* Similia habet Honorius Imp. *in epist. ad Arcadium*, Gratianus Imp. in epist. lecta Aquileiæ, & Theodosius & Valentinianus in epist. ad Synodum Ephesinam, quæ ibi habetur *tom.1. cap.32.* Candidianum præclarissimum religiosorum domesticorum, Comitem ad sanctam vestram Synodum abire iussimus, sed ea lege, & conditione, vt cum quæstionibus, & controuersiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil commune habeat: nefas est enim qui sanctissimorum Episcoporum concilio inscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis & consultationibus se immiscere.



DVBITATIO CCLXI.

An propriè spectet ad Pontificem definire quinam libri Sacræ Scripturæ tanquam veri, & Canonici in Ecclesia recipiendi, qui verò pro apocryphis habendi sint.

SVMMARIVM.

1 Canon *varias acceptiones patitur, & in quo sensu libri Canonici dici soleant.*

2 *Liber Iudith, Sapientia, & Tobia, ex Conciliis Nicæno, & Tridentino, ac sanctis Patribus, pro Canonicis, & indubitatis agniti.*

3 *Apocryphi libri qui dicantur.*

4 *Ad Pontificem pertinet cum aliorum pastorum auxilio inuigilare, vt Scriptura canonica omni errore*

vero libera quoad fieri potest conseruentur.
5 Ad vnitatem fidei opus est vt Ecclesia Romana doctrinis fideles omnes se conforment.
6 Scriptura Sacra latina ac vulgaris editio, tanquã correctior in scholis legenda, & cõmentariis illustranda.

1 RESPONDETVR affirmatiuè, & patet ex dictis supra, præsertim dubit. 242. & 243.

Vt autem responsio clariùs intelligatur, nota quod sæpè canon sumitur pro eo quod certo numero, vel limite definitum est. Sic lib. 10 C. tit. 23. certo numero definita pensio, canon appellatur. Et qui in album Sanctorum, vel defunctorum Episcoporum referuntur, in Canone poni dicuntur. In hoc sensu libri Canonici dici solent, qui in Scripturarum Sacrarum numero censentur per authoritatem, & definitionem Ecclesiæ, cuius caput est Romanus Pontifex, itavt sine ipso nulla talis definitio fieri possit. In quo sensu etiam dixit Toletanum I. Concilium in expolit. fidei. *Si quis dixerit, vel crediderit alias Scripturas esse Canonicas præter eas quas Catholica Ecclesia recipit, anathema sit.* Et S. Hier. *præfat. in lib. Iudith, Quia hunc librum Synodus Nicæna in numero Sacrarũ Scripturarum legitur cõputasse, acquieui* Et S. Aug. lib. 1. *contr. Crescent. c. 31. Salubri vigilantia Canon Ecclesiasticus cõstitutus est, ad quem certi Prophetarum, & Apostolorũ libri pertineant, quos omnes iudicare non audemus, & secundum quos de cæteris fidelium, vel infidelium libris liberè iudicemus.*

Cæterùm Canonem Sanctorum librorum inuenies *cit. dub.* 242. & apud Gelasiũ Pap. in Concilio LXX. Episcoporum, & in Concilio Carthaginensi VI. cui interfuit Augustinus, vbi Episcopi testantur se Canonem hunc Scripturarum à Patribus accepisse, vt in Ecclesia legerentur, *to.* 1. Conciliorum Seuerini Binij, in fine dicti Concilij; fateri tamen interim debemus ante illa tempora de quibusdam libris dubitatum fuisse, sicuti constat ex Concilio Laodiceno *cap. vlt.* Sed
2 sicuti Concilium Nicænum statuit quod liber Iudith pro Canonico, & indubitato haberetur, teste S. Hier. *cit. præfat. Iudith*, ita postea Ecclesia similiter statuit, quod & Liber Sapientiæ, & Liber Tobiæ pro Canonicis & indubitatis etiam agnoscerentur, vt videre est in Trid. Concilio *sess. 4.* vbi subditur, *Si quis autem libros integros qui enumerati sunt, cum omnibus suis partibus*, scilicet capitibus seu sectionibus, *prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris & Canonicis non susceperit, anathema sit.*
3 Libri verò apocryphi dicuntur, qui ex eo quod ipsorum origo, & authoritas obscura sit, ab Ecclesia approbati, & in Canonem diuinarum Scripturarum relati non sunt, imò plerumque, saltem quoad aliqua reprobati. Sic August. *lib. 15. de ciuit. c. 23. Omittamus earum scripturarum fabulas, quæ apocryphæ dicuntur, eo quòd occulta earum origo non claruit Patribus, à quibus vsque ad nos authoritas veracium scripturarum certissima & notissima peruenit.* Vide Serarium *cap. 8. prolog. Bibl. q.* 12. Et quæ nos dicebamus *dubit.* 241.
4 His adde, ad Pontificem etiam, cum aliorum Ecclesiæ Pastorum auxilio pertinere quod aduigilet, vt Canonicæ Scripturæ ab omni, quatenus fieri potest, errore liberæ conseruentur, & posteritati tradantur: nam propterea Patres, vt Irenæus *lib. 3. contr. hæres. c. 3.* Cyprianus *lib. de vnit. Ecclesiæ*, & August *lib. de vtilit. credendi, c. 17. & 18.* dixerunt opus esse ad vnitatem fidei seruandã, quod aliæ Ecclesiæ, & cæteri fideles omnes principaliores Ecclesiæ Rom doctrinis se cõforment;
5 siquidem illa a Petro & Paulo instructa traditiones illibatas conseruauit, iuxta Christi Domini promissionem, *Tu es Petrus, & super hanc Petrã ædificabo Ecclesiam meam.* Matth. 16. Et propterea etiam post Tridentinum Concilium, plurium Sanctorum Pontificum diligẽtiâ, Sacræ Scripturæ editio Latina, multis ante sæculis vsitata ac vulgata, adhibitis viris doctissimis, & inspectis antiquissimis exemplaribus, quæ vndequaque in vrbem allata fuerunt, inspectisque etiam Sanctorum Patrum commentariis, accuratissimè emendata, 6
ac denique anno 1595. à Clemente VIII. in lucem edita fuit, vt deinceps tanquam aliis Latinis editionibus correctior in scholis legeretur, & commentariis illustraretur. Non quòd hæc editio omnibus, etiam leuissimis careat erroribus, qui vel librariorum incuriâ, vel alia de causa irrepserunt, sed quòd nullum contineat errorem contra fidem & bonos mores. Vide Vegam *lib. 15. in Trident. c. 9.* Canum *lib. 2. de locis Theolog. c. 12.* Serarium *in prolog. Bibl. c. 10. q. 11.* & quæ dicebam *suprà dubit. 242. & 243.*



DVBITATIO CCLXII.

An propriè spectet ad Pontificem ordinare, & de nouo edere Symbolum fidei.

SVMMARIVM.

1 *Ad Pontificem spectat, ad vitandos errores, Symbolum fidei ordinare, & de nouo edere.*
2 *Symbola fidei a Pontifice non approbata nullum vnquam authoritatem habuere.*
3 *Symbolum fidei est quasi tessera militaris, qua fideles ab infidelibus dignoscuntur.*
4 *Symbolum in Ecclesia quadruplex explicatur.*
5 *Cur Symbolum Patrum, quo Nicæna fides explicatur, publicè in Missis decantetur, Symbolum verò Apostolicum submissè tantum in Prima & Completorio recitetur?*
6 *Articuli propria acceptio, & quid ad articulum fidei requiratur?*
7 *Cur Symbolum fidei per articulos distinctum? Et qui dicantur articuli latè sumpti*, n. 8.
9 *Rerum credendarum articuli 14. à Doctoribus enumerantur & explanantur.*
10 *Descensus Christi ad Inferos, non ad sepulchrũ intelligi debet, vt voluit hæretici, vbi Ruffinus arguitur.*
11 *Symboli fidei necessitas demõstratur, quod & hymnologia, & breuiariũ fidei, &c. à Patribus nuncupatur.*
12 *Articuli fidei quomodo ab orbis principio semper iidem fuerint, expenditur.*
13 *Fideles omnes semper crediderunt Deum non solùm vt authorem naturæ, sed etiam gratiæ.*
14 *Quo sensu dicatur Deus nomen suum Moysi reuelasse, non verò Abraham, Isaac, & Iacob.*
15 *Tetragrammatis nominis acceptio.*
16 *Arguitur Abbas Ioachim asserens multa fidei mysteria Apostolis ignota fuisse, etiam sensum spiritualem Scripturarum.*
17 *Quomodo dicatur Christus aliquid didicisse.*
18 *Quod Petrus cogeret Gentiles iudaizare, non fuit ipsi ignorantia in fide.*
19 *Fidei habitualis, & actualis differentia, & quomodo vtraque augeri possit.*
20 *Multa fidei veritates ad salutem necessariæ in symboli articulis implicitè continentur, vt sacramenta, Purgatorium, Indulgentia.*

RESPONDETVR affirmatiuè, cùm S. Th. 2. 2. 8
q. 1. art. 10. Patet ex dictis, & confirmatur ex eodẽ S. Thom. *loc. cit. Quia noua editio symboli necessaria est ad vitandum errores: ad illius ergo authoritatem pertinet editio symboli, ad cuius authoritatem pertinet finaliter determinare ea quæ sunt fidei vt ab omnibus inconcussa fide teneantur: hoc autẽ pertinet ad authoritatẽ Summi Pontificis, ad quem maiores, & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur*: ergo. Et paulò post: *Vna fides debet esse totius Ecclesiæ, secundum illud* 1. ad Corinth. 1. *Id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* Quod seruari non potest, nisi

nisi quæstio fidei de fide exorta determinetur per eum
qui toti Ecclesiæ præest, vt sic eius sententia à tota
Ecclesia firmiter teneatur; & ideo ad solam authori-
tatem Summi Pontificis pertinet noua editio Sym-
boli, sicut & alia omnia quæ pertinent ad totam Ec-
clesiam, vt congregare Synodum generalem, & alia
huiusmodi.

2 Confirmatur ex praxi Ecclesiæ, quia illa Symbola
fidei, quæ in Conciliis, vt in Smirnensi, & Ariminen-
si, vbi sexcenti Episcopi conuenerunt, à Pontifice ap-
probata non sunt, nullam vnquam in Ecclesia autho-
ritatem habuerunt.

3 Vt autem responsio clariùs intelligatur, nota Sym-
bolum fidei dictum videri quasi sit quædam tessera
militaria, vel professionis nota, per quam fideles ab
infidelibus discernantur, sicut explicant Isidorus *lib. 9.
orig. c. 19.* & Ruffin. *præfat. in exposit. Symboli.* Item di-
ctum videri παρὰ τὸ συμβάλλειν, quasi collatiuum,
quia compositum ab Apostolis, idque sententiis col-
latis, priusquam ad prædicationem Euangelij per to-
tum orbem recederent, vt docent Tertull. *de præscript.
c. 11.* Ambros. *serm. 39.* August. *serm. 115.* & Leo *epist. 13.*
Nam singulos Apostolos singulas Symboli partes si-
gillatim contulisse aiunt Clemens *epist. 1.* Augustin. &
Leo *loc. sup. cit.* & S. Th. *in 3. dist. 25. q. 1.* Item dictum
videri simpliciter ab eodem verbo Græco *suprà* dicto,
quia Generalia fidei principia in illud relata sunt.

4 Nota secundò, quadruplex in Ecclesia Symbolum
haberi. Primum Apostolicum, secundum Nicænum,
tertium Constantinopolitanum, quartum Athana-
sianum. Primum Apostolicum fidei Christianæ capita
præcipua simplicius, & breuius proponit, cætera verò
tria Symbola eandem fidei Christianæ doctrinam con-
tra hæreticorum postea errores vberius explicant, si-
cuti rectè adnotauit S. Thom. *loc. sup. cit.* ad 1. *In doctri-
na Christi & Apostolorum veritas fidei est sufficienter ex-
plicata, sed quia peruersi homines Apostolicam, & cæte-
ras Scripturas & doctrinas peruertunt ad suam ipsorum
perditionem, sicuti dicitur Petri vltimo, ideo necessaria
fuit temporibus procedentibus explicatio fidei contra in-
surgentes errores.* Et *art. 9. ad 6.* rationem reddit cur
Symbolum Patrum, scilicet Constantinopolitanum,
quo Nicæna fides explicata erat, publicè in Missis can-
5 tari soleat, Apostolicum verò tantùm submissè in prima,
& completorio, quia Symbolum Patrum, inquit ipse,
est declaratiuum Symboli Apostolorum, & conditum
fide iam manifestata, & Ecclesia pacem habente: At
verò Symbolum Apostolorum, vtpotè conditum fer-
uente persequutione, tota primam suam originem
quasi occultatur. In his igitur quatuor Symbolis vna
eademque fides Catholica substantialiter continetur,
sed quædam mysteria fidei clarius in vno quàm in
alio continentur, pro ratione temporum, & propter
varias hæreses emergentes, quibus hoc modo Ecclesia
prudenter occurrendum censuit.

6 Nota tertiò, Symbolum fidei articulis suis consta-
re: est enim articulus sectio, seu quasi membrum quod-
dam totius Symboli continens in se peculiarem, & di-
stinctam reuelationem à Deo Ecclesiæ factam. Vnde
tria requiruntur ad articulum fidei strictè, & propriè
sumptum. Primò, vt contineat Dei verbum Ecclesiæ
publicè propositum. Secundò, vt contineat distinctam
1 credendi difficultatem, quæ per Dei reuelationem su-
peranda sit, vt dixit S. Thom. *art. 6.* vbi rationem red-
dit, cur diuersi sint articuli Passionis, & Resurrectionis
Dominicæ, quia diuersam habent credendi difficulta-
tem, vnicus autem sit articulus Christi passi, crucifixi,
mortui, & sepulti; quia hæc omnia vnicam credendi
difficultatem habent, cùm vno eorum per fidem susce-
pto, non sit difficile alia suscipere. Tertiò vt contineat
veritatem fidei per se, & non per accidens reuelatam;
cùm enim finis reuelatæ à Deo fidei sit nostra salus ac
vita æterna, *nam fides est fundamentum rerum speranda-
rum,* Hebr. 11. *Et quæcunque scripta sunt, ad nostram
doctrinam scripta sunt, vt per patientiam, & consolatio-
nem Scripturarum spem habeamus,* Rom. 14. Ideo rectè 7
Symbolum fidei distinguitur per capita, siue articulos,
quibus per se & directè ordinamur ad consecutionem
vitæ æternæ, ideoque etiam omnibus ad credendum
proponi debent, v.g. quod Deus sit trinus & vnus, Fi-
lius Dei factus homo, & in Ecclesia sit remissio pecca-
torum per Sacramenta, &c. Alia verò quæ indirectè 8
tantùm, ac per accidens, scilicet ob aliorum intelligen-
tiam reuelata sunt, v.g. quod Abraham duos filios ha-
buit; quod ad tactum ossium Elisæi suscitatus est
mortuus, &c. Strictè & propriè loquendo non censen-
tur articuli, quamvis ad fidei articulos reducantur, teste
S. Thom. *cit. art. 6. ad 1.* Quia tamen de fide credi de-
bent ita vt hæreticus sit, qui ea pertinaciter negat, ideò
latè loquendo, articuli etiam fidei dicuntur.

Nota quartò, licèt pro numero Apostolorum, per
quos fidem accepimus, duodecim fidei articuli nume-
rentur, vt constat ex Catechismo Tridentino, *cap. de
Symbolo,* & ex *epist. 13.* Leonis, & ex Augustino *serm.
115. de temp.* & ex Pontificali Rom. in absolutione hæ-
reticorum: tamen secundum numerum rerum creden-
darum, 14. à Doctoribus distingui, vt videre est apud
S. Thom. *art. 8.* quorum septem pertinent ad diuinita-
tem. Primus ad vnitatem diuinæ naturæ, *Credo in vnũ* 9
Deum, tres sequentes ad Trinitatem personarũ, *Credo
in Deum Patrem, & in Iesum Christum, & in Spiritum
Sanctum,* tres alij ad triplicem operationem Dei tri-
buentis creaturis rationalibus esse naturæ per creatio-
nem, *Creatorem cœli & terræ,* esse gratiæ per iustifica-
tionem, *Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum cõ-
munionem, remissionem peccatorũ,* esse gloriæ per glori-
ficationẽ, *Carnis resurrectionem, & vitam æternam.* Alij
septem articuli explicant opera Christi incarnati. Pri-
mus, *Cõceptus est de Spiritu sãcto.* Secundus, *Natus ex
Maria Virgine.* Tertius, *Passus sub Pontio Pilato, cruci-
fixus, mortuus & sepultus.* Quartus, *Descendit ad inferos.*
Quintus, *Resurrexit à Mortuis.* Sextus, *Ascendit ad
Cælos.* Septimus, *Venturus est iudicare viuos & mortuos.*

Obiicies: Descensus Christi ad Inferos non extat in
Symbolo Ecclesiæ Orientalis, nec in Symbolo Eccle-
siæ Romanæ, teste Ruffino *in epist. Symboli*: ergo.

Respondetur, Ruffinus per Symbolum ibi intelligit
Symbolum Nicænum, & Constantinopolitanũ, quod
non ab Apostolis, sed ab Ecclesia longè post in Cõci-
liis generalibus editum fuit, alioquin enim descensum
Christi ad Inferos legimus disertè in Symbolo Apo-
stolorum apud Augustinũ *serm. 137. & 181. de temp.*
apud Chrysostomum *hom. 2. in Symbolum,* apud Cyril-
lum Hierosolymitanum *catechesi 4.* apud Eusebium
lib. 1. hist. cap. vlt. & apud S. Thom. *hic, art. 9. ad 4.* Imò 10
etiam hæretici illum habent in suo Symbolo, vt vide-
re est in Catechismo Caluinistarum anni 1588. licèt
perperam, vt *infrà,* interpretarentur infernum pro se-
pulchro, & Ruffinus ipse *cit. opusc.* vbi ex instituto agit
de Symbolo Apostolorum, descensum Christi ad infe-
ros disertè reponit. Itaque Ruffinus quando negat
descensum Christi ad Inferos, loquitur, vt dicebam,
non de Symbolo Apostolorum, sed potiùs de Sym-
bolo Nicæno, vel Constantinopolitano.

Respondetur secundò, transeat, id dicat Ruffinus: At
non debet Ruffinus quidquam nos mouere, quia non
est tantæ authoritatis, cùm multa falsa scripserit, vt no-
tauit Hieronymus *apolog. 2.* aduersus eundem Ruffin.
quem & Gelasius Papa censura perstrinxit, *cap. Roma-
na Ecclesia, dist. 15.* Et meritò, quia eodẽ ipso loco vbi
agit de Christi descensu ad inferos, etiam apertè fal-
litur, dum ait, descensum hunc non aliud significare
quàm sepulchrum; si enim id verum esset, sequeretur
inutilis & superflua repetitio vnius & eiusdem rei in
Symbolo, nempe *Sepultus est,* & *descendit ad sepul-
chrum*: nisi fortè dicas, sepulchrum referri ad corpus,
descensum verò ad animam, sed tunc descensus debe-
ret poni ante sepulchrum corporis, siquidem anima
prius

prius à corpore separata fuit, descenditque in terram, quàm corpus traderetur sepulchro: tum quia omnes Theologi probant infernum eo loco sumi propriè pro vero inferno, non autem pro sepulchro; quia ad Ephes. 4. *Dicitur Christus descendisse in inferiores partes terræ*; quæ verba de solo sepulchro explicari non possunt, cùm sepulchrum sit potius quasi in superficie terræ, respectu inferiorum partium. Et ad Rom. 10. *Dicitur descendisse in abyssum*. At sepulchrum dici non potest abyssus. Et Matth. 12. *Dicitur Christus fuisse tribus diebus & noctibus in corde terræ*; quod non potest de solo sepulchro, sed potius de vero inferno, & centro terræ intelligi. Accedit, quod hæc est communis omnium Patrum sententia, & ab Ecclesia definita in Concilio Lateranensi, *cap. firmiter, de summa Trinit. & fid. Catholica.*

11 Nota quintò, valdè necessarium fuisse conscribi Symbolum fidei, quo primaria doctrinæ Catholicæ capita veluti in compendium redigerentur breuissimum, quia breuitas hæc valdè fuit expediens infirmis, idiotis, rusticis, & pueris, ne eorum memoria nimis oneraretur; sic Augustinus *lib. 4. de Symbolo ad catechum. cap. 1.* Tum quia hæc eadem breuitas fuit aptissima, vt fidei vnitas, & conformitas toto orbe faciliùs seruaretur, omnesque Christiani essent vnius labij, & vnius oris: sic Irenæus *lib. 5. contra hæreses, cap. 3.* tum ad cauendas & impediendas hæreticorum fraudes, ne tam facilè, vt solent, quid addere, detrahere, vel immutare possent. Sic August. *lib. de fide & Symbolo, cap. 1.* & Nazianz. *orat. 37. & 44.*

Nota sextò, Symbolum hoc fidei nostræ vocari hymnologiam apud Dionysium *de Hierarch. Eccles. cap. 3.* quasi dicetes laudatorium sermonem, quia totius diuinæ laudis materiem continet. Et vocari breuiatum fidei verbum apud Cyprianum, seu potius Ruffinum *tract. de Symbolo*. Et vocari clauem duodecim artificum operatione confistam, & sigillum, apud Ambros. *serm. 33. & lib. 3. de Virginib.* Et vocari regulam fidei apud Tertullianum *de præscript. cap. 13.* Et tandem vocari Canticum Catholicum, vel Sacramentum, vel Confessionem apud alios Sanctos Patres.

12 Nota septimò, articulos Symboli ab orbis principio semper fuisse eosdem ac nunc sunt, substantialiter, & loquendo de fide implicita, non tamen fuisse eosdem ratione modi, & loquendo de fide explicita.

Prior pars est S. Thomæ 2. 2. q. 1. *art. 7.* Et probatur, quia prædicti articuli omnes reduci possunt ad generalissimum principium, quo credatur Deus esse, & rerum omnium prouidentiam habere, iuxta illud Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quod sit remunerator*: nam in eo quod dicitur Deus esse, includuntur omnia quæ ad essentiæ vnitatem, ad personarum Trinitatem, & ad propria Dei attributa pertinent. In prouidentia verò includuntur cætera omnia quæ respiciunt creationem, conseruationem, redemptionem, iustificationem, & glorificationem: Atqui semper fideles crediderunt Deum esse, omnibusque rebus, præsertim creaturis rationalibus prouidere; ergo semper crediderunt omnia Symboli nostri capita quoad substantiam, & de fide implicita saltem loquendo.

13 Confirmatur, quia fideles semper cognouerunt Deum non solùm vt authorem naturæ, sed etiam vt authorem gratiæ, alioqui fideles verè non fuissent. Et non crediderunt solùm secundùm propriam, & singularem notitiam, quam ipsi apud se de Deo habebant, sed etiam iuxta mentem ac fidem generalem totius Ecclesiæ, scilicet Pontificum, Pastorum, Prophetarum, & Doctorum suorum, in quibus cognitio illa erat longè perfectior: ergo in hoc sensu omnia Symboli capita, saltem implicitè quoad substantiam crediderunt, & sic eandem nobiscum fidem substantialiter habuerunt.

Confirmatur secundò: obiectum adæquatum totius Symboli, tam materiale, quàm formale, idem semper fuit, scilicet Deus, cum illis quæ ad ipsum pertinent, & quatenus diuinæ reuelationi subsunt. At fideles semper crediderunt Deum vt authorem naturæ & gratiæ, & semper etiam crediderunt actu, vel virtute quidquid Deus Ecclesiæ priùs reuelasset, & postea esset reuelaturus, & fuerunt parati tempore, & loco illud exteriùs profiteri, postquam sibi ab Ecclesia sufficienter esset declaratum, & imperatum, alioqui verè fideles non fuissent. Sed potius hæretici, vel schismatici: ergo eorum fides substantialiter implicitè fuit eadem, ac est nostra hodierna.

Posterior pars probatur, quia antiqui Patres credebant in Christum venturum, qui adhuc non erat; nos verò credimus in eundem iam natum, mortuum, & redituum: ergo.

14 Confirmatur, quia fides paulatim diuersis temporibus clarior, & magis explicata euasit, vt patet ex Scripturis: nam Exod. 6. *Deus alloquens Moysem testatur se non reuelasse nomen suum Abraham, Isaac, & Iacob, quod postea reuelauit Moysi.* Exod. 3. *Si petierint filij Israël quod est nomen meum, dices eis, Ego sum qui sum, & qui est, misit me.* Ergo clarior, & magis explicita fuit fides in Moyse, quàm in præcedentibus Patriarchis: vbi tamen nota, non debere hoc ita intelligi, quasi Deus nomen suum prioribus Patriarchis nullo modo priùs reuelauit: iam enim illud indicauerat Abrahæ, Genes. 15. *Ego Dominus, qui eduxi te de Vr Caldaorum: vbi Hebraicè pro Latino vocabulo Dominus, ponitur Tetragrammaton, sed potiùs quod non tam apertè ac Moysi, quem scilicet Deus alloquebatur ore ad* 15
os, Num. 12. *& cui etiam huius Tetragrammati proprium sensum exposuit dicendo, Ego sum qui sum.* Et rursus, *qui est misit me*, qua de re vide plura *in summa nostra Theologica, disp. 10. q. 7.* Sic etiam Daniel. 12. *Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia*, quia nimirum in progressu temporum creuit notitia mysteriorum Dei, vt exponit Gregorius *hom. 16.* in Ezechielem, & Ecclesia, vt dicebam *dubit. 55n.* est sicut aurora consurgens, quæ paulatim splendescit, donec euadat in clarum diem. Sic similiter Dauid Psalm. 118. *ait ose mysteriorum Dei clariorem notitiam habuisse, quàm magistros suos. Super senes intellexi, & super docentes me intellexi.* Et Psalm. 10. *Manifestasti mihi incerta, & occulta sapientiæ tuæ.* Et Apostolus ad Ephes. 3. *Scribit, Incarnationis mysterium aliis generationibus non fuisse cognitum, sicut nunc reuelatum est Apostolis.* Luc. 10. *Multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & audire quæ vos auditis.* Et Rom. 13. *Nox præcessit, dies appropinquauit.* Et ad Corinth. 10. *Patres nostri omnes sub nube fuerunt.*

Obiicies: maior, & magis explicata fides fuit in Adam, quàm in omnibus eius posteris. Maior etiam & magis explicata fides fuit in Moyse, quàm in aliis Prophetis posterioribus. Maior similiter & magis explicata fides fuit in Apostolis, quàm in omnibus aliis sequentibus Prælatis, Theologis, & Pastoribus: ergo.

Respondetur cum S. Thoma, progressum & incrementum fidei, quod dixi, intelligi ordinariè, & regulariter, itavt non obstet quin pauci aliquid excipiantur, quibus Deus voluerit singulari priuilegio perfectiorem, quàm successoribus, fidem infundere, quia scilicet eos elegerat Duces, & Principes aliorum, necnon Ecclesiæ suæ fundatores. Non tamen hîc dicendum 16
quod dixit Abbas Ioachim, scilicet nulla fidei mysteria ignota fuisse Apostolis, quæ hodie sunt cognita nobis, & quod est peius, Apostolos ignorasse spiritualem sensum Scripturarum, quasi hic primùm fuerit S. Benedicto reuelatus: quod & postea quidam Petrus Ioannis ausus est de S. Francisco

affirmare; sic enim de Apostolis, postquam Spiritum Sanctum acceperunt, eoque pleni sunt, loqui nimis temerarium est, vt rectè dixit Alphonsus à Castro *verb. Apostoli*, *hæresi* 1. & Valentia 2.2. *q*.1. *punct*.6. Bañez censet esse hæreticum, quia Christus promiserat Apostolis Spiritum Paracletum, *qui doceret eos omnem veritatem*, Ioan. 14. *Et Apostoli accepe unt primitias Spiritus*, ad Rom.8. *Primum autem in vnoquoque genere est mensura cæterorum. Fuerunt etiam Apostoli fundamenta Ecclesiæ in montibus sanctis*, Psalm. 86. *Fuerunt duodecim fontes, de quibus filij Israël in deserto huius vitæ biberent*, Numer.33. *Et duodecim portæ Ierusalem*, Apocal.21. *Et tandem Paulus raptus est vsque ad tertium cœlum*, 2. ad Corinth. 12. *Et audiuit ibi arcana verba, quæ non licet homini loqui*. Ergo, &c. Vnde Tertull. *de præscript*. c. 8. ait: *Quis integræ mentis credere potest Apostolos aliquid ignorasse, quos Dominus Magistros dedit*.

Instabis: Petrus *Act*. 10. dicit Deum non esse acceptorem personarum: ergo priùs id nesciebat.

Respondetur, nego antecedens: nam ibi quæstio est de promulgatione Euangelij inter Gentiles, nec Petrus tunc simpliciter didicit quod Euangelium esset Gentilibus promulgandum; id enim iam nouerat, sed solùm didicit secundùm quid, ratione scilicet scientiæ acquisitæ, seu potiùs experimentalis, cùm Cornelius Centurio nuntios ad illum misit, in quo sensu Christus etiam dicitur aliquid didicisse, Luc. 12. *Proficiebat ætate, & sapientia, scilicet experimentali*. Et
17 Matth.8. *Affirmat Christus non inuenisse tantam fidem in Israel*. Vidit ergo tunc Petrus in praxi, & in indiuiduo, quod antea generaliter, & in communi iam sciebat.

Vrgebis: Errauit solùm Petrus in eo, quod Gentes cogebat iudaizare, vnde & Paulus ipsi restitit in faciem, ad Galat.2. *Ergo laborauit aliqua ignorantia*.

Respondetur, nego consequentiam, quia non fuit
18 ista ignorantia in fide, nec quoad notitiam vniuersalem, sed solùm error in applicatione, & executione, quia non seruabat modum, & nimis fauebat Iudæis. Vnde Tertull. *de præscript. cap*.23. ait, *Non fuit prædicationis, sed conuersationis*. Vide quæ dicam *dubit*. 265. Accedit non esse necessarium vt dicamus, Apostolos ipso die Pentecostes statim sine mora accepisse totam illam, quam dixit, perfectissimam fidem, contra Bañez 2. 2. *quæst*. 1. *art*. 7. *dub*. 5. Sed aliquas adhuc mysteriorum circumstantias loco, & tempore postea didicisse, prout opus erat; quia videmus Petrum reuera adhuc dubitare, *Act*. 10. circa leges ciborum. *Absit, Domine, quia nunquam manducaui omne, commune, & immundum*; quasi putaret tales cibos adhuc esse prohibitos: inde sequitur ignorasse saltem aliquam temporis circumstantiam. Et *Act*. 15. conueniunt Apostoli, & valdè inquirunt de legalibus, an adhuc seruari debeant, quo pacto, & quibus conditionibus, & tandem concludunt, sed non nisi post longam inquisitionem, vt ibidem videre est: ergo. Quin idipsum innuunt verba Christi apud Ioannem: *Mittam vobis Paracletum vt maneat vobiscum in æternum, & suggerat vobis omnem veritatem*: quasi diceret mansurum perpetuò ad suggerendum, & docendum loco & tempore, quando opus fuerit.

Obijcies secundò, fides est donum Dei, ad Ephes. 2. *Ergo debet esse perfecta statim, non paulatim progressu temporis*, iuxta illud Deut. 32. *Opera Dei perfecta sunt*.

19 Respondetur, distinguo consequens, quoad habitum, quem scilicet Deus per se immediatè infundit animæ & operatur in nobis sine nobis, concedo. Quoad actum secundum, seu notitiam actualem, nego; quia Deus vult adhuc nos proprio studio & labore concurrere, vt scilicet Euangelium diligenter audiamus, eiusque explicationem ab Ecclesia recipiamus. Accedit, quia *fides*, nempe actualis, *est ex auditu*. Rom. 10. vnde infantes quamvis in baptismo accipiant fidei infusum habitum, tamen nisi postea loco, & tempore doceantur, nullum fidei actum secundum habere possunt, quin neque scire se baptizatos fuisse; cùm omnis nostra cognitio in præsenti statu pendeat à sensibus, vt patet, & docuit Arist. 1. *Poster*. Accedit secundò, fidem actualem & explicitam tenera perfectiorem esse in aliquibus, quàm in aliis, cæteris paribus, prout Deus speciali priuilegio eos illuminare voluerit. Quin & fides etiam quoad habitum augeri potest, non aliter ac spes, & Charitas: quapropter debemus tale augmentum à Deo quotidie petere, quia licèt in Baptismo infundatur habitus Fidei perfectus, non tamen infunditur perfectissimus in summo gradu, vt augeri non possit.

Nota octauò, quasdam aliàs reuelatas fidei veritates ad salutem nobis esse necessarias, quæ dictis articulis Symboli implicitè continentur, v. g. animæ immortalitas in articulo *Credo vitam æternam*. Et Sacramenta, & Scripturæ Sacræ eo articulo, *Sanctam Ecclesiam*; quia Ecclesia habet authoritatem sibi diuinitus concessam, qua res fidei definiat: atqui definit septem Sacramenta, & Scripturas, quas habemus, sacras, & diuinas, alias verò apocryphas: ergo. Idemque dico de Purgatorio, de Indulgentiis, aliisque similibus: debemus enim credere omnia quæ nobis Ecclesia præscribit & imperat, iuxta illud: *Qui non audierit Ecclesiam, sit tanquam Ethnicus & publicanus*. Rursus clarius Sacramenta continentur etiam eo articulo, *Remissionem peccatorum*; quia Sacramenta sunt primò & per se instituta ad iustificationem, & ad gratiam, vel primam, vel secundam: atqui gratia per se habet vim remittendi peccatum: ergo. Vide S. Thom. 2. 2. *quæst*. 1. *art*. 8. vbi rectè ait, Eucharistiæ mysterium reduci ad omnipotentiam diuinam, si in hoc mysterio spectemus admirabilem Christi existentiam, quæ infinita simul inuoluit miracula: sin verò illud spectemus simpliciter in genere Sacramenti, & quatenus confert gratiam, tunc reduci ad eundem Symboli articulum simul cum cæteris Sacramentis, vt iam suprà dicebam.

DVBITATIO CCLXIII.

An propriè spectet ad Pontificem de hæresibus in Ecclesia surgentibus cognoscere, easdemque condemnare?

RESPONDETVR affirmativè: patet ex dictis *suprà dubit*. 238. 247. & 258. & traditur à S. Thom. 2. 2. *q*. 1. *art*. 10. Ruperto Tuitiensi *lib*. 2. *de diuinis officiis*, c. 22. *Romana Ecclesia super Apostolica fidei petram altiùs fundata firmiter stetit, & tam Græcia, quàm totius orbis hæreticos semper confutauit, & de excelso fidei tribunali, data sententia iudicauit*. Et Platina in Vita Bonifacij VIII. *Meritò Sedes Romana cæteris antefertur, cuius integritate, & constantia cuncta hæreses confutata sunt, & explosa*. Vide etiam Bellarminum *lib*. 1. *de Concil*. *cap*. 9. Vbi rectè monet hæreses nouiter ortas ordinariè cognitas, & damnatas fuisse in Concilio Generali, Romani Pontificis authoritate coacto.



DUBITATIO CCLXIV.

An in omnium Catholicorum sententia sit de fide, quod Pontifex definit in Concilio, seu cum Ecclesia generali.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia vniuersalis, seu Concilium generale, provt ex capite visibili seu summo Pontifice Rom. & aliis simul membris constat, est vera & propriè dicta fidei regula in ordine ad nos.*

2 *Regula fidei conditiones fusè explicantur.* num. 3. & seqq.

3 *Fides primorum Parentum, Patriarcharum, & Prophetarum veteris legis eadem est substantialiter qua hodie, differtque solùm secundum magis, minusque perfectum.*

4 *Ecclesia est omnibus nota & visibilis, diciturque* Mons in vertice montium, *& in sole posita, eoque amicta.*

5 *Eius est interpretari, definire, & docere in quacumque materia ad fidem & bonos mores spectante.*

6 *Christus cum nos ad Ecclesiam remittat, & iubeat eam audire, eius infallibilitatem astruit.*

7 *Ecclesia semper de hæresibus iudicauit, & habiti sunt hæretici omnes illi quorum doctrinam condemnauit.*

8 *Concilia quatuor generalia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense, tanquam quatuor Euangelij libri in veneratione habita.*

9 *Hæreticò in iis condemnatò, & in Concilio Tridentino semper pro talibus habiti.*

10 *Quantum Ecclesiæ, & Conciliorum authoritati detulerint sancti Patres, vbi & Cyprianus excusatur.*

11 *Imò Caluinus ipse in Institutionibus suis.*

12 *Augustini verba,* Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ moueret authoritas, *explicantur.*

13 *Ecclesia erat in primo parente, etiam antequam filios haberet, quippe qui habuerit singularem mysteriorum notitiam & fidem per infusionem & inspirationem diuinam, ideoque semper fuit, quia nunquam defecit.*

14 *Ecclesia quamvis obscurè per fidem cognoscatur, tamen clarè per signa visibilia manifesta est.*

15 *Variis obiectionibus occurritur de obscuritate fidei, & Ecclesiæ infallibilitate.*

16 *Concilium in quo sensu errare potest.*

17 *Libertas est conditio prorsus necessaria ad verum & legitimum Concilium celebrandum.*

18 *Sacerdotes, scribæ, & Pharisæi habuerunt authoritatem assistendi conciliis Iudæorum, & sententiam ferendi, & quamdiu, & vsquequò durauit apud ipsos infallibilitatis priuilegium.*

1 ESPONDETVR affirmatiuè, ita vt in omnium Catholicorum sententia sit vera & propriè dicta fidei regula in ordine ad nos Ecclesia vniuersalis, seu Concilium generale, provt ex capite visibili summo Pontifice Romano, aliisque simul membris constat. Est commune, de quo nullus Catholicorum dubitat; quodque citra hæresim negari non potest.

Probatur ex iis quæ dicebam *dub.* 247. non enim regula illa est spiritus particularis, nec arcana aliqua inspiratio, nec scriptura sola per se sumpta, nec Ecclesia vniuersalis, seu Concilium generale sine capite visibili summo Pontifice Romano: ergo si non est summus Pontifex Romanus, iuxta nostram sententiam, quæ mihi certissima videtur, est saltem Ecclesia vniuersalis, seu Concilium generale, provt ex visibili summo Pontifice Romano, aliisque simul membris constat; non enim aliud assignari potest. Vide quæ dicebam *dubit.* 238. 247. 258. & 265.

Confirmatur, quia Ecclesia sic explicata habet omnes conditiones requisitas ad propriè dictam, & perfectam fidei regulam: ergo. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia in primis, 2

Regula debet esse perpetua, & catholica, ratione temporum, locorum & personarum: At huiusmodi est Ecclesia, quæ scilicet semper fuit à principio mundi, & stabit vsque ad finem; non enim alia fuit fides primorum parentum, Patriarcharum, & Prophetarum legis veteris, quàm est hodie, substantialiter loquendo; sed solùm discrimen est quoad accidentia, quatenus scilicet ij credebant Christum venturum, nos verò iam existentem; habebant etiam alia Sacramenta, & alios ritus accidentales diuersos à nostris; & Lex Euangelica differt solùm ab antiqua secundùm magis & minùs perfectum, quæ non variant speciem. Denique fides adhuc hodie est vna respectu omnium orbis locorum; quia etiamsi non sit in quibusdam locis paganorum, & hæreticorum; tamen aliquando in iis fuit, & vbicunque est, vel vnquam fuit, semper eadem est, ac fuit, neque differt substantialiter ab ea, quam Ecclesia Romana profitetur. Cæterùm quod Ecclesia sit etiam mansura vsque ad finem; patet ex Psal. 67. *Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: Etenim Dominus habitabit in finem.* Et Psal. 47. *Deus fundauit eam in æternum*: vbi Augustinus, *Quid tu times, ne cadat firmamentum?* Et Ioan. 13. *Mittam vobis Paracletum, vt maneat vobiscum in æternum.* Et Matth. vlt. *Ecce vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* 3

Secundò, Regula debet esse generalis obiectiuè respectu omnium fidei dogmatum, quæ diuersis temporibus definienda occurrerint: At huiusmodi est Ecclesia, Ioan. 4. *Paracletus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia.* Et cap. 16. *Docebit vos omnem veritatem.* Idque patet ex aliis scripturis mox infrà citandis.

Tertiò Regula debet esse perspicua, & manifesta: 4
At etiam huiusmodi est Ecclesia, quia est omnibus nota & visibilis, ita vt pagani, Iudæi, & hæretici illam videant & distinguant à suis sectis, & impugnent. *Et Mons sublimis in vertice montium.* Michææ 4. *Mons qui impleuit terram.* Daniel. 2. At mons visibilis est, præsertim sole lucente: Ecclesia autem est sole amicta, & in ipso sole posita, Psal. 18. *In sole posuit tabernaculum suum.* Ergo. Tum quia Ecclesiæ sanctitas, & veritas facilè dignoscitur ex motiuis fidei simul sumptis, de quibus in tract. de fide; tum quia Ecclesia habet donum Prophetiæ, & interpretationis, habetque authoritatem docendi, & prædicandi sibi diuinitus concessam: Deuter. 17. *Si difficile & ambiguum iudicium fuerit, venies ad Sacerdotes Leuitici generis, & facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, sequerisque sententiam eorum; qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, moriatur homo ille.* Vbi nota Scripturam hanc loqui de quocunque iudicio simpliciter, & in quacumque materia ad fidem, ad religionem, & ad bonos mores spectante: & Numer. 11. *Abstulit Dominus de Spiritu Moysis, & tradidit septuaginta senioribus magistris populi, vt cum Moyse*

publicum onus sustinerent. Et Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & requirent de ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* Ad Ephes. 4. *Ascendens Christus in altum dedit dona hominibus, & alios constituit in Ecclesia Prophetas, alios Doctores, & Pastores ad consummationem sanctorum, vt non simus sicut paruuli fluctuantes, ne circumferamur omni vento doctrinæ.* Et 1. ad Corinth. 12. *alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alij interpretatio sermonum.* Et Marc. vlt. *Ite, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et Matth. vlt. *Docete omnes gentes.* Et cap. 18. *Qui non audierit Ecclesiam, sit tanquam Ethnicus, & publicanus*: & cap. 23. *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi, quæ dicunt facite.* Et cap. 10. *In quamcunque ciuitatem intraueritis, si non audierint sermones vestros, excutite puluerem pedum vestrorum. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum in die iudicij, quam illi ciuitati.* Vbi nota maledictionem magnam aduersus eos qui Ecclesiam non audierint: & Luc. 10. *Qui vos audit, me audit.*

Quartò Regula debet esse certa, & infallibilis, præsertim cùm agitur de fide; quæ est omninò erroris expers: at eiusmodi etiam est Ecclesia, vt patet ex supradictis; habet enim assistentiam Spiritus sancti, qui omnia doceat, & suggerat, maneatque cum ea in æternum: Ioan. 14. Spiritus sanctus autem errare non potest: ergo. Et Luc. 10. *Qui vos audit, me audit.* Et Matth. 10. *Non estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Ergo si quando erraret Ecclesia, error deberet imputari Spiritui sancto, non Ecclesiæ. Tum Christus nos mittit ad Ecclesiam, & iubet eam audire: ergo Ecclesia est certa & infallibilis in rebus ad fidem & salutem pertinentibus, alioquin nos Deus ipse in errorem coniiceret, possemusque ei dicere, si decepti sumus, tu nos decepisti: Tum Ecclesia vocatur *columna & firmamentum veritatis*, 1. ad Tim. 3. ergo est omninò erroris omnis expers in fidei & morum doctrina. Et Psal. 47. *Confortauit seras portarum tuarum.* Et Matth. 16. *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* At e contra præualerent, si Ecclesia aliquod mendacium doceret. Et Luc. 6. dicitur, *fundata supra firmam petram*: at hoc immeritò diceretur, si falli vel fallere posset: ergo, &c.

7 Confirmatur secundò ex perpetua Ecclesiæ praxi,
& traditione; siquidem quotiescumque ortæ sunt
hæreses, semper Ecclesia de eis iudicauit; suntque
communiter habiti hæretici, quorum doctrinam
Ecclesia semel condemnauit. Ita Arrius in Concilio
Nicæno primo damnatus tanquam hæreticus præ-
sidente Sancto Syluestro, eo quòd diuinitatem Verbi
impugnaret. Ita etiam Macedonius declaratus hæ-
reticus in Concilio Constantinopolitano I. sub B.
Damaso, eo quòd negaret Spiritum Sanctum esse
Deum. Ita etiam Nestorius in Concilio Ephesino
sub B. Cœlestino, eo quod sustineret duas in Chri-
sto personas. Ita etiam Eutyches in concilio Chal-
8 cedonensi sub B. Leone, eo quòd defenderet vnam
tantùm in Deo naturam. Atque hæc quatuor Con-
cilia generalia, tanquam quatuor Sancti Euangelij li-
bros venerari, & eos qui aliud sentiunt, anathema-
tizare se aiebat S. Gregorius epist. 24. lib. 1. & refer-
9 tur dist. 15. can. *Sicut sancti*: similiter argumentari
possumus ex aliis sequentibus Generalibus Conciliis
vsque ad Tridentinum, in quo Lutherus, & Calui-
nus damnati sunt tanquam hæretici, & tales etiam
perpetuò habiti sunt simpliciter absque vlla dubita-
tione, quicumque per vniuersalem Ecclesiam, præsi-
dente summo Pontifice Romano, hæretici declarati
& damnati sunt: nec vllus Catholicorum id vnquam
in dubium reuocauit. Et quamvis plerique Catholici
disputarint, an Summus Pontifex habeat infallibilitatem sine Concilio generali, quæ nostra sententia est, & nobis certissima, ita vt contraria nullo pacto asserenda videatur, sicuti patet ex dictis *dub.* 238. 247. & 258. an vicissim Concilium generale sine summo Pontifice, præsertim in quibusdam casibus: tamen de tota Ecclesia legitimè congregata, prout constat ex capite & membris, scilicet Pontifice Romano, & aliis inferioribus Episcopis ab eo conuocatis, nulla est, neque vnquam fuit inter Catholicos controuersia, vt patet ex historia Ecclesiastica, & probatur ex SS. Patribus; siquidem Ambrosius q. 32. ait: *Sequor tractatum Concilij Nicæni, à quo nec mors, nec gladius me separabit*: & *lib.* 5. *de Salom. cap.* 4. *Ecclesia variis fluctibus & procellis sæpe vexatur, tamen nunquam potest sustinere naufragium*: & *lib.* 2. Hexaëmer. *cap.* 1. *Ecclesia obumbrari potest, deficere non potest.* Item secundò Augustinus passim docet, vltimum de rebus fidei iudicium ad vniuersalem Ecclesiam pertinere: vnde *lib.* 4 *contra Donatistas, cap.* 6. excusat Sanctum Cyprianum, qui aduersus summum Pontificem falsò sustinuerat, hæreticos esse rebaptizandos: excusat verò & ea eo, quia Ecclesia hac de re nondum generale Concilium habuisset, quod & repetit Augustinus eiusdem operis *lib.* 2. *cap.* 4. & subdit cessurum fuisse Cyprianum, si eius tempore veritas iam eliquata per generale, seu plenarium Concilium solidaretur. *Et lib.* 2. *cap.* 18. ait: *Hoc credamus de Baptismo, quod vniuersa Ecclesia custodit; in qua tamen si alq aliud in hac quæstione, salua pace sentirent, donec vniuersali Concilio vnum aliquid eliquatum syncerumque placuisset, humanæ infirmitatis errorem operiret charitas vnitatis.* Excusat rursus Sanctum Cyprianum, quia eius tempore nondum per plenarium Concilium, quid in hac re sentiendum esset, totius Ecclesiæ consensus confirmauerat. Et quod hæc fuerit S. Cypriani mens & intentio, nemo dubitat; quia sic repugnabat ille Stephano Papæ *epist.* 62. & 64. vt interim paratus esset doctrinam suam eiurare, si ab vniuersali Ecclesia, omnibusque Episcopis simul congregatis damnatam videret, vt clarè colligitur ex Augustino *citato libro* 2. *contra Donatist. capite* 1. 2. 3. & 4. & ex ipsomet Cypriano *citata epist.* 62. & 64. vbi perpetuò pacem, vnitatem, & concordiam prædicat, neminemque extra eam saluari posse. *Neminem habiturum Christum patrē, qui non haberet Ecclesiam matrem.* Quod adhuc repetit *lib. de vnit. Ecclesiæ.* Et idem Augustinus *contra Cresconium, c.* 33. inquit: *Tunc Scripturarum à nobis tenetur veritas, cùm id facimus quod vniuersæ placuit Ecclesiæ, quam ipsa Scripturarum commendat authoritas.* Vnde suprà dicebam eos, qui Ecclesiam audiunt, simul etiam Scripturam audire, quæ nimirum Ecclesiæ obedire iubet. *Et contra Epistolam fundamenti, cap.* 5. ait *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ authoritas moueret.* Et epistola 118. *Plenaria Concilia saluberrimam in Ecclesia authoritatem habent.* Et epist. 162. *Ponamus* (scilicet ex hypothesi, illos Episcopos qui Romæ iudicarunt) *non fuisse bonos Iudices, restabat adhuc plenarium vniuersæ Ecclesiæ conciliū, vbi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari, vt si malè iudicasse conuicti essent, eorum sententiæ soluerentur*: vbi Augustinus licèt hypotheticè loquatur, tamen innuit supremum Ecclesiæ iudicium esse in Concilio generali. Item tertiò, Hieronymus in cap. 4. Isaiæ, ait: *Ecclesia supra petram fundata nulla tempestate concutitur, nullo turbine, ventisque subuertitur.* Et epist. 27. inquit: *Docebam quod didiceram, non à me ipso, idest, à præsumptione, pessimo præceptore, sed ab illustribus Ecclesiæ viris.* Item quartò S. Leo epist. 78. cap. 9. de rebus apud Nicæam, & Chalcedonem definitis, ait: *Nullum audemus inire tractatum, quasi dubia & infirma sint, quæ tanta per Spiritum sanctum fixit authoritas.* Item quintò Tertullianus *de præscriptionibus, cap.* 18. docet

docet, *non posse fieri, quod tota Ecclesia erret, alioqui non omnes particulares Ecclesiæ simul conuenirent : quod enim apud omnes vnum inuenitur, non est erratum, sed traditum.* Item sextò, Cyrillus Hierosolymit. *catechesi* 18. inquit : *Ecclesia dicitur Catholica, quia per totum orbem diffusa est, & quia omnia dogmata docet catholicè vniuersaliter sine vllo defectu.* Item septimò, Apostoli ipsi cùm de ceremoniis legalibus orta esset quæstio, Act. 15. simul conuenerunt, & celebrarunt Concilium, tandemque sic concluserunt : *Placuit nobis collectis in vnum* : ac rursus, *visum est Spiritui sancto, & nobis.* Nisi dicas, Concilium hoc non fuisse
21 generale, vt innuebam *dubit.* 258. Item octauò, Caluinus ipse 4. *Instit. cap.* 9. §. 8. scribit se libenter amplecti quatuor priscas illas Synodos, & alias similes : vbi nota ly, *& alias similes*, easque reuereri vt sacrosanctas, quantum ad fidei dogmata attinet : nihil enim continere nisi puram, & natiuam Scripturæ interpretationem, quam Patres spirituali prudentia ad frangendos Religionis hostes tunc accommodarunt. Vbi etiam nota, Caluinum hic admittere interpretationem Scripturarum per Ecclesiam : ex quibus omnibus apparet, præsertim agendo cum hæreticis, infallibilem fidei regulam in omnium sententia, non in solo summo Pontifice sine Ecclesia, & multò minus, vti dicebam *dubit.* 258 in sola Ecclesia sine summo Pontifice reponendam esse; quia statim hæretici obiicerent, Catholicos inter se de hac re non conuenire, sicque se ad neutrum obligari, & reuerà alij, quorum sententia mihi certissima est, infallibilitatem tribuunt summo Pontifici, vt S. Thom. 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 10. Caietanus, Turrecremata, Petrus Sotus, & alij, quos refert Bellarminus *lib.* 4. *de Rom. Pontifice, cap.* 2. *&* 3. Alij tribuunt Ecclesiæ, vt Adrianus VI. & Pius II. antequam esset Papa, Alphonsus à Castro, Abulensis, Abbas, Gerson, Almainus, Maior, aliique plures in Concillio Constantiensi, & Basileensi nec solùm Galli, sed etiam Itali, Hispani, & Germani; vnde ipsemet Bellarm. *cit. lib.* 2. *cap.* 7. fatetur non esse manifestè hæreticos, qui Ecclesiæ potiùs quàm summo Pontifici hanc prærogatiuam adscribunt: & Nauarr. *in cap. Nouit, extr. de Iudiciis, notab.* 3. *num.* 146. non vult nec summum Pontificem dicere superiorem Ecclesiæ, nec Ecclesiam superiorem summo Pontifice, sed rem totam in medio quasi dubiam relinquit : Ergo in omnium sententia simpliciter infallibilitas hæc tribuenda est toti Ecclesiæ, prout componitur ex capite, & membris, id est ex summo Pontifice Romano, aliisque minoribus Episcopis, quia & in hoc sensu res tota est longè apertior, & contra hæreticos efficacior; & de ea maximus, certissimusque consensus omnium Catholicorum, qui de tali Ecclesiæ infallibilitate nunquam dubitarunt.

Obiectiones.

Obiicies. Cum Augustinus *lib. contra epist. Fundamenti*, ait : *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ authoritas moueret*, intelligitur pro tempore, cùm erat hæreticus : ergo.

22 Respondetur : Nego antecedens, quia non loquitur de præterito, sed de præsenti; non enim dicit, *non credidissem*, sed *non crederem*; nec dicit, *nisi me Ecclesiæ authoritas mouisset*, sed *nisi moueret*; quod est tempus præsens. Accedit quod *cap.* 4. præcedenti inquit, *tenet me in Ecclesia successio Episcoporum, consensio populorum*, &c. adhuc de præsenti cùm Augustinus iam erat Catholicus.

Obiicies secundò : Ecclesia non fuit semper cum fide : ergo Ecclesia non est regula fidei. Antecedens probatur, quia fides fuit in primo parente, in quo tamen antequam haberet filios, non erat adhuc Ecclesia, cùm Ecclesia sit cœtus.

Respondetur : Nego consequentiam, & ad probationem respondeo, quod in primo parente antequam haberet filios, adhuc erat Ecclesia saltem initiatiuè, principiatiuè, seu inchoatiuè. Accedit, primum parentem habuisse singularem mysteriorum notitiam, & fidem per infusionem, & inspirationem diuinam, vt ea posteris suis communicaret, & Doctor esset totius generis humani. Accedit secundò, cùm dicitur Ecclesiam semper fuisse, sensum esse Ecclesiam nunquam defecisse, nec defecturam esse, scilicet ab eo tempore quo illa esse cœpit, quocunque tempore dicatur cœpisse. 13

Obiicies tertiò, Regula debet esse nota : sed Ecclesia non est eiusmodi : ergo. Minor probatur, quia Ecclesia creditur in Symbolo, & cognoscitur per fidem, quæ est obscura.

Respondetur, Nego minorem, & ad probationem, quod Ecclesia non solùm cognoscitur obscurè per fidem, sed etiam clarè per signa, seu motiua credibilitatis, de quibus dicam in tract. de fide. Vnde Psal. 92. dicitur, *testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Accedit Ecclesiam, etiamsi formaliter sumpta sit obscura, & cadat sub fidem, tamen materialiter esse visibilem, quia à principio mundi semper fuit aliquis hominum cœtus qui sensibus perciperet verum Deum externis ritibus, & visibilibus ceremoniis supremo latriæ cultu venerandum. 14

Instabis : si Ecclesia esset fidei regula, deberet esse clarior cæteris rebus ad fidem pertinentibus : sed talis non est Ecclesia : ergo. Sequela maioris probatur, quia quod explicatur, non explicatur nisi per notius. Minor patet, quia Ecclesia cadit sub fidem, estque obiectum fidei, cui est essentialis obscuritas. 15

Respondetur, nego minorem, & ad probationem dico, quod quamvis obscuritas sit essentialis fidei, & omnibus obiectis fidei formaliter sumptis, quatenus cadunt sub fidem; tamen non obstat quin vnum obiectum sit clarius altero; siquidem videmus obscuritatem esse essentialem tenebris, quod tamen non impedit quin tenebræ sint aliæ aliis maiores; sic & quædam fidei obiecta nec materialiter in se entitatiuè sunt visibilia, nec formaliter sub specie reuelationis, v. g. personarum Trinitas, gratia, & gloria. Econtrà verò Ecclesia, quamvis non sit sensibilis, vt cadit sub fidem formaliter; tamen materialiter vt est quidam hominum cœtus, verè sensibilis est, & Deus naturaliter cognoscitur vt Deus, non tamen vt trinus. Accedit Ecclesiam, quamuis formaliter, quatenus cadit sub fidem, non plus habere euidentiæ quàm personarum Trinitatem, gratiam, & gloriam, tamen plus habere claritatis in alio genere, prout per motiua fidei, & per notas sibi proprias demonstratur : quod sufficit in casu nostro.

Reinstabis, Ecclesia probatur per Scripturam : ergo Scriptura clarior est Ecclesiâ.

Respondetur, distinguo antecedens : Ecclesia probatur per Scripturam quomodocumque sumptam, nego : probatur per scripturam vt ab Ecclesia priùs receptam, examinatam, & explicatum, concedo.

Vrgebis, Scriptura clarè loquitur de Ecclesia, scilicet esse *columnam & firmamentum veritatis*, & *qui non audit Ecclesiam, sit tanquam Ethnicus, & publicanus* : ergo non est opus explicatione.

Respondetur, etiamsi Scriptura clarè loquatur de Ecclesia, non tamen clarè ostendit, quæ sit illa Ecclesia : quapropter hic est opus magna cautela, vt veram à falsa per proprias notas distinguamus.

Obiicies quartò, Apostolus ad Rom. 11. sic argumentatur : si Deus reiecit Synagogam, & naturalibus ramis non pepercit, cauendum etiam nobis gentibus est, ne & nos exscindamur, & reprobemur;

quasi Apostolus credat Ecclesiam, sicut Synagogam olim, exscindi posse.

Respondetur, Apostolum loqui non de tota Ecclesia Catholica generaliter sompta, sed solùm de aliquibus eius partibus; siquidem licèt tota Ecclesia simpliciter mansura sit vsque ad finale iudicium, non tamen constat mansuram semper in tali loco, ciuitate, vel prouincia: quapropter meritò omnes sibi cauere debent.

Instabis: hæc, vel illa ciuitas, aut Prouincia potest fidem amittere; & hic, vel ille Episcopus falli: ergo etiam tota Ecclesia generalis, & totus Episcoporum cœtus. Consequentia probatur, quia idem est iudicium de toto, ac de partibus.

Respondetur, concedo antecedens; at nego consequentiam, quia est fallacia à distributiuo ad collectiuum, vt si quis diceret, hoc & illud peccatum veniale est vitabile: ergo omne peccatum veniale est vitabile. Vel hæc, & illa pars continui est diuisibilis: ergo omnis pars continui est diuisibilis. Vel nec oculus dexter, nec sinister est necessarius ad videndum: ergo neuter est necessarius ad videndum: vnde ad probationem respondeo distinguendo: Idem est iudicium de toto ac de partibus quocumque modo sumptis, nego; simul & collectiuè sumptis, concedo.

Vel respondetur, transeat in rebus physicis quæ sunt per se sua natura tales: at nego in rebus naturalibus quæ non sunt per se sua natura tales, sed ex institutione, & voluntate alterius. Quo pacto de fide est infallibilitatem diuinitus collatam fuisse toti Ecclesiæ simul sumptæ, non tamen particulari huius vel illius loci, ciuitatis, vel Prouinciæ. Cuius discriminis ratio tota refundi debet in institutionem, & voluntatem diuinam.

Obiicies quintò: Tota Ecclesia errauit in Concilio Ariminensi, cui interfuerunt sexcenti Patres: ergo.

Respondetur primò, Concilium hoc errasse solùm in quæstione facti, non iuris; agebatur enim de fide Nicæna, quam Ariminenses Patres affirmabant se in omnibus sequi velle, nec vllo modo immutare. Ariani verò per fraudem obtulerunt corruptum exemplar symboli Nicæni, in quo habebatur *ὁμοιούσιος*, pro *ὁμοούσιος*, sicque fidei nomine scripta est infidelitas, sed ex falsa & fraudulenta suppositione, contra omnium Patrum Catholicorum intentionem, quam satis ipsi declararunt. Vnde error fuit materialis potius, quàm formalis, in quo sensu intelligitur quod ait Hieronymus de hoc Concilio contra Luciferianos: *Vniuersus Orbis ingemuit, seque Arianum esse miratus est*: quia Patres illi statim cognito errore, pœnitentiam egerunt, & damnauerunt hæresim, quæ vt dicebam, fuit solùm materialis, non formalis, & solùm de facto, non de iure.

Respondetur secundò, dictum Concilium non fuisse propriè generale, vt dicebam *dubit.* 258. quia non fuit à Summo Pontifice approbatum, cuius est Concilia generalia conuocare, concludere, & confirmare, vt dicebam *dubir.* 260. Siquidem per Concilium generale intelligimus cœtum omnium Prælatorum, nempe Summi Pontificis, & inferiorum Episcoporum, qui omnes simul eandem doctrinam approbent. Idemque dico de Concilio Ephesino II. tempore Theodosij Iunioris; de Mediolanensi, Constantij; de Constantinopolitano sub Leone Iconomacho, & de Trullensi circa tempora Iustiniani; quia similiter ista omnia Concilia non fuerunt à Summo Pontifice conuocata, vel saltem nec approbata, nec confirmata. Vide supr. *dubit.* 238. & infra *dubit.* 265. & 267.

16 Cæterùm nota hic, errare posse Concilium, non solum de facto, sed etiam de iure, cum quid attingit solùm obiter ad aliud respiciendo, vel per modum rationis, vel exempli, vel explicationis; non tamen cùm quid ex professo conciliariter definit instar conclusionis, vel assertionis ad fidem spectantis: hac enim distinctione multæ obiectiones solui possunt, præsertim quia multæ ex eis sunt circa Concilia solùm prouincialia, non generalia, & multa lucis suis diluemus, vt ex Concilio Neocæsariensi contra secundas nuptias, & Concilio Ephesino primo, Elliberitano, & Francofordiensi contra cultum imaginum, ex Nicæno secundo de corporibus Angelorum, & ex Romano sub Stephano VII. contra Formosum *in tract. de Ordinibus.* Vide *cit. dubit.* 247. 258. *&* 265.

Obiicies sextò, Synagoga Iudæorum tota errauit circa personam & diuinitatem Christi, quia Pontifices, Scribæ & Pharisæi, coacto Concilio, Ioan. 11. & 19. declarant Christum non esse verum Messiam, sed potiùs reum mortis: ergo.

Respondetur, Synagogam Iudæorum non fuisse totam Ecclesiam vniuersalem illius temporis, sed potius Ecclesiam quandam singularem, etsi specialem, quam Deus præ ceteris peculiariter elegerat; siquidem extra Iudæam erant adhuc in Chaldæa, Mesopotamia, Ægypto, Æthiopia, & Græcia plurimi Fideles, qui verum Deum colerent, quamvis non seruarent Mosaicam legem quæ solum Iudæos, eorumque proselytos obligabat, sed vterentur mediis, & sacrificiis legis naturæ, partim instinctu diuino, partim antiqua maiorum traditione acceptis, vt dico in materia de legibus. Accedit, quod nullus etiam esset tunc Summus Pontifex, sicuti hodie qui spiritalem in omnes totius mundi fideles iurisdictionem haberet; quia Summus Pontifex Iudæorum non poterat aliis quàm Iudæis, & proselytis imperare, nec in cæteros fideles vllam potestatem obtinebat.

Respondeo secundò, neque etiam fuisse Concilium illud generale respectu ipsorum Iudæorum; quia in eo non conuenerant ex omnibus ipsorum sacerdotibus, neque ex omnibus Scribis & Pharisæis; nam multi ex ipsis credebant in Christum, licèt clam & occultè, ita vt aliorum sacrilegio non consentirent, Ioan. 12. *Ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur*, ne scilicet eicerentur à Synagoga. Ex his fuit Nicodemus, *qui venit nocte ad Christum*, Ioan. 3. *&* *vocatur ibi Princeps Iudæorum, & Magister in Israël.* Et Simon Leprosus, qui adhuc credebat in Christum, à quo curatus fuerat, & *vocatur Pharisæus.* Luc. 7. & Gamaliel maximus legis Doctor, de quo mentio fit *act.* 5. & ad cuius pedes fuerat Saulus eruditus, *act.* 22. hic enim etiam postea miraculis Christi conuersus occultè eum coluit, vt in ipsius historia legere est. Hi igitur & alij similes non interfuerant conciliabulo Iudæorum, vel certè non approbauerant, nec habuerant libertatem loquendi; quæ tamen libertas est conditio prorsus necessaria ad verum & legitimum Concilium celebrandum, alioqui Concilium dici non debet.

Nota, Sacerdotes, Scribas, & Pharisæos habuisse 17
tunc ius assistendi Conciliis Iudæorum, & sententiam
ferendi, quia non erant Episcopi in lege Mosaica, 18
sicut hodie in nostra; nec Pontifex, nisi vnus tantùm, saltem simul, & eodem anno. Accedit quod Saluator etiam *Matth.* 23. manifestè ait Scribas, & Pharisæos sedisse tunc super Cathedram Moysi, iisque esse obediendum: *Quæ dicunt, facite, &c.*

Nota secundò, quod & deseruit ad solutionem eiusdem sextæ obiectionis, Pontifices, & Pharisæos apud *Matth. cap.* 26. & *Marc. cap.* 14. omnia perturbatè, confusè, & tumultuariè egisse, vt patet ex historia dominicæ passionis, quando Christus iam erat comprehensus. In altero verò Concilio, *Ioan.* 11. paucis diebus ante passionem Christi, & post Lazarum suscitatum vaticinatus est Caiphas de redemptione generis humani, Deo sic disponente, qui aliquando

locutus

locutus per asinam: *Vos nescitis quicquam, expedit vobis vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat, neque hoc dixit à seipso, sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit.*

Nota tertiò, nonnullos etiam respondere, Synagogam priuilegium infallibilitatis vsque ad Passionem Christi habuisse. Vnde & Christus *Matth.* 23. iubebat audiri Scribas, & Pharisæos, eo quòd sederent super Cathedram Moysi; at circa eius passionem errare potuisse, quia Christus iam nolebat Synagogam amplius vigere, sed potiùs in meliorem statum mutari, eique Ecclesiam subrogari, iuxta illud Isaiæ 3. *Auferam à te prophetam & consiliarium, & sapientem, & prudentem eloquij mystici.* Et *cap.* 6. *Excæca cor populi huius*: nam etiamsi Mosaica durauerit vsque ad instans mortis Christi, sicut dicitur *in tract. de legib.* non tamen infallibilitas vsque ad illud instans extendi debet, quia Christus iam venerat, iam prædicare cœperat vt Iudæorum errores corrigere posset. Quapropter licèt haberent tunc Pontifices authoritatem circa obseruationes veteris legis, vt eas iuberent, non tamen vt noua dogmata definirent. Vide quæ dicam *dubit. sequenti.*



DVBITATIO CCLXV.

An, & cui de facto hæc authoritas definiendi res fidei à Christo collata sit?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum opinio, Ecclesiæ regimen esse democraticum.*

2 *Catholici omnes Monarchicum esse asserunt, & in summo pastore legitimo Petri successore residere.*

3 *Infallibilis authoritas proponendi res fidei est in supremo tantùm capite, legitimo Petri successore.*

4 Cepha *vox Syriaca Petram significans, & Petro applicata, tanquam Ecclesiæ fundamento, &* num. 6.

5 *Authoritas Petro per verba,* tu es petra, ædificabo, tibi dabo claues, pasce oues meas, confirma fratres tuos, *& eius successoribus tradita, fusè demonstratur.*

7 *Petrus successorem suum morti proximus declarat.*

8 *Finis regiminis Pontificij est, vt Ecclesiæ pax conseruetur, & lites circa res fidei cum infallibili authoritate dirimantur.*

9 *Apostolorum dignitatis æqualitas in quo consistat, & à quo pendeat?*

10 *Petrus in multis se alijs Apostolis superiorem declarauit.*

11 *Pontifex vel vt priuata persona, vel vt Christi Vicarius ex cathedra definiens considerandus: primo modo errare potest, non verò secundo.*

12 *Authoritas infallibilis definiendi res fidei non est penes Concilium generale.*

13 *Multa Concilia absque Pontificis authoritate congregata errarunt.*

14 *Authoritas confirmandi fratres in fide non est concessa nisi Petro, & eius successoribus.*

15 *Nec Concilium generale, nec Legati absque Pontificis authoritate repræsentant Ecclesiam.*

16 *Traditiones non sunt de fide, nisi includant approbationem Pontificis.*

17 *Patres Concilij licet res fidei definiant, non tamen infallibiliter, nec tenetur Sum. Pontifex maiorem illorum suffragiorum partem sequi.*

18 *Concilium generale cum authoritate Pontificis errare non potest, vbi explicatur Augustini locus quod priora Concilia à posterioribus emendentur.*

19 *Quomodo dicatur quod vnus Pontifex in alium Pontificem authoritatem habeat, cùm par in parem non habeat imperium.*

De quatuor potest dubitari, de tota Ecclesia, de primarijs pastoribus in Concilio congregatis, de vno aliquo supremo capite, & Principe omnium, vel solo, vel cum suis membris coniuncto: Hæretici, vt à Romano Pontifice omnem authoritatem tollant, non solùm ei negant authoritatem proponendi res fidei, sed etiam potestatem gubernandi Ecclesiam: quam potestatem ideo negant esse Monarchicam, & asserunt vel esse democraticam, penes multitudinem; vel, vt alij, inter quos Caluinus, Aristocraticam penes cœtum seniorum, vel vt alij, penes Principes sæculares. At Catholici omnes de communi consensu docent, non solùm regimen quod Monarchicum est, sed etiam infallibilem authoritatem definiendi res ad fidem & mores spectantes residere in summo aliquo pastore, qui legitimè in Petri munus, & potestatem gubernandi Ecclesiam succedat. Inter quos tamen, vt patet ex *dubit. præcedenti*, lis est, verùm illa sit penes summum pastorem tantùm, an coniunctim cum Concilio generali. Sed quid in hac re ego sentiam, dicam breuiter: Quapropter. 1 2

Respondetur, & dico primò, hæc infallibilis authoritas proponendi res fidei est tantum in vno aliquo supremo capite legitimo Petri successore. Sic S. Thom. 2.2. *quæst.* 1. *art.* 10. & 4. *contra gentes, cap.* 76. Caietanus ibidem, & *in opusc. de potestate summi Pontif.* Turrecremata, Petr. Sotus, & communiter alij, quos citat & sequitur Bellarm. *lib.* 4. *de Rom. Pontif. c.* 2. & 3. colligitur ex dictis *dubit.* 248. 248. & 258. & vlteriùs 3

Probatur, cùm primùm hæc authoritas à Christo promissa, vel collata Ecclesiæ est, nusquam legitur promissa vel collata, nisi soli & indiuiduæ personæ Petri: sed hæc extincta cum officio & persona non est: ergo adhuc per successionem durat in iis, qui legitimè succedunt in munus & gubernationem Petri. Consequentia patet, quia si extincta non est, in aliquo perseueret necesse est; sed in nullo alio perseuerare potest, quàm in illo qui in munere, & potestate gubernandi Ecclesiam succedit Petro, cùm hæc prærogatiua promissa sit officio cum quo communicatur, ad vtilitatem Ecclesiæ, non personæ: ergo.

Maior probatur ex Scriptura *Matth.* 16. vbi Christus hanc prærogatiuam promittit Petro. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues regni cælorum, &c.* Quibus verbis non poterat hæc authoritas singulari personæ Petri clariùs designari: nam alijs Apostolis, quos Christus interrogauerat, omissis, soli Petro promissionem fundandi Ecclesiam super soliditatem eius fidei per petram significatæ, dirigit, & soli Petro spondet claues, supremam in Ecclesia potestatem significantes, vt non modò consuetudine constat, quia cùm alicui domus dominium tribuitur, claues traduntur; sed etiam ex Scriptura, Isaiæ 22. *Dabo claues domus Dauid super humerum eius.* Et soli Petro potestatem ligandi, atque soluendi promittit: ergo. Dices, per petram non significari Petrum, sed Christum, aut populum fidelem, aut fidem.

Sed contrà, nam quorsum dixisset Christus, *tu es Petrus*, seu Syriacè, *tu es petra.* Cephas enim, vt refert Hieron. 2. *ad Galat.* Syriacè petram significat, si ipsum Petrum noluisset fundamentum Ecclesiæ designare? 4

Contra secundò: nam quorsum dixisset etiam Christus, *ædificabo*, & non potiùs *ædificaui*, cùm iamdiu ipsam Ecclesiam per Apostolos ædificare cœpisset,

Contra tertiò, qoia non de se, sed de Petro dixerat, *Tu es Petra*: ergo ad Petrum, & non ad se, quod dicit, refertur.

Contra quartò, quia sequentia verba, *tibi dabo claves regni cælorum*, clarè denotant ad quem priora referantur, siquidem omnia diriguntur ad describendam completam authoritatem, quæ io supremo Ecclesiæ pastore requiritur: ergo si sequentia verba, aduersariis etiam fatentibus, ad Petrum referuntur, referentur etiam priora, seu præcedentia.

Item secundò probatur eadem maior ex Ioan. vlt. *Vbi Christus corporali præsentia Ecclesiam relicturus, promissionem regendæ Ecclesiæ, quam antea Petro fecerat, implet in eadem singulari persona Petri*, illis verbis: *Pasce oues, vbi soli Petro traditur vniuersalis cura regendi Ecclesiam, vti demonstrat tum trina interrogatio soli Petro facta, tum pronomen meas, omnibus appositum, quo sicut nullam excipit ab ouili Christi, sic neque authoritate & potestate Petri; quia si noluisset Christus vniuersalem Ecclesiæ curam Petro dare, aliquam apposuisset restrictionem, vt apparuit* Petr. 1. 5. *Pascite gregem qui in vobis est*. Act. 20. *Attendite vniuerso gregi, in quo vos, idest Episcopos, Spiritus Sanctus posuit.*

Item probatur tertiò eadem minor ex *Luc.* 22. vbi Christus alloquens in persooa Petri discipulos, soli Petro dicit, *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Vtque clarius significaret hanc prærogatiuam non deficiendi à fide soli Petro supremo Pastori impertisse, subdit: *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.*

Item probatur quartò, quia Christus vtique absque dubio instituit optimum Ecclesiæ suæ regimen. At hoc est Monarchicum, vti tradit Arist. 8. *Ethicorum* 10. Et patet, quia est aptius ad ciuium concordiam, quæ est finis regiminis: quis enim ciues volet, si hi penes quos esset regimen discordarent: tum quia hoc persimile est cœlesti, cuius Ecclesiasticum est imitator; vnde & antiqua Ecclesia sub Summis Sacerdotibus, *Deuter.* 17. & nostra hæc, vt primò nata est, sub augustissimo Principe Christo monarchicè cœpit.

Item probatur quintò ad hominem, quia hæretici concedunt particulares Ecclesias monarchicè gubernari sub vno Episcopo, vel Primate: ergo & concedere debent vniuersam sub vno Vicario Christi præsertim, alioqui non esset qui particulares Pastores ad suum munus exequendum cogeret, nec qui illorum lites componeret.

Dices esse Concilium Generale.

Sed contrà, quia non semper commodè Concilium hoc congregari potest, cùm tamen sæpè in Ecclesia opus sit opportuno remedio, quod authoritatem requirat, & dilationem non patiatur.

Contrà secundò. Quid si Patres ipsi in Concilio discordarent?

6 Minor syllogismi principalis principio positi probatur ex cit. loco Matth. 16. *Vbi Christus non sine mysterio, mutato nomine Simonis in Cepham, quod Græcè caput, Syriacè Petram significat, potestatem regendi Ecclesiam Petro pollicetur, vt apertè significaret cum nomine dignitatem perpetuò Ecclesiam gubernandi, ideoque non vt priuata persona, cum qua esset finienda, sed vt publica Christi vicem, & supremi capitis personam gerenti, cum qua in successoribus perpetuò esset conseruanda, se illi communicasse.*

Item secundò probatur eadem minor ex metaphora fundamenti, cuius est non tantùm ædificium inchoare, sed etiam illud perpetuò conseruare, ruente enim fundamento, totum ædificium ruat necesse est; Cùm igitur adhuc Christi Ecclesia duret, durare etiam debet fundamentum quo sustinetur: sed illud non durat in persona Petri, quæ iam extincta est: ergo in eius successoribus.

Item probatur tertiò ex verbis illis, *pasce oues meas*, quibus verbis, teste Bernardo 1. *de considerat.* tanta datur Petro potestas, quantus est ouium Christi numerus: sed Petrus non pauit per se omnes oues Christi: ergo pauit illas per suos successores, quibus Pastoris officium communicauit.

Item probatur quartò ex testimonio illorum qui authoritatem hanc vel ab ipsis Apostolis, vel ab Apostolorum discipulis didicerunt: Clemens enim *epist.* 1. scribit à B. Petro sibi traditam fuisse potestatem quam à Christo acceperat in omnes fideles. Idem dicunt Anacletus, Euaristus, Iulius, Alexander, & reliqui Summi Pontifices Apostolis propinquiores. Idemque etiam colligitur ex Conciliis Generalibus Florentino, & Tridentino *sess.* 14. *c.* 7.

7 Item probatur quintò ex facto Petri, qui morti proximus sibi successorem Clementem declarauit, vt ipse Clemens *lib.* 7. *constitut. Apostolic. cap.* 46. & alij grauissimi Authores testantur, licèt alij Petro substituant Linum, & Cletum, & quarto loco Clementem: quam controuersiam componit Bellarminus *de Rom. Pontif. cap.* 1. vt scilicet Clemens fuerit à B. Petro declaratus successor in Pontificiam dignitatem, quam humilitatis causa cessit Lino, & Cleto, qui in Pastorali officio Petro fuerunt adiutores, quibus mortuis successit ipse Clemens quartus Pontifex. Non potuisset autem Petrus sibi aliquem in successorem eligere, nisi à Christo didicisset Pastoralem dignitatem fore semper in Ecclesia per vnum aliquem supremum caput conseruandam, quia nec ipse poterat propria authoritate illam instituere, quam totam acceperat vt Vicarius Christi vicem gesturus, nec io aliam à Christo traditam commutare.

8 Item probatur sextò ex fine regiminis, quia hoc non est propter Principem, sed propter Rempublicam, vt eam in pace conseruet. Vnde Principe extincto, non extinguitur Principis officium, sed transit ad successores hæreditate, vel electione; sed durat eadem Ecclesia cum eadem, & fortè maiori necessitate, quàm antea habendi vnum supremum Pastorem cum infallibili authoritate definiendi lites fidei, ob plurimas hæreses & schismata quæ in dies exoriuntur: ergo adhuc durare debet officium Pastoris supremi cum authoritate definiendi lites circa res fidei, alioquin malè prouisum esset Ecclesiæ Christi, si cùm maior est necessitas capitis cum authoritate definiendi lites, ea tunc maximè priuaretur.

Obiicies: sæpè Apostoli describuntur æquales in dignitate, Ephes. 2. & 4. *Vbi dicuntur fundamentum omnes Apostoli*: & Paulus 2. ad Corinth. 11. ait, *sibi curam incumbere omnium Ecclesiarum: ergo non soli Petro ea cura data est.*

9 Respondetur, omnes Apostolos fuisse æquales in prædicatione Euangelij, & testificatione eorum quæ ab omnibus credenda erant, iuxta illud Marci vlt. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et Act. 1. *Eritis mihi testes in Ierusalem, & vsque ad vltimum terræ.* Et in omni gubernatione omnium Ecclesiarum, quæ tunc ad promulgandam fidem necessaria fuit, sed alios vt delegatos, Petrum ut ordinarium Pastorem, à quo pendebant vt à capite, & hoc speciali modo dicitur Petro commissa cura vniuersalis Ecclesiæ cum potestate etiam relinquendi sibi successorem, quo modo aliis data non est.

Instabis: Nusquam Petrus quid dixit, vel egit, quo se aliis Apostolis superiorem ostenderet, vt constat in electione Mathiæ, & Diaconorum, Act. 1. & 6. *Et in abrogatione legis antiquæ*, Act. 15. *Ergo.*

10 Respondetur, nego antecedens, quia in multis Petrus se aliis Apostolis superiorem ostendit, siquidem in electione Mathiæ, & Diaconorum, & in promulgatione Euangelij die Pentecostes, Act. 2. & in abrogatione

gatione veteris legis, & in aliis cœtibus semper primus fuit in dicendo. Quod autem multa grauiora non nisi Concilio Apostolorum decreuerit, id non præiudicat primatui Petri, siquidem & Reges supremam potestatem habentes grauia non decernunt sine Concilio assistentium.

Obiicies secundò, multi Pontifices contraria fidei docuerunt: nam Petrus coëgit gentes ad iudaizandum, teste Paulo *ad Galat.* 2. & Honorius I. damnatur à Sexta, Septima, & Octaua Synodo, & alij in fide errasse comperiuntur: ergo non est apud eos infallibile iudicium circa res fidei.

11 Respondetur, dupliciter consideratur Pontifex, vno modo vt priuata persona, ex propria sententia docens: altero modo, vt Vicarius Christi ex Cathedra definiens, obligãdo fideles ad illud quod ipse proponit: hoc posteriori modo non potest Pontifex in proponendo errare, quia sic eius error redundaret in totam Ecclesiam, in ordine ad quam data est hæc authoritas Pontifici: non item similiter priori modo. Vnde si Pontifex quid dicat vt priuata persona, seu vt priuatus Doctor, non tenemur amplecti id, quod ipse dicit: & sic exponuntur multi Pontificum errores: nam Petrus, vt omittam quæ dicebam *dubit.* 262. non doctrina, sed exemplo Gentes inducit ad iudaizandum, timens scandalum Iudæorum; qua de causa illum vt priuatam personam reprehendit Paulus, Honorium autem excusant aliqui, vt ille reipsa non negauerit duas voluntates & operationes in Christo, sed nomina tantùm duarum voluntatum: quæ quia tunc vsitata non erant, poterat esse occasio errandi simplicibus; alioqui Agatho Honorij successor non potuisset affirmare, nunquam in Sede Petri fidem nostram defecisse, nec vllum prædecessorem errasse: alij verò affirmant, potuisse illum à Concilio damnati ob aliquem errorem in ipsius priuatis Epistolis hac de re ad Concilium vltro citroque missis. Vide quæ dicebam *suprà, dubit.* 247. 258. *&* 264.

12 Dico secundò, Infallibilis authoritas definiendi res fidei non est penes Concilium generale etiam legitimè congregatum, nisi ratione capitis. Est S. Thom. 2. 2. *q.* 1. *art.* 1. Caietani *ibid. & tract. de authorit. Sum. Pontificis, c.* 7. Cani *de locis Theolog. lib.* 5. & communis. Et colligitur ex dictis *cit. dub.* 238. 247. *&* 258. & vlterius

Probatur ex Florentino definiente Romanum Pontificem esse caput totius Ecclesiæ: ergo cum duo capita eiusdem corporis esse non possint, & ad caput spectet membra dirigere, Põtificis, non Cõcilij erit membra Christi Spiritus Sancti assistentia in fide dirigere.

13 Secundò, non modò Concilium Ariminensa, Constantinopolitanum sub Leone, Pisanum, & alia sine authoritate Pontificis, sed etiam Ephesinum II. Constantinopolitanum tempore Nicolai I. Basileense, & alia authoritate Pontificis congregata errarunt. Primum, confirmando hæresim Eutychianorum: secundum, agendo contra instructionem Pontificis, consentientibus Legatis: tertium, Legato Pontificis subscribente, decernendo Concilium esse supra Pontificem: ergo.

14 Tertiò hæc authoritas confirmandi fratres in fide ex assistentia Spiritus Sancti non est promissa nisi Petro, & successoribus: ergo non est ad alios temerè extendenda.

Quartò, si penes Concilium ante Pontificis confirmationem esset hæc authoritas, non vna, sed duæ essent supremæ potestates, non subordinatæ inter se, cùm ambæ essent immediatè à Christo: ergo si ambæ opposita proponerent, non esset cui potiùs esset parendum.

Quintò, si Concilium independenter à Pontifice haberet hanc authoritatem, non esset cur sua decreta semper peteret authoritate Pontificis confirmari.

Obiicies. Non potest tota Ecclesia errare in rebus fidei: sed Concilium generale repræsentat totam Ecclesiam: ergo.

Respondent Canus, & Bañez, hinc tantùm probari, totum Concilium generale non posse errare, posse tamen maiorem partem.

Sed contrà, quia si totum Concilium non potest errare, totum Concilium habebit supremam æqualem authoritatem cum Pontifice, sicque eius confirmatione non indigebit, redeuntque absurda superiora.

15 Respondetur igitur meliùs cum Caietano *in cit. tract. de author. Summi Pontif. c.* 9. Concilium generale sine suo capite non repræsentare perfectè Ecclesiam; nec Legatos, qui loco Pontificis præsident, repræsentare perfectè caput: non enim habent infallibilem authoritatem ex assistentia Spiritus Sancti in definiendo, quæ tantùm capiti est promissa, sed solùm munus referendi quæ inter Pontificem & Concilium aguntur: eatenus tamen errare non possunt, quatenus agunt ex instructione Pontificis, quia sic includunt sententiam Pontificis, iuxta quam agentes errare non poterunt.

Instabis. Non potest tota Ecclesia errare in rebus fidei, etiam sine capite, quia caput est propter Ecclesiam: ergo si caput non potest errare, à fortiori non poterit Ecclesia, iuxta illud: *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.*

Respondetur, nego antecedens, in sensu scilicet infallibili, quia in hoc sensu non potest tota Ecclesia errare, docta & directa à capite, cui ex præcepto Christi tenemur parere. Luc. 12. *Qui vos audit, me audit*; non autẽ si sumatur sine capite: cùm enim ad hoc ei detur caput, vt ipsius doctrina instructa in rebus ad salutem necessariis non erret, eo ipso quod illa non vtitur medio à Christo instituto, poterit aliquo modo, & aliquando errare, quia non tenetur eam Deus ab errore infallibiliter seruare, nisi iuxta leges ab ipso præscriptas, iuxta quas intelligenda est promissio illa: *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Vide quæ dicebam *dubit.* 238. 264. & dicam *dub.* 267.

Reinstabis. Quod tenet tota Ecclesia est de fide, nec potest Pontifex id non approbare, vt constat de traditionibus, quas certò colligimus à Christo, vel ab Apostolis deduci, & videmus eas totam Ecclesiã amplecti.

16 Respondetur, nego antecedens, & ad probationem dico, traditiones non esse de fide, nisi includant approbationem capitis.

Vrgebis, Concilium includit approbationem capitis hoc ipso, quod habet ab ipso facultatem decreta condendi: ergo.

Respondetur, nego antecedens, quia approbatio fieri debet humano modo, ex præcognitione scilicet rei approbandæ: non igitur videtur posse Pontifex de fide approbare quidquid Concilium esset decreturum: nam hoc modo esset transferre assistentiam Spiritus Sancti in ipsum Concilium.

Reurgebis, *Matth.* 18. Vbi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, quod de Cõciliis interpretatur Synodus Chalcedonẽsis ergo.

Respondetur, vt omittam, quod dicebã *dub.* 258. *ad* 3. locus Matthæi intelligitur de Cõcilio includẽte caput.

Reurgebis iterum, ibidem dicitur, *si peccauerit in te frater tuus, dic Ecclesiæ.* Ergo suprema potestas iudicandi est penes Ecclesiam.

Respondetur cum Caietano *tract. de authorit. Pontif.* ly *dic Ecclesiæ*, intelligi pro *dic Prælato*, quia non tenemur publico Concilio delinquentem denunciare.

Reurgebis tertiò, Patres Concilij in ferendo decreto de rebus ad religionem spectantibus procedunt in forma iudicij, definiendo non via inquisitionis, sed inuestigando, alioquin ad id non tam vocandi essent rudes, alioquin Episcopi, quàm docti: sed in iudiciis semper tenetur præses sequi maiorem partem suffragiorum: ergo & Pontifex in confirmandis decretis Concilij tenetur stare iudicio Concilij.

17 Respondetur, quod licèt Patres Concilij præcedant via definitiua, non tamen penes ipsos sit infallibilis authoritas determinandi res fidei, ac ideò non tenetur Pontifex in ferenda sententia sequi maiorem partem suffragiorum, sed eam quæ verum decernit; quia cùm ille in ferenda sententia non dirigatur immediatè à iu-

dicio Pattrum, licèt illud requirat vt conditionem humano modo conuenienter requisitam, sed à Spiritu Sancto, non tenetur sequi nisi illud ad quod Spiritus Sanctus ipsum impulerit. Vnde disparitas est de iudiciis humanis, in quibus quia tota ratio assentiendi est authoritas humana, tenetur qui ex iis iudicat iuxta maiorem partem suffragiorum iudicare.

Obiicies secundò, si infallibilis authoritas proponendi res fidei esset in aliqua singulari persona, & non in tota Ecclesia, cùm talis persona singularis in accipiendo à Deo hanc authoritatem pendeat ab Ecclesia eligente sibi hanc singularem personam, posset Ecclesia nullam sibi personam eligere, & tunc nulla esset authoritas proponendi res fidei in Ecclesia.

Respondetur, quamvis Ecclesia possit antecedenter nullum sibi caput eligere, nunquam tamen id Deum esse permissurum ob singularem promissionem illi factam in persona Petri, & successoribus,

Obiicies tertiò. Videtur quod Concilium generale, etiam cum authoritate Pontificis, possit errare, quia Conciliũ Pharisæorũ authoritate Sũmi Pontificis Caïphæ confirmatum errauit in condẽnando Christũ: ergo.

28 Respondetur, nego antecedens; quia si Concilium generale, etiam cum authoritate Pontificis potest errare, nullum superest in Ecclesia medium quo vnitas fidei per vnitorum compositionem conseruari possit; & ad probationem, vt omittam quæ dicebam *dubit. præcedenti ad* 6. dico Concilium Pharisæorum errasse in condemnando Christo, quia non fuit confirmatum authoritate Christi tunc suam Ecclesiam gubernantis, & sanè non debetur assistentia Spiritus Sancti Vicario nisi absente capite: vnde nec Petrus illam accepit, nisi post Christi in cœlum ascensum.

Instabis ex Augustino 2. de Baptismo, c. 3. sæpè plenaria Concilia priora emendantur à posterioribus: quod autem emendatur, supponitur errasse: ergo.

Respondetur Augustinum intelligi vel de controuersiis facti rerum temporalium, in quibus Pontifex potest errare, vt dicebam *cit. dub. præced. ad* 6. non autem iuris rerum vniuersalium ad salutem pertinentium; vel intelligi de emendatione quoad clariorem alicuius veritatis expressionem, vt quod in vno Concilio implicitè decernitur, in alio expressè decernatur: quem sensum prætendunt verba Augustini, *cùm aliquo experimento rerum aperitur quod clausũ erat, & cognoscitur quod latebat.*

Vrgebis: Vnus Pontifex non habet authoritatem in alium, quia par in parem non habet imperium. Ergo potest Concilium posterius non approbare quod prius approbauerat.

19 Respondetur, nego antecedens, si loquamur de authoritate, seu potestate iudicandi ex assistentia Spiritus Sancti; quia tunc Pontifex non vt homo, sed vt Vicarius Christi, & instrumentum Spiritus Sancti, & supra omnes suos successores, qui vt priuatæ personæ subduntur decretis suorum prædecessorum, & vt supremi Pastores, non possunt aliter sentire, cùm non possint ab eodem Spiritu Sancto ducti contraria docere. Et ad illud quod dicitur, quod par in parem non habet imperium. Respondetur id verum esse, si agat vt par. At Pontifex definiens ex assistentia Spiritus Sancti, agit in omnes vt superior. Sicut Princeps non potest obligare alium Principem lege positiua, potest tamen lege diuina vel naturali; quia sic agit vt instrumentum legislatoris vtriusque Principis superioris.

DVBITATIO CCLXVI.

An & quo iure Romanus Episcopus sit successor Petri in Primatum totius Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1 *Status quæstionis explicatur.*

2 *Negant Hæretici Romanum Episcopum succedere Petro in regimine totius Ecclesiæ, quod restringant ad regimen Vrbis solum.*

3 *Romanus Episcopus est legitimus successor Petri in regimine totius Ecclesiæ.*

4 *Nullus hactenus se Petri successorem affirmauit, quàm Romanus Episcopus, cui omnes Primatum dederunt.*

5 *Nulla sedes nisi Romana hactenus in fide pura permansit, cùm alia defecerint.*

6 *Non obstat quod electio Romani Pontificis aliquando fuerit interrupta.*

7 *Primatus totius Ecclesiæ iure diuino est coniunctus cum Romano Episcopatu.*

8 *Probatur id fusè ex Pontificibus, Conciliis & Patribus,*

9 *Etiamsi Christus in tradenda ista potestate Petro non limitauerit locum, tamen ex modo loquendi Patrum, & ex interrupta possessione, censetur traditio à Christo instituta, quod Roma sit, & ibi nunquam defutura sit.*

QVÆSTIO hæc duplicem habet sensum, primum an Romanus Episcopus de facto sit Petri successor in vniuersali Ecclesiæ potestate. Secundum, an ita primatus Ecclesiæ cum Romano Episcopatu sit coniunctus, vt nullus alius Episcopus quàm Romanus, in primatum prædictum possit succedere, quod pendet ex iure, quo Romanus Episcopus in primatum totius Ecclesiæ Petro succedit: nam si succedit de iure Ecclesiastico, alius Episcopus ab ipso Romano potest succedere, secus si succedit de iure diuino. 1

Cæterum negant hæretici Romanum Episcopum succedere Petro in pastorali munere regendi totam Ecclesiam, quia negant Petrum Romæ fuisse, vel vsque ad finem vitæ Romanum Episcopatum gessisse: quæ duo confutatione non indigent, quia nemo sanæ mentis est, qui in tanto opere ausus sit dubitare, quod Petrus Romæ obierit, & vsque ad finem vitæ Romanum Episcopatum gesserit; vel quia negant, licet Petrus Romæ fuerit, ibique vrbis & orbis Episcopus obierit, adhuc tamen nouum Episcopum Romanum ei succedere in regimine totius orbis, sed tantum vrbis; quod tamen infrà confutabitur. His positis, 2

Respondetur, & dico primò, Romanus Episcopus est legitimus successor Petri in primatu totius Ecclesiæ.

Probatur, quia necessariò aliquis officio Petri successit. At hic non est alius quàm Episcopus Romanus ergo hic est legitimus successor. Maior probatur *dubit. præced.* Minor patet, quia is Petri officio legitimè successit, qui in ipsius locum suffectus est: at hic est Romanus Episcopus: ergo. Maior patet, quia legitima successio in officio alterius fit per iuridicam succedentis in cedentis locum substitutionem. Maior probatur, quia cùm Petrus officium gubernandi Ecclesiam acceperit, vt perpetuò conseruandum in successoribus, debuit moriens sibi successorem eligere, in quo posset hoc munus conseruare: sed hic non potest assignari alius quàm Romanus Episcopus, vt patet primò ex *lib. 7. constitut. Apostol. c. 47.* vbi in Romano Episcopatu ab ipso Petro eligitur Clemens, nec alium præterea constat substituisse Rectorem totius Ecclesiæ; cùm tamen constare deberet, ad hoc vt ei, tanquam supremo Pastori, obedientiam præstare possimus Secundò, quia nullus hactenus inuentus est, qui se Petri successorem affirmarit, vel ab aliis vt talis sit habitus, præter Romanum Episcopum, cui alij semper primatum dederunt, vt ex Conciliis, præsertim Constantinopolitano constat, ad quem ex toto orbe legitimè appellatur, & à cuius sententia nulla vnquam est concessa appellatio. Neque dicas, quod Episcopus Antiochenus in primatu totius Ecclesiæ Petro successerit, quia is Petro in Antiochena Ecclesia substitutus fuit. Non, inquam, hoc dicas, quia ille non successit Petro in officio pastorali totius Ecclesiæ, sed solius Antiochenæ; siquidem creatus est Episcopus Petro ipso viuente, & regente: viuens autem non poterat vniuersalem potestatẽ gubernãdi Ecclesiam in aliũ transferre, siquidem illã acceperat vt Vicarius à Christo sibi delegatã, & moriens non Episcopum Antiochenum, sed Romanũ sibi successorem elegit. Tertiò, quia nulla sedes, nisi Romana hactenus 4 5

hactenus in fide puta permansit, cùm aliæ quatuor Patriarchales, Hierosolymitana, Antiochena, Alexandrina & Constantinopolitana à vera fide, & Apostolica doctrina defecerint. Vnde Marcus Papa ad Athanasium scribens ait: *Sancta & Apostolica mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, qua per omnipotentis Dei gratiam à tramite Apostolica traditionis nunquam errare probatur, sed illibata fide hactenus manet secundum Domini promissionem.*

Obiicies. Hæc authoritas in Romanis Episcopis est interrupta per schismata Vrbani, & Clementis VII.
6 quia quod per multos annos durauit, non potuit esse legitima electio Martini V. qui post dictum schisma à dubiis Cardinalibus electus est: ergo.

Respondetur, nego antecedens, quia isto Martinus V. à dubiis Cardinalibus electus fuerit, certè non deerat modus, quo talis defectus suppleri posset: nam cùm modus eligendi Summum Pontificem sit de iure Ecclesiastico, potest ob iustas causas mutari. Quo etiamsi mutatus non fuerit, ipsamet confirmatio ipsius Concilij Constantiensis, à quo Martinus V. fuit electus, sufficienter suppleuit defectum talis electionis factæ à dubiis Cardinalibus.

7 Et hæc satis quoad priorem sensum quæstionis, quoad posteriorem autem.

Dico secundò: Iure diuino Romanus Episcopus succedit Petro in potestatem regendi vniuersalem Ecclesiam, itavt primatus totius Ecclesiæ iure diuino sit coniunctus cum Romano Episcopatu, & sic iure humano sit inseparabilis ab isto. Ita dicebam *dubit.* 247. *suppos.* 3. & docet S. Thom. *contra errores Græcorum, cap.* 64. & 65. Caiet. *tract.* 3. *de Rom. Pont. cap.* 13. Canus *de locis Theolog. lib.* 6. *c.* 4. 5. & 6. Bañez 2. 2. *q.* 1. *art.* 10. *tract.* 1. *dub.* 4. §. 2. & Bellarm. *lib.* 2. *de Rom. Pont.* quidquid in contrarium minùs rectè dixerit Sotus *in* 4. *dist.* 4. *q.* 2. *art. vlt.* vbi tenet id esse de iure humano, & posse Rom. Pontificem, qui nunc est
8 vniuersalis Pastor Ecclesiæ, ab Vrbe Sedem mutare, & alibi authoritatem suam exercere.

Probatur, quia Pontifices, Concilia, & Sancti Patres, vt videre est apud Authores citatos, affirmant Sedem Romanam esse Sedem Apostolicam, & Cathedram B. Petri, Romanumque Pontificem succedere Petro in pastorali munere regendi totam Ecclesiam: sed nisi dicamus Romanum Episcopum iure diuino Petro in primatum totius Ecclesiæ succedere, non magis posset dici Episcopum Romanum, Romanamque Sedem, quàm alios Episcopos, aliasque Sedes Petro succedere: ergo. Minor probatur, quia si id non esset de iure diuino, non magis Episcopus Romanus, quàm alij Pastores, dici posset esse successor Petri.

Dices esse potiùs Episcopum Romanum quàm alios Pastores, quia alij pastores cesserunt hoc ius Episcopo Romano.

Sed contrà, quia cum hoc ius sit à Christo datum Petro, & successoribus Petri in bonum Ecclesiæ, non possent particulares Pastores Ecclesiarum eo se priuare, quia non pendet à voluntate ipsorum. Vnde si hæc potestas non esset ex institutione Christi restricta in Episcopo Romano, etiamsi alij Pastores propria voluntate huic iuri cessissent, adhuc si legitimè eligerentur, legitimè Petro in primatu totius Ecclesiæ succederent; quia non possent mutare voluntatem Christi, qui decreuisset ad eam dignitatem succedere quemcunque Pastorem legitimè electum.

Dico secundò, ideò solum Romanum Episcopum succedere Petro, & non alios; quia scilicet alij ex institutione Christi habeant ius remotum ad successionem Petri; carent tamen proximo iure, defectu legitimæ electionis passiuæ, cui sponte cesserunt, quæ saltem vt conditio, requiritur ad legitimam successionem.

Sed contrà, quia Pontifices, Concilia, & Sancti Patres absolutè affirmant Romanum Episcopum Petro succedere, Romanamque Sedem Cathedram Petri esse, nulla facta mentione huius cessionis, cuius tamen mentionem facere debuissent, cùm sit res valdè grauis.

Contra secundò, quia multi Pontifices id affirmant, antequam fieri potuisset talis cessio, vt Anacletus, Euaristus & Alexander, qui quoniam proximi fuerunt Apostolis, non potuerunt id affirmare ex suppositione talis cessionis, quæ fieri debuisset post aliquod tempus ab Apostolis.

Contra tertiò, quia nonnulli, vt Marcellus *epist. ad Antiochum*, Ambrosius *aduersus Aurel.* & Athanas. *in Apologia pro fuga sua*, affirmant clarè Petrum iussu Christi Romam venisse, ibique præcepto Christi mortuum fuisse.

Contra quartò, quia defectus solius conditionis non tollit potentiam ad actum; non enim defectus approximationis ignis dici potest impotens ad comburendum, quia vim comburendi, à qua formaliter dicitur combustiuus, non habet per approximationem: ergo si iure diuino quæuis Sedes, & quiuis Pastor Ecclesiæ posset in primatu totius Ecclesiæ succedere Petro, etiamsi defectu passiuæ electionis, tanquam conditionis proximæ, non posset succedere, tamen absolutè dici non posset, tantùm Romanum Episcopum posse succedere, alios non posse, quia defectus solius conditionis non tollit potentiam, & ius simpliciter ad talem successionem: cùm ergo Pontifices, Concilia & Sancti Patres absolutè dicant, solam Romanam Sedem, & solum Romanum Episcopum ad hanc dignitatem posse succedere, & non alias Sedes, & alios Episcopos, clarè supponunt in aliis sedibus, aliisque Episcopis carentiam non tantùm conditionis, sed etiam iuris & potestatis ad illam dignitatem. 9

Dices tertiò, ex Scoto, cùm Christus dedit potestatem Petro in totam Ecclesiam, illam non limitauit ad certum locum: sed eandem potestatem in Petro dedit successoribus: ergo non magis illam in persona Petri dedit Episcopo Rom. quàm aliis Episcopis: ergo sola voluntate Electorum factum est, vt quoniam primus Petri successor fuit Episcopus Romanus, nullus alius deinde ad talem dignitatem assumeretur.

Respondetur, verum esse, Christum, cum primò dedit hanc potestatem Petro, & successoribus, nullam particularis loci expressam mentionem fecisse, ac ideo stando in sola historia Euangelica, nullum huius coniunctionis Apostolicæ authoritatis cum Romano Episcopatu nos indicium habere; tamen eam clarè colligi ex authoritate Pontificum, & ex modo loquendi Conciliorum, & Sanctorum Patrum, & ex perpetua, & nunquam interrupta possessione, quam Romana Sedes per tot annos in tot occasionibus illam mutandi obtinuit; quæ meritò censetur traditio ab ipso Christo instituta, nec fuit opus quod Christus omnia scripto traderet, vt constat ex materia Sacramentorum, in qua multa seruat Ecclesia quæ scripto tradita non sunt.

Ex his inferunt nonnulli, quod etiamsi fides defutura sit in toto Orbe, non tamen defutura sit in vrbe Roma, quod certum est ratione Capitis ibi præsidentis, & ex Cathedra docentis; non tamen ita certum in membris ibi commorantibus, quia promissio facta est tantùm capiti, ad quod spectaret alios confirmare, & ab infidelitate ad fidem conuertere; licèt probabilius sit, eam neque membris vnquam defuturam in Romano Episcopatu, ob electores, etsi non deesset tunc modus eligendi Romanum Episcopum in vniuersalem Ecclesiæ Pastorem; cùm sit ille de iure positiuo, & Ecclesiastico, vti suprà dicebam.



DVBITATIO CCLXVII.

An omnes Patres, & Doctores possint errare.

SVMMARIVM.

1 *Patrum & Doctorum consensus ante approbationem Pontificis errare potest.*
2 *Cum non sint regula infallibilis veritatis.*
3 *Non solùm errare possunt, sed etiam errores suos aliis proponere.*
4 *Quod intelligendum seorsim, non autem collectiuè, quod ne quidem moraliter fieri posse videtur.*

1 RESPONDETVR iuxta ea quæ dicebam *dubit.* 258. & 265. distinguendo: si consensus Patrum & Doctorum sumatur ante approbationen Pontificis, etsi de facto forsan nunquam erret, potest tamen errare, & à Pontifice emandari. Probatur, quia omnes Patres & Doctores, seclusò Pontifice non sunt regula infallibilis veritatis: ergo possunt à veritate deuiare. Accedente tamen approbatione Pontificis, absque dubio sunt infallibilis veritatis, & non possunt à veritate declinare. Vide quæ dicebam *cit. dub.* 238. 258. & 265.

Obiicies, Ecclesia vniuersalis, etiam vt distincta à Pontifice, non potest errare; quia Ecclesia quæ est mater veritatis, non potest in solo Pontifice residere: sed si omnes Patres & Doctores possent errare, omnes etiam fideles possent errare, quod est impossibile: ergo impossibile est omnes Patres & Doctores posse errare. Minor probatur, quia fideles renentur credere, quod vnanimi consensu Patres & Doctores docent: sed Ecclesia non tenetur credere, nisi verum: ergo quod vnanimi consensu Patres & Doctores docent, est infallibiliter verum: tum quia Ecclesia vniuersalis non potest errare, cùm ei promissus sit Spiritus Sanctus: ergo nec vniuersitas Patrum & Doctorum, à quorum doctrina pendet Ecclesia.

2 Respondetur, distinguo maiorem: non potest errare moraliter, transeat; non potest errare infallibiliter, nego: transeat igitur Ecclesiam voiuersalem, vt distinctam à Pontifice, & sic vniuersitatem Patrum, & Doctorum, non posse errare moraliter, non quasi scilicet ipsis Spiritus Sanctus immediatè assistat, & sint regula infallibilis veritatis; sed quia hoc pertinet ad specialem prouidentiam Dei, qui immediatè assistit Pontifici, ex cuius assistentia facit, ne Patres & Doctores omnes, quorum doctrina & consilio in fidei controuersiis vtitur, deficiant; si quidem hi Patres & Doctores dati sunt Ecclesiæ tanquam oculi corpori humano, vt ipsam illuminent; & eidem ostendant quid sit verum, & fidei conforme; ita vt vniuersali Ecclesiæ cum capite competat infallibilitas physica, vniuersali verò Ecclesiæ, vt distinctæ à capite, competat infallibilitas solùm moralis, & ita vt qui dissentit illi, sit hæreticus formaliter, qui verò dissentit huic, absque scilicet sufficienti fundamento, sit solùm temerarius, non autem hæreticus formaliter.

3 Ex his sequitur, quod Ecclesiæ ministri, Patres, Doctores, Parochi, & Episcopi singuli, excepto summo Pontifice, non tantùm ipsimet in rebus fidei possint errare & falli, sed etiam errores suos aliis proponere, & alios fallere. Est communis sententia Theologorum: & probatur, quia nullum vel ex Scriptura, vel ex Patrum traditionibus priuilegium habetur concessum singulis Ecclesiæ ministris (excipio Apostolos, & Apostolorum principis in vniuersali potestate successorem) quominus in rebus fidei falli, & alios fallere possint: ergo.

4 Dixi *singulos errare posse*; quia vt omnes Ecclesiæ ministri, Doctores, & Pastores, seiuncti scilicet à Pontifice, in rebus fidei errent, fieri non posse videtur moraliter; siquidem populus Doctoribus, & Pastoribus suis adhærebit; ideoque tota Ecclesia, seiuncta scilicet à Pontifice, in errorem induceretur, quod fieri non posse videtur moraliter, vt suprà, & *dub.* 238. 258. & 265. dicebam, & videri poterit Sanchez 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 10. *dub.* 5. *concl.* 3.



DVBITATIO CCLXVIII.

An, & quomodo ex dubitationibus suprà agitatis censurandæ sunt propositiones.

SVMMARIVM.

1 *Quæ scientia, siue notitia Theologo necessaria sit ad ferendum iudicium de singulis propositionibus Theologicis, quæ aliquo modo fidei contradicunt. Vide remissiue.*
2 *Error latius patet, quàm hæresis.*
3 *Aliud est iudicium ferre de qualitate propositionis penes obiectum cui opponitur, & aliud penes subiectum à quo illa profertur.*
4 *Propositio hæretica, & hæresis quomodo, & in quo differant?*
5 *Propositionis hæreticæ explicatio.*
6 *Propositio vt sit hæretica quid requiratur.*
7 *Propositio falsa, seu erronea quæ dicatur.*
8 *In quo differat à propositione hæretica.*
9 *Propositio errori proxima quæ?*
10 *Quæ item sapiens hæresim?*
11 *Propositio malè sonans, seu piarum aurium offensiua, quæ & scandalosa dici solet, quæ dicatur.*
12 *Piæ aures non sunt imperiti vulgi, sed piorum sapientum.*
13 *Propositionis temerariæ explanatio.*
14 *Item propositionis scandalosæ.*
15 *Item seditiosæ.*
16 *Periculosæ.*
17 *Blasphemæ.*
18 *Blasphemæ hæreticalis.*
19 *Impiæ.*
20 *Non piæ.*
21 *Fauentis hæreticis.*
22 *Quæ arrogans & insolens.*
23 *Quæ improbabilis.*
24 *Impertinens.*
25 *Iniuriosa.*
26 *Hæreticum est dicere, quod sensus literalis Sacræ Scripturæ sit aliquando falsus.*
27 *Non admittuntur mendacia officiosa in Sacra Scriptura.*
28 *Quid in eos qui inordinatè loquuntur contra modum loquendi Ecclesiæ.*
29 *Quomodo intelligendum, hæreticos omninò occultos nec excommunicationem incurrere, nec exterioribus pœnis affici.*
30 *Qualificare certò, infallibiliter, & per totam Ecclesiam spectat solùm ad summum Pontificem.*

31 *Sequi opinionem probabilem, etiam relicta probabiliori, est tutum in conscientia.*

1 VPPONO, notitiam hanc esse Theologo valde necessariam ad ferendum iudicium de singulis propositionibus Theologicis, quæ aliquo modo fidei Catholicæ contradicunt: sunt enim ex Concilio Constant. *sess.* 8. & 15. quidam gradus, quibus illæ fidei doctrinæ opponuntur, quos Theologum oportet rectè nosse, vt ipse prudenter, & non temerè possit de singulis censuram ferre: qua de re videri poterit Canus *de locis Theologicis*, Bañez, Valentia, Pesantius 2. 2. q. 101. *art.* 1. Pegna 2. *part. comment.* 28. Arnaldus Albertinus *q.* 6. *de agnoscendis assertionib. Theologicis*, Simancas *in Enchiridio violata religionis, tit.* 24. & Aragona 2. 2. q. 11. *art.* 2.

2 Suppono secundò, errorem latiùs patere quàm hæresim, cùm error se habeat vt genus, sub quo falsorum dogmatum species continentur: nam multæ propositiones falsæ sunt, quæ tamen hæreses, vel hæreticæ dici non possunt.

3 Suppono tertiò, aliud esse iudicium ferre de qualitate propositionis penes obiectum, cui opponitur, & aliud penes subiectum à quo illa profertur. Priori modo solùm attenditur Logica oppositio, quam propositio habet in significando cum aliquo obiecto fidei. Posteriori modo, præter hanc oppositionem, attenditur etiam culpabilis malitia, quam habet cum voluntate proferentis. Vnde fit, quod propositio

4 hæretica non sit idem ac hæresis: nam hæresis vltra iudicium oppositum fidei includit culpam & pertinaciam volendi persistere in tali iudicio cognito contra definitionem Ecclesiæ: quæ pertinacia, seu consensus deliberatus in errorem, quem quis certò scit esse contra definitionem, seu doctrinam Ecclesiæ, vti dicebam, si absit, erit quidem iudicium hæreticum io repræsentando, vt & vocalis propositio in significando; non tamen erit hæresis, quia hæc includit præterea, vt dicebam, specialem culpam pertinaciæ. Vnde fit etiam, quod propositio hæretica à quocumque affirmetur, semper sit hæretica, sicut propositio falsa à quocumque proferatur, semper est falsa: non tamen hæc eadem affirmatio in quocunque subiecto est hæresis; nam in Christiano sciente & volente est hæresis, in Iudæo est perfidia, in Pagano gentilitas; quia prior denominatio sumitur ex oppositione propositionis ad objectum fidei secundum se, posterior ex oppositione moralis subiecti affirmantis, quæ variatur ad variationem moralis subiecti in ordine ad fidei obiectum. His positis.

5 Respondetur, & dico primò: Propositio hæretica est, quæ directè opponitur alicui veritati reuelatæ, vel conclusioni per euidentem discursum explicatæ, vt iam contentæ in aliqua reuelata, seu quæ directè opponitur verbo scripto benè intellecto, vel verbo tradito, vel verbo à Pontifice definito siue explicato, vel verbo ab Ecclesia cum capite, vt de fide communiter recepto, iuxta ea quæ dicebam *dubit.* 238. 247. & 258.

Probatur, quia hic est primus gradus oppositionis ad obiectum fidei: ergo sicut fides directè tendit ad veritatem reuelatam, & ad conclusionem euidenti discursu explicatam: ita propositio hæretica est quæ directè opponitur huic veritati.

Obiicies: Potest eadem propositio vno tempore non esse hæretica, & alio tempore esse hæretica, vt v.g. B. Virgo est concepta in peccato originali, nunc non est hæretica, quæ tamen foret hæretica, sit opposita propositio ab Ecclesia definiretur: ergo propositio hæretica non est, quæ directè opponitur alicui veritati reuelatæ. Consequentia patet, quia si opposita propositio ab Ecclesia definiretur, illa ex nunc supponeretur reuelata, cùm Ecclesia non definiat nisi quod supponitur reuelatum: ergo ex nunc eius opposita propositio esset hæretica, quia ex nunc opponeretur veritati reuelatæ, sicut ex nunc eius opposita propositio esset falsa, si ex nunc opponeretur objecto vero.

Respondetur, nego consequentiam, & ad probationem dico, quod vt aliqua propositio sit hæretica, 6
requiritur quod sit contra testificationem Dei sufficienter promulgatam, quæ sufficiens promulgatio nunc de lege ordinaria non fit, nisi per propositionem Ecclesiæ: quapropter potest eadem propositio ante promulgationem non esse hæretica, quæ tamen facta, foret hæretica: nam sicut fides non potest versari nisi circa objectum reuelatum sufficienter propositum; ita hæresis non potest esse nisi circa obiectum oppositum fidei sufficienter propositæ, quia licèt propositio objecti sit conditio, non autem ratio formalis fidei; tamen sine illa non dicitur obiectum reuelatum proximè credibile: Nec est eadem ratio de propositione falsa, quæ tantùm requirit difformitatem ad obiectum secundùm se.

Dico secundò, propositio erronea, seu falsa est, 7
quæ opponitur conclusioni Theologicæ, vt ex principiis fidei euidenter deductæ.

Dixi *deductæ*, quia conclusioni Theologicæ, vt explicatæ opponitur propositio hæretica, vt *dicto præcedenti* dicebam.

Probatur; quia sicut conclusio Theologica habet gradum certitudinis distinctum à fide, ita propositio illi opposita habet gradum erroris distinctum ab hæresi. Vide Cordubam *in quæstionario Theologico, lib.* 1. *quæst.* 17. & Canum de locis Theologicis, *lib.* 12. *cap.* 11. qui aiunt erroneam, seu falsam propositionem esse omnium, quæ directè contradicit rationi, aut communi sensui sapientum in quacunque facultate. Quapropter propositio erronea, seu falsa dici potest, qua asseritur quid falsum, aut qua asseritur quid contra veritatem ab Ecclesia noodum planè definitam, aut non omnibus manifestatam, aut ignoratam ab eo qui profert, vel quæ continet errorem contra veritatem aliquam obscuram nondum ab Ecclesia definitam. Vel quæ continet aliquid falsum, non contra fidei veritatem, sed contra doctrinam Ecclesiæ. Vel quæ in materia fidei, aut morum est contra rectam rationem, licèt non manifestè & apertè, sed ex vehementi sapientum opinione pugnet cum veritate fidei. Vel quæ aduersatur communi Sanctorum & Doctorum opinioni. Vt si quis negaret orationes speciales alicui applicatas, non plus ei prodesse, quàm generales. Vel qui negaret licere fratribus mendicare: Sunt enim huiusmodi varitates tales, quibus negatis, non subuertitur quidem fides, sed benè quatitur.

Ex his apparet, differre propositionem hæreticam 8
à propositione erronea seu falsa, cùm propositio hæretica sit, cuius falsitas & notitia Catholicæ veritati repugnat: erronea verò, seu falsa sit qua discedit à via recta, & potest esse in quacumque scientia.

Dico tertiò: Propositio proxima errori est, quæ 9
opponitur conclusioni theologicæ, non quidem euidenter, sed probabilissimè ex principiis fidei deductæ; vt si quis negaret pueris in baptismo infundi habitum fidei, spei, & charitatis.

Dico quartò: Propositio sapiens hæresim est, 10
quæ licèt ex se Catholicum sensum habere possit, tamen ex circumstantiis proferentis meritò suspicari potest in sensu hæretico esse prolata: vt si ab Arriano proferatur propositio hæc, Pater est major Filio, sapit hæresim: quæ si proferatur à Catholico, nullam ingerit speciem hæresis. Nec mirum, quia quemadmo-

NNnn 3 dum

dum, vt rectè ait Canus *loc. cit. cap.* 10. idem vinum ex vno vase quid sapit, quod non sapit ex alio: ita eadem oratio ex vno corde, & ore vnum, ex alio alium spirat saporem. Vel propositio sapiens hæresim est, quæ prima verborum significatione, seu prima facie sensum habet hæreticum, quamuis piè intellecta sensum possit habere Catholicum. Vel est quæ asserit dogma peruersum, ex quo cum notorio vero, quod negari non potest, sequitur hæresis, vt si dicatur, Omnis homo existens Romæ est in peccato: hæc enim propositio sapit hæresim, quia ex ipsa cum aliquo vero, scilicet quod infans baptizatus est Romæ, sequitur quod talis infans sit in peccato mortali, quod est hæreticum.

Illa verò propositio sapit hæresim manifestam, quæ prima facie præ se fert saporem hæresis manifestæ: si autem eadem propositio consideretur ex parte subjecti, tunc talis dicitur illa, quæ cum habeat sensum duplicem, catholicum scilicet, & hæreticum, indistinctè & absolutè profertur ab homine in fide suspecto, vel illo tempore, quo de tali re sunt hæreses. Vide Aragonium *cit. art.* 2. His adde quod propositio sapiens hæresim possit quidem, vt dicebam, habere sensum verum, qui tamen non sit confictus aut commentitius, sed qui sit ab Ecclesia, & Sanctorum explicatione receptus.

11 Dico quintò, propositio malè sonans, seu piarum aurium offensiua, quæ & scandalosa dici solet, est vt *cit. loc.* dixit Canus; quæ licèt nullam hæresis suspicionem ingerat, absurdum tamen & peregrinum sensum à communi & vsitato modo loquendi Patrum & Scholasticorum affert; quia Theologi est non modò sententias, sed etiam sermonem ab vsitato recedentem vitare: Vt si dicatur graduationes & magisteria vana gentilitate fuisse introducta; plures conjugatos saluari, quàm clericos: aut si dicatur simpliciter, Patrem esse majorem filio; Deum in Incarnatione creaturam factum; huiusmodi enim propositiones potius sunt exponendæ quàm extendendæ, quia licèt cum modificatione veræ sint, per se tamen & absolutè prolatæ fauere videntur propositionibus hæreticis. Vel propositio malè sonans est, quæ licèt nullum errorem fidei contrarium manifestè contineat, habet tamen quid absonum, & piis auribus indignum.

12 Cæterùm piæ aures sunt imperiti vulgi, sed piorum sapientum, quorum est iudicium ferre de sensu, & qualitate propositionum.

13 Dico sextò, Propositio temeraria est, quæ nulla sufficiente ratione, vel authoritate fulta, communi Doctorum sensui, vel approbatæ historiæ aduersatur. Vel quæ affirmat vt certum, quod nulla ratione, aut authoritate efficaciter probari potest, vt si dicatur, quod mundus finietur intra centum annos: hæc enim propositio licèt possit esse vera, qui tamen eam asserit tanquam certam, temerarius dicitur. Vel propositio temeraria est, qua temerè contra modestiam Ecclesiasticam aliquid asseritur. Vel quæ pugnat cum decreto celebris vniuersitatis, v.g. quod B. Virgo non fuerit cum corpore assumpta, quod Angeli sint corporei, vel quod non sint creati simul cum Mundo corporeo: quod dies iudicij ad certam diem vel annum certò futurus sit. Vnde & propositio inpudens, insolensque dici solet.

14 Dico septimò, Propositio scandalosa est quæ etiamsi vera sit, tamen occasionem ruinæ, vel facilitatem cadendi in hæresim affert auditoribus: vt si dicatur simpliciter, quemadmodum suprà dicto quinto dicebam, Pater est major Filio; vel Deus in Incarnatione creatura factus, vel enumerentur incommoda confessionis auricularis, quorum enumeratio ab Erasmo recensita magnum fuit toti Germaniæ scandalum, vel dicatur Indulgentias esse infrugiferas, vel dicatur Clerum vexare populum per Ecclesiasticas censuras, vel dantes eleemosynam Fratribus Mendicantibus esse excommunicatos.

15 Dico octauò, Propositio seditiosa est, quæ in Ecclesia, vel populo Dei viam sternit ad seditionem, sicut schismatica est, quæ viam sternit ad schisma, seu diuisionem à capite: Vt si dicatur, Licitum est Prælato, Superiori, vel Regi non obedire, aut tyrannum occidere.

16 Dico nonò, Propositio periculosa est, quæ periculi occasio esse potest aut in fidei doctrina, aut in moribus. Vt si dicatur posse hominem esse perfectum sine iejuniis, aut sine externa pœnitentia. Vel si dicatur licitum esse, aut fieri posse id, quod non nisi vix ab aliquibus, & cum multis circumstantiis fieri potest, v. g. hominem solum cum sola in lecto manere, aut diu cum mulieribus conuersari licitè posse.

17 Dico decimò, Propositio blasphema est, quæ immediatè, aut mediatè Deo, vel Sanctis injuriam irrogat, quæ propositio interdum est hæretica: vt, Deus est author peccati: multoties enim vna & eadem propositio multis maculatur notis: Blasphemia igitur est irrogare Deo, vel Sanctis immediatè, vel mediatè facta. Vt si Deo tribuatur quod ei non conuenit, & est contra misericordiam; vel à Deo relegetur quod ei conuenit, & est contra iustitiam, vel creaturæ tribuatur, quod est proprium Dei, & est contra majestatem.

18 Dico vndecimò, Propositio blasphema hæreticalis est, quæ pugnat cum articulis fidei, vel negat Christum dictis aut factis, *cap. Æstimas*, & *cap. non solum*, 11. q. 3. & videri potest Farinacius *quæst.* 20. *n.* 29.

19 Dico duodecimò, Propositio impia est, quæ improbabilis est, & fidei nobiliter detrahit. Vt si dicatur, pro animabus in Purgatorio existentibus non esse orandum, vel Indulgentias à Pontifice eis concessas non prodesse, quæ propositio est etiam hæretica, quia nihil prohibet, vti diximus, eandem propositionem varias simul habere qualitates, siquidem eiusmodi non sunt, vt se inuicem expellant, & simul concurrere non possint.

20 Dico decimotertiò, Propositio non pia est, quæ licèt sit probabilis, non tamen fauet fidei.

21 Dico decimoquartò, Propositio fauens hæreticis est, quæ quoquomodo fauet personis, aut erroribus hæreticorum: vt si dicatur, hæreticos non esse puniendos, quæ propositio dici potest etiam hæretica, quia hæreticos esse puniendos, decreuerunt multa Concilia.

22 Dico decimoquintò, Propositio arrogans, & insolens est, quæ plus affirmat quàm possit ratione, vel authoritate probare, quæ propositio etiam temeraria vocatur, vt dicebam *dicto* 6.

23 Dico decimosextò, Propositio improbabilis est, quæ nullo fulcitur probabili fundamento rationis vel authoritatis extrinsecæ.

24 Dico decimoseptimò, Propositio impertinens est, quæ nec directè, nec in consequentia euidenti probabili, vel certa infert quid, quod repugnet veritatibus catholicis, vt si dicatur quod Ioseph sponsus Mariæ Virginis fuerit, vel non fuerit mortuus tempore passionis Christi; quia siue superstes, siue tunc mortuus fuerit, nihil ad fidem pertinet, præsertim cùm inter Catholicos vigeat super hoc controuersia.

25 Decimo octauò: Propositio iniuriosa est, quæ detrahit alicui fidelium statui, illustri personæ, vel dignitati, vel Sancto: vnde dicitur, *injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Vt si dicatur, Lex Moysis suis vmbris & victimis fecit hypocritas: hæc enim propositio iniuriosa est legi Mosaicæ, & ipsi Deo,

Deo, qui vmbras, victimas & cæremonias legia ad bonum iodncentes instituit. Vel si quia contra Cardinales, vel Religiosos effutire soleat.

Ex bia iudicium ferre poteris de alija propositionibus dubiis, rigidia, scrupulosis, & superstitiosis. Petes, an sit hæreticum dicere quod sensus literalis Sacræ Scripturæ sit aliquando falsua?

26 Respondetue affirmatiuè, quia verè & propriè sensus literalis est, quem Spiritus Sanctus specialitee intendebat, quique ex circumstantiia literæ trahi potest & debet, vti Scriptores Sacri fecerunt, & docuerunt; tum quia alioquin soliditas omnis probationis à Sacra Scriptura periret.

Petes secundò. An admittantue mendacia officiosa aliquando in Sacra Scriptura?

27 Respondetur negatiuè, quia nihil authoritatis in ea remaneret: tum quia id dedecet, quin repugnat Spiritui Sancto, præsertim cùm mendacium, licèt officiosum, sit ab intrinseco malum, vt ex nullo capite possit rectificari; quapropter id dicere erit impium, hæreticum, & blasphemum.

28 His quæ suprà dicebantur, adde quod si quis ita inordinatè loquatur, vt ipsius inordinatio sit contra modum loquendi Ecclesiæ, quæ cum limitatione in rebus fidei statuit esse loquendum, iste talis innuere videtur Ecclesiam non esse normam certam, & nunquam errantem in definiendo modoa loquendi circa rea fidei, quod etiam est hæreticum ex dictis *dubis*, 238. *&* 258.

29 Adde secundò, quod cum Theologi communiter docent, hæreticoa omninò occultoa nec excommunicationem incurrere, nec exterioribus pœnia affici, id intelligatur de hæreticis omnino primò & per se occultis, itavt ipsorum hæresis nullo pacto prodierit in externum, & sic nullo pacto possit naturaliter sciri, nec probari nisi per confessionem propriam, & spontaneam. E contra verò, cum Canonistæ & Iuristæ communiter aiunt, hæreticos omnino occultos esse excommunicatos, scilicet in Bulla Domini, & exterioribua pœnis affici, seu subiacere, id intelligatur de hæreticia quando non primò & per se, sed per accidens sunt occulti, vt si quis hæresim suam mente conceptam, ore vel scripto sufficienter expresserit, quam tamen nemo audiuit, vel sciuit, propter quod in iudicio probari non potest; quia in tali casu delictum per accidens est occultum, cùm primò & per se ex natura sua probari possit: qua de re vide quæ diffusè dicebam *lib. de Parlamentis*, *dub.* 4. *sect.* 29. *pag.* 87. *& seqq.*

30 Adde tertiò, quod si aliqua Academia qualificet aliquam propositionem, qualificat illam qualificatione, quæ sit priuata, fallibis, & incerta; non autem qualificatione, quæ sit publica, scilicet per totam Ecclesiam, infallibilis, & certa: quod patet ad hominem ex iis, quæ dicebam in summa Theologica, *tract. de Angelis, disputatione prima*, *quæst.* 18. vbi cùm dixissem, Angeloa posse numero multiplicari, tenuisse Scholam Parisiensem *in suis articulis*, *anno* 1226. *cap. de Angelo*, *artic.* 16. subdebam: [Non obstat, quod obiicitur, eoa articuloa esse posteà retractatos tempore Stephani Episcopi Parisiensia anno 1325. in literia, quæ incipiunt, *Experientia rerum magistra*, apud Petrum Bergomensem in indice operum S. Thomæ: Non enim fuerunt hi articuli simpliciter reuocati quoad substantiam, vt ex iisdem literia apparet, sed solùm quatenus doctrinam S. Thomæ quibusdam in locia damnabant, eique notam erroris apponebant, cùm non esset adhuc S. Thomas tanti nominis, ac nunc est; simulque Episcopus Parisiensis ad maiorem authoritatem articulorum suo diplomate eos confirmauit, addita excommunicatione aduersus omnes, qui intra diœcesim aliquid aliud docerent, sicut videre est in dicto titulo articulorum, ad calcem operis Magistri sententiarum: elapsis posteà centum annia, cùm fama S. Thomæ totum orbem penetrasset, fuissetque tantus Doctor à Ioanne XX. in Sanctorum numerum relatus, visum fuit omnem hanc censuræ asperitatem debere liniri, vt scilicet Episcopua Parisiensia suam excommunicationem, & Academia Parisiensis notam erroria ab iisdem articulis, quatenus doctrinam Sancti Thomæ attingit, remoueret; sicque articuli non fuerunt omnino reuocati, sed solum fuit sublata nota erroris & censuræ: neque id quocumque modo, sed prout articuli Parisienses cum Sancti Thomæ doctrina pugnare viderentur.] Hæc ibi.

Ex quibua ad hominem apparet, quod si aliqua Academia, vel schola, qualificet aliquam propositionem, qualificat illam qualificatione, quæ sit priuata, fallibilia & incerta; non autem qualificatione, quæ sit publica (scilicet per totam Ecclesiam) infallibilis, & certa, sicuti *suprà*, *& dubit.* 265. diffusè dicebam.

Adde quartò: Dicere quod licitè possit quis ex duabus probabilibus opinionibua sequi quam- 31
cunque voluerit, licet, fuerit minùs probabilia, non sit propositio, quæ mereatur aliquam censuram, sed sit propositio recta, & tuta in conscientia, sicuti patet ex iis, quæ dicebam in tractatu de conscientia probabili, *& supra dubit.* 192. *sect.* 39. *per totam*, & ex iis, quæ dicebam in summa Theologica, *tract. de Angelis*, *disp.* 11. *quæst.* 3. *&* 4 in quibus locis cùm dixissem: [Quidam Angeli, vel Archangeli præsunt regnis, prouinciis, & ciuitatibus etiam Infidelium, & Paganorum, est communia sententia, & probatur ex Danielis 10. vbi dicitur Princeps regni Persarum restitisse Gabrieli, donec Michaël veniret in adiutorium: Princeps enim ille Persarum non fuit alius, quàm bonus Angelus huic populo præpositus custoa, ac tutelaris, vt exponunt Hieronymua, Theodoretus, Lyranus in eum locum. Basilius *libro* 3. contra Eunomium, Gregorius M. Moral. *cap.* 8. *&* 5. & S. Thomas 1. *part. quæst.* 113. *artic.* 8. quia *in cit. cap.* Danielis 10. introducuntur quatuor Angeli, quorum vnus erat Princeps Persarum, Secundus Princeps Græcorum, Tertius Gabriel Princeps captiuorum in Perside, Quartua Michaël Princepa populi Dei: Inter Principem Persarum, & Gabrielem erat contentio, an Iudæi essent liberandi ex Perside, necne. Negabat Princeps Persarum, Gabriel affirmabat, sicque vterque causam agebat pro gente sibi commissa: nam Gabriel contendebat, Iudæos esse liberandoa, ne si diutiùs in Perside manerent, paulatim Persarum mores imbiberent, & relicto vero Deo, ad idola se conuerterent. Alter contrà vrgebat, persistendum esse in Perside, vt Persæ discerent à Iudæia cultum, & religionem veri Dei; tum vt Iudæi meliores essent rebus aduersis, quàm prospera, & felicibus:] probabam, non esse, cur & boni etiam Angeli, licèt sint in termino, inter se aliquando non possint dissentire, ac veluti studiia, affectibus, & desideriis, quatenus contrariaa sententias tuentur, easque variis rationibus suadere student, contendere. Vel etiam suia precibus diuersa, & quasi pugnantia bona à Deo postulare: non enim odio, & praua intentione id agunt, cùm sint in gratia confirmati; sed omnes

omnes quærunt gloriam Dei, & salutem animarum; nihilominus tamen aliquando, priusquam diuina consilia ipsis reuelata fuerint, contingat quod alij alia media ad hanc gloriam Dei, & salutem animarum aptiora credant; sicque, vti *suprà* dicebam, Angelus Persarum nolebat populum Iudæorum reuerti in patriam, & liberari à captiuitate; quia videbat Iudæorum præsentiam Persis vtilem esse, & multos Persas Iudæorum colloquiis ad fidem conuerti: è contra verò Angelus Iudæorum laborabat pro eorum reditu, & libertate, quia Deus sic promiserat post septuaginta annos; tum quia videbat, suos Iudæos ex consortio Persarum fieri deteriores, iuxta illud Psalm. 105. *Commixti sunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum*: & Psalm. 17. *Cum Sancto Sanctus eris, & cum peruerso peruerteris.*



DECRETA

DECRETA
ET
CONSTITUTIONES
RECENTIORUM PONTIFICUM
ad Tribunal Sancti Officii ſpectantes.



BENEVOLO LECTORI.

APPONIT Pegna in fine Directorii Inquiſitorum Conſtitutiones, quæ ad Sanctum Officium ſpectant, antiquiores; appono & ego in tui commodum recentiores.

DECRETA URBANI OCTAVI.
Feria 5. die 14. Aprilis 1633.

IN Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram ſanctiſſimo Domino noſtro Urbano divina providentia Papa Octavo, ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Dominis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ adverſus hæreticam pravitatem Inquiſitoribus Generalibus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Sanctiſſimus Dominus noſter ſedulò incumbens, ut ea, quæ ſalubriter Apoſtolicis Decretis & conſtitutionibus ſtatuta, & ordinata ſunt, præſertim quæ ad ſanctum Officium Inquiſitionis contra hæreticam pravitatem pertinent, inviolabiliter obſerventur, & omnimodam ſortiantur executionem, diſtrictè mandat, & præcipit, ut omnes ſuperiores cujuſvis Ordinis, Congregationis, Societatis, etiam de neceſſitate exprimendæ, Regularis, aut cujuſvis alterius inſtituti, etiam quantumvis exempti, & privilegiati teneantur ſub pœna privationis officii, ac vocis activæ & paſſivæ ipſo facto incurrenda, aliiſque arbitrio ſanctitatis ſuæ infligendis in perpetuum, ſemel ſaltem in anno, id eſt, feria ſexta poſt Octavam Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis in publica menſa, vel in Capitulo ad hoc ſpecialiter convocato, & inſuper in quocumque generali, ac provinciali Capitulo, Conventu, Dieta, vel alio quovis nomine nuncupato capitulari congreſſu, ſuos ſubditos, ac Religioſos commonere de injuncta omnibus obſervantia, & executione earundem Apoſtolicarum Conſtitutionum, & Decretorum ad ſanctum officium Inquiſitionis adverſùs hæreticam pravitatem pertinentium, ac præſertim

Iulii III. Conſtit. 1. incipit, *Licet à diverſis*, contra impedientes Inquiſitores hæreticæ pravitatis in eorum Officio, aut in cauſis Inquiſitionis ſe ingerentes, eorumque complices, & fautores: & contra ipſos Inquiſitores admittentes laicos ad criminis hæreſis cognitionem.

Et Pii V. Conſtit. 152. incipit, *Si de protegendis*, contra occidentes, verberantes, dejicientes, aut perterrefacientes quemvis ex miniſtris ſancti Officii Inquiſitionis, vel Epiſcoporum id munus in ſua Diœceſi, vel Provincia obeuntium, ſeu accuſatorem, denunciatorem, aut teſtem in cauſa Fidei quomodocumque productum, vel evocatum: necnon contra diripientes, expugnantes, invadentes, incendentes, expilantes, aliove exportantes alicujus prædictorum bona, libros, literas, auctoritates, exemplaria, regeſta, protocolla, exempla, ſcripturas, aliave inſtrumenta, ſive publica, ſive privata, ubicumque poſita, eorumque complices, & fautores, contra effringentes carcerem, vel cuſtodiam publicam, vel privatam, extrahentes, vel emittentes vinctum, prohibentes capiendum, captumve eripientes, recipientes, occultantes, ſeu facultatem effugiendi dantes, ſeu id fieri jubentes, eorumque complices & fautores, etiam effectu non ſecuto, nullatenus excuſandos, niſi claras tantummodo probationes in contrarium adducentes: & contra intercedentes pro præfatis delinquentibus: inflictis contra quemlibet prædictorum, pœnis quæ

damnatis ex primo capite legis Juliæ majestatis, eorumque filiis irrogantur, & oblata revelantibus impunitate.

Pij V. Constit. 31. incipit, *Cum sicut nuper*, contra Sacerdotes, qui pœnitentes mulieres in actu sacramentalis confessionis ad inhonestos actus provocare, & allicere tentant, & sollicitant.

Et Gregorij XV. Constit. 34. incip. *Vniversi Dominici gregis*, ampliativæ circa hujus criminis probationes, & extensivæ contra Confessarios, qui personas (quæcumque illæ sint) ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu sacramentalis confessionis, vel extra confessionis occasionem in confessionario, aut alio in loco ad audiendam confessionem electo sollicitare, vel procurare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint. Et contra Confessarios non monentes eos, quos sciunt ab aliis Confessariis sollicitatos esse, ut Inquisitoribus, vel Ordinariis sollicitantes denuncient, vel docentes eos ad ita denunciandum non teneri.

Gregorij XIII. Constitut. 22. incipit, *Officij nostri partes*, de Jurisdictione Inquisitorum hæreticæ pravitatis in eos, qui ad Ordinem Presbyteratus non promoti Missas celebrant, & sacramentaliter confessiones audiunt.

Clement. VIII. Constit. 151. incipit, *Etsi aliàs*, declaratoriæ pœnæ contra eos infligendæ per Judices laicos, prævia eorum degradatione.

Et Sanctitatis suæ Constit. 79. incipit, *Apostolatus officium*, extensivæ ad minores vigintiquinque annis, dummodo vigesimum ætatis annum compleverint.

Sixti V. Constit. 17. incipit, *Cœli, & terra Creator*, contra exercentes artem Astrologiæ Judiciariæ, & alia quæcumque divinationum genera, librosve harum artium legentes, vel tenentes.

Et Sanctitatis suæ Constit. 113. incipit, *Inscrutabilia judiciorum Dei*, extensivæ ad alia, & cum gravioribus pœnis.

Clementis VIII. Constit. 42. incipit, *Cùm sicut*, contra Italos, ne extra Italiam proficiscantur ad loca, in quibus liber, & publicus cultus, sive usus Catholicæ Religionis non existat, minusque in eis locis habitent.

Et Gregorij XV. Constit. 201. incipit, *Romani Pontificis*, contra hæreticos, ne in locis Italiæ, & Insularum adjacentium quovis prætextu commorentur, & contra eorum fautores, & receptatores.

Pauli V. Constit. 26. incipit, *Romanus Pontifex*, revocatoriæ facultatum superioribus quorumcunque Ordinum, & Religiosorum quoquo modo concessarum, cognoscendi causas suorum subditorum ad Officium sanctæ Inquisitionis quomodolibet pertinentes.

Ejusdem Constit. 101. incipit, *Regis Pacifici*, innovatoriæ Constitutionum à Sixto IV. & Pio V. de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis editarum: impositionis majorum pœnarum in transgressores, à locorum Ordinariis, & hæreticæ pravitatis Inquisitoribus puniendos.

Et Gregorij XV. Constit. 29. incipit, *Sanctissimus Dominus noster auditis*, ampliativæ, & declaratoriæ prohibitionis asserendi, Beatam Mariam Virginem conceptam esse in peccato originali.

Gregorij XV. Constit. 17. incipit, *Romanus Pontifex in specula*, revocatoriæ quarumcunque concessionum vivæ vocis oraculo factarum.

Et Sanctitatis suæ Constit. extensivæ ad quoscumque quantumvis privilegiatos, & exemptos: incipit, *Aliàs fel. record. Gregor. Papa XV.* sub dat. Romæ 20. Decembris 1631.

Ejusdem Constit. 40. incipit, *Apostolatus Officium*, & Sanctitatis suæ Constit. 114. incipit eodem modo, revocatoriæ licentiarum quarumcunque legendi, & habendi libros prohibitos.

Sanctitatis suæ Constit. 37. incipit, *Sanctissimus Dominus noster*, sollicitè animadvertentis, de imaginibus nondum à Sede Apostolica canonizatorum, vel beatificatorum cum radiis, splendoribus, aut laureolis non proponendis: tabellis, aut luminaribus ad eorum sepulchra non apponendis, eorumve gestis, miraculis, revelationibus, beneficiorum impetrationibus non publicandis, aut imponendis.

Pariter Sanctitatis suæ Constit. 50. incipit, *Sanctissimus Dominus noster*, pro debito sui pastoralis officij, de libris ubicumque compositis de quacumque materia tractantibus, ab his, qui leguntur in statu Ecclesiastico non transmittendis aliò, ut imprimantur sine Vicarij, & Magistri sacri Palatij in Urbe vel extra jam sine Ordinarij, & Inquisitoris, aut ab eis Deputatorum licentia.

Et ejusdem Sanctitatis suæ Constit. sub datum Romæ die 5. Novembris 1631. incipit, *Cùm sicut accepimus*, quod Constitutiones Apostolicæ in concernentibus fidem Catholicam, & sanctæ Inquisitionis officium hactenus editæ, & imposterum etiam super quacumque alia re edendæ omnes Regulares quomodolibet privilegiatos comprehendant, nisi in edendis illis specialiter excipiantur.

Et insuper iidem superiores teneantur curare, & efficere, ut hujus Decreti exempla aliquo in loco apud eos publico affigantur, & affixa conserventur, ita ut ab eisdem subditis Religiosis omnibus videri, ac legi commodè queant. Deque hujusmodi commonitione publico documento statim certiorem facere Congregationem sanctissimæ Inquisitionis in urbe. Et ita mandat, & præcipit Sanctitas sua.

Joannes Antonius Thomasius, sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis Notarius.

Anno millesimo sexcentesimo trigesimo tertio, Indictione prima, Pontificatus S. D. N. D. Vrbani divina providentia Papa VIII. die verò septima Mensis Iunij supradicta littera, sive Decretum affixam, & publicatum fuit ad valvas Principis Apostolorum, ac in acie Campi flora, ut moris est, per me Alexandrum Labinium, Prælibati SS. Domini nostri Papa Cursorem.

Sequun

Sequuntur Constitutiones relatæ in supradicto Decreto.

Contra impedientes Inquisitores hæreticæ pravitatis in eorum Officio, aut in causis Inquisitionis se ingerentes. Et contra ipsos Inquisitores admittentes laicos ad criminis hæresis cognitionem.

JULIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, ad perpetuam rei memoriam.

Licet à diversis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris etiam per speciales constitutiones in corpore Juris insertas fuerit ritè, & salubriter sancitum, atque decretum, ut sæculi Potestates, & Domini temporales, ac Provinciarum, civitatum, terrarum, & & locorum quorumcunque Rectores, quibuscunque dignitatibus, vel officiis, aut nominibus censeantur, Diœcesanis Episcopis, & Inquisitoribus hæreticæ pravitatis in ipso Inquisitionis negotio faveant, & assistant; nemoque ex prædictis Potestatibus, Dominis, & Rectoribus, eorumque Officialibus de crimine hæresis, cùm merè sit Ecclesiasticum, quoquo modo cognoscat, vel judicet, neque Diœcesano Episcopo, vel Inquisitori ipsius Inquisitionis negotio incumbenti se opponere, aut ipsum aliquatenus impedire, vel impedientibus auxilium, aut favorem scienter dare audeat, perpetuæ damnationis sententia in eos, qui contra prædicta fecerint, promulgata, quam si per annum animo sustinuerint pertinaci, ex nunc velut hæretici condemnentur: usque adeò tamen in omnibus ferè non solùm Italiæ, verùm etiam aliis Provinciis, civitatibus, terris, & locis, complurium laicorum, ut accepimus, mundanæ gloriæ processit ambitio, vel sacrorum Canonum inscitia, vel Ecclesiasticæ disciplinæ contemptus, ut in animarum suarum perniciem, atque interitum, Diœcesanos Episcopos, & Inquisitores à Sede Apostolica institutos Inquisitionis officium exercentes, alij sub Justitiæ prætextu, ne ulli scilicet fiat injuria impedire, alij verò sub Pietatis colore, ut sontes scilicet severiùs puniantur, se ipsis Diœcesanis Episcopis & Inquisitoribus adjungere, & unà cum eis de ipso hæresis crimine cognoscere, processus formare, formatosque suo judicio submittere non erubescant.

§. 1. Cui sanè morbo jam nimis latè progredienti solitam, ac salutarem Ecclesiæ medicinam pro nostra pastorali solicitudine afferre cupientes, sæculi Potestates, Dominos temporales, ac Provinciarum, civitatum, terrarum, & locorum Rectores supradictos, necnon quascumque alias sæculares personas, tam privatas, quàm publico quovis munere fungentes, requirimus, & monemus, ac eis in Jesu Christi Redemptoris nostri (cujus vices, licèt immeriti, gerimus in terris) nomine præcipimus, ne Diœcesanos Episcopos, & Inquisitores ipsos in suo Inquisitionis negotio ullo modo impediant, seu perturbent, neque se in hæresis crimine cognoscendo, vel judicando, quovis etiam assistentiæ, & favoris colore, causa, vel occasione (nisi quatenus ab ipsis Diœcesanis Episcopis, aut Inquisitoribus, spontanea, & libera eorum voluntate fuerint requisiti) se ingerant, ordinationes, provisiones, & leges quascumque, de ipsius criminis cognitione latas sacris Canonibus obsistentes, & Ecclesiasticam jurisdictionem impedientes sine mora abrogent, & deleant, prout etiam nos eas omnes invalidas fuisse, & esse decernimus, & declaramus, ac ex nunc pro abrogatis, & deletis haberi volumus & mandamus.

§. 2. Qui monitis his nostris non obtemperaverint, quive scienter in prædictis consilium, auxilium, aut favorem dederint, noverint se non solùm per sacras dictorum prædecessorum nostrorum Constitutiones, verùm etiam per hanc nostram sanctionem, sive sententiam, & declarationem perpetuò duraturam (quam auctoritate omnipotentis Dei, ac Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra in ipsos non obtemperantes, quacumque illi præfulgeant dignitate, in his scriptis proferimus, communione fidelium, & omnium Ecclesiasticorum Sacramentorum perceptione privatos, ac maledictionis, ac execrationis æternæ vinculo ligatos; anathematisque, & majoris excommunicationis mucrone percussos, itaut nemo unquam in præmissis delinquens, nisi à nobis, & successoribus nostris canonicè intrantibus, etiam prætextu quarumcunque facultatum, concessionum, & gratiarum, etiam concessionalium nuncupatarum, etiam à nobis, & à dicta Sede hactenus emanatarum, vel imposterum emanandarum, specificam, & expressam, ac aliàs, quàm per verba generalia, de præsentibus nostris litteris mentionem non facientium, præterquam in mortis discrimine, absolvi possit.

§. 3. Quibus etiam censuris ipsos Diœcesanos Episcopos, & Inquisitores subjacere volumus, si laicos secum quomodocumque de ipso crimine cognoscere, aut judicare permiserint.

§. 4. Ut autem præmissa omnia, ad eorum quorum interest, notitiam deducantur, nullusque de eis ignorantiam justè prætendere possit, volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quod præsentes litteræ per aliquos Cursores nostros, aut Notarios publicos in Basilicæ Principis Apostolorum de urbe, & Ecclesiæ Lateranens. ac Cancellariæ Apostolicæ valvis, necnon acie Campi floræ, ut moris est, publicentur earumexemplo in singulis valvis, & acie hujusmodi affixo, & dimisso. Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1551. 15. Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

Lata, & publicata fuit die Veneris Sanct. in Capella Sanctitatis suæ, dum divina celebrarentur Officia.

Contra offendentes statum, res & personas sanctissimi officii Inquisitionis hæreticæ pravitatis, eorumque filios, necnon complices & fautores.

PIVS EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM DEI, ad perpetuam rei memoriam.



SI de protegendis cæteris omnibus Ecclesiæ ministris, quos in fidem, & clientelam nostram à Domino recepimus, cura nobis quotidiana incidat, quanto majore studio eam nos sollicitudinem capessere necesse est, ut qui in sacro Inquisitionis hæreticæ pravitatis officio versantur, sub tutela inviolatæ auctoritatis hujus Sedis periculorum omnium expertes, quæque munera ad exaltationem fidei Catholicæ exequantur.

§. 1. Cùm itaque hujus generis impiorum vis quotidie magis invalescat, qui omnibus malis artibus prædictum officium subvertere, ministrosque functionibus disturbare moliuntur, eò jam nos detrusit necessitas, ut nefariam, & scelestam illorum audaciam acerbiore castigationis verbere reprimamus.

§. 2. Hac igitur generali Constitutione de fratrum nostrorum consilio sancimus, ut quicumque sive privatus, sive cuncta civitas, sive populus, sive Dominus, Comes, Marchio, Dux, vel potiore titulo illustris, quemvis ex Inquisitoribus, Advocatis, Procuratoribus, Notariis, aliisve ministris prædicti officii, vel Episcoporum id munus in sua Diœcesi, aut Provincia obeuntium, seu accusatorem, denunciatorem, aut testem in causa fidei quomodocumque productum, vel evocatum occiderit, verberaverit, dejecerit, seu perterrefecerit.

§. 3. Quive Ecclesias, ædes, aliasve res, sive publicas, sive privatas officii, aut ministrorum expugnaverit, invaserit, incenderit, expilaverit, aut libros, litteras, auctoritates, exemplaria, regesta, protocolla, exempla, scripturas, aliave instrumenta, sive publica, sive privata ubicumque posita combusserit, diripuerit, seu interverterit, seu ex incendio, aut direptione, aut alio quocumque modo illa exportaverit, seu qui in conflagratione, expurgatione, aut direptione, etiam inermis, sive capiendi, sive comburendi, sive supprimendi causa fuerit, sive res, aut personas servari, defendive prohibuerit.

§. 4. Quive carcerem, aut aliam custodiam, seu publicam, seu privatam effregerit, vinctumque extraxerit, seu emiserit, capiendum prohibuerit, raptumque eripuerit, occultaverit, seu facultatem effugiendi dederit, seu jusserit id fieri, qui cœtum, concursumve fecerit, sive ut aliquid prædictorum fieret, omnes accommodaverit, sive aliàs auxilium, consilium aut favorem, publicè vel occultè in quolibet prædictorum scienter præstiterit, licèt nemo occisus, nemo verberatus, nemo extractus, emissus, vel ereptus, nihil expugnatum, nihil effractum, succensum, direptumve, nullum denique damnum reipsa illatum: nihilominus is sit anathemate præsentis Canonis auctoritate ligatus, idem quoque læsæ majestatis reus, dominio, dignitate, honore, feudo, ac quocumque alio beneficio temporali, & perpetuo eo ipso privatus, sæcularis judicis arbitrio relinquatur, qui de eo illas ipsas pœnas exigat, quæ damnatis primo capite dictæ legis per Constitutiones legitimas irrogantur, bonis, rebusque omnibus fisci juribus applicatis, uti etiam est de damnatis hæreticis per sanctiones Canonicas constitutum, ejus filii paternæ infamiæ subjecti, omnis, & cujuscumque hæreditatis, & successionis, & donationis, & legati, sive propinquorum, sive extraneorum omninò sint expertes, eisdem præterea portæ nunquam pateant dignitatum.

§. 5. Nemo autem expurgationem habere, aut causam ullam proponere, vel prætendere possit, qui tantum nefas in contemptum, & odium hujus officii admiserit, nisi contrarium per claras probationes docuerit se fecisse. Quod porrò de prædictis, eorumque filiis statuimus, illud idem de omnibus Clericis, & Presbyteris sæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam exemptorum Regularibus, & quacumque etiam Episcopali, & majori dignitate præditis, ac etiam privilegio quomodocumque suffultis, decernimus exequendum, itaut ipsi beneficiis, & officiis omnibus Ecclesiasticis præsentium auctoritate privati, per judicem Ecclesiasticum, hæreticorum more degradentur, demùm potestati sæculari traditi, pœnis prædictis laicorum instar subjiciantur.

§. 6. Pontificum tamen casis nobis, & successoribus nostris reservatis, ut re quæsita, & nobis renunciata, contra eos ad depositionem, & alias pœnas prædictas procedamus, uti criminis atrocitas videbitur postulare.

§. 7. Quicumque autem pro talibus veniam petere, aut aliàs intercedere tentaverint, in easdem illas pœnas, quæ in hæreticorum fautores à sacris Constitutionibus inferuntur, ipso facto se noverint incidisse.

§. 8. Verùm si quis etiam hujusmodi criminum conscius, vel affinis, siue Religionis studio, siue pœnitentia ductus, rem adhuc incognitam retexerit, supplicio liberatur.

§. 9. Cæterùm eam omnium, & quantarumcunque absolutionum rationem à prædictis criminibus, necnon habilitationem, & restitutionem, etiam ad famam, & honores, ita deinceps habendam optamus, ut successores nostri nullas, nisi saltem semestri post cujusque assumptionem ad hujus dignitatis fastigium excurso, ac precibus apud supremum officium Inquisitionis hîc institutum verificatis, concedant. Decernentes omnes, & qualscumque hujusmodi absolutiones, & habilitationes, quæ precibus sic non verificatis de cætero fierent nemini prorsus prodesse, sed nec præsentibus, nisi toto ipsarum tenore ad verbum inserto, & gratia ex certa Roman. Pontificis scientia facta, & propria manu subsignata, ulla in parte derogari, nec derogatum censeri debere, & si illis ex quacumque causa aliter derogari contigerit, derogationes hujusmodi nullius prorsus fore roboris, & momenti.

§. 10. Jubemus igitur, universos, & singulos Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, & cæteros Ecclesiarum Prælatos per universum orbem constitutos, ut per se, vel alios præsentes litteras, aut earum exempla in suis quisque Provinciis, civitatibus, diœcesibus, & locis solemniter publicari, & quantum

tum in se est, firmiter observari procurent, contradictores quoscumque per censuras, & pœnas Ecclesiasticas appellatione postposita compescendo, ipsasque censuras, & pœnas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

§. 11. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 12. Volumus autem, ut præsentium exempla, etiam impressa edantur, eaque Notarii publici manu, & cujuscumque Curiæ Ecclesiasticæ, vel Prælati sigillo obsignata, eandem illam prorsus fidem ubique locorum faciant, quam ipsæ præsentes facerent, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 13. Cæterùm omnes Orbis terrarum Principes, quibus gladii sæcularis potestas ad malorum vindictam est permissa, per eam, quam se tueri promiserunt, fidem obtestamur, ut ita suas quisque partes, sive in præstando ministris prædictis auxilio, sive in criminum post Ecclesiæ sententiam animadversione interponat, ut eorum quoque præsidiis ministri ipsi tanti officii munus pro Dei æterni gloria, & Religionis incremento feliciter exequantur, amplissimum a Domino premium recepturi, quod fidei prædictæ assertoribus æternæ beatitudinis consortio præparavit.

§. 14. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ sanctionis, ligationis, statuti, decreti, jussionis, obtestationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1569. Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri anno quarto.

Ego Pius V. Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas, F. Cardinalis Pisanus Episcopus Hostiens.
Joannes Cardinalis Moronus Episcopus Portuens.
Christophorus Madruvius Episcopus Prænestin.
Otho Cardinalis Truchses Episcopus Albanens.
A. Cardinalis Farnesius Vicecancellarius, Episcopus Tusculan.
Joan. Baptista Cicada Episcopus Sab. Cardin. S. Clem.
Ego Ph. Card. à Burdisera.
Ego Antonius Card. Granvelanus.
Ego Franciscus Card. Paceeus.
Ego Hieronymus Card. de Corrigio.
Ego Ioan. Franciscus Card. de Gambara.
Ego Nicolaus Card. de Sermoneta.
Ego Ind. de Avalos Card. de Aragona.
Ego M. Antonius Card. Columna.
Ego Ptolomeus Card. Comensis.
Ego P. Card. de Sancta Cruce.
Ego Z. Card. Delphinus.
Ego Hu. Card. S. Sixti.
Ego Iulius Card. Urbinus.
Ego Fulvius Card. Perusinus.
Ego Ioan. Riccius Card. Politianus.
Ego Scipio Card. Pisarum.
Ego Iacobus Card. Sabellus.
Ego Aloysius Card. Cornelius.
Ego Alexander Card. Cribellus.
Ego Guido Card. Vercellus.
Ego Guilielmus Card. Sirletus.
Ego F. Michaël B. Card. Alex. Camer.
Ego Hieronymus Card. de Claravalle.
Ego Ludovicus Card. Madrutius.
Ego Hieronymus Card. de Monre.
Ego Hieronymus Card. Simoncellus.
Ego Ferd. Card. de Medicis.
F. Cardinalis Alciatus.
Ioannes Paulus Cardinalis ab Ecclesia.
A. Cardinalis Caraffa.

Inquisitorum hæreticæ pravitatis facultas procedendi contra Sacerdotes, qui mulieres pœnitentes in actu confessionis ad actus inhonestos provocare, & allicere tentant.

PIUS PAPA QUARTUS,

Venerabili Fratri Archiepiscopo Hispalensi, in Regnis Hispaniarum hæreticæ pravitatis Inquisitori Generali.

CUM sicut nuper, non sine animi nostri molestia accepimus, diversi Sacerdotes in Regnis Hispaniarum, atque etiam in eorum civitatibus, & diœcesibus curam animarum habentes, sive eam pro aliis exercentes, aut aliàs audiendis confessionibus pœnitentium deputati, in tantam prorupetint iniquitatem, ut Sacramento pœnitentiæ in actu audiendi confessiones abutantur, nec illi, & qui id instituit, Domino Deo, & Salvatori nostro Jesu Christo injuriam facere vereantur, mulieres videlicet pœnitentes ad actus inhonestos, dum earum audiunt confessiones, alliciendo, & provocando, seu allicere, & provocare tentando, & procurando, ac loco earum per Sacramentum hujusmodi Creatori nostro reconciliationis, graviori peccatorum mole eas onerando, & in omnibus diabolo tradendo, in divinæ majestatis offensam, animarum perniciem, & Christi fidelium scandalum non modicum.

§. 1. Nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de fide Catholica rectè sentiunt, Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis injuriam faciant, fraternitati tuæ, de cujus eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimùm in Domino confidimus, per præsentes committimus & mandamus, quatenus per te, vel per alium, seu alios à te deputandum, seu deputandos, contra omnes, & singulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum civitatum, & diœcesium de præmissis quomodolibet diffamatos, tam sæculares, quàm quorumvis etiam exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subjectorum Ordinum Regulares, cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existant, tam super præmissis, quàm super fide Catholica, & quid de ea sentiant, diligenter inquiras, & juxta facultatem tibi contra hæreticos, aut de hæresi quovis modo suspectos à Sede Apostolica concessarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos, juxta excessuum suorum qualitatem, prout juris fuerit punias, eos etiam, si, & prout juris fuerit faciendum, debita præcedente degradatione, sæcularis Judicis arbitrio puniendos tradendo.

§. 2. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum, & Monasteriorum, necnon Ordinum, quorumlibet ipsi Sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam motu proprio, aut aliàs quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis, quibus omnibus, eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 16. Augusti 1561. Pontificatus autem nostri anno 2.

Confirmatio, & ampliatio Constitutionis Pii IV. edita contra Sacerdotes in confessionibus sacramentalibus pœnitentes ad turpia sollicitantes.

GREGORIUS PAPA DECIMUSQUINTUS,

ad perpetuam rei memoriam.

UNIVERSI Dominici gregis curam, quamquam immeriti, cœlesti dispositione gerentes, sedulò invigilare tenemur, ut ab omnibus pravis contagiis conservetur immunis, multoque majori studio providere, ut omnis pestis ab iis avertatur, quibus alios sanandi officium est commissum, ne quod Evangelica scripta nos admonent, sale infatuato, non sit in quo saliatur, & ad nihilum prosit ultrà, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus: quoniam autem à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris quibusdam in locis provisum fuit, ut impium, ac nefandum scelus, quod non solùm inter Christi fideles non esse, sed nec etiam nominari debet, procul ab iis arceatur, videlicet ne aliquis Sacerdos ad sacras audiendas confessiones deputatus, Sacrosancto Pœnitentiæ Sacramento, sollicitando pœnitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigat, & ex cœlesti Medico infernalis veneficus, ex patre spirituali proditor execrabilis animarum reddatur: idcircò nos ea, quæ his perniciosissimis diaboli insidiis arcendis, certis locis salubriter constituta sunt, ut nullibi desiderentur, quantum ex alto conceditur, providendum duximus. Aliàs siquidem à fel. record. Pio Papa IV. Prædecessore nostro manarunt

litteræ

litteræ tenoris subsequentis, videlicet: Pius Papa IV. venerabili fratri Archiepiscopo Hispalens. in Regnis Hispaniarum hæreticæ pravitatis Inquisitori Generali. Cùm sicut nuper, non sine animi nostri molestia accepimus, diversi Sacerdotes in Regnis Hispaniarum, atque etiam in eorum civitatibus, & diœcesibus curam animarum habentes, sive eam pro aliis exercentes, aut aliàs audiendis Confessionibus pœnitentium deputati, in tantam proruperint iniquitatem, ut Sacramento pœnitentiæ in actu audiendi Confessiones abutantur, nec illi, & qui id instituit, Domino Deo, & Salvatori nostro Jesu Christo injuriam facere vereantur, mulieres videlicet pœnitentes ad actus inhonestos, dum earum audiunt confessiones, alliciendo, & provocando, seu allicere, & provocare tentando, & procurando, ac loco earum per Sacramentum hujusmodi Creatori nostro reconciliationis, graviori peccatorum mole eas onerando, & in manibus diaboli tradendo, in divinæ Majestatis offensam, & animarum perniciem, & Christi fidelium scandalum non modicum: Nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de fide Catholica rectè sentiunt, Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis injuriam faciant, Fraternitati tuæ, de cujus eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimùm in Domino confidimus, per præsentes committimus & mandamus, quatenus per te, vel per alium, seu alios à te deputandum, seu deputandos, contra omnes, & singulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum civitatum, & diœcesium, de præmissis quomodolibet diffamatos, tam sæculares, quàm quorumvis etiam exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subjectorum Ordinum Regulares, cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existant, tam super præmissis, quàm super fide Catholica, & quid de ea sentiant, diligenter inquiras, & juxta facultatum tibi contra hæreticos, aut de hæresi quovis modo suspectos à Sede Apostolica concessarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos juxta excessuum suorum qualitates, prout juris fuerit, punias, eos etiam, si, & prout de jure fuerit faciendum, debita præcedente degradatione, sæcularis judicis arbitrio puniendos tradendo. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum, & Monasteriorum, necnon Ordinum quorumlibet, quorum ipsi Sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam motu proprio, aut aliàs quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 16. Aprilis 1561. Pontificatus nostri anno secundo.

Igitur, ut litteræ prædictæ perpetuis futuris temporibus, & ubique locorum inviolabiliter observentur, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, ac de consilio venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium contra hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum, præinsertas litteras hujusmodi, ac omnia, & singula in eis contenta, Apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, illasque non solùm in prædictis Regnis Hispaniarum, sed in quibusvis Christiani Orbis partibus, firmiter, & involabiliter observari præcipimus, & mandamus. Ac prætetea, ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo contra eosdem procedendi ab aliquo dubitari possit, statuimus, decernimus, & singulos Sacerdotes tam sæculares, quàm quorumvis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immeditè subjectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum Regulares, cujuscumque dignitatis, & præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti existant, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu sacramentalis Confessionis, sive ante, vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu Confessionis hujusmodi, etiam ipsa Confessione non sequuta, sive extra occasionem Confessionis in confessionario, aut in loco quocumque, ubi Confessiones sacramentales audiantur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint, in officio sanctæ Inquisitionis severissimè, ut infra, puniantur. Et prætetea omnes hæreticæ pravitatis Inquisitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum, Provinciarum, civitatum, dominiorum, & locorum universi Orbis Christiani, in suis quemque Diœcesibus, & Territoriis, per has nostras litteras etiam privativè quoad omnes alios, specialiter ac perpetuò judices delegamus, ut super his contra prædictos simul, vel separatim in omnibus, prout in causis fidei juxta sacrorum Canonum formam, necnon officij Inquisitionis hujusmodi Constitutiones, Privilegia, Consuetudines, & Decreta diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumstantiis, suspensos ab executione Ordinis, privationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, necnon vocis activæ, & passivæ, si Regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes, & carceres, etiam in perpetuum absque ulla spe gratiæ, aliásque pœnas decernant, eos quoque si pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curiæ sæculari puniendos tradant. Dantes etiam facultatem venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei tam perniciosum remaneat, ob probationum defectum impunitum (cùm difficilis sit probationis) testibus, etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis, delictum probatum esse arbitrio suo judicandi, & Curiæ sæculari, ut præfertur, reum tradendum esse pronunciandi. Non obstantibus omnibus, quæ dictus Prædecessor in suis litteris prædictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Mandantes omnibus Confessariis, ut suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut suprà, sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu, ut præfertur, tractantes, Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis prædictis: quod si hoc officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denunciandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes, ut suprà, iidem locorum Ordinarij, & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, &

extra

extra, ubique habeatur, quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ, quodque eædem præſentes litteræ, ſeu illarum exempla ad valuas Baſilicarum ſancti Ioannis Lateranenſ. ac Principis Apoſtolorum de urbe, & in acie Campi Floræ affixæ omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 30. Auguſti 1622. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Juriſdictio Inquiſitorum hæreticæ pravitatis in eos, qui ad Ordinem Presbyteratus minimè promoti, Miſſas celebrant, & Pœnitentiæ Sacramentum miniſtrant.

GREGORIUS PAPA DECIMUSQUARTUS ad perpetuam rei memoriam.

OFFICII noſtri partes ſedulò præſtare tenemur, ut dubia, quæ variis Doctorum opinionibus, hinc inde diverſa ſentientibus agitantur, ad juriſdictionem ſanctiſſimi Officii Inquiſitionis hæreticæ pravitatis pertinentia, noſtræ declarationis oraculo (prout ratio ipſa ſuadere videtur) dilucidentur, ut nulla cuiquam dubitandi occaſio in poſterum relinquatur.

§. 1. Ad aures noſtras ſiquidem nuper pervenit, multos eſſe, qui dubitent, an contra eos, qui in ſacro Presbyteratus Ordine non conſtituti, Miſſas celebrare, confeſſiones audire, ac abſolutionem impartiri, ac ſi fuerint, per Officium ſanctiſſimæ Inquiſitionis hæreticæ pravitatis in Hiſpaniarum Regnis inſtitutum, & illius Inquiſitores procedendum, vel etiam animadvertendum ſit, ac hi, qui talia patraverint, per Inquiſitores prædictos puniri debeant. Nam etſi multorum ſententia affirmetur, prædictum delictum ab Inquiſitoribus plectendum eſſe, hiſce præſertim temporibus, quibus hæretici temerè audent proferre, etiam ſæculares eorum Sacramentorum miniſtros eſſe poſſe; non deſunt tamen hi, qui contrariæ adhærent opinioni. Unde plerumque per eorundem Regnorum Inquiſitores, diverſa feruntur in hujuſmodi cauſis ſuffragia.

§. 2. Nos itaque, ut omnibus difficultas, dubitatioque tollatur, animadvertentes eos, qui Presbyteratus Ordine non ſunt inſigniti, & ſe in adminiſtrandis dictis Sacramentis ingerunt, facto Catholicam veritatem impugnare, quæ ſolos Presbyteros miniſtros eorundem Sacramentorum conſtituendo, illis dumtaxat, quibus eadem munera congruere exiſtimavit, committi voluit, eorum qui in Presbyteratus Ordine non conſtituti Miſſas celebrant, ac Confeſſiones audiunt, ut præfertur, cognitionem, & punitionem etiam ad Inquiſitionis Officium, & Inquiſitores antedictos pertinere, & quod hujuſmodi delicti ratione, adversùs eos inquirere, procedere, ac culpabiles repertos punire, Officium, & Inquiſitores prædicti valeant, Apoſtolica auctoritate præſentium tenore perpetuò declaramus, & diffinimus.

§. 3. Et ita ab omnibus, & ſingulis Ordinariis, & delegatis judicibus, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§. 4. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon juribus municipalibus, legibus Regnorum prædictorum, pragmaticiſque ſanctionibus, ac ſtatutis, & conſuetudinibus civitatum, & locorum quorumcumque dictorum Regnorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis forſan per nos, ac quoſcumque alios Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ſub quibuſvis verborum formis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis Decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ſeu de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, vel ad ſupplicationem Regum, Ducum & aliorum Principum conceſſis, & confirmatis, quibus omnibus, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus. Cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum, ſub Annulo Piſcatoris, die 6. Auguſti 1174. Pontificatus autem noſtri anno 3.

Quod Inquiſitores hæreticæ pravitatis, & locorum Ordinarii, eos qui ad Presbyteratus Ordinem non promoti, Miſſas celebrant, vel Sacramentum pœnitentiæ miniſtrant, prævia degradatione, Curiæ ſæculari debitis ab ea plectendos pœnis tradant.

CLEMENS PAPA OCTAVUS, ad perpetuam rei memoriam.

ETSI aliàs fel. rec. Paulus Papa IV. prædeceſſor noſter ad nefariam, & ſacrilegam quorundam hominum temeritatem coërcendam, qui cùm ad ſacrum Presbyteratus Ordinem minimè promoti ſint, Sacerdotis tamen auctoritatem ſibi temerè aſſumentes, Miſſarum celebrationem uſurpare, & Sacramentum Pœnitentiæ miniſtrare præſumunt, decreverit hujuſmodi delinquentes à ſanctæ Inquiſitionis judicibus tradi debere Curiæ ſæculari, debita animadverſione puniendos.

§. 1. Et poſtea fel. record. Sixtus Papa IV. etiam Prædeceſſor noſter, prædictum Pauli IV. Decretum

anno

innovari, ac seriò observari mandaverit, eò tamen dictorum hominum prorupit audacia, ut prætextu ignorationis hujusmodi Decretorum, ac pœnarum contra ipsos, ut præfertur, inflictarum, & illis se minimè subjacere, & obnoxios esse putent, ac propterea se ab eisdem liberari, & absolvi posse prætendant.

§. 2. Nos igitur animadvertentes, hujusmodi perditos, & nefarios homines ad sacrum Presbyteratus ordinem non promotos, Missarum celebrationem usurpare præsumentes, non solùm actus idololatriæ, saltem extrinsecè, seu per externa & visibilia Religionis, & pietatis signa exercere, sed etiam quantum in ipsis est, efficere ut Christi fideles, qui credunt eos ordinatos esse, & ritè conficere Sacramentum Eucharistiæ, idololatriæ crimen ignoranter incurrant, purum videlicet panem, & vinum, tanquam verum Christi Domini nostri corpus, & sanguinem, eisdem adorandum proponentes. Confessiones autem audientes, non solùm Sacramenti Pœnitentiæ dignitatem contemnere, verùm etiam Christi fideles decipere, dum scilicet iniquè sibi assumunt gradum Sacerdotalem, & auctoritatem absolvendi à peccatis, magno cum periculo, & scandalo plurimorum.

§. 3. Propterea, ut gravissima hæc scelera committentes posthac debito supplicio puniantur, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine S. Inquisitionis Judicum conscientiæ consulere, & ne in futurum de pœna hisce delinquentibus imponenda dubitari possit, providere volentes, prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, hac perpetuò valitura Constitutione decernimus, atque statuimus, ut quicumque non promotus ad sacrum Presbyteratus ordinem repertus fuerit Missarum celebrationem usurpasse, vel sacramentalem confessionem audivisse, à Judicibus S. Inquisitionis, vel locorum Ordinariis tanquam Ecclesiæ misericordia indignus à foro Ecclesiastico abjiciatur, & ab ordinibus Ecclesiasticis, si quos habuerit, ritè degradatus, statim Curiæ sæculari tradatur, per Judices sæculares debitis pœnis plectendus.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis in Conciliis etiam generalibus editis, etiam in corpore Juris clausis. Quibus omnibus, & singulis, illarum tenores pro sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Ut autem hujusmodi Constitutionis ignorantia de cætero allegari, aut prætendi nunquam possit, atque præsentes litteræ omnibus innotescant, volumus illas ad valvas S. Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de urbe Basilicarum, & in acie Campi Floræ more solito publicari, & affigi, atque iis inde amotis, earumdem exempla, etiam impressa ibi affixa relinqui, factaque hujusmodi publicatione, omnes qui in urbe, post mensem, qui verò extra eam, & citra montes, post quatuor menses, qui demùm ultra montes fuerint, post decem menses à die publicationis præsentium computandos afficere, & arctare, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent.

§. 6. Ac præterea mandamus earumdem præsentium litterarum exemplis etiam impressis, & manu Notarij publici subscriptis, & sigillo Officij sanctæ Romanæ Inquisitionis, vel alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem haberi, quæ hisce præsentibus haberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 1. Decembris 1601. Pontific. nostri anno 10.

Ampliatio Constitutionis à Clemente VIII. contra non promotos ad sacrum Presbyteratus Ordinem sacramentales Confessiones audientes, aut Missam celebrantes, Curiæ sæculari prævia degradatione tradendos edita, ad omnes etiam minores vigintiquinque annis, dummodo vigesimum ætatis annum compleverint.

URBANUS PAPA OCTAVUS, ad perpetuam rei memoriam.

Apostolatus officium, cui meritis licèt imparibus, disponente Deo, præsidemus, à nobis postulat, ut quantum nobis ex alto conceditur, delinquendi fiduciam compescamus, in iis præsertim, quorum eò sacrilega processit audacia, ut sub beneficio minoris ætatis, Apostolicis Constitutionibus confoveantur in delictis, quarum statutis pœnis se idcirco jactant minimè subjacere. Aliàs siquidem à felicis recordationis Clemente Papa VIII. Prædecessore nostro emanarunt litteræ tenoris sequentis, videlicet:

Clemens Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Etsi aliàs felicis recordationis Paulus Papa IV. Prædecessor noster ad nefariam, & sacrilegam quorumdam hominum temeritatem coërcendam, qui cùm ad sacrum Presbyteratus ordinem minimè promoti sunt, Sacerdotis tamen auctoritatem sibi temerè assumentes, Missarum celebrationem usurpare, & Sacramentum pœnitentiæ ministrare præsumunt, decreverit hujusmodi delinquentes à sanctæ Inquisitionis Judicibus tradi debere Curiæ sæculari, debita animadversione puniendos: & postea fel. rec. Sixtus Papa V. etiam Prædecessor noster prædictum Pauli Papæ IV. Decretum innovari, ac seriò observari mandaverit: eò tamen dictorum hominum prorupit audacia, ut prætextu ignorationis hujusmodi decretorum, ac pœnarum contra ipsos, ut præfertur, inflictarum, illis se minimè subjacere, & obnoxios esse putent, ac propterea se ab eisdem liberari, & absolvi posse prætendant. Nos igitur animadvertentes, hujusmodi perditos, & nefarios homines ad sacrum Presbyteratus ordinem non promotos Missarum celebrationem usurpare præsumentes, non solùm actus idololatriæ, saltem extrinsecè, seu per externa, & visibilia Religionis, & pietatis signa exercere, sed etiam (quantum in ipsis est) efficere, ut Christi fideles, qui credunt eos ordinatos esse, & ritè conficere Sacramentum Eucharistiæ, idololatriæ

extra, ubique habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, quodque eædem præsentes litteræ, seu illarum exempla ad valuas Basilicarum sancti Ioannis Lateranens. ac Principis Apostolorum de urbe, & in acie Campi Floræ affixæ omnes ita arctent, & afficiant, ac si unumquemque personaliter intimatæ fuissent.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 30. Augusti 1622. Pontificatus nostri anno secundo.

Jurisdictio Inquisitorum hæreticæ pravitatis in eos, qui ad Ordinem Presbyteratus minimè promoti, Missas celebrant, & Pœnitentiæ Sacramentum ministrant.

GREGORIUS PAPA DECIMUSQUARTUS ad perpetuam rei memoriam.



OFFICII nostri partes sedulò præstare tenemur, ut dubia, quæ variis Doctorum opinionibus, hinc inde diversa sentientibus agitantur, ad jurisdictionem sanctissimi Officii Inquisitionis hæreticæ pravitatis pertinent, nostræ declarationis oraculo (prout ratio ipsa suadere videtur) dilucidentur, ut nulla cuiquam dubitandi occasio in posterum relinquatur.

§. 1. Ad aures nostras siquidem nuper pervenit, multos esse, qui dubitent, an contra eos, qui in sacro Presbyteratus Ordine non constituti, Missas celebrare, confessiones audire, ac absolutionem impartiri, ac si fuerint, per Officium sanctissimæ Inquisitionis hæreticæ pravitatis in Hispaniarum Regnis institutum, & illius Inquisitores procedendum, vel etiam animadvertendum sit, ac hi, qui talia patraverint, per Inquisitores prædictos puniri debeant. Nam etsi multorum sententia affirmetur, prædictum delictum ab Inquisitoribus plectendum esse, hisce præsertim temporibus, quibus hæretici temerè audent proferre, etiam sæculares eorum Sacramentorum ministros esse posse; non desunt tamen hi, qui contrariæ adhærent opinioni. Unde plerumque per eorundem Regnorum Inquisitores, diversa feruntur in hujusmodi causis suffragia.

§. 2. Nos itaque, ut omnibus difficultas, dubitatioque tollatur, animadvertentes eos, qui Presbyteratus Ordine non sunt insigniti, & se in administrandis dictis Sacramentis ingerunt, facto Catholicam veritatem impugnare, quæ solos Presbyteros ministros eorundem Sacramentorum constituendo, illis dumtaxat, quibus eadem munera congruere existimavit, committi voluit, eorum qui in Presbyteratus Ordine non constituti Missas celebrant, ac Confessiones audiunt, ut præfertur, cognitionem, & punitionem etiam ad Inquisitionis Officium, & Inquisitores antedictos pertinere, & quod hujusmodi delicti ratione, adversùs eos inquirere, procedere, ac culpabiles repertos punire, Officium, & Inquisitores prædicti valeant, Apostolica auctoritate præsentium tenore perpetuò declaramus, & diffinimus.

§. 3. Et ita ab omnibus, & singulis Ordinariis, & delegatis judicibus, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon juribus municipalibus, legibus Regnorum prædictorum, pragmaticisque sanctionibus, ac statutis, & consuetudinibus civitatum, & locorum quorumcunque dictorum Regnorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis forsan per nos, ac quoscumque alios Romanos Pontifices Prædecessores nostros, sub quibusvis verborum formis, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis Decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, seu de Apostolicæ potestatis plenitudine, vel ad supplicationem Regum, Ducum & aliorum Principum concessis, & confirmatis, quibus omnibus, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hæc vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus. Cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris, die 6. Augusti 1174. Pontificatus autem nostri anno 3.

Quod Inquisitores hæreticæ pravitatis, & locorum Ordinarii, eos qui ad Presbyteratus Ordinem non promoti, Missas celebrant, vel Sacramentum pœnitentiæ ministrant, prævia degradatione, Curiæ sæculari debitis ab ea plectendos pœnis tradant.

CLEMENS PAPA OCTAVUS, ad perpetuam rei memoriam.



ETSI aliàs fel. rec. Paulus Papa IV. prædecessor noster ad nefariam, & sacrilegam quorundam hominum temeritatem coërcendam, qui cùm ad sacrum Presbyteratus Ordinem minimè promoti sint, Sacerdotis tamen auctoritatem sibi temerè assumentes, Missarum celebrationem usurpare, & Sacramentum Pœnitentiæ ministrare præsumunt, decreverit hujusmodi delinquentes à sanctæ Inquisitionis judicibus tradi debere Curiæ sæculari, debita animadversione puniendos.

§. 1. Et postea fel. record. Sixtus Papa IV. etiam Prædecessor noster, prædictum Pauli IV. Decretum

inno

innovari, ac seriò observari mandaverit, eò tamen dictorum hominum prorupit audacia, ut prætextu ignorationis hujusmodi Decretorum, ac pœnarum contra ipsos, ut præfertur, inflictarum, & illis se minimè subjacere, & obnoxios esse putent, ac propterea se ab eisdem liberari, & absolvi posse prætendant.

§. 2. Nos igitur animadvertentes, hujusmodi perditos, & nefarios homines ad sacrum Presbyteratus ordinem non promotos, Missarum celebrationem usurpare præsumentes, non solùm actus idololatriæ, saltem extrinsecè, seu per externa & visibilia Religionis, & pietatis signa exercere, sed etiam quantum in ipsis est, efficere ut Christi fideles, qui credunt eos ordinatos esse, & ritè conficere Sacramentum Eucharistiæ, idololatriæ crimen ignoranter incurrant, purum videlicet panem, & vinum, tanquam verum Christi Domini nostri corpus, & sanguinem, eisdem adorandum proponentes. Confessiones autem audientes, non solùm Sacramenti Pœnitentiæ dignitatem contemnere, verùm etiam Christi fideles decipere, dum scilicet iniquè sibi assumunt gradum Sacerdotalem, & auctoritatem absolvendi à peccatis, magno cum periculo, & scandalo plurimorum.

§. 3. Propterea, ut gravissima hæc scelera committentes posthac debito supplicio puniantur, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine S. Inquisitionis Judicum consilentiæ consulere, & ne in futurum de pœna hisce delinquentibus imponenda dubitari possit, providere volentes, prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, hac perpetuò valitura Constitutione decernimus, atque statuimus, ut quicumque non promotus ad sacrum Presbyteratus ordinem repertus fuerit Missarum celebrationem usurpasse, vel sacramentalem confessionem audivisse, à Judicibus S. Inquisitionis, vel locorum Ordinariis tanquam Ecclesiæ misericordia indignus à foro Ecclesiastico abjiciatur, & ab ordinibus Ecclesiasticis, si quos habuerit, ritè degradatus, statim Curiæ sæculari tradatur, per Judices sæculares debitis pœnis plectendus.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis in Conciliis etiam generalibus editis, etiam in corpore Juris clausis. Quibus omnibus, & singulis, illarum tenores pro sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Ut autem hujusmodi Constitutionis ignorantia de cætero allegari, aut prætendi nunquam possit, atque præsentes litteræ omnibus innotescant, volumus illas ad valvas S. Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de urbe Basilicarum, & in acie Campi Floræ more solito publicari, & affigi, atque iis inde amotis, earumdem exempla, etiam impressa ibi affixa relinqui, factaque hujusmodi publicatione, omnes qui in urbe, post mensem, qui verò extra eam, & citra montes, post quatuor menses, qui demùm ultra montes fuerint, post decem menses à die publicationis præsentium computandos afficere, & arctare, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent.

§. 6. Ac præterea mandamus earundem præsentium litterarum exemplis etiam impressis, & manu Notarij publici subscriptis, & sigillo Officij sanctæ Romanæ Inquisitionis, vel alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem haberi, quæ hisce præsentibus haberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 1. Decembris 1601. Pontific. nostri anno 10.

Ampliatio Constitutionis à Clemente VIII. contra non promotos ad sacrum Presbyteratus Ordinem sacramentales Confessiones audientes, aut Missam celebrantes, Curiæ sæculari prævia degradatione tradendos edita, ad omnes etiam minores vigintiquinque annis, dummodo vigesimum ætatis annum compleverint.

URBANUS PAPA OCTAVUS,
ad perpetuam rei memoriam.

Apostolatus officium, cui meritis licèt imparibus, disponente Deo, præsidemus, à nobis postulat, ut quantum nobis ex alto conceditur, delinquendi fiduciam compescamus, in iis præsertim, quorum eò sacrilega processit audacia, ut sub beneficio minoris ætatis, Apostolicis Constitutionibus consovanum in delictis, quarum statutis pœnis se ideireo jactant minimè subjacere. Aliàs siquidem à felicis recordationis Clemente Papa VIII. Prædecessore nostro emanarunt litteræ tenoris sequentis, videlicet:

Clemens Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Etsi aliàs felicis recordationis Paulus Papa IV. Prædecessor noster ad nefariam, & sacrilegam quorumdam hominum temeritatem coërcendam, qui cùm ad sacrum Presbyteratus ordinem minimè promoti sint, Sacerdotis tamen auctoritatem sibi temerè assumentes, Missarum celebrationem usurpare, & Sacramentum pœnitentiæ ministrare præsumunt, decrevetit hujusmodi delinquentes à sanctæ Inquisitionis Judicibus tradi debere Curiæ sæculari, debita animadversione puniendos: & postea fel. rec. Sixtus Papa V. etiam Prædecessor noster prædictum Pauli Papæ IV. Decretum innovari, ac seriò observari mandaverit: eò tamen dictorum hominum prorupit audacia, ut prætextu ignorationis hujusmodi decretorum, ac pœnarum contra ipsos, ut præfertur, inflictarum, illis se minimè subjacere, & obnoxios esse putent, ac propterea se ab eisdem liberari, & absolvi posse prætendant. Nos igitur animadvertentes, hujusmodi perditos, & nefarios homines ad sacrum Presbyteratus ordinem non promotos Missarum celebrationem usurpare præsumentes, non solùm actus idololatriæ, saltem extrinsecè, seu per externa, & visibilia Religionis, & pietatis signa exercere, sed etiam (quantum in ipsis est) efficere, ut Christi fideles, qui credunt eos ordinatos esse, & ritè conficere Sacramentum Eucharistiæ, idololatriæ crimen

crimen ignoranter incurrant, purum videlicet panem, & vinum, tanquam verum Christi Domini nostri Corpus, & Sanguinem eisdem adorandum proponentes: Confessiones autem audientes, non solùm Sacramenti Pœnitentiæ dignitatem contemnere, verùm etiam Christi fideles decipere, dum scilicet iniquè sibi assumunt gradum Sacerdotalem, & auctoritatem absolvendi à peccatis, magno cum periculo, & scandalo plurimorum. Propterea ut gravissima hæc scelera committentes, posthac debito supplicio puniantur. Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine sanctæ Inquisitionis judicum conscientiæ consulere, & ne in futurum de pœna hisce delinquentibus imponenda dubitari possit, providere volentes, supradictorum Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, hac perpetuò valitura Constitutione decernimus, atque statuimus, ut quicumque non promotus ad sacrum Presbyteratus ordinem repertus fuerit Missarum celebrationem usurpasse, vel sacramentalem confessionem audivisse, à Judicibus sanctæ Inquisitionis, vel locorum ordinariis, tanquam Ecclesiæ misericordia indignus, à foro Ecclesiastico abjiciatur, ac Ordinibus Ecclesiasticis, si quos habuerit, ritè degradatus, statim Curiæ sæculari tradatur, per Judices sæculares debitis pœnis plectendus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac in Conciliis etiam generalibus editis, etiam in corpore juris clausis. Quibus omnibus, & singulis, illarum tenores pro sufficienter expressis & ad verbum insertis habentes, specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Ut autem hujusmodi Constitutionis ignorantia de cætero allegari, aut prætendi nunquam possit, atque ut præsentes litteræ omnibus innotescant, volumus illas ad valvas S. Joannis Lateranensis & Principis Apostolorum de urbe Basilicarum, & in acie Campi Floræ more solito publicari, & affigi, atque iis inde amotis, earundem exempla, etiam impressa, ibi affixa relinqui, factaque hujusmodi publicatione, omnes qui in urbe post mensem, qui verò extra eam, & citra montes, post quatuor menses, qui demùm ultra montes fuerint, post decem menses à die publicationis præsentium computandos, afficere & arctare, ac si eorum cuilibet intimatæ fuissent personaliter. Ac præterea mandamus earumdem præsentium litterarum exemplis, etiam impressis, & manu Notarij publici subscriptis, & sigillo Officij sanctæ Romanæ Inquisitionis, vel alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eandem prorsus fidem haberi, quæ hisce præsentibus haberetur, se essent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 1. Decembris 1601. Pontificatus nostri anno decimo.

Cùm autem, sicut accepimus, nonnulli privilegio minoris ætatis nimis temerè confisi, & legum indulgentia freti, pœnas à D. Clementis prædecessoris constitutione in hujusmodi delinquentes statutas parvipendere præsumant. Nos detestantes, & quantum in nobis est, cohibere volentes impiam, ac nefariam horum temeritatem, qui atrocissimo hoc scelere Catholicam veritatem, quæ solos Presbyteros dictorum Sacramentorum ministros esse docuit, facto impugnant, negotio hujusmodi in Congregatione venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Generalium Inquisitorum coram nobis habita maturè discusso, inhærentes Constitutioni prædictæ, aliisque decretis per fel. recordat. Paulum IV. & Sixtum V. Romanos Pontifices Prædecessores nostros contra similia perpetrantes editis, eaque etiam ad effectum prædictum matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine ampliantes, & extendentes, hac nostra perpetuò valitura Constitutione statuimus, & decernimus, ut de cætero perpetuis futuris temporibus, qui imposterum ad sacrum Presbyteratus ordinem non promotus, missam celebrare, aut sacramentalem Confessionem audire præsumpserit, ætate minori annis vigintiquinque non excusetur, quominus eidem Clementis Constitutioni subjiciatur, dummodo vigesimum suæ ætatis annum compleverit, ipseque non promotus sic delinquens, nulla habita consideratione præfatæ minoris ætatis, sive laicus, sive Clericus sæcularis, aut cujusvis Ordinis, Congregationis, societatis, etiam de necessitate exprimendæ, regularis, aut cujusvis alterius instituti, etiam quantumvis exempti, & privilegiati, nobisque, & Apostolicæ Sedi immediatè subjecti, necnon militiarum quarumcunque, etiam sancti Joannis Hierosolymitani fuerit, tradatur Curiæ seculari pœnis debitis plectendus, sicque, & non aliter per quoscumque sanctæ Inquisitionis Judices, & Inquisitores, etiam Generales sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & locorum Ordinarios (sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate) judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Quocirca omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus statutum, Decretum, & Constitutionem hanc nostram inviolabiliter observent, & observari faciant. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac in Conciliis etiam generalibus editis, etiam in corpore Juris clausis, necnon legibus, statutis, decretis, consuetudinibus, & privilegiis ad favorem minorum vigintiquinque annis quomodolibet, & ubicumque locorum editis, ac aliàs in ipsorum favorem facientibus, Apostolica etiam confirmatione, ac juramento, seu quavis firmitate alia roboratis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem harum litterarum publicationem, & affixionem fieri juxta formam in prædicta Clementis Constitutione præscriptam, easque publicatas, & affixas omnes intra urbem, & extra, tam citra, quàm ultra montes, & mare, post tempus in ipsa Clementis Constitutione præfixum arctare, & afficere, ac si cuilibet personaliter intimatæ fuissent. Mandamus pariter ut earumdem transumptis, etiam impressis, manúque Notarij publici subscriptis, & sigillo Officij sanctæ Romanæ Inquisitionis, vel alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem, quæ præsentibus hisce adhiberetur, fides adhibeatur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 23. Martij 1628. Pontificatus nostri anno quinto.

M. A. Maraldus.

Contra

Contra exercentes artem Astrologiæ judiciariæ, & alia quæcumque divinationum genera, librosque legentes, vel tenentes.

SIXTUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, ad perpetuam rei memoriam.

CŒLI, & Terræ Creator Deus, quem unum Omnipotentem corde credimus ad justitiam, & ore confitemur ad salutem, etsi homini, quem ad imaginem, & similitudinem suam creavir, mentem dederit, quæ non solùm divino fidei lumine illustrata, mysteria illa cognosceret, quæ humanam intelligentiam superant, sed etiam naturæ suæ vi, magno licèt cum labore, præclara multa investigaret, atque intelligeret: tamen ut superbum animal homo non altum saperet, sed timeret, & immensam Conditoris sui majestatem humi stratus veneraretur, sibi soli eorum, quæ eventura sunt, scientiam, & futurarum rerum cognitionem reservavit. Solus enim ipse, cujus oculis omnia nuda, & aperta sunt, & ad intimas hominum cogitationes penetrat, & consequentes eorum actiones intuetur: solus ipse, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt, omnia præsentia & ante oculos posita habet: solus denique omnia, & singula quæcumque totius temporis decursu, & sæculorum ætatibus futura sunt, ab omni æternitate novit, & admirabili providentia disposuit, quæ non modò humanæ mentis imbecillitas ignorat, sed nec dæmones ipsi præsentire possunt. Quare idolorum in futuris annunciandis falsitatem & imbecillitatem, & eorum qui eis cultum adhibebant, vanitatem irridet Spiritus S. apud Isaiam illis verbis, Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij estis vos; & in novo Testamento Christus Dominus, Discipulorum suorum de futuris eventis paulò cupidiùs inquirentium, interrogationem gravi illa responsione retudit, qua etiam omnium fidelium suorum curiositatem coërcuit, Non est vestrum scire tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Nec verò ad futuros eventus, & fortuitos casus prænoscendos (futuris eventibus ex naturalibus causis necessariò vel frequenter provenientibus, quæ ad divinationem non pertinent, dumtaxat exceptis) nullæ sunt veræ artes, aut disciplinæ, sed fallaces, & vanæ improborum hominum astutia, & dæmonum fraudibus introductæ, ex quorum operatione, consilio, vel auxilio omnis divinatio dimanat, sive quod expressè ad futura manifestanda invocentur, sive quod ipsi pravitate sua, & odio in genus humanum occultè, etiam præter hominis intentionem se ingerant, & intrudant vanis Inquisitoribus futurorum, ut mentes hominum perniciosis vanitatibus & fallaci contingentium prænunciatione implicentur, & omni impietatis genere depraventur. Quia quidem ipsis cognita sunt, non divinitate aliqua, nec vera futurarum rerum scientia, sed naturæ subtilioris acumine, & aliis quibusdam modis, quos hominum obtusior intelligentia ignorat. Quamobrem dubitandum non est, in hujusmodi futurorum contingentium, & fortuitorum eventuum inquisitione, & præcognitione, diaboli operationem se fallaciter immiscere, ut sua fraude, ac dolis miseros homines à via salutis avertat, & laqueo damnationis involvat: quæ cùm ita sint, nonnulli hæc fideliter & religiosè, ut debent, non attendentes, sed curiosa sectantes, graviter Deum offendunt, errantes ipsi, & alios in errorem mittentes: tales in primis sunt Astrologi, olim Mathematici & Genethliaci vocati, qui vanam, falsamque Syderum, & Astrorum scientiam profitentes, divinæque dispositionis ordinationem sub tempore revelandam prævenire audacissimè satagentes, hominum nativitates, seu genituras ex motu Syderum, & Astrorum cursu metiuntur, ac judicant futura, sive etiam præsentia, & præterita occulta, atque ex puerorum ortu, & natali die, sive quavis alia temporum, & momentorum vanissima observatione, & notatione de uniuscujusque hominis statu, conditione, vitæ cursu, honoribus, divitiis, sobole, salute, morte, itineribus, certaminibus, inimicitiis, carceribus, cædibus, variis discriminibus, aliisque prosperis, & adversis casibus, & eventibus præcognoscere, judicare, & affirmare temerè præsumunt, non sine magno periculo erroris, & infidelitatis: cùm sanctus Augustinus præcipuum Ecclesiæ lumen, eum qui hæc observat, qui attendit, qui credit, qui in domum recipit, qui interrogat, Christianam fidem, & Baptismum prævaricasse affirmet, ut illos meritò Apostolus arguat, atque increpet illis verbis: dies observatis, & menses, & tempora, & annos: timeo vos, ne fortè sine causa laboraverim in vobis. Hi igitur levissimi, & temerarij homines in miserandam animarum suarum ruinam, grave fidelium scandalum, & Christianæ fidei detrimentum, futuros rerum eventus, & quæcumque prosperè, vel adversè obventura sunt, ac actus humanos, ea denique, quæ ex libera hominum voluntate proficiscuntur, Astris, Syderibusque adscribunt, eisque eam facultatem, vim, seu virtutem, & efficaciam tribuunt significandi futura, & ad præcognita ita inclinandi, ut sic omninò, nec aliter eventura sint, atque ob eam causam de iis rebus omnibus judicia facere, prognostica, prædictiones, & præcognitiones sibi assumere, & palam vendicare non dubitant, quibus paucis rudes, & imperiti, aliique nimis creduli, & imprudentes tantam fidem præstant, ut ex hujusmodi judiciorum, & prædictionum præscripto, aliquid certò esse credant, aut sperent: quorum sanè, & mendacium Magistrorum temeritas, & infelicium discipulorum credulitas magnopere deploranda est, qui vel divinis litteris admoniti non intelligunt hominis præstantiam, cui cœli, & stellæ, & clarissima cœli Sydera, Sol, & Luna, Deo ita disponente, non imperant, sed inserviunt; sic enim Moyses populum Dei, ut hunc errorem caveret præmonebat, Ne fortè elevatis oculis ad cœlum videas Solem, & Lunam, & omnia Astra cœli, & errore deceptus adores ea & colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt. Sed quod sydera mirandum est homini servire? Nonne nobilissimæ intelligentiæ Angeli ipsi omnes sunt administratores spiritus in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis? nam rationales oves ita diligit Deus, ut non solùm Episcopos, quemadmodum à sancto Ambrosio scriptum est, ad tuendum gregem ordinaverit, sed etiam Angelos destinaverit. Præclarè etiam sanctus Hieronymus: magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab actu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum. Quod si Angeli homines custodiunt, quid adversùs Angelorum custodiam, & tutelam astra moliri aut efficere poterunt, quæ cum ipsis Angelis nullo modo sint comparanda? Nec sanè hoc loco prætereunda est eximij Ecclesiæ Doctoris, & Beatiss. Pontificis magni Gregorij sententia, qui Priscillianistas hæreticos unum-

quemque hominem sub constitutionibus stellarum nasci putantes, magno rerum, & verborum pondere confutat. Absit, inquit, à fidelium cordibus, ut aliquod esse fatum dicant, vitam quippe hominum solus hanc conditor, qui creavit, administrat; neque enim propter stellas homo, sed stellæ propter homines factæ sunt, & si stella fatum hominis esse dicitur, ipsis suis ministeriis subesse homo perhibetur. Utinam insani homines hæc saperent, & intelligerent, ac Dei monitis obtemperarent in Levitico dicentis, Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos. Neque enim, si quæ Christiana, & vera pietas repellit, ac damnat, tanto studio investigarent, iisdem miserè se decipi, atque irretiri paterentur. Sunt etiam inanes quidam homines, & curiosi, vel impij, & irreligiosi, qui futurarum, & occultarum aliarum rerum notitiam adeò anxiè habere student, ut ab eadem prænoscenda, & investiganda in divinæ legis offensionem multipliciter incurrant. Alij enim Geomantiæ, Hydromantiæ, Aëromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, aliisque sortilegiis, & superstitionibus non sine dæmonum saltem occulta societate, aut tacita pactione operam dare, seu illis ac sortibus illicitis taxillorum, granorum, triticorum, vel fabarum jactu uti non verentur. Alij verò aliquas pristinæ, & antiquatæ, ac per Crucis victoriam prostratæ idololatriæ reliquias retinentes, quibusdam auguriis, auspiciis, similibusque signis, & vanis observationibus ad futurorum divinationem intendunt; alij autem sunt, qui cum morte fœdus ineunt, & pactum faciunt cum inferno, qui similiter ad occultorum divinationem ad inveniendos thesauros, vel ad alia facinora perpetranda, etiam expressa cum diabolo pactione facta in manifestam suarum perniciem animarum nefarias magicæ artis incantationes, instrumenta, & veneficia adhibent, circulos diabolicos characterum describunt, dæmones invocant, aut consulunt, ab eis responsa petunt, aut accipiunt, eis preces & thuris, aut aliarum rerum suffimenta, seu fumigationes, aliáve sacrificia offerunt, candelas accendunt, aut rebus sacris vel Sacramentis, aut sacramentalibus sacrilegè abutuntur, adorationes, genuflexiones, aut quævis alia impietatis obsequia præstant, cultum, venerationemve tribuunt, aut annulum, vel speculum, aut parvas phialas sibi fabricant, aut fabricari curant ad dæmones in eis alligandos, seu includendos, ut putant, ad responsa ab ipsis inde petenda, aut habenda. Alij præterea etiam in corporibus obsessis, vel sympathicis, & phanaticis mulieribus dæmones de futuris, vel occultis rebus, aut factis exquirunt, ut meritò ab eis, quos Dominus in Evangelio tacere imperavit, vanas, mendacésque referant responsiones. Alij quoque præstigiatores, frequentius verò mulierculæ quædam superstitionibus deditæ in phialis, seu vasculis vitreis aqua plenis, vel in speculo accensis candelis etiam benedictis sub nomine Angeli sancti, & albi diabolum omnium malorum fautorem supplices adorantes, vel in unguibus, aut palma manus, quandoque etiam oleo perunctis eundem omnium fallaciarum architectum orant, ut similiter futura, vel occulta quævis spectra & apparentes imagines, seu phantasticas visiones sibi ostendat, aut ab eodem patre mendacij diabolo aliis incantationibus, aut variis superstitiosis observationibus futurorum, & occultorum hujusmodi veritatem quærunt, & hominibus prædicere contendunt, quorum omnium, quos suprà enumeravimus, consimiles impietates parem exitum habent, nimirum quod dæmonis præstigiis, ac dolis, tum qui divinant, tum qui divinationem expetunt illusi, ac delusi misertimè reperiuntur. Itaque cùm futuros eventus in seipsis considerare antequam fiant, sit Dei proprium, illud necessariò consequitur, ut Astrologi, & alij prædicti, qui hujusmodi futura prænunciare, aut prænoscere quocumque modo, nisi Deo revelante, audent, injustè, atque impudenter quod Dei est, sibi assumant, & usurpent, sic fit, ut dum ab eis, quod solius est creatoris, perperam creaturis tribuitur, divina majestas graviter lædatur, fidei integritas violetur, animabus pretio Christi sanguine redemptis pestis, atque exitium importetur.

§. 2. Et licèt jampridem regulis Indicis librorum prohibitorum ex decreto sacri generalis Tridentini Concilij confecti, illud inter cætera constitutum fuerit, ut Episcopi diligenter providerent, ne hujusmodi Astrologiæ judiciariæ libri, tractatus, Indices legerentur, vel haberentur, qui de futuris contingentibus successibus, fortuitisve casibus, aut iis actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certò aliquid eventurum affirmare audent, permissis tamen Judiciis, & naturalibus observationibus, quæ navigationis, agriculturæ, sive medicæ artis juvandæ gratiâ conscripta fuissent; libros verò omnes, & scripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, sive in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicæ, prorsus rejici, & aboleri curarent. Non tamen errorum, corruptelarum, delictorum, & abusuum prædictorum extirpationi usque adeo provisum est, quin etiam adhuc in nonnullis locis, & apud plurimos curiosis vigeant, cum valdè frequenter detectis diaboli insidiis, divinationum, sortilegiorum, & variarum superstitionum omnia plena esse in dies detegantur.

§. 3. Nos igitur, qui pro nostro pastoralis officij munere fidei integritatem inviolatam conservare debemus, & animarum saluti prospicere, quantum divina gratia adjutrice possumus, ex paternæ charitatis visceribus optamus, damnantes, & reprobantes omne genus divinationum, quæ diabolo auctore, ad fidelium deceptionem à prædictis curiosis, vel perditis hominibus fieri solent. Cupientes præterea sanctam illam Christianæ Religionis simplicitatem, præsertim ubi agitur de summa Creatoris Dei potestate, sapientia, & providentia, ab omni erroris labe integram, atque incorruptam, ut par est, retineri. Volentes quoque prædictæ falsæ credulitati, ac hujusmodi illicitarum divinationum, & superstitionum detestabili studio, & execrandis flagitiis, atque impunitatibus occurrere: ut de Christiano populo meritò dici possit, quod de antiquo Dei populo scriptum est, Non est augurium in Jacob, neque divinatio in Israël. Hac perpetuò valitura Constitutione Apostolica auctoritate statuimus, & mandamus, ut tam contra Astrologos, Mathematicos, & alios quoscumque dictam judiciariam artem, præterquam circa agriculturam, navigationem & rem medicam imposterum exercentes, aut facientes judicia, & nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus successibus, fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid eventurum affirmare audent, etiamsi id se certò non affirmare asserant, aut protestentur, quàm contra alios utriusque sexus, qui supradictas damnatas, vanas, fallaces, & perniciosas divinandi artes, sive scientias exercent, profitentur, & docent, aut discunt, quia hujusmodi illicitas divinationes, sortilegas superstitiones, veneficia, incantationes, ac præmissa detestanda scelera, & delicta, ut præfertur, faciunt, aut in eis se quomodolibet intromittunt, cujuscumque dignitatis, gradus & conditionis existant, tam Episcopi, Prælati, Superiores, ac alij ordinarij locorum, quàm Inquisitores hæreticæ pravitatis ubique gentium deputati, etiamsi in plerisque ex his casibus antea non procedebant, aut procedere non valebant, diligenter inquirant, & procedant, atque in eos severius canonicis pœnis, & aliis eorum arbitrio animadvertant.

§. 4. Prohibentes omnes, & singulos libros, opera, & tractatus hujusmodi judiciariæ Astrologiæ,

Geoman

Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Necromantiæ, Chiromantiæ, Artis magicæ, aut in quibus sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, execrabiles incantationes, ac superstitiones continentur, ac ut supra in memorato Indice interdictos sub censuris & pœnis in eo contentis, à quibuscumque Christi fidelibus legi, aut quomodolibet retineri, sed illos Episcopis, & Ordinariis locorum, vel Inquisitoribus prædictis præsentari, & consignari debere. Et nihilominus eadem auctoritate statuimus, & mandamus, ut contra scienter legentes, aut retinentes libros, & scripta hujusmodi, seu in quibus talia continentur, similiter iidem Inquisitores liberè, & licitè procedant, ac procedere, & pœnis condignis punire & coërcere possint.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Ut autem præsentes nostræ litteræ ad communem omnium notitiam faciliùs deducantur, jubemus illas in valvis Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe, ac in acie Campi Floræ affigi, seu appendi, eisque detractis ipsarum exempla, etiam impressa eisdem in locis affixa relinqui.

§. 7. Et insuper universis & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, locorum Ordinariis, & Prælatis, necnon Inquisitoribus hæreticæ pravitatis ubilibet constitutis per hæc committimus, & in virtute Sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, ut per se vel alium, seu alios easdem præsentes litteras, postquam eas receperint, seu earum notitiam habuerint, in suis, & singulis Parochialibus Ecclesiis, dum in eis populi multitudo ad divina convenerint, deinde verò semel in anno, & quoties eis expedire videbitur, vulgari sermone publicent; aut publicari faciant.

§. 8. Quia verò difficile foret præsentes litteras ad singula quæque loca in quibus de eis fides facienda erit, deferri, volumus ut earum transumptis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, ac parvo sigillo Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis, aut alicujus Prælati vel Curiæ Ecclesiasticæ munitis eadem prorsus fides in Judicio & extra ubique locorum adhibeatur, quæ eisdem originalibus litteris adhiberetur si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1585. Nonis Januarij, Pontificatus nostri anno primo.

Contra Astrologos judiciarios, qui de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, seu vita Romani Pontificis, aut ejus consanguineorum judicia facere, necnon eos, qui illos desuper consulere præsumpserint, cum annotatione similis Constitutionis Sixti Papæ V.

VRBANVS EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM DEI, ad perpetuam rei memoriam.



INSCRUTABILIS judiciorum Dei altitudo non patitur, ut humanus intellectus tenebrosi corporis carcere constrictus super astra se extollens, arcana in sinu divino recondita, & ipsis Beatissimis Spiritibus ignota, nefaria curiositate, non solum explorare, sed etiam tanquam explorata in Dei contemptum, Reipublicæ perturbationem, & Principum periculum arroganti, & pernicioso exemplo vendicare præsumat.

§. 1. Hinc est, ut quamvis civilibus, canonicisque sanctionibus, ac novissimè felicis recordationis Sixti Papæ V. Prædecessoris nostri Constitutione desuper edita Astrologorum, Mathematicorum, Vaticinatorum, & aliorum, qui eventura divinare, seu prædicare audent, quosque ut homicidas, & maleficos antiquitas æstimavit, illorum potissimùm, qui de summa Reipublicæ, vel Principum salute judicia ferre præsumerent, ars, professio, sive exercitium gravibus pœnis inhibita esse noscantur. Attamen sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filij propriæ pusillitatis obliti, ac lenitate forsan, vel conniventia eo audentiores facti, vanamque fatidicorum æstimationem aucupantes, in deplorandam animarum suarum perditionem, graveque Christi fidelium scandalum, etiam de Reipublicæ, & Principum incolumitate, illis sollicitudinem, hominibus verò inquietis rerum novandarum occasionem ea ratione inferre satagentes, prognostica, & prædictiones verbo, vel etiam scripto edere non erubescunt.

§. 2. Nos itaque hujusmodi perniciosis ausibus quantum nobis ex alto conceditur obviam ire, ac quos Dei respectus in officio non continet, pœnarum gravitate, & severioris disciplinæ freno coërcere volentes, motu proprio, & ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Constitutionem per præfatum Sixtum Prædecessorem desuper ut præfertur editam Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, confirmamus & innovamus.

§. 3. Et insuper omnibus, & quibuscumque laicis cujuscumque sexus, conditionis, status, gradus, & dignitatis, etiam Marchionalis, vel Ducalis existentibus, qui de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, sive de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis, ejusque usque ad tertium gradum inclusivè consanguineorum Mathematicos, ariolos, aruspices, vaticinatoresve nuncupatos, vel alios Astrologiam judiciariam exercentes, seu aliàs quomodolibet profitentes de cætero consuluerint, sive desuper eorum judicia, prognostica, prædictiones, seu præcognitiones etiam sibi oblatas receperint, illisve quomodolibet usi fuerint, vel illas penes se scienter retinuerint, aut alicui ostenderint, nec iisdem Mathematicis, ariolis, aruspicibus, vaticinatoribus, sive aliis Astrologiam judiciariam, seu quamlibet artem divinatoriam quomodolibet profiteri, qui Judicia, prognostica, seu præcognitiones, & prædictiones super præmissis, etiamsi id certò se affirmare protestentur, fecerint, sive à se vel ab aliis jam facta, seu factas imposterum penes se similiter retinuerint, vel alicui dederint, seu ostenderint, aut de eis quovis modo etiam improbando, scripto, vel verbis tractaverint, nedum excommunicationis majoris latæ sententiæ, sed etiam uti

læsæ majestatis reis, ultimi supplicii, ac confiscationis omnium bonorum, etiam Romanæ Curiæ officiorum, ac devolutionis quarumcunque civitatum, castrorum, & locorum jurisdictionalium, & feudalium.

§. 4. Clericis quoque, & Presbyteris, aliisque personis Ecclesiasticis, tam sæcularibus, quàm cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, seu Instituti, vel militiarum quarumcunque, etiam Hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, aliisque quomodolibet exemptis, ac nobis, & Apostolicæ Sedi immediatè subjectis Regularibus utriusque sexus ultra prædictas, etiam privationis beneficiorum & dignitatum, ac officiorum Ecclesiasticorum, etiam Monasteriorum, Prioratuum, Præceptoriatum, ac aliorum quorumcunque, & inhabilitatis perpetuæ ad illa in posterum obtinenda, ita quod personæ Ecclesiasticæ, prævia illarum degradatione Curiæ sæculari tradantur puniendæ; in Episcopali verò, Archiepiscopali, Metropolitana, Primatiali, Patriarchali, aut quacunque alia, etiam Superiori Ecclesiastica, vel mundana, quantumvis sublimi, excellente, & speciali nota digna, etiam suprema constitutis dignitate, easdem excommunicationis, ac privationis, etiam regiminis, & administrationis Ecclesiarum, & aliorum quorumcunque beneficiorum, & dignitatum, quantumvis amplissimarum, & Patriarchali majorum, ac officiorum suorum, & inhabilitatis pœnas ipso facto incurrendas, Apostolica auctoritate tenore præsentium infligimus, & imponimus.

§. 5. Cognitionem verò causarum hujusmodi quoad personas Ecclesiasticas, tam sæculares, quàm regulares in urbe nostra, & illius districtu ad dilectos filios nostros ejus Vicarium in spiritualibus generalem, necnon ejusdem urbis Gubernatorem, ac Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Auditorem generalem, & eorum quemlibet insolidum; extra verò urbem, & districtum prædictum in provinciis nobis, & Apostolicæ Sedi subjectis ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales in eisdem provinciis de latere Legatos, & Prolegatos, ac Præsides in dignitate Ecclesiastica constitutos, pro tempore existentes; in aliis verò omnibus, & singulis Provinciis, Regnis, Civitatibus, Oppidis, castris, & locis, tam sub nostra, & dictæ Sedis, quàm cujusvis alterius Principis ditione comprehensis privativè quoad omnes etiam Superiores Religiosorum, ipsisque Superioribus penitus exclusis, ad Ordinarios locorum, ubilibet verò locorum etiam ad hæreticæ pravitatis Inquisitores spectare volumus.

§. 6. Mandantes dilectis filiis nostris & dictæ Sedis de latere Legatis, & eorum Vicelegatis, & præsidibus prædictis nunc & pro tempore existentibus, necnon venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis singulis, videlicet in suis Civitate, & Diœcesi, & quoad loca intra fines alicujus Diœcesis, non tamen de Diœcesi existentia ipsarum Diœcesum, intra quarum fines eadem loca existerint; quo verò ad ea, quæ extra fines alicujus Diœcesis consistunt, vicinioribus eorundem locorum Ordinariis, ac etiam Inquisitoribus prædictis, quatenus ad instantiam cujusvis fisci vel denunciatoris, ac etiam ex eorum officio causarum hujusmodi cognitiones suscipientes, prævia etiam avocatione à quibusvis aliis non expressis, nec à nobis specialiter delegatis, in causis ipsi modo promisso procedant, omnibus juris, & facti remediis opportunis, invocato etiam auxilio brachii sæcularis.

§. 7. Inhibentes insuper Decanis, & Capitulis Ecclesiarum Cathedralium, Metropolitanarum, & Patriarchalium, necnon quorumvis ordinum, & locorum Regularium, Societatum, & institutorum, ac etiam Hospitalis prædictorum Superioribus, Conventibus, & fratribus, quantumvis exemptis, ne sub privationis beneficiorum, & officiorum quorumcunque per eos respectivè obtentorum, ac similiter inhabilitatis ad alia in futurum obtinenda, vocisque activæ, & passivæ, necnon excommunicationis latæ sententiæ eo ipso incurrendis pœnis, Ordinarios locorum, necnon Legatos, seu Vicelegatos, aliosque prædictos in causis hujusmodi procedentes quoquo modo impedire, molestare, seu perturbare audeant, vel præsumant, ac etiam mandantes, ut quoties ad id fuerint requisiti, Religiosos ipsos, etiamsi alicujus loci regulares Superiores actu fuerint, Ordinariis, Legatis, seu Vicelegatis, ac aliis prædictis, seu quibus iidem mandaverint, consignent cum scriptis, & actis, si quæ facta fuisse reperiantur.

§. 8. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscunque judices ordinarios, delegatos, & commissarios, ac etiam Cameræ Apostolicæ Clericos præsidentes, necnon causarum Palatii Apostolici, & Curiæ ejusdem Cameræ Generalem, Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarium, & alios Cardinales de latere Legatos, necnon Vicecamerarium, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

§. 9. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon nostra in numero septuagesimâ, & aliis Cancellariæ Apostolicæ Regulis, ac Provinciarum, Regnorum, Civitatum, terrarum, oppidorum, locorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, Militiarum, Hospitalium, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani prædictorum, aliorumque Religiosorum, & piorum locorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis eisdem Provinciis, Regnis, Civitatibus, terris, oppidis, locis, Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, & Militiis prædictis, & aliis piis locis, ac illorum universitatibus, Capitulis, Superioribus, & personis in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 10. Volumus autem, quod præsentes litteræ in valvis Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de urbe ac Cancellariæ Apostolicæ, necnon in acie Campi Floræ publicentur, & affigantur, quæ postquam sic affixæ, & publicatæ fuerint, quoscunque tam in statu nostro temporali, quàm extra eum ubique locorum perinde arctent, & afficiant, ac si unicuique nominatim, & personaliter intimatæ fuissent.

§. 11. Quodque earum exemplis, etiam impressis manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio & extra ubique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

§. 12. Nulli

§. 11. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, innovationis, inflictionis, impositionis, inhibitionis, decreti, derogationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Kalend. Aprilis 1631. Pontificatus nostri anno 8.

Quod Itali extra Italiam non habitent in locis, ubi liber, & publicus cultus, sive usus Catholicæ Religionis non existat.

CLEMENS PAPA OCTAVUS, ad perpetuam rei memoriam.



Cum sicut, non sine magno animi nostri dolore accepimus, quod plures Christi fideles ex diversis Italiæ partibus, eorum Patriis, ubi vera, & sancta Catholica, & Apostolica Religio viget, & publicè prædicatur, dissidentes abeunt in longinqua loca, ubi non solùm hæreses impunè grassantur, sed quod pejus est, Catholicæ Religionis usus publicè interdicitur, & prohibetur; quo fit ut personæ ibi permanentes, etiamsi Catholicæ sint, cogantur tamen contra eorum pia desideria sacrosanctæ Missæ sacrificio, aliisque divinis officiis, & sanctorum Sacramentorum perceptione in suarum animarum discrimen diutiùs carere.

§. 1. Quare nos his, & aliis malis, & periculis inde provenientibus, quantum cum Domino possumus, obviare cupientes, hac nostra in perpetuum valitura Constitutione statuimus, & ordinamus, ut de cætero nullus Italus, sive Mercator, sive cujusvis alterius conditionis, vel status existat, quovis quæsito colore, prætextu vel ingenio audeat habitare, vel domicilium tenere in civitate, oppido, seu loco ubi aliqua Ecclesia cum Parocho, vel Pastore, seu Sacerdote catholico non existat, in qua liberè, & sine omni periculo palam publicè celebrari & audiri possint sacrosanctæ Missæ, & alia divina officia, & conciones, ac Sacramenta Ecclesiastica ministrari, mortuorum corpora sepeliri, & cætera fieri juxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

§. 2. Utque iidem Itali abstineant à matrimoniis cum hæreticis mulieribus, & ab hæreticorum sepulturis, filios suos de sacro fonte levari per hæreticos non permittant, nec ipsi vicissim hæreticorum filios, nisi per Catholicum Sacerdotem Catholico more baptizentur, levare præsumant; Medicorum quoque hæreticorum opera, necessitate cessante, & ubi adsit copia catholici idonei, non utantur.

§. 3. Cùm verò Itali prædicti ex Italia recedunt ad morandum, vel inhabitandum in partibus prædictis, id significent suis Ordinariis, vel Inquisitoribus locorum, à quibus seriò admoneantur, ut in eis perpetuò Catholicam, & Orthodoxam fidem constanter retinentes, & profitentes, piam, & catholicam vitam ducant, Dominicos, & festos dies, abstinentias, & sacra jejunia ab Ecclesia præcepta religiosè colant, atque omnem hæresim, & errorem, hæreticos, schismaticos, & ab Orthodoxa fide aberrantes fugiant, & evitent, ac ut saltem singulis annis de eorum sacramentali peccatorum confessione, & sanctissimæ Eucharistiæ perceptione per eos facta, fidem, seu testimonium ipsis Ordinariis, vel Inquisitoribus in Italiam transmittant, ad quod & nos dictos Italos tenore præsentium teneri, & obligatos esse decernimus, & mandamus.

§. 4. Quod si quis propriæ salutis immemor contra præmissa facere præsumpserit, possit adversus eum per locorum Ordinarios, & Inquisitores hæreticæ pravitatis, uti de hæresi suspectum procedi.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 6. Volumus autem ut earundem præsentium transumptis, etiam impressis, & manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 26. Julii 1596. Pontificatus nostri anno quinto.

Contra hæreticos in locis Italiæ, & Insularum adjacentium quovis prætextu commorantes, eorumque fautores.

GREGORIUS PAPA DECIMUSQUINTUS. Ad perpetuam rei memoriam.



Romani Pontificis Beati Petri Apostolorum Principis successoris munus exigit, ut pro incumbente Dominici Gregis cura, & sollicitudine Prædecessorum suorum Constitutiones, eas præsertim, quæ ad sacrosanctæ fidei Catholicæ conservationem pertinent, quo suum perpetuum sortiantur effectum, & inviolabiliter observentur, innover, & extendat, prout rerum & temporum qualitatibus debitè pensatis conspicit in Domino salubriter expedire.

Alias siquidem à felicis recordationis Clemente Papa VIII. Prædecessore nostro emanarunt litteræ tenoris sequentis, videlicet:

CLEMENS

CLEMENS PAPA OCTAVUS,
ad perpetuam rei memoriam.

CUM sicut, non sine magno animi nostri dolore accepimus, quod plures Christi fideles ex diversis Italiæ partibus, eorum Patriis, ubi certa & sancta Catholica, & Apostolica Religio viget, & publicè prædicatur, diffidentes abeunt in longinqua loca, ubi non solum hæreses impunè grassantur, sed quod pejus est, Catholicæ Religionis usus publicè interdicitur, & prohibetur, quo fit, ut personæ ibi permanentes, etiamsi Catholicæ sint, cogantur tamen contra eorum pia desideria sacrosanctæ Missæ sacrificio, aliisque divinis officiis, ac sanctorum Sacramentorum perceptione in suarum animarum discrimen diutiùs carere. Quare nos his, & aliis malis, & periculis inde provenientibus, quantum cum Domino possumus, obviare cupientes, hac nostra in perpetuum valitura Constitutione statuimus, & ordinamus, ut de cætero nullus Italus, sive Mercator, sive cujusvis alterius conditionis, vel status existat, quovis prætextu, quæsito colore, vel ingenio audeat habitare, vel domicilium tenere in Civitate, Oppido, seu loco, ubi aliqua Ecclesia cum Parocho, vel Pastore, seu Sacerdote Catholico non exstat, in qua liberè & sine omni periculo palam & publicè celebrari, & audiri possint sacrosanctæ Missæ, & alia divina officia & Conciones, ac Sacramenta Ecclesiastica ministrari, mortuorum corpora sepeliri, & cætera fieri juxta ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Utque iidem Itali abstineant à matrimoniis cum hæreticis mulieribus, & ab hæreticorum sepulturis, filios suos de sacro fonte levari per hæreticos non permittant, nec ipsi vicissim hæreticorum filios, nisi per Catholicum Sacerdotem Catholico more baptizentur, levare præsumant: Medicorum quoque hæreticorum opera, necessitate cessante, & ubi adsit copia Catholici Medici idonei non utantur. Cum verò Itali prædicti ex Italia recedunt ad morandum, vel inhabitandum in partibus prædictis, id significent suis Ordinariis vel Inquisitoribus locorum, à quibus seriò admoneantur, ut in eis perpetuò Catholicam, & Orthodoxam fidem constanter retinentes & profitentes, Piam, & Catholicam vitam ducant, Dominicos, & Festos dies, abstinentias, & sacra jejunia ab Ecclesia præcepta religiosè colant, atque omnem hæresim, & errorem, hæreticos, & ab Orthodoxa fide aberrantes fugiant, & evitent, ac ut saltem singulis annis de eorum sacramentali peccatorum confessione, & sanctissimæ Eucharistiæ perceptione per eos facta, fidem seu testimonium ipsis Ordinariis, vel Inquisitoribus in Italiam transmittant, ad quod & nos dictos Italos tenore præsentium teneri & obligatos esse decernimus, & mandamus. Quod si quis propriæ salutis immemor contra præmissa facere præsumpserit, possit adversus eum per locorum Ordinarios, & Inquisitores hæreticæ pravitatis uti de hæresi suspectum procedi. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut earundem præsentium transumptis, etiam impressis, & manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ ipsimet præsentibus haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris, die 20. Janv. 1595. Pontificatus nostri anno quinto.

Nos inviolabili dictarum Clementis litterarum, & in eis contentorum quorumcumque observationi, quantum nobis ex alto conceditur, per amplius providere volentes. Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura Constitutione easdem Clementis Prædecessoris litteras cum omnibus, & singulis in eis contentis tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illasque innovamus, ac inviolabiliter observari mandamus. Insuper ne ullus hæreticus in locis Italiæ, & Insularum adjacentium, neque etiam sub commercii, & matrimonii, aut alio quovis prætextu domicilium contrahere, seu domum apertam habere propriam, vel conductam, aut gratis concessam, seu habitare, aut morari possit, earumdem tenore præsentium prohibemus, ac respectivè statuimus, & ordinamus. Contra prohibitiones autem, ac statuto & ordinationi nostris hujusmodi non parentes, seu contravenientes, cujusvis status, gradus, conditionis, tam Ecclesiasticæ, quàm sæcularis existentes juxta formam juris procedatur, & puniantur; & simili modo eos, qui hæreticos prædictos receptaverint, eisque quoquo modo contra præsentium literarum tenorem favorem, opem, seu auxilium præbuerint, uti fautores, & receptatores hæreticorum puniri, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & de latere Legatos (sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate) ubique judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate, & tenore prædictis decernimus, & declaramus: Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extra, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ; quodque eædem præsentes post duos menses à die illarum publicationis computandos, omnes & singulos ad quos spectat, ita arctent, & afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 2. Julii 1622. Pontificatus nostri anno secundo.

S. Cardinalis Sanctæ Susannæ.

Revocatis

Revocatio facultatum superioribus quorumcunque Ordinum, & Religiosorum quoquo modo concessarum cognoscendi causas suorum subditorum ad officium sanctæ Inquisitionis hæreticæ pravitatis quomodolibet pertinentes.

PAULUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, ad perpetuam rei memoriam.

ROMANUS Pontifex ea interdum, quæ prædecessoribus suis temporum, & rerum qualitate id tunc exposcente, proinde pro hæresum extirpatione sancita sunt, novis emergentibus rationibus revocat, & immutat, prout in Domino salubriter conspicit expedire.

§. 1. Dum siquidem felicis recordationis Pius Papa quartus prædecessor noster sua perpetuò valitura Constitutione statuit, ordinavit, & declaravit, quod ex tunc deinceps in omnibus Christiani Orbis partibus Inquisitores hæreticæ pravitatis, tam generales, quàm in quibusvis Provinciis, Civitatibus, Oppidis, terris, & locis pro tempore deputati particulares, contra omnes quorumcunque Ordinum, etiam exemptorum, etiam mendicantium professores, & Religiosos, ac etiam alios quoscumque quovis modo privilegiatos & exemptos, de hæresis crimine quomodolibet suspectos, aut culpabiles, dummodo ab eorundem Professorum, & Religiosorum Superioribus, vel Prælatis in causis hujusmodi præventi non fuissent, juxta facultates Officij Inquisitionis ipsius pravitatis inquirere, & procedere, ac culpabiles, & delinquentes repertos secundum canonicas sanctiones castigare, atque punire possent, & valerent, ac aliàs prout in litteris ipsius Pij prædecessoris latiùs continetur.

§. 2. Cum autem rerum usu compertum sit, occasione præventionum hujusmodi nonnulla interdum impedimenta orta esse, quominus causæ hujusmodi ea, qua decet diligentia, cognoscantur. Nos de consilio Venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, contra hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum illa de medio tollere volentes, motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac matura deliberatione, hac nostra etiam perpetuò valitura Constitutione omnia, & quæcumque privilegia, indulta, facultates, & concessiones Generalibus, Superioribus, & Prælatis quorumcunque Ordinum, sive Mendicantium, Clericorum Regularium, cujusvis Ordinis, & Instituti, etiam in dicta Constitutione non expressorum, & quantumvis exemptorum, & quocumque nomine nuncupentur, per dictum Pium, ac quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, & Sedem Apostolicam concessa, approbata, & innovata, & quantumvis etiam longissimo tempore observata, causas ad dictum officium quomodolibet spectantes cognoscendi, & terminandi, seu in illis quoquomodo se intromittendi; quorum omnium, & singulorum tenores, etiamsi de illis specialis, & expressa mentio habenda esset, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò cassamus, revocamus, & abolemus, ipsisque Generalibus, Superioribus & Prælatis, ut de cætero quovis quæsito colore, vel prætextu præventionis, vel consuetudinis, & præscriptionis immemorabilis, seu cognoscendi, an delationes hujusmodi calumniosæ sint, necne, in eisdem causis, tam motis quàm movendis quoquo modo se intromittere, seu immiscere, denunciationes recipere, testes examinare, processus conficere, causas ipsas cognoscere, definire, vel terminare minimè audeant, seu præsumant, simili auctoritate districtiùs inhibemus.

§. 3. Volentes, & expressè mandantes, ut ipsi Religiosi possint & debeant omnes etiam ordinum hujusmodi professores de hæresi suspectos, Inquisitoribus, vel ordinariis locorum viciniotibus liberè denunciare, absque eo quod Superiores prædicti personas denunciandas, & causas perquirere, vel quoquo modo id impedire, vel retardare audeant, seu præsumant.

§. 4. Insuper omnes, & quascumque causas ad dictum Officium quomodolibet spectantes, & pertinentes coram Generalibus, Superioribus, & Prælatis hujusmodi in quibuscumque locis existentibus, ac quoscumque religiosos, ut præfertur exemptos, motas, & pendentes, ad nos harum serie avocamus, easque omnes in statu, & terminis, in quibus de præsenti reperiuntur, ipsius pravitatis Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum viciniotibus terminandas committimus.

§. 5. Præterea ipsis Generalibus, Superioribus, & Prælatis pari auctoritate præcipimus, atque mandamus, ut omnes processus, & acta causarum hujusmodi Inquisitoribus, seu Ordinariis respectivè remittant, & consignent, necnon Religiosos professores, & fratres supradictos, quos hæresis labe infectos, vel suspectos etiam in visitatione esse noverint, absque alia consultatione cum propriis Superioribus facienda, eisdem Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum viciniotibus respectivè denunceint.

§. 6. Quod si Generales, aliique prædicti præsentibus litteris non paruerint, eos omnes privationis quarumcunque dignitatum, seu Prælaturarum, vel officiorum suorum Ordinum, ac vocis activæ & passivæ, perpetuæque inhabilitatis ad easdem, necnon contra fautores hæreticorum, & impeditores officij statutas, & inflictas pœnas, aliasque censuras Ecclesiasticas, etiam excommunicationis majoris latæ sententiæ, à qua nonnisi à nobis, vel à Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo absolutionis beneficium valeant obtinere, eo ipso incurrisse.

§. 7. Necnon præsentes litteras, licèt Generales, Superiores, & Prælati prædicti, aut quicumque alij quavis auctoritate, vel officio seu honore fulgentes, in præmissis quomodolibet interesse habentes, vel habere prætendentes ad hoc vocati non fuerint, semper, & perpetuò validas, & efficaces existere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, ac ab omnibus inviolabiliter observari;

sicque per quoscumque Judices & Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & cuilibet eorum quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus.

§. 8. Non obstantibus prædictis ac quibusvis aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon ordinum, & institutorum quorumcunque, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam mare magnum, vel aliàs quomodolibet nuncupatis, eisdem Ordinibus, eorumque Generalibus superioribus & prælatis, ac personis etiam per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Sedem præd ctam, & per nos quovis modo concessis, confirmatis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, quibus, ac aliis omnibus, quæ præsentibus quomodolibet obviare possent, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, spec fica, & expressa, ac individua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exqu sita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores pro plenè & sufficienter præsentibus expressis, & totaliter insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, & specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 9. Ut autem præsentes litteræ ad omnium notitiam deducantur, neve aliquis ignorantiam earum prætendere, aut contra eas se excusare valeat, illas in valvis Sancti Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum Basilicarum de urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, ac acie Campi Floræ de more affigi, & publicari, earumque exempla inibi affixa dimitti, ac post publicationem hujusmodi omnes, & singulos, quos concernunt, & concernent in futurum, perinde arctent, & afficiant, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent.

§. 10. Quodque earum transumptis etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, & sigillo alicujus Prælati, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis in Judicio, & extra, ubique gentium, & locorum fidem adhiberi volumus, & mandamus, quæ eisdem originalibus litteris adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ; & nihilominus, ut ad majorem notitiam singulorum, & quorumcunque Religiosorum prædictorum præsentes deveniant, etiam volumus, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, & præcipimus Generalibus, Superioribus, & Prælatis prædictis, ut in primis proximis futuris Capitulis, seu Congregationibus Provincialibus, vel Generalibus cujuscunque Provinciæ, tam in Italia, quàm extra, præsentes nostras litteras legi & publicari faciant, & procurent.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ 1606. Kalend. Septemb. Pontificatus nostri anno secundo.

Innovatio Constitutionum à Sixto IV. & Pio V. de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis editarum. Impositioque majorum pœnarum in transgressores à locorum Ordinariis, & hæreticæ pravitatis Inquisitoribus puniendos.

PAULUS PAPA QUINTUS,
Ad perpetuam rei memoriam.



Regis pacifici, quanquam nullo nostro merito, divina dispensatione vices gerentes in terris, ex muneris nostri debito, pacis, & concordiæ inter Christi fideles, præsertim Ecclesiasticas personas, quæ aliis in viam pacis dirigendis, & in unitate spiritus continendis sunt præscriptæ, conservationi seduli invigilare cupientes, ea quæ à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus ad scandalorum semina tollenda salubriter constituta sunt, cùm hostis antiqui insidiis, qui ab initio dissidia serere cœpit, minimè observari, aut variis modis eludi dignoscantur, ut inviolata serventur, opportunis remediis, quantum cum Domino possumus, providemus.

§. 1. Olim siquidem per felicis recordationis Sixtum Papam IV. Prædecessorem nostrum accepto, quod nonnulli diversorum Ordinum Prædicatores in suis sermonibus ad Populum publicè per diversas Civitates, & terras affirmare non erubuerant, & quotidie prædicare non cessabant, omnes illos, qui tenebant aut asserebant, gloriosam, & immaculatam Dei genitricem absque originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse hæreticos, ejusdemque immaculatæ Conceptionis officium celebrantes, audientesque sermones illorum, qui eam sine hujusmodi macula conceptam esse affirmabant, graviter peccare, sed & prædictis prædicationibus non contenti, confectos super eisdem suis assertionibus libros in publicum ediderunt, ex quorum assertionibus, & prædicationibus non levia scandala in mentibus fidelium exorta erant, & majora meritò exoriri formidabantur in dies. Idem Sixtus Prædecessor hujusmodi temerariis ausibus, & perversis assertionibus & scandalosis, quæ exinde in Ecclesia Dei exoriri poterant, obviare volens, hujusmodi assertiones prædictorum eorumdem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumerent, eos qui crederent, aut tenerent eandem Dei Genitricem ab originalis peccati macula in sua Conceptione præservatam fuisse, propterea alicujus hæresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, aut hujusmodi officium Conceptionis celebrantes, seu hujusmodi sermones audientes, alicujus peccati reatum incurrere, utpote falsas, & erroneas, & à veritate penitus alienas, editosque desuper libros prædictos id continentes quoad hoc reprobavit, & damnavit, ac statuit, & ordinavit, quod Prædicatores Verbi Dei, & quicumque alii cujuscumque status, gradus, aut ordinis, & conditionis essent, qui ausu temerario præsumerent in eorum sermonibus ad populum, seu aliàs quomodolibet affirmare, hujusmodi sic per eum improbatas, & damnatas assertiones veras esse, aut dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere, excom-

municationis

municationis sententiam eo ipso incurrerent, à qua ab alio, quàm Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, nequirent absolutionis beneficium obtinere. Similique pœnæ, & Censuris subjecit eos, qui ausi essent asserere contrariam opinionem, tenentes videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen vel peccatum incurrere mortale, cum nondum id esset à Romana Ecclesia, & Apostolica Sede Decretum.

§. 2. Hanc verò Sixti Prædecessoris Constitutionem Oecumenica Tridentina Synodus postea innovavit.

§. 3. Ac deinde similis recordationis Pius Papa V. etiam prædecessor noster, statuit, ordinavit, & mandavit, quatenus nemo cujuscumque ordinis vel dignitatis existeret, in popularibus concionibus, vel ubicumque promiscua virorum, & mulierum multitudo convenire solet, de hujus controversiæ alterutra parte disputaret, rationibus, vel Doctorum auctoritate asserendo propriam sententiam, & contrariam refellendo, vel impugnando, aut de hac ipsa quæstione cujusvis pietatis aut necessitatis prætextu vulgari sermone scribere, vel dictare præsumeret: qui contrafaceret, suspensionis pœnam à divinis absque nova declaratione ipso facto incurreret; si modò esset in sacris constitutus, & quocumque præterea gradu, sive dignitate, vel administratione fungeretur, illis omnibus foret ipso jure privatus, & ad eadem, vel similia munera obtinenda, vel obeunda, perpetuæ inhabilitatis censuræ ipso etiam facto obnoxius foret, super quibus nisi à Romano Pontifice pro tempore existente dispensari, sive absolvi non possit; nihilominus aliis pœnis, si opus foret, à proprio Prælato pro delicti mensura infligendis subjectus esset, prout subjecit.

§. 4. Cæterùm quamdiu per Apostolicam Sedem altera pars diffinita non esset, oppositaque sententia condemnata, liceret viris doctis in publicæ Academiæ disputationibus, sive Generalium, aut Provincialium Capitulorum, vel ubi aliàs interessent, qui rem capere possent, nec scandali ulla subesset occasio, de illa quæstione disserere, & argumentis utramlibet partem asserere vel impugnare. Dum tamen neutra veluti erronea prædicaretur, servarenturque illa omnia, quæ à Sixto prædecessore statuta sunt, quorum singula etiam quantum ad alias pœnas duxit innovanda, & innovavit, prout in Sixti, & Pij prædecessorum litteris desuper confectis pleniùs continetur.

§. 5. Verùm licèt hæc proinde statuta sint; nihilominus, sicut accepimus, nonnulli in diversis Christiani orbis partibus, interminatis quæstionibus nimis intenti, dissensionum hujusmodi jampridem Ecclesiæ disciplinæ vigore recisa germina coalescere procurant, indeque contentiones, & rixæ non sine Dei offensa, & scandalo plurimorum exortæ sunt, & graviores in dies ne exoriantur, periculum est, nisi à nobis opportunè provideatur.

§. 6. Quamobrem motu proprio, non ad alicujus nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, Constitutionum Sixti, & Pij prædecessorum hujusmodi veriores tenores præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis habentes, easdem Constitutiones Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, & etiam quoad earum pœnas quascumque, etiam absolutionis, reservationem innovamus, & inviolabiliter ab omnibus etiam Regularibus quibuscumque, tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus personis, cujusvis status, gradus, ordinis & conditionis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quàm sæcularis, etiamsi specifica, & individua earum esset necessariò facienda mentio, observari præcipimus, & mandamus, donec à Romana Apostolica Sede hujusmodi controversia fuerit diffinita.

§. 7. Ac præterea, si quis quovis modo contravenerit, præter supradictarum Constitutionum pœnas respectivè ipso facto incurrendas, etiam concionandi, publicè legendi, docendi, & interpretandi perpetuæ inhabilitatis pœnas similiter ipso facto incurrat absque alia declaratione, à quibus non nisi à nobis ipsis, vel successoribus nostris Romanis Pontificibus pariter absolvi, seu super iis dispensari possit: & nihilominus aliis pœnis nostro, & eorumdem Romanorum Pontificum successorum nostrorum arbitrio infligendis subjiciatur, prout eum subjicimus per præsentes.

§. 8. Et contra hujusmodi transgressores etiam regulares cujusvis Ordinis, & Instituti, etiam quomodolibet, & alias quascumque Ecclesiasticas, & sæculares personas cujuscumque status, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quàm sæcularis, ut præfertur, tam Episcopi, & Prælati, Superiores, aliique ordinarij locorum, quàm hæreticæ pravitatis ubique locorum deputati Inquisitores procedant, & inquirant, atque in eos severe animadvertant. Nos enim iis, & eorum cuilibet contra eosdem transgressores procedendi, & inquirendi, ac pœnis coërcendi, & puniendi liberam facultatem, & auctoritatem iisdem auctoritate, & tenore tribuimus, & impartimur, eosque, ut præfertur, procedere, inquirere, & punire præcipimus, & mandamus.

§. 9. Non obstantibus omnibus iis, & singulis, quæ tam Sixtus, quàm Pius prædecessores prædicti in suis litteris hujusmodi voluerunt non obstare. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 10. Et ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quòd præsentes litteræ, seu illarum exempla ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de urbe, & in acie Campi Floræ affixa omnes ita arctent, & afficiant perinde ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

§. 11. Quodque præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 6. Julij 1616. Pontificatus nostri anno duodecimo.

Ampliatio, & declaratio prohibitionis asserendi Beatam Mariam Virginem conceptam fuisse in peccato originali.

IN Generali Congregatione sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis habita est hæc ampliatio in Palatio Apostolico in monte Quirinali, coram sanctissimo D. N. D. Gregorio divina Providentia Papa XV. ac Illustrissimis, & Reverendissimis Dominis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis. Feria tertia, die 24. Maij, anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi 1622.

SAnctissimus Dominus noster, auditis votis Illustrissimorum & Reverendissimorum Dominorum Cardinalium contra hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum, Decretum aliàs editum à felicis recordationis Paulo V. ejus Prædecessore, tenoris sequentis, videlicet.

Sanctissimus Dominus noster post longam & maturam discussionem, auditis votis Illustrissimorum & Reverendissimorum Dominorum Cardinalium contra hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum, re accuratè, & diligenter perpensa, proinde considerans, quod quamvis in Constitutione felicis recordationis Sixti IV. super conceptione Beatæ Mariæ Virginis pro submovandis inter Christi fideles scandalis, rixis, & contentionibus edita, à sancta Tridentina Synodo innovata, & deinde in alia Constitutione sanctæ memoriæ Pij V. super eadem re, quas similiter Sanctitas sua innovavit cum quibusdam provisionibus, & adjectionibus pœnarum pro efficaciori earum observatione, relinquatur unicuique libera facultas tenendi, & etiam asserendi utramque partem, quod scilicet fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali, dum tamen neutra, veluti erronea, aut hæretica damnetur: nihilominus ex occasione assertionis affirmativæ, in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & actibus publicis, quod eadem Beata Virgo fuerit cum peccato originali concepta oriuntur in populo Christiano cum magna Dei offensa scandala, jurgia, & dissensiones. Propterea volens hujusmodi scandalis ex debito sui muneris providere, decrevit, & præcepit, ac præsentis Decreti virtute mandat, & præcipit omnibus, & singulis cujusvis Ordinis & Instituti Regularibus, & aliis quibusque, tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus personis, cujusvis conditionis, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ quàm sæcularis, etiamsi specialis, specifica, & individua earum esset necessariò mentio facienda, ut imposterum, donec articulus hujusmodi à sancta Sede Apostolica fuerit diffinitus, vel per Sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeat in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & aliis quibuscumqua actibus publicis asserere, quod eadem B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali, contrafacientes autem eadem Sanctitas sua voluit, & declaravit subjacere debere, & subjecit censuris & pœnis contentis in supradictis Constitutionibus suorum Prædecessorum, & suo ipso facto incurrendis. Per hujusmodi tamen provisionem Sanctitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorsus præjudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus de præsenti reperitur, prætetquam quoad suprà disposita. Ulterius sub eisdem censuris, & pœnis mandans, quod negativam opinionem, videlicet, quod non fuerit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis actis asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent. Insuper voluit, & expressè mandavit, ut extra hos casus expressos publicorum actuum, in reliquis omnibus supradictæ Constitutiones firmæ, & illæsæ remaneant, & exactè observentur, perinde ac si præsens decretum non emanasset. Et ita decrevit & mandavit ubique inviolabiliter observari, non obstantibus in hac parte supradictis Constitutionibus, & aliis omnibus in contrarium facientibus, &c.

Hoc suo præsenti Decreto ex eisdem causis evitandi scandala, dissensiones, atque discordias in populo Christiano, quæ pari ratione oriri possunt, & ut accepit, in aliquibus Religionibus jam ortæ sunt ex sermonibus privatis occasione assertionis affirmativæ, extendit, & ampliavit etiam ad privata colloquia & scripta, mandans & præcipiens omnibus, & singulis supradictis, ne de cætero (donec articulus hujusmodi à Sede Apostolica definitus, vel per Sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum) neque etiam in sermonibus, & scriptis privatis audeant asserere, quod eadem Beata Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de opinione affirmativa aliquo modo agere, seu tractare, exceptis tamen quibus à sancta Sede Apostolica fuerit super hoc specialiter indultum. Per hoc tamen Sanctitas sua non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei ullum prorsus præjudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu & terminis in quibus reperitur, præterquam quoad in supradicto felicis recordationis Pauli V. & hoc suo Decreto disposita; eademque Sanctitas sua voluit, & expressè mandavit, ut in reliquis omnibus, ubi hujusmodi Decretis non adversantur, Constitutiones Sixti V. Alexandri VI. Pij V. ac Pauli V. ejus prædecessorum super conceptione Beatæ Virginis firmæ & illibatæ remaneant, ac exactè observentur, perinde ac si hujusmodi decretum non emanasset. Et insuper eadem Sanctitas sua, cùm sancta Romana Ecclesia de Beatissimæ Virginis conceptione festum solemniter, & officium celebrat, omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis, tam sæcularibus, quàm cujusvis ordinis, & instituti Regularibus mandat, ac præcipit, ut in sacrosancto Missæ sacrificio, ac divino officio celebrandis, tam publicè, quàm privatim, non alio quàm conceptionis nomine uti debeant, contravenientes autem Sanctitas sua voluit & declaravit subjacere debere, & subjecit censuris, & pœnis contentis in supradictis Constitutionibus, ac præfato decreto suorum prædecessorum, ipso facto incurrendis. Et ita decrevit, & mandavit ubique inviolabiliter observari, non obstantibus in hac parte Constitutionibus supradictis, decreto præfati Pauli V. consuetudinibus etiam immemorabilibus, necnon omnibus & singulis quæ prædecessores prædicti voluerunt non obstare, & aliis quibuscumque in contrarium facientibus. Volens, & decernens pro observatione, & executione præsentis decreti, & omnium in eo contentorum, quod contra hujusmodi transgressores etiam regulares cujusvis Ordinis & instituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias quascumque Ecclesiasticas personas, cujuscumque status, conditionis, gradus, ordinis, aut dignitatis,

tam

tam Ecclesiasticæ, quàm sæcularis, tam Episcopi, & Prælati Superiores, aliique Ordinarii locorum, quàm hæreticæ pravitatis ubique locorum deputati Inquisitores procedant, & in eos severè animadvertant, tribuens eis, & eorum cuilibet liberam facultatem, & auctoritatem contra eosdem transgressores procedendi, ac pœnis coërcendi, & puniendi. Voluit demùm ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, quod præsens Decretum, seu illius exempla ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de urbe, & in acie Campi Floræ affixa omnes ita arctent & afficiant perinde ac si unicuique personaliter intimata fuissent, quodque præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Andreas de Pectinis, Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Notarius.

Revocatio quarumcunque Concessionum vivæ vocis oraculo factarum, exceptis oraculis factis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & eorum manu firmatis.

GREGORIUS PAPA DECIMUSQUINTUS, ad perpetuam rei memoriam.



ROMANUS Pont. in specula militantis Ecclesiæ divina providentia constitutus gratias & indulta à se, & Prædecessoribus suis concessa justis interdum suadentibus causis juxta creditum sibi Pastoralis officii debitum moderatur, aut revocat prout rerum, & temporum qualitatibus debitè pensatis conspicit in Domino salubriter expedire. Itaque motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine omnia & singula indulta, facultates, privilegia, gratias & concessiones quascumque spirituales, & Ecclesiasticas, tam ad forum internum, quàm ad externum spectantes, ac tam ad supplicationem partium, quàm motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus à Sede Apostolica, quæ tamen vivæ vocis oraculo hactenus quandocunque, & qualitercunque ex quavis etiam de necessitate exprimenda causa quibusvis Collegiis, Capitulis, Ordinibus, tam mendicantium, quàm non mendicantium, Societatibus, etiam Societatis Jesu, ac Congregationibus quibuslibet, sive eorum & earum respectivè Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, Generalibus, vel Provincialibus quocunque nomine nuncupatis, Superioribus etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi prædictæ immediatè subjectis, cujuscunque dignitatis, præeminentiæ, aut quovis privilegio munitis, non tamen ad supplicationem Regum concessas, in iis videlicet, quæ non sunt sortita effectum, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac revocata, cassa, sublata, abrogata, & annullata, viribusque, & effectu vacua perpetuò fore & esse, neque in posterum cuiquam suffragari posse, vel debere, neque aliquam iis de cætero vim ullo modo inesse, etiamsi expressa, & specifica mentio etiam de verbo ad verbum de iis facienda esset, decernimus, & declaramus; firmis tamen & in suo robore permansuris omnibus indultis, & aliis concessionibus prædictis vivæ vocis oraculo sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ad ipsorum vel aliorum quorumcunque favorem propria Sanctæ R. E. Cardinalium manu firmatis, pro ipsis, vel aliis factis, & de quibus iidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales testimonium in scriptis præbuerunt. Decernentes præsentes litteras & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo quod quicunque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu alio quocunque defectu notari, impugnari, redargui, vel in controversiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adversus illas quodcunque juris, gratiæ, vel aliud remedium impetrare nullatenus posse, sed illas semper validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, sicque per quoscunque judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos & Nuncios (sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate) judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus prædictis, eorumque Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, & aliis Superioribus prædictis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibus & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes (illisque aliàs in suo robore permansuris) hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem ut præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur in Judicio, & extra illud, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ: quodque eædem præsentes litteræ, seu illarum exempla ad valvas Basilicarum sanct. Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de urbe, & in acie Campi Floræ affixæ omnes ita arctent, & affi-

ciant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 2. Julii 1622. Pontificatus nostri anno 2.

S. Card. S. Susannæ.

Extensio Constitutionis rec. memor. Gregorii Papæ Decimiquinti, revocatoriæ concessionum vivæ vocis oraculo factarum.

VRBANVS PAPA OCTAVVS.
Ad perpetuam rei memoriam.



LIAS felicis recordationis Gregorius Papa Decimusquintus Prædecessor noster, ut subnascentibus jugiter variis difficultatibus, & abusibus ex privilegiis à Sede Apostolica vivæ vocis oraculo sæpè numero concessis obviam iret, Constitutionem edidit tenoris subsequentis, videlicet.

Gregorius Papa Decimusquintus. Ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex in specula militantis Ecclesiæ divina providentia constitutus gratias, & indulta à se, & prædecessoribus suis concessa justis interdum suadentibus causis juxta creditum sibi Pastoralis officii debitum moderatur, aut revocat prout rerum, & temporum qualitatibus debitè pensatis conspicit in Domino salubriter expedire. Itaque Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine omnia, & singula indulta, facultates, Privilegia, gratias, & concessiones quascunque spirituales, & Ecclesiasticas, tam ad forum interius, quàm ad exterius spectantes, ac tam ad supplicationem partium, quàm motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus à Sede Apostolica, quæ tamen vivæ vocis oraculo hactenus quandocunque, & qualitercunque, ex quavis etiam de necessitate exprimenda causa, quibusvis Collegiis, Capitulis, Ordinibus tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Societatibus, etiam Societati Jesu, ac Congregationibus quibuslibet, sive eorum, & earum respectivè Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, Generalibus, vel Provincialibus quocunque nomine nuncupatis, Superioribus etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi prædictæ immediatè subjectis, cujuscunque dignitatis, præeminentiæ, aut quovis privilegio munitis, non tamen ad supplicationem Regum concessa, in iis videlicet, quæ non sunt sortita effectum, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac revocata, cassata, sublata, abrogata, & annullata, viribusque, & effectu vacua perpetuò fore, & esse, neque in posterum cuiquam suffragari posse, etiamsi expressa, & specifica mentio, etiam de verbo ad verbum de iis facienda esset, decernimus, & declaramus; firmis tamen, & in suo robore permansuris omnibus indultis, & aliis concessionibus prædictis vivæ vocis oraculo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus ad ipsorum vel aliorum quorumcunque favorem propria Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium manu firmatis, pro ipsis vel aliis factis, de quibus iidem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales testimonium in scriptis præbuerint: decernentes præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo quod quicunque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu alio quocunque defectu notari, impugnari, redargui, in jus, vel in controversiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adversus illas quodcunque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicque per quoscunque judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales de latere Legatos, & Nuncios (sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate) judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus prædictis, eorumque Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, & aliis Superioribus prædictis, sub quibuscunque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere vel in specie, & aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes (illisque aliàs in suo robore permansuris) hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extra illud, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Quodque eædem præsentes litteræ, seu illarum exempla ad valvas Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixæ omnes ita arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

Datum

Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem, sub annulo Piscatoris, die secunda Julii 1621. Pontificatus nostri anno 1.

S. Cardinalis Sanctæ Susannæ.

CVm autem experientia rerum magistra compertum sit concessiones & gratias vivæ vocis oraculo etiam à S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus obtentas, & ipsorum manu firmatas, sæpè ab his in quorum favorem emanarunt, minùs canonica interpretatione extendi, & perperam in disciplinæ Ecclesiasticæ detrimentum executioni demandari. Idcirco quàntum cum Domino possumus his, & aliis malis occurrere volentes. Motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, & de consilio nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, quibus negotium hujusmodi maturè discutiendum commisimus, omnia, & singula privilegia, facultates, licentias, & gratias quascunque per Summos Pontifices prædecessores nostros, ac per nos vivæ vocis oraculo, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ prædictæ Cardinalium quorumcunque manu firmata, quibuscunque Generalibus, cæterisque Superioribus, & personis cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, sive sæcularibus, sive Regularibus, vel etiam ipsis Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Societatis Jesu, aut Clericis, seu Presbyteris, aliisque personis prædictis quacunque de causa etiam de necessitate exprimenda, occasione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, contemplatione, seu ad instantiam Imperatoris, Regum, Principum quorumcunque; aut aliàs quomodolibet concessa, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, ac de cætero revocata, cassata, sublata, abrogata, & annullata, viribusque, & effectu vacua esse, & fore, nullisque prorsus deinceps suffragari posse, nec debere declaramus. Præterea, ut præsentes litteræ omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, quanto citius innotescant, omnibus, & singulis generalibus, & aliis quocunque nomine nuncupatis Superioribus quorumcunque Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Jesu, & institutorum, sub excommunicationis, ac privationis Officiorum, & dignitatum, necnon vocis activæ, & passivæ pœnis ipso facto incurrendis præcipimus, & mandamus, ut infra tres menses proximos à die publicationis præsentium computandos, omnes, & singulos Provinciales eorumdem suorum Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Jesu, & Institutorum de eisdem præsentibus litteris certiores faciant, earumdemque præsentium exemplaria illis transmittant, qui quidem Provinciales sub eisdem pœnis teneantur singulis Superioribus Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, domorum, & locorum Regularium præcipere, ut easdem præsentes subditis suis, ut moris est, publicent. Decernentes præsentes litteras etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, vel habere prætendentes, ad hoc vocati, & audiri non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, in jus vel controversiam revocari, aut ad viam & terminos juris reduci, sive adversus illas quodcunque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse; sed illas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; sicque per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores (sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate) judicari & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præinsertis litteris hujusmodi, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit, etiam regula nostra de non tollendo jure quæsito, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis eisdem Cardinalibus, & Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, eorumque Superioribus quocumque nomine nuncupatis, sub quibuscunque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alio expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ: quodque eædem præsentes litteræ, sive illarum exempla ad valvas Basilicarum prædictarum, & in acie campi Floræ hujusmodi similiter affixa, omnes quos concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimata fuissent. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 20. Decembris 1631. Pontificatus nostri anno nono.

M. Antonius Maraldus.

DIe & anno supradictis affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum, ac in acie Campi Floræ, aliisque locis solitis, & consuetis, ut moris est, per me Andream Scalmanum Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursorem.

Revocatio

Revocatio licentiarum quarumcunque legendi, & habendi libros prohibitos.

URBANUS PAPA OCTAVUS,
ad perpetuam rei memoriam.


POSTOLATUS officium nobis, nullo licet meritorum suffragio, divina providentia commissum postulat, ut ad ea vigilantiæ nostræ partes propensius intendamus, per quæ Religio Catholica, ubi divinâ gratiâ illæsa viget, conservetur, & ubi restitutione indiget, reparetur.

§. 1. Quapropter cum librorum prohibitorum lectio magno sinceræ fidei cultoribus detrimento esse noscatur, & sicut accepimus, nimis excessiva sit hujusmodi libros legendi licentiarum copia. Nos ut huic malo maturè occurratur, & in posterum quàm cautissimè licentiæ hujusmodi concedantur, quantum cum Domino possumus providere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine omnes, & singulas licentias legendi, & habendi libros quoscumque ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, seu per constitut. Apostolicas etiam ratione Astrologiæ judiciariæ, vel aliàs quomodolibet prohibitos, quibuscunque personis laïcis, & Ecclesiasticis, tam sæcularibus quàm Regularibus cujuscunque ordinis, societatis, & instituti existentibus, ac quacunque dignitate, etiam Ecclesiastica fulgentibus, cujuscunque status, gradus, conditionis, qualitatis, & præeminentiæ, etiam speciali nota, & mentione dignis, ac per litteras Apostolicas ad tempus, seu ad vitam, & aliter quomodocunque ex quacunque causa, tam in forma, quàm aliter quomodocunque à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, seu à quibuscunque aliis à nobis, vel ab eis facultatem, & authoritatem habentibus, non tamen à nobismetipsis per litteras Apostolicas etiam in forma brevis, seu chirographum manu nostra signatum concessas, earum tenores præsentibus pro expressis, & insertis habentes, hac nostra perpetuò valitura constitutione revocamus, cassamus, & annullamus, ac pro revocatis, cassatis, & annullatis haberi volumus, nullique suffragari.

§. 2. Quinimò libros per licentias hujusmodi permissos legentes, aut habentes, pœnas in Sacris Canonibus, constitutionibus Apostolicis, & indicibus librorum prohibitorum contentas incurrere volumus, & declaramus.

§. 3. Decernentes, ut præsentes litteræ postquam in valvis Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ, necnon acie campi Floræ affixæ fuerint, infra duos citra montes, ultra verò montes infra quatuor menses ex tunc proximos, omnes, & singulos ad quos spectat, arctent, & afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent; quodque dictis duobus, & respectivè quatuor mensibus durantibus, qui libros prohibitos hujusmodi habuerint, eos ad Episcopum seu Inquisitorem, qui illos quanto citiùs comburere debeat, deferre; quique aliquos similes libros prohibitos habere sciverit, eos denunciare teneantur, neque de cætero similes licentiæ nisi in Congregatione Sancti Officii, dum singulis hebdomadis coram nobis habetur, vel ab aliis per nos etiam in eadem Sacra Congregatione specialiter deputandis concedantur.

§. 4. Ac quod earundem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die secunda Aprilis Anni millesimi sexcentesimi trigesimi primi, Pontificatus nostri anno octavo.

Diffinitio quoad imagines nondum à Sede Apostolica Canonizatorum, vel Beatificatorum, cum radiis, splendoribus, & laureolis proponendas, vel tabellas, & luminaria ad eorum sepulchra apponenda, & cum attestationibus desuper praponendis, recipienda, & asservanda, sive eorum miracula in imprimendis libris enarranda.

Feria quinta, die 13. Martii, anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi 1625.


ANCTISSIMUS Dominus noster sollicitè animadvertens abusus, qui irrepserunt, & quotidie irrepere non cessant in colendis quibusdam, cum Sanctitatis aut Martyrii fama, vel opinione defunctis, qui etsi neque canonizationis, neque Beatificationis honore insigniti sint ab Apostolica Sede, eorum tamen imagines in Oratoriis, atque Ecclesiis, aliisque locis publicis, ac privatis cum laureolis, aut radiis ac splendoribus proponuntur, miracula, & revelationes, aliaque beneficia à Deo per eorum intercessiones accepta in libris rerum quæ ab ipsis narrantur, & ad illorum sepulcra tabellæ, imagines, & res aliæ ad beneficia accepta testificanda, & lampades, & alia lumina apponuntur. Volentesque proinde hujusmodi abusibus pro debito Officii Pastoralis occurrere (re etiam cum Illustrissimis, & Reverendiss. Dominis D. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem in universa Republica Christiana generalibus Inquisitoribus communicata & maturè considerata ac discussa) declaravit, statuit, & decrevit, ne quorumvis hominum cum Sanctitatis, seu martyrii fama (quantacunque illa sit) defunctorum imagines, aliaque prædicta, & quodcunque aliud venerationem, & cultum præseferens

ferens & indicans in Oratoriis, aut locis publicis, seu privatis, vel Ecclesiis, tam sæcularibus, quàm regularibus cujuscunque Religionis, Ordinis, vel Instituti, Congregationis, aut Societatis apponantur, antequam ab Apostolica Sede Canonizentur, aut Beati declarentur, & si quæ appositæ sunt, removeantur, prout eas statim amoveri mandavit.

Ac pariter imprimi de cætero inhibuit libros eorumdem hominum, qui Sanctitatis, sive Martyrii fama, vel opinione (ut prætertur) celebres è vita migraverint, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcunque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarii, qui in iis recognoscendis Theologos, aliosque pios, ac doctos viros in consilium adhibeat, & ne deinde fraus aut error, ac aliquid novum, aut inordinatum in re tam gravi committatur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittat, ejusque responsum expectet: revelationes verò, & miracula, aliaque beneficia supradicta quæ in libris horum hominum vitam, & gesta continentibus, hactenus sine recognitione atque approbatione hujusmodi impressa sunt, nullo modo approbata censeri vult, mandatque Sua Sanctitas.

Ad horum hominum sepulchra vetuit etiam ac inhibuit tabellas, atque imagines ex ære, aut argento, seu ex alia quacunque materia, tam pictas, quàm fictas atque exsculptas appendi, seu affigi, & lampades, sive alia quæcunque lumina accendi sine recognitione ab Ordinario omninò, prout suprà, facienda, Sedique Apostolicæ referenda, ac approbanda.

Declarans, quod per suprascripta præjudicare in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii coluntur.

Ut autem præmissa diligentiùs observentur, universis, & singulis, tam Ordinariis, quàm hæreticæ pravitatis Inquisitoribus districtè præcipit, ut in sua quisque Diœcesi, vel Provincia sedulò pervigilet, ne sine approbationibus prædictis imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, revelationes, ac beneficia prædicta publicentur; aliave contra disposita, ut suprà, fiant: Transgressores verò, si Regulares fuerint, privationis suorum officiorum, ac vocis activæ, & passivæ, necnon & suspensionis à divinis, & ab administratione Sacramentorum, exequutioneque suorum Ordinum respectivè, aliisque arbitrio prædictorum Ordinariorum, seu Inquisitorum pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo. Qui autem libros impresserint, aut imagines pinxerint, sculpserint, seu quoquo modo effixerint, vel formaverint, cæterique artifices circa præmissa qualitercunque delinquentes, prædicta omnia amittant, & insuper pecuniariis, aliisque etiam corporalibus pœnis juxta criminis gravitatem, eorundem Ordinariorum, seu Inquisitorum arbitrio afficiantur. Contrariis quibuscunque non obstantibus.

Et ne præmissorum ignorantia possit ab aliquo prætendi, voluit ut decretum hujusmodi, seu illius exemplum ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum urbis, ac in acie campi Floræ affixum omnes perinde arctet, atque afficiat, ac si unicuique personaliter intimatum fuisset, quodque præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, ac sigillo alicujus personæ in Ecclasiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Postmodùm verò idem Sanctissimus Dominus noster à quibusdam revocari in dubium accepit, an tabellas, & imagines quas in posterum offerri contigerit, recipere, & antea oblatas conservare liceret. Sanctitas sua, quæ tantummodo voluit, occurrendo abusibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum Sanctimoniam divinæ Clementiæ placuerit admirandis operibus illustrare; re prius cum Illustr. & Rever. Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus communicata, præsenti decreto declaravit, quod sicut nunquam prohibuit, nec suæ intentionis fuit prohibere oblationem, receptionemque tabellarum, & imaginum hujusmodi, itaut nulli deinceps hæsitationi locus relinquatur, statuit in præsentiarum & decernit, ut quoties ad aliquam Ecclesiam aut oratorium, locumve alium publicum sæcularem, seu regularem tabellas, & imagines, aliudve simile quispiam detulerit, ac intercessione hominum inter Sanctos, vel Beatos non adscriptorum, quamvis cum martyrii, vel sanctitatis fama demortuorum, optata se impetravisse dixerit, liceat Ecclesiasticis personis Ecclesiarum, locorumve prædictorum curæ præpositis tabellas, & imagines, sive pictas, sive ex quavis materia factas, atque alia quæcunque collatæ gratiæ fidem facientia simul cum deferentis, aliorumque, qui conscii fuerint, attestationibus recipere, atque approbantibus Ordinariis, ad quos referre statim omnia teneantur, in secreto aliquo seorsum ab Ecclesia loco custodire, ibidemque jam amota collocare, & asservare, ut si quando Dominus talium virorum merita Beatificationis, seu Canonizationis honore in terris decorare voluerit, extent hujusmodi sanctitatis qualescunque probationes Apostolicæ Sedis judicio tunc examinandæ, contrariis quibuscunque non obstantibus.

Prohibitio ne degentes in statu Ecclesiastico mediatè, vel immediatè Sedi Apostolicæ subjecto libros ab eis ubicunque compositos de quacunque materia tractantes, absque Cardinalis Vicarii, & Magistri Sacri Palatii in urbe, & extra eam absque Ordinarii, & Inquisitoris loci licentia deferant, aut imprimendos transmittant.

Feria 5. die 12. Septembris 1625.

IN Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico montis Quirinalis coram Sanctissimo Domino nostro Domino Urbano divina providentia Papa octavo, ac Illustr. & Rever. Dominis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus generalibus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus Dominus noster pro debito sui Pastoralis officii corrigere volens abusus nonnullorum in statu Sedi Apostolicæ mediatè, & immediatè subjecto existentium, qui libros à se compositos extra præfatum statum absque ulla Ordinariorum, & Inquisitorum loci ubi degunt, approbatione imprimendos transmittunt, statuit, & decrevit, ut in posterum nemo in statu prædicto degens, cujusvis conditionis, gradus, ordinis, & dignitatis existat, libros de quavis materia tractantes, & ubicunque compositos audeat aliò deferre, vel mittere imprimendos sine expressa in scriptis approbatione Illustrissimi & Reverendissimi Domini Cardinalis Sanctissimi Domini nostri Vicarii, & Magistri Sacri Palatii, si in urbe; si verò extra urbem existat, sine Ordinarii, & Inquisitoris loci illius, sive ab iis deputatorum facultate, & licentia operi præfigenda: libros autem, quos contra præsentis decreti tenorem imprimi contigerit, præter alias pœnas arbitrio suæ Sanctitatis infligendas absque alia declaratione ex nunc prohibet, & pro expressè prohibitis haberi vult, & mandat. Contrariis quibuscumque non obstantibus, &c.

Joannes Antonius Thomasius, Sacræ Romanæ & Universalis
Inquisitionis Notarius.

Sanctissimi Domini nostri Domini Urbani Papæ VIII. declaratio, quod Constitutiones Apostolicæ in concernentibus fidem Catholicam, & S. Inquisitionis Officium hactenus editæ, & in posterum etiam super quacunque alia re edendæ, omnes Regulares quomodolibet privilegiatos comprehendant, nisi illi in edendis specialiter excipiantur.

VRBANVS PAPA OCTAVVS.
Ad perpetuam rei memoriam.



CVm sicut accepimus, Sancti Benedicti, Cisterciensis, Præmonstratensis, Sancti Antonii Viennensis, Societatis Jesu, ac aliorum forsan Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum Regularium Professores, vigore, seu prætextu Privilegiorum, & Indultorum sibi, dictisque Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis ab hac Sede Apostolica, tam per viam meræ concessionis, quàm communicationis etiam motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam consistorialiter concessorum in Constitutionibus generalibus à Nobis & dicta Sede hactenus editis, & de cætero edendis se minimè comprehendi prætendant, nisi de eis specialis, specifica, individua, & expressa mentio fiat.

§. 1. Nos, qui inter gravissimas, multiplicesque Apostolatus nostri curas in eam præcipuo, ac peculiari studio jugiter incumbimus, ut extirpatis hæreticarum pravitatum erroribus Catholica fides ubique gentium conservetur, & propagetur, ambiguitates, & dubia de medio tollere, & opportunæ dispositionis ministerio providere volentes, ut tot, tantæque Constitutiones generales à nobis, & hac sancta Sede, & præsertim ad favorem fidei Catholicæ, illiusque propagationem, & officii sanctæ Inquisitionis contra hæreticam pravitatem editæ, & de cætero edendæ, sublatis quibuslibet exceptionibus, subterfugiis, & impedimentis ad majorem Dei gloriam, sanctæque Matris Ecclesiæ exaltationem, debitum, ut par est, sortiantur effectum, necnon quorumcunque privilegiorum, gratiarum, & indultorum, dictis Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam quantumlibet extraordinariis, & cautelis quomodolibet, & ex quacunque causa concessorum, etiamsi in corpore juris clausa sint, tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in eis tradita observata, inserti forent, eisdem præsentibus pro expressis habentes. Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine statuimus.

§. 2. Quod quævis generales Constitutiones, dispositiones, & ordinationes Apostolicæ per nos & quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores nostros in concernentibus fidem Catholicam, illiusque propagationem, & sanctæ Inquisitionis officium præfatum, præsertim quoad ea, quæ in Congregationibus sancti Officii, & de propaganda fide coram nobis tractari solent, hactenus editæ, omnes, & singulos, tam S. Benedicti, Cisterciensis, Præmonstratensis, S. Antonii Viennensis, & Societatis Jesu præfatorum, quàm quorumcunque aliorum Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum Professores omnino comprehendant, perinde ac si præfati, & alii quantumlibet privilegiati in eis nominatim expressi fuissent; edendæ verò in posterum per nos, & Romanos Pontifices Successores nostros, tam in favorem præfatæ fidei Catholicæ, illiusque propagationis, & sancti Officii Inquisitionis præfati, quàm super quacumque alia re, negotio, seu materia, Constitutiones, & Ordinationes hujusmodi similiter omninò comprehendant præfatos eorumdem Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum professores, nisi in edendis Constitutionibus hujusmodi specialiter, & expressè excipiantur, etiamsi ipsi privilegiati forent magis speciali nota, & expressione digni, eisque privilegia, gratiæ & indulta à Sede Apostolica præfata, etiam sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, ac irritantibus & aliis decretis, & motu, scientia, ac de potestatis plenitudine similibus, & consistorialiter, etiam contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, & aliorum Principum, tam per viam meræ concessionis, quàm communicationis, & aliàs quomodolibet concessa respectivè sint, quorum, seu quarum vigore, vel prætextu sint excepti, seu minimè comprehendi prætendant in Constitutionibus generalibus, vel aliis non facientibus plenam & expressam eorum mentionem.

§. 3. Præsentes verò litteras, omniaque, & singula in eis contenta, etiam ex eo quod Ordinum, Congregationum

gationum, Societatum, & Institutorum hujusmodi Professores, vel alii quicunque in præmissis interesse habentes, seu quomodolibet habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi, ac causæ propter quas eædem præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, seu aliàs justificatæ non fuerint, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quovis, etiam quantumvis substantiali defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, aut aliud quodcunque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari nullatenus posse, neque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi.

§. 4. Sed semper ab illis exceptas, semperque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & itaque Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§. 5. Non obstantibus regula nostra de jure quæsito non tollendo, ac quibusvis aliis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon tam sancti Benedicti, Cisterciensis, Præmonstratensis, sancti Antonii Viennensis, & Societatis Jesu præfatorum, quàm quorumcunque aliorum Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, & privilegiis, necnon præfatis, & quibusvis aliis privilegiis, indultis & litteris Apostolicis, etiam Mare magnum, & aliàs quomodolibet nuncupatis, eisdem Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, eorumque Superioribus, bonis, rebus, monasteriis, locis regularibus & personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 6. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ: quodque eædem præsentes litteræ, seu illarum exempla ad valvas Basilicarum sancti Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de urbe, & in acie Campi Floræ affixa omnes ita arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimata fuissent.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 5. Novembris 1631. Pontificatus nostri anno 9.

M. A. Maraldus.

Sequuntur Decreta, & aliæ Constitutiones ad Sanctum Officium spectantes.

De Judæorum flagitiis, in qua pravitatis hæreticæ Inquisitores animadvertere possunt.

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, ad perpetuam rei memoriam.



ANTIQUA Judæorum improbitas, qua divinæ bonitati semper restiterunt, tantò execrabilios consistit in filiis, quanto ipsi ad cumulandum Patrum suorum mensuram in Dei filio repudiando, in ejusque mortem nefariè conspirando, graviùs deliquerunt, qui propterea suis effecti majoribus nequiores, propriis sedibus expulsi, atque in omnes dispersi Orbis terrarum regiones, servituríque perpetuæ mancipati, non majorem in cujusquam ditione clementiam, quàm in Christianorum Provinciis, maximè verò in Apostolicæ pietatis gremio invenerunt; quæ pro eorum conversione laborans eos misericorditer excepit, atque in cohabitatione unà cum filiis suis sustinuit, ac veritatis lumen adjicere pio semper studio conata est, rebusque ad vitam necessariis juvit, injuriis, & contumeliis prohibuit, multis denique beneficentiæ suæ privilegiis circummunivit. Illi verò nullis beneficiis mansuefacti, nihilque de suo pristino fœdere remittentes, Dominum nostrum Jesum Christum in Cœlo triumphantem adhuc in Synagogis suis, & ubique persequuntur. Christi quoque membris infensissimi non desinunt in Religionem Christianam horrenda facinora quotidie magis audere.

§. 1. Quibus nos, ne pietatis nostræ puritas polluatur, aut à fœdis mancipiis Christo, Christianorumve nomini impunè illudatur, obviate volentes statuimus, ac etiam declaramus Inquisitores hæreticæ pravitatis liberè procedere posse in omnibus causis, & casibus qui sequuntur.

§. 2. Si quis Judæus, aut infidelis in iis, quæ circa fidem cum illis nobis sunt communia, veluti Deum unum,

num, & æternum, omnipotentem, Creatorem omnium, visibilium, & invisibilium, & similia non esse asseruerit, prædicaverit, vel privatim alicui insinuaverit.

§. 3. Si Dæmones invocaverit, consulueritve, aut eorum responsa acceperit, ad illosve sacrificia, aut preces ob divinationem, aliamve causam direxerit, aut quid eis immolaverit, vel thuris, alteriusve rei fumigationes obtulerit, aut alia quævis impietatis obsequia præstiterit.

§. 4. Si Christianos verbo, facto, vel exemplo, aut alio quovis modo nefaria hujusmodi docuerit, vel ad ea perpetranda perduxerit, aut perducere attentaverit.

§. 5. Si Salvatorem, & Dominum nostrum Jesum Christum purum hominem, vel etiam peccatorem fuisse, Matremve Dei non esse Virginem, & alias hujusmodi blasphemias, quæ per se hæreticæ dici solent, in Christianæ fidei ignominiam, contemptum, aut corruptionem impiè protulerit.

§. 6. Si cujusvis eorum opera, auxilio, consilio, vel favore aliquis Christianus à fide desciverit, quamque semel susceperat abnegaverit, vel ad Judæorum, seu aliorum infidelium ritus, ceremonias, superstitiones, vel impias sectas transierit, vel redierit, seu in hæresim aliquam inciderit, aut qui ut Christ. fidem abneget, seu in hæresim incidat, opem, consilium, auxilium, vel favorem quomodocunque præstiterit.

§. 7. Si quis Catechumenum, vel quemcunque ex Judæis aut infidelibus Deo inspirante ad fidem Christianam venire volentem, post declaratam moru, verbo, facto, aut quocunque alio modo ejus voluntatem, à fide, vel fidei institutione, aut à sacri Baptismi susceptione retrahere, avertere, vel dehortari, aut ne ad fidem veniat, neve regenerationis lavacro abluatur, quovis modo impediverit.

§. 8. Si quis apostatas, hæreticosque scienter domi suæ receptaverit, aluerit, commeatu juverit, seu quovis modo eis cibaria ubicunque præbuerit, aut dona, vel munera dederit, vel miserit, aut de loco ad locum deduxerit seu associaverit, vel deducendos, seu associandos curaverit, aut sumptus ministraverit, vel ne ab eis perpetrata deprehendi, aut investigari queant, fecerit, quique dictos apostatas, aut hæreticos scienter aliquo modo receptaverit, occultaverit, defenderit, aut eis opem, consilium, auxilium, vel favorem quomodolibet præstiterit.

§. 9. Si libros hæreticos, vel Thalmudicos, aut alios Judaïcos quomodolibet damnatos, aut aliàs prohibitos tenuerit, custodierit, vel divulgaverit, vel in quæcunque loca detulerit, aut ad eam rem operam suam accommodaverit.

§. 10. Si Christianos deriserit, redemptionisque nostræ hostiam salutarem in ara Crucis immolatam Christum Dominum ludibrio, & despectui habens quandocunque, maximè verò in sacro Parasceves die, agnum sive ovem, haud quid aliud cruci affixerit, aut appenderit, in eamve conspuerit, seu quodcunque contra ipsam fecerit.

§. 11. Si nutrices Christianas contra sacrorum Canonum statuta, diversorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum sanctiones adhuc tenuerit, aut eas retinens die qua sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sum pserint, lac uno vel pluribus diebus in latrinas, vel cloacas, vel alia loca effundere coëgerit.

§. 12. In quibus casibus universis & singulis omnes prædictæ pravitatis Inquisitores omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & locorum universi Orbis Christiani Judices in his quique locis perpetuò delegamus, ut super his contra Judæos, atque Infideles quoscunque simul, vel separatim, prout in causis fidei juxta sacrorum Canonum formam, necnon Officii Inquisitionis hujusmodi Constitutiones diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo, vel aliquibus horum flagitiorum excessibus culpabiles repererint, in eos pro culpæ modo, ac etiam pro criminum numero, vel multiplicatione, aut consuetudine delinquendi flagra, remigiaque, etiam perpetua, rerum quoque publicationes, exilia, atque atrociora decernant, & alia de eis exempla edant, quæ sceleratos illos deterreant ab hujusmodi flagitiis in posterum admittendis.

§. 13. Nos enim venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Inquisitoribus Generalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Prælatis, ac etiam aliis prædictis Inquisitoribus in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipimus, ut præsentes nostras in Civitatibus, & locis cuique subjectis publicare, & juxta illarum tenorem procedere, illasque debitæ executioni mandare procurent.

§. 14. Decernentes irritum, & inane quicquid secus per quoscunque, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 15. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon exemptionibus, privilegiis, immunitatibus, commeatibus, in fidem publicam receptionibus, & tolerantiis prædictis Judæis, & aliis infidelibus, maranis, & apostatis, tam in dominiis, terris, & locis nostris, & Sedi Apostolicæ mediatè, vel immediatè subjectis, quàm alibi ubicunque Regnorum, Provinciarum, & dominiorum, gentium, & locorum commorantibus, vel in ea ex quibusvis Regnis, & partibus, tam fidelium, quam infidelium confluentibus, eorumque Judicibus, Advocatis, & defensoribus quacunque auctoritate, potestate, & dignitate fungantur, etiam ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum, & quorumvis aliorum Principum, tam per fel. record. Paulum III. 10. Kalendas Martii, & Julium etiam III. 9. Decembris, tertio anno cujusque Pontificatus, quàm etiam per quoscunque alios anteriores, & posteriores, ac nos & Sedem Apostolicam, ejusque Legatos, ac etiam Cameram Apostolicam, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis etiam motu proprio, & aliàs quomodolibet hactenus concessis, confirmatis, & innovatis, atque in posterum concedendis, confirmandis, & innovandis: quæ omnia, etiamsi de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua mentio, aut aliqua alia forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si ad verbum insererentur præsentibus pro plenè expressis habentes, harum serie specialiter, & expressè revocamus, abrogamus, & omninò abolemus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 16. Volumus autem præsentes in locis urbis consuetis de more publicari, & earum exemplis impressis manu Notarii publici, & sigillo sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis, vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eandem prorsus fidem ubique, tam in Judicio, quàm extra illud adhiberi, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1581. Kalendis Junii, Pontificatus nostri anno 10.

Anno

Anno à nativitate Domini 1581. indictione 9. die verò 10. mensis Junii, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Gregorii divina providentia Papæ XIII. anno 10. retroscriptæ litteræ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ sancti Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum de urbe, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, ac etiam ad valvas septi Hebræorum per nos Petrum Aloysium Gaytam, & Nicolaum Taglietum Apostolicos Cursores.

Antonius Ludovicus Magister Cursorum.

Contra Hebræos tenentes legentesque libros Thalmud, & alios hactenus damnatos, aut blasphemias, & contumelias in Deum & Sanctos continentes.

CLEMENS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, ad perpetuam rei memoriam.



VM Hebræorum malitia novas in dies excogitet fraudes, quibus perniciosa volumina, librosque impios, ac planè detestabiles, tum antiquitus damnatos, tam recèns conscriptos in vulgus proferat.

§. 1. Nos, & ipsis exitiale, & Christiano populo periculosum rati hanc eorum nequitiam conniventibus oculis tolerare, ac pro nostro Pastorali officio opportunum huic malo remedium adhibere volentes, adducti exemplo complurium Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, præsertim fel. rec. Gregorii IX. Innocentii IV. Clementis IV. Honorii IV. Joannis XXII. Julii III. & Gregorii XIII. qui sæpius impium illud Thalmud nuncupatum, & alia similia reprobata, & detestanda scripta, & volumina damnarunt & retineri prohibuerunt, seu aliàs ex Christiani orbis Provinciis, & Regnis pro zelo exterminarunt, omnes, & singulas eorundem Prædecessorum super hoc editas litteras, quarum tenores præsentibus volumus pro expressis haberi, harum serie approbantes, & innovantes.

§. 2. Atque illis hæc addentes, omnibus, & quibuscunque universitatibus Hebræorum eorumque singulis tam in temporali sanctæ Romanæ Ecclesiæ ditione, quàm etiam extra eam ubivis locorum & in quibusvis Christiani Orbis partibus constitutis perpetuò prohibemus, ne quosvis libros & Codices impios Thalmudicos sæpè damnatos, Cabalisticos atque alios nefarios à prædecessoribus nostris prohibitos & condemnatos, necnon opera, commentaria, tractatus, volumina & scripta quæcumque, tam lingua Hebraica, quàm quavis alia hactenus conscripta, aut versa, edita, & impressa, ac in posterum conscribenda, aut vertenda, edenda, vel imprimenda, continentia, seu continentes tacitè, vel expressè hæreses, vel errores contra sacras veteris legis, & testamenti scripturas, necnon contumelias, impietates, blasphemias contra Deum, sanctissimam Trinitatem, & Salvatorem Dominum nostrum Jesum Christum, ejusque sanctam Christianam fidem, ac Beatissimam ipsius Genitricem semper Virginem Mariam, & Beatos Angelos, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, aliosve sanctos Dei, sacratissimam Crucem, Sacramenta novæ legis, sacras Imagines, & sanctam Catholicam Ecclesiam, & Sedem Apostolicam, ac contra Christi fideles, præsertim Episcopos, Sacerdotes, & alias Ecclesiasticas personas, atque etiam contra nuper ad ejusdem Christi fidem conversos, ac neophytos, & aliàs contra Religionem Catholicam, vel in quibus etiam impudicæ, & obscœnæ narrationes memorantur, etiam sub prætextu quod expurgata fuerint mutatis nominibus, vel etiam sub obtentu, seu tolerantia, aut permissione, ut prætendant, cujusvis personæ sacri Concilii Tridentini, aut Indicis librorum prohibitorum per rec. mem. Pium Papam IV. Prædecessorem nostrum editi, vel cujusvis indulti, aut licentiæ per sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam Legatos, aut Camerarium seu Cameram Apostolicam vel Nuncios, etiam cum potestate Legati de latere, aut locorum Ordinarios seu Inquisitores hæreticæ pravitatis forsan quomodolibet concessæ, aut quovis alio quæsito colore legere, habere vel retinere, emere, vel vendere, aut vulgare nullo modo audeant vel præsumant.

§. 3. Omnes verò, & quascunque facultates, litteras, permissiones, indulta, tolerantias legendi, tenendi etiam ad tempus certum, vel incertum, vel ad effectus prædictos, & sub similibus vel aliis prætextibus quæcunque, ut præfertur, prohibita scripta, volumina, libros, & alia supradicta quibusvis Judæis, in genere, vel in specie à Prædecessoribus nostris, & dicta Sede Apostolica, seu ejus Legatis, etiam de latere, vel Nunciis, aut Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, aut locorum Ordinariis, vel quibusvis aliis quavis dignitate, & auctoritate fungentibus, etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ejusque Camerario, seu Camera prædicta sub quibusvis verborum formis, & conceptionibus, & quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis clausulis, ac vim contractus inducentibus, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, seu ad quorumcunque Principum, etiam Regali, Ducali, vel alia quacunque præeminentia fulgentium instantiam, vel eorum intuitu concessas, auctoritate, & tenore præmissis revocamus, irritamus, & annullamus, ac pro revocatis, irritis, & penitus infectis in perpetuum haberi volumus.

§. 4. Districtius inhibentes, tam quibuscunque ex prædictis quavis auctoritate & facultate suffultis personis, ne hujusmodi licentias, tolerantias, indulta concedere, quàm Judæis, ne illis sic per præsentes revocatis, aut posthac forsan de facto concedendis uti, ac earum prætextu, seu aliàs quomodolibet libros prædictos tenere, legere, deferre, emere, vendere, aut de novo edere præsumant.

§. 5. Quinimò si quos ad præsens habent, eos statim intra decem dies Romæ in Officio sanctæ Romanæ Universalis Inquisitionis, extra urbem verò intra duos menses à publicatione præsentium numerandos, Ordinariis, seu Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, à quibus postmodum absque alio mandato nostro, nulla interposita mora comburantur, exhibere, tradere, & consignare omninò teneantur, & debeant.

RRrr 3 §. 6. Pro

§. 6. Præcipientes tam ipsis Judæis, quàm quibuscunque Typographis, Bibliopolis, seu mercatoribus, & aliis quibuscunque Christi fidelibus, etiam cujuscunque status, gradus, ordinis, vel conditionis existentibus, sub pœnis amissionis librorum, & publicationis omnium bonorum, fisco ejus Principis, in cujus ditione libri reperti fuerint applicandorum, ac aliis etiam gravioribus, & corporis afflictivis, arbitrio Diœcesani, ac etiam Inquisitoris, si inibi fuerint, statuendis, ac moderandis, necnon quoad Christianos etiam excommunicationis majoris latæ sententiæ per unumquemque contrafacientem eo ipso incurrendæ, ne hujusmodi libros, & alia scripta superius prohibita, ut præfertur, retinere, habere, legere, edere, typis excudere, seu imprimere, describere vel exemplare, advehere, emere, vendere, donare, commutare, aut aliàs quomodolibet distrahere, vel alienare audeant.

§. 7. Neve quisquam, etiam sub prædictis, & aliis pœnis contra fautores apostatarum à fide, & hæreticorum à sacris Canonibus, & constitutionibus Apostolicis inflictis, ipsis Hebræis, pro habendis, scribendis, seu legendis hujusmodi libris, vel undecunque afferendis, seu transvehendis, aut pro eorundem legendorum licentia de cætero impetranda, opem, auxilium, consilium, vel favorem præstare, aut impendere quoquo modo audeat.

§. 8. Quocirca venerabilibus fratribus nostris, tam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus adversus hæreticam pravitatem in toto terrarum orbe generalibus Inquisitoribus, quàm etiam Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque locorum Ordinariis, & Inquisitoribus quibuscunque ejusdem hæreticæ pravitatis in quibusvis Regnis, Provinciis, & Civitatibus pro tempore existentibus per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, & eorum singuli in Civitatibus, terris, locis, ubi Judæi commorantur, tam in eorum Synagogis, & locis publicis, quàm privatis domibus, & officinis, & aliàs ubique locorum, etiam apud Bibliopolas Christianos prædictos, sic prohibitos libros, & scripta, per se, vel alium, seu alios ab eis deputandos diligentissimè perquirant, & contra eos, qui super retentione hujusmodi culpabiles reperti fuerint, ad prædictarum, & aliarum etiam graviorum, eorum arbitrio pœnarum executionem procedant. Contradictores, necnon inobedientes quoscunque, eisve auxilium, consilium, vel favorem præstantes per opportuna juris, vel facti remedia, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

§. 9. Non obstantibus præmissis, necnon constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis dictis Hebræis, eorumve universitatibus sub quibuscunque tenoribus, & formis, cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis in genere, vel in specie quomodolibet concessis, etiam sæpius approbatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis, etiamsi aliàs pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua mentio habenda, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores hujusmodi, necnon formas, & decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis quoad reliqua in suo robore permansuris, ad effectum præmissorum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1593. Prid. Kal. Martii Pontificatus nostri, anno 2.

Anno à Nativitate Domini 1593. Indictione 6. die verò Sabathi 3. mensis Aprilis, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Clementis divina providentia Papa VIII. anno ejus 2. retroscripta littera Apostolica affixa, & publicata fuerunt in valvis Basilica Principis Apostolorum de urbe, in acie Campi Flora, & in Platea nuncupata Iudaorum, relictis in eis copiis affixis per nos Ioannem Baptistam Bagno, & Franciscum Baronem Sanctissimi Domini nostri Papa Cursores.

Joan. Baptista Pressius Magister Cursorum.

Innovatio constitutionis fel. rec. Pauli IV. contra negantes Trinitatem, aut divinitatem Jesu Christi, aut ejus conceptionem de Spiritu Sancto, aut ejus mortem, ut nos redimeret, aut Virginitatem Beatissimæ semper Dei Genitricis Mariæ.

Adjecta forma in publicatione ejusdem Constitutionis servanda, ne de cætero illius ignorantia à quocunque quovis prætextu possit allegari.

CLEMENS PAPA OCTAVUS, ad perpetuam rei memoriam.



DOMINICI gregis divina providentia nobis, licèt meritis imparibus commissi sollicitudo postulat, ut Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum Constitutiones, quæ præsertim ad fidei Catholicæ integritatem conservandam, & impios homines, ac pravarum hæreseon assertores debitis pœnis plectendos pertinent, innovemus, ne qui ejusmodi errorum labe infecti sunt, earundem Constitutionum, & pœnarum in eis inflictarum ignorationem ullo modo prætendere, aut quavis ratione excusare se posse præsumant. Cùm itaque fel. rec. Paulus Papa IV. Prædecessor noster ad quorundam hominum

hominum iniquitatem coërcendam, qui non solùm diversas hæreses profiteri, sed etiam ipsius fidei fundamenta negare præsumebant, suoque exemplo multos in interitum animæ trahebant, quadam sua perpetuò valitura constitutione, quæ incipit, *Cum quorumdam hominum pravitas*, ut hujusmodi homines à suis erroribus intra certum eis præfixum tempus resipiscentium, à quibuscunque censuris, & pœnis Ecclesiasticis, & temporalibus plenissimè absolverit, & sanciverit, ut quicumque tam eatenus lapsi fuissent, & intra tempus præfixum non resipuissent, quàm qui in posterum prolaberentur in hos errores, aut eorum aliquem, qui nimirum asseruissent, dogmatizassent, vel credidissent Deum omnipotentem non esse trinum in personis, & incomposita omnino, indivisaque unitate substantiæ, & unum unamet simplici divinitatis essentia, aut Dominum nostrum Jesum Christum non esse verum Deum ejusdem substantiæ per omnia cum Patre, & Spiritu Sancto, aut eundem secundùm carnem non esse conceptum in utero Beatissimæ, semperque Virginis Mariæ de Spiritu Sancto, sed sicut cæteros homines ex semine Joseph, aut eundem Dominum, & Deum nostrum Jesum Christum non subiisse acerbissimam Crucis mortem, ut nos à peccatis, & ab æterna morte redimeret, & Patri ad vitam æternam reconciliaret, aut eandem Beatissimam Virginem Mariam non esse veram Dei Matrem, nec perstitisse semper in Virginitatis integritate, ante partum scilicet, in partu, & perpetuò post partum, pro subversis, & relapsis in hæresim haberi, & ut relapsos Curiæ sæculari tradi, & per ipsam Curiam debitis pœnis in relapsos statutis puniri possent in omnibus, & per omnia, perinde ac si verè, & realiter in hæresim relapsi essent, & eos relapsos esse constaret, prout in prædicta constitutione sub Datum Romæ apud Sanctam Mariam, septimo Idus Augusti, Pontificatus sui anno primo, edita plenius continetur. Eò tamen hujusmodi impiorum hominum prorumpit temeritas, ut prætextu ignorationis hujusmodi constitutionis, ac pœnarum in eadem constitutione inflictarum se illis minimè subjacere, nec obnoxios esse putent, ac propterea se ab eisdem pœnis liberari, & absolvi posse prætendant. Nos igitur animadvertentes (ut idem quoque Paulus prædecessor benè advertit) hujusmodi errores tam graves, ac nefandos existere, ut illi, qui in eos incidunt, nullam prorsus excusationem habeant, sed subversi potius, & immanes, quàm hæretici meritò dici possint, propterea ut illi debita animadversione omninò puniantur, nec à præfatis erroribus ulla excusatione de cætero tueri valeant. Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura Constitutione, dicti Pauli prædecessoris vestigiis inhærentes, ac ejus constitutionem prædictam quoad pœnas in ea contentas innovantes, ac perpetuò confirmantes, & approbantes, supradictos omnes & singulos, qui hactenus in similes errores, aut eorum aliquem lapsi sunt, aut in posterum prolabentur, attenta dictorum errorum gravitate, & enormitate, cujuscumque dignitatis, gradus, ordinis, vel conditionis existant, nulla ipsis etiam ignorantiæ supradictæ constitutionis excusatione suffragante, pro subversis, & relapsis in hæresim haberi, & tanquam relapsos Curiæ sæculari tradi, ac per eandem Curiam debitis pœnis in relapsos statutis puniri posse auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò statuimus. Non obstantibus omnibus illis, quæ prædictus Paulus prædecessor voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Ut autem hujusmodi constitutionis ignorantia de cætero allegari, aut prætendi nunquam possit, atque ut præsentes omnibus innotescant, volumus illas ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ principis Apostolorum, & in acie Campi Floræ more solito publicari, & affigi, atque ibi inde amotis, earumdem exempla etiam impressa ibi affixa relinqui, factaque publicatione hujusmodi, omnes qui in urbe post mensem, qui verò extra eam, & citra montes, post quatuor menses, & qui demùm ultra montes fuerint, post decem menses à die publicationis hujusmodi computandos, perinde afficere, & arctare, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent. Et nihilominus, ut ipsæ præsentes literæ eo notiores fiant, & omnibus magis innotescant, necnon pro potiori cautela volumus, ut Inquisitores contra hæreticam pravitatem in iis civitatibus, terris, & locis, in quibus constituti sunt; ubi verò hujusmodi Inquisitores non sunt, locorum Ordinarii publicationem præsentium, ut infra dicetur, fieri curent, ac propterea universis, & singulis venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum ordinariis, necnon dilectis filiis Inquisitoribus præfatis contra hæreticam pravitatem ubilibet constitutis per easdem præsentes committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, ut per se, vel per alium, seu alios hasce nostras litteras, postquam earum exemplum receperint, seu earum notitiam habuerint, semel, aut pluries, prout eis magis expedire visum fuerit, ipsi quidem Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, & alii locorum ordinarii in eorum Cathedralibus, & majoribus respectivè Ecclesiis Civitatum, Oppidorum, & locorum quorumcumque eorum Diœcesis, & ubi Inquisitores fuerint, ipsimet Inquisitores in eisdem Ecclesiis, dum in eis major populi multitudo ad divina convenerit, solemniter publicent, & publicari auctoritate nostra mandent, & faciant. Cæterùm, quia difficile foret easdem præsentes ad singula loca, ubi opus esset deferri, volumus, & simili auctoritate decernimus, ut earum transumptis impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Inquisitoris contra hæreticam pravitatem, vel cujuscunque personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem ubicunque in judicio, & extra fides adhibeatur, quæ ipsismet litteris haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 3. Februarii 1603. Pontificatus nostri anno undecimo.

M. Vest. Barbianus.

In nomine Domini, Amen. Anno à Nativitate ejusdem Domini nostri Iesu Christi 1603. Indictione 1. die verò 14. mensis Februarii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Clementis divina providentia Papæ VIII. anno ejus 12. retroscripta littera affixa, & publicata fuerunt ad valvas Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum de urbe, & in acie Campi Floræ, relictis ibidem copiis impressis affixis per nos Augustinum Bravelsrum, & Catharinum Menandi, Apostolicos Cursores.

P. Aloysius Peregrinus Magister Cursorum.

Decretum

Decretum Clementis Papæ VIII. quo confirmantur litteræ Pauli Papæ IV. & Pii IV. contra Confessarios sollicitantes pœnitentes in Confessionibus.

IN nomine Domini: Amen. Per hoc præsens publicum instrumentum Decreti, cunctis pateat evidenter, & sit notum, quod in Generali Congregatione Officii Sanctæ Romanæ, ac universalis Inquisitionis habita coram Sanctissimo Domino nostro Domino Clemente Papa octavo, ac Illustrissimis, & Reverendissimis Julio Antonio Sanctorio Sancti Bartholomæi in Insula, Deza S. Severinæ, Petro Sancti Hieronymi Illyricorum, Dominico Sancti Chrysostomi; Fratre Hieronymo Bernerio Sanctæ Mariæ super Minervam, Asculano; Fratre Constantio Sancti Petri in monte aureo, Sernano; & Paulo Sanctæ Cæciliæ Sfondraco nuncupatis, titulorum Presbyteris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, in universa Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus. In negotio Sanctæ Inquisitionis Hispaniarum super litteris Fel. rec. Pauli IV. & Pii Papæ IV. facultatis procedendi contra Presbyteros sæculares & Regulares in Sacramento pœnitentiæ, seu in actu Confessionis Sacramentalis sollicitantes mulieres pœnitentes ad impudicitiam, seu peccata carnis, Inquisitori generali Hispaniarum aliàs concessæ, an privativè, vel cumulativè quoad Superiores Regularium dicta Inquisitio contra hujusmodi delinquentes procedere possit. Sanctissimus Dominus noster, re diligenter ac maturè discussa, auctoritate sua Apostolica declaravit, & decrevit, declarat, & decernit circa hujusmodi facultatem procedendi nihil esse attendendum, aut innovandum, sed inquisitionem prædictam in omnibus Regnis, & Provinciis sibi subjectis ea judicialiter uti posse, & debere, sicut in aliis causis ad Sanctissimæ Inquisitionis officium pertinentibus, uti hactenus fecit, etiam privativè quoad Superiores Regularium cujusvis Ordinis, & Congregationis, etiamsi Mendicantium existant, ipsosque Regulares non eximi ab onere deferendi, seu denunciandi hujusmodi delinquentes eidem Sancto Officio, quemadmodum in aliis casibus, & causis S. Inquisitionis, in quibus alii Christi fideles de jure tenentur, sed ad id ipsum, sicut aliàs, teneri, & obligatos esse. Et ita Sanctitas sua declaravit, & decrevit, atque servandum esse statuit omni meliori modo, & forma, quibus potuit, potestque, & debet. Latum, datum, & pronunciatum fuit supradictum decretum per supradictum Sanctissimum Dominum nostrum Dominum Clementem Papam octavum pro Tribunali sedentem in solio majestatis suæ in generali Congregatione dicti Sancti Officii habita Romæ in Palatio Apostolico apud Sanctum Petrum anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, die verò tertia mensis Decembris, Feria 5. Pontificatus prælibati Domini nostri divina providentia Papæ Clementis VIII. anno 1. ibidem præsentibus Reverendissimo Fratre Vincentio Ordinis Fratrum Prædicatorum Episcopo Agnetino, & Reverendissimo Patre Don Anselmo Dandino Cæsenatensi, juris utriusque Doctore, utriusque signaturæ ejusdem Sanctissimi Domini nostri Papæ referendario, dictique Sancti Officii Prælatis, & Consultoribus testibus ad prædicta omnia, & singula vocatis, habitis specialiter, atque rogatis.

Ex Ludovico Paramo de origine Sancti Officii, quæst. 10. de sollicitantibus, prope finem.

Constitutio adversus maleficia, seu sortilegia committentes.

GREGORIUS PAPA DECIMUSQUINTUS, ad perpetuam rei memoriam.

OMNIPOTENTIS Dei Salvatoris Nostri, qui ut hominem à laqueo Diaboli liberaret, crucem subire dignatus est, vices, quamquam immeriti gerentes in terris, in id summo studio juxta creditum nobis desuper Apostolicæ servitutis Officium incumbimus, ut gregem Dominicum inæstimabili pretio redemptum adversus Satanæ fraudes defendamus, ejusdem officii partes desuper interponendo, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Sanè nonnulli suæ conditionis obliti, & solemnis sponsionis ab iis factæ, cum in Christi gregem per Sacrum Regenerationis lavacrum adsciti fuerunt, Satanæ, cui renunciarunt, artibus, maleficiis, superstitionibus, ac nefariis inventis operam dare non verentur, quinimò magistrum imitantes, qui capitali odio, quo humanum genus prosequitur, hominibus insidiari nunquam cessat, proximum variis modis lædere, animas verò suas perdere non timent. Quapropter, ut tam vitiosa scelera à Christi fidelibus arceantur, ea gravioribus pœnis vindicanda duximus. Motu itaque proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium decernimus, præcipimus, & mandamus, ut constito, quod si aliquis pactum cum Diabolo fecerit, & à fide apostatando maleficia, sive sortilegiis unam, seu plures personas ita læserit, ut ex maleficio, vel sortilegio mors sequuta sit, etiam pro primo lapsu, Curiæ sæculari tradatur, debitis pœnis puniendus; qui verò similiter apostatando, pactum cum Diabolo, ut præfertur, fecerit, & maleficium, seu sortilegium commiserit, ex quo, licèt sequuta mors non sit, infirmitas tamen, divortia, impotentia generandi, aut animalibus, vel frugibus, vel aliis fructibus damnum notabile

notabile provenerit, muro claudi, sive perpetuis carceribus in Sancto Inquisitionis officio, ubi illud existit fabricandis mancipari debeat; qui verò similium delinquentium notitiam habuerint, eos Episcopo, sive Inquisitori denunciare teneantur. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, quodque eædem præsentes, postquam valvis Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de urbe, & Cancellariæ Apostolicæ, necnon in acie Campi Floræ affixæ fuerint, omnes, & singulos, ad quos spectat, arctent, & afficiant perinde, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 20. Martii 1623. Pontificatus nostri anno 3.

S. Cardinalis Sanctæ Susannæ.

Anno à Nativitate Domini nostri Iesu Christi 1623. Indictione sexta, die verò vigesimatertia mensis Martii, Pontificatus Sanctissimi Domini nostri Domini Gregorii divina providentia Papæ Decimiquinti anno ejus tertio, retroscripta litteræ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, Principis Apostolorum de urbe, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, per me Brandimartem Latinum Apostolicum Cursorem.

Illustrissimorum, & Reverendissimorum Dominorum Cardinalium Inquisitorum generalium præceptum.

De hæreticis, seu de hæresi suspectis Sancto Officio propalandis.



CTAVIUS Episcopus Prænestinus, Bandinus; Carolus tituli Sancti Cæsarei, Madrutius; Ioannes Garzia tituli SS. Quatuor Coronatorum, Millinus; Fabritius tituli Sancti Augustini; Gaspár tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem, Borgia; Frater Fœlix Centinus, tituli Sanctæ Anastasiæ, Asculanus; Scipio Cobellutius, tituli Sanctæ Susanæ; Frater Desiderius Scaglia, tituli S. Clementis de Cremona; Ludovicus tituli S. Laurentii in Damaso, Ludovisius presbyteri, & Ludovicus tituli Sancti Adriani Diaconus de la Valette nuncupati, miseratione divina Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales in universa republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Inquisitores Generales à Sancta Sede Apostolica specialiter deputati.

Universis & singulis Christi fidelibus, tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus utriusque sexus, cujusvis status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existentibus, & quacunque dignitate, & auctoritate etiam maxima fulgentibus, harum serie ac tenore, auctoritate nostra, & hujusmodi nostri Officii qua fungimur in hac parte, præcipimus, & mandamus, quatenus infra duodecim dies proximè computandos, quorum primos quatuor immediatos pro secundo, & ultimos quatuor pro tertio termino, & peremptorio, ac trina monitione canonica assignamus, omnes, & singulos hæreticos, seu de hæresi quomodolibet suspectos, de quibus notitiam habuerint, debeant nobis vel Reverendo Commissario nostro quoad habitantes in urbe, quo verò ad alios extra urbem, & ubivis locorum degentes Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis, vel eorum Vicariis generalibus, sub excommunicationis majoris latæ sententiæ, quam in contrarium facientes ipso facto incurrant, judicialiter propalare, cujus excommunicationis majoris absolutionem Sanctissimo Domino nostro Papæ reservamus. Certificantes hujusmodi conscientiæ suæ immemores, ac dictam excommunicationis pœnam contemnentes, quod contra ipsos, tanquam contra hæreticorum fautores, aliàs prout meliùs visum, & juris fuerit procedatur. Ideo, &c.

Datum in nostra Officii Sanctæ Romanæ universalis Inquisitionis Congregatione, die 3. Ianuarii 1623.

Octavius Episcopus Prænestinus Cardinalis Bandinus.
Carolus Cardinalis Madrutius.
Joannes Garzia Cardinalis Millinus.
Fabritius Cardinalis Verallus.
Gaspar Cardinalis Borgia.
Frater Fœlix Cardinalis Asculanus.
Scipio Cardinalis Sanctæ Susannæ.
Frater Desiderius Cardinalis de Cremona.
Ludovicus Cardinalis Ludovisius.
Ludovicus Cardinalis de la Valette.

Andreas de Pectinis Sanctæ Romanæ Inquisitionis Notarius.

Decreta in diversis Congregationibus Sanctissimi Officii Romæ facta.

Quod Portugalenses, seu Lusitani Portugalliam, seu Lusitaniam habitantes, & inde in Italiam venientes, si reperiantur judaizare, condemnentur tanquam apostatæ à fide. Die ultima Aprilis 1556.



IN Congregatione coram sanctissimo Domino nostro, & Reverendissimis Dominis Cardinalibus Inquisitoribus generalibus sanctissimus Dominus noster Paulus divina providentia Papa IV. mandavit, statuit, & ordinavit, quod constito legitimè quoscunque Portugalenses, seu Lusitanos in Portugallia, seu Lusitania permansisse, & inde discessisse, & inde Italiam venisse, ubi reperiantur esse Judæi, sive judaizare, condemnentur tanquam apostatæ à fide, prout de jure similes apostatæ condemnari, & puniri debent, non obstante quod fuerint expositi torturæ, seu tormentis, quæ sustinendo negaverint se fuisse baptizatos, vel Christianè vixisse, aut Christiana opera egisse, vel Sacramenta Ecclesiastica percepisse. Cùm jam pro liquido & clarè à sancta Sede compertum sit, & habeantur à sexaginta annis, vel circa, quod nullus Hebræus toleratus fuit habitare in Lusitania, seu Portugalia, nisi fuerint baptizati, & vixerint Christianè, & ita servari mandavit, statuit, & ordinavit.

Quod Hæreticorum beneficia vacent à die commissi criminis. Die 18. Julii 1556.



IN Congregatione coram præfato sanctissimo Domino, & Reverendissimis Cardinalibus Inquisitoribus generalibus idem sanctissimus Dominus noster qui suprà, considerans quod hæreticorum beneficia à die commissi criminis hæreseos vacent, & quod multi hæretici id scientes, & in suis hæresibus manentes, ut eos, quos optant, successores habeant, in favorem aliorum resignent, ut saltem per clausulas generales, quæ in ipsis resignationibus de stylo ponuntur, jus aliquod in beneficiis acquirant hujusmodi, iis providere volens, statuit, & decrevit, quod ex prædictis resignationibus nullum jus etiam per dictas clausulas ipsis resignatariis acquiratur, imò beneficia hujusmodi hæreticorum à die commissi criminis specialiter dispositioni suæ Sanctitatis reservavit, itaut si non fiat mentio de hujusmodi crimine per illum commisso, etiam dispositiones per ipsum sanctissimum Dominum factæ nullius sint roboris, vel momenti. Quæ omnia extendi voluit etiam ad præteritas resignationes, quæ tempore commissi criminis hæreseos vel citationis hæreticis factæ, suum plenarium effectum sortitæ non fuerint.

Contra instituentes novas Religiones. Die 16. Iulii 1556.



PRÆLIBATUS sanctissimus Dominus noster ratificavit capturam Joannis Francisci Raymundi Mutinensis Congregationis sancti Pauli, & Barnabæ Civitatis Mediolani, & commisit Reverendissimis Dominis Cardinalibus Inquisitoribus generalibus, sive Reverendissimo Domino Commissario facultatem procedendi, seu procedi faciendi in futurum contra quascunque personas volentes instituere, seu instituentes novam Religionem cujuscunque status, gradus, & conditionis existant, & de contentis in titulo, seu titulis de Religiosis domibus, & de construentibus novam Religionem, Monasteria, vel alia quæcunque loca pia, quod possint dicti Reverendissimi Cardinales, seu dictus Reverendissimus Commissarius ea revidere, & corrigere, ac omnia alia & singula in præmissis facere, quæ eis respectivè videbuntur juri consona.

Pro vacantibus in S. Officio. Die 29. Aprilis 1557.

A præfato sanctissimo Domino Decretum invenimus, ut infrà.



CUM in Congregationibus, quæ in causa hæresis, ita Domino disponente, coram nobis fiunt, intervenire pro majori parte soleant nonnulli Clerici, tam sæculares, quàm Regulares in sacris, & Sacerdotio, ac in Episcopali, & Archiepiscopali, vel alia majori dignitate forsan constituti, ac deinceps intervenire poterunt, ac etiam nonnulli ex venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus nobiscum in judicando assistant, & sæpe numero contingit, ut per discursum causarum contingentia etiam ad casus non minùs forsan enormes, ac etiam minùs enormes, quàm hæresim sapientes in eisdem Congregationibus, tam præteritis, quàm futuris iidem Clerici, & in sacris, & Sacerdotio ac Episcopali, Archiepiscopali, vel alia majori dignitate constituti, ac iidem venerabiles fratres nostri sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales vocem, seu sententiam equum, ex qua mutilatio membri, seu sanguinis effusio etiam

etiam ad mortem naturalem sequuta fuerit, seu in posterum sequetur, dixerint, seu etiam dicere parati existunt. Nos securitati, & tranquillitati eorum mentis, & conscientiæ occurrere volentes, ut iidem Clerici etiam in sacris, & Sacerdotio, ac quacunque dignitate, etiam Episcopali, Archiepiscopali, vel quacunque majori præditi, etiam venerabiles fratres nostri Cardinales, qui in judicando nobis assistunt, non solùm in causis hæreseos, sed etiam in quacunque causa criminali, quæ in dictis Congregationibus coram nobis tractata fuerit & tractabitur, vocem & sententiam eorum, non solum quoad quæstiones, & torturam ipsis reis pro delictis, quibus pro tempore inquisiti, accusati, seu denunciati fuerint, etiam ad condignam pœnam, & mulctam, etiam usque ad mutilationem seu sanguinis effusionem, ac usque ad mortem naturalem inclusivè absque alicujus censuræ, vel irregularitatis incursu, dicere, & eisdem Congregationibus interesse, & immisceri possint, licentiam, & facultatem concedimus, ac quoad præterita, si aliquam forsan irregularitatem incurrissent, cum omnibus prædictis dispensamus, non obstantibus Constitutionibus.

Idem confirmavit sanctissimus Dominus noster Pius Papa V. extendique voluit ad omnes Inquisitores, eorumque Vicarios, Commissarios, & Consultores.

Contra sine Ordinibus celebrantes, Die 20. Maii 1557.

PRÆLIBATUS sanctissimus Dominus noster statuit, & decrevit, quod quicunque non habens Sacerdotium, & Ordinem Presbyteratus ausus fuerit Missam celebrare, absque aliqua disputatione tradatur Curiæ sæculari puniendus.

Ne Ordinarii conferant beneficia præter vacantia. Die 20. Septembris 1558.

SANCTISSIMUS Dominus noster, qui suprà, in Congregatione Sancti Officii mandavit omnibus Ordinariis, & quibuscunque aliis, ne se intromittant in conferendis beneficiis vacantibus, vel vacaturis propter hæresim, sed illorum collationem sibi suisque successoribus reservavit. Ad idem facit, quod sequitur.

Sanctissimus Dominus noster Pius Papa V. considerans beneficia hæreticorum à die commissi criminis eo ipso vacare, & multi hæretici id scientes, & in suis hæresibus manentes, ut eos quos optant, successores habeant, in favorem illorum resignant, ut saltim per clausulas generales, quæ in ipsis resignationibus de stylo ponuntur, jus aliquod in beneficiis hujusmodi acquirant, iis providere volentes, statuit & decrevit quod ex prædictis resignationibus nullum jus etiam per dictas clausulas ipsis resignatariis acquiratur, imò beneficia hujusmodi hæreticorum à die commissi criminis specialiter dispositioni suæ Sanctitatis, suorumque successorum reservavit, itaut si non fiat mentio de hujusmodi crimine per illum commisso, etiam dispositiones per suam Sanctitatem factæ sint nullius roboris vel momenti. Quæ omnia extendi voluit etiam ad præteritas resignationes, quæ tempore commissi criminis hæreseos, vel citationis ipsis hæreticis factæ suum plenarium effectum sortitæ non fuerint.

Contra abutentes Sacramentis. Die 17. Februarii 1559.

SANCTISSIMUS Dominus noster Paulus Papa IV. in Congregatione sancti Officii commisit, quod omnes qui audiverunt confessiones non existentes in sacris, & celebrantes Missas non existentes etiam in sacris, & abusi sunt sacratissimo Altaris Sacramento, tradi debeant brachio sæculari.

Die 2. Septembris 1562.

ILLUSTRISSIMI Cardinales Inquisitores generales decreverunt, quod per quamcunque gratiam factam, vel fiendam quibusvis aliàs hæreticis, non intendant eos restituere, ut possint confessiones aliquorum sæcularium audire.

Idem confirmatum fuisse reperitur in actis sancti Officii sub die decimaquinta Novembris 1565. cum additione, seu declaratione, quod illi qui abjurarunt aliàs secretè, vel publicè, aut aliàs quomodocunque, non admittantur ad audientiam Confessionum sæcularium.

Testium nomina publicari non debent, die 14. Maii 1566.

ILLUSTRISSIMI Cardinales Inquisitores generales in Congregatione ordinaria decreverunt dari debere nuda testium dicta, prout eo usque observatum fuit absque nominum publicatione, aliarumque circumstantiarum, propter quas posset deveniri ad ipsorum testium notitiam. Et quoad respon-

stiones testium super rei interrogatoriis pariter decreverunt non esse dandas, si ex illarum publicatione deveniretur in notitiam, quinam fuerint testes ipsi.

Regulares recurrentes ad sanctum Officium, ut in eo testimonium perhibeant, non graventur à suis Superioribus.

Die 17. Augusti 1567.



SANCTISSIMUS Dominus noster Pius Papa V. in generali Congregatione sancti Officii consulens libertati ipsius sancti Officii, & indemnitati recurrentium ad illud, vel in eo testimonium perhibentium, statuit, & decrevit, ut Regulares quorumvis, etiam Mendicantium ordinum personæ, quæ pro tempore ad Officium sanctæ Inquisitionis pro quocunque negotio recurrerint, seu confugerint, vel in eo testimonium perhibuerint veritatis, aut aliàs quomodolibet deposuerint, nequaquam à suis Superioribus per quinquennium continuum à die recursus, seu depositionis hujusmodi molestari, vel ex quacunque causa, vel excessibus præteritis personarum illarum, & de debitis propterea pœnis, seu pœnitentiis eisdem imponendis, nisi ipsi Illustrissimi Cardinales Inquisitores generales certiores facti fuerint, vel eis aliter clarè notificatum, & ab ipsis Cardinalibus desuper responsum fuerit.

De torquendis reis pro finali veritate habenda, & super Complicibus.

Die 28. Julii 1569.



INHÆRENDO decretis aliàs per felicis recordationis Paulum Papam IV. sanctissimus Dominus noster Pius Papa Quintus decrevit omnes, & quoscunque reos convictos, & confessos de hæresi pro ulteriori veritate habenda, & super complicibus fore torquendos arbitrio Dominorum Judicum.

Decretum Clementis VIII. quod in causis ad S. Inquisitionem hæreticæ pravitatis spectantibus Judices & Officiales gratis omnia expedire debent.



SANCTISSIMUS Dominus noster volens, ac intendens providere, ut causæ & negotia quovis modo spectantia ad sanctam Inquisitionem cognoscantur & expediantur omni qua decet integritate, amotis quibusvis sordibus, ac pecuniariis solutionibus, statuit, & decrevit, ut in posterum omnes Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, ac quivis Ecclesiarum Prælati, seu Inferiores Ordinarii, eorumque Vicarii, & Officiales in causis, & negotiis sancti Officii, pro examine testium principalium reorum, pro sportulis sententiarum, pro quovis decreto, seu actu, seu quacunque expeditione nihil omnino exigant, & recipiant, etiam à sponte dantibus, sed gratis omnia expediant.

2. Ac eorum Secretarii, Cancellarii, & Notarii pro scripturis processuum, informationum, seu repetitionis testium fisci, quas mittunt ad sanctam & universalem Inquisitionem Romanam, nihil penitus exigant, sed gratis illas mittant.

3. Insuper mandavit omnibus supradictis, eorumque Vicariis & officialibus, ut cùm aliquid eis significatur nomine supradictæ Inquisitionis, quamprimùm litteris rescribant, & negotia injuncta executioni demandent.

4. Et ut hoc decretum tam ipsi Prælati inviolabiliter observent, quàm ab aliis observari curent, ejus exemplaria in eorum Cancellariis affixa retineri, ut omnibus innotescat, & in Archivio registrari faciant sub pœna indignationis sanctissimi Domini nostri, & aliis arbitrio Sanctitatis suæ infligendis, mandavit.

5. In generali Congregatione sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico apud sanctum Petrum coram Sanctissimo Domino nostro, ac Illustrissimis & Reverendissimis Dominis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus adversus hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus, 9. Januarii, anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi, &c.

Quintilianus Adrianus Notarius.

De Regularibus pœnitentiatis in sancto Officio.

Feria 5. die 1. Octobris 1626.



IN generali Congregatione sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram sanctissimo Domino Urbano divina providentia Papa VIII. ac Illustrissimis, & Reverendissimis Dominis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in Universa Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus à S. Sede Apostolica specialiter deputatis,

Sanctissimus Dominus noster justis de causis animum suum moventibus, decrevit, & statuit, ut in posterum Regulares omnes cujusvis Ordinis, Religionis, Societatis, & instituti, quibus pro dd. ctis ad sanctæ Inquisitionis Officium spectantibus pœnitentiæ genus aliquod impositum fuerit (salutaribus pœnitentiis exceptis) eo ipso ad omnes Religionis suæ gradus, & officia inhabiles censeantur, & deinceps (etiamsi pœnitentiæ tempus expleverint, vel gratiam receperint) ad illa tamen promoveri nullatenus possint, nisi prius obtenta à sanctissimo Domino nostro, vel ab hac sacra Congregatione coram sanctitate sua habenda speciali, & expressa rehabilitationis gratia. Aliàs promotio qualibet nulla sit, & promoventes ipsi privationem suorum officiorum, ac præterea vocis activæ & passivæ ipso facto incurrant, ad quæ restitui, nisi ab eodem sanctissimo Domino nostro, vel ab eadem sacra Congregatione coram Sanctitate sua habenda, non possint. Præsens autem Decretum omnibus Religiosorum Superioribus intimari mandavit idem sanctissimus Dominus noster.

Thomas de Federicis Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Notarius substitutus, de mandato.

Loco † sigilli.

Decretum de non imprimendis libris.

Feria 5. die 18. Septembris 1625.



IN generali Congregatione sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Montis Quirinalis coram sanctissimo Domino nostro Urbano divina providentia Papa VIII. ac Illustrissimis, & Reverendissimis Dominis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus generalibus à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus Dom. N. pro debito sui Pastoralis officii corrigere volens abusus nonnullorum in statu Sedi Apostolicæ mediatè, vel immediatè subjecto existentium, qui libros à se compositos extra præfatum statum absque ulla Ordinariorum, & Inquisitorum loci ubi degunt, approbatione imprimendos transmittunt, statuit, & decrevit, ut in posterum nemo in statu prædicto degens, cujusvis conditionis, gradus, ordinis, & dignitatis existat, libros de quavis materia tractantes, & ubique compositos audeat aliò deferre, vel mittere imprimendos sine expressa in scriptis approbatione Illustrissimorum & Reverendissimorum Domini Cardinalis sanctissimi Domini nostri Papæ Vicarii, & Magistri sacri Palatii, si in urbe; si verò extra urbem existat, sine Ordinarii, & Inquisitoris loci illius, sive ab iisdem deputatorum facultate & licentia operi præfigenda: libros autem quos contra præsentis Decreti tenorem imprimi contigerit præter alias pœnas arbitrio suæ Sanctitatis infligendas absque alia declaratione, ex nunc prohibet, & pro expressè prohibitis haberi vult & mandat: contrariis quibuscunque non obstantibus, &c.

Antonius Thomasius Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis Notarius.

Breve sanctissimi Domini nostri Pauli Papæ V. concessionis Indulgentiarum pro Cruce signatis, Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, eorumque Vicariis, Consultoribus, Officialibus, cæterisque sancti Officii Ministris, & servientibus ubique locorum constitutis.

PAULUS PAPA QUINTUS.



CUM inter cæteras, quæ in Ecclesia Dei hactenus institutæ reperiuntur, Christi fidelium Confraternitates, illa ad Dei omnipotentis gloriam, & Orthodoxæ fidei conservationem, & propagationem satis uberes fructus attulisse, & in dies afferre dignoscetur, quæ licèt in varias partes dispersa sub Cruce signatorum vocabulo, seu sancti Petri Martyris invocatione, ad assistendum hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, auxiliumque quando, & quoties opus esset in Catholicæ fidei negotiis adversus hæreticos, etiam in vita ipsa præstandum jam pridem instituta existit. Nos paterna sollicitudine, ut eadem crucc signatorum Confraternitas majora suscipiat incrementa, quo specialibus privilegiis decorata, & cœlestis gratiæ donis adjuta fuerit, providere volentes, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui eandem Confraternitatem pro tempore ingredientur, & in ea ubicunque locorum describentur, seu recipientur, die primo eorum ingressus, & receptionis hujusmodi, si sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, necnon tam ipsis, quàm ad præsens existentibus prædictæ Confraternitatis Confratribus, etiam verè pœnitentibus, & confessis ac sacra Communione, si id commodè fieri poterit, refectis, vel saltem contritis, in eorum mortis articulo pium nomen Jesu corde, si ore non potuerint, invocantibus: insuper dictis Confratribus similiter pœnitentibus, & confessis, qui aliquam ex Ecclesiis, vel capellis, seu Oratoriis ipsius Confraternitatis, & Exaltationis sanctæ Crucis, ac sancti Petri Martyris festis diebus, seu eorum aliqua à primis vesperis usque ad occasum solis cujuslibet dierum hujusmodi quolibet anno pro tempore devotè visitaverit, & ibi pias ad Deum preces pro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ac fidei Catholicæ felici statu & exalta-

tione, hæresumque extirpatione, Rom. Pont. salute, & inter Christianos Principes servanda pace, concordia, & unione effuderint, quacunque festivitate prædicta id pro tempore fecerint, similiter dictum sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & elargimur. Præterea eisdem Confratribus pariter pœnitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis, vel Capellis, seu Oratoriis prædictis in Inventionis ejusdem S. Crucis, & Nativit. D.N.I.C. ac Annunciationis, & Assumpt. B.M.V. necnon omnium Sanctorum festivitatibus, à primis similiter vesperis usque ad occasum solis dierum festivitatum earundem devotè etiam visitaverint, & ut supra oraverint, quo die festivitatum hujusmodi id egerint, necnon etiam qui pro hæreticorum capturis, vel illis captis tutò deducendis associando, seu aliàs operam præstiterint, aut processionibus juxta eorum statuta, seu aliàs de locorum Ordinariorum licentia quandocunque faciendis, seu publicis, vel privatis eorundem hæreticorum abjurationibus quandocunque, & ubicunque faciendis intervenerint, seu eorum conversioni, & in fide Catholica instructioni incubuerint, vel ad conciones, seu prædicationes, quæ contra illos fiunt, audiendum, & denique ad illos, eorumque fautores, receptatores, & defensores impugnandos accesserint, seu in præmissis Inquisitoribus auxilium, consilium, vel favorem præstiterint, quo die præmissa vel aliquod præmissorum egerint, quadraginta annos de injunctis eis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis auctoritate, & tenore præmissis misericorditer in Domino relaxamus in forma Ecclesiæ consueta, quodque iidem Confratres singulis annis diebus quinque altaria, si totidem ibi fuerint, aut saltem unum Ecclesiæ loci, in quo ipsos pro tempore morari contigerit, devotè visitando genibus flexis Psalmum unū, vel quinquies orationem Dominicam, & salutationem Angelicam recitando, easdem Indulgentias, & peccatorum remissiones, quas consequerentur, si eo die Ecclesias urbis, in quibus stationes habentur, visitaverint, consequantur, similiter auctoritate, & tenore præmissis concedimus, & indulgemus præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Decernentes nostræ intentionis existere, quod præmissæ Indulgentiæ & gratiæ, tam singulis Inquisitoribus, & eorum Vicariis, quàm Consultoribus, cæterisque officii Inquisitionis hæreticæ pravitatis officialibus, ministris, & servientibus ubilibet commorantibus, & etiam in dicta Confraternitate minimè descriptis, munere tamen suo, prout quemlibet, resque concernit, fungentibus, & aliàs præmissa peragentibus concessæ sint, & censeantur, non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac regula nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar. Cæterisque in contrarium quomodolibet facientibus.

Datum Romæ apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris. Die 29. Julii 1611. Pont. nostri anno 7.

S. COBELLVTIVS.

Confirmatio Constit. Pii Papæ V. & Greg. XIII. prohibentium quasdam Theologorum sententias, & opiniones. Necnon prohibitio libri, cui titulus, August. Cornelii Iansenii, olim Iprensis Episcopi, excusi Lovanii, Typis Iacobi Zezeri, ann. 1640. aliorumque operum, ac libellorum, occasione dicti libri variis in locis, & variis idiomatibus impressorum.

Vrbanus Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

IN Eminenti Ecclesiæ militantis Sede, meritis licet imparibus constituti, sedulò meditamur, ut quæ ad fidei Catholicæ conservationem à prædecessoribus nostris providè statuta, & ordinata sunt, firmiter perpetuò observentur; & cùm opus sit, nostræ auctoritatis munimine confirmentur. Dudum siquidem à fel. record. Pio Papa V. prædecessore nostro emanavit Constitutio tenoris subsequentis, videlicet: Pius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Ex omnibus afflictionibus, quas in hoc locu à Domino constituti, tam luctuoso tempore sustinemus, ille animum nostrum præcipuè excruciat dolor, quòd Religio Christiana tantis jam pridem turbinibus agitata, novis quotidie propositis opinionibus conflictetur, Christique populus antiqui hostis suggestione distractus, in alios, atque alios errores passim, & promiscuè deferatur: Quantum verò ad Nos attinet, totis viribus conamur, ut illæ simul atque prosiliunt, penitùs opprimantur: Magno enim mœrore afficimur, quod plerique, spectatæ alioqui probitatis, & doctrinæ, in varias sententias, offensionis, & periculi plenas, tum verbo, tum scriptis prorumpunt, deque eis, etiam in Scholis, invicem controversantur, cujusmodi sunt sequentes. Nec Angeli, nec primi Hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia. Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium. Et bonis Angelis, & primo Homini, si in statu illo perseverassent usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, & non gratia. Vita æterna Homini integro, & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt. In promissione facta Angelo, & Homini continetur naturalis justitiæ constitutio, qua pro bonis operibus, sine alio respectu, vita æterna justis promittitur. Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset. Primi Hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera: sed juxta modum loquendi Scripturæ sacræ non rectè vocantur gratia; quo fit, ut tantùm merita, non etiam gratia, debeant nuncupari. In redemptis per gratiam Christi, nullum inveniri potest bonum meritum quod non sit gratis indigno collatum. Dona concessa homini integro, & Angelo, forsitan non improbanda ratione possunt dici gratia; sed quia secundùm usum sacræ Scripturæ, nomine gratiæ ea tantum munera intelliguntur, quæ per Jesum Christum malè merentibus, & indignis conferuntur; ideo neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet. Solutio pœnæ temporalis, quæ peccato dimisso sæpè remanet, & corporis resurrectio, propriè non nisi meritis Christi adscribenda est. Quod piè, & justè in hac vita mortali, usque in finem conversati, vitam consequimur æternam, id non propriè gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ, justo Dei judicio, deputandum est; neque in hac retributione bonorum, ad Christi meritum respicitur, sed tantùm ad primam

mam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur. Pelagii sententia est, Opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est Regni Cœlestis meritorium. Opera bona à filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantùm ex eo, quod sunt conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia. Opera bona Justorum non accipiunt in die Judicii extremi ampliorem mercedem, quàm justo Dei judicio mereantur accipere. Ratio meriti non consistit in eo, quod qui bene operatur habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum sanctum; sed in eo solùm, quod obedit divinæ legi. Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum. Opera catechumenorum, ut fides, & pœnitentia ante remissionem peccatorum facta, sunt vitæ æternæ meritoria, quam vitam ipsi non consequentur, nisi priùs præcedentium delictorum impedimenta tollantur. Opera Justitiæ, & temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerunt majorem valorem. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam. Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium Divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt; intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus. Absurda est eorum sententia qui dicunt, hominem ab initio, dono quodam supernaturali, & gratuito, supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut Fide, Spe, & Charitate Deum supernaturaliter coleret. A vanis, & otiosis hominibus, secundùm insipientiam Philosophorum, excogitata est sententia, quæ ad Pelagianismum rejicienda est: Hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita fuerit largitate conditoris sublimatus, & in Dei filium adoptatus. Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio. Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet. Pelagianus est error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum. Non soli fures ii sunt, & latrones, qui Christum, Viam, & Ostium veritatis, & vitæ negant; sed etiam quicunque aliunde, quàm per ipsum in viam Justitiæ (hoc est ad aliquam justitiam) conscendi posse docent, aut tentationi ulli, sive gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur. Charitas perfecta, & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in catechumenis, quam in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum. Catechumenus justè, rectè, & sanctè vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demùm percipitur. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris Litteris, & plurimis veterum testimoniis excogitata. Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola Philosophia, per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria Crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum sanctum in corde diffusa, Deus amatur. Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati. Is libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solùm nomen libertatis à peccato. Justitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum Justitia, non autem in gratia aliqua animæ infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, & secundùm interiorem hominem renovatur, ac Divinæ naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum sanctum renovatus, deinceps benè vivere, & Dei mandatis obedire possit. In hominibus pœnitentibus, ante Sacramentum absolutionis, & in catechumenis ante Baptismum, est vera justificatio, separata tamen à remissione peccatorum. Operibus plerisque, quæ à fidelibus fiunt, solùm ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia, & vera legis justitia; non tamen iis obtinent incrementa virtutum. Sacrificium Missæ non alia ratione est Sacrificium, quàm generali illa, qua omne opus, quod fit, ut sancta societate Deo homo inhæreat. Ad rationem, & diffinitionem peccati non pertinet voluntarium; nec diffinitionis quæstio est, sed causæ, & originis, Utrum omne peccatum debeat esse voluntarium; unde peccatum originis verè habet rationem peccati sine ulla relatione ac respectu ad voluntatem, à qua originem habuit. Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eo quòd non gerit contrarium voluntatis arbitrium; & ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus discedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consequutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & Legi Dei repugnet. Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto, Non concupisces. Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia. Omne scelus est ejus conditionis, ut suum authorem, & omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio. Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum à generante contrahunt qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum majoribus. Diffinitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribuitur Augustino, cùm Pelagii sit. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur. In peccato duo sunt, actus, & reatus: transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam, unde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione, propriè reatus peccati dumtaxat tollitur, & ministerium Sacerdotum solùm liberat à reatu. Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed à solo Deo, qui pœnitentiam suggerens, & inspirans, vivificat eum & resuscitat; ministerio autem Sacerdotis solùm reatus tollitur. Quando per eleemosynas, aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioqui essemus, saltem aliqua ex parte, redemptores;) sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, & communicatur. Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non propriè redimuntur nostra delicta, sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis liberemur. Illa Doctorum distinctio, Divinæ legis mandata

bifariam

bisariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantùm, altero quantum ad certum quendam modum, videlicet secundùm quem valeant operantem perducere ad regnum æternum (hoc est ad modum meritorum) commentitia est, & explodenda. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bisariam bonum, vel quia ex objecto, & omnibus circumstantiis rectum est, & bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt) vel quia est meritorium Regni æterni, eo quòd fit à vivo Christi membro per spiritum charitatis, rejicienda est. Sed & illa distinctio duplicis Iustitiæ, alterius, quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem; alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti, cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, qua divinæ Legis justificatio impleatur, similiter rejicitur. Item, & illa distinctio duplicis vivificationis; alterius, qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vitæ novæ propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, qua vivificatur, qui verè justificatur, & palmes vivus in Vite Christo efficitur, pariter commentitia est, & Scripturis minimè congruens. Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus alicujus liberi arbitrii bonus, sive non malus; & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit, & docet. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod necessariò facit. Infidelitas purè negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est. Iustificatio impii fit formaliter per obedientiam Legis, non autem per occultam communicationem, & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos faciat implere legem. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem; & charitas, etiam perfecta, potest consistere cum reatu æternæ damnationis. Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti. Omnes omnino Iustorum afflictiones, sunt ultiones peccatorum ipsorum; unde & Iob, & Martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt. Nemo, præter Christum, est absque peccato originali; hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut aliorum Iustorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut & alii habitus pravi. Motus pravi concupiscentiæ, sunt pro statu hominis vitiati prohibiti præcepto, Non concupisces; unde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum, Non concupisces, quamvis transgressio in peccatum non deputetur. Quandiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Satisfactiones laboriosæ Iustificatorum, non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio. Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse à Deo creari, & institui sine Iustitia naturali. Quas quidem sententias stricto coram Nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, ut hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respectivè, ac quæcunque super iis verbo, scriptoque emissa, præsentium auctoritate damnamus, circumscribimus, & abolemus; deque eisdem, & similibus posthac quoquo pacto loquendi, scribendi, & disputandi, facultatem quibuscunque interdicimus. Qui secus fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, & officiis perpetuò privamus, ac etiam inhabiles ad quæcumque decernimus, vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus, à quo nullus Romano Pontifice inferior, valeat ipsos, excepto mortis articulo, liberare. Cæterùm, ut jam commoti his de rebus tumultus, & contracta odia faciliùs comprimi possint, simulque animarum saluti plenius consulatur, Dilecto filio nostro Antonio tituli Sancti Bartholomæi in Insula Presbytero Cardinali Granvellano nuncupato, per Apostolica scripta mandamus, ut ipse, quid ad perpetuam dictarum sententiarum, & scripturarum abolitionem, quid ad arcenda hujusmodi proloquia, & disputationes, quid denique ad unionem, & pacem cum communi omnium, & Ecclesiæ Catholicæ satisfactione componendam facto opus sit, in primis diligenter expendat; deinde in iis omnibus, quæ pro communi salute, tranquillitate, & honore optimum judicaverit, salva semper Ecclesiæ prædictæ unitate, etiam per alium, seu alios fide, doctrina, & religione præstantes, ocyùs exequatur, faciatque quicquid decreverit, inviolatè ab omnibus observari, contradictores quoslibet per censuras, & pœnas prædictas, cæteraque juris, & facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachii sæcularis: non obstantibus quod forsitan aliquibus ab Apostolica sit Sede Indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem; & quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, Indulgentiis, & litteris Apostolicis specialibus, vel generalibus, quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus præsentium impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ damnationis, circumscriptionis, abolitionis, interdicti, decreti, & mandati, privationis, & innodationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, Kalendis Octobris, Pontificatus nostri anno secundo. Deinde quæ piæ mem. Gregorius Papa XIII. etiam Prædecessor noster, intellecto per eum, non sine animi sui dolore, non defuisse tunc temporis aliquos Theologos, tum studiosos, tum professores, qui articulos in prædicta Constitutione damnatos asserere, & pertinaciter defendere pergerent; pro officii sui munere eorundem temeritatem, atque audaciam ad totius Ecclesiæ periculum pertinentem, minimè contemnendam, & dissimulandam censuit; sed ad coërcenda hujusmodi ingenia, per aliam suam Constitutionem, sub datum quarto Kalendas Februarii, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo septuagesimo nono, Pontificatus sui anno octavo editam, Pii prædecessoris constitutionem prædictam sua quoque auctoritate confirmavit, Articulosque ibidem comprehensos iteratò damnavit; & ne quis hac in re constantem Sedis Apostolicæ voluntatem, ac sententiam ignorare posset, suam hujusmodi confirmationis Constitutionem altera Pii V. comprehensa publicavit, & promulgavit. Postea recol. memor. Paulus Papa V. similiter Prædecessor noster, ad tollenda scandala, & dissensiones, quæ in Ecclesia Catholica oriebantur occasione editionis

editionis librorum, & operum de Auxiliis tractantium, in Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis, sub die 1. Decembris Anni Domini 1611. coram ipso habita decrevit, ut scriberetur Nuntiis Apostolicis, quod notificarent, & ordinarent Superioribus Religionum, & Universitatibus Studiorum, & Ordinariis eorum Nuntiaturæ, ne sinerent imprimi in materia de Auxiliis, etiam sub prætextu commentandi S. Thomam, aut alio modo; & qui vellent de hac materia scribere, & imprimere, priùs mitterent Tractatus, & Compositionem ad dictam Sanctam Universalem Inquisitionem; & in executionem mentis dicti Pauli prædecessoris, ejusdem Decreti tenor omnibus prædictis per Nuntios respectivè fuit legitimè intimatus; successivèque ne contra prædictum Decretum aliquid attentari contingeret, sed scandala, & dissensiones omninò cessarent, Nos in alia Generali Congregatione dictæ Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis, Feria quinta die 22. Maii, Anno Domini 1625. per aliud Decretum nostrum, ipsum Pauli prædecessoris Decretum confirmavimus, & innovavimus; ac omnibus, & singulis cujusvis Religionis, Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam de necessitate exprimendæ, Regularibus, & aliis quibuscumque tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus personis cujuscumque status, conditionis, gradus, ordinis, & dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quàm sæcularis, ne imposterum auderent imprimere, vel quoquo modo in lucem edere libros, tractatus, vel compositiones, ex professo, vel incidenter, aut prætextu commentandi Divum Thomam, vel quemlibet alium Doctorem, aut alia quavis occasione, prætextu, vel modo, de materia Auxiliorum Divinorum tractantes, sine expressa, & speciali licentia à nobis in Congregatione Sancti Officii prædicta obtinenda, donec aliud in hac materia à Sede Apostolica foret ordinatum, districtè præcepimus, & mandavimus; & ut hujusmodi nostrum Decretum inviolabiliter observetur, voluimus, & declaravimus, contravenientes pœnas privationis Dignitatum, & officiorum suorum, vocis activæ, & passivæ, facultatis concionandi, publicè legendi, docendi, & interpretandi, ipso facto, absque alia declaratione incurrere; & nihilominus aliis etiam pœnis nostro, & successorum nostrorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis subjacere; librosque, quos ex tunc deinceps contra dicti nostri Decreti tenorem edi contingeret, absque alia declaratione, tanquam expressè prohibitos haberi; & Impressores, præter amissionem librorum, pecuniariis, aliisque corporalibus pœnis juxta criminis gravitatem teneri. Novissimè tandem accepto per nos in Oppido (Civitate nuncupato) Lovaniensi, quosdam assertos Cornelii Jansenii olim Episcopi Iprensis, executores ex testamento in lucem edi emasse librum, cui titulus, Augustinus, ex professo continentem, & tractantem materiam de Auxiliis, nulla penitùs petita, vel obtenta à dicta Congregatione licentia illum imprimendi; cujusque operis occasione Patres Societatis Jesu nonnullas in Civitate Antuerpiensi de eadem materia tractantes Theses, pariter absque licentia ejusdem Congregationis imprimi curasse, opinionesque Jansenii in prædicto libro contentas oppugnasse; rursusque nonnullas alias orationes, scripturas, Epistolas, Thesesque in calce infrascripti Decreti nostri tunc registratas, tam pro dicti libri Jansenii, quàm Thesium à Patribus Jesuitis editarum defensione impressas fuisse, non solùm contra prædictorum Decretorum prohibitionem, sed etiam in grave scandalum, & offensionem Ecclesiæ Catholicæ: Nos ut malis hujusmodi imminentibus quanto citiùs occurreretur, & ne imposterum ullus auderet dictis Decretis contraire, per aliud Decretum in alia plena, & generali Congregatione ejusdem Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis coram Nobis die prima Augusti proximè præteriti habita, inhærendo prioribus Decretis à Paulo prædecessore, & à nobis, ut suprà editis, pro tunc dictum librum Jansenii cui titulus, Augustinus, Lovanii impressum, necnon Theses a Patribus Societatis Iesu Antuerpiæ in lucem editas, aliasque scripturas in calce posterioris nostri Decreti hujusmodi registratas, jam vigore anteriorum supradictorum Decretorum prohibitas, de novo prohibuimus, ac pro prohibitis omninò haberi voluimus; mandavimusque sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ne quis cujuscumque status, gradus, conditionis, & qualitatis, etiam speciali, & specialissima nota dignæ, librum, & Theses prædictas, aliasque scripturas, ut suprà absque dictæ Sedis licentia in dicta Congregatione Sancti Officii obtinenda retinerè, & legere posset. Mandavimus insuper omnibus, & singulis cujusvis Religionis, Ordinis, & Dignitatis, Abbatiali, Episcopali, Archiepiscopali, & Patriarchali dignitate suffultis, Collegiis, & Universitatibus sub prædictis, ut suprà, excommunicationis ipso facto incurrendæ, interdicti Ecclesiastici respectivè, aliisque arbitrio nostro pœnis infligendis, etiam corporalibus, ne in posterum auderent imprimere, nec quoquo modo in lucem edere libros, Tractatus, compositiones ex professo, vel incidenter, etiam sub prætextu commentandi Divum Thomam, seu in Philosophicis agendi de concursu causæ primæ cum secunda, & præsertim defendendi, aut impugnandi librum dicti Iansenii, cui titulus, Augustinus, vel Theses Patrum Societatis Iesu, aliasque scripturas in calce dicti posterioris nostri Decreti, ut præfertur, registratas, & prohibitas, aut alia quavis occasione, vel modo de materia Auxiliorum divinorum, seu de gratia, & liberi arbitrio tractantes, sine expressa licentia à nobis in dicta Congregatione Sancti Officii obtinenda, donec aliud in hac materia à Sede Apostolica prædicta foret ordinatum. Absolutionem verò à prædicta excommunicatione, necnon interdicti suspensionem, & relaxationem, Nobis, & dictæ Congregationi reservavimus. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, etiam Sanctæ Cruciatæ, Jubilæi (etiam generalis) & facultatibus Missionariorum, ac aliis à dicta Sede emanatis, seu emanandis, quibus omnibus in hac parte derogavimus, voluimusque ea omnia suum plenarium sortiri effectum, omnesque contrafacientes, ut suprà, ligare, nec quenquam excusari posse, etiam sub prætextu, quod anteriora Decreta Pauli prædecessoris, & nostra aliàs, ut præfertur, edita non forent in Provinciis intimata, vel usu recepta. Irritum quoque, & inane decrevimus quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingeret attentari; contrariis quibuscumque non obstantibus. Et ne præmissorum ignorantia posset ab aliquo prætendi, voluimus ut posterius nostrum Decretum hujusmodi, seu illius exemplum, ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe, & in Acie Campi Floræ affixum, omnes ita arctaret, & afficeret, ac si unicuique personaliter intimatum foret. Nota verò librorum, & scripturarum prohibitarum, in calce posterioris Decreti nostri hujusmodi registratarum, hæc est. Liber cui titulus, Augustinus, impressus Lovanii Typis Iacobi Zegeri, anno 1640. & Parisiis 1641. Theses Theologicæ de Gratia, libero Arbitrio, & Prædestinatione, Antuerpiæ apud Ioannem Meursium, anno 1641. Cornelii Iansenii Iprensis Episcopi, &c. Laudatio Funeralis dicta à R. Fratre Ioanne à Lapide, &c. Lovanii, Typis Bernardini Marii, &c. Epistola idiomate Hispano, All'Eminentiss. y Reverendiss. Señor Cardenal de la Cueva de la Congregacion de la S.Inquisicion, por el P.Pedro Bivero de la Compañia de IESVS Predicador del Señor Cardenal Infante. Dat. in Buxellas 26. Enero 1641. Me-

moriale idiomate Hiſpano Cardinali Infanti Hiſpan.incip.Sereniſſ.Señor,& finiens,Como es V.Cathol.Real. A. Libellus, cui titulus, Humilis, & ſupplex querimonia Jacobi Zetgers Typogr. Lovan.adverſus Libellum R.P. S. I. Regiæ Capellæ Bruxell. Concionatoris,& Theſes PP.Societatis, Lovanii apud Iacobum Zetgers, anno 1641. primæ, ſecundæ, & tertiæ editionis. Memoriale ad Eminentiſſimum Cardinalem de la Cueva, circa querimoniam frivolam Ianſenianam,&c.contra Theſes Theologicas,& libellum ſupplicem,&c.Ejuſdem de eodem tela ingeſta, & regeſta. Theſes Theologicæ, Apologeticæ, & Miſcellaneæ adverſus doctrinam Cornelii, &c. ſub prætextu querimoniæ Typographi Lovanienſis, editionis ſecundæ, &c. Antuerpiæ apud Ioannem Meurſium, anno 1641. Libellus, cui titulus, Auguſtini Hipponenſis, & Auguſtini Iprenſis, de Deo omnes ſalvare volente, &c, Homologia, &c. Lovanii apud Iacobum Zetgers, anno 1641. Epiſtula Liberti Fromundi, & Henrici Caleni, Lovanii 16. Iunii 1641. R.P.Societatis Ieſu Lovan.incipiens, Theſes veſtras. Epiſtola Profeſſorum S.Thom. Colleg. Societ. Ieſu Lovan. Liberto Fromundo, & Henrico Caleno, incipiens, Gratias agimus, &c. Epiſtola, cui titulus, Petrus Biverus Doctoribus Ianſenianis, &c. Ad rem, Ad rem, &c. incipiens Ad rem, Amici, &c. Somnium Hipponenſe, ſive de Controverſiis, &c. Relatore Philetimo S.T. Baccal. Formato, Pariſiis anno 1641. Inſuper omnes alii libri, Opuſcula, Epiſtolæ, Orationes, Theſes, &c. aliaque omnia tam edita hucuſque, quàm imprimenda; tam contra, quàm pro Cornelio Janſenio, ac Patribus Ieſuitis. Cùm autem ex diligenti, & matura ejuſdem libri, cui titulus, Auguſtinus, lectione, poſtmodùm compertum fuerit, in eodem libro multas ex propoſitionibus à prædeceſſoribus noſtris olim, ut præfertur, damnatas contineri, & magno cum Catholicorum ſcandalo, & auctoritatis dictæ Sedis contemptu, contra præfatas damnationes, & prohibitiones defendi: Nos huic malo, in ſcandalum totius Reipublicæ Chriſtianæ, & Fidei Catholicæ perniciem vertenti, opportunum remedium adhibere volentes, Conſtitutionis Gregorii, ac Pauli prædeceſſorum prædictorum noſtrorum, necnon Decretorum hujuſmodi totos, & integros tenores, ac Datas etiam veriores præſentibus pro totaliter expreſſis, & inſertis habentes, motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac perpetuò valitura Conſtitutione ejuſdem Pii, & Gregorii prædeceſſorum hujuſmodi Conſtitutiones prædictas, omniaque, & ſingula in eis contenta, Apoſtolica authoritate tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, librumque prædictum, cui titulus eſt, Auguſtinus, Articulos, opiniones, & ſententias in dictis Conſtitutionibus reprobatas, atque damnatas, ut à nobis compertum eſt, continentem, & renovantem, aliaque omnia opera præſentibus noſtris litteris ſubinſerta, quæ aliis ſub poſteriori Decreto noſtro prædicto regiſtratis, per præſentes addimus, atque adjungimus, eadem auctoritate, per præſentes omnino prohibemus, ac pro vetitis, & prohibitis haberi volumus, & mandamus. Iubentes inſuper ſub omnibus pœnis, & cenſuris in prædicta Conſtitutione Pii prædeceſſoris contentis (à quibus nullus Romano Pontifice inferior, excepto mortis articulo, abſolvere contrafacientes poſſit) ne quis cujuſcumque conditionis, & qualitatis ſit, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota, & expreſſione dignus, de prædictis, ut ſuprà, damnatis, & in prædicto libro contentis, aliiſque (ut infrà) ſubinſertis Articulis, opinionibus, ſententiis, libellis, orationibus, ſcripturis, Epiſtolis, Theſibus quoquo pacto loqui, ſcribere, & diſputare audeat; Librumque, & alia prædicta penes ſe retinere, vel legere præſumat; remanente nihilominus in reliquis in ſuo robore poſteriori Decreto à nobis in ſacra ſupremæ, & Univerſalis Inquiſitionis Congregatione, ut præfertur, edito: Decernenteſque ſic, & non aliàs in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Interpretes, Doctores, Academias, Univerſitates, & Studia generalia, aliaſque perſonas, Judices Ordinarios, delegatos, mixtos, etiam Nuntios noſtros, & Sedis prædictæ, ſublata eis, & eorum cuilibet qualibet aliter judicandi, & interpretandi, ac gloſſandi, & decidendi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere; irritumque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter attentatum forſan eſt hactenus, vel impoſterum contigerit attentari. Non obſtantibus omnibus, quæ in dicto noſtro poſteriori decreto voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Opera verò addita aliis in calce poſterioris noſtri Decreti, ut præfertur, regiſtratis, & prohibitis, ſunt ſequentia, videlicet: Liberti Fromundi ſacræ Theologiæ Doctoris, &c. Brevis Anatomia hominis, Lovanii apud Iacobum Zetgers, &c. anno 1641. Conventus Africanus, ſive diſceptatio judicialis apud Tribunal Præſulis Auguſtini, &c. enarratore Artemidoro Oneirocritico, A Rouen, chez Nicolas de Montagne, anno 1641. Memorial au Roy, incipiens, Iean Ianſenius Chanoine, &c. & finiens, contra illa duo Decreta Summorum Pontificum, &c. Item atteſtatio notarialis, &c. incipiens, Ego infraſcriptus, & finiens, Petrus Mintaret Notarius. Approbatio ſub nomine nonnullorum Theologorum ex variis Religionibus, tam Ordinum Monachalium, quàm Mendicantium, necnon Archiepiſcopi Philippenſis, aliorumve Theologorum Clericorum Sæcularium, Doctrinæ Cornelii Ianſenii in dicto libro Auguſtinus contentæ, incipiens: Quid cenſendum ſit de doctrina in opere Reverendiſſimi D.Cornelii Janſenii Epiſcopi Iprenſis fel. mem. nuncup. Auguſtinus, contenta, patebit ex ſubſequentibus atteſtationibus Doctiſſimorum virorum in Belgio, & alibi exiſtentium, &c. & finiens: Et me publico, & Apoſtolico, ac dictæ Univerſitatis Notario, & Scriba jurato, quod atteſtor: Petrus Mintaret Notarius. Ut autem præſentes noſtræ litteræ, omniaque, & ſingula in eiſdem litteris, ut ſuprà contenta, ad omnium notitiam deducantur, nec illarum ignorantia ab aliquo allegari poſſit, volumus eaſdem præſentes noſtras litteras, ſeu earum tranſumptum, etiam impreſſum (cui manu Notarii publici ſubſcripto, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munito plenam ubique locorum, & tam in judicio, quàm extra illud fidem adhiberi decernimus) in Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, & Cancellariæ Apoſtolicæ valvis, atque in acie Campi Floræ per aliquos ex Curſoribus Palatii Apoſtolici publicari, & affigi, earumque copiam inibi affixam dimitti, publicationemque, affixionem, & copiæ affixæ dimiſſionem hujuſmodi in omnibus, & quoad omnia ſufficere, & pro ſolemni, & legitima haberi, nec aliam publicationem in Regnis, Provinciis, Civitatibus, Oppidis, & locis requiri, aut expectari debere, omneſque, & ſingulos perinde arctare, & afficere, ac ſi unicuique nominatim, ac perſonaliter intimatæ, atque præſentatæ fuiſſent. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, approbationis, additionis, adjunctionis, prohibitionis, juſſionis, Decreti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1640. Pridie Nonas Martii, Pontificatus noſtri anno 19.

E. DAT. Viſa de Curia, P.Gentilis. F. Morolus.

P. Ciampinus.

Anno

Anno à Nativitate D.N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo tertio, Indictione undecima, die verò 19. Junii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Urbani Divina Providentia Papæ VIII. anno ejus vigesimo, supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ, atque in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Joan. Baptistam Rscium ejusdem Sanctiss. D.N. Papæ, ac Sanctæ Inquisitionis Cursorem.

Sanctissimi Domini nostri Alexandri Divina providentia Papæ VII. Confirmatio, & Declaratio Constitutionis Innocentii Papæ X. qua damnatæ sunt quinque Propositiones excerptæ à libro Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis, cui Titulus, Augustinus.

ALEXANDER EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, Universis Christi fidelibus salutem, & Apostolicam benedictionem.



D Sanctam Beati Petri Sedem, & Universalis Ecclesiæ regimen, inscrutabili Divinæ Providentiæ dispositione, nullis nostris suffragantibus meritis evecti, nihil Nobis antiquius ex muneris nostri debito esse duximus, quàm ut Sanctæ Fidei nostræ, Deo præstante, opportunè consuleremus: ac licet ea, quæ Apostolicis Constitutionibus abundè fuerunt definita, novæ Decisionis, sive Declarationis accessione nequaquam indigeant; quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores illa in dubium revocare, vel subdolis interpretationibus labefactare non verentur, ne morbus iste latiùs divagetur, promptum Apostolicæ authoritatis remedium censuimus non esse differendum. Emanavit siquidem aliàs à fœl. rec. Innocentio Papa X. Prædecessore nostro Constitutio, Declaratio, & Definitio tenoris, qui sequitur, videlicet: Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei. Universis Christi fidelibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Cùm occasione impressionis libri, cui titulus, Augustinus, Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præsertim in Galliis, controversia super quinque ex illis, complures Galliarum Episcopi apud Nos institerunt, ut easdem Propositiones Nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam. Tenor verò præfatarum propositionum est prout sequitur. Prima: Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant. Secunda: Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. Tertia: Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione. Quarta: Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. Quinta: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse. Nos, quibus inter multiplices curas, quæ animum nostrum assiduè pulsant, illa in primis cordi est, ut Ecclesia Dei Nobis ex alto commissa, purgatis pravarum opinionum erroribus tutò militare, tanquam navis in tranquillo mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus ac procellis, securè navigare, & ad optatum salutis portum pervenire possit: Pro rei gravitate coram aliquibus S.R.E. Cardinalibus ad id specialiter sæpiùs congregatis, ac pluribus in Sacra Theologia Magistris, easdem quinque Propositiones, ut supra, Nobis oblatas, fecimus sigillatim diligenter examinari, eorumque suffragia tum voce, tum scripto relata maturè consideravimus, eosdemque Magistros, variis coram Nobis actis congregationibus, prolixè super eisdem, ac super earum qualibet disserentes audivimus. Cùm autem ab initio hujuscemodi discussionis ad Divinum implorandum auxilium multorum Christi fidelium preces, tum privatim, tum publicè indixissemus; postmodùm iteratis eisdem ferventiùs, ac per Nos solicitè implorata Sancti Spiritus assistentia, tandem Divino Numine favente ad infrascriptam devenimus declarationem, & definitionem. Primam prædictarum Propositionum: Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant; temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Secundam: Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur; hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Tertiam: Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione; hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Quartam: Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare, falsam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Quintam: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse; falsam, temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit; impiam, blasphemam, contumeliosam, Divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Mandamus igitur omnibus Christi fidelibus utriusque sexus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quàm in hac præsenti nostra declaratione, & definitione continetur, sub censuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in jure expressis. Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, necnon hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores, & rebelles quoscumque per censuras, & pœnas prædictas, cæteraque juris, & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii sæcularis, omninò coërceant, & compescant. Non intendentes tamen

men per hanc declarationem, & definitionem super prædictis quinque propositionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Iansenii.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ 1653. pridie Kal. Junii, Pontificatus nostri anno 9.

Cùm autem, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis Filii prædictas quinque Propositiones, vel in libro prædicto ejusdem Cornelii Jansenii non reperiri, sed fictè, & pro arbitrio compositas esse, vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse, asserere magno cum Christi fidelium scandalo non reformident: Nos qui omnia, quæ hac in re gesta sunt, sufficienter, & attentè perspeximus, utpote qui ejusdem Innocentii Prædecessoris jussu, dum adhuc in minoribus constituti, Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis Congressibus interfuimus, in quibus Apostolica authoritate eadem causa discussa est, ea profectò diligentia, qua major desiderari non posset, quamcunque dubitationem super præmissis imposterum auferre volentes, ut omnes Christi fideles in ejusdem fidei unitate sese contineant, ex debito nostri Pastoralis Officii, ac matura deliberatione, præinsertam Innocentii Prædecessoris nostri Constitutionem, Declarationem, & Definitionem, harum serie confirmamus, approbamus, & innovamus, & quinque illas Propositiones ex libro præmemorati Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus est, Augustinus, excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse declaramus, & definimus, ac uti tales, insuta scilicet eadem singulis nota, quæ in prædicta declaratione, & definitione unicuique illarum sigillatim inuritur, iterum damnamus, ac eundem librum sæpedicti Cornelii Iansenii, cui titulus, *Augustinus*, omnesque alios tam manuscriptos, quàm Typis editos, & si quos forsan imposterum edi contigerit, in quibus prædicta ejusdem Cornelii Iansenii Doctrina, ut supra damnata defenditur, vel astruitur, aut defendetur & astruetur, damnamus itidem, atque prohibemus. Mandantes omnibus Christi fidelibus, ne prædictam doctrinam teneant, prædicent, doceant verbo, vel in scriptis exponant, vel interpretentur publicè, vel privatim, palam, vel occultè imprimant, sub pœnis, & censuris contra hæreticos in jure expressis ipso facto, absque declaratione incurrendis. Præcipimus igitur omnibus Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque locorum Ordinariis, ac hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ac Iudic bus Ecclesiasticis, ad quos pertinet, ut præinsertam ejusdem Innocentii Prædecessoris Constitutionem, Declarationem, ac definitionem juxta præsentem nostram Determinationem ab omnibus observari faciant, ac inobedientes, & rebelles prædictis pœnis, aliisque juris, & facti remediis, invocato etiam, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, omnino coërceant.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ 1656. 17. Kal. Novembris, Pontificatus Nostri Anno 2.

I. Card. Prodat.

G. Gualterius.

Visa de Curia. P. Ciampinus.

In nomine Domini, Amen. Anno à Nativitate ejusdem Domini nostri Iesu Christi 1656. Indictione 9. Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Alexandri divina providentia Papæ VII. anno ejus 2. die verò 7. mensis Novembris, retroscripta litteræ sub Plumbo expeditæ, affixæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de urbe, Cancellariæ Apostolicæ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Paulum de Grassis, Apostolicum Cursorem.

Pro Magistro Cursorum, Iacobus Cornelius Cursor.

Feria 5. die 24. Ianuarii 1647.

IN generali Congregatione sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram sanctissimo Domino Innocentio divina providentia Papa X. ac Illustrissimis, & Reverendissimis Dominis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in Universa Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus à S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

Editus est anno 1645. Liber Gallico idiomate impressus, cui titulus, *De l'Authorité de S.Pierre, & de S.Paul, qui reside dans le Pape successeur de ces deux Apostres*, absque nomine Authoris, & impressionis loco: Hujus libri evulgationem subsequuta est editio alterius Libri Anonymi eodem idiomate impressi, cui titulus, *La Grandeur de l'Eglise Romaine establie sur l'Authorité de S.Pierre, & de S.Paul*: Necnon Epistolæ ejusdem argumenti Latino idiomate conscriptæ, ac typis excusæ, plurimis adductis, atque congestis Sanctorum Patrum, Summorum Pont ficum, Sacrorum Conciliorum, & Doctorum locis.

Quocirca, ne in re tanti ponderis error aliquis mentibus Christi fidelium irreperet, libris prædictis de mandato Sanctissimi maturè examinatis, locisque addictis diligenter inspectis, ac ponderatis.

Sanctissimus relatâ unanimi Theologorum ad hoc specialiter deputatorum censura, & auditis votis Eminentiss. & RR. DD. Cardinalium Generalium Inquisitorum, Propositionem hanc: S.Petrus, & S. Paulus sunt duo Ecclesiæ Princ pes, qui unicum efficiunt; vel sunt duo Ecclesiæ Catholicæ Coryphæi, ac supremi Duces summa inter se unitate conjuncti; vel sunt geminus universalis Ecclesiæ vertex, qui in unum divinissimè coaluerunt; vel sunt duo Ecclesiæ Summi Pastores, ac Præsides, qui unicum caput constituunt, ita explicatam, ut ponat omnimodam æqualitatem inter Sanctum Petrum, & S. Paulum sine subordinatione, & subjectione S.Pauli ad S.Petrum in potestate suprema, & regimine universalis Ecclesiæ, hæreticam censuit, & declaravit.

Epistolam verò, ac libros prædictos, aliosque, in quibus propositio ut suprà explicata & damnata asseritur, & defenditur, tam impressos, quàm imprimendos, quocunque idiomate, aut quomodolibet etiam in scriptis evulgatos, vel in posterum evulgandos, Sanctitas sua omninò damnatos, & prohibitos esse voluit, prout præsenti Decreto damnat, & prohibet.

Mandans

Mandans ut nemo cujuscunque gradus, & conditionis existat, etiam speciali, seu specialissima notâ dignus, libros prædictos, aut aliquem ex illis apud se retineat, aut legat, nec imprimere, aut imprimi curare audeat, sub censuris, & pœnis contra hujusmodi delinquentes statutis, sed statim à præsentis Decreti notitia, quicunque illos habuerit, locorum Ordinariis, seu Inquisitoribus consignare teneatur.

Ioannes Antonius Thomasius, Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Notarius.

Anno à Nativitate Domini N.I.C. 1647. Indictione 15. die verò 25. mensis Ianuar. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Innocentii divina providentia Papa X. anno ejus 3. supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, & S. Petri de urbe, necnon ad valvas Palatii Sacra Inquisitionis, & Cancellaria Apostolica, ac in acie Campi Flora, ut moris est, per me Hieronymum Mascellam ejusdem Sanctissimi Domini nostri Papa, & Sanctiss. Inquisitionis Cursorem.

Decretum Sacra Congregationis suprema & Universalis Inquisitionis in tota Republica Christiana à sancta Sede contra Hæreticam pravitatem specialiter deputata.

Feria 5. die 15. Ianuarii 1654.

CIRCUMFERTUR in urbe, & forsan aliis in locis quoddam manuscriptum idiomate Hispano exaratum, quod incipit, Por mano d'este Nuncio recivió Su Excellencia vna Carta, &c. & finit, Lo que mas convenga al servicio de Dios, bien de las Almas, y recta Iusticia. Cujus manuscripti Auctor (ut publicè fertur) est Benedictus de Treglies, Collateralis Consilii, sive Cancellariæ Neapolitanæ Regens, in quo inter alias Propositiones temerarias, & scandalosas habetur quæ infra sequitur, videlicet, La Iurisdicion Ecclesiastica que toca à su Santidad como a Pontifice, fuera de su territorio temporal respicit causas, & personas, y a determinadas causas, y personas se restringe, y en ellas solamente se puede exercitar, pero el territorio no es suio, sino del Rey, y assi como quien exercita jurisdicion en ageno territorio, tiene obligacion a pedir el beneplacito al Dueño de la jurisdicion de aquel territorio, assi quando sin tener jurisdicion de territorio quiere el Pontifice exercitarla en el del Rey sobre las causas, o personas en quien le toca, deve permitir, se examinen por el Principe temporal sus rescriptos, paraque reconozca si son de su jurisdicion las causas, y personas que en ellos se contienen.

Quam quidem propositionem jussu sanctissimi D.N. Innocentii Papæ X. à Qualificatoribus Supremæ, & Universalis Inquisitionis examinatam, & perpensam, iidem Qualificatores unanimi consensu, Schismaticam, & Hæreticam censuerunt.

Quocirca ne ex lectura præfati manuscripti pravis opinionibus, & hæresibus Christi fideles inficiantur, & depraventur, eadem Saca Congregatio Supremæ, & Universalis Inquisitionis prædictum manuscriptum, sive Hispano, sive alio quocunque idiomate circumferatur, & divulgetur, de speciali mandato Sanctitatis suæ omninò prohibet, & damnat sub pœnis, & censuris in Indice librorum prohibitorum contentis.

Et nisi illius Auctor quamprimùm sese expurgaverit, censutis, ac aliis pœnis Ecclesiasticis intelligat se omninò coërcendum.

Ioannes Antonius Thomasius, Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Notarius.

Anno à Nativitate D.N. Iesu Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo quarto, Indictione septima, die verò 16. Ianuarii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D.N.D. Innocentii Divina Providentia Papa X. Anno ejus decimo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, & S. Petri de Urbe, necnon ad Valvas Palatii Sacr. Inquisitionis, Cancellaria Apostolica, ac in acie Campi Flora, ut moris est, per me Hieronymum Mascellam ejusdem Sanctiss. D.N. Papa, ac Sancta Inquisitionis Cursorem.

FERIA V. DIE 8. JULII 1660.

In Congregatione generali Sancta Romana, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico apud Sanctam Mariam Majorem coram Sanctissimo D. N. ALEXANDRO Divina Providentia Papa VII. ac Eminentiss. & Reverendiss. DD. S. R. E. Cardinalibus in Universa Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Inquisitoribus generalibus à Sede Apostolica specialiter deputatis.

LICET aliàs per Constitutionem fel. record. Pauli V. emanatam sub die prima Septembris M. DC. VI. quæ incipit, Romanus Pontifex, fuerit districtè prohibitum Superioribus Regularium, ne quovis titulo, vel prætextu præventionis, aut consuetudinis, & præscriptionis, etiam immemorabilis, aut

alio in causis ad Sanctum Officium spectantibus, se quoquo modo intromittere, aut immiscere, denunciationes recipere, testes examinare, processus conficere, causas cognoscere, aut examinare audeant; imò ex ejusdem Constitutionis dispositione eisdem fuerit graviter injunctum, ut suos subditos, ac Religiosos, quos hæresis labe infectos, vel de hæresi suspectos noverint, absque alia consultatione cum propriis suæ Religionis Superioribus, vel alia quavis persona facienda, sine mora Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis vicinioribus denuncient: Nihilominus animadvertens Sanctissimus D.N. ALEXANDER VII. ab aliquibus Regularibus in dubium revocari prædictam denunciandi obligationem, adeò ut nedum suos subditos non denuncient, verùm etiam fideles ad ipsos pro consilio recurrentes, an debeant Sancto Officio denunciare quæ audierunt, aut viderunt, ad ipsum Sanctum Officium spectantia, ad id faciendum, ut debetent, non obligent, imò aliquando eosdem perperam instruant, non teneri, nec sub obligatione Constitutionum Apostolicarum comprehendi; & hanc opinionem erroneis aliquot Doctorum sententiis confirmare tentantes, eosdem in maximum fidei discrimen ab onere denunciandi retrahere conentur. Volens proinde Sanctitas Sua abusum hujusmodi ex sui pastoralis officii debito coërcere, post maturam facti discussionem, auditis votis Eminentissimorum, & Reverendissimorum DD. Cardinalium adversus hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum, innovans Constitutionem prædictam à felic. record. Paulo V. emanatam, & quatenus opus sit, eam declarans. Hoc præsenti decreto districtè præcipit, & mandat omnibus, & singulis Regularium Generalibus, Provincialibus, Abbatibus, Prioribus, Guardianis, Rectoribus, Præpositis, aliisque ejusmodi quocunque nomine nuncupatis Superioribus cujuscunque Ordinis, & Instituti, sive Mendicantium, sive non Mendicantium, necnon Congregationis, & Societatis Clericorum Regularium quorumcunque, etiam Societatis JESU, aliorumque quomodocunque exemptorum, vel non exemptorum, etiamsi essent specialiter, & nominatim exprimendi, ut omninò dictæ Constitutioni in omnibus pareant, & omnes, & quoscunque Religiosos, tam sibi ipsis subditos, quàm non subditos, cujuscunque dignitatis, gradus, & conditionis existant, hæreticos, vel de hæresi quomodocunque etiam leviter suspectos deferant, & judicialiter denuncient Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis, & nullatenus in causis ad Sanctum Officium spectantibus audeant se intromittere, neque suos subditos ad Sanctum Officium recurrentes, vel recurrere, aut accedere volentes, molestare, vexare, vel alio quovis modo, sive directè, sive indirectè avertere, retrahere, dissuadere; imò prædictos suos subditos u onere debeant, ut ipsi quoque eidem decreto omninò pareant, & alios Christi fideles, etiam Confratres suos ad parendum pariter hortentur, & suadeant, rejectis penitus hujusmodi opinionibus, atque interpretationibus, quas Sanctitas Sua cum voto dictorum Eminentissimorum DD. Cardinalium, tanquam perniciosas, temerarias, & non consistentes, à mente Sanctitatis Suæ prorsùs alienas reprobavit, & reprobat. Et quia quandoque etiam eorum subditi deficiunt in eo, quod ipsis implendum incumbit cum Religiosis ejusdem, alteriusve Ordinis, aliisve quibuscunque personis de fide suspectis, cæterisque petentibus consilium in materiis ad Sanctum Officium spectantibus, itaut nedum ipsimet denunciationes differant, vel ab illis prorsùs abstineant; verùm etiam multoties ab eisdem alios à se consilium petentes retrahant malis artibus, vel mendicatis Doctorum opinionibus, vel sub fraternæ correctionis factæ, vel faciendæ, aliove prætextu. Proptereà idem Sanctissimus declaravit præfatos subditos absque ulla participatione, etiam nulla petita venia à Superioribus, etiamsi nulla fraterna correctio, vel alia monitio præmissa fuerit, omninò teneri, & obligatos esse accedere ad denunciandum Ordinariis, vel Inquisitoribus locorum quoscunque etiam Confratres, ac Superiores, etiam primarios suos ejusdem Ordinis, & Religionis, quos noverint esse de fide quomodolibet etiam leviter suspectos: ac proptereà eosdem debere omnes, & quoscunque etiam alios à se consilium, ut suprà, petentes monere, & obligare ad denunciandum, nec posse illos à denunciando sub dictæ fraternæ correctionis, vel alio quovis prætextu retrahere, aut retardare, & præfatos omnes, tam Superiores, quàm subditos contrafacientes Sanctitas Sua voluit, & declaravit subjacere omnibus censuris in dicta Constitutione Pauli V. expressis, necnon privationis quarumcunque Dignitatum, seu Prælaturarum, seu officiorum suorum Ordinum, ac vocis activæ & passivæ, perpetuæque inhabilitatis ad eadem ipso facto, & absque alia declaratione incurrendis, aliisque Sanctitatis Suæ, ac successorum arbitrio infligendis pœnis, quarum relaxationem, suspensionem, absolutionem, vel dispensationem Sanctitas Sua sibi ipsi, & successoribus suis Romanis Pontificibus tantùm expressè reservavit. Et ne præmissorum prætendi possit ignorantia, idem Sanctissimus mandavit sub eisdem pœnis, ipso pariter facto incurrendis, & ut suprà reservatis, ut Superiores omnes præfati in quocunque loco, Conventu, vel Collegio sui Ordinis, Decretum hoc semel saltem singulis annis Kalendis Martii in publica mensa, vel aliàs in Capitulo ad hoc specialiter convocato legi curent unà cum aliis Decretis, & Constitutionibus Apostolicis ad Sanctum Officium Inquisitionis adversùs hæreticam pravitatem pertinentibus, quotannis legi solitis, juxta Decretum fel. record. Urbani VIII. Et insuper iidem Superiores teneantur curare, & efficere, ut hujus Decreti exempla aliquo in loco apud eos publicè affigantur, & affixa conserventur, itaut ab iisdem subditis Religiosis omnibus videri, ac legi commodè queant. Deque hujusmodi lectione, & commonitione publico documento ab iisdem Superioribus Conventus, vel Domus subscripto, unaque ab aliis duobus Religiosis ejusdem Domus, vel Conventus, statim certiorem facere Congregationem Sanctissimæ Inquisitionis in Urbe, vel locorum Inquisitores ubi sunt. Statuitque prætereà Decretum hoc, seu illius exemplum ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & in Acie Campi Floræ affixum, omnes ubique existentes arctare, & afficere, ac si unicuique personaliter fuisset intimatum.

Loco † Sigilli. JOANNES LUPUS S.Romanæ, & Universalis Inquisitionis Not.

Anno à Nativitate D.N. JESU CHRISTI millesimo sexcentesimo sexagesimo, Indictione decima tertia, die verò vigesima quarta mensis Augusti, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Alexandri Divina Providentia Papæ VII. anno ejus sexto, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ S.Petri de Urbe, necnon ad valvas Palatii S.Inquisitionis, ac in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Hieronymum Mascellam, ejusdem Sanctissimi D.N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

Innovatio

Innovatio Constitutionum, & Decretorum in favorem sententiæ asserentis, animam B. Mariæ Virginis in sui creatione & in corpus infusione à peccato originali præservatam fuisse, editorum.

ALEXANDER PAPA SEPTIMUS.

Ad perpetuam rei memoriam.



Ollicitudo omnium Ecclesiarum, quam licet meritis & viribus longè impares, Dei Optimi Maximi voluntate, & providentia gerimus, in id Nos anxiè tenet intentos & vigilantes, ut scandala quæ inter fideles pro humanæ naturæ corruptione & fragilitate necesse est ut veniant, quantum fieri potest, paucissima exoriantur, utque exorta quàm celerrimè, & quàm diligentissimè amoveantur: nam iis per quos veniunt, certam peccati perniciem, quibus verò præbentur, præsens afferunt labendi periculum: quorum Nos pro nostro pastoralis officii debito, & damnum summoperè dolemus, & discrimine assiduè urimur. Sanè vetus est Christi fidelium erga ejus Beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas, sentientium ejus animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia & privilegio, intuitu meritorum Iesu Christi ejus filii, humani generis Redemptoris, à macula peccati originalis præservatam immunem, atque in hoc sensu ejus Conceptionis festivitatem solemni ritu colentium, & celebrantium: crevitque horum numerus, atque hujusmodi cultus post editas à fel. rec. Sixto PP. IV. prædecessore nostro in ejus commendationem Apostolicas Constitutiones, quas sacrum Concilium Tridentinum innovavit, atque observari mandavit. Aucta rursus, & propagata fuit pietas hæc, & cultus erga Deiparam post erecta hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, religiosorum Ordinem, & Confraternitates, ac concessas ab iisdem indulgentias, itaut accedentibus quoque plerisque celebrioribus Academiis ad hanc sententiam, jam ferè omnes Catholici eam complectantur. Et quia ex occasione contrariæ assertionis in concionibus, lectionibus, conclusionibus, & actibus publicis, quod nempe eadem Beatissima Virgo Maria fuerit concepta cum peccato originali, oriebantur in populo Christiano cum magna Dei offensa scandala, jurgia, & dissensiones, rec. mem. Paulus PP. V. etiam prædecessor noster vetuit horum opinionem præfatæ sententiæ contrariam publicè doceri, aut prædicari. Quam prohibitionem piæ mem. Gregorius PP. XV. similiter prædecessor noster ad privata etiam colloquia extendit, mandans insuper in favorem ejusdem sententiæ, ut in sacrosancto Missæ sacrificio, ac divino officio celebrandis, tam publicè, quàm privatim, non alio quàm Conceptionis nomine uti quicunque debeant. Nihilominus, prout venerabiles fratres Episcopi ferè omnes Hispaniarum cum Ecclesiarum suarum Capitulis, datis ad Nos litteris exposuerunt, accedente etiam insinuatione charissimi in Christo filii nostri Philippi earundem Hispaniarum Regis Catholici, qui specialem super hoc misit ad Nos Oratorem venerabilem fratrem Ludovicum Episcopum Placentinum, per quem etiam delatæ fuerunt ad Nos supplicationes Regnorum earundem Hispaniarum, pergunt aliqui contrarii illius opinionis assertores contra præfatas prohibitiones tum privatim, tùm publicè præfatam sententiam aut impugnare, aut vellicare, & favorem à Romanis Pontificibus cultui, & festo secundùm illam præstitum ita interpretari, ut frustrentur; imò Ecclesiam Romanam huic sententiæ, & cultui juxta illam Beatæ Virgini exhibito favere negant, pios Christi fideles è sua pacifica quasi possessione deturbare conando, unde offensiones, scandala, & jurgia, quibus obviare voluerunt Paulus V. & Greg. XV. nostri prædecessores, perdurant adhuc, & ex occasione eorundem adversantium majora his incommoda in posterum prudenter, & meritò timentur. Quapropter super his tam præfati Episcopi cum Ecclesiarum suarum Capitulis, quàm memoratus Philippus Rex, ejusque Regna nobis pro opportuno remedio instanter supplicari fecerunt. Nos considerantes, quod Sancta Romana Ecclesia de intemeratæ, semperque Virginis Mariæ Conceptione festum solemniter celebrat, & speciale, ac proprium super hoc officium olim ordinavit juxta piam, devotam, & laudabilem institutionem, quæ à Sixto IV. prædecessore nostro tunc emanavit; volentesque laudabili huic pietati, & devotioni, & festo, ac cultui secundùm illam exhibito in Ecclesia Romana post ipsius cultus institutionem nunquam immutato, Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum exemplo favere, necnon tueri pietatem & devotionem hanc colendi & celebrandi Beatissimam Virginem, præveniente scilicet Spiritus sancti gratia à peccato originali præservatam, cupientesque in Christi grege unitatem spiritus in vinculo pacis, sedatis offensionibus, & jurgiis, amotisque scandalis, conservare: ad præfatorum Episcoporum cum Ecclesiarum suarum Capitulis, ac Philippi Regis, ejusque Regnorum oblatam Nobis instantiam ac preces, Constitutiones, & Decreta à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & præcipuè à Sixto IV. Paulo V. & Greg. XV. edita in favorem sententiæ asserentis, animam B. Mariæ Virginis in sui creatione & in corpus infusione Spiritus sancti gratiâ donatam, & à peccato originali præservatam fuisse, necnon & in favorem festi, & cultus Conceptioni ejusdem Virginis Deiparæ secundùm piam istam sententiam, ut præfertur, exhibiti, innovamus, & sub censuris, & pœnis in eisdem Constitutionibus contentis observari mandamus. Et insuper omnes, & singulos, qui præfatas Constitutiones, seu Decreta ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictæ sententiæ, & festo, seu cultui secundùm illam exhibito frustrentur, vel qui hanc eandem sententiam, festum, seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo, directè, vel indirectè, aut sub quovis prætextu, etiam de finibilitatis ejus examinandæ, sive S. Scripturam, aut SS. Patres, sive Doctores glossandi, vel interpretandi, denique alio quovis prætextu, seu occasione, scripto, seu voce loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quicquam determinando, aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo, & insoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo disserendo, ausi fuerint, præter pœnas, & censuras in Constitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos subjacere volumus, & per præsentes subjicimus, etiam concionandi, publicè legendi, seu docendi, & interpretandi facultate, ac voce activa, & passiva in quibuscunque electionibus eo ipso absque alia declaratione privatos esse volumus, necnon ad concionandum, publicè legendum, docendum, & interpretandum perpetuæ inhabilitatis pœnas ipso facto incurrere absque alia declaratione, à quibus pœnis non nisi à Nobis ipsis, vel à successoribus nostris Romanis Pontificibus absolvi, aut super iis dispensari possint: necnon eosdem aliis pœnis nostro & eorundem Romanorum Pontificum successorum nostrorum arbitrio infligendis pariter subjacere volumus, prout subjicimus per præsentes, innovantes Pauli V. & Greg. XV. superius memoratas Constitutiones, sive Decreta. Ac libros in quibus præfata sententia, festum, seu cultus secundùm illam in du-

bium

bium revocatur, aut contra ea quomodocunque, ut suprà, aliquid scribitur, aut legitur, seu locutiones, cõciones, tractatus, & disputationes contra eadem continentur, post Pauli V. supra laudatum Decretum edita, aut in posterum quomodolibet edenda, prohibemus sub pœnis, & censuris in Indice librorum prohibitorum contentis, & ipso facto absque alia declaratione pro expressè prohibitis haberi volumus, & mandamus. Vetamus autem Sixti IV. Constitutionibus inhærentes, quempiam asserere, quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, aut mortale peccatum incurrant; cùm à Romana Ecclesia, & ab Apostolica Sede nondum fuerit hoc decisum, prout Nos nunc minimè decidere volumus, aut intendimus: quin potiùs contrariam illam opinionem hæresis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, præter pœnas, quibus eos subjecit Sixtus IV. aliique prædecessores nostri Romani Pontifices, gravioribus aliis pœnis subjicimus, quas in contrafacientes huic nostræ Constitutioni superiùs inflximus. Volentes quod contra hujus nostræ Constitutionis transgressores, etiam regulares cujusvis Ordinis, & Instituti, etiam Societatis Iesu, & quomodolibet exemptos, & alias quascumque Ecclesiasticas, & seculares personas cujuscunque status, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quam sæcularis, ut præfertur, tam Episcopi, & Prælati superiores, aliique locorum Ordinarii, quàm hæreticæ pravitatis ubique locorũ deputati Inquisitores procedant, & inquirant, atque in eos strictè animadvertant: Nos enim iis, & eorum cuilibet contra eosdem transgressores procedendi, & inquirendi, ac pœnis coërcendi, & puniendi liberam facultatem, & auctoritatem iisdem auctoritate, & tenore tribuimus, & impartimur, eosque, ut præfertur, procedere, inquirere, & punire strictè præcipimus, & mandamus. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusvis indultis, & literis Apostolicis quibusvis personis quantumcunque qualificatis, & in quacunque, etiam Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, & quavis alia dignitate, & honore constitutis, etiam quod contra eos procedi, interdici, suspendi, vel excommunicari nequeat, quomodolibet concessis. Quibus omnibus, & eorum singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de eis, ipsorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per generales, etiam id importantes, clausulas mentio habenda, aut alia exquisita forma observanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, harum serie specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Ut autem hæc nostra Constitutio, & præmissa omnia ad eorum omnium, quorum interest notitiam congruentiùs pervenire possint, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna privationis ab ingressu Ecclesiæ eo ipso incurrenda præcipimus, & mandamus omnibus, & singulis locorum Ordinariis, ac eorum Vicariis, Suffraganeis, & Officialibus quibuscunque, & aliis singulis, ad quos quomodolibet spectat, & pertinet, quatenus hujusmodi nostram Constitutionem singulis suæ Diœcesis, vel districtus prædicatoribus, & aliis, quibus expedire judicaverit, opportunè insinuent, & publicent, ac insinuari, & publicari faciant, ne quis in posterum quoquo modo ignorantiam de præmissis possit prætendere, aut se contra præmissa valeat excusare. Volumus, & similiter eadem auctoritate decernimus, & mandamus, quod præsentes literæ per aliquos ex nostris Cursoribus in Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ valvis, ac in acie Campi Floræ de Urbe de more publicentur, & affigantur; quæ affixio & publicatio ita omnes & singulos, ad quos spectat, afficiat, & arctet, ac si illis personaliter intimatæ fuissent; & quod illarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus litteris adhiberetur, si ostensæ, vel exhibitæ forent. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 8. Dec. 1661. Pontificatus nostri anno 7.

S. VGOLINVS.

Anno 1661. Indictione 13. die verò 11. mensis Dec. Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Alexandri Divina Providentia Papa VII. anno 7. subscripta litteræ affixa, & publicata fuerunt in Basilicarum S. Ioan. Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, ac Cancellaria Apostolica valvis, & in acie Campi Flora, ut moris est, per me Andream Castruccium prelibati Sanctiss. D. N. PP. Curs.

Pro D. Mag. Curs. Petrus Paulus Desiderius, Curs.

FERIA V. DIE 24. SEPTEMBRIS 1665.

In Congregatione generali Sancta Romana, & Vniversalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctiss. D. N. ALEXANDRO Divina Providentia Papa VII. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SANCTISSIMUS D.N. audivit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianæ Disciplinæ relaxativas, & Animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodere: & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omninò ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela. Quare ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu veriùs perverti contingeret, idem Sanctissimus D.N. ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem, via pro pastorali sollicitudine in rectam semitam evocaret, earundem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis, & Reverendissimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus seriò commisit. Qui tantum negotium strenuè aggressi, eique sedulò incumbentes, & maturè discussis usque ad hanc diem infrascriptis propositionibus, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati Suæ sigillatim exposuerunt.

PROPOSITIO

PROPOSITIO 1. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2 Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3 Sententia asserens, Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Iulij in Consistorio Sacræ Congregationis Emin. Cardinalium visa, & tolerata est.

4 Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

5 Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

6 Confessarius, qui in sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam posteà legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non est denunciandus.

7 Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante: hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.

8 Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.

9 Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendij sibi retenta.

10 Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre: Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11 Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

12 Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13 Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.

14 Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15 Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16 Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17 Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis Viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18 Licet interficere falsum Accusatorem, falsos Testes, ac etiam Iudicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19 Non peccat Maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20 Restitutio à Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Iudicis, eo quòd sit pœna.

21 Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.

22 Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica pecuniâ interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficij, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23 Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, putà quia non vult se subjicere præcepto.

24 Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

25 Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26 Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest Iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27 Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.

28 Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum similium Propositionum examini cura, & studium impenditur, interea idem Sanctissimus re maturè considerata statuit, & decrevit, prædictas Propositiones, & unamquanque ipsarum, ut minimùm tanquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet: itaut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini Iudicij prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissima nota digrus, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

IOANNES LUPUS S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis Not. &c.

Loco † Sigilli.

Anno à Nativitate D. N. IESV CHRISTI millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto, Indictione tertia, die verò secunda mensis Octobris, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. Alexandri Divina Providentia Papa VII. anno undecimo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Vrbis per me Carolum Melanum ejusdem Sanctissimi D.N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

Feria V. Die 18. Martij 1666.

In Congregatione Sancta Romana, & universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo D. N. D. Alexandro Divina Providentia Papa VII. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter.

SAnctissimus D. N. post latum Decretum die xxiv. Septembris proximè elapsi, quo viginti octo Propositiones damnatæ fuerunt, examinatis sedulò, & accuratè usque ad hanc diem infrascriptis aliis quadragesimum quintum numerum implentibus, per plures in Sacra Theologia Magistros, ac per Eminentissimos, & Reverendissimos DD. Cardinales adversus hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, eorum suffragia sigillatim super unaquaque ipsarum audivit.

Propositio 29. In die Jejunij, qui sæpiùs modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit Jejunium.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunij, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolutè à præcepto jejunij omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque Eleemosynas, quas antea Beneficiatius de fructibus sui beneficij fecerit.

34. In die Palmarum recitans officium Paschale, satisfacit præcepto.

35. Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimùm, est consilium, non præceptum.

39. Illa particula *quamprimùm*, intelligitur cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarij, vulgò *regalo*, dum deficiente illo, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro Anima relictum, non durat plus quàm per decem annos.

44. Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45. Libri prohibiti donec expurgentur, possunt retineri usquedum adhibita diligentia corrigantur.

Quibus maturè pensatis, idem Sanctissimus statuit, ac decrevit, prædictas Propositiones, & unamquamque ipsarum, utminimùm tanquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet: Itaut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicij prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Ioannes Lupus Sancta Romana, & universalis Inquisitionis Not.

Loco † sigilli.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto, Indictione quarta, die verò 23. mensis Martij, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Alexandri divina Providentia Papæ VII. anno undecimo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Carolum Melanum ejusdem Sanctiss. D. N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.



INDEX



INDEX
RERUM NOTABILIUM,
quæ in hoc ſecundo Tomo continentur.

Primus numerus paginam, ſecundus numerum marginalem indicat.

bifariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantùm, altero quantum ad certum quendam modum, videlicet secundùm quem valeant operantem perducere ad regnum æternum (hoc est ad modum meritorium) commentitia est, & explodenda. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto, & omnibus circumstantiis rectum est, & bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt) vel quia est meritorium Regni æterni, eo quòd fit à vivo Christi membro per spiritum charitatis, rejicienda est. Sed & illa distinctio duplicis Iustitiæ, alterius, quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem; alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti, cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, qua divinæ Legis justificatio impleatur, similiter rejicitur. Item, & illa distinctio duplicis vivificationis; alterius, qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vitæ novæ propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, qua vivificatur, qui verè justificatur, & palmes vivus in Vite Christo efficitur, pariter commentitia est, & Scripturis minimè congruens. Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus; & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit, & docet. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod necessariò facit. Infidelitas purè negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est. Iustificatio impii fit formaliter per obedientiam Legis, non autem per occultam communicationem, & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos faciat implere legem. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem; & charitas, etiam perfecta, potest consistere cum reatu æternæ damnationis. Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti. Omnes omnino Iustorum afflictiones, sunt ultiones peccatorum ipsorum; unde & Iob, & Martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt. Nemo, præter Christum, est absque peccato originali; hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut aliorum Iustorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut & alii habitus pravi. Motus pravi concupiscentiæ, sunt pro statu hominis vitiati prohibiti præcepto, Non concupisces; unde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum, Non concupisces, quamvis transgressio in peccatum non deputetur. Quandiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Satisfactiones laboriosæ Iustificatorum, non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio. Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse à Deo creari, & institui sine Iustitia naturali. Quas quidem sententias stricto coram Nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, ut hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respectivè, ac quæcunque super iis verbo, scriptoque emissa, præsentium auctoritate damnamus, circumscribimus, & abolemus; deque eisdem, & similibus posthac quoquo pacto loquendi, scribendi, & disputandi, facultatem quibuscunque interdicimus. Qui secus fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, & officiis perpetuò privamus, ac etiam inhabiles ad quæcumque decernimus, vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus, à quo nullus Romano Pontifice inferior, valeat ipsos, excepto mortis articulo, liberare. Cæterùm, ut jam commori his de rebus tumultus, & contracta odia faciliùs comprimi possint, simulque animarum saluti plenius consulatur, Dilecto filio nostro Antonio tituli Sancti Bartholomæi in Insula Presbytero Cardinali Granvellano nuncupato, per Apostolica scripta mandamus, ut ipse, quid ad perpetuam dictarum sententiarum, & scripturarum abolitionem, quid ad arcenda hujusmodi proloquia, & disputationes, quid denique ad unionem, & pacem cum communi omnium, & Ecclesiæ Catholicæ satisfactione componendam facto opus sit, in primis diligenter expendat; deinde in iis omnibus, quæ pro communi salute, tranquillitate, & honore optimum judicaverit, salva semper Ecclesiæ prædictæ unitate, etiam per alium, seu alios fide, doctrina, & religione præstantes, ocyùs exequatur, faciatque quicquid decreverit, inviolatè ab omnibus observari, contradictores quoslibet per censuras, & pœnas prædictas, cæteraque juris, & facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachii sæcularis; non obstantibus quod forsitan aliquibus ab Apostolica sit Sede Indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicati non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem; & quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, Indulgentiis, & litteris Apostolicis specialibus, vel generalibus, quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus præsentium impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, corumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ damnationis, circumscriptionis, abolitionis, interdicti, decreti, & mandati, privationis, & innodationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, Kalendis Octobris, Pontificatus nostri anno secundo. Deinde qui piæ mem. Gregorius Papa XIII. etiam Prædecessor noster, intellecto per eum, non sine animi sui dolore, non defuisse tunc temporis aliquos Theologos, tum studiosos, tum professores, qui articulos in prædicta Constitutione damnatos asserere, & pertinaciter defendere pergerent; pro officii sui munere eorundem temeritatem, atque audaciam ad totius Ecclesiæ periculum pertinentem, minimè contemnendam, & dissimulandam censuit; sed ad coërcenda hujusmodi ingenia, per aliam suam Constitutionem, sub datum quarto Kalendas Februarii, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo septuagesimo nono, Pontificatus sui anno octavo editam, Pii prædecessoris constitutionem prædictam sua quoque auctoritate confirmavit, Articulosque ibidem comprehensos iteratò damnavit; & ne quis hac in re constantem Sedis Apostolicæ voluntatem, ac sententiam ignorare posset, suam hujusmodi confirmationis Constitutionem altera Pii V. comprehensa publicavit, & promulgavit. Postea recol. memor. Paulus Papa V. similiter Prædecessor noster, ad tollenda scandala, & dissensiones, quæ in Ecclesia Catholica oriebantur occasione

editionis

editionis librorum, & operum de Auxiliis tractantium, in Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis, sub die 1. Decembris Anni Domini 1611. coram ipso habita decrevit, ut scriberetur Nuntiis Apostolicis, quod notificarent, & ordinarent Superioribus Religionum, & Universitatibus Studiorum, & Ordinariis eorum Nuntiaturæ, ne sinerent imprimi in materia de Auxiliis, etiam sub prætextu commentandi S. Thomam, aut alio modo; & qui vellent de hac materia scribere, & imprimere, priùs mitterent Tractatus, & Compositionem ad dictam Sanctam Universalem Inquisitionem; & in executionem mentis dicti Pauli prædecessoris, ejusdem Decreti tenor omnibus prædictis per Nuntios respectivè fuit legitimè intimatus; successiveque ne contra prædictum Decretum aliquid attentari contingeret, sed scandala, & dissensiones omninò cessarent, Nos in alia Generali Congregatione dictæ Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis, Feria quinta die 22. Maii, Anno Domini 1625. per aliud Decretum nostrum, ipsum Pauli prædecessoris Decretum confirmavimus, & innovavimus; ac omnibus, & singulis cujusvis Religionis, Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam de necessitate exprimendæ, Regularibus, & aliis quibuscumque tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus personis cujuscunque status, conditionis, gradus, ordinis, & dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quàm sæcularis, ne imposterum auderent imprimere, vel quoquo modo in lucem edere libros, tractatus, vel compositiones, ex professo, vel incidenter, aut prætextu commentandi Divum Thomam, vel quemlibet alium Doctorem, aut alia quavis occasione, prætextu, vel modo, de materia Auxiliorum Divinorum tractantes, sine expressa, & speciali licentia à nobis in Congregatione Sancti Officii prædicta obtinenda, donec aliud in hac materia à Sede Apostolica foret ordinatum, districtè præcepimus, & mandavimus; & ut hujusmodi nostrum Decretum inviolabiliter observetur, voluimus, & declaravimus, contravenientes pœnas privationis Dignitatum, & officiorum suorum, vocis activæ, & passivæ, facultatis concionandi, publicè legendi, docendi, & interpretandi, ipso facto, absque alia declaratione incurrere; & nihilominus aliis etiam pœnis nostro, & successorum nostrorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis subjacere; librosque, quos ex tunc deinceps contra dicti nostri Decreti tenorem edi contingeret, absque alia declaratione, tanquam expressè prohibitos haberi; & Impressores, præter amissionem librorum, pecuniariis, aliisque corporalibus pœnis juxta criminis gravitatem teneri. Novissimè tandem accepto per nos in Oppido (Civitate nuncupato) Lovaniensi, quosdam assertos Cornelii Jansenii olim Episcopi Iprensis, executores ex testamento in lucem edi curasse librum, cui titulus, Augustinus, ex professo continentem, & tractantem materiam de Auxiliis, nulla penitùs petita, vel obtenta à dicta Congregatione licentia illum imprimendi; ejusque operis occasione Patres Societatis Jesu nonnullas in Civitate Antuerpiensi de eadem materia tractantes Theses, pariter absque licentia ejusdem Congregationis imprimi curasse, opinionesque Jansenii in prædicto libro contentas oppugnasse; rursusque nonnullas alias orationes, scripturas, Epistolas, Thesesque in calce infrascripti Decreti nostri tunc registratas, tam pro dicti libri Jansenii, quàm Thesium à Patribus Jesuitis editarum defensione impressas fuisse, non solùm contra prædictorum Decretorum prohibitionem, sed etiam in grave scandalum, & offensionem Ecclesiæ Catholicæ: Nos ut malis hujusmodi imminentibus quanto citiùs occurreremus, & ne imposterum ullus auderet dictis Decretis contraire, per aliud Decretum in alia plena, & generali Congregatione ejusdem Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis coram Nobis die prima Augusti proximè præteriti habita, inhærendo prioribus Decretis à Paulo prædecessore, & à nobis, ut suprà editis, pro tunc dictum librum Jansenii cui titulus, Augustinus, Lovanii impressum, necnon Theses à Patribus Societatis Iesu Antuerpiæ in lucem editas, aliasque scripturas in calce posterioris nostri Decreti hujusmodi registratas, jam vigore anteriorum suprædictorum Decretorum prohibitas, de novo prohibuimus, ac pro prohibitis omninò haberi voluimus; mandavimusque sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ne quis cujuscunque status, gradus, conditionis, & qualitatis, etiam speciali, & specialissima nota dignæ, librum, & Theses prædictas, aliasque scripturas, ut suprà absque dictæ Sedis licentia in dicta Congregatione Sancti Officii obtinenda retinere, & legere posset. Mandavimus insuper omnibus, & singulis cujusvis Religionis, Ordinis, & Dignitatis, Abbatiali, Episcopali, Archiepiscopali, & Patriarchali dignitate suffultis, Collegiis, & Universitatibus sub prædictis, ut suprà, excommunicationis ipso facto incurrendæ, Interdicti Ecclesiastici respectivè, aliisque arbitrio nostro pœnis infligendis, etiam corporalibus, ne in posterum auderent imprimere, nec quoquo modo in lucem edere libros, Tractatus, compositiones ex professo, vel incidenter, etiam sub prætextu commentandi Divum Thomam, seu in Philosophicis agendi de concursu causæ primæ cum secunda, & præsertim defendendi, aut impugnandi librum dicti Jansenii, cui titulus, Augustinus, vel Theses Patrum Societatis Iesu, aliasque scripturas in calce dicti posterioris nostri Decreti, ut præfertur, registratas, & prohibitas, aut alia quavis occasione, vel modo de materia Auxiliorum divinorum, seu de gratia, & libero arbitrio tractantes, sine expressa licentia à nobis in dicta Congregatione Sancti Officii obtinenda, donec aliud in hac materia à Sede Apostolicâ prædicta foret ordinatum. Absolutionem verò à prædicta excommunicatione, necnon interdicti suspensionem, & relaxationem, Nobis, & dictæ Congregationi reservavimus. Non obstantibus quibuscunque privilegiis, etiã Sanctæ Cruciatæ, Jubilæi (etiam generalis) & facultatibus Missionariorum, ac aliis à dicta Sede emanatis, seu emanandis, quibus omnibus in hac parte derogavimus, voluimusque ea omnia suum plenarium sortiri effectum, omnesque contrafacientes, ut suprà, ligare, nec quenquam excusari posse, etiam sub prætextu, quod anteriora Decreta Pauli prædecessoris, & nostra alias, ut præfertur, edita non forent in Provinciis intimata, vel usu recepta. Irritum quoque, & inane decrevimus quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingeret attentari; contrariis quibuscumque non obstantibus. Et ne præmissorum ignorantia posset ab aliquo prætendi, voluimus ut posterius nostrum Decretum hujusmodi, seu illius exemplum, ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe, & in Acie Campi Floræ affixum, omnes ita arctaret, & afficeret, ac si unicuique personaliter intimatum foret; Nota verò librorum, & scripturarum prohibitarum, in calce posterioris Decreti nostri hujusmodi registratarum, hæc est. Liber cui titulus, Augustinus, impressus Lovanii Typis Iacobi Zegeri, anno 1640. & Parisiis 1641. Theses Theologicæ de Gratia, libero Arbitrio, & Prædestinatione, Antuerpiæ apud Ioannem Meursium, anno 1641. Cornelii Iansenii Iprensis Episcopi, &c. Laudatio Funeralis dicta à R. Fratre Ioanne à Lapide, &c. Lovanii, Typis Bernardini Masii, &c. Epistola idiomate Hispano, All'Eminentiss. y Reverendiss. Señor Cardenal de la Cueva de la Congregacion de la S. Inquisicion, por el P. Pedro Bivero de la Compañia de IESVS Predicador del Señor Cardenal Infante. Dat. in Buxellas 16. Enero 1641. Me-

moriale idiomate Hispano Cardinali Infanti Hispan.incip.Sereniss.Señor,& finiens,Como es V.Cathol.Real. A. Libellus, cui titulus, Humilis, & supplex querimonia Jacobi Zetgers Typogr. Lovan.adversus Libellum R.P. S.I. Regiæ Capellæ Bruxell. Concionatoris,& Theses PP.Societatis, Lovanii apud Iacobum Zetgers, anno 1641. primæ, secundæ, & tertiæ editionis. Memoriale ad Eminentissimum Cardinalem de la Cueva, circa querimoniam frivolam Iansenianam,&c.contra Theses Theologicas,& libellum supplicem,&c.Ejusdem de eodem tela ingesta, & regesta. Theses Theologicæ, Apologeticæ, & Miscellaneæ adversus doctrinam Cornelii, &c. sub prætextu querimoniæ Typographi Lovaniensis, editionis secundæ, &c. Antuerpiæ apud Ioannem Meursium, anno 1641. Libellus, cui titulus, Augustini Hipponensis, & Augustini Iprensis, de Deo omnes salvare volente, &c, Homologia, &c. Lovanii apud Iacobum Zetgers, anno 1641. Epistola Liberti Fromundi, & Henrici Caleni, Lovanii 16. Iunii 1641. R.P.Societatis Iesu Lovan.incipiens,Theses vestras. Epistola Professorum S.Thom. Colleg. Societ. Iesu Lovan. Liberto Fromundo, & Henrico Caleno, incipiens, Gratias agimus, &c. Epistola, cui titulus, Petrus Biverus Doctoribus Ianseniatis, &c. Ad rem, Ad rem, &c. incipiens Ad rem, Amici, &c. Somnium Hipponense, sive de Controversiis,&c. Relatore Philetimo S.T. Baccal. Formato, Parisiis anno 1641. Insuper omnes alii libri, Opuscula, Epistolæ, Orationes, Theses, &c. aliaque omnia tam edita hucusque, quàm imprimenda; tam contra, quàm pro Cornelio Jansenio, ac Patribus Iesuitis. Cum autem ex diligenti, & matura ejusdem libri, cui titulus, Augustinus, lectione, postmodùm compertum fuerit, in eodem libro multas ex propositionibus à prædecessoribus nostris olim, ut præfertur, damnatas contineri, & magno cum Catholicorum scandalo, & auctoritatis dictæ Sedis contemptu, contra præfatas damnationes, & prohibitiones defendi: Nos huic malo, in scandalum totius Reipublicæ Christianæ, & Fidei Catholicæ perniciem vertenti, opportunum remedium adhibere volentes, Constitutionis Gregorii, ac Pauli prædecessorum prædictorum nostrorum, necnon Decretorum hujusmodi totos, & integros tenores, ac Datas etiam veriores præsentibus pro totaliter expressis, & insertis habentes, motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac perpetuò valitura Constitutione ejusdem Pii, & Gregorii prædecessorum hujusmodi Constitutiones prædictas, omniaque, & singula in eis contenta, Apostolica authoritate tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, librumque prædictum, cui titulus est, Augustinus, Articulos, opiniones, & sententias in dictis Constitutionibus reprobatas, atque damnatas, ut à nobis compertum est, continentem, & renovantem, aliaque omnia opera præsentibus nostris litteris subinserta, quæ aliis sub posteriori Decreto nostro prædicto registratis, per præsentes addimus, atque adjungimus, eadem auctoritate, per præsentes omnino prohibemus, ac pro vetitis, & prohibitis haberi volumus, & mandamus. Iubentes insuper sub omnibus pœnis, & censuris in prædicta Constitutione Pii prædecessoris contentis (à quibus nullus Romano Pontifice inferior, excepto mortis articulo, absolvere contrafacientes possit) ne quis cujuscunque conditionis, & qualitatis sit, etiam speciali, & specialissima nota, & expressione dignus, de prædictis, ut suprà, damnatis, & in prædicto libro contentis, aliisque (ut infrà) subinsertis Articulis, opinionibus, sententiis, libellis, orationibus, scriptutis, Epistolis, Thesibus quoquo pacto loqui, scribere, & disputare audeat, Librumque, & alia prædicta penes se retinere, vel legere præsumat; remanente nihilominus in reliquis in suo robore posteriori Decreto à nobis in sacra supremæ, & Universalis Inquisitionis Congregatione, ut præfertur, edito: Decernentesque sic, & non aliàs in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque Interpretes, Doctores, Academias, Universitates, & Studia generalia, aliasque personas, Judices Ordinarios, delegatos, mixtos, etiam Nuntios nostros, & Sedis prædictæ, sublata eis, & eorum cuilibet qualibet aliter judicandi, & interpretandi, ac glossandi, & decidendi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere; irritumque & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel imposterum contigerit attentari. Non obstantibus omnibus, quæ in dicto nostro posteriori decreto voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque. Opera verò addita aliis in calce posterioris nostri Decreti, ut præfertur, registratis, & prohibitis, sunt sequentia, videlicet: Liberti Fromundi sacræ Theologiæ Doctoris, &c. Brevis Anatomia hominis, Lovanii apud Iacobum Zetgers, &c. anno 1641. Conventus Africanus, sive disceptatio judicialis apud Tribunal Præsulis Augustini,&c. enarratore Artemidoro Oneirocritico, A Roüen, chez Nicolas de Montagne, anno 1641. Memorial au Roy, incipiens, Iean Iansenius Chanoine,&c. & finiens, contra illa duo Decreta Summorum Pontificum,&c. Item attestatio notarialis, &c.incipiens, Ego infrascriptus, & finiens, Petrus Mintaret Notarius. Approbatio sub nomine nonnullorum Theologorum ex variis Religionibus, tam Ordinum Monachalium, quàm Mendicantium, necnon Archiepiscopi Philippensis, aliorumve Theologorum Clericorum Sæcularium, Doctrinæ Cornelii Iansenii in dicto libro Augustinus contentæ, incipiens: Quid censendum sit de doctrina in opere Reverendissimi D.Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis fel. mem. nuncup. Augustinus, contenta, patebit ex subsequentibus attestationibus Doctissimorum virorum in Belgio, & alibi existentium, &c. & finiens: Et me publico, & Apostolico, ac dictæ Universitatis Notario, & Scriba jurato, quod attestor: Petrus Mintaret Notarius. Ut autem præsentes nostræ litteræ, omniaque, & singula in eisdem litteris, ut suprà contenta, ad omnium notitiam deducantur, nec illarum ignorantia ab aliquo allegari possit, volumus easdem præsentes nostras litteras, seu earum transumptum, etiam impressum (cui manu Notarii publici subscripto, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munito plenam ubique locorum, & tam in judicio, quàm extra illud fidem adhiberi decernimus) in Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ valvis, atque in acie Campi Floræ per aliquos ex Cursoribus Palatii Apostolici publicari, & affigi, earumque copiam inibi affixam dimitti, publicationemque, affixionem, & copiæ affixæ dimissionem hujusmodi in omnibus, & quoad omnia sufficere, & pro solemni, & legitima haberi, nec aliam publicationem in Regnis, Provinciis, Civitatibus, Oppidis, & locis requiri, aut expectari debere, omnesque, & singulos perinde arctare, & afficere, ac si unicuique nominatim, ac personaliter intimatæ, atque præsentatæ fuissent. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, additionis, adjunctionis, prohibitionis, jussionis, Decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1640. Pridie Nonas Martii, Pontificatus nostri anno 19.

E. DAT. Visa de Curia, P.Gentilis, F. Morolus.

P. Ciampinus.

Anno

Anno à Nativitate D.N. Iesu Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo tertio, Indictione undecima, die verò 19. Iunii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D.N.D. Urbani Divina Providentia Papæ VIII. anno ejus vigesimo, supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ, atque in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Ioan. Baptistam Ricium ejusdem Sanctiss. D.N. Papæ, ac Sanctæ Inquisitionis Cursorem.

Sanctissimi Domini nostri Alexandri Divina providentia Papæ VII. Confirmatio, & Declaratio Constitutionis Innocentii Papæ X, qua damnatæ sunt quinque Propositiones excerptæ à libro Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis, cui Titulus, Augustinus.

ALEXANDER EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, Universis Christi fidelibus salutem, & Apostolicam benedictionem.



AD Sanctam Beati Petri Sedem, & Universalis Ecclesiæ regimen, inscrutabili Divinæ Providentiæ dispositione, nullis nostris suffragantibus meritis evecti, nihil Nobis antiquius ex muneris nostri debito esse duximus, quàm ut Sanctæ Fidei nostræ, Deo præstante, opportunè consuleremus: ac licet ea, quæ Apostolicis Constitutionibus abundè fuerunt definita, novæ Decisionis, sive Declarationis accessione nequaquam indigeant; quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores illa in dubium revocare, vel subdolis interpretationibus labefactare non verentur, ne morbus iste latiùs divagetur, promptum Apostolicæ authoritatis remedium censuimus non esse differendum. Emanavit siquidem aliàs à fœl. rec. Innocentio Papa X. Prædecessore nostro Constitutio, Declaratio, & Definitio tenoris, qui sequitur, videlicet: Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei. Universis Christi fidelibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Cùm occasione impressionis libri, cui titulus, Augustinus, Cornelii Jansenij Episcopi Iprensis, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præsertim in Galliis, controversia super quinque ex illis, complures Galliarum Episcopi apud Nos institerunt, ut easdem Propositiones Nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam. Tenor verò præfatarum propositionum est prout sequitur. Prima: Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant. Secunda: Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. Tertia: Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione. Quarta: Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. Quinta: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse. Nos, quibus inter multiplices curas, quæ animum nostrum assiduè pulsant, illa in primis cordi est, ut Ecclesia Dei Nobis ex alto commissa, purgatis pravarum opinionum erroribus tutò militare, tanquam navis in tranquillo mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus ac procellis, securè navigare, & ad optatum salutis portum pervenire possit: Pro rei gravitate coram aliquibus S.R.E. Cardinalibus ad id specialiter sæpiùs congregatis, ac pluribus in Sacra Theologia Magistris, easdem quinque Propositiones, ut supra, Nobis oblatas, fecimus sigillatim diligenter examinari, eorumque suffragia tum voce, tum scripto relata maturè consideravimus, eosdemque Magistros, variis coram Nobis actis congregationibus, prolixè super eisdem, ac super earum qualibet disserentes audivimus. Cum autem ab initio hujusmodi discussionis ad Divinum implorandum auxilium multorum Christi fidelium preces, tum privatim, tum publicè indixissemus; postmodùm iteratis eisdem ferventiùs, ac per Nos solicitè implorata Sancti Spiritus assistentia, tandem Divino Numine favente ad infrascriptam devenimus declarationem, & definitionem. Primam prædictarum Propositionum: Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant; temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Secundam: Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur; hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Tertiam: Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione; hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Quartam: Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare, falsam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Quintam: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse; falsam, temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit; impiam, blasphemam, contumeliosam, Divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Mandamus igitur omnibus Christi fidelibus utriusque sexus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quàm in hac præsenti nostra declaratione, & definitione continetur, sub censuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in jure expressis. Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, necnon hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores, & rebelles quoscumque per censuras, & pœnas prædictas, cæteraque juris, & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii sæcularis, omninò coërceant, & compescant. Non intendentes tamen

moriale idiomate Hispano Cardinali Infanti Hispan. incip. Sereniss. Señor, & finiens, Como es V. Cathol. Real. A. Libellus, cui titulus, Humilis, & supplex querimonia Jacobi Zetgers Typogr. Lovan. adversus Libellum R.P. S. I. Regiæ Capellæ Bruxell. Concionatoris, & Theses PP. Societatis, Lovanii apud Iacobum Zetgers, anno 1641. primæ, secundæ, & tertiæ editionis. Memoriale ad Eminentissimum Cardinalem de la Cueva, circa querimoniam frivolam Iansenianam, &c. contra Theses Theologicas, & libellum supplicem, &c. Ejusdem de eodem tela ingesta, & regesta. Theses Theologicæ, Apologeticæ, & Miscellaneæ adversus doctrinam Cornelii, &c. sub prætextu querimoniæ Typographi Lovaniensis, editionis secundæ, &c. Antuerpiæ apud Ioannem Meursium, anno 1641. Libellus, cui titulus, Augustini Hipponensis, & Augustini Iprensis, de Deo omnes salvare volente, &c. Homologia, &c. Lovanii apud Iacobum Zetgers, anno 1641. Epistola Liberti Fromondi, & Henrici Caleni, Lovanii 16. Iunii 1641. R.P. Societatis Iesu Lovan. incipiens, Theses vestras. Epistola Professorum S. Thom. Colleg. Societ. Iesu Lovan. Liberto Fromundo, & Henrico Caleno, incipiens, Gratias agimus, &c. Epistola, cui titulus, Petrus Biverus Doctoribus Iansenianis, &c. Ad rem, Ad rem, &c. incipiens Ad rem, Amici, &c. Somnium Hipponense, sive de Controversiis, &c. Relatore Philetimo S.T. Baccal. Formato, Parisiis anno 1641. Insuper omnes alii libri, Opuscula, Epistolæ, Orationes, Theses, &c. aliaque omnia tam edita hucusque, quàm imprimenda; tam contra, quàm pro Cornelio Jansenio, ac Patribus Iesuitis. Cum autem ex diligenti, & matura ejusdem libri, cui titulus, Augustinus, lectione, postmodùm compertum fuerit, in eodem libro multas ex propositionibus à prædecessoribus nostris olim, ut præfertur, damnatas contineri, & magno cum Catholicorum scandalo, & auctoritatis dictæ Sedis contemptu, contra præfatas damnationes, & prohibitiones defendi: Nos huic malo, in scandalum totius Reipublicæ Christianæ, & Fidei Catholicæ perniciem vertenti, opportunum remedium adhibere volentes, Constitutionis Gregorii, ac Pauli prædecessorum prædictorum nostrorum, necnon Decretorum hujusmodi totos, & integros tenores, ac Datas etiam veriores præsentibus pro totaliter expressis, & insertis habentes, motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac perpetuò valitura Constitutione ejusdem Pii, & Gregorii prædecessorum hujusmodi Constitutiones prædictas, omniaque, & singula in eis contenta, Apostolica authoritate tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, librumque prædictum, cui titulus est, Augustinus, Articulos, opiniones, & sententias in dictis Constitutionibus reprobatas, atque damnatas, ut à nobis compertum est, continentem, & renovantem, aliaque omnia opera præsentibus nostris litteris subinserta, quæ aliis sub posteriori Decreto nostro prædicto registratis, per præsentes addimus, atque adjungimus, eadem auctoritate, per præsentes omnino prohibemus, ac pro vetitis, & prohibitis haberi volumus, & mandamus. Iubentes insuper sub omnibus pœnis, & censuris in prædicta Constitutione Pii prædecessoris contentis (à quibus nullus Romano Pontifice inferior, excepto mortis articulo, absolvere contrafacientes possit) ne quis cujuscunque conditionis, & qualitatis sit, etiam speciali, & specialissima nota, & expressione dignus, de prædictis, ut suprà, damnatis, & in prædicto libro contentis, aliisque (ut infrà) subinsertis Articulis, opinionibus, sententiis, libellis, orationibus, scripturis, Epistolis, Thesibus quoquo pacto loqui, scribere, & disputare audeat, Librumque, & alia prædicta penes se retinere, vel legere præsumat; remanente nihilominus in reliquis in suo robore posteriori Decreto à nobis in sacra supremæ, & Universalis Inquisitionis Congregatione, ut præfertur, edito: Decernentesque sic, & non aliàs in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque Interpretes, Doctores, Academias, Universitates, & Studia generalia, aliasque personas, Judices Ordinarios, delegatos, mixtos, etiam Nuntios nostros, & Sedis prædictæ, sublata eis, & eorum cuilibet qualibet aliter judicandi, & interpretandi, ac glossandi, & decidendi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere; irritumque & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel imposterum contigerit attentari. Non obstantibus omnibus, quæ in dicto nostro posteriori decreto voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque. Opera verò addita aliis in calce posterioris nostri Decreti, ut præfertur, registratis, & prohibitis, sunt sequentia, videlicet: Liberti Fromundi sacræ Theologiæ Doctoris, &c. Brevis Anatomia hominis, Lovanii apud Iacobum Zetgers, &c. anno 1641. Conventus Africanus, sive disceptatio judicialis apud Tribunal Præsulis Augustini, &c. enarratore Artemidoro Oneirocritico, A Roüen, chez Nicolas de Montagne, anno 1641. Memorial au Roy, incipiens, Jean Iansenius Chanoine, &c. & finiens, contra illa duo Decreta Summorum Pontificum, &c. Item attestatio notarialis, &c. incipiens, Ego infrascriptus, & finiens, Petrus Mintaret Notarius. Approbatio sub nomine nonnullorum Theologorum ex variis Religionibus, tam Ordinum Monachalium, quàm Mendicantium, necnon Archiepiscopi Philippensis, aliorumve Theologorum Clericorum Sæcularium, Doctrinæ Cornelii Iansenii in dicto libro Augustinus contentæ, incipiens: Quid censendum sit de doctrina in opere Reverendissimi D. Cornelij Jansenii Episcopi Iprensis fel. mem. nuncup. Augustinus, contenta, patebit ex subsequentibus attestationibus Doctissimorum virorum in Belgio, & alibi existentium, &c. & finiens: Et me publico, & Apostolico, ac dictæ Universitatis Notario, & Scriba jurato, quod attestor: Petrus Mintaret Notarius. Ut autem præsentes nostræ litteræ, omniaque, & singula in eisdem litteris, ut suprà contenta, ad omnium notitiam deducantur, nec illarum ignorantia ab aliquo allegari possit, volumus easdem præsentes nostras litteras, seu earum transumptum, etiam impressum (cui manu Notarii publici subscripto, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munito plenam ubique locorum, & tam in judicio, quàm extra illud fidem adhiberi decernimus) in Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ valvis, atque in acie Campi Floræ per aliquos ex Cursoribus Palatii Apostolici publicari, & affigi, earumque copiam inibi affixam dimitti, publicationemque, affixionem, & copiæ affixæ dimissionem hujusmodi in omnibus, & quoad omnia sufficere, & pro solemni, & legitima haberi, nec aliam publicationem in Regnis, Provinciis, Civitatibus, Oppidis, & locis requiri, aut expectari debere, omnesque, & singulos perinde arctare, & afficere, ac si unicuique nominatim, ac personaliter intimatæ, atque præsentatæ fuissent. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, additionis, adjunctionis, prohibitionis, jussionis, Decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1640. Pridie Nonas Martii, Pontificatus nostri anno 19.

E. DAT. Visa de Curia, P. Gentilis. F. Morolus.

P. Ciampinus.

Anno

Anno à Nativitate D.N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo tertio, Indictione undecima, die verò 19. Iunii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Urbani Divina Providentia Papæ VIII. anno ejus vigesimo, supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ, atque in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Ioan. Baptistam Ricium ejusdem Sanctiss. D.N. Papæ, ac Sanctæ Inquisitionis Cursorem.

Sanctissimi Domini nostri Alexandri Divina providentia Papæ VII. Confirmatio, & Declaratio Constitutionis Innocentii Papæ X. qua damnatæ sunt quinque Propositiones excerptæ à libro Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis, cui Titulus, Augustinus.

ALEXANDER EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, Universis Christi fidelibus salutem, & Apostolicam benedictionem.



D Sanctam Beati Petri Sedem, & Universalis Ecclesiæ regimen, inscrutabili Divinæ Providentiæ dispositione, nullis nostris suffragantibus meritis evecti, nihil Nobis antiquius ex muneris nostri debito esse duximus, quam ut Sanctæ Fidei nostræ, Deo præstante, opportunè consuleremus; ac licet ea, quæ Apostolicis Constitutionibus abundè fuerunt definita, novæ Decisionis, sive Declarationis accessione nequaquam indigeant; quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores illa in dubium revocare, vel subdolis interpretationibus labefactare non verentur, ne morbus iste latiùs divagetur, promptum Apostolicæ authoritatis remedium censuimus non esse differendum. Emanavit siquidem aliàs à fœl. rec. Innocentio Papa X. Prædecessore nostro Constitutio, Declaratio, & Definitio tenoris, qui sequitur, videlicet: Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei. Universis Christi fidelibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Cùm occasione impressionis libri, cui titulus, Augustinus, Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præsertim in Galliis, controversia super quinque ex illis, complures Galliarum Episcopi apud Nos institerunt, ut easdem Propositiones Nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam. Tenor verò præfatarum propositionum est prout sequitur. Prima: Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant. Secunda: Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. Tertia: Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione. Quarta: Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. Quinta: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse. Nos, quibus inter multiplices curas, quæ animum nostrum assiduè pulsant, illa in primis cordi est, ut Ecclesia Dei Nobis ex alto commissa, purgatis pravarum opinionum erroribus tutò militare, tanquam navis in tranquillo mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus ac procellis, securè navigare, & ad optatum salutis portum pervenire possit: Pro rei gravitate coram aliquibus S.R.E. Cardinalibus ad id specialiter sæpiùs congregatis, ac pluribus in Sacra Theologia Magistris, easdem quinque Propositiones, ut supra, Nobis oblatas, fecimus sigillatim diligenter examinari, eorum que suffragia tum voce, tum scripto relata maturè consideravimus, eosdemque Magistros, variis coram Nobis actis congregationibus, prolixè super eisdem, ac super earum qualibet disserentes audivimus. Cum autem ab initio hujuscemodi discussionis ad Divinum implorandum auxilium multorum Christi fidelium preces, tum privatim, tum publicè indixissemus; postmodùm iteratis eisdem ferventiùs, ac per Nos sollicitè implorata Sancti Spiritus assistentia, tandem Divino Numine favente ad infrascriptam devenimus declarationem, & definitionem. Primam prædictarum Propositionum: Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant; temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Secundam: Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur; hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Tertiam: Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione; hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Quartam: Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare, falsam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Quintam: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse; falsam, temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit; impiam, blasphemam, contumeliosam, Divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Mandamus igitur omnibus Christi fidelibus utriusque sexus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quàm in hac præsenti nostra declaratione, & definitione continetur, sub censuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in jure expressis. Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, necnon hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores, & rebelles quoscumque per censuras, & pœnas prædictas, cæteraque juris, & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii sæcularis, omninò coërceant, & compescant. Non intendentes ta-

men per hanc declarationem, & definitionem super prædictis quinque propositionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Iansenii.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ 1653. pridie Kal. Junii, Pontificatus nostri anno 9.

Cùm autem, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis Filii prædictas quinque Propositiones, vel in libro prædicto ejusdem Cornelii Jansenii non reperiri, sed fictè, & pro arbitrio compositas esse, vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse, asserere magno cum Christi fidelium scandalo non reformidene: Nos qui omnia, quæ hac in re gesta sunt, sufficienter, & attentè perspeximus, utpote qui ejusdem Innocentii Prædecessoris jussu, dum adhuc in minoribus constituti, Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis Congressibus interfuimus, in quibus Apostolica authoritate eadem causa discussa est, ea prorsùs diligentia, qua major desiderari non posset, quamcunque dubitationem super præmissis imposterum auferre volentes, ut omnes Christi fideles in ejusdem fidei unitate sese contineant, ex debito nostri Pastoralis Officii, ac matura deliberatione, præinsertam Innocentii Prædecessoris nostri Constitutionem, Declarationem, & Definitionem, harum serie confirmamus, approbamus, & innovamus, & quinque illas Propositiones ex libro præmemorati Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus est, Augustinus, excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse declaramus, & definimus, ac uti tales, inusta scilicet eadem singulis nota, quæ in prædicta declaratione, & definitione unicuique illarum sigillatim inuritur, iterum damnamus, ac eundem librum sæpedicti Cornelii Iansenii, cui titulus, *Augustinus*, omnesque alios tam manuscriptos, quàm Typis editos, & si quos forsan imposterum edi contigerit, in quibus prædicta ejusdem Cornelii Iansenii Doctrina, ut supra damnata defenditur, vel astruitur, aut defendetur & astruetur, damnamus itidem, atque prohibemus. Mandantes omnibus Christi fidelibus, ne prædictam doctrinam teneant, prædicent, doceant verbo, vel in scriptis exponant, vel interpretentur publicè, vel privatim, palam, vel occultè imprimant, sub pœnis, & censuris contra hæreticos in jure expressis ipso facto, absque declaratione incurrendis. Præcipimus igitur omnibus Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque locorum Ordinariis, ac hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ac Iudicibus Ecclesiasticis, ad quos pertinet, ut præinsertam ejusdem Innocentii Prædecessoris Constitutionem, Declarationem, ac definitionem juxta præsentem nostram Determinationem ab omnibus observari faciant, ac inobedientes, & rebelles prædictis pœnis, aliisque juris, & facti remediis, invocato etiam, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, omnino coërceant.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ 1656. 17. Kal. Novembris, Pontificatus Nostri Anno 2.

I. Card. Prodat.

G. Gualterius.

Visa de Curia. P. Ciampinus.

In nomine Domini, Amen. Anno à Nativitate ejusdem Domini nostri Iesu Christi 1656. Indictione 9. Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Alexandri divina providentia Papæ VII. anno ejus 2. die verò 7. mensis Novembris, retroscripta littera sub Plumbo expedita, affixa fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de urbe, Cancellaria Apostolica, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Paulum de Grassis, Apostolicum Cursorem.

Pro Magistro Cursorum, Iacobus Cornelius Cursor.

Feria 5. die 24. Ianuarii 1647.



IN generali Congregatione sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram sanctissimo Domino Innocentio divina providentia Papa X. ac Illustrissimis, & Reverendissimis Dominis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in Universa Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus à S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

Editus est anno 1645. Liber Gallico idiomate impressus, cui titulus, *De l'Authorité de S. Pierre, & de S. Paul, qui reside dans le Pape successeur de ces deux Apostres*, absque nomine Authoris, & impressionis loco: Hujus libri evulgationem subsequuta est editio alterius Libri Anonymi eodem idiomate impressi, cui titulus, *La Grandeur de l'Eglise Romaine establie sur l'Authorité de S. Pierre, & de S. Paul*: Necnon Epistolæ ejusdem argumenti Latino idiomate conscriptæ, ac typis excusæ, plurimis adductis, atque congestis Sanctorum Patrum, Summorum Pontificum, Sacrorum Conciliorum, & Doctorum locis.

Quocirca, ne in re tanti ponderis error aliquis mentibus Christi fidelium irreperet, libris prædictis de mandato Sanctissimi maturè examinatis, locisque adductis diligenter inspectis, ac ponderatis.

Sanctissimus relata unanimi Theologorum ad hoc specialiter deputatorum censura, & auditis votis Eminentiss. & RR. DD. Cardinalium Generalium Inquisitorum, Propositionem hanc: S. Petrus, & S. Paulus sunt duo Ecclesiæ Principes, qui unicum efficiunt; vel sunt duo Ecclesiæ Catholicæ Coryphæi, ac supremi Duces summa inter se unitate conjuncti; vel sunt geminus universalis Ecclesiæ vertex, qui in unum divinissimè coaluerunt; vel sunt duo Ecclesiæ Summi Pastores, ac Præsides, qui unicum caput constituunt, ita explicatam, ut ponat omnimodam æqualitatem inter Sanctum Petrum, & S. Paulum sine subordinatione, & subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema, & regimine universalis Ecclesiæ, hæreticam censuit, & declaravit.

Epistolam verò, ac libros prædictos, aliosque, in quibus propositio ut suprà explicata & damnata asseritur, & defenditur, tam impressos, quàm imprimendos, quocunque idiomate, aut quomodolibet etiam in scriptis evulgatos, vel in posterum evulgandos, Sanctitas sua omninò damnatos, & prohibitos esse voluit, prout præsenti Decreto damnat, & prohibet.

Mandans

Mandans ut nemo cujuſcunque gradus, & conditionis exiſtat, etiam ſpeciali, ſeu ſpecialiſſima notâ dignus, libros prædictos, aut aliquem ex illis apud ſe retineat, aut legat, nec imprimere, aut imprimi curare audeat, ſub cenſuris, & pœnis contra hujuſmodi delinquentes ſtatutis, ſed ſtatim à præſentis Decreti notitia, quicunque illos habuerit, locorum Ordinariis, ſeu Inquiſitoribus conſignare teneatur.

Ioannes Antonius Thomaſius, Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

Anno à Nativitate Domini N.I.C. 1647. Indictione 15. die verò 25. menſis Ianuar. Pontificatus Sanctiſſimi in Christo Patris & Domini noſtri Domini Innocentii divina providentia Papæ X. anno ejus 3. ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicarum S. Ioannis Lateranenſis, & S. Petri de urbe, necnon ad valvas Palatii Sacræ Inquiſitionis, & Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per me Hieronymum Maſcellam ejuſdem Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ, & Sanctiſſ. Inquiſitionis Curſorem.

Decretum Sacræ Congregationis ſupremæ & Univerſalis Inquiſitionis in tota Republica Christiana à ſancta Sede contra Hæreticam pravitatem ſpecialiter deputatæ.

Feria 5. die 15. Ianuarii 1654.

CIRCUMFERTUR in urbe, & forſan aliis in locis quoddam manuſcriptum idiomate Hiſpano exaratum, quod incipit, Por mano d'eſte Nuncio recivió Su Excellencia vna Carta, &c. & finit, Lo que mas convenga al ſervicio de Dios, bien de las Almas, y recta Iuſticia. Cujus manuſcripti Auctor (ut publicè fertur) eſt Benedictus de Treglies, Collateralis Conſilii, ſive Cancellariæ Neapolitanæ Regens, in quo inter alias Propoſitiones temerarias, & ſcandaloſas habentur quæ infra ſequuntur, videlicet, La Iuriſdicion Eccleſiaſtica que toca à ſu Santidad como a Pontifice, fuera de ſu territorio temporal reſpicit cauſas, & perſonas, y a determinadas cauſas, y perſonas ſe reſtringe, y en ellas ſolamente ſe puede exercitar, pero el territorio no es ſuio, ſino del Rey, y aſſi como quien exercira juriſdicion en ageno territorio, tiene obligacion a pedir el beneplacito al Dueño de la juriſdicion de aquel territorio, aſſi quando ſin tener juriſdicion de territorio quiere el Pontifice exercitarla en el del Rey ſobre las cauſas, o perſonas en quien le roca, deve permitir, ſe examinen por el Principe temporal ſus reſcriptos, paraque reconozca ſi ſon de ſu juriſdicion las cauſas, y perſonas que en ellos ſe contienen.

Quam quidem propoſitionem juſſu ſanctiſſimi D.N. Innocentii Papæ X. à Qualificatoribus Supremæ, & Univerſalis Inquiſitionis examinatam, & perpenſam, iidem Qualificatores unanimi conſenſu, Schiſmaticam, & Hæreticam cenſuerunt.

Quocirca ne ex lectura præfati manuſcripti pravis opinionibus, & hæreſibus Christi fideles inficiantur, & depraventur, eadem Sacra Congregatio Supremæ, & Univerſalis Inquiſitionis prædictum manuſcriptum, ſive Hiſpano, ſive alio quocunque idiomate circumferatur, & divulgetur, de ſpeciali mandato Sanctitatis ſuæ omninò prohibet, & damnat ſub pœnis, & cenſuris in Indice librorum prohibitorum contentis.

Et niſi illius Auctor quamprimùm ſeſe expurgaverit, cenſuris, ac aliis pœnis Eccleſiaſticis intelligat ſe omninò coërcendum.

Ioannes Antonius Thomaſius, Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

Anno à Nativitate D.N. Ieſu Christi milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quarto, Indictione ſeptima, die verò 16. Ianuarii, Pontificatus Sanctiſſimi in Christo Patris, & D.N.D. Innocentii Divina Providentia Papæ X. Anno ejus decimo, ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Baſilicarum S. Ioannis Lateranenſis, & S. Petri de Urbe, necnon ad Valvas Palatii Sacr. Inquiſitionis, Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per me Hieronymum Maſcellam ejuſdem Sanctiſſ. D.N. Papæ, ac Sanctæ Inquiſitionis Curſorem.

FERIA V. DIE 8. JULII 1660.

In Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico apud Sanctam Mariam Majorem coram Sanctiſſimo D. N. ALEXANDRO Divina Providentia Papa VII. ac Eminentiſſ. & Reverendiſſ. DD. S. R. E. Cardinalibus in Univerſa Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Inquiſitoribus generalibus à Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

LICET aliàs per Conſtitutionem fel. record. Pauli V. emanatam ſub die prima Septembris M. DC. VI. quæ incipit, Romanus Pontifex, fuerit diſtrictè prohibitum Superioribus Regularium, ne quovis titulo, vel prætextu præventionis, aut conſuetudinis, & præſcriptionis, etiam immemorabilis, aut

alio in causis ad Sanctum Officium spectantibus, se quoquo modo intromittere, aut immiscere, denunciationes recipere, testes examinare, processus conficere, causas cognoscere, aut examinare audeant; imò ex ejusdem Constitutionis dispositione eisdem fuerit graviter injunctum, ut suos subditos, ac Religiosos, quos hæresis labe infectos, vel de hæresi suspectos noverint, absque alia consultatione cum propriis suæ Religionis Superioribus, vel alia quavis persona facienda, sine mora Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis viciniotibus denuncient: Nihilominus animadvertens Sanctissimus D.N. ALEXANDER VII. ab aliquibus Regularibus in dubium revocari prædictam denunciandi obligationem, adeò ut nedum suos subditos non denuncient, verùm etiam fideles ad ipsos pro consilio recurrentes, an debeant Sancto Officio denunciare quæ audierunt, aut viderunt, ad ipsum Sanctum Officium spectantia, ad id faciendum, ut deberent, non obligent, imò aliquando eosdem perperam instruant, non teneri, nec sub obligatione Constitutionum Apostolicarum comprehendi; & hanc opinionem erroneis aliquot Doctorum sententiis confirmare tentantes, eosdem in maximum fidei discrimen ab onere denunciandi retrahere conentur. Volens proinde Sanctitas Sua abusum hujusmodi ex sui pastoralis officii debito coërcere, post maturam facti discussionem, auditis votis Eminentissimorum, & Reverendissimorum DD. Cardinalium adversus hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum, innovans Constitutionem prædictam à fel. record. Paulo V. emanatam, & quatenus opus sit, eam declarans. Hoc præsenti decreto districtè præcipit, & mandat omnibus, & singulis Regularium Generalibus, Provincialibus, Abbatibus, Prioribus, Guardianis, Rectoribus, Præpositis, aliisque ejusmodi quocunque nomine nuncupatis Superioribus cujuscunque Ordinis, & Instituti, sive Mendicantium, sive non Mendicantium, necnon Congregationis, & Societatis Clericorum Regularium quorumcunque, etiam Societatis JESV, aliorumque quomodocunque exemptorum, vel non exemptorum, etiamsi essent specialiter, & nominatim exprimendi, ut omninò dictæ Constitutioni in omnibus pareant, & omnes, & quoscunque Religiosos, tam sibi ipsis subditos, quam non subditos, cujuscunque dignitatis, gradus, & conditionis existant, hæreticos, vel de hæresi quomodocunque etiam leviter suspectos deferant, & judicialiter denuncient Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis, & nullatenus in causis ad Sanctum Officium spectantibus audeant se intromittere, neque suos subditos ad Sanctum Officium recurrentes, vel recurrere, aut accedere volentes, molestare, vexare, vel alio quovis modo, sive directè, sive indirectè avertere, retrahere, dissuadere; imò prædictos suos subditos a onere debeant, ut ipsi quoque eidem decreto omninò pareant, & alios Christi fideles, etiam Confratres suos ad parendum pariter hortentur, & suadeant, rejectis peninus hujusmodi opinionibus, atque interpretationibus, quas Sanctitas Sua cum voto dictorum Eminentissimorum DD. Cardinalium, tanquam perniciosas, temerarias, & non consistentes, à mente Sanctitatis Suæ prorsùs alienas reprobavit, & reprobat. Et quia quandoque etiam eorum subditi deficiunt in eo, quod ipsis implendum incumbit cum Religiosis ejusdem, alteriusve Ordinis, aliisve quibuscunque personis de fide suspectis, cæterisque petentibus consilium in materiis ad Sanctum Officium spectantibus, itaut nedum ipsimet denunciationes differant, vel ab illis prorsùs abstineant; verùm etiam multoties ab eisdem alios à se consilium petentes retrahant malis artibus, vel mendicatis Doctorum opinionibus, vel sub fraternæ correctionis factæ, vel faciendæ, aliove prætextu. Proptereà idem Sanctissimus declaravit præfatos subditos absque ulla participatione, etiam nulla petita venia à Superioribus, etiamsi nulla fraterna correctio, vel alia monitio præmissa fuerit, omninò teneri, & obligatos esse accedere ad denunciandum Ordinariis, vel Inquisitoribus locorum quoscunque etiam Confratres, ac Superiores, etiam primarios suos ejusdem Ordinis, & Religionis, quos noverint esse de fide quomodolibet etiam leviter suspectos: ac proptereà eosdem debere omnes, & quoscunque etiam alios à se consilium, ut suprà, petentes monere, & obligare ad denunciandum, nec posse illos à denunciando sub dictæ fraternæ correctionis, vel alio quovis prætextu retrahere, aut retardare, & præfatos omnes, tam Superiores, quàm subditos contrafacientes Sanctitas Sua voluit, & declaravit subjacere omnibus censuris in dicta Constitutione Pauli V. expressis, necnon privationis quarumcunque Dignitatum, seu Prælaturarum, seu officiorum suorum Ordinum, ac vocis activæ & passivæ, perpetuæque inhabilitatis ad eadem ipso facto, & absque alia declaratione incurrendis, aliisque Sanctitatis Suæ, ac successorum arbitrio infligendis pœnis, quarum relaxationem, suspensionem, absolutionem, vel dispensationem Sanctitas Sua sibi ipsi, & successoribus suis Romanis Pontificibus tantùm expressè reservavit. Et ne præmissorum prætendi possit ignorantia, idem Sanctissimus mandavit sub eisdem pœnis, ipsò pariter facto incurrendis, & ut suprà reservatis, ut Superiores omnes præfati in quocunque loco, Conventu, vel Collegio sui Ordinis, Decretum hoc semel saltem singulis annis Kalendis Martii in publica mensa, vel aliàs in Capitulo ad hoc specialiter convocato legi curent unà cum aliis Decretis, & Constitutionibus Apostolicis ad Sanctum Officium Inquisitionis adversùs hæreticam pravitatem pertinentibus, quotannis legi solitis, juxta Decretum fel. record. Urbani VIII. Et insuper iidem Superiores teneantur curare, & efficere, ut hujus Decreti exempla aliquo in loco apud eos publicè affigantur, & affixa conserventur, itaut ab iisdem subditis Religiosis omnibus videri, ac legi commodè queant. Deque hujusmodi lectione, & commonitione publico documento ab iisdem Superioribus Conventus, vel Domus subscripto, unaque ab aliis duobus Religiosis ejusdem Domus, vel Conventus, statim certiorem facere Congregationem Sanctissimæ Inquisitionis in Urbe, vel locorum Inquisitores ubi sunt. Statuitque prætereà Decretum hoc, seu illius exemplum ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & in Acie Campi Floræ affixum, omnes ubique existentes arctare, & afficere, ac si unicuique personaliter fuisset intimatum.

Loco † Sigilli. JOANNES LUPUS S.Romanæ, & Universalis Inquisitionis Not.

Anno à Nativitate D.N. IESV CHRISTI millesimo sexcentesimo sexagesimo, Indictione decima tertia, die verò vigesima quarta mensis Augusti, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Alexandri Divina Providentia Papæ VII. anno ejus sexto, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ S.Petri de Urbe, necnon ad valvas Palatii S.Inquisitionis, ac in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Hieronymum Mascellam, ejusdem Sanctissimi D.N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

Innovatio Constitutionum, & Decretorum in favorem sententiæ asserentis, animam B. Mariæ Virginis in sui creatione & in corpus infusione à peccato originali præservatam fuisse, editorum.

ALEXANDER PAPA SEPTIMUS.

Ad perpetuam rei memoriam.



Ollicitudo omnium Ecclesiarum, quam licet meritis & viribus longè impares, Dei Optimi Maximi voluntate, & providentia gerimus, in id Nos anxiè tenet intentos & vigilantes, ut scandala quæ inter fideles pro humanæ naturæ corruptione & fragilitate necesse est ut veniant, quantum fieri potest, paucissima exoriantur, atque exorta quàm celerrimè, & quàm diligentissimè amoveantur: nam iis per quos veniunt, certam peccati perniciem, quibus verò præbentur, præsens afferunt labendi periculum: quorum Nos pro nostro pastoralis officii debito, & damnum summoperè dolemus, & discrimine assiduè urimur. Sanè vetus est Christi fidelium erga ejus Beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas, sentientium ejus animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia & privilegio, intuitu meritorum Iesu Christi ejus filii, humani generis Redemptoris, à macula peccati originalis præservatam immunem, atque in hoc sensu ejus Conceptionis festivitatem solemni ritu colentium, & celebrantium: crevitque horum numerus, atque hujusmodi cultus post editas à fel. rec. Sixto PP. IV. prædecessore nostro in ejus commendationem Apostolicas Constitutiones, quas sacrum Concilium Tridentinum innovavit, atque observari mandavit. Aucta rursus, & propagata fuit pietas hæc, & cultus erga Deiparam post erecta hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, religiosorum Ordinem, & Confraternitates, ac concessas ab iisdem indulgentias, ita ut accedentibus quoque plerisque celebrioribus Academiis ad hanc sententiam, jam ferè omnes Catholici eam complectantur. Et quia ex occasione contrariæ assertionis in concionibus, lectionibus, conclusionibus, & actibus publicis, quod nempe eadem Beatissima Virgo Maria fuerit concepta cum peccato originali, oriebantur in populo Christiano cum magna Dei offensa scandala, jurgia, & dissensiones, rec. mem. Paulus PP. V. etiam prædecessor noster vetuit horum opinionem præfatæ sententiæ contrariam publicè doceri, aut prædicari. Quam prohibitionem piæ mem. Gregorius PP. XV. similiter prædecessor noster ad privata etiam colloquia extendit, mandans insuper in favorem ejusdem sententiæ, ut in sacrosancto Missæ sacrificio, ac divino officio celebrandis, tam publicè, quàm privatim, non alio quàm Conceptionis nomine uti quicunque debeant. Nihilominus, prout venerabiles fratres Episcopi ferè omnes Hispaniarum cum Ecclesiarum suarum Capitulis, datis ad Nos literis exposuerunt, accedente etiam insinuatione charissimi in Christo filii nostri Philippi earundem Hispaniarum Regis Catholici, qui specialem super hoc misit ad Nos Oratorem venerabilem fratrem Ludovicum Episcopum Placentinum, per quem etiam delatæ fuerunt ad Nos supplicationes Regnorum earundem Hispaniarum, pergunt aliqui contrariæ illius opinionis assertores contra præfatas prohibitiones tum privatim, tum publicè præfatam sententiam aut impugnare, aut vellicare, & favorem à Romanis Pontificibus cultui, & festo secundùm illam præstitum ita interpretari, ut frustrentur; imò Ecclesiam Romanam huic sententiæ, & cultui juxta illam Beatæ Virgini exhibito favere negant, pios Christi fideles è sua pacifica quasi possessione deturbare conando, unde offensiones, scandala, & jurgia, quibus obviare voluerunt Paulus V. & Greg. XV. nostri prædecessores, perdurant adhuc, & ex occasione eorundem adversantium majora his incommoda in posterum prudenter, & meritò timentur. Quapropter super his tam præfati Episcopi cum Ecclesiarum suarum Capitulis, quàm memoratus Philippus Rex, ejusque Regna nobis pro opportuno remedio instanter supplicari fecerunt. Nos considerantes, quod Sancta Romana Ecclesia de intemeratæ, semperque Virginis Mariæ Conceptione festum solemniter celebrat, & speciale, ac proprium super hoc officium olim ordinavit juxta piam, devotam, & laudabilem institutionem, quæ à Sixto IV. prædecessore nostro tunc emanavit; volentesque laudabili huic pietati, & devotioni, & festo, ac cultui secundùm illam exhibito in Ecclesia Romana post ipsius cultus institutionem nunquam immutato, Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum exemplo favere, necnon tueri pietatem & devotionem hanc colendi & celebrandi Beatissimam Virginem, præveniente scilicet Spiritus sancti gratia à peccato originali præservatam, cupientesque in Christi grege unitatem spiritus in vinculo pacis, sedatis offensionibus, & jurgiis, amotisque scandalis, conservare: ad præfatorum Episcoporum cum Ecclesiarum suarum Capitulis, ac Philippi Regis, ejusque Regnorum oblatam Nobis instantiam ac preces, Constitutiones, & Decreta à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & præcipuè à Sixto IV. Paulo V. & Greg. XV. edita in favorem sententiæ asserentis, animam B. Mariæ Virginis in sui creatione & in corpus infusione Spiritus sancti gratiâ donatam, & à peccato originali præservatam fuisse, necnon & in favorem festi, & cultus Conceptioni ejusdem Virginis Deiparæ secundùm piam istam sententiam, ut præfertur, exhibiti, innovamus, & sub censuris, & pœnis in eisdem Constitutionibus contentis observari mandamus. Et insuper omnes, & singulos, qui præfatas Constitutiones, seu Decreta ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictæ sententiæ, & festo, seu cultui secundùm illam exhibito frustrentur, vel qui hanc eandem sententiam, festum, seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo, directè, vel indirectè, aut sub quovis prætextu, etiam definibilitatis ejus examinandæ, sive S. Scripturam, aut SS. Patres, sive Doctores glossandi, vel interpretandi, denique alio quovis prætextu, seu occasione, scripto, seu voce loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quicquam determinando, aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo, & insoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo disserendo, ausi fuerint, præter pœnas, & censuras in Constitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos subjacere volumus, & per præsentes subjicimus, etiam concionandi, publicè legendi, seu docendi, & interpretandi facultate, ac voce activa, & passivâ in quibuscunque electionibus eo ipso absque alia declaratione privatos esse volumus, necnon ad concionandum, publicè legendum, docendum, & interpretandum perpetuæ inhabilitatis pœnas ipso facto incurrere absque alia declaratione, à quibus pœnis non nisi à Nobis ipsis, vel à successoribus nostris Romanis Pontificibus absolvi, aut super iis dispensari possint; necnon eosdem aliis pœnis nostro & eorundem Romanorum Pontificum successorum nostrorum arbitrio infligendis pariter subjacere volumus, prout subjicimus per præsentes, innovantes Pauli V. & Greg. XV. superiùs memoratas Constitutiones, sive Decreta. Ac libros in quibus præfata sententia, festum, seu cultus secundùm illam in du-

bium

bium revocatur, aut contra ea quomodocumque, ut suprà, aliquid scribitur, aut legitur, seu locutiones, cōciones, tractatus, & disputationes contra eadem continentur, post Pauli V. supra laudatum Decretum edita, aut in posterum quomodolibet edenda, prohibemus sub pœnis, & censuris in Indice librorum prohibitorum contentis, & ipso facto absque alia declaratione pro expressè prohibitis haberi volumus, & mandamus. Vetamus autem Sixti IV. Constitutionibus inhærentes, quempiam asserere, quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, aut mortale peccatum incurrant; cùm à Romana Ecclesia, & ab Apostolica Sede nondum fuerit hoc decisum, prout Nos nunc minimè decidere volumus, aut intendimus: quin potiùs contrariam illam opinionem hæresis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, præter pœnas, quibus eos subjecit Sixtus IV. aliique prædecessores nostri Romani Pontifices, gravioribus aliis pœnis subjicimus, quas in contrafacientes huic nostræ Constitutioni superiùs inflixImus. Volentes quod contra hujus nostræ Constitutionis transgressores, etiam regulares cujusvis Ordinis, & Instituti, etiam Societatis Iesu, & quomodolibet exemptos, & alias quascumque Ecclesiasticas, & seculares personas cujuscumque status, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quam sæcularis, ut præfertur, tam Episcopi, & Prælati superiores, aliique locorum Ordinarii, quàm hæreticæ pravitatis ubique locorū deputati Inquisitores procedant, & inquirant, atque in eos strictè animadvertant: Nos enim iis, & eorum cuilibet contra eosdem transgressores procedendi, & inquirendi, ac pœnis coërcendi, & puniendi liberam facultatem, & auctoritatem iisdem auctoritate, & tenore tribuimus, & impartimur, eosque, ut præfertur, procedere, inquirere, & punire strictè præcipimus, & mandamus. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusvis indultis, & literis Apostolicis quibusvis personis quantumcumque qualificatis, & in quacumque, etiam Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, & quavis alia dignitate, & honore constitutis, etiam quod contra eos procedi, interdici, suspendi, vel excommunicari nequeat, quomodolibet concessis. Quibus omnibus, & eorum singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de eis, ipsorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per generales, etiam id importantes, clausulas mentio habenda, aut alia exquisita forma observanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum insecti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, harum serie specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Ut autem hæc nostra Constitutio, & præmissa omnia ad eorum omnium, quorum interest notitiam congruentiùs pervenire possint, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna privationis ab ingressu Ecclesiæ eo ipso incurrenda præcipimus, & mandamus omnibus, & singulis locorum Ordinariis, ac eorum Vicariis, Suffraganeis, & Officialibus quibuscumque, & aliis singulis, ad quos quomodolibet spectat, & pertinet, quatenus hujusmodi nostram Constitutionem singulis suæ Diœcesis, vel districtus prædicatoribus, & aliis, quibus expedire judicaverit, opportunè insinuent, & publicent, ac insinuari, & publicari faciant, ne quis in posterum quoquo modo ignorantiam de præmissis possit prætendere, aut se contra præmissa valeat excusare. Volumus, & similiter eadem auctoritate decernimus, & mandamus, quod præsentes litteræ per aliquos ex nostris Cursoribus in Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ valvis, ac in acie Campi Floræ de Urbe de more publicentur, & affigantur; quæ affixio & publicatio ita omnes & singulos, ad quos spectat, afficiat, & arctet, ac si illis personaliter intimatæ fuissent; & quod illarum transsumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus litteris adhiberetur, si ostensæ, vel exhibitæ forent. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 8. Dec. 1661. Pontificatus nostri anno 7.

S. VGOLINVS.

Anno 1661. Indictione 13. die verò 11. mensis Dec. Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Alexandri Divina Providentia Papa VII. anno 7. subscripta litteræ affixa, & publicata fuerunt in Basilicarum S. Ioan. Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, ac Cancellaria Apostolica valvis, & in acie Campi Flora, ut moris est, per me Andream Castruccium prælibati Sanctiss. D. N. PP. Curs.

Pro D. Mag. Curs. Petrus Paulus Desiderius, Curs.

FERIA V. DIE 24. SEPTEMBRIS 1665.

In Congregatione generali Sancta Romana, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctiss. D. N. ALEXANDRO Divina Providentia Papa VII. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SANCTISSIMVS D.N. audivit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianæ Disciplinæ relaxativas, & Animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodere: & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omninò ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela. Quare ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu veriùs perverti contingeret, idem Sanctissimus D.N. ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem, via pro pastorali sollicitudine in rectam semitam evocaret, earundem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis, & Reverendissimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus seriò commisit. Qui tantum negotium strenuè aggressi, eique sedulò incumbentes, & maturè discussis usque ad hanc diem infrascriptis propositionibus, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati Suæ sigillatim exposuerunt.

PROPOSITIO

PROPOSITIO 1. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2 Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3 Sententia asserens, Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Iulij in Consistorio Sacræ Congregationis Emin. Cardinalium visa, & tolerata est.

4 Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

5 Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

6 Confessarius, qui in sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam posteà legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non est denunciandus.

7 Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante: hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.

8 Duplicatum stipendium potest Sacerdus pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.

9 Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendij sibi retenta.

10 Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre: Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11 Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

12 Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13 Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.

14 Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15 Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16 Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17 Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis Viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18 Licet interficere falsum Accusatorem, falsos Testes, ac etiam Iudicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19 Non peccat Maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20 Restitutio à Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Iudicis, eo quòd sit pœna.

21 Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.

22 Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica pecuniâ interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficij, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23 Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, putà quia non vult se subjicere præcepto.

24 Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

25 Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26 Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest Iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27 Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.

28 Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum similium Propositionum examini cura, & studium impenditur, interea idem Sanctissimus re maturè considerata statuit, & decrevit, prædictas Propositiones, & unamquanque ipsarum, ut minimùm tanquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet: itaut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini Iudicij prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissima nota digtus, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

IOANNES LUPUS S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis Not. &c.

Loco † Sigilli.

Anno à Nativitate D. N. IESV CHRISTI millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto, Indictione tertia, die verò secunda mensis Octobris, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Alexandri Divina Providentia Papa VII. anno undecimo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilica Principis Apostolorum, Cancellaria Apostolica, ac in acie Campi Flora, ac in aliis locis solitis, & consuetis Vrbis per me Carolum Melanum ejusdem Sanctissimi D. N. Papa, & Sanctissima Inquisitionis Cursorem.



INDEX
RERUM NOTABILIUM,
quæ in hoc ſecundo Tomo continentur.

Primus numerus paginam, ſecundus numerum marginalem indicat.

Index Rerum

Quid

Bulla

Notabilium.

Notabilium.

Notabilium.

Exemptio.

Notabilium.

Index Rerum

An

Dururn,

Ionathas

Index Rerum

A

Pontificem

Singula

Index Rerum Notabilium.

FINIS.

